

CVSPIDE
FIGO
IVVENALIS
&
PERSIVS
Vett. Scholiis
&
Comment. Erud.
AVARITIA
PIGRITIA

D. IUNII IUVENALIS
Aquinatis
S A T Y R Æ,
Cum SCHOLIIS VETERUM, & COMMENTARIIS Integris, Selectis & Conquisitis fere omnium ERUDITORUM;

UT

IS. GRANGÆI, JO. BRITANNICI, NIC. RIGALTII, PET. PITHOEI, TH. PULMANNI, DOM. CALDERINI, GEORG. VALLÆ, EILH. LUBINI, B. AUTUMNI, JOH. GER. VOSSII, OCT. FERRARII, CL. SALMASII, JOS. SCALIGERI, NIC. HEINSII, JOH. FR. GRONOVII, J. G. GRAEVII, IS. VOSSII, LUD. D'ORLEANS, J. A. GONSALII DE SALAS, TH. J. ALMELOVENII, H. C. HENNINII, & aliorum.

Cum Indice Locupletissimo omnium Vocabulorum.

Quaecunque hujus Præfationis contenta sequens pagina indicabit.

Accedit
A U L I P E R S I I
FLACCI SATIRARUM LIBER.
ISAACUS CASAUBONUS recensuit, & COMMENTARIO LIBRO illustravit.

Editio novissima, auctior & emendatior ex ipsius Auctoris codice: Cura & opera

M E R I C I C A S A U B O N I Is. F.

Accessit & Graecorum, ubi opus erat, interpretatio.

LUGDUNI BATAVORUM.

Apud P E T R U M VANDER Aa, Bibliopolam.
M. DC. XCV.

VIRO ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO

JOANNI ANTONIO
Des
MESMES,

COMITI DE AVAUX; DOMINO IN BASOCHES, LONGUEVAL, et cætt. REGIORUM ORDINUM EQUITI TORQVATO; CHRISTIANISSIMO REGI A CONSILIIS STATUS; ET AD FOEDERATOS BELGAS EXTRAORDINARIO LEGATO,

NOVAM HANC JUVENALIS RECENSIONEM DEVOTISSIMA CUM OBSERVANTIA

D. D.

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.

CUm diu, Excellentiſſime Legate, mecum deliberaſſem, quem potisſimum ex more inveterato deligerem Juvenali meo Mæcenatem, cujus ſplendore labor noſter illuſtraretur; poſt multam acremque meditationem Tu ſolus occurrebas, cui tanquam Tutelari Genio nobiliſſimus Auctor dedicaretur. Eſt

ea profecto Belgicæ felicitas, ut quos Aula Christianissimorum Regum eo misit Legatos, totidem fere fuerint Tutelaria Masculæ Eruditionis Numina, quibus certatim doctissimi hic locorum Viri æternos labores consecraverunt. Hos Tu heroas, Vir Illustrissime, prolixa in rem Literariam voluntate superas, ut qui gentilitio & hereditario illustri Tuæ Familiæ erga Eruditionem amore, Literarum grande decus es & ornamentum, imitatusque Regem ab omni ævo & memoria maximum, cujus Tu hic locorum personam magnificentissime exornas, tristes hac tempestate Camœnas respicis. Hospes sit in literis oportet, qui nesciat, MEMMIAM Familiam tam præclare de universo Doctrinæ nomine meritam, quantum ulla unquam. Tacebo Gentis Tuę Bibliothecam instructissimam, cum armario rerum antiquarum ditissimo, Parisiis generoso sumtu publicatam; Tacebo eruditos illos ęterni nominis Tuæ Familiæ clientes, Lambinos, Turnebos, Marcilios, Passeratios aliosque, quorum Musæ nusquam mihi facundiores videntur, quam ubi de Majorum Tuorum virtutibus verba faciunt. Hospes etiam sit in Historiis oportet, qui nesciat, ex illustri Tua Familia prodiisse Viros Mercuriales & Heroas sago togaque nobilissimos; quibus Tu, Vir Excellen-

lentissime, oriundus avitam gloriam auges & propagas; neque indignam tuo splendore Liberalem Eruditionem judicasti, ut etiam hodie nemo non excellentem illam, qua polles, civilem scientiam & Historiarum, fontes augustæ Sapientiæ, in Te admiretur. Summæ illæ profecto Virtutes tuæ, & dexteritas capessendis rebus & recte administrandis par, ita Te Maximo Regi commendavit, ut, quibus ipse maximis virtutibus prȩditus, eas in aliis amet æstimetque perbenigne & exornet, jam olim Te ad Status consilia adsciverit, fidemque tuam & industriam in negotiis maxime arduis expertus, mox honorificas aliquot Legationes demandarit; in quibus illa inprimis præcellit, qua summa cum potestate Orator ad Pacificationem Europæ Neomagensem missus, ita illam Spartam exornasti, ut Maximo Regi melius satisfacere nemo potuisse videatur. Certe Pacalis olivæ heros rediisti, quamque inde Pacem tuo præcipue studio & contentione retuleras, eam dein nutantem & pæne collapsam insigni prudentia tua iterum sartam tectam conservasti, ut omnis ordinis homines in nostra Belgica Te in oculis jure merito ferant. Sed laudes istas immortales tacitus venerari malo, quam eas præconio meo superiores deterere. Aquinas

iste

iste meus, quem Vir Illustrissime vides, tuo asfertæ Pacis beneficio usus in dias luminis oras evadit. absque Te fuisset, damnatus ad carceres Typographicæ moræ in squalore fatum Smyrnæ Cinnanę fuisset expertus. Quis ergo mihi vitio vertet, Vir Illustrissime, si eumpse ingenuæ venerationis & grati animi monumentum apud Te L. M. deponam? neque Cordatus Auctor tam illustrem clientelam respuebat, sed lubens volensque ad Te properabat, Galliarum Monarchæ magnificum Legatum. Galliam Veterem Romanę impotentiæ impatientem subinde prædicat, hanc disertissime *Facundam* laudat, & ad eam *Basilum* eloquentissimum Oratorem remittit, cum Romæ liberalior doctrina vel sorderet vel frigeret. Quis optimum Poetam tam dextre de Europæ illo ocello sentientem dubitaret, non protinus in tuum, Vir Illustrissime, sinum se recepturum; qui gentilitio decore, ut apud Majores tuos illustres, ita & apud Te insignibus Poetis, quos inter & Noster censetur, nunquam non patuit? Imo vero Auctor hic emunctissimæ naris Gallis præcipue debet, quod & rectius legitur & facilius intelligitur. quid enim? Stephani castissima religione cum emendarunt:

darunt: Rigaltii patrocinium Satyræ ejus adversus doctissimos Viros eandem lacessentes susceperunt: Pithœi operam dedere, ut Veterum Scholia in emendatiorem Poetam legeremus: Grangæi doctissimis notis eundem illustrarunt: Tanti denique visus est generosissimi spiritus Poeta, ut summus ille Literarum instaurator, illustris Dux MONTOSERIUS, eum denuo recensendum in usum Serenissimi Delphini Ludovico Prateo V. Cl. committeret. Horum ego Virorum eruditis sudoribus adjutus eundem recensui, ac doctissimos Eorum labores una in hoc opere diligenter & fideliter conjunxi. Cum vero ex Jurisconsultorum sententia, Domino cedat, quod in ejus fundo est natum; Cui potius hanc Recensionem inscriberem, quam Te, Vir Excellentissime, qui Illius Domini magnificentissimam geris cum maxime personam, reperiebam neminem. Accipe proin Vir Illustrissime sereno vultu has Aquinatis Satyras, Doctorum lucubrationibus illustratas, &, quod summa animi reverentia rogo, patiare eas saltem apud Posteros qualecunque testimonium summæ & singularis erga Te, & Rei Literariæ Statores Majores Tuos, observantiæ & cultus publice dicere; quem animi mei optimum maximum cultum si Tibi etiam placere pro insigni illa humanitate Tua sinas, summam voti me consecutum æstimabo. Vale, Vir Excellentissime.

Trajecti ad Rhenum A. D. Eid. Februar. anni CIↃ IↃC XXCV.

HENR. CHR. HENNINII
AD
LECTORES
PRÆFATIO.

Quod Reipublicæ literariæ bene vertat! JUVENALEM damus, Veterum & Recentiorum commentariis explicatum. In τῷ κειμένῳ seu Textu secuti sumus præcipue *Variorum Editionem* a Schrevelio olim recensitam, quamque Viris doctis audio satis placere. Is *nitidissimum & correctissimum textum se dare* in Præfatione ait, *inspectas esse sibi varias accuratissimasque Editiones, collata inter se exemplaria sed præ ceteris sibi arrisisse Rob. Stephani & P: Pithœi Editiones. usum esse quoque duobus mss a Cl: Salmasio suppeditatis; qui etiam sibi Veterem Interpretem propria manu multis in locis emendatum ultro obtulerit, quas etiam castigationes sit secutus; sæpius præterea in difficilioribus consultum a se Salmasium, cui uni, si quid nominis ac famæ mereatur sua Editio*, vult *deberi*. Itaque non sine ratione tam in ipsis Satyris, quam Scholiis Veterum hanc recensionem sumus secuti, præterquam quod in nonnullis locis non injuria, ut puto, variemus: ut & in *Scholiis Veterum*, quæ non unius Auctoris esse ex multis locis (inspice ex. gr. ad iv. 38. & vii. 92.) apparet, & subinde Ethnicorum fuisse, imperitia rerum divinarum arguit, ceu videre est speciminis ergo ad vi. 160. In his, inquam, Scholiis semper versus integros, in quos *Scholia* subjiciuntur, jussi excudi, quod in *Variorum Editione* video neglectum; cum tamen operæ precium sit, sequi Editionem Pithœanam, ut ita obiter constet, quomodo Veteres illi Scholiastæ in suis Codd. legerint, cum sæpius varient. Præterea singulis Satyris præmitti Versiculos illos singulares curavi, qui Satyrarum argumenta referunt, & qui in multis *mss.* reperiuntur. videbis Lipsium *Epist. Quæst.* iv. 15. Præfigi quoque ISAACI GRANGAEI *Gymnasiarchæ Vindocinensis Synopses* singulis Satyris, Ejusdemque *Notas* Textui subjici fuit visum. secutus sum *Editionem Parisinam*, quæ apud *Robertum Fouet* quaternionibus excusa anno hujus sæculi quarto decimo, & dedicata Cæsari Vindocinensium Duci illustrissimo, Galliarum Pari, & Armoricorum magno Proregi: in qua etiam additi *Autumnus* & *Calderinus*. Placuit præ cæteris hunc cum *Scholiis Veterum* sub Textum recipere, cum non solum abstrusiora Juvenalis feliciter plerumque explicet, sed & vagatus per omne genus Auctorum, *Alexandros Neap. Beroaldos, Brodæos, Canteros, Cujacios, Douzas, Egnatios, Erasmos, Flavios, Floridos, Gyraldos, Junios, Leopardos, Lipsios, Loenses, Magios, Muretos, Parrhasios, Politianos, Ramiresios, Rhodiginos; Turnebos, Victorios*; & plurimos alios VV. doctissimos laudet, quorum loca Juvenalem illustrantia magna cum fide frequentat. Sed audiamus ipsum: *Cum*, ait, *ex multis nullum juvenibus JUVENALE nostro tum curvis moribus corrigendis, tum rectis instituendis, magis utilem nactus fuissem; attentius solito legi; cumque perobscurior, quam mihi proposueram, legenti occurrisset, non tamen destiti, sed eo attentius & cum majori cura volvi iterum, iterumque revolvi, aliquando solum, aliquando Commentariis, ut pannis, involutum, quibus comparandis nulli impensæ, nulli labori peperci;* ita

ita ut plures mss. & omnes commentarios diversorum, qui diversis temporibus in hunc Auctorem scripserunt, triennio quam diligentissime unde quaque exquisiverim; ex quibus & fere ex omnibus Poëtis, Historicis; Oratoribus, Philosophis, quæ ad tanti Auctoris explanationem facerent, collegi, sive ad ea, quæ Historiam tangunt, respicias; sive ad morum & verborum puritatem: omnes laudans, neminem lædens, nisi cujus error aut inscitia plane sit intolerabilis. Sequitur post ista Britannicus (cujus Notis *Curis* sua Scholia inseruit) & Calderinus, ambo recogniti, quorum hic *Angeli Sabini Turrensis*, ille *Georgii Merulæ* meliora, uterque multa ex Glossis membranarum & Codd. mss. sine ullo fere indicio descripserunt. fidem dictis faciam, si conferas speciminis ergo Barth. *Adv.* XLII. 16. ubi quasdam ex Glossis mss. videbis tacite transscriptas Britannico ad XI. 2. & 7. Calderino ad XI. I. ideoque visum etiam fuit, hos Commentatores separatim recognoscere. *Merulæ Enarrationes* jam olim docuit multis erroribus obnoxias Politian. *Epist.* XI. 10. quos prudenter omisit Britannicus. *Sabinus* qualis fuerit, indicamus in limine *Calderini*. Nemo itaque miretur in hoc opere sigillatim non comparere *Merulam* & *Sabinum*; uti nec *Federici Ceruti Veronensis Paraphrasin*, utpote quæ ultra verbalem constructionem rarissime assurgit. In NOTIS SELECTIS præcipuam habuimus rationem LUBINI, præsertim ob *Veterem* Ejus *Commentarium*, quo sæpius videtur ἀνόνυμως uti. de eo ita Jos. Scaliger *Epist* IV. 412. ad Janum Gruterum: *Scripsit ad me Eilhardus Lubinus, se Tibi Juvenalem suum misisse. Affirmavit mihi, cum his esset, se vetusta Scholia illius Poetæ, Pithœanis longe plura & meliora, nactum esse. Velim scire, an ea cito daturus sit.* In NOTIS VARIIS omnes illos omisi, quorum loca Grangæus laudarat: atque si liberalius otium fuisset, multo plures Notas collegissem ex Variis Literatorum libris; sed credo æquis Lectoribus me etiam ita satis fecisse, cum optimos quosque evolverim maxime. Mirari quandoque subit audaciam umbraticam quorundam, qui otiosi ita alienos labores suo nomine præscribunt, ut a Pulmanno video factum; nec minus displicent, qui nescio quibus agitati Bacchicis furoribus quosvis doctorum labores in pannuceos centunculos sine nomine, sine judicio, sine miseratione dilacerant, & dein miserabiles illas quisquilias invidendo & splendido *Variorum* titulo ostentant. quasi vero furfures a polline secernendi non essent, quasi omnia eodem jure perfundenda forent, quasi denique hyacinthi cum allio in eundem fasciculum coirent. Majori etiam se piaculo obstringunt isti scioli, qui suas ineptias illustrium Virorum sententiis inferciunt, quibus credibile est iratos esse Doctiorum Manes. Verum Satyram non scribo, quare mitto ista. *Ludovici Pratei V. Cl.* Editio pro Serenissimo Galliarum Delphino tum demum in has regiones est allata, cum omnes Notæ essent absolutæ: quare nihil innovare sustinui; &, ut apparet, Vir ille doctissimus usus est fere iisdem Commentariis, quos & Nos attulimus. Animadversa ALMELOVENII V. Cl. nobisque amicissimi debeo Ejusdem humanitati. *Spicilegia* mea maximam partem mores spectant, & reconditum fere Juvenalis sensum. nolui attingere, idque dedita opera, nonnulla. Satius est quædam tacere, caussæ; quam dicere, morum detrimento. Imo Fabius etiam inter Grammatici virtutes recenset, quædam nescire. Alius ea intelligat, alius explicet; nolui ego movere sentinam. Imo & ita me in alienarum Notarum recensione gessisse credo; ut salva fronte legi queant. Abhorremus enim a Lampsacenis & Sotadicis quorundam vigiliis, qui τὰς ἐκ τῶν βιβλίων ἀκάνθας ἐκλέγουσι, non τὰ χρησιμώτατα καὶ ἀκοῆς ἄξια, aranearum æmuli, qui ex optimis floribus pessima sugunt venena. Licet enim vulgo Aquinas accusetur Obscœnitatis, non tamen ideo coguntur Enarratores ejus reverentiam aurium incestare, animi mores corrumpere. Libera dictione suæ ætatis vitia castigavit Noster, & sane id ex permisso esse, docuere Hieronymi, Augustini, at qui Viri! rationem reddit D. Chrysostom. *Homil.* IV.

in

in Ep. ad Rom. cogi scilicet eos ad fœditatem quasi oculis exhibendam; aliter parum profecturæ, dum homines impudicos reprehendunt: ὁ ἰατρὸς τῶν σηπεδόνα ἐκβάλλειν βουλόμενος, οὐ σκοπεῖ, πῶς καθαρὰς διατηρήσει τὰς χεῖρας, ἀλλ' ὅπως αὐτὸν ἀπαλλάξει σηπεδόνος. Sunt profecto homines, qui ægerrime ferunt sua vitia in aliis reprehendi; qui dum hos legunt Poetas, vitiorum acerrimos hostes & masculæ Virtutis Præceptores, sua flagitia emendare, non aliena discere deberent. verum nolo Apologeticum hic scribere pro Satyricis, cum satis prolixum jam olim dederit Lubinus. Post Notas in *Veterum Scholia* rivos claudit *Index* εὐμηχανώτατος τῶν πάνυ τῶν λέξεων, quem, *Josephi Langii, Cæsaremontani, in Academia Friburgensi Rhetorices & Græcarum Litt. Professoris* esse laborem putare fas est, si liceat ex Indicibus sapere, (neque enim Juvenalis & Persius ex illius Editione ad meas venit manus) in quibus Ejus cura & studio promittitur *Index absolutissimus omnium Vocabulorum, & phrasium præcipuarum, quæ in illis continentur, non solum ad Syllabarum rationem; sed & Linguæ Latinæ usum, & antiquitatis cognitionem utilissimus.* Atque ita, ut vides, Benevole Lector, hæc omnia uno fasce junximus, præsertim cum plerique horum in paucissimorum pluteis supersint. B. F. Quantum vero hæc Commentatorum collatio lucis adferat Auctori, tumet ipse evidentissime cernes, si quando periculum facies. Ubique Editiones indicamus, quibus sumus usi, ne quis Scaurus alienam culpam, si quid forte humanitus nostris Commentatoribus contigerit, in nos transferat. At quæ ego non τῶν κακῶς τυπογραφηθέντων, male laudatorum, errorum, ineptiarum, plagiorum, criminationum struices sustuli! Nosti sine dubio morem commentandi, qui atavorum memoria vulgo placebat. ceu Sphingos ænigmata plerosque legebant Auctores, difficiliora tanquam Siculam Charybdin studiose cavebant, ne tamen omnino invisa aut intacta viderentur præterita, verbulum unum aut alterum inde exemtum diffusissime prosequebantur, ab origine usque ad derivata; mox plaustrales Glossarum acervos compilabant: hinc bullatæ illæ & loquaces nugæ, verbosissimæ constructiones, ceu verba solum, & nusquam res venirent explicandæ: hinc etiam ingentia illa volumina non pondere, sed mole conspicua fere ad minutarum mercium institores abiere. Sed ad rem redeo. Omnes Notas minoribus typis imprimi jussi, quod mecum videbam immanem alias libri molem fore; & eas sigillatim adversuum numeros hac nostra Editione, quam potui accuratissime, revocavi. Literæ rectæ & obliquæ, quas οἱ ἀμφὶ τοὺς τύπους vocant *Romanas* & *Cursivas* meo studio ad lectionis commoditatem, ubi opus est, suas habent vices. Non potuit autem subinde eadem servari Orthographiæ ratio, ob tantam tot Auctorum diversitatem. Tantum negotii subibam, tantum tædii devoravi, idque solius boni publici Literarii commodo. Licebit enim, credo, absque invidia de tædiis nostris præfari, ne quis ineptus aut maleferiatus iis aliquando abutens, seu nunc seu olim, pipulo differat nostram sedulitatem. neque enim dubito, fore Theones, qui non solum hanc edendorum Auctorum publice culpabunt rationem, eadem fruentur nihilominus; sed & ignava opera homines morose improbos, qui nihil rectum putabunt, aut probabunt, nisi quod illis placuerit. At finem facio, teque, quisquis hæc legis, rogo, ut si quid insubidum festinanti exciderit, si oculo conniventi & a continua studiorum intensione defesso se quandoque subduxerint quædam, quæ, ut occupata, oportebat deleta, si impolitias pepercerit operarum incuria, homo homini condones. Vale.

TA-

TABELLA CONTENTORUM HAC EDITIONE.

PROLEGOMENA.

Sectio I. VITA JUVENALIS, auctore, ut putatur, *Suetonio Tranquillo*, ex vet. cod. ms. IS. Vossii V. Cl. auctior: cum Notis *Petri Pithoei* Jc. & *Henrici Christiani Henninii.*

J*UNIUS JUVENALIS libertini locupletis incertum filius, an alumnus, ex Aquinio Volscorum oppido oriundus, temporibus Claudii Neronis ad mediam fere ætatem declamavit, animi magis caussa, quam quod Scholæ se aut foro præpararet. Deinde ad Poetices se applicavit, & postquam diu tacuit, uberiori vitiorum jam gliscente contagione ab indignatione incepit:* Semper ego auditor tantum? *dehinc paucorum versuum Satyra non absurde composita in Paridem Domitiani pantomimum, Poetamque P. Statium, Ejus semestribus militiolis tumentem, hoc genus scripturæ industrie excoluit; & tamen bene diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus: mox*

magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, inferciret novis scriptis:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Quod non dant Proceres, dabit histrio. Tu Camerinos,
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos!

Erat tum in deliciis aulæ histrio, multique fautorum Ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora præsentia figurate notasset, ac statim per honorem militiolæ, quanquam octogenarius, Urbe summotus, missusque ad præfecturam cohortis in extremam Aegypti partem tendentis. Id supplicii genus placuit, ut levi atque joculari delicto par esset. Verum intra brevissimum tempus Θεὸς ἀνὴρ *adscribitur Divorum choro, revertiturque Juvenalis Romam, qui tandem ad Nervæ & Trajani principatum supervivens senio & tædio vitæ confectus properantem spiritum cum tussi exspuit.* Explicit.

Notæ ad præcedentia, quibus JUVENALIS VITA plenius explicatur. litera P. *Pithœi*, litera vero H. *Henninii* notas indicat.

JUNIUS &c.) *Juvenalis vita, quæ præponitur, non est, opinor, ejusdem Interpretis. Et vero in opt. Codice ad finem adscripta fuit recentiore manu, & in plerisque aliis separatim exstat. Suetonio etiam a quibusdam tribuitur. Hujus loco, initio Vetustiss. Ex. ad illa verba*, Semper ego auditor, *hæc legebantur*: Juvenalem aliqui Gallum propter corporis magnitudinem, aliqui Aquinatem dicunt. Ea tempora Domitiani Tyranni, quibus etiam ipse vixit, eo quod in aula ipsius plus histriones, quam bonæ vitæ homines possent, graviter carpsit. Hos autem libros in exilium missus ad civitatem ultimam Aegypti* Hos ab ipso Domitiano, scripsit. Ideo autem in exilium missus est, quia dixit versum illum,

Quod non dant Proceres, dabit histrio,

Nunc autem hoc induci, quasi carptum se per figuras a miseris poetis, qui nil novum, sed omnibus notas fabellas recitarent. & dicit, magis ideo Satyram se scribere, ut possit mores illius temporis demonstrando notare. *Hactenus Vet. Ex. quod prætermissum nolui. Quin & illud addam, pro* Hos, *civitatis illius Aegypti nomen reponendum* Oasa, *sive* Oasin *peninsulam exilüs celebrem. cujus & hic idem Interpres meminit ad* Sat. IIII. *Sed & apud Hieronym.* in Epitaphio Nepotiani *male hodieque* Assæ, *pro* Oasæ. *Nam de* Timasio *loquitur, quem* Oasa *relegatum Zosimus exadvocato fisci clare narrat.* P. ¶ Totidem pæne verbis, ut vulgo legebatur, ex suo *Probo Grammatico*, ut ait, hanc vitam exhibuit olim *Georgius Valla* in præfatione ad *Commentarios suos*, quem miror vix cuiquam inspectum super hac vita. Profitetur vero, se *ne in minima quidem parte aliquid aut subtraxisse, aut immutavisse*: Nos sicubi variat, fideliter monebimus. H.

Libertini.) ita Probus Vallæ & If. Voss. cod. vulgo legitur *liberti*. H.

Ex Aquinio.) quod secundum D. Augusti descriptionem primæ est in Italia regionis, & Thomæ, magni illius Scholasticorum parentis, qui Juvenalis municeps *de Aquino* cognominatur, natalibus inclutum. hinc etiam in omnibus fere mss. *Aquinas*, a patria, Juvenalis cognominatur: neque ipse repugnat, nam Sat. iii. 319. Umbricius ad Juvenalem ita ait: *Quoties te Roma tuo refici properantem reddet Aquino.* Cæterum verba illa ex *Aq.* usque ad illa: *ad mediam* &c. e cod. ms. Voss. sunt suppleta. H.

Ad mediam fere ætatem declamavit.) Usus Frontone Grammatico, a quo summa diligentia dicitur institutus; docuit enim illis temporibus Romæ magna cum nominis celebritate, ut Gell. testatur. Capitol nus prodit alicubi, fuisse quendam C. Frontonem Rhetorem Hadriani temporibus, eoque magistro usum esse Verum. vide & Sarisb. *Policr.* viii. 19. H.

Animi magis caussa.) neque tamen minus eo in studio videtur posuisse operæ. Omnes profecto Satyræ subactum redolent declamatorem, unde etiam Martiali vii. 91. *facundus* dicitur. Ait Crinitus, qui *lib.* IV. *cap.* 69. *de Poet. Latin.* Juvenalis vitam persequitur, non deesse, qui referant Eruditum fuisse Juvenalem præceptis atque institutionibus Quintiliani, qui per ea tempora maxime excelluit inter cæteros Rhetoras. H.

Scholæ se.) τὸ *se* ex Probo Vallæ reposuimus. H.

Deinde ad Poetices &c.) hæc eisqq. ad initium verborum *Paucorum versuum* &c. ex ms. Vossiano supplentur. vulgo legebatur: *Dein paucorum vers.* &c. Pro *Poetices* forte *Poeticen* legendum, nisi sit ἑλληνίζοντος ἔλλειψις. H.

Satyra.) de cujus origine & ratione multis disputarunt Jul. Cæs. Scalig. *Poetic.* i. 12. & iii. 98. Casaubon. *Prolegom. in Pers.* Heins. *de Sat. Horat.* Anton. Foquelinus, Antecessor Aurelianensis, *super Persium, in Præmissis*; ut taceam Commentatores, qui super Satyras Nostri, Persii & Horatii scripserunt, quorum singuli obiter in præmissis de Satyræ origine & ratione disputant: & alios plures, ut ex Veteribus Quintilian. x. 1. Diomedes, Eugrafius. Cum vero Heins. *Horatium* & Casaub. *Persium* ita extollerent, ut Juvenali iniquiores videri potuerint; *pro Juvenalis Satyra* calamum strinxit doctissimus Rigaltius, cujus vigiliæ *Sect.* iii. sequentur; quibus eleganter item *de Satyræ* ipsius ratione, origine & usu verba facit. Solebant scilicet olim Agrestes Ceteri offerre lancem variis instructam frugibus, unde & *Sa-*

tura (& ſic in Voſſ. Cod. ὅ *Satyra* ſcribitur, & nihil aliud, quam farraginem miſcellam notat, unde lex ex variis capitibus conflata, *Satura* dicitur, *farcimen ſaturum*, *carmen ſaturum* & Perſ. *rus ſaturum*: hinc & ludicra dictio verſu & proſa conſtans & confuſe prolata, per *Satyram* dicitur ſcripta.) ea lanx cœpit dici; quique eas frugum primitias colligerent, *Saturi*, ſeu *Satyri* audiebant. Hi autem ſacris iitis dum operarentur, temulenti fere & *Saturi* ſaltabant, neque ſolum jocos & probra invicem confuſe jactitabant, ſed & alios per vinolentam petulantiam dicteriis laceſſebant. hinc apud Virg. in *Bucol. Alpheſibœus imitabitur ſaltantes Satyros.* quare & iſta dictio, qua depravati hominum mores falſe notantur & confuſe, cœpit quoque *Satyra* dici, ut colligitur ex Horat. *Art. Poet.* Juvenalis vero Noſter Satyras ſcripſit xvi. quæ vulgo, in V. libros diſtribuuntur, laudante etiam ita Priſc. & Schol. ad iii. 240. Argumenta Satyrarum talia fecit Rigaltius: *Lib.* i. *Sat.* i, *Præfatio, cur Satyras ſcribat.* habet vſſ. 171. 2, *Hypocritæ* habet vſſ. 170. 3, *Incommoda Urbis ad Umbricium*: vſſ. 322. 4, *Convivæ Domitiani* vſſ. 154. (quidam volunt hanc eſſe: *In Domitianum vindictas poſt Exilium.*) 5, *Paraſiti.* vſſ. 173. *Lib.* ii. *Sat.* 6, *Mulierum flagitia & ſcelera* (ſub Tulliæ, Mauræ & Collaciæ nominibus.) vſſ. 661. *Lib.* iii. *Sat.* 7, *Artium neglectarum querela.* vſſ. 243. 8, *Natalium claritas.* vſſ. 275. 9, *Cinædi.* vſſ. 150. *Lib.* iv. *Sat.* 10, *Vota.* vſſ. 366. 11, *Luxus.* vſſ. 208. 12, *Heredipetæ.* vſſ. 130. *Lib.* v. *Sat.* 13, *Scelera tandem punita.* vſſ. 249. 14, *Parentum Exempla.* vſſ. 331. 15, *Religiones Peregrinæ.* vſſ. 174. 16, *Militiæ Privilegia* vſſ. 60. Has xvi. Satyras memoriæ cauſſa tribus verſibus ſeqq. concluſit Rudolph. Gittins:

1 *Vates.* 2 *Hypocrites.* 3 *Roma urbs.* 4 *Rhombus.* 5 *Paraſitus.*
6 *Nupta.* 7 *Ars ſordet.* 8 *Nobilitas vera.* 9 *Impia.* 10 *Vota.*
11 *Cœna.* 12. *Redux.* 13 *Depoſta.* 14 *Parens.* 15 *Aegyptia.* 16 *Miles.*

De duabus poſtremis Satyris vulgo diſſentiunt Eruditi, alii eas Juvenali abnegant, ut præter indicatos in Notis facit J. G. Voſſ. *lib.* iii. *Inſt. Poet.* ubi xv. eximit, quia horrida nec Satyræ convenientia tractet. Idem tamen V. Cl. de *Poet. Lat. Atque*, ait, *iſtic* (in Aegypto) *veriſimile eſt Juvenalem ſcripſiſſe Satyram de portentis Aegypti, quæ ad Voluſium: & ad Gallum alteram de militiæ incommodis.* quicum ſentit Lil. Gyraldus; Et ſane credibile eſt Juvenalem omnes xvi. compoſuiſſe, quandoquidem dictio & tractandi ratio in omnibus eſt eadem. H.

Domitiani Pantomimum.) τὸ *Domitiani* ſuppletur ex ms. Voſſ. conſentit & ipſe Sueton. *Domit. c.* 10. H.

Poetamque Claudii Neronis.*) Hæc verba (*Cl. Ner.*) in quibuſdam Ex. deſunt. P. Ideo etiam ea lubens omiſi, & Voſſiani Cod. lectionem repoſui, præcipue cum cum neque in Vallæ Probo exſtent. H. Quod ſequitur de *ſemeſtribus militiolis*, pertinet ad illud *Sat.* vii.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Eſt & ſemeſtris tribunatus mentio apud Plin. *lib.* iiii. *Epiſt.* P.

Poetamque Claudii Neronis, ejus ſemeſtribus militiolis tumentem, genus ſcripturæ induſtrioſe excoluit.*) Ita vulgo: in Voſſiano ms. legitur: *Parid. Dom. pantom. & aulæ hiſtrionem ſemeſtribus tumentem vibrata, Poetamque P. Statium compoſita hoc gen. ſcr. induſtrioſe excoluit.* Probus Vallæ: *in Paridon Pant. Poetamque Semeſt. mil. emitante* (*f. emicantem*) *h. g. ſ. induſtrie exc.* Ex hiſce lectionibus nos locum totum, ut vides, emendamus. *induſtrie* habuit Valla, & frequens iſto ſenſu ea vox Suetonio in *Vitis*. H.

Et tamen bene diu &c.) τὸ *bene* eſt ex Vallæ Probo, ſic alii eadem elegantia *bene mane* etſſ. Sapienter vero Juvenalis *ne modico quidem auditorio ſe committere primo eſt auſus*, utpote qui ſcripſiſſet in eos, qui vel poſſent proſcribere, vel aure Tyranni in ſuam perniciem abuti. τὸ *auſus* in Vallæ Probo ſolum ἀντὶ τοῦ *eſt* comparet. *H.*

Quæ prima fecerat.) forte *primo*. apparet hinc Juvenalem primo ſcripſiſſe quaſdam Satyras in Paridem, Ejusque paraſitum Statium; qu Paris cum eſſet apud Domitianum primæ admiſſionis, non audebat Juvenalis publice recitare, quæ in eum ſcripſerat. Poſtea videtur novas Satyras, quas habemus, ut vii. x. etſſ. compoſuiſſe; cumque eas bis terve cum applauſu recitaſſet, nonnulla mordaciora *ex iis, quæ primo fecerat*, novis hiſce Satyris inſeruit; quorum ſpecimen referuntur quatuor illi verſus ex Sat. vii. 88. 90. 91. 92. Sed male homini ſupercilioſo, atque accuſandis inſectandisque hominum vitiis acerrimo, quique moleſtiſſimo animo ferret corruptos civitatis mores, hæ liberrimæ veritatis voces ceſſerunt. *H.*

Infarciret.) Probus Vallæ: *infert. H.*

Ille & mil. &c.) *vſ.* 88. (omiſſo 89.) cum hemiſtichio 90. *vſ.* in Cod. Voſſ. tantum exſtant. in Valla & vulgatis 90 91. 92. *vſſ. Sat.* vii. adducuntur; nos omnes quatuor adſcripſimus. *H.*

Erat tum in deliciis aulæ hiſtrio.) innuit Paridem fuiſſe ἐκ τῶν τοῦ Δομιτιανοῦ ἐρωτοπαιγνίων, ἃ Δηλικίας Ρωμαῖοι καλοῦσιν. pro *hiſtrio* male Valla *Hiſtorio*. H.

Provehebantur.) Valla: *promovebantur.* illud elegantius. Juſtin. *in Epitom. Trog.* I. 1. *Spectata inter bonos moderatio provehebat. &c. H.*

Quaſi tempora præſentia figurate notaſſet.) τὸ *præſentia* ex Cod. Voſſ. ſuppletur. pro *figurate* Valla habet *figura.* Magnus quidam Vir hæc *præſentia tempora* pro ævo Hadriani ſumit; ſcilicet Juvenalem cœpiſſe in deperditos ſeculi ſui mores quadragenarium invehi, &

Saty-

Satyrico sale persudisse tum Paridem & Statium tempore æquales, ut constat ex *Sat.* vii. *vs.* 87. verum cum nec Paridi nec Domitiano innotuerint illi versus, etiam ab iis male habitum non fuisse: quare cum Martiale tranquille & jucunde vixisse Romæ, qui Martialis *Epigr.* vii. 91. Aquinati *Saturnalitias nuces* familiaritatis argumentum mittit. Eos vero versus Paride & Domitiano mortuis, ut patet ex *Satyra* iv. *initio* & *fine*, & vii. *initio*, ubi de Trajano jam loquitur; emanasse in publicum. Cum vero Hadriani ævo cœpisset repetere suos versus, & sæpius proterve in præsens quasi Hadriani tempus vibrare, in suspicionem venisse, quasi & alterum Hadriani Ganymedem figurata repetitione horum versuum: *Quod non dant Proceres, dabis histrio,* voluisset traducere. Itaque Imp. Hadrianum sexto sui Imperii anno, Catamiti sui querela inductum, oblata moroso seni octogenario Juvenali per speciem honoris præfectura cohortis in Aegypto, a se hominem dimisisse: qui proscriptus & relegatus seu Pentapolin, ut Suidas vult; seu *Oasa, ibi militem tenuerit*, si Scholiis Veterum iv. 38. sit fides. sed vero *Syenem* in fine Imperii, in extrema Aegypti parte, exilii locum fuisse Aquinati. Pervenisse vero Poetam ad Hadriani ævum, ex Sat. xv. ubi Consulis *Junii Rustici* mentio, constare. Sed relinquimus hac in re liberum cuique judicium. *H.*

Militiolæ.) Ita ms. Voss. & supra eadem vox adfuit. vulgo hoc loco, *militiæ.* H.

In extremam Aegypti partem tendentis.) Ita Valla, cum vulgo sit: *in extrema parte tendentis Aegypti.* Vid. *Schol. ad* iv. 38. Syenen magno viro intelligi modo monuimus. H.

* *Intra brevissimum tempus angore & tædio periit.*) Non satis hic convenit cum Suida, quem tamen ex Dione sumpsisse verisimile est. Neuter cum iis, quæ ex Juvenale ipso *Sat.* iv. vi. xiii. xv. colligi possunt, quæ hic accuratius persequi non est otii nostri. Summa tantum quædam breviter notasse satis erit. P. ¶ Ita quidem vulgo finitur Juvenalis vita: at Cod. Vossianus, ut vides, aliter hæc repræsentat, & auctiora. H.

Θεὸς αὐτῆς adscribitur Divorum choro.) videntur hæc de Domitiano dici, qui *Dominus Deusque* appellari voluit. Sed vero videtur repugnare Juvenalis ætas jam octogenarii, cum Urbe summoveretur; cumque paulo post reditum perierit, quomodo a Domitiano extendere ætatem potuit ad Nervæ & Trajani principatum? sane ita decem & plures supra centum annos explesse oporter, ait & Crinitus, se necdum reperisse apud Auctores fide dignos, Juvenalem sub Domitiano pulsum; quod si forte Θεὸν αὐτῶν intelligas *Antinoum*, aut pro αὐτῆς legas Ἀντίνοος, repugnabunt sequentia, quibus dicitur *Romam reversum ad Nervæ & Trajani principatum supervixisse*, quos demum excepit Hadrianus. H.

Ad Nervæ & Trajani principatum supervivens.) Videntur hæc ex margine in τὸ κείμενον librariorum incuria intrusa, adeoque delenda. Rationes mox laudavi. neque sane ad Trajani ætatem, sed & Hadriani pervenit; sub quibus, rara illa temporum felicitate, videtur pleraque scripsisse. Sedeamus ad calculos. Promittit in fine *Sat.* i. se tantum de mortuis scripturum. Jam *Sat.* iv. 154. Domitianus *Lamiarum cæde madens* perierat. *Sat.* xiii. 17. ad Calvinum loquitur, qui, ut miratur, *Fontejo Cos. natus*, atque adeo ab illa die *sexaginta annis post terga relictis*, necdum tamen dedicerat Romæ fidem esse oppido raram. quod si a Fontejo Cos. sexaginta annos numeres, devenies utique in Hadriani ætatem. Imo ipse Juvenalis *Sat.* xv. 27. *nuper consule Junio* gesta recenset. Fontejus fuit Cos. A. U. C. IↃCCCXI. Junius vero Rusticus IↃCCCLXXI. vides sexaginta annos Calvini, & tempus idem utriusque Satyræ. Sat. vi. scriptam Trajani ævo, arguit vs. 411. *Diluvio nutare urbes, subsidere terras*, qui ad Trajani in Parthos Armeniosque expeditionem referendus, cum famosus iste terræ motus Antiochiam & vicina loca concussit. ut testatur Dionis abbreviator Xiphilinus. Sat. vii. vel ipso initio Trajani ætatem refert. Sat. xv. & xvi. multi Viri Cll. contendunt in Aegypto scriptas; quamvis etiam sint, qui omnes Satyras publicatas & recitatas ante exilium velint; Illam vero de Aegyptiorum superstitionibus, qua nobis reservavit caussas internecini odii Tentyritas inter & Ombitas, itidem rara illa temporum felicitate scriptam, cum ante in primo juventutis flore Noster animi gratia κατὰ τῆς ἱστορίας χάριν lustrarit Aegyptum, idque videri colligi ex vss. 45. 46. ejus *Sat.* Videtur ergo, ut omnia colligam, Juvenalis scripsisse compar Plinio Juniori, Martiali, Tacito etss. *H.*

Senio & tædio vitæ Confectus &c.) videtur brevissimo temporis intervallo Romam rediisse, cum, si fides alii cuidam βιογράφῳ Juvenalis, perierit anno suæ ætatis xxcii. Exstat ea in Cod. ms. II. Vossii, V. Cl. auctoremque præfert *Ael. Donatum*, sed videtur tamen potius ex superiori vita expressa per *Cornutum*, aut *Probum*, aut *Asperum*, aut *Euanthium*, aut similem compilatorem Grammaticum Ita vero habet: *Juvenalis iste Aquinatis fuit, id est ex Aquinio oppido, temporibus Neronis Claudii Imperatoris. Prima ætate siluit, ad mediam ferme ætatem declamavit, unde & quasi diu tacuit. Fecit quosdam versus in Paridem Pantomimum, qui tunc temporis apud Imperatorem plurimum poterat. Hac de caussa venit in suspicionem, quasi istius Imperatoris tempora notasset. Sic obtentu militiæ pulsus urbe, tandem Romam cum veniret, & Martialem suum non videret, ita tristitia & angore periit anno ætatis suæ altero & octuagesimo.* Hactenus ille, qui exilium Juvenalis ad Paridem sub Domitiano refert. Præter Martialem

cialem vero sibi amicissimum, cujus hic mentio, summo item affectu coluit Volusium Bithynicum, & Calvinum, ut ex *Satyr.* xiii. & xv. constat. Scripserunt quoque *vitam Juvenalis* Lil. Greg. Gyraldus & Petr. Crinit. *lib.* iv. *c.* 96. *de Poet. Lat.* Sed nihil habent, nisi quæ ex hac superiori vita delibarunt; quare omittenda ea censuimus. *H.*

Sectio II. *ELOGIA, TESTIMONIA, MENTIONES* Veterum; item JUDICIA nonnulla ERUDITORUM recentioris ævi de JUVENALE.

Veteres:

M. FABIUS QUINTILIANUS: Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius. Quosdam ita deditos sibi adhuc habet, ut eum non ejusdem modo operis Auctoribus, sed omnibus Poetis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid, quod tollere possis, putat: nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius: & nisi labor ejus amore, præcipuus. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro Persius meruit. Sunt clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur. *Instit. Orat.* x. 1. ¶ *Putatur ultimis verbis Juvenalem innuere, quem forte ideo nomine non expressit, quod morosus omnium Censor aulæ & vulgo esset exosus. Vide & Rigalt.* de Sat. Juven. *H.*

M. VALERIUS MARTIALIS:

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis perfida lingua loqui?
Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Et Siculos fratres, & majus nomen Atridas,
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis & talibus imprecor ausis:
Ut facias illud, quod, puto, lingua facis. Epig. vii. 23

IDEM:

De nostro facunde tibi Juvenalis agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis,
Mentula custodis luxuriosa Dei. Epigr. vii. 91.

IDEM:

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Suburra,
Aut collem Dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius & minor fatigant:
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis & superba ferro. Epigr. xii. 88.

RUTILIUS CLAUDIUS NUMANTIANUS GALLUS:

Hujus vulnificis, Satyra ludente, Camœnis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Instituit veterem censoria lima pudorem:
Dumque malos carpit, præcipit esse bonos. Itiner. lib. I. sub finem.

AMM. MARCELLINUS: Quidam detestantes, ut venena, doctrinas, Juvenalem & Marium Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina, præter hæc, in profundo otio contrectantes. *Histor. lib.* xxviii.

C. SOLLIUS SIDONIUS APOLLINARIS:

Non qui tempore Cæsaris secundi
Æterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram,
Irati fuit histrionis exsul.

ad Magnum Felicem Consulem, Carm. ix. vs. 260 ¶ Confer Schol. Vett. ad Juven. *Sat.* iv. 38. vii. 92. xv. 27. Savaron. ad hunc locum Sidonii & Salmas. *in Solin. p.* 449. H.

PORPHYRIO, *seu, quisquis est, vetus Grammaticus:* Satyra Horatii inter Lucilii Satyram & Juvenalis est media, nam & asperitatem habet, qualem Lucilius: & suavitatem, qualem Juvenalis. *Comm. in Horat. Satyras?*

SUIDAS: ΙΟΥΒΕΝΑΛΙΟΣ *ποιητὴς Ῥωμαῖος. οὗτος ἦν ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων. ὁ δὲ Δομετιανὸς ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν περισσῶς μέρους τὸν λεγόμενον Πάριν, ὅθεν οὖν καὶ ἐλοιδορεῖτο ὑπὸ τῆς συγκλήτου, καὶ Ἰουβεναλίου τοῦ ποιητοῦ. ὅστις βασιλεὺς ἐξώρισε τὸν Ἰουβενάλιον ἐν Πενταπόλει ἐπὶ τὴν Λιβύην. τὸν δὲ ὀρχηστὴν πλουτήσαντα, ἔπεμψεν εἰς Ἀντιόχειαν. ὃς κτίσας οἶκον καὶ λουτρὸν ἔξω τῆς πόλεως, ἐκεῖ τελευτᾷ. in Lexico, sub hac litera.* ¶ *Sed fallitur, quoad* Pentapolin, *quæ exilii locus Juvenali fuerit, nec non aberrat in Paridis loco emortuali. hactenus autem fuere* Veteres *inter quos* Servius, Acro, Sarisberiensis (qui nostrum fere *Ethicum αὐτῶς* vocat) *aliique Juvenalis loca sæpe laudant, sed illa in* Notis *adferuntur, quare omittenda duximus.* H.

Recentiores:

JUL. CAES. SCALIGER: Juvenalis autem candidus, ac Satyrorum facile princeps. nam ejus versus longe meliores, quam Horatiani: sententiæ acriores: phrasis apertior. *Poetic.* vi. 6. ¶ IDEM cap. 7. *prolixum texit indicem eorum, quæ ab Aquinate acute,* festive, argute, ingeniose, rotunde, mirabiliter, urbane,

salse, acriter, amarulente, generose & divinitus *sunt dicta*. H.

IDEM: Non est a Satyris excludendus temere Juvenalis: sed eum tanto anteponere decet Horatio, quanto melior Horatius Lucilio judicatur. Si neque argumentorum varietate par est illi Horatius, neque dexteritate tractandi, neque ubertate inventionis, neque crebritate sententiarum, neque acrimonia reprehensionis, neque acumine dicendi, neque facetiis, aut urbanitate: istorum Criticorum vel ineptum, vel malignum, vel factiosum judicium deprehendetur. *Poetic.* vi. 7. vide & 1. 7.

IDEM: Juvenalis ardet, instat, jugulat. Persius insultat, Horatius irridet. *Poetic.* iii. 18.

JUSTUS LIPSIUS: Juvenalem Poetam a Scaligero patre in Satyra præpositum Horatio, vidi, qui indignaretur. At ille, me judice, inter multa certi, & elegantis judicii, nihil verius protulit. *paulo post*: De Juvenale vere judicat. Ardore, altitudine, libertate, id est, suo quodam genere supra Horatium est: quod ipsum maxime Satyræ proprium videtur. Tangit vitia, objurgat, inclamat: raro jocos, sæpius acerbos sales miscet. quæ omnia in Horatio contra. qui placidus, lenis, quietus, monet sæpius, quam castigat. Sed ita præclare tamen hoc ipsum: ut in ea parte & arte nihil possit supra eum. *Epist. Quæst.* iv. 9. ¶ hoc Scaligeri & Lipsii judicium multa cum eruditione confutare conatus est Daniel Heinsius, *de Satyr. Horat.* Sed repertus est Juvenalis adsertor *Cl.* Rigaltius, cujus vindicias Sectione proxima videbis. *H.*

IDEM: Quod Juvenalem doces M. Antoni: recte & ordine facere te puto, ut in Sacramenti formulis est. Certe si ulla tempora, hæc Satyram desiderant: & in Satyra, nemo idonœor ad mores corrigendos Juvenali. *Epist. Quæst.* iv. 15.

M. ANTONIUS MURETUS: Et jucunda autem, & utilis illius evolutio futura est: continet enim multas graves, & utiles sententias, optimis verbis, & genere quodam dicendi salso, festivo, hilari, & ut ita dicam, vivido, quod huic Poetæ proprium & perpetuum est, explicatas. *vide plura Orat.* 111. *Tomi* 11.

ISAACUS CASAUBONUS: Probavit Persii consilium Juvenalis: qui non per Saturam, quod ajunt, varia argumenta eodem carmine complectitur: sed Persiano more cuique Satyræ ἓν ἐ ἁπλοῦν ὑποκείμενον γένος, ut plurimum addicit. *& paulo post*: Longe salibus ab Horatio superatur, & a Juvenale Persius; quorum uterque feliciter est assecutus, quod voluit noster, nec potuit. Excellunt igitur in eo Horatius, & Juvenalis: etsi ratione diversa: nam illius sales τὴν ὀχλικὴν ψυχαγωγίαν, & ut ita dicam, plebejum aliquid fere sapiunt: hujus omnes joci, quibus abundat, sic sunt urbani, & salsi, ut acumen sæpe atque eruditionem præ se ferant, & ingenium longo declamandi usu probe subactum. *& iterum nonnullis interjectis*: Ubertate inventionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate, τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπηβόλῳ, denique τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει præstat Juvenalis. *Proleg. in Pers.*

FRANCISCUS VAVASSOR e *Soc. Jes.* Ab omni se vitio istorum (*loquitur de ludicra ridiculariorum dictione, quæ vulgo* Burlesque *audit*) longius etiam Juvenalis removit. Nam & Ejus scribendi ratio, non illa quidem purior aut Latina magis quam Horatii; plurimum enim abest: sed haud paulo, quam Hujus & Persii, elatior ac sonantior; & graviores ponderosioresque sententiæ; & joci amariores; stomachus in insolentium hominum indignitate fastidiosior. Cujus non oculi, non aures ferre perditos civitatis mores queant, meditetur ipse & adornet fugam in ultimas terrarum oras, ubi ne Romanum quidem nomen exaudiat. interim incurrat in quemvis obvium, & prosternat, & conculcet: non modo figat aculeis, aut morsu frangat. Qui si dixit non esse, quod diutius Romæ commoretur, ibique, quod agat, se nihil habere; propterea quod nesciat mentiri, atque assentari non possit, librum, si malus est, laudando, ac, tanquam si optimus esset, poscendo: quid erat, Superi! dicturus, si incidisset in ridiculi sermonis homines, aut si delati retro ad illius ævum isti essent? quomodo exagitaturus hos literatos illiteratos, & salsos insulsos, qui tam fœde diducant rictus, & cachinnos tollant miserabilem potius, quam hilarem in modum? Sed ne fiat longius non necessario, sic distinguemus: Horatium, placide & leniter influentem in animos, suadere ridendo: subsannantem Persium philosophari velle: Juvenalem, quasi crudum & nauseantem, indignari omnia. ut hic abunde faciat dicto suo fidem, & quem initio protulit versum, totis Satyris comprobet: *Si Natura negat, facit indignatio versum.* Hæc V. Cl. *de Ludicra Dict.* pt 241. & seqq.

Verum ohe jam satis est! ecquando finem reperirem, si quorumvis Recentiorum testimonia huc citarem? Nemo namque aut Juvenali seu simpliciter seu cum Notis edito præfationem præmittit, aut de Satyra Latinorum loquitur, aut de Poetis scribit, aut crisin in Poetas exercet, aut Nostri loca difficiliora in Miscellis libris enarrat, aut Auctores Latinæ Linguæ recenset; aut publice Scholisve privatis Juvenalem prælegit, qui non eadem opera de Juvenale æquius aut iniquius judicet. Hæc itaque Principum in re Literaria Virorum Elogia & Judicia de Juvenale nobis sufficiant.

Sectio

Sectio III. NICOLAI RIGALTII, V. Cl. Dissertatio *DE SATYRA JUVENALIS* ad illustrissimum *JAC. AUG. THUANUM*; qua de Satyræ origine & ratione Satyræ a *Juvenale* scriptæ accuratissime disputatur; atque una pluri-ma Nostri loca sagacissime excutiuntur.

HORATII Persiique Satiras Isaacius Casaubonus & Daniel Heinsius certatim laudibus extulere, ac Persium ille suum tantopere adornavit, ut nihil Horatio, nihil Juvenali præter indignationem reliquisse videatur; hic vero Horatium curiose considerando tam admirabilem esse docuit, ut plerisque jam in Persio nimia Stoici supercilii morositas jure displiceat. Juvenalis ingenium ambo quidem certe laudaverunt, sic tamen ut in eo sæpe acerbiorem increpandi libidinem, sæpe etiam rhetoricę arrogantiæ quasi lasciviam, ac denique declamationem potius quam satiram esse pronunciaverint. Quod judicium, præstantissime Thuane, cum sit virorum, multiplici doctrina, sicut optime nosti, excellentium, magnæ semper auctoritatis apud omnes fore non dubito. neque fas esse crederem de Juvenalis satira sententiam ab eorum opinione vel minimum discedentem aperire, nisi me id cum eorumdem pace ac venia facturum intelligerem, disceptatione more majorum, honesto scilicet ac verecundo, non canino isto, qui tam multos hodie rabidos agit, instituta: præsertimque apud te, quem illi ipsi litteratæ sapientiæ proceres summum sibi suæ caussæ judicem dari ambitiosissime postulassent. Itaque hoc primum ex Quintiliani doctrina verissimum esse pertendo, Satiram totam esse Romanorum, ejusque originem ab Satyrica Græcorum poesi nullatenus repetendam. Id autem vel maxime probari mihi videtur; quod nomen ipsum Satiræ sive Saturæ sit pura puta Latina vox a vetustissimis auctoribus pro farcimine primitus usurpata; unde & multorum ac diversorum capitum leges, & complures diversi generis historias appellavere satiras: sed ante hæc omnia ab eadem farciminis significatione jocularia primum dejectandæ plebi Romanæ, mox dicteria quædam carpendis ac describendis moribus composita Satiras vocitabant, easque, ut ait Livius, impletas modis descripto ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. Et hæc jocandi forma nullo certi alicujus argumenti fine continebatur; sed erat varia morum farragine conferta & quasi satura: cujusmodi scriptiunculas apud nos etiamnum variis opprobriis inferciunt vernaculi artifices, quos vulgo fartores nuncupamus. Paulatim vero excitatis ingeniis vaga & proterva satirarum dicacitas ad fabularum argumenta transferri cepit, quarum auctorem Livius Andronicum sibi cognominem laudat, eumque ab satiris ait ausum esse primum argumento fabulam serere: unde manifestissimum fit, scripta sua veteres, quibus non erat propositum alicujus argumenti tractatione suscepta disserere, sed potius varia carptim notare ac reprehendere, ab ea congerie & saturitate inscripsisse satiras. Qui deinceps titulus ab iis fere qui pravos seculi sui mores descripserunt est frequentatus, ut quod hominum scelera a poetis velut inviris inter indignationes & suspiria expresserant, non peculiari, sed communi & fortuita appellatione censeretur; essetque quod ait Ælius Donatus, sine ullo proprii nominis titulo carmen. Ceterum etsi jure Satiram sibi totam Romani arrogent, non tamen inficior aliquid esse inter Græcorum Satyros & Romanorum satiras commune; nam ut Poetæ Græci Satyros primum induxere qui dithyrambos & phallica tripudiando canerent, posteaque minutis fabellis & ridiculis canticis Satyrica petulantia fusis tragœdia tandem habitu vultuque graviore culta prodit; sic etiam Romanæ scenæ artifices primum Tuscos ludiones imitati, versus inconditos Fescenninis similes fudere, mox ad pleniores satiras, & post annos aliquot ab satiris ad fabularum argumenta, sicut ex Livio notavimus, processere: quin & Latinæ satiræ cum Satyrica Græcorum in eo convenire videtur, quod utrique ridiculum inest. Sed Græci quidem Satyros dixere ab Satyris agrestibus, quos petulantes & protervos plerique crediderunt: Latini vero ab saturitate & copia congestisque salibus & jocis Saturam appellavere. Denique ut præcipua Satyrorum gratia constabat imitatione, sic & Satirarum, de quibus nunc agimus, dos maxima in descriptione consistit; atque idem omnino est Horatio describere, quod Aristoteli μιμεῖσθαι· nempe mores alicujus figurate notare, ac repræsentando sic deformare & illustrare, ut pæne oculis subjiciantur. Porro cum universi homines a natura sint ad imitandum aptissimi; ut ridere, jocari, ludere, æque naturale est Græcis ac Barbaris: sic etiam eadem natura suadente, mistis jocis dicteriisve pravos hominum mores imitari aut describere, æque pronum fuit Latinis, atque Græcis. Sed Græcis quidem Satyrica protervia; Latinis vero per satiram, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. rursus & Latinos quoque Satyrica petulantia, & Græcos per satiram lusisse quis dixerit, quando protervia illa sive petulans dicacitas, quæ Satyrica nuncupatur, æque naturalis Romano fuerit, atque satura sive miscella jocorum congeries Græco. Imo si curiosius inspiciamus, satira fuit Homeri Margites, ex quo formatam esse comœdiam Aristoteles innuit, quemadmodum ex Iliade & Odyssea tragœdiam: & forteau præstantissimus poeta opere illo sub persona Margitis quosdam seculi sui fatuos & mori-

moriones descripserat: certe varia metrorum genera miscuerat, sicut & Chæremon, cujus inscribitur Centaurus πολύμετρος καὶ μικτὴ ῥαψῳδία. Ac vetustissimas quidem Latinorum satiras non sola rerum, sed etiam metrorum varietate permistas fuisse auctor est Fabius; eamque diversitatem, quo saturior fieret satura, ab Terentio Varrone prosa versibus intexta variegatam: neque vero defuisse Varroni discipulos, indicant Petronii reliquiæ & salebrosa Martiani Capellæ ἐγκυκλοπαιδεία. nam uterque haud dubie Varronis exemplo satiram condere voluit, non Menippeam quidem, sed simpliciter Varronianam: quippe nonnullas Varro, quas salis mordacitate, vel aceti nequitia paullo liberalius consperserat, Menippeas inscripsit; eoque titulo scriptorum asperitatem acerbitatemque, non Satiræ, sed cynico Menippei stili nomine significari declaravit: ut hoc tandem sit statuendum semel, Satiram non magis esse proprium alicujus scripti nomen, quam sunt illa, πανδέκται, ἰωνιὰ, κέρας Ἀμαλθείας, & similia Græcorum lautitiarum vocabula, Pliniana ad Vespasianum Cæsarem præfatione derisa: itemque illa, στέφανος, στρωματεὺς, κεστὸς, unde libris suis titulos confecere Meleager Gadarenus, & Philippus Thessalonicensis, & Clemens Alexandrinus, & Sextus Aphricanus: quamquam de Aphricani Cestis aliter sentire quis possit, proprieque inscriptos fuisse κεστοὺς, quod magica quædam amuleta, sive remedia continerent. Alterum porro fuit Satiræ genus, non carminis, sed rerum multiplicitate consertum: nimirum sententiis, jocis, opprobriis, indignationibus, querelis; quibus inepta vota, turpes voluptates, insidiæ, doli, hominum mores graviores tanquam in tabula describuntur. etenim adversus hæc Horatiani stili nasus acuitur, & grande Persii sophos insurgit, & vehementissima Juvenalis nostri Nemesis accenditur. Ennius & Lucilius in primis erant nominandi, quandoquidem primi laudem in satira sunt assequuti: sed eorum hodie non supersunt nisi fragmenta quædam & velut ossa disjecta: quæ etsi rite sane viri docti legerint, & in posteritatis memoriam condiderint, tamen ita sunt diutino situ cariosa, ut jam nihil nisi venerandæ antiquitatis nomen exhibeant. Quod si cui forte dolendum esse videatur, ut est sane damnum haud leve, id omne ex tribus istis qui ad nos integri pervenerunt, abunde reparabitur; quorum adeo satiræ triplici dicendi charactere triplicem ethicæ philosophiæ gradum feliciter expleverunt. Nam Horatius quidem humili sermone ludens hoc agit, ut stultos saltem insipientiæ pudescat. Persius autem stili gravioris austeritate honesto pudori generosæ mentis constantiam addit, viamque ipsam qua ad rigidam solidamque virtutem eatur serio monstrat. Juvenalis denique hominum nequitiam impudentem horribili flagello, dolore & indignatione succensus, corripit & castigat. Sic igitur hi tres poetæ per satiram fuere philosophi; neque ulla inter eorum satiras quærenda est differentia, nisi quam diversus pro temporum varietate stilus imposuit; quippe aliter affecta atque animata fuerunt Romanorum ingenia Augusto de reddenda republica cogitante, aliter Nerone Urbis incendium ad Ilii conflagrantis imaginem habitu scenico e turri Mæcenatiana prospectante, aliter etiam Domitiano stupris, cædibus, rapinis dominum ac deum se gerente. Itaque Augusti principatu, rebus lætis, imperio stante, si quid absurde aut indecore peccatum exciderat, carpere & ridere Horatio licuit; at Neronis Domitianique temporibus, etsi omnia pessum irent, ne gemere quidem Persio aut Juvenali fas erat. Quamobrem Juvenalis simul cum risu excandescit & jugulat; quippe animum cohibito risu indignatio subit, deinde dolor; qui altius pressus exardet in iram, & poetæ velut æstuantibus præcordiis stilus ignescit, quo mox armatus & vitia & homines ferro flammaque consectatur: sic plerumque tragicæ grandiloquentiæ cothurnum satiris suis inducit; in hoe a prioribus recedens, quod versibus hexametris quasi tragœdias per satiram scribat, intentatum Græcis & Romanis ingeniis opus, sicut etiam ipse de se fatetur extrema satira sexta, cum ait, v. 634.

Fingimus hæc altum satira sumente cothurnum.
Scilicet, & finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu
Montibus ignotum Rutulis cœloque Latino.

Hinc illud inter Horatium & Juvenalem, non satiræ, sed stili ratione discrimen; quovis enim stilo satira pungat, nihilominus est satira; nisi forte magis satiram esse quis velit, quæ rerum diversarum copia majore stipata est atque conserta; quo sensu Juvenalis non solum Persium, quod erat facile, sed etiam Horatium superavit; nam licet in singulis satiris quorundam argumentorum species præ se ferat, tamen ea qualiacumque sunt, ita tractat, ut multa præterea summo studio pervestiget, quæ se aliud agenti obtulisse videantur: ac si quando in aliquem sævire proponit, adeo truculentus fertur, ut etiam obvios contrucidet; diceres telum torsisse, quo per latus unius plurimos obiter conficeret. si vero quid ridiculum apponit, tot insertis ridiculis struit & cumulat, ut quod erat præcipuum vix appareat, sed potius existat, quæ proprie satira nuncupatur. Jam illa acute argutèque dicta quam multa ingerit: quam multos etiam cum declamare videtur impetu rhetorico rapit & affligit: quum denique omnia illa quæ vulgo mortalium maxime placent, susque deque habet: verum sæpenumero fallit, & sub hasta pura præpilatam vibrat; quumque vehementissime urget, declamatorio colore sparso sic adumbrat, ut etiam calumniatores fugiat.

Atque operis quidem principio indignatiuncula ob recitatorum nationem ea tempestate importunam effusa, ait se quoque recitasse, simul exemplum recitationis subjungit, i. 16.

——— *Et nos*

Consilium dedimus Sullæ privatus ut altum
Dormiret.

quod sic fere accipitur, quasi hoc tantum significet, se adolescentem adhuc, dicis aut animi caussa, suasoriam aliquam recitasse, qua Dictatori Sullæ tot civium Romanorum cædibus cruento suaserat, ut nihilominus ad securum vitæ privatæ otium rediret; quod utique fecerat Sulla. Verum subest alius præterea sensus: nam hoc sane stupendum securitatis exemplum liberrimi spiritus poeta sumpsit, quo turpem ignaviam Romanis exprobaret, qui tam foedæ servitutis jugo capita summisissent sua, ut L. Sullæ, in quo tot Marios senserant, impune fuerit de dictatura descendere, perque urbem privato ac felici ambulare; & abjectissimos Senatorum animos fuisse ostenderet, quos idem Sulla septem millibus civium Romanorum trucidatis tumultuantes una vocula compescuerat. Domitiani tempora, in quæ Juvenalis incidit, haudquaquam meliora Sullanis: imo sive sævitiam principis, sive Romanorum socordiam spectes, deteriora fuisse aperte indicat satira quarta extrema: *vs.* 150.

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune & vindice nullo.
Sed periit postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat. hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Ejusdemque animi sunt illa Corellii Rufi, qui cum gravissimis pedum doloribus Domitiano adhuc grassante ægrotaret, Plinii sui præsentia paululum recreatus, Cur, inquit, me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? ut scilicet isti latroni, Domitianum innuebat, vel uno die superstes. Nempe his vocibus erectis & liberis diram servitutem fortissimi viri exsecrabantur: & noster quoties se dedit occasio, hujusmodi aculeis & stimulis satiras suas felicissime armavit: sic tamen ut per duplicis sensus ambiguitatem, hebetiore acutior tegeretur, ipse interea rem ageret. Tale quiddam, ni fallor, in hisce versibus latet, Satira quinta: *vs.* 33.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum & Cassî natalibus.

Profecto enim quisquis erit natus ingenuus & liber, intelligit duobus postremis versibus ingens retinendæ libertatis desiderium significari: sicut etiam in istis e decima quarta: *vs.* 41.

——— *Catilinam*

Quocumque in populo videas, quocumque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.

item in his ejusdem veitæ: xiv. 254.

——— *Medicamen habendum est,*
Sorbere ante cibum quod debeat & pater & rex.

Regem cum patre componit, ut seculi infelicitatem arguat, adeo deplorandam, ut vitæ suæ insidias ab liberis suis patres metuerent, quas rex potius aliquis ab civibus oppressis timere debuisset. Nempe statim post exactum Tarquinium Superbum, regis nomen reipublicæ Romanæ odiosissimum esse cœpit. At Cæsarum, si paucos excipias, adeo sæva fuit & importuna dominatio, ut præ illis etiam Tarquinius bonus haberi potuerit. Tamen Juvenalis Servium Tullium bonorum regum ultimum appellavit: viii. 263.

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini
Et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum.

Unde intelligi voluit, tum primum reges ab Superbo illo male audivisse, ideoque crudelia lanistarum verba, *ure*, *seca*, regia nuncupavit initio undecimæ: *vs.* 8.

Scripturus leges & regia verba lanistæ.

Et suorum temporum sævitiam regiorum comparatione exaggerat in tertia: *vs.* 310.

Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas ne
Vomer deficiat, ne marræ & sarcula desint.
Felices proavorum atavos felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus atque Tribunis
Uno contentam viderunt carcere Romam.

Quin & decima tertia umbras & manes ex quo sub regibus degere cœperunt, infeliciores fuisse ait, & continuo paratas iis pœnas: *vs.* 49.

——— *Nondum aliquis sortitus triste profundi*
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluto;
Nec rota, nec furiæ, nec saxum aut vulturis atri
Pœna, sed infernis hilares sine regibus umbræ.

Atque hæc eo magis feriunt, quo sunt minus prævisa aut expectata: nam eo loci hoc tantum exprobrari videtur, Homines quondam vixisse pietatis fideique cultores; nunc vero tantam esse morum perversitatem, ut si quis forte juris jurandi religione teneatur, Deumque ultorem fore perjurii credat, ejus simplicitas ut stulta & stolida risu excipiatur; id autem sic demonstrat: xiii. 34.

——— *Nescis*

Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam ne pejeret, & putet ullis
Esse aliquod numen templis araque rubenti.
Quondam hoc indigenæ vivebant more, priusquam
Sumeret agrestem posito diademate falcem

Saturnus fugiens, tunc cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla super nubeis convivia cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, & jam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis ut est hodie: contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluto.
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna, sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo. &c.

Si quid aliud quam satiram scribere aggressus esset Juvenalis, in sententiam doctissimi critici concederem catenus ut faterer Juvenalem heic ἀείλαλον fuisse & verborum prodigum. Nam absit ut gravissimum auctorem in turpem sermonis redundantiam aut puerilem luxuriam incidisse judicemus; at cum ipse librorum suorum materiam farraginem & satiram fore pronunciaverit, dicamus potius isto sermonis excessu farraginem & satiram pulcre esse confertam: qua nimirum seculi sui θεολογούμενα derideret, tam inepta quidem & absurda, ut homines ipsos in numinis contemtum adducerent. Qua ratione autem contemtus caussam declarasset, nisi Deorum Dearumque schemata, uti tunc colebantur, descripsisset. Saturnum scilicet fugientem, positoque diademate falce armatum. Jovem Idæis antris delitescentem; inde super nubeis convivia agitantem, adultera, & catamito pocula ministrantibus. Vulcanum ab incude fuliginosum. Atlantem cœli destinam sub nimia Deorum turba gementem & pondere oppressum. Hæc enim sunt anilia prope deliramenta, ut cuilibet sanæ mentis ludibrium debeant, nedum pro divinis habeantur. Quod autem ait, minore quondam numero ac pondere Deorum pressum fuisse Atlantem, non debuit videri frigidius fabula ipsa qua cœlum Atlante fulciri ac sustineri poetæ finxerunt: nam sive montem sive hominem fuisse Atlantem intelligimus, utique lepidus erit jocus. Ac de monte quidem hæc habet Herodotus: Atlantem Africæ montem in fastigium assurgere undiquaque adstrictum & teres, verum tam excelsę altitudinis, ut cacumen, quasi nubibus insertum, conspicere non sit; propterea que cœli columnam ab indigenis appellari. Quo sensu venuste sane dixerit Juvenalis noster, olim cum esset longe minor cœlitum turba, minori ponderę pressam fuisse cœli columnam. Sin Atlantem nobis cœli bajulum aut tibicinem fuisse imaginemur illud etiam aptissime quadraverit: nec erit minus facete dictum, quam id quod Lucianus in Charonte narrat, Atlanti quondam nimio pondere nutanti atque labascenti Herculem suppetias tulisse, ac seipsum oneri supposuisse tantisper dum ille respiraret. Denique nihil video cur insolens judicetur illa ἄνοια Juvenalis, metuendum esse ne densiore deorum turba gravatus Atlas fatiscat; cum eidem Luciano venerit in mentem ista consimilis, præ numinum quoque multitudine ambrosiam & nectar defecisse; ejus enim verba sunt, ἐπιλέλοιπε δὲ ἡ ἀμβροσία καὶ τὸ νέκταρ, ὥστε μνᾶς ἤδη τὴν κοτύλην εἶναι, διὰ τὸ πλῆθος τῶν πινόντων. Omnia igitur toto illo versuum ambitu proba & recta, quibus adeo monentur posteri tam stulta & vana quæ de natura Deorum poetæ comminiscuntur, ut pietatem jam tum ab orbe condito hominum mentibus insitam funditus eradicent. Hasce ergo fabulas ut perniciosissimas Juvenalis explodit: neque ullam occasionem prætermittit, quin eas aut subsannet, aut conspuat. Sic in decima, mœchorum injecta mentione, statim apponit emblema Martis in Venere deprehensi, *vs.* 311.

——— Fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet quascumque mariti
Irati debent; nec erit felicior astro
Martis ut in laqueos nunquam incidat.

& in secunda: *vs.* 30.

——— Leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas.

& in sexta, elegantissimo artificio Jovem Martemque adulterii & stupri accusat, occasione sermonis de quadam eximiæ castitatis matrona: *vs.* 55.

Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis: vivat Gabiis ut vixit in agro,
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Jupiter aut Mars?

Eodemque colore Seneca: Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? Illa vero Deucalionis & Pyrrhæ quam subtiliter insimulat mendacii satira prima; etenim poetico more narrare incipit, *vs.* 81.

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.

Sed inter narrandum innuit futile esse ac perabsurdum quod poetæ fabulantur, extinctis olim diluvio ceteris animantibus, Deucalionem & Pyrrham conjuges ob morum sanctitatem servatos tanquam exempla reparandæ posteritati, aitque nec Pyrrham quidem ulla fuisse castimonia commendabilem, sed potius magam & lenam, quę projectis post terga sua saxis nudas puel-

las

Ias ediderit, quas maribus conciliare. Sic Martem falso vocitari ultorem demonstrat in xiv. 261.

Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, & res
Non potuit servare suas

Deriso Marte vanitatem fabulæ perstringit & Romanos ignaviæ accusat, qui nihil amplius armis quærerent, sed & olim quæsita sibi eripi turpiter paterentur. Ac majori etiam impetu satira secunda in Martem ipsum invehitur, eumque campo Martio excedere jubet; ea sede scilicet indignum, qui nepotum suorum effeminatissima flagitia non ulciscatur: *vs.* 130.

Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? vade ergo, & cede severi
Jugeribus campi quem negligis.

Supra omnem vero acerbitatem vehemens est objurgatio illa, qua Jovem ipsum increpat ut socordem, & hominum stuporem arguit, qui simulacris æneis & marmoreis numen inesse aliquod sibi persuaserant: xiii. 113.

—— Audis
Jupiter hæc? nec labra moves? cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus vel aeneus: aut cur
In carbone tuo charta pia tura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras statuamque Vagelli.

Cur autem Jovi marmoreo vel æneo pepercisset, qui eadem satira quicquid esse telorum poetæ in cœlestibus armamentariis repositum fingunt, pro nihilo ducit? hoc enim agit his versibus familiari sibi dissimulatione & κρύψει, xiii. 76.

—— Aspice quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus.
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis pharetramque puellæ,
Perque tuum pater Ægei Neptune tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cæli.

Quæ omnia sic accipienda sunt, tanquam profecta ab rigido veritatis cultore, qui naturam ducem secutus, Virtutem pro summo numine habebat, fucum & imposturas detestabatur. Dares illi alium ducem, illum scilicet veritatis auctorem, ipsiusque Naturæ dominum, cœlestissimi viri perfectam imaginem absolvisset. At scelera perpetuis tenebris damnanda prodit & exponit, ac pessimo exemplo aperit quæ reprehendit. Quin potius optimo exemplo scelera sic reprehendit, ut ea nemo non execretur; sic aperit, ut ea nemo non tenebris damnet. Quid faceret? scribebat seculo Cæsarum flagitiis contaminatissimo, legibus una cum elisa magistratuum voce evanidis, Romana illa quondam virtute sopore pæne letali marcescente. Ergo quemadmodum lethargicis excitandis picem cremari, lanam succidam, cepas, galbanum, & similia tetros odores vomentia incendere evocatisque sternutamentis cerebrum concutere medici jubent: sic admotis satirarum facibus fœtida ganearum gurgustia & obscena prostibulorum lupanaria accendi, noctesque Neronianas illustrari profuit, ut inde excitata spurcities nares & cerebrum feriret; ac per hoc somniculosus ille marcor qui Romanorum animos oppresserat, vehementi indignatione, tamquam sternutamento discuteretur. Nam quod aliud fuisse dicemus consilium sanctissimorum Patrum, qui tot nefanda ac detestanda poeticæ theologiæ mysteria verbis etiam obscenissimis aperuerunt? certo non minus pudeat legisse Nævolum, quam in quinta Arnobii disputatione ithyphallorum Græcorum originem. Plerumque autem quos ab rebus turpibus & flagitiosis nec præmia virtuti posita redemerant, nec pœnæ legibus irrogatæ deterruerant, ingens detectæ turpitudinis pudor revocavit; & Persarum fœdissimam fugam, quam nec disciplinæ militaris sacramentum, nec fortia majorum suorum exempla represserant, matronæ Persides peplos ipsæ sibi suos ab imo sustollentes, interrogantesque an illuc unde ipsi fugacem pedem infantes extulerant confugere vellent, objecto pudore in mediam persequentium aciem cum victoria converterunt. Itaque non inutile esse videtur rerum turpiter gestarum turpitudinem sic exprobrare narrando, ut pudorem de frontibus etiam impudentissimis exprimamus. Imo hoc potissimum quæritur, isto præsertim satirarum genere quod morum imitationibus ac descriptionibus constat.

—— Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere & pellem nitidus qua quisque per ora
Cederet introrsum turpis?

& id quidem fecit Lucilius exemplo veterum Comicorum, qui, ut ait idem Horatius,

Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mæchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Quare mirari soleo Plinium in historiæ naturalis opere mirabili ac plane divino sic esse opinatum ut diceret, mira humani ingenii peste sanguinem & cædes condi annalibus, unde hominum scelera noscantur. Quasi cunctos ab historia dehortati voluerit, qui tamen pessimorum Principum, nec minus quidem ipsius Neronis res gestas libris uno & triginta a fine Aufidii Bassi conscripserat, quos libros utinam nobis superiora secula non invidissent, & morem illum veterem, quem ad Pompeii Magni tempora mansisse Cornelius Nepos

tra

tradidit, revocari placeret; ut historia non nisi ab honestissimo quoque scriberetur; sic enim ad exemplorum fidem accederet eximia scribentis auctoritas, magnum utique rerum gestarum narrationi pondus additura. Id autem eo libentius hic commemoro, quod ut historiam ab honestissimo scribi, sic & morum satiram ab optimo quoque componi addecet; ne aut historia servili mendacio inquinata vanescere incipiat, aut satira in sceleratam auctoris conscientiam retorta prorsus hebescat. Quisquis igitur historicus appellari meruit, res honestas & turpes uti quæque gestæ sunt exponit; rectene an secus gestæ sint, curæ esse suæ vix putat, cum is sit qui ab Aristotele dicitur μίζων καὶ ἀνῆρ ... Satirarum scriptor censuram agit etiam cum narrat, etenim instat ut accusator, disquirit ut judex, castigat ut vindex. Est autem communis historiæ satiræque ἀφοβία, qua cavetur, ne quid illa veri dicere non audeat, neve quid ista probrosi carpere & notare formidet. Itaque cum ex rerum gestarum cognitione pravorumque morum correctione habeant homines, unde prudentiores ac meliores fiant; utrumque autem ab historia & satira jucundissime conficiatur; non usque quaque perperam fecisse videntur, qui ingeniis una cum imperio Romano senescentibus, cum jam libros animo fastidiente male singulos tangerent, adeoque doctrinas ut venena detestarentur, Juvenalem & Marium Maximum curatiore studio, ut inquit Ammianus Marcellinus, lectitabant, nulla volumina præter hæc in profundo otio contrectantes: nempe segnitiæ suæ delicias faciebant, existimabantque ingentem scriptorum turbam negligi impune atque insuper haberi, dum esset unde & moribus depravatissimis extrema remedia, & temporibus difficillimis exempla convenientissima suppeterent. Nunquam enim mihi persuaderi patiar Ammianum hæc ideo notasse ut Juvenalis aut Maximi lectionem inter rerum publicarum corruptelas poneret; cum ipse quoties philosophum agit, non pauca commutatis tantum syllabis ex Juvenale transcribat: de quo etiam hoc omni asseveratione affirmetur, & ipsæ sedecim satiræ clamant, adeo pertinaciter vitiis infensum fuisse, ut cum iis homines una sæpissime flagellaret. Marium vero Maximum etsi opera ejus, quæ verbosissima & minutis historiis implicata fuisse Flavius Vopiscus autumat, interciderint, tamen strenuum vixisse bonarum partium sectatorem, declarant plurima quæ ex eo Lampridius, Spartianus & alii historiæ Augustæ scriptores commentariis suis indiderunt. Dicamus igitur, hosce duos auctores ut civilium doctrinarum compendia quædam, illius ævi delicatis maxime placuisse: Marium quidem Maximum, ut copiosa exemplorum varietate locupletem, & omnia Cæsarum historica uberrimis septenariis complexum; Juvenalem vero ut magistrum veteris disciplinæ ac totius vitæ humanæ censorem gravissimum, in arcana ipsa morum summo cum imperio penetrantem. Summum voco imperium excelsæ mentis sublimem stilum, quo se supra mortalium nobilissima erigit, & omnia illa tanquam puerorum pupas & crepundia despicit, ut solius virtutis rationem habendam esse commonstret: nam, ut ea mittamus quæ sunt publica & ob oculos omnium posita, puta impietatem, fastum, avaritiam, libidinem, iniqua tyrannicæ potestatis imperia, quæ totis satiris persequitur, si privata, ad quæ ipse quamvis in transcursu divertit, inspicere libet, comperiemus etiam in iis quæ præclara sapientibus videntur, nonnulla censoriæ severitatis judicio ac notatione haud immerito fuisse perstricta. Quid in universa humaniore litteratura prius aut antiquius Homero; & tamen pleraque in eo esse quæ defendi nisi antiquitate non possint, innuit satira septima: *vs.* 38.

Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos.

& satira sexta, mulierculas inducit Homerum cum Virgilio contendentes, cum ipse interea non solum dubiam faciat illius palmam, sed etiam huic adjudicet, *vs.* 436.

Committit vates & comparat, inde Maronem;
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Etenim iis versibus plus ponderis & majestatis Virgilio tribui intelligunt, qui in trutinarum & examinum ratione leviora pondera a gravioribus suspendi attollique non ignorant. Verum hæc obliqua & subobscura. Illa recta & aperta, quibus Homeri fidem elevat, satira decima: *vs.* 246.

Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.

& in decimatertia: *vs.* 112.

Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis:
Vel potius quantum Gradivus Homericus. —

Satis insolens fuerat superjectio, Stentorem exclamasse quantum alii quinquaginta; illa vero multo audacior, Martem vociferatum esse, quantum decem millia præliantium; tamen ferri poterat in persona dei, & quidem Martis; at deum, & Martem ob inflictum sibi a Diomede vulnus totum olympum tam impotenti boatu quatefecisse, quis alius poeta dixerit, & continuo non explodatur? quomodo enim Martem tantum clamorem, de lateribus adeo firmis ac divinis emisisse homines credent, qui ipsum non secus atque homunciomem vulnerari potuisse acceperint: aut Junonem iratam non vehementius clamasse quam Stentorem? Post Homerum effulsit clarissimum sidus Virgilii, quem & Juvenalis Homero tantum non anteponit, his versibus ex undecima

decima: *vs.* 178.

Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

attamen hujus quoque altiloquentiam in fabulis narrandis occupatam notare videtur in septima: *vs.* 69.

Nam si Virgilio puer & tolerabile desit
Hospitium, caderent omnes à crinibus hydri:

nempe γοργόνιον κεφαλὴν, aut poetam ἐχίδνας κομῶντα videre quis putet, cum audit,

Arma virumque cano ——

ne multo magis si hæc præcesserint,

—— *At nunc horrentia Martis.*

quæ tamen Veteres neglexisse patet ex Prisciano, qui versuum duodecim Æneidos principalium principem citat *Arma virumque cano.* neque aliud operis eximii principium agnoverat Martialis in xiv.

Accipe facundi Culicem studiose Maronis,
Ne nugis positis Arma virumque canas.

Quod si quis componat cum illo Homeri

Μῆνιν ἄειδε θεὰ ——

sentiet cum Juvenale, aliquid esse in Virgiliano principio horrificum, & velut hydros poetæ crinibus intextos. Quemadmodum vero in Martis Homerici indecora vociferatione quędam, si ita loqui fas est, absurditas, ita etiam in Virgilii Cyclope vanitas poetica reprehenditur. Describit Virgilius Aen. iii. ingentem oculum Polyphemi, & fuisse ait

Argolici clypei aut Phœbeæ lampados instar.

Juvenalis noster mendacium poeticum rhetorico mendacio repercussit, dixit enim adeo latam fuisse illius oculi aciem, ut per eam Ulysses evaserit; atque hoc quam inopinate; est enim (ix 63.) illic sermo de importuno rogatore, quem dives aliquis increpat, &,

Improbus es cum poscis, ait. ——

ille autem obstinatius urget: (ix. 63.)

—— *Sed pensio clamat,*
Posce, sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam solers evasit Ulysses.

Cogor, inquit, improbe & pervicaciter poscere, quia poscit a me diaria puer, qui mihi solus est familia. Sed quid unico puero cum Polyphemi oculo? Nimirum, erat illi misero puer unicus, ut unicus Polyphemo oculus; de quo mythologi tradiderunt alia, sed hæc inprimis: unoculum fuisse Polyphemum, cum tamen tres haberet oculos; unum in fronte, quem Virgilius depingit ingentem instar Græci clypei aut disci lunaris; alterum in animo, scilicet mentem acerrimam, quæ est in animo sicut pupilla in oculo; tertium in Elpe unica filia, quam velut unicum oculum unice diligebat. Ergo Ulyssis astu infelicissimus Polyphemus non stipite præusto, sed meri & amoris ignea vi tribus oculis una captus est; nam exhausto incautius capaciore poculo ebrius, sopori quasi leto datus obdormivit, luminis & mentis vigore aliquantisper mortuo: intereaque dum edormiret, dimotis antri repagulis Ulysses una cum suis evasit; ii vero fugientes Elpen amoris œstro percitam secum abduxerunt.

—— Πορὶ ἐρωτικῷ Ἔλπην τὴν θυγατέρα,
Ἣν εἶχε τρίτον ὀφθαλμόν, ἁρπάσαντες·

ut est apud Joannem Tzeizem. Tres istos oculos intelligit Artemidorus libro primo, ubi de eo qui paulo post quam tres oculos sibi esse somniasset cæcus factus est, οὐχ διὰ τὸν Κύκλωπος μῦθον, ἀλλὰ διὰ τὸν τρίτον ὀφθαλμόν, ὃς καὶ ἄλλου φωτὸς ἐσήμαινε δεῖν, διὰ τὸ μὴ αὐτάρκεις εἶναι τὰ οἰκεῖα. somnium interpretatur non per tres Cyclopis oculos, sed per tertium oculum qui tertium & adscititium lumen significabat. Idem Artemidorus in disciplina oniirocritica oculorum specie filios & filias demonstrari docet: ἐοίκασι γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ παισίν, ὅτι καὶ ποθεινοὶ καὶ τοῦ σώματος ὁδηγοί εἰσι καὶ ἡγεμόνες. neque filios filiasve tantum, verum etiam servos custodiæ præpositos, ut vigiles, quorum oculis ipsi videre dicimur. Ita igitur Juvenalis importuno & querulo asseclæ unicum fuisse ait puerum, ut Polyphemo perlolum oculum. Atque hujus similitudinis occasione Virgilianæ hyperboles transcendentiam carpit. Eadem libertate omnes generatim poetas, qui carminum suorum exordiis Musas invocant, easque canere jubent, vanitatis arguit in iv. 34.

Incipe Calliope, licet heic considere, non est
Cantandum, res vera agitur, narrate puellæ
Pierides.

Et in decima quarta, *vs.* 260.

—— *Lucri bonus est odor ex re*
Qualibet. illa tuo sententia semper in ore
Versetur, DIs atque ipso Jove digna poetæ.

Deos & Jovem poetæ vocat principes viros, ipsumque Cæsarem, quos poeta quspiam, ut fecit alicubi Martialis, deos suos, Jovemque suum turpi assentatione nuncupaverat; aut, si mavis, Deos poeticos & Jovem poeticum dicit, quasi vanum aliquod & sine numine nomen; ut in xii. 23.

—— *Si quando poetica surgit*
Tempestas ——

id est, vana & commentia, quo sensu Lucianus in Præceptis historicis ait, ποιητικοῦ τινος ἀνέμου ἐπουριάζοντος τὰ ἀκάτια. Tertium ab Jove, secundum a Cæsare Mæcenatem poetæ coluerunt. At noster in prima, censoriam illi notam obiter inussit, quod otio ac mollitie pæne ultra fœminam flueret: i. 64.

—— *Cum jam sexta cervice feratur*
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra,
Et multum referens de Mæcenate supino.

**** Et

& in duodecima, *vs.* 39.

—— Vestem

Purpuream, teneris quoque Mæcenatibus aptam

Ecce autem, & quis hoc exspectabat? reus citatur etiam Quintilianus: qui tamen maxima nominis claritate summus juventutis moderator audiebat & Romanæ togæ gloria: verum ob invidendas opes, ob eamque artem quam profitebatur & mire callebat, struendi ac destruendi versutia ancipitem, currente severioris satiræ stilo aliquoties perstrictus videtur, ut in in sexta, *vs.* 279.

Sed jacet in cervi complexibus, aut equitis: dic
Dic aliquem sodes heic Quintiliane colorem.

& in septima, *vs.* 187.

—— Res nulla minoris
Constabat patri quam filius. unde igitur tot
Quintilianus habet saltus?

nosti quæ sequuntur. Ac proprerea forte nobilissimus rhetor, cum auctores satirarum censeret, laudato Persii libro, Juvenalem præteriit; aut per satiram laudatum cum aliis quos ipse claros tunc fuisse ait posteritati nominandum reliquit. Et ii quidem interciderunt; solus Juvenalis ætatem tulit; atque ut videtur integer: aut si quid ejus collapsum est, tanta id tamque vetere ruina accidit, ut nulla nunc rudera uspiam extent; nihil enim a Servio, Prisciano, aliisve observatur, quod heic non appareat, ac totidem tributum libris: eaque librorum divisione comprehensum fuisse arbitror quantum una recitatione Juvenalis ediderat: ut libri quinque totidem indicent recitationes habitas coram populo in auditorio, verum in cubiculo coram amicis. Sic enim plerique viri gravissimi scripta sua legere & recitare soliti erant advocatis familiaribus, ex quorum sententia de editione statuerent; itaque advocabant non auditores tantum, sed adjutores; ut jam magis magisque retinenda videatur hæc veterum librorum scriptura in Umbricio versibus extremis, iii. 321.

—— Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Maxime vero cum in Suetonii libro de illustribus Grammaticis mentio fiat Ateji philologi declamantium adjutoris atque præceptoris; & Crassitii cujusdam, qui initio circa scenam versabatur, & mimographos adjuvabat. Porro cum hosce libros summus satirarum artifex emendatissimique judicii censor, adhibita etiam recitationis lima polierit, si quid transeuntes offendimus aut incurrimus in continuo proscribendum non est aut deturbandum: & quæ negligenti per incuriam excidisse credimus, ea si repetantur, appositissima esse reperiemus. Ejusmodi autem est desinentis Autumni descriptio in quarta, *vs.* 56.

—— Jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus ægris
Stridebat deformis hiems.

heic enim existimet aliquis manifestam esse ἀναχρονολογίαν, qualis est Æneide quarta,

—— Tantum sperare dolorem:

cum tamen proprie dixerit Juvenalis, eos qui desinente autumno ægritudine tentari incipiunt, sperare quartanam: hoc est, non fore continui ardoris, sed tantum quadrini circuitus febrem, quæ, ut asserit Celsus, neminem jugulat. Ea vero febre φθινοπώρῳ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι ἁλίσκονται, inquit Hippocrates. In iis autem quæ satira secunda legimus, *vs.* 89.

Solis ara Deæ maribus patet, ite profanæ,
Clamatur. nullo gemit hic tibicina cornu:

si feminam quæ cornu inflat, tibicinam vocasset, aut nihil præterea voluisset, sane plus quam negligentissimum fuisse fateter; sed ait Cotyttia sacra, Bonæ Deæ sacris omnino esse dissimilia, ad illa enim solos mares admitti; deinde addit, *vs.* 90.

—— Nullo gemit hic tibicina cornu.

quod scilicet Bonæ Deæ pulvinaribus acciderat, admisso Clodio, qui sub vestitu cultuque psaltriæ seu tibicinæ, cornu intulerat, nempe virum patrando stupri flagitio paratissimum, atque ut idem Juvenalis ait in sexta, *vs.* 338.

Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones.

nam istud etiamsi prælicenter positum videatur, non tamen est inconcinnius ea similitudine, quam ex vetere comico notavit Longinus: ἀγρὸν ἔσχ' ἐλάττω γῆν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. Minime autem culpaverim quod eadem satira dixit, *vs.* 423.

Ac summum dominæ femur exclamare coegit.

de alipta qui dominam unguendo fessus erat, ac tandem ut mitteretur, ψόφον καὶ πόππυσμα expresserat ab ea dominæ parte, quam in Galla ob consimile vitium Valerius Martialis nequissimo epigrammate *garrulam* & *clamosam* appellavit. Neque existimaverim ambitiose potius quam honeste & decore usurpata fuisse palpitandi & micturiendi vocabula, sicut & rimæ, cristæ, vesicæ, urinæ, offæ; item urticæ, cornu, herniæ: per quæ alia minus speciosa dictu significantur. Et laudi potius quam vitio duxerim, rhombi spatium, pro rhombo tantæ latitudinis, ut esse videretur instar areæ καὶ ἐπαξίως ῥομβοειδοῦς & navem minorem, pro navi quæ jactura facta pauperior evasit. Denique nunquam reprehenderim satiram verbis audacius translatis ferocientem, aut carpendorum vitiorum causa liberius evagantem; nam illud quidem severitati ac dignitati sermonis, sed hoc imprimis disquisitionis censoriæ libertati convenire censeo. Atque ut uno semel exemplo multa simul ostendam, observemus Juvenalem nostrum celeberrimam figuram, qua poetæ, cum aliquid

aliquid difficillimum indicant, rerum omnem fidem exuperantium comparationes acervatim congerunt, sed plerumque tam frivolas quam ingeniosas, ad seria sæpenumero transtulisse, complurium moribus pulcre notatis, ut in decima: *vs.* 218.

——— Circumsilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum si nomina quæras,
Promptius expediam quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos, &c.

Hæc vero non sunt inania rhetoricæ purpuræ segmenta, verum exquisitissimæ satirarum impensæ, quibus adjici quidem semper aliquid possit; adimi autem non secus quam de farcilibus aut lucanicis pulpæ, cerebella, glandulæ, nuclei; liquamen, piper, & hujusmodi alia: quæ etsi omnino disparata sint, & saporum plurimum inter sese differentium, tamen intrita simul & inserta optimam condiunt satiram, quæ si pauciora contineret, minus satira diceretur. Habes, illustrissime Thuane, totam propositę controversiæ constitutionem, cui dirimendæ vindicias secundum Juvenalem dari abs te potissimum velim. Nam cum adolescens, ac pæne potius puer, eam sis adeptus gloriam, ut cunctis poeticæ laudibus quam maxime excelleres; nunc autem post amplissimos honores integerrime gestos, in arce Virtutis, extra omnem Saturæ petulantiam, velut extra teli jactum sis collocatus; partium proprie tuarum esse arbitror, de poetica morum censura, quam istæ Satiræ promittunt, deque ipsis Satirarum scriptoribus, judicare. Quod si tibi operam calamo lusisse videar, hoc præterea me præstitisse reponam, quod hæc legentem ab reipublicæ prope nullius tristissima cogitatione paulisper avocaverim, atque id mihi fuerit abunde pretii,

Si quid ego, Auguste, adjuto, curamve levasse,
Quæ nunc te coquit & versat sub pectore fixa.

Scribebam a. d. III. Cal. Novemb. CIↃ. IↃC. XV.

Sectio IV. Index quorundam CODD. MSS. item EDITIONUM tam *Vulgatarum*, quam *Promissarum*: VERSIONUM; nec non VARIANTIUM quarundam in hisce Satyris LECTIONUM.

Codices mss. Juvenalis.

NEmo, ut puto, nescit, in illustribus Bibliothecis, quales sunt Romanæ Vaticana, Serenissimę Reginę Suecicæ, Barberina, Mediolanensis; in Germania Imperatoria Viennensis, Guelpherbytana; in Galliis Regiæ, item Colbertina, sub qua & Thuanea intelligitur; in Anglia Oxonienses; aliisque, etiam *Privatis*, exstare Codd. mss. harum Satyrarum. In Notis subinde multorum fit mentio; Nos hic eos tantum notabimus, quibuscum commissæ Satyræ *Varias Lectiones* exhibuere. In illis itaque

A. notat Cod. ms. Bibliothecę *Amstelædamensis*, quam cum nostra Editione commisit amicissimus noster *Almelovenius*, V. Cl.

B. notat Cod. ms. Bibliothecæ *Basiliensis*, cujus Varias Lectiones in nupera Variorum Editione dedit Wetstenius.

St. notat Veterem Cod. ms. *Stephani*, cujus Variæ Lectiones habentur ad calcem Editionis *Rob. Stephani*, Lutet. 8. 1644.

J. est Hadriani *Junii* Cod. ms.

M. est Jacobi *Miggrodii* Cod. ms.

N. est *Noviomagensis* liber ms. Colegii Catharinę.

S. notat Jacobi *Susii* Cod. ms.

P. denique est Theodori *Pulmanni* ms. Cod. qui horum quinque Codd. Variantes Lectiones suæ Editioni olim subjecit. vide ejus in suas Notas Præfationem.

Editiones Juvenalis Vulgatæ:

Balbutire mihi in hisce licebit cum Bibliopolis: Prodiit JUVENALIS Lipsiæ fol. 1504. 1507. Venet...., cum Persii Satyris... 1518. Paris. 1543 Lugdun. 1537. adjectis Horatii Epistolis Lips. 1498. ex typogr. Regia Parisiis fol. 1644. Venet. apud Manut. 8. 1501. 1535. 1538. 1549. Paris. apud Stephan. 8. 1496. 1544. 1549. Rostoch. 8. 1599. Basil. 8. 1522 Castratæ Satyræ in usum Collegii S. J. Brunsbergensis Colon. 8. 1610. Amstelæd. 12. 1641. 1648. 1651. Lugdun. ap. Gryphium 16. 1576. 1603. Amstelæd. 24. 1619. 1624. 1651. Antw. ap. Plantin. 1587. &cc. *Ascensii*

& *Mancinelli*, Paris. fol. .... 4. 1505. *Britannici*, Venet. fol. 1515. 1548. *Britannici & Aliorum (cum Scholiis Vett.)* Brixiæ fol. 1501. Basil. ap. Froben. cum Persio fol. 1551. Paris. 4. 1603. *Sabini* ..... *Merulæ* fol. ...... *Mancinelli*, Lugdun. 4. 1498. & *Aliorum* Venet. f. 1493. Noriberg. 1497. *Calderini*, Romæ f. 1474. Venet. f. 1483. Paris. 4. 1614. *cum Gloss. Gramm. Vett.* & *Pithœi* notis Paris. ap. Patisson. 8. 1585. 1590. Antwerp. 8. 1590. *Pulmanni*, 8. 1565. 16. 1566. cum *Paraphrasi Ceruti*, Veronæ, 4. 1597. Augustæ, 4. 1599. *Pithœi*, Heidelberg. 8. 1590. cum *Indice Langii*, Friburg. Brisgoiæ 4. 1607. *Lubini*, Hanov. 4. 1603. 8. 1619. Rostocæ. 8. 1602. *Autumni* Paris. 4. 1614. & *cum Periphrasibus Claverii* Paris. 8. 1607. *Grangæi*, Paris. 4. 1614. *Rigaltii*, Paris. 12. 1616. *Farnabii*, Londin. 8. 1612. Francofurt. 8. 1623. Paris. 12. 1614. Leid. 12. 1650. Amstelæd. 12. 1668. 1670. *Variorum*, ex edit. *Schrevelii* Leid. 8. 1648. 1658. 1664. Amstelæd. 8. 1684. *in usum Sereniss. Delphini*, cum Persio: additis notis & paraphrasi *Lud. Pratei*, Paris. 4. 1684.

Et hæ quidem sunt *Vulgatæ Editiones*, quæ ad nostram venere memoriam. Forte Draudius in *Bibliothec. Classic.* & Lipen. in *Biblioth. Philosoph.* quasdam recenseant, quas Nos non habemus: & vice versa, nos multas, imo plurimas illis intactas adnotamus. Crisin in plerasque Editiones adornare tulerat animus, sed nec otii mei, nec festinantis Bibliopolæ rationes illam admiserunt: rejicimus itaque illam in aliud tempus.

Ex hisce Editionibus cum nostra commissæ sunt St, quod siglum notat Editionem *R. Stephani.* 1544. 8. St,, quod notat iteratam *R. Stephani* Editionem. 8. 1549. Priorem ego, alteram Almeloveenius contulimus; ubi ambæ Editiones conspirant, hoc siglo utimur St,,,

G. notant *Grangæi* Editionem, Ejusdemque Variantes ad marginem relatas Lectiones.

Promissa & Latentia:

Præter ea, quæ latent in Bibliotheca Mediolanensi, (vide pag. 897. 1. 3.) aliisque non possunt non latere hinc inde *Lectiones Publicæ* super Juvenalem, quales Romæ Muretus, Leidæ Cunæus, Boxhornius aliique variis in locis habuere. *Scholas Privatas*, quas vulgo *Collegia & Dictata* appellant, quis enumerabit? Scio tales exstare Aug. Buchneri, & aliorum. Qui cirratis hunc Poetam in trivio prælegunt, solent & illi aliquid ad hunc Poetam allinere, & talia vidi Ant. Aemilii quædam. Taceo superioris ætatis Glossatores Monachiscos, quales Philippinus, Magister Martinus, & alii, qui, ut credo, in privatis quorundam Bibliothecis, præcipue Italicis, latent. Nunc tantum enumerabo illos, qui Publicanda in Aquinatem sunt moliti.

CASPAR BARTHIUS. Habeo exemplar Juvenalis cum Scholiaste Pithœi, annotatis a *Barthio* tam diligenter undique Eruditorum locis, qui hunc emendent, explicent, illustrent Poetam, ut nesciam, quid desiderari possit amplius, nec chartæ ullum sit relictum ad plura ingerenda spatium, quemadmodum & pari pacto multos alios Auctores ab eo illustratos habeo, testarique possum, pæne integrum hunc & alios memoria tenuisse, tot & tanta inde recitaverat. *hæc Christ. Daumius V. Cl. in Ep. Reines. ad Daum. p. m. 52. num xvi. quicum ipse Barth. Variis in locis suorum operum consentit, quibus ipse sua in hunc Poetam Commentaria commemorat.*

ISAACUS CASAUBONUS, ut in Persium, ita & in hunc Poetam est commentatus. patet id non solum iteratis Barthii indiciis, (vide *ad Claudian.* & *Advers.* L, 9.) Sed & ex ipsius Casauboni *Epistolis*: nam *Ep. 266. p. 304.* & *Ep. 266. p. 244.* Edit Græv. promittit Elmenhorstio Collationem cum mss. suis & *Notas.* Latent hodie eæ Notæ in Bibliotheca Sereniss. Regis Angliæ, quæ Londini est.

EBERHARDUS ELMENHORSTIUS, ut ex laudatis Casauboni Epistolis apparet & ipse Notas in hunc Poetam conscripsit: sed, ne ederet, fecit castigatrix illa Jos. Scaligeri Epistola num. 464. *lib.* iv. quæ *Amico cuidam* i. Eberhardo Elmenhorstio est scripta, si fides Clavi Colomesianæ in has Epistolas, *p. m.* 158.

OCTAVIUS FERRARIUS V. Cl. & ipse ad Commentandum accessit, ut fatetur *Elect.* ii. 14. ubi etiam rationes non obscure affert, quæ plenum Commentarium illum domi manere jusserint.

THOMAS GALE Anglus, ex editis diligentiæ speciminibus in rep. literaria jam clarus, ut audio, meditatur novas notas in hunc Poetam; imo, ut rectius loquar, meditatus est, adeo ut, nisi fama mentiatur, eas aliquando simus visuri.

...... PEARSONIUS JCt. celeberrimi & doctissimi illius Episcopi, qui in Apostolicum Symbolum tam erudite scripsit, frater, Animadversiones in hunc Poetam condidit, quæ, ut ajunt, latent apud nobiliss. Strandlæum Londini.

HADRIANUS VALESIUS quoque in has scripsit Satyras. Sic enim Aegid. Menagius, V. Cl. (apud quem etiam hodie audio exstare has, quas dico, Valesii notas.) *Epigr. 52. pag. 89. Edit. 7. Carm.* ad Hadrian. Valesium canit:

> *An sensus Juvenalis eruditos*
> *Scripto detegis eruditiore?*

confer & in *Notis Varior. nostræ Edit.* p. 901. Cl. Grævii notam ad ii. 7. Et hi quidem sunt, quos intellexi ex professo in Juvenalem aut scripsisse, aut scripturos.

Ver-

Versiones:

Italica, sæculo proximo prodiit Ripæ in 8. auctore Georgio Summa.

Hispanica per Diegum Lopez, cum Ejusdem declaratione magistrali, Madrid. 4. 1642.

Gallica prior & Vetus per Andream du Chesne Tourangeau. vide *Not. Varior.* ad xi. 173. Altera recentior, cum Persio, & notis auctore des Marolles, Paris. 8. 1653. 12 1671. 1675.

Germanica, ut puto, auctore quodam Johnsonio, qui versu reddidit; mihi pæne puero visa, & nonnihil lecta: sed memoria fugit, num omnes Satyras verterit, nec ne. neque annum memini, nec locum Impressionis.

Belgica, festiva dictione translata est auctore Valentino, quæ prodiit Leidæ 12. 1682.

Anglica, quarum prior auctore Roberto Stapleton, Oxon. 8. 1644. exhibet tantum vi. priores Satyras: posterior vero figuris & amplissimis notis exornata Auctore Barthol. Holyday prodiit Oxonii 1673. fol.

Atque hæ sunt *Versiones*, quas partim ipsimet vidimus, partim certis indiciis edocti exstare affirmamus. Reliquas nec vidi, nec comperi; quare intra veniam ero; si una aut altera meam evaserit diligentiam.

Variæ Lectiones Notabiliores.

Habes benevole Lector, hic *Variantes Lectiones*; non omnes, sed tantum notabiliores; ex iis mss. & excusis excerptas, quorum supra facta est mentio. Non omnes, pleræque enim jam in Notis sunt allatæ a Commentatoribus, quæ ibi videri possunt, ne crambe repetatur. Dabimus forte aliquando Juvenalem emendatissimum forma minuscula cum Paraphrasi non umbratica, sed luculenta, e regione; in qua editione ad hanc quoad numeros accommodata, ad imam marginem diligentissime annotabimus Varietatem Lectionis ex Variis Codd. mss. ex Excusis, ex Emendationibus, ex Versionibus: Nomina propria, Singularia, & difficiliora in parvulum indicem conjecta breviter enodabimus. Hic igitur sufficiant exstantiores Lectionum Varietates.

Sat. I.

Vs. 6. In tergo necdum.) B. *a tergo nondum.*
10. Furtivæ.) St, *furtive.*
22 Mæviæ.) al. *Nævia.*
24 & 25.) desunt in A.
33 Post) St, *& post* al. *it post.*
42 At sic) N. G. *inquit.*
47 Et:) St, *at.*
55 Si.) G. *sit.* B. *sed.*
57 Stertere.) A. *sternere.*
58 Sperare.) A. *spectare,*
60 Citato.) B. *rotato.*
74 Aliquis.) al. *aliquid.*
90 Posita.) N. *plena* (in interstitio.)
100 Limen & ipsi.) A. *Nomen & illi.*
106 Purpura major.) A. B. St, *majus.* G. J. *purpura amator.*
130 Arabarches.) B. *Arabates.* A. *aut Arabarges.*
134 Homini.) St: *hominis*: it. *hominum.*
139 Erit.) G. *edit.*
153 Non.) G. *nunc.*
161 Verbum.) A. *vermis.*

Sat. II.

Vs. 7: Pluteum.) Edit. Noriberg. 1497. legit *Puteum*, ut Grævio & Valesio VV. Cll. etiam video emendatum, ex eruditis conjecturis.
38 Atque.) al. *Ad quem.*
57 Codice.) A. N. P. M. S. *cortice?*
64 Canentem.) A. *loquentem.*
67 Pollitas.) A. *Pollutas.*
81 Conspecta.) al. *compacta.* Sarisber. *Contacta.*
94 Obliqua.) A. *Oblita.*
116 Abrumpere.) A. *abscindere.*
139 Corpora.) al. *corpore.*
141) omittitur in Parisson. Edit.
146 Et Fabiis.) S. *atque Fabinis.*
160 Jubernæ.) G. St, *Juvernæ.* sic etiam Mela iii. 6. B. *Viverna*, quod ex Græco Ἰέρνη effictum videtur.
167 Heic.) J. *Sic.*
170 Sic.) J. *Si.*

Sat. III.

Vſ. 36. Et verſo p. v.) G. *converſo pollice vulgi.*
118 *Pinna.*) B. *penna.*
232 Illum.) B. *ipſis.*
246 Tignum.) B. *lignum.*
261 More.) B. *Morte.*
320 Helvinam.) A. Eleuſinam.
322 Adjutor.) G. *Auditor.*

Sat. IV.

Vſ. 1. Et eſt.) St: N. P. M. S. A. *adeſt.*
25 Precio.) B. A. *Precium.*
60 Suberant.) St, *ſuperant.*
63 Ut ceſſit.) B. *Exceſſit.*
64 Spectant.) B. *exſpectant.*
78 Atque.) St, B. *atque hic.*
97 Cum.) A. *in.*
127 Excidet.) B. *Excidit.*
131 Alta.) G. *illa.*
150 Illa.) B. A. *ille.*

Sat. V.

Vſ. 5. Credere.) B. *reddere.*
12 Pige.) St, *finge.*
13 Solidam.) St, A. *ſolitam.*
16 Adhibere.) Al. *accire.*
26 Proludunt.) N. *Procedunt.*
41 Auctor.) J. *amicos.* al. *aduncos.*
42 Illi.) A. *illic.*
80 Diſtendat.) G. *diſtinguat.* N. P. *diſtentat.*
87 Adfertur.] al. *offertur.*
91.] omittitur in Ed. Pariſſ.
111 Gloria.) B. *gratia.*
118 Alledius.] J. *Aledius.*
122 Dictata magiſtri.) B. *magiſter.* S. *mandata.*
136 Vobis h. p. h.] N. *Vos hunc præſtatis honorem.*
145 Ac.] St,,, *Ad.*

153 Mali.] *pomi.*
153 *Redit.*) J. *prodit.*

Sat. VI.

Vſ. 41 Ulla.] J. *illa.*
53 Vix.) al. *vix.*
98 Conjux.] S. Sponſus.
130 Necdum.) *al.* ſed non.
125.) in quibusdam mſſ. & excuſis deeſt.
200 Junctamque.) J. vinctamque.
218 Dictabitur.) B. *ditabitur.*
226 Advolat.) B. *Avolat.*
237 Arceſſitus.) ita legendum ex vulgato illo *ac ſecretus*, quod degeneravit ex *accerſitus.*
238 Silet.) al. *pavet.*
265 Cœcive.) J. *Creteive.*
274 Exſpectantibus.) B. *ipſis ſpectantibus.*
277 Quas.) A. B. *quot.*
288 Contingi p. ſinebant.) A. B. *conjungi p. ſinebat.*
293 Ulciſcitur.) B. *ulciſcimur.*
332 Venit &c.) A. *veniet.*
340.) in A. ſequitur poſt 337.
343 Numę.) A. *Numen.*
365 Reputant. A. B. *repetunt.*
378 Tondendum.) al. *tundendum.*
392 Pertulit. al. *Protulit.*
401 Strictisque.) N. P. J. B. *ſiccisque.*
408 Famam.) B. *flammam.*
410 Arva.] G. *arma.*
413 Quæ.) B. *quod.*
415 Exorata.] B. *exhortata.*
430 Auratæ.) A. *aut lata.*
459 Auribus e. m. c. e.) A. B. *extenſis magno committit elenchos.*
474 Precium curæ.) St,,, *opera precium.*
483 Transverſa.) al. *transacta.*
497 Admotaque.] G. *amotaque.*
514 Rapta.) al. *rupta.*
521 Semel expiet.) A. *Simul.* J. *explicat.*
527 Calidaque.) A. B. *calidasque.*

558. 559.] in quodam Vet. Cod. deſiderantur.
571 Menſis.) J. *menſes.*
587 Fulgura.) al. *fulmina.*
602 Sæpe.) B. *ſemper.*
609 Ridens.) B. A. *ſemper.*
632. 633.) G, ſunt addititii.
642 Tragicis.] J. *magicis.*
658 Inſulſam.) A. B. *Inviſam.*

Sat. VII.

Vſ. 8. Umbra.) al. *area.*
25 Componis.) A. B. *Conſcribis.*
60 Mœſta.) A. B. *ſæva.* al. *ſana.*
62 Heuohe.) al. *Evoe.*
65 Veſtra.) A. *noſtra.*
117 Laſſo.) J. *laxo.*
124 Licet.) A. *petet.*
139 Fidimus eloquio.) al. *Ut redeant veteres.*
144 Gallus.) al. *Coſſus.*
153 Perferet.) St,,, *Proferet.*
156 *Diverſa forte.*) A. *diverſa e parte.* B. *d. p.*
157 *Noſſe velint.*) St, *ſcire volunt.*
163 Fulmina.] B. *flumina.*
192 Adpoſitam.) J. *Oppoſitam.*
193 *Jaculator.*) A. *joculator.*
222 Hora.) A. *umbra.*
237 Ceu p. d.) B. *cum p. ducant:*
240. 241.) Quidam hos verſus non putant eſſe Juvenalis, ſed Servius tamen eos citat in iii. *Eclog.* G.

Sat. VIII.

Vſ. 1 Stemmata.) G. *Schemata.*
4 Humerosque.) A. B. *naſumque.*
5 Corvinum & Galbam.) St,,, *Corvini* B. *& Gallum.*
17 Traducit.) N. M. A. B. *producit.*
47 Plebe.) B. *gente.*
49 Plebe.) A. J. *gente.*
66 Trito ducunt.) al. *tritoque trahunt.*

90 Ex-

90 Exſucta.) St,,, *exhauſta*, N. B. *exuta*. P. M. *exuſta*.
96.) in A. precedit priorem. 95.
129 Et.) St,,, *nec*.
133 Ponas.) G. *pingas*.
135 Ambitio.) A. B. *ambitus*.
225 Cantu.) al. *ſaltu*.
256 Pube.) B. *plebe*.
266 Produxit.) A. B. N. P. S. *Eduxit*.
275 Illud.) al. *aliud*.

Sat. IX.

Vſ. 14 Bruttia &c.) al. *Præſt. t. circumlita faſcia viſci*. Patiſſ. *Pr. c. t. Bruſcia f. v.*
25 Scelerare.) B. G. *celebrare*.
43 Pronum.) J. *promtum*.
61 Conluſore.) St.,, cum luſore.
68 Puer aq.) al. *ſervorum menſe*.
84 Libris actorum.) Serv. ad ii. *Georg.* legit *titulis*. A. B. *auctorum*.
106 Taceant.) al. *clament*.
110 *Carptores*.) J. *Raptores*. S. *Fartores*.
120 Peſſima) al. *maxima*.
137 Thure.) A. *ære*.
138 Exorare.) al. *exornare*.
139 Figam.) B. *fingam*.

Sat. X.

Vſ. 3. Dignoſcere.) A. B. *diſcernere*.
30 Auctor.) al. *alter*.
78 Effudit.) A. B. S. *Effugit*.
136 Summo-arcu.) S. *ſumma-arce*.
149 Percuſſa.) al. *perfuſa*.
160 Fugit.) A. J. abit.
187 Hoc &c.) J. B. *Hoc altus gelumque tuens, hoc p. e.*
198 Membra.) al. *labra*.
201 Gnatiſque.) A. *votiſque*.
254 Socius.) A. B. *ſocio*.
263 Non.) A. B. *jam*.

310 I nunc &c.) A. B. *Nunc ergo ſpeciem j. l.*
320 Exuet.) al. eruet.

Sat. XI.

Vſ. 18 Oppoſitis.] A. *optatis*.
89 Erectum.) al. *Ereptum*.
91 Poſtrema.) A *rigidique*.
106 Venientis.) al. *fulgentis*.
107 Oſtenderet) A. offenderet.
109.) in A. præcedit verſum. 108.
113 Oceani.) A. Oceano. S. occiduo.
124 Mittit.) B. *nutrit*.
128 Vires.) al. *bilis*.
144 Furtis.) al. *fruſtis*.
153 Notos.) B. *natos*.
191 Mappæ.) al. *palmæ*.
201. & 202.) deſunt in St,,,

Sat. XII.

Vſ. 3 Cædimus.) A. *ducimus*.
17 Fulguris ictum.) G. *Fulminis ictus*.
20 Percuſſum.) B. *perfuſum*.
27 Fana.) A. *templa*.
36 *Teſticulorum*.) G. A. *Teſticuli*.
54 Summitteret.) A. *ſucciderei*.
73 Mirabile lumen.) G. *miſerabile*. B. *numen*.
100 Tabellis.) A. B. N. P. J. *libellis*.
106 Servire paratum.) N. J. *parere*. B. *ſolebant*.
110 Turrem.] A. N. J. *turbam* St,,, *turmam*.

Sat. XIII.

Vſ. 11 Gemitus.) A. *Queſtus*.
13 Malorum.) B. *laborum*.
62 Libellis.) al. *tabellis*.
114 Cum mittere,) St: *emittere*,
119 Vagelli.) B. *Pacilli*.
124 Majoribus.) J. *melioribus*.
142 Viles pulli.) A. B. *vilis populus*.
175 Abreptum-graviore.) B. *affectum*. A. *majore*.
195 Quatiente a. t.] J. *quatiens animum terrore*.
223 Fulgare.) P. J. *fulmina*.
226 Judicet.) A. B. *Vindicet*.
242 Ruborem.) St: P. J. *pudorem*.

Sat. VIX.

Vſ. 16 Præcipit atque.) B. *Præcipitat qui*.
33 Auctoribus.) A. *doctoribus*.
45 Puer.] B. *pater*.
62 Læve.) al. *lavet*.
63 Furit.) A. B. *fremit*.
67 Emendat.) u. *emundat*.
110 Veſte.) N. *voce*.
112 Tutela,) J. *cautela*.
117 Modo.) J. *malo*.
124 Minimas.) M. J. *nimias*.
129 Medio.) A. *medici*.
147 Jumenta.) al. *armenta*.
176 Immodici.) al. Indomiti.
228 Producit.) B. *providit*.
241 Quorum.) *quarum*.
269 Ac vilis.) al. a *Siculis*.
287 Lacernis.] A. *lacertis*.
289 Unde.) G. St. *una*. al. *uda*.
293 Coemti.) al. *Coemtor*.
328 Crœſi.) J. *Roſei*.

Sat. XV.

Vſ. 25 Duxerat.) A. *deduxerat*.
29 Scelus.) N. *Scelera*.
40 Viſa enim.) A. *Viſaque majorum*.
45 Notavi.) A. *putavi*.
46 Turba.) A. B. P. M. *ripa*.
74 Pugnam inſtaurare.) N. *pugnam inferre*.
93 Olim.) A. G. *uſi*.
95 Ultima.) B. *culmina*.

33 Opti-

133 Optima.) G. *ultima.* al. *intima.*
163 Rabida.) St. *rapida.*
168 Extendere.) N. J. *extundere.* G. *excudere.*

Sat. XVI.

Vs. 9.) deest in A.
12 Oculum-relictum.) al. *oculos relictos.*
29 Cum.) A. B. *quem.*
39 Patulo.) A. *vetulos*
45 Tum f. p. lac.) A. *jam f. p. lucernas.*
46 Cædicio.) N. *Catilio,*

FINIS.

Paucula in Juvenalis Textu sic emendentur: iii. 149. *sorddiula* l. *sordidula.* iv. 120. *levanum* l. *levam.* vi. 43. *maritiali* l. *maritali.* 104. *Eppia* l. *Hippia.* 214. *Hac* l. *Hac.* 262. *quanta galea curetur* l. *quanto galea curvetur.* xii. 72. *aspex* l. *apex.* In Scholiis Veterum. i. 155. *Bincio* l. *Vinicio.* ii. 92. *præstrinxerat* l. *perstrinxerat.* iii. 158. *incolumnis* l. *incolumis.* 167. *cervorum* l. *servorum.* v. 5. *algeret* l. *ageret.* ix. 14. l. *quo solebat.* x. 115. l. *aut* atria. xiii. 121. l. *absque tunica, ex pallio.* 199. vii. *l.* vi.

D. JU-

D. JUNII JUVENALIS
LOCA QUÆDAM FIGURIS ILLUSTRATA, QUAS SUO LOCO INSERTAS LECTOR REPERIET.

Quum ſcribat auctor Sat. I. verſ. 53. inter innoxias carminum materias fuiſſe etiam mugitum Labyrinthi, en tibi iſtum locum ex nummo Gnoſiorum vetere appoſitum, in quo vel audiri mugitum vel conſpici Minotaurum imagineris licet.

Ecce & illum, qui ſumpſit pennas, mediis ſed natus Athenis in Satir. III. verſ. 8 illas apte fabricantem, & tam arcte ſtipantem, ut etiam malleo ad eam rem fuiſſe uſus ſupponatur, non ſecus ac ſi ferreæ fuiſſent, ſi quidem recte gemmam contemplatus fuit, qui excudit, Cl. Begerus in Spicilegio.

Quam formam dicit Herculis Antæum procul a tellure tenentis Satir. ead. verſ. 89. eam conſpice ſatis fabrefactam, majorem ex Sepulcri Naſoniani picturis, minorem ex ſpecimine Cl. Morellii Tabul. VIII.

Juvenalis eſt, quo ſignificante in Satir. III. verſ. 175. perſonæ pallentis hiatum In gremio matris deridet ruſticus infans; propterea marmora hæc egregia & ſæpe ab viris doctis alibi adhibita, judicavi ab illius hac editione & iſto loco abeſſe non poſſe, ut melius explicantia, quam omnia verborum commentaria.

Ex hoc nummo patet forma data Tiſiphonæ, & qua figura conceperint colubras, quibus exagitari & inquietari homines finxit vetuſtas & Juvenalis Satir. VI. verſ. 29. ubi quærit Dic, qua

Tisiphone, quibus exagitare colubris. *Petitus est ex Seguini nummis selectis.*

Agnosce ingenium Juvenalis & verissima verba, quum ab eo plangentis populi derisor Anubis *appellatur in Satir. VI. vers. 534. ipso canini rictus ductu sannam fere excutiens, prout servatur in cimeliis Parisinæ Genofevæ.*

Ut concipiantur peritè, quas Juvenalis Satir. VI. vers. 590. dicit phalas delphinorumque catervas, *quò designetur circus; ex tabula Onuphrii hunc conspectum in breve contrahi curavi.*

Aspice, quidquid de Colchide torva dicitur; *ut canit noster Satir. VI vers. 642. quatuor tabellis aut schemis ex vetustate servatis exacte satis descriptum, ut uno oculi ictu percipiatur; ad quod multa alioquin legenda sunt verba; quas ex eodem Begero fuimus imitati.*

Quum in aliis chartis toties exhibita sint verba Juvenalis ex Sat. VII. vers. 192. nobilis & generosus Appositam nigræ lunam subtexit alutæ, *ut vel ipsa illustrarentur vel illustrationem darent huic antiquo viri nobilis marmori; censui etiam nunc posse eadem commode jungi in hac auctoris ipsius editione.*

En tibi ad oculi conspectum proposita verba Juvenalis Satir. VIII. vers. 265. Et quæ Imperii fines Tiberinum virgo natavit, *ex gemma vetere jam sæpius publicata.*

D. JU-

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRARUM LIBER PRIMUS.

SATYRA I.

PRIMA DOCET SATYRÆ CAUSSAM, FORMAMQUE LIBELLI.

SYNOPSIS. Offensus Juvenalis importuna scripturientium recitatione poeticam facete profitetur, et scilicet, ut par pari referat; quippe qui bonarum artium omni supellectile satis superque instructus: verum ceteris Poeseos generibus Satyram antefert, quod neutiquam vitiorum major copia, quæ nunc in præcipiti stetit, cuique nihil est, quod addant posteri, unicum certe & verum Satyræ ὑποκείμενον γένος, quo sibi proposito vix est, ut quisquam erret: nam si natura negat, facit indignatio versum. Verum quia non sine periculo, ut olim, viventium scabies scalpitur, solos fato functos, jam jamque compositos, ut qui non mordeant, tangere velle, caute & callide confitetur.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theseide Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,

Hic

VETUS SCHOLIASTES
Ex bibliotheca P. PITHOEI, JC.

Theseide Codri.) Codrus hic poeta fuit vitiosus, qui tragœdiam Thesei scripsit: de quo Virgilius dixit:

—— *sedet, æternumque sedebit*
Infelix Theseus. ——

5. *Ille togatas.*) *Togatæ* sunt Comœdiæ Latinæ; *Palliatæ* Græcæ, quales *Afranius* fecit.

In JUVENALIS Satyram I.
ISAACI GRANGÆI commentarius.

S*Emper ego auditor.*) Per indignationem hæc. Tum quod malos Poetas audiret, tum quod *Auditoris* nomen, & Græcorum *ἀκροάματα* sæpissime in malam partem antiquis accepta, propter nonnullos, qui præceptores in scholis attente audiebant; ceterum ipsi domi nil laborabant, auribus duntaxat studentes, non oculis. *Alciatus Parerg. Juris* VI. *cap.* VIII.

1. *Nunquamne reponam.*) i. Vindicabo injuriam, quam a malis recitatoribus toties passus sum. Simile nostris Gallis genus loquendi, *ne l'en payeray-je jamais: ne luy rendray-je jamais.* Metaphora a creditoribus, qua usus est simili in re, dissimili mente Plin. Nepos 1. epist. *Possum jam repetere secessum, & scribere aliquid, quod non recitem; ne videar, quorum recitationibus assui, non auditor fuisse, sed creditor. Nam ut ceteris in rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur.* Male ergo *Lucius Scopas collect.* 1. *cap.* XXVII. Reponere, *rejicere* explicat. Nec bene *Janus Parrhasius epist.* XXIII. translationem ductam putat a conviviis. Scopum attigit *Adrianus Turnebus adversar.* XX. *cap.* VIII.

2. *Vexatus toties.*) Ad verbum nostrates: *moy, qui ay tant été beret de cela.* Nec tantum vexantur miseri auditores, sed

—— *recitator acerbus*
Quem semel arripuit, tenet; occiditque legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Horat. in Poetica.

2. *Theseide.*) Longo poemate de Theseo multis diebus recitato, cum esset instar Æneidis Virgilianæ. *Turneb. adversar. lib.* XX. *cap.* VIII.

2. *Codri.*) Alii Mss. *Cordi.* Verum sive *Codrus*, sive *Cordus*, nomen e trivio. Poetæ, qualis *Cluvienus* infra.

2. *Rauci.*) Perpetua recitatione, ut raucæ cicadæ, quæ perpetuo occinunt. Remedium huic morbo *focalia*, de quibus *Theodorus Marcilius* ad primam *Persii.*

3. *Impune.*) Hoc est, sine pœna, qua? meæ malæ recitationis scilicet. Ea in re etenim

Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem.

Horat. epistol. II. 2.

3. *Recitaverit mihi.*) Legendo. Recitatores etenim legebant. Hinc Persius:

Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus? aut summi plena jam margine libri
Scriptus & in tergo necdum finitus Orestes?
   Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus
Martis: & Æoliis vicinum rupibus antrum
Volcani. quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus:

Sede leget celsa.
Ubi *Marcilius.* Hinc noster, *lector*, pro recitatore, infra vers. 13.

---- assiduo ruptæ lectore columnæ.

3. *Ille.*) Per contemptum, ut hæc ipsa satyra, vers. 97.

Ille tamen faciem prius inspicit. ----

3. *Togatas*) Argumenti Romani fabulas. Nam *Palliatæ* Græcorum sunt. De iis videndus *Donatus*, & *Diomedes*, & novissime *Scaliger Poetices* I. *cap.* VII.

VETUS SCHOL.

5. *Summi plena jam margine.*) Notandum *marginem* fœminino genere dici, cum *Ovidius* masculino dixerit.

7. *Quam mihi lucus Martis.*) Lucum Martis dicit, qui Romæ est in Appia, in quo solebant recitare poetæ: aut illum, qui apud Colchos est, in quo fuit pellis aurea: aut in quo Ilia peperit.

9. *Volcani venti.*) Pro follibus posuit.

GRANGÆUS.

4. *Hic elegos.*) Threnosne? an amores? an utrumque? Nam

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Horat. in arte.

4. *Telephus ingens.*) Prolixa de Telepho Tragœdia. De qua *Julius Hyginus*, *fabula* C. Et *Apollodorus Bibliotheces* II. & III. Dictus a θηλὴ & ἔλαφος: quod ille Auges & Herculis filius cervæ mamma educatus fuerit.

4. *Diem consumserit.*) Ad noctem usque recitando contriverit. Dion lib. LVII. *Cum Senatores calend. Julii & Augusti audiendis recitantium orationibus usque ad noctem commorarentur.* Consumimus autem id, cujus nil reliqui manet.

6. *Orestes.*) Tragœdia de Oreste, ut supra Telephus pro tragœdia de Telepho. De Oreste autem *Sophocles* in *Electra*. *Hyginus* passim.

6. *Scriptus & in tergo.*) Sidonius Apollin. epist. XVI. lib. VIII. *Jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus est, ut Satyricus ait, Orestem nostrum vel super terga finiri.*

7. *Nota magis nulli domus est sua.*) Proverbialiter id dictum de trivialiter notis. *Martialis* id alio quodam modo expressit,

Et teneo melius ista, quam meum nomen.

7. *Lucus Martis.*) Diversorum interpretum diversus hujus loci sensus. *Baptista Egnatius Racemationum cap.* VI. per *lucum Martis*, & *antrum Vulcani*, intelligit auditoria, in quæ se recitaturi conferrent. Per illa vero verba, *Æoliis vicinum rupibus antrum*, Statuam Æoli equestrem fuisse Colosseam in Colobo positam. Sed commentitia prorsus, & aliena hæc interpretatio. *Ptomæus Flavius Conjectaneorum cap.* XXIX. legit *luctus Martis*, ut exprimatur per id, bellum Trojanum, quod scripsit Nero. *Turnebus advers.* XX. *cap.* VIII. lucum Martis, qui & in Ponto erat, & Albæ, pro quocumque luco poni censet, & ad ambitiosas Poetarum descriptiones alludere, ut antea *Persius. Satyr.* I. *---- nec ponere lucum Artifices. ----* imitatus Horatium *---- dum lucus & ara Dianæ.* Ego intelligo historiam integram Martis, quæ sylva sive materia Poetarum amplissima est; nisi potius tibi arrideat sententia *Jani Parrhasii epist.* II. scilicet his verbis *Valerium Flaccum* taxari æmulatorem suum, quod ipse *Flaccus* omnium horum locorum meminerit. Adi, si placet, *Parrhasium*, & vide.

8. *Antrum Vulcani.*) Fabulam Cyclopum, & Vulcani: Cujus antrum descripsit *Virgil.* VIII. Æneid. his verbis:

Insula Sicanium juxta latus, Æoliamque
Erigitur Liparen fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus & Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant: validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum: striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.

8. *Vicinum rupibus Æoliis.*) Id respondet, ut existimat *Parrhasius*, verbis *Valerii Flacci ---- juxta altera tellus*
Cernitur, illam Acamas habitat nudusque Pyracmon.

9. *Quid agant venti.*) Heic & agere esse *concionari* putat *Parrhasius*, propter concionem Boreæ apud eundem *Valer. Flaccum*, cujus initium est:

Pangæa quod ab arce nefas, &c.

Verum

Æacus: unde alius furtivæ devehat aurum
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos:
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper, & assiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum

Dor-

Verum ad fabulas ventorum, quales Orythiæ raptus, & similia referendum censeo.

9. *Quas torqueat umbras Æacus.*) Quoniam Æacus Europæus umbras Europæas judicat; Minos & Rhadamantus Asiatici Asiaticas. *Plato* in extremo *Gorgia*, & in *Minoe*.

VET. SCHOL.

12. *Frontonis platani*) in Horatiana domo, in qua poetæ recitabant.

GRANGÆUS.

10. *Unde alius.*) Argonautica, & cetera quæ, dicuntur de Jasone, Medea, & vellere aureo.

10. *Aurum furtivæ.*) Catullus *auratam pellem* vocat. *Euripides* πάγχρυσον δέρας. *Orpheus* χρύσεον κῶας. *Suidas* dicit fuisse librum in pellibus scriptum, quo ratio conficiendi auri continebatur. *Varro* libris *de re rustica* refert ad ovium caritatem.

11. *Quantas jaculetur Monychus ornos.*) Centaurorum pugnam significat, quam *Valerius* expressit in *Argonautis* Monychi memor, sic enim ille:

Fert gravis invito victorem Nestora tergo
Monychus. ——

Videndus *Ovid.* XII. *Metam.*

12. *Frontonis.*) Hic est *Julius Fronto*, in cujus ædibus recitare solebant Poetæ. Qua de re nos *satyr.* VII. Jamque *Marcilius ad I. Persii* plus satis.

12. *Platani clamant.*) Sic *Virgil.* Ecloga X.

—— *respondent omnia sylvæ.*

Platanorum autem copia ingens in magnatum insulis, unde *Horatii* II. *Carm. ode* XV. querela:

—— *platanusque cælebs*
Evincet ulmos. ——

12. *Convulsaque marmora.*) Medicorum verbis utitur, quibus rupti convulsique dicuntur, qui nervorum affectione, & spasmo laborant, sed & eadem ratione sic appellantur, qui nimio clamore venas vel in gutture, vel in inguine tumescentes offenderunt. *Alciat. Parerg. juris lib.* IV. *cap.* XXVII. & *Baptista Egnatius Racemationum cap.* VI.

14. *Exspectes eadem.*) Fabularum deliria, easdem nugas.

14. *A summo minimoque poeta.*) Per gradus dividuntur Poetæ, sunt summi, sunt mediocres, sunt minimi. Horat. in arte:

—— *mediocribus esse poetis*
Non homines, non DI, non concessere columnæ.

15. *Et nos ergo manum, &c.*) Sic illud expressit *Auson.* Epigr. ad Syagrium:

Nos ad Grammaticæ studium convertimus, & mox
Rhetorices etiam, quod satis, attigimus.

15. *Ferulæ subduximus.*) Proverbialis formula de iis, qui ludimagistri potestatem exuerunt. Sic C. Silius Apollinaris epist. X. lib. II. *Nam cum videmus in ejusmodi disciplinam juniorum ingenia succrescere, propter quam nos quoque subduximus ferulæ manum.* Et *Macrob. Saturnal. lib.* III. *cap.* X. & *D. Hieronymus* in *Apologetico ad Domnionem, & ad Pammachium epist.* CI. tractum ex eo, quod pueri ferulis percutiebantur: *l.* I. §. *impubes.* ff. *Ad SC. Syllanianum.* Et *Martianus Capella* de *Grammatica. Sueton. in Caligula cap.* XX. Et *Prudentius* in procemio καθημερινῶν

—— *ætas prima crepantibus*
—— *Flevit sub ferulis.* ——

15. *Subduximus.*) τὸ *subduximus*, quasi ob oculos puerorum gestum exponit, qui cum præceptoris sublime flagellum vident, bis terve manum subtrahere de more habent. Unde D. *Hieronym.* adversus Ruffinum, *ferulæ manum substrahere* dixit. *Donatus* autem in Eunuchum, *subducere*, furtim subtrahere explicat.

16. *Consilium dedimus Syllæ.*) Materiarum apud Rhetores Latinos duo genera, *suasoriæ* scilicet, & *controversiæ*. Illæ puerorum, ut faciliores; ex ætate provectiorum, ut docte *Nicolaus Faber* commentariis in *Suasoriam* primam *Senecæ*. Et *Petrus Pithœus epist.* quæ est *Petro Neveleto*. De quibus amplius ad *satyr.* VII. Solebant enim juvenes, postquam a Grammaticis dimissi

Dormiret? Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
 Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus:
Si vacat & placidi rationem admittitis, edam.
Cum tener uxorem ducat spado, Mævia Tuscum
Figat aprum, & nuda teneat venabula mamma:

Pa-

si essent, ad Rhetorem accedere, apud quem communes disserendi locos addiscebant: deinde fictas controversias peragebant. Eæ aut ex historiis trahebantur; aut ex re, quæ forte recens contigisset. Cujus facti vera ratio in scholis evanuit, retenta nescio qua umbra, magno juventutis dispendio. *Aleiat. Parerg. Juris cap.* IV. & *Isaacus Casaubonus ad illud Persii, Satyr.* III.

Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere. ——

16. *Privatus ut altum Dormiret.*) Horatianum sapit *lib.* I. *Serm. satyr.* III.

Privatusque magis vivam te rege beatus.

Privatorum etenim

Nec leveis somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert. Horat. carm. II. ode XVII.

16. *Altum dormiret.*) *Somnum.* Proprium etenim somni epitheton *Virgilio, Horatio, Martiali,* & ceteris. Qua ratione & nos dicimus: *dormir d'un profond sommeil.*

VET. SCHOL.

20. *Magnus eq. Aur. flex. alumnus.*) *Turnum* dicit, Scævæ Memoris Tragici poetæ fratrem. Turnus hic libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi & Domitiani: vel *Lenium* dicit, qui & ipse Satyras scripsit: vel *Silium*, & ipsum sui temporis Satyricum, qui omnes ex Aurunca fuerunt.

GRANGÆUS.

17. *Stulta clementia.*) i. Cassa, inanis, frustranea.

17. *Clementia parcere.*) Sic Princeps Lyricus *Horat. carm.* III. *ode* XI.

Quod viro clemens misero peperci.

18. *Peritura charta.*) Quæ periret, quamvis non scriberetur. Mali enim Poetæ in scribendis suis nugis eam insumerent. Contra autem est *victura charta.*

20. *Hoc decurrere campo.*) Hoc scribendi genere; hoc est, Satyrico. Translatio frequens Poetis. *Propert. el.* I. *lib.* III.

Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.

Ovid. II. fastorum:

Adde peregrinis caussas, mea Musa, Latinas,
Inque suo noster pulvere curras equus.

20. *Magnus Auruncæ alumnus.*) I. *Lucilius,* qui non Auruncæ, sed Suessæ natus; de quo Burdigalensis *Ausonius* Epist. ad Tetradium:

Rudes Camœnas qui Suessæ prævenis.

Quare autem, Auruncæ alumnum, Suessa oriundum Lucilium dicat *Juvenalis,* ratio est: Cum bellum inter Sidicinos, & Auruncos ortum esset, oppidum deseruerunt Aurunci, profugique cum conjugibus, & liberis Suessam convenerunt, quæ post Aurunca appellata, ut docte animadvertit doctiss. *Joseph. Scaliger Ausonianarum lectionum lib.* II. *cap.* XI.

20. *Alumnus.*) Sic *Sollius Apollinaris, alumnum* dixit pro indigena, *carmine* XXIII. *vers.* 240. *in vita Epiphanii:*

Plaudentes stupuere Bosphorani
Mirati minus Atticos alumnos.

Sic *Ennodius* Tholosæ alumnos Getas dixit: *Alumnus* autem proprie de eo, qui alitur, non qui alit, ut novissime docuit *Josephus Castalio in variis.*

21. *Si vacat.*) Si libeat & sit otium. *Ovid.* I. *de Ponto:*

Si vacat, hospitio peregrinos, Bruse, libellos
Excipe. ——

Vacare igitur heic est operam aurium dare.

21. *Placidi rationem.*) MS. haud infimæ notæ habet *placiti,* hoc est, propositi, quod placet magis, quam *placidi.*

21. *Edam.*) Manifestabo, patefaciam. ipse *Satyr.* XIV.

—— *mensura tamen quæ*
Sufficiat census, si quis me consulit, edam.

22. *Cum tener spado.*) i. Lascivus, mollis. Sic *Aurelius Prudentius in passione D. Agnetis:*

Quam si veniret languidus, ac tener
Mollisque Ephebus, tinctus aromate
Qui me pudoris funere perderet.

22. *Ducat uxorem.*) Quæ non vult parere, ut dicemus ad *Satyr.* VI.

23. *Figat aprum.*) Figere, configere, & confodere est. *Virgil.* VI. *Æneid.*

Fixe-

Patricios omneis opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat:
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ:
Difficile est Satyram non scribere. nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se?
Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis

Plena

Fixerit æripedem cervam. ----
Propert. eleg. XIX. lib. II.
---- *Et stricto figere avem calamo.*

VETUS SCHOL.

26. *Canopi.*) Canopus oppidum Ægypti, dictum a gubernatore Menalio, qui ibidem morsu serpentis exstinctus est.

27. *Crispinus.*) Niliacus unus de Consulibus Liciniæ, ac de plebe Ægypti fuit, magnarum postea Romæ facultatum.

28. *Ventilet æstivum.*) Per luxuriam enim anulos æstivos & hiemales invenit.

32. *Mathonis.*) Advocati, qui sceleribus dives effectus est. *& lectica*, genus vehiculi, quo nobiles vehebantur: *plena* autem *ipso*, quia crassus fuit.

GRANGÆUS.

24. *Provocat opibus omnes.*) Sic *Horat. Serm.* I. *sat.* IV.
---- *Ecce*
Crispinus minimo me provocat. ----
Quod inter proverbia recensuit *Erasmus Chiliad.* III. *Centuria* VI. *proverb.* 45.

24. *Unus.*) Cinamus tonsor: de quo *Martialis Epigr.* LXIII. lib. VII.
Qui tonsor fueras. &c.

25. *Gravis barba.*) Hic versus repetitur *Satyr.* V. 226. *Gravis* autem heic est fastidiosa, eo quod imberbes magno in pretio Romæ, ut dicam ad *Satyr.* VI.

25. *Sonabat.*) Videtur alludere ad τρίχες Græcorum παρὰ τὸ τρίζειν dictos, quod inter condendum stridorem quendam edant. *Adrianus Junius* lib. de Coma.

26. *Cum pars Niliacæ plebis.*) *Ptolomeus Flavius Conjectan. cap.* XXX. corrigit *fæx*; quod Poeta dixerit *Satyr.* III.

---- *quota portio fæcis Achææ.*

27. *Crispinus.*) Domitiano Imperatori gratus: de quo iterum *Satyr.* IV.

28. *Ventilet æstivum aurum.*) Hoc est, ut explicat *Martialis* lib. V. Epigr. LXIII.
Per cujus digitos currit levis annulus omneis.
Nam *æstivum aurum* nihil est aliud, quam levis annulus. Duo enim genera annulorum delicatioribus Romanis, hyberni, majoris ponderis; & æstivi, levioris, ut erudite *Turnebus* lib. XX. *Adversar.* cap. II. Ad quod refert etiam illud VII.
Semestri vatum digitos circumligat auro.
ut per *aurum semestre* intelligat annulum hybernum, vel æstivum: licet aliter *Lipsius* intelligat libris *de militia Rom.* ut docebimus suo loco.

29. *Majoris pondera gemmæ.*) Ad gemmarum pondus pulcre alludit *Martial.* Epigr. XII. lib. V.

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masthlion superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis,
Septem quod pueros levat, vel octo:
Res non difficilis mihi videtur,
Uno cum digito, vel hoc vel illo
Portet Stella meus decem puellas.

30. *Difficile est Satyram non scribere.*) Quamvis L. XII. *Tabul.* pœna capitis sequatur eos, qui malo carmine bonam alicujus famam sugillassent. *Cic.* IV. *de Republ.* apud *D. August.* de *Civit. Dei*, cap. XII. *Probris & injuriis poetarum subjectam vitam famamque habere noluerunt; capite etiam puniri sancientes, sale carmen condere si quis auderet.*

30. *Satyram non scribere.*) *Sidon. Apollin.* Epist. XII. lib. I.
Scribere me Satyram qui culpat, maxime princeps,
Hanc rogo decernas, aut probet aut timeat.

31. *Quis tam ferreus.*) Cic. VII. Verrina. *Quis tam durus,*

Plena ipso; post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa,
Quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat
Carus, & a trepido Thymele summissa Latino:
Cum te summoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima summi

Nunc

rus, & tam ferreus. Et in Lælio: *Quis tam ferreus, qui eam vitam tolerare posset?* Hinc *Homero* σιδήρεον ἦτορ.

31. *Ut teneat se.*) Abstineat a scribendis Satyris.

32. *Nova lectica.*) Cum sale & *nova*, ut qui antea pedes ambularet.

32. *Caussidici Mathonis.*) De quo sic jocatur *Martialis* IV. 81.

Declamas in febre Mathon: hanc esse phrenesin
Si nescis, non es sanus, amice Mathon.

Ramires ad illud *Martial.* putat fictitium nomen ἀπὸ τῆς ματίας. i. a vanitate.

V e t u s S c h o l.

33. *Magni delator amici.*) *Heliodorum* dicit Stoicum philosophum, qui Licinium Silanum discipulum suum, cum argueretur conjurationis, inficiantem, præter domesticam delationem, etiam testimonio oppressit. Alii philosophum *Egnatium Celerem*, Bareæ Sorani Magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit & damnavit, & ipse postea sub Vespasiano, hoc, ipsum Musonio Ruso accusante, damnatus est. Nonnulli *Demetrium* * caussidicum dicunt, qui multos Neroni detulit.

34. *Et cito rapturus.*) DelationeSiciliæ maximam partem proscripserunt: Ex quorum bonis multa deripuerunt. Namque hoc, quod *rapturum* dicit, ad crudelitatem refert. Et a Sylla multi occisi sunt & proscripti.

35. *Quem Massa timet.*) *Massa* morio fuisse dicitur; *Carus* mimus: *Latinus* vero, actor mimicus. Hi omnes Neronis fuerunt liberti, & deliciæ Augustis: sed & nequissimi delatores. *Latinus* tamen mimus, quasi conscius adulterii Messalinæ uxoris Neronis ab ipso occisus est. *Massa* autem & *Carus* Heliodoro deferente occisi sunt: cujus futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent. Nam *Latinus* mimus Thymelem mimam summittebat ad mitigandum.

G r a n g æ u s.

33. *Plena ipso.*) Mathonem, ut magnopere obesum sugillat. *Brodæus Miscellan.* VIII. *cap.* VI.

33. *Magni delator amici.*) Vetus *Scholiastes* intelligit Heliodorum Philosophum, qui detulit Licinium Syllanum; vel philosophum Egnatium, qui Barream accusavit; vel Demetrium caussidicum. *Britannicus* M. Regulum, verius, quam *Vetus Scholiastes*, qui putat per hæc verba, *magni delator amici*, intelligere *Juvenalem* aliquem ex amicis suis detulisse; cum hic *delator magni amici*, signet, delator Imperatoris, hoc est, qui deferat alios ad Imperatorem. Imperator enim heic κατ' ἐξοχὴν *magnus amicus* dicitur, ut *Satyr.* IV.

—— magnæ miseræque sedebat
Pallor amicitiæ.

35. *Quem massa timet.*) Hic est Bebius Massa inferioris notæ delator, Neronis libertus, de quo *Sidonius* apposite epist. VII. lib. V. *Hi sunt, quos timent, etiam qui timentur.* Et paulo post, *Hi sunt, quorum comparationi digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, & Pallas.*

35. *Quem.*) Amici magni delatorem Regulum, quibus ait *Plinius Junior* I. epist. *Curatur a multis, timetur a pluribus.*

36. *Carus*) Meminit Cari *Sidonius*, sed dubitatur, num sit mimus & libertus nequissimus Neronis, ut asserere videtur *Vetus Interpres*, an nobilis delator ejusdem nominis, *Plinii epist.* XXVII. *lib.* VII. qui Plinium apud Domitianum detulit, ita ut ejus caput ageretur, si imperator diutius vixisset.

36. *Thymele.*) Non vera Thymele, sed aliqua ex matronis Romanis, cujus personam sustinuerat in scena Thymele, cum submitteretur adultero, cujus partes agebat Latinus mimus. Dicit igitur ejusmodi matronam munere palpare solitam hunc Regulum delatorem, ne ipsam ut adulteram ad Imperatorem deferret. Quem locum fusius interpretaturi sumus ad illud VI.

Quem toties texit perituri cista Latini.

37. *Cum te summoveant.*) De hæreditate justa, tanquam de via; proprie enim, *summovere*, verbum lictorum. *Livius* lib. III. I. *Lictor summove turbam, da viam domino ad prehendendum hunc.* Hinc ejusmodi *lictores* dicuntur Sidonio *Summoventes*; Senecæ *Subductores.*

37. *Merentur noctibus.*) *Noctis* pro coitu Latinis non rara acceptio. Hinc *promittere noctem, negare, pacisci*, & similia apud *Petronium*, & *Ovidium.*

38. *Evehit in cœlum.*) Ad summum humanæ felicitatis gradum. Solita locutio Latinis, ut *Horatio* I. Epist. epist. 10.

—— Simul ista reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo.

43. *Palleat.*

Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ?
Unciolam Proculejus habet, sed Gillo deuncem:
Parteis quisque suas ad mensuram inguinis heres
Accipiat sane mercedem sanguinis, & sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.
Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premit hic spoliator

Pupilli

VETUS SCHOL.

43. *Palleat.*) Nimia coitus libidine fatigatus, aut exspectatione hereditatis, aut pretii adulterii.

GRANGÆUS.

39. *Via summi processus.*) Tunc temporis rem habere cum vetula tutissima & brevissima ad divitias via erat, quod passim innuit Martialis. Porro *processus*, ut apud *Ovid.* IV. de trist.

Hæc tua processus habeat fortuna perennes.

39. *Vesica.*) Illa pars, quæ honeste dici non potest, *vesica* dicitur *Juvenali*, ut & *Satyr.* VI.

Tuvia vesicæ non imperat. —

Similiter, *urina*, pro semine genitali apud eundem *Satyr.* XI.

Auribus atque oculis concepta urina movetur.

39. *Vetulæ beatæ.*) Locupletis. *Varro* IV. de ling. Lat. *Beatus, qui multa bona possidet.* Isidorus, *Beatus, quasi bene auctus.* Contra JC[ti]. *de verb. signif. L. bonorum. bona a beando* dicta volunt.

40. *Unciolam Proculejus habet.*) Interdum enim, ut notat *Brissonius lib.* VII. *de formulis*, hæredes ex asse; interdum ex partibus fiebant, utpote uncia, dodrante, besse, & similibus; ita heic non minus jocose, quam Satyrice quisque ad mensuram inguinis hæreditatis consequitur portionem.

42. *Sanguinis mercedem.*) Seminis, quod ex sanguinis quarta digestione gignitur. *Avicenna cap.* 3. *de caussis spermatis.* Hinc, nati, Latinis *sanguis* dicuntur, sic *Virgil.* VI. Æneid.

Projice tela manu sanguis meus. —

Nec Galli abhorrent ab hoc dicendi genere, qui dicunt: *c'est ton sang.*

43. *Palleat.*) *Avicenna lib.* III. *de Animalibus. cap. ult.* asserit homines ex coitu adeo debilitari, decolorari, ut si quadragies tantum sanguinis emitterent, non tantum pallescerent, atque tabescerent; quod fit propter exhaustum sanguinem, qui vitam, & colorem nobis suppeditat, ut docet *Aristoteles.*

43. *Qui pressit nudis calcibus anguem.*) *Virgilii* imitatio. sic enim secundo Æneidos:

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens. —

Unde colligitur error *Servii*, qui *angues* aquarum, *serpentes* terrarum, *dracones* templorum facit.

44. *Rhetor dicturus.*) Ex instituto Caligulæ, ut docet *Suetion. in ejus vita cap.* 20. Nam victi scripta sua spongia, linguave delere jubebantur, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent.

44. *Ad aram Lugdunensem.*) Erat enim Lugduni ara Augusto Cæsari sacra ad confluentem Araris, & Rhodani, *Dio lib.* LIV. Et *Epitome Livii* CXXXVII. quæ primum dedicata fuit Julo Antonio, & Fabio Africano Coss. eo ipso die, quo Claudius Imperator natus est, *Sueton.* in *Claudio, cap.* II.

45. *Quid Referam.*) Ovid.

Nam quid de tritico referam domitore Chimeræ.

Propert.

Nam quid Medeæ referam &c.

45. *Siccum jecur.*) *Horat. Epod. Ode* V. aridum vocat jecur:

Exsecta uti medulla, & aridum jecur
Amoris esset poculum.

45. *Quanta ardeat ira.*) Idem *Horatius Satyr.* IX. *lib.* I.

— *meum jecur urere bilis.*

Et ode XIII. lib. I.

Fervens difficili bile tumet jecur.

quod dictum Poetarum potius, quam Philosophorum sententia, qui in jecore sedem libidinis, non iracundiæ statuunt, ut jam pridem notavit *Lambinus ad Horat.*

46. *Spoliator pupilli.*) Tutor, qui pupillum omnibus exuerat bonis: Translatum a bello, ut docet *Servius*, in quo victis tolluntur exuviæ. Virgil. VI. Æneid.

Postquam illum vita victor spoliavit Achilles.

46. *Gregibus comitum.*) Propert.

Custodum gregibus circum se stipat euntem.

Martialis,

quem grex togatus sequitur.

Terent. dixit, *ancillarum greges.* Et Ovid. *Comitum agmina.*

47. Inani

Pupilli prostantis? & hic damnatus inani
Judicio (QUID enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, & fruitur DIS
Iratis: at tu victrix provincia ploras.
Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? sed quid magis Heracleas,
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,

Et

VETUS SCHOL.

47. *Inani Judicio.*) Non ademptis bonis. * decius dicitur; sine litium æstimatione. Legis æstimatio illi non profuit. subauditur nota.

49. *Ab octava.*) Quid judicio vacabant, decima hora cœnabant. Hic enim ab octava.

51. *Venusina digna lucerna.*) Lucernam dicit, quia Satyrici ad omnium vitia, quasi lucernam admovent, & ut adurant, & ut ostendant crimina. *Venusinam* autem ideo, quia hæc fuit civitas Horatii. Sive * a *Venusio*, ubi laternæ leves fuerunt, quæ vilissimi venibant.

52. *Non agitem.*) Non persequar. ut Virgilius:

— Pallantes Troas agebat.

53. *Heracleas.*) Aut columnas in Hispaniis, aut Atlantem.

GRANGÆUS.

47. *Prostantis.*) Turpitudine corporis quæstum faciens. Prosto enim proprie *venalis exponor*, hinc *prostibulum*, & *prostibulæ* mulieres.

47. *Inani judicio.*) Inane judicium est, quod nil adfert commoditatis victori.

48. *Quid enim salvis infamia nummis?*) Lucius Pomponius:

Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen qui impleam.

Apulejus *Apolog. II. *Patet ejus plurimis creditoribus defœneratus maluit retinere pecuniam, quam pudorem.* Plaut. Persa act. III. sc. I.

Verum videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.
PA. *Tace stulta. non tu nunc hominum mores vides,*
Quojusmodi hic cum fama facile nubitur;
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.

49. *Exsul.*) Ad exilium, non ad restitutionem damnatus.

49. *Hic Marius.*) Est Marius Priscus accusatus ab Africanis, de quo *Plin. Nepos* in *Epist.*

49. *Bibit & fruitur.*) Sic interpungo. Nam heic *frui* non ἀπολαύειν, sed ἐσθίειν significat, ut docet *Donat.* ad *Terent. Eunuchum* act. IV. sc. VII. *Frui autem est vesci, a frumine, quæ est summa pars gulæ; a qua re etiam his, quæ nec cibo, nec poculo sunt, frui dicimur κατα-χρηστικῶς, utpote rebus Veneris, & delectatione odoris, visus, auditus, & ceteris.* Sic *Adelph.* act. V. sc. VIII. Et *Phorm.* act. II. sc. II.

49. *DIs iratis.*) Non sine Deorum indignatione. Formulæ autem sunt solemnes *Diis iratis, Diis propitiis.* De quibus *Brissonius* I. de *Formulis.*

50. *Victrix Provincia.*) Africa, in qua Marius proconsulatum gesserat. *Plinius* tamen non a tota Provincia, sed ab una tantum civitate Marium Priscum reum peractum affirmat. *Victrix* autem *provincia*, allusio est ad nomen provinciæ, quæ ex *Festo* a provincendo dicta est.

50. *Victrix.*) Verbum forense, & Victores dicebantur, qui caussam obtinuerant. Hinc & vincere judicio, & vincere caussam dicitur *Ciceroni* frequentius. Sic *Horat.* Serm. II. Satyr. I.

— Fabio vel judice vincam.

50. *Ploras.*) Tibi enim fuit victoria Cadmea, in qua jocatur victus, plorat victor.

51. *Venusina digna lucerna.*) In qua Venusinus Poeta i. *Horatius* Satyrographus scribat, ad lucernam vigilans, vel quæ flammis adurantur Horatii. Hinc Ennius appellat Satyrarum versus *flammeos.* Et Apollinaris lib. VIII. Epist. XI.

Nunc flammant Satyræ & tyrannicarum
Declamatio controversiarum.

52. *Sed quid magis Heracleas.*) Scribere; supple, conveniret. Noster enim Cornuto Persii magistro similia


Non stlopo tumidas intendit rumpere buccas:
Sed *— pallentes radere mores*
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

Per *Herculeas* autem, aut *Diomedeas* intellige historiam Herculis, aut Diomedis. *Turneb.* cap. XXIV. lib. XXVIII. *Advers.*

53. *Mugitum labyrinthi.*) Minotauri in labyrintho inclusi.

53. *Labyrinthi.*) Cretensis, quem exstruxit Dædalus, ut docet *Hyginus* fabula XL. Et *Apollodorus* Bibliothecæs III. sub finem. fuerunt enim & alii labyrinthi præter Cretensem, ut Ægyptius, Lemnius, Italicus, de quibus *Plin. histor. natur.* lib. XXXVI. cap. XIII.

54. Mare


ΓΝΩ
Ω



Et mare percussum puero, fabrumque volantem:
Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso:
Cum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus, & caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato
Flaminiam: puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ.

Nonne

VET. SCHOL.

55. *Sit capiendi Jus nullum uxori.*) Si uxor ejus jure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant.

58. *Curam cohortis.*) Militum tribunatum.

59. *Præsepibus.*) Propter equos hoc dixit, & Neronem tangit.

62. *Lacernatæ.*) Satyrice; habitu virili feminam describit.

GRANGÆ.

54. *Mare percussum puero.*) i. Icaro: cujus fabulam tangit *Hyginus* fab. XL. Poetis autem *puer* absolute dicitur, ut Martialis

Cum puer audaci cœpit gaudere volatu.

54. *Fabrum.*) Dædalum, qui fabricam a Minerva dicitur accepisse *Hygin.* fab. XXXIX.

54. *Volantem.*) E Creta insula Cumas; quamvis alii dicant Theseum, cum Minotaurum occidisset, Dædalum Athenas in patriam suam reduxisse. Idem *Hygin.* fab. XL.

55. *Cum leno.*) Qui *Festo* ab alliciendo dictus. *Isidoro*, a deleniendo.

55. *Si capiendi jus nullum uxori.*) Probrosæ. Ex edicto Flavii Domitiani, qui, ut notat *Tranquillus* in ejus vita cap. VIII. *probrosis feminis lecticæ usum ademit: jusque capiendi legata, hæreditatesque.*

56. *Doctus spectare lacunar.*) Integram historiam habes apud *Erasmum*, proverbio: *Non omnibus dormio.* Et *Festum* eodem, & *Alciatum Pareg. Juris* lib. IV. cap. XXVI. qui ejusmodi homines *pararinchos*, *mothones*, & Italis *hircos* dictos asserit.

57. *Vigilanti stertere naso.*) Vide *Beroaldum* ad *Milesiarum* V. Sic *Ovid.* Eleg. V. lib. Amorum:

Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
Sobrius apposito crimina vestra mero.

58. *Curam sperare cohortis.*) Hoc est, ut vetus Scholiastes interpretatur, Tribunatum militum, hoc est, præfecturam. Tribunatus scilicet laxa significatione, ut vidit *Justus Lips.* II. de *militia Rom.* Nam sunt alii Tribuni Legionum, alii Cohortium. *Cæsar* II. de bello civili: *Consensisse Gaditanos cum Tribunis cohortium.* & *Plin. Junior* epist. IX. lib III. *Tribus cohortis sub Classico fuerat.* *Cohors* autem sive *Chors*, Græcanica vox est, quæque proprie signat septum in anteriore domo, qua in significatione retinuerunt Galli, Hispani, Itali. At translate ad militiam, quod, ut ait *Varro*, IV. de ling. Lat. *Ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, & quiddam fit unum, sic hæc ex manipulis copulatur cohors.* De qua *Lips.* lib. II. de *Militia Rom.* dialogo IV.

59. *Qui bona donavit præsepibus.*) Qui alendis equis bona insumpsit. *Scaliger* in *Arte poetica* inter alios locos hunc notat, quo acute depingit sumptus inanes.

59. *Et caret omni majorum censu.*) Non quod nullum censum a majoribus habuerit, sed quod omnem alendis equis substantiam decoxerit. Putant autem, ut *Britannicus*, Cornelium Fuscum heic a *Juvenale* designatum. At *Mancinellus* existimat intelligi de Tigillino. Quidquid sit intelligit hunc, quem *Damasippum* vocat Satyr. VIII.

60. *Volat axe citato.*) Volatum currui attribuunt Poetæ. Virgil. III. Georg.

---- Volat vi fervidus axis.

Et *volantes* dicti currus. idem eodem:

Et Jovis in luco currus agitare volantes.

Hinc auctor *Thebaidos* Act. IV. sc. I.

---- Vidit equitatu levi
Cadmea frangi prata, & excelsos rotis
Volitare proceres. —

61. *Automedon.*) Hic pro auriga ponitur, eo quod:

Curribus Automedon lentis erat aptus habenis.

Qua in signifiatione usus est *Ovid.* I. de Arte:

Tiphys, & Automedon dicar amoris ego.

Et Ausonius:

Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio: cum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra,
Et multum referens de Mæcenate supino
Signator falso, qui se lautum, atque beatum
Exiguis tabulis, & gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam,
Instituitque rudes melior Locusta propinquas

Per

Jam vates, & non flagrifer Automedon.
Volunt autem id intelligi de Nerone, qui se Sporo, quem *lacernatam amicam* vocat, jactaret.

62. *Jactaret amicæ.*) Imitatio *Persii* satyr. IV.

Ante diem blando cum se jactare popello

Translatum a pavonibus, qui picta pandunt spectacula cauda. *Casaubonus* ad *Persium*.

VET. SCHOL.

64. *Sexta cervice.*) Lectica, faciente luxuria, a sex hominibus portabatur.

68. *Gemma fecerat uda.*) Saliva tacta, propter signaculi impressionem.

71. *Locusta.*) Locustam ex Galliis matronam veneficam Nero exhibuit ad se, propter venena conficienda, quoniam magnæ famæ erat; & in familiaritate habuit, ut etiam cum doceret venena miscere. Inde ait *Turnus* in Satyra:

* *Ex qua Cæsareas soboles horrida Locusta*
Occidit cura sui verna nota Neronis.

Hæc increpitata a Nerone, quod lentum venenum Britannico privigno suo parasset, tam efficax dedit, ut antequam poculum Britannicus exhauriret, in convivio Neronis exspiraret. *Propinquas* autem dicit, tanquam a Locusta doctas: vel, ut quidam, uxores.

GRANG.

63. *Nonne libet.*) Mihi, & reliquis ob tanta vitia.

63. *Ceras capaces.*) Pugillares cera linitas. De iis tabulis cereis *Plaut.* Curcul. Bacch. & Pseud. *Sueton.* in Cæsare, & Nerone. Hinc *Titinnius* apud *Charis.* lib. I. *Velim ego arare campum cereum.*

63. *Implere.*) Versu nigro & mordaci.

64. *Medio quadrivio.*) Palam, sine ullo timore edicti Domitiani, quo scripta famosa abolevit.

64. *Sexta cervice feratur.*) Succolletur hexaphoro, ut ait *Sueton.* in Claudio.

65. *Nuda pæne cathedra.*) *Sella* & *cathedra* confunduntur ut plurimum: quamvis, ut notat. *Just. Lips.* in *Electis*, *Cathedra* sit proprie mulierum; *Sella* virorum.

67. *Signator falso.*) Sic interpungendum, non ut alii: *Signator, falso* &c. ut docte *Turneb.* 28, 24. Adversar.

67. *Qui se lautum.*) *Cic.* Epist. ad fam. VII. *Valde jam lautus es, qui gravere* &c.

68. *Gemma uda.*) Annulo signatorio saliva humente, ne compressam ceram ad se trahat, ut ait *Frodæus* lib. VII. Miscell. cap. VI. id mire expressit *Ovid.* II. Amorum eleg. XV.

Idem ego, ut arcanas possem signare tabellas,
Neve tenax ceram siccaque gemma trahat,
Humida formosæ tangam prius ora puellæ.
Tantum ne signem scripta dolenda mihi!

Idem lib. V. Trist. eleg. IV.

Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
Ante, sed ad madidas gemma relata genas.

Eo crimine falsi se immunem docet Ipsemet lib. II. de Ponto:

Non mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem ceris imposuisse notam.

Gemma autem a κόμμι, quod est (utar verbis eruditiss. *Federici Morelli*, ad sylvas Statii:) ἐξηρασμένον ὀπῶδες δάκρυον, a cognatione cum lacruma laticis arboris, quæ exaruit.

69. *Molle Calenum.*) i. Mite vetustate. *Horat.* ode VII. lib. I. carm.

Hic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance mero. —

Theophrastus, & *Athenæus* μαλακὸν οἶνον dixerunt. Cujus contrarium est σκληρὸν apud eosdem, quod *Terent.* appellat *durum*. *Turneb.* cap. VIII. lib. XII. & lib. XXVIII. cap. XXIV. *Adversar.*

70. *Porrectura.*) Præbitura, a *porro*, & *ago*, porrigere.

Per famam & populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis esse aliquis: PROBITAS laudatur, & alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas,
Argentum vetus, & stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ,
Quem sponsæ turpes, & prætextatus adulter?

Si

rigere. Festus in *exporgere.*

70. *Rubetam.*) Venenum e rubetis compositum, de quo dixi ad illud VI. satyræ:

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.

71. *Locusta.*) Venefica sub Nerone famosissima. De qua *Sueton.*

71. *Melior.*) Peritior. Sic Horat. *Eques melior Bellerophonte.* Virg. Æneid. V.

Qui jaculo incedet melior levibusve sagittis.

71. *Instituit.*) tanquam in Schola. Unde *Sueton.* in *Nerone* cap. XXXIII. sub finem: *Locustæ pro navata opera, impunitatem prædiaque ampla, sed & discipulos dedit.*

71. *Rudes.*) *Melior*, & *rudes* antitheta. *Rudes* enim ii sunt, qui nondum usu, & doctrina politi.

71. *Instituit efferre.*) Virgiliana locutio:

Prima Ceres ferro mortales vertere terras
Instituit. —

Instituit autem proprie pædagogus, docet magister, educit obstetrix, educat nutrix. *Varro.*

VET. SCHOL.

76. *Extra pocula caprum.*) Dicit emblematum opus. Caper hic præcipue ab omnibus prædicatur: quem etiam *Martialis* carmine suo laudavit:

Stat caper in phiala, Thebani vellere Phrixi
Cultus, ab hoc malles vecta fuisse soror.

GRANGÆUS.

72. *Nigros*) veneno.

72. *Per famam & populum.*) i. Per populi famam, ut Virgil. *Molem & montes*, hoc est, molem montium.

73. *Brevibus Gyaris.*) Exprimit illud VI.

Præcipuus tamen est horum qui sæpius exsul.

Quid autem *Gyaræ* vid illud X.

Ut Gyaræ clausus scopulis. —

73. *Aude aliquid.*) Aggredere. *Audeo* enim est, quasi ad aliquid *avide eo.*

74. *Si vis esse aliquis.*) Ex *Persio* satyr. I.

Sese aliquem credens. —

Sic nos, *il pense être quelqu'un.*

74. *Probitas laudatur, & alget.*) Joannes Salesberiensis Policraticon III. cap. IX. *Quis Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, continentiam Socratis, Fabritii fidem, innocentiam Numæ, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis parcitatem, Titi pietatem imitatur? quis non cum admiratione veneratur? probitas siquidem laudatur & alget.* Quid autem *algere* significet videndus *Festus* in *Algeo:* & *Nonius* in *Algu.*

75. *Criminibus debent hortos.*) Sic hic locum explicat *Philippus Beroald.* lib. *Annotationum*, annotatione XXX. Non hoc significat, quod vulgo dici solet; sed hoc, homines, qui per virtutem divites efficiuntur, debent eas divitias Virtuti: Qui vero per flagitia, & crimina fiunt opulenti, illi criminibus debent illas opulentias. *Juvenalis* igitur significare volens Virtutem Romæ fuisse contemptibilem; per scelera vero divitias parari, adeo ut mali ditiores essent bonis, ait: *Criminibus debent hortos*, hoc est, ii, qui habent hortos excultos, magnifica prætoria, mensas citreas, & id genus bona luculenta, debent criminibus: quia sunt illa per fraudes, & crimina assecuti. Qui, *criminibus* exponunt pro hominibus criminosis, elegantiam elocutionis non ad amussim pensitarunt. Talis est locutio apud *Lucanum*, apud quem ita ait in V. Cæsar:

— *Non ultra cuncta Carinæ*
Debebis. —

Et alibi a *Juvenale* dictum: — *Præter honores*
Quos illis damus, ac dedimus, quibus omnia debes.

Translatio est sumpta a debitore, qui debet creditori pecuniam, quam ab illo mutuam accepit.

76. *Stantem caprum.*) An pedibus erectis, ut solent pascere capræ: an stantem i. eminentem? ut apud *Ovid.* III. Metam.

Forte fuit juxta signis exstantibus asper
Antiquus crater. —

Si natura negat, facit indignatio versum:
Qualemcunque potest: qualeis ego, vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Navigio montem ascendit, sorteisque poposcit,
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas:
Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et quando uberior vitiorum copia? quando

Major

VET. SCHOL.

82. *Sortesque poposcit,*) a Themide, quæ ante Apollinem responsa dabat.

83. *Paullatimque anima caluerunt mollia saxa.*) Anima, id est spiritus. Et *mollia saxa*, ut Virgilius, *Inde homines nati; durum genus.* Et quod addit, *Et maribus*, per consensum ostendit esse durissimum.

GRANGÆ.

79. *Si natura negat.*) Salesbeliensis de Curialium nugis, lib. III. cap. XIII. *Disposueram silere de mollibus, qui sicut ignominiosi, ita sunt & videntur innominabiles. Silentium indicit reverentia morum, & verecundus animus natura dictante illorum declinat aspectum. quid multa? si natura negat, facit indignatio versum.*

80. *Quales ego vel Cluvienus.*) Mos est Poetarum Satyrogr. in medio discursu semper obliquo aliquem dissecare ictu, & ore in latus distorto allectare, ut sæpe noster, & Horat.

Jam satis est, ne me Crispini scrinia Lupi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

81. *Ex quo Deucalion.*) Ante Deucalionis diluvium homines inculpatos fuisse asserere videtur. Attamen *Propert.* clare dissentit eleg. XXXII. lib. II.

Et cum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

81. *Ex quo.*) Id sapit Virgilianum, sic enim ille:

— *Quo tempore primum*
Deucalion &c.

Sic *Horat.* ode III. Carm. lib. III.

Ex quo destituit Deos
Mercede pacta. —

81. *Deucalion.*) Thessaliæ Rex; de cujus diluvio *Plato* in *Critia.* *Hyginus* lib. II. *Ovid.* II. Metam. fab. VII.

82. *Montem ascendit.*) Parnassum: sic enim *Ovid.* loco supradicto:

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Heic ubi Deucalion, (nam cetera texerat æquor)
Cum consorte thori parva rate vectus adhæsit.

82. *Sortesque poposcit.*) *Fatidicam Themin, quæ tunc oracla tenebat* Iis enim placuit:

— *Cæleste precari*
Numen & auxilium per sacras quærere sortes.

Poposcit autem sortes, ut *Horatio* Poscere Deos, Poscere Apollinem, & similia.

83. *Paulatimque anima.*) Vere, & Philosophice:

Quippe ubi temperiem sumpsere humorque calorque
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

83. *Mollia Saxa*) Exprimit illud Sulmonensis Poetæ:

Saxa (quis hoc credat) nisi sit pro teste Vetustas?
Ponere duritiem cœpere, suumque rigorem,
Mollirique mora, mollitaque ducere formam.

84. *Et maribus nudas.*) Idem:

Inque brevi spatio, Superorum numine, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virorum,
Et de fœmineo reparata est fœmina jactu.

85. *Quidquid agunt homines.*) Argumentum satyrarum, vitia, & passiones hominum: de quibus fuse *Macrob.* lib. I. in *Somnium Scip.* cap. VIII. & *Cic.* IV. *Tuscul.*

86. *Farrago libelli.*) Proprie Farrago, est non hominum, sed quadrupedum pabulum, e genere tritici; ut in leguminibus vitia, in *Glossis* exponitur χόρτος. Vide quæ *Casaubonus* super hoc disserit ad illud satyr. V. Persii:

— *In tenui farragine mendax.*

87. *Quando uberior vitiorum copia.*) Seneca in Octavia:

Collecta vitia post tot ætates diu
In nos redundant, seculo premimur gravi.

92. *Armi-*

Major avaritiæ patuit sinus? alea quando
Hos animos? neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.
Prælia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! simplexne furor sestertia centum
Perdere, & horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto cœnavit avus? nunc sportula primo

Limine

VET. SCHOL.

92. *Armigero.*) Metaphora a bellantibus. Id est, qui arma præbet, tesseras & tabulas, & ipse, qui nummos sub pignore portat, vel qui subministrat pecuniam.

95. *Secreto.*) Non in publico convivio, sed privato. Moris autem erat apud Antiquos, ne quis adderet possessionibus suis, aut ex illis minueret.

GRANGÆ.

88. *Major avaritiæ patuit Sinus.*) Sinus idem est ac crumena, quæ veteribus e collo pendebat, deinde in sinum demittebatur: unde frequens mentio *sinus*, pro *crumena*, Senecæ, Apulejo, & reliquis auctoribus. Sicque intelligendus ille locus Propertii:

Semper amatorum ponderat illa sinus.

89. *Neque enim loculis.*) Tunc temporis eo alea venit, ut non solum pecuniarum summa, quæ in loculis contineri potest, deperderetur; sed quidquid est in arca, consumeretur.

90. *Ad casum tabulæ.*) i. Ad casum tali ex fritillo in tabulam decidentis.

90. *Arca.*) Pecuniæ receptaculum. Horat.

— *Nummos contemplor in arca.*

Martialis:

— *Nummos habet arca Minervæ.*

Ab *arcendo* dicta, i. continendo; quod plurimos nummos contineat. *Festus* in *Arca.*

91. *Prælia quanta illic.*) i. Quantas nummorum summas ludere videbis. Ludus enim aleæ quodammodo præliis comparatur: hinc jocus Romanorum in Cæsarem Augustum aleatorum permaximum:

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.

Sueton. in Augusto, cap. LXX.

91. *Dispensatore armigero.*) i. Cum servus, qui talos fert, sit domus dispensator, penes quem sunt totius familiæ nummi: nam *tali* arma dicuntur, etiam nostro, ut satyr. XIV.

— *Parvoque eadem movet arma fritillo.*

frustra ergo alii intrepretes, nescio quos scutigeros servos sibi somniant.

92. *Simplexne furor.*) Invehit in ejusmodi lusores qui cum centum sestertia, aut aliam quantumvis summam alea decoxerint, vix servos frigore & fame algentes vestiant. Ubi τῷ *reddere* usus est, quod herus servum vestire tenetur. Hinc illud satyr. XI.

Quid dicam scapulis servorum Aquilone Decembri?

Apage igitur ipsos interpretes, qui mutuam tunicam servorum sumpsisse dominos, nec reddidisse interpretantur.

94. *Quis totidem erexit villas.*) De amplitudine, multitudine, magnitudine, & magnificentia villarum apud Romanos *Justus Lips.* lib. III. de *magnitud. Rom.* cap. XIV.

94. *Quis fercula septem.*) *Servius* ad primum Æneid. antiquos tantum duobus ferculis epulari solitos fuisse testatur. *Ferculum* autem, ut notat *Fulgentius* de *prisco Serm.* est missus carnium. Porro *cœnare fercula* dixit eo modo, quo *Horatius* dixerat *cœnare patinas.*

95. *Secreto.*) Veteribus luxuriosiores cœnæ secreto parabantur. *Sueton.* in Augusto. *Cœna quoque ejus secretior.* Virgil. I. Æneid.

At domus interior regali splendida luxu.

Non tamen notat sui temporis luxuriam eo nomine, quod septem fercula secreto cœnarent; id enim, si ejus temporis mores respicias, esset sobrium, & legimus apud alios eorum insanam convivandi luxuriam, quæ *Juvenali* non incognita. Sed acutum est argumentum, a minori, ut ajunt. Avi nostri, inquit, quando secreto cœnabant, ne luxuriosi audirent, nunquam ita splendidi fuerunt, ut septem cœnarent fercula: at vos, non secreto, sed palam innumera cœnatis.

100. *Troju-*

Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inſpicit, & trepidat, ne
Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.
Agnitus accipies, jubet a præcone vocari
Ipſos Trojugenas. Nam vexant limen & ipſi
Nobiſcum. da Prætori, da deinde Tribuno.
Sed libertinus prior eſt: prior, inquit, ego adſum.
Cur timeam? dubitemve locum defendere: quamvis
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem? ſed quinque tabernæ
Quadringenta parant. Quid confert purpura major

Optan-

VET. SCHOL.

100. *Trojugenas.*) Patricios majorum gentium.

104. *Natus ad Euphratem.*) Meſopotameni homines eſt ræuatæ libidinis ſunt in utroque ſexu, ut *Salluſtius* meminit.

104. *Molles quod in aure feneſtræ.*) Arguit homines, qui cum, propter libidinem, libertatem meruiſſent, & in libertinorum corpus & tribus relati eſſent, pertuſis auribus ſigna libertinorum celare non poterant.

106. *Quadringenta.*) Qui erat cenſus antea Equitum Romanorum.

106. *Purpura major.*) * Laticlavium.

GRANG.

96. *Parva ſportula.*) Miſelli centum quadrantes, ut Ille, & *Martialis* dicunt.

96. *Sedet.nunc.*) Cum antea cœna recta ſalutantibus daretur.

96. *Limine*) veſtibuli Regum & beatiorum.

96. *Rapienda.*) Quaſi a famelicis: vis enim eſt in verbo τῷ *rapienda.*

96. *Turbæ togatæ.*) Martialis:

Quid tam grande Sophos! clamat tibi turba togata?

Propertius:

Transeat ante meos turba togata pedes.

Laberius in Ephebo: *Stirpem togatam* dixit. *Auguſtus* apud *Sueton.* & poſt eum Virgil. *Gentem togatam.*

98. *Ille tamen.*) Non obviam unicuique ſportulæ offerebantur, ſed tantum clientibus, & Regum affeclis, ſive beatiorum comitibus: unde ne in diſtributione ſportularum aliquis error interveniret, conſtituebatur unus e ſervis, qui unum quem que in faciem inſpiceret; quod ægre ferendum, potiſſimum Prætoribus, & Tribunis, quos cum infima plebe ad has ſportulas accurriſſe dicit.

100. *Trojugenas.*) Quos *Teucrorum prolem* dixit *ſatyr.* VIII. A *Perſio* Troades appellari: Primæ Romanorum familiæ ſcilicet, quæ ſeſe Troja oriundos jactitant, quales Atii, Nautii, Clœlii, Julii, Sergii, Memmii, Cluentii, Geganii.

100. *Vexant limen.*) Sic *Horat.* I. Serm. ſatyr. VIII. vexare locum, dixit. *Martialis* non, vexare, ſed terere limen.

102. *Sed libertinus.*) Faceta diſſenſio hominis libertini, & extranei cum Trojugena, qui, quod prior venerit ad limen ſui Regis, prius vult recipere ſportulam.

103. *Cur timeam locum defendere.*) i. Ordinem recipiendæ ſportulæ adverſus Prætorem, Tribunum, vel quemlibet alium Magiſtratuum Romanorum. Verba enim ſunt libertini.

104. *Natus ad Euphratem.*) *Sidon. Apoll.* in næuia Sancti Abrahæ:

Natus ad Euphratem pro Chriſto vincula paſſus.

104. *Molles in aure feneſtræ.*) An quod hominem mollem oſtendant? an potius ſit Hypallage figura pro *molli aure*? qua, ut ait proverbium, nihil mollius. Videndus *Eraſmus* ad illud proverb. *Auricula mollius.* Vide *Joſeph. Scalig.* ad epigr. XXV. *Catulli.*

105. *Arguerint.*) Aperte demonſtraverint. *Arguere* enim proprie demonſtrare eſt, ut docet *Agretius.*

105. *Tabernæ.*) In foro, quas locare ſoleo mercatoribus, mihi in ſingulos annos quadringenta parant, hoc eſt cenſum equeſtrem. *Taberna* autem quaſi *trabena*, a validioribus dicta trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt. *Donat.* Adelph & *Feſtus.* Male autem *Iſidorus*, *Diomedes*, & *Ulpianus* a *tabulis* d duxerunt. Porro J. C. nomine tabernæ venit omne ædi icium ad habitandum utile.

106. *Quid Purpura.*) Laticlavium. Sic Martialis:

Pur-

Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oveis? ego possideo plus
Pallante, & Licinis. Exspectent ergo Tribuni:
Vincant Divitiæ: sacro nec cedat honori,
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis:
Quandoquidem inter nos sanctissima Divitiarum

Ma-

Purpura te felix, te colit omnis honos.

Vult autem innuere ille libertus, suas tabernas tantum illi conferre; quantum honores, & Magistratus Romanorum, immo multo se ditiorem pluribus Romanorum nobilibus: quod probat exemplo cujusdem Corvini, qui in agro Laurenti oves conductas custodire cogebatur.

VET. SCHOL.

109. *Pallante & Licinis.*) Pallas & Licinius in aula Claudii Cæsaris præpositi, curam Reip. gesserunt, cum libertini essent. *Pallas* libertus Claudii Cæsaris, officium rationum administravit; & in numerum Prætorum relatus, quod primum percunctantem Cæsarem de incestu Agrippinæ, ad nuptias confirmasset. Eamque ipse consuetudinem stupri adeo palam fecerat, ut in quodam simulacro Palatinæ Minervæ adscriptum sit: Π Α Λ- ΛΑC. ΑΙΤΙΩΤΑΙ. *Licinius* ex Germania puer captus, tantæ industriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos fœneraret, & cui quid credidisset, quasi poterat chirographo pugillaribus subnotaret: quos cum in expeditione quadam transiturus flumen in vestimentis recondidisset, C. Julio Cæsari quondam deneganti ei pugillaribus quicquam annotatum, barbarus lugens eos obtulit. Statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est. Dein curationi Galliarum ab Augusto præpositus, eas spoliavit: & cum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Julii Cæsaris ædificavit. Decessit sub Tiberio, proinde dives, quod Cassii opes etiam exhausisset, & dictus est habuisse nummos, quantum milvi volant. Unde Persius:

Nunc Licini in campos, nunc Craßi mittit in ædes.

111. *Pedibus qui venerat albis.*) Ostendit plus honoris videri in calceis, quam in persona. Illo enim tempore needum Senatores nigris calceis utebantur: sed nudis pedibus, vel pulverulentis, vel braccis, vel pedules novos in braccis quos * pedomis dicunt, ut peregrinus.

GRANG.

108. *Ego.*) Qui natus ad Euphratem, quique libertus.

108. *Possideo plus.*) Agrorum & divitiarum.

109. *Pallante.*) Claudii liberto, eique a rationibus. *Sueton.* in *Claudio* cap. XXVIII. *Tacitus* lib. XIII. Annal. *Plin. Junior* epist. XXIX. lib. VII. & epist. VI. lib. VIII. Is admodum dives fuit. Videndus *Plin.* Hist. Natural. lib. XXXIII. cap. X.

109. *Et Licinis.*) Interpretes quidam intelligunt de Licino liberto, Alii, ut *Casaubonus* ad illud Persii:

Nunc Licini in campos, nunc Craßi mittit in ædes.

de Licinio Stolone patre & filio, qui ob possessa agri mille jugera damnatus fuit. Sed crederem potius id intelligi de liberto Augusti admodum divite, de quo meminit *Seneca* epist. CXIX. Et *Dion* lib. LIV. sed Licinium, non Licinum vocat. *Sidon* epist. VII. lib. V. de eo carmen Epitaphium:

Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato nullo,
Pompejus parvo: credimus esse Deos?
Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem,
Pompejum tituli: credimus esse Deos.

Ut est in fragmentis Petronii Arbitri.

110. *Vincant Divitiæ.*) Id est Horatianum, *Virtus post nummos.*

110. *Sacro nec cedat honori.*) Virgil. III. Æneid. *Nec cedat honori.* *Honor* autem *sacer* Tribunatus est, qui sacrosanctus Magistratus semper habitus fuit. Sic *Martial.* lib. VIII. epig. LXVI. sacros honores appellat:

Et Cæsar genero sacros honores.

111. *Pedibus albis.*) Hunc ritum explicat *Brisson.* libris *de formulis.* Sic *Ennius* apud *Cicer.* VII. ad Fam. ad eundem ritum alludens *gypsatissimis manibus* advenam, & extraneam pingit Medeam. Vide *Plin.* lib. XXXV. cap. ult. & *Trodæum* lib. I. cap. XVII.

112. *Majestas Divitiarum.*) Apposite. Nam:

Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent. —

Horat. Serm. II. satyr. III.

113. *Fune-*

Majeſtas: etſi funeſta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.
Sed cum ſummus honor finito computet anno,

Spor-

Vet. Schol.

113. *Funeſta.*) Quoniam per ſcelera adquiritur: vel quod funerum faciendorum ſit cauſa: vel quod per parricidia congeritur.

116. *Concordia.*) Ciconia, quæ contra templum Concordiæ ex conſilio, roſtri ſonitum fecit. Et ſatyrice *ſalutato nido*, non templo. Templum Concordiæ vetus, in quo ciconia multa eſt.

117. *Summus honor.*) Senatorum.

Grangæ.

113. *Funeſta Pecunia.*) Qua omnia funeſtantur: cum multis etenim:

— Concidit auguriis,
Argivi domus, ob lucrum
Demerſa excidio. —

Horat. III. carm. ode XVI.

113. *Templis nondum habitas.*) Tamen D. *Auguſt.* lib. IV. de Civitat. cap. XXIX. *Pecuniam* Deam agnoſcit; & *Seneca* de Providentia cap. V. videtur id confirmare, cujus hæc verba: *Non ſunt divitiæ bonum. Itaque habeat illas & Ellius leno: ut homines Pecuniam cum in templis conſecraverint, videant & in fornice.* Hinc imperitiæ Poetam noſtrum quidam accuſant. fruſtra. Nam Dea cenſebatur *Pecunia*, nec tamen peculiare ei templum ſacratum, ut fuerat Paci, Fidei, Victoriæ, & ſimilibus.

114. *Habitas.*) De diis *habitare* dicunt primi Poetæ: Virgil.

— Habitarunt DI quoque ſylvas.

Et VIII. Æneid.

Quis Deus, incertum eſt, habitat Deus. —

115. *Ut colitur Pax.*) De *templo Pacis* magnificentiſſimo juxta forum; quod Veſpaſianus a Claudio inchoatum conſtruxit, meminerunt *Joſephus*, *Plinius*, *Suetonius*. Illud ab ægrotis fuiſſe frequentatum docet *Lilius Gyraldus* ſyntagm. I. de *Diis gentium.*

115. *Fides.*) Et Fidei templum Romæ fuiſſe in Capitolio docet *Plin.* hiſtor. Natural. lib. XXXV. cap. X. Illud ab Attilio Calatino conſecratum fuiſſe dicit *Cicer.* II. de nat. Deorum. Meminit & *Sex. Pomponius* alterius templi *Fidei* ab Ænea conſecrati in Palatio; quamvis *Plutarch.* & *Dionyſ. Halicarn.* referant primum omnium Numam templum Fidei publicæ erexiſſe.

115. *Victoria.*) Duplex templum Victoriæ Romæ reperio: unum in foro Romano, de quo *Publius Victor* in VIII. regione urbis. Alterum in palatio, de quo *Livius* lib. VIII. de II. bello punico. *Dionyſ.* tamen *Halicarn.* I. Antiquit. Templum Victoriæ in Aventino conſtructum prodit.

115. *Virtus.*) Ædem *Virtutis* voviſſe M. Marcellum primo Conſulatu, ejuſque filium ad portam Capenam dedicaſſe teſtes ſunt *Livius*, *Valer. Max. Plutarch.* & *Lactant.* Summiſſiorem exſtruxit Cajus Marius, ne publicis auſpicus forte officeret, & eam ideo Augures demoliri juberent. *Gyrald.* de Diis Gent. ſyntagm. I.

116. *Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.*) *Politian.* Miſcell. cap. LXVII. Cornicem eſſe ſymbolum concordiæ vult, ductus *Æliani* teſtimonio lib. III. de *Animalib.* hancque avem intelligi a *Juvenale* hoc verſu, p ctam fortaſſe in fronte templi Concordiæ, quod erat in Curia, ut teſtantur *Varro* & *Lampridius. Adrian. Turneb.* Adverſ. VIII. cap. XVIII. *Ciconiam* a *Juvenale* intelligi, quod tunc temporis fortaſſe in faſtigio templi *Concordiæ* nidus *Ciconiarum* fuiſſet, quarum proprium eſt *crepitare*. Hinc *Ovid.* VI. Metam. dixit — *crepitante ciconia roſtro.* Et ea ratione *Crotaliſtria* a *Petron. Arbitro* Ciconia dicitur, cujus auctoritas ſubjicitur authoritate Saliſberienſis: *Ciconia quoniam avis Concordiæ eſt, concordiam invenit, & concordiam facit.* Meræ igitur nugæ ſunt, quæ *Ptolomæus Flavius* comminiſcitur Conjectan. cap. LIII. immo & quidam M. SS. *ciconia* legunt; ut Jacobus Suſius *Hadriano Junio* teſtatus eſt, qui nihilominus cornicem ſymbolum concordiæ probat I. *Animadverſorum*, cap. I. de diverſis autem templis Concordiæ fuſe *Gyrald.* loco ſupra dicto.

117. *Sed cum ſummus honor.*) Diſerte *Martial.* totum hunc locum expreſſit epigr. X. lib. X.

Cum tu, laurigeris annum qui faſcibus intras,
Mane ſalutator limina mille teras:
Heic ego quid faciam? quid nobis Paulle relinquis,
Qui de plebe Numæ, denſaque turba ſumus?
Qui me reſpiciat, dominum, regemque vocabo?
Hoc tu, ſed quanto blandius, ipſe facis.

119 Comi-

Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis, fumusque domi? densissima centum
Quadranteis lectica petit, sequiturque maritum
Languida, vel prægnans, & circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota jam callidus arte,
Ostendens vacuam, & clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte. Moraris?
Profer Galla caput. Noli vexare, quiescit.
  Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum, jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere

Ne-

Lecticam, sellamque sequar? nec ferre recuso;
Per medium pugnas sed prior ire lutum.
Sæpius assurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Divisit nostras purpura vestra togas.

VET. SCHOL.

119. *Comites.*) Quid facient parasiti, cum Senatores sic avidi sint ad sportulam?

121. *Lectica petit.*) Lecticarum usum primi dicuntur invenisse Bithyni. Cicero: *Nam una haud mos est Bithyniæ Regibus vehi lectica.* id est, octophoro.

127. *Ipse dies.*) Totos dies sic consumunt divites, dum ad sportulam, aut ad templum Apollinis tractandum vadunt.

128. *Jurisque peritus Apollo.*) Aut quia juxta Apollinis templum jurisperiti sedebant, & tractabant: aut quia bibliothecam juris civilis, & liberalium studiorum in templo Apollinis Palatini dedicavit Augustus. Nam hic est Apollo, cujus & *Horatius* meminit, *Sic me servavit Apollo.* Sive quod *Cicero* domum Scævolæ *oraculum* dixit, sive quod tam dubia jurisperitorum responsa sint, quam Apollinis.

129. *Atque triumphales.*) Id est, itur ad rostra, ubi habere solent triumphales statuas Viri magni, sive quadrigas.

GRANG.

120. *Fumusque domi.*) Non etenim iis erit, unde sibi emerent ligna acapna, de quibus *Martial.* epigr. XV. lib. XIV. quæ vocantur in Jure *recocta*, *D. de fideicommissis. l. Ligni appellatione.* Ut notat *Turrienus* sylva annotationum cap. XV.

120. *Densissima lectica.*) i. Plurimi, ex primoribus Romanorum, qui non solent ire pedibus, sed vehi *lectica*, sportulas petunt, tanquam infima clientium turba.

124. *Vacuam sellam.*) Differt *sella* a *lectica*, quod illa esset apta ad sedendum, hæc ad jacendum: ideo erat tantum cervical in sella, pulvinus in lectica. *Justus Lips.* in *Electis.*

125. *Galla mea est.*) *Galla*, fictitium nomen, quo multoties utitur aut abutitur *Martialis.*

127. *Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum.*) *Martial.* lib. IV. epigr. VIII. ad Eufemum, hunc rerum ordinem cujuslibet diei explicat:

Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia caussidicos.
In quinctam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.

128. *Jurisque peritus Apollo.*) Statua etenim eburnea Apollinis erat in foro Augusti, ubi caussæ agebantur, de qua *Plin.* lib. VII. cap. LIII. Inde *Horatii* locus intelligendus satyr. IX. lib. I. Serm.

— *Sic me servavit Apollo.*

qui idcirco *Juris peritus* dictus a *Juvenale*, quod audiret singulis diebus litigantes; quo modo & a *Martiale* dictus est lib. II. epigr. LXIV.

— *Marsya caussidicus.*

Nam *Marsyas* erat statua in foro.

129. *Atque triumphales.*) Erant porticus in Augusti foro, in quibus singulare, & ab Augusti invento, quod in altera, ordine omnes Latini Reges a capite & Principe Ænea essent: in altera Romani duces, & Reges a Romulo ipso. *Ovid.* V. Fast.

Hinc videt Ænean oneratum pondere caro,
Et tot Juleæ nobilitatis avos.

Nescio quis titulos Ægyptius, atque Arabarches:
Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.
Vestibulis abeunt veteres, lassique clientes,
Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ,
Spes homini. Caulis miseris, atque ignis emendus.
Optima silvarum interea, pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse jacebit.

Nam

Hinc videt Iliadem humero Ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse Viris.

Sueton. in Augusto *cap.* XXXI. *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriæ Ducum præstitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent: itaque & opera cujusque, manentibus titulis restituit, & statuas omnium triumphali effigie* (Vides Triumphales Juvenalis) *in utraque fori sui porticu dedicavit.*

129. *Inter quas*) statuas triumphali effigie.

GRANG.

130. *Nescio quis.*) Per contemptum. Sic *Propert.* eleg. 11 lib. 1.

At tu, nescio quis, simulatis ignibus hostis.

Sic nos Galli: *un je ne sçay qui.*

130. *Habere titulos.*) Diximus in foro Augusti sub altera porticu reges Romanos, & Duces fuisse clarissimos triumphali effigie. Nunc sciendum sub unoquoque viro aut statuis, suas res gestas breviter positas, & explicatas fuisse, id quod *acta* vocat Ovidius:

Claraque dispositis acta subesse Viris.

Paterculus; *Titulos, Divus Augustus præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet.*

130. *Arabarches.*) Interpretes de hujus loci vera intelligentia contendunt. *Lil. Gyraldus* Dialogismo XXXIX. putat juvenem Alexandrum Ægyptium taxari, de quo *Tacitus* in Annalib. cui consentit *Alciatus* Prætermiss. II. in verbo *Arabarches.* Alii, ut *Parrhasius* epist. XXIII. Et *Ptolomæus Flavius* Conjectan. cap. XLIX. Josephum volunt, qui, ut patet ex *Divo Hieronymo*, statuam triumphalem meruit. Alii Crispinum volunt Ægyptium. At *Baptista Pius* mollem, & effœminatum quemlibet intelligi asseverat posterioribus Annotationibus cap. XCIII. nec magis consentiunt in vera lectione hujus loci. *Cujacius* etenim Observationum lib. VIII. cap. XXXVII. legit *Alabarches*, & interpretatur Magistrum scripturæ præpositum, a Græco ἀλαβα. i. scriptura. *Ruffinus* præfectum salis interpretatur, quasi a Græco ἁλς. Alii constanter *Arabarches* legunt, ut *Ptolomæus Flavius*, & *Parrhasius*, itemque *Bapt. Pius* locis suprad. quasi diceres *præfectum Arabiæ*, ubi erant plures *Nomi*, hoc est, præfecturæ, quæ suos *archontas* habebant, hoc est, præfectos. Immo apud Alexandrinos erat Magistratus, cui nomen *Arabarches*, ut videre est ex *Ciceron.* lib. II. epist. VII. ad Atticum, ut notarunt *Parrhasius*, & *Brodæus* cap. II. lib. IV. Miscell. *Turnebus* lib. XXVII. Adversar. cap. XXV. videtur legere *Alabarches*, tamen eundem esse & *Arabarchen*, & *Alabarchen* affirmat. Sed in tanta auctorum dissensione non est, quod statuere certi habeam.

131. *Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.*) *Lubinus* ex mente aliorum sic hunc locum interpretatur: ad cujus imaginem non tantum fas est ac licitum *mejere*, sed etiam *oletum facere*, ac *alvum exonerare*; contra mentem *Juvenalis*, qui hujus Ægyptii ita a Romanis sanctam habitam dicit statuam, ut ne quidem ad eam *mejere* auderent, tanquam si fuisset statua Principis. Qui etenim ad Principum imagines *mejere* ausi fuissent, capite puniebantur. *Spartianus* in Caracalla: *Damnati sunt eo tempore, qui urinam eo loco fecerant, ubi statuæ, aut imagines erant principis.* Neque tantum prohibitum *mejere* ad imagines principum, sed etiam in locis sacris: unde *Pers.* Satyr. 1.

— *Sacer est locus, ite prophani,*
Extra mejite. —

Et apud *Aristoph.* in Vespis: & *Plutarch.*

132. *Vestibulis abeunt.*) Ad quæ deduxerant ex foro patronos, & reges, non ulterius admissi. Quid autem vestibulum, docet *Gellius* noct. Attic. lib. XVI. cap. V.

133. *Votaque deponunt.*) Quoniam *suscipi vota* dicuntur, ideo recte *poni*, & *deponi* dicere est, quasi onera scilicet. *Vota* autem *deponunt cœnæ*, hoc est: non amplius sperant cœnare apud patronos.

133. *Quanquam longissima Spes homini.*) Ea enim hominem lætum reddit, & semper meliora exspectantem ad mortem usque comitatur. Vide Proverb. *Ægroto dum anima est, spes est.*

135. *Optima silvarum, pelagique*) Sic Lucret. *pelagi sonora*, per Hellenismum.

Jacebit.) In triclinari. *Horat.* lib. II. carm. ode II.

— *Jacentes potamus uncti.*

138. *Men-*

Nam de tot pulcris, & latis orbibus, & tam
Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.
Nullus jam parasitus erit. Sed quis feret istas
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.
It nova, nec tristis per cunctas fabula cœnas:
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat

Poste-

VET. SCHOL.

138. *Mensa.*) Mensis citreis, quas antiquitus magno in pretio habebant; aut de ebore.

141. *Ponit apros.*) Apud antiquos munificentia videbatur apparatior, si in convivio aper integer fuisset exhibitus.

142. *Pœna.*) Quod solus voraverit, quod multis sufficere potuisset.

146. *Iratis plaudendum funus amicis.*) Quod de indigestione sit mortuus intestatus, de cujus testamento nihil consecuti sunt.

GRANG.

137. *De tot latis orbibus.*) Nam cum reges habeant permultas mensas antiquas, & exquisitas. quibus adhibere possent clientes suos, neminem tamen advocant, sed unica mensa soli devorant sua patrimonia. Quæcunque alia est interpretatio, a mente auctoris aliena est.

137. *Orbibus.*) *Orbis* pro *mensa* passim apud Auctores, quod mensæ olim in *orbem*. Sic *Tertull.* de Pallio *Plin.* lib. XIII. cap. XV.

140. *Luxuriæ sordes.*) Avaritiam in luxuria. *Plin.* Epist. II. lib. IV. *Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupavit, ut est in summa avaritia sumptuosus, in summa infamia gloriosus.*

140. *Quæ sibi totos Ponit apros.*) Integros. Sic Horatius:

Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat; sed credo hac mente, quod hospes
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. —

Tò *Ponit* autem, verbum mensarum. *Martial.* lib. I.

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum nobis nil here præter aprum.

141. *Animal propter convivia natum.*) Id sumptum ex *Varrone* II. de re Rust. cap. IV. *Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum.*

142. *Pœna tamen præsens.*) Videtur ad illud *Horatii* respexisse ode V. lib. IV.

Culpam pœna premit comes.

142. *Deponis amictus*) in balneo. Sic *ponere tunicas* dixit Satyr. VI.

143. *Turgidus.*) Ex *Persio* Satyr. III.

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

Putabant enim Caldariis cruditatem decoquere. *Theodorus Marcilius* ad superiorem locum *Persii.*

143. *Crudum pavonem.*) Indigestum. Hunc primus Hortensius Romæ comedere docuit, saginare M. Aufidius Lurco, *Plin.* lib. X. cap. XX.

144. *Hinc subitæ mortes.*) Unico verbo, quod multis *Persius*:

Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit. —

145. *Ducitur funus.*) Idem Persius:

— *At illum*
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Tò *Ducere* autem, verbum funebre: *Albinovanus* Consolatione ad Liviam:

Funera pro sacris tibi sunt ducenda tropæis.

147. *Nil erit ulterius.*) Supra:

Et quando uberior vitiorum copia?

Ovid. I. fastorum:

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi:
Nil ultra, quo jam progrediatur, habet.

Claudian. in Eutropium:

Nil

Posteritas: eadem cupient, facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit. Utere velis:
Totos pande sinus. Dicas heic forsitan, unde
Ingenium par materiæ? unde illa priorum,
Scribendi quodcunque animo flagrante liberet
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigillinum: tæda lucebit in illa,

Qua

Nil adeo fœdum est, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit ævi.

VET. SCHOL.

151. *Priorum.*) *Lucilii*, & cæterorum.

155. *Pone Tigillinum.*) C. Fulcinius Tigillinus patre Agrigentino, Scylaceum relegatus, juvenis, egens; verum admodum pulcer, in concubinatum a Bincio, & Lucio Domitio maritis Agrippinæ, & Fulviæ sororum Cæsaris, atque in utrisque uxoribus suspectus, ob hoc urbe summotus, piscatoriam machinam exercuit: quoad accepta hæreditate reditum sub conditione impetravit, ut concubitu Claudii abstineret. Quatre saltibus in Apulia & Calabria comparatis, cum studiosius equos quadrigarios aleret, amicitiam Neronis nactus, primus illum ad studium Circensium movit. Mortuo autem Nerone, Galba Imperator, populo Rom. deposcente supplicium Haloti & Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis, vel maleficentissimos, incolumes præstitit: atque insuper Halotum procuratione amplissima ornavit. Pro Tigillino etiam sævitiæ populum edicto increpuit.

155. *Pone.*) Hoc est: in Satyra ponere, vituperare Tigillinum; quem si læseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectatoribus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines tæda & papyro & cera supervestiebat, & sic admoveri jubebat, ut arderent.

155. *Pone Tigillinum.*) Nunc, sicut olim Mutium *Lucilius*, ut Persius:

—— Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis.

Hunc tamen Mutius fortiter ac sapienter tulit, quanquam in eum dictum sit: Si Mutium insectabere, futurum est, ut miser sis. vel, Utrum ignoscat Mutius an non, haud laboraveris: Sed si Tigillinum læseris, vivus ardebis, quemadmodum multi imperante Nerone. aut, Non tantum non deserenda libertas, sed etiam maxima persona carpenda in vitiis, cum etiamsi tacueris, sis plebejo funere moriturus. vel, quasi ex persona alterius sit, quæ communem futuram cum vulgaribus cadaveribus ustrinam denunciet, etiamsi a satyra abstineat. Notiorem vero futurum, si insignem notaverit. Ut sit locus hic ita accipiendus: *Pone Tigillinum*, i. nobilem ut Tigillinum: quod nisi facias, in rogum cadaver tuum mittetur, in quo non jacentia corpora, sed ad lignorum parsimoniam, stantia exuruntur. Unde putant dici:

Et latum media sulcum deducit arena.

quod parcus ustor subditi ligni inopia scrobe sub terra facto subcavet, ut ardere possit.

GRANGÆUS.

148. *Eadem cupient facientque minores.*) Horat. dissentit, qui nos *daturos progeniem vitiosiorem* constanter affirmat.

150. *Totos pande sinus.*) Poetæ, & oratores frequentes in hac Metaphora. *Cic.* IV. Tuscul. *pandere vela orationis. Plin. Junior* epist. IV. lib. VIII. *immitte rudentes: pande vela. Ovid.* I. fast.

Nunc primum velis elegi minoribus itis.

Virg. II. Georg.

—— Pelagoque volans da vela petenti.

Sidonius Epist. I. lib. I. Et Epist. XVI. lib. XI. Et Carmine V. *Cassianus* collatione XXII. cap. ult. Contra dicunt *contrahere vela. Cic.* Epist. XIII. lib. I. ad Attic. *Quæris ex me, contraxi vela, metuens inopiam judicum. Virgil.* IV. Georg.

Atque equidem extremo ni jam sub fine laborum
Vela traham. ——

150. *Sinus.*) Pro velo. Vela enim sunt *sinuosa*, sic *Virgil.* V. Æneid.

Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros
Nunc dextros solvere sinus. ——

Hinc *Propert.* lib. III.

Velorum plenos subtrahis ipse sinus.

151. *Ingenium par materiæ.*) *Plin. Nepos* Epist. II. lib. IX. *Non eadem conditio nostra, quæ M. Tullii, ad*

cujus

Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum deducet arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur

Pen-

cujus exemplum nos vocas: *Illi enim & copiosissimum ingenium, & par ingenio materia.* Ovid. lib. II. de Trist.

Divitis ingenii est immania Cæsaris acta
Condere, materia ne superetur opus.

151. *Simplicitas priorum.*) Reprehendendi libertas non fucata, sed simplex. *Plin.* lib. VI. Epist. XI. *Proinde etiam atque etiam rogo, ut mihi semper eadem simplicitate, quoties cessare videor (nunquam enim cessabo) convitium facias.*

153. *Cujus non audeo dicere nomen.*) Respondet Poeta: dicis nunc in nobis non inveniri illam priorum simplicitatem in reprehendendis vitiis, sed nonne possum omnium vitia tangere, ipsorumque nomina traducere; nec mihi interest, Mutius, vel quicunque alius, quem notavero, mihi ignoscat, an secus.

155. *Pone Tigillinum.*) Verba cujusdam respondentis Poetæ, dicis te omnium nomina impune tangere posse, tange igitur Tigillinum. Hic est autem C. *Offonius Tigelinus* Neronis Imperatoris deliciæ, quem male *Vetus Scholiastes* vocat *C. Fulsinium*: nec minus recte alii C. *Soffonium. Justus Lips.* ad Annales *Taciti.* neque *Tigillinus*, sed *Tigelinus*, ut vidit *Ramires* ad *Martial.* lib. III. Epigr. XX.

155. *Tæda lucebis in illa.*) Nam si tangis Tigillinum, eodem supplicio afficiere, quo nuper quidam, qui eum offenderant. Totus autem hic locus pendet ex cognitione historiæ, quæ recipienda ex *Tacito*, XV. Annal. Incendium etenim urbis Romæ plus infamiæ habuit, quia prędiis Tigelini Æmilianis proruperat: Nec tam Christiani falso insimulati, & gravi supplicio affecti propter incendium totius urbis, quam ob Tigelini prædia incensa. Vult igitur dicere: si ii, qui falso accusati Tigelini prædia incendisse, flammis ustulati fuerunt, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis combusti: nonne & tu, o *Juvenalis*, *tæda lucebis in illa*, utpote qui non tantum prædia, insulas, domos; sed proprium nomen, propriamque Tigelini famam inuris. *Tæda* autem *incensos* Christianos sub Nerone, falso incendii urbis Romæ insimulatos docet. *Sulpitius* Sacræ Historiæ lib. II. *Multi crucibus affixi, aut flamma usti, plerique in id reservati, ut, cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Quod exemplo Neronis & alii postea factitavere, ut docet *Prudentius* περὶ στεφάνων, hymno III. qui est in laudem Eulaliæ Virginis:

Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta fluas.

155. *Et latum media sulcum deducit arena.*) Locus hic subobscurus visus est interpretibus, unde nonnulli legerunt *deducis*, alii *qui ducit*, & *Ptolomæus Flavius* transposuit post duos versus sequentes hunc versum, & legit *deducat*, utque diversa lectio, sic & diversa interpretatio: Voluit enim quidam proverbii speciem esse, idemque signare quod, *opera vel impensa perit.* Alii parcum ustorem subditi ligni inopia scrobe sub terra facto subcavere, ut ardere possit. Nonnulli unco trahi, & *media arena corpore suo sulcum facere*: qui fit, ut *Pithœus* dixerit nullum in his Satyris locum esse, quem ex Grammaticorum glossis minus grammatice intelligeret; sed inprimis noverint τὸ *deducit* veram, germanamque esse lectionem, neque hunc versum transponi debuisse a *Flavio.* Verum numerorum Enallagem Atticam esse, & *deducit*, ἀντὶ τοῦ *deducunt*, positum, quod familiare est poetis: sic enim *Virgil.* IV. Georg.

Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor,
Aut parco sale contingunt. —

Sensus autem est, unco per *arenam* tractum fuisse maleficum, *sulcumque* quendam impressisse; qua usus est metaphora *Lycophron* in Cassandra: de Hectore tracto ab Achille:

Ἀλοξὸς βούτης γατομῶν δι' αὔλακος.

VET. SCHOL.

157. *Et latum media.*) Adductus cum per arenam traheretur, sulcum corpore suo fecit. Vel fossam, in qua stipites fiebant, in quibus ardebant.

GRANGÆUS.

158. *Qui dedit.*) Verba poetæ respondentis, ergo videbo veneficum pensilibus plumis vectum, & alto servorum collo peditos despicientem, nec mutire audebo?

158. *Vehatur.*) tanquam equis, verbum huic rei tritatum. *Sueton.* in Claudio: *Harpocrati liberto lectica per urbem vehendi jus tribuit. Martial.* lib. IV. Epigr. II. *Apulejus* Apolog. II.

159. Pen-

Pensilibus plumis, atque illinc despiciet nos:
Cum veniet contra, digito compesce labellum:
Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est.
Securus licet Æneam, Rutilumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles,
Aut multum quæsitus Hylas, urnamque secutus.
Ense velut stricto, quoties Lucilius ardens
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus, tacita sudant præcordia culpa.
Inde iræ, & lacrymæ. Tecum prius ergo voluta

Hæc,

VET. SCHOL.

159. *Pensilibus plumis.*) Lectica plumis strata. *Pensilibus*, in altum extructis.

162. *Securus licet Æneam.*) Securus de mortuis loqueris, nec metuis legem Juliam, quæ vivorum vitia carpit.

164. *Aut multum quæsitus Hylas.*) Virgilius.

Ut litus Hyla Hyla omne sonaret.

167. *Inde iræ.*) Virgil.

Hinc mihi prima mali labes. —

Iracundia accenditur nocens, criminum conscientia lacessitus.

GRANG.

159. *Pensilibus plumis.*) Pulvino lecticæ ex pluma delicata tumente: alias ille pulvinus ex rosis fartus. *Lips.* in Elect.

160. *Veniet contra.*) Occurret. sic *Martial.* Epigr. IV. lib. v.

Quoties venire, Paulle, videris contra.

Et Epigr. LXII. lib. XIV.

Vesicam, contra qui venit, esse putat.

sic nostri: *venir a l'encontre.*

160. *Digito compesce labellum*) indice, qui alio nomine Salutaris dicitur, duabus de caussis, aut quod eo protenso veteres salutarent; aut quod silentium, quæ res maxime salutaris est, eo indiceretur. Sic Martianus Capella: *Digito salutari silentium commovebat.* Nec ob aliam caussam Ægyptii Harpocratem, aut Romani Angeronam Deos silentii digito ora comprimere finxerunt. *Lil. Gyrald.* dialogism. II. Porro *compescere*, continere, & comprimere est, ut & simplex *pasco*; unde in sacris *Pascito linguam.* Festus in *Pascito.*

161. *Qui verbum dixerit, hic est.*) *Lubinus* correxit; ST! quæ est nota silentii; sed frustra. *Hic est* autem, fit per demonstrationem, quæ aut laudi, aut vitio vertitur, pro ratione digiti, quo facta fuit demonstratio: Indici enim laus, medio vituperium. Hinc proverbium: *Medium ostendere digitum*, de quo nos inferius.

162. *Rutulumque ferocem.*) i. Turnum. Virgil. XII.

O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas! —

163. *Committere.*) Verbum theatri, & arenæ. Unde *commissiones gladiatorum*, cum paria comparantur.

163. *Nulli gravis est percussus Achilles.*) *Salisbeliensis* prologo Policraticon: *Si quid autem cuipiam asperius sonat, non in se quicquam dictum noverit, sed in meipsum, & similes mei, qui mecum cupiunt emendari, aut in eos, qui collapsi in fata, omnem reprehensionem æquanimiter ferunt; novi enim, quia nullis gravis est percussus Achilles, & præsens ætas corrigitur, dum præterita suis meritis objurgatur.* Putarem *Juvenalem* legisse illud Ovidii:

Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis mollia facta modis.

164. *Hylas.*) Videndus *Theocrit.* in *Hyla. Virgil.* Ecloga VI. *Hygin.* fab. XIV. & fab. CCLXXI. *Apollodorus* Biblioth. I.

165. *Ense stricto.*) Fortasse memor fuerat dicti Caligulæ, qui, ut refert *Sueton.* in ejus vita cap. LIII. *peroraturus stricturum se lucubrationis suæ telum minabatur.* Sermo etenim, si *D. Paulo* credimus, est instar gladii. *D. Aug.* super psal. LXIII. *occidere gladio linguæ.*

166. *Rubet auditor.*) *Martial.* lib. IV. Epigr. XXII.

Facere in Lyciscam Paulle, me jubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, & sit irata:

168. *Inde iræ, & lachrymæ.*) Ex Andria *Terent.*

Hinc

Hæc, animo ante tubas: galeatum sero duelli
Pœnitet. Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Ultra

Hinc illæ lacrymæ. Quod inter proverbia congessit *Erasmus* Chiliad. I. Centur. III. proverb. LXVIII.

VET. SCHOL.

168. *Galeatum.*) Metaphora. tarde pœnitet indixisse bellum, cum jam pugna commissa sit.

170. *Quorum Flaminia.*) Viæ, in quibus nobiles sepeliebantur.

GRANG.

170. *Tegitur cinis.*) *Tegere* sepulcrale verbum, de humatis. *Seneca* OEdipo:

Non ossa tumuli sancta discreti tegunt.
Ovid. III. Trist.

Indeploratum barbara terra tegat.
Virgil.

Corpus humo patiare tegi.—
Plaut. Pseud. act. I. sc. III. *Quid ais, hominum quantum terra contegit, perjurissime.* *Cic.* II. de leg. *Humati, quos injecta terra contegit.*

170. *Flaminia atque Latina.*) In viis etenim celebrioribus Rom. sepulcra. Hinc in inscriptionibus frequens *viatoris* mentio: De iis ad satyr. V. dicturus sum favente Deo.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA II.

ARGUITUR SATYRA PROBITAS SIMULATA SECUNDA.

SYNOPSIS. Philosophorum hypocrisin lacessit, qui non profitere, sed conspici cupientes, simulant Curios, & Bacchanalia vivunt; nec propterea a vitiorum reprehensione cessant, quibus similis Domitianus de adulteriis obsoletas leges revocat ipsemet tragicus adulter. Sed ejusmodi reprehensionum, quoniam facta dictis discrepant, cassus & inutilis conatus, & quem ipsæ irrident mulierculæ. Quid autem mirum, si hæc Philosophi? cum e contrario Caussidici, imo ipsi Judices vestibus nil celantibus induantur; paullatim (nemo etenim fit repente turpissimus) fœmineas vestes induturi, ut nuper Otho, qui mediis in castris lacte asinino faciem lautus, pro clypeo, speculo utebatur: Imo & dote data nubent, ut jam nupsit Cornicini Gracchus nobilis, idemque sanguine conjunctus alteri Graccho, qui sese paullo ante exauctoraverat. Quorum omnium primariæ caussæ, tum inferorum incredulitas, tum malorum conversatio.

VLtra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt,

Indo-

VETUS SCHOLIASTES.

VLtra Sauromatas.) Sarmatæ ultimi ultra Pontum sunt, vicini Amazonum, unde *Sauromatides* appellantur.

3. *Bacchanalia vivunt.*) Criminose vivunt: id est, qui sub figmento severitatis, sunt impudici. Nam sacra Bacchanalia ex iis condemnata sunt, cum probatum esset Senatui honestissimas fœminas ad Stimulæ deæ lucum fœde adulterari.

GRANGÆUS.

ULtra Sauromatas fugere hinc libet.) Ex mente antiquorum, qui hæc loca terrarum terminum existimabant: nec alia mente *Propert.* Eleg. XXX. lib. II.

> *Quo fugis, ah! demens? nulla est fuga: tu licet usque*
> *Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor.*

Ad *Tanaim fugere* & *ultra Sauromatas fugere*, idem. Id est: ad mundi, seu, ultra mundi terminum fugere. *Sauromatæ* enim Græco nomine, ut Latino *Sarmatæ*, ad *Tanaim* sunt populi commorantes. At Tanais terrarum terminus, teste *Plinio* Procemio lib. III. *Terrarum termini Tanais, & Nilus.* Denique Sarmatia duplex, Asiatica, & Europæa. Asiatica dicitur hodie *Tartarie.* Europæa: *Russie. Abraham Ortel.* in Synonymia.

1. *Glacialem Oceanum.*) hoc est, Septentrionalem, *Plinius* lib. IV. cap. XIII. *Septentrionalis Oceanus, Amalchium eum Hecateus appellat, a Paropamiso amne, qua Scythiam alluit, quod nomen ejus gentis lingua significat congelatum.* Intelligit ergo Scythicum, de quo *Lucanus* Lib. I. Pharsal.

> *Et qua bruma rigens ac nescia vere remitti,*
> *Astringit Scythicum glaciali frigore Pontum.*

An reperiatur autem mare congelatum necne, fuse auctoritate classicorum disputat *Bartolomæus Barrientus* sylva annotation. cap. VIII.

3. *Qui curios simulant.*) Ut Chrestus apud *Martialem* Lib. IX. epigr. XXVIII.

> *Curios, Camillos, Quinctios, Numas, Ancos,*
> *Et quidquid usquam legimus pilosorum,*
> *Loqueris, sonasque grandibus minax verbis,*
> *Et cum theatro, seculoque rixaris.*

Horat. epist. XIX. lib. I.

> *Quid, si quis vultu torvo ferus, & pede nudo*
> *Exiguæque togæ simulet textore Catonem?*

3. *Bacchanalia vivunt.*) Ut ille Chrestus *Martialis*, qui tamen *Catoniana abutebatur lingua. Bacchanalia* autem *vivere* Hellenismus est: qua ratione *Tertull.* dixit, *qui cæca vivunt.* Vide *Erasmum* proverbio *Bacchæ more.*

6. *Aristo-*

Indocti primum : quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenies. Nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
FRONTIS nulla fides: Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos:

Hispi-

VETUS SCHOL.

6. *Aristotelem similem.*) Aristotelis imaginem similem, ut statuam.

7. *Pluteum.*) Armarium.

10. *Inter Socraticos.*) Aristophanes lacerat Socratem, & discipulos ipsius: cum sit & ipse pejor plerisque.

GRANG.

4. *Indocti primum.*) Qui quidem simulatores Curiorum supra omnia ἄμουσοι, imperiti, & ἀναλφάβητοι, quanquam omnium Philosophorum suis in museis habeant imagines. Porro consuetudo erat Romanis Doctorum imagines in bibliothecis reponere, quam consuetudinem tangit *Plin.* lib. XXXV. cap. II. *Sueton.* in Tiberio, cap. LXX. *Euseb.* II. Histor. Eccles. cap. XVIII. *Seneca* lib. I. de tranquillit. vitæ, cap. IX. *Martial.* præfatione lib. IX. Affatim *Lipsius* lib. de Bibliothecis.

4. *Gypso Chrysippi.*) Hoc est imagine *gypsea*: plerunque enim e *gypso*. *Tertull.* lib de Idololatria, *Quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an figulo formetur.* Chrysippus autem pingebatur digitis constrictis, idque propter numerorum indicia. *Sidon.* lib. IX. epist. IX.

6. *Si quis Aristotelem similem.*) Statuam Aristotelis, de qua *Cic.* lib. IV. ad Atticum epist. IX. *Maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli.* *Aristoteles* autem *similis*, ut *Martiali* de Issa catella, lib. I. epigram. CX.

Pictam Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec Issa.

Sic *Aurel. Cassiodorus* lib. VII. Variarum: *Statuas primum Tusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas pene parem populum quam Natura procreavit.* Pingebatur autem Aristoteles brachio exserto, habitu orantis. *Sidon.* lib. IX. epist. IX.

7. *Archetypos Cleanthas.*) Imagines seu statuas Cleanthis originales: qua ratione *Martial.* lib. VII. epig. X. vocat. *archetypas nugas*, carmina primum a se composita, nondum ab aliis exscripta. Alias enim τὸ *archetypus* sumitur pro *antiquo*, apud eundem *Martialem*, ut docte *Turneb.* lib. XXI. cap. XXIV. Qua ratione autem accusativus *Cleanthas*, formatus, ambigi potest: neque enim accusativ. esse potest quintæ declinat. Græcor. propter rationem contractionum: est igitur primæ Attico more. Dicunt enim Attici *Socratas*, *Diogenas*. Idem *Turneb.* in *Adversar.* lib. XV. cap. XVII. *Cleanthes* vero pingebatur digitis corrosis. *Apollinaris* epist. IX. lib. IX. & carm. II.

Arroso quidquid sapit ungue Cleanthes.

8. *Frontis nulla fides.*) Alii *Fronti*. Quod verissimum est: nam quisquis

— *Fronte politus,*
Astutam vapido servas sub pectore vulpem.

Pers. sat. V. De quibus *Plaut.* Pseud. sc. Exite.

At faciem cum aspicias eorum, haud mali videntur,
Opera fallunt. —

8. *Quis enim non vicus.*) *Quis*, pro *nullus*, quasi diceret *nullus non vicus abundat*, hoc est, omnes vici pleni sunt. Sic *Virgil.* I. Æneid.

— *Quis jam locus, inquit Achatæ,*
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

9. *Tristibus obscœnis*) Philosophis, qui tristitiam vultu profitentur, quales *Persii*, satyr. III.

— *Archesilas, ærumnosique Solones*
Obstipo capite, & figentes lumine terram.

intus autem impudici sunt. *Obscœna* autem, inquit *Festus*, in *Oscum*, mali ominis, vel impudentia, & spurca; a libidine & spurcitia Oscorum.

9. *Castigas.*) *Castigatio* proprie fit verberibus. Sic & *castigare*. Tamen auctoribus *castigatio* etiam & verborum est, ut heic & satyr. XIV. ut videre est apud *Nonium*: & *Fabrum*, Semestr. II. cap. VI. Sic contra *admonitio*, non tantum verborum est, sed etiam verberum, ut Jure Civili l. 7. *D. de Pœnis.* videndus *Brisson.* in lexico. Sic a Græcis νουθετεῖν, καὶ παιδεύειν, & νουθεσία. & apud *Plutarch.* in Sertorio. Et *D. Lucam* cap. XXIII. Videndus *Cell.* cap. XIV. lib. VI.

10. *Inter Socraticos.*) *Paulus Leopardus* Emendationum lib. XIII. cap. X. legit *Sotadicos*, eo quod, ut probat ex *Suida*, *Strabone*, *Athenæo*, περὶ Σωτάδης ποιητὴς κιναιδολόγων. Sic *Politian.* in Nutriciis:

D Pars

Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum: sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Rarus sermo illis, & magna lubido tacendi,
Atque supercilio brevior coma. Verius ergo,

Et

Pars quoque Sotadicos. —

Et *Auson.* epist. XIV.

Σωταδικὸν τὸ κίναιδον, Ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν.

Retinendum tamen *Socraticos*: eo quod antiqui *Socratem*, ut divisorem & puerarium distulerunt. *Lucianus*, & *Theodoretus* Græcarum affectionum sermone XII. *Tertull.* in Apologet. & *Seneca* epist. CIV. *Laert.* in ejus vita. & *Plato* in Apologia. iterumque *Seneca* de vita beata, cap. XXVII. Unde *Poeta vetus* carmine, cujus inscriptio est: *Floridi de qualitate vitæ*:

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Cive Romano per orbem nemo vivit rectius,
Quippe mallem unum Catonem, quam trecentos Socratas.

10. *Notissima fossa.*) *Scaliger* in obscœno carmine, ostendit hanc partem, quam *vesicam* vocari dicebamus a *Juvenale* satyr. 1. vocari & *fossam*, sic dicunt:

Fossas inguinis ut terem dolemque.

Et in Jambo:

Foret profunda fossa lubricum caput.

Sic & Scrobs, *Arnobio* lib. IV advers. Gent. *Etiamne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est virginalem scrobem effodientibus maritis.* A Græcis ita βόθρος. ab Auson. *caverna*. Hic autem per, *fossam*, intelligit τὸν λακκόπρωκτον. Hinc verbum *Fodere*, de quo infra.

10. *Notissima*) draucis.

Vet. Schol.

13. *Medico ridente.*) Nam invenientes stupri vestigia, medici rident.

Grang.

11. *Hispida membra quidem.*) Externus corporis habitus promittit generosum nescio quid in vobis, & quasi vos esse indicat: ut *Pers.* ait satyr. III.

— *De gente hircosa Centurionum.*

Qualis erat *Martiali* Charidemus:

Quod tibi crura rigent setis, & pectora villis,
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quæ ratio est, inquis? scis multos dicere multa:
Fac, pædicari te, Charideme, putent.

11. *Setæ.*) Suibus, vaccis, leonibus, & ceteris attribuunt. etiam homini *Ovidius*:

Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

12. *Promittunt atrocem animum.*) Gallice dicimus, *Il promet quêque chose de soy.* *Atrocem* autem i. invictum, qualis animus Catonis invincibilis, de quo *Horatius*:

Et cuncta terrarum subacta
Præter atrocem animum Catonis.

12. *Sed podice lævi.*) Depilato, vel fricatione assidua virilis urin. polito. *Martial.* lib. IX. ep. XXVIII.

Et prostitutis levius caput culis.

13. *Tumidæ mariscæ.*) Morbus est, qui occupat podicem, quem Græci σύκωσιν, nostri *ficum* dicunt aut *mariscas*. *Joannes Baptista Pius* Annot. posteriorib. cap. CI. Hinc jocus *poetæ Ibero* lib. I. ep. LXVI.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci;
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Vide Epigr. LXX. lib. VII.

14. *Rarus sermo illis.*) Ut Pythagoricæ sectæ germani appareant imitatores, qui nihil prius discipulos suos docuit, quam tacere: primaque apud eum meditatio, sapienti futuro linguam omnem coercere: verbaque, quæ *volantia* poetæ appellant, ea verba detractis pinnis, intra murum candentium dentium premere: prorsus, inquam, hoc erat primum sapientiæ rudimentum, meditari condiscere, loquitari dediscere, ait *L. Apulejus* Florid. II.

14. *Magna lubido tacendi.*) *Plaut.* Trinummo. sc. Quomodo tu istic. *Est lubido audire orationem duorum affinium.*

15. *Atque supercilio brevior coma.*) Ut hac nota Stoicorum dogmata persequi populo videatur. Aliæ Philosophorum sectæ crinibus longis, prolixaque barba; at qui ex Stoa, capillis rasis, &, ut loquitur *Lucianus*, ἐν χρῷ κουρίας erant. Vide *Turneb.* Adversar. lib. XV. cap. XVII. Idque ex *Phocylidis* sententia, cujus hæc:

Ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη.

15. *Brevior.*) Curtior, ut apud *Martialem* Epig. XIIX. lib. IX.

Et magis ingenue Peribomius: hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum, inceſſuque fatetur.
Horum ſimplicitas miſerabilis, his furor ipſe
Dat veniam: ſed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt, & de virtute locuti
Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?

Infa-

Tu juvenile decus ſerva, ne pulcrior ille
In longa fuerit, quam breviore coma.

15. *Verius ergo, Et magis ingenue Peribomius*) facit, quam iſti hypocritæ; qui nil in occulto agere ſolet, ſed, prout ſibi dictat animus, eloquitur.

VET. SCHOL.

16. *Peribomius.*) Nomen Archigalli cinædi, quem *magulum conſpurcatum* dicimus, qui publice impudicitiam perpeſſus eſt.

21. *Clunem agitant*) ad patiendum ſtuprum.

21. *Ceventem.*) Inclinatum ad ſtuprum, & ſuſtinentem.

21. *Sexte.*) Senator.

GRANG.

16. *Hunc ego fatis imputo.*) Aſtrorum influentiis, & nativitati. *Manilius* lib. II. de iis, qui ſub hœdorum ſigno nati, mire exprimit; quemque *Juvenalis* imitatus eſt:

— Nec crede ſeveræ
Frontis opus ſigno, ſtrictos nec crede Catones,
Aut Brutum, atque parem Torquatum, & Horatia facta;
Majus opus ſigno eſt, hœdis nec tanta petulcis
Conveniunt; levibus gaudent, laſcivaque ſignant
Pectora, & in luxus agiles, agilemque vigorem
Deſudant, vario ducunt in amore juventam.

17. *Qui fatetur.*) *D. Hieron.* ad Furiam de viduitate ſervanda: *Quidam tam libere & palam peccant, ut poſtquam eos videris, ſtatim intelligas peccatores: alios autem, qui callide occultant vitia ſua, ex ſequenti converſatione cognoſcimus. Fateri* autem eſt manifeſtare facie, & pedibus. Sic *Martial.* epigr. XXXIX. lib. VI.

Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur eſſe ſe Coriſandri.

17. *Morbum.*) Luxuriam, & alia vitia, quæ a Poetis dicuntur *morbi*, itemque a Philoſophis. *Horat.* lib. II. Serm. ſatyr. III.

Morbi miror purgatum te illius. —

Et infra, eadem Satyra:

Quiſquis luxuria, triſtive ſuperſtitione,
Aut alio mentis morbo pallet. —

A Græco πάθος, quod *Cic.* maluit vertere *perturbationem*, quam *morbum*. IV. Tuſcul. De iis morbis alibi dicendi locus.

18. *Horum ſimplicitas miſerabilis.*) Horum, Peribomii, & ſimilium.

18. *Simplicitas*) in aperte peccando, & ingenue, vultu & inceſſu, peccata profitendo.

18. *Miſerabilis.*) Digna lacrymis, & commiſeratione. Sic Martiali *miſerabilis Irus* dicitur: Virgilio *miſerabilis Orpheus.*

18. *Furor*) præceps, quo ad vitia vel inviti ruunt.

19. *Ipſe Dat veniam.*) Quaſi ſponte non peccaverint, ſed fatis, aut primis, & calentibus naturæ furentis motibus acti.

19. *Sed pejores.*) Duplices illi, qui frontis triſtitudine ſuam obſcœnitatem diſſimulare volunt, longe ſceleſtiores iis ſimplicibus, qui morbos vultu, atque inceſſu fatentur.

20. *Invadunt talia.*) *Talia*: i. tales ſimplices vitioſos, ex more poetarum, qui *vitium* pro vitioſo, *crucem* pro crucis candidato ſervo, *ſcelus* pro ſceleſto dixerunt.

20. *Verbis Herculis.*) Grandibus ac magnificis, quæ *Hercules*, aut vir quiſquam ſtrenuiſſimus jure ſuo uſurparet. *Brodæus* lib. VII. Miſcellan. cap. VI.

21. *Clunem agitant.*) Sic apud *Propert.* eleg. XVI. lib. II.

Barbarus excuſſis agitat veſtigia lumbis.

Hoc eſt, ex mente Præceptoris mei *Paſſeratii*, contra *Turnebum*: movet pedes in Veneris certamine. In Phallicis, *clunem motare* dixerunt:

— Telethuſa circulatrix,
Quæ, clunem tunica tegente nulla,
Extis altius altiuſque motat.

Sed & *Horat.* *clunibus agitare equum* dixit in Serm. lib. II. ſatyr. VII.

Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum laſciva ſupinum.

21. *Ego te* &c.) Sic *Martial.* epigr. I. lib. V.

— Ego te legiſſe putabo.

Et lib. XIV.

— Ego

Infamis Varillus ait. quo deterior te?
Loripedem rectùs derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querenteis?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo,
Si fur dìspliceat Verri? homicida Miloni?
Clodius accúset mœchos? Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?

Qua-

— *Ego te præcingere possum.*

21. *Sexte.*) Nomen fictitium, de quo *Martial.*

21. *Ceventem.*) *Cevere* Græci explicant, τὸν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν: quod uno verbo dicunt σαλακωνίζειν, a *Salacone* Antocli patre molliculo, & deliciis diffluente. *Persius* satyr. I.

— *An Romule ceves.*

Vide *Nonium* in *Conquiniscere.*

VET. SCHOL.

23. *Loripedem.*) Solutum pedibus, aut curvis.

27. *Clodius.*) Clodius C. Cæsaris uxorem in templo bonæ Deæ adulteravit: & licet *Ciceronis* testimonio gravatus, tamen absolutus est. Sed & *Clodius* fratris Domitiani filiam Juliam in adulterio sumpserat maritam, cum ipse de Adulteris leges severissimas promulgaret.

28. *Discipuli tres*) *Cæsar*, *Pompejus*, *Crassus*, qui *Syllæ* fuere discipuli. aut certe *Augustus*, *Lepidus*, *Antonius* *Triumviri*, qui per cruentum fœdus juncti, cum remp. invasissent, *Syllam* imitati, Senatum, & equestrem ordinem proscripsere.

GRANG.

22. *Infamis Varillus ait.*) Libidine infamatus. libidinis enim comes infamia. *Propert.* eleg. XVII. lib. II.

Infamis stupro stat Pelopea domus.

Et Elegia IX.

Jup iter infamat seque suamque domum.

23. *Loripedem rectus derideat.*) Proverbium, de quo *Erasmus* Chil. III. centur. II. Proverb. XXI. quam verissimum certe; nam, ut erudite *Plautus* Trucul. sc. Ad fores. *Qui alterum accusat probri, eum ipsum se intueri oportet.* Quare *Nausistrata Terentiana* objurgat senem, non abs re: Phormione act. V. sc. IX.

— *Adeone hoc indignum tibi videtur; filius,*
Homo adolescens, si habet unam amicam, tu uxores duas?
Nihil pudere? quo ore illum objurgabis? responde mihi.

24. *Quis tulerit.*) pati posset. Virgil.

Haud tulit Æneas tanto fervore furentes.

Vide *Nonium* in *Ferre.*

24. *Gracchos.*) Tiberium, & Cajum. De quibus *Livius*, *Plutarchus*, *Florus*, *Appianus*, *Cicero.*

24. *De seditione querenteis.*) quam ipsimet, in ferendis legibus Agrariis excitaverant.

25. *Quis cælum terris non misceat.*) Quis præ novitate attonitu: non exclamet, ut *Stasimus Plautinus*:

Mare, terra, cælum, DI vestram fidem!

& Misceat mare cœlo, *Virgilio* debetur, ipse enim V. Æneidos:

— *Maria omnia cælo*
Miscuit. —

Ille vero *Lucretium* imitatus:

Non si terra mari miscebitur, & mare cælo.

Noster satyra VI.

— *Et mare cælo*
Confundas. —

26. *Si fur displiceat Verri*) omnium maximo: *Cic.* in Verrinis. *Fur* autem a *furvo*, quod *fures* per atras noctes furentur. *Varro* XIV. Rerum divinarum, apud *Nonium* in *Furer.* *Gell.* XI IX. cap. lib. I. *Servius* I. *Georg.* & *l.* I. *ff. de Furtis.* Melius alii, qui a *ferendo.* Græci & simili ratione eos φῶρας appellant. *Budæus* Annot. posterioribus in Pandectas.

26. *Homicida Miloni*) Annæo, qui Clodium occidit. *Cic.* in Miloniana.

27. *Clodius*) mœchorum maximus, de quo *Cic.* ep. IX. lib. I. ad Famil. *Illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores.* Vide epist. X. lib. I. ad Att. & orationes pro domo, pro Sextio, in Pisonem, pro Cælio, pro Milone.

27. *Accuset mœchos*) nominum delatione. *Brisson.* V. de Formulis.

27. *Catilina*) conjurationis auctor.

27. *Cethegum*) unum ex conjuratoribus. de hac conjuratione *Sallust.* in Catilinario. *Cic.* invectivis. *Florus* lib. IV. cap. I. *Appianus* II. Civilium. *Plutarch.* in vitis Syllæ, Ciceronis, Cæsaris. *Oros.* cap. VI. lib. VI. *Plin.* lib. VII. cap. XXXVIII. de Cethego autem vid. satyr. X.

28. Si

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortivis fœcundam Julia vulvam
Solveret, & patruo simileis effunderet offas?
Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, & castigata remordent?
Non tulit ex illis torvum Laronia quendam

Cla-

28. *Si discipuli tres.*) Triumviri Octavius, Antonius, Lepidus.

28. *Dicant in tabulam Sullæ.*) Quia ab eo proscribere cives Romanos edocti. Unde *Florus* cap. IV. lib. V. Triumvirorum proscriptionem vocat *Sullanam*: de qua *Plutarch.* in Antonio, Bruto, Cicerone. *Appian.* lib. III. Civilium. *Plinius* cap. XLV. lib. VII.

28. *Dicant.*) Accusent: nam in accusationibus instituendis verbum *Dico* receptum. *Cic.* lib. II. in Verrem: *Hæc primæ actionis erit accusatio, Dicimus.* Auctor formularum lib. V.

28. *In tabulam Sullæ.*) De illa tabula sic *Florus* lib. III. cap. XXI. *Proposita est illa ingens tabula, & ex ipso equestris ordinis flore, ac senatu duo millia electi, qui mori juberentur.* *Valer. Max.* lib. IX. cap II.

VET. SCHOL.

29. *Qualis erat tragico.*) id est scelerato. *Claudium Cæsarem* dicit, qui occisa Messalina, uxorem impudicissimam *Agrippinam* fratris germani, matrem *Neronis*, revocatam ab insula, in matrimonium accepit, concesso jure talium nuptiarum ex SC. quam dicit etiam frequenter abortum fecisse, ne ex ipso cohæredem *Neroni* filio pareret, cui illa præparavit imperium.

GRANG.

29. *Qualis adulter*) Domitianus, qui edictis incestuosas nuptias coercebat, cum ipsemet pollutus omni genere incestus fuisset.

29. *Tragico Concubitu.*) Juliæ neptis, Titi fratris filiæ. *Sueton.* in ejus vita, cap. XXII. *Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, cum devictus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam ultro corrupit, & quidem vivo etiam tum Tito, mox patre ac viro orbatam ardentissime palamque dilexit, ut etiam caussa mortis exstiterit coactæ a se conceptum abigere.*

29. *Pollutus.*) Horatius:

Nullis polluitur casta domus stupris.

Virgil. *Pollutum hospitium.* —
Propert. eleg. X. lib. IV.

— *Furto polluit ille Jovem.*

30. *Leges revocabat amaras.*) Leges contra adulteria. *Sueton.* in ejus vita. *Zonaras* Annal. tomo II. *Martial.* lib. VI. epigr. II. & XCI.

32. *Julia.*) Sabino nupta. *Philostrat.* in vita Apollonii.

33. *Solveret vulvam.*) *Solvere* verbum parturitionibus frequens. Ovidius:

Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.

bene, quia *nexi partus* dicuntur eidem *Ovidio* IX. Metam.

Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.

Nexi autem *partus* i. impediti, & qui *solvi* non poterant, quamvis sciam *Turnebum* sic hunc locum legere:

Lucinam, nixusque pares clamore vocabam.

id intelligens de Nixiis Diis, qui nixuum in puerperio adjutores.

33. *Abortivis.*) Unius tantum abortivi meminit *Sueton.* in Domitiano, cap. XXII. *Abortivus* autem dicitur *Isidoro*, eo quod non oriatur, sed *aboriatur*, & excidat. *Paulus Diaconus* in *Abortum*, putat dictum, quod non sit tempestive *ortum.*

33. *Effunderet offas.*) Embryonem jam formatum, in frustra distractum, *offæ* instar, per vim medicaminis. Nam *offa* proprie frusta esculenta, in quæ conciditur caro.

33. *Patruo simileis.*) An quod Domitianus, qui earum offarum simul & pater, & patruus erat, adeo spurcus & fœtidus, ut illas fœditate referret? An quod si ad perfectionem venissent, *similes* exstitissent? Ceterum concubitus interdictus non tantum inter fratrem & sororem; sed & inter fratrem, & fratris sororisve filiam, neptemve. §. *Fratres.* *Institut. de nuptiis.* & *l. ult. C. de incest. nupt.*

35. *Castigata remordent.*) tanquam canes lapidem injectum. Sic *Horat.* lib. I. Epod. ode VI. *Et me remorsurum petis.*

37. *Lex*

Clamantem toties. Ubi nunc lex Julia? dormis?
Atque ita subridens: Felicia tempora: quæ te
Moribus opponunt. Habeat jam Roma pudorem.
Tertius e cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo

Quæ

VET. SCHOL.

37. *Lex Julia.*) *Julii Cæsaris* de damnandis adulteris.

40. *Tertius e cœlo cecidit Cato.*) Multi fuerunt Catones, e quibus duo nobilissimi; prior Censor; posterior nepos Ipsius, qui de mortis loco dictus est *Uticensis.*

GRANG.

37. *Ubi nunc lex Julia*) de Adulteriis, sive, ut alii dicunt, de Pudicitia, ab Augusto lata. *Ulp. l. 1. de adulter. D.* Quamvis aliqui fuerint, qui a *Julio Cæsare* ejus originem repeterent, & ab *Augusto* duntaxat confirmatam dicerent: quem in errorem ipsum nomen legis eos induxit, cum ignorarent *Octavium*, cui postea nomen *Augusti* delatum est, testamento majoris avunculi adoptatum *C. Julium Cæsarem* fuisse appellatum, more Romanis usitato, apud quos parentum adoptivorum nomina, gentilitiis aliquantulum immutatis, assumebant, qui in alienam familiam transibant. De ea re *Sueton.* in Aug. *Horat.* lib. IV. ode V.

37. *Dormis.*) Iners languescis. *Propert.* lib. III. eleg. VI.

Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.

Sic apud Martialem *dormiunt ferulæ*, quæ sunt sine effectu. Et apud *Plaut. Viden' ut dormiunt pessuli pessumi. Varro* Sexagesi. Apud *Nonium*: *O stulta nostri pectoris dormitio.*

38. *Subridens.*) Solent *subridere* irati. *Virgil.* lib. X.

Ad quem subridens mista Mezentius ira.

Et apud *Martialem* lib. VI. Epigr. LXXXII. *Subrisit modice.*

39. *Moribus opponunt.*) Simile illud:

Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

39. *Habeat jam Roma pudorem.*) Pudeat aliquando Romanos pravitatis suæ, cum te viderint. *Pudorem* autem dixit, respiciens Catonis integritatem, quo sciente peccata pudori esse debebant. Sic *Apul.* Florid. II. *Nullo, nisi tuo anno, ad coercenda peccata, plus pudor, quam timor valuit. Bernardinus Realinus* Annotat. cap. IV.

40. *Tertius e cœlo cecidit Cato.*) Ea enim fuisse licentia Catonem legimus, ut quemcunque procacibus, intemperantibusque, videlicet moribus, cum vel publice reprehenderet: adeo erat rigidi servator honesti. Ad quod respiciens noster *Juvenalis*, Laroniam inducit urbane insectantem eum, qui dixerat: *Ubi nunc lex Julia? dormis?* Romanos admonere, ut pudorem habeant, tanquam iterum Cato ex cœlo descenderit. Illud autem est inter proverbia Chil. I. centur. VIII. proverbio LXXXIX. *Horatius* dixit *sapientum octavus.* Quem sequens *Ausonius*:

Sapiensque supra Græciæ septem viros,
Octavus accessit sophos.

40. *Cecidit e cœlo.*) De *cœlo* venire dicuntur, qui virtute, prudentia, & moribus sunt præstantissimis, auctore *Gellio* lib. XV. cap. XXI. Tum etiam & inopinato visi, *cœlo missi* dicti a Latinis, ut late docet *Muret.* lib. XIII. variar. cap. VII. & *Realinus* Annotat. IV.

40. *Sed tamen.*) Conduplicata conjunctio, quæ & *Virgilio*, & *Cic.* ceterisque perfamiliaris. *Virg.* eclog. I.

Sed tamen iste Deus qui sit, da Tityre nobis.

40. *Unde Hæc emis.*) Frequens hæc interrogatio Satyrographis. *Horat.* Serm. II. satyr. III.

— Sed unde
Tam bene me nosti? —

Et satyr. II. ejusdem libri:

— Unde putas, aut
Qui partum? —

41. *Emis opobalsama.*) De Balsamo, Opobalsamo, & Xylobalsamo multus *Plinius* lib. XII. cap. XXV. *Pausan.* in Bœotiis *Palsamum*, non *Balsamum* vocat, atque inveniri in Arabia.

41. *Quæ spirant.*) Ut Martialis:

Lassa quod hesterni spirant opobalsama drauci.

Ad odores enim *spirare* refertur *Virgilius*:

— Et graviter spirantis copia Thymbræ.

Et I. Æneidos:

Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere. —

41. *Hirsuto collo.*) Illa enim parte sentitur ceterarum partium sparsus odor. Quamvis etenim hi simulatores essent hirsuti, & pilosi, in privatis tamen balineis sese per totum corpus opobalsamo, & pretiosissimis aromatum generibus adungere solebant.

44 *San-*

Quæ tibi? ne pudeat dominum monstrare tabernæ.
Quod si vexantur leges, ac jura: citari
Ante omneis debet Scantinia. Respice primum
Et scrutare viros: faciunt hi plura; sed illos

Defen-

VET. SCHOL.

44. *Scantinia.*) Lex de infamibus puniendis.

GRANG.

42. *Dominum tabernæ*) unguentariæ, ubi hæc Opobalsama tibi comparasti. *Dominus* autem *tabernæ*, ut *Apulejo* Dominus ædium: nam *taberna* hic absolute pro *taberna unguentaria*, ut dixit *Sueton.*

43. *Quod si vexantur leges ac jura.*) Valet, si negotium est legibus exhibendum, & si advocandæ sunt contra vitia. Qui enim vocantur, ut veniant, eis labor injungitur, & vexari videntur: & sic in Euangelio *Lucæ* cap. VII. scribitur *μὴ σκύλλου*, quod Latinus Interpres vertit: *noli vexari. Turneb.* lib. XV. cap. XVII.

43. *Leges, & jura.*) Plerunque conjunguntur. Virgilius:

Jura dabat legesque viris. —

Martialis:

Juris & æquarum cultor sanctissime legum.

Noster infra:

— *Leges, ac jura ferentem.*

44. *Ante omnes*) alias leges de Adulteriis, Stupris, & similibus.

44. *Scantinia.*) Lex in eos, qui aut alienam pudicitiam sollicitassent, aut suam ipsi prostituissent. Pœna primum pecuniaria decem millium, auctore *Quintiliano* IV. & VII. Institut. Postea ob magnitudinem sceleris, propter atrocitatem, a Christianis Imperatoribus pœna gladii constituta est, quam primum sanxerunt Constantius, & Constans, *l. Cum vir nubit. C. ad L. Juliam de adult.* quam confirmavit *Justinian. Novell.* LXXVII. & *Novell.* CXLI. hanc pœnam susceperunt ex *Sacra Scriptura*: morte enim tale crimen punitur *Levit.* XX. Quod etiam receptum fuit apud Athenienses: *Æschines* contra Timarchum. Apud Gothos castrabantur. Valentinus, Theodosius, & Arcadius jubent comburi, *l.* VI. *Cod. Theodos. de Adult.* Sed ut ad *Scantiniam legem* redeamus, meminit *Cælius* apud *Cic.* VIII. epist. XII. *Sueton.* in Domitiano. *Tertull.* lib. de Monogamia. *Auson.* epigr. LXXXVIII. *Plutarch.* in Marcello. Unde autem nomen sumpserit, inter auctores dissensio est. Alii a *Scantinio Aricino* dictam volunt, quorum sententiæ favere videtur *Cic.* Phil. III. *Quod autem*, inquit, *municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum: hinc Voconiæ, hinc Scantiniæ leges.* Alii tamen non ab eo, sed a *C. Scatinio*, qui Marcelli filium corrumpere tentaverat, accusanteque patre Marcello, damnatus est, nomen accepisse volunt: & quamvis non a damnatis, sed a latoribus sortiantur sua nomina leges; tamen hanc a primo, qui damnatus fuit, vocitatam Græcorum exemplo fuisse contendit *Parrhas.* epistolic. quæst. epist. XXIII. Nam cum Laius Oedipi pater, omnium primus inter homines intulisset stuprum Chrysippo Pelopis filio, lex ejusdem formulæ, cujus Scantinia, *Laia* dicta est ab eo.

44. *Debet citari.*) Vocari ad suum munus. *Citare* enim, vocare est, inquit *Festus* in *Procitant. Plaut.* Pseudolo: *Advortito animum, non adest, cita. Sueton.* in Nerone, cap. XLIV. *Citare tribus ad Sacramentum.*

45. *Scrutare viros.*) Vis est in verbo. Nam, ut docet *Cornel. Fronto, scrutatur* in te, qui intercipit secreta. Notatio verbi demonstrat, quæ est a *scrutis* & trivolis: Ita ut *scrutari* sit inquirere exacte vel minutissima.

45. *Faciunt hi plura.*) Horatius:

Et faciunt hi plura dolentibus ex animo.

Facere heic patrare: hinc *facere facinus, facere furtum* passim auctoribus.

45. *Sed illos Defendit numerus.*) i. Maxima multitudo virorum peccantium sese defendit adversus leges, imo quasi phalange facta in eas conspirat. Sic enim *Parrhas.* explicat, quod *Strabo συνασπίζειν* III. Geographiæ, pro *conspirare* usus fuerit: *junctæ* enim *phalanges umbone*, uno verbo Græcis *συνασπισμός.* Cum junctis scutis aut clypeis, vel in hostes invaditur, vel hostium impetus excipitur. Multi auctores in hanc sententiam iverunt, indeque JC. axioma: *Communis error facit jus. l.* III. *D. de suppellect. D. Cyprian.* epist. ad Donatum: *Consenserunt jura peccatis, cœpit esse licitum, quod publicum.* D. *Hieron.* epist. ad Gaudentium: *Videntur hæc, planguntur, & non vindicantur, quia multitudo peccantium peccandi licentiam subministrat. Seneca.* III. de benef. cap. XVI. *Pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, & desinet esse pro-*

tri

Defendit numerus, junctæque umbone phalanges.
Magna inter molleis concordia. Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hippo subit juvenes, & morbo pallet utroque.

Nun-

bri loco commune delictum. & I. de Clementia. cap. XXII. *Facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium, & minus gravis nota est, quam turba damnatorum levat.* D. *Hieron.* Ruffino clare ostendit contrarium: *Peccantium*, inquit, *multitudo non parit errori patrocinium.* & epist. ad Pammachium: *Quasi culpam numerus peccantium minuat, & in personis, non in rebus sit accusatio.*

VET. SCHOL.

46. *Defendit numerus.*) Lucanus:

— *Quicquid multis peccatur, inultum est.*

Metaphora a bellantibus.

50. *Hippo.*) Vir gravis corrumpitur a juvenibus, & patitur, & lambit.

50. *Morbo utroque.*) Utriusque sexus inguina lambentis & propatientis.

GRANG.

46. *Phalanges.*) Phalanx erat peditum stabile agmen gravis armaturæ, propria Macedonibus, qui clypeis consertis pugnare solebant. *Parrhas.* epist. XX. Porro, *numerus*, militare verbum, quod inferiore ævo crebro accipitur pro *cohortibus*, vel *legionibus* ipsis. *Lips.* de milit. Rom. lib. II.

46. *Umbone.*) Clypeo. Proprie tamen *umbo*, media clypei pars eminens. *Servius* ad illud IX. Æneid.

——— *Nec sufficit umbo*
Ictibus. ———

Et *Isidor*, lib. XI. cap. I. & lib. XVIII. cap. XI. *Umbo* autem de Græco deflexum est, mutata leviter significatione. Nam ἄμβων, Græca dictio est. *Turneb.* cap. VII. lib. XXII. Adversar.

47. *Magna inter molleis concordia.*) Simile illud *Catulli* epig. LVIII.

Pulcre convenit improbis cinædis.

Martial. Epigr. XXXIV. lib. VIII.

Cum sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Hinc proverbium: *Simile simili gaudet*, apud *Erasmum* Chil. I. centur. II. proverb. XXII. *Salisberiensis* Policrat. lib. III. cap. XII. *Si tamen inter malos charitatem esse potest; hoc etenim quæsitum est: sed tandem placuit, eam, nisi in bonis, esse non posse. Magna utique inter molles, & malos concordia: sed ea tantum a charitate discedit, quantum lux distat a tenebris; & licet interdum mali, sicut & boni, idem velle, vel idem nolle possint; amicitiæ tamen titulum non assequuntur.* Unde & *Crispo* historicorum inter Latinos potissimo, sed & ipsi Ciceroni placuit, *In malis factionem esse, quod in bonis viris vera amicitia est.*

47. *Non erit ullum Exemplum tam detestabile.*) *Non erit ullum*, pro: nullum erit. Sic *Propert.* eleg. ult. lib. IV.

Turpior assessu non erit ulla meo.

48. *Exemplum tam detestabile.*) *Exemplum* est, quod sequamur, istud oculis conspicitur. Venit autem exemplum ab *ex*, & *emendo* i. sumendo.

48. *In sexu nostro.*) quamvis sequiori, &, ut dicitis, fragiliori.

49. *Tædia non lambit Cluviam.*) Non est fellatrix. *Lambere* obscœnum verbum. *Martial.* lib. X. epig. LXI.

Lambebat medios improba lingua viros.

Et lib. III. Epigr. LXXXI.

Hæc debet medios lambere lingua viros.

49. *Nec Flora Catullam.*) De illa Catulla *Martial.* Epigr. LIII. lib. VIII.

Formosissima, quæ fuere vel sunt,
Sed vilissima, quæ fuere vel sunt:
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam.

50. *Hippo subit juvenes.*) it sub amplexus juvenum: id enim est *subire.* *Ovidius* epist. Helenes:

Velle sub amplexus ire puella meos.

Propert. lib. III. epist. XIX.

Quæ voluit liquido tota subire Deo.

Et in *Priapejis* post Petronium:

Najades antiqui Dryadesque habuere Priapi,
Et, quo tenta Dei vena subiret, erat.

Sic apud *Festum* in Suilum; *subare* & *subire* legit doctissimus *Passerat.* Ubi legunt *surire.* Valet ergo & *subire*, substernere, subigi, succumbere, conquiniscere, inclinare se.

50. *Et morbo pallet utroque.*) Fellatione, & pædicatione. *Martial.* epigr. LXXVIII. lib. I.

Pulcre valet Charinus, & tamen pallet,

Parce

Nunquid nos agimus caussas, civilia jura
Novimus, aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucæ: comedunt coliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum

Pene-

Parce bibit Charinus, & tamen pallet,
Bene concoquit Charinus, & tamen pallet,
Sole utitur Charinus, & tamen pallet,
Cunnum Charinus lingit, & tamen pallet.

50. *Morbo utroque.*) Quem vocat Campanum morbum *Horat.* satyr. V. lib. I. Sermonum:

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus.

Campani enim impuro ore, atque incesto. Ejusmodi homines vocat *Labdas* Varro. Dicuntur & *Lesbii*, forte, ut *Scaliger* notat, quia *Lesbii*, ut *Campani*, male de hac re audiebant. Talis depingitur *Martiali* Manucius, epigr. LXII. lib. XI. Cujus

Partem gulosam solvit indecens morbus.

VET. SCHOL.

53 *Coliphia.*) Pulmentum: sive membrum virile; aut potius athletarum cibum dicit.

GRANG.

51. *Nunquid nos agimus caussas.*) Satyrographus *Horatius* frequens in in errogatione illa, *nunquid*, ut satyr. II. lib. I.

— *Nunquid ego a te?*

Et satyr. IV. ejusdem libri:

— *Nunquid Pomponius istis*
Audiret leviora pater, si viveret? —

51. *Agimus caussas.*) Verbum *agere*, sexcentis rebus accommodari potest. Unde lusus *Martiali* epigr. LXXX. lib. I. ad Attalum:

Semper agis caussas. &c.

51. *Civilia jura Novimus.*) *Civica jura* dixit *Horatius*:

Respondere paras, seu civica jura. —

52. *Aut ullo strepitu fora vestra movemus.*) Non enim fœminæ, persequendæ litis obtentu, convenit virorum cœtibus immiscere. *l. maritus. Cod. de Procuratorib.* unde *Plutarch.* in comparatione Lycurgi, & Numæ tradit, quod, cum mulier aliquando in foro dixisset propriam caussam, misisse Senatum Deo consultum, quidnam civitati ea res portenderet. Vide, quæ diximus ea de re ad satyr. VI.

53. *Comedunt coliphia paucæ.*) *Coliphia* panem esse Athletarum, verba illa, *Luctantur paucæ*, declarant. Dicitur autem *coliphium*, ἀπὸ τοῦ κώλου καὶ ἶφι, i. robore membrorum, ut docet *Budæus*. l. *Athletas*. priorib. Annot. in Pandect. Sic *Martialis* post luctam Philænin inducit manducantem *coliphia*, ut quæ sese pararet ad Pygiacam luctam: unde & crederem *Junio*, qui panes in similitudinem virilis membri factos *coliphia* fuisse asserit; qui compositi fortasse Satyrio, & similibus, quæ ad Venerem incitant. De hoc pane *Martialis*:

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum,
Ipse licet rodas inguina, purus eris.

Sed & erant panes in formam muliebris membri, de quibus *Cœlius Rhodig.* lib. IX. Lectionum Antiq. cap. XVI. & *Martialis* epigr. III. lib. IX. in Lupum.

54. *Vos lanam trahitis.*) Nos mulieres non immiscemur negotiis virorum; vos autem & habitum, & officia muliebria fungimini.

54. *Trahitis lanam.*) *Horatius* ode XIII. lib. I.

— *Nec Laconicas mihi*
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Propertius eleg. XI. lib. III.

Tam dura traheret mollia pensa manu.

Ovidius II. Fastorum:

Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant.

Martial. lib. IV. epigr. LXXIII.

Ut traheret parva stamina pulla mora.

54. *Refertis calathis.*) Calathi Græce, Latine *quasilli*. Festus: [illegible] proprie, ubi [illegible] i. tinctas lanas reponebant. Sic *Catull.* nuptiis Pelei, & Thetidos:

Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgatis custodibant calathiscis.

Ovidius II. Fastorum:

Ante torum calathi, lanaque mollis erat.

Idem epist. Dejaniræ:

Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum.

Idem II. de Arte, de eodem, qui

Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, & lanas excoluisse rudes.

54. *Peracta vellera.*) Stamina in filum deducta.

55. *Vos torquetis fusum.*) Pollice versatis. *Ovid.* epist. Dejaniræ:

Ah quoties, digitis dum torques stamina. —

Penelope melius, levius torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.

Tu

55. *Fusum stamine prægnantem.*) *Sidon. Apollin.* carm. XXII.

— Vel stamine fulvo
Prægnantis fusi mollitum nesse metallum.

Virgil. Ciri:

Non licuit gravidos penso devolvere fusos.

55. *Tenui stamine.*) *Plaut.* Mercatore, sc. Amice amico.

Possin tu, si usus venerit, subtemen tenue nere.

VET. SCHOL.

57. *Horrida quale facit.*) Magno odio habetur apud uxorem ea, quæ domino miscetur. Ergo hanc insequens gravioribus pœnis domina, catena vinctam infigit codici, atque ita jubet facere pensa.

58. *Hister*) Infamis, qui omne patrimonium suum vivus donavit uxori, ob hanc scilicet caussam, ut simul dormiret is, qui & illum corrumperet, & illi misceretur. *Puellæ* ergo consciæ sibi, quæ noverat eum corrumpi.

GRANG.

56. *Penelope melius.*) quæ ab *Homero* inducitur XVII. Odyss. λεπτ' ἠλάκατα στροφῶσα. i. tenues lanas vertens. Unde ipsa apud *Ovidium*:

Forsitan & narres, quam sit tibi rustica conjux,
Quæ tantum lanas non sinit esse rudes.

Hinc forte *Penelope* dicta a Græco πηνίον, sic enim Græci *fusum* vocant, quo subtemen involvitur.

56. *Levius Arachne.*) *Ovid.* lib. IV. Metam.

Sive levi teretem versabat pollice fusum.

Plin. lib. VII. cap. LVI. dicit, quod Closter filius *Arachnes* fusos in lanificio invenit, ipsa autem linum & retia.

57. *Quale*) stamen.

57. *Facit.*) Net. *facere pensum*, heic *nere*, ut apud *Propert.* eleg. X. lib. IV.

Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colo.

Alias *facere pensum*, est *carpere* & *putare lanam*.

57. *Horrida pellex.*) Anus algore confecta, tremulaque: Nam, ut docte *Parrhas.* quæst. epistolic. XXII. quas uxor ancillas olim suspectas habuisset, ut pellices, cum per absentiam vel obitum viri licebat, ad codicem vinctas iniqua pensa trahere cogebat in compedibus. Sic apud *Propert.* lib. IV.

Codicis immundi vincula sentit anus.

Subtilis *Turneb. Codicem* docet in Adversar. cap. XXI. lib. XXIII. esse stipitem ligneum, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique insidebant vincti, qui hodie apud nos appendi solet: vulgo *un billot*. Vult *codicem* a *robore* differre, quod *robur* esset, cui manus & pedes inserebantur caputque. Quid autem *pellex*, vid. *Gell.* lib. IV. cap. III. *Festus* in *Pellices*. *Nonius* in *Pellex*. *Paulus l.* CXLIV. *ff. de verb. signif.*

57. *Residens.*) Perpetuo sedens. *Martialis*:

Candida perpetuo reside concordia lecto.

Hinc *reses*, & *residuus*, pro ignavo apud *Festum*.

58 *Notum est.*) *Horat.* satyr. VII. lib. I.

Omnibus & lippis notum & tonsoribus. —

Martial. epigr. XLIII. lib. IV.

Quod notum est, quod est, ipse non negabis.

58. *Impleverit tabulas Liberto.*) Ipse satyr. VI.

— Mox decolor hæres
Impleret tabulas. —

Tabulas testamenti, quas *supremas* appellat *Martial.* *Horatius* absolute *tabulas*, satyr. V. lib. II. Serm.

— Et tabulas a te removere memento.

59. *Cur dederit vivus.*) Facetum ad hanc rem epigr. *Martialis* lib. XI. epigr. LXIIX.

Nil mihi das vivus, dicis post fata daturum,
Si non es stultus, scis Maro, quid cupiam.

59. *Dederit puellæ.*) Uxori. Sic *Horat.* ode XIV. lib. III.

— Vos o pueri, & puellæ
Jam virum expertæ.

Propert. eleg. III. lib. IV.

— Salvo grata puella viro.

Martialis:

Uxor cum tibi sit puella. —

Sic, *Nymphæ*, uxores appellantur ab *Ovid.* epist. Penelop.

Gratia ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis.

60. *Dives erit.*) Nullius rei egens. *Varro* IV. de ling. Lat. *Dives a Divo, qui, ut Deus, nullius rei indigere videtur.*

60. *Quæ dormit.*) Cubat. Martialis:

Dormis cum pueris mutoniatis.

60. Ter-

Tu nube, atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur.
DAT veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera, ac manifesta canentem
Stoicidæ. Quid enim falsi Laronia? sed quid
Non facient alii, cum tu multicia sumas

Cre-

60. *Tertia*) permittens secum cubare catamitum.

60. *Magno lecto.*) An quia lectus divitis? an quia tres contineret, aut sit lectus maritalis? Sic nos, *Elle couche au grand lit.* Contra dicitur, *parvus lectus* Tibullo:

— *Satis est parvo conquiescere lecto.*

Propert. angustum dixit:

Ille, vel angusto versamus prælia lecto.

VET. SCHOL.

61. *Cylindros.*) Gemmas pretiosas.

63. *Dat veniam corvis.*) Proverbium est corvorum, de impudicis. discrevit sexum per aves. Unde dicunt coire corvos per os, & sic parere. *Columbas*, retulit ad simplicitatem.

65. *Stoicidæ.*) Dicit contumeliose. ut Virgil.

O vere Phrygiæ. —

& Persius:

Troiades. —

66. *Multicia.*) Vestes molli intextas substamine, quibus solent uti puellæ.

GRANG.

61. *Tu nube, atque tace.*) Quæcunque dives brevi fieri desiderat, *nube* ejusmodi mollibus, *& tace.*

61. *Donant arcana cylindros.*) Etenim:

Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.

Utilior haud est ulla res silentio.

62. *Arcana.*) *Arcani* sermonis significatio trahitur sive ab *arce*, quæ tutissima est pars urbis; sive a genere sacrificii, quod in *arce* fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgi, ut ne literis quidem mandetur; sive ab *arca* in qua, quæ clausa sunt, tuta manent, *Fest.* At *Servius* & *arcem*, & *arcam* contra deducit ab *arcano*.

61. *Cylindros.*) *Cylindri* lapilli sunt teretes & oblongi, instarque *Cylindri*, quo in areis æquandis utimur, volubiles. *Tertullianus* libro de habitu muliebri: *Latent in cingulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit.* Dicti παρὰ τὸ κυλινδεῖν. a volubilitate. *Servius* ad illud Georg.

— *Ingenti est æquanda Cylindro.*

Vide *Plin.* cap. VI. lib. XXXVII.

62. *De nobis*) fœminis.

62. *Fertur tristis sententia.*) *Ovidius* XV. Metam.

Tunc quoque sic lata est sententia tristis. —

63. *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*) Proverbium, de quo *Erasmus* Chil. III. cent. V. proverb. LXXIII. Sic *Terent.* Phorm.

Quia non rete accipitri tenditur, neque milvio,
Qui male faciunt nobis, illis, qui nihil faciunt, tenditur:
Quia enim in his fructus est, in illis opera luditur.

63. *Censura*) Bene: nam Censoriæ leges erant de re Uxoria: ideoque interrogabant maritos Censores, an haberent uxores ex animi sententia? *Agell.* lib. IV. cap. ult. *Brisson.* VIII. de formulis.

64 *Fugerunt canentem.*) *Laroniam* clare & distincte vitia cognita manifestantem. Sic & nos Galli in ipsis rebus, *je luy ay chanté ses verités.*

64. *Manifesta.*) Omnibus clara, & æque cognita, ut ea, quæ in vico manu feruntur. *Manifestus* enim quasi *manu ferens.* *Passerat.* ad Propertium.

65. *Stoicidæ trepidi.*) Quos *Comicus quidam* apud *Athenæum* sic alloquitur:

Ἀκούσατ᾽ ὦ Στωϊκοὶ ἔμποροι λήρου,
Λόγων ἀποκριταί. —

Unde dicti *Stoici*, & *Stoicidæ*, videndus *Laertius* in vita Zenonis, ii enim primum dicti *Zenonii.*

65. *Quid falsi Laronia*) dixit Stoicidis.

65. *Quid Non facient alii.*) *Virgil.* eclog. II.

— *Quid non faciebat Amyntas?*

Facient, committent, ipse *Virgil.* eclog. III.

Quid domini facient, audent cum talia fures?

66. *Multicia.*) *Multicia* erant vestimenta subtilissimis filis contexta. Unde *Tertull.* lib. de Pallio, *multiciam synthesim*, & *Flavius Vopisc.* in Aureliano vocat *multicias tunicas.*

66. *Sumas.*) Induas. infra vers. 70.

Non sumet damnata togam. —

Martial. lib. VIII. epigr. XLIIX.

Quo possis melius fallere, sume togam.

Horat. satyr. VI. lib. I. Serm.

Sumere depositum clavum. —

E contrario *ponere*, pro exuere. Ipse satyr. I.

— *Cum tu deponis amictus.*

Et satyr. VI. *Ponunt Cosmetæ tunicas.* —

Cretice, & hanc vestem populo mirante perores
In Proculas, & Pollitas? est mœcha Fabulla.
Damnetur, si vis, etiam Carfinia: talem
Non sumet damnata togam. Sed Julius ardet,
Æstuo. Nudus agas: minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges, ac jura ferentem

Vul-

VET. SCHOL.

67. *Cretice.*) Hoc nomine vel quemlibet nobilem significat; vel Julium Creticum, qui sub Cæss. inlustris caussas egit.

68. *Fabulla.*) de centum una.

GRANG.

67. *Perores.*) *Perorare*, pro agere, quomodo & usurparunt Tabulæ decemvirales: *Cum perorant ambo præsentes.* i. cum ambo præsentes agunt, petunt, postulant. Ut *adorare* in *Leg.* XII. *Tabul.* pro agere, *Si adorat furto.* ut vidit *Antonius August.* apud *Fest. Turneb.* lib. x. cap. xv.

67. *Hanc vestem mirante populo.*) *Multiciam* ita delicatam.

68. *Est mœcha Fabulla.*) Sine dubio *Fabulla*, non *Labulla* retinendum, de qua *Martial.* epigr. XCV. lib. XII.

Qua mœchum ratione basiaret
Coram conjuge, repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem:
Hunc multis rapit osculis madentem
Mœchus protinus, & suis repletum
Ridenti dominæ statim remittit.
Quanto Morio major est maritus!

68. *In Proculas, & Pollitas.*) Matronas, in quas lege Julia, de stupro & adulterio agis.

70. *Talem Non sumet damnata togam.*) qualem habes caussas agendo. *Toga* autem non solum virorum; sed & mulierum. *Varro* de vita pop. Rom. apud *Nonium* in *Toga. Servius* I. Æneid. ad illud:

— *Gentemque togatam.*

Pedianus III. Verr. III. Tandem tamen obtinuit usus, ut mulieres adulterii convictæ, in publicum egredi *togatæ* cogerentur. *Horat.* Serm. lib. I. satyr. II.

— *Quid inter-*
Est, in matrona, ancilla, peccesve togata?

Ubi *Acron*: *Matronæ, quæ à maritis ob adulterium repudiabantur, togam accipiebant, remota stola, propter ignominiam.* Inde Martialis:

— *Matrisque togatæ Filius.* —

Vulgo nobis *un fils de putain.* Sic de matrona meretrice idem:

Vis dare, quæ meruit munera, mitte togam.

Sed clarius epigr. LII lib. x.

Thelim viderat in toga spadonem:
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Origo ejus rei ab Atheniensibus referenda, apud quos scorta a matronis discreta. Adi sodes *Aldum Manutium* de Quæsitis per epistol. epist. I. *Tiraquellum* in Legibus connubialibus. *Brissonium* select. Antiquit. lib. I. cap. IV. *Lipsium* ad II. Annal. Taciti. *Muretum* in Variis. *Lambin.* ad *Horat.*

70. *Sed Julius ardet, Æstuo.*) Verba Cretici Laroniæ respondentis: si multiciam & delicatam fero vestem, id facio propter intolerabiles *æstus* mensis *Julii.*

70. *Julius ardet.*) *Martial.* epigr. LXII. lib. x.

Albæ leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Julius concoquit messem.

Julius anteà Quintilis; postea, in honorem Cæsaris, *Julius* appellatus, legem ferente M. Antonio M. filio Consule, quod hoc mense a. d. IV. non. Quintil. Julius Cæsar procreatus sit. *Macrob.* Saturn. lib. I. cap. XII.

71. *Æstuo.*) Ipse satyr. III.

— *Si dixeris æstuo, sudat.*

71. *Nudus agas.*) Verba Laroniæ, aut Poetæ pro Laronia respondentis: dicis te multiciam ferre vestem, quod æstuas, age potius nudus.

71. *Minus est infamia turpis.*) Minus turpis infamia, nudum orare, quam multicia indutum. Frustra aliæ sunt interpretationes, & albis dentibus ridendi, qui legunt *insania*, pro infamia.

72. *En habitum.*) Ironia cum indignatione, quæ solet fieri cum hac particula, ut apud *Virgil.* IV. Æneid.

— *En dextra, fidesque!*

Et XII.

En agros, & quam bello, Trojane, petisti Hesperiam! —

72. *Habitum.*) Vestimentum. vulgo *un habit.* Sic *Virg.* ea in significatione:

Virginis os habitumque gerens. —

72. *Leges ferentem.*) Quid sit *ferre legem*, & quando, & quo die diceebatur *ferri*, vide *Cruchium*

de

Vulneribus crudis populus modo victor, & illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid, non proclames, in corpore judicis ista
Si videas? quæro, an deceant multicia testem?
Acer, & indomitus, libertatisque magister
Cretice perluces! DEDIT hanc contagio labem,

Et

de Comitiis Romanorum lib. I. & *Budæum* priorib. Annot. in Pandect. *l. Posteriore. ff. de orig. jur.* Id Græci *εἰσφέρειν* dicebant, quasi adferre in medium.

VET. SCHOL.

73. *Vulneribus crudis.*) Recentibus bellis.

GRANG.

73 *Populus victor.*) Petronius:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

73. *Modo.*) Usurpatur de longo tempore, ut apud *Valer.* lib. I. cap. I. de annis sexaginta. Heic de multo longiori. Dicit enim indignum habitum esse *multiciam*, in qua priscis Romanis semper plenis adhuc vulneribus & intentis agriculturæ, ferret leges, & jura Creticus.

74. *Vulgus Montanum.*) Tribus rusticæ habitantes in montibus; qui plures in Latio; & ceteris Italiæ partibus.

74. *Positis aratris.*) Nundinarum die, vel comitiorum.

75. *Quid, non proclames.*) Forte, ut Tullius: *O tempora! o mores!* forte ut Plautus: *Mare, terra, cælum, Dii vostram fidem!*

75. *Ista Si videas.*) Multicia.

75. *In corpore judicis.*) Coram quo judicium exercente caussas agis.

76. *Quæro.*) *Horat.* Serm. I. satyr. III.

— Quæro, faciesne, quod olim?

76. *An deceant multicia testem.*) Cum non deceant judicem, peto a te, an testem, qui multo minor judice, tales habitus decerent?

77. *Tu Acer, ac indomitus, libertatisque magister.*) Si multicia non decent judicem, non testem, quanto minus Philosophum Stoicum?

77. *Acer & indomitus.*) Juxta paradoxum Stoicum, qui sapientem *ἀπαθῆ*, sive imperturbabilem faciunt. Vel si ad corpus referas, tangit aliud Zenonis inopinatum sapientem, vel in tormentis beatum esse: Nam, ut ait *Cic.* II. Tuscul. *Si uratur sapiens, si cruciatur, in Phalaridis tauro si erit, dicet: Quam suave est hoc, quam hoc non curo!* Et ut doctor *Ambros.* lib. de Jacob. I. cap. VII. *Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis; sed etiam in ærumnis beatus manet. Quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati.*

77. *Libertatisque Magister.*) Dogma etenim ipsorum est, ut docet *Cic.* Paradoxo V. *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.* Definit autem libertatem illam Stoicus *ἐξουσίαν αὐτοπραγίας.* Unde *Cic.* *Quid est libertas? potestas vivendi, ut velis.*

78. *Pelluces.*) Adeo pellucida fers vestimenta, ut totum corpus oculis prætereuntium distincte appareat. *Seneca* lib. VIII. de benef. *Video Sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi corpus aut pudor possit: quibus simplex mulier parum liquido nudam se non esse jurabit, hæc ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus arcessuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus suis in cubiculo, quam in publico ostendant.*

78. *Pelluces.*) Hinc veter. Gloss. *pellucida (vestimenta)* *διαφανῆ.* Tibullus:

— Purpureaque veni pellucida palla.

78. *Dedit hanc contagio labem.*) Mollitiem illam contraxisti ex mollium consuetudine. *Sumuntur enim*, ait *Seneca* III. de ira, *a conversantibus mores, & ut quædam in contactos corpore vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit.* Unde *Ovid.* II. de Remed. Am.

Si quis amas, nec vis, facito contagia vites,
Hæc etenim pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Notum illud Menandri:

Κακοῖς ὁμιλῶν, κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Cum malis conversans & ipse evades malus.

Vide *Clement. Alexandr.* Pædag. III. cap. IV. & *Plutarch.* de liberis educandis.

78. *Labem.*) *Labes* proprie macula in vestimento, translatione ad animum auctores referunt. *Virg.* VI. Æneidos:

E 3 Con-

Et dabit in plureis : ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci,
UVAQUE conſpecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu:
NEMO repente fuit turpiſſimus. Accipient te
Paullatim, qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo,

Atque

Concretam exemit labem. —
Cic. videtur *a lavando* deducere II. de legib. *Labes animi manibus ullis elui non poteſt.*

78. *Contagio.*) *Contagio*, *Contages*, & *Contagium* dicitur. *Nonius* in *Contagio*, a *contagendo*, vel *contingendo*, quia quem contigerit, polluit. *Iſidor.* IV. Etymol.

VET. SCHOL.

81. *Uvaque conſpecta.*) Et Virgil.
Ne mala vicini pecoris contagia lædant.
Hoc & proverbio ſumitur: *Uva uvam videndo varia fit*

GRANG.

79. *Sicut grex totus in agris.*) *Ovidius* ſupra:
— *Facito contagia vites*,
Hæc etenim pecori ſæpe nocere ſolent.

80. *Porrigine porci.*) *Turneb.* dicit quibusdam in libris melius ſcribi *prurigine*, ut in *Juſtino* lib. XXXVI. de Judæis: *Cum ſcabiem & pruriginem paterentur.* *Iſidor.* in cutis vitiis, lib. IV. Etymol. cap. VIII. *Prurigo*, inquit, *vocata a perurendo, & ardendo.* Sed *porrigo* capitis videtur morbus eſſe, ſurfuribus & farina quadam obſita. *Serenus* cap. III.
Cum caput immenſa pexum porrigine ningit.
Prurigo, corporis pruritus, & aſperitas. *Serenus* cap. VII. Pruriginem intelligit, cum ſcribit:
Pruritus autem ſalſos levat humor aceti.
Porrigo quoque apud *Lucilium* perſpicue capitis eſt: ejus carmen apud *Nonium* in *Porrigo*:
Triſte & corruptum, ſcabie & porrigine plenum.
Sed & apud *Celſum*. Habere autem potius a *porro olere* nomen, quam a *porrigendo*, ex ſyllaba originem oſtendente videtur.

81. *Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.*) *Suidæ* dictum fuit, βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται, *botrus oppoſitus botro maturescit.* quod abiit in proverbium. De quo *Adagiographus* Chiliad. III. cent. II. proverb. XLIX. Cui ſimile illud, *Uva uvam videndo varia fit.* Originem dicti tangit *Turneb.* lib. XIV. cap. XVII.

81. *Livorem ducit*) Ut Virgil. *ducere colorem.*
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Ovid. *ducere pallorem.* VIII. Metamorph.
— *Pariter palleſcere glandes*
Cœpere, & longi pallorem ducere rami.
Tibullus *ducere notam*, eleg. VI. lib. I.
— *Et menſa ducat in orbe notas.*

81. *Livorem.*) Nigrorem. *Livere* uvas etiamnum dicunt ruſtici, *ſe meurtrir*, quia imitantur colorem eorum, qui plagam aliquam receperunt ſine acie ferri. *Horat.* oda V. lib. II.
— *Jam tibi lividos*
Diſtinguet Autumnus racemos.
Propert. el. II. lib. IV.
Prima mihi variat liventibus uva racemis:

82. *Quandoque audebis.*) tu Cretice.

82. *Audebis aliquid fœdius hoc amictu.*) Facies aliquid fœdius, quam feciſti, cum perorando pellucebas. *Audere* ut plurimum in malam partem, Virgilius:
— *Audent cum talia fures.*
Et XII.
Tu pro germano ſi quid præſentius audes.

83. *Nemo repente fuit turpiſſimus.*) Carmine *Floridi* de qualitate vitæ:
Qui mali ſunt, non fuere matris ab alvo mali,
Sed malos faciunt falſa contubernia.

83. *Accipient te paullatim.*) In conſortium recipient viri nubentes, qui ſexum, habitumque fœminarum mentiuntur.

84. *Qui longa domi redimicula ſumunt.*) Agebatur id genus infamiæ, ut docte *Dionyſius Gothofredus* JC. ad l. *cum vir nubit.* π. *ad L. Juliam de Adulter.* habitu, vultu, & inceſſu fœmineis adſumptis. *Salvianus* lib. VII. de Gubernatione. *Cum enim muliebrem habitum viri ſumerent, & magis, quam mulieres, gradum fingerent.* & paulo poſt, quod ad textum hunc magis facit, *cum fœmineis tegminum illigamentis capita velarent.*

85. *Et toto poſuere monilia collo.*) *Ovid.* epiſt. Deianiræ:
Vidit in Herculeo ſuſpenſa monilia collo.
Et X. Metamorph.
Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.
Virgil. VII. Æneid.

Aurea

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam: sed more ſiniſtro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara Deæ maribus patet. Ite profanæ!
Clamatur: nullo gemit heic tibicina cornu,
Talia ſecreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.

Ille

Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

Quid autem proprie *monile*, non ſatis ſciunt. D. *Hieron.* in III. cap. *Eſaiæ*, dicit *monile* uno verbo, omnia ornamenta muliebria ſignificare. *Servius* ad illud I. Æneid.

— Colloque monile
Baccatum. —

Dicit *monile* ſegmentum dici, quod ex *ſegmentis*, hoc eſt, bracteolis aureis, vel argenteis fieri conſueverit. *Feſtus Monile* dictum eſſe vult ornamenti muliebris genus, cujusmodi habuiſſe Eriphylen fabulæ ferunt. Alii ornamentum, quod de collo puellarum pendet, ita dictum, quod virtutis *admoneat*. Nam primo ob aliquod egregium factum dari ſolebat. *Tiraquell.* in III. l. connubial.

VET. SCHOL.

92. *Cecropiam ſoliti Baptæ.*) *Baptæ*, titulus libri, quo impudici deſcribuntur ab *Eupolide*, qui inducit viros Athenienſes ad imitationem fœminarum ſaltantes, laſſare pſaltriam. *Baptæ* ergo molles, quo titulo *Eupolis* comœdiam ſcripſit, ob quam ab Alcibiade, quem præcipue præſtrinxerat, necatus eſt.

92. *Cotyton.*) Ad exemplum Cotyti, dicuntur Iſiaca ſacra celebrari.

GRANG.

86. *Placant Bonam Deam.*) Ut magis magisque mulierum mores ſequantur, quibus ſolis *Bonæ Deæ* ſacrificare licebat: qua de re fuſe ad VI. ſatyr.

86. *Placant.*) Verbum ſacrificii. *Virg.* II. Æneid.

Sanguine placaſtis ventos & virgine cæſa.

Horat. epiſt. XVI. lib. I.

— Vel porco vel bove placat.

86. *Abdomine teneræ porcæ.*) Quare porca facerent huic Deæ, vide *Macrob.* lib. I. Saturn. cap. XII.

87. *Et magno cratere*) *Mellario*, de quo *Macrob.* loco ſupradicto. Cauſſam autem *Arnob.* lib. V. adverſ. gent. & *Lactantius* reddunt.

87. *Sed more ſiniſtro.*) Contrario. *Virg.* XI. Æneid.

Cujus ob auſpicium infauſtum moresque ſiniſtros.

Ubi *Servius* mores ſiniſtros *contrarios*. Hic autem *mos ſiniſter*, cum exagitantur fœminæ, quibus patere locus ſolis deberet, maribus exagitans. Tibullus:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

89. *Ite profanæ! Clamatur.*) *Sil. Italic.* lib. XVII.

Et procul hinc, moneo, procul hinc, quæcunque profanæ.

Vide *Briſſon.* I. de formul.

90. *Nullo gemit heic tibicina cornu.*) In ſacris Bonæ Deæ erant tibicinæ, ex more aliorum ſacrorum, quibus tibicines adhiberi ſolitos notum ex *Horatio*, *Livio*, *Virgil.* At in ipſis *more ſiniſtro* nullæ.

91. *Talia Orgia.*) Talia ſacra. *Orgia* enim de quolibet ſacro dicta, non tantum de Bacchi ceremoniis: nam & dicuntur *Orgia* πόθων i. amorum. & ab *Ariſtoph.* ὄργια μουσῶν. Clare *Servius* in IV. Æneid. *Orgia, omnia ſacra apud Græcos, ut apud Latinos Ceremoniæ; ſed abuſive pro ſacris Liberi* ἀπὸ τῆς ὀργῆς i. *a furore*: vel τῶν ὀρῶν. i. *a montibus.*

91. *Secreta tæda.*) Semotis, aut extinctis facibus, ut licentius & nullo retenti pudore pædicarent & pædicarentur. Hinc *Martial.* lib. XII. epigr. XLIII. ad Sabellum:

Exſtinctam liceat quod ad lucernam.

92. *Baptæ* &c.) i. olim ſceleratiſſimi Athenienſes in crificiis Deæ nefandæ libidinis *Cotyttus*, in quos invehit *Eupolis* in Comœdia, cui nomen *Baptæ*, (quos ita appellat fortaſſe, quod omni vitiorum genere *tincti* eſſent, aut quod poſt illas nefandas pollutiones, ſola aquæ *tinctione* ſeſe purgatos arbitrarentur.) talia nefanda & abominanda patrabant, qualia molles Romani muliebri veſte induti in celebratione ſacrorum Bonæ Deæ.

92. *Soliti laſſare.*) Quum tot tantasque abominationes committerent, ut iis vel ipſa *Cotytto*, alias libidinis Dea nuſquam ſatiata, delaſſaretur.

92. *Cecropiam Cotytto.*) i. Athenienſem, a *Cecrope* Athenarum rege. Non quod *Cotytto* eſſet Dea Athenienſis. Thracia enim eſt, ut & *Cotyttia ſacra*, *Strabo* Geogr. X. Sed quod Athenienſibus exculta, & ſummo ſtudio celebrata. De ea fuſe *Lil. Gyrald.* de Diis gent. ſyntag. VI. *Politian.* Miſcell. cap. X. *Adrianus Jun.* proverb. cent. I.

95. *Vitreo*

Ille ſupercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementeis
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo,
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cœrulea indutus ſcutulata, aut galbina raſa,
Et per Junonem domini jurante miniſtro.

Ille

VET. SCHOL.

95. *Vitreo bibit ille Priapo.*) In vitreum penem, quos appellant *drillopotæ*.

97. *Galbina raſa.*) Polita, tenuiter raſa.

98. *Et per Junonem.*) Non *per Jovem*, ſed *per Junonem*. Ita, inquit, ſervi jurant, quomodo ſolebant ancillæ Neronis adulantes, *per Junonem tuam*.

GRANG.

93. *Supercilium madida fuligine tactum.*) Jam & ejusmodi nupti fœminarum inſtar fucantur, & ſupercilia fuligine obſcurant. Antiquis enim *ſupercilia nigra* in æſtimatione, unde Græcorum Poeta princeps xv. Iliad. pingit Junonem ὀφρύσι κυανέῃσι. Jam queis natura negaverat ſuperciliorum nigredinem, eam arte reparabant. *Petron.* in ſatyr. *Supercilia etiam profert de pyxide. Martial.* lib. IX.

Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,
Quod tibi prolatum eſt mane ſupercilio.

Tertull. de hab. mul. *Et medicamenta ex fuco, quibus malæ,* (male ante *lanæ*) *colorantur, illum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* D. *Hieron.* de viduit. ſerv. ad Furiam: *Non habuit* (Magdalena pœnitens) *orbes ſtibio fuliginatos.* D. *Cypr.* de hab. virginum dixit *oculos circumductos nigrore fucare.* Præter hos vide *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. Ea autem ſuperciliorum medicamenta dicta *calliblephara.* videndus *Donza* II. Præcidan. ad *Arbitrum*, cap. IX.

93. *Tinctum.*) Heic archetypi & antiqui libri *tactum* habent. *Tangere* autem veteres pro tingere, imbuere, linire, aſpergere etiam dixerunt. *Turneb.* in Adverſ. cap. XVII. lib. XV.

94. *Obliqua acu.*) An illa *acus* huic rei propria, quænamve eſſet, ignoro. Sunt qui de *calamiſtro* intelligant: alii, ut *Ptolomæus Flav.* Conject. cap. LXVII. de crinali, aut de volſellis.

94 *Obliqua.*) Hypallage. Non enim *acus obliqua*, ſed *obliquum ſupercilium.*

94. *Oculos trementeis,*) Sic ſatyr. VII.

— Oculos in fine trementes.

Apul. in Mileſ. vocat *oculos tremulos ac prona libidine marcidos.*

95. *Vitreo bibit ille Priapo.*) Non ſatis erat, ut docuimus ad illud *Comedunt coliphia paucæ.*, illis impuris panes in formam pudendorum virilium, & muliebrium rodere, niſi & bibiſſent vitreis obſcœnas formas referentibus. Qua de re *Plin.* conqueritur Nat. hiſt. lib. XXXIII. cap. I. *Auxere*, inquit, *& artem vitiorum irritamenta; in poculis libidines cælare juvit, ac per obſcœnitates bibere.*

96. *Reticulumque comis.*) Vides, quam omnia in diverſum verſa eſſent, ut, cum viris nihil magis pudori eſſe oporteat, quam ſi muliebre aliquid in ſe habere videantur, illic nil viris quibusdam turpius cenſeretur, quam ſi in aliquo viri apparerent: hinc *comæ ingentes*, *earumque reticula*, *miniſtri per Junonem jurantes*, *ſpecula*, *fucus*, *panis turpis*, *obſcœna verba*, &c. id genus, vel diobolaribus proſtibulis pudorem incutientia. *Reticulum* autem tegmen eſt capitis muliebre. *Nonius* in *Reticulum*. *Varro* IV. de ling. Lat. *reticulum* a *rete* dictum, quod capillos *contineret*: *rete* autem a *raritudine*. *Iſidor.* lib. XIX. *Reticulum* eſt, quod colligit comas, dictum ab eo, quod *retinet* crines, ne effundantur.

97. *Cærulea ſcutulata, aut galbana raſa.*) *Scutulatæ* veſtes ſunt, quæ in formam *ſcutulorum* textæ, quarum inventionem attribuit Gallis *Plin.* lib. VII. cap. LXXXIV. A Gallis dicuntur, *camelots faits en écuſſon*, *camelots ondés*, *camelots damasquinez*. *Raſa* autem ſunt, quæ a ſua textura nullum habent eminens villum. Colorem autem *cœruleum*, & *galbineum* tangit, quod uterque ſit mulierum, non virorum, *Cœruleus* enim eſt viridis cum nigro, ut ait *Serv.* v. Æneid. At *galbus*, ſeu *galbanus*, *galbeus*, vel *galbineus* color (tot enim nominibus effertur) qui *Gloſſ.* dicitur χλωρὸς, eſt herbacei coloris, color fœmineus, unde *Martial.* de homine molli, & fœminam redolenti, dixit *Galbanos habet mores.* *Auctor* Adverſar. lib. XVII. *Rhodig.* Lect. antiq. lib. XXIV. cap. V. *Lipſ.* Elect. I. cap. XIII.

98. *Per Junonem.*) Juramenta alia viris, alia fœminarum propria. *Briſſon.* VIII. de formul. & *Janus Parrhaſ.* epiſt. XXII. Credebatur etenim, ut oſtendit *Politian.* Miſcell. cap. LXXXIX. quisque ſuum Deum ſuam-

Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium: quo se ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, Speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi Ducis est occidere Galbam,

Et

suamque Deam, hoc est, suum Genium, suamque Junonem vitæ præsides habere. Hinc *Juvenalis* reprehensio, quod non per Genium, sed *per Junonem domini ministri jurarent*, videlicet more mulierum.

VET. SCHOL.

99. *Ille tenet speculum.*) Occiso Galba Imperatore Otho invasit imperium: qui tam probrosæ curæ in polienda forma fuit, ut humecto pane faciem liniret ad sollicitandum candorem. Utebatur & *speculo.* Hunc incomparabilis vitæ bello civili Vitellius vicit apud Bebriaci campum. Horum bellum scripsit *Cornelius*, scripsit & *Pompejus Planta*, qui ait *Bebriacum* vicum esse a Cremona vicensimo lapide.

GRANG.

99. *Ille tenet speculum.*) Matronis Romæ erant ancillæ, quæ manibus speculum sustinebant, dum comebantur; videre est ex *Propert.* lib. IV. eleg. VII. *Martial.* lib. II. epigr. LXVI. & lib XI. epigr. L. Illud ministerium exercebant aliquando amasii, ut sese suis dominis magis intime insinuarent. *Præceptor Amoris* II. de Arte:

Nec tibi turpe puta, (quamvis sit turpe, placebit:)
Ingenua speculum sustinuisse manu.

Innuit igitur ejusmodi nuptos, tanquam fœminas speculis uti, draucosque suos, dum fucabantur, ipsis specula sustinuisse.

99. *Pathici gestamen Othonis.*) Quale solebat secum ferre, vel in acie ipsa *Pathicus Otho*, quo se ineuntis drauci flagitia contueri solebat. *Brodæus* VIII. Miscell. cap. VI. parodia autem est hemistichii *Virgiliani* III. Æneid. *Magni gestamen Abantis.*

100. *Actoris Aurunci spolium.*) Facete, quasi *speculum* spolia opima forent; id tractum ex eod. *Virg.* XII. Æneid.

— Validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium. —

100. *Quo se ille videbat.*) *Sidon. Apollin.* carm. V. sic *Juvenalem* imitatus:

Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat
Hinc turpis, quod pulcer Otho. —

Et carm. VII. versu CVII.

101. *Cum jam tolli vexilla juberet.*) Nescio quid subobscœnum sub his verbis intelligere videtur, idque translative a castris, ubi in tabernaculo penes Imperatorem erat vexillum, quod, cum prælium erat committendum, *tollebatur. Turneb.* lib. IV. Adversar. *Lips. de Militia.*

101. *Jubet tolli.*) Formula militaris ducibus usitata, eaque sollemnis, ubi in aciem exeundum erat: imperare vexillariis, ut *efferrent signa. Sil. Italic.* lib. XII.

— Castris avulsa movere
Signa jubet ductor. —

Livius lib. XXIV. *signa efferri Consul jubet.* Contra autem, ubi manendum jubebat, *statuere signum.* Multa ad hanc rem *Brisson.* IV. de formul.

102. *Res memoranda novis annalibus.*) Nos Galli cum aliquid stolidius, quam par est, factum videmus, solemus dicere: *cela sera mis aux annales.* Non longe aliter *Virgil.* VI. Æneid.

— Magnum & memorabile nomen.

Sic & nostri: *l'on en parlera. il fera parler de luy.*

104. *Nimirum.*) Particula illa, *nimirum*, Ironiæ conveniens. *Horat.* II. Serm. satyr. II.

Uni nimirum tibi recte semper erunt res.

104. *Occidere Galbam.*) Senem *manibus pedibusque articulari morbo distortissimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Sueton.* in ejus vita cap. XXI. Quomodo autem occisus, idem *Sueton.* eodem cap.

104. *Galbam.*) E familia Sulpitiorum. Unde autem huic familiæ *Galbæ* nomen venerit, dubitat *Sueton.* in ejus vita, cap. III. *Quidam, inquit, putant, quod oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum Galbano facibus, succenderit; alii, quod in diuturna valetudine Galbeo, i. remediis lana involutis assidue uteretur: nonnulli, quod præpinguis fuerit visus, quem Galbam Galli vocent; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia, quæ in esculis nascuntur, appellanturque Galbæ.*

Et curare cutem summi constantia civis;
Bebriaci campo spolium affectare Palatl;
Et pressum in facie digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Heic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ.

Heic

VET. SCHOL.

106. *Bebriaci.*) id est Pontici, unde pelles *Bebrinæ*. Galba enim Ponticus fuit.

GRANG.

105. *Curare cutem.*) *Cutem*, hoc est, *corpus*, quod *Horat.* dixit *curare pelliculam*, imitatione Græcorum, quibus χρὼς & *cutis* & *corpus* est. Id etiam ex eo, quod qui bene habiti & pasti sunt, eorum *cutis nitet*, *curataque* videtur. Ut enim coriarii arte aluta, vel corium curatum pulcrius, & politius est: sic pulcrior & nitidior cutis obesorum, ac bene habitorum *curata* videtur fuisse.

105. *Summi constantia civis.*) Irridet eos, qui *constantem* vocabant *Othonem*, quod sibi ipsi violentas manus attulisset, cum mollis & effœminatus toto vitæ curriculo exstiterit. *Sueton.* in ejus vita attribuit hanc generosam mortem religioni Isidis, cui non minimum addictus, ob idque, ut mors ejus minime congruens vitæ, majorique miraculo fuerit, quod sine dubio carpit iis verbis Satyrographus.

106. *Bebriaci in campo.*) Eo loci enim Otho periit victus a Vitellianis. de hoc nomine varia lectio & electio est. *Casaubonus* apud *Sueton.* in Othone dicit Latinis aut *Bebriacum* aut *Bedriacum*. sed *Plutrach.* Βητριακὸν, *Josephus* Φρηδριακόν. Fere eandem agnoscit diversitatem *Lips.* ad II. hist. *Taciti.* Quidquid sit, vicus est inter Cremonam, Veronamque situs. Hinc in *Veteri Scholiaste* a mala manu mendum: *apud Bebryacum Campaniæ*: quod emendavit Lips. *apud Bebriaci campum*. Lego *apud Bebriacum campum*.

106. *Spolium adfectare Palatl.*) Cum pertinacia retinere insignia Imperii, & potius signis collatis dispendio vitæ dimicare, quam iis spoliari.

107. *Et pressum in faciem digitis extendere panem.*) *Sueton.* in Othone: *Ei faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset. Panis* autem iste fiebat ex oryza aut fabis, ut apud Medicos in compositione psilothrorum legimus, item ex farina siliginea, ut ex illo Juvenalis:

— *Coctaque siliginis offas*,

conjecit Casaubonus.

108. *Quod nec in Assyrio.*) Fecit Otho Imperator in acie, quod dux, quæ in historiis exstant, famosissimæ mulieres & impudicissimæ *Semiramis & Cleopatra* non fecerunt.

108. *Semiramis*) Dercetus, quæ a *Plinio* dicitur Atergatis, filia, ita dicta, quod cum Veneris inductu adolescenti pulcerrimo sese immiscuisset, filiamque concepisset: enixam exposuit in desertis locis, ubi aves forte plurimæ; Syrorum enim lingua, *Semiramis*, *avitium* significat. De ea *Herodot.* in Clio. *Curtius* lib. v. *Suidas* in Semiramis, *Diodor.* lib. II. cap. IV. *Solinus* cap. LX. *Strabo* lib. IV. *Plutarch.* in Alexandro, *Justinus* lib. I. equum ab ea adamatum usque ad coitum refert. *Plin.* lib. VIII. cap. XLII.

108. *In orbe Assyrio.*) In imperio *Assyriorum*, cujus Regina fuit. *Orbis* pro *Imperio*, quo modo *orbis Romanus* dicitur.

109. *Mœsta Cleopatra*) Ob navalis exercitus ruinam, de qua *Florus* lib. IV. cap. II. *Plutarch.* in M. Antonio. *Sueton.* in Augusto. *Eutrop.* cap. II. lib. VII. *Oros.* cap. XVII. lib. VI. *Valer. Max.* cap. VIII. lib. III. *D. Aug.* lib. III. cap. XXX. de Civit. Dei. *Lactant.* lib. II. cap. VIII.

109. *Actiaca carina.*) Florus: *Regina cum aurea puppe, veloque purpureo se in altum dedit. Plin.* cap. I. lib. XIX. sub finem: *Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit.*

110. *Heic*) Romæ.

110. *Nullus verbis pudor.*) Unde *infans* dicitur Horatio:

Infans namque pudor prohibebat plura profari.

Et *obscæna* vel *obscænos* ipsos *pudet* dicere, in Phallicis:

Obscænis, peream, Priape, si non
Uti me pudet improbisque verbis.

110. *Aut reverentia mensa.*) Quæ alias sacra est. *Synesius* epist. LVII. Τράπεζα ὑμῖν ἱερὸν χρῆμα, ἣν ὁ θεὸς τιμᾶται, φίλιός τε ϗ ξένιος. Hunc autem *Juvenal.* locum imitatus *Claudian.* lib. I. in Ruffinum:

— *Jurata Deorum*
Majestas teritur, nunquam reverentia mensæ.

De veneratione mensarum vide *Meursium in Lycophrona*.

III. *Tur-*

Heic turpis Cybeles, & fracta voce loquendi
Libertas, & crine senex phanaticus albo
Sacrorum Antistes, rarum, ac memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusque magister.
Quid tamen exspectant: Phrygio quos tempus erat jam
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus sestertia, dotem
Corni-

GRANG.

111. *Turpis Cybeles.*) Aut quod ante eam sacerdotes obscœna & *turpia* verba proferrent, an quod *Cybelem deformem* credat? utrumque crederem. De illius deformitate Minucius Felix: *Cybele Dyndima, pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam & ipsa deformis, ut multorum Deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut Deum scilicet faceret Eunuchum.*

111. *Fracta voce.*) Effœminata. *Claudian.* in Eutrop. lib. I.

— Verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis. —

Frangere, ait *Casaubonus* ad I. *Persii*, Latinis est idem ac *effœminare*, *robur virile in muliebrem mollitiem corrumpere.* Quintilianus: *Non enim puerum fœminea vocis exilitate frangi volo.* Sic Græci θρύπτειν dicunt, nam θρύπτειν est *frangere*. vocant & κεκλασμένους *fractos deliciis.*

112. *Et crine senex phanaticus albo.*) Et quod indignationem auget, inter hos nuptos, qui sacra, ritu & more sinistro, Bonæ Deæ celebrant, reperiuntur decrepiti, & mera silicernia, quos ætas & experientia sapientes & continentes reddidisse debuerat, imo Antistes eorum senex est & gulosus, imo ipsa gula. Tangit autem aliquem sui temporis mihi, ut ingenue fatear incognitum.

112. *Senex phanaticus.*) Glossæ: *phanaticus* ἱερωνὸς, ἱερόδουλος, a *fano* dictus, ut *ariolus* ab *ara*; ii futura prædicebant, quibus ut fides haberetur, sese mente divina correptos simulabant, quales describit *Firmicus* Mathem. lib. VI. cap. XXXI. *Faciet homines templorum obsequiis deputatos (fanaticos) qui latentis divinitatis instinctu, mutato mentis ordine, & instantis religionis potestate possessi petentibus hominibus futura prædicant.* Vide *Heraldum* ad *Arnobium*.

112. *Albo crine.*) Cano. sic *albescere* pro *canere*, *Horatio* ode XIV. lib. III.

Lenit albescens animos capillus.

113. *Antistes Sacrorum*) Bonæ Deæ a maribus mulierosis cultæ. Nec intelligenda commenta de *Albanis Sacerdotibus*, de quibus noster *sat.* IV.

113. *Magni Gutturis memorabile exemplum.*) Sic nos ejusmodi heluones & tuburcinatores vocamus *grand gosier*.

114. *Conducendusque magister.*) Ad erudiendos & instituendos gulosos. *Magister* hic in malam partem: Gallis *il en est le maître*. *Terent.* Andr. act. I. sc. II.

Tum si quis magistrum cepit ad eam rem improbum.

Propert. eleg. XII. lib. III.

Cum sit luxuriæ Roma magistra suæ.

Cic. III. de finib. *Rectius magister populi, quam Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit.* Hincque supra eleganter *Juvenal.*

In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres.

Unde & *Tibull.* vocat præcepta amandi *magisteria*.

115. *Quid tamen exspectant.*) Quid nupti exspectant, quin more Sacerdotum Cybeles sese castrent, quibus, utpote pathicis, m... pondus supervacuum est.

115. *Phrygio More.*) Unde & *Juvenali* Cybele vocatur mater *Phrygia*.

116. *Cultris*) lapideis, unde *abrumpere*, non *secare* dixit. Vide quæ ad satyr. VI.

116. *Supervacuam carnem.*) Fascinum pedale intelligit Pathicis *inutile pondus*: iis enim & colis ipse amputabatur, nullumque jam viri argumentum reliquum habebant, ac in fœminam transisse, & prorsus degenerasse videbantur. *Turneb.* cap. V. lib. XXIX.

117. *Gracchus.*) Aliquis e militibus Romanis nuptus cornicini aut tubicini, pro dote dedit *quadringenta sestertia*, hoc est, censum equestrem. *Martial.* epigr. XLII. lib. XII. de Callistrato; nubenti Afro hac, qua lege viro nubere virgo solet, dos etiam dicta est. *Severus Sulpitius* II. sacræ hist. *Post etiam Pythagoræ cuidam in modum solemnium conjugum nuberet, inditumque Imperatori flammeum, dos, & genialis torus, & faces nuptiales.*

117. *Dedit dotem.*) Ex notatione verbi: Varro: Dos,

Cornicini; sive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ: dictum FELICITER! ingens
Cœna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti.
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flamea sumit,

Arca-

Dos, pecunia nuptiarum caussa data. Græce δὸς. Unde Festus: *Dotem manifestum est ex Græco esse: nam διδόναι dicitur apud eos, dare.* Et ex Ulpiano: *Dos datur, aut dicitur, aut promittitur.* Vide *Brisson.* VI. de formul.

VET. SCHOL.

118. *Cornicini.*) Expertus naturam, eumque grande habere cornu.

121. *Censore opus est, an aruspice.*) Quo emendet, aut quo expiet.

124. *Segmenta*) fimbriarum, sive vittatas vestes.

124. *Et longos.*) Profusas vestes matronarum.

124. *Flamea.*) quibus novæ nuptæ cooperiuntur. Vestis pudori similis, quam & propter pudorem accipiebant.

GRANG.

118. *Recto cantaverit ære.*) Periphrasis *tibicinis*: *cornicen* enim recurvo, *tibicen ære recto cantabat*, id exprimit uno versu Ovidius:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Virgil. VII. Æneid.

— Cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem. —

119. *Signatæ tabulæ*) Nuptiales, quæ plerumque post contractum matrimonium signabantur. *Brisson.*

119. *Dictum Feliciter.*) Sollemnis nuptiarum vox *Feliciter*! Notat *Scalig.* ad illud *Tibulli*:

Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse,
Felix hoc, alium desine velle virum.

Tangit & *Muret.* lib. IX. cap. VIII. variar. Neque tantum in nuptiis usitata illa vox, sed & ceteris faustis acclamationibus, vide *Brisson.* lib. VIII. de formul. *Turneb.* lib XV cap. XVII.

119. *Ingens Cœna sedet.*) *Pithœus* potius distinguendum sic esse putat:

— ingens
Cœna, sedet: gremio jacuit nova nupta mariti.

Lips. longe aliter, sic scilicet:

— Ingens
Cœnæ, sed & gremio. &c. —

admiratus quid esset, *cœnam sedere*, nisi si cœnam pro convivis ipsis accepit. Quid autem novi *Juvenalis*, si *cœnam* pro ipsis cœnantibus, vir doctissime? Non tibi venit in mentem, ipsum *convivia*, pro *conviviis* posuisse satyr. V. cum de squilla loquitur:

Qua dispiciat convivia cauda. —

Vetus lectio igitur & *Pithœi* & *Lipsii* lectione longe sincerior, melior, verior.

120. *Gremio jacuit nova nupta mariti.*) Uxores mensis accumbere solitæ. In accubitu autem ille mos, ut *recumberent in sinu virorum. Ovid.* ad puellam, quæ cum viro cœnatura:

Alteriusque sinus apte subjecta fovebis,
Injiciet & collo cum volet ille manum:
Nec premat indignis sinito tua colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput.

Id vocabant *interiorem jacere*, ut docet *Lips.* ad lib. XI. Annal. *Taciti.*

121. *O proceres.*) Exclamatio cum indignatione ad primores civitatis, quod ii ejusmodi vitiis magna parte infecti.

121. *Censore an aruspice.*) *Censore*, qui reprehendat depravatos mores; an *aruspice* ad expianda tot prodigia: ad eos enim cura expiandorum portentorum. *Agell.* lib. XV. cap. IV.

Concurrite omnes Augures, Haruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos, qui fricabat, Consul factus est.

122. *Scilicet.* &c.) Quasi esset monstrum magis horrendum, si bos agnum, vel si mulier vitulum ederet; quam videre hominem virilitatis argumenta exuere, & vultu, habitu, gestuque mulierem imitari.

124. *Segmenta.*) Quæ *monilia* appellat *Serv.* I. Æneid. quod ex *Segmentis* i. bracteolis aureis, vel argenteis fieri consueverint. Nonnulli interpretantur *segmenta*, fasciolas in vestis extrema parte. Ovidius:

Quid de veste loquar, non jam segmenta requiro.

Segmenta igitur & *longos habitus* accipe vestes fœmineas,

quæ

Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Sudavit clypeis ancilibus. O pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir;
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris Patri? vade ergo, & cede severi

Juge-

quæ longiores virorum vestibus, easque *segmentatas*.

124. *Flammea.*) Sic apud Sueton: *Sporum deductus cum dote & flammeo.* Sic apud *Martial.* Callistratus, cujus:

— *Velarunt flammea vultus.*

Quid autem *flammeum*, vid. *Festus* in *Flammeum*.

VET. SCHOL.

126. *Sudavit.*) Gracchus accepit vestem novæ nuptæ, qui aliquando Salius Martis fuit.

128. *Urtica.*) Prurigo.

GRANG.

125. *Arcano sacra ferens.*) Qui aliquando Saliorum unus fuit, & Martis flamen; nunc mulierum more indutus incedit, & nubit.

125. *Sacra nutantia.*) Pondere huc & illuc vergentia. *Ovid.* III. Amor. el. II. de Veneris imagine nutante, dum ferebatur in pompa Circensi:

Annuit, & motu signa secunda dedit.

125. *Arcano loro.*) Hypallage: *arcana* enim *sacra*, hinc *Apulejus*: pertacita secreta cistarum. & lib. XI. *ferebatur ab aliis cista secretorum capax.*

126. *O pater urbis.*) *Martem* alloquitur, non *Romulum*, ut quidam existimarunt, quod ex sequentibus liquido liquet; falsi quod & Romulus *pater urbis* dictus, ut *Ennio* apud Lucilium:

— *O Romule, Romule dico,*
Qualem te patriæ custodem Dii genuerunt?
Tu produxisti nos inter luminis oras
O pater, o genitor, o sanguen Dis oriundum!

Livius lib. I. *Deum Deo natum regem parentemque urbis Romanæ salvere universi Romulum jubent. Propert.* eleg. XI. lib. IV.

Urbis virtutisque parens sic vincere suevit.

Mars tamen, qui ab *Horatio* Rom. generis Auctor dicitur; *patris* nomen peculiariter meruit, hincque *Marspiter* appellatur.

127. *Unde nefas tantum Latiis pastoribus.*) Pop. Romano, quorum auctor Romulus fuit *pastor*, & alii primi parentes. *Ovid.* I. Fast.

Pascebatque suas ipse Senator oves.

Unde ipse satyr. VIII.

Majorum primus, quisquis fuit ille, tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

128. *Gradive.*) Mars, qui ita appellatus a *gradiendo* in bella ultro citroque, sive a vibratione hastæ, quod Græci κραδαίνειν. vel quod *gramine* sit ortus. *Fest. Servius* III. Æneid.

128. *Urtica.*) Libido, *Sidon. Apoll.* epist. VIII. lib. VIII. pro cupidine habendi *urticam* sumpsit: *Nam si ceteris nobilium studiorum artibus repudiatis sola te propagandæ rei familiaris urtica sollicitat.* Vide proverbium *Mars in filiis laudatus est.*

128. *Nepotes.*) i. posteros. Proprie autem *Nepotes* ἔγγονοι, filii filiorum; ἐξ ἐγγονικῶν ἀπόγονοι, i. posteri. Servius, *Nepotes*, inquit, *posteri, ut nurus pro fœminis.* Festus: *Nepos, quia postea natus sit patri, quam filius.*

129. *Vir clarus genere atque opibus.*) *Livius* III. Decad. lib. II. *Mulier nomine Dusa, genere clara ac divitiis.*

129. *Traditur viro.*) Tanquam res empta: Matrimonia enim per coemtionem. *Briss.* de Ritu Nuptiarum. *Tradere* tamen & inter obscœna memini me legisse. *Martial.* lib. XI. epigr. LXIX.

Ergo suburbanæ Tironem trade magistræ:
Illa virum faciet, non bene virgo docet.

Horat. lib. II. satyr. II.

— *Ultro*
Penelopen facilis potiori trade. —

130. *Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas.*) *Lipsius* II. epist. Quæst. epist. IX. dicit se vidisse M. S. in quo, *nec tempora cuspide pulsas*, erat scriptum: moremque fuisse militarem hastis scuta galeamque concutiendi in ira.

131. *Nec quereris Patri.*) Cui? nonne Mars sine patre? volunt nonnulli. Alii tamen, ut *Hesiod.* in

Theo-

Jugeribus campi, quem negligis. Officium cras
Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient,
Fient ista palam, cupient & in acta referri.
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere, & partu retinere maritos.

Sed

Theogonia Junonis & Jovis filium faciunt, cujus opinionem secutus noster.

131. *Vade ergo.*) Expellentis verbum: *Martial.* epigr. cv. lib. xi.

Uxor vade foras, aut moribus utere nostris.

VET. SCHOL.

132. *Jugeribus campi.*) Recede de Martio campo, quem tenes, & qui tibi cœperat ædificari. Hic enim ager Tarquinii Superbi fuit: & pro illius fuga Marti consecratus dictus est *Martius Campus.*

134. *In valle Quirini.*) Ad invidiam dixit *in valle.*

136. *In acta referri.*) Annalibus contineri.

GRANG.

131. *Et cede.*) *Discede*; simplex pro composito. Virgilius:

Invitus regina tuo de littore cessi.

132. *Jugeribus severi campi*) Martii. Quare autem *severus campus*? an ob *judicium severum* adversus Tarquinium? an quod *Mars* dicitur *severus*, & epitheton Martis pro ipso Marte posuerit? Crederem. *Martial.* epig. xxx. lib. x.

Cum severi fugit oppidum Martis.

132. *Officium cras.*) Verba Romani alicujus. *Officium* autem nuptiarum solemne verbum. *Sueton.* in Claudio cap. xxvi. *Cujus officium nuptiarum, & ipse cum Agripina celebravit.* Petronius: *Igitur ne majorem injuriam in secreto frater acciperet, consurrexi ad officium nuptiale. Apul.* iv. Milesiarum: *Tabulis etiam maritus nuncupatus ad nuptias officio frequenti cognatorum & affinium stipatus.*

133. *Primo sole.*) *Virgil.* vii. Æneid.

Quare agite & primo læti cum lumine Solis.

Ab eodem vocatur *primus oriens*:

Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis.

Sic *primo Eoo*, & *primo sidere Luciferi.*

133. *In valle Quirini.*) An in *Quirini templo*, an *Quirini porticu*, non mihi liquet. *Porticum* tamen puto, quod *Marlianus* dicat juxta templum Quirini fuisse porticum, quo convenirent homines componendorum negotiorum caussa, ibique sponsalia aliquando esse peracta. De illa porticu *Martial.* epig. 1. lib. xi.

134. *Quæ causa officii.*) Bene, plurima enim *officiorum* genera.

134. *Quid quæris.*) Quare id a me exigis, quasi non intelligas per *officii* nomen, *officium nuptiale.*

134. *Nubit amicus.*) *Nubere* proprie privatimque fœminarum est; sicut *ducere* virorum, ut scribit *Caper* Grammaticus lib. de Orthographia.

134. *Nec multos adhibet.*) *Martial.* lib. vii. epigr. xci.

Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba,
Non adhibes multos, Pontice, cautus homo es.

136. *Fient ista palam.*) Et ita factum est. *Salvian.* lib. vii. de Gubernat. Dei: *Viri in semet ipsis fœminas profitebantur, & hoc sine pudoris umbraculo, sine ullo verecundiæ amictu; ac, quasi parum piaculi esset, si malo illo malorum tantum inquinarentur auctores, per publicam sceleris professionem fiebat etiam scelus integræ civitatis: videbat quippe hæc universa urbs, & patiebatur: videbant judices, & acquiescebant: populus videbat, & applaudebat: ac sic diffuso per totam urbem dedecoris scelerisque consortio, etsi hoc commune omnibus non faciebant actus, commune omnibus faciebat assensus.*

136. *Cupient & in acta referri.*) Diversa *actorum* genera Romæ rerum rationumque populi, judiciorum publicorum, suppliciorum, comitiorum, ædificiorum, nativitatum, matrimoniorum, divortiorum, ut diserte docet *Lips.* ad v. Annal. *Taciti.* Hic autem matrimoniorum acta intelligit, hoc est, *ils se vondront faire enregistrer au registre des mariages. Ramires* tamen intelligit de actis nativitatum, frustra.

138. *Quod nequeunt parere.*) *Martial.* epig. XLII. lib. xii.

— *Nondum tibi Roma videtur*
Hoc satis? exspectas nunquid & ut parias?

Claudian. in Eutrop. lib. 1.

— *Nubas, ducasque licebit*
Nunquam mater eris, nunquam pater. —

142. Nec

Sed melius, quod nil animis in corpora juris
Natura indulget. Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi,
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam;
Et Capitolinis generosior, & Marcellis,
Et Catulis, Paullique minoribus, & Fabiis, &
Omnibus ad podium spectantibus. his licet ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.
Esse aliquos Maneis, & subterranea regna,

Et

VET. SCHOL.

142. *Nec prodest agili*) Steriles mulieres sebruantibus Lupercis se offerebant, & ferula verberabantur. Hoc homine, quinsta rectum * multi seminis credit contractus ob fœcunditatem dandam. *Palmas* ideo dicit, quia aut catomis cædebantur, aut quia manibus vapulant cunei per civitatem. tunc & in solio, si qua post ipsum descenderit, statim concipit.

143. *Tunicati fuscina Gracchi.*) Qui toga deposita, qua utebantur Senatores, tanquam infamis tunica utebatur. Hinc *Lanista*, vel *dissoluti* dicuntur.

144. *Gladiator.*) Gracchi filius habitu gladiatoris plerunque ad infamiam * equabat. Retiarius enim fuit.

147. *His licet ipsum*) Nobilibus, non Neroni. Nam & ipse pugnavit in gladiatorem, & cantavit in scena habitu citharœdi, & auriga fuit.

149. *Esse aliquos manes.*) Ἐκφωνη Cic. Proclamatio.

GRANG.

141. *Turgida non prodest condita pyxide Lyde.*) Hoc est, *Lyde* unguentaria, quæ matronarum curare solet sterilitates medicaminibus, quibus *pyxis condita* & referta est, nil proderit viris nuptis ad partum. Sic interpretati sunt *Politian.* Miscell. cap. XLVI *Beroald.* annot. in *Juvenal.* *Turneb.* XIV. cap. XVII.

141. *Turgida Lyde.*) *Turneb.* putat *turgidam Lyden* appellatam, quod Lydiæ mulieres turgidæ essent. *Beroaldus* dicit esse epitheton anui convenientissimum. Ego *turgidam* dictam existimo, quod *turgentes*, & gravidas redderet matronas, quibus *pyxide* medebatur.

142. *Nec prodest agili.* &c.) Videndus *Plutarch.* in Cæsare. *Ovid.* II. Fast. *Festus* in *Creperos*, & *Februarius*. *Servius* VIII. Æneid. *Varro* IV. de ling. Lat.

142. *Palmas.*) Distincte *manus* nominat *Plutarch.* in Cæsare. *Ovidius* tamen *terga*, non palmas:

Ille caprum mactat, jussæ sua terga puellæ
Pellibus infectis percutienda dabant.

143. *Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.*) Hoc est, Gracchus pejus crimen commisit ipso, de quo locuti sumus, cum in arena gladiatoriam exercuit.

143. *Tunicati fuscina Gracchi.*) Hoc est, Gracchus retiarius. *Retiarii* enim Gladiatores *tunica* induti erant, habentes rete in dextra; *fuscinam* in sinistra. dicemus, Deo adjuvante, satyr. VIII.

Paullique minoribus.) Antea legebatur: *Paullisque minoribus*. At correxit *Lips.* epist. Quæst. lib. IV. epist. XXXV. id est: posteris Paulli.

147. *Ad podium spectantibus.*) *Podium* muri pars projectior, & prominentior ante speculorum gradum, cui columnæ impositæ ad ornatum aut innixum, ut bene *Lips.* lib. de Amphit. p. XI. Ad hoc *podium* spectare soliti primi e Senatu, qui proprie *ad podium spectare* dicebantur.

147. *His licet ipsum Admoveas.*) Antea legebatur *admoneas.* Bene admonuit *Lips.* qui demovere hoc *admoneas* voluit, & *admoveas* reposuit: Ex hoc enim verbo *Britannici* non ferendus error; sensus enim est: quamvis omnibus nobilibus adjicias & ipsum Prætorem, qui munera edidit, & cui sese exauctoravit, tamen nobilior est, & generosior.

149. *Esse aliquos Manes.* &c.) Non putant, inquit *Juvenalis*, esse ullos inferos hodie, nisi qui perpusilli pueri sunt; ideo non mirum, si talia fœda committunt, nullo pœnæ futuræ timore absterriti: tu tamen, qui virtuti convenienter vivere vis, esse inferos putato, & illic manes esse Curii, & Fabricii, Juventutisque Cannensis: ad quos cum descendunt ejusmodi nupti

turpes

Et pontum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. Curius quid sentit, & ambo
Scipiadæ? quid Fabricius, manesque Camilli?
Quid Cremeræ legio, & Cannis consumta juventus,
Tot bellorum animæ; quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur

Sulfu-

turpes, non dubium, quin, si datum illis esset, lustrarentur, & expiarentur, ut contaminati impudicissimorum aspectu. Vide, quæ dixi ad illud XIII.

Nec rota, nec furiæ. —

149. *Esse aliquos Maneis.*) Hinc Horatius: *Fabulæque manes.* & Persius: *Et manes, & fabula fias.* Ovidius:

Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis?

Callimach. lib. III. epigr.

Ὦ Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος. αἱ δ' ἄνοδοι τί;
ψεῦδος. ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος. ἀπωλόμεθα.

O Charida, quidnam est infra? tenebræ. Reditus quid? nugæ. quid Pluto? fabula. concidimus. *Plin.* cap. LV. lib. VII. Vide Proverbium: *Oblivionis campus.*

149. *Subterranea regna.*) *Propert.* eleg. III. lib. III.

Sub terris sint jura Deum. ——

VET. SCHOL.

150. *Et pontum & Stygio.*) Virgilius:

Ipse ratem ponto subiit, velisque ministrat.
— *Nunc hos nunc accipit illos.*

152. *Nisi qui nondum ære lavantur.*) Infantes, quia pueri non dant balneaticum.

156. *Tot bellorum animæ.*) Lucanus: *Inlustres bellis animas:* quæ in bello occisæ sunt.

GRANG.

150. *Stygio ranas in gurgite nigras.*) *Aristophanis* inventum, *ranas esse in Stygio lacu*, ut videre est in *Ranis.*

151. *Una transire vadum tot millia cymba.*) Petronius:

— *Vix navita Porthmeus*
Sufficiet simulacra virum traducere cymba,
Classe opus est. —

Albinovanus ad Liviam:

Fata manent omnes, omnes exspectat avarus
Portitor, & turbæ non satis una ratis.

152. *Nisi qui nondum ære lavantur.*) Pusilli non lavabantur mercede: merces autem balnei quadrans. dicemus ad illud satyr. VI.

— *Quadrante lavari.*

153. *Sed tu vera puta.*) Crede Manes esse. Unde *Propert.* el. VII. lib. IV.

Sunt aliquid manes, lethum non omnia finit.

Sic *Homerus* Iliad. Ψ.

Ὢ πόποι ἦ ῥά τίς ἐστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι
ψυχὴ καὶ εἴδωλον.

153. *Ambo*) Major, & minor Africani.

154. *Scipiadæ.*) Pro, *Scipionides*, ex *Virgil.* lib. VI.

— *Aut geminos, duo fulmina belli,*
Scipiadas. —

Ille ex *Lucretio* lib. III. sub finem:

Scipiades, belli fulmen. —

154. *Manesque Camilli*) Furii. *Virgil.* sic *Anchisæ Manes.* IV. Æneid.

Nec patris Anchisæ cineres Manesve revelli.

155. *Quid Cremeræ legio.*) *Ovid.* II. Fast.

Ter centum Fabii, ter cecidere duo.

Vide *Livium* lib. II. *Dionys.* lib. IX. *Eutrop.* III. *Orosium* lib. II. cap. VI. *Aurelium* de viris illust. cap. XIV. *Gell.* cap. XXI. lib. XVII. *Servium* VI. Æneid. *Florum* lib. I. cap. XII.

155. *Cannis consumpta juventus.*) De Cannensi clade *Livius* lib. XXII. *Polyb.* lib. V. *Valer. Max* plurib. locis. *Plin.* lib. XV. cap. XIIX. *Lactant.* lib. II. cap. XVII. *Plutarch.* in Annibale. *Silius Italicus* appellat Cannas:

Hesperiæ tumulum. —

155. *Consumta.*) Peremta. *Ovid.* eleg. III. lib. I.

Hic jacet immiti consumtus morte Tibullus.

Vellejus Patercu. *Nemo, nisi in acie consumptus civis.*

157. *Umbra venit.*) *Venire umbram* dicunt auctores. *Propert.* eleg. IV. lib. IV.

Fac, venias oculis umbra benigna meis.

Virg. I. Æneid.

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis. —

157. Cupe-

Sulfura cum tædis, & si foret humida laurus.
Illuc, heu! miseri traducimur. Arma quidem ultra
Littora Jubernæ promovimus, & modo captas
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quæ nunc Populi fiunt victoris in Urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus: & tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis

Mol-

VET. SCHOL.

160. *Jubernæ.*) *Juberna* insula Britanniæ, sita in Oceano mari, a qua non longe sunt triginta aliæ *Orcades* insulæ, quas *Mela* scribit.

161. *Minima contentos nocte Britannos.*) Circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet caussa, quia vicinus occasus & ortus ibidem Solis. Ex obliquo enim terræ margine lux redundat, & proximam sibi insulam & noctibus & diebus illustrem reddit.

GRANG.

157. *Cuperent lustrari*) *Tot bellorum animæ*, ex interpunctione *Turnebi* lib. XIV. cap. XVII. *Lustrari* autem *purgari*. *Virg.* VI. Æneid.

Lustravitque viros. —

Hinc *lustramentum*, purgatio.

157. *Si qua darentur Sulfura*) in Inferis: Vim enim *lustrandi* in *sulfure* putabant esse. *Plin.* cap. XV. lib. XXXV. *Habet (sulfur) & in religionibus locum ad expiandas suffitu domos.* *Servius* VI. Æneid. ad illud:

— *Aliæ panduntur inanes*
Suspensæ ad ventos —

In sacris omnibus tres sunt istæ purgationes: Nam aut tæda purgantur & sulfure, aut aqua abluuntur, aut aere ventilantur, quod erat in sacris Liberi. *Ovid.* IV. Fast. de expiatione Palilibus:

Cærulei fiant puro de sulfure fumi,
Tactaque fumanti sulfure balet ovis.

Et VII. Metamorphos.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.

Idem I. de arte am.

Et veniet, quæ lustret, anus lectumque locumque,
Præferat & tremula sulfur & ova manu.

Apul. Tæda, & ovo, & sulfure purificatum. *Tibull.* eleg. V. lib. I.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro.

Homerus XXII. Odyss.

Οἶσε θέειον γρηῦ, κακῶν ἄκος, οἶσε δέ μοι πῦρ
Ὄφρα θεειώσω μέγαρον. —

i. *Porta sulfur anus malorum medelam, porta autem mihi ignem, ut suffiam domum.* Hæc *Passerat.* ad lib. IV. *Propert.* el. IX. observavit, & *Casellius* Variarum II. cap. I.

158. *Vel si foret humida laurus.*) Species lustrationis fiebat aqua, ut vidimus ex *Servio.* Aspergillum autem, quo aqua aspergebantur, fiebat e *lauru.* *Humida* igitur *laurus*, est laurus perfusa & madens ad aspergendum, & purgandum. *Turneb.* lib. XIII. cap. XXII. Ovid. V. Fast.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos.

Hinc *Propertio* Laurea pura, quæ, ut ait *Passerat.* purgat, & lustrationibus adhibetur.

159. *Illuc heu miseri traducimur.*) Sic Trimalchio apud Petronium:

Heu, heu! nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Traduci autem proprie est *duci trans aliquem locum.* *Virg.* eclog. VIII.

Atque satas alio vidi traducere messes.

Traducere tamen etiam ignominiæ verbum est, de quo ad satyr. VIII.

159. *Ultra Littora Juvernæ.*) Ultra *Irlandiam* sive Hiberniam.

160. *Et modo captas Orcadas.*) Τὸ *Modo* heic, ut supra, de longinquo tempore, sub Claudio Imperatore scilicet.

161. *Ac minima contentos.*) Vide *Tacit.* in vita Agricolæ. *Plin.* lib. II. cap. LXXV. *Scriptorem Panegyricum* ad Constantinum.

162. *Sed quæ fiunt*) abominanda monstra & prodigia.

162. *In Urbe Populi victoris.*) Romani. supra, *Populus victor.*

163. *Non faciunt illi, quos vicimus.*) Regionibus suis.

164. *Armenius Zalates.*) Alii *Zelates.* Nomen obsidis ex Armenia.

169. *Mit-*

Mollior ardenti ſeſe indulſiſſe Tribuno.
Adſpice, quid faciant commercia :| venerat obſes.
Heic fiunt homines. nam ſi mora longior Urbem
Indulſit pueris, non unquam deerit amator :
Mittentur braccæ, cultelli, fræna, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Quam-

VET. SCHOL.

169. *Mittentur braccæ.*) Dimittentur. *ἀφαίρεσις.*

170. *Sic prætextatos.*) id eſt, mores, quos filii Senatorum intra Urbem habent, obſides redeuntes ad ſuos reportant, quos ceteri apud ſe Ephebi diſcunt. *Artaxata*, civitas Armeniæ.

GRANG.

165. *Seſe indulſiſſe Tribuno.*) A Tribuno ſubagitatum. *Indulgere*, huic rei verbum. *Virg.* IV. Georg.

Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt. —

165. *Ardenti.*) *Ardere* & *ardor* de maſculorum turpi amore. Virgilius:

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Sic *ardor Hylæ*, *Propertio*, eleg. II. lib. I. Et *Horatio* Epod. ode XI. *Ovidio* II. Faſt.

— *Hic meus ardor erit.*

166. *Aſpice.*) Τὸ *aſpice*, præſentis eſt teſtimonii, nec longe petiti exempli. *Albinov.* ad Liviam:

Aſpice, quam meritis culpa ſit una minor.

167. *Heic fiunt homines.*) Cum primum quis rem habuit cum aliqua, dicitur *fieri vir*, ſeu *fieri homo*. *Martial.* lib VIII.

Felix, quæ tenerum vexabit ſponſa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum.

Ad noſtrum ſenſum planius idem lib. IX. epigr. LVII.

Dum puer es, redeas; dum vultus lubricus, & te
Non Libye faciat, ſed tua Roma virum.

Sic & *præcipitare virum*, de iis, qui admodum juvenes iiſce corrumpuntur deliciis. Paucis hic locus ante intellectus.

169. *Mittentur braccæ.*) i. Omittentur veſtimenta, quibus utuntur in patria, & *cultelli*, *fræna*, *flagellum*, hoc eſt, ſtudia exercendorum equorum, & virilis diſciplina dediſcetur, & pro moribus patriis, atque virilibus inſtitutis, in patriam Romanos mores reportabunt, qui ſunt perditiſſimi, & profligatiſſimi. Sic acute interpretatur *Beroald.* Annot. ad *Juvenalem*. *Braccæ* autem plurimis populis attributæ: Gallis, unde & *Braccata Gallia*; Dacis, Ponti populis, Perſis, Indis, Medis. Interpretantur *femoralia* vel *feminalia*. Sed *Pompon. Mela* videtur contradicere, cum ait: *Sarmatæ totum braccati corpus, & niſi qua vident, etiam ora veſtiti.*

170. *Mores prætextatos.*) impudicos, ut *verba prætextata* aliquando in malam partem.

170. *Artaxata.*) plurali num. n. g. Armeniæ caput. *Tacit.* lib. XIII. *Caput gentis Artaxata.* Nomen habet a Rege *Artaxia*, qui eam condidit ſuaſu Annibalis Pœni, ut docet *Plutarch.* in Lucullo. De ea *Plin.* cap. IX. lib. VI. *In campis juxta Araxem Artaxata.* Hanc Strabo *Artaxiaſata*, & Stephanus *Artaxiaſota* & *Artaxia* vocant. Xiphilinus *Neroniam* nuncupatam aſſerit: ſita eſt juxta Euphratem, & hodie ab incolis vocatur *Choin*, ut teſtatur *Jovius*.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS
AQUINATIS
SATYRA III.

EFFUGIT UMBRITIUS DIVERSA PERICULA VITANS.

SYNOPSIS. Umbritium sibi familiarem Roma discedentem, & discessus sui rationem perorantem inducit, nimirum mathematicos, sortilegos, & ceteros ejusmodi magni fieri, unaque cum ipsis Græculos adulatores libidinosos, & ingentium scelerum conscios: Honestarum vero artium professoribus nullum heic locum, nulla emolumenta laborum; imo iis præripi a ditioribus unicam, quæ supererat solatium vitæ, sportulam; qua vitæ necessaria, quæ in tanta populi frequentia haud parvo constant, sibi comparare solebant: hinc ubique ridiculi, passimque rejecti, & ne quidem ultimis codicillorum ceris hæredes scripti, quibus nulla quies interdiu, nullus somnus noctu, nulla in utroque securitas propter tectorum assiduos lapsus, frequentia incendia, caurorum infinitam multitudinem, juvenum procacium petulantiam, quibus pauper pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat Grassatorum copiam, qui media in urbe, in ipsis plateis, unumquemque impune spoliant.

QUamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Janua Bajarum est, & gratum littus amœni

Seces-

GRANGÆUS.

DIgressu confusus.) Sic Propert. eleg. XV. lib. I.

— Ithaci digressu mota Calypso.

Virgil. III. Æneid.

Nec minus Andromache digressu mœsta supremo.

1. *Veteris amici.*) *Martial.* lib VIII. epigr. XIIX.

Si tibi tantus inest veteris respectus amici.

Virgil. III. divini operis:

— Veterem Anchisen agnoscit amicum.

Horat. II. Serm. satyr. VI.

— Veterem vetus hospes amicum.

2. *Sedem figere.*) in Carmine lubrico:

Parum est miser, quod heic fixi sedem.

Tertull. lib. de cultu fœm. *Pedes domi figite.*

2. *Vacuis Cumis.*) Respectu celeberrimæ, & affluentis Romæ, quo & *Horat.* vocat *Athenas vacuas*, epist. II. lib. II.

— Sibi quod vacuas desumpsit Athenas.

Et *vacuum Tibur*, epist. VII. lib. I. Opponitur enim *vacuum* frequenti & celebri. Noster satyr. X. vers. 102.

— Vasa minora
Frangere pannosus vacuis Ædilis Ulubris.

De *Cumis* autem *Servius* ad illud III. Æneid.

— Cumæamque accesseris urbem.

Et ad illud VI.

Et tandem Euboicis Cumarum allabitur oris.

Dicta ἀπὸ τοῦ ἐγκύου i. a prægnante, vel ἀπὸ τῶν κυμάτων i. a fluctibus.

3. *Destinet.*) Permanet in translatione. *Destinare* enim proprie est scopum designare, quem petas. Hinc *destinatum* pro scopo apud *Livium*. doctissime igitur *figere*, & *destinare* conjuncta.

3. *Unum civem donare Sibyllæ.*) Augere Cumas uno cive. *Plaut.* Persa: sc. Cui homini DI propitii sunt.

Sum lepidus civis, qui Atticam civitatem
Maximam majorem feci, atque auxi civi fœmina.

Sybilla autem heic pro *Cumis*, ut vice versa Virgil. *Cumæum carmen* dixit pro Sibyllino.

4. *Janua Bajarum.*) Cumæ sunt quasi *janua Bajarum*, qua itur Roma Bajas. *Bajæ* autem in Campania: quæ hodie vulgo dicuntur *Golfo di Napoli.* Dictæ a *Bajo* Ulyssis filio, ut vult *Sil. Ital.* & *Servius* III. Æneid. At Isidorus: *Bajæ olim portus dicebantur, a bajulandis mercibus.*

4. *Gratum littus*) maris, quod Cumas alluit. *Gratum* autem *littus*, ut contra *Propertio* eleg. XVII. lib. I.

Omniaque ingrato littore vota cadunt.

4. *Amœni Secessus.*) *Isidor. Secessus*, locus secretus, sine accessu. *Amœnus*, ubi jucunditas, & otium. *Martial.* X.

Jucundos mihi nec laboriosos
Secessus spatio pares salubri.

II. Sub-

Secessus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, & Augusto recitanteis mense poetas?
Sed dum tota domus rheda componitur una,
Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam:

Heic

VETUS SCHOLIASTES.

11. *Substitit ad veteres arcus.*) Stetit exspectans rhedam, ubi solent Proconsules jurare in via Appia ad portam Capenam, id est, ad Cumenas. *Madidam* ideo, quia supra eam aquæ ductus est, quem nunc appellant *Arcum stillantem.* Primum enim usque ibidem fuerunt portæ, quæ *porta Capena* vocabatur.

GRANG.

5. *Prochytam præpono Suburræ.*) Insulam desertam regioni urbis Romæ, quæ celebratissima est, antefero; mallemque habitare in *Prochyta* insula, quam in *Suburra* regione. De *Prochyta* autem *Plin.* lib. III. cap. VI. & lib. II. cap. LXXXVIII. *Servius* IX. Æneid. *Dionys.* lib. I. Alii volunt dictam ab Æneæ nutrice ejusdem nominis; alii a *profusione*, quod ab Ænaria, (quæ *Inarime Virgilio*, ἄριμα *Homero*, *Pithecusa* Græcis dicitur, hodie *Ischia.*) *profusa* sit, dictam volunt.

5. *Suburræ.*) De *Suburra*, *Festus* in *Suburram.* Varro IV. de ling. Lat. *Fabius* lib. I. cap. XIII. *Sucurram non Suburram* legit, utpote a *Sucusano* pago dictam. de ea re satyr. X. ad illud:

— *Media vexillum pono Suburra.*

6. *Quid tam miserum, tam solum. &c.*) hoc est, nihil est adeo desertum, & miseria dignum, quin adhuc Urbi Romæ non præferas. Multo etenim deterius in urbe horrere incendia, & frequentes domorum lapsus, & mille alia pericula, quæ quotidie accidunt, quam in locis desertis habitare. Peracute autem illa duo, *miserum*, & *solum*: Solitudo ipsa miseria, nec abs re, *Væ soli!* Sacræ Paginæ.

6. *Tam solum.*) hoc est, *desertum*, ut Ovidio:

Quisquis amas loca sola, nocent. —

Virgil. III. Georg.

Heu male tum Libyæ solis erratur in agris!

Propert.

Sola eris, & solos spectabis Cynthia montes.

7. *Horrere.*) Timere, quo sensu Virgil. *horrere incendia* dixit, quod, qui timent, *horrescunt.*

7. *Incendia, lapsus Tectorum.*) Utrumque conjunxit Propertius:

Præterea domibus flammam, domibusque ruinam.

7. *Lapsus assiduos.*) Ut Martiali:

Casus in urbe frequens. —

8. *Mille pericula.*) *Mille*, *centum*, & *sexcenta* sæpe pro infinito accipiuntur. sic Martiali: *Mille curæ*, *mille tædia.* Virgilio *mille nocendi artes.* i. plurimæ, & fere infinitæ.

8. *Sævæ Urbis.*) In qua tot sunt, quæ nos terrent, pericula. *Donat.* Adelph. act. V. sc. IV. *Tristis est*, *qui dolet; truculentus & sævus*, *qui terret.*

9. *Augusto recitantes mense poetas.*) facete, quasi non esset minimum urbis periculum, *audire recitantes poetas mense Augusto*, ubi immensi calores.

9. *Augusto mense.*) Calend. Augusti. *Dio* lib. LVIII. *Cum Senatores calendis Julii & Augusti audiendis recitantium orationibus usque ad noctem commorarentur.*

10. *Sed dum tota domus.*) An familia? id est: uxor, liberi, servi: nam & *componi* dicitur de hominibus, ut *Propertio* lib. II. Eleg. XXVI.

Et tabula una duos poterit componere amantes.

An supellex? an utrumque? quomodo *Horat.* ode XXIV. lib. III.

Campestres melius Scythæ
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.

10. *Una rheda.*) Expresse *una*, ut familiam Umbritii tenuem designaret. *Rheda* autem verbum Gallicum, ex fide *Quintil.*

11. *Substitit.*) Stetit. Compositum pro simplici, ut frequens apud *Virg.*

11. *Ad veteres arcus*) aquæductuum.

11. *Madidamque Capenam.*) *Capena* erat, quæ hodie *Divi Sebastiani porta* dicitur, quam a lucis *Capenis* dictam vult *Servius* ad illud VII.

— *Lucosque Capenos.*

Ea erat initium viæ Appiæ. *Festus* in *Initium.* *Madida* autem dicta, propter fontes, qui ibi erant, unde *Fontinalis* dicta *Festo* in *Fontinalia.* *Martial.* lib. III. Epigr. XLVII.

Capena grandi porta qua pluit gutta.

16. *Ejectis*

Heic, ubi nocturnæ Numa constituebat Amicæ:
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis: quorum cophinus fœnumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat sylva Camœnis.
In vallem Egeriæ descendimus, & speluncas
Dissimileis veris. Quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine cluderet undas

Her-

VET. SCHOL.

16. *Ejectis mendicat sylva Camœnis.*) Templa Camœnarum Judæis locantur.

17. *Egeriæ.*) Egeria nympha colebatur in Aricino luco, cum qua Numa & concubium & colloquium se habere simulavit, super cultu religionum: quo armorum & pugnæ studio flagrantem populum Romanum abstraheret.

GRANG.

12. *Heic, ubi nocturnæ Numa constituebat Amicæ.*) Ubi horam locumque sese visendi statuebat Egeriæ Numa. Ea enim Latinis vis istius verbi *constituere*. Quod nos Galli dicimus *donner assignation*. Unde & Jurisconsultis *constitutum* i. *assignation*. Unde jocus *Cic.* lib. VII. ad famil. epist. IV. *Si quod constitutum habes cum podagra, in alium diem differas.* Ubi non mihi satisfacit *Manutius*. Sed bene *Lipsius* glossema substulit ex I. lib. de Oratore. Ubi enim ante legebatur, *Sane, inquit, vellem, non constituissem in Tusculanum me hodie esse venturum Lælio.* legit: *vellem, non constituissem in Tusculano hodie Lælio.* sic satyr. VI.

Aut si constituit, solitoque decentius exit.

Vide *Turneb.* lib. X. cap. XXVII. & *Passerat.* ad *Propertii* Eleg. IX. lib IV. *Lips.* quæst. Epist.

12. *Amicæ nocturnæ.*) Egeriæ, quam conveniebat noctu. de ea *Livius* lib. I. *Ovid.* III. Fast. & XV. Metam. *Dionys.* lib. II. *Arnob.* V. adverf. Gentes. *Plutarch.* in Numa. Nonnulli eandem esse *Egeriæ* a mulieribus cultę, quod eam opitulari partui *egerendo* crederent, unde & illi nomen. *Fest.* in *Egeria*.

13. *Nunc sacri fontis nemus.*) Nunc Egeriæ lucus & Camœnarum, Numæ tempore sacratissimus, & maxima veneratione nepotibus huc usque habitus, adeo prophanatur, ut Judæis mendicantibus locetur.

13. *Sacri fontis nemus.*) *Ovid.* III. Fast.

Egeria est, quæ præbet aquas Dea grata Camœnis.

Imo ipsa Egeria mutata fuit in fontem ipsum a Diana:

— *Pietate dolentis*
Mota soror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Sacri autem *fontes* & *divini* vocantur auctoribus. *Martial.* epigr. LVII. lib. IV.

Ergo sacri fontes, & littora sacra valete.

Virg. Ecl. I. & IV. Georg. quem locum imitatus *Horat.* ode I. lib. I. dixit:

Nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Idem & *Virg.* VII. Æneid.

— *Nemorum, quæ maxima sacro*
Fonte sonat. —

Ubi *Servius*. Quare autem *sacri*, rationem reddit *Theocrit.* Idyll. VIII. quod sint videlicet θεῖον γένος.

16. *Ejectis mendicat sylva Camœnis.*) *Sylva* i. Judæi in unaquaque sylvæ arbore cum miserrima familia pernoctantes, mane in urbem eunt mendicatum, quod repetit satyr. VI.

— *Cophino fœnoque relicto*
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris. —

Martial. lib. XII. epigr. LVII.

A matre doctus nec (cessat) *rogare Judæus.*

Vera imago in iis, quos *Ægyptios* seu *Bohemos* vulgus vocat.

17. *Speluncas Dissimiles veris.*) Quasi artificio adulteratas.

18. *Quanto præstantius esset Numen aquæ.*) Lego *Quanto præsentius esset.* Sic *Virg.* I. Georg.

— *Agrestum præsentia numina Fauni.*

Quod interpretatur *Servius*, *Propitia*: quod cum Dii *adsunt*, favent. *Præsentiores* autem credidit Deos antiquitas sub Numa, cum nihil natura passa fuisset ab arte.

19. *Numen aquæ.*) Ut *numen* maris, *numen* fluviorum *Virgilio*: nullus etenim fons, nullus fluvius, nullus lacus sine *divinitate*.

19. *Viridi si margine clauderet undas.*) Ut antiquitus:

Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum?
Heic tunc Umbricius: Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas,

Dum

tus: non autem muro marmoreo, ut tunc temporis. *Viridem* autem *marginem* vocat gramineum. *Ovid.* III. Metam. de fonte Narcissi:

Gramen erat, circo quod proximus humor alebat.

Et de fonte vallis Garaphies:

Fons sonat a dextra tenui pellucidus unda,
Margine gramineo patulos succinctus hiatus.

Claudere autem *margine*, ut *Virgil.* claudere arboribus. I. Æneid.

— Sub rupe cavata
Arboribus clausam circum, atque horrentibus umbris.

20. *Nec ingenuum violarent marmora tophum.*) *Violatur* quodammodo Natura artificio. Sic eleganter imitatus *Homerum Virgil.* dixit XII. Æneid.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur. —

Ingenuum tophum, i. naturalem. Gallice: *un roche à la naturelle.* quale illud *Ovid.* III. Met.

— In extremo est antrum nemorale recessu
Arte laboratum nulla, simulaverat artem
Ingenio Natura suo: nam pumice vivo
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

21. *Artibus, inquit, honestis Nullus in urbe locus.*) Bene addidit *honestis*: ars enim anceps verbum, & tam honesta, quam turpis ars. *Plautus* Trinummo, de inhonestis artibus:

— Hisce ego te artibus gratiam
Facio, neu colas, neu imbuas ingenium.

Mera autem autem imitatio est Mercat. act. v. sc. I.

Ego mihi alios Deos Penates persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem, ab Atticis abhorreo;
Nam ubi mores deteriores increbrescunt in dies,
Ubique, amici qui infideles sint, nequeas pernoscere,
Ubique eripiatur animo tuo, quod placeat maxime:
Ibi quidem, si regnum detur, non est lepida civitas.

22. *Nulla emolumenta laborum.*) *Ovid.* III. de Arte:

Nunc hederæ sine honore jacent, operataque doctis
Cura vigil Musis, nomen inertis habet.

23. *Res hodie minor est, here, quam fuit.*) Illud *Horatianum* exprimit, epist. ult. lib. II.

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Et ode VI. lib. III.

Damnosa quid non imminuit dies?

Unde *Arist* IV. Physic. *Λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι, ὅτι κατατήκει ὁ χρόνος, καὶ γηράσκει πάντα.* quod sic vertit Ovidius:

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas
Omnia consumis. —

Virgilius I. Georg.

— Omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

23. *Here.*) Antique, quod nunc *heri.* *Propert.* eleg. XXII. lib. II.

Scis here mi multas pariter placuisse puellas.

Quintil. *Here nunc I litera terminamus.* *Charisius* lib. II. *Heri, quidam Here putant dici debere.*

24. *Deteret exiguis aliquid.*) Imminuet, tanquam lima: translatio ducta a ferro, quod limando deteritur, atque extenuatur. *Horat.* ode VI. lib. I.

Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregii Cæsaris, & tuas
Culpa deterere ingenI.

24. *Proponimus Ire illuc.*) Unde *Horatio*, *propositum iter* lib. II. Serm. satyr. VI.

— Inde
Ambo propositum peragunt iter. —

25. *Fatigatas ubi Dædalus exuit alas.*) Cumas, ubi Dædalus ex Creta, ex sententia *Virgilii*:

Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce.

Alii tamen non Cumas; sed ad Siciliam, ad Cocalum regem, ut *Ovid.* VIII. Metam. Alii primum Sardiniam, deinde Cumas. *Servius* ex *Sallustio.*

25. *Exuit alas.*) *Virg.* I. Æneid.

Paret Amor dictis caræ genitricis, & alas
Exuit. —

25. *Fatigatas.*) Ovidius:

Jamque fatigatum tellus Ætnæa tenebat
Dædalon. —

Fati-

Dum nova canities, dum prima, & recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Queis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta.

Et

Fatigati corpore, *fessi* animo dicimur, ex *Servio* VIII. Æneid.

VET. SCHOL.

29. *Artorius istic Et Catulus.*) Ignobiles & sordidi, ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti.

32. *Siccandam eluviem.*) Ut publici fani cloacam.

33. *Domina venale sub hasta.*) Qui possunt a fisco vendi, quasi debitores fisci.

GRANG.

26. *Dum nova canities.*) Dum interspersus adhuc rara canitie capillus, ut loquitur *Apulejus.*

26. *Dum prima, & recta senectus.*) Non curva, nec, ut inquit *Calphurnius* in Bucolicis, adhuc

— baculum premat incurvata senectus.

27. *Dum superest Lachesi, quod torqueat.*) *Horat.* ode III. lib. II.

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur. —

27. *Et pedibus me* &c.) Non sum tripes, non assumtis pedibus ambulo, hoc est: non me porto: Senectutis maximum incommodum non posse incedere. *Plin.* lib. VII. cap. I. *Hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus. Plaut.* Mercat. act. IV. sc. I. inducit Dorippam anui dicentem:

— Quin is ocyus?

Respondet anus Syra:

Nequeo, mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero.
DOR. *Quid oneris?* SYRA. *annos octoginta & quatuor.*

Apulejus lib. VIII. Milef. *Senex magnus ille quidem, gravatus annis, totus in baculum pronus, & lassum trahens vestigium.*

28. *Nullo dextram subeunte bacillo.*) Hunc locum imitatus est *Auson.* in Epitaphio Callicrateæ:

Sed centum et quinque explevi bene mensibus annos;
In tremulam baculo non subeunte manum.

29. *Cedamus patria.*) Discedamus, ut supra satyr. II.

— Cede severi
Jugeribus campi. —

Virgil. I. Æneid. *excedere patria* dixit:

Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet.

29. *Vivant Artorius istic*) & similes infimæ conditionis scelerati, ut Catulus.

30. *Qui nigrum in candida vertunt.*) Ut apud *Ovid.* lib. II. Metam.

Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne,
Qui facere assuerat patriæ non degener artis,
Candida de nigris, & de candentibus atra.

Unde proverbium: *albus, an ater sis, nescio.*

31. *Queis facile est ædem conducere*) faciendam vel sarciendam. *Ædes.* enim in singulari de templo, in plurali pro domo, & templo sumitur, *Servius. Conducere* enim, & locare diversæ sunt significationis: sic locator & *conductor.* Et quanquam locator sit qui plerumque pretium accipit, & *conductor*, qui dat; tamen nonnunquam vice versa evenit, ut locator pretium det, *conductor* accipiat. *Conducere* igitur hoc in loco redimere est; *conductor*, redemtor, manceps. Idem locator contrariæ significationis. Quamvis *Valla* locare & *conducere*, eadem esse significatione enuntiaverit. *Budæus* priorib. annot. in Pandect.

31. *Flumina.*) Alveos fluminum.

31. *Portus*) reparandos, non *portoria*, ut vult *Britannicus.*

32. *Eluviem.*) Feculentiam cloacalem.

32. *Portandum ad busta cadaver*) facile est conducere a designatoribus & Libitinariis, quibus pompa funebris curæ est.

32. *Portandum.*) Efferendum. *Portari* enim & de funere verbum. *Catull.* de Nuptiis Pelei:

— Talia Cretam
Funera Cecropiæ nec funera portarentur.

32. *Ad busta.*) *Bustum* proprie dicitur locus, in quo quis combustus, & sepultus, & *bustum*, quasi bene ustum. *Festus.*

33. *Præbere caput venale sub hasta.*) Maneant Romæ

Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ,
Munera nunc edunt, & verso pollice vulgus,
Quum libet, occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas. & cur non omnia? cum sint,

Qualeis

mæ ii etiam, quibus est facile, non solum omnia supra dicta; sed etiam, qui se vendi sub hasta in auctione pati possunt. *Turneb.* cap. XXVII. lib. X.

33. *Præbere caput.*) Seipsum offerre. *Præbere* autem verbum conjunctum cum contumelia. Sic *Propert.* eleg. XX. lib. III.

Et caput argutæ præbeat historiæ.

Præbere caput etiam ad infandam libidinem, in *Catalectis.*

33. *Domina sub hasta.*) ritu antiquo: quæ publice enim venibant non modo præconis voci, sed & *hastæ* subjiciebantur. *Brisson.* lib. VI. de formulis.

33. *Domina hasta.*) Quod sub ea in servitutem redigerentur dominis, idcirco eam *dominam* appellat. hypallage: i. præbere caput venale dominus, iis scilicet, qui licitatione vicissent, quibusque addicti fuissent.

VET. SCHOL.

34. *Quondam hi cornicines.*) Symphoniaci parasitorum.

34. *Et municipalis arenæ.*) Gladiatorum, aut venatorum, qui in municipiis pugnaverunt, non in Urbe.

36. *Verso pollice.*) Mutata fortuna.

36. *Vulgus, Quum libet, occidunt populariter.*) Ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat, id est imperabat occidi. *populariter* * amabilium favente populo.

38. *Foricas.*) Stercora, hoc est, vectigal. *forire* est pro *deonerare ventrem.* *Forire* est foras ejicere. Alii tabernas dicunt foro vicinas: alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur: alii domos publico sumptu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.

GRANG.

34. *Quondam hi cornicines.*) Per contemtum, ut satyr. II. cum Gracchus dedit dotem cornicini. Ignobile etenim ejusmodi hominum genus. Videri potest ex sexto epist. ad Famil. & *Horatio*:

Nec timuit sibi vitio quis verteret olim,
Si præco parvas, aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer. —

35. *Notæ buccæ.*) Bene. *Cornicines*, *Buccæ*, ab inflatione *buccarum*. quæ vel ex *Plutarcho* notissima est.

36. *Munera nunc edunt.*) Ludos gladiatorios, quæ proprie *munera*, & auctores *munerarii.* sic satyr. II.

— *Cujus tunc munere retia misit.*

Non inutile autem verbum *edere.* *Sueton.* in Augusto: *Gladiatores sine missione edi prohibuit.* Hinc *munerarii editores*, *& muneris editio.*

36. *Verso pollice vulgi*, *Quemlibet occidunt populariter.*) Vid. *Lips.* II. Saturn. cap. XXII. Populi in arena præcipuum jus; & ad ejus voluntatem domini plerunque se conformabant. Nam aut intercedebat pro victis, læsisque; aut interfici jubebat. Signum interfectio is *conversus pollex.* *Prudentius* de Vestalibus:

— *Consurgit ad ictus,*
Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa
Delicias ait esse suas, pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

Conversum pollicem vocavit *infestum* Poeta vetus *ἀνάντιον*. Contra autem signum faventiæ *pressus pollex.* Hinc proverbia *premere pollicem.* *Convertere pollicem.* De quibus *Erasmus* Chil. I. Centur. IIX. proverb. XLVI.

37. *Populariter.*) Ut captent auram popularem, & studia vulgi sequi videantur.

37. *Inde reversi*) post muneris editionem, in qua omnia consumserunt, ex munerariis fiunt *foricarum conductores.* Ii a Jurisconsultis *foricarii* dicuntur. apud *Paulum l.* XVII. §. *fiscus. D. de Usur.* *Chrysargyri conductores:* Hoc autem *Chrysargyrum* est, ex *Cedreno*, pensio talis, quam quisque mendicus, aut pauper, meretrix sive jam emerita, omnis servus, itemque libertus inferrent in ærarium, nomine stercoris & urinæ: de quo *Lips.* de magnitud. lib. II. cap. VI. Et *Casaubonus* ad *Sueton.* & viri proceres, ut notat *Euagrius*, non aliter, quam militarem aliquam præfecturam id munus sordidum ambiebant & obibant. *Cujacius* Observ. XXII. cap. XXXIII.

38. *Et cur non omnia.*) Cur non ex Cornicinibus editores, ex Editoribus foricarum conductores? sunt enim ex eorum numero, quos elevat fortuna ex humili & infimo loco ad summa, rursumque ex summis ad infima deprimit.

39. *Quales*

Qualeis ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romæ faciam? mentiri nescio: librum,
Si malus est, nequeo laudare, & poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi. Ferre ad nuptam, quæ mittit adulter,
Quæ mandat, norunt alii: me nemo ministro

Fur

VET. SCHOL.

39. *Quales.*) ἀνακόλουθον. Dicere ante debuit, *Tales*, & *si quales*.

42. *Et poscere: motus Astrorum.*) Maleficus non sum.

43. *Funus promittere.*) His, qui sub severo patre agentes, de morte ipsius cogitant.

44. *Ranarum viscera.*) Non sum venenarius.

45. *Ferre ad nuptam.*) Lenocinium exercere non possum.

46. *Me nemo ministro.*) Non possum assessor esse furis judicis. bene adlusir de † consiliaribus.

GRANG.

39 *Magna ad fastigia rerum.*) *Virgil.* I. Æneid.

— Sed summa sequar fastigia rerum.

Claudian. in Ruffinum lib. I.

— Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse querar, tolluntur in altum
Ut lapsu graviore ruant. —

40. *Quoties voluit Fortuna jocari.*) Dum eos jocum, & ludos facit, ut ait *Plautus*. *Salesberiensis* lib. III. cap. VIII. *Porro actibus fortunæ deserviunt, dum in eis fortunæ jocantis ludus impletur. Quid enim aliud est, quum novum quemlibet & ignotum nunc amplissimo induit potentatu, & in regni fastigium erigit.*

42. *Librum, Si malus est, nequeo laudare.*) Non est igitur mihi in urbe locus; nam iis insitum sit *Horatii* præceptum, lib. II. Serm. satyr. V.

— Scribet mala carmina vecors
Laudator. —

Quod *Martial* fatetur fecisse:

— Recitas mala carmina,
Laudo. —

Magna etenim pauperiorum pars ex istis acclamationibus, & *laudationibus* vivebat. *Martial.* epigr. XLVIII. lib. VI.

Quod tam grande σοφῶς clamat tibi turba togata:
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

42. *Motus Astrorum ignoro*, &c.) Cum duæ sint Astronomiæ partes, altera circa *motus* stellarum; quæ vocatur μετεωρολογία, nam μετέωρα etiam stellas vocabant, non solum ea, quæ infra Lunam, ut *Aristoteles*: Altera circa effectus ipsos, quæ vocatur ἀποτελεσματικὴ, καὶ ποιητική. Utramque ignorare fatetur Umbritius. Vide ad illud VI.

Consulit Ictericæ lento de funere matris.

43. *Promittere.*) Sortilegis verbum non indecens, quorum est omnia *promittere*, nil præstare. *Virgil.* IV. Æneid.

Hæc se carminibus promittit solvere mentes.

44. *Nec volo, nec possum.*) Conjunguntur plerunque hæc duo, *velle* & *posse*. *Martial.* lib. V. epigr. LXXXIV.

An potes & non vis? —

44. *Ranarum viscera.*) De *rana rubeta* vide, quæ diximus ad I. & VI. satyr.

45. *Inspexi.*) tanquam aruspex. Proprie autem exta *inspici* dicuntur. *Ovid.* XV. Metam.

Protinus ereptas viventi corpore fibras
Inspiciunt, mentemque Deum scrutantur in illis.

Seneca Thyest. sc. IV. act. IV.

At ille fibras tractat, & fata inspicit.

Unde & *extispices*, & ipsæ divinationes, *extispicia*. Vide *Brisson.* I. de *Formulis*.

45. *Ferre ad nuptam.*) *Ovid.* eleg. XI. lib. I. Am.

Accipe, & ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer. —

46. *Quæ mandat, norunt alii.*) Amoris nuntiis, præter tabellas, quas ferebant, plerunque aliquid aut dicere, aut facere injungebatur. Quod proprie *mandare* appellatur. *Ovid.* loco supradicto:

Si quæret, quid agam; spe noctis vivere dices:
Cetera sunt blanda cera notata manu.

Et paulo post:

Aspicias oculos mando, frontemque legentis;
Ex tacito vultu scire futura licet.

Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, & exstinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, &, cui fervens
Æstuat occultis animus, semperque tacendis?
Nil tibi se sebere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas

Tri-

Apulejus Milef. lib. IX. *Devorato pudore, & dimota contatione ad aures dominæ mandatum perfert.* Ea mandata *commissa verba* appellat *Propert.* lib. II. eleg. XXIII.

Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut commissa suæ verba ferat dominæ.

46. *Nemo me ministro Fur erit.*) *Furem* heic intellige alienæ uxoris corruptorem, unde *furtum* adulterium; sic *furtivis rebus operam dare*, i. adulteriis.

V E T. S C H O L.

56. *Ponendaque præmia.*) Quæ *deponere* debeas, id est, abjicere, negligere: vel reddenda, ut quæ mala arte quæsita sunt. *Tristis*, quasi moriturus: ut mala conscientia torquearis.

G R A N G.

46. *Me ministro.*) *Minister* heic est, qui partes lenonis sustinet; qua in significatione *Propert.* eleg. XXII. lib. II.

Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.

47. *Nulli comes exeo.*) Bene. Nam *comes* est, qui iter facit. Cornel. Fronto: *Comes, iter facit: Assecla, sequitur potentiores: Sodalis, adolescentiæ nomen est.*

49. *Conscius.*) Nonius: *Scius, secum: conscius, cum alio*, licet indifferenter legatur. Glossæ: *conscius*, συνειδώς. *conscius*, συνίστωρ. *conscius*, συγγνώς. *conscit, conscisscit*, συγγινώσκει. Simile illud *Martial.* epigr. L. lib. VI.

Vis fieri dives, Bithynice, conscius esto.

49. *Cui fervens Æstuat occultis animus.*) *Fervens æstuat* διὰ δυοῖν. *Æstuat* autem ad animum, ut plerunque *Virgilius*:

— *Æstuat ingens*
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu.

Translatio a procellis, & fluctibus maris.

50. *Semperque tacendis.*) non divulgandis. satyr. II.

Tu nube, atque tace: donant arcana Cylindros.

51. *Nil tibi se debere putat.*) Similis locus *Martial.* epigr. I. lib. VI.

Cum coleret puros pauper Thelesinus amicos;
Errabat gelida sordidus in togula:
Obscœnos postquam cœpit curare cinædos;
Argentum, mensas, prædia solus emit.

Nil tibi debere autem est, non esse obligatum. *Debere*, obligationis Verbum. *Horat.* ode IV. lib. IX.

Quid debeas, o Roma, nepotibus
Testis Metaurum flumen. —

Martial. epig. LXXXV. lib. IX.

Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

55. *Arena Tagi.*) quæ aurea est, unde *Catullo* epigr. XXX. *Aurifer Tagus* dictus: *Martiali* item *dives*, & *aurifer*. Unde epig. XVI. lib. X.

Aurea quidquid habet divitis unda Tagi.

55. *Tagi opaci.*) An credam *Lubino*, qui *opacum* turbulentum dicit, propter auriferas arenas? Apage Germani haud germanam interpretationem. *Opaci* enim est umbris arborum obscuri. Credamus *Hispano* de Hispaniæ fluvio. *Martial.* lib. I. epigr. L.

Æstus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris arborum.

55. *Quodque in mare volvitur aurum*) ex ceteris auriferis fluminibus. *Plin.* lib. XXXIII. cap. IV. *Aurum apud nos tribus modis invenitur, fluminum ramentis; ut in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ, nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso, rituque politum.* Vide proverb. *Pactoli opes.*

56. *Ut somno careas.*) Propter secretum commissum, aut propter divitias: utriusque enim insomnis & misera custodia.

60. Qui-

Triſtis, & a magno ſemper timearis Amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptiſſima noſtris,
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obſtabit: Non poſſum ferre, Quirites!
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achæi?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad Circum juſſas proſtare puellas.
Ite, quibus grata eſt picta lupa Barbara mitra.

Ru-

VETUS SCHOL.

60. *Quirites.*) Exclamatio, *Porro Quirites!*

61. *Quota portio.*) Quamvis pauci ſunt, tamen Græcam vitiis urbem fecerunt.

62. *Orontes.*) Fluvius in Antiochia civitate, per quem Syros ſignificat: ut Virgil.

— *Et pontem indignatus Araxes.*

63. *Chordas Obliquas.*) Ruſticos tibicines, qui in obliquum tangent.

64 *Gentilia.*) Suæ gentis, orientalia.

65. *Et ad circum.*) Et hoc a Græcis tranſlatum dicit.

66. *Picta lupa Barbara mitra.*) Meretrices.

GRANG.

57. *Magno timearis amico.*) Vide, quæ diximus ad illud primæ:

— *Magni delator amici.*

Et VI.

— *Magnos viſurus amicos.*

58. *Quæ gens.*) Ut Martiali:

Quæ tam ſepoſita eſt, quæ gens tam barbara? —

Gens pro natione, aut genere hominum, alias *gens* appellatur, quæ eſt confecta ex pluribus familiis.

58. *Acceptiſſima.*) Gratiſſima. Aliter *acceptus* anceps verbum: Nam & bene, & male *acceptus* quis dicitur.

59. *Quos fugiam.*) Quod enim odio habemus, *fugimus*. Hinc ſatyr. II.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet. ———

Contra, quod amamus, ſequimur. utrumque oſtendit unico verſu *Horat.* epiſt. I.

Non ſequar, aut fugiam, quæ diligit ipſe, vel odit.

59. *Properabo fateri.*) Hoc eſt, propere fatebor. De verbo autem *properare*, *Nonius*, & *Gell.* lib. X. cap. XI. & lib. XVI. cap. XIV.

61. *Græcam urbem.*) Romam, in qua *Græcis* moribus vivitur, & in qua multi *Græcia* oriundi. Sic *Tertull.* de pallio: *Admodum Græci eſtis.*

62. *Orontes*) Syriæ fluvius, qui prius *Typhon* dicebatur, teſte *Strab.* & *Ophites*, ut ſcribit *Pompon.* Idemque *minor Jordanes.* Hodie *Soldino* vocari tradit *Niger*: at Olivarius *Tarpharo*, Benjamin *Pir*, Tevotus *Oronz.* dictus ab *Oronte* Gigante, cujus in alveo ſiccato corpus repertum undecim cubitorum. *Syrus* autem pro *Syrius* more ſuo.

64. *Tympana gentilia.*) Quoniam inventa fuerunt in Syria. *Tympanum* autem, vel ut alii legunt, *Typanum*, ut nos Galli *tabour* & *tambour* indifferenter, venit a *τύπτω*.

65. *Ad circum puellas.*) *Lipſ.* elect. cap. XI. intelligit de fœmineis proſtibulis, quæ omnium non ſolum libidini, ſed licentiæ exponebantur. Ego vero de ſemitariis. Ex Syria enim ejusmodi ſcorta. *Propert.* eleg. XXIII. lib. II.

Et quas Euphrates, & quas mihi miſit Orontes,
Me rapiant. ———

65. *Ad circum.*) Ad Mœnianum ædificium in circo, unde *Submœnianæ meretrices.* *Iſidor.* lib. XIIX. cap. XLII.

66. *Lupa barbara.*) Meretrix Syra. *Lupa* enim, ut ait *Iſidor.* meretrix eſt, a rapacitate dicta, quod ad ſe rapiat miſeros, & apprehendat. Inde *lupanar.*

66. *Picta mitra.*) De Mitra *Joſeph. Scal.* ad illud Virg.

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella.

Et *Meurſius* parte II. exercitat. Critic. cap. XIV. triplicem hanc facit: virginalem, militarem, & capitis ridimiculum. *Paſſerat.* ad *Catull.* dictam ait *mitram* a filo, quod Græci *μίτον* dicunt. *Picta* autem *mitra*, ut apud *Ovid.* Metam. XII.

Ille etiam picta redimitus tempora mitra.

67. Ru-

Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,
Esquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, & Isæo torrentior. Ede, quid illum

Esse

VET. SCHOL.

67. *Rusticus ille tuus.*) Ecce, in quantum Romani rustici didicerunt luxuriam, & palæstris uti, & fracteriis, ut athletæ ad vincendum.

67. *Trechedipna.*) Vestimenta parasitica, ut caligulas Grajas currentium ad cœnam.

68. *Niceteria.*) Vestes * peregrinas victis convenientes. Vel *Trechedipna* est ipse, qui cœnam facit, ut sit ordo: O Quirine, ille tuus rusticus trechedipna sumit, & fert niceteria collo ceromatico, & est sensus: En tibi, o Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum jam didicerunt, & palæstris frui & † syllateriis. Nam & *niceteria* syllateria sunt, quæ ob victoriam fiebant, & de collo pendentia gestabantur.

74. *Et Isæo torrentior.*) Isæus Romæ orator omnibus eloquentior. De hoc *Plinius Secundus* ait: *Magna Isæum fama præcesserat: major inventus est.*

GRANG.

67. *Quirine.*) Apostrophe ad Romulum, ut satyr. II. ad Gradivum sive Martem.

67. *Rusticus.*) Romanus, qui sub Regno tuo pastoritiæ & rusticæ rei operam dabat. eadem satyr. II.

Et Latiis pastoribus. —

67. *Sumit trechedipna*) Vestem Endromidem, quæ a *cursu* & *cœna* nomen habet, qua videlicet Græculi esuritores, ipsique patres esuririonum Romuli nepotes ad cœnam cursitantes uti solebant. Glossæ *cupedicinus* (corrige ex *Passerat. cupidicinus*) τρεχέδειπνος. Nam κατ' ἀντίφρασιν, ita dictus, qui lentius & serius ad cœnam veniebat; quia, qui cupidus est cœnæ, ad eam accurrit.

68. *Fert niceteria.*) Præmium Victoriæ. *Turdeus* enim interpretatur præmia victorum, vel sacrificia, sive epula victoriæ, quæ & ἐπινίκια dicuntur.

68. *Ceromatico collo.*) *Cerомate*, i. cerato unguento uncto, quo utebantur Athletæ, quodque ex oleo, certisque terræ generibus conficiebatur, unde dictum *Divi Hieronymi: Oleum perdit & impensas, qui bovem mittit ad ceroma.* Qui eos ungebant, *ceromatistæ* dicti.

69. *Sicyone.*) *Sicyon* urbs est in Peloponneso, quæ a *Suida* dicitur Hellas; a *Stephano* Telchinia, & Mecon.

70. *Andro.*) Maris Ægei insula, quę prima inter Cyclades, quæque usque hodie *Andro* dicitur.

70. *Trallibus.*) *Tralles* Phrygiæ urbs in Lydia, quæ hodie *Cora*, ut notat ex *Agathia Villanovanus.*

70. *Alabandis.*) *Alabanda* Cariæ civitas, a Care condita, a cujus filio nomen sortita, ut docet *Stephanus.* Hic autem *Alabandus* dictus, quod Cares *ala* equum vocant, *banda* autem victoriam. Vide Proverb. *Alabanda fortunatissima.*

71. *Esquilias.*) *Esquiliæ τόπος ἐν Ῥώμῃ. Charis.* lib. I. a Rege Tullio urbi adjectus, *Livius* lib. I. Ab *excubiis* Regis dictus, aut quod *Esquiliæ* a Rege Tullio excultæ fuissent. *Fest.* in *Septimontio.*

71. *A vimine collem.*) *Fest.* in *Viminalis*: *Viminalis porta & collis appellabantur, quod ibi viminum fuisse sylva videtur, ubi est & ara Jovi Viminio consecrata.*

72. *Viscera magnarum domuum.*) An quod blanditiis ita cari futuri, ac viscera: unde nostris Gallis, *Je l'ayme, comme mes petits boyaux.* An quod tanquam viscera omnia absorbeant?

73. *Ingenium velox.*) Sic *Horatio* animus velox:

— *Dum peregre est animus sine corpore velox.*

74. *Isæo torrentior.*) Eloquentior. Sic a *Sidon. Apollin.* carm. XXIII.

Aut cum se historiæ dabat severæ,
Primos vix poterant locos tueri
Torrens Herodotus, tonans Homerus.

Quintil. lib. x. attribuit *Isæo* sermonem promtum.

74. *Ede.*) Dic. *Horat.* Serm. II. satyr. IV.

Ede hominis nomen. —

Satyr. V. ejusdem libri:

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.

Noster infra, hac eadem satyr.

Ede ubi consistas. —

77. S.hœno-



Pag. 61.



Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit.
Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat, neque Sarmata, nec Thrax,
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit, fultusque thoro meliore recumbet

Adve-

VET. SCHOL.

77. *Schœnobates.*) Funambulus. *Aliptes*: unctor.

79. *Ad summam.*) Ad postremum. ut *Virgil. Hæc summa est.* Ad ultimum omnem vitam dicam.

81. *Conchylia.*) Vestem fucatam, & togæ erubescendæ fucatos habitus: & Romæ togæ † erubescendus in capicium purpuram, quasi conchylia signant.

GRANG.

75. *Quem vis hominem.*) Ridicule & satyrice, ut Gallis, *c'est un valet a tout faire.* Simile quid nuper commenti sunt in Patres Societ. JESU: JESUITA EST OMNIS HOMO.

76. *Aliptes.*) Unctor Athletarum. Cujus verbi meminit *Seneca* epist. LVI. Et noster satyr. VI.

— *Cristæ digitos impressit aliptes.*

Hinc *alima* unguentum Palæstræ; ii & *Coniatæ & Christæ* dicuntur.

77. *Schœnobates.*) Merum Græcum est. i. *funirepus, funambulus.*

78. *Græculus.*) Per contemtum, ut *Martialis* lib. II. epigrammat. LXXXVI.

Nusquam Græcula quod recantet Echo.

78. *In cœlum, jusseris, ibit.*) Hoc est, *si jusseris*: sed subauditur *si* cum elegantia. Sic apud *Propert.* eleg. XXV. lib. II.

Vidistis pleno teneram candore puellam.
Vidistis fusco, dulcis uterque color.

Sic *Tibull.* eleg. VI. lib. I.

Attigerit, labentur opes.

79. *Ad summam, non Maurus erat.*) *Clavier.* periphrasi II. satis erudite animadvertit, heic *Juvenalem* ludere in ambiguo. Nec tam tangere Atheniensem Dædalum, de quo fabulæ, quam Græculum, qui tempore Neronis priorem Dædalum imitari volens, Icarum potius, quam Dædalum imitatus. Quare *Sueton.* eum non Dædalum, ut *Martial.* in Amphitheatro, sed Icarum nominat, in *Nerone* cap. XII. *Icarus primo statim conatu, juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* & Martialis:

Dædale, Lucano cum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas?

Sed quis *Simonem Magum* non intelligit? Certe ille *Icarus* est.

81. *Non fugiam conchylia?*) Vestes purpureas. *Plin.* cap. IIX. lib. I. Tertium genus purpuræ numerat colorem *Conchylii.* Hinc apud *Lucret.* lib. VI.

Purpureusque color conchyli jungitur una.

Sueton. in Julio: *Conchyliatæ vestis ademit usum.*

82. *Signabit*) tabulas nuptiales, aut testamenti. *Signare* autem *Festo* est signum annulo imprimere. Hinc & contrahentium testes Jureconsultis *signatores* & *obsignatores.* Unde dictum *Senecæ*: *Annulis plus, quam animis creditur.*

82. *Fultus*) capite, scilicet pulvino, quod apponebatur dorso illius, quo cum recumbebat. *Propert.* eleg VI. lib. III.

Et fultum pluma versicolore caput.

Et verbum *fulcire* ad id refertur. *Apul.* lib. X. *Sed satis copiosis pulvillis, aliis nimis modicis, queis maxillas & cervices delicatæ mulieres suffulcire consueverunt.*

82. *Recumbet thoro.*) Ut *Horat.* epist. V. lib. I.

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Et ode III. lib. III. Carm.

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore Nectar.

Martialis:

Ad cœnam venies, sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.

82. *Thoro.*) Triclinari lecto. *Thorus* autem a *torta* herba. *Virgil.* V. Æneid.

Proximus a viridante thoro consederat herbæ.

Nonius in *Thoral. Joseph. Scal. thorum* dicit esse funem ex loris *retortum*, & quoniam loris lecti tendebantur, ab iis propterea *thoros* vocatos.

82. *Thoro meliore*) *Meliore*, an aulæis ditioribus strato, aut pluma delicatiore farto? an *meliore*, hoc

est

Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventini bacca nutrita Sabina?
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat

Hercu-

est digniore, ut qui esset in loco honestiore? sane videtur. Irascebantur valde antiqui propter hos mensarum locos. *Seneca* I. de ira: *Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori ipsi, qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? honestiorem aut turpiorem potest facere pulvinum?* locus autem *melior* & honestior lectus erat medius.

83. *Pruna*) Damascena. de quibus *Martial.* lib. XIII. epig. XXIX. *Plin.* lib. XIII. cap. V. a Syriæ Damasco cognominata, idem *Plin.* cap XIII. lib XV.

83. *Coctana.*) Genus parvarum ficuum ex Syria. *Martial.* lib. VII. Epigr. LII.

Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.

Vide ep. XXIX. lib. XIII. *Plin.* lib XIII. cap. V. *Syria peculiares habet arbores; in ficorum genere caricas, & minores ejus generis, quæ coctana vocant.*

84. *Usque adeo nihil est.*) Nihil nos juvat esse Romanos. *Servius* ad illud IV. Georg.

Usque adeo obnixi non cedere. —

interpretatur, *in tantum.*

84. *Cœlum Hausit Aventini.*) Aerem Romanum respiravit. *Haurire* enim respirare est. *Virgil.* lib. X.

— *Contra Tyrrhenus, ut auras*
Suspiciens hausit cœlum. —

II. Georg.

Cum primum lucem pecudes hausere. —

85. *Aventini.*) i. Urbis Romæ. Synecdochicos. *Aventinus* mons, quo Remus insederat captando augurio: unde ab *avibus*, *Aventinum* dictum, vult *Nonius*, quod, ut ait *Varro* IV. de ling. Lat. eo se ad Tiberim ferrent *aves*. Alii a rege *Aventino* Albano, quod ibi sit sepultus: alii ab *adventu* hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Sed *Varro* ab *advectu*; nam olim paludibus mons erat ab reliquis disclusus: itaque eo ex urbe, qui *advehebrentur*, ratibus quadrantem solvebant. *Fest.* in *Aventinum.*

85. *Bacca nutrita Sabina.*) Fructibus patriis sive Romanis: nam dicti Romani *Quirites*, a *Curibus* oppido *Sabinorum*. *Bacca* autem fructus arborum agrestium est, plerunque tamen pro *oliva*.

86. *Adulandi gens prudentissima.*) Sunt enim adulatoriæ artis magisteria, unde Gnatho apud *Terent.* Eunuchi act. II. sc. II.

— *Ubi homo cœpit me obsecrare,*
Ut sibi liceret id de me discere, sectari jussi,
Si pote, tanquam philosophorum habent disciplinæ ex ipsis
Vocabula, parasiti itidem ut Gnathonici vocentur.

86. *Laudat Sermonem indocti.*) Sic Gnatho *Terent.* act. III. sc. I. Eunuchi:

Pulcre, mehercle, dictum & sapienter: papæ!
Jugularas hominem. —

Nam ut dixerat act. II. sc. II.

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me, ut rideant,
Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror: simul —
Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.

87. *Faciem deformis amici.*) Sic Artotrogus in Milite *Plaut.*

Pyrgopolinicem te unum in terra vivere
Virtute, & forma, & factis invictissimis?
Amant te omnes mulieres: neque herele injuria,
Qui sis tam pulcher. —

78. *Et longum invalidi collum.*) Infirmitatis, & invaliditatis signum *collum longum* esse, vel sola Gallia testatur, quæ, si quem ejusmodi videt, continuo vocat, *ce grand col allongé.*

88. *Cervicibus æquat Herculis.*) Dicit simile collo Herculis, dum cum Antæo congrediebatur. Notandum autem in palæstrita *procerius collum* desiderari maxime, quod ostendit *Plin.* cap XXII. lib. XIV. *Ad hanc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, ac pectorosa cervicis repandæ ostentatio.* Quæ verba *Plinii* interpretans *Rhodigin.* VII. antiq. lect. cap. XXVI. *Intelligo* (inquit) *membrorum conformationem in palæstrita significari, inprimisque collum procerius, quod in eo desideratur maxime.* Citatque hunc *Juvenal.* locum


HERCVLI LIBYCO

Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet & nobis laudare: sed illis
Creditur, an melior cum Thaida sustinet, aut cum
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui: vacua, & plana omnia dicas
Infra ventriculum, & tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda est. Rides? majore cachinno

Con-

cum, & illud *Martial.* lib. XIV. epigr. XLIIX. Cui titulus: *Harpasta*:

Hæc rapit Antæi velox in pulvere Draucos,
Grandia qui vano colla labore facit.

Cujus epigr. explanationem videbis apud *Turneb.* lib. IX. cap. XXIII.

VET. SCHOL.

90. *Vocem angustam.*) Gracilem.

97. *Infra ventriculum.*) Sine pene, id est, inguina fœminea.

97. *Et tenui distantia rima.*) Naturam muliebrem significat.

98. *Antiochus aut Stratocles.*) Illius temporis comœdi.

GRANG.

89. *Antæum procul a tellure tenentis.*) *Stat.* VI. Thebaid.

— Herculeis pressum, sic fama, lacertis
Terrigenam sudasse Libyn, cum fraude reperta
Raptum in excelsum, nec jam spes ulla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta.

90. *Miratur vocem* &c.) *Claverius* paraphrasi IV. in *Juvenalem* sic legit hos duos versus:

Miratur vocem angustam, qua deterius nec
Illa sonat, quum mordetur gallina marito.

Ut sit sensus: Adulator Græculus miratur & extollit vocem gracilem & angustam divitis alicujus, quamvis gallina, cum a gallo gallinaceo mitur cristulam ipsius mordente, non deterius sonet. Vera auctoris mens ceteris interpretibus haud intellecta, qui hanc vocem ad gallum gallinaceum uno consensu referunt. Verum mihi cum *Claverio* dissidium. Retineo enim *Ille*, sicque textum prærordino: *Ille*, supple *adulator*, *miratur* &c. peroptime.

91. *Marito*) Gallo, qui dicitur *maritus*, qua ratione *Virgilius* transtulit ad pecudes:

Quem legere ducem, & pecori dixere magistrum.

Horat. ode XVII. lib. I.

Olentis uxores mariti.

Sic ad vites *Catullus* in carm. nuptiali:

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito.

Unde *maritare arbores*.

92. *Hæc eadem.*) Nos Romani possumus laudare, quæ vituperanda, sed nil nobis adferret utilitatis laudatio illa, quia nobis fides non haberetur.

93. *Cum Thaida sustinet.*) scortum Atticum: Thais enim nata Athenis, docet *Plutarch.* in Alexandro, cujus nomen frequens in Comœdiis.

94. *Vel Dorida.*) *Doridas* meretriculas: erant enim *Doricæ* mulieres φαινομηρίδες: unde & Δωριάζειν, τὸ παραφαίνειν & παραγυμνοῦν τὸ πλεῖστον τοῦ σώματος ταῖς γυναιξὶ σημαίνει. *Brodæus* lib. IV. cap. VI. Miscell.

94. *Agit Dorida.*) Ut *Cic.* VII. epist. ad Trebatium: *Et quando Medeam agere cœpi.*

94. *Nullo Cultam palliolo.*) Nudam. *Pallium* enim, & *palliolum* commune viris, & mulieribus; videturque esse id, quod *Pollux* vocat ἀμπεχόνιον, vel θερίστριον, *un manteau d'été.*

96. *Non persona loqui.*) non personatus vir. *Gabius Bassus* libris de origine vocabulor. apud *Agell.* lib. V. cap. VII. a *personando*, *personam* dictam vult. *Scalig.* Poet. I. cap. XIII. non a *personando*; sed quod erat περὶ σῶμα.

100. *Natio comœda est.*) profitentur *Comœdiam*, sive sunt ex secta *Comœdorum*. Sic *Seneca*, *nationem* pro genere & secta usurpavit, epist. LII. ex correctione *Francisci Modii*. Novantiq. lect. epist. CXXXII.

100. Ri-

Concutitur : flet ; si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet : igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem : si dixeris, æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares : melior, qui semper, & omni
Nocte, dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Præterea sanctum nihil est, & ab inguine tutum:
Non matrona Laris, non filia virgo, neque ipse

Spon-

100. *Rides?*) Sic *Gnatho Terentianus*:

Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari. —

100. *Cachinno.*) *Cachinnus* est cum voce risus effusior. At *cachinno*, *cachinnonis*, Irrisor, ut apud *Persium* satyr. I.

— *Sed sum petulanti splene cachinno.*

VET. SCHOL.

103. *Endromidem.*) Lodicem, qua se cooperiat.

108. *Si trulla.*) Si pepederit. alii sic intelligunt, si calix aureus crepitum dederit, cadens e manu divitis.

GRANG.

102. *Si tempore Brumæ.*) Alibi *mense brumæ*, i. hyberno tempore. *Bruma* enim *Varroni* IV. de ling. Lat. Quod *brevissimus* sit dies. *Fest. bruma a brevitate* dierum dicta. contigit autem *bruma* circa VIII. Cal. Jan. in octava parte Capricorni.

104. *Non sumus ergo pares.*) Contra *Martial.* lib. II. epig XIIX.

Capto tuam, pudet heu! sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas aliam: Jam sumus ergo pares.

106. *A facie jactare manus.*) Adulatorium erat *ante faciem jactare manus.* Hinc recitantibus auditores tendere manus solitum. unde *Martial.* lib. X. epig. X.

Sæpius assurgam recitanti carmina? Tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus.

Sic *Plin.* lib. VI. epist. XVII. *Recitabatur liber absolutissimus: hinc duo aut tres, ut sibi, vel paucis viderentur diserti, surdis, mutisque similes audiebant: non labra diduxerunt, non moverunt manus.* Ubi vides, *movere manus*, esse quod *Martial.* dixit, *tendere in ora*; Juvenal. *jactare a facie.*

106. *Laudare paratus, Si bene ructavit.*) quod hoc ructu maximo exoneraret stomachum. Unde servi parati, qui pinnas suggererent dominis *ructantibus*, quas in os indebant, ut facilius sese exonerarent. *Martial.* lib. III.

Suggeritque ructanti pinnas rubentes.

107. *Si rectum minxit.*) *Janus Parrhas.* Epist. XXXVI. corrigit: *Si lectum minxit*, i. triclinarem culcitam. *Horat.* satyr. III. lib. I. Serm.

Comminxit lectum potus. —

108. *Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.*) i. Si trullam vini ebibit, ita ut fundum inverterit, & epoto toto vino labris sugens crepuerit, & strepitum dederit. *Turneb.* lib. X. cap XXVI. ex *Alciato* lib. VI. Parerg. Jur. cap. III. *Iis enim*, inquit, *verbis bibacitas divitis exprimitur trullam exhaurientis, & labellorum crepitu id testantis.*

108. *Trulla aurea.*) Hoc in loco *trulla* est patera vinaria; sed profundior, quæ ex auro, aut ex gemmis fiebat, unde *Trulla gemmea*, *Ciceroni.* Vide *Alciat.* loco superius dicto.

109. *Nihil ab inguine tutum.*) *Quintil.* lib. V. cap. X. *Nullum tantum scelus est, nullum tam magnum facinus, ad quod suscipiendum libido voluptatis non impellat.*

110. *Non matrona Laris.*) Quid *matrona*, *Gell.* lib. XIIX. cap. VI. *Servius* II. Æneid. *Boethius* in Topica *Cicer.* *Laris* autem i. domus, pars pro toto, *Propertius*:

Vix aperit clausos una puella Lares.

Horat. ode XXIX. lib. III.

Parvo sub lare. —

Martial. Epigr. XXCIII. lib. II.

Conductum repetens nocte jubente Larem.

110. *Filia virgo.*) Innupta: quam a *viridi* ætate dictam ait *Servius.* *Festus* in *Querquetulam.* Fœminas

Sponsus lævis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ.
Stoicus occidit Baream delator amicum,
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Non

nas quas dicimus, antiqui *viras* appellabant, unde adhuc permanent *virgines*, & *viragines*. *Virgo* tamen est & *Donato*, quæ cum viro fuit.

VET. SCHOL.

112. *Aviam resupinat amici.*) Si nullus horum sit, qui possit corrumpi: si fuerit anus, ad ipsam se convertit.

115. *Facinus majoris abollæ.*) Proverbium, quasi majoris togæ, id est, scelens potioris. Vel per ironiam dixit, quasi sanctioris philosophi. *Abolla*, species est majoris vestis, quasi pallii majoris.

117. *Ripa nutritus in illa.*) Apud Tarson, civitatem Ciliciæ, quam præterfluit amnis Cidnus: cujus urbis conditor Perseus, qui nomen civitati ex facto dedit: quia ibi una ex talaribus pinnis ei excidit.

GRANG.

111. *Sponsus.*) Vulgo *le fiancé*, est is, qui *spoponderat* ducturum. *Agell.* lib. IV. cap. XLVI. μνηστήρ, sponsus. *Donat.* Andriæ act. I. sc. I. ad hæc verba: *Placuit. despondi.* ex veteri more (*ait*) quo spondebat etiam petitoris pater; unde sponsus, & sponsa. proprie tamen *spondet* filiæ pater, *despondet* pater adolescentis. Ipse *Donat.* Andr. act. IV. sc. V. & Adelph. act. IV. sc. ult. *Fest.* in *Spondere. Varro. Servius* ad illud X. Æneid.

— *Gremiis abducere pactas.*

111. *Filius ante pudicus.*) Uno verbo, *antepudicus*. Et *Fest.* Prædia anteurbana. Q. *Ciceroni* antecanis, & sexcenta alia.

112. *Aviam resupinat.*) Obscœnum verbum. quo & usus satyr. VIII.

Et resupinati cessantia tympana Galli.

Alii non *aviam*, sed *aulam* legunt, & interpretantur, domum evertit, sed prorsus ii omnia evertunt.

113. *Atque inde timeri.*) Ut supra:

— *Et a magno timearis amico.*

114. *Transi Gymnasia.*) *Gymnasia* heic pro Philosophis, quod ii in *Gymnasiis* disputare soliti. Vide *Parrhas.* epist. XXIV.

115. *Majoris abollæ.*) Philosophi longam *abollam* ferentis. *Abolla* enim in veteri vocabulario *Turnebi* explicatur ἱμάτιον: at ἱμάτιον scimus sumi apud *Demosthenem* pro pallio, quod supra tunicam induitur. Proprie tamen *abolla* militaris toga est. *Nonius*, in *Abolla*. *Baysius* de re Vestiaria. *Servius* V. Æneid.

116. *Stoicus delator*) Publ. Egnatius Celer, Philosophus Stoicus, qui contra Baream Soranum testimonium dixit. qua de re *Dio Nicæus* in Nerone.

116. *Occidit.*) Non ipsemet, sed fuit caussa falso suo testimonio, cur occideretur, sic supra:

Quem libet, occidunt populariter. —

117. *Discipulumque senex.*) Non possum adduci, ut cum *Lipsio* IV. hist. *Tac.* hos duos versus referam ad Egnatium accusatorem. Patria pugnat: hunc enim Cretensem facit *Juvenal.* at diserte patriam Egnatii notat *Dio Nicæus* in Nerone, qui Berythium, non Cretensem facit. De quo, igitur, inquies, intelligendus hic locus? Dicam judiciorum formula N. L. nisi dicas cum *Mantinello* intelligi de Heliodoro. sicque frustra est *Parrhas.* cui *Lipsius* assentitur. Sed *Casaub.* non Cretam, sed Corinthum intelligit, & Bareæ accusatorem Corinthiensem fuisse asserit.

117. *Ripa nutritus in illa.*) Corinthumne, ubi Pegasus pro insigni, & ubi primum a Bellerophonte prehensus fuit; aut Thebas Bœotiæ, ubi Pegasus terram scalpendo, fontem eduxit Hippocrenen; aut Tarson Ciliciæ civitatem, ad quam cecidit Bellerophon cum cœlum ascenderet, ubi & Pegasus plantam pedis, quæ ταρσὸς Græcis dicitur, fregerit, idque ex opinione *Parrhasii* epist. XXIV.

118. *Pinna delapsa.*) Deorsum lapsa. Sic *Virg.* III. Æneid. de columba:

— *Fixamque refert delapsa sagittam.*

118. *Gorgonei caballi.*) Pegasi a sanguine Medusæ Gorgonis nati. *Martian. Capella*:

Non est Romano cuiquam locus heic, ubi regnat
Protogenes aliquis, vel Diphilus, aut Hermarcus:
Qui, gentis vitio, nunquam partitur amicum,
Solus habet. Nam, cum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine summoveor: perierunt tempora longi
Servitii: nusquam minor est jactura clientis.
Quod porro officium, ne nobis blandiar; aut quod
Pauperis heic meritum: si curet nocte togatus
Currere, cum Prætor lictorem impellat, & ire

Præ-

Et fons Gorgonei tulit caballi
Ovid. III. Fast.
Suspice Gorgonei colla videbis equi.
Quem idem *Ovid.* vocat v. Fast. *Medusæum equum.*

VET. SCHOL.

121. *Qui gentis vitio.*) Græci enim soli volunt majoribus amici esse, hoc est μονοφιλεῖς.

GRANG.

119. *Non est Romano cuiquam locus.*) Superius:
— *Quando artibus, inquit, honestis*
Nullus in urbe locus. —

120. *Diphilus.*) Vide proverb. *Diphilo Diphilus tardior.* & *Rhodig.* cap. XXIV. lib. XV.

121. *Qui gentis vitio.*) Petronius: *Vitio gentis humanæ.*

122. *Solus habet.*) i. Possidet. Amantium verbum, Virgil.
Postquam nos Amaryllis habet. —
Sic Græci ἔχω. Unde *Aristip.* apud *Laertium* ἔχω Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι. Quod *Cic.* vertit IX. epist. ad famil. *Habeo, non habeor a Laide.*

122. *Stillavit in aurem.*) *Horat.* epist. IIX. lib. I.
— *Subinde*
Præceptum auriculis hoc instillare memento.
Translatio a rebus liquidis. Unde & *haurire auribus*, & *bibere* dicimur.

122. *Facilem in aurem.*) In aurem illius qui facillime credit ea, quæ de alio referuntur. *Propert.* lib. II. eleg. XXI.
Ah! nimium faciles aurem præbere puellæ.
Et eleg. IX. lib. I.
Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit aures.
Sic *Horat.* lib. I. Serm. satyr. I.
— *Facilem votis ut præbeat aurem.*

123. *Exiguum de naturæ, patriæque veneno.*) Adulatorium aliquid & calumniæ plenum, quod Græcis in naturam vertit.

124. *Limine summoveor.*) Domo divitis, & Regis expellor. proprie *limen* pro interiori familiaritate sumi dicit *Servius* II. Georg. & XII. Æneid. *Submovere* autem, sive *summovere*, verbum lictorum. *Horat.* ode XVI. lib. II.
Non enim Gazæ, neque Consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis. ———
Livius: *I lictor, summove turbam, & da viam domino.*

124. *Perierunt tempora longi Servitii.*) Meraphrasis Gallica: *Pour un petit déplaisir cent ans de services perdus.*

124. *Longi Servitii.*) *Horat.* Satyr. V. lib. II.
Cum te servitio longo curaque levarit.

125. *Nusquam minor est jactura clientis.*) Nusquam Romanis minori curæ fuit jactura clientis, quam tunc temporis.

126. *Ne nobis blandiar.*) Nos retinuimus: *a fin, que je ne me flatte point. Blandiri* autem est sensus demulcere. *Martial.* lib. XI. ep. XXXIII.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.

127. *Si curet Currere.*) Allusio ad illud *curet* & *currere*, quia Romanorum *cura* integra, *currere* ad domos beatorum.

127. *Nocte togatus Currere.*) Summo mane salutabant, idque in togis: Utrumque conjunxit *Martial.* epigr. XCII. lib. X.
Mane vel a media nocte togatus ero
Unde id appellabant *operam togatam.* Videbimus ad satyr. V.

128. *Cum Prætor lictorem impellat.*) De Prætorum origine, progressu, augmento erudite *Lips.* I. comment. in *Tacit.* De *lictoribus* autem idem *Lips.* in Elect. lib. I. cap. XXIII.

128. *Impellat.*) Verbis urgeat, nos *Il le hâte d'aller.*

129. *Dudum*

Præcipitem jubeat dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam & Modiam collega salutet?
Divitis heic servi cludit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione Tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ, vel Catienæ,
Ut semel, atque iterum super illam palpitet: at tu,
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres,
Et dubitas alta Chionem deducere sella.
Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes

Numi-

VET. SCHOL.

129. *Dudum vigilantibus orbis.*) Uti sibi prætor tutorem det, qui eos contemnens festinat.

131. *Cludit latus.*) Aut, in medium, servum mittit, aut in sinistra ambulat.

133. *Donat Calvinæ*) Prętoris cujusdam soror, quę se occidit, tanquam infamis in fratrem, temporibus Claudii.

136. *Deducere sella.*) Inde *sellariæ* dicuntur. unam meretricum a sella sua abducere conductam cunctaris, cum alii adulteri emant.

137. *Quam fuit hospes*) *Scipio Nasica*, quem propter probitatem vitæ Senatus elegit, ut simulacrum Matris Deum de Phrygia allatum, domi suæ haberet, dum ei templum fieret. Hic est Scipio, qui oppressit Tiberium Gracchum, leges Agrarias ferre conantem.

GRANG.

130. *Albinam & Modiam.*) Orbas divites, anus, viduas. addebatur autem in salutationibus nomen. Unde jocus *Martiali*, lib. v. Ep. xxII.

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Marcum
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumque suo resalutat nomine: quantum
Cura laborque potest! scripsit & edidicit.

Ibant & domos eorum, quos salutabant. *Martial.* epig. CIX. lib. I.

Migrandum est, ut mane domi te, Basse, salutem.

Duæ primæ horæ diei ejusmodi salutationibus insumebantur. Idem *Martial.* ep. IIX. lib. IV.

Prima salutantes atque altera continet hora.

131. *Ingenuorum filius.*) Ingenuus. ut *filii grammaticorum*, grammatici.

131. *Claudit latus servi divitis.*) Hoc est, ad sinistram, sive (ut ait *Eutrop.*) lævus incedit, & cum honestiori loco fuit incedere sic Horat.

Visne tegam spurco Damæ latus. —

Vide *Lips.* Elect. II. cap. II.

132. *Alter enim.*) Rationem subjungit; quare ingenui claudant divitum servorum latus; quod videlicet multa possideant, quæ nobilioribus meretricibus impertiuntur: ingenuos vero ob paupertatem vix febriculosa scorta aggredi audere.

132. *Quantum in legione Tribuni Accipiunt.*) Antiqui, cum maximum pretium volebant significare, in medium adducere solebant salaria sive stipendia Tribunorum militum. *Plin.* lib. XXXIV. cap. III. de pretio candelabrorum Æginensium: *Nec pudet Tribunorum militarium salariis emere.* De *stipendiis* autem militum vide *Lips.* lib. I. cap. II.

133. *Donat calvinæ.*) Calvinæ meminit *Sueton.* in Vespasiano. & *Tacit.* lib. XII. Annal. Ubi *Lipsius* notat errorem Scholiastæ, qui eam se occidisse dicit Claudii temporibus, cum ad Vespasiani tempora vixerit. appellatur *Junia Calvina*, non ut in libris, *Julia*.

135. *Cum facies scorti vestiti placet.*) Cum scortum plus solito ornatum tibi gratum est. *Vestiti*, alienis non suis vestimentis ornati: Vulgo *une garse reparée*.

135. *Hæres.*) Manes attonitus.

136. *Alta Chionem deducere sella.*) Vix audes illam diobolarem meretricem jubere, ut ex sella descendat, eamque domum deducere. Sic Tibullus:

— *E curru deducere Lunam.*

Deducere enim, deorsum mittere. Gallice *la descendre du carosse.* Sed & *deducere* est aliquem, quem tenemus, ducere, vulgo *mener par dessous le bras*, ut nostri Nobiles solent. Ex ritu nuptiali, ubi pueri matrimi & patrimi tenentes sponsam ad virum *deducebant.* In utraque significatione hic accipi potest: imo & tertia obscœna latet. Abutuntur enim hoc verbo auctores in malam rem. Hinc jocus Cic. apud *Sueton.* in Julio; *Tertia deducta est.* & IV. Verrina ipsemet Cic. videndus.

136. *Alta sella.*) Utpote duorum servorum cervice elata.

136. *Chionem.*) De *Chione*, *Martial.* multis locis ut lib. I. epig. XXXV. XCIII. & lib. III. epig. XXX. XXXIV. XXCIII. XXCVI. XCVI. & lib. XI. epig. LXII.

Numinis Idæi : procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam :
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet
Quæstio : quot pascit servos? quot possidet agri
Jugera? quam multa, magnaque paropside cœnat?
QUANTUM quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei. jures licet & Samothracum,

Et

137. *Tam sanctum.*) De sanctitate *Scipionis Nasicæ Plin.* lib. VII. cap. XXXIV. *Vir optimus semel a condito ævo judicatus est Scipio Nasica.* & *Liv.* lib. IX. decad. III.

137. *Hospes Numinis Idæi.*) Qui hospititio excepit Cybelem, ut refert *Livius* lib. IX. decad. III. *Valer. Max.* lib. VII. cap. V. *Qui matrem Idæam e Phrygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem sanctissimis manibus excepit.* Vide *Ovid.* IV. Fast.

VET. SCHOL.

138. *Vel qui servavit.*] L. *Metellum* dicit pontificem maximum, qui ardente templo Vestæ, Palladium ex mediis ignibus rapuit, ibique cæcatus est. Iste, cum per Latinam viam proficisceretur, augurio corvi in oculos suos involantis, revocatus est: & Palladium cum ex incendio rapuisset, passus est cæcitatem.

143. *Quantum quisque sua.*] Lucilius:

Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est,
Tantum habeas, tantum ipse sies, tantique habearis.

GRANG.

138. *Numinis Idæi.*) Cybele, quæ a Virgil. *Idæa parens* dicitur, & *Idæa mater* ab *Ida*, Phrygiæ monte, ubi colitur.

138. *Vel Numa.*) De *Numæ* sanctitate vide *Lactant.* lib. I. cap. XXII.

138. *Vel qui Servavit trepidam,* &c.) Vel *Metellus* Pontifex, bis Consul, Dictator, Magister equitum. De eo *Plin.* lib. VII. cap. XLIII. *Metellus orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ memorabili caussa, sed eventu misero.* Vide *Maxil.* lib. IV. *Ovid.* VI. Fast. *Statium* II. Theb. *Apollinarem* carm. IX. *Herodianum* in Commodo.

139. *Trepidam Minervam.*) Palladium. Ignis enim & Pallas in templo Vestæ. *Ovid.* lib. III. Trist. eleg. I. v. 111. *Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat, & Ignem.* *Plutarch.* in Camillo. quæ a *Lucano* appellatur *imperii pignus.* Vide *Lips.* syntagm. de Vesta cap. IX.

140. *De moribus ultima fiet Quæstio.*) *Horat.* epist. I.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. —

Longe aliter Jureconsultus in *l. honor.* §. *de honorib.* D. *de Mun. & Honor.* *In primis,* inquit, *consideranda persona, secundo origo natalium, postremo facultates.* Cic. II. de offic. *Sitque omne judicium nunquam locuples, sed qualis quisque sit.*

141. *Quot pascit servos.*) In multitudine enim servorum maximus proventus, maximæque divitiæ. Unde illud C. Cæcilii Claudii, qui testamento edixit, quamvis multa civili clade perdidisset, tamen relinquere servorum CIↃ IↃↃ CXVI. juga boum CIↃ CIↃ CIↃ IↃC. *Plin.* lib. XXXVII.

141. *Quot agri Jugera.*) *Jugerum* vocabatur, quod uno jugo boum in die exarari posset. *Plin.* lib. XIIX. cap. III. *Varro* I. de re Rust. cap. X. & IV. de ling. Lat. *Columel.* lib. V. cap. II. *Jugera* autem *agri*, ut *Martiali* lib. X. epig. LIIX.

— *Suburbani dum jugera poscimus agri.*

Sic *jugera campi, fundi, soli,* & similia.

142. *Magnaque parapside cœnat.*) Non *paropside*, ut alii legunt. *Parapsides* autem sunt vasa, quibus prandia ferebantur, quæ *Festo*, *aristophora*, dicuntur. Sidon. epist. IX. lib. II. *Institutum multas epulas parapsidibus apponi.*

144. *Tantum habet & fidei.*) Proverbium vulgatissimum, *quantum habet quisque, tanti fit.* De quo *Adagiograph.* proverb. XXCII. cent. III. Chil. IV. Quod refert D. *Aug.* lib. de discipl. Christiana : *Unde & illud proverbium,* (inquit) *quantum habebis, tantum eris.* *Horat.* in Satyris:

— *Quia tanti, quanti habeas, sis.*

Vetus Scholiastes refert illud Lucilii:

Aurum, atque ambitio specimen virtutis utrique est,
Tantum habeas, tantum ipse sies, tantumque habearis.

Sallust.

Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur, atque Deos, DIs ignoscentibus ipsis.
Quid, quod materiam præbet caussasque jocorum
Omnibus hic idem, si fœda & scissa lacerna,
Si toga sorddiula est, & rupta calceus alter
Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum,
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
NIL habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. exeat, inquit,
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,

Cu-

Sallust. in Jugurth. *Jam ante expertus sum parum fidei miseris esse.* recte, uam

Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί. i.

Haud pondus ullum pauperum verbis inest.

144. *Jures licet & Samothracum, Et nostrorum aras.*) *Jurare aliquem & per aliquem* Auctoribus nostris frequentissimum. Sed quid est *jurare aras*, an per ipsas aras jurare, ut *Martial.* qui per *templa tonantis* jurat; an aras tenendo, per ipsos Deos jurare, ut *Horat.* qui epist. II. lib. epist. I.

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Qui autem *Samothraces Dii* non constat, alii Penates, alii Jovem, & Junonem, alii Castorem & Pollucem existimant: nonnulli esse eos, quos dicunt *θεοὺς μεγάλους, χρηστούς, δυνατούς*, uno verbo dicuntur *divipotes*, & *καβείρους*, a Syriaca dictione *Cabir*, quæ potentem significat. Vide *Varronem* IV. de ling. Lat. & *Macrob.* lib. III. cap. IV.

VET. SCHOL.

145. *Contemnere fulmina pauper Creditur.*) Pauperi, quasi propter egestatem perjuranti, Dii non irascuntur.

150. *Consuto vulnere.*) A sutriballo sutus.

GRANG.

145. *Contemnere fulmina pauper Creditur.*) Non timent jusjurandi violati punitionem pauperes, qui lucri caussa facile quidvis admittunt. *Sil. Ital.* lib. XIII.

— *Sceleri proclivis egestas.*

& *Theognis*: —

Εἰ μὲν γὰρ πλουτοῖς, πολλοὶ φίλοι· ἢν δὲ πένηαι
– Παῦροι. κοὐκέθ' ὁμῶς αὐτὸς ἀνὴρ ἀγαθός.

Si dives es, multi amici; si vero pauper,
Pauci. non jam similiter ipse bonus.

147. *Materiam præbet jocorum.*) *Martial.* lib. I. epigr. V.

Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi
Materiam dictis nec pudet esse Ducem.

Nos vulgo dicimus *il donne à rire à tout le Monde.*

149. *Si toga sordidula.* &c.) Sic *Martial.* lib. I. epig CIV.

Sordidior multo post hoc toga, pænula pejor,
Calceus est sarta terque quaterque cute.

Horat. satyr. III. lib. I. Serm.

Rusticius tonso toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret. —

152. *Nil habet paupertas durius in se.* &c.) Exprimit illud *Plauti* Stichus:

Gelasimo mihi nomen indidit parvo pater
Propter paupertatem, hoc adeo nomen reperi:
Quia inde jam a pauxillo puero ridiculus fui,
Eo quia paupertas fecit ridiculus forem.

Noster satyr. XI. Sese ipsum imitatur:

— *Quid enim majore cachinno,*
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius. —

Querolus *Plauti*: *Huic quantum adjiciunt (paupertati) stultitiam, negligentiam, somnium, & gulam.* *Horat.* ode XXIV. lib. III.

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis facere & pati.

153. *Exeat*) e quatuordecim.

154. *Si pudor est*) *Propert.* eleg XII. lib. II.

Si pudor est alio trajice tela manu.

Ovid. eleg. II. lib. III. Amorum:

— *Tua contrahe crura*
Si pudor est. —

Virgil. eclog. VII.

Ite domum pasti, si quis pudor, ite Juvenci.

154. *De pulvino surgat equestri*) e gradu lapideo, pulvino strato. Primum tantum Senatui pulvilli insternebantur, ne asseribus nudis assiderent: postea & id concessum equiti. Vide *Lips.* lib. de Amphith.

I 3 cap.

Cujus res legi non sufficit, & sedeant heic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.
Heic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juvenesque lanistæ.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.
Quis gener heic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres:

Quan-

cap. XIII. τὸ *Surgat* autem verbum theatri. *Martial.* lib. V. epig. XXVI.

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate: surge.

Et Epigr. XL.

Unus cum sitis; duo, Calliodore, sedetis,
Surge solœcismum, Calliodore, facis.

VET. SCHOL.

155. *Cujus res legi non sufficit*) Othonis, qua jussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus, in numero equitum esse.

158. *Pinnirapi.*) Pinnis Pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pompam descendunt. *Pinnirapos* autem dicit *lanistas*, ex habitu gladiatorum: quia post mortem retiarii *pinnam*, id est, manicam rapit, ut ostendat populo se vicisse. Aut ideo *Pinnirapos*, quia pinnas in galeis habebant, ut Lucillius:

Cum septem incolumnis pinnis redit, ac recipit se.

161. *Sarcinulis.*) * Nunc doti.

GRANG.

155. *Cujus res legi non sufficit.*) Cui non suppetunt quadringenta secundum legem Theatralem.

156. *Lenonum pueri.*) Quod habeant censum equestrem. Nam & lenocinium & præconium facere, erat ars pecuniosa.

157. *Plaudat.*) Imperatori, aut saltem insigniori alicui viro advenienti plaudebant, qui in theatro. Horatius:

— Datus in theatro
Cum tibi plausus. —

Et notat *Tafferat.* ad *Propertii* hunc versum:

Stantiaque in plausum tota theatra juvent.

in eo plausu Romanos assurgere solitos, & stantes applaudere.

157. *Inter Pinnirapi juvenes.*) Inter filios gladiatoris. *Pinnirapus*, gladiatoris nomen, sic dicti, quia *raperet pinnas* galeæ illius, quicum componebatur. *Turneb.* putat cap IIX. lib. III. Adversar. *Pinnirapum* fuisse retiarium, qui pinnam Galeæ Mirmillonis appeteret. *Lips.* lib. II. Saturnal. cap. XI. *Non alii*, inquit, *Pinnirapi, quam, qui cum Samnite compositi, quique rapiunt ejus pinnas.* Onomasticon vetus *secutores* eos facere videtur, *Cicero* provocatores, *Artemidorus* probactores: sed in alterutro mendum.

158. *Juvenesque lanistæ.*) Et inter filios ejus, qui ludo gladiatorio præerat. dictus a *laniandis* corporibus, ex *Donato.* At *Isidor.* verbum esse Thuscum, eoque carnificem signari, cui assentit *Lips.* Saturnal. I. cap. XV. Glossæ: *lanista*, λουδοτρόφος, μονομαχοτρόφος, ἐπιστάτης, μονομάχων.

159. *Sic libitum vano Othoni.*) *Lucius Roscius Otho* legem tulit, ne quis ordinis equestris esse posset, qui quadringenta millia sestertium non haberet, & ut Equitibus Rom. solis in quatuordecim ordinibus, & separatim a plebe ludos spectare liceret: quæ lex ab ipso dicta *Roscia*, de qua *Horat.* Epist. I. epist. I.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia. —

Et Epodon ode IV.

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contemto, sedet.

De ea lege *Cic.* pro Muræna, & Philipp. II. *Seneca* epist. XLIV. *Florus* Epitome XCIX. *Pedianus* pro Cornelio.

159. *Vano.*) Inanium honorum cupido. Sic nos, *Il est bien vain*: de illo, qui, ut ait *Gell.* lib. XIIX. cap. IV. *levia & inania pro gravibus & veris componit: sed leves & inanes honores consectatur.* Servius *vanum*, stultum interpretatur; sed vane. nec aliter interpretatur *Virgilius*:

Vane Ligus, frustraque animis elate superbis.

160. *Minor censu.*) Cui minor & tenuior res. *Horatius*:

Magna minorve foro si res. —

161. *Sarcinulis impar.*) Et cui tot non suppetunt mobilia bona: sic enim eo nomine appellantur. *Martial.* Epigr. XI. lib. II.

Salva est uxor, sarcinæque, servique.

Et Epigr. XXXII. lib. XII.

O Juliarum dedecus Calendarum,

Vidi

Quando in consilio est Ædilibus? agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
HAUD facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romæ durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, & frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit

Transla-

Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi,
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor. —

161. *Quis pauper scribitur hæres.*) Hæredes scribi dicebantur. *Horat.* Serm. II. satyr. v.

— *Et ut scribere secundus*
Hæres. —

Cic. pro Milone. *Testamentum autem palam fecerat, & illum hæredem, & me scripserat.* Salvianus: *Illum hæredem scribo proximum meum.* *Martial.* lib. x. epig. XCVII.

— *Jam pollinctore parato*
Hæredem scripsit me Numa: convaluit.

VET. SCHOL.

167. *Servorum ventres.*) Cibaria cervorum.

GRANG.

162. *Quando in consilio est Ædilibus.*) Magistratus de re aliqua cogniturі, aut consultaturi sibi advocabant, quos in consilio haberent. *Turneb.* lib. x. cap. XXVII.

162. *Agmine facto Debuerant migrasse Quirites.*) Tangit primam seditionem P. R. & secessum in montem Sacrum, de quo *Florus* lib. I. cap XXIII. *Valer.* cap. IX. lib. IIX. *Ovid.* III. Fast. *Oros.* lib. II. cap. VI.

162. *Agmine facto.*) *Virgil.* IV. Georg. de apibus:

— *Aut agmine facto*
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.

Et I. Æneid. de ventis:

— *Velut agmine facto.*

De militibus lib. IIX.

— *Et agmine facto*
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

163. *Tenues migrasse Quirites.*) Ex ipso Virgilii:

— *Veteres migrate coloni.*

Tenues autem tenuioris fortunæ. *Horatius:*

Me libertino natum Patre, & in tenui re.

164. *Haud facile emergunt. &c.*) Quod repetit satyr. VII.

— *Neque enim cantare sub antro*
Pierio, thyrsumve potest contingere mæsta
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget. —

Andreas Alciat. Emblem. CXX.

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,
Ut me pluma levat, sic grave mergit onus.
Ingenio poteram superas volitare per auras,
Me nisi paupertas invida deprimeret.

165. *Sed Romæ durior illis Conatus.*). Quamvis ubique sit facile tenuioris fortunæ hominibus e barathro calamitatis emergere; tamen Romæ difficilius est id conari, quam alibi. Bene autem *Conatus*: nam *Conatus* proprie est ejus rei, quam ad exitum perducere nequeas.

166. *Hospitium miserabile magno*) Conducitur. *magno*, absolute, pro magno pretio. Sic & *parvo* dicitur, *Horatius*:

— *neque ulla est*
Aut magno, aut parvo lethi fuga. —

167. *Servorum ventres.*) Servi non possunt pasci Romæ, nisi magnis sumtibus. *Ventres* igitur pro cibis, qui in ventrem descendunt. Sic & nos Galli dicimus *ton ventre me couste beaucoup.* & helluone: *Il est sur son ventre.*

167. *Cœnula frugi.*) Est cœna sine carne, ubi solummodo *fruges*. Sic *Martial.* dixit, *jentacula frugi*, lib. XIII. epig. XXXI.

Si sine carne voles jentacula sumere frugi.

168. *Quod turpe negavit.*) Corrige, *negabit*. error natus ex affinitate literæ V, &, B. extremis Reipublicæ temporibus, ut videre est in *Pandect. Florentinis.* Hic error dedit locum historiæ Curii Dentati, quæ nihil ad Dionysum: Vidit *Beroald.* lib. Annot. Verus igitur sensus est: Romæ pudet cœnare fictilibus, qui si subito transferretur ad Marsos aut Sabellos populos, neutiquam puderet.

170. *Veneto*

Tranſlatus ſubito ad Marſos, menſamque Sabellam;
Contentusque illic veneto, duroque cucullo:
Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit, niſi mortuus. Ipſa dierum
Feſtorum herboſo colitur ſi quando theatro
Majeſtas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum

In

VET. SCHOL.

170. *Veneto, duroque cucullo.*) Aut craſſo habitu, aut quales cucullos habent Peruſini: vel a colore, aut provincia, Venetos.

172. *Nemo togam ſumit, niſi mortuus.*) Ut ei ſupra lectum mittant, dum mortuus effertur.

175. *Exodium.*) Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret; ut, quicquid lacrimarum atque triſtitiæ coegiſſent ex Tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret. Hujus & *Lucilius* meminit:

Principio exitus dignus, exodiumque ſequetur.

GRANG.

169. *Ad Marſos.*) Marſorum regio, hodie *la Eruzze.*

169. *Menſamque Sabellam.*) Ad populos Sabellos. Sabelli autem ſunt Samnites. *Plin.* lib. III. cap. XII.

170. *Contentus illic veneto duroque cucullo.*) Ruſtico ſago. *Columella* lib. I. cap. IIX. *Cucullum* autem dixerunt, quod a tergo *cucullos* haberet, quibus dum plueret, caput operirent, ut videmus hodie in iis, quæ vulgo, *cape de Bearn.*

170. *Veneto.*) Veneti coloris. Color *venetus*, a Græcis κυμάτινος. De quo Ovidius:

Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.

171. *Pars magna.*) i. Major pars. Perſio *bona pars.*

172. *Nemo togam ſumit, niſi mortuus.*) Romæ ſingulis diebus turba ſalutatrix togata eſt. Vix ſemel in Italia in vita togati, ſed togas reſervant ad ſepulturam. Vulgaris mos cujuſque nationis ad ſepulturam honeſtiſſimis veſtimentis indui; unde Romæ Cenſores purpura funerabantur, Magiſtratus prætexta, cetera plebs toga. De hoc ritu *Lipſ.* in Elect. lib. I. cap. V. & paſſim Jus Civile. *l. filius fam. D. de in rem verſo. l. ſi quis. D. de relig. & ſumt. funerum.* Sic quoniam Græci palliati in vita, ideo & in pallio mortui; utrumque morem tangit *Apul.* Florid. I. Sic & Orientales: unde intelligenda *Marci & Matthæi* hiſtoria, de ſepultore Chriſti: *Accepto corpore Joſeph involvit in ſindone munda. Sindon* enim veſtis, quæ a *Sidone* civitate nomen traxit.

172. *Dierum Feſtorum Majeſtas.*) Quod iis celebrantur ludi: qua ludorum celebratione videtur dies quodammodo auguſtior. Sic *Cicer.* dixit *celebrare dies feſtos ludorum.* Ludi enim ſunt inter dies feſtos, ut refert *Macrob.* ſed intelligendum de ludis anniverſariis, non extra ordinem datis, ut animadvertit *Aldus Manut.* ad lib. VII. epiſtolar. ad Famil. epiſt. I.

173. *Herboſo theatro.*) Sicque veterem ſimplicitatem Italia retinebat, quæ nec lignea, nec lapidea theatra ſtruxerat, ſed aggeſtis ceſpitibus editiorem locum ſibi pulvillis auctis faciebat; quod theatri genus pingit. *Virg.* V. Æneid.

— *Tendit*
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſylvæ, mediaque in valle theatri,
Circus erat. —

De cujus gradibus ita:

— *Ut viridante thoro conſederat herbæ.*

Ovid. I. de arte:

Primus ſollicitos feciſti, Romule, ludos,
Cum juvit viduos rapta Sabina viros:
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemoroſa palatia, frondes
Simpliciter poſitæ, ſcena ſine arte fuit.

& *Propert.* eleg. I. lib. IV.

In gradibus ſedit populus de ceſpite factis,
Qualibet hirſuta fronde tegente comas.

174. *Redit*) anno vertente ludi enim anniverſarii, ut dicebamus.

174. *Ad pulpita.*) *Pulpitum*, locus, in quo auctores recitabant. λογεῖον Græcis. Veteres Gloſſæ: *Pulpitum*, θυμέλη, σανίδωμα, ἰκρίωμα. Male Galli *pulpitre*, cum dicendum ſit *pulpite*: ſic *Lutrain*, quod Latini *lectrum*, a legendo, quod *letrain* dicendum eſſet.

174. *Notum exodium.*) Hic *exodium* pro exodiario, ſive urbicario, ut *conjugium* pro conjuge, & *officium* pro eo, qui officio fungitur. Quid autem *exodium* dixi ad illud VI.

Ruſticus exodio riſum movet Atellanæ.

175. *Hiatum*





In gremio matris formidat rusticus infans.
Æqualeis habitus illic, simileisque videbis
Orchestram, & populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.
Heic ultra vireis habitus nitor: heic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est. HEIC vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? OMNIA Romæ
Cum

175. *Hiatum pallentis personæ Formidat.*) Oris immodice patentis deformitatem, & depravationem, quæ in personis est, *la grimace des masques.*

VET. SCHOL.

178. *Orchestram.*) *Orchestra*, spatium, in quo saltat pantomimus. vel qui in Orchestra procedit, aut spectatur.

GRANG.

176. *Rusticus infans.*) De infantulis, quos ad spectaculum ludorum secum adferebant *Plaut.* Pœnuli prologo:

Nutrices pueros infantes minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum adferant.

177. *Illic.*) in Italia, extra Romam.

177. *Æqualeis habitus videbis.*) Omnes eodem vestimenti genere indutos, non distinctos laticlavio, angusticlavio, togis, prætextis, ut Romæ.

177. *Similem Orchestram.*) Non locum distinctum, ubi Senatores, sive decuriones, & populus sedeat.

179. *Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.*) Bene τὸ *sufficiunt.* Nam si vellent Ædiles, uterentur prætexta, ut ait Valerius adversus Catonem de lege Oppia abroganda, apud *Livium.*

179. *Summis Ædilibus.*) Quare *summi*, nonne in coloniis Duumviri, Censores ante Ædilem? *summos* crederem heic vocari, quod ludos curarent.

180. *Ultra vires.*) Ultra opes. amplius, quam pati possunt facultates. *vires*, pro opibus, ut apud *Propert.* eleg IX. lib. III.

Et tibi ad effectum vires dat Cæsar, ut omni
Tempore tam faciles insinuentur opes.

Ultra vires autem, ut apud Virgilium:

— *Vires ultra, sortemque senectæ.*

Unde proverbium: *Ultra vires nil aggrediendum.*

180. *Habitus nitor.*) In vestimentis, ut supra, *præconis nitidi.*

180. *Heic aliquid plus, Quam satis est.*) Ultra quam satis est, ut loquitur *Cic.* & *Horat.* student Romani nitori in vestibus, nec observant illud Pythagoricum μηδὲν ἄγαν.

181. *Aliena sumitur arca.*) Ære alieno, alienis impensis. *arca*, pro pecunia, quæ in arca clausa est. Sic nos, *sur ses coffres*, solemus dicere. Id *Plaut.* jam suo tempore viderat, qui postquam introduxit Periphanem respondentem Epidico:

— *Quid istuc mirabile est?*
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

subjungit Epidicus:

Hæc vocabula (vestimentorum) *auctiones subigunt,*
Ut faciant viri. —

Seneca de remedio fortunæ: *Cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependent.*

182. *Commune vitium.*) *Cic.* de Oratore: *Commune vitium & pervagatum.* *Propert.* de amore:

Communis culpæ cur reus unus agar?

Quod dixit *Ovid.* *commune crimen*, ita ut *illos*, ut ait Noster, *defendat numerus.*

182. *Ambitiosa Paupertate.*) *Ambitiosa paupertas* est, quæ ultra vires studet nitori, & precio vestium. Martialis:

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur, & die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba.

183. *Quid te moror?*) *Horat.* satyr. I. lib. I.

— *Ne te morer, audi.*

Et *Propert.* eleg. IV. lib. IV.

Sex superant versus; te, qui ad vadimonia curris,
Non moror. —

Unde formula dimittendi Senatus: *Nil vos moror, P. C.*

183. *Omnia Romæ Cum precio*) fiunt, nil gratis, etenim:

Aurum omnes victa jam pietate colunt.

Cum precio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes:
Ut te respiciat clauso Vejento labello?
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis genialibus. accipe, & istud
Fermentum tibi habe: Præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis.
Quis timet, aut timuit gelida Præneste ruinam,

Aut

VET. SCHOL.

188. *Fermentum.*) Dulcium malum, quod stomachum indigestum præstat.

189. *Cultis.*) Bene vestitis. quippe festo die suo servis donare cogimur, ut admittamur ad salutationem dominorum.

GRANG.

184. *Quid das, ut Cossum aliquando salutes.*) Domesticis Regum munera offerenda, alias te non admitterent. *Cossum* autem pro quocunque nobili, & beato. *Cossorum* etenim gens antiquissima, ut videre est apud *Plutarch.* in Romulo, & in Marcello. *Fest.* in *Opima.* Dicti fuere *Cossi* natura rugosi homines, a similitudine vermium ligno editorum, qui *Cossi* appellantur.

185. *Ut te respiciat clauso Vejento labello.*) Ut salutes Vejentonem non resalutaturum, qualis Nero pingitur a Suetonio: *Certe neque adveniens, neque proficiscens quenquam osculo impertivit, ac nec resalutatione quidem: sed vel respiciebat salutantes, vel annuebat, nullo prolato verbo. Martial.* lib. IV. epigr. XXXIV.

Securus nullos resalutas, despicis omnes.

Seneca de brevit. vitæ, cap. II. *Ille tamen, quisquis est, insolenti quidem vultu, sed aliquando respexit.*

185. *Clauso labello.*) Labellis contractis cum affectatione, vulgo dicimus, *faisant le petit bec.*

186. *Ille metit barbam.*) Neque tantum danda munera servis, sed & ipsis dominis in quacunque fere actione, ut si metunt barbam, vel crines deponunt: & quod minus ferendum, nostra munera illico vendunt. Ita interpretantur qui legunt *libis venalibus.* At mea sententia repone *libis genialibus*; natali enim die solebat mittere munera is, qui natalem suum celebrabat. *Ovid.* eleg. XIII. lib. III. de Trist.

Libaque dem pro te genitale notantia tempus?

186. *Metit barbam.*) Die, qua radebant barbam primum, exuebant juventutem, transibantque tunc in viros; unde is dies Romanis festus, & plenus gaudii. Neque tantum ipsis, sed & Græcis, unde & κάρεσθαι quod *tondere* est Romanis, itidem, κερῆναι, quod permutatione unius literæ, χαρῆναι, ut ait *Artemidor.* Quare illius gaudii, & lætitiæ perficiendæ gratia, tanquam in die natali, munera missitari solebant. *Ammian.* lib. XVII. Cæsar cum petenti, ex usu, gregario cuidam, ut barbas detonderet, dedisset aliquid vile, contumeliosis calumniis appetitus est a Gaudentio. Vide *Lips.* XIV. Annal. *Taciti*, & *Junium* lib. de coma, cap. IV.

187. *Illud Fermentum tibi habe.*) *Fermentum* i. indignandi materiam. Optimi enim auctores, ut notat *Casaubonus* ad illud Persii:

— Nisi hoc fermentum.

ad effectus animi hanc vocem transferunt. Sic pro *ira* apud Plautum: *esse in fermento*, hoc est, θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Simillime *Hebræi* חָמַץ quod fermentare est, pro, turgere ira, & βιάζεσθαι accipiunt. Dicitur & de ceteris animi affectionibus in *Novo Instrumento* & aliis auctoribus.

189. *Augere peculia servis.*) Bene. Nam, ex *Festo*, *peculium* est servorum a *pecore*; sicut & *pecunia* nobilium. *Servius* ad illud I. Ecl. *Nec cura peculI. PeculI*, inquit, aut ambigue dixit, quia omne patrimonium apud Majores *peculium* dicebatur a *pecoribus*, in quibus eorum constabat universa substantia; unde etiam *pecunia* dicta est a *peculio*: aut certe ad morem temporum pertinet. Nam modo tantum servi *peculium* dicimus. *Ulpian. l. depositi. D. de Peculio. Peculium* dictum est, quasi pusilla pecunia, sive pusillum patrimonium. Sic autem definiunt: *quod servus permissu domini habet separatum a rationibus Dominicis.* Habet & pater fam. Peculium. *D. de verb. sig. & l. si ergo. D. de jure Dotium.*

190. *Gelida Præneste ruinam.*) *Horatius* ode IV. lib. III.

— Seu mihi frigidam,
Præneste. —

Præneste autem fœminino genere, ut apud *Virgil.* IIX. Æneid.

— Præneste sub ipsa.

Dixit & *Stephanus*, *Prænestus*, mascul. genere. Hanc

urbem

Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon: tabulata tibi jam tertia fumant:

200 Tu

urbem putat dictam *Servius* ἀπὸ τῶν πρίνων. *Festus*, quod locus in quo condita est montibus præstet. *Stephanus*: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας ἀπὸ τοῦ Πραινέστου τοῦ Λατίνου τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ.

191. *Positis.*) Sitis, locatis. *Cic.* contra Rullum: *Roma in montibus posita.* Sic *Virg.* lib. V.

Urbe velit posita. —

Alibi:

— *Posuere in montibus urbem.*

VET. SCHOL.

192. *Simplicibus.*) Non ornatis.

192. *Proni Tiburis arce.*) In præcipiti posita. ut Horatius: — *Clivumque supinum.*

193. *Tenui tibicine.*) Tibicinatam, tanquam tibicina, id est materia gracili.

196. *Dormire ruina.*) Rupturas parietum calce modica perfundunt, & inquilinos jubent manere, tanquam si restaurassent ruinam.

199. *Ucalegon*) Ex Virgilio:

— *Jam proximus ardet*
Ucalegon. —

199. *Tabulata tibi jam tertia.*) Superiora tecta & tristega.

GRANG.

191. *Volsiniis.*) *Volsinii*, oppidum Thuscorum, quod concrematum fulmine narrat *Plin.* lib. II. cap. LII. & LIII. Vulgo hodie *Bolsena.*

192. *Simplicibus Gabiis.*) De Gabiis meminit *Virgil.* VI. Æneid.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam.

Simplicibus i. minime malis, *lourdants.* Martialis:

Non es tam simplex, quam vis, Callistrate, credi.

192. *Proni Tiburis arce.*) *Tibur*, vulgo *Tivoli*, antiquius Roma *Plinii* testimonio lib. XVI. cap. ult. *Proni*, propendentis. At contra *Horat.* lib. III. vocat *supinum Tibur*, quod *Acro* interpretatur *montuosum.*

193. *Urbem colimus.*) Habitamus. *Cic.* in epistolis: *Urbem, mi Rufe, cole.*

193. *Tenui tibicine.*) *Tibicen*, fulcrum, quo fulciuntur ruinam minitantia. *Fest.* in *Tibicines.*

194. *Labentibus.*) Proprie labi domus dicitur. *Hor.* lib. III. ode IV.

— *Donec templa refeceris,*
Ædesque labentes Deorum.

Virgil. lib. IV.

— *Miserere labentis Domus.* —

196. *Securus.*) Quod in villa maneat.

196. *Pendente*) Pro impendente, ut apud *Horat.*

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet. —

197. *Vivendum est illic.*) Cumis, Gabiis, Volsiniis, aliove in loco extra Romanam urbem.

197. *Ubi nulla incendia.*) Supra.

Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia. —

198. *Poscit aquam.*) Ex ritu antiquo, ubi in incendiis *aquam* inclamari solitum. *Quintil.* declam. XII. *Ut arma bello, ut aqua incendio inclamari publice solent.* Amplius præfectus vigilum debebat inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquam incendii casus oriretur: præterea ut aquam in cœnaculo suo haberent. *l. nam salutem. D. de officio Proconf.*

198. *Jam frivola transfert.*) Sarcinulas nullius pretii, quales describit *Martial.* epigr. XXXII. lib. XII.

Vide, Vacerra, sarcinas tuas,
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor. —

Frivola ea in significatione in Jure: *Ulpian. in l. solutum. §. solutum. D. de pignerat. act. Non enim credibile est, ut ad universam pensionem insulæ frivola mea teneantur.*

199. *Ucalegon.*) Ille cujus domus comburitur. *Virgil.* II. Æneid.

— *Jam*

Tu nescis. Nam si gradibus trepidatur ab imis:
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Procula minor; urceoli sex,
Ornamentum abaci; nec non & parvulus infra
Cantharus; & recubans sub eodem marmore Chiron;
Jamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.

Nil

— *Jam proximus ardet*
Ucalegon. —

199. *Tabulata jam tertia fumant.*) Tertium cœnaculum, *la troisiéme chambre.* Unde autem Tabulata, dicet *Isidor.* cap. III. lib X. Olim ligneæ domus fiebant, unde nomen permanet *tabulatorum. Fumant* autem *tabulata*, ut *Virg.* lib. XII.

Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex. —

199. *Tibi*) In tuam ruinam.

VET. SCHOL.

200. *Gradibus ab imis.*) A prima scala.

202. *Columbæ.*) Quia super tecta columbaria fiunt.

204. *Ornamentum abaci.*) Quod nos *Delficam* dicimus.

205. *Cantharus, & recubans.*) Quemadmodum solent e marmoribus facere sigilla diversa. *Recubans* enim i. a posteriore parte recumbens Hippocentaurus fingitur.

207. *Et divina Opici.*) Ὀπίζειν Græci dicunt de iis, qui imperite loquuntur. Alii *Opicos* dicunt eos, qui fœdam vocem habent.

GRANG.

201. *Quem tegula sola tuetur.*) Ut solent pauperes. *Turneb.* lib. XIII. cap. XI. sic nos Parisienses: *Il demeure à la premiere chambre, aupres des tuilles.*

202. *Molles columbæ.*) *Martial.* lib. XI. epigr. CV.

Basia me capiunt molles imitata columbas.

Molles, quia salaces, unde & Veneri sacræ, ut ait *Servius*, propter frequentem fœtum, & coitum.

202. *Ubi reddunt ova.*) In *columinibus* pariunt, ut docet *Varro* III. de re Rust. cap. VII. Unde dictæ *columbæ*, quia propter timorem naturalem summa loca in tectis captant.

203. *Procula minor lectus.*) Videtur alludere ad illud Proverbium Κλεομένης τὴν κοίτην ὑπερέχει. i. *Cleomenes cubile superat.* De quo *Erasm.* Chil. V. cent. VII. proverbio LII. Non autem, ut interpretatur, intelligendum de eo, qui magis abundaret rebus supervacuis, quam necessariis; sed eo, qui ea in paupertate est, ut ne quidem lectum sibi æqualem comparare possit.

204. *Ornamentum abaci.*) Latine *abacus Delphica*; Nostris hodie *la credance.* Vett. Glossæ: *Abaci Delphica*, μοιστήριον, ὡς ὁ Ἰουβενάλιος. demonstrantes tanquam digito hunc nostri *Juvenalis* locum. Viderunt *Turneb.* cap. XV. lib. XXVII. Et *Lips.* Epistolic. quæst. lib. IV. epist. XXIV.

204. *Urceoli sex.*) Ut solebant divites, in quorum Delphica semper comparia vasa solebant esse.

205. *Recubans sub marmore Cheiron.*) Notat trapezophorum, sive statuam, quæ poculorum mensam sustineret. Erat igitur mensa ex marmore, in qua urceoli, & cantharus. *Chiron* autem trapezophorus, hoc est, columna, quæ præ se ferebat formam *Chironis*, ut videmus in mensis, quæ uno tibicine fulciuntur. Vide *Rhodigin.* cap. XII. lib. VII. Antiq. lect.

206. *Cista.*) Vetus arca, quæ Græcis κίστη, ης. καὶ κίστις, ιδος. arca, loculi, marsupium.

207. *Opici mures.*) Veteres Glossæ bilingues non videntur legisse *Opici*, sed *Apici. Apicus*, ἀπαιτικίστης, ὡς Ἰουβενάλιος. retinet tamen Lips. *Opici*, Epist. quæst. epist. XXV. lib. IV. & epist. VI. lib. V. *Opici* autem proprie populi Osci sunt. *Fest.* in *Oscum.* & quoniam iis frequens rerum turpium usus, potissimum illius, ob quam de Tiberio dictum in Attellano exodio: *Hircum vetulum caprei naturam ligurrire*, Ligurritores ejusmodi, dicti fuere *Opici*: hinc *Auson.*

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister. —

Hinc *mures* qui catillant, & liguriunt, a *Juvenale* facete *Opici* appellati fuere.

207. *Divina carmina*) Theseida, de qua satyr. I.

— *Theseide Codri.*

210. *Fru-*

Nil habuit Codrus. Quis enim negat? & tamen illud
Perdidit infelix totum nihil : ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum, & frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.
Si magna Asturici cecidit domus : horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.
Tunc gemimus casus Urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc? & jam accurrit, qui marmora donet;
Conferat impensas : Hic nuda, & candida signa;
Hic aliquid præclarum Euphranoris, & Polycleti;

Hæc

VET. SCHOL.

210. *Frustra rogantem.*) Aut sine caussa; aut *frusta*, i. panem petentem.

213. *Pullati proceres.*) Cum nigris vestibus lugentes.

214. *Tunc odimus ignem.*) Non incendium Laris nostri, aut præ tristitia, aut propter casum, nec focum in domo nostra fieri patimur : quod & lugentes observare solent.

216. *Candida signa.*) Statuas marmoreas.

217. *Euphranoris, & Polycleti.*) Atheniensium cælatorum.

GRANG.

208. *Nil habuit Codrus.*) Inducitur aliquis. Volo incensa fuerint cœnacula Codri, quid propterea perdidit, cui nihil supererat : nam vocat *nihil* lectum exiguum, & ejusmodi *frivola*, quod prope ad *nil* accedant. Respondet poeta, neminem negare Codrum *nihil* amisisse, sed tamen illud *perdidisse nihil*, &, quod omnium pessimum, petenti Codro nudo & inopi nemo auxiliatur : quæ paucis expressit *Martialis* lib. V. Epigr. XXCIII.

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane;
Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.

210. *Frusta rogantem.*) Sunt, qui legunt *frustra*, sed frustra. sic enim *Martial.* lib. XI. epigr. XXVIII.

— Vel duo frusta rogat.

211. *Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.*) Uno verbo Virgilius:

— Neque illos
Juveris auxilio —

212. *Horrida mater*) quasi in luctu publico, in quo solebant matronæ deponere ornatum. Unde *Lucanus* lib. II.

— Cultus matrona priores
Deposuit. —

213. *Pullati proceres.*) Ritus publici luctus, ut Senatorius & Equester ordo, depositis prætextis, & insignibus, *pullas togas* sumerent. Idem *Lucanus* lib. II.

— Latuit plebejo tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Albinovan. de morte Drusi:

Aspicitur toto purpura nulla foro.

Seneca epist. XVIII. *Nam, quod fieri, nisi in tumultu, & tristi tempore civitatis non solebat, voluptatis caussa vestem mutavimus.*

213. *Differt vadimonia Prætor.*) Justitium indicitur, ut in luctu publico. *Lucanus*:

— Ferale per Urbem
Justitium. —

Albinovanus ad Liviam:

Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges.

De *Justitio* videndus *Faber*, Semestr. II. cap. X.

213. *Vadimonia.*) *Vadimonium* est sponsio sistendi in judicio; unde dicitur: *Vadimonium* obire, sistere, facere, concipere, promittere, differre, deserere.

214. *Tunc odimus ignem:*) Non illum incendii, sed cujuslibet foci. Nam, ut notat *Vetus Scholiastes*, mos erat lugentibus *focum* in domo non sinere fieri.

216. *Nuda.*) More Græco, quorum statuæ *nudæ*. *Plin.* cap. V. lib. XXXIV. *Togatæ effigies antiquitus ita dicebantur. placuere & nudæ tenentes hastam ab epheborum & gymnasii exemplaribus, quas Achilleas vocant. Græca res est, nil velare: at contra Romana ac militaris, thoraces induere.*

216. *Signa.*) *Simulacra. Fest.* in *Litura.* Signa ut rerum; ita res sculptæ aut lapides, aut ferrum, & si quæ sunt ejusmodi, quæ sculpantur, etiam pocula, & simulacra ad effigies hominum conformata. *Candida* autem intellige e marmore candido.

217. *Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.*) Alius adfert ad ornatum novæ domus aliquod simulacrum, quod mira arte aut *Euphranor*, aut *Polycletus*

Hæc Asianorum vetera ornamenta Deorum,
Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam;
Hic modium argenti: meliora, & plura reponit
Persicus orborum lautissimus, & merito jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum!
Hortulus heic, puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenueis plantas facili defunditur haustu.
Vive bidentis amans, & culti villicus horti:

Unde

cletus olim statuarii celebres elaboraverunt. *Aliquid* autem *Euphranoris*, ut nos Galli, *avez vous quêque chose de Pilon.* Sic pictori, *avez vous quêque chose de Michel-l'Ange. Euphranor* autem statuarius Olympiade centesima quarta. *Plin.* lib. XXXIV. cap. IIX. qui & Pictor, idem *Plin* lib. XXXV. cap. XI. De *Polycleto* autem vide eundem *Plin.* lib. XXXIV. cap. IIX.

VET. SCHOL.

218. *Hæc Asianorum.*) Superstitiose gentem nominavit.

219. *Et forulos.*) Armariam, sive bibliothecam.

221. *Persicus.*) *Persicum*, quasi divitem posuit: eo quod *Persæ* divites. Sic Horatius: *Persicos odi, puer, apparatus.* Terentius: *Dinumeret nunc ille Babylonias.*

224. *Aut Fabrateriæ.*) Civitatum nomina Campaniæ.

GRANG.

218. *Phæcasianorum deorum.*) i. Deorum Græciæ, qui *Phæcasiani* Dei pro *Phæcasiati. Phæcasiati* autem, hoc est, *Phæcasiis* induti. *Phæcasium*, ut vult *Hesychius*, est calceamentum rusticum. Ex *Plutarcho* est calceus Græcanicus. *Turnebo* cap. VII. & XXVII. lib. X. *Vetus Scholiastes* legit *Asianorum*, non *Phæcasianorum.*

219. *Hic libros dabit & forulos*) *Foruli* plutei sunt, sive capsulæ, in quibus libri reponuntur. *Sueton.* in Augusto cap. XXXI. *Solos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.*

219. *Mediamque Minervam.*) Infra satyr. XV. *dimidio Memnone.* Fiebant enim imagines aut integræ, aut dimidiatæ. Unde jocus *Cic. Frater meus major est dimidiatus, quam totus.*

220. *Modium argenti.*) Pro indefinita mensura. Nec abhorret vulgus Gallorum ab hac ratione loquendi, *un boisseau d'écus.*

221. *Reponit.*) *Reponere* hic, est loco alterius rei amissæ aliquid aliud conferre, sic XII. Æneidos:

— *Hæc pro virginitate reponit.*

222. *Tanquam ipse suas incenderit ædes.*) *Martial.* lib. III. epigr. LII. mira brevitate hæc omnia exprimit:

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
Abstulit hanc nimium casus in Urbe frequens.
Collatum est decies. rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

223. *Si potes avelli Circensibus.*) Signanter *avelli*, utpote qui plus nimio eorum spectaculo hærebat. Sic *Cic.* pro Fontejo: *Avellere atque abstrahere filium de matris complexu.* & pro domo; *Ut perpetuum dolorem avulsus a meis sustinerem.* XV. Æneidos:

Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta, neque avelli possunt, nox humida donec
Invertit cœlum. —

Sic nos, *l'on ne l'en peut arracher.*

223. *Soræ, aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone.*) In aliquo horum trium Italiæ oppidorum. *Sora* Campaniæ oppidum, de quo *Plin.* lib. III. cap. V. *Fabrateria* hodie *Frabaterno*. *Plin.* idem eodem. De *Frusinone* autem *Strabo* lib. V.

225. *Tenebras.*) Tenebrosam domum. Sic *Martialis*, *tenebras* tenebrosa balnea vocavit. lib. I. Ep XIV.

Nec Grylli tenebras. —

227. *Tenues plantas.*) Quæ recenter humo fixæ sunt, & quæ debent ob id irrigari. *Virgil.* in Georg.

— *Ipse feraces*
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.

228. *Vive bidentis amans.*) *Horat.* satyr. VI. lib. II.

Vive memor, quam sis ævi brevis. —

Vidensis

Unde epulum possis centum dare Pythagoræis.
Est aliquid, quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ.
Plurimus heic æger moritur vigilando: sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, & hærens
Ardenti stomacho. Nam quæ meritoria somnum
Admittunt? magnis opibus dormitur in Urbe.

Inde

Bidentis amans, hoc est, rei rusticæ, quod *bidens* sit instrumentum rusticum a duobus dentibus cognominatum, cujus inventio Anacharsidi Scythæ attribuitur. Sic autem satyr. VII. *patiens ligonis.*

228. *Culti villicus horti.*) *Martial.* ep. LXIIX. lib. III.

Custodem medio statuit quem villicus horto.

VET. SCHOL.

231. *Fecisse lacertæ.*) Notandum, quia fœminino genere dixit, *Lacertæ*; cum *Virgilius* masculino dixit *Lacertos*. & aut ad animal retulit, quia sunt in agro quamplurimi, aut *lacertam* pro horto posuit, per quam discurrere & latitare consuevit.

234. *Meritoria.*) Tabernæ. ab eo, qui mercedes præstat.

235. *Magnis opibus dormitur.*) Magna potentia silentium imponitur vicinis tabernariis, ut magno precio somnus constet.

GRANG.

229. *Unde epulum possis centum dare Pythagoræis.*) Ex quo horto posses alere centum philosophos Pythagoræos, qui abstinentes carnium usu, herbis & leguminibus victitant. *Dare autem epulum, Horatianum* sapit, Serm. II. satyr. III.

— *Gladiatorum dare centum*
Damnati populo paria, atque epulum. —

Cic. pro Muræna: *Cum epulum Quintus Maximus Africani patrui sui nomine pop. Rom. daret.*

230. *Est aliquid.*) Non minima res est. *Ovid.* II. eleg. I. de trist.

Est aliquid, fatoque suo, ferroque cadentem
In solida moriens ponere corpus humo.

Martial. lib. IV. Epigr. XCV.

Est & in hoc aliquid. —

231. *Sese dominum fecisse lacertæ.*) Acquisivisse, vel ubi unica lacerta quiescere posset, hoc est, quam minimum hærediolum. hyperbolice. quale illud, quod Lupus dederat *Martiali* lib. XI. ep. XIX. quem vide.

232. *Plurimus heic æger moritur vigilando.*) Sunt qui legunt *pluribus*. ignare. *Plurimus* enim *æger*, i. ingens multitudo ægrorum. Sic *Martiali* plurimus nauta, lib. V. ep. XVI.

Plurimus Hispanas mutet tibi nauta metretas.

Sic *plurimus hospes*, *plurimus cliens*, & similia.

232. *Moritur vigilando.*) Nam, ut ait *Martial.* Romæ:

Nec cogitandi spatium, nec quiescendi
In urbe locus est: pauperi negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores;
Ærariorum marculi die toto.

234. *Nam quæ meritoria somnum admittunt.*) Quæ, uno Verbo *Juvenalis*, fusius contra suum morem explicat *Martial.* loco superiori:

Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa:
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum.

Hinc post multa:

Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet, quot æra verberent manus urbis,
Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo,

234. *Meritoria.*) Omnia, quæ mercede locabantur, *meritoria* dicta, a *merendo*: unde & vehicula *meritoria* dicta a *Suetonio*. Vetus lexicon *Turnebi* explicat *meritoria*, loca tabernaculorum, ubi adulteria committuntur, heic autem *meritoria* sunt tabernæ, & officinæ ærariorum, nummulariorum, pistorum, malleatorum, & ceterorum ejusmodi.

235. *Magnis opibus dormitur in Urbe.*) Quoniam magno stant ingentes illæ ædes, quæ remota cubicula habent a murmure vicorum, in quibus soli reges dormire solent. *Martial.* ep. LVII. lib. XII.

Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus:
Nec in Falerno monte major autumnus,
Intraque limen clausus essedo cursus,

Et

Inde caput morbi: rhedarum transitus arcto
Vicorum inflexu, & stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso, vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora liburno,
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter:

Et in profundo somnus, & quies nullis
Offensa linguis, nec dies nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessi,
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

VETUS SCHOL.

237. *Mandræ.*) Locus, in quo porci includuntur.

239. *Si vocat officium.*) Si officium faciendum sit Consuli a Prætore, disponit, qui viam faciant.

240 *Liburno.*) A lectica magna liburnatos, & gerulos liburnos. Ipse, *Tarde venisse liburnos*, in secundo libro.

244. *Unda prior.*) Populi multitudo stantis ad officium.

245. *Assere duro.*) Amite lecticæ lecticarios significat.

GRANG.

237. *Stantis convitia mandræ.*) Murmur, quod procedit ex rhedis, quę sibi obviam occurrunt in inflexuris viarum, inter quas carrus intricatus alicujus rustici stolidioris, qui, quod stat mandra, nec potest ultra progredi intricata rhedis nobilium; & rhedariis, & ipsi nobilitati convitia dicit, id quod non semel vidimus Lutetię Parisiorum. Ceterum *mandra* Græca vox est, quæ apud *Theocritum* pro spelunca & cubili, stabulo, vel caula sumitur. Heic autem, ut & apud *Martial.* lib. v. epig. XXIII. *mandræ* sunt jumenta, aut carri, quibus marmora, ligna, & ejusmodi necessaria in urbe carrucarii trahebant.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

Sed & in lusu latrunculorum sunt equites. *Lucan.* Panegyrico ad Calpurn. Pisonem:

— *Et fracta prorumpat in agmine mandra.*

Vel ut eruditiss. *Scaliger*, quadrigæ eburneæ, quarum & factiones, ad imitationem quatuor illarum celebriorum factionum in ludo calculorum repręsentabantur: Nam & Neronem quadrigis lusitasse auctor est *Sueton.*

238. *Eripient somnum.*) Hor. *adimunt* dixit:

Ictibus crebris juvenes protervi
Nec tibi somnos adimant. —

238. *Druso.*) *Britannicus* ex conjectura legit *urso*, quod ursi somnolenti sint.

238. *Vitulisque marinis.*) Alludit ad nomen *vitulorum. Vituli* enim Itali dicebantur; unde & Italia. Porro *vituli marini*, qui & *phocæ*, profundioris sunt somni. Unde *Plin.* cap. XIII. lib. IX. affirmat nullum animal graviore somno premi, illiusque pinnæ dextræ vim soporiferam inesse, somnosque allicere subditam capiti, *Virgil.* IV. Æneid.

Sternunt se somno diverso in littore phocæ.

Dicti autem *vituli*, quod in somno mugitus *vitulis* similes edant: *Plin.* eodem.

239. *Si vocat officium.*) Sic nos Galli, *il va ou ses affaires l'appellent.* Ejusmodi autem *officium* appellat *Martial.* operam togatam lib. III. epigr. XLVI.

Exigis a nobis operam sine fine togatam.

239. *Turba cedente.*) Multitudine populi recedente, ut sine impedimento, & velocius currat.

240. *Ingenti liburno.*) Hoc est, grandibus e liburnica servis; scilicet, ut subliniores veherentur. Quidam heic *liburnum* intelligunt vehiculi genus, non recte.

241. *Obiter.*) Ob iter, *allant par le chemin.* Eundo etenim legere aut scribere solebant. Qua de re *Plin. Junior* in epistolis.

242. *Clausa fenestra*) Velo, sine plagulis lecticarus. Vide *Lips.* Elect. I. cap. XIX.

244. *Unda.*) Unda pro multitudine populi. sic Apul. *Unda fremit vulgi. Virg.* II. Georg.

Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

245. *Assere duro*) lectica. Asseres enim in lectica. Idem *Just. Lips.* eodem.

246. *Metre-*

Alter : at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox undique magna
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides, quanto celebretur ſportula fumo?
Centum convivæ : ſequitur ſua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res
Impoſitas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, & curſu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ ſartæ : modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum

Plau-

VET. SCHOL.

246. *Metretam.*) Vas, quod amphoram capit.

249. *Fumo.*) Apparatione.

250. *Centum convivæ.*) Perinde *convivium*, quia ſibi faciunt in commune.

250. *Sequitur ſua quemque culina.*) Pulmentaria portans ſecum, comparata ex ſportula.

251. *Corbulo.*) Alii dicunt athletam illius temporis fortem, *Corbulonem* fuiſſe : alii genus navis.

GRANG.

246. *Tignum.*) Tabulam. ſub nomine enim *tigni* continetur omnis materia, unde fiunt ædificia, *tout marrain, ſolive ou chevron.*

246. *Ille metretam.*) Vox Græca, quæ eadem eſt *Cado*, qui continet congios decem. Eſt & *metreta*, quæ Latinis amphora, & quæ appellatur *Ceramion* apud *Septuaginta Interp.* Dicitur autem *metreta*, quod ab ea, tanquam *metro*, menſura & centro, infimas, mediasque pendere menſuras neceſſe ſit, ſi juſta proportione metiantur : eſt enim ſumma infimarum menſurarum, infima mediarum. Liquidorum autem eſt *metreta*, Solidorum *Medimnus*, ut docet *Robert. Senalis*, lib. de ratione ponderum & menſurarum.

248. *Digito clavus mihi militis hæret.*) Vix eſt, ut poſſim intelligere hunc locum de *clavis*, qui erant in caligis militum, ſed de *clavo* calcaris, quem vulgo dicimus *la molette de l'eſperon.* In ea enim turba aliqui milites ocreis & calcaribus inſtructi pedites ambulabant.

250. *Sequitur ſua quemque culina.*) i. dum quisque redit domum, ſervus ferens capite ſportulam, ſive cœnam foculo ſuperpoſitam ne frigeſcat, pone ſequitur. *Seneca* ea mente in epiſtolis : *Tumultus coquorum ipſis cum opſoniis focos transferentium. Hoc etenim jam luxuria commenta eſt, ne quis intepeſcat cibus, ne quid palato jam guloſo parum fieret, cœnam culina proſequitur.*

251. *Corbulo vix ferret.*) Vix aliquis ita robuſtus, procerus, validus, qualis olim Corbulo, ferre poſſet, quæ ſervulis capite ferenda imponuntur. De *Corbulone* autem *Plin.* lib. VII. cap. V. & *Cornel. Tac.* XIII. Annal.

251. *Tot res Impoſitas capiti.*) Non tantum humeris, ſed & capite onera ferre ſolebant veteres: *Ovid.* de Ponto lib. III. eleg. VIII.

Suppoſitoque gravem vertice portat aquam.

Propert. eleg. IX. lib. III.

Turpe eſt, quod nequeas capiti ſubmittere pondus.

Et eleg. IV. lib. IV.

Urgebat medium fictilis urna caput.

Ad ſuſtinenda autem commodius vaſa, ſupponebant capiti circulum, qui propriè Latinis *arculus* dicitur, à noſtris *un bourrelet. Feſt.* in *Arculum.*

254. *Longa abies.*) Aeria, procera. *Virgil.* XI. Æneid.

— *Cujus apertum*
Adverſi longa transverberat abjete pectus.

254. *Coruſcat.*) Motat, quaſi caſura. ponitur & active *coruſco.* Ut apud Virg *coruſcare haſtam, ignem,* & ſimilia.

255. *Sarraco veniente abies.*) Alii legunt *Serraco*. Sed neuter recte. Male enim, *a*, pro, *o*, poſitum eſt : neque, *r*, debet geminari. Sed verbum Græcum merum eſt. Heſychius Σαίργανον, ἀγγεῖον εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλεται ἢ ξυλοκαρφίδια. Porro imitatio *Horatiana* epiſt. II. lib. II.

Feſtinat calidus mulis, geruliſque redemtor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum.
Triſtia robuſtis luctantur funera plauſtris,
Hac rabioſa fugit canis : hac lutulenta ruit ſus.

Et ſatyr. VI. lib. I.

— *Si plauſtra ducenta*
Concurrantque foro tria funera —

255. *Sarraco.*) Carro. *Gloſſæ vett.* Ἅμαξα, *ſarraca,*

Sarra-

Plaustra vehunt, nutant altæ, populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, & eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
More animæ. Domus interea secura patellas
Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros varie properantur: at ille
Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum

Infe-

Sarracum. Fest. in *Sarracum*. Dicemus ad satyr. v.

255. *Altera pinum Plaustra.*) Sic *Vitruvius* Sarraca & Plaustra simul conjunxit cap. x. lib. I. *Portationesque eorum non essent, nisi plaustrorum aut sarracorum per terram.*

VET. SCHOL.

257. *Ligustica.*) Nomen Insulæ.

261. *More animæ.*) Sicut *animæ* non videntur, ita cadavera minutatim concisa *obteruntur.*

263. *Lintea gutto.*) Et apparatur ad balnea ferre, si venerit, quem nescit peremptum. *Gutto* autem ab eo, quia *guttam* mittit: quos habent capsarii. *Strigla* autem est, quod *xystram* dicunt, unde oleum deteritur.

266. *Porthmea.*) Carinam *Porthmeum* dicit, non angustum trajectum.

GRANG.

256. *Nutant altæ, populoque minantur.*) Mere *Virgilianum:*

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur
Et tremefacta comam concusso vertice nutat.

257. *Saxa Ligustica.*) Silicem Lunensem, qui serra secatur, ut docet *Plin.* cap. XIIX. lib. XXXVI.

258. *Et fudit montem.*) Appellat saxum ingens, & monte avulsum, *montem*, per hyperbolen.

261. *Lavat secura patellas.*) Domus secura a periculo vinorum, vel, *secura*, hypallage, pro *securas patellas.* utrumque bene; sic enim *patella* appellatur a Persio:

— *Cultrixque foci secura patella.*

Quare autem *secura*, vide *Casaub.* eo loci.

262. *Sonat unctis Strigilibus.*) Alius servorum præparat *Strigiles*, *lintea*, *guttum*, & cetera balnei. Veteres autem libri *Strigilibus*, non *Striglibus*, ut sit proceleusmaticus. *Turneb.* cap. XXVII. lib. X. *Strigiles* autem instrumenta ad sudorem in balneo destringendum. id enim dicebatur *destringere*, sive *distringere*, vulgo *abatre la sueur.* sordes, *Strigmenta.* vidit *Marcilius* ad illius *Persii:*

I puer & strigiles. —

Formam *Strigilis* graphice describit *Apul.* II. Florid. *Nondum ejus omnia (Hippiæ) commemoravi. etenim non pigebit me commemorare; quod illum non puditum est ostentare: qui magno in cœtu prædicavit, fabricatum semet sibi ampullam quoque oleariam, quam gestabat lenticulari forma, tereti ambitu, pressula rotunditate: juxtaque honestam strigileculam, recta fastigatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur.* quæ, ut intelligas, *Strigilis* formam depictam videto ap. *Mercurialem* de Art. Gymn. lib. I. cap. XXXVI. & alios.

262. *Sonat.*) Apposite: erant enim *strigiles* aureæ, argenteæ, æneæ, licet ditiores spongiis purpureis uterentur strigilum loco. *Plin.* cap. XI. lib. XXXI. *Præstant & strigilum vicem linteolorumque affectis corporibus.*

263. *Componit lintea.*) quibus a balneo involvebantur. *Vetus Scholiastes* alibi *Sabana* interpretatur, quæ duo distinguit *Marcil.* ad *Pers.*

265. *Jam sedet in ripa.*) Graphice *sedet*, ut solent facere ii, qui exspectant phaselum. non *sedentes* tamen, sed stantes facit *Virgilius:*

Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore.

265. *Novitius.*) Ignarus & nescius inferni moris. Sic nostle iis, qui in re aliqua inexpertes, solemus dicere, *ce sont des novices.*

266. *Porthmea.*) Portitorem Charonta. *Porthmeus* Græce *portitor*, sic *Petronius:*

— *Vix navita Porthmeus*
Sufficiet simulacra virum traducere cymba:
Classe opus est. —

Sic

Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia, ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa, & curta fenestris
Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent,
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi,
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas. Adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.
Ergo optes, votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentæ patulas defundere pelveis.

Ebrius

Sic Latine absolute, *portitor.* *Virgil.* IV. Georg.

— Portitor Orci

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat

Albinov. in consolat. Liviæ:

— Omnes exspectat avarus

Portitor. —

Teter autem, quod sit squalore terribilis, ut videre est apud *Virgil.* VI. Æneid.

266. *Cœnosi gurgitis.*) *Virgil.* VI. Æneidos:

Turbidus in cœno, vastaque voragine gurges.

VET. SCHOL.

267. *Quem porrigat ore trientem.*) Nummum, stipem. Et nunc apud Athenienses mortuis solent in ore nummum immittere, ut apud inferos non tanquam inopes errent: unde *naulum* Charon accipere solebat: ut Virgilius:

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

270. *Unde cerebrum Testa ferit.*) id est, quanto in excelso sunt insulæ, vel quemadmodum conjuncta.

277. *Ut sint contenta.*) Ut stercore perfundaris potius, quam alio gravi pondere feriaris.

277. Pelves.) Conchas, in quibus pedes lavant, ut vasa fictilia, ποδονιπτῆρ.

GRANG.

267. *Quem porrigat ore trientem.*) Ordo est, *nec habet ore trientem, quem porrigat.* Ferebant mortui ore naulum sive πορθμεῖον. Fabulæ originem vide apud *Diod.* lib. II.

269. *Quod spatium tectis sublimibus.*) Quam domus excelsæ. *Claudian.* de altitudine Rom. ædificiorum ita:

Qua nihil in terris complectitur altius aer.

Vide *Just. Lips.* de magnit. Rom. lib. III. cap. IV.

272. *Lædant silicem.*) Inanimata *lædi* dicuntur. *Ovid.* de Nuce:

— Quoniam sata lædere dicor.

Virg. II. Georg.

Nec scabie & falsa lædit rubigine ferrum:

Lædere autem *silicem*, signare est, *enfoncer le pavé.*

274. *Quot Fenestræ vigiles.*) Quibus lumen apparet vigiliæ signum. *Fenestræ* autem παρὰ τὸ φαίνειν, a luce accipienda, dictæ. Ea ratione *Horat.* dixit lucernas vigiles, ode IIX lib. III.

— Et vigiles fenestras

Profer in lucem. —

Sic Virgil. *Ignem vigilem.*

276. *Optes, votumque feras.*) Διὰ τὸ αὐτό. *Glossæ:* *Voveo, opto,* εὔχομαι; & Græci *preces*, & *vota* uno verbo εὐχὰς vocant. Latini distinguunt: *preces* enim sunt sine obligationis vinculo; in *votis* pactio quædam inest. Unde eleganter *Pers.* vota dixit *preces emaces.*

276. *Votum miserabile.*) Quod miseri faciunt. *Horat.* ode XXIX. lib. III.

Non est meum, si remugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere. —

276. *Tecum.*) Tacitus, arcano ore, ut ait *Martial.* epigr. XL. lib. I.

Et nihil arcano qui roget ore Deos.

277. *Ut sint contentæ*) hæ *vigiles fenestræ.* Pro iis, qui e fenestris aliquid projiciunt, *fenestras* posuit.

277. *Effundere.*) *Turneb.* legit *defundere*, hoc est, deorsum fundere, alias in excusis *diffundere* est. utrumque bene.

277 *Pelveis.*) Lotii, & olei plenas.

280. *Ami-*

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Peleidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus:
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed, quamvis improbus annis,
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo:
Multum præterea flammarum, & ænea lampas.
Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispenso & tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce procemia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra, starique jubet; parere necesse est.

Nam

Vet. Schol.

280. *Amicum Pelidæ.*) Achillis, qui morte Patrocli mœstus fuit.

282. *Quibusdam Somnum rixa facit.*) Juvenes libidinosi & luxuriosi libentius dormiunt, sic ceciderint aliquem.

283. *Coccina læna.*) Purpura, qua divites olim utebantur. Virgil. — *Varioque ardebat murice læna.* aut antiqui amphimallum *lænam* appellabant. Quod Græci *coccum*, Latini *teres birrum* vocarunt.

287. *Cujus dispenso.*) Cujus candelæ papyrum temporibus partior, ut duret. *dispenso*, dispono, tempero, ne aut citius ardeat, aut exstinguatur.

289. *Ubi tu pulsas.*) Cædis. ut *Terentius*:

Ego vapulando, ille verberando usque ambo defessi sumus.

Grang.

278. *Ebrius ac petulans.*) Præter incommoda tectorum recitat & alia pericula, quæ subeunt pauperes de nocte a cœna redeuntes, quod videlicet occurrunt illis *petulantes & ebrii* juvenes, qui, cum parcant ditioribus, eos magno furore invadunt. *Petulantes* autem *Festo*, qui protervo *impetu*, & crebro *petunt lædendi* alterius gratia. *Cic.* IV. de Rep. apud *Nonium.* *A petendo petulantia, ut a procando procacitas.*

279. *Lugentis amicum peleidæ.*) *Homerus*, Iliad. Ω.

Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής, τοτὲ δ' ὀρθὸς ἀναστάς.
Nunc lateri incumbens, iterum post paullo supinus
Corpore, tum pronus, tum surgens, denique rectus.

Seneca de Tranquillit. animi, cap. II. *Qualis ille Homericus Achilles est, modo pronus, modo supinus in varios habitus se ipse componens.*

281. *Ergo non potuit aliter dormire?*) Lego cum interrogatione, & puto esse Poetæ verba Umbritium alloquentis, cui respondet Umbritius, quosdam Romæ esse, qui ex rixis somnum capiant.

282. *Rixa somnum facit.*) Ut supra:

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.

In *Sacris*: *Non enim dormiunt, nisi cum malefecerint, nec capitur somnus ab eis, supplantaverint.* Vide proverbium: *Non capit somnum, nisi hoc aut illud fecerit.*

283. *Coccina læna.*) Cœnatoria, quæ purpurea erat. *Pers.*

— *Et ianthina læna est.*

286. *Me, quem Luna solet deducere.*) Et pauperes, & amantes lumine Lunæ incedebant. *Ovidius*:

Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti.

Propert. lib. II. eleg. XXII.

Luna ministrat iter. —

288. *Procemia rixæ.*) *Fest.* in *Rictus*: *Rixæ, rictus, ringi* dici videntur, quia contraria tecto.

289. *Si rixa est, ubi tu pulsas.*) Bene illud *pulsas*, quoniam, ut ait Cornel. Fronto: *Rixa est, sine armis, rixa duorum; turba multitudinis.*

290. *Stat contra, starique jubet.*) Formula militaris: *sta*, sive *state*. *Virg.* IX. Æneid.

— *Conclamat ab agmine Volscens:*
State viri. —

Nos Galli *demeure là.*

293. *Cujus*

Nam quid agas: cum te furiosus cogat, & idem
Fortior? unde venis, exclamat? cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? aut dic, aut accipe calcem:
Ede, ubi consistas, in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid, tacitusve recedas,
Tantundem est: feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,

Ut

VET. SCHOL.

293. *Cujus conche.*) Cujus faba inflatus es.

293. *Sectile porrum.*) Folia porri, sive condimentaria.

296 *Proseucha.*) Quidam nomen loci dicunt ad convivium constitutum, ex gaudio dictum. alii locum, ad quem convenire solebant mendici ad stipem petendam. Alii tabernam, in qua pauperes vivant. προσεύχεσθαι enim Græce *orare* dicitur. & *Proseucha*, locus Judæorum, ubi orant.

298. *Vadimonia deinde.*) Postea accusant.

GRANG.

291. *Quid agas: cum te furiosus cogat.*) Exprimit illud proverbium πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, *Non coercendus est furiosus*; sed potius voluntati illius obtemperandum; non enim ignis extinguitur igne, sed ferocitas sedatur lenitate, malum patientia tollitur, injuria obsequio vincitur.

291. *Et idem Fortior.*) Tangit aliud proverbium, de quo *Erasm* Chil. III. centur. IV. proverb. LX.

292. *Unde venis.*) Formula accurrentium. *Horat.* satyr. IX. lib. I.

— *Unde venis, & quo*
Tendis? —

Et lib. III. odarum:

Unde, quo venit. —

Et satyr. IV. lib. II.

Unde & quo Catius. —

292. *Aceto.*) pro vino acido & vapido. Sic *Horatius*:

— *Veteris non parcens aceti.*

293 *Cujus conche tumes.*) *Conche*, i. faba; *conchis* enim fabæ genus. *Martial.* epig. LXXVII. lib. VII.

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti:
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.

Et lib. XIII. epig. VII. cui titulus est: *Conchis faba.*

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

293. *Sectile porrum.*) *Sectivum porrum*, de quo *Martial.* duæ porri species, alia *sectivi*, alia *capitati*. *Plin.* cap. VI. lib. XX.

294. *Quis sutor.*) Quis e populo. Sic *Cerdonis* nomine noster, & *Persius* usi sunt.

295. *Nil mihi respondes.*) Similiter *Martial.* lib. V. epig. LXIII.

Nil mihi respondes? —

Et lib. VI. epigr. V.

295. *Aut dic, aut accipe calcem.*) Antiquis mos calceis cædendi. Gnatho *Terent.*

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.

Quod non tantum turpe, quod immundi forent, sed grave & molestum, quippe qui clavis æreis, aut ferreis confixi essent; argenteis nonnunquam vel aureis. Calcem etiam plerumque muniebat ferrum lunata figura. Videndus *Brodæus* Miscell. IIX. cap. XVI.

296. *Ede, ubi consistas.*) Ut supra eadem satyr.

— *Ede, quid illum*
Esse putes. —

296. *In qua te quæro proseucha.*) In qua crypta, sive subterraneo loco, abdito, & simili iis, in quibus Christiani preces facturi sese abscondere solent. Quod dictum non sine aceto, adversum Christianos. *Politian.* Miscell. lib. III. cap. IV. *Leopardus* Emendationum lib. III. cap. IV.

300. *Pulsatus.*) Ut supra:

— *Ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.*

300. *Concisus adorat.*) Precatur. sic *Ovid.* XI. Fast.

Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adorat.

300. *Pugnis concisus.*) *Horat.* pugnis cæsus:

— *Superque,*
Quam satis est, pugnis cæsus. —

L 3 304. *Tixa*

Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hæc tantum metuas : nam, qui ſpoliet te,
Non deerit, clauſis domibus poſtquam omnis ubique
Fixa catenatæ ſiluit compago tabernæ.
Interdum & ferro ſubitus graſſator agit rem,
Armato quoties tutæ cuſtode tenentur
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes, tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marræ, & ſarcula deſint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quæ quondam ſub Regibus, atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram, & plureis ſubnectere cauſſas:
Sed jumenta vocant, & Sol inclinat : eundum eſt.

Nam

VET. SCHOL.

304. *Fixa catenatæ.*) Quia catenas grandes ferreas per ſingulos axes inducunt.

305. *Graſſator.*) Miles.

306. *Armato.*) Quoties latrones, præſidiis conlocatis, a ſolitis locis depelluntur, ac dejiciuntur, Romani quaſi ad certas prædationes, & ad paratos paſtus confugiunt.

307 *Et Pomptina* &c.) Loca ſunt adundantia lacubus in Campania.

311. *Vomer, marra & ſarcula.*) Ferramenta, quibus terra colitur.

313. *Atque Tribunis.*) Qui poſt reges Conſulari poteſtate Remp. gubernarunt.

314. *Viderunt uno*) *Tulliano* ſcilicet, cujus æque & *Salluſtius* meminit.

315. *His alias.*) Umbricii verba.

GRANG.

301. *Paucis cum dentibus inde reverti.*) Hoc timet Soſia, *Plauti* Amphitr.

Aliquem advenientem allegent, qui mi os oſcillet probe.

Unde *Martialis*:

— *Pugno ne percute dentes.*

302. *Nam qui ſpoliet te*) veſtimentis. *Plaut.* Amphitr.

Illic homo vult pallium detexere.

Quod imitati Galli dicunt, *tirer la laine.*

305. *Subitus graſſator.*) Non tantum in Italia, ſed & in ipſa urbe Roma graſſatores. *Caſaubon.* ad *Sueton.* Auguſtum, quem adi. *Feſt.* in *Graſſari. Graſſari* dicuntur latrones vias obſidentes : *gradi* ſiquidem ambulare eſt; unde tractum *graſſari*, ab impetu *gradiendi.*

305. *Agit rem.*) Occidit. Vulgus noſtrum, *il a faict ſon coup.*

307. *Pomptina palus.*) Alias *Pontina* : utroque modo Auctoribus ſcriptum docet *Caſaub.* in Julio *Suetonii.* De eo *Plin.* lib. XXVI. cap. IV. & lib. III. cap. V. vulgo hodie *le lac de Pontia.*

307. *Gallinaria pinus.*) Sylva pinea juxta Cumas.

308. *Tanquam ad vivaria.*) Tanquam ſi Roma eſſet aliquod *vivarium*, in quo homines occidere & perſequi licet, tanquam feras in vivariis. *Vivarium* enim ferarum aut piſcium. Ferarum vivarium vocant Galli *un Parc* : Vivarium piſcium, *Vivier.*

314. *Uno contentam carcere.*) Quem ædificandum curavit Ancus in foro. *Livius*, Decad. I.

315. *Subnectere cauſſas.*) Alias aliis nectere, quemadmodum annuli catenæ ſubnecti ſolent. Cicero : *Cum cauſſa cauſſæ nexa rem ex ſe gignit.*

316. *Sol inclinat.*) vergit ad occaſum. *Horat.* Ode XXIIX. lib. III.

— *Inclinare*
Meridiem ſentis. —

Cic. III. Tuſcul. *In Academiam noſtram deſcendimus, inclinato jam in pomeridianum tempus die.*

317. *Multo*

Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Adnuit: ergo Vale nostri memor, & quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem, vestramque Dianam
Converte a Cumis: satyrarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Ecce

VET. SCHOL.

319. *Reddet Aquino.*) Civitati Campaniæ, unde fuit *Juvenalis*.

320. *Ad Helvinam Cererem.*) Namque apud Aquinum colunt numina earum Dearum, quæ coluntin Galliis.

GRANG.

317. *Mulio.*) Mulorum conductor. *Martial.* lib. XIII. epig. XI. & lib. X. epig. II.

318. *Innuit.*) Signum dat quassans flagellum: proprie tamen capite *innuimus*.

318. *Ergo vale.*) Discedentis verbum, quo Satyrici frequenter utuntur.

318. *Nostri nemor.*) *Horat.* Ode XXVII. lib. III.

Et nostri memor Galatea vivas.

319. *Tuo refici properantem reddet Aquino.*) Solebant secedere nimio labore fessi, recreandi & reficiendi animi caussa. *Martial.* lib. XII. epig. XIIX. & epigr. LXIX. & LVII. *Horat.* epist. XIV. lib. I.

319. *Roma reddet aquino.*) Ut *Martialis*:

Cum te, Flacce, mihi reddet Cytherea Cypros.

220. *Helvinam Cererem.*) Flavam. *Scoppa* videndus Collect. II. cap. I. & *Brodæus* lib. IV. cap. XXV.

322. *Caligatus.*) Vide *Turneb.* cap. XXVII. lib. X. & cap. III. lib. XXIIX.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA IV.

VITAM CRISPINUS LAUDAT VENTREMQUE NERONIS.

SYNOPSIS. Crispinum, qui mullum sex emerat millibus æquantem paribus sestertia libris denuo perstringit; Itemque Flavium Domitianum sub nomine Calvi Neronis, cujus consilium super coquendo portentosæ magnitudinis rhombo jlocaliter depingit; ad quod tanquam de Cattis, tortisque Sicambris dicturi accurrunt proceres, quibus proponit, an integer, an concisus apparari debeat? tandemque Montani sententia vicit, qui integrum focis apponendum censuit, proindeque continuo a figulis patinam piscis magnitudini æqualem effingi jubet; & deinceps, ut rem maxime necessariam, cum reliquo commeatu figulos castra sequi. Postremo longe meliora concludit ejusmodi ludicra crudelibus consiliis crudelissimæ istiusmodi bestiæ, qui non prius periit, quam prorsus nobilitate consumta jam cerdonibus & infimo popello timendus esse cœperat.

ECce iterum Crispinus, & est mihi sæpe, vocandus
Ad parteis, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, æger, solaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantum spernatur adulter.

Quid

VETUS SCHOLIASTES.

ECce iterum.) De quo superius. *Crispinum* dicit, qui sua terra Ægypto egentissimus fuit, & postea factus est magister equitum Neronis.

1. *Mihi sæpe vocandus.*) A me, qui sæpe vitiis ipsius excitor, ut crimina ipsius dicam.

2. *Ad partes.*) Quasi convivii & copulationis mensæ. Ita & *Sesenus* libro II. ait: *Non dignus, in quem debeam Satyram calente vi adjungere.* aut *ad partes* operis mei. metaphoram facit a Comœdia, quia scenici *ad partes* suas solent vocari.

3. *Æger, solaque libidine fortis Deliciis.*) Figura Quid est Crispinus?

— *Ægræ solaque libidine fortes Deliciæ.* — *Fortes*, ut quem nullus potest etiam a consuetis vitiis deterrere.

4. *Spernatur adulter.*) In minore debilis scelere.

GRANGÆUS.

ECce iterum Crispinus.) Sapit *Horatianum* illud satyr. IV. lib. I. Serm.

— *Ecce*
Crispinus minimo me provocat. —

Ecce, in re mira & inopinata.

1. *Iterum.*) Quoniam I. satyr. plurima in illum dixit.

1. *Vocandus Ad parteis.*) *Britannicus* censet metaphoram a comœdiis sumptam, ubi personæ primas, secundas, tertias *partes* agere dicuntur, cui adsentior: nisi a re judiciali translatum credas, inde illud Gallorum, *Je le prendray a partie.*

2. *Nulla virtute redemtum.*) Qui nullam in se virtutem habet, qua sese tanquam pretio a vitiis redimat. *Virgil.* IX. Æneid.

Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum.

3. *Æger.*) Animo, & corpore confectus.

3. *Solaque libidine fortis.*) In aliis rebus mancus, debilis, impotens. Sic nos Galli, *tu n'as la force de qu'aux dents.*

4. *Viduæ.*) Innuptæ. Nam *vidua*, ut docet *Javolenus D. de verb. signif. l. malum.* §. *vidua* non solum ea, quæ aliquando nupta, sed ea quoque, quæ nunquam nupsit, a *ve*, & *duo*, quod sit *sine duitate*, ut *vecors* sine corde, *vesani* sine sanitate. Alii ab *Iduare*, i. dividere. *Macrob.* cap. XV. lib. I. Saturn. *Vidua*, *quasi ve idua*, *valde a viro divisa.*

4. *Delicias.*) Concubitus, gaudia. *Ovid.* III. Am.

Est, qui nequitiam locus exigat, omnibus illum
Deliciis imple, sit procul inde pudor.

Propert. eleg. XV. lib. II.

— *Et o tu*
Lectule deliciis facte beate meis.

Deliciis, ut docte *Passerat.* sunt verborum blandissimorum

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
NEMO malus felix; minime corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Sed

morum, & rerum suavissimarum: unde *Catullus*:

Si quis delicias diceret aut faceret.

a *diligendo*, vel *deliquando*, hoc est deliquescendo dictæ *deliciæ*: idem *Passerat.*

4. *Aspernatur.*) dedignatur cum contemtu. *Donat.* Phorm. act. II. sc. II. *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo.

4. *Adulter*) Crispinus. *Festus*: Adulter, & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt.

VETUS SCHOL.

6. *Nemorum vectetur in umbra.*) Viridaria, ubi solent gestari.

7. *Jugera.*) Hortos, aut spatia dicit in suburbio.

9. *Cum quo nuper.*) Ultimum Flaviæ gentis Domitianum dicit. hoc enim ordine regnaverunt, Nero, Vespasianus, Titus, Domitianus.

10. *Sanguine adhuc vivo.*) Hæc Virginibus Vestæ pœna fuit decreta, si vitiatæ fuissent, vivæ in parietibus statuebantur, aut sub terra obruebantur.

GRANG.

5. *Quantis jumenta fatiget Porticibus.*) In regum etenim insulis Romæ

Intra limen clausus essedo cursus.

Ex *Virgil.* I. Æneid. illud sumtum videtur:

— *Vel qualis equos Threissa fatigat*
Harpalice. —

Fatigare autem est proprie ad lassitudinem perducere. *Nonius.*

6. *Quanta in umbra nemorum.*) In ipsis beatorum domibus urbanis nemora. *Horat.* ode X. lib. III.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat?

De illis nemoribus intelligendus locus *Rutilii Gallicani*;

Quid loquar inclusas intra laquearia sylvas,
Vernula qua vario carmine ludit avis?

7. *Jugera quot vicina foro.*) *Valer. Max.* de Cincinnato: *Cui quatuor sola jugera aranti non solum dignitas patris familiæ constitit, sed etiam Dictatura delata est*: *anguste se nunc habitare putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.*

8. *Nemo malus felix.*) Etiamsi ob divitias, quas possidet, vulgo beatus existimetur, revera tamen non est. Vidit *Salvian.* lib. I. de Gubernat. Dei: *Soleant quamvis esse nonnulli, qui turpia, atque obscœna sectantes, etsi juxta opinionem suam beati sunt; quia adipiscuntur, quod volunt, re tamen ipsa beati non sunt, quia, quod volunt, nolle debuerunt.* Contra: Nemo bonus infelix. Idem eodem: *Quia, quamlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud, quam beati.*

8. *Minime corruptor.*) Vide, quæ dixi ad illud satyr. I.

— *Nurus corruptor avaræ.*

9. *Incestus.*) Qui polluit Vestales. *Servius* XII. Æneid. definit *incestum* quamcumque pollutionem. Nonius: *Flagitium in adfines admissum.* Paulus: *Incestum committere intelligitur, qui ex his, quas legibus aut moribus prohibemur uxores ducere, aliquam duxerit.* Unde autem illud nomen, incerta sententia. *Fest.* a Græco; nam illi facinus ἀνάγνευμα dicunt. *Isidor.* quasi *incastum*; alii quasi *sine cæstu.*

9. *Nuper.*) Non ita pridem, paullo ante. *Fest.* Nuper quasi *noviper*, & *novissime.*

9. *Vittata sacerdos.*) Vestalis, cui tamen vittæ atque ornamenta ablata. *Dionysius* lib. VIII. de Opimia Vestali, (sive ut *Livius*, Oppia) *Quam pontifices*, inquit, *damnarunt, & demtis e capite vittis, per forum traduxerunt, vivamque defoderunt.* *Lips.* cap. XII. de Vestalib.

10. *Vivo sanguine terram subitura.*) Pœna Virginum Vestalium, quæ sese imminui passæ fuerant, fuit virgis cædi, sub Numa: Tarquinius Priscus hanc pœnam auxit. *Dionysius* graphice totam historiam refert: *Pœnæ*, inquit, *delinquentibus graves constitutæ, quarum arbitri & exactores sunt ex lege Pontifices, qui virgis quidem cædunt compertas levioris delicti: probrosas vero & incestas fœdissimo, & maxime miserabili mactant supplicio. Vivæ enim funebri ritu & pompa efferuntur, amicis & cognatis cum luctu & lachrymis comitantibus: delatæ autem ad portam Collinam intra*

Sed nunc de factis levioribus, & tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Sejoque; decebat
Crispinum. quid agas: cum dira, & fœdior omni
Crimine persona est? mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.

Est

muros subterranea in cella cum funeralibus ornamentis. Ovidius:

Nullaque dicetur vittas temerare Sacerdos,
Hoc duce, nec viva defodietur humo.

Qui quidem *Ovid.* talis inhumationis caussam reddit VI. Fast.

Sic incesta perit, quia, quam violavit, in illa
Conditur, & Tellus Vestaque numen idem est.

Vide *Lips.* Syntagm.

VET. SCHOL.

12. *Sub judice morum.*) Damnaretur a Censore.

13. *Nam quod turpe bonis.*) Irrisive laudat, comparatione Crispini *bonos* dicens * non ea objiciens, quæ in eum turpissima sunt.

15. *Persona est.*) Non homo, sed persona.

16. *Æquantem.*) Sex librarum, qui tantum potuit habere in pondere, quantum in pretio.

17. *Qui de magnis.*) Divites, gluttones.

19. *Præcipuam in tabulis ceram.*) Primam, in qua heredes primi scribuntur.

GRANG.

11. *Et tamen alter.*) Alter indefinite, quod nos Galli, *Si c'estoit un autre.*

12. *Sub judice morum*) Domitiano: is enim, ut ait Sueton. *Suscepta morum correctione licentiam theatralem promiscue in equite spectandi prohibuit.* Videndus *Dio* in Domitiano. Potissimum autem Domitianus morum correctionem exercuit in Vestales. *Sueton.* eodem.

13. *Quod turpe bonis, Titio, Sejoque &c.*) Hæc non aliena ab iis, quæ satyr. XI.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. ——

13. *Titio, Sejoque.*) Ex officina Jureconsultorum, ut videre est: *L. Titius & Sejus, D. de hæredib.* & passim in Jure Civili.

14. *Dira persona.*) *Dei ira* nata. *Festus* in *Dirus.*

15. *Mullum sex millibus emit.*) *Mullus* Græcis τρίγλη, quod *ter* anno pariat. *Oppianus.*

Accipiunt triglæ trino cognomina partu.

Mulli autem latinis a colore *mulleorum* calceamentorum, ut vult *Fenestella* apud Plin. lib. IX. cap. XVII. vulgo *rougets ou surmulets.* ii Romæ in deliciis, tantoque cariores, quanto majores.

15. *Sex millibus.*) Asinius Celer, ut narrat *Plin.* unum mercatus est mullum octo millibus nummum. En, quod amplius, *Sueton.* narrat, *Tiberium graviter questum mullos triginta millibus nummum venisse*, hoc est, singulos ducenis quinquaginta aureis stetisse. *Tertul.* de Pallio, consentit cum *Juvenale*, & Celerem sex millibus emisse mullum affirmat.

16. *Æquantem paribus sestertia libris.*) Pendentem sex libras pro numero sestertiorum. *Budæus* de Asse. *Plin.* tamen non tanti ponderis mullos agnoscit: *Gratia*, inquit, *maxima est*, & *copia mullis*, *sicut magnitudo modica*, *binasque libras ponderis raro admodum exsuperant*: At certe exsuperant, trilibrem enim facit *Horat.* satyr. II. Serm. II.

—— *Laudas, insane, trilibrem*
Mullum. ——

Seneca epist. XCV. mulli meminit quatuor pondo & semis, quæ mullorum pondera intelligenda de iis, quæ in suburbanis littoribus reperiebantur. Nam apud *Plin.* cap. VIII. lib. IX. legitur, mullum XXC. librarum in mari rubro fuisse captum.

17. *Ut perhibent.*) De re incerta & penitus fabulosa, ut passim apud Poetas.

17. *Qui de magnis majora loquuntur.*) etenim

Fama malum, quod vires acquirit eundo.

19. *Præcipuam in tabulis ceram.*) i. Præcipuam in cereis tabulis hæreditatis partem: Hæres videlicet forte ex dodrante scriptus, cum alii ex triente, aut quadrante essent, vel *abstulit* hæres, non legatarius: Nam qui testamenta condunt, plura solent hæredibus, quam

Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. multa videmus,
Quæ, miser & frugi, non fecit Apicius: hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro.
Hoc pretio squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros: sed majores Apulia vendit.
Qualeis tunc epulas ipsum glutisse putamus
Induperatorem? cum, tot sestertia, partem
Exiguam, & modicæ sumtam de margine cœnæ
Purpureus magni ructarit scurra Palati;

Jam

quam legatariis relinquere. *Brodæus* Miscell. VII. cap. VI.

19. *Præcipuam ceram.*) In testamento duæ ceræ; in prima, quæ heic *præcipua* dicitur, erat institutio hæredis. *Horat.* Serm. II. satyr. V.

— *Quid prima secundo*
Cera velit versu. —

Ubi *Porphyrio*: *Prima cera* est prima tabula: nam in primæ tabulæ secundo versu hæredis nomen continetur; in ima autem cera erant secundi heredes. *Brisson.* VII. de Formul.

VET. SCHOL.

21. *Antro.*) Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.

23. *Apicius.*) Auctor præcipiendarum cœnarum, qui scripsit de *Juscellis*. fuit enim exemplum gulæ.

24. *Succinctus patria.*) Biblo Nilotica: Fuit nam Ægyptius Alexandrinus, in qua papyrus nascitur in Nilo. Sic, ut vult *Juvenalis*, Crispinus chartapola fuit.

25. *Hoc pretio squamæ.*) Piscis, a parte totum.

26. *Provincia tanti.*) Anthypophora, quasi Crispinus hoc responderit: Quid mihi invides? Apulia * curios agros vendit, ut majores pisces vendit, quos tu provincialibus gratis abstulisti. & Ironia: *Majores Apulia vendit.*

27. *Sed majores.*) Amphibologia, utrum *agros*, an *mullos*? vel per anastrophen postpositum sit. Sed, hoc pacto: *Sed agros majores Apulia vendit*: vel certe: Provincia tanti vendit agros, quanti tu mullos emisti.

29. *Induperatorem.*) Neronem dicit gluttonem, ut *Domitianus* sub Neronis nomine lateret.

31. *Purpureus.*) A vestis colore. Crispini satelles est idem Domitianus.

GRANG.

21. *Clauso antro.*) Clausa lectica. Cave autem cum aliis de domo intelligas, ut docte *Just. Lips.* I. Elect. cap. XIX.

23. *Non fecit Apicius*) omnium nepotum sui temporis diffluentissimus, cujus etiam hodie exstant libri de Re Culinaria, quem *Plin.* vocat *altissimum nepotum gurgitem.*

23. *Miser & frugi.*) Misere & frugi victitans, si ad Crispinum, & alios nostri ævi nepotes respicias.

24. *Succinctus.*) aut curte vestitus, aut seminudus. Utrumque enim *succinctus* significat. Interpres *Persii* ad illud:

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

24. *Patria papyro.*) Ægyptia. Crispinus enim Ægyptius. Hinc I. satyr.

Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Crispinus. —

Papyrus autem in Ægypto nascitur, ut docet *Plin.* cap. XI. lib. XIII. *Cujus radice pro ligno incolæ utuntur, nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum: ex ipsa autem papyro navigia texunt, & e libro vela, tegetesque, nec non & vestem, atque stragula & funes.*

26. *Piscis emi.*) Similiter *Plin.* in conquestione luxus: *Coquos singulos emi pluris, quam equos, nonnulli quiritabant; at nunc coqui triumphorum preciis parantur, & coquorum pisces.*

31. *Purpureus scurra*) Crispinus, quem pingit satyr. I.

— *Tyrias*

Jam princeps Equitum, magna qui voce solebat,
Vendere municipes pacta mercede siluros!
Incipe Calliope, licet & considere: non est
Cantandum, res vera agitur. narrate puellæ
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.
Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,

Incidit

— *Tyrias humero revocante lacernas.*

31. *Ructaret tot sestertia.*) Mullum tot sestertiis emtum. Sic *Martialis*:

Ructat adhuc aprum callida Roma meum.

De iis ructibus *Seneca* epist. XCV. *Quam fœdi atque pestilentes ructus sunt: quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem?*

V E T. S C H O L.

32. *Jam princeps.*) Magister Equitum Ro. factus est scilicet.

33. *Fracta de merce siluros.*) id est, fracto vase sardarum ejusdem municipii: unde ipse Ægyptius. *Siluri* nam pisces sunt Alexandriæ, unde fuit Crispinus, nullius pretii, quos inopes in Ægypto venditant.

34. *Licet & considere.*) aut summisse dicere; aut proprie, res tenues dicere.

36. *Prosit mihi vos.*) Virgilius: *Prosit nostris in montibus ortas.* id est: ad laudem vestram sufficiat vos *puellas* nominatas.

38. *Ultimus & calvo.*) Hoc convicium in *Fl. Domitianum*, Titi fratrem, Vespasiani filium jactat, qui *calvus* fuit, ut *Sueton.* refert: propter quod *Juvenalis*, sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Ægypto, Hoasa, ubi mortuus est. *Ultimum* autem dicit, quia in illo *Cæsarum* origo defecit: & cum Vespasianus, & Titus, & Domitianus *Flavia* ex gente fuerint; Domitianus ultimus illorum, & dissimillimus imperavit. Meminit hoc *Valerius Mart.* in Epigrammate, his versibus finiens:

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres,
Pæne fuit tanti non habuisse duos.

G R A N G.

32. *Magna voce vendere.*) Ut solent, qui per vicos ferunt venundandas merces. *Seneca* epist. LVI. *Jam libarii varias exclamationes, botularium, & crustularium, & omnes popinarum institores mercem sua quadam & insignita modulatione vendentes.* Vide *Brisson.* VIII. de Formul.

33. *Muncipes siluros.*) Sic satyr. XIV. *municipes Jovis lagenas.* hoc est, ejusdem *municipii* i. patriæ: nascuntur enim in Nilo *siluri*. Sic *Martial.* epig. XXCVII. dixit, *municipes Cadmi lacernas.*

33. *Fracta de merce.*) Quos vili aut nihilo sibi comparaverat a piscium mercatoribus, qui per viam aliquos casu, aut aliqua alia ratione fregerant. Ride igitur, si homo es, *veterem Scholiastem*, & *Autumnum* fidelissimum sequacem, qui *fracta merce*, fracto vase interpretantur.

34. *Incipe calliope.*) Id sibi repetit *Horat.* satyr. V. Serm. I.

— *Nunc mihi paucis*
Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri,
Musa, velim memores. —

Sic *Sulpitia* in satyra:

Musa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.

34. *Licet & considere.*) Sedere paululum temporis, non ut antea *currere*, quoniam argumentum postulat majorem attentionem. Unde Pythagoræum illud: *Adoraturi sedeant.*

34. *Non est Cantandum.*) Non te invoco, ut cantes mecum fabulas, quæ carmine epico decantari solent, ut *Homerus*, & *Virgil.* olim.

35. *Narrate puellæ.*) *Virgil.* Ecl. VIII. *dicite Pierides.* —

36. *Prosit vos dixisse puellas.*) Sic Cybele de navibus Æneæ apud *Virgilium*:

— *Prosit nostris in montibus ortas.*

Puellas autem, hoc est, innuptas, virgines, castas, puras, intactas. Id enim enim proprie *puella* significat. *Apul.* Apolog. II. *Virgo rursum post recens repudium nomen potius afferens puellæ, quam integritatem* fuerunt enim, qui musas corruptas asseverarent.

37. *Flavius*) Domitianus, e *Flavia* gente oriundus.

38. *Calvo serviret Roma Neroni.*) Attende ad illud, *serviret.* Ceteri enim ante illum Cæsares, nomen *Domini* vel edicto respuerant. Hic autem ut ait *Eutrop.* dominum se & Deum primus appellari jussit. *Dominus*

autem

Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia ponti
Desidia tardos, & longo frigore pingueis.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem,

Aut

autem est servorum, *Imperator* militum, *Princeps* civium.

38. *Calvo Neroni.*) Omnes mali Imperatores *Nerones* vocati, potissimum Domitianus, qui *Calvus Nero* appellatus. *Sueton.* ejus *calvitiem* notat in Ejus vita cap. XIIX. Sed *Auson.* aperte:

Et Titus imperii felix brevitate: secutus
Frater, quem Calvum dixit sua Roma Neronem.

VET. SCHOL.

39. *Rhombi.*) Piscis formæ magnitudo.

40. *Quam Dorica sustinet Ancon.*) *Ancona Dorica*, id est, Græca civitas, quam Græci in Italia condiderunt.

41. *Implevitque sinus.*) id est *retia*, Virgilius:
Implevitque sinus sanguis. —

42. *Quos operit.*) Quia, qui in Ponto & Mæotia palude capiuntur pisces, immanes & pingues ex ipsa tarditate: quoniam, quando gelat, in glacie hærent. Sallustius: *Itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.*

43. *Solibus.*) id est soluta a Sole glacie.

43. *Torrentis.*) Perfluentis, currentis. illic nam rheuma quoddam trahit mare.

46. *Pontifici summo.*) Ironia.

GRANG.

39. *Rhombi.*) Rhombus piscis dictus a turbinata corporis figura, Gallis *un Turbot.*

40. *Ante domum Veneris.*) *Domus* pro templo, ut passim *Horatius*:

— *Fulgens contremuit domus.*
Saturni veteris —

Propert. lib. III. eleg. II.

Nec Jovis Elei cælum imitata domus.

Apul. de Mundo: *Ultra Deorum domus est, quam vocamus Cælum.* *Ancone* vero fuisse celebratam Venerem *Catull.* testis epig. XXXVII.

Nunc, o cæruleo creata Ponto,
Quæ sanctum Idalium, Uriosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis. —

40. *Ancon Dorica.*) f. g. Ut *Catullo*, *Cranon ærisona*, & *Silio*, *regia Pleuron. Dorica* autem i. a Syracusiis ædificata; Nam *Syracusii* Græcis oriundi. Græci autem *Dores* dicti a *Doro* Neptuni filio.

41. *Implevitque sinus.*) an *sinus* maris, quos Itali vocant *Golfi*, an rete piscatoris? Nam *sinus* pro reti ut plurimum. *Martial.* lib. XIII. epig. CI. *Jam removete sinus*, hoc est, retia.

42. *Glacies Mæotica.*) Glacies Paludis Mæotidis. *Mæotis* autem dicitur hodie *Mar delle Sabacche.* Ab Italis autem *Mar della Tana*, ab oppido illi adjacente. *Bellonius* dici asserit ab iisdem Italis *Mar bianco*, a Scythis, si *Τζετζæ* credas, dicitur *Carpalue*: si Plinio *Temerinda.*

43. *Effundit ostia ponti*) *τὸ effundit* denotat ingentem multitudinem piscium verno tempore e palude Mæoti in Pontum simul euntium. *Pontus* autem hodie dicitur, *Mar maggiore*: a Græcis hodiernis: *Maurothalassa* i. mare nigrum.

45. *Magister cymbæ.*) Rector naviculæ piscatoriæ. Nam *magister* & inter verba nautica. *Virgilius*:

— *Excutitur pronusque magister.*

45. *Linique.*) Retis. Linea enim & rete, *lini* nomine appellantur. *Ovid.* XIII. Met.

Nunc in mole sedens moderatur arundine linum.

Ubi *linum* pro *linea* positum. At eodem, pro *reti* usurpatum vides:

Cespite consedi dum lina madentia sicco.

46. *Pontifici summo*) Domitiano Imperatori. Omnes enim Imperatores Romani *summi Pontifices.* Signanter tamen *Pontifici* dixit, ut tangeret *Pontificum cœnas*, ex quarum luxu proverbia nata, de quibus *Erasm.*

46. *Proponere talem.*) Venalem exponere, sic *Cic.* in Verrinis dixit, *fidem venalem proponere. Proponere* autem proprie est aliquid ita ponere, ut omnium oculis pateat, qualia venalia.

Aut emere auderet? cum plena & littora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem,
Depastumque diu vivaria Cæsaris: inde
Elapsum veterem ad Dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum, pulcrumque est æquore toto,
Res fisci est, ubicunque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam lethifero cedente pruinis
Autumno: jam quartanam sperantibus ægris.

Stride-

VET. SCHOL.

47. *Cum plena & littora.*) Non solum fora.

53. *Si quid Palfurio.*) *Palfurius* Consularis, in agone cum virgine Lacedæmonia sub Nerone luctatus est. Post inde a Vespasiano Senatu motus, transivit ad Stoicam sectam, in qua cum prævaleret & eloquentia, & artis poeticæ gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit. quo interfecto, Senatu accusante damnatus est: cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum, & hi Armillatus, Demosthenes, & Latinus archimimus, sicut *Marius Maximus* scripsit.

56. *Ne pereat.*) Fisco, quod jam distrahi non potest.

GRANG.

47. *Aut emere auderet.*) Non enim, quod cuivis libuit, licitum emere per leges sumtuarias.

48. *Algæ Inquisitores dispersi.*) i. Per algam. *Alga* autem pro littore, in quod *algam* mare projicit. *Catull.* in Nuptiis Pelei & Thetidos:

Quem procul ex alga mœstis Minois ocellis.

Et paulo post:

Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.

Cave igitur a mente *Autumni.*

49. *Agerent cum remige.*) Furti remigem insimularent. Id enim verbum Jurisconsultis eo sensu intelligendum, unde eorum verba solemnia: *agendi potestatem faciam, agere permittam, actionem permittam.*

49. *Cum remige.*) i. Piscatore. abusive: *Remex* enim in glossis, *ἐρέτης. Charis.* lib. 1. a *remo agendo* deducit.

49. *Nudo.*) Bonis spoliato: & cui nil superest. *Seneca* epist. XIV. *Nudum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est.* Martialis:

Nil est deterius latrone nudo.

51. *Piscem Depastumque vivaria Cæsaris.*) *Pastus* & attribuitur piscibus. *Martial.* epigr. XXX. lib. X.

Ridens procellas tuta de sua mensa
Piscina rhombum pascit, & lupos vernas.

Sic *Virg.* attribuit apibus:

— *Florem depasta salicti.*

55. *Res fisci est, ubicunque natat.*) Quod contra Jus Naturale: equidem jure naturali communia sunt hæc: aer, aqua, profluens, & mare. §. 1. *Instit. de rer. divis.* unde in mari cuique piscari licet. *l. Injuriarum.* §. *si quis. D. de Injuriis.*

Lethifero Autumno.) *Horatius* de Autumno:

Autumnusque gravis Libitinæ questus acerbæ.

Ovid. II. de Arte. *Virg.* III. Georg. *Servius* eo loci.

56. *Cedente pruinis.*) hoc est hyemi. Annus enim in perpetuo motu, cujus partes sese invicem expellunt. *Horat.* Epod. ode VII.

Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit æstas
Interitura simul.
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurret iners.

proprie tamen *pruina πάχνη*, vulgo *bruine*, mutata literula dicta est a *perurendo. Fest.* in *Pruina.*

57. *Quartanam sperantibus.*) *Sperantibus*, pro *timentibus* per Acyrologiam accipiunt omnes. Sed dicant mihi quæso, qui cotidiana & continua laborant febri, quid habent, quod ulterius formident; cum ægrotantes & assidua valetudine laborantes nihil timere soleant, quod intensiore illos dolore affecturum sit, præcipue si æstivum tempus evaserint, & jam hyems adventet. Quamobrem mallem exponere *sperantibus* germana & propria verbi significatione. Scimus enim scriptum esse a *Celso* quartanam neminem jugulare, & plerunque fieri, ut ægrotantes cupiant febrim, quam

cotidie

Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auſter.
Utque lacus ſuberant, ubi, quanquam diruta, ſervat
Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem,
Obſtitit intranti miratrix turba parumper,
Ut ceſſit: facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi ſpectant admiſſa opſonia Patres.
Itur ad Atreidem. tum Picens: Accipe, dixit,
Privatis majora focis; Genialis agatur

Iſte

quotidie patiuntur, in quartanam commutari. Itaque autumnali tempore *ſperant*, quo fit febrium commutatio. *Ptolomæus Flavius* Conjectan. cap. XVII.

VET. SCHOL.

59. *Auſter.*) Ventus calidus, quo piſces corrumpuntur.

60. *Utque Lacus.*) id eſt, cum prope lacus Albanenſes jam veniſſet piſcator.

61. *Ignem Trojanum.*) Romani, Tullo Hoſtilio rege, cum deſeruiſſent Albam, ſacra ſublata Romam tranſtulerunt, & Deos penates: quorum penetrale tam venerabile deprehenſum eſt. ut lapidatio de cœlo caderet ſupra * memorati ponderis. propter quod prodigium, ex libris Sibyllinis juſſi Pontifices ex S. C. Albæ ſacra renovare. Tanta enim repente, cum ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent ſuis locis ſacra non eſſe movenda. Inde ibi perſeverant. Ideo & *Veſtam minorem* dixit ad compoſitionem.

65. *Picens.*) Piſcator de provincia, ubi piſcis captus fuerat.

GRANG.

58. *Stridebat deformis hiems*) vi ventorum, qui tunc regnant.

58. *Deformis hyems.*) Ab effectu, quod *Hyeme* prorſus omnia ſint *deformia*. *Horat.* eadem ratione vocat *informem*, quaſi *ſine forma*, hoc eſt, pulcritudine, ode X. lib. II.

— Informes hyemes reducit
Juppiter, idem
Summovet. —

59. *Utque lacus ſuberant.*) Enallage temporis.

59. *Lacus*) Albani. *Lacus* enim Albano monti proximus. *Virgil.* IX. Æneid.

60. *Ubi Alba.*) de qua ſic *Propert.* eleg. XXIII. lib. IV.

Et ſtetit Alba potens albæ ſuis omine nata.

Dicta enim *Alba* ab *alba* ſuis inventa oſtento; de qua ad ſatyr. XII.

60. *Quanquam diruta.*) De Albæ everſione *Liv.* lib. I. *Dionyſ.* lib. III.

60. *Servat ignem Trojanum* &c.) i. Veſtam, quæ nil aliud, quam ignis. *Ovidius*:

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.

Qui *Trojanus* dictus, quod *Troja* in Italiam ab Ænea delatus. *Virgil.* II. Æneid.

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus Ignem.

Hunc Ignem Lavinii conſtituit, quem in Albam longam tranſtulit Aſcanius, & denique ab ea coloni Romam. Poſt Albæ everſionem, in qua lapidatione deterriti non diruerunt Veſtæ Templum, imo illius ſacra reverenter coluerunt, vel ad *Symmachi* tempora. Idcirco vocat hunc ignem Albę derelictum *minorem*, reſpectu illius, qui erat Romæ.

63. *Facili cardine.*) Sic *Horat.* lib. I. ode XXV.

—— Amatque,
Janua limen;
Quæ prius multum faciles movebat
Cardines. ——

Cardo, quaſi καρδία, cor januæ, quo moveatur janua.

63. *Valvæ*) Palatii; *valvæ* proprie, quæ revolvuntur, & ſe velant.

64. *Excluſi Patres ſpectant opſonia.*) per Antitheſim, *excluſi*, *admiſſa*. figura eſt quaſi eorum, quæ fiunt. IV. Æneid.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exſpectant. —

65. *Ad Atridem.*) Ad Imperatorem. ex *Homeri* imitatione iſtud. Duo autem *Atridæ*, Major, & Minor, Agamemnon ſcilicet, & Menelaus: Major dicitur *Homero* Rex Regum.

65. *Picens.*) Piſcator *Picena* regione oriundus.

66. *Genialis agatur iſte dies.*) Talis hodie ſit apparatus ciborũ apud te, qualis ſolet eſſe, cum Genio ſacrificas. Eo enim

Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi:
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit & Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior? si clade, & peste sub illa
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret

Con-

rum, auctoritate fretus *Varronis* in *Cosmophthorine*, Abollam vestem militarem esse dixit. *Servius* ad illud v. Æneid.

— Duplicem ex humeris rejecit amictum.

Abollam fuisse *duplicem vestem* dicit, nulla auctoritate. *Marcell. Donatus* dilucidationib. in *Suetonii* Caligulam cap. XXXV.

VET. SCHOL.

77. *Pegasus.*) Trierarchi filius, ex cujus Liburnæ parasemo nomen accepit, Juris studio gloriam memoriæ meruit, ut *Liber* vulgo, *non homo* diceretur. Hic functus omni honore, cum provinciis plurimus præfuisset, Urbis curam administravit. Hinc est *Pegasianum* scilicet *jus*, quod Jurisperitus fuerat.

80. *Inermi Justitia.*) Quanquam optimus, tum pro tempore omnia mitius agenda credebat.

81. *Crispi jucunda senectus.*) Lucanus:

— Fractisque modestior annis.

Crispus municeps Visellientis tirocinio suo in Senatu ita cœpit: *Patres conscripti, & tu Cæsar.* propter quod simul oratione plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte caussas apud C. V. egit. pro qua re in basilica Julia ejus statua posita est. Consulatus duos gessit. Uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Cæsaris. Possedit bis ∞. HS. Omnium Principum gratiam adpetivit, sed præcipue Cæsaris, quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente a Nerone interrogatus, *haberetne, sicut Ipse, cum sorore germana consuetudinem? Nondum*, inquit: quantumvis decenter & caute: ne aut negantem eum argueret, aut adsentientem sibimet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinæ; quam hæredem reliquerat, & funere publico elatus est.

GRANG.

77. *Pegasus*) Jureconsultus celeberrimus, qui Proculo successit, ut scribitur in *l.* II *§. ult. D. de origine Juris.* A quo *S. C. Pegasianum. §.* V. *Instit. de fideic. hæred.*

77. *Modo*) Sub Vespasiano. *l.* II *§. ult. D. de orig. Jur.*

77. *Villicus.*) Præfectus, custos. sic in *Priapejis*

Villicus erarI quondam, nunc cultor agelli.

78. *Anne, aliud tunc præfecti.*) quam villici. Ludit in ambiguo: in prima enim significatione *villicus* pro custode; in secunda pro rustico, extraneo, & minime Romana origine; sed potius campestria & rus, quam urbanitatem redolente.

79. *Omnia tractanda inermi Justitia.*) Severitate pœnarum probra non coercenda, sed omnia mitius agenda; respicit ad picturam Justitiæ, quæ gladium gerit altera manu.

80. *Temporibus diris.*) sub tyrannide Domitiani.

81. *Venit*) ad consilium.

81. *Crispi jucunda senectus.*) Crispus senex. Sic *Propert.* eleg. XIIX. lib. II.

At non Tithoni spernens aurora senectam.

i. Tithonum senem. *Jucundus* autem *Crispus. Quint.* lib. X.

81. *Crispi*) Vibii, cui, quæ vetus *Juvenalis Scholiastes* attribuit, minime conveniunt, sed Crispo Passieno. *Lipsius* commentario XII. Annalium ad *Tac.* De eo Vibio Crispo *Suetonius* in Domitian. capite III.

82. *Cujus erant mores.*) *Quintil.* lib. X. *Vibius Crispus compositus, & jucundus, & delectationi natus; privatis tamen caussis, quam publicis, melior.*

83. *Populosque regenti*) Domitiano Imperatori, cujus erat populos regere. *Virg.* VIII. Æneid.

— Placida populos in pace regebat.

84. *Peste sub illa.*) Sub nefario Domitiano, *Ciceronis* imitatione, qui sui temporis scelestos *pestes* vocat: quidquid enim noxium, *pestis* nomine solet appellari, [illegible], unde *Pessum*

87. Cum

Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat arteis
Patricias? quis priscum illud miratur acumen,
Brute, tuum? facile est barbato imponere Regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ.
Et tamen improbior Satyram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. Sævior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro,
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa:

Et

VET. SCHOL.

99. *Ursos Figebat Numidas.*) In lusorio Cæsaris juvenis iste ursos sæpe, quasi venator, occidit.

101. *Artes.*) Fraudes.

103. *Barbato.*) Tarquinio Superbo. propexam enim barbam habuit, cum socer ejus Servilius adtonsam haberet, quem ipse occidit. Dicit ergo cinædum non facile posse falli, & facilius eludi posse fortem, quam infamem. Stoliditatem finxerat *Brutus*, ne a Tarquinio occideretur. *Barbato* & rustico intelligitur.

105. *Rubrius.*) Rubrius iste aliquando * Tibiam in pueritia corruperat; & verebatur, ne pro hac mercede pœnas ab ipso reposceret.

106. *Improbior.*) Qui in aliis sua vitia reprehendebat.

107. *Montani quoque venter.*) *Montanus* pinguis & *ventrosus* erat, & acerbe *ventrem* potius, quam ipsum ventre dixit.

108. *Et matutino sudans Crispinus amomo.*) Orientali unguento, aut mane sumto.

110. *Tenui jugulos aperire susurro.*) Levi susurro alios deferens, neci tradere: aut per leves suspiciones solitus homines jugulare.

112. *Fuscus.*) *Fuscus* sub Domitiano exercitui præpositus, in Dacia periit. Notat autem eum, quia cum luxuria difflueret, inter delitias bellorum actus exercebat.

GRANG.

99. *Ursos Numidas.*) Leones Numidicos: nulli etenim *ursi*, aut pauci in *Numidia*, asserente *Plinio*, cui, quamvis multi contradicere videantur, dissentire nefas existimabit, qui electum virum & elegantem, Juppiter, *Justum Lipsium* legerit in Elect. lib. II. cap. IV.

100. *Nudus venator.*) Ut satyr. I.

— *Nuda teneat venabula mamma.*

101. *Artes Patricias.*) In omnibus Principis studia sequi, assimulari, assentari.

103. *Barbato regi.*) Prisco, & simplicibus moribus: sic enim proverbio appellabant homines rusticanæ veritatis, & simplices, *barbatos*. *Erasm.* proverb. XLIX. Chil. IV. cent. X. Quod Romæ sero receptum fuerit barbam radere aut tonderi, teste *Plinio* lib. VII. cap. XLIX.

104 *Melior vultu.*) *Martial.* epig. I. lib. IV.

Semper & hoc vultu vel meliore nite.

Galli; *Il a bon visage.*

107. *Montani venter.*) Facete, de eo, cui

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat.

109. *Quantum vix redolent duo funera.*) Odorum enim fercula in funeribus. *Propert.* el. VII. lib. IV.

Cum nardo flammæ non oluere meæ.

Plin. lib. XIII. cap. I. & lib. XII. cap. XIIX.

109. *Sævior Aperire jugulos.*) Græcismus. Inde aperti ictus dicuntur. *Jugulus* autem & *jugulum* dicimus.

110. *Tenui susurro.*) Delatione facta in aurem Imperatoris, tractum ab amatoribus: *Susurri* enim tacita sermones amantium, cum sibi in aurem obganniunt.

111. *Servabat viscera vulturibus Dacis.*) Ei enim commiserat secundam expeditionem in Dacos Domitianus. *Sueton.* in ejus vita. In qua expeditione periit. *Martial.* lib. VI epig. LXXVI.

112. *Fuscus*) Cornelius, præfectus cohortium Prætorianarum.

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo,
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ:
Grande & conspicuum nostro quoque tempore monstrum!
Cœcus, adulator; dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axeis,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævuum conversus: at illi dextra jacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,

Et

112. *Marmorea meditatus prælia villa.*) Ironice, ut qui non in castris, sed in villa præliari meditaretur: secesserat enim a Reip. administratione. videndus *Tacitus*.

112. *Meditatus prælia.*) Virg. x. Æneid.

— Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum.

Quem imitatus *Horat.* ode XII. lib. III.

Verris obliquum meditantis ictum.

VET. SCHOL.

113. *Et cum mortifero*) delatore.

113. *Prudens Vejento.*) Utrum ad nocendum, an ad sapientiæ rigorem; an adulandi peritus, & temporum?

114. *Qui nunquam visæ.*) Cœcus enim amator fuit *Catullus*.

116. *Dirusque a ponte satelles.*) de numero mendicorum.

117. *Dignus Aricinos.*) Qui ad portam *Aricinam*, sive ad clivum mendicaret inter Judæos, qui ad Ariciam transierant ex Urbe missi.

118. *Devexæ jactaret basia rhedæ.*) Qui cœcus rhedæ sedenti mulieres, inclinatæ & per clivum descendenti, oscula jactaret.

119. *Nemo magis.*) quam Catullus cœcus adulator. Nam in sequenti [vers. 123] dixit:

Non cedit Vejento — utique Catullo.

GRANG.

113. *Prudens.*) Ut qui Imperatoris nosceret molles aditus, & tempora fandi.

113. *Vejento.*) De quo satyr. III.

113. *Mortifero Catullo*) Cœco. De quo *Plin. Nepos* in Epistolis.

114 *Numquam visæ.*) Qui fit, cum *sint oculi in amore duces*? similem tamen historiam narravit *Athenæus*, super qua nos aliquando lusimus.

114. *Flagrabat amore puellæ.*) Ut *Horat.* Epod. ode v.

Amore heic meo flagres.

aliquando accusativo jungitur.

115. *Grande & conspicuum monstrum.*) Imo:

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

116. *Dirusque a ponte satelles.*) Qui ab Imperatore suffectus in satellitium, ex pontis mendicabulo. Satelles, *Glossæ*: βασιλικὸς σωματοφύλαξ. *Latro* & *Laterensis*, *Tertulliano* libro IV. advers. Marcionem. *Lateralis*, *Salisberiensi*. Ego e contrario interpretor ex portitore factus satelles. Sic *Horat.* vice versa vocat Charonta *Orci satellitem*, od. XIIX lib. II. Aut potius dignus, qui fuisset satelles pontis, sive portitor, aut si quid inferius. Vel, qui ab Aricinis curribus stipem emendicaret.

117. *Aricinos ad axes.*) *Scalig.* ad hunc *Propertii* versum:

Scandentisque axis consurgit vertice murus.

putat usurpari *axem* pro colle edito. Improbat *Passeratius*, idque accipit pro curribus & vectoribus, qui frequentes ibant Ariciam. *Aricia* autem hodie *Rizza*.

118 *Jactabat*) mendicantium more, qui plurimes aliquid deosculantur, & humilitatis sive honoris caussa huc illuc spargere oscula solent; hinc *jacere basia*, *Martiali*.

119. *Stupuit rhombum.*) Cum casu verbum neutrum, ut *Virg.* II. Æneid.

Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.

Ipse *Juvenalis*:

Quis stupuit Germani lumina? —

Horat. ablativo junxit, Serm. I. satyr. IV.

— *Stupet Albius ære.*

Et in odis *stupere carminibus* dixit.

120. *Jacebat bellua.*) *Bellua*, de Rhombo pisce stupendæ magnitudinis. Sic *Venusinus Poeta* vocat *Oceanum belluosum* od. XIV. lib. IV.

Te

Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento: sed, ut fanaticus, œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, &, Ingens
Omen habes, inquit, magni, clarique triumphi.
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. peregrina est bellua. Cernis
Erectas in terga sudes? hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citius properate: sed ex hoc

Tem-

Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis.

VET. SCHOL.

122. *Ad velaria.*) Ad alta theatri velamina.

126. *De temone Britanno Excidet.*) Ad pedes de regno. Falcatis nam curribus Britannorum rex Arbila. *

129. *Fabricio*) Vejentoni: nam ipse est *Fabricius.*

130. *Quidnam igitur.*) Nero dicit.

131. *Testa alta.*) Patella, in qua possit integer coqui.

133. *Debetur magnus patinæ.*) Figuram heic dicitur posuisse propter Magnum Pompejum: quoniam *Patina* dictus est, qui sustulit caput ipsius.

133. *Prometheus.*) Satyrice, *figulus.*

GRANG.

122. *Pegma.*) Glossæ: *Pegma*, confixum. *Apul.* Confixilem Machinam vocat. De *pegmate* autem ex professo *Lips.* de Amphith. cap. XXII.

122. *Pueros ad velaria raptos.*) *Lips.* de Amphith. huic loco lucem dat, quasi laudarit, & stupuerit adulator ille, quod ludis gladiatoriis pueri e pegmate subito occulta quadam machina rapti sunt ad vela theatri: in Amphiteatris enim tales raptus recepti. *Martialis:*

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Velaria autem cape pro velis ipsis; cave, ne capias pro locis, queis asservantur vela.

123. *Non cedit.*) Non inferior est. Sic satyr. XV.

Barbara famoso non cedit turba Canopo.

123. *Phanaticus:*) Sed quemadmodum solent *Bellonarii* futura vaticinari, sic Vejento futura divinat. Vide *Lil. Gyrald.* Syntagm. X. de Diis Gentium.

124. *Ingens omen habet.*) Proprie, quod *ore* procedit *omen*, quasi *oremen*, vel *osmen*, *Varroni*, & *Festo.* Tamen pro quocunque alio augurii genere *omen.*

124. *Omen habes.*) Formula usitata antiquis: *Accipio omen.* Ut notat *Prisc.* I. de Form.

126. *Regem capies.*) *Capere*, verbum bellicum. Hinc *Mancipia.* Hinc Capteivei *Plauti:*

Captus est in pugna Hegionis filius.

126. *Temone.*) Pars pro toto, *temo* pro curru. *Temo* enim est lignum, quod ad jugum inter equos excurrit, dictus a *tenendo*: is enim continet jugum, & plaustrum.

126. *Temo Britanno.*) Ille currus *essedum* dicebatur. *Cæsar* IV. de bello Gall. *Propert.* el. I. lib. II.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Vide *Cic.* VII. epist. ad Famil.

128. *Sudes.*) Proprie vallus. *Servius* ad II. Æneid. Hic autem superlative pro *spina.*

128. *Hoc defuit unum.*) *Virg.* XII. Æneid.

— *Id rebus defuit unum.*

130. *Quid censes.*) *Censere* Senatus & Consilii verbum.

132. *Tenui muro.*) Eo enim præstantior, quo tenuior. *Plin.* lib. XXXV. cap. XII.

133. *Magnus Prometheus.*) Magnus figulus, quod primus artem fingendi edocuerit. *Magnus*, subtilis in arte. Sic Cicero: *Magnus in dicendo.*

133. *Subitus.*) aut qui subito veniat i. vel qui subito acceleret patinam, ut Ipse satyr. III.

Interdum ferro subitus grassator agit rem.

134. *Properate rotam.*) Cum accusat. Ut apud *Virgilium:*

Arma citi properate. —

138. *Aliam-*

Tempore jam, Cæſar, figuli tua caſtra ſequantur.
Vicit digna Viro ſententia: noverat ille
Luxuriam imperii veterem, nocteiſque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit uſus edendi
Tempeſtate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo
Oſtrea, callebat primo deprendere morſu;
Et ſemel adſpecti littus dicebat echini.
Surgitur, & miſſo Proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam Dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris
Dicturus, tanquam & diverſis partibus orbis

Anxiu

VET. SCHOL.

138. *Aliamque famem*) libidinis oris, perverſam. aut ideo, quia aviditas cibi ſequitur nimiam perpotationem.

139. *Nulli.*) quam Cæſari *Domitiano*, aut certe *Montano*.

141. *Lucrinum ad ſaxum.*) Locus Bruttiorum.

141. *Rutupinove.*) Locus in Britannia, ſive civitas.

147. *Tanquam de Cattis.*) Gentes Germanorum, ſive Francorum.

GRANG.

135. *Figuli.*) qui a *fingendo* luto dicti.

135. *Sequantur caſtra*) cum aliis fabris, & reliquo commeatu. Mordax & acer ſermo.

136. *Vicit ſententia.*) Sequuta fuit, fuit potior. Verbum ſolemne huic rei, *Vicit*. *Vincere* enim is dicebatur variis & diverſis ſententiis, ea, cui plures accedebant. *Liv.* lib. XXIX. *Vicit tamen Metelli ſententia, quæ diem non proferebat.* Vide *Briſſ.* II. de Form.

136. *Digna Viro.*) Ironicus, alio modo *Cic.* de Offic. *Regali & Æacidarum genere digna ſententia.*

137. *Nocteiſque Neronis.*) An Domitiani, quem dixit *Calvum Neronem* ſupra; an Neronis Claudii, de quo *Sueton.* *Epulas a media die, ad mediam noctem protrahebat?*

138. *Pulmo Falerno Arderet.*) Etſi nullatenus potus ab ore in pulmonem deſcendit: tamen magna inter pulmonem & potum cognatio eſt, quam multis argumentis demonſtrat *Marſilius Cagnatus* Varar. Obſervat. lib. I. cap. XXII.

138. *Falerno Arderet.*) Sic *Martial.* vocat *ardens Falernum*, & *Horat.* *Ardentis Falerni pocula.* De eo *Plin.* cap. VI. lib. XIV.

139. *Major uſus edendi.*) Major experientia in cibis ad uſum eligendis.

140. *Tempeſtate mea.*) Mea ætate. *Feſt.* in *Tempeſtas.*

140. *Circeis.*) De Oſtreis *Circeis* *Horat.* ſatyr. IV. lib. II. & *Plin.* Circei nunc *le mont Circello.*

141. *Lucrinum ad ſaxum.*) Unde Lucrina oſtrea, quibus Sergius Orata optimum ſaporem adjudicavit. *Lucrinus* lacus, nunc *la morte de Puzzoli*

141. *Rutupino.*) Britannico. *Plin.* lib. IX. cap. LIV. *Rutupinum* enim littorale Britanniæ oppidum. *Lucan.* lib. VI.

143. *Echini.*) De Echinis *Ariſtot.* lib. IV. hiſt. Animal. cap. V. *Plin.* lib. IX. cap. XXXI. a Gallis vocantur *Eriſſons, ou chaſtaignes de mer.*

144. *Surgitur*) deliberatione facta. *Virg.* X. Æneid.

Hic finis fandi: ſolio tum Juppiter aureo
Surgit. —

144. *Et miſſo Concilio.*) Voce Conſulis dimittebatur Senatus iis verbis: NIL VOS MORAMUR, PATRES CONSCRIPTI. *Capitolin.* in Antonino.

146. *Traxerat.*) Supra:

Ergo in concilium Proceres. —

147. *Tanquam de Cattis*) relaturus. *Referre* enim huic loco verbum. Sunt autem, qui legunt *Geticis*, melius *de Cattis*: Cattos enim devicit.

147. *Epſtoila*

Anxia præcipiti venisset epistola pinna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi,
Illustresque animas impune, & vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Si

Vet. Schol.

149. *Epistola pinna.*) Antea, si quid nunciabant Consules in Urbe, per epistolas nunciabant. Si victoriæ nunciabantur, *laurus* in epistola figebatur: si autem aliquid adversi, *pinna* figebatur.

153. *Cerdonibus.*) Ignobilibus. *Cerdo* est proprie turpis lucri cupidus.

154. *Hoc nocuit Lamiarum.*) Hoc nocuit, ut occisis *nobilibus*, & a *cerdonibus* timeretur. Ut jam non essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate exstincta. In *Lamiis* indignatur Satyricus. Tunc periit, cum eum populus timere cœpisset, exstincto jam Senatu.

Grang.

147. *Torvisque Sicambris.*) Lege *tortisque Sicambris. Martialis*:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Quod *Schegkius* in Præmessis notat, & *Ramires* ad *Martialem*.

149. *Venisset epistola.*) *Venire* dicitur epistola, ipsemet satyr. x.

— *Verbosa & grandis epistola venit.*

Propert. lib. III.

— *Dominæ mihi venit epistola.*

Ovidius:

Quam legis, a rapta Briseide litera venit.

149. *Anxia.*) Aliquid anxii adferens.

149. *Præcipiti pinna.*) Hujus loci diversa interpretatio. *Vetus Scholiastes* dicit, cum quid fortunati nuntiaretur in epistolis, eas insigniri solitas *lauru*, contra si quid adversi, *pinna*: cui opinioni putant nonnulli assentiri *Fortunatum*, cum dixit de Gelesuintæ morte:

Mœrorisque gravis tum cito penna volat.

Sed longe falsi penna: heic enim pro *pinnato*, sive *pinnis* insignito cursore. Vidit doctissimus *Casaub.* ad *Suet.* & *Scholiasten* risit. Ad instar enim Mercurii Minutii, qui sub ejus tutela sunt, *pennas* fronte gerunt: unde πτεροφόροι *Veteri Glossographo*, quem *Savarotus* in medium profert: *Veredarii* dicuntur a *vehendo*; quia festinanter in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam sua responsa liberent: habent *pennas* in capite, unde intelligitur festinatio itineris. Viderat *Cœlius* lib. xx. cap. XXII. Nihilominus *Autumnus* suo more Curionis opinionem refellit, delitias hominis, si placet, videte.

153. *Cerdonibus.*) Popello, sic nos, *Il hante avec des savetiers.* Pro quacunque populi fæce. *Persius*:

— *Tollat sua munera cerdo.*

154. *Hoc nocuit.*) Nam, quem multi timent, multos timere oportet.

154. *Madenti cæde Lamiarum.*) Ælii Lamiæ, & permultorum nobilium. *Sueton.* in vita Domitiani.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA IV.

VITAM CRISPINUS LAUDAT VENTREMQUE NERONIS.

SYNOPSIS. *Crispinum, qui mullum sex emerat millibus æquantem paribus sestertia libris denuo perstringit; Itemque Flavium Domitianum sub nomine Calvi Neronis, cujus consilium super coquendo portentosæ magnitudinis rhombo joculariter depingit; ad quod tanquam de Cattis, tortisque Sicambris dicturi accurrunt proceres, quibus proponit, an integer, an concisus apparari debeat? tandemque Montani sententia vicit, qui integrum focis apponendum censuit, proindeque continuo a figulis patinam piscis magnitudini æqualem effingi jubet; & deinceps, ut rem maxime necessariam, cum reliquo commeatu figulos castra sequi. Postremo longe meliora concludit ejusmodi ludicra crudelibus consiliis crudelissimæ istiusmodi bestiæ, qui non prius periit, quam prorsus nobilitate consumta jam cerdonibus & infimo popello timendus esse cœperat.*

ECce iterum Crispinus, & est mihi sæpe, vocandus
Ad parteis, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, æger, solaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantum spernatur adulter.

Quid

VETUS SCHOLIASTES.

ECce iterum.) De quo superius. *Crispinum* dicit, qui sua terra Ægypto egentissimus fuit, & postea factus est magister equitum Neronis.

1. *Mihi sæpe vocandus.*) A me, qui sæpe vitiis ipsius excitor, ut crimina ipsius dicam.

2. *Ad partes.*) Quasi convivii & copulationis mensæ. Ita & *Sesenus* libro II. ait: *Non dignus, in quem debeam Satyram calente vi adjungere.* aut *ad partes* operis mei. metaphoram facit a Comœdia, quia scenici *ad partes* suas solent vocari.

3. *Æger, solaque libidine fortis Delicias.*) Figura Quid est Crispinus?

— *Ægræ solaque libidine fortes Deliciæ.* —

Fortes, ut quem nullus potest etiam a consuetis vitiis deterrere.

4. *Spernatur adulter.*) In minore debilis scelere.

GRANGÆUS.

ECce iterum Crispinus.) Sapit *Horatianum* illud satyr IV. lib. I. Serm.

— *Ecce*
Crispinus minimo me provocat. —

Ecce, in re mira & inopinata.

1. *Iterum.*) Quoniam I. satyr. plurima in illum dixit,

1. *Vocandus Ad parteis.*) *Britannicus* censet metaphoram a comœdiis sumptam, ubi personæ primas, secundas, tertias *partes* agere dicuntur, cui adsentior: nisi a re judiciali translatum credas, inde illud Gallorum, *Je le prendray a partie.*

2. *Nulla virtute redemtum.*) Qui nullam in se virtutem habet, qua sese tanquam pretio a vitiis redimat. *Virgil.* IX. Æneid.

Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum.

3. *Æger.*) Animo, & corpore confectus.

3. *Solaque libidine fortis.*) In aliis rebus mancus, debilis, impotens. Sic nos Galli, *tu n'as la force de qu'aux dents.*

4. *Viduæ.*) Innuptæ. Nam *vidua*, ut docet *Javolenus D. de verb. signif. l. malum.* §. *vidua* non solum ea, quæ aliquando nupta, sed ea quoque, quæ nunquam nupsit, a *ve*, & *duo*, quod sit *sine duitate*, ut *vecors* sine corde, *vesani* sine sanitate. Alii ab *Iduare*, i. dividere. *Macrob.* cap. XV. lib. I. Saturn. *Vidua, quasi ve idua, valde a viro divisa.*

4. *Delicias.*) Concubitus, gaudia. *Ovid.* III. Am.

Est, qui nequitiam locus exigat, omnibus illum
Deliciis imple, sit procul inde pudor.

Propert. eleg. XV. lib. II.

— *Et o tu*
Lectule deliciis facte beate meis.

Deliciis, ut docte *Passerat.* sunt verborum blandissimorum

Quid refert igitur quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
NEMO malus felix; minime corruptor, & idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Sed

morum, & rerum suavissimarum: unde *Catullus*:

Si quis delicias diceret aut faceret.

a *diligendo*, vel *deliquando*, hoc est deliquescendo dictæ *deliciæ*: idem *Passerat*.

4. *Aspernatur.*) dedignatur cum contemtu. *Donat.* Phorm. act. II. sc. II. *Aspernari* est averti, non solum corpore, sed etiam animo.

4. *Adulter*) Crispinus. *Festus*: Adulter, & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt.

VETUS SCHOL.

6. *Nemorum vectetur in umbra.*) Viridaria, ubi solent gestari.

7. *Jugera.*) Hortos, aut spatia dicit in suburbio.

9. *Cum quo nuper.*) Ultimum Flaviæ gentis Domitianum dicit. hoc enim ordine regnaverunt, Nero, Vespasianus, Titus, Domitianus.

10. *Sanguine adhuc vivo.*) Hæc Virginibus Vestæ pœna fuit decreta, si vitiatæ fuissent, vivæ in parietibus statuebantur, aut sub terra obruebantur.

GRANG.

5. *Quantis jumenta fatiget Porticibus.*) In regum etenim insulis Romæ

Intra limen clausus essedo cursus.

Ex *Virgil.* I. Æneid. illud sumtum videtur:

— *Vel qualis equos Threissa fatigat*
Harpalice. —

Fatigare autem est proprie ad lassitudinem perducere. *Nonius.*

6. *Quanta in umbra nemorum.*) In ipsis beatorum domibus urbanis nemora. *Horat.* ode X. lib. III.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat?

De illis nemoribus intelligendus locus *Rutilii Gallicani*:

Quid loquar inclusas intra laquearia sylvas,
Vernula qua vario carmine ludit avis?

7. *Jugera quot vicina foro.*) *Valer. Max.* de Cincinnato: *Cui quatuor sola jugera aranti non solum dignitas patris familiæ constitit, sed etiam Dictatura delata est*: *anguste se nunc habitare putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.*

8. *Nemo malus felix.*) Etiamsi ob divitias, quas possidet, vulgo beatus existimetur, revera tamen non est. Vide *Salvian.* lib. I. de Gubernat. Dei: *Soleant quamvis esse nonnulli, qui turpia, atque obscœna sectantes, etsi juxta opinionem suam beati sunt, quia adipiscuntur, quod volunt, re tamen ipsa beati non sunt, quia, quod volunt, nolle debuerunt.* Contra: Nemo bonus infelix. Idem eodem: *Quia, quamlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud, quam beati.*

8. *Minime corruptor.*) Vide, quæ dixi ad illud satyr. I.

— *Nurus corruptor avaræ.*

9. *Incestus.*) Qui polluit Vestales. *Servius* XII. Æneid. definit *incestum* quamcumque pollutionem. Nonius: *Flagitium in adfines admissum.* Paulus: *Incestum committere intelligitur, qui ex his, quas legibus aut moribus prohibemur uxores ducere, aliquam duxerit.* Unde autem illud nomen, incerta sententia. *Fest.* a Græco, nam illi facinus *ἀνάγνισμα* dicunt. *Isidor.* quasi *incastum*; alii quasi *sine cæstu.*

9. *Nuper.*) Non ita pridem, paullo ante. *Fest.* *Nuper* quasi *noviper*, & *novissime.*

9. *Vittata sacerdos.*) Vestalis, cui tamen vittæ atque ornamenta ablata. *Dionysius* lib. VIII. de Opimia Vestali, (sive ut *Livius*, Oppia) *Quam pontifices*, inquit, *damnarunt; & demtis e capite vittis, per forum traduxerunt, vivamque defoderunt.* *Lips.* cap. XII. de Vestalib.

10. *Vivo sanguine terram subitura.*) Pœna Virginum Vestalium, quæ sese imminui passæ fuerant, fuit virgis cædi, sub Numa: Tarquinius Priscus hanc pœnam auxit. *Dionysius* graphice totam historiam refert: *Pœnæ*, inquit, *delinquentibus graves constitutæ, quarum arbitri & exactores sunt ex lege Pontifices, qui virgis quidem cædunt compertas levioris delicti: probrosas vero & incestas fœdissimo, & maxime miserabili mactant supplicio. Vivæ enim funebri ritu & pompa efferuntur, amicis & cognatis cum luctu & lachrymis comitantibus: delatæ autem ad portam Collinam intra*

Sed nunc de factis levioribus, & tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Sejoque; decebat
Crispinum. quid agas: cum dira, & fœdior omni
Crimine persona est? mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.

Est

muros subterranea in cella cum funeralibus ornamentis. Ovidius:

Nullaque dicetur vittas temerare Sacerdos,
Hoc duce, nec viva defodietur humo.

Qui quidem *Ovid.* talis inhumationis caussam reddit VI. Fast.

Sic incesta perit, quia, quam violavit, in illa
Conditur, & Tellus Vestaque numen idem est.

Vide *Lips.* Syntagm.

VET. SCHOL.

12. *Sub judice morum.*) Damnaretur a Censore.

13. *Nam quod turpe bonis.*) Irrisive laudat, comparatione Crispini *bonos* dicens * non ea objiciens, quæ in eum turpissima sunt.

15. *Persona est.*) Non homo, sed persona.

16. *Æquantem.*) Sex librarum, qui tantum potuit habere in pondere, quantum in pretio.

17. *Qui de magnis.*) Divites, gluttones.

19. *Præcipuam in tabulis ceram.*) Primam, in qua heredes primi scribuntur.

GRANG.

11. *Et tamen alter.*) Alter indefinite, quod nos Galli, *Si c'estoit un autre.*

12. *Sub judice morum*) Domitiano: is enim, ut ait Sueton. *Suscepta morum correctione licentiam theatralem promiscue in equite spectandi prohibuit.* Videndus *Dio* in Domitiano. Potissimum autem Domitianus morum correctionem exercuit in Vestales. *Sueton.* eodem.

13. *Quod turpe bonis Titio, Sejoque &c.*) Hæc non aliena ab iis, quæ satyr. XI.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. ——

13. *Titio, Sejoque.*) Ex officina Jureconsultorum, ut videre est *l. Titius & Sejus. D. de hæredib.* & passim in Jure Civili.

14. *Dira persona.*) Dei ira nata. *Festus* in *Dirus.*

15. *Mullum sex millibus emit.*) *Mullus* Græcis τρίγλη, quod *ter* anno pariat. *Oppianus.*

Accipiunt triglæ trino cognomina partu.

Mulli autem latinis a colore *mulleorum* calceamentorum, ut vult *Fenestella* apud Plin. lib. IX. cap. XVII. vulgo *rougets ou surmulets.* ii Romæ in deliciis, tantoque cariores, quanto majores.

15. *Sex millibus.*) Asinius Celer, ut narrat *Plin.* unum mercatus est mullum octo millibus nummum. En, quod amplius, *Sueton.* narrat, *Tiberium graviter questum mullos triginta millibus nummum venisse*, hoc est, singulos ducentis quinquaginta aureis stetisse. *Tertul.* de Pallio, consentit cum *Juvenale*, & Celerem sex millibus emisse mullum affirmat.

16. *Æquantem paribus sestertia libris.*) Pendentem sex libras pro numero sestertiorum. *Budæus* de Asse. *Plin.* tamen non tanti ponderis mullos agnoscit: *Gratia*, inquit, *maxima est, & copia mullis, sicut magnitudo modica, binasque libras ponderis raro admodum exsuperant*: At certe exsuperant, trilibrem enim facit *Horat.* satyr. II. Serm. II.

—— *Laudas, insane, trilibrem*
Mullum. ——

Seneca epist. XCV. mulli meminit quatuor pondo & semis, quæ mullorum pondera intelligenda de iis, quæ in suburbanis littoribus reperiebantur. Nam apud *Plin.* cap. VIII. lib. IX. legitur, mullum XXC. librarum in mari rubro fuisse captum.

17. *Ut perhibent.*) De re incerta & penitus fabulosa, ut passim apud Poetas.

17. *Qui de magnis majora loquuntur.*) etenim

Fama malum, quod vires acquirit eundo.

19. *Præcipuam in tabulis ceram.*) i. Præcipuam in cereis tabulis hæreditatis partem. Hæres videlicet forte ex dodrante scriptus, cum alii ex triente, aut quadrante essent, vel *abstulit* hæres, non legatarius: Nam qui testamenta condunt, plura solent hæredibus,

quam

Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ,
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. multa videmus,
Quæ, miser & frugi, non fecit Apicius: hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro.
Hoc pretio squamæ? potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros: sed majores Apulia vendit.
Qualeis tunc epulas ipsum glutisse putamus
Induperatorem? cum, tot sestertia, partem
Exiguam, & modicæ sumtam de margine cœnæ
Purpureus magni ructarit scurra Palati;

Jam

quam legatariis relinquere. *Brodæus* Miscell. VII. cap. VI.

19. *Præcipuam ceram.*) In testamento duæ ceræ; in prima, quæ heic *præcipua* dicitur, erat institutio hæredis. *Horat.* Serm. II. satyr. V.

— *Quid prima secundo*
Cera velit versu. —

Ubi *Porphyrio*: *Prima cera* est prima tabula: nam in primæ tabulæ secundo versu hæredis nomen continetur; in ima autem cera erant secundi heredes. *Brisson.* VII. de Formul.

VET. SCHOL.

21. *Antro.*) Lecticam mulieris, aut sellam clausam dicit.

23. *Apicius.*) Auctor præcipiendarum cœnarum, qui scripsit de *Jusceilis.* fuit enim exemplum gulæ.

24. *Succinctus patria.*) Biblo Nilotica: Fuit nam Ægyptius Alexandrinus, in qua papyrus nascitur in Nilo. Sic, ut vult *Juvenalis*, Crispinus chartapola fuit.

25. *Hoc pretio squamæ.*) Piscis, a parte totum.

26. *Provincia tanti.*) Anthypophora, quasi Crispinus hoc responderit: Quid mihi invides? Apulia * curios agros vendit, ut majores pisces vendit, quos tu provincialibus gratis abstulisti. & Ironia: *Majores Apulia vendit.*

27. *Sed majores.*) Amphibologia, utrum *agros*, an *mullos*? vel per anastrophen postpositum sit. Sed, hoc pacto: *Sed agros majores Apulia vendit*: vel certe: Provincia tanti vendit agros, quanti tu mullos emisti.

29. *Induperatorem.*) Neronem dicit gluttonem, ut *Domitianus* sub Neronis nomine lateret.

31. *Purpureus.*) A vestis colore. Crispini satelles est idem Domitianus.

GRANG.

21. *Clauso antro.*) Clausa lectica. Cave autem cum aliis de domo intelligas, ut docte *Just. Lips.* I. Elect. cap. XIX.

23. *Non fecit Apicius*) omnium nepotum sui temporis diffluentissimus, cujus etiam hodie exstant libri de Re Culinaria, quem *Plin.* vocat *altissimum nepotum gurgitem.*

23. *Miser & frugi.*) Misere & frugi victitans, si ad Crispinum, & alios nostri ævi nepotes respicias.

24. *Succinctus.*) aut curte vestitus, aut seminudus. Utrumque enim *succinctus* significat. Interpres *Persii* ad illud:

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

24. *Patria papyro.*) Ægyptia. Crispinus enim Ægyptius. Hinc I. satyr.

Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi
Crispinus. —

Papyrus autem in Ægypto nascitur, ut docet *Plin.* cap. XI. lib. XIII. *Cujus radice pro ligno incolæ utuntur, nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum: ex ipsa autem papyro navigia texunt, & e libro vela, tegetesque, nec non & vestem, atque stragula & funes.*

26. *Piscis emi.*) Similiter *Plin.* in conquestione luxus: *Coquos singulos emi pluris, quam equos, nonnulli quiritabant; at nunc coqui triumphorum preciis parantur, & coquorum pisces.*

31. *Purpureus scurra*) Crispinus, quem pingit satyr. I.

— *Tyrias*

Jam princeps Equitum, magna qui voce solebat,
Vendere municipes pacta mercede siluros!
Incipe Calliope, licet & considere: non est
Cantandum, res vera agitur. narrate puellæ
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas.
Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni,

Incidit

— *Tyrias humero revocante lacernas.*

31. *Ructaret tot sestertia.*) Mullum tot sestertiis emtum. Sic *Martialis*:

Ructat adhuc aprum callida Roma meum.

De iis ructibus *Seneca* epist. XCV. *Quam fœdi atque pestilentes ructus sunt: quantum fastidium sui exhalantibus crapulam veterem?*

VET. SCHOL.

32. *Jam princeps.*) Magister Equitum Ro. factus est scilicet.

33. *Fracta de merce siluros.*) id est, fracto vase sardarum ejusdem municipii: unde ipse Ægyptius. *Siluri* nam pisces sunt Alexandriæ, unde fuit Crispinus, nullius pretii, quos inopes in Ægypto venditant.

34. *Licet & considere.*) aut summisse dicere; aut proprie, res tenues dicere.

36. *Prosit mihi vos.*) Virgilius: *Prosit nostris in montibus ortas.* id est: ad laudem vestram sufficiat vos *puellas* nominatas.

38. *Ultimus & calvo.*) Hoc convicium in *Fl. Domitianum*, Titi fratrem, Vespasiani filium jactat, qui *calvus* fuit, ut *Sueton.* refert: propter quod *Juvenalis*, sub specie honoris relegatus est ad cohortis curam in Ægypto, Hoasa, ubi mortuus est. *Ultimum* autem dicit, quia in illo *Cæsarum* ordo defecit: & cum Vespasianus, & Titus, & Domitianus *Flavia* ex gente fuerint; Domitianus ultimus illorum, & dissimillimus imperavit. Meminit hoc *Valerius Mart.* in Epigrammate, his versibus finiens:

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres,
Pene fuit tanti non habuisse duos.

GRANG.

32. *Magna voce vendere.*) Ut solent, qui per vicos ferunt venundandas merces. *Seneca* epist. LVI. *Jam libarii varias exclamationes, botularium, & crustularium, & omnes popinarum institores mercem sua quadam & insignita modulatione vendentes:* Vide *Brisson.* VIII. de Formul.

33. *Municipes siluros.*) Sic satyr. XIV. *municipes Jovis lagenas.* hoc est, ejusdem *municipii* i. patriæ: nascuntur enim in Nilo *siluri*. Sic *Martial.* epig. XXCVII. dixit, *municipes Cadmi lacernas.*

33. *Fracta de merce.*) Quos vili aut nihilo sibi comparaverat a piscium mercatoribus, qui per viam aliquos casu, aut aliqua alia ratione fregerant. Ride igitur, si homo es, *veterem Scholiastem*, & *Autumnum* fidelissimum sequacem, qui *fracta merce*, fracto vase interpretantur.

34. *Incipe calliope.*) Id sibi repetit *Horat.* satyr. V. Serm. I.

— *Nunc mihi paucis*
Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicerri,
Musa, velim memores. —

Sic *Sulpitia* in satyra:

Musa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.

34. *Licet & considere.*) *Sedere* paululum temporis, non ut antea *currere*, quoniam argumentum postulat majorem attentionem. Unde Pythagoræum illud: *Adoraturi sedeant.*

34. *Non est Cantandum.*) Non te invoco, ut cantes mecum fabulas, quæ carmine epico decantari solent, ut *Homerus*, & *Virgil.* olim.

35. *Narrate puellæ.*) *Virgil.* Ecl. VIII. *dicite Pierides.* —

36. *Prosit vos dixisse puellas.*) Sic Cybele de navibus Æneæ apud *Virgilium*:

— *Prosit nostris in montibus ortas.*

Puellas autem, hoc est, innuptas, virgines, castas, puras, intactas. Id enim enim proprie *puella* significat. *Apul.* Apolog. II. *Virgo rursum post recens repudium nomen potius asserens puellæ, quam integritatem* fuerunt enim, qui musas corruptas asseverarent.

37. *Flavius*) Domitianus, e *Flavia* gente oriundus.

38. *Calvo serviret Roma Neroni.*) Attende ad illud, *serviret*. Ceteri enim ante illum Cæsares, nomen *Domini* vel edicto respuerant. Hic autem ut ait *Eutrop.* dominum se & Deum primus appellari jussit. *Dominus* autem

Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus: neque enim minor hæserat illis,
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia ponti
Desidia tardos, & longo frigore pingueis.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem,

Aut

autem est servorum, *Imperator* militum, *Princeps* civium.

38. *Calvo Neroni.*) Omnes mali Imperatores *Nerones* vocant, potissimum Domitianus, qui *Calvus Nero* appellatus. *Sueton.* ejus *calvitiem* notat in Ejus vita cap. XIIX. Sed *Auson.* aperte:

Et Titus imperii felix brevitate: secutus
Frater, quem Calvum dixit sua Roma Neronem.

VET. SCHOL.

39. *Rhombi.*) Piscis formæ magnitudo.

40. *Quam Dorica sustinet Ancon.*) *Ancona Dorica*, id est, Græca civitas, quam Græci in Italia condiderunt.

41. *Implevitque sinus.*) id est *retia*, Virgilius:

Implevitque sinus sanguis. —

41. *Quos operit.*) Quia, qui in Ponto & Mæotia palude capiuntur pisces, immanes & pingues ex ipsa tarditate: quoniam, quando gelat, in glacie hærent. Sallustius: *Itaque tempestate piscium vis Ponto erupit.*

43. *Solibus.*) id est soluta a Sole glacie.

43. *Torrentis.*) Perfluentis, currentis. illic nam rheuma quoddam trahit mare.

46. *Pontifici summo.*) Ironia.

GRANG.

39. *Rhombi.*) Rhombus piscis dictus a turbinata corporis figura, Gallis *un Turbot.*

40. *Ante domum Veneris.*) *Domus* pro templo, ut passim *Horatius*:

— *Fulgens contremuit domus.*
Saturni veteris —

Propert. lib. III. eleg. II.

Nec Jovis Elei cœlum imitata domus.

Apul. de Mundo: *Ultra Deorum domus est, quam vocamus Cœlum. Ancone* vero fuisse celebratam Venerem *Catull.* testis epig. XXXVII.

Nunc, o cæruleo creata Ponto,
Quæ sanctum Idalium, Uriosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis. —

40. *Ancon Dorica.*) f. g. Ut *Catullo*, *Cranon arisona*, & *Silio*, *regia Pleuron. Dorica* autem i. a Syracusiis ædificata; Nam *Syracusii* Græcis oriundi. Græci autem *Dores* dicti a *Doro* Neptuni filio.

41. *Implevitque sinus.*) an *sinus* maris, quos Itali vocant *Golfi*, an rete piscatoris? Nam *sinus* pro reti ut plurimum. *Martial.* lib. XIII. epig. CI. *Jam removete sinus*, hoc est, retia.

42. *Glacies Mæotica.*) Glacies Paludis Mæotidis. *Mæotis* autem dicitur hodie *Mar delle Sabacche.* Ab Italis autem *Mar della Tana*, ab oppido illi adjacente. *Pellonius* dici asserit ab iisdem Italis *Mar bianco*, a Scythis, si Τζετζα credas, dicitur *Carpalue*: si Plinio *Temerinda.*

43. *Effundit ostia ponti*) τὸ *effundit* denotat ingentem multitudinem piscium verno tempore e palude Mæoti in Pontum simul euntium. *Pontus* autem hodie dicitur, *Mar maggiore:* a Græcis hodiernis: *Maurothalassa* i. mare nigrum.

45. *Magister cymbæ.*) Rector naviculæ piscatoriæ. Nam *magister* & inter verba nautica. *Virgilius*:

— *Excutitur pronusque magister.*

45. *Linique.*) Retis. Linea enim & rete, *lini* nomine appellantur. *Ovid.* XIII. Met.

Nunc in mole sedens moderatur arundine linum.

Ubi *linum* pro *linea* positum. At eodem, pro *reti* usurpatum vides:

Cespite consedi dum lina madentia sicco.

46. *Pontifici summo*) Domitiano Imperatori. Omnes enim Imperatores Romani *summi Pontifices.* Signanter tamen *Pontifici* dixit, ut tangeret *Pontificum cœnas*, ex quarum luxu proverbia nata, de quibus *Erasm.*

46. *Proponere talem.*) Venalem exponere, sic *Cic.* in Verrinis dixit, *fidem venalem proponere. Proponere* autem proprie est aliquid ita ponere, ut omnium oculis pateat, qualia venalia.

 47. Cum

Aut emere auderet? cum plena & littora multo
Delatore forent: disperſi protinus algæ
Inquiſitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,
Depaſtumque diu vivaria Cæſaris: inde
Elapſum veterem ad Dominum debere reverti?
Si quid Palfurio, ſi credimus Armillato,
Quidquid conſpicuum, pulcrumque eſt æquore toto,
Res fiſci eſt, ubicunque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, jam lethifero cedente pruinis
Autumno: jam quartanam ſperantibus ægris.

Stride-

VET. SCHOL.

47. *Cum plena & littora.*) Non ſolum fora.

53. *Si quid Palfurio.*) *Palfurius* Conſularis, in agone cum virgine Lacedæmonia ſub Nerone luctatus eſt. Poſt inde a Veſpaſiano Senatu motus; tranſivit ad Stoicam ſectam, in qua cum prævaleret & eloquentia, & artis poeticæ gloria, abuſus familiaritate Domitiani, acerbiſſime partes delationis exercuit. quo interfecto, Senatu accuſante damnatus eſt: cum fuiſſent inter delatores potentes apud Domitianum, & hi Armillatus, Demoſthenes, & Latinus archimimus, ſicut *Marius Maximus* ſcripſit.

56. *Ne pereat.*) Fiſco, quod jam diſtrahi non poteſt.

GRANG.

47. *Aut emere auderet.*) Non enim, quod cuivis libuit, licitum emere per leges ſumtuarias.

48. *Algæ Inquiſitores diſperſi.*) i. Per algam. *Alga* autem pro littore, in quod *algam* mare projicit. *Catull.* in Nuptiis Pelei & Thetidos:

Quem procul ex alga mæſtis Minois ocellis.

Et paulo poſt:

Nec quiſquam apparet vacua mortalis in alga.

Cave igitur a mente *Autumni.*

49. *Agerent cum remige.*) Furti remigem inſimularent. Id enim verbum Juriſconſultis eo ſenſu intelligendum, unde eorum verba ſolemnia: *agendi poteſtatem faciam, agere permittam, actionem permittam.*

49. *Cum remige.*) i. Piſcatore. abuſive: *Remex* enim in gloſſis, ἐρέτης. *Chariſ.* lib. I. a *remo agendo* deducit.

49. *Nudo.*) Bonis ſpoliato: & cui nil ſupereſt. *Seneca* epiſt. XIV. *Nudum latro tranſmittit, etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt.* Martialis:

Nil eſt deterius latrone nudo.

51. *Piſcem Depaſtumque vivaria Cæſaris.*) *Paſtus* & attribuitur piſcibus. *Martial.* epigr. XXX. lib. X.

Ridens procellas tuta de ſua menſa
Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas.

Sic *Virg.* attribuit apibus:

— Florem depaſta ſalicti.

55. *Res fiſci eſt, ubicunque natat.*) Quod contra Jus Naturale: equidem jure naturali communia ſunt hæc: aer, aqua, profluens, & mare. §. I. *Inſtit. de rer. diviſ.* unde in mari cuique piſcari licet. *l. Injuriarum.* §. *ſi quis. D. de Injuriis.*

Lethifero Autumno.) *Horatius* de Autumno:

Autumnuſque gravis Libitinæ queſtus acerbæ.

Ovid. II. de Arte. *Virg.* III. Georg. *Servius* eo loci.

56. *Cedente pruinis.*) hoc eſt hyemi. Annus enim in perpetuo motu, cujus partes ſeſe invicem expellunt. *Horat.* Epod. ode VII.

Frigora miteſcunt Zephyris, ver proterit æſtas
Interitura ſimul.
Pomifer autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.

proprie tamen *pruina* πάχνη, vulgo *bruine*, mutata literula dicta eſt a *perurendo*. *Feſt.* in *Pruina.*

57. *Quartanam ſperantibus.*) *Sperantibus*, pro *timentibus* per Acyrologiam accipiunt omnes. Sed dicant mihi quæſo, qui cotidiana & continua laborant febri, quid habent, quod ulterius formident; cum ægrotantes & aſſidua valetudine laborantes nihil timere ſoleant, quod intenſiore illos dolore affecturum ſit, præcipue ſi æſtivum tempus evaſerint, & jam hyems adventet. Quamobrem mallem exponere *ſperantibus* gemina & propria verbi ſignificatione. Scimus enim ſcriptum eſſe a *Celſo* quartanam neminem jugulare, & plerumque fieri, ut ægrotantes cupiant febrim, quam

cotidie

Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Utque lacus suberant, ubi, quanquam diruta, servat
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper,
Ut cessit: facili patuerunt cardine valvæ.
Exclusi spectant admissa opsonia Patres.
Itur ad Atreidem. tum Picens: Accipe, dixit,
Privatis majora focis; Genialis agatur

Iste

tidie patiuntur, in quartanam commutari. Itaque autumnali tempore *sperant*, quo fit febrium commutatio. *Ptolomæus Flavius* Conjectan. cap. XVII.

VET. SCHOL.

59. *Auster.*) Ventus calidus, quo pisces corrumpuntur.

60. *Utque Lacus.*) id est, cum prope lacus Albanenses jam venisset piscator.

61. *Ignem Trojanum.*) Romani, Tullo Hostilio rege, cum deseruissent Albam, sacra sublata Romam transtulerunt, & Deos penates: quorum penetrale tam venerabile deprehensum est. ut lapidatio de cœlo caderet supra * memorati ponderis. propter quod prodigium, ex libris Sibyllinis jussi Pontifices ex S. C. Albæ sacra renovare. Tanta enim repente, cum ea vellent transferre, grando cecidit, ut intelligerent suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi perseverant. Ideo & *Vestam minorem* dixit ad compositionem.

65. *Picens.*) Piscator de provincia, ubi piscis captus fuerat.

GRANG.

58. *Stridebat deformis hiems*) vi ventorum, qui tunc regnant.

58. *Deformis hyems.*) Ab effectu, quod *Hyeme* prorsus omnia sint *deformia*. *Horat.* eadem ratione vocat *informem*, quasi *sine forma*, hoc est, pulcritudine, ode x. lib. II.

— Informes hyemes reducit
Juppiter, idem
Summovet. —

59. *Utque lacus suberant.*) Enallage temporis.

59. *Lacus*) Albani. *Lacus* enim Albano monti proximus. *Virgil.* IX. Æneid.

60. *Ubi Alba.*) de qua sic *Propert.* eleg. XXIII. lib. IV.

Et stetit Alba potens albæ suis omine nata.

Dicta enim *Alba* ab *alba* suis inventæ ostento; de qua ad satyr. XII.

60. *Quanquam diruta.*) De Albæ eversione *Liv.* lib. I. *Dionys.* lib. III.

60. *Servat ignem Trojanum* &c.) i. Vestam, quæ nil aliud, quam ignis. *Ovidius:*

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Qui *Trojanus* dictus, quod *Troja* in Italiam ab Ænea delatus. *Virgil.* II. Æneid.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus Ignem.

Hunc Ignem Lavinii constituit, quem in Albam longam transtulit Ascanius, & denique ab ea coloni Romam. Post Albæ eversionem, in qua lapidatione deterriti non diruerunt Vestæ Templum, imo illius sacra reverenter coluerunt, vel ad *Symmachi* tempora. Idcirco vocat hunc ignem Albę derelictum *minorem*, respectu illius, qui erat Romæ.

63. *Facili cardine.*) Sic *Horat.* lib. I. ode XXV.

——— Amatque,
Janua limen;
Quæ prius multum faciles movebat
Cardines. ———

Cardo, quasi καρδία, cor januæ, quo moveatur janua.

63. *Valvæ*) Palatii; *valvæ* proprie, quæ revolvuntur, & se velant.

64. *Exclusi Patres spectant opsonia.*) per Antithesin, *exclusi*, *admissa*. figura est quasi eorum, quæ fiunt. IV. Æneid.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant. —

65. *Ad Atridem.*) Ad Imperatorem. ex *Homeri* imitatione istud. Duo autem *Atridæ*, Major, & Minor, Agamemnon scilicet, & Menelaus: Major dicitur *Homero* Rex Regum.

65. *Picens.*) Piscator *Picena* regione oriundus.

66. *Genialis agatur iste dies.*) Talis hodie sit apparatus ciborũ apud te, qualis solet esse, cum Genio sacrificas. Eo enim

Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in secula rhombum.
Ipse capi voluit. quid apertius? Et tamen Illi
Surgebant cristæ. NIHIL est, quod credere de se
Non possit, cum laudatur DIs æqua potestas.
Sed deerat pisci patinæ mensura. vocantur
Ergo in consilium Proceres, quos oderat Ille;
In quorum facie miseræ, magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno:
Currite: jam sedit; rapta properabat abolla

Pegasus

nim die plus solito sese invitabant: hinc factum, ut *Geniales homines* dicerentur, qui ad largius apparandum cibum essent promtiores, ut notat *Santra* apud *Nonium* in *Genialis*. Hinc *Genialia curare*, de eo, qui vivit lautius, *Donato*, Phorm. act. I. sc. I. Propterea *Virgil.* Genialem Hyemem dixit I. Georg. quod hyeme mutua

— Inter se læti convivia curant,
Invitat genialis hyems, curasque resolvit.

VET. SCHOL.

67. *Laxare saginam.*) Alii, *sagittis*, ut sit sensus, *acutis curis*, ut exercitatione sagittarum. Digestioni, inquit, & harenis, quibus vectari illum debere dicit, ob cibum futurum. Legitur & *saginis*, id est escis futuris stomachi, indigestum præparare.

69. *Et tamen illi.*) Adsentatione, ac laude intumescebat Imperator, quamvis falsa.

71. *DIs æqua potestas.*) Regnum scilicet.

73 *Quos oderat Ille.*) Hoc ad mores infert Regis, non ad illorum merita.

75. *Pallor amicitiæ*) Simulatæ. Cicero: *Nulla est occultior res insidiis, quæ latent in simulatione officii.*

75. *Clamante Liburno.*) Qui admissionibus præerat.

GRANG.

67. *Stomachum laxare saginis.*) *Stomachus laxatur* & ampliatur πολυφαγίᾳ. *Saginis* autem i. rhombo, & dapibus exquisitioribus. Ridicule tamen *saginis*. Nam *sagina* proprie cibus, quo redduntur opima animalia. *Varro* lib. III. de re Rust. cap. X.

68. *Consume.*) Devora. *Virgil.* VII. Æneid.

Heus etiam mensas consumimus! inquit Iulus.

68. *Servatum in tua secula.*) Adulatorie, ut tu solus, non alii ante te Imperatores manducarent.

69 *Ipse capi voluit.*) Accessit ultro, & non coactus in retia venit.

69. *Quid apertius?*) Quæ adulatio tam aperta?

70. *Surgebant cristæ.*) Ista adulatione intumescebat, quasi etiam bruta illius imperio & voto obsequerentur. *Tollere* autem *cristas* dicitur ille, qui animo effertur, translatione ab avibus cristatis, in quibus cristæ erectiores alacritatis & animorum indicia; nos sic dicimus *lever la creste*. Dicitur & simili modo, *tollere cornua*. *Erasm.* Chiliad. I. cent. VIII. proverb. LXIIX. & LXIX.

70. *Nihil est, quod credere de se Non possit &c.*) Homini id accidit potissimum in summo gradu constituto, quod cito sibi placeat, si invenit, qui virum bonum dicat, qui prudentem, qui sanctum agnoscat; nec sumus modica laudatione contenti, quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpissime mentiri. &c. quæ apud *Senecam* epistol. LIX.

71. *DIs æqua potestas.*) Unde dicti *humani Joves*.

72. *Vocantur in consilium proceres*) non de Rep. sed de *rhombo* & *patina* acturi.

74. *Sedebat Pallor.*) Sic ille:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

74. *Magnæ amicitiæ.*) Magni amici, hoc est Imperatoris. de quo ad illud I.

— Magni delator Amici.

75. *Clamante liburno.*) Patres etenim ad Senatum vocabantur plerumque edicto. *Brisson.* II. de Formul. Hic autem per præconem, cujus verba sic colligo: *Currite Patres, jam sedit Atrides* (seu Domitianus) *in consilio de rhombo ejusque patina deliberaturus.*

76. *Rapta abolla.*) De *Abolla* diximus ad illud III. satyr.

— Audi facinus majoris abollæ.

Ubi *abolla* pro veste Philosophica, hic pro veste Senatoria. *Non. Marcellus* tamen ubi de generibus vestimentorum,

Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi:
Anne aliud tunc Præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus; omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit & Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. maria, ac terras, populosque regenti
Quis comes utilior? si clade, & peste sub illa
Sævitiam damnare, & honestum afferre liceret

Con-

rum, auctoritate fretus *Varronis in Cosmophthorine*. Abollam vestem militarem esse dixit. *Servius* ad illud v. Æneid.

— *Duplicem ex humeris rejecit amictum.*

Abollam fuisse *duplicem vestem* dicit, nulla auctoritate. *Marcell. Donatus* dilucidationib. in *Suetonii* Caligulam cap. XXXV.

VET. SCHOL.

77. *Pegasus.*) Triefarchi filius, ex cujus Liburnæ parasemo nomen accepit, Juris studio gloriam memoriæ meruit, ut *Liber* vulgo, *non homo* diceretur. Hic functus omni honore, cum provinciis plurimis præfuisset, Urbis curam administravit. Hinc est *Pegasianum* scilicet *jus*, quod Jurisperitus fuerat.

80. *Inermi Justitia.*) Quanquam optimus, tum pro tempore omnia mitius agenda credebat.

81. *Crispi jucunda senectus.*) Lucanus:

— *Fractisque modestior annis.*

Crispus municeps Vifellienfis tirocinio suo in Senatu ita cœpit: *Patres conscripti, & tu Cæsar*, propter quod simul oratione plenissime a Tiberio conlaudatus, plurimas sponte caussas apud C. V. egit. pro qua re in basilica Julia ejus statua posita est. Consulatus duos gessit. Uxores habuit duas, primam Domitiam, deinde Agrippinam, illam amitam, hanc matrem Neronis Cæsaris. Possedit bis ∞. HS. Omnium Principum gratiam adpetivit, sed præcipue Cæsaris, quem iter facientem secutus est pedibus. Hic nullo audiente a Nerone interrogatus, *Haberetne, sicut Ipse, cum sorore germana consuetudinem? Nondum*, inquit: quantumvis decenter & caute: ne aut negantem eum argueret, aut adsentientem sibimet mendacio dehonestaret. Periit per fraudem Agrippinæ; quam hæredem reliquerat, & funere publico elatus est.

GRANG.

77. *Pegasus*) Jureconsultus celeberrimus, qui Proculo successit, ut scribitur in *l.* II §. *ult.* D. *de origine Juris.* A quo *S. C. Pegasianum.* §. v. *Instit. de fideic. hered.*

77. *Modo*) Sub Vespasiano. *l.* II §. *ult.* D. *de orig. Jur.*

77. *Villicus.*) Præfectus, custos. sic in *Priapejis*

Villicus ærarI quondam, nunc cultor agelli.

78. *Anne aliud tunc præfecti.*) quam villici. Ludit in ambiguo: in prima enim significatione *villicus* pro custode; in secunda pro rustico, extraneo, & minime Romana origine; sed potius campestria & rus, quam urbanitatem redolente.

79. *Omnia tractanda inermi Justitia.*) Severitate pœnarum probra non coercenda, sed omnia mitius agenda: respicit ad picturam Justitiæ, quæ gladium gerit altera manu.

80. *Temporibus diris.*) sub tyrannide Domitiani.

81. *Venit*) ad consilium.

81. *Crispi jucunda senectus.*) Crispus senex. Sic *Propert.* eleg. XIIX. lib. II.

At non Tithoni spernens aurora senectam.

i. Tithonum senem. *Jucundus* autem *Crispus. Quint.* lib. x.

81. *Crispi*) Vibii, cui, quæ *vetus Juvenalis Scholiastes* attribuit, minime conveniunt, sed Crispo Passieno. *Lipsius* commentario XII. Annalium ad *Tac.* De eo Vibio Crispo *Suetonius* in Domitian. capite III.

82. *Cujus erant mores.*) *Quintil.* lib. x. *Vibius Crispus compositus, & jucundus, & delectationi natus; privatis tamen caussis, quam publicis, melior.*

83. *Populosque regenti*) Domitiano Imperatori, cujus erat populos regere. *Virg.* VIII. Æneid.

— *Placida populos in pace regebat.*

84. *Peste sub illa.*) Sub nefario Domitiano, Ciceronis imitatione, qui sui temporis sceleratos *pestes* vocat: quidquid enim noxium, *pestis* nomine solet appellari, [illegible], unde Pestum.

87. Cum

Consilium? sed quid violentius aure tyranni:
Cum quo de pluviis, aut æstibus, aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hiemes, atque octogesima vidit
Solstitia. His armis, illa quoque tutus in aula,
Proximus ejusdem properabat Acilius ævi
Cum juvene, indigno, quem mors tam sæva maneret,
Et Domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est cum nobilitate senectus:
Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantis.

Profuit

VET. SCHOL.

87. *Cum quo &c.*) De rebus frivolis & vulgaribus.

90. *Nec civis erat.*) aut ipse *Crispus*, aut quicunque.

91. *Et vitam impendere vero.*) Ut Virgilius:

— *Animasque in vulnera ponunt.*

94. *Ejusdem properabat Acilius ævi.*) Virgilius: *Ut regem æquævum.*

94. *Acilius.*) Consul sub Domitiano fuit, indignus pati, quæ passus est. Hujus cum filium juvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit; qui pœnas sentiret orbitatis.

98. *Fraterculus esse Gigantis.*) Ut omnes me oderint, aut timeant, aut contemnant. id est, *ignobiles pro gigantibus.*

GRANG.

86. *Quid violentius aure tyranni.*) Cui dicenda placentia:

Χαλεποὶ δέ τ' ἀνάκτων εἰσὶν ὁμοκλαί.

87. *Nimboso Vere.*) quod *Virgil.* vocat *Imbriferum.* *Juvenalis* ipse satyr. IX.

— *Aut madidum ver*
Incipit. —

89. *Direxit brachia contra.*) Translatum a natantibus, qui adversus aquam brachia dirigere solent.

90. *Libera verba.*) *Τὴν παῤῥησίαν.* Unde *Sueton.* in Tiberio: *In civitate libera linguam mentemque liberas esse debere*, dixit. Sic *Plaut.* Persa, Act. II. scen. IV. *Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere.*

91. *Vero.*) *Pour dire la verité*: hæc enim, ait vetus verbum, odium parit.

92. *Multas hyemes.*) Multos annos. *Horatius*:

Seu plures hyemes, seu tribuit Juppiter ultimam.

93. *His armis.*) Dissimulatione & taciturnitate.

94. *Acilius*) Glabrio.

94. *Ejusdem ævi.*) Octoginta annorum. *Ævum* hic pro ætate; alias *ævum* æternitatem signat. *Censorin.* de Die Natali. *Servius* VI. Æneid.

95. *Cum juvene.*) Intellige filium Acilii Glabrionis, a Nerone peremtum. *Vetus Scholiastes.*

95. *Mors sæva.*) quæ vi adfertur. *Virgilius*:

— *Tot ferro sæva dedisset*
Funera. —

95. *Quem mors maneret.*) *Albinov.* eleg. ad Liviam:

Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.

Propert. lib II. eleg. XXLIX.

— *Mors sua quemque manet.*

96. *Tam festinata*) Ante tempus senectutis. Sic *Martial.* pluribus locis dixit fata, *pensa festinata*, & *annos festinatos*, *festinatam umbram.* melius ergo *festinata*, quam *destinata*.

96. *Sed olim. &c.*) *Ecclesiastici* decimo cap. *Omnis potentatus brevis vita.*

98. *Fraterculus esse gigantum.*) Infimæ conditionis, eadem matre natus, qua gigantes scilicet, i. terræ filius. Vide *Erasmum* centur. VIII. proverb. XXCVI. Chil. I. *Politian.* cap. XVII. Sic *Genebrard.* ad *Psalm.* XLVIII. *Ὅτι γηγενεῖς καὶ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων.* *Terrigenæ*: inquit, *plebei, ignobiles, nulla nativitatis origine illustres*, quos etiam Poetæ *terræ filios* appellant; Hinc Hebræi *filii Adam*, *filii hominum.* Hebr. בני איש *filii virorum* i. nobiles. *Adam* enim sonat hominem obscurum, & איש insignem, virtute & aliis notus illustrem.

99. *Ursos*

Profuit ergo nihil misero, quod comminus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat arteis
Patricias? quis priscum illud miratur acumen,
Brute, tuum? facile est barbato imponere Regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus, atque tacendæ,
Et tamen improbior Satyram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera. Sævior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro,
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prælia villa:

Et

VET. SCHOL.

99. *Ursos Figebat Numidas.*) In lusorio Cæsaris juvenis iste ursos sæpe, quasi venator, occidit.

101. *Artes.*) Fraudes.

103. *Barbato.*) Tarquinio Superbo. propexam enim barbam habuit, cum socer ejus Servilius adtonsam haberet, quem ipse occidit. Dicit ergo cinædum non facile posse falli, & facilius eludi posse fortem, quam infamem. Stoliditatem finxerat Brutus, ne a Tarquinio occideretur. *Barbato* & rustico intelligitur.

105. *Rubrius.*) Rubrius iste aliquando * Tibiam in pueritia corruperat; & verebatur, ne pro hac mercede pœnas ab ipso reposceret.

106. *Improbior.*) Qui in aliis sua vitia reprehendebat.

107. *Montani quoque venter.*) *Montanus* pinguis & *ventrosus* erat, & acerbe *ventrem* potius, quam ipsum venire dixit.

108. *Et matutino sudans Crispinus amomo.*) Orientali unguento, aut mane sumto.

110. *Tenui jugulos aperire susurro.*) Levi susurro alios deferens, neci tradere: aut per leves suspiciones solitus homines jugulare.

112. *Fuscus.*) *Fuscus* sub Domitiano exercitui præpositus, in Dacia periit. Notat autem eum, quia cum luxuria difflueret, inter delitias bellorum actus exercebat.

GRANG.

99. *Ursos Numidas.*) Leones Numidicos: nulli etenim *ursi*, aut pauci in *Numidia*, asserente *Plinio*, cui, quamvis multi contradicere videantur, dissentire nefas existimabit, qui electum virum & elegantem,

Juppiter, *Justum Lipsium* legerit in Elect. lib. II. cap. IV.

100. *Nudus venator.*) Ut satyr. I.

— *Nuda teneat venabula mamma.*

101. *Artes Patricias.*) In omnibus Principis studia sequi, assimulari, affectari.

103. *Barbato regi.*) Prisco, & simplicibus moribus: sic enim proverbio appellabant homines rusticanæ veritatis, & simplices, *barbatos. Erasm.* proverb. XLIX. Chil. IV. cent. X. Quod Romæ sero receptum fuerit barbam radere aut tonderi, teste *Plinio* lib. VII. cap. XLIX.

104 *Melior vultu.*) *Martial.* epig. I. lib. IV.

Semper & hoc vultu vel meliore nite.

Galli, *Il a bon visage.*

107. *Montani venter.*) Facete, de eo, cui

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat.

109. *Quantum vix redolent duo funera.*) Odorum enim fercula in funeribus. *Propert.* el. VII. lib. IV.

Cum nardo flammæ non oluere meæ.

Plin. lib. XIII. cap. I, & lib. XII. cap. XIIX.

109. *Sævior Aperire jugulos.*) Græcismus. Inde aperti ictus dicuntur. *Jugulus* autem & *jugulum* dicimus.

110. *Tenui susurro.*) Delatione facta in aurem Imperatoris, tractum ab amatoribus: *Susurri* enim taciti sermones amantium, cum sibi in aurem obganniunt.

111. *Servabat viscera vulturibus Dacis.*) Ei enim commiserat secundam expeditionem in Dacos Domitianus, *Sueton.* in ejus vita, In qua expeditione periit. *Martial.* lib. VI epig. LXXVI.

112. *Fuscus*) Cornelius, præfectus cohortium Prætorianarum.

112. Marmo-

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo;
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ:
Grande & conspicuum nostro quoque tempore monstrum!
Cœcus, adulator; dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axeis,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævuum conversus: at illi dextra jacebat
Bellua: sic pugnas Cilicis laudabat, & ictus,

Et

112. *Marmorea meditatus prælia villa.*) Ironice, ut qui non in castris, sed in villa præliari meditaretur: secesserat enim a Reip. administratione. videndus *Tacitus*.

112. *Meditatus prælia.*) Virg. X. Æneid.

— Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum.

Quem imitatus *Horat.* ode XII. lib. III.

Verris obliquum meditantis ictum.

VET. SCHOL.

113. *Et cum mortifero*) delatore.

113. *Prudens Vejento.*) Utrum ad nocendum, an ad sapientiæ rigorem; an adulandi peritus, & temporum?

114. *Qui nunquam visæ.*) Cœcus enim amator fuit *Catullus*.

116. *Dirusque a ponte satelles.*) de numero mendicorum

117. *Dignus Aricinos.*) Qui ad portam *Aricinam*, sive ad clivum mendicaret inter Judæos, qui ad Ariciam transierant ex Urbe missi.

118. *Devexæ jactaret basia rhedæ.*) Qui cœcus rhedæ sequenti mulieres, inclinatæ & per clivum descendenti, oscula jactaret.

119. *Nemo magis.*) quam Catullus cœcus adulator. Nam in sequenti [vers. 125] dixit:

Non cedit Vejento — utique Catullo.

GRANG.

113. *Prudens.*) Ut qui Imperatoris nosceret molles aditus, & tempora fandi.

113. *Vejento.*) De quo satyr. III.

113. *Mortifero Catullo*) Cœco. De quo *Plin. Nepos* in Epistolis.

114 *Numquam visæ.*) Qui fit, cum *sint oculi in amore duces*? similem tamen historiam narravit *Athenæus*, super qua nos aliquando lusimus.

114. *Flagrabat amore puellæ.*) Ut *Horat.* Epod. ode V.

Amore hoc meo flagres.

aliquando accusativo jungitur.

115. *Grande & conspicuum monstrum.*) Imo:

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

116. *Dirusque a ponte satelles.*) Qui ab Imperatore suffectus in satellitium, ex pontis mendicabulo. Satelles, *Glossæ*: βασιλικοῦ σώματος φύλαξ. *Latro* & *Laterensis*, *Tertulliano* libro IV. advers. Marcionem. *Lateralis*, *Salisberiensi*. Ego e contrario interpretor ex portitore factus satelles. Sic *Horat.* vice versa vocat Charontem *Orci satellitem*, od. XIIX lib. II. Aut potius dignus, qui fuisset satelles pontis, sive portitor, aut si quid inferius. Vel, qui ab Aricinis curribus stipem emendicaret.

117. *Aricinos ad axes.*) *Scalig.* ad hunc *Propertii* versum:

Scandentisque axis consurgit vertice murus.

putat usurpari *axem* pro colle edito. Improbat *Passeratius*, idque accipit pro curribus & vectoribus, qui frequentes ibant Ariciam. *Aricia* autem hodie *Rizza*.

118 *Jactabat*) mendicantium more, qui pluries aliquid deosculantur, & humilitatis sive honoris caussa huc illuc spargere oscula solent; hinc *serere basia*, *Martiali*.

119. *Stupuit rhombum.*) Cum casu verbum neutrum, ut *Virg.* II. Æneid.

Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ.

Ipse *Juvenalis*:

Quis stupuit Germani lumina? —

Horat. ablativo junxit, Serm. I. satyr. IV.

— *Stupet Albius ære.*

Et in odis *stupere carminibus* dixit.

120. *Jacebat bellua.*) *Bellua*, de Rhombo pisce stupendæ magnitudinis. Sic *Venusinus Poeta* vocat *Oceanum belluosum* od. XIV. lib. IV.

Te

Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento: sed, ut fanaticus, œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, &, Ingens
Omen habes, inquit, magni, clarique triumphi.
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. peregrina est bellua. Cernis
Erectas in terga sudes? hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret, & annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam, atque rotam citius properate: sed ex hoc

Tem-

Te belluosus qui remotis
Obstrepis Oceanus Britannis.

VET. SCHOL.

122. *Ad velaria.*) Ad alta theatri velamina.

126. *De temone Britanno Excidet.*) Ad pedes de regno. Falcatis nam curribus Britannorum rex Arbila. *

129. *Fabricio*) Vejentoni: nam ipse est *Fabricius.*

130. *Quidnam igitur.*) Nero dicit.

131. *Testa alta.*) Patella, in qua possit integer coqui.

133. *Debetur magnus patinæ.*) Figuram heic dicitur posuisse propter Magnum Pompejum: quoniam *Patina* dictus est, qui sustulit caput ipsius.

133. *Prometheus.*) Satyrice, *figulus.*

GRANG.

121. *Pegma.*) Glossæ: *Pegma*, confixum. *Apul.* Confixilem Machinam vocat. De *pegmate* autem ex professo *Lips.* de Amphith. cap. XXII.

122. *Pueros ad velaria raptos.*) *Lips.* de Amphith. huic loco lucem dat, quasi laudarit, & stupuerit adulator ille, quod ludis gladiatoriis pueri e pegmate subito occulta quadam machina rapti sunt ad vela theatri: in Amphiteatris enim tales raptus recepti. *Martialis*:

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.

Velaria autem cape pro velis ipsis; cave, ne capias pro locis, queis asservantur vela.

123. *Non cedit.*) Non inferior est. Sic satyr. XV.

Barbara famoso non cedit turba Canopo.

123. *Phanaticus.*) Sed quemadmodum solent *Bellonarii* futura vaticinari, sic Vejento futura divinat. Vide *Lil. Gyrald.* Syntagm. X. de Diis Gentium.

124. *Ingens omen habet.*) Proprie, quod *ore* procedit *omen*, quasi *oremen*, vel *osmen*, *Varroni*, & *Festo.* Tamen pro quocunque alio augurii genere *omen.*

124. *Omen habes.*) Formula usitata antiquis: *Accipio omen.* Ut notat *Prisc.* I. de Form.

126. *Regem capies.*) *Capere*, verbum bellicum. Hinc *Mancipia.* Hinc Capteivei *Plauti*:

Captus est in pugna Hegionis filius.

126. *Temone.*) Pars pro toto, *temo* pro curru. *Temo* enim est lignum, quod ad jugum inter equos excurrit, dictus a *tenendo*: is enim continet jugum, & plaustrum.

126. *Temo Britanno.*) Ille currus *essedum* dicebatur. *Cæsar* IV. de bello Gall. *Propert.* el. I. lib. II.

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

Vide *Cic.* VII. epist. ad Famil.

128. *Sudes.*) Proprie vallus. *Servius* ad II. Æneid. Hic autem superlative pro *spina*.

128. *Hoc defuit unum.*) *Virg.* XII. Æneid.

— *Id rebus defuit unum.*

130. *Quid censes.*) *Censere* Senatus & Consilii verbum.

132. *Tenui muro.*) Eo enim præstantior, quo tenuior. *Plin.* lib. XXXV. cap. XII.

133. *Magnus Prometheus.*) Magnus figulus, quod primus artem fingendi edocuerit. *Magnus*, subtilis in arte. Sic *Cicero*: *Magnus in dicendo.*

133. *Subitus.*) aut qui subito veniat i. vel qui subito acceleret patinam, ut Ipse satyr. III.

Interdum ferro subitus grassator agit rem.

134. *Properate rotam.*) Cum accusat. Ut apud *Virgilium*:

Arma citi properate. —

 138. *Aliam-*

Anxia præcipiti venisset epistola pinna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi,
Illustresque animas impune, & vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Si

VET. SCHOL.

149. *Epistola pinna.*) Antea, si quid nunciabant Consules in Urbe, per epistolas nunciabant. Si victoriæ nunciabantur, *laurus* in epistola figebatur: si autem aliquid adversi, *pinna* figebatur.

153. *Cerdonibus.*) Ignobilibus. *Cerdo* est proprie turpis lucri cupidus.

154. *Hoc nocuit* Lamiarum.) Hoc nocuit, ut occisis *nobilibus*, & a *cerdonibus* timeretur. Ut jam non essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate exstincta. In *Lamiis* indignatur Satyricus. Tunc periit, cum eum populus timere cœpisset, exstincto jam Senatu.

GRANG.

147. *Torvisque Sicambris.*) Lege *tortisque Sicambris. Martialis*:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Quod *Scheghius* in Præmissis notat, & *Ramires* ad *Martialem*.

149. *Venisset epistola.*) *Venire* dicitur epistola, ipsemet satyr. x.

— *Verbosa & grandis epistola venit.*

Propert. lib. III.

— *Dominæ mihi venit epistola.*

Ovidius:

Quam legis, a rapta Briseide litera venit.

149. *Anxia.*) Aliquid anxii adferens.

149. *Præcipiti pinna.*) Hujus loci diversa interpretatio. *Vetus Scholiastes* dicit, cum quid fortunati nunciaretur in epistolis, eas insigniri solitas *lauru*, contra si quid adversi, *pinna*: cui opinioni putant nonnulli assentiri *Fortunatum*, cum dixit de Gelesuintæ morte:

Mœrorisque gravis tum cito penna volat.

Sed longe falsi penna: heic enim pro *pinnato*, sive *pinnis* insignito cursore. Vidit doctissimus *Casaub.* ad *Suet.* & *Scholiasten* risit. Ad instar enim Mercurii Minutii, qui sub ejus tutela sunt, *pennas* fronte gerunt: unde πτεροφόροι *Veteri Glossographo*, quem *Savarottus* in medium profert: *Veredarii* dicuntur a *vehendo*; quia festinanter in equis currunt, nec descendunt de equis, antequam sua responsa liberent: habent *pennas* in capite, unde intelligitur festinatio itineris. Viderat *Cœlius* lib. xx. cap. XXII. Nihilominus *Autumnus* suo more Curionis opinionem refellit, delitias hominis, si placet, videte.

153. *Cerdonibus.*) Popello, sic nos, *Il hante avec des savetiers.* Pro quacunque populi fæce. *Persius*:

— *Tollat sua munera cerdo.*

154. *Hoc nocuit.*) Nam, quem multi timent, multos timere oportet.

154. *Madenti cæde Lamiarum.*) Ælii Lamiæ, & permultorum nobilium. *Sueton.* in vita Domitiani.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA V.

QUOT MALA SUSTINEAT PARASITICA VITA NOTATO.

SYNOPSIS. *Tangit sub persona Trebii beatiorum asseclas, quorum solum & summum bonum est aliena vivere quadra, variisque rationibus patefacit multo satius illis fore, si mendicarent: ita etenim miserrimi clientes a regibus suis male habiti, ut una eadem mensa recumbentibus alia aqua, vinum, panis, piscis, ceteraque obsoniorum genera, oleum, poma, boleti, imo & ministri, & pocula dissimilia porrigantur: quod non faciunt, ut impensæ parcant; sed quod hinc suos dolere invitatos noverint, quibus nullus mimus, nulla comœdia melior, plorante gula. Verum, cum talia perpetiantur, digni, qui longe iniquiora sustineant.*

SI te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset,
Quamvis jurato metuam tibi credere testi.

Ventre

VETUS SCHOLIASTES.

SI *potes illa pati, quæ nec Sarmentus.*) *Sarmentus* natione Thuscus, e domo Marci Favonii, incertum libertus, an servus, plurimis forma & urbanitate promeritis, eo fiduciæ venit, ut pro equite Romano algeret: decuriam quoque quæstoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum XIIII. Ordinibus sedit, hæc a Populo in Eum dicta sunt:

Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud Populus voluerat.

Digna dignis. sic Sarmentus habeat crassas compedes;

Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

Dum autem caussam usurpatæ dignitatis agit, precibus & gratia summoto accusatore dimissus est, cum apud Judices nihil aliud docere tentaret, quam concessam sibi libertatem a Mæcenate, ad quem sectio bonorum Favonii pertinuerat. Jam autem senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque deciderat, coactus auctionare, cum interrogaretur, cur scriptum quoque Censorium venderet, non infacete, * *bonæ se memoriæ esse perdita.*

4. *Gabba.*) Parasiti Cæsaris fuerunt. *Apicius Gabba* sub Tiberio scurra nobilis fuit.

GRANGÆUS.

SI *te propositi nondum pudet.*) Suscepti consilii si nondum piget, aut pudet.

1. *Eadem est mens.*) quæ prius. *Horat.* epist. I.

Non eadem est ætas, non mens. —

2. *Ut bona summa putes.*) Manifestat propositum. Summum autem Bonum *Cicero* definit, quo referuntur & cujus caussa fiunt omnia.

2. *Aliena vivere quadra.*) Impensis alienis: cui contrarium *vivere quadra propria*; quod inter proverbia retulit *Erasmus.* Quare autem *quadra* pro impensa, *Scaliger* ad Moretum late explicat. *Quadra* enim pro pane, quæ ad victus & impensæ præcipua pars: nam in *quadras* dispertiri solebat panis: unde Romanis dicti *panes quadrati*, ut notat *Athenæus.* Dabant autem *quadram* unicuique. *Horat.* epist. XVII. lib. I. In *Glossis*: *Quadra*, τόπος, corrige τόμος.

3. *Sarmentus.*) De quo *Horat.* in Satyris.

3. *Iniquas Ad mensas.*) *Mensæ iniquæ* sunt, in quibus non eædem epulæ Domino & convivis apponuntur, nec idem vinum datur. *Frodæus* Miscell. lib. IX. cap. I. Aut *mensæ iniquæ*, in quibus non omnes æquales, sed alius alio major, sicque *Virg.* dixit *pugnam iniquam*, scilicet peditis contra equitem.

4. *Vilis Galba.*) Non Imperator, sed sui temporis scurra, de quo *Martial.* lib. I. epig. XLII. & lib. X. epig. CI.

5. *Jurato credere.*) *Cicero* epist. ad Attic. *Jurato mihi crede. Plaut.* Amphit. *Nam injurato, scio, plus credet mihi, quam jurato tibi.*

8. *Nulla*

Ventre nihil novi frugalius: hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo.
Nulla crepido vacat: nusquam pons, & tegetis pars
Dimidia brevior. tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames? quin poscis? honestius illic
Et tremere, & sordes farris mordere canini.
Primo fige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imputat hunc Rex;
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post

VET. SCHOL.

8. *Nulla crepido.*) *Crepido* est ora terræ, quam aqua alluit: ex hoc appellata, quod ibi aqua allidens *concrepitet.*

8. *Et tegetis pars.*) Mattæ sportæ, aut tegetis de sirpo factæ.

10. *Illic.*) in crepidine.

11. *Farris mordere canini.*) Cantabri. Panis sordidus *canum* est.

14. *Imputat hunc rex.*) Quid aliud non imputet, ubi & hoc, quod vile est, imputat?

GRANG.

6. *Ventre nihil novi frugalius.*) *Seneca* epist. XVII. *Facile est pascere paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desiderantes quam impleri. Parvo fames constat, magno fastidium.* & epist. CXIX. *Esurio, edendum est. Utrum heic panis siligineus, ad naturam nihil pertinet: Illa ventrem non delectari vult, sed impleri.* Quare epist. CXIV. *Aspice culinas nostras, & concursantes ad tot ignes coquos nostros, unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus?* &c.

7. *Inani alvo.*) Horat. *inani ventre,* satyr. VI. lib. I.

— Quantum interpellet inani
Ventre diem durare. —

8. *Nulla crepido.* &c.) Quasi diceret, satius esse mendicare, & stipem a transeuntibus erogare, quam parasitari.

8. *Crepido*) in ponte aut vico locus paulo eminentior, separatus ab equorum & curruum via, ut Lutetiæ in ponte novo videre est. Itaque interpreter *Nulla crepido vacat? nusquam pons?* hoc est nulla pontis crepido.

8. *Tegetis pars Dimidia brevior.*) *Teges a tegendo. Nonius.* In iis solent jacere egeni, & tunc temporis *sous un morceau de vieille matte.*

9. *Tantine injuria cœnæ.*) Injuriosa cœna. Sic *Virg. injuria cædis*, pro cæde injuriosa.

10. *Jejuna fames.*) *Ovid.* lib. VIII. Metam.

Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners illic. habitant pallorque, timorque,
Et jejuna fames. —

Eam *Virgil.* vocat *obscœnam, diram, sacram, vesanam, malesuadam.*

10. *Illic.*) in ponte, quam in Regis tui mensa.

11. *Tremere.*) Ut plerunque ficte solent facere, qui stipem mendicant.

11. *Sordes farris mordere canini.*) *Martial.* lib. X. epigr. V.

Pontes per urbis erret exul, & clivos,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas.

12. *Primo fige loco.*) Ipse satyr. IX.

Et tacitus nostras intra te fige querelas.

Seneca epist. CXIII. *Illud adhuc tibi affige, quod paullo ante dicebam.*

12. *Discumbere jussus.*) *Virg.* I. Æn.

Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.

13. *Mercedem solidam capis officiorum.*) Integram, metaphroicws: *solidum* cum *Festo*, quod nulla parte laxatum cavumque est; vulgus Gallorum vocat *massif:* unde ad alia transfertur, quæ plena & integra. Sic Terent. *Solidum beneficium.* Plaut. *solidum infortunium.*

14. *Fructus amicitiæ magnæ, cibus.*) Quemadmodum nostri temporis aulici apud Principes viros, de quibus solemus dicere, *il n'a, que le brout.*

14 *Imputat.*) Infert rationibus suis, ἐλλογίζεται, *Il le met en ligne de conte.* Glossarium: *Imputat,* ἐλλογεῖ. male, qui heic *imputare*, exprobrare existimant.

14. *Rex.*) Patronus, dominus, beatus. de qua re nos alibi.

Si libuit menſeis neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo ceſſaret culcita lecto:
Una ſimus, ait. votorum ſumma: quid ultra
Quæris? habet Trebius, propter quod rumpere ſomnum
Debeat, & ligulas dimittere, ſollicitus, ne
Tota ſalutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo ſe
Frigida circumagunt pigri ſerraca Bootæ.

Qualis

Vet. Schol.

17. *Tertia ne vacuo.*) Apud veteres *accubitorum* uſus non erat, ſed in lectulis *diſcumbentes* manducabant. Tres autem lectuli erant in quibus diſcumbebant: unde hodie *triclinia* appellantur.

19. *Trebius.*) Nomen paraſiti.

20. *Et ligulas.*) Calciarii cum feſtinant; & anſas caligarum prætereunt nonnullas. dictæ autem *ligulæ* a *ligando.*

21. *Peregerit orbem.*) Compleverit numerum cathedrarum.

23. *Serraca.*) Plauſtra ſeptemtrionis, id eſt, *media nocte.* Urſæ duæ vocantur *Elice*, & *Cynoſura*: *Bootes* autem arcturus. quorum ſiderum *Lucanus* quoque ſic meminit:

— *Sub nocte ſopora.*
Parrhaſis obliquos Elice cum verteret axes.

Grang.

16. *Neglectum accire clientem.*) Alii, *adhibere*, fortaſſe melius: verbum enim conviviorum. *Horat.* lib. IV. ode V.

— *Et alteris*
Te menſis adhibet Deum.

Virgil. V. Æneid.

— *Adhibete Penates*
Et patrios epulis. —

Martialis:

Natali, Diodore, tuo conviva Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.

17. *Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto.*) Adhibet te, cum vocati non adſunt, *Il t'admet à faute d'autres.*

17. *Culcitra.*) *Culcitra* dicitur & *culcita*, heic pro lecto; quod in lectis diſcumberent tribus, unde *triclinia.*

18. *Una ſimus, ait.*) Formula convivis uſitata: *Una ſimus.* Notavit *Scalig.* notis ad *Catullum.*

18. *Votorum ſumma.*) Summa, τὸ κεφάλαιον, τὸ σύμπαν. ductum a rationibus.

18. *Quid ultra Quæris.*) *Horat.* II. carm. ode XIIX.

Quid ultra tendis. —

19. *Rumpere ſomnum.*) Sic Virgilius:

Olli ſomnum ingens rupit pavor. —

Martialis:

Si matutinos facile eſt tibi rumpere ſomnos.

Seneca de brevitate vitæ cap. XIV.

21. *Tota turba.*) Pro omnis turba. Sic *Propert.* eleg. ult. lib. IV. *tota caterva.*

21. *Turba ſalutatrix.*) Quam dixit *turbam togatam* ſatyr. I.

21. *Peregerit orbem.*) Confecerit, ſic, peragere *Horatio.* *Orbem* autem *peragere* dicimus *faire le tour.*

22. *Sideribus dubiis.*) An primo crepuſculo? an tempore nimboſo?

22. *Quo tempore &c.*) i. extrema nocte, paulo ante diluculum, non media nocte, ut putat *Lubinus.* *Stat.* III. Thebaid. aperte:

— *Jam nocte ſuprema*
Ante novos orbes, ubi ſola, ſuperſtite plauſtro
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet aſtris.

23. *Sarraca frigida.*) De *ſarraco* vide, quæ diximus ſatyr. III. Heic autem *frigida ſarraca* vocat: vel quia ad Septemtriones, quæ plaga frigidiſſima eſt; vel quod tunc temporis ſalutantes non parum frigeant. *Martialis*:

Horridus ut primo ſemper te mane ſalutem.

23. *Bootæ.*) *Bootes* Græcis, *Boetus* Latinis, de quo *Cic.* de nat. Deor.

Arctophylax, vulgo qui dicitur eſſe Bootes.

De quo *Varro* VI. de ling. Lat.

23. *Pigri.*) Ovidius:

Sive eſt Arctophylax, ſive eſt piger ille Bootes.

Martialis:

— *Nunquid te pigra, Boote,*
Plauſtra vehunt. —

Propertius:

Cur ſerus verſare boves, & plauſtra Bootes.

23. *Circumagunt.*) Nulla ſynalœpha jungitur verbo. *Horat.* I. Serm. ſatyr. IX.

— *Nil*

Qualis cœna tamen? vinum, quod ſuccida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis.
Jurgia proludunt: ſed mox & pocula torques
Saucius, & rubra deterges vulnera mappa.
Inter vos quoties, libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commiſſa lagena:
Ipſe capillato diffuſum Conſule potat,

Calca-

— *Nil opus eſt te,*
Circumagi quendam volo viſere non tibi notum.
Sic *circumeo*, Ovidio. Vide *Priſcian.* lib. II.

VET. SCHOL.

25. *De conviva Corybanta.*) Sic enim vinum malum mentem turbat, quomodo lana tincta mutatur.

27. *Rubra.*) Cruentata.

29. *Pugna Saguntina.*) Civitas Hiſpaniæ, in cujus territorio malum vinum naſcitur.

GRANG.

24. *Vinum, quod ſuccida nolit.* &c.) quod tonſæ ovi ungendæ vix conveniens eſt. Hic enim *ſuccida lana* pro ove, cui lana detonſa recens eſt; nec enim vino abluitur lana, ſed ovis, teſtis *Varro* II. de Re Ruſt. cap. XI. *Tonſas recentes eodem die perungunt vino & oleo, nonnemo admixta cera alba, & adipe ſuillo.*

24. *Succida Lana.*) Unde dicatur *lana ſuccida*, docet *Varro* eodem. *Tonſuræ tempus inter æquinoctium & vernum, cum ſudare inceperunt oves, a quo ſudore recens lana tonſa Succida appellata eſt.* Notandum autem aliquando ab auctoribus ſolummodo reponi *ſuccidas*, aliquando *lana ſuccida*, ut *Plinio* lib. VIII. cap. XLVIII. Vocatur a Gallis *laine ſurge; laine, qui a le ſuin.*

25. *De conviva Corybanta videbis.*) Ex vappa vino etenim excitatur furor: ita ut convivæ ejuſmodi, videantur meri Corybantes, de quibus *Arnob.* VI. adverſ. Gentes: *Sanctum illud myſterium traditur, frater trucidatur a fratribus.* &c. Id dixit Plaut. *facere funus prandio.*

26. *Jurgia proludunt.*) Sic ſatyr. III. dixit *procœmia rixæ* & ſatyr. XV.

— *Sed jurgia prima ſonare*
Incipiunt animis ardentibus, hinc tuba rixæ.

Hæc ex *Virg.* VII. Æneid.

— *Primæ exordia pugnæ.*

Proludere autem proprie Gladiatorum eſt, ante juſtum certamen, unde ad cetera transfertur, & quemadmodum a re declamatoria ad bellicam *procœmia*, & *exordia* transferunt; ſic vice verſa, a re bellica ad declamatoriam *proludere*, & *proluſiones*. *Lucan.* ad Piſones:

Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compoſitiſque ſuas exercet litibus artes.

Videndus *Budæus* annotat. in Pandectas.

26. *Pocula torques.*) Tale quid depingit *Propert.* el. VIII. lib. III.

Dulcis ad heſternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & inſanæ tot maledicta tuæ.
Cum furibunda mero, menſam propellis, & in me
Projicis inſana cymbia plena manu.

Pugnare autem *poculis* in menſa auctoribus frequentiſſimum. *Ovid.* XI. Metam.

— *Et prima pocula pugna*
Miſſa volant. —

qua de re idem *Propert.* lib. II. eleg. VI.

Frangere in adverſum pocula Pirithoum.

Sic filius *Cic.* impegit capiti Agrippæ ſcyphum, referente *Plinio* cap. ult. lib. IV. Sed quam graphice *Heliodorus* Æthiopicorum I. Κρατῆρες ἀνατετραμμένοι, καὶ χειρῶν ἔνιοι τῶν ἐσχηκότων ἀπορρέοντες, τῶν μὲν πινόντων, τῶν δὲ ἀντὶ λίθων κεχρημένων. Τὸ γὰρ αἰφνίδιον τοῦ κακοῦ τὰς χρείας ἐκαινοτόμει, καὶ βέλεσι κεχρῆσθαι τοῖς ἐκπώμασιν ἐδίδασκεν. i. *Pateræ everſæ, & ex manibus eorum, qui eas tenebant, quædam effluentes, partim eorum, qui biberant, partim eorum, qui pro lapidibus illis uſi fuerant. Subitum enim malum, novum uſum afferebat, & jaculorum loco poculis uti docebat.*

29. *Saguntina lagena.*) *Saguntum* in Hiſpania nomen habet a terrenis vaſis, ut docet *Plin.* lib. XXXV. cap. XII. hinc Martiali: *Saguntini calices, & Saguntini figuli.* Saguntum hodie *Mornedro de Catelogne.*

30. *Ipſe*) Rex e contrario

30. *Potat diffuſum.*) Aliud eſt vinum *doliare*, ſive, ut ait Cic. *vinum de dolio*, aliud *diffuſum*: *Doliare* novum & aſperum; at *diffuſum* vetus; quod ita dictum, quia e doliis in amphoras & cados *fuſum* eſt. *Plin.* vidend lib. XIV. cap. XIV. Sic *Horat.* ep. V. lib. I.

Vina bibes iterum tauro diffuſa. —

Ubi

Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant,
Brutorum & Cassi natalibus. Ipse capaces

Helia-

Ubi plura *Lambin* & *Turneb*. lib. I. cap. I. Adverſ:

30. *Capillato Consule.*) Vide, quæ diximus satyr. IV. ad illud *Barbato imponere Regi*. Ceterum ætas vini notabatur Consulum nominibus. *Martial*. lib. VII. epigr. LXXIIX.

Potavi modo Consulare vinum:
Quæris, quam vetus, atque liberale?
Ipso Consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, Consul.

VET. SCHOL.

32. *Cardiaco.*) Cor dolenti.

32. *Cyathum.*) mensuram modicam.

34. *Albanis.*) Vinum de montibus *Albanis*, ita vetus, ut non possit & superscriptione antiquitate deleta cognosci, quanti sit temporis.

36. *Thrasea Elvidiusque.*) *Elvidius Priscus*, post damnationem soceri *Pæti Thraseæ*, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus a Galba, non aliter, quam libero civitatis statu egit. Hic tam industrius fuit, ut eum sub Nerone Achaiam Quæstor administraret, civitates quædam, quas non adierat, inclamarent, AI. HMEIN. ΠΡΕΓΟΝ. * Hic postea Vespasianum ita studio libertatis offendit, ut putaret, id optante avunculo Claudio, pristinum libertatis statum posse revocari: quo nomine reus, ac præter spem absolutus est. Sed *Thrasea*, Nerone in Senatu de nece matris agente, cum quasi parricidium damnans e Curia se proripuisset, etiam ex Urbe discessisset, accusatus crimine majestatis, defendi se noluit, secandasque venas præbuit: conversusque ad Demetrium Cynicum: *Nonne tibi libare videor Jovi liberatori?* ac sic singulis amicis oscula offerens, exanimatus est.

37. *Brutorum & Cassi.*) qui Cæsarem in Senatu occiderunt.

GRANG.

31. *Calcatam.*) Pedibus pressam. *Ovid*. IV. Fast.

Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis.

Tibullus:

Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores.

Sic nos *fouler vendange*.

31. *Tenet uvam.*) Horatius:

Bibes uvam prælo domitam.

31. *Bellis socialibus.*) quæ fuerunt anno ab Urbe condita IↃCLXII. ut docent *Solinus*, *Plutarch*. in Sylla, & *Strabo*. Alii anno IↃCLXIX. ut *Orosius*. De eo vino *Horat*. ode XIV. lib. III.

I, pete unguentum puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli.

Marsum enim *duellum*, bellum sociale est, quod *Marsi* primi defecerint.

32. *Nunquam missurus cyathum.*) Quid *Cyathus*, docet *Budæus* lib. de Asse; ponderat unciam & semis, & paullo plus.

32. *Cardiaco amico.*) Quia, auctore *Celso*, vinum Cardiacis perutile. *Seneca* epist. XV. *Bibere & sudare vita Cardiaci est*. *Plin*. lib. XXIII. cap. I. *Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse certum est.*

33. *Aut de Setinis.*) *Martial*. lib. X. epigr. LXXIV. appellat *delicatam uvam Setini clivi*. Setinum autem hodie *Seza*.

34. *Patriam, titulumque.*) Vide *Brisson*. IIX. de Formul. & *Lambinum* ad *Horat*. ode III. lib. II.

36. *Coronati.*) In veteribus marmoribus convivæ collo, & bracchiis *coronas* gestant. *Propert*. eleg. V. lib. III.

Et caput in verna semper habere rosa.

Tibull. eleg. VII. lib. I.

Et capite, & collo mollia serta gerit.

36. *Thrasea*) *Pætus*. de quo *Tacit*. *Dio*, *Plutarch*. & *Martial*. lib. I. epigr. IX. & lib. I. epigr. XIV.

36. *Helvidius*) Priscus. de quo *Sueton*. in Vespasiano.

37. *Brutorum & Cassi.*) qui libertatem Patriæ vendicaverant.

37. *Natalibus.*) Quibus vocare solebant amicos. *Martial*. lib. VII. epigr. XXCV.

Ad natalitias dapes vocabar.

& lib. X. epig. XXVII.

Natali, Diodore, tuo conviva Senatus
Accubat. —

38. *Helia-*

Heliadum cruſtas, & inæqualeis beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum;
Vel, ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungueiſque obſervet acutos.
Da veniam: præclara illi laudatur iaſpis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte ſolebat
Ponere Zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.
Tu Beneventani ſutoris nomen habentem

Siccabis

VET. SCHOL.

38. *Heliadum cruſtas.*) Beliadum, ut Virgilius:

Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo ſoliti. —

38. *Et inæquales beryllos.*) Phialas ex gemmis factas.

42. *Da veniam.*) id eſt, venia danda eſt, ſi cuſtodiaris, cum acceperis phialam, quoniam gemmæ precioſæ in poculo ſunt, & calices gemmati.

45. *Zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.*) Figura diaſyrtica, ut *Virgilius.*

46. *Tu Beneventani ſutoris.*) Quidam ſutor fuit Benevento, qui grandem naſum habuit.

GRANG.

38. *Cruſtas Heliadum Phialas.*) Continuata ſubſtantiva. i. ex *cruſtis Heliadum* conflatas: *Cruſtæ* autem *Heliadum*, Succina, quæ *Heliadum gemmas* dicit *Martial.* lib. IX. epigr. XIV. Fabula cognita ex *Ovid.* II. Metamorph. cujus falſitatem redarguit *Plin.* cap. II. lib. XXXVII. Cave autem intelligas, phialas eas fuiſſe conflatas ex electro, gemmaque ſive ſuccino, aut ambra; ſed ex electro artificiali, ſeu naturali, quod conflatum eſt ex auro & quinta argenti parte; qua ex materia fuit Helenes calix in Lindo inſula Rhodiorum. lib. XXXIII. cap. IV. videndus *Plin.* De iis autem tribus electri ſpeciebus *Marcellus Donat.* in annot. in *Lampridii* Heliogabalum, animadverſ. IX.

38. *Cruſtas.*) *Servius* ad illud III. Georg.

Concreſcunt ſubitæ currenti flumine cruſtæ.

Cum *cruſtam* dicimus fœm. genere lapidis, aut ligni, aut gelu partem ſignificat. Quum vero *cruſtum* neutro gen. edulium aliquid, partem panis, aut placentæ.

38. *Inæqualeis beryllos.*) Phialas, in quibus inſerti *berylli. Inæquales* autem an numero inæquali? an ſpatio? an quod, ut dicit *Plin.* ſexangula forma poliantur; an quod alii aliis majores? tuum eſt divinare.

39. *Virro.*) Rex, qvi te invitavit.

40. *Datur cuſtos affixus.*) Unde *Martial.* de vaſis fictilibus lib. XIV. epigr. CIX.

Quæ non ſollicitus teneat ſervetque miniſter,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Et lib. XII. epigr. LXXI.

Quid, quod ſecuro potat conviva miniſtro?

41. *Ungues obſerves acutos.*) quos *Sidon. Apollin.* *Sphingarum ungues* appellat; Elegantiæ autem gratia *acuebant ungues* antiqui. *Aldhelmus* de laudibus Virginitatis: *Ungues ritu falconum & accipitrum, ſeu certe ad inſtar Calvanorum acuuntur.* Eradendis autem gemmis acies illa non inutilis.

43. *Gemmas ad pocula transfert A digitis.*) *Martial.* lib. XIV. epig. CIX. cujus lemma: *Gemmati calices.*

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aſpice, quot digitos exuat iſte calix.

Plinius: *Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* *Ovid.* VIII. Metam.

In gemma poſuere merum. —

Propert. eleg V. lib. III. *Virg.* II. Georg. *Cicero* VI. Verrina.

45. *Juvenis*) Æneas. Juvenes autem ab anno XVII. ad XLVI. Ita dicti, quod Rempublicam in re militari *juvare* poſſent.

45. *Prælatus Iarbæ*) a Didone, & merito, ut qui:

— *Longe ante alios pulcerrimus omnes.*

45. *Zelotypo Iarbæ.*) Unde apud *Virg.* IV. Æneid.

Fœmina, quæ noſtris errans in finibus urbem
Exiguam precio poſuit; cui littus arandum,
Cuique loci leges dedimus; connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.

46. *Beneventani.*) qui Beneventi natus. *Beneventum* olim *Maleventum.* *Plin.* lib. III. cap. XI.

46. *Calicem ſutoris*) Vatinii; a quo *Vatinii calices* dicti. Is autem *Vatinius,* Sutor & Neronis adulator. De

Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, & rupto poscentem sulfura vitro,
Si stomachus Domini fervet vinoque, ciboque:
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor

Gætulus

iis *Martial.* epigr. xcvi. lib. xiv.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe, sed nasus longior ille fuit.

Cujus epigr. argutiam non cœpit *Turneb.* Advers. ix. cap. xxiv. cœpit *Lipsius* ad xv. annal. *Taciti*: *Cum quatuor nasos oblongos haberet ille Vatinianus calix, tamen longiorem iis fuisse Vatinii nasum.* Notatque callide eum, ut acrem & sagacem inquisitorem criminatoremque.

VET. SCHOL.

48. *Quassatum & rupto.*) Ut solent in urbe calices fractos, sive caldariolas componere.

48. *Sulfura,*) Quia hoc solent vitrum solidare, id est maltare.

GRANG.

47. *Siccabis calicem.*) *Horat.* II. Serm. satyr. VI.

Siccat inæquales calices conviva. ——

Petronius:

Siccatoque avide poculo. Martialis:

Testa sed antiqui felix siccatur Opimi.

Sic *Virgil.* dixit *siccare ubera.*

47. *Nasorum quatuor.*) In quo calice erant quatuor *nasi*, seu rostra, qualia videre est in aqualibus.

48. *Rupto poscentem sulphura vitro.*) Romæ permutabantur vitra fracta ramentis sulphureis, *a lixes ullubicetes*. *Martial.* lib. x. epigr. III.

Quæ sulphurato non sit emta ramento
Vatiniorum perpetuo fractorum.

Et lib. I. epigr. XLII.

Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis. ——

Statius Sylv. x.

—— *Quique comminutis*
Permutat vitreis gregale sulphur.

quem morem huc usque retinuerunt Hispani, ut docet *Ramires* ad *Martialem*.

50. *Decocta.*) Aqua *decocta*: vel simpliciter *decocta*, *Neronis* inventum. *Plin.* lib. xxxi. cap. III. *Sidon.* in Dicorone. dicitur & simpliciter cocta, ut a-ait

pud *Martialem* lib. II. epigr. xxcv.

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ.

Ubi male *coptæ* non satis recocti Critici. Quis enim sensus, si *coptæ* legerent? frigidissima autem aqua illa *decocta* &, ut ait, *frigidior Geticis pruinis*; aqua enim, post decoctionem magis alget, unde a *Sidon. Apoll.* lib. II. epist. II. *decoctum* pro *frigido* usurpatum. quomodo autem fierent illa *decocta* docet *Plinius*: *Neronis principis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare.* Multa nive includebatur, ut rigore refrigeraretur alieno, ait *Seneca*. Eam appellat Petronius *aquam nivatam*.

50. *Geticis pruinis.*) *Martial.* lib. XI. epigr. IV.

Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis.

Getis frigus acutum: unde *Hyberni Getæ* dicti *Propertio* eleg. III. lib. IV. & *rigidi*, *Horatio* ode XXIV. lib. III.

51. *Non eadem modo vobis poni querebar.*) Id solitum fieri Romæ. *Martialis* docet eo versu:

Prodas perspicuus ne duo vina calix.

Idem epigr. XI. lib. VI.

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.

Non fecit Cato, qui in Hispaniam navigans, non aliud bibit vinum, quam remiges. *Plin.* lib. XIV. cap. XIII.

51. *Poni vina.*) *Martial.* lib. IV. epig. LXXI.

Tu Setina quidem semper, vel Massica ponis.

nam cuique convivarum pocula in mensa ponebantur.

52. *Cursor.*) Servus a pedibus, qui ante rhedas, aut equos currebat. *Martial.* epigr. XXIV. lib. XII.

Non vector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.

Ii a nostris *laquais*, ab Italis *staffieri* vocantur. *Spartianus* in Ælio Vero: *Jam illa levicra, quod cursoribus suis, exemplo Cupidinum, alas frequenter apposuit, eosque ventorum nominibus sæpe vocitatos, Boream alium, alium Nothum, & item Aquilonem, & Circium ceterisque nominibus appellans, & indefesse atque inhumaniter faciens cursitare.*

56. *Flos*

Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.
Flos Asiæ ante ipsum precio majore paratus,
Quam fuit & Tulli census pugnacis, & Anci:
Et, ne te teneam, Romanorum omnia Regum
Frivola. Quod cum ita sit, tu Gætulum Ganymedem
Respice, cum sities. nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. quando ad te pervenit ille?

Quando

VET. SCHOL.

56. *Flos Asiæ.*) Pulcer puer Asianus, caro pretio comparatus.

59. *Gætulum Ganymedem.*) Maurum pincernam.

62. *Digna supercilio.*) Quia pulcer & juvenis, ideo superbit.

GRANG.

54. *Cui nolis occurrere.*) Incuteret enim tibi terrorem ob nigredinem, vel quia Æthiops inauspicatus. *Plutarch.* in Bruto. inde proverbium: *Qui te conspexerit, augurium capere poterit.* *Brodæus* in Miscellan.

55. *Per monumenta Latinæ.*) In via Latina sepulcreta diximus satyr. I.

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

56. *Flos Asiæ.*) Electissimus inter Asiaticos servos. sic *Cic.* dixit Philipp. I. *Flos Italiæ firmamentum Imperii.* & alibi *Flos delibatus populi.* *Virg.* lib. IIX.

— O Mæoniæ delecta juventus
Flos veterum, virtusque virum. —

Apul. *Florem Thessaliæ* dixit, nos *la fleur de toute la France.*

56. *Precio majore paratus.*) *Sueton.* in Julio: *Servitia recentiora politioraque immenso pretio, & cujus ipsum etiam puderet, sic ut rationibus vetaret inferri.*

57. *Tulli census, & Anci.*) Regum Rom. & pauperrimorum.

57. *Tulli*) Hostilii, tertii Rom. Regis.

57. *Pugnacis.*) si ad Numam pacificum respicias. *Florus* lib. I. cap. III. *Hic omnem militarem disciplinam, artemque bellandi condidit.* *Virgil.* VI. Æneid.

— Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet Patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros. —

57. *Anci*) Martii, quarti Regis Rom. Numę nepotis.

58. *Ne te teneam.*) Ne sim longior. *Cic.* in Epistolis, *Non tenebo te de pluribus.* *Virg.* II. Georg.

— Non hic te carmine ficto
Atque per ambages, & longe exorsa tenebo.

& alibi

Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo.

Contra *Horatius* in Satyris:

— Misere cupis, inquit, abire,
Jamdudum video, sed nihil agis, usque tenebo.

58. *Omnia Frivola.*) Nullius precii bona. de *frivolis* dixi ad satyr. III. sic *Apul.* vocat *frivolos pisces.*

59. *Quod cum ita sit.*) Conclusionis formula usitata epistolis. *Cicero*: *Quod cum ita sit, maxime vellem, plurimum* &c.

59. *Gætulum Ganymedem.*) Satyrice vocat *Ganymedem* spurcum, & Æthiopem servum. Notandum tamen beatulos illos servis abusos illis, qui ad cyathos erant. *Martial.* epig. XXII. lib. IX.

Æstuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim.

Et ejusdem lib. epigr. XXVI.

Et praris Domini cum Ganymede tui.

60. *Tot millibus emptus.*) Supra, *precio majore paratus.* &c.

61. *Miscere.*) Pocula implebantur vino ea mensura, qua quisque petebat, & hoc dicebatur *miscere*, quamvis merum esset. *Martial.* lib. XIII. epigr. CIIX.

Misceri debet hoc a Ganymede merum.

61. *Puer.*) Ut apud *Horat.* ode ult. lib. I. vertit *Ronsardus.*, *page.* pueri hi ad cyathos, aliquando absolute dicuntur *ministri.*

61. *Sed forma, sed ætas Digna supercilio.*) Quia *pulcer & juvenis*, ideo superbit, ait *Vetus Scholiastes.* Ego interpretor, Asiaticum illum servum non pauperibus aptum, sed Rege superbo dignum, qui supercilio ipso vinum petit, loqui dedignans. *Apul.* lib. X. Miles. *Sitiensque pocillatore respecto ciliis conniveus bibere flagitarem.* sic & digitorum crepitu matulam petebant a sermone abhorrentes, ut alibi docuimus.

64. *Veteri*

Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, & quod se stante recumbas.
Maxima quæque domus servis est plena superbis.
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent non admittentia morsum.
Sed tener, & niveus, mollique siligine factus
Servatur Domino. dextram cohibere memento.
Salva sit artoptæ reverentia: finge tamen te
Improbulum, superest illic, qui ponere cogat.
Vis tu consuetis audax conviva canistris

Impleri

Vet. Schol.

64. *Veteri parere clienti.*) Jam antiquo, olim noto, amico domini sui.

66. *Servis est plena superbis.*) Ægre hoc semper servi habent, quod, illis stantibus, amici Domini sui discumbunt.

72. *Artoptæ.*) Pistoris; vel vasis, in quo panis coquitur.

Grang.

63. *Calidæ gelidæque minister.*) Aqua *calida* antiquitus ad potum fuit, imo ad delicias: ne te multis teneam, adi *Lips.* Elect. I. cap. IV.

65. *Se stante.*) Ut antea:

Flos Asiæ ante ipsum. —

Martialis lib. III. epig. XXCII. & lib. XII. epigr. LXVII.

Stant pueri, dominos quos precer esse meos.

66. *Maxima quæque domus servis est plena superbis.*) Dignum patella operculum, & ut ait *Euripides*:

Μίτεσι τοῖς δούλοισι δεσποτῶν νόσος.

Servi Dominorum morbis inficiuntur.

67. *Panem vix fractum.*) Non idem vinum, non iidem servi, non eadem aqua, non idem panis. *Martial.* lib. VI. epigr. XI.

Nec melior panis turdusve dabatur Oresti,
Sed par, atque eadem cœna duobus erat.

Plin. lib. XIX. cap. IV. *E frugibus quoque quoddam alimentum sibi excogitasse luxuriam, ac medullam tantum earum, superque pristinarum operibus, & cælaturis vivere, alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona.*

96. *Genuinum agitent.*) Additur aliquando *dens*, ut *genuinus dens*; aliquando *molaris*, ut *genuinus molaris*; aliquando *genuinus* solummodo, ita dictus, quod a *genis* dependeat. *Fest. Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. gigni *genuinos* affirmat circiter XX annum.

70. *Molli siligine factus.*) Siligineus panis, nos *pain de bouche.* *Siligo* nostris *blé blanc, ou blanchete.*

71. *Cohibere memento.*) Cohibeas. *Noster* satyr. VI.

Illius occursus etiam vitare memento.

Horat. epist. VIII. lib. I.

Præceptum auriculis hoc instillare memento.

72. *Salva sit artocopi reverentia.*) De *reverentia* mensæ diximus ad illud satyr. II.

— *Nulla est reverentia mensæ.*

72. *Artocopi.*) Alii legunt *artoptæ.* Quid autem *artocopus*, vel *artopta*, non conveniunt Interpretes. *Vetus Scholiastes*, *Artoptæ*, legit, & accipit pro pistore; vel vase, in quo panis coquitur. *Britannicus* pro pane siligineo. Alii per *artopiam* intelligunt mulierem panificam, qua de re *Plin.* lib. XIIX. cap. XI. & *Turneb.* lib. XIV. Advers. cap. V.

72. *Finge tamen.*) Sic satyr. IX.

Finge tamen gladios inde. —

Gallice, *Imagine toy, pose le cas.* Cicero: *Fingere animo & cogitatione* dixit.

74. *Canistris.*) Continens pro contento pane, qui solet in canistris reponi. *Virg.* I. Æneid.

— *Cereremque canistris*
Expediunt. —

Et VIII. Æneidos:

— *Onerantque canistris*
Dona laboratæ Cereris. —

Hinc a pane *canistra* dicta Gallis *paniers.*

75. Panis-

Impleri, panisque tui novisse colorem?
Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relicta
Conjuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cum grandine vernus
Juppiter, & multo stillaret pænula nimbo!
Adspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla, & quibus undique septa
Asparagis, qua despiciat convivia cauda,
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui

Pallidus

VET. SCHOL.

75. *Panisque tui.*) Qualem mereris manducare.

79. *Et multo stillaret.*) Propterea semper madidus ivisti per pluviam.

81. *Squilla.*) Genus piscis, aut cammari.

83. *Ministri.*) Insertoris.

86. *Venafrano.*) Oleo bono civitatis Venafri.

GRANG.

75. *Impleri.*) Animalium more, quæ non quærunt ea, quæ ad voluptatem, sed ad saturitatem. vide, quæ dixi ad illud: *Ventre nihil novi frugalius.* Sic apud Virg. *Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.*

78. *Grandine sæva.*) *Horatius* eam dicit *grandinem diram.*

78. *Vernus Juppiter.*) Ventus vernus. *Jupiter* pro vento, ut apud *Propert.* lib. IV. eleg VI.

Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis.

79. *Pænula.*) Græcis φαινόλη. quæ quidem non differt a *lacerna*, nisi quod fimbriæ laxiores sint in *pænula*, eam super tunicam induebant, & hyeme utebantur adversus cœli injuriam. *Horatius* epist. XI. lib. I. Epist. Hinc proverbium: *Æstate pænulam deteris.*

80. *Aspice.*) Τὸ *Aspice* est præsentis exempli, quo Satyrographi utuntur frequenter.

80. *Lancem.*) *Lanx*, vas sacrum; quod tamen & ad profanos usus referri scimus. Magnæ admodum lances *Plin.* lib. XXXIII. Figuræ rotundæ *Horat.* Serm. II. satyr. IV.

81. *Squilla.*) Pisciculus e concharum genere, qui vulgo Gallorum appellatur *Cyvade.*

82. *Qua cauda.*) Inter cetera *cauda squillæ* gratissima helluonibus. *Suidas.*

82. *Despiciat convivia.*) i. Convivas. sic satyr. II.

— *Ingens*
Cœna sedet. —

quem locum adi.

84. *Gammarus.*) Species squillæ, quæ vulgo dicitur *cigale de mer.*

84. *Dimidio ovo constrictus.*) Cujus condimentum media parte ovi constrictum, *lie d'un jaune d'œuf.*

85. *Feralis cœna.*) Qualis cœna, quæ sepulcro mortuorum adhiberi solet, quod vocat *Nonius*: *Silicernium.* De diversis in funere cœnis *Theodorus Marcil.* ad *Persii* satyr. VI. *Lips.* VI. annal. *Tacit.* putat *Juvenalem* dixisse *dimidio ovo*, quod *ova* lustrationibus adhiberi solerent, ut alibi dicendi locus.

85. *Patella.*) Vas sacrum, qua Diis offerebantur epulæ. Vide *Theodor. Marcil.* ad illud *Persii*:

— *Cultrixque foci secura patella.*

Sed & usum habuit inter profanas mensas, ut lanx.

85. *Exigua patella.*) Ad majorem diminutionem non tantum *patellam* dicere contentus, nisi addidisset *exiguam*, sollemni poetarum more.

86. *Perfundit piscem.*) Ex *Horatio* II. Serm. satyr. IV.

Quali perfundat pisces securus olivo.

86. *Venafrano.*) Oleo, quod absolute appellat *Venafranum*, ex *Horatio* ode VI. lib. II.

— *Viridique certat*
Baccha Venafro.

quod in *Venafro* oppido ait *Strabo* esse κάλλιστον ἔλαιον. Unde *Martial.* vocat *Venafrum unctum.*

Uncto Corduba lætior Venafro.

Plin. cap. II. lib. XV. *Principatum hoc quoque loco obtinet Italia toto orbe, maxime agro Venafrano, ejus-*

P que

Pallidus adfertur misero tibi caulis, olebit
Laternam: illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romę cum Bocchare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a serpentibus Afros.
Mullus erit Domini, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est,
Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit

Retibus

que parte, quæ Licinianum fundit oleum; unde & Liciniæ gloria præcipua olivæ. Venafrum, vulgo *la Conté de Vanafre.*

VET. SCHOL.

88. *Alveolis.*) Vasis, in quibus manducatis.

89. *Canna Micipsarum.*) Genus navis, quæ *Gandeja* dicitur, ut sit *Gandeja Micipsarum*, id est Afrorum *Gandejam* enim soli Afri, id est, Zamæi, vel, ut alii, Byzacenii, ut alii, Barcæ invenerunt. Significat oleum Tripolitanum.

92. *Corsica.*) Insula in Tyrrheno mari posita.

93. *Tauromenitanæ.*) Oppidum Siciliæ.

94. *Dum gula sævit*) in suburbicario mari.

GRANG.

87. *Pallidus caulis.*) Sic *Martial.* lib. XIII. epig. XVII.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules.

Porro *caulis* dicitur *Festo*, *a præsecando*, quia *præciduntur* a thyrso.

87. *Olebit laternam.*) *Horat.* Serm I. satyr. VI.

— Ungor olivo,

Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

88. *Nostris alveolis.*) Patellis exiguis, vulgo *saucieres.* qua in significatione usus satyr. VII.

Cujus & alveolos. &c.

Alveoli tamen non una est Auctoribus significatio: nam apud *Livium* lib. XXIIX. positi pro vasis in usum nauticum ad aquam servandam, vel ejiciendam. Apud *Cic.* libris de Finib. pro tabula lusoria latrunculorum. Apud *Columellam* lib. VIII. cap. V. pro canistro ligneo; in quo ova reponuntur. *Varro* autem definit *alveolum* excavatam corticem, vel vimineum vasculum, in quo quid propter concavitatem reponitur. Græcis κυψέλη. sic, ubi apes mellificant, *alvei* dicti *Propertio*, Virg. & ceteris; ut & pro navi, ut dicemus ad illud XII.

Cum plenus fluctu medius foret alveus. —

89. *Canna.*) Navigiolum, cymba Africana. sic *Propert.* arundinem pro navi posuit lib. II. el. XXVII.

Jam licet & Stygia sedeat sub arundine remex.

89. *Micipsarum.*) Numidarum, qui a Micipsa Numidiæ Rege Massinissæ filio ita vocati.

90. *Nemo lavatur Romæ.*) In thermis publicis. *Theophrastus* oleo uti in balneis fœtente ac putido inter notas δυσχερείας ponit.

90. *Cum Bocchare.*) cum Numida. *Bocchar* enim Rex Numidiæ.

91. *Tutos facit a serpentibus atris.*) *Atris*, an *Afris* legeris, non magni interest. *Virgil.* I. Georg. *atris* dixit. *Horat.* II. Serm. satyr. ult. dixit *Afris.*

92. *Mullus erit Domini.*) Vide *Martialem* lib. VI. epigr. X. & lib. III. epigr. LX.

92. *Quem misit Corsica.*) *Plin.* lib. IX. cap. XIIX. *Est & hæc natura, ut alii alibi pisces principatum obtineant.* &c. *Corsica* autem Insula in Ligustico mari, quam Græci *Cyrnon* appellavere. *Plin.* lib. III. cap. VI. a nostris hodie *l'Isle de Corse.*

93. *Taurominitanæ rupes.*) Taurominitani Euripi meminit *Plin.* lib. II. cap. XCVII. quem esse in Sicilia confirmat *Solinus.* hodie *le golfe de Taormino*, *ou Tavernera de Sicile*, ubi oppidum & collis uvis fertilis.

93. *Quando omne peractum.*) Non enim recurrent ad mullos Corsicos, si aliqui superessent in mari Tyrrheno, ubi peroptimi. *Plin.* lib. IX. cap. XVIII. *Peractum* autem i. consumtum, nostris, *quand tout est fait.* *Martial.* eo sensu epig. LXXII. lib. V.

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies, Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea, quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse!
Quanto major adhuc nec accubare!

94. *Defecit nostrum mare*) piscibus exhaustum. Sic *Tibullus*: *horrea indeficientia* dixit *inexhausta*, & *perennia*, ut Horat. *Crumenam non deficientem.*

94. *Gula sævit.*) Ardet gula. *Martial.* epig. XVII. lib. III.

Sed

Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia : sumitur illinc
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster
Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, & ipse
Vernula riparum pinguis torrente cloaca,

Et

Sed magis ardebat Sabidi gula. —
Nos *la geule le gaigne.*

VET. SCHOL.

98. *Captator.*) Hæredipeta.
98. *Aurelia.*) Mulier, quæ distrahebat pisces.
100. *Dum se continet Auster.*) Jocatur. id est, non flante Austro.
102. *Lina*) Piscatores.
103. *Cognata colubræ.*) Similis colubræ.
105. *Pinguis*) de sordibus, qui in cloacis nutritus est.

GRANG.

95. *Scrutante.*) Usque ad minutissima piscium perquirente.

96. *Tyrrhenum piscem.*) *Tyrrheni* maris quoslibet pisces. Aliter *Seneca* in Agamemnone, qui delphinem *piscem Tyrrhenum* vocat, ob nautas in delphines mutatos in eo mari, quæ ob id *Ovid.* III. Fast. dixit *Tyrrheno monstra.* *Tyrrhena* autem pars Italiæ dicta à *Tyrrhena* Rege Lydiæ. *Plin.* lib. III. cap. V. postea dicta *Thuscia.* Vulgo hodie, *la mer de Toscane.*

97. *Instruit focum Provincia.*) Unde querimonia *Petronii* :

Ales Phasiacis petita Colchis. &c.

97. *Instruit.*) Sic *Virg.* III. Æneid.

Instruimus mensas. —

Martialis:

Cœna dapibus instructa. —

Cic. I. Verrina, *instruere & parare convivium* dixit.

98. *Captator Lenas.*) Hæreditatis. De *Captatoribus* satyr. XII.

100 *Gurgite de Siculo.*) De mari Siculo. De *Murænis* autem maris Siculi *Martial.* lib. XIII. epigr. VIII.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo.

100. *Auster Dum sedet.*) Dum quietus est nec flat. Galli *le vent est rassis.* Contra, surgunt venti. *Virg.* I. Georg.

Continuo ventis surgentibus. —

Et lib. V. Æneid.

— *Et vespere ab alto*
Consurgunt venti. —

101. *Siccat madidas pennas.*) *Alas* tribui *ventis* cui ignotum? propterea a Græcis *pennati venti* dicuntur. Sed quam bene Austro *madidas* tribuit: Dicitur enim *Auster* ab *hauriendis* aquis, sine aspiratione tamen, ut & *auris* eadem originatione.

101. *In carcere*) Æolio, ut ait ipse *Juvenal.* satyr. X.

— *Æolio nunquam hoc in carcere passos.*

Ovidius:

— *Hippotadem cohibentem carcere ventos.*

Virg. I. Æneidos, vers. 55. & seqq. videatur.

102. *Lina temeraria.*) *Temerarii lini magistri*, sic supra, *macellum*, pro macellario sive piscatore.

103. *Anguilla cognata colubræ.*) Alludit ad etymologiam. Nam ut ait *Isidor.* *Anguillæ* similitudo *anguis* dedit nomen. Unde *Ptolom. Flavius*, per cognitam interpretatur similem. Alii autem putant, id dictum, quod murænæ & anguillæ cum serpentibus commisceantur. *Colubra* sic dicta, quod *colat umbras*, vel quod *lubrica* sit, & facile *labatur.*

104. *Tiberinus.*) Lupus. *Horat.* II. Serm. satyr. II.

— *Lupus est hic Tiberinus an alto*
Captus hiet. —

Vide *Plin.* lib. IX. cap. LIV. *Lupus* autem nostris dicitur *loupasson ou lubin.*

105. *Torrente cloaca.*) De *cloacis* urbis Romæ Vide *Lips.* lib III. de magnitud. Rom. cap. XII.

Et ſolitus mediæ cryptam penetrare Suburæ.
Ipſi pauca velim, facilem ſi præbeat aurem:
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piſo bonus, quæ Cotta ſolebat
Largiri: namque & titulis, & faſcibus olim
Major habebatur donandi gloria: ſolum
Poſcimus, ut cœnes civiliter. hoc face, & eſto,
Eſto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anſeris ante ipſum magni jecur, anſeribus par

Alti-

VET. SCHOL.

109. *A Seneca.*) Hic ſub Claudio, quaſi conſcius adulteriorum Juliæ Germanici filiæ, in Corſicam relegatus, poſt triennium revocatus eſt: Qui etſi magno deſiderio Athenas tenderet; ab Agrippina tamen erudiendo Neroni in palatium adductus, ſævum immanemque natum & ſenſit cito, & mitigavit; inter familiares ſolitus dicere: *Non fore ſævo illi leoni, quin, guſtato ſemel hominis cruore, ingenita redeat ſævitia.* Huic poſtremo, quod habitus eſſet inter conſcios conjurationis Piſonianæ, Nero per Tribunum ultimam neceſſitatem denunciavit. Heic interritus amicorum animos, quibus jam ejus caſus lacrimas exciverat, ad firmitudinem revocavit, rogitans: *Ubi præcepta Sapientiæ; ubi tot per annos meditata ratio adverſus imminentia? cui præterea ignota fuerit Neronis ſævitia? neque aliud ſupereſſe poſt matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris præceptoriſque necem adjiceret.* Deinde ſibi venas præſecans, cruruimque venas abrumpens, & durante tractu lentitudineque mortis, hauſto veneno, & poſtremo calidæ aquæ ſtagnum introiens, exanimatus eſt.

109. *Quæ Piſo bonus.*) *Piſo Calpurnius*, antiqua familia, ſcenico habitu tragœdias actitavit: in latrunculatorum luſu tam perfectus & callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob hæc inſinuatus C. Cæſari, repente etiam relegatus eſt, quod conſuetudinem priſtinæ uxoris abductæ ſibi ab ipſo, deinde remiſſæ, repetiſſe exiſtimabatur. Mox ſub Claudio reſtitutus, & poſt Conſulatum materna hereditate ditatus, magnificentiſſimus vixit, metius ſublevare inopes ex utroque ordine ſolitus: de plebe autem certos quotannis ad equeſtrem cenſum dignitatemque provehere.

112. *Ut cœnes civiliter*) ſine injuria clientum.

113. *Pauper amicis.*) id eſt avarus.

GRANG.

107. *Ipſi pauca velim.*) Terentius: *Paucis te volo.*

107. *Facilem ſi præbeat aurem.*) Benigne ac libenter audiat. *Horat.* Serm. ſatyr. I.

Tam facilem poſthac votis ut præbeat aurem.

Propertius:

Ah nimium faciles aurem præbere puellæ!

Cic. *aures dare alicui* dixit & pro Archia *aures ſuas poetis dedere.*

109. *Piſo bonus.*) Liberalis. Vide *Martial.* lib. XII epigr. XXXV.

110. *Titulis.*) Nobilitati: *tituli* enim imaginum ſunt; nobilitas ex imaginibus; & in *titulis* honores & merita.

110. *Faſcibus.*) Μετωνυμικῶς. i. magiſtratibus. *Propert.* eleg. XVI. lib. II.

Cynthia non ſequitur faſces, nec curat honores.

Horat. epiſt. XVI. lib. I. Epiſt.

——— *Ut ſi*
Detulerit faſces indigno. —

Sic & *ſecuris*, pro ipſo *magiſtratu* ab ipſo *Horatio* in odis.

111. *Donandi gloria.*) Gratia enim ſequitur eum, qui dat, non eum, qui capit. *Ariſt.* IV. Ethic.

112. *Cœnes civiliter.*) *Cœnare civiliter* eſt, cum idem omnes cœnant, quod fecit *Julius Cæſar. Sueton.* in Ejus vita.

112. *Hoc face.*) Ex veteri formula, *hoc age*, de qua *Briſſon.* I. de Formul. *Face* autem pro *fac*, Comicorum more.

114. *Anſeris ante ipſum magni jecur.*) *Marſilius Cagnatus* cap. XIV. lib. II. Variar. Obſervat. *Anſeris*, Suis, & Mulli jecur antiquis in deliciis fuiſſe aſſeverat. At, ut omittamus ſuis & mulli jecinora; multa habemus, quæ *jecur anſerinum* in deliciis fuiſſe probant; legendus *Plin.* lib. X. cap. XXII. *Horat.* II. Serm. ſatyr. VIII. *Perſius* ſatyr. I. *Martial.* lib. XIII. epig. LVIII. *Magni* autem *Anſeris*, idem *Martialis*:

Aſpice, quam tumeat magno jecur anſere majus.

115. *Altilis*

Altilis, & flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, & facient optata tonitrua cœnas
Majores: Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & cheironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

115 Du-

VET. SCHOL.

115. *Altilis & flavi.*) Pasta, vel apruna.

115. *Meleagri.*) Propter Calydonium aprum, quem irata Diana, quod contemta esset ab Oeneo in sacrificiis, agris suis immiserat, quem Meleager filius occidit.

117. *Et facient optata.*) Quia tubera tonitruis dicuntur nasci, ut cochleæ.

118. *Alledius.*) Gulosus.

121. *Chironomonta volanti Cultello.*) Manus ducentem, & artificio incidentem omnia.

GRANG.

115. *Altilis.*) Gallina. *Martial.* lib. XIII. epigr. LXII.

Pascitur & dulci facilis Gallina farina,
Pascitur & tenebris; ingeniosa gula est.

Altile autem est, quod eo consilio *alitur*, ut saginetur, & saginatum edatur.

115. *Ferro Meleagri.*) De apro Meleagri *Ovid.* VIII. Metam. fabula IV.

115. *Meleagri flavi.*) Pulcri. *Horat.* sic dixit *Ganymedem flavum* ode IV. lib. IV. & *flavam Chloen.* ode IX. lib. III.

116. *Fumat aper.*) Martialis:

Spumeus in longa cuspide fumet aper.

116. *Raduntur tubera.*) Vide *Calderinum* Observat. III. cap. VI. *Tubera* vulgo *truffles.* Isidor. *Tubera, tumor terræ prodit, eaque caussa nomen ei dedit.*

116. *Si ver Tunc erit. &c.*) *Tonitru* enim nascuntur, & verno tempore tenerrima sunt. *Plin.* lib. XIX. cap. III.

118. *Tibi habe.*) Martialis:

Quæ tua sunt, tibi habe; quæ mea, redde mihi.

Et lib. II. epig. XLVIII.

Hæc præsta mihi, Rufe, vel Titontis
Et thermas tibi habe Neronianas.

118. *Tibi habe frumentum.*) Magna in Libye frumenti copia; hinc *Libycæ messes*, *Horat.* ode I. lib. I.

119. *Disjunge boves.*) *Horat.* ode VI. lib. III.

Deme juga fatigatis bobus.

119. *Dum tubera mittas.*) *Tubera* enim *Africanæ* præstantissima, quæ ab incolis appellantur *Misy*, a nostris *truffles de Barbarie.*

120. *Structorem.*) *Structor* est ille, qui fercula mensis commode disponit & collocat. *Petron. Proprium convenientemque materiæ Structor imposuerat cibum.* Hinc *struere* verbum mensis accommodatissimum, ut dicebamus: *struit* enim coquus convivium, ut Imperator aciem. *Catullus:*

— *Multiplici constructæ sunt dape mensæ.*

Unde *Plaut.* *struices* appellat *patinarias* fœminas, quæ ordine disponerent fercula. *Lips.* putat *Structores* *Apulejo* dici *diribitores.* eos vocat Athenæus τραπεζοκόμους, quasi dicas *mensæ curatores.* Cave igitur eundem *Cheironomonta*, & *structorem* existimare, aliquando tamen *Structor* carptoris officio fungebatur. Unde confuse pro *Carptore* seu *Carpo*, ut apud *Martialem:*

Et quæ non egeant ferro structoris Ofellæ.

121. *Cheironomonta.*) *Salisberiensis* Policratic. lib. I. cap. IV. *Suum habet opificem chironomonta volanti cultello. Chironomontes* a theatro ad mensas evocati, ubi ad symphoniam aves & reliqua obsonia gladio scissorio dividebant. *Scissores* dicti *Petronio. Senecæ: Scindendi obsonii magistri. Juvenali*, & *Petronio* etiam *Carpi & carptores.*

122. *Dictata magistri.*) Erant enim culinariæ artis doctores, qui modum secandi cibos edocebant. *Seneca* epist. XLVII. *Infelix, qui huic rei vivit, ut altilia decenter secet.*

122. Tan-

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat Regi, bibe? PLURIMA sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna.
Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis DIs
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio. pone ad Trebium. Vis frater ab ipsis
Ilibus? o nummi, vobis hunc præstat honorem,

Vos

VET. SCHOL.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) Alii sic intelligunt, tanquam *fur* sis, ut pro tribus literis, *tria nomina* posuerit. Sed melius sic, tanquam nobilis sis, ut habeas tria pronomina, ut *Gajus Cornelius Scipio*, & si quid simile.

127. *Quando propinat.*) Dat calicem, in quo ipse bibit.

131. *Pertusa dicere læna.*) Paupere panno.

132. *Quadringenta*) Sestertia dederit scilicet.

133. *Quantus amicus.*) Unianimis amicus statim fies, si pecuniam habueris.

135. *Da Trebio.*) Cujuslibet nomen.

GRANG.

125. *Duceris planta.*) Tangit illud VIII. Æneid.

— *Pedibusque informe cadaver*
Protrahitur: —

Unde proverbium *Pedibus trahere. Erasm.* Chil. II. cent. I. proverb. XVIII.

125. *Ictus*) clava. *Propert.* eleg. X. lib. IV.

Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus. —

Livius lib. I. *Ictus clava fidem pastorum nequicquam invocans occumbit. Dionys.* lib. I. Ἡρακλῆς αὐτὸν τῷ ῥοπάλῳ κτείνει.

127. *Hiscere.*) Est *hiare*, nec loqui posse, ait *Serv.* III. Æneid. ad illud:

— *Raris turbatus vocibus hisco.*

Nos, *si tu pense seulement baailler.*

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) Tanquam esses aliquis ex magnatibus. cui interpretationi non favet *Politian.* Miscell. cap. XXXI. aliamque commentus *Flavius* Conjectan. cap. LXVI.

127 *Quando propinat Virro tibi.*) Mos antiquis *propinandi* sibi invicem. Illud autem intererat inter Græcos & Latinos; quod Græci pateram solum offerebant, & nominabant, cui poculum essent tradituri: Latini vinum infusum propinabant: hinc, pro *tradere*, Propinare usurpatum Auctoribus.

130. *Bibe.*) Vox convivis usitata. unde proverbium: *Bibe, aut abi.* aliquando in plurali: *bibamus, seu mavis, vivamus.*

131. *Pertusa læna.*) Vide proverb. *Lacer pannus.* & aliud: *Vestis virum facit.* nimirum:

Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί.

133. *Quantus ex nihilo.*) Illud enim verum est vetus dictum:

Habebo amicos, si habeo pecuniam.

135. *Da Trebio. pone ad trebium.*) Supple, *poculum.* Sic *Horat.* ode XIX. lib. III.

— *Da Lunæ propere novæ:*
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murænæ. —

Martialis conjunxit lib. XI. epig. XXVII.

Pocula da labris facta minora tuis.

135. *Pone*) in calicem vinum. supra:

Non eadem poni vobis modo vina querebar.

Sic nos in fervore cœnæ: *verse, baille, donnés à Monsieur tel.*

135. *Frater.*) Sese vocitabant *fratres. Martial.* lib. V. epig. LXV. scio & *fratris* nomen inter amasios fuisse nequitiæ verbum, ut eleganter *Lips.* lib. II. Varior. cap. II. & *Douza* ad *Arbitrum* Præcidan. I. cap. V.

136. *Nummi, Vos estis fratres.*) Non homini, sed divitiis blandiuntur.

138. *Nullus*

Vos estis fratres. Dominus tamen, & Domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo:
Jucundum, & carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, & pueros treis
In gremium patris fundat simul; ipse loquaci
Gaudebit nido: viridem thoraca jubebit
Auferri, minimasque nuces, assemque rogatum,
Ac mensam, quoties parasitus venerit infans.
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus Domino: sed qualeis Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.

Virro

VET. SCHOL.

138. *Nullus tibi parvulus aula.*) *Virgilium* ridet.

141. *Sed tua nunc Mygale.*) nomen mulieris, ex ipsa coitione.

143. *Gaudebit nido.*) id est puerorum.

143. *Viridem thoraca.*) Armilausiam prasinam, purpuram, aut similem.

146. *Ancipites fungi.*) Mortiferi, venenosi.

147. *Claudius edit.*) De Claudio Nerone dicit, quia fungo, Uxore sua faciente mortuus est.

GRANG.

137. *Domini rex.*) *Reges* enim & habebant supra se majores reges. *Martial.* lib. II. Epigr. XVIII.

Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

138. *Nullus tibi parvulus aula. &c.*) Sis orbus. Imitatus *Virgilium* IV. Æneid.

139. *Nec filia dulcior illo.*) Filio acceptior. Parentibus enim alii aliis magis placent, & plerisque magis *filiæ* arrident.

139. *Dulcior.*) Liberi *dulces* appellantur. *Virg.* IV. Æneid.

Nec dulces natos. —

Cic. ad Quirites post reditum: *Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi?*

140. *Jucundum amicum facit sterilis uxor.*) Unde *Martiali* jocus lib. X. epig. XIIX.

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere, sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet amicum:
Heu quam perfatuæ sunt tibi Roma togæ!

141. *Pueros fundat.*) Sic Cic. *fundere fœtum.* unde Juvenali: *effundere offas.*

142. *Loquaci nido.*) Loquacibus pueris. *Nidus* pro ipsis avibus frequenter. *Propert.* eleg. V. lib. IV.

Et volucris nidis esse noverca suis.

Et *Virg.* IV. Georg.

— *Ipsasque volantes* —
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.

Nonius: *Nidi, non solum domicilia avium, sed etiam fœtus earum.*

143. *Thoraca.*) *Thorax* proprie dicitur anterior pars a collo usque ad stomachum, appellamus vernacule *le coffre du corps.* Est & *thorax* genus armaturæ, qui a Virg. *thorax aheneus*, a Plinio *ferreus*, a Martiali *crudus*. Sed & est *thorax laneus*, aut sericus, ut heic.

144. *Minimas nuces.*) Avellanas, *des noisettes. Avellanæ* autem olim *Abellinæ* ab urbe *Abella*, *Plin.* lib. XV. cap. XXII.

146. *Ancipites fungi.*) *Plin.* de *fungis* verba faciens lib. XXII. cap. XXIII. subjungit: *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi.*

147. *Boletus Domino.*) *Martial.* lib. III. Epigr. LX.

Sunt tibi boleti, fungos ego sumo suillos.

147. *Claudius edit.*) Martialis:

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Vide *Sueton.* in Claudio.

148. *Ante illum uxoris.*) Antequam manducaret illum boletum, quem dedit Agrippina uxor veneno infectum. Idem noster satyr. VI. *Plin.* lib. XXII. cap. XXII.

148. *Post quem nil amplius edit.*) Exstinctus enim veneni vi intus inclusi: quare irridens Nero *boletos* vocabat βρῶμα θεῶν. Nec aliunde jocus est *Senecæ*, cujus inscriptio ἀποκολοκύντωσις. Ut docet *Hadrianus Junius* Animadversorum lib. VI. cap. XVII.

151. *Qualia*

Virro sibi, & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore:
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris:
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma & galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.
Forsitan impensæ Virronem parcere credas:
Hoc agit, ut doleas. nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? ergo omnia fiunt,

VET. SCHOL.

151. *Qualia perpetuus.*) Ridet de *Homero*.

152. *Sororibus Afris.*) De Hesperidis dicit.

154. *Metuensque flagelli.*) Qualem simia manducat.

154. *Qui tegitur parma.*) Tiro.

155. *Discit ab hirsuta.*) A suo magistro. *Capella*, campidoctore.

GRANG.

149. *Reliquis Virronibus.*) *Virrones* appellat convictores & congerrones *Virronis*, sive reges alios Virroni similes. Sic *Catull.* vocat *prætores*, convictores prætoris. docuit *Joseph. Scal.* notis ad *Catull.*

151. *Phæacum autumnus.*) *Phæacia* eadem est Corcyræ insulæ, hodie *Corfu*. Ea Alcinoi hortis nobilitata. Unde *Stat.* I. *Sylv.* in Tiburtino Manlii:

Quid bifera Alcinoi laudem pomaria. —

Virgil II. Georg.

Pomaque, & Alcinoi Sylvæ. —

Tertull. de Pallio: *Consitum, & amænum super Alcinoi pometum, & Midæ rosetum.*

152. *Surrepta sororibus Afris.*) Ab aliquo Hercule. Porro *sorores Afræ* Hesperides sunt, quod Hesperidum horti in Africa, quæ & *Pleiades* & *Atlantiades* dictæ. nonnulli tres statuunt, alii quatuor.

153. *Scabie mali.*) Scabioso malo.

153. *Quod*) malum.

154. *Qui tegitur parma & galea.*) Locus non parum obscurus diversitate interpretationum obscurior redditus. Lege *Calderinum*, *Vallam*, *Mancinellum*, *Ascensium*, *Britannicum*, *Autumnum*, *Lubinum*, *Robertum Titium*, *Villiomarum*; seu mavis *Scaligerum*, *Brodæum*, *Lipsium*, quorum ne unus quidem scopum attigit: Vetus Scholiastes *Pithoei* J. C. clarissimi probe novit, nullus tamen respexit præter *Stephanum Claverium*. Periphrasis igitur est *Simii*, in cujus capite erat *galea*, in manu *parma*, tanquam alicujus levis armaturæ militis, quem aliquis histrio arcum tendere & jaculum torquere edocebat, quapropter in manu flagellum tenebat; quo illum, si quando aberraret a præceptis, severe castigaret, quare subjungit

154. *Metuens flagelli.*) Simius verberationis metuens.

155. *Ab hirsuta capella*) Voluit *Claverius* Simium ipsum capræ insidentem; nec potuit id intelligere de *campidoctore* cum *Scaligero*, quod mutandum foret genus, & *hirsuto Capella* legendum, ut olim correxit *Scalig.* quoniam contra dicunt exemplaria. Ego contra intelligo per *capellam*, *Campidoctorem*, sive quemcunque alium histrionem hispidum Simiarum eruditorem per convitium *Capellam* appellatum, quod ejusmodi homines hirsuti, *caprarum* instar, esse solerent. Unde *Persius*:

Hic aliquis de gente hircosa Centurionum.

At ne commentum novum existimes, scias ita populum Rom. solitum fuisse appellare *hircosos homines*; habes exemplum apud *Sueton.* in Caligula: *Statura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis, & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata, & torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cetera: quare transeunte eo prospicere ex superiore parte; aut omnino quacunque de causa CAPRAM nominare criminosum, & exitiale habebatur.*

156. *Impensæ parcere.*) Ut Cic. *parcere sumtui* epist. VI. lib. XVI. ad Famil. *Sumtui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit.*

157. *Nam quæ comœdia.*) Inter cœnandum antiqui histriones, & mimos habebant, qui convivis oblectamento essent: at nulla comœdia repræsentari, nullus mimus exhiberi potest melior ad risum, quam plorans gula.

Si nescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari.
Tu tibi liber homo, & Regis conviva videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ:
Nec male conjectat. Quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro?
Spes bene cœnandi vos decipit. Ecce dabit jam
Semesum leporem, atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis. inde parato,
Intactoque omnes & stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. omnia ferre
Si potes, & debes; pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis, & tali dignus amico.

CRedo

VET. SCHOL.

164. *Bis ferat.*) Ut denuo ad domum ipsius redeat.

164. *Puero si contigit aurum.*) Antiquitus nobilium pueri *bullas aureas* habebant: pauperum de *loris*: signum libertatis.

165. *Signum de paupere loro.*) id est, corrigiam Parthicam, unde solet *bulla* pendere; signum ingenuitatis.

171. *Pulsandum vertice raso.*) Etiam capite raso, alapas accipies.

GRANG.

159. *Effundere bilem per lacrymas.*) Ovidius:

Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

161. *Tu tibi liber homo, & Regis conviva videris.*) Quæ duo sunt prorsus adversa. *Martial.* lib. II. Epigr. LIII.

Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis:
Sed fieri si vis, hac ratione potes:
Liber eris, cœnare foris si, Maxime, non vis.

& epigr. II. lib. IX.

Cœnes, Canthare, cum foris libenter,
Clamas & maledicis & minaris.
Deponas animos truces monemus:
Liber non potes, & gulosus esse.

162. *Captum te putat nidore culinæ.*) *Martial.* lib. V. epigr. XLVI.

— *Captus es unctiore cœna,*
Et major rapuit canem culina
Jam te. —

163. *Quis enim tam nudus* &c.) Quis adeo egenus, qui modo nativitate ingenuus, vel saltem libertinus Virronem velit tolerare?

163. *Tam nudus.*) *Horat.* lib. II. Serm. satyr. V.

— *Vides ut*
Nudus inopsque domum redeam. —

Et ode XVII. lib. III.

— *Nihil cupientium*
Nudus castra peto. —

164. *Aurum Hetruscum.*) Bulla aurea, quam *Hetruscam* vocat, quod ab Hetruscis, postea quam a Tullio Hostilio debellati, mos invaluerit, ut puerulí ingenuæ conditionis *bullam* collo ferrent *auream*, quam appellat *Statius*: *Nobile pectoris aurum.*

165. *Nudos de paupere loro.*) Bulla scortea, quam libertini ferebant. *Plutarch.* in Romulo. *Macrob.* lib. I. Saturn. cap. VI. *Asconius* III. Verrina.

171. *Pulsandum vertice raso.*) Tonsis capillis servili ritu servus futurus. *Tonsi* enim olim ut plurimum servi. *Brodæus* IX. Miscell. cap. I.

Q D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRARUM LIBER SECUNDUS.

SATYRA VI.

SEXTA HÆC INFIDAS MULIERES MONSTRAT ABUNDE.

SYNOPSIS. Dialogismus Poetæ, & Lucii Fursedii Posthumi, quo dehortatur Posthumum a ducenda uxore; cum mors, quantumvis ignominiosa, matrimonio præferenda sit, ob mulierum libidinem, superbiam, procacitatem, prodigalitatem, temulentiam, crudelitatem, superstitionem, & cetera id genus vitia, quæ tanquam in tabula Apellæa ab ingenioso Poeta repræsentantur.

CRedo pudicitiam Saturno Rege moratam
In terris, visamque diu: cum frigida parvas
Præberet spelunca domos; ignemque, Laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra:
Silvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondi-

GRANGÆUS.

C*Redo puditiam.*) Credo, plerumque de re incerta: unde *Virg.* addit, *nec vana fides*, IV. Æneid.

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

non enim omnes conveniunt in eo, ut *Pudicitia* aureo seculo integra remanserit: quamvis etenim *Ovidius* cum *nostro Poeta* consentiat epist. Phædræ Hyppolito:

Nec, quia privigno videar coitura noverca,
Terruerint animos nomina vana Deum:
Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.

dissentit *Propert.* eleg. XXXII. lib. II.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu;
Quam facere, ut nostræ nolint peccare puellæ,
Is mos Saturno regna tenente fuit.

1. *Saturno rege.*) *Tibull.* eleg. III. lib. I.

Quam bene Saturno vivebant Rege. —

Ovid. I. Fast. dixit: *Saturno regnante.* Supra *Propert.* & *Ovid.* *Saturno regna tenente.*

1. *Moratam in terris.*) Versatam fuisse inter homines. *Propert.* eleg. II. lib. II.

Cur hæc in terris facies humana moratur?

Cic. VI. de Repub. *Quid moror in terris? quin ad vos venire propero?* *Horat.* ode XX. lib. II.

— *Neque in terris morabor Amplius.* —

2. *Cum frigida parvas Præberet spelunca domos.*) *Ovid.* I. Metam.

Tum primum subiere domos, domus antra fuerunt.

Plinius lib. VII. cap. LVI. *Antra & specus erant pro domibus.*

3. *Ignemque, Laremque Et pecus, & dominos.*) *Festus* in *Caulæ.* Antiquis ante usum tectorum oves in antris claudebantur; neque tantum oves, sed & reliqua pecora; ut liquet ex historia Caci; & ipsi homines: *Hesiodi Interp.* lib. I. ubi de antiquis seculis, Λοιπὸν τὴν ἀνάγκην σχόντες διδάσκαλον, τὰ κοῖλα τῶν δένδρων, καὶ σχισμὰς πετρῶν, καὶ σπήλαια ὑπεδύοντο.

4. *Communi clauderet umbra.*) Abusive, *clauderet. Claudere* enim est *clavi dare.* Nonius. *communi umbra.* i. communi tecto. *umbra* pro tecto: ut *Catullo*, & *Ovid.* pro ramo.

5. *Montana uxor.*) In montibus cavernosis habitans.

5. *Sterneret torum sylvestrem.*) *Sternere* est ornare, parare lectum, vulgo, *faire le lict.* Catullus:

Purpureave suum consternens veste cubile.

Inde *strata*, pro lectis.

6. *Fron-*

Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus : haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos :
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc Orbe novo, cœloque recenti
Vivebant homines : qui rupto robore nati,

GRANG.

6. *Frondibus & culmo.*) Unde *stramentum* Plinio, a *stramine* scilicet ; & *torus* a *tortis* herbis. *Nonius* in *Toral.* Ut *lecti* a *collectis* herbis ad cubitandum. *Festus.*

6. *Vicinarumque ferarum Pellibus.*) *Pellibus* utebantur antiqui ante usum vestium. *Propert.* eleg. XIII. lib. III.

Atque inuli pellis totos operibat amantes.

Cui rei tamen videtur adversari *Lucret.* lib. V.

Nec dum res igni scibant tractare, nec uti,
Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum.

Sed *Ovid.* nostrum confirmat II. Metam.

Illud erat tempus, qua te pastoria pellis
Texit. —

7. *Cynthia*) *Propertii* Amasia, quæ, ut notat *Apul.* I. Apol. vocabatur *Hostia.* *Passerat.* tamen dubitat num *Hostilia* in *Apulejo* legendum sit.

7. *Nec tibi cujus.*) *Lesbiam Catulli* intelligit, quam *Claudiam* nominari idem docet *Apul.* Dissimulis autem *montana* uxor Lesbiæ. *Propert.* lib. II. eleg. XXXII.

Si contra mores una puella facit,
Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.

Pudica uxor *montana*, impudica *Lesbia.*

8. *Turbavit nitidos ocellos.*) Dum fleret illius mortem. idem *Catullus* :

Tua nunc opera (passeris) *meæ puellæ*
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Martial. epigr. XIII. lib. VII.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ,
Amisit lusus, deliciasque suas.
Non quales teneri ploravit amica Catulli,
Lesbia, nequitiis passeris orba sui.

8. *Turbavit nitidos.*) Metaphora pulcre ducta ab aere caliginoso, & tempore nubilo, cum horrida tempestas cœlum contraxit. Sic *Virg.* VIII. Æneid.

Tum primum nostri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis. —

Unde *συνηφῦν ὄμματα* Græcis : quod notavit doctissime doctiss. *Fed. Morellus*, meique amantissimus: in Eclogam *Statii* ad Claudiam uxorem.

8. *Exstinctus passer.*) *Exstinctus*, mortuus *Horatius:*

— *Exstinctus amabitur idem.*

Catull. de eo passere :

Passer mortuus est meæ puellæ.

9. *Potanda ubera.*) non sugenda tantum.

9. *Infantibus magnis*) adultis, non enim tam cito arcebantur a mammis.

10. *Glandem ructante marito.*) Primi enim homines vescebantur glande. *Plin.* proœmio lib. XVI. & lib. VII. cap. LVII. *Virgil.* I. Georg. & *Servius* ad illud :

Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

11. *Aliter tunc Orbe novo vivebant.*) *Tibullus* eleg. III. lib. I.

Quam bene Saturno vivebant Rege. —

Ovidius :

Aurea prima sata est, quæ, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.

12. *Qui rupto robore nati.*) Antiquitas credidit primos homines natos fuisse ex *arboribus.* *Serv.* ad illud VIII. Æneid.

Gensque virum truncis & duro robore nata.

Hoc figmentum ortum ex habitatione hominum antiqua, qui ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut speluncis manebant ; qui, cum exinde egrederentur, ut suam educerent sobolem, dicti sunt inde procreati. *Stat.* III. Theb.

— *Scopulisque satæ vel robore gentis.*

Ovid. epist. Didus Æneæ. *Hesiodus* tamen non ex *robore*, sed ἐκ μελιῶν i. ex *fraxinis* ; cui consentiens *Statius* :

— *Populos umbrosa creavit*
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.

12. *Rupto robore.*) Melius, quam *duro*, ut exprimeret *roboris* partum. *Ovid.* X. Metam. de Myrrha arbore patiente Adonim :

Arbor agit rimas, & scisso cortice vivum
Reddit onus. —

Scisso, ut heic, *rupto.*

Compositive luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua exstiterint, & sub Jove; sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus, & pomis; sed aperto viveret horto.
Paullatim deinde ad Superos Astræa recessit,
Hac comite atque duæ pariter fugere sorores.
Antiquum & vetus est alienum, Posthume, lectum
Concutere, atque sacri Genium contemnere fulcri.
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas.

Viderunt

Vet. Schol.

20. *Duæ pariter fugere sorores.*) Fides & Pudicitia.
22. *Fulcri.*) Lecti jugalis.

Grang.

13. *Compositi luto.*) Idem *Juvenalis* satyr. XIV.

Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Martial. epigr. XXXIX. lib. X.

Ficta Prometheo diceris esse luto.

Apollodorus lib. I. Προμηθεὺς δὲ ἐξ ὕδατος καὶ γῆς ἀνθρώπους πλάσας.

14. *Vestigia pudicitiæ.*) Sic *Virgil.* Ecl. IV.

— *Si qua manent sceleris vestigia nostri.*

15. *Sub Jove.*) Argentei Seculi primo tempore. *Tibull.* eleg. III. lib. III.

Nunc Jove sub Domino. —

Ovid. I. Metam.

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso,
Sub Jove mundus erat. —

15. *Nondum barbato.*) Impuberi; adulto enim *Pudicitia* terras reliquit, cum infamavit stupris *seque, suamque domum.*

17. *Per caput alterius.*) Interdum & *Per caput suum*, & *Per caput alterius* jurabant. *Ulp. l.* III. §. *ult. D. de Jurejur.* Vide *Brisson.* VIII. de Form.

17. *Cum furem nemo timeret.*) Propterea, ut docet *Tibullus*:

Non domus ulla fores habuit. —

Postea hortorum multi fures, inde appositus Priapus ad hortorum custodiam.

19. *Astræa recessit.*) *Ovid.* I. Metam.

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Virgil. II. Georg.

— *Extrema per illos* (agricolas)
Justitia excedens terris vestigia fecit.

Seneca in Agamemn. *Catull.* Nuptiis Pelei, extremo.

19. *Astræa.*) *Vetus Glossarium* H. Stephani: *Astræa*, παρθένος, δικαιοσύνη, ὡς οἱ Σικελιῶται.

20. *Duæ sorores.*) Fides & pudicitia. Aliter tamen *Hesiod.* in Georg.

21. *Antiquum est alienum lectum Concutere.*) Querolus *Plauti*: LAR. *Quid de adulterio?* QUER. *At at etiam hoc crimen est.* LAR. *Quando autem licitum esse cœpit?* QUER. *Men' rogas? quasi tu nescias, hoc est, quod nec permitti, nec prohiberi potest.* *Plato* etenim, *Zeno*, *Chrysippus*, & *Diogenes*, ut patet ex *Platone* V. de legib. & *Laertio* in vitis prædictorum, adulteria probaverunt, ut & Indi, Æthiopes, Massagetæ, *Strabo* lib. IV. & XVI. Geograph. *Pomp. Mela* lib. I. cap. VIII. *Plin.* lib. V. cap. VIII. *Solin.* cap. XXXIX. *Ælianus.* lib. V. Historiæ Animal.

22. *Fulcri sacri Genium.*) Lectum Genialem i. lectum nuptialem Genio sacrum. Festus: *Genialis lectus est, qui nuptiis sternitur, sic dictus quia Junoni, & Genio sacer.* Vel *Genialis* dicitur *lectus*, a *Geniis* maritorum, quos tum invocabant. Alii, ut *Servius*, *Isidor.* *Fest.* a liberis *genendis*. Hic lectus post nuptias dicebatur *Adversus*, cujus nominis caussam docet *Lips.* cap. XVII. lib. I. Elect. *Passerat.* & *Scaliger.* ad *Propert.* eleg. XII. lib. IV.


22. *Fulcri.*) *Fulcrum*, pro lecto, ut multis locis, quod iis fulciamur. vulgo, *chaslits*. Est etiam *fulcrum* τραπεζοφόρον, *un tretcau*.

23. *Omne aliud crimen.*) *Ovid.* I. Met.

— *De duro est ultima ferro;*
Protinus irrupit venæ pejoris in ævum,
Omne nefas; fugere pudor, verumque fidesque,
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.

25. A




Pag.125.
ANTIO
XEΩN

Viderunt primos argentea secula mœchos.
Conventum tamen, & pactum, & sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
Pecteris, & digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras! uxorem, Posthume, ducis?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes Dominam salvis tot restibus ullam,
Cum pateant altæ caligantesque fenestræ:

Cum

VET. SCHOL.

25. *A tonsore magistro.*) Non severus es, ut maritus, qui a pueris ad magistrum tonsorem transis. aut certe, desisti pueros sectari, qui jam uxori nonnulla munera misisti, & solito diligentius ornaris, ut uxori placeas, cui annulum dedisti.

27. *Pecteris.*) Componis te.

28. *Certe sanus eras.*) Furiis insanis.

32. *Æmilius pons.*) quod ibi lupanaria essent.

GRANG.

24. *Viderunt primos argentea secula mœchos.*) Imo, ut ait *Tibullus* lib. II. eleg. III.

Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.

25. *Conventum & pactum.*) Verba prisci juris huic rei propria. *Arnob.* lib. IV. adversus Gent. *Uxores Dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis. Habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas.* Fest. in *Conventa. Conventæ dicebantur, cum primus sermo de nuptiis, & earum conditione habebatur.* Unde Donat. ad Eunuch. *Convenisse, non vidisse tantum, sed & alloquutum esse significat.* Propert. eleg. IV. lib. IV. ad hunc ritum alludens:

Hæc Tarpeja suum tempus rata convenit hostem,
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.

Cum enim solus conventus speratæ, cum pactum pactæ, cum sponsalia sponsæ dicebantur.

25. *Nostra Tempestate.*) Nostro tempore. *Catullus,*

Qua Rex tempestate novis auctus hymenæis.

Varro VI. de ling. Lat. Ipse satyr. VII.

26. *Jam tonsore magistro Pecteris.*) Ex more antiquorum, qui ad consistentem ætatem comam nutriebant, postea circa Nuptias detondebant. *Martial.* eo sensu dixit:

At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles.

27. *Digito pignus fortasse dedisti.*) Annulus sponsæ pignoris loco mittebatur; quem *pronubum* vocat *Tertull.* de Cultu Fœm. hic autem, *ferreus* ex *Plin.* lib. XXXIII.

27. *Digito*) quarto, seu medicinali manus sinistræ, quia in eo vena quædam sanguinis, quæ ad cor usque pervenit. *Gell.* lib. I. cap. X. *Macrob.* lib. VII. cap. XIII. *Briss.* de Ritu Nupt.

29. *Dic, qua Tisiphone exagitare.*) tanquam Pentheus, aut alius Orestes.

29. *Quibus colubris.*) Quoniam *colubris* cinctæ comæ Furiarum. *Virgil.* VII. Æneid.

— *Tot pullulat atra colubris.*

Catullus:

— *Quibus anguineo redimita capillo.*

Idque ex inventione *Æschyli*, qui primus finxit earum crines serpentibus implicitos, ut refert *Pausanias* in Atticis. *Tibullus*:

Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues:

Propert. eleg. V. lib. III.

Tisiphones atro si furit angue caput.

Unde ὀφιοπλόκαμος dicitur. Vide *Lilium Gyrald.* de Diis Gentium syntagmat. VI.

30. *Ferre Dominam.*) Argute, *Dominam*, non sociam, quasi cujus non sit maritus, sed servus: unde ille: *Dote imperium vendidi.* Scio tamen non tantum amasios, sed & maritos vocare solitos uxores *Dominas.* Tibullus:

Si mihi servitium video Dominamque paratam.

Martial. lib. XII. epigr. XCIX.

30. *Salvis tot restibus.*) Cum tot ad mortem pateant aditus; quasi diceret, satius esse mori, quam uxorem ducere. De aditu autem ad mortem facili Seneca, lib. III. de Ira cap. XV. *Val. Max.* lib. IX. cap. XII. *Ferrum acuant, venena temperent, laqueos apprehendant, vastas altitudines circumspiciant. Horat.* ode XXIV. lib. III.

31. *Cum pateant altæ fenestræ.*) e quibus præcipitem te dare potes.

31. *Caligantes fenestræ.*) Quod cum ex altiori loco aspicimus deorsum, quasi tenebræ & caligo nostris oculis accidit. *Ovid.* II. Met.

 Ut

Cum tibi vicinum se præbeat Aemilius pons?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit;
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te
Nulla jacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec, quantum jussit, anheles.
Sed placet Ursidio lex Julia: tollere dulcem
Cogitat hæredem cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore macello.

Quid

Ut vero terras despexit ab æthere summo
Infelix Phaethon penitus penitusque jacentes,
Palluit, & subito genua intremuere timore:
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ.

Aristoteles in Problemat. dicit eos, qui deorsum aspiciunt, ebriorum instar permulta videre, nec in unum posse quiescere.

VET. SCHOL.

35. *Quod tecum pusio.*) A facto nomen.

37. *Et lateri parcas.*) Si parum feceris, non irascitur, ut uxor.

38. *Lex Julia.*) quæ jubet eos hæreditatem capere, qui filios habent.

40. *Mullorumque.*) quos hæredipetæ mittunt.

40. *Jubis.*) Cristis.

GRANG.

32. *Aemilius pons.*) Qui & *Milvius* dicitur. *Aurel. Victor* de Viris Illustribus in M. Æmilio Scauro: *Censor viam Aemiliam stravit, pontem Milvium fecit.*

33. *Aut si de multis.*) quos dixi.

33. *Nullus placet exitus*) ad mortem. Sic *Seneca* loco supradicto: *Nimis mihi, inquies, operosos exitus monstras, & multum animi ac roboris exigentes.*

35 *Pusio.*) Catamitus.

35. *Exigit a te Nulla munuscula.*) Aliter tamen *Martial.* describit Telesphorum epig. LIX. lib. XI.

Cum me velle vides, tecumque, Telesphore, sentis,
Magna rogas, puto me velle negare licet:
Et nisi juratus dixi, dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.

36. *Illic.*) in ipso actu, non post opus. *Ovid.* III de Arte.

Gaudia post Veneris quæ poscit munus amantem,
Illa suas nolit pondus habere preces.

36. *Nec queritur, quod Lateri parcas.*) quemadmodum solent uxores. *Ovid.* lib. II. de Arte:

Sed lateri nec parce tuo, pax omnis in illo est.

Sueton. in Caligula. *Martial.* lib. XI. *Virg.* in obscœno carmine.

36. *Anheles.*) *Tibull.* eleg. VIII. lib. I.

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula. —

In Catalectis post *Petronium*:

Tandem progredere, & duellum anhelis
Audax spiritibus cieto miles.

Et paullo post:

Crebriusculis resflansque pulmo
Fractus halitibus subaudiatur.

38. *Placet Ursidio lex Julia.*) Verba Posthumi ad *Juvenalem. Lex* autem *Julia*, est de *maritandis ordinibus*, quam tulit Augustus DCCXXXVI. Eam appellat *Horat.* Maritalem Legem in Carm. Seculari, de qua multus *Lips.* ad III. Annal. *Tac.*

38. *Tollere hæredem.*) Hunc morem explicat *Plaut.* Amphit. sc. *Bene vale.*

Verum, quod erit natum, tollito.

Vide *Turneb.* Adverf. lib. XXII. cap. XI. Unde & *Dea Levana.* Idem *Turneb.* cap. XX. lib. IV.

38. *Dulcem Hæredem.*) *Juvenal.* satyr. V.

— *Nec filia dulcior illo.*

Vide, quæ ad illum locum diximus.

39. *Cariturus turture magno.*) Qui enim habebant liberos, non recipiebant munera, ut orbi, de quo diximus ad satyr. V. ad hos versus:

— *Dominus tamen, & Domini Rex,*
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula,
Luserit Aeneas. —

39. *Turture magno.*) *Turtur* piscis, dictus est *pastinaca*, vulgo *tareronde.*

40. *Mullorumque jubis.*) Hoc est, mullis barbatis. *Mulli* enim barba gemina insigniuntur inferiori labro. *Plin.* lib. IX. cap cap. XVII. Mullus vulgo, *un surmulet.*

40. *Captatore macello.*) Cibis, quibus *captantur* hæreditates: *macellum* scilicet pro opsonio, ut satyr. V. *macellum* pro ipso piscatore.

44. *Quem*

Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Ursidio? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro;
Quem toties texit perituri cista Latini:
Quid, quod & antiquis uxor de moribus illi
Quæritur? o medici mediam pertundite venam:
Delicias hominis! Tarpejum limen adora
Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici.

Paucæ

VET. SCHOL.

44. *Quem toties texit perituri cista Latini.*) Qui toties, superveniente marito, sub *cista* celatus est, ut in mimo.

44. *Latini.*) *Latinus*, mimus fuit, qui mœchus in *cistam* devolutus, superveniente aliquo, tegebatur: qui postea propter adulterium Messalinæ punitus est.

GRANG.

41. *Quid fieri non posse putas.*) Responsio *Juvenal.* objectioni Posthumi, scilicet, si Ursidius matrimonio jungitur, nihil in mundo adeo impossibile, quod non fiat.

41. *Si jungitur ulla Ursidio.*) *Jungere*, Matrimonii verbum. *Virg.* Ecl. VIII.

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis. —

Et IV. Æneid.

Cui se pulcra viro dignetur jungere Dido.

43. *Stulta maritali jam porrigit ora capistro.*) *Apul.* VI. Milef. *Profectò scitis omnes: cujus primæ juventutis caloratos impetus fræno quodam coercendos existimavi: sat est ob adulteria, cunctasque corruptelas infamatum, tollenda est omnis occasio, & luxuria puerilis nuptialibus pedicis colliganda.*

43. *Porrigit ora capistro.*) *Virg.* III. Georg.

— *Inque vicem det mollibus ora capistris.*

Capistrum a *capite* jumentorum dictum *Isidoro*; Nobis *un chevestre*.

44. *Quem toties texit cista Latini.*) Quem mimus *Latinus* in scena multories, ut adulterum, & ne a marito deprehenderetur, in cista absconditum exhibuit.

44. *Perituri Latini.*) Quoniam Ursidii personam agebat *Latinus*, idcirco *Juvenal.* dixit *perituri Latinum*: ni videlicet tectus fuisset cista, ut quem deprehendisset maritus. Falluntur illi, qui opera delatorum *Latinum* periisse existimant. Vide epist. XXIII. *Angeli Politiani* Baptistæ Guarino. & *Turneb.* lib. XX. cap. 8.

45. *Quid? quod & antiquis* &c.) Sic *Horat.* ode XVIII. lib. II.

Quid? quod usque proximos
Revellis agri terminos.

45. *Illi Quæritur.*) Exprobat impudicam ante actam vitam. *Quæri* autem *alicui*, & *de aliquo*, & *super aliquo* dicitur.

46. *Medici mediam* &c.) Iidem enim *Medici*, & *Chirurgi* olim. *Brisson.* in Selectis. *Gruterus*, & *Juret.* ad Epist. *Senecæ.* *Media* autem *vena*, vulgo *mediana*, *nigra*, sive *communis*; ea scinditur in purganda insania. *D. Hieronymus* Omaso: *Medici, quos vocant Cheirurgicos, crudeles putantur, & miseri sunt.*

47. *Delicias hominis.*) Posthumum alloquitur, non Ursidium, ne quis erret. *Delicias* autem *hominis* in *Sueton.* *Deliciæ generis humani* de Vespasiano.

47. *Tarpejum limen.*) Falluntur, qui *Tarpejum limen* Capitolinum Jovem arbitrantur.

47. *Adora Pronus.*) Supplicantes templis prostratos procubuisse; liminaque templorum, & solum ædium sacrarum osculatos observat *Briss.* I. de Form. *Ovid.* I. Metam.

Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.

48. *Cæde Junoni.*) Ut cui sunt
— *Sacra jugalia curæ.*

48. *Auratam juvencam.*) Cornibus inauratis, queis aurea induta vel illita bractea. *Virg.* IX. Æneid.

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum.

49. *Si tibi contigerit matrona.*) *Martial.* tamen lib. X.

Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

Herodot. & postea *Diodor.* referunt, quod cum Pheron Sesostris filius, Rex Ægyptiorum oculis captus esset, ideoque

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ,
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos.
Unus Iberinæ vir sufficit? ocyus illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis: Vivat Gabiis, ut vixit in agro:
Vivat Fidenis, & agello cedo paterno.

Quis

deoque ad Deorum auxilium fugiens, peractis multis, variisque sacris, cum ei responsum fuisset, ut placato Deo qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum, nisi proprium virum novisset, ab uxore propria incipiens, multas expertus est; nullam tamen reperit incorruptam, præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem cepit, reliquas omnes vivas combussit.

VET. SCHOL.

50. *Cereris vittas contingere.*) quæ possint sacerdotes *Cereris esse.*

GRANG.

50. *Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.*) Adeo paucæ pudicæ sunt. non enim licitum interesse Thesmophoriis, nisi matronis, quæ castitatem custodirent. *Plin.* lib. XXIV. cap. IX.

50. *Contingere vittas.*) Intellige vittas capitis Deæ: capita enim statuarum insignita vittis. *Virg.* II. Æneid.

Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi Divæ contingere vittas.

51. *Quarum non timeat pater oscula.*) Ne, ut aliæ Myrrhæ, dicant;

Ut præsens spectem Cinyram, tangamque, loquarque,
Osculaque admoveam, si nil conceditur ultra.

& paullo post pater

Flere vetat, siccatque genas, atque oscula jungit,
Myrrha datis nimium gaudet. —

51. *Necte coronam postibus.*) Ironicws; quasi diceret, cum hæc ita se habeant, jam ducito uxorem. In nuptiis enim *coronæ* solebant domorum *postibus* applicari. *Ovid.* IV. Met. de apparatu nuptiar. Persei:

Sertaque dependent tectis. —

Et IV. Fast.

Obsegat ornatas longa corona fores.

52. *Corymbos.*) Ederam. Quid autem proprie *Corymbi* docet Plin. lib. XVI. cap. XXXIV. *Racemi ederæ in orbem circumacti vocantur corymbi.*

53. *Unus Iberinæ vir sufficit.*) Verba Posthumi. Dicis nullam inveniri pudicam, at *unus vir sufficit Iberinæ.*

53. *Vir sufficit unus.*) Martialis:

Una pudicitiæ mentula nota meæ.

Propert. eleg. XXIX. lib. II.

Non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus unus.

53. *Ocyus illud Extorquebis.*) Verba poetæ respondentis Posthumo: Si veritatem vi tormentorum ab ea extorquere velles? se potius uno oculo, quam uno viro contentam fateretur. *Catullus:*

— *Præcipue multivola est mulier.*

Vide *Senec.* III. de Benef. cap. XVI.

54. *Extorquebis.*) Torquemus hominem: *extorquemus* veritatem: alias extorquere, *arracher des mains.* Virgilius:

— *Dextræ mucronem extorquet.* —

54. *Oculo contenta sit uno.*) *Horatianum* illud est Serm. II. satyr. V.

Eripiet quivis oculos citius mihi. —

55. *Magna tamen fama est.*) Respondet Posthumus: Si Iberinæ vir unus non sufficit, tamen fama est quandam filiam ruri castitatem servare. *Fama* porro sæpius in laudem. apud *Propert.* eleg. XV. lib. I.

Occidit Argivæ fama pudicitiæ.

55. *Magna fama.*) *Propert.* eleg. II. lib. IV.

— *De quo mihi maxima fama est.*

56. *Gabiis.*) Hodie vulgo *Cascano citta.* dicti *Gabii* a *Galacto* & *Fio* fratribus.

57. *Vivat Fidenis.*) Verba poetæ Posthumo: Vivat in locis desertis, & mediis in agris; quis tamen de illius castitate affirmaturus est? *Gabii* autem, & *Fidenæ* oppida deserta. *Horat.* epist. II. lib. I.

— *Gabiis desertior atque*
Fidenis vicus. —

57. *Fidenis.*) prima longa *Horatio* supra, & *Propertio* eleg. XXIII. lib. IV.

Hac tibi Fidenas longe erat ire vias.

Ac

Quis tamen affirmat, nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeo senuerunt Jupiter & Mars?
Porticibusne tibi monstratur fœmina voto
Digna tuo? cuneis an habent spectacula totis
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?
Cheironomon Ledam molli saltante Bathyllo
Tuccia vesicæ non imperat: Appula gannit,

Sicut

At *Virg.* corripuit lib. VI:

— Gabios, urbemque Fidenam.

V E T. S C H O L.

63. *Bathyllo.*) Pantomimo.

G R A N G.

58. *Quis tamen.*) Quis juraret inter desertos montes, & obscura antra non fuisse corruptam; quasi Juppiter, & Mars, qui soliti sunt in desertis & abditis locis Virgines imminuere, ita senes sint, ut non possint amplius præ senectute. *Tibull.* eleg. I. lib. II. ostendit in agris etiam Cupidinem reperiri:

Ipse quoque inter agros, interque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.

Contra tamen *Propert.* eleg. XIX. lib. II.

Nullus erit castis juvenis corruptor in agris:
Qui te blanditiis non sinat esse probam.

60. *Porticibusne tibi.*) Primum præceptum in amore:

Principio, quod amare velis, reperire labora.

Quare locus, ubi inveniatur, quod amare velimus, cognoscendus est:

Tu quoque, materiam longo qui quæris amori,
Ante, frequens quo sit, disce, puella loco.

At ille *locus* in *porticibus*, *circo*, & *theatris* Romæ: unde amandi Artifex:

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra.

In iis enim *porticibus* puellæ spatia faciebant *Propert.* eleg. XXIII lib. II.

Et quærit toties, quænam nunc porticus illam
Integit. —

Ovid. II. Trist.

Cum quædam spatientur in hac, ut amator eodem
Conveniat, quare porticus ulla patet?

Variæ autem *porticus* Romæ, porticus *Phœbi*, porticus *Livia*, & *Octavia*, porticus *Agrippæ*, *Absidata*, *Philippi*, *Argonautarum*.

60. *Voto digna tuo.*) Ovid. I. de Arte:

Elige, cui dicas: tu mihi sola places.

61. *Cuneis an habent spectacula totis.*) Alius locus, ubi reperitur, quod amare velis, *Theatrum*. *Ovid.* I. de Arte:

Sed tu præcipue curvis venare theatris,
Hæc loca sunt votis fertiliora tuis.

61. *Cunei.*) Pars pro toto. *Cunei* enim in Theatro. de quibus vide *Lips.* de Amphit.

62. *Quod securus ames.*) *Ovid.* I. de Arte:

Illic invenies, quod ames, quod ludere possis.

63. *Cheironomon Ledam molli saltante Bathyllo.*) Gestu brachiorum & pedum repræsentante Ledæ Jovi blandientis illecebras. *Brodæus* lib. IX. cap. I. Miscell. *Arnob.* lib. VII. advers. Gent. *Si Europa, si Leda, si Ganymedes fuerit saltatus.*

63. *Bathyllo molli saltante.*) *Bathyllus* Mæcenatis delicium, ut notat *Lips.* ad I. Annal. *Tac.* qui saltationis Pantomimorum inventor fuit. *Zosimus* lib. I. *Octaviani temporibus Pantominorum saltatio prius incognita in usu esse cœpit, Pylade & Bathyllo primis ejus auctoribus.*

63. *Molli.*) Solebat enim cum Mæcenate. *Dio* lib. LIV.

63. *Ledam Cheironomon.*) *Leda* dicta *Chironomos*, quod saltatio, quæ repræsentabat Ledam blandientem Jovi, ut diximus, fiebat gestu manuum, pedum, totiusque corporis, quod Græci dicunt χειρονομεῖν. *Apul.* *Enervem & exossam saltationem* explicat.

64. *Tuscia vesicæ non imperat.*) Adeo impudica Bathylli saltatio, ut pruriat *Tuscia*, quæ saltantem videt; unde *Ovid.* I. de Arte:

Ille locus casti damna pudoris habet.

Vide *Senecam* epist. VII. *Lactant.* cap. XX. lib. I. *Cyprian.* lib. II. epist. II.

64. *Vesicæ.*) Partem illam, quæ honestissime nominari non potest, appellat *vesicam*, ut satyr. I.

— Vetulæ vesica beatæ.

64. *Appula gannit, Sicut in amplexu.*) *Gannire*, & *gannitus* in obscœnis. *Apul.* X. Milet. *Molles interdum voculas, & assidua suavia, & dulces gannitus cum morsicantibus oculis iteraverat illa.* Idem in ἀνεχομένῳ, *Inter gannitus & subantis voculas.*

Sicut in amplexu: subitum, & miserabile, longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
Ast aliæ, quoties aulæa recondita cessant,
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro
Atque a Plebejis longe Megalesia; tristes
Personam, thyrsumque tenent, & subligar Acci.
Urbicus exodio risum movet Atellanæ

Gestibus

VET. SCHOL.

66. *Discit.*) Penem ut habent in mimo.

68. *Sonat fora sola.*) Juris dictio quando est.

69. *Megalesia.*) Ludi Megalesiaci.

70. *Subligar Acne.*) Vestem tragœdi.

GRANG.

65. *Subitum, & miserabile, longum Attendit Thymele.*) Si *Thymele* gesticulatrix & mimica mulier, (cui nomen scena dedit, quæ Græcis dicitur Θυμέλη) cum maxima artis attentione exprimit aliquem horum modorum saltationibus & gestibus suis. *Longum* enim *Subitum & Miserabile*, nomina sunt saltationum, & gestuum; quemadmodum & nostris saltationibus nunc temporis videmus nomina dari. de iis *Saltationum* modis vide *Pollucem*.

66. *Thymele rustica discit.*) Spectatrix, quantumvis *rustica*, hos gestus conatur exprimere, & ita se movet, ut mox futura sit gesticulatrix: unde festive illa mulier per anticipationem ab Auctore *Thymele* nuncupatur; sive quod *Thymelem* exprimat, seu quod *Thymele* futura sit.

67. *Quoties aulæa recondita cessant.*) Quoties non luditur. cum etenim ludebant, scena strata *aulæis*, quæ finitis ludis tollebantur. *Horat.* ad Pisones:

Si plausoris eges aulæa manentis, & usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.

Cic. Orat. *Scabella concrepant, aulæum tollitur. Virg.* initio Georg. III. *Aulæa* autem, ut ait *Serv.* vela mimica, dicta ab *aula* Attali regis, unde *Attalica* dicta *Propertio.* vide *Plin.* lib. VIII. cap. XLVIII. *aulæa* autem pro Histrionibus heic.

68. *Clausoque sonant sola fora theatro.*) Cum nullus strepitus, nisi in foris ubi caussæ aguntur: aliquando enim & in *foro*, & in *theatro* fiebat *strepitus* aliquando in *theatro* tantum, aliquando in *foro* tantum. In *theatro* tantum ludis anniversariis, qui fiebant diebus festis, qui erant nefasti: at aliis ludis judicia exercere licuit, ut docet *Manut.* ad epist. I. lib. VII. ad Famil.

68. *Fora sola.*) In plurali *fora*; erant enim Romæ XVII, ut refert *Aurel. Victor*; e quibus alia venalia, alia judiciorum. Judiciorum autem tria: Romanum, Julium, Augustum. *Juvenalis* tamen potuit videre quartum, quod Transitorium, sive Nervæ Forum dictum; & fortasse quintum Trajani.

69. *A Plebejis longe Megalesia.*) *Megalesia* enim, ut videre est in Calendario, celebrabantur Nonis Aprilis: Plebeji vero ludi XVIII. Cal. Decembr. Ita ut quinque fere integris mensibus *Megalesia* celebrarentur post Plebejos ludos. *Megalesia* in honorem Matris Deum. *Fest.* in *Megalesia. Varro* V. de ling. Lat. de Plebejis *Ascon.* II. Verrina.

69. *Tristes*) Matronæ, quod nulli celebrentur Romæ ludi.

70. *Tenent Personam Acci.*) Ludunt ipsæmet privatis in ædibus indutæ vestimentis Mimorum.

70. *Tenent Personam.*) *Cic.* de Orat. *Nec adhuc, quam personam teneant, intelligunt.*

70. *Subligar.*) Mimi in scenam nudi procedebant pudendis velatis: illud autem velum vocat *Juvenalis, subligar*; ut & *Martialis*, epigr. XXCVII. lib. III. *Cic.* I. Off. *subligaculum. Nonius* in *Subligaculo. Plin.* lib. XVII. cap. XIV. *subligar.*

71. *Urbicus.*) Scurra mimarius dicteria funditans. *Turneb.* lib. III. cap. XVII.

71. *Risum movet.*) Jocis, & dicteriis suis provocat spectatores ad risum, dum Autonoen saltat. *Claudianus*:

Nec molles egeant nostra dulcedine ludi,
Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu, manibusque loquax. —

71. *Exodio Atellanæ.*) Inter ludendum, initio, medio, & fine fabulæ, solebant scurræ urbani prodire in scenam cum cithara, aut psalterio, ubi ridicularia funditabant: illa autem dicta ridicula, & risum moventia, si ante fabulam fierent, dicebantur εἰσόδια, si in media fabula, ἐμβόλια, si in fine, ἐξόδια. Unde *Atellana exodia* toties Auctorum testimoniis celebrata *Joseph. Scalig.* ad *Manilium*.

71. *Atellanæ.*) *Atellana* fabula ab *Atella* civitate Oscorum dicta, de qua *Donat. Diomedes* alii.

72. *Gestibus*

Gestibus Autonoes; hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno Comœdi fibula. sunt, quæ
Chrysogonum cantare vetent. Hispulla tragœdo
Gaudet; an exspectas, ut Quintilianus ametur?
Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes, & grandi janua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo

Nobilis

VET. SCHOL.

72. *Gestibus Autonoes.*) Quando Autonoen saltat.

73. *Solvitur his magno Comœdi fibula.*) ut cum Comœdis concumbant. Nam omnes pueri vocales in naturis *fibulas* habent, ne coëant.

75. *Ut Quintilianus.*) Ut scholasticus.

77. *Aut Glaphyrus.*) id est, sub te marito alieni filii.

79. *Ornentur postes*) ad honorem nuptiarum. Sic enim solent in nuptiis præparare.

80. *Ut testudineo conopeo.*) hoc est linum tenuissimis maculis variatum. quia Latine *Conopeum*, *culicare* dicunt. Sic *Horatius Signa militaria*, *Sol aspicit Conopeum.*

GRANG.

72. *Diligit hunc Ælia pauper.*) *Ælia pauper* mimum diligit, quamvis ab ea & similibus magno solvatur Comœdorum fibula. Jocus igitur in nomine *pauper* & *magno*. Ostendit enim matronam *Ælia* familia oriundam olim tantopere propter paupertatem commendatam, ut maximo in Circo Flaminio spectaculi locum possideat, (*Valer. Max.* lib. IV. cap. IV.) longe ab ea paupertate deflexisse, quæ etiam mimici corporis usuram magno sibi compararet.

73. *Solvitur fibula.*) Ut illud Catulli:

Quod zonam solvit diu ligatam.

73. *His.*) Æliæ, & similibus lascivis matronis. Frustra igitur alii Interpretes.

73. *Fibula.*) Sunt qui *fibulam* idem esse *subligaculo* existimant; alii *fibulam* auream, vel argenteam, aut ferream esse, quæ verpo inserebatur comœdorum, & aliorum, quibus vox in usu; ne coirent scilicet, quia coitus longe voci adversus. sic nunc temporis Turcæ religiosi quidam, ut ajunt, continentiæ amantes mutonem gerunt infibulatum.

74. *Chrysogonum cantare vetent.*) Sunt quædam matronæ, quæ tantopere coitu *Chrysogonum* delassarunt, ut raucus factus in Theatro *cantare* nequeat.

74. *Gaudet Hispulla tragœdo.*) *Horat.* ode XIV. lib. III.

Unico gaudens mulier marito.

75. *Quintilianus ametur.*) Idem eadem satyr.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet. —

75. *Ametur*) ab iis matronis aliquis vir gravis, qualis *Quintilianus* de quo satyr. VII.

76. *Accipis uxorem.*) i. Uxorem ducis, ex qua non tu, aut vir aliquis eximius (quod majori esset solatio) sed mimus suscipiet liberos.

76. *De qua citharœdus Echion.*) Simile est illud *Martial.* ep. XXXIX. lib. VI.

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem &c.

78. *Longa per angustos.*) Erigamus theatra in vicis, ubi in honorem nuptiarum ludi celebrentur: quem morem tamen non tangit *Brisson.* de Ritu Nupt. quamvis ad illum respexerit *Apul.* lib. IV. Milef. cum ait: *Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur.*

79. *Ornentur postes.*) Supra:

— *Necte coronam*
Postibus. —

Diversis floribus, & frondibus ornari solitos postes certum est, olea, edera, myrto, rosis, lauro, ut ex *Plut. Catull. Claudian.* videre est.

79. *Grandi lauro*) procera. non enim tantum *rami laurei*, sed arbor integra *postibus* apponebatur. *Catull.* de nupt. Pelei, eo sensu dixit:

— *Proceras stirpe lauros.*

80. *Ut tibi, Lentule*) *Publi Corneli*, Consul anno IϽCXCVII.

80. *Testudineo conopeo.*) In lecto puerperæ. *Varro* III. de re Rust. cap. X. *Et, ut te audii dicere, cum in Liburniam venisses, te vidisse matres famil. eorum af-*

R 2 ferre

Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium
Ad Pharon, & Nilum, famosaque mœnia Lagi,
Prodigia & mores Urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus, & conjugis, atque sororis
Nil patriæ indulsit; plorantesque improba gnatos,
Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.

Sed

ferre ligna, & simul quos pueros alerent, alias singulos, alias binos, quæ ostenderent fœtas nostras, quæ in Conopæis jacent dies aliquos esse lenuncidas (Scalig. corrigit *ejuncidas*) *& contemnendas.*

80. *Testudineo.*) Eburneo. partem pro toto accipit. Proprie enim *Conopæum* velum ad culices excludendos, quos κώνωπας Græci dicunt. Idque inventum Alexandrinorum. *Herod.* in Euterpe.

VET. SCHOL.

83. *Mœnia Lagi.*) Alexandriam dicit, quam *Lagus* tenuit, pater Cleopatræ & Ptolomæi, est qui post magni Alexandri mortem Alexandriam occupavit. Ptolomæus cognominatus *Lagus*, atque deinceps ceteri reges, *Lagi* sunt appellati

87. *Paridemque reliquit.*) Paridem dicit illius temporis pantomimum, quem postea ob adulteratam uxorem ab eo suam Domitiam, Domitianus occidit.

GRANG.

81. *Infans nobilis.*) qui pote ex te oriundus existimatur.

81. *Euryalum mirmillonem.*) Quemadmodum tu Spintherem gladiatorem refers. Tangit enim historiam Lentuli, & Metelli Consulum anno ab U. C. IↃCXCVII. qui ambo in scena propter similitudinem gladiatorum sunt spectati, cum Lentulus Spintheri, Metellus Pamphilo retiario esset quam simillimus. *Plin.* lib. VII. cap. XII. & *Valer. Max.* lib. IX. cap. XV. An hunc locum intellexerint alii, non est meum dicere.

81. *Mirmillonem.*) De *Mirmillone* vide *Lips.* Saturn. II. cap. X. Nos dicemus ad satyr. VIII.

81. *Exprimat.*) Ore referat. Translatio a cera, in qua *exprimuntur* imagines. *Horat. Cic. Plaut.* toti sunt in hac Metaphora.

82. *Hippia nupta Senatori.*) Narrat historiam sui temporis.

82. *Senatori.*) Vejentoni, ut patet ex sequentibus.

82. *Comitata est Ludium.*) Sergium gladiatorem. gladiatores autem *Ludii* dicti, eorum schola *Ludus.* vide *Isidorum.*

83. *Ad Pharon, & Nilum.*) in Ægyptum. Conjuncte, ut *Propert.* eleg. I. lib. I.

Aut canerem Ægyptum, & Nilum. —

Pharos autem est insula Ægypti, de qua *Cæsar* III. de Bello Civili. *Plin.* cap. XXXI. lib. XIV. Nunc autem non est amplius insula, sed continens. vulgo *Farion.*

83. *Et Nilum.*) Mos poetarum est per fluvios designare provincias. *Propert.* Eleg. XXXIII. lib. II.

Atque utinam Nilo pereat qui sacra tepente,
Nilo tepente, hoc est Ægypto.

83. *Famosaque mœnia Lagi.*) Alexandriam. *famosa*, ut satyr. XV. *famosum Canopum* dixit.

84. *Prodigia & mores.*) Ut Virgil. *Molem, & montes.* Noster: *Per famam & populum.*

84. *Prodigia & mores damnante Canopo.*) Ita ut Ægyptii, quamvis flagitiosis moribus, tamen Hippiæ prodigiosos mores damnarent.

84. *Canopo.*) *Canopus*, ut notat *Servius* ad IV. Georg.

Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi.

est civitas juxta Alexandriam, dicta a *Canopo*, gubernatore Menelai. *Plin.* lib. V. cap. XXXI. non civitatem, sed insulam esse vult. Hinc *Canopicum ostium*, *Straboni*: hodie, *le cap de Bochari.* De luxu autem *Canopi* sive *Canobi*, *Senec.* epist. LI. de quo nobis dicendi locus satyr. XV.

85. *Immemor illa domus & conjugis, &c.*) *Ovid.* VII. Metam.

Ergo ego germanam, fratremque, patremque,
Deosque,
Et natale solum ventis ablata relinquam.

Et epist. Medeæ Jasoni:

— *Regnum, patriamque reliqui.*

Et paullo post:

Optima cum cara matre relicta soror.

Catull. de Ariadne sequente Theseum:

— *Ut linquens genitoris filia vultum,*
Vt consanguineæ complexum ut denique matris.

86. *Nil patriæ indulsit.*) Sic Helena apud *Propert.* lib. II. eleg. XXXII.

Tyndaris externo patriam mutavit amore.

87. *Quod-*

Sed, quanquam in magnis opibus, plumaque paterna,
Et segmentatis dormisset parvula cunis,
Contemsit pelagus; famam contemserat olim,
Cujus apud molleis minima est jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus, lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. justa pericli
Si ratio est, & honesta; timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis:

Fortem

87. *Quodque magis stupeas. &c.*) Ironice. quod pluris faceret ludos, & ludios, quam proprios natos. quam autem ludis dediti Romani, alibi diximus.

87. *Paridem*) Histrionem, de quo *Sueton.* in Domitiano, & *Martial.* lib. XI. epig. XIV.

VET. SCHOL.

89. *Et segmentatis.*) Segmenta dicit vittam pendentem de vestibus, intextam auro.

94. *Mutandum toties.*) Diu navigatura de Tyrrheno mari ad Adriacum, de Adriaco ad Ægæum transitura.

GRANG.

89. *Segmentatis cunis.*) Fasciis ligatis, *licet avec des bandes. Segmentatum* heic fascia est. Alio sensu interpretati sumus satyr. II.

90. *Contemsit pelagus.*) *Ovid.* VII. Metam.

Quid? quod, nescio qui, mediis incurrere in undis
Dicuntur montes? ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere, cinctaque sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens, quod amo, gremioque in Iasonis hærens,
Per freta longa ferar, nihil illum amplexa verebor,
Aut si quid metuam, metuam de conjuge solo.

90. *Famam contemserat olim. &c.*) Minimam mulieres habent famæ curam. *Propert.* eleg. V. lib. II.

Crede mihi, quamvis contemnas murmura famæ.

Virgil. IV. Æneid.

— *Et oblitos famæ melioris amantes.*
——— *Nec famam obstare pudori.*
— *Nec enim specie, famave movetur.*

Contra tamen *Ovid.* epist. Helenæ Paridi:

Non ita contemno volucris perjuria famæ,
Ut probris terras impleat illa meis.

Nam, ut ait *Publ. Syrus*:

Bona opinio homini tutior est pecunia.

&:

Honestus rumor alterum est patrimonium.

Quare *Plato* VIII. de leg. & XII. *Cic.* I. Offic. Et *Auctor* ad Heren. lib. IV. & D. *Hieron.* ad Celantiam, Virum probum famæ curam habere volunt.

91. *Apud molleis cathedras.*) Molles fœminas. Fœminæ enim ferebantur in *cathedris* per urbem, sedebantque in iis in theatro, quare dicuntur *fœmineæ*, *Calpurnio*:

Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Martialis:

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet. —

Bene autem addit *molles*: nam erant & doctorum *cathedræ*, de quibus *Auson.* in Rufum, & in Parentalibus.

92. *Tyrrhenos fluctus.*) De mari *Tyrrheno* dixi satyr. V.

93. *Sonantem Ionium*) fluctum. *Mare* autem *Ionium* vulgo, *la mer d'Albanie*

93. *Sonantem.*) *Virg.* I. Æneid.

— *Et pelago premit arva sonanti.*

93. *Constanti pectore.*) Navigantibus firmo opus est & constanti pectore. *Horat.* ode I. Epod.

Vel occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.

95. *Pavidoque gelantur Pectore.*) *Claudian.* II. in Ruffinum:

— *Stetit ore gelato*
Incertus. —

Sollius Sidon. epist. II. lib. I. *Nec satis defuit, quin gelarent.*

96. *Nec tremulis possunt insistere plantis.*) *Insistere*, quasi firmo gradu inhærere, & instare. *Virg.* II. Æneid.

Atque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat. ———

96. *Plantis.*) Pedibus. *Planta* enim quasi *plana*, quod *plana* sit:

104. *Ludia*

Fortem animum præſtant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux; durum eſt conſcendere navim,
Tunc ſentina gravis, tunc ſummus vertitur aer:
Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet. illa maritum
Convomit: hæc inter nautas & prandet, & errat
Per puppem, & duros gaudet tractare rudenteis.
Qua tamen exarſit forma, qua capta juventa
Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
Suſtinuit? nam Sergiolus jam radere guttur

Cœperat

VET. SCHOL.

104. *Ludia dici.*) Ludis ſerviens gladiatoris uxor.

105. *Nam Sergiolus.*) *Sergiolum* nomine ex gladiatore amavit, qui & *Ludor* dictus eſt, quia ſit diu demoratus in *ludo*. qui, ut requiem gladiaturæ haberet, *Pellonarium* ſe fecerat, quo mos eſt in talibus ſacris lacertos ſuos ſecare.

GRANG.

97. *Fortem animum præſtant.*) Licet fœminæ audeant minus, quam mares, tamen in turpibus, & Venereis actibus ſunt audaciuſculæ. *Juvenal.* infra:

— Nihil eſt audacius illis
Deprenſis; iram atque animos a crimine ſumunt.

Plaut. Milite:

Neque eques, neque pedes præfectus quisquam tanta audacia eſt,
Qui æque faciat confidenter, quam mulieres faciunt.

Seneca:

Quid ſinat inauſum fœminæ præceps furor?

98. *Conſcendere navim.*) Quoniam æquor altius eſt terra, ideo dicimus *conſcendere navem*, ſic *Virgil.* x. Æneid.

— Tum libera fatis
Claſſem conſcendit. —

Ea ratione *conſcendere æquor*, Virgilio:

Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor.

99. *Sentina gravis.*) Putida, ſic *Horat.* epod. XII.

— An gravis hirſutis cubet hircus in alis.

99. *Tunc ſummus vertitur aer.*) Tunc fœmina recuſat conſcendere navim, dicitque marito jam tempeſtatem oriri, & *aerem verti*. ſic enim *Propert.* eleg. II. lib. v.

Nec dubio nubes vertitur atra Noto.

Quæ de caligine oculorum Alii, ſomnia mera.

100. *Quæ mœchum ſequitur, ſtomacho valet.*) Non nauſeat, quod vel viris robuſtioribus accidit. *Seneca* de Ulyſſe epiſt. LIII. *Illud ſcito, Ulyſſem non fuiſſe tam irato mari natum, ut ubique naufragia faceret, nauſeator erat.* Vide *Rhodig.* lib. XXVI. cap. VII.

101. *Maritum Convomit.*) Fruſtis & eſculentis nauſeando maritum replet.

102. *Duros gaudet tractare rudenteis.*) Sic *Ovid.* Corinnæ:

Ipſa tua moveas turgida vela manu.

quod viri vix poſſunt. *Propert.* de Pæto:

Non tulit heic Pætus ſtridorem audire procellæ:
Et duro teneras lædere fune manus.

103. *Qua tamen exarſit forma.*) Quaſi diceret; tolerandum illud videretur, ſi formoſum adamaſſet *Hippia*: non enim tam grande peccatum congredi cum formoſo, quam cum deformi, ut docet pluribus *Tiraquellus* l. II. numero XII. de Leg. Connubialibus.

103. *Exarſit forma.*) Videtur alludere ad Etymologiam nominis *forma*, quam grammatici a *fervore*, ſeu *formo*, hoc eſt calido, deducunt.

103. *Qua capta juventa.*) Tranſlatio a feris. ſic *Terent.* act. 1. ſc. 1. *Captus eſt.* Et Eunuchi act. 1. ſc. 1. *Propert.* lib. II. eleg. IX.

Dii faciant, iſto capta fruare viro.

Juventa autem pro *Juvene*; ut *Plauto Senectus*, pro ſene.

104. *Quid vidit.*) Adeone venuſtam faciem conſpexit? Ex viſu enim Amor. *Ovidius:*

Vidit & incaluit pelagi Deus. —

104. *Ludia dici Suſtinuit.*) Toleravit, paſſa eſt. Cic. *Suſtinere convitium* dixit.

104. *Ludia.*) i. Ludii ſive gladiatoris concubina.

104. *Nam Sergiolus.*) Feſtive hunc Ludium *Sergiolum* vocat, quaſi repetens *Hippiæ* verba, quæ hunc *Sergiolum* appellat. Sic matrona apud *Apul.* lib. X Mileſ. alloquitur Aſinum: *Teneo te meum palumbulum, meum paſſerem.*

105. *Radere guttur Cœperat.*) Non adeo juvenis, qui *Sergiolus* dicatur, jam enim barba vincebat genas, quam

Cœperat, & secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia; sicut
Attritus galea, mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat. facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa sorori,
Atque viro. ferrum est, quod amant. hic Sergius idem
Accepta rude cœpisset Vejento videri.
Quid privata domus, quid fecerit Hippia curas?
Respice rivaleis Divorum: Claudius audi

Quæ

quam vellebat, ut junior appareret; ergo hic *radere* pro *vellere*, ut apud *Propert.* eleg. VIII. lib. IX.

Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

Maxime enim æstimabantur imberbes. *Tibull.* eleg. VIII. lib. I.

Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

VET. SCHOL.

106. *Requiem sperare.*) Rudem, ut solent in amphitheatro accipere gladiatores.

108. *Attritus galea.*) Apparet eum Secutorem fuisse.

110. *Sed gladiator.*) Crudelitas tantam deformitatem decorabat, atque illi formosum & pulcrum exhibebat.

113. *Vejento*) Senator, maritus contemtus.

114. *Quid fecerit Eppia curas.*) Miraris hoc factum.

115. *Rivaleis Divorum.*) Ridens, quia Imperatores inter Deos referuntur.

GRANG.

106. *Secto requiem sperare lacerto.*) Mutilatum *Sergium* fuisse innui: aliquo, ab alio gladiatore, ictu recepto, non tamen adhuc missionem obtinuit, sed sperat brevi quieturum.

109. *Stillantis ocelli.*) *Stillare*, de *oculis* dicitur. *Horat.* ad Pisones:

— *Etiam stillabit amicis,*
Ex oculis rorem. —

110. *Sed gladiator erat.* &c.) Quamvis Sergius deformis, & attritus cicatricibus, tamen quia *gladiaturam* exercebat, satis ei formosus videbatur. Sic *Tertull.* ad Martyres: *Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? certe ad feras ipsas affectatione descendunt; & demorsibus, & cicatricibus formosiores videntur.*

110. *Hyacinthos;*) Formosos, quod *Hyacinthus* Apollinis formosissimus fuisset. Simili figura satyr. IV. *Prometheum* appellat figulum. De *Hyacintho* vide *Ovid.* X. Metam. & XIII. *Plin.* lib. XXI. cap. XI. *Servium* ad illud. Eclog. III.

— *Suave rubens Hyacynthus.*

Flos autem, in quem *Hyacinthus* mutatus, dicitur Latinus *vaccinium*, a Gallis, *vaciet.* *Diosc.* cap. LXI. lib. IV.

112. *Ferrum est, quod amant.*) Præter Faustinam, certum est multas alias Romanas mulieres insanisse in hoc genus hominum. *Tertull. Scenicos, xysticos, arenarios illos amentissimos, quibus viri animas, fœminæ autem illis etiam corpora sua substernunt.*

112. *Hic Sergius idem Accepta rude.* &c.) id est, si ille *Sergius* gladiator *rude* donatus a gladiatura desiisset, æque Hippia hunc ac maritum Vejentonem fastidiret.

112. *Accepta rude.*) Duplex *rudis*: una, qua donabantur veteres, eaque ex ferula: alia *rudis*, gladius e ligno, qua sese exercebant, & batuebant Tirones. Vide *Lips.* Saturn. I. cap. XV. & II. cap. XXIII.

114. *Quid feceris Hippia curas.*) Si aliqua cura te tangit flagitiorum *Hippiæ* mulieris privatæ; habeas, quod magis admireris, Messalinæ Claudii Imperatoris conjugis impudicitatem scilicet.

115. *Respice rivaleis Divorum.*) Attende ad eos, qui cum uxoribus Impp. concumbunt. *Rivales* ait *Festus* dictos, quasi in unum amorem *derivantes.* *Acro* in Poeticam *Horat.* *Rivales*, qui in agris *rivum* haberent communem, & propter eum sæpe discreparent. *Donat.* in Eunuch. *Rivales* dicuntur æmuli de mulieribus, translatione nominis a feris, quæ sitientes cum ex eodem rivulo haustum petunt, in prælium contra se invicem concitantur. eleganter hos vocat *Ovid.* *Socios*, II. de Arte:

Non bene cum sociis regna Venusque.

Sic

Quæ tulerit. Dormire Virum cum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una;
Sed, nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque suam. tunc nuda papillis

Prostitit

Sic Gallis, *il a un compagnon.*

115. *Divorum.*) Imperatorum. Imperatores autem *Divos* vocari patet toto Jure Civili.

115. *Audi.*) Posthume.

115. *Claudius quæ tulerit.*) Imperator de uxore Messalina.

VET. SCHOL.

117. *Uxor Ausa Palatino.*) *Messalina* tantæ libidinis fuit, ut se immutaret habitu, & cum una ancilla descenderet de palatio, atque publice in Circo prostaret per noctem; quoniam antea meretrices propter sacrorum celebrationem ab hora nona totam noctem prostabant: unde etiam *Nonariæ* dictæ. Hæc eadem ex *Claudio Britannicum* sustulit, qui per eam, ut superius dixit, a Nerone interfectus est, de qua est & illud:

— *Et patruo simileis effunderet offas.*

117. *Tegetem præferre.*) *Teges*, ut matta, supellex cubilis obsceni; aut forte pro *tegete*, quo *tegitur* domus mendicorum; ut tegumenta fornicis.

120. *Sed nigrum flavo crinem abscondente galero.*) Crine supposito rotundo muliebri capitis tegumento, in modum *galeæ* facto, quo utebantur meretrices.

120. *Flavo.*) Nigro nam crine matronæ utebantur.

121. *Veteri centone.*) ut velo ex pannis facto.

GRANG.

116. *Cum uxor.*) Cum hæc Messalina.

116. *Dormire Virum senserat.*) Claudium.

117. *Ausa palatino tegetem præferre cubili.*) Mendicum in *tegete* cubantem Imperatori præponere ausa. *Martial.* lib. VI. epigr. XXXIX.

Sed in grabatis, tegetibusque concepti.

Teges, vulgo *matte*. De iis dixi ad satyr. V.

117. *Cubili palatino.*) Imperatorio, quod Imperator in *Palatio* ut plurimum degeret. Hinc *Plin.* appellat *Palatinas domos Cæsarum.* dixi ad illud satyr. II.

Ebriaci campo spolium affectare Palati.

118. *Sumere*) ausa. nec *sumere* pro *sumebat*, ut volunt.

118. *Nocturnos cucullos.*) *Cucullus*, sive *cucula*, sive *cucullio*, viris & mulieribus communis, quo capita adversus pluvias & frigus velabant; eoque *noctu* utebantur, unde & *Apollin. Nocturnalem cucullum* vocat. Dixi *cuculla*, in fœmin. g. quod *Buchanan.* ridet in Poematiis, non sine aut malitia, aut ignoratione. Nam & D. *Hieronym.* & *Divus Ambrosius*, & *Paullinus* fœminino extulerunt genere.

118. *Meretrix Augusta.*) Ex *Propertij* imitatione, eleg. XI. lib. III. de Cleopatra:

Scilicet incesti meretrix Regina Canopi:

Plin. lib. IX. cap. XXXV.

119. *Linquebat.*) Relinquebat in lecto dormientem. Sunt qui *linquebat* interpretantur, *peccabat*; ridicule.

120. *Nigrum flavo crinem abscondente galero.*) *Galerus* hic sumitur pro capillamento, hoc est, apposititia & aliena coma, quæ a Græcis πηνίκη, unde nostris fortasse *perruque*, Latini, *textile capillamentum*, & *galericulum*, ut docet *Adrian. Junius* de Coma.

120. *Flavo galero.*) Flavi coloris. *Flava* enim coma olim meretoria habita, ut notat *Serv.* & post illum *Flavius*, & *Junius*.

120. *Abscondente nigrum crinem.*) quem ferebant matronæ.

121. *Veteri centone.*) *Cento*, vilis vestis e variis panniculis.

121. *Calidum lupanar.*) A *lupis*, *lupanar*. *Lupæ* autem meretrices. *Martial.* epigr. XXXV. lib. I.

Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.

Cic. pro Milone: *Clodius semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat.*

122. *Et cellam vacuam.*) In fornice *cellæ* distinctæ unicuique meretrici: illa autem a lenone conduxerat *cellam*, quam semper paratam sibi, & *vacuam* inveniebat. Vide *Douzam* ad illa *Arbitri* verba: *Jam pro cella meretrix assem exegerat.*

122. *Nuda papillis Constitit auratis.*) *Schegkius* Præmissorum epist. V. M. S. auctoritate fretus ita legit:

— *Tunc nuda papillis*
Prostitit ornatis. —

Frustra.

Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intranteis, atque æra poposcit;
Et resupina jacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas jam dimittente puellas,
Tristis abIt: &, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et lassata viris, necdum satiata recessit:
Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ

Fœda

Frustra. Nam, *constitit*, verbum huic rei æque conveniens ac *prostitit*. Ovid. I. de Arte:

Constiterunt uno fœmina virque toro.

Nec melius mutat *auratis* in *ornatis*. *Auratæ* enim *mammæ*, sunt mammæ pulcræ, more Græcorum, queis χρυσὸς, & χρυσοῦς non solum *aurum*, sed & *pulcrum* significat. Inde Venus χρυσῆ. Vide *Servium* ad illud *Virgilii*:

Aurea composuit sponda. —

Papilla autem *Servio* est breve illud, unde *lac* trahitur. *Festus*: *Papillæ*, capitula mammarum, dictæ, quia *papularum* similes sint. *Papulæ* sunt vitia & tubercula corporis. *Isidor*. quod eas pueri *pappent*.

VET. SCHOL.

123. *Prostitit auratis titulum* &c.) quoniam in cellis nomina meretricum superscripta fuerunt. hoc est, pro quadam *Lycisca* meretrice, ipsa cellam ingressa est.

124. *Britannice.*) Ipse *Britannicus*, quem pro Messalinæ matris nece, conscia Agrippina, Nero in convivio suo necavit.

125. *Excepit*) in meritorio.

127. *Mox lenone.*) id est, de meritoriis recedentibus puellis, ipsa tristis efficiebatur, quod per totam noctem *lassata* quidem ex coitione *virorum*, tamen adhuc desiderans, *non satiata*, & *ultima recedebat*.

GRANG.

123. *Titulum mentita Lyciscæ.*) *Beroald.* ad *Apul.* lib. VI. ostendit *titulum* superponi cellæ singularum meretricum; & nomen puellæ in superiori cellæ limine inscriptum: ita ut nosceretur, in qua cella quæque prostitueret. Idem docet *Douza* in Præcid. ad *Arbitrum*: unde *Martialis*: *Inscriptam cellam* vocat. *Cellæ* autem Messalinæ nomen *Lyciscæ* meretricis inscriptum, ne agnosceretur. De *meretrice* autem *Lycisca*, *Martial.* epigr. XVII. lib. IV.

124. *Britannice.*) *Britannicus* Valeriæ Messalinæ, & Claudii filius, qui prius Germanicus dictus. *Suetonius* in Claudio.

125. *Excepit blanda intranteis.*) Enallage. *blanda*, id est blande.

125. *Æra poposcit.*) *Poscebant æra* meretrices. Unde *Apul.* meretricum *poscinummia* dixit. In Lupanari autem *precium* designabatur in fronte cellæ scilicet, cum nomine meretricis. *Ovidius*:

Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære.

Unde *Martiali* dicta sunt *æra sordida*.

126. *Absorbuit ictus.*) *Horatius* vocat *verbera*, satyr. VII. lib. II. Serm.

Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ.

126 *Mox lenone dimittente puellas.*) Certa hora enim prostabant, certaque recedebant; incipiebant autem hora IX. noctu, unde *nonaria* meretrix dicta *Persio* satyr. I. Colophonii contra legem tulerant, ut a mane ad vesperum meretrices quæstum facerent, post Solis occasum, & λύχνων ἅψαι se continerent, ut docet *Athen*. lib. XII.

127. *Puellas suas.*) Alio sensu satyr. I.

— *Prosit vos dixisse puellas.*

Sic *Apul*. Apolog. II. *Puellæ meretriciis blandimentis captus.*

129. *Rigidæ tentigine vulvæ.*) *Tentigine*, & *rigidæ* ad majorem amplificationem solito Poetarum more.

130. *Lassata viris, nondum satiata recessit.*) Alii libri *sed non satiata*. Mulieres autem in coitu insatiabiles, docet *Salom*. Proverb. cap. XXX. & *Aristot*. de Partibus Animal. sect. IV. sed inter omnes *Messalina* celebratur, quæ cum famosis scortis coitu certavit, ancillamque quinto & vigesimo numero superavit. *Plin*. lib. X. cap. LXIII. & *Sextus Aurel*. in Claudio Cæsare.

131. *Fumoque lucernæ.*) Lupæ prostabant ad *lucernas*, ut notat *Lips*. Elect. I. cap. III.

131. *Turpis fumo lucerna.*) In Obscœno Carmine:

Ergo quilibet huc, licebit, intret,

S *Nigra*

Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum,
Privignoque datum? faciunt graviora coactæ
Imperio sexus, minimumque libidine peccant.
Optima sed quare Cesennia, teste marito?
Bis quingenta dedit, tanti vocat ille pudicam,
Nec Veneris pharetris macer est, aut lampade fervet:

Inde

Nigra fornicis oblitus favilla.

VET. SCHOL.

132. *Fœda lupanaris.*) Obscœnum odorem lupanaris pertulit ad lectum maritalem.

133. *Hippomanes.*) quod de partu equarum rapitur a fronte pulli, statim ut nascitur: quod mater ab eodem lambit, quod datum in poculum ad amatorias res facit.

134. *Faciunt graviora.*) Graviora faciunt in aliis rebus, quam quod libido persuadet: & minus peccant forte, quam quod libido desiderat.

136. *Optima sed quare.*) Anthypophora est: tanquam ab alio interrogatus sit.

GRANG.

132. *Tulit ad pulvinar.*) Ad Palatinum cubile. *Pulvinar* autem est, quod capiti subjicitur molliusculum cervical e plumis: deinde accipitur pro ipso toro. Verum respexit ad illud *rivales Divorum. Pulvinaria* enim proprie *lectisternia* in templis, quibus accumbunt Dii, quales censentur Imperatores. *Horat. Ornare pulvinar Deorum.* Videndus *Serv.* III. Georg.

133. *Hippomanes carmenque loquar.*) De *Hippomane* infra ad illud: *Frontem tremuli pulli.* Heic satis est ostendere plerasque mulieres *veneficas*, & *incantatrices*: unde *Euripid.* in Cressis apud *Stobæum* cap. LXX.

Γαμεῖτε νῦν ἤ γαμεῖτε, κὶ καταθνήσκετε
Ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς, ἢ δόλοις.
Nunc ducite uxores, ducite, & mortem obite,
Mulierum aut veneno,, aut fraude.

134. *Privignoque datum.*) Infra ad finem hujus satyr.

— *Jam privignum occidere fas est.*

Horat. de Scythis ode XXIV. lib III.

— *Illic matre carentibus,*
Privignis mulier temperat innocens.

Virgil. III. Georg.

Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscuerunt herbas, & non innoxia verba.

135. *Minimumque libidine peccant.*) Peccatum proprie Poetis illa turpis actio appellatur, & *peccare. Ovid.* Amor. eleg. V. lib. II.

Vota mori mea sunt, cum te peccasse recordor.

Horat. oda VII. lib. III.

— *Et peccare docentes,*
Fallax historias monet.

Propert. lib II. eleg. XXX.

Et jam, si pecces, Deus exorabilis ille est.

136. *Optima quare, teste marito.*) Verba Posthumi ad *Juvenalem*: Si tales sunt mulieres, quales depingis, quare igitur testimonio mariti sui ubique Cæsennia optima jactatur?

136. *Cæsennia.*) Diversa lectio est in hoc nomine, alii *Cezonia*, alii *Censoria*, nonnulli *Censennia*, communis lectio *Cæsennia.* quæ verior lectio, non mihi liquet.

137. *Bis quingenta dedit.*) Respondet *Juvenal.* maximam dotem tanti testimonii esse caussam, non rei veritatem.

137. *Bis quingenta.*) *Lips.* ad II. Annal. *Tac.* observat decies centena numerum esse dotis legitimum & solemnem apud Auctores. *Noster* satyr. X.

— *Et ritu decies centena dabuntur*
Antiquo. —

Aliter *Turneb.* pro ingenti summa hunc numerum accipit lib. XVIII. Advers. cap. XXX.

138. *Pharetris Veneris macer.* &c.) Nec sagittas, nec facem Cupidinis sentit, quibus eam amare cogatur: nulla alia fax, nullæ aliæ sagittæ, quam dos ingens, nullamque ob aliam caussam eam amat, quam ob pecuniam.

138. *Macer.*) *Macies* enim indicium amoris. *Ovid.* IX. Met.

Esse quidem læsi poterat tibi pectoris index
Et color, & macies. —

138. *Fervet lampade.*) Face, non illa nuptiarum; sed illius Dei, cui sunt

Altera tela arcus, altera tela faces.

1 Li40. bertas

Inde faces ardent, veniunt a dote sagittæ.
Libertas emitur: coram licet innuat, atque
Rescribat, vidua est, locuples quæ nupsit avaro.
Cur deside[r]io Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi:
Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi
Ocyus, & propera: sicco venit altera naso.
Interea calet, & regnat, poscitque maritum

Pastores

VET. SCHOL.

140. *Libertas emitur*) Mariti, ut peccante uxore contentus sit tacere, propter avaritiam. ut *Horatius*:

— *Non sine conscio*
Surgit marito. —

141. *Vidua est locuples.*) Tanquam vidua peccat sine crimine dives mulier, quæ avaro nupserit marito.

142. *Cur desiderio.*) Anthypophora.

145. *Oculique minores*) præ senectute: id est, fiat anus.

147. *Et sæpe emungeris.*) Mucosa es.

GRANG.

140. *Libertas Emitur.*) *Plaut.* Aulul. Act. III. Sc. V. *Quæ indotata est, ea in potestate est viri.* & ille:

Νύμφη δ' ἄπροικος οὐκ ἔχει παῤῥησίαν.
Sponsa indotata non habet libertatem.

140. *Innuat.*) Amatori nutum faciat. de iis nutibus *Ovid.* eleg. IV. lib. III. Amor.

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem;
Excipe furtivas, & refer ipsa notas.

141. *Vidua est, locuples quæ nupsit avaro.*) Mulier locuples avaro nupta, est tanquam non nupta, & sui juris. infra:

— *Vivit tanquam vidua marito.*

142. *Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet.*) Iterum verba Posthumi: Cur ergo Sertorius amat Bibulam.

143. *Si verum excutias.*) Responsio Poetæ: Si perpendes attentiori animo, non tam uxorem, quam pulcritudinem Bibulæ amare videbis. *Terent.* diserte:

Quippe forma nostra nos amatores colunt;
Hæc ubi immutata est, suum animum alio conferunt.

144. *Tres rugæ subeant.*) *Plutarch.* in Præcept. Connubial.b. scribit, quod quemadmodum ignis in plateis accenditur, ocyusque restinguitur; ita brevem amorem, novorumque conjugum corporis forma inflammatum, nec durare posse, nec firmum esse existimandum. Sic & *Arist.* Ethic. VIII. cap. IV.

144. *Subeant.*) Veniant. *Ovid.* II. de Arte:

Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Rugæ Græcis ῥυτίδες. Nobis contracto Græco vocabulo vocantur *rides*

144. *Se cutis arida laxet.*) *Ovid.* II. de Arte:

Quam cito, me miserum, laxantur pectora rugis!

145. *Fiant obscuri dentes.*) *Ovid.* III. de Arte:

Quid si præcipiam, ne fuscet inertia dentes.

Et infra:

Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi. —

Horat. ode VIII. lib II.

Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui.

146. *Collige sarcinulas.*) In divortiis certa & solemnia verba fuisse docet *Briss.* VIII. de Form. qualia sunt illa: *Res tuas tibi habeto.* prætereaque ædibus exigi, egredique jubebatur. *Martial.* lib. XI

Uxor vade foras, aut moribus utere nostris.

Titinnius Geminus:

— *Aut aliquis vestrum nuntiet,*
Gemine, ut res suas procuret, ædibus facessat:

147. *Jam gravis es nobis.*) *Propert.* eleg. XXIV. lib. II.

Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo.

149. *Interea*) dum pulcra est, & formosa.

149. *Calet*) ad quæstum suum *calida* est, festinat ad lucrum. Sic *Plaut.* Trucul. act. V. Sc. Unica:

Omnes homines ad suum quæstum calent.

Non *callent*, ut scriptum erat, idque ex correctione

Passera-

Pastores, & ovem Canusinam, ulmosque Falernas.
Quantulum in hoc? pueros omneis, ergastula tota,
Quodque domi non est, & habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quo jam mercator Iason
Clausus, & armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina, deinde adamas notissimus, & Beronices

In

Passeratii. sic *Propert.* eleg. III. lib. IV.

Succinctique caleni ad nova lucra popæ.

149. *Et regnat.*) Lecti *regnum*, & *regina* lecti, & *regnare* in lecto dicitur. *Propertius:*

Et quererer lecti frigida regna mei.

Ovid. de Remed. Am.

At si quis male fert indignæ regna puellæ.

Hinc intelligitur *Plautinum* Verbum: *Suus rex reginæ placet.*

149. *Poscitque maritum.*) Supra:

— *Exigit a te*
Nulla jacens illic munuscula. —

De iis uxoribus, quæ a maritis semper aliquid poscunt, facetus Megadorus *Plauti*, Aulul. Act. III. Scen. V. quem adi. Idem milite act. III. Scen. I.

Da mihi, da mihi, garrula nimium tinniens.

VET. SCHOL.

150. *Et ovem.*) id est, greges in Calabria, & vineas in Falerno.

151. *Ergastula tota.*) *Ergastula* proprie dicuntur loca, in quibus ad pœnam vincti opus faciunt. Heic ergo *ergastula* dixit rusticorum servientium multitudinem.

153. *Quo jam mercator Iason.*) Illud significat, quod Romæ in porticu Trajanarum thermarum tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores casas de linteis faciunt, quibus picturæ obstant. Ideo autem dicit *mercator Iason*: quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, & casæ cum fierent, picturæ obstabant.

155. *Grandia tolluntur crystallina.*) Sic & *Cinna* dicit:

Atque imitata nives lucens legitur crystallus.

156. *Myrrhina.*) De *murrha* pocula tincta facta.

GRANG.

150. *Ulmosque Falernas.*) Vites, quæ maritæ sunt ulmis. *Virg.* de laudib. Hortuli:

Fœcunda vitis conjuges ulmos gravat.

Ulmi autem hic pro vitibus, ut apud *Horat.* ode XV. lib. II.

— *Platanusque cælebs*
Evincet ulmos. —

151. *Ergastula tota.*) Quindecim vinctos servos in villa ad agricultionem. Apul. *Quindecim liberi homines populus est, quindecim servi familia, quindecim vincti ergastulum.* De Ergastulis vide *Lips.* Elect. II. cap. XV.

153. *Mense quidem brumæ.*) *Adriani Junii* M. S. *Numæ*, non placet: verior altera lectio. *Martialis:*

Tristis Athenagoras non misit munera nobis
Quæ medio brumæ mittere mense solet.

Hoc est Decembri mense. Bruma enim est, ut docet *Columella*, circa octavum Calend. Janu. in octava parte Capricorni. at heic *mensis Brumæ* pro mensibus hybernis, quibus mare clausum. tamen *Sidon.* legit *Mense Numæ.*

153. *Cum jam mercator Iason.*) Quid *mercator Iason*, non satis explicant. est igitur ille, qui in longinquas a sua regione maris oras exercet mercaturam: Nos Galli: *un marchant trafiquant sur la mer.*

154. *Clausus.*) Et *clausi* dicebantur hyeme mercatores, & mare *clausum.*

154. *Casa candida.*) conspersa nive. ut *niveus* pro candido, sic viceversa *candidus* pro niveo.

154. *Armatis nautis.*) Navis, cujus instrumenta parata sunt ad navigationem. Illa enim instrumenta nautica, *arma* dicuntur. *Virg.* IV. Æneid.

Arma parent. —

155. *Grandia tolluntur crystallina.*) Ex mercatoris officina elevantur a Bibula, solvente ea marito Sertorio, vulgo *enlever de chez le marchand.* quæ igitur *Lubinus* & Alii, somnia.

156. *Myrrhina.*) Vasa Myrrhina, *des vases de Cassidoine.* de quibus *Plin.* lib. XXXVII. cap. II. & *Seneca* in Epist. *Raderus* ad *Martialem.*

156. *Deinde adamas*) tollitur ex mercatoris taberna.

157. *Iarbarus*

In digito factus preciosior : hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,
Observant ubi festa mero pede sabbata Reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis.
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fœcunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni

Crinibus

VET. SCHOL.

158. *Barbarus.*) *Barbarum* Ptolomæum significat, & Beronicem sororem ejus.

158. *Dedit hunc Agrippa sorori.*) Juliam neptem Augusti significat, quæ nupta Aemilio Paullo, cum is majestatis crimine perIsset, ab avo Augusto relegata est : post revocata, cum semet vitiis addixisset, perpetui exilii damnata est supplicio. Hujus Agrippa frater, propter morum feritatem in Siciliam ab Augusto relegatus, post cujus mortem jussu Tiberii interfectus est. Beronice soror Ptolomæi. verum neptis Augusti Julia, cum qua commisit Agrippa incestum, & pro ea ab Augusto relegatus est.

159. *Observant ubi festa.*) in Judæa regione, ubi est synagoga.

160. *Et vetus indulget senibus.*) id est majoribus *porcis* parcunt. nam minores manducant.

163. *Porticibus.*) Cujus avi triumphantes in imaginibus facti & positi in *porticibus*.

GRANG.

157. *Factus preciosior.*) Sed majori precio venundatus.

157. *In digito Berenices.*) quod Berenice, Agrippæ Regis filia eam digito gestaverit.

157. *Hunc dedit Agrippa sorori incestæ.*) Satyrice, Est factus preciosior adamas, non quod tantum hunc Berenice tulerit, sed quod ab Agrippa fratre, cum quo solebat concumbere, acceperit. Agrippa enim Berenices pater reliquit tres filias Drusillam, Mariam, Berenicen, & filium unum Agrippam. Hic autem cum Berenice sorore incestum commisisse accusatur. Vide *Josephum* in Antiquit. at hæc repetitio, quæ solens est Poetis indignantibus, Dii boni, quot fefellit Interpretes! ut recte *Britannicus*.

159. *Observant ubi sabbata Reges.*) In Judæa, in qua non tantum populus, sed & Reges ipsi Deo cum vota faciunt, antequam hostias immolent, vino abstinent, capillos tondent, tum nudis pedibus rem divinam faciunt, quod & ipsa Berenice fecit, ut videre est apud *Joseph.* II. de Bello Judaico. Unde locus mordax *Juvenalis*, quod regina incesta, & Agrippa frater post incestum nudis pedibus sacra faciant. Vide *Lil. Gyrald.* Dialogismo x. Ex eo autem ritu, Pythagoricum illud Symbolum : *Nudis pedibus rem sacram facito, & adorato.*

159. *Mero pede.*) Nudo pede. eleganter, quod quemadmodum vinum, in quo nihil aliud, quam vinum, *merum*, dicitur; sic *pes merus*, ubi nihil aliud, quam pes, nec calceus, nec tibialia : hinc & *nudipedalia* Auctoribus sacra. hunc *Juvenalis* locum imitatus est *Prudentius*.

160. *Et vetus indulget.*) Judæos abstinuisse carne suilla, vel vulgo compertum est. Vide XIV. satyr.

161. *Nullane digna videtur?*) Verba Posthumi: Sed ex tanta multitudine mulierum, nulla tibi digna conjugio videtur?

161. *De tantis gregibus*) puellarum, quæ in porticibus spatiantur, aut in theatro sedent.

162. *Sit formosa.*) Verba Juvenalis Posthumo : Quamvis invenires in una eademque fœmina formositatem, decentiam, fœcunditatem, nobilitatem, castitatem (quod rarissimum est) tamen nec esset digna conjugio; tantus etenim ei inesset fastus, ut nemo eam sufferre posset.

162. *Formosa.*) Quamvis per se superba sit mulier; tamen species, & decor corporis non minimum in ea fastum adauget. *Ovid.* I. Fast.

Fastus inest pulcris, sequiturque superbia formam.

Et Epist. Cydippes. & libr. II. Amor.

162. *Dives.*) Et divitiæ reddunt mulieres fastuosas. Noster :

Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.

Megadorus ap *Plautum* Aulul.

Dotatæ mactant & malo damno viros.

162. *Fœcunda*) superba est. infra in exemplo Niobes apparebit.

163. *Porticibus disponat avos.*) i. sit nobilis. In Atriis enim seu *porticibus* imagines parentum *disponebant* Romani. de ea redicendi locus ad satyr. VIII. Nobilitas

Crinibus effusis bellum dirimente Sabina:
Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.
Quis feret uxorem, cui constant omnia? malo,
Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum; si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem
In castris, & cum tota Carthagine migra.

Parce

tas autem fastum parit in fœminis. Vide *Tiraquell.* de legib. *Connub.* l. v. numero xv. xvi. xvii.

163. *Intactior omni Sabina.*) Sit castior Sabinis, quas rapere jussit Romulus. ob quem raptum bellum ortum inter Romanos, & Sabinos, quod diremerunt interventu suo.

163. *Intactior.*) *Propert.* lib. II. eleg. VI.

Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas.

Sic *Horat.* Palladem, *intactam*, vocat. *Tangere* enim est verbum obscœnum. Idem *Horat.* satyr. II. lib. I.

— *Matronam nullam ego tango.*

Propert. eleg. XXXIV. lib. II.

Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?

VET. SCHOL.

164. *Bellum dirimente Sabina.*) Sit castior Sabinis, quæ fœdera inter Tatium & Romulum fecerunt.

169. *Et numeras in dote.*) Imputes.

GRANG.

164. *Dirimente bellum.*) De hoc bello *Livius* lib. I. *Flor.* lib. I. cap. I. *Ovid.* III. Fast.

164. *Crinibus effusis.*) Omnes in eo conveniunt. Livius: *Crinibus passis, scissaque veste ausæ inter volantia tela se inferre, diremerunt infestas acies.* Florus: *Tandem sævientibus intervenere captæ laceris comis.* Ovidius:

Et medium campi scissis tenuere capillis.

165. *Rara avis.*) Proverbium dicebatur de re quavis nova & inventu perrara. *Ipse* satyr. VII.

— *Corvo rarior albo.*

Persius:

Quando hæc rara avis est. —

Erasmus Chil. II. cent. I. proverb. XXI. Valerius Rufino inter *D. Hieron* Epistolas: *Optima*, inquit, *famina rarior est phœnice; malarum fæminarum tam copiosa sunt examina.*

166. *Quis feret uxorem.*) Supra:

Ferre potes dominam, salvis tot restibus, ullam.

166. *Cui constant omnia.*) Suppetunt. *Virg.* III. Æneid.

Postquam cuncta videt cœlo constare sereno.

Ubi *Serv.* citat hunc *Juvenal.* locum.

167. *Malo Venusinam.*) Pauperem, & extraneam uxorem. Vide *Carol. Sigon.* de Antiquo Jure Rom. cap. IX.

167. *Quam te, Cornelia.*) Scipionis Africani filia, Tiberii Gracchi uxor.

168. *Mater Gracchorum.*) Gaji, & Tiberii, de quibus *Plutarch.*

168. *Si cum magnis virtutibus.*) Inter ceteras Corneliæ virtutes illud notabile, quod filiorum eloquentiæ non parum contulit. *Fab.* lib. I. cap. I.

169. *Grande supercilium.*) Fastum. hinc fastuosi *superciliosi* dicuntur. Plinius: *Hæc* (supercilia) *indicant fastus.* Hinc & proverbia: *Attollere supercilium, & ponere.* de quibus *Erasm.* Chil. I. cent. VIII. proverb. XLIX. Multa de iis *Raderus* Epigr. *Martial.* lib. I. epig. IV.

169. *Numeras in dote triumphos*) Patris Scripionis. Sic Cornelia ejusdem gentis Pauli Æmilii uxor apud *Propert.* eleg. ult. lib. IV.

Si cui fama fuit per avita trophæa decori,
Æra Numantinos prisca loquuntur avos.

170. *Tolle tuum Hannibalem.*) Habe tibi res tuas, inter quas numeras victoriam Patris de Hannibale, & Syphace.

170. *Victumque Syphacem.*) *Propert.* lib. III. eleg. XI.

Annibalis spolia, & victi monimenta Syphacis.

Syphax rex Massæsylorum: de quo *Liv.* sex libb. ultimis decad. III.

171. *Et migra.*) Ut supra:

Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi.

171. *Cum tota Carthagine.*) Quam tuos vicisse jactas. Ipsemet Scipio sic loquitur in veteri inscriptione apud *Aldum Pauli F.* in Orthographia:

Luxuriantem animo Pœnum, ferroque ruentem
Urbis

Parce, precor, Pæan, & tu Dea pone ſagittas,
Nil pueri faciunt, ipſam configite matrem!
Amphion clamat: ſed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum, ipſumque parentem,
Dum ſibi nobilior Latonæ gente videtur,
Atque eadem ſcrofa Niobe fœcundior alba.
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut ſe tibi ſemper
Imputet? hujus enim rari, ſummique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta ſuperbo
Plus aloes, quam mellis habet. quis deditus autem

Uſque

Urbis in excidium, vix puber ad arma vocatis
Patribus, edocui certa ſuperarier arte
Poſſe: olim invictæ per nos Carthaginis arces
Inſolitum ſubiere jugum. Victoria noſtra.
Anno & Iberus atrox, invictique arma Syphacis:
Maxima cunctarum victoria victa voluptas.

VET. SCHOL.

173. *Nil pueri faciunt.*) Committunt. *Lucanus*:
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?

175. *Greges natorum.*) quia plures fuerunt, & diverſi ſexus, id eſt ſeptem maſculi, & ſeptem fœminæ.

177. *Scrofa Niobe.*) Luſit. *Scrofa* alba Trojanorum, quæ viſa eſt Æneæ cum triginta fœtibus.

181. *Plus aloes quam mellis.*) Plus amaritudinis ex ſuperbia, quæ ſe tibi ſemper præfert; quam dulcedinis ex caſtitate.

GRANG.

172. *Parce precor.*) *Horat.* ode I. lib. IV.
Intermiſſa Venus diu
Rurſus bella moves, parce! precor, precor.

172. *Et tu*) Diana.

172. *Depone ſagittas*) Abjice, deorſum pone. *Cic.* pro Quintio: *Depoſitis armis, de re pecuniaria diſceptare.*

173. *Nil pueri faciunt.*) Liberi mei non in tuam matrem peccarunt.

173. *Configite matrem*) Nioben uxorem tantum, quæ meruit.

174. *Amphion*) conjux Niobes.

174. *Clamat*) hæc.

174. *Pæan.*) Apollo. cognomen Apollinis ἀπὸ τοῦ παίειν a configendo Pythone.

174. *Contrahit arcum.*) ut tendat. *Contrahere* enim eſt extenſum corripere. *Virg.* I. Georg.
— *Tibi brachia contrahit ardens*
Scorpius. —

175. *Extulit greges natorum.*) καταχρηστικῶς. Nam *efferri* dicuntur mortui, cum funus ducitur, & ex ædibus *effertur* ad rogum. unde formula indictivi funeris: *Exequias Titio, quibus commodum eſt ire; jam tempus eſt, ollus ex ædibus effertur.*

175. *Greges natorum.*) Sic Hecuba Troade:
Et vos meorum liberum magni greges.
Ovid. *populum natorum.* De numero autem natorum Niobes variant Auctores. Vide *Agell.*

175. *Ipſumque parentem.*) Quem tamen non occidit, ſed fuit cauſſa, cur moreretur: Viſis enim liberis mortuis non ſibi pepercit. *Ovid.* VI. Metam.
Nam pater Amphion ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

176. *Dum ſibi nobilior Latonæ gente videtur.*) *Ovid.* VI. Metam. ſic eam de ſua nobilitate loquentem inducit:
— *Mihi Tantalus auctor,*
Cui licuit ſoli Superorum tangere menſas.
Pleiadum ſoror eſt genitrix mea: maximus Atlas
Eſt avus, æthereum qui fert cervicibus axem:
Juppiter alter avus; ſocero quoque glorior illo.

177. *Scrofa Niobe fœcundior alba.*) De fœcunditate ſic gloriatur apud *Ovidium*:
— *Huc natas adjice ſeptem,*
Et totidem juvenes, & mox generoſque, nuruſque.

177. *Scrofa alba.*) quæ enixa triginta fœtus. *Virg.* III. Æneid. ea *Albæ* civitati nomen dedit. *Noſter* ſatyr. XII.
Conſpicitur ſublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit. —

181. *Plus aloes, quam mellis habet.*) Plus moleſtiæ, quam voluptatis. Vide *Eraſm.* Chil. I. cent. VIII. proverb. LXVI.

181. *Deditus*

Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,
Horreat, inque diem septenis oderit horis?
Quædam parva quidem: Sed non toleranda maritis.
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Græce,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. quid ultra?
Concumbunt Græce. dones tamen ista puellis:
Tune etiam, quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud:
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ. modo sub lodice relictis

Uteris

181. *Deditus.)* *Catull.* Epithal. Juliæ:
In mala deditus vir adultera.

VET. SCHOL.

192. *Tune.)* Signum est impudicæ mulieris, quæ, cum sit valde senex, alienam vult linguam imitari.

195. ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ.*)* Quibus sermonibus Græcę mulieres in concubitu solent blandiri.

GRANG.

184. *Quædam parva quidem.)* Verba Posthumi: Sunt tamen quædam fœminarum vitia exigua, nec magni ponderis.

184. *Sed non toleranda maritis.)* Respondet *Juvenalis* ita esse, sed tamen ne minima quidem a maritis toleranda.

185. *Nam quid rancidius.)* Nihil est magis auribus infestum, quam cum mulieres Græce loquuntur. *Martial.* lib. VII. epigr. XXXIII.
Qui sic rancidulo loquaris ore.
Et *Persius* Satyr. I.
Rancidulum quiddam balba de nare locutus.
Ubi *Casaubon.* & *Clavierius.*

187. *Cecropis.)* Atheniensis. *Cecrops* enim appellavit a se oppidum *Cecropiam*, quæ nunc est arx Athenis. *Plin.* lib. VII. cap. LVI.

187. *Omnia Græce, Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.)* Hæc per parenthesim velim dicta non solum in fœminas, sed in omnes Romanos, qui patrium sermonem contemnentes, Græca Latinis immiscebant, Latine loqui ignorabant, & negligebant. *Cic.* in Bruto: *Latine loqui est illud quidem, ut paullo ante dixi in magna laude ponendum: sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum. Non enim tam præclarum est scire Latine, quam turpe nescire.* Vide *Floridum Sabinum* Lection. Subsec. lib. I. cap. II. Cave igitur a *Lubino*, qui *minus* reponit, ubi est *magis*.

189. *Hoc sermone)* Græco

189. *Pavent, hoc iram, gaudia, curas.)* *Virg.* V. Æneid.
Hinc metuunt, cupiunt gaudentque. —

190. *Hoc cuncta effundunt animi secreta.)* Signanter *effundunt*. Nam, ut ait *Donat.* *Fundere verba est sine cessatione proferre.* *Virgil.* VII Æneid.
— *Ac tales effundit ad æthera voces.*
Cicero:
Effudit, quæ tacuerat. —

191. *Concumbunt Græce.)* *Concumbere* verbum ex usu obscœnum: Nam proprie est *simul cubare*.

191. *Dones tamen ista puellis.)* Verba Posthumi: Permitte tamen ista puellulis, ut Græce loquantur.

192. *Tune etiam.)* Respondet *Juvenal.* Sed quasi aversus a Posthumo dirigit sermonem ad vetulas, quæ loquebantur Græce.

192. *Sextus & octogesimus annus Pulsat.)* *Sidon. Apollin.* epist. IX. lib. V. *In annis, jam senectutis initia pulsantibus.* & carm. II.
— *Nec non pulsante senecta,*
Propert. *Urgendi* verbo:
Et te celatis ætas gravis urgeat annis.

195. ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ.*)* Similis jocus est *Martiali* in Læliam Epigr. LXVIII. lib. I.

Sed

Uteris in turba. quod enim non excitet inguen
Vox blanda, & nequam? digitos habet. ut tamen omnes
Subsidant pennæ; dicas hæc mollius Aemo,
Quanquam & Carpophoro; facies tua computat annos.

Si

Cum tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mytilene,
Sed domus in vico Lælia patritio,
Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater,
Ζωὴ καὶ ψυχή lascivum congeris usque,
Pro pudor! Hersiliæ civis & Egeriæ:
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis:
Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis, quo casta modo matrona loquaris;
Nunquid, cum crissas, blandior esse potes?
Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon,
Non tamen omnino Lælia Thais eris.

195. *Modo sub lodice relictis.*) Has voces *sub lodice* fieri jubet præceptor Amoris improbus III. de Arte:

Nec blandæ voces, jucundaque murmura cessent,
Nec taceant mediis improba verba jocis.

Vide eleg. VI. lib. III. Am.

VET. SCHOL.

196. *In turba.*) Etiam in publico.

197. *Digitos habet.*) Excitat, tanquam si manu palpetur.

198. *Subsidant pinnæ*) longa ætate. *pinnæ*, autem metaphora, quia vetulæ flaccescunt.

199 *Et Carpophoro.*) Nomen est scenici effœminati, sive histrionis.

GRANG.

196. *Quod non excitat inguen*) Verba improba, nequam, sive impudica pruritum excitare, tam certum, quam quod certissimum. Nequam, *Ovidio* verba improba, vide *Agell.* lib. VII. cap. XI.

196. *Excitet inguen.*) *Tibull.* ad Priapum de inertia inguinis:

— Repente nervos excitet libidine,
Et inquietus inguina arrigat tumor.

Martial. lib. XII. Epigr. XCIX.

197. *Digitos habet.*) i. Vox illa nequam, & blanda efficit eadem, quæ masturbator digitis, & pellice manu: non tantum de sollicitatione, quæ fieri solet, cum funerata est pars illa, qua vir Achilles est; cum dicto citius nervi parent, manusque puellarum ingenti motu replent: sed de illa remissione non toris, & pruinæ; sed ejus rei, quæ

— Sponte sua solet remitti,
Cum mens est pathicæ memor puellæ.

de qua *Martial.* lib. IX. epig. XLII.

Istud quod digitis, Pontice, perdis homo est.

Vide lib. XI. epig. XXIII. & CV. & lib. VI. epig. XXIII.

197. *Ut tamen omnes Subsidant pennæ* &c.) Crux locus hic omnibus Interpretibus; cruci alligatos sic resolvo; ex ordine constructionis non intellecto, is autem est: Quanquam dicas hæc mollius Hæmo, & Carpophoro; tamen, ut facies tua computat annos, omnes pennæ subsidunt; hoc est, quamvis, o vetula, pronuncies mollius mollibus pueris Hæmo, & Carpophoro, blanda & improba verba, quibus inguen excitari solet: tamen, ut facies tua senilis & rugosa, quæ sex octoginta annis te denotat, apparere incipit; tunc videntium omnes pennæ subsidunt; vel, ut ait *Martial*, tunc illis

— Mentula mensque cadit,
Nec possunt putidam arrigere ad vetulam.

Non lac lacti, nec aqua aquæ magis similis est, quam illud ejusdem lib. IX. epigr. XXXVIII.

Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant absentes & tibi, Galla, comæ:
Nec dentes aliter, quam Serica, nocte reponas,
Et lateas centum condita pyxidibus:
Nec tecum facies tua dormiat; innuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos jam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est;
Et sit lusca licet, te tamen illa videt.

197. *Subsidunt pennæ.*) Metaphora a pullis Gallinaceis, quos aliquo morbo correptos alas demittere videmus. *Petron.* de ea re:

Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incœpto vultus sermone movetur,
Quam lentæ salices, lassove papavera collo.

Ovid. III. Am. eleg. VI.

Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra,
Turpiter hesterna, languidiora rosa.

Tibullus:

— Nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.

Martialis:

Nec levat extinctum sollicitata caput.

Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus ; ducendi nulla videtur
Caussa : nec est , quare cœnam , & mustacea perdas,
Labente officio , crudis donanda : nec illud ,
Quod prima pro nocte datur ; cum lance beata
Dacicus , & scripto radiat Germanicus auro.
Si tibi simplicitas uxoria , deditus uni
Est animus : summitte caput cervice parata
Ferre jugum : nullam invenies , quæ parcat amanti.

Ardeat

VET. SCHOL.

203. *Labente officio.*) Discedentibus pransoribus, qui *officii* caussa conveniunt. Solebant enim antea per nuptias recedentibus *dulcia* erogari pro apoforetis.

203. *Crudis.*) Saturis & indigestis.

204. *Lance beata.*) Ampla aut plena.

205. *Dacius & Germanicus.*) Solidi ita signati, qui pro virginitate deposita novæ nuptæ donantur.

GRANG.

200. *Pactam junctamque tabellis legitimis.*) Ut plurimum sponsalitiæ conventiones referebantur in *tabulis*. Notavit *Brisson.* de Ritu Nupt. quanquam scriptura non necessaria. *l. In spons. D. de Spons.*

202. *Nec est, quare cœnam.*) Intelligit *cœnam* nuptialem , de qua *Apul.* VI. Miles. *Nec mora , cum cœna nuptialis affluens exhibetur.* de qua & idem *Apul.* Apol. II. vide. *Briss.* de Ritu Nupt.

202. *Mustacea.*) masculino *mustacei* , sive neut. *mustacea* , de quibus *Cato* , & *Pallad.* libb. de Re Rust. Gallice *du massepan.*

203. *Donanda crudis.*) Convivis *cruditate* laborantibus : ad *cruditatem* enim *mustacea* valent.

203. *Labente officio.*) *Officio*, pro iis, qui *officii* caussa convenerant. similiter Auctoribus *conjugium* pro conjuge , *remigium* pro remige : *officium* autem proprie Nuptiarum verbum , de quo dixi ad illa II. satyr.

— *Officium cras*
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officii ? Quid quæris , nubit amicus.

203. *Labente.*) Dilabente. *dilabi* enim dicitur cœtus, cum dissolvitur , seque , aut domum quisque , aut quo vocant negotia , aut denique quo fert animus , alio recipit. *Muret.* lib. XI. Variar. cap. V.

203. *Illud Quod prima pro nocte datur.*) Munus virginitatis, quod sponsæ offerebatur a marito, cum cognati sponsæ ei munera offerebant ; quod videbatur fieri eodem modo , quo nunc in Gallia ; ubi videmus lancem auream vel argenteam parari , in quam quique cognatorum nummos aureos conjiciunt. de utroque munere *Briss.* de Ritu Nupt.

205. *Dacicus , & Germanicus.*) i. Domitianus. *Domitianus* autem, pro nummo Domitiani effigie cuso. De nominibus vero *Dacici* , & *Germanici* Domitiano attributis *Martial.* epigr. II. lib. II.

Creta dedit magnum , majus dedit Africa nomen ,
Scipio quod victor , quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno ,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos :
Quæ datur ex Dacis laurea , tota tua est.

205. *Radiat.*) Splendorem emitit Solis *radiis* parem.

205. *Scripto auro.*) Nonnulli *sculpto.*

206. *Simplicitas uxoria.*) Ludit in ambiguo ; vocat enim *simplicitatem uxoriam* , unam & simplicem uxorem habere ; at ironicos , cum nihil sit minus *simplex* , quam fœmina.

206. *Deditus uni.*) Ut supra :

— *Quis deditus autem*
Usque adeo est. —

207. *Summitte caput.*) Ex ritu nuptiali. *Serv.* ad illud IV. Æneid.

Ne cui me vinclo vellem sociare jugali.

Jugum enim imponebatur matrimonio conjungendis. ad quod alludens *Horat.* lib. II. ode V.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice. —

At *jugum* signum servitutis. unde *Propert.* de uxoria illa dixit:

— *Subtrahe colla jugo.*

Ita certa est :

Νόμιζε γήμας δοῦλος εἶναι τῷ βίῳ.
Uxore ducta credito servum te esse.

209. *Ardeat*

Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis,
Et spoliis. igitur longe minus utilis illi
Uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil unquam invita donabis conjuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, hæc si nolet, emetur.
Hac dabit affectus: ille excludatur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.
Testandi cum sit lenonibus, atque lanistis
Libertas, & juris idem contingat arenæ;
Non unus tibi rivalis dictabitur heres.
Pone crucem servo. meruit quo crimine servus

Suppli-

VET. SCHOL.

209 *Ardeat illa licet.*) Quantumvis amet mulier, tamen pœnis ejus delectatur admodum, quem amat.

214. *Amicus Jam senior.*) Qui ab ineunte ætate amicitiis tuis inhæserat.

218. *Non unus tibi rivalis.*) Illius adulteros facies hæredes, illa summittente, quos voluerit.

GRANG.

209. *Tormentis gaudet amantis.*) *Propert.* eleg. VIII. lib. II.

— *Interitu gaudeat illa tuo.*

Theocrit Idyl. III.

Κἤγω μ' ἀποθάνω, τόγε μὰν τὶν ἁδὺ τέτυκται.

Et cum me occidero, tua hæc voluptas erit.

Ibidem:

— Καί τυ λύκοι ἀδὲ μ' ἔδοντο
Ὥς μέλιτοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ βρόχθοιο γένοιτο.

Lupi me comedent,
Ut hoc mel tibi dulce in gutture sit.

210. *Et spoliis.*) Hinc vocat Martial. *amicam spoliatricem.* Vide *Plaut.* & *Terent.* & quæ diximus ad illa:

— *Poscitque maritum.*

212. *Nil unquam invita donabis.*) *Plaut.* Menæchm. sc. *Ni mala, ni stulta.* graphice id depingit:

Nam quoties ire volo, me retines, revocas,
Rogitas, quo ego eam, quam rem agam, quid negotii geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim?
Portitorem domum duxi, ita omnem mihi
Rem necesse loqui est, quidquid egi, atque ago.

213. *Hac obstante.*) Contradicente. *Martial.* epigr. LXVII. lib. V.

Astra polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidæ. —

216. *Testandi libertas lenonibus.*) Indigne hæc pronuncianda, quod iis, tanquam infamibus, *testandi libertas* adimi deberet, ut & arenariis. *l.* VIII. §. IV. *Qui testam. fac. poss. D.*

216. *Lanistis.*) qui sint *Lanistæ*, *Lips.* I. Saturn. cap. XV. Glossæ: *Lanista*, λυδιστρόφος.

217. *Arenæ.*) pro arenariis, i. iis, qui in *arena* sive Amphitheatro pugnant. Vide *Lips.* de Amphith.

218. *Rivalis tibi dictabitur hæres.*) Cum scribes testamentum, non ex animi sententia facies; sed ad arbitrium uxoris, quæ tibi *dictabit* mœchos suos, quos tuos scribes hæredes. Metaphora a discipulis, quibus scribenda *dictant* præceptores. Vide *Horat.* Diximus ad illud v.

— *Dictata magistri.*

219. *Pone crucem servo.*) Verba uxoris marito: crucifige servum tuum. *ponere crucem servo* dixit, ut *Cic.* figere, in Verrem: *Ut quam damnatis servis crucem fixeras.* Phrases autem ad hoc supplicium sunt: *Cruci affigere, cruci suffigere, in cruce suffigere, cruci figere;* & ἁπλῶς, *figere, configere,* etiam *cruciare.* De quibus *Lips.* lib. I. de Cruce. Servorum autem supplicium peculiare *crux.* Idem *Lips.* ejus lib. cap. XII.

219. *Meruit quo crimine servus.* &c.) Verba mariti uxori. Similis locus est satyr. X.

— *Sed quo cecidit sub crimine? quisnam*
Delator? quibus indicibus? quo teste probavit?

Id totum ex jure Rom. qui enim criminis alicujus reum facere volebat, ejus nomen ad Prætorem deferebat, & ut reciperetur, postulabat. Sic accusator rei nomen deferebat, Judex quæstionis recipiebat. *Briss.* V. de Form.

221. *Nulla*

Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto.
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
  Imperat ergo viro: sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, & flamea conterit: inde
Advolat, & spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paullo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, & adhuc virideis in limine ramos.
Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti,

Quin-

VET. SCHOL.

221. *Nulla unquam.*) Hoc tibi uxor respondebit: De nece ingenui nulla est dubitatio; an de servi morte caussa quærenda est?

225. *Et flamea.*) Genus amiculi, quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum, propter ruborem custodiendum. *conterit* autem, exterit sæpe nubendo.

GRANG.

220. *Audi.*) Sic apud *Horatium:*

Tu, quod ego & populus mecum desideret, audi.

221. *Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.*) Publius Syrus: *Difficilem oportet habere aurem ad crimina.* Seneca: *Potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* *Sueton.* in Tiberio cap. LXXV. *Sidon. Apoll.* epist. I. *Niceph.* lib. XII. cap. XL. *Theodoret.* lib. IX. Histor. Tripart. cap. XXX. *l. si vind. Cod. de pœnis.* *Valer. Max.* lib. VIII. cap. I. exemplo ultimo, refert, matremfamilias Smyrnæam virum & filium interemisse, cum ab iis optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occisum comperisset, eamque ad Dolabellam delatam, qui ad Areopagi cognitionem relegavit; Areopagitas vero, & accusatorem & ream post centum annos ad se reverti jussisse. *Sidon. Appollin.* Epist. lib. I. epist. VII. Senatusconsultum Tiberianum triginta dierum vitam post sententiam trahere, ubi *Cujacius* Observ. libr. V. cap. IX. Senatusconsulto Tiberiano viginti dies, quos Theodosius adjecit, adnumerandos putat. *l. si vindicari. Cod. de pœnis*, quod a Tiberio damnatorum pœnam in decimum diem dilatam testentur. *Seneca* de Tranquillit. cap. XIV. *Sueton.* in Tiberio. *Tacit.* III. Ann. *Dio.* lib. LVII. Sed longe ante legem latam a Theodosio triginta justi erant dies damnatis, ut recte vidit *Savaro* ad dictum *Sidon.* locum. Vide *Cujacium* loco antedicto, & lib. XX. cap. XXXII.

222. *O demens, ita servus homo est.*) Verba fœminæ marito: Quid ais, stulte, quasi inter homines recensendus servus. quo in numero sint servi habendi, vide *Senecam* epist. XLVII.

224. *Sed mox hæc regna relinquit.*) Vide supra:

Interea calet, & regnat. —

225. *Permutatque domos, & flammea conterit.*) i. crebris divortiis maritos mutat. *Flammeum* autem erat velum, quo obnubi solita uxor, cum ad virum deduceretur. De eo *Briss.* de Ritu Nupt. *Festus* in *Flammeum*, & in *Nuptias*. Noster satyr. X.

226. *Repetit vestigia lecti.*) *Propert.* eleg. XXIX. lib. II.

Apparent non ulla toro vestigia presso.

227. *Ornatas paullo ante fores.*) De foribus ornatis frondibus in nuptiarum solemnitate supra diximus.

227. *Pendentia linquit Vela domus.*) Magnatum fores velatas fuisse *velis* liquet per nostros Auctores. Noster *Juvenal.* satyr. IX.

Vela tegant rimas, junge ostia. —

Ea Græcis *παραπετάσματα* dicuntur. *Lamprid.* in Heliogab. *Objectuque veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, se texit.* *Seneca* epist. XXC. *Levatur velum.* Ubi *Muret.* *Levatur velum*, cum omnibus patet aditus ad Dominum; inde est in libris juris, *levato velo.* Ibique notat *Erasm.* quod, ut proverbium, id dictum acceperit. De eo apud *Jurisc. l.* XII. *D. de instruct. vel instrum. leg.* & *l.* XVIII. *D. de actionib. empt.*

229. *Sic fiunt octo mariti* &c.) Intra quinque annorum spatium octo nubit maritis. de illa frequentia repudiorum *Martial.* lib. VI.

Aut minus, aut certe non plus trigesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.

Seneca III. de Benef. cap. XVI. *Nunquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam, ac nobiles fœminæ, non consulum numero, sed maritorum, annos*

suos

Quinque per autumnos : titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru :
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti :
Illa docet, missis a corruptore tabellis,
Nil rude, nec simplex rescribere : decipit illa
Custodes, aut ære domat : tunc corpore sano

Advocat

suos computant? & exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii? Tertull. Apol. cap. VI. *Repudium jam notum erat quasi matrimonii fructus.*

230. *Autumnos.*) *Autumnus* pro anno. *Martialis:*

Autumnis ibi me quatuor una tegit

sc. toga.

VET. SCHOL.

232. *Illa docet.*) Socrus filiam suam lenat, & docet eam mœchis suis caute rescribere.

GRANG.

230. *Titulo res digna sepulcri.*) Ironice. Nam univiræ mulieres, quod uni tantum conjunctæ fuerant, sepulcris inscribi curabant. *Propert.* lib. IV eleg. ult.

Jungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:
In lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Martial. epigr. LXIII. lib. X. in Epitaphio nobilis matronæ:

Una pudicitiæ mentula nota meæ.

Sic igitur multis nuptæ sepulcro non inscribebatur, nisi in probrum: nam ut ajunt:

Mulier, quæ multis nubit, multis non placet.

Pari joco, & morsu *Martialis:*

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe, quid pote simplicius?

Titulus autem heic est inscriptio monumenti. *Briss.* de Formul. ille autem *titulus* dicitur Latinis *Menaria*, & *monumentum*, ut docet *Meursius* ad *Lycophrona*.

231. *Socru salva.*) Conjugis vivente matre. *Salva* Latinis, quæ incolumis, quæ vivit. *Propertius:*

Scribam ego: Per magnum est salva puella Jovem.

232. *Docet spoliis gaudere mariti.*) Supra:

— *Tormentis gaudet amantis,*
Et spoliis. —

Nota autem *spoliis*, & *nudi*, ut supra:

— *Rigidæ tentigine vulvæ.*

Frequentes in hoc sunt Poetæ.

233. *Missis a corruptore tabellis.*) Corruptor est blandus adulter, qui muneribus expugnat pudicitiam. *ipse* satyr. I.

— *Nurus corruptor avaræ.*

Et satyr. IV.

Nemo malus felix, minime corruptor, & idem
Incestus. —

Et satyr. X.

— *Nam prodiga corruptoris*
Improbitas ipsos audet tentare parentes.

233. *Missis tabellis.*) Amatoriæ tabellæ. De quibus *Ovid.* eleg. XII. lib. I. Am.

Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ.

234. *Rescribere nil rude.*) *Ovid.* de mulieribus rescribentibus. eleg. XI. lib. I. Am.

Nec mora, perlectis rescribat multa jubeto.

Martialis:

Scripsi, rescripsit nil Nævia. —

234. *Nil rude.*) Ut, quæ non sit nequitiarum rudis, sed erudita. Sciolæ in hac arte, *eruditæ* dicebantur, & *erudiri. Propertius:*

Sive in amore rudis, sive peritus erat.

Et *Ovid.* jactat suis libb. Amatoriis se

— *Romanas erudiisse nurus.*

234. *Decipit illa Custodes.*) *Ovid.* III. de Arte:

Tot licet observent, adsit modo certa voluntas,
Quot fuerant Argo lumina, verba dabit.

Fallendi autem hos *custodes* diversos modos recitat idem nequitiæ Magister eodem, inter quos vel ille est:

Fallitur & multo custodis cura Lyæo.

D. *Hieron.* contra Jovinian. *Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat. infida enim custos castitatis necessitas.*

235. *Aut ære domat.*) Aut pecunia expugnatur. *Ovid.* eodem:

Quid juvat ambages; præceptaque parva monere,
Cum minimo custos munere possit emi?

Et paullo post:

Sed semel est custos longum redimendus in ævum;
Sæpe dabit, dederit quas semel ille manus.

235. *Corpore sano Advocat Archigenem.*) Fingit filiam morbo laborare, & appellat medicum, cum tamen sana sit. Id fieri sapiens Amoris Magister non semel docuit eleg. XI. lib. II. Am.

Advocat Archigenem, onerosaque pallia jactat.
Abditus interea latet arcessitus adulter,
Impatiensque moræ silet & præputia ducit.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.
Nulla fere caussa est, in qua non fœmina litem
Moverit. accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ, per se, formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratæ.

Endromi-

Ibit, ut affectam, quæ non languebit, amicam
Visat, & indiciis ægra sit illa tuis.

Et III. de Arte:

Cum quoties opus est, fallax ægrotet amica,
Et celet lecto, quem libet, illa suo.

VET. SCHOL.

236. *Archigenem*) Medicum magnum illius temporis. Simulat ægritudinem socrus, ut habeat facultatem ad se filia veniendi, caussa adulterii.

237. *Secretus adulter.*) Pro medico intrat adulter.

238. *Silet & præputia ducit.*) Meruit, & manu sua penem fricat sibi. Hic versiculus in quibusdam codicibus non est.

241. *Producere*) meretricem.

242. *Litem moverit.*) Uxor cum marito litigat.

245. *Celso.*) Oratori illius temporis, qui *septem libros Institutionum* scriptos reliquit.

GRANG.

236. *Archigenem.*) *Archigenes*, pro quocumque Medico, ut satyr. XIII.

Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene. —

De eo meminit *Galen.* lib. IV. de Differentiis Pulsuum, quem & fuisse Apameum Syrium dicit: in Introduct. sive Medico.

236. *Onerosaque pallia jactat.*) Ex lecto dejicit str ta, sive operimenta; quod in febris æstu fieri solet. *Ovid.* epist. Cydippes:

At mihi, væ miseræ! torrentur febribus artus,
Et gravius justo pallia pondus habent.

Baifius *pallia* putat esse, quæ nos dicimus *les draps du lict*; sed fallitur, ut docte animadvertit *Passerat.* ad illud *Propert.* lib. IV.

Tum queror in toto non sidere pallia lecto.

237. *Latet abditus.*) *Horat.* epist. I. lib. I.

— *Latet abditus agro.*

Ea mente *Virg.* III. Æneid.

— *Scuta latentia condunt.*

238. *Præputia ducit.*) Falluntur, qui heic masturbatorem agere, *præputia ducere* explicant; docet enim ipsum esse moræ impatientem, & paratum ad rem Veneream. nam *ducere* est extendere.

239. *Scilicet exspectas.*) Eadem ferme repetit ipsemet *Juvenalis* satyr. XIV.

— *Exspectas, ut non sit adultera Largæ*
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu;
Ut non ter decies respiret. —

D. *Ambros.* lib. III. de Virg. velandis: *Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* Terentius:

Sed vereor, ne me absente heic mulier corrupta sit;
Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exaugeant,
Locus, occasio, mater, sub imperio cujus est, mala.

Ubi *Donatus. Ovid.* epist. Paridis ad Helen.

Vix fieri, si sint vires in semine morum
Et Jovis & Ledæ filia, casta potes.

241. *Filiolam producere.*) *Producere, & productor* in obscœnis. sic *Plautus:*

Audientem dicto mater produxisti filiam.

Vide *Parrhas.* epist. XXVII.

242. *Non fœmina litem Moverit.*) Fœmina enim est pronta ad lites contrahendas, ait *Valer. Max.* Unde, eis, postulationibus interdictum, propter Cajam Afraniam Licinii Buctionis uxorem. *l. 1. §. sexum. D. de Postulando. & l. 11. de Reg. Jur.*

243. *Manilia.*) De *Manilia* rea *Attejus Capito* VIII. Collectan. apud *Agell.* lib. IV. cap. XIV.

244. *Formantque libellos.*) Accusatorios libellos intellige. de quibus *Brisson.* lib. V. de Formul.

245. *Principium atque locos Celso dictare paratæ.*) In

ius

Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omneis implet numeros, dignissima prorsus
Florali matrona tuba; nisi, si quid in illo
Pectore plus agitet, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a sexu? vires amat. hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri. nam quantula nostra voluptas!
Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat,

Balteus,

iis libellis *locus*, & *principium* totius negotii exponebatur. *Paulus in l. libellorum. D. de Accusationib.* Male igitur alii de *locis* oratoriis, sive argumentorum.

245. *Paratæ dictare.*) tanquam Magistræ.

245. *Celso.*) Oratori Junio *Celso*, tanquam discipulo, quod in cautione litium sint eruditiores ipso summo & oratore, & Jureconsulto.

VET. SCHOL.

247. *Vulnera pali.*) De *palo* pugnantium, habitu gladiatorum.

248. *Quem cavat assiduis sudibus.*) Obtundendo illum ferulis, in meditatione pugnandi.

249. *Atque omnes implet numeros*) hoc est, universa efficit dictata, ut tantum currat in exercitio, quantum gladiator.

250. *Florali matrona tuba.*) Qua committuntur *ludi Florales*, in quibus meretrices nudatis corporibus per varias artes ludendo discurrunt, & armis certant gladiarotiis atque pugnant. Hi ludi a *Flora* meretrice instituti sunt in honorem *Floræ*, *Deæ*, quæ *floribus* præest. Ludi sunt impudici.

252. *Quem præstare potest.*) id est, Si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat?

254. *Nam quantula nostra voluptas.*) Una uncia est libidinis in masculis, & undecim in fœminis.

255. *Auctio fiat.*) Fit nam & privatim *auctio*.

GRANG.

246. *Endromidas Tyrias.*) Mulieres exercitia virorum facere innuit. de *Endromide* autem dixi ad illud satyr. III.

— *Igniculum brumæ si tempore poscas,*
Accipit Endromidem. —

246. *Ceroma.*) Unguentum, quo ungi solebant Athletæ. de quo *Plin. Martial.* & reliqui meminerunt, indeque natum *D. Hieronymi* non inelegans dictum, *Bos ad ceroma.* Erat autem oleum ceratum; & qui ungebant Athletas, a *ceromate* dicti *ceromatistæ*. *Budæus* I. Annot. in Pand.

247. *Quis non vidit vulnera pali.*) Ut tyrones sese mulieres exercent ad *palum*. de hoc *palo Veget.* lib. I. cap. XI. de Re Militari. *Senec.* epist. XVIII. Vide *Lips.* lib. V. de Milit. Rom. cap. XIV. ubi pro *sudibus*, reponit *rudibus*.

250. *Florali tuba.*) hoc est ludis *Floralibus*. de quibus *Lactant.* lib. I. cap. XX. *Lil. Gyrald.* syntagm. I. de Diis Gent.

251. *Veræque paratur arenæ.*) His ad palum exercitiis mulieres sese præparant ad justam pugnam. Id fecisse mulieres docet plane *Lips.* Saturn. II. cap. IV.

253. *Quæ fugit a sexu.*) *Stat.* in Sylvis:

Hos inter fremitus, novosque lusus
Stat sexus rudis, insciusque ferri:
Et pugnas capit improbus viriles.

254. *Quantula nostra voluptas.*) Id ex III. *Ovid.* Transform.

— *Et major vestra profecto est,*
Quam quæ contingat maribus, dixisse, voluptas.

Fœminis enim major, quam maribus, in concubitu creditur *voluptas*. De qua re *Lucian.* dialogo Menippi, & Tiresiæ. Et in alio, cui titulus *Ἔρωτες*. Noster satyr. XI.

— *Major tamen ista voluptas*
Alterius sexus. —

Apollodor. lib. III. de Deorum Orig. & *Hygin.* fab. cap. LXXV. & ex medicis *Avicenna* lib. IX. de Animalib. & *Galen.* lib. IX. de Morbis, & Symptomatis. Aliter tamen sentit *Hippocrates* sive *Polybus* in lib *περὶ γονῆς*, scilicet virum in coitu majore voluptate affici.

255. *Quale decus rerum.*) Ipse satyr. VIII.

— *Et illud*
Dedecus Urbis habe. —

257. *In*

Balteus, & manicæ, & cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegmen: vel si diversa movebit
Prælia, tu felix ocreas vendente puella.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanta galeæ curetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,
Et ride, positis scaphium cum sumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cœcive Metelli,

Gurgitis

VET. SCHOL.

256. *Balteus & tunicæ*) Retiarii scilicet, si personam aut officium ejus susceperit.

257. *Tu felix ocreas.*) Si in auctione uxoris veneant arma gladiatoria, *πομπὴ ἀγχημοσύνη Ocreas* dicit, quas Retiarii aut Secutores habent.

260. *Panniculus bombycinus.*) Sericus. id est, etiam Sericis vestibus gravatur.

261. *Monstratos*) a campidoctore.

263. *Poplitibus sedeat.*) Super poplites suos sedit, quod dicitur *sedere & surgere*.

263. *Fascia libro.*) Volumen in specie libri, id est, longa *fascia*.

264. *Scaphium cum.*) Et cum posuerit arma post meditationem, & ut ceperit vas, ut bibat, *ride.*

GRANG.

256. *Balteus, & manicæ.*) *Just. Lips.* Saturn. II. cap. XI. notat hos versus referendos ad *Samnitium* armaturam; quam, ut nobiliorem, fœminæ nobiles adfectabant.

256. *Crurisque sinistri Dimidium tegmen.*) *Livius* de Armis Samnit. verba faciens: *Spongia pectori integumentum, & sinistrum crus ocrea tectum, galeæ cristatæ.*

257. *Vel si diversa movebit.*) Si diversa a Samnitibus prælia uxor tua movet: si aliud genus gladiatorum sequitur.

258. *Tu felix*) Marite.

258. *Vendente puella.*) uxore tua.

258. *Ocreas*) ambas, in auctione. Ceteri gladiatores utroque crure *Ocreis* tecti sunt. At *Samnites* una contenti, eaque in sinistro.

259. *Quæ tenui sudant in cyclade.*) *Joannes Salisb.* Polycrat. VIII. cap XII. *Alter solis lineis brumæ horrores excludit: & dum omnia gelu constricta rigent, tenui sudat in cyclade, & illius delicias etiam Bombycinus urit pannus, aut premit. Sid. Apoll.* Epist. II. lib. II. *Et nunc dum in carbaso sudat unus, alter in bombyce. Cyclas* autem fœmineæ vestis genus. *Serv.* ad illud I. Æneid. *Gentemque togatam. Ascon.* III. Verr. *Non.* in *Toga.* Sic dicta a *rotunditate.*

260. *Panniculus Bombycinus.*) Non Sericus, ut quidam putant; aliud enim *Sericus* pannus, aliud *Bombycinus*: *Bombycinus* ex vermibus; *Sericus* ex arborum lana. *Just. Lips.* ad *Tacit.*

260. *Urit.*) Premit, cruciat. *Horatius*:

— Ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.

Propert. eleg. III. lib. IV.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?

261. *Adspice.*) Oculis subjicit fœmineam pugnam. describit & idem *Juvenal.* gladiatoriam pugnam, sed inter homines, satyr. VIII.

261. *Ictus monstratos*) a Lanista.

264. *Ride.*) Horatius:

Quid pauper? ride, mutat cœnacula. —

264. *Cum sumitur scaphium positis armis.*) Non mihi arridet commentum *Turnebi* lib. II. Advers. cap. ult. Nec quæ *Douza* ad *Plaut.* Nec heic *scaphium* sumi credam pro vase, cui immejere solent mulieres; sed simpliciter pro capitis muliebris ornamento, quod & nos dicimus *Esophion.* Tunc enim risui locus, cum positis armis videmus sumere vestimenta muliebria eas, quas antea viros credebamus.

265. *Dicite vos neptes.*) *Martial.* lib. III. epigram. XXCVIII.

Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

265. *Lepidi.*) M. Æmilii Lepidi.

265. *Cæcique Metelli*) Pontificis, de quo satyr. III. Obcæcatus autem factus viso Palladio. *Vetus Scholiastes Statii* ad illud:

Pervigilemque focis ignem longæva Sacerdos
Nutriet, arcanum non inspectura pudorem.

Plinius

Gurgitis aut Fabii, quæ ludia sumserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asylli?
Semper habet liteis, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet. minimum dormitur in illo.
Cum gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem,
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis

Exsorbes.

Plinius: *Metellus orbam luminibus exegit senectutem amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ.*

VET. SCHOL.

266. *Quæ ludia.*) Quando hoc habitu visa sit uxor gladiatoris?

274. *In statione sua.*) Metaphora a militibus in statione: quoniam milites semper ad ambulandum parati sunt, quacunque illis hora jubeatur.

276. *Tu tibi tunc uruca.*) *Uruca* mimologi stupidi nomen finxit, quia ferme quasi frequenter fallitur, cum agit personam mariti. vel, ut alii dicunt, genus est animalis fœdi, spinosi, ut ericius. *Uruca* autem est proprie illud, quod in faba nascitur, ut gurgulio.

GRANG.

266. *Gurgitis Fabii.*) *Gurgites* ipsi homines dicuntur; id cognomen hæsit Q. Fabio Rulliani filio, a devorato patrimonio; *Plutarch.* vertit λαίμαργον, i. helluonem, voraginem.

268. *Semper habet liteis.*) *Ovid.* II. de Arte:

Lite fugant nuptæque viros, nuptasque mariti,
Inque vicem credunt rem sibi semper agi.
Hoc deces uxores, dos est uxoria lites.

Plaut. Casina sc. *Una ædepol.* Ubi Stalino & Olympio:

STA. *Quid istuc est? quicum litigas Olympio?*
OL. *Cum eadem, qua tu semper.* ST. *cum uxorene mea?*
OL. *Quam tu mihi uxorem? quasi venator tu quidem es,*
Dies ac noctes cum cane ætatem exigis.

Varius Geminus declamator apud *D. Hieron.* lib. I. in Jovinian. *Qui non litigat, cælebs est.* Quod retulit *Erasmus* inter Proverbia. Facetum ad hanc rem Epitaphium vix Tiburtinæ:

HEUS VIATOR MIRACULUM. HEIC VIR ET UXOR NON LITIGANT. QUI SUMUS NON DICO. AT IPSA DICAM. HIC BAEBIUS EBRIUS EBRIAM ME NUNCUPAT. HEI UXOR ETIAM MORTUA LITIGAS.

168. *Alterna jurgia.*) *Propert.* eleg. v. lib. IV. dixit *alternas lites*:

Litibus alternis quos putet esse datos.

270. *Pejor orba tigide*) *Martial.* lib. IV.

Ut tigris orba natis.

271. *Cum simulat gemitus.*) *Ovid.* eleg. VIII. lib. I. Am.

Et, quasi læsa prius, nonnunquam irascere læso,
Vanescat culpa culpa repulsa tua.

272. *Ficta pellice plorat.*) Magister Amoris III. de Arte:

Accedunt lacrymæ, dolor & de pellice fictus,
Et laniet digitis illius ora suis.

273. *Uberibus semper lacrymis.*) *Ovidius* lib. I. Am. eleg. VIII.

Quin etiam discunt oculi lacrymare coacti,
Et faciunt udas ille vel ille genas.

Et III. de Arte:

Quo non ars penetrat, discunt lacrymare decenter,
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

275. *Quo jubeat manare modo.*) *Propert.* eleg. XIII. lib. IV.

Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadit.

274. *Tu credis amorem.*) Merum illud *Ovidianum* est lib. III. de Arte:

Jamdudum persuasus erit: miserebitur ultro,
Et dicet: Cura carpitur ipsa mei.
Præcipue si cultus erit, speculoque placebit,
Posse suo tangi credet amore Deas.

276. *Curruca.*) Hujus loci diversa est lectio. *Vetus*

Exſorbes. quæ ſcripta, & quas lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ!
Sed jacet in ſervi complexibus, aut equitis. dic,
Dic aliquem, ſodes, heic Quintiliane colorem.
Hæremus. dic ipſa: Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles: nec non ego poſſem
Indulgere mihi: clames licet, & mare cœlo
Confundas, homo ſum. Nihil eſt audacius illis
Deprenſis: iram, atque animos a crimine ſumunt.
Unde hæc monſtra tamen, vel quo de fonte requiris?
PRÆSTABAT caſtas humilis fortuna Latinas

Quondam

Scholiaſt. legit *uruca.* alii *eruca.* nonnulli *urtica*: maxima pars *currucam* retinet, quod *curruca* ſit avis, quæ a Græcis ὑπολαὶς dicitur, in cujus nidum cucullus ſolet ſua ova transferre. At *Alciat. Currucam* vocem barbaram omnino putat, Parerg. Jur. lib. VII. cap. V. neque *Theodorum Gazam*, cum VI. *Ariſt.* de Hiſt. Animal. transferret, ſatis intellexiſſe, quæ Latinis avicula eſſet ὑπολαὶς, & nullibi hanc reperiri vocem, magisque vel *urticam*, vel *erucam* in *Juvenale* legendum.

276. *Fletumque labellis Exſorbes.*) *Ovid.* II. Amorum:

Et videat flentem, nec tædeat oſcula ferre,
Et ſicco lacrymas combibat ore tuas.

Idem III. Faſt.

Occupat amplexu, lacrymas per oſcula ſiccat.

VET. SCHOL.

280. *Quintiliane.*) *Quintilianus* orator egregius. *dic* orator *colorem*, ad defenſionem hujus cauſſæ.

281. *Hæremus. dic ipſa.*) Tanquam orator reſponderit, mulier deinde ſuum crimen defendit.

284. *Homo ſum.*) Nata ſum, ut peccem.

285. *Iram atque animos.*) Quanto ingentius crimen eſt, quod admittitur; tanto deprehenſæ majorem induunt ad defendendum audaciam.

GRANG.

278. *Scrinia.*) Iſidorus: *Scrinia, vaſa in quibus ſervantur libri.* Horatius:

— *Calamum, & chartas, & ſcrinia poſco.*

unde in Cod. *Scrinia libellorum.* Noſtris *un écrain.*

279. *In ſervi complexibus.*) Petronius: *Nam quod ſervum & humilem te fateris, accendis deſiderium æſtuantis: quædam enim fœminæ ſordibus calent, nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint* &c.

280. *Sodes.*) *Si audes*, hoc eſt, ſi vis & placet. *Audere* enim pro poſſe & velle uſurpatur. *Plautus*:

Nihilne me adjuvare audes.

id eſt, vis, potes.

281. *Olim.*) cum de Nuptiis primus habitus ſermo.

281. *Convenerat.*) Verbum nuptiale: de quo ſupra ad illud:

Conventum & pactum. —

283. *Mare cœlo Confundas.*) *Ipſe* ſatyr. II.

Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo.

184. *Homo ſum.*) Appellatione *hominis* mas & fœmina continetur. *Apul.* lib. V. Mileſ. *Votivis nuptiis hominem te jungemus homini. Servius Sulp* epiſt. ad Cic. *Paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* Illud autem *Plaut.* eſt:

— *Nihil eſt jam, quod tu mihi ſuccenſeas;*
Fecere tale ante alii ſpectati viri,
Humanum amare eſt, humanum autem ignoſcere eſt.

284. *Illis Deprenſis.*) *Deprehendi* verbum, de iis, qui in aliquo crimine oſtenduntur. *Sidon.* epiſt. *Ovid.* lib. I. Am. eleg. IX. & II. de Arte:

Creſcit amor prenſis. —

285. *Iram atque animos a crimine ſumunt.*) Notatio rhetorica, de ingenio muliebri. *Scalig.* VI. Poetic.

286. *Unde hæc monſtra tamen.*) Verba Poſthumi à *Juvenale* petentis, unde, & ex qua origine tot vitia mulierum procederent.

287. *Præſtabat caſtas.*) Reſpondet *Juvenal.* luxum, & opes, & deſidiam horum omnium vitiorum cauſſam: cum antiquæ Romanæ labori deditæ & pauperes caſtæ permanſerint. *Ovid.* I. Faſt.

Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu,
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Et II. de Remed. Am.

Divitiis alitur luxurioſus amor.

Et

Quondam, nec vitiis contingi parva ſinebant
Tecta labor, ſomnique breves, & vellere Tuſco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi
Hannibal, & ſtantes Collina turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.
Nullum crimen abeſt, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perIt: hinc fluxit ad iſtos,
Et Sybaris colleis: hinc & Rhodos, & Miletos,

Atque

Etenim

Non habet, unde ſuum paupertas paſcat amorem.

Tibull. lib. I. eleg. ult. *Horat.* epiſt. I. ad Julium.

287. *Humilis fortuna.*) Inter alios, de humili Rom. fortuna initio naſcentis Reipub. vide *Propert.* eleg. I. lib. IV.

VET. SCHOL.

289. *Tecta labor.*) Nam *labor* cuſtos eſt caſtitatis.

291. *Collina turre.*) Collino monte, ut porta.

293. *Victumque ulciſcitur orbem.*) Orbem, quem nos ſubegimus, laſcivitas, quæ nos invaſit, defendit.

296. *Et Sybaris colles.*) *Sybarim* civitatem in Italia Philoctetæ comites condiderunt: quæ urbs poſtea in tantum prolapſa eſt in omne probrum continua felicitate, ut nomen ad ſignificationem *impudicitiæ* ſignificare videatur. Similiter & *Rhodos* & *Miletos* in Græcia civitates. *Petulans* autem dicit, quia adverſum Romanos bellum ſæpe moverunt, & ſe Pyrrho ſociarunt. *coronatum*, in conviviis. *madidum*, fluxum.

GRANG.

288. *Nec vitiis contingi parva ſinebant Tecta labor.*) Inertia enim luxus mater:

Otia ſi tollas, periere Cupidinis artes.

288. *Contingi vitiis.*) Pollui, coinquinari. Hinc *contagium* Iſidoro a *contingendo*, quia, quem *tetigerit*, polluit.

288. *Parva Tecta.*) Humiles caſæ *Propertio*, *Tibullo*, *Virgilio* VIII. Æneid. de Romuli domo:

Romuleoque recens horrebat regia culmo.

Vide *Livium*, & *Dionyſ.*

289. *Somnique breves.*) Contra *Horat.* *ſomnum* appellat *longum* ode XI. lib. III. ſed de morte intelligit; *mors* enim longus ſomnus. *Somni* autem Rom. mulierum *breves*, quod fallerent ſtamine noctem.

289. *Vellere Tuſco Vexatæ duræque manus.*) *Ovid.* de medicamine faciei:

Forſitan antiquæ Tatio ſub Rege Sabinæ
Maluerunt, quam ſe, rura paterna coli:
Cum matrona premens altum rubicunda ſedile
Aſſiduo durum pollice nebat opus.

290. *Proximus Urbi Hannibal.*) Alludit ad illud: *Hannibal ad portas.* *Salluſt.* in Jugurtha: *Metus hoſtilis in bonis artibus civitatem retinebat.*

291. *Stantes Collina turre mariti.*) De turribus Romanis *Propert.* lib. IV. eleg. II.

Hanc videt ante cavas vibrantem ſpicula turres
Romulus. —

Ibi autem *Collina turris*, pro, Collina porta: Tangit enim Hiſtoriam, quam refert *Livius* lib. XXVIII. ſcilicet, Hannibalem ad Herculis fanum extra Collinam portam progreſſum fuiſſe, quem expulſari exſpectabant in *Collinæ portæ turribus* Romani. *Feſt.* in *Ridiculi* & *Propert.* eleg. III. lib. III. *Varro* apud *Nonium* in *Tutanus.*

292. *Sævior armis Luxuria incubuit.*) Romanas mentes obſedit, occupavit. *Horat.* ode III. lib. I.

Poſt ignem ætherea domo
Subductum macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.

293. *Victumque ulciſcitur orbem.*) Non abſimile illud *Horat.* II. Epiſt. lib. epiſt. I.

Græcia capta ferum victorem cepit. —

293. *Victum orbem.*) Petronius:

Orbem jam totum victor Romanus habebat.

294. *Ex quo Paupertas Romana perIt.*) Livius: *Quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat: nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum: atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexere.* Vide carmen Eumolpi apud *Petronium.*

295. *Hinc fluxit ad Iſtros.*) Alii *Indos* legunt. quidam *Iſtmos*: unde Pithœus ex conjectura reponit:

— *Hinc fluxit ad iſtos,*

Et

Atque coronatum & petulans madidumque Tarentum.
Prima peregrinos obscœna Pecunia mores
Intulit: & TURPI fregerunt secula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis, & capitis quæ sint discrimina, nescit;
Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,
Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.

I nunc

Et Sybaris colles, hinc & Rhodos, & Miletos. quam correctionem prius vidit *Hieron. Nogarola* apud *Parrhas.* de Reb. per epist. Quæsit. epist. XXVIII.

VET. SCHOL.

298. *Obscœna pecunia.*) Quia ore obscœno sunt. *Horatius* de hujusmodi:

— Superbo provoces ab inguine,
Ore adlaborandum est tibi.

304. *Cum bibitur concha.*) non calicibus.

GRANG.

297. *Coronatum Tarentum.*) Tarentinos ebrios. Potis decebat *coronari. Lips.* III. Antiq. Lect. *Horat. molle & imbelle Tarentum* vocat. Sidon. *unctam Tarentum.*

298. *Peregrinos mores Intulit*) Persarum, & Græcorum, qui voluptatibus diffluebant.

299 *Fregerunt secula luxu Divitiæ molles.*) *Propert.* lib. III. elegia XIII.

Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.

Fregerunt, corruperunt, enervarunt. Sic apud *Livium* Capua dicitur *fregisse Hannibalem.*

300. *Quid enim Venus ebria curat.*) *Valer.* lib. II. cap I. *Vini usus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.* Seneca epist. XXCIII. *Omne vitium ebrietas & intendit & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet.*

301. *Inguinis & capitis quæ sint discrimina.*) Obscœnitas eorum, qui sunt spiritu impuro, quique ori morigerantur, & capiti illudunt, denotatur. Vide *Erodæum* lib. II. cap. XXI. Miscell.

302. *Mordet grandia ostrea.*) *Ostrea* in neut. gen. enunciari negat *Servius* ad illud I. Georg.

Pontus & ostrifert fauces tentantur Abydi.

quod falsum, nec tunc mihi animus probare.

302. *Grandia ostrea.*) *Plin.* cap. VI. lib. XXXII. *In Indico mari Alexandri rerum auctores pedalia, nec non inter nos nepotis cujusdam nomenclator tridacna appellavit, tantæ amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent.*

302. *Mediis noctibus.*) Tangit intempestiva fœminarum convivia, quæ ad mediam ducebant noctem, imo ad ipsum diem. *Propert.* de sua Cynthia. lib. II. eleg XXXIII.

Lenta bibis: mediæ nequeunt te frangere noctes.

303. *Cum perfusa mero.*) *Plin.* lib. XIII. cap. III. *At Hercule jam quidam addunt in potu* (unguenta) *tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* Quare & *Martial.* lib. XIV. epigr. CX.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Quid autem *sitis foliata*, dicemus infra.

303. *Spumant Falerno.*) *Sidon.* Epist. XIII. lib. II. *Spumarent Falerno gemmæ capaces, inque crystallis calerent unguenta glacialibus.*

304. *Cum bibitur concha.*) *Vetus Scholiastes* per *concham* intelligit vas amplum. sed errat, ut multoties. Per *concham* vas geminatum intelligit. De quibus nos diximus ad satyr. V.

304. *Cum jam vertigine tectum Ambulat.*) *Seneca* epist. XXCIII. de ebrietatis vitiis: *Adjice illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum.*

305. *Geminis exsurgit mensa lucernis.*) *Horat.* Serm. II. satyr. I.

— Ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Ovid. III de Arte:

Aptius est, deceatque magis, potare puellas:

Cum

I nunc, & dubita, qua sorbeat aera sanna,
Tullia quid dicat notæ Collacia Mauræ,
Maura Pudicitiæ veterem cum præterit aram.
Noctibus heic ponunt lecticas, micturiunt heic,
Effigiemque Deæ longis siphonibus implent,
Inque vices equitant, ac Luna teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
Conjugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta Deæ, cum tibia lumbos

Incitat

Cum Veneris puero non male Bacche facis.
Hoc quoque, quam patiens caput est, animusque, pedesque
Constent: nec quæ sint singula, bina vide.

Arist. in Problem. id accidere dicit, quod aspectuum principia moventur a vino. Id *Lucret.* attribuit opinio-ni animorum. Vide proverbium, *E duobus tria vides.* *Lactant.* de Opific. Dei cap. IX. *Furiosis & ebriis omnia duplicia videntur.*

VET. SCHOL.

306. *Qua sorbeat aera sanna.*) Revocato naribus spiritu, insultet ebria, ac per hoc ronchos ducat.

309. *Heic ponunt lecticas.*) Apud Pudicitiæ aram concumbunt, & urinam faciunt.

310. *Longis siphonibus.*) Jactationibus lotii.

312. *Tu calcas.*) Tu, cum mane processeris, lotium calcas uxoris tuæ.

314. *Nota Bonæ secreta.*) Templum inde intravit Clodius pro psaltria, & cum uxore Pontificis concubuit. Ibi nam saltat matrona cum tibia.

GRANG.

306. *I nunc.*) Εἰρωνεία, familiaris Nostro, & aliis poetis. *Ovid.* epist. Dejanitæ:

I nunc, tolle animos, & fortia facta recense.

306. *Qua sorbeat aera sanna.*) Exprimit gestum irridentium, qui extensis paullulum labiis, cum certo sibilo aëra solent sorbere. & tribus aliis *sannarum* generibus, *Casaubon.* ad *Persium.* Illud adjungere non erit inutile, *sanna* alias pro *irrisione.* Glossæ: *Sanna*, μῶκος.

308. *Dum præterit aram Pudicitiæ.*) Duo Pudicitiæ templa Romæ, unum *Pudicitiæ Patriciæ* in foro boario: alterum *Pudicitiæ Plebejæ* in vico longo. *Pudicitiæ patriciæ aram* intelligit, quæ antiquior, quam *ara Pudicitiæ plebejæ*, cujus originem tangit *Festus* in *Plebeja.* cujus lacunam efficies ex verbis *Livii* lib. X.

309. *Micturiunt heic.*) In contemtum Deorum immingebant in statuas. Noster:

Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.

310 *Longis siphonibus.*) *Siphones* sunt fistulæ, per quas aqua fluit, a sono, quem quodammodo exprimunt, dictæ. Putaverunt propterea nostri Interpretes, per *Siphones* intellexisse *Juvenalem* urinæ meatus in corpore, ex quibus urina exit. nil minus. intelligit ipsam urinam longo tractu in effigiem Deæ projectam, quod faciebant mulieres impudicæ, manu suos locos premendo, diutiusque eam retinendo: sic enim urina prius coacta majori prosilit impetu, quem tractum urinæ exsilientis a *Juvenale*, *siphonem*, appellatum, non est, qui dubitare possit. sic confirmatur ex *Seneca* II. Natural. Quæstionum cap. XVI. *Solemus duabus manibus junctis aquam concipere, & compressa utrinque palma in modum siphonis exprimere.*

311. *Inque vices equitant.*) Tribadas tangit, quæ masculam libidinem exercent. de quibus *Martial.* lib. I. epigr. LVIII. lib. VII. epigr. LXIX. Et *Lucian.* in *Ἐρωτες.*

311. *Equitant.*) Gallis simile est verbum in re obscœna. *Propert.* circuitione usus dixit, *iter facere.* vide *Passerat.*

312. *Calcas urinam Conjugis.*) Dum transis per forum boarium, & ante aram Pudicitiæ Patriciæ.

313. *Magnos amicos.*) Qui sint *magni amici* diximus ad illud satyr. I.

— *Magni delator amici.*

314. *Bonæ Deæ.*) Quæ *Fatua*, sive *Fauna* appellatur: soror *Fauni*, vel, ut alii volunt, *conjux.* vide *Lactant.* Inst. I. cap. XXII.

314. *Cum tibia.*) quæ in sacris Bonæ Deæ adhibebatur. *Noster* satyr. II.

— *Nullo gemit heic tibicine cornu.*

314. *Lumbos Incitat*) ad libidinem. *Lumbi* enim a libidine, quod in eis sit Veneris sedes. Sic *Persius* satyr. I.

— *Dum*

Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades. o quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas posita Saufeja corona
Provòcat, attollit pendentis præmia coxæ.
Ipsa Medullinæ fluctum crissantis adorat.
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo

Laomedon-

— *Cum carmina lumbum*
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.

VET. SCHOL.

316. *Priapi.*) id est, non Liberi patris Bacchæ, sed Priapi.

320. *Saufeja.*) Sacerdotis nomen.

321. *Præmia coxæ.*) Ad certamen facit crisare. alias *pernæ*, ut pro præmio perna esset.

322. *Ipsa Medullinæ.*) Duæ *Medullinæ* eodem fuerunt tempore: ex quibus una Val. Claudio nupta fuit: altera Neroni. prior nota omnibus probris, quam hic significat. posterior famæ honestioris.

322. *Crisantis.*) *Crisare* mulierum, *cevere* virorum est. Hinc *cevetes*, molles & obscœni appellantur.

322. *Fluctum.*) id est, habet potiorem in obscœnis moribus motum sive sinum.

GRANG.

315. *Vinoque feruntur.*) *Vinum* enim in sacrificiis Bonæ Deæ. *Sext. Clod.* apud *Lactant.* lib. 1. Instit. cap. XXII. Et *Arnob.* lib. v. illud autem *Lac* nominabatur. *Macrob.*

316. *Crinemque rotant.*) *Lucan.* lib. I.

— *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.

Apul. VIII. de Asino aur. *Denique demisso capite cervices lubricis intorquentes motibus, crinesque pendulos rotantes in circulum.* *Fabius* lib. II. *Caput jactare, & comas rotare fanaticum est.*

316. *Ululantque.*) Supra *Lucanus*:

— *Ulularunt tristia Galli.*

Virgil. VII. Æneid.

Aut aliæ tremulis ululatibus æthera complent.

316. *Priapi Mænades.*) Sacrificulæ Bacchi proprie *Mænades*, παρὰ τὸ μαίνεσθαι ab insaniendo; sed ad alios Deos referuntur, ut apud *Propert.* *Mænas* pro *Phœbade*, eleg. XIII. lib. III.

318. *Quæ vox saltante libidine.*) Dum *libidine trepidant*, quem edunt gannitum, quam vocem? *Persius*:

— *Heic neque more probo, neque voce serena*
Ingentes trepidare Titos. —

320. *Lenonum ancillas*) i. Meretriculas. Vide, quæ Ballio apud *Plaut.* Pseud. sc *Exhibe.* & *Juvenalem* ipsum alibi.

320. *Laufella.*) Matrona. De qua *Martial.* epig. LXXII. lib. III.

Vis futui, nec vis mecum, Laufella, lavari.

321. *Pendentis coxæ præmia.*) Pendulæ Veneris præmium, ut quæ alias subagitaret. frustra heic Interpretes aliter sentiunt. *Apul.* lib. II. *Hæc* (Photis) *inscenso grabatulo super me sensim subsidens, ac crebre subsiliens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens; pendulæ Veneris fructu me satiavit.*

322. *Frictum crissantis adorat.*) i. Illa Laufella magni fecit Medullinæ *crissantis frictum*, & lubricos motus: nam sub Laufella Medullina jacebat, quæ frequenti subsultu tribadem Laufellam agitabat. *Crissare* autem verbum Tarentinum, quod *prurire* significat, a Græco κνισσᾶν, seu κνιζᾶν, *n*, in *r*, mutata.

322. *Frictum.*) Unde *frictrices* dictæ tribades *Tertulliano.*

325. *Quibus incendi jam frigidus ævo &c.*) *Ovid.* lib. III. Am. eleg. v.

Illius attactu Pylius juvenescere posset,
Tithonusque annis fortior esse suis.

Martialis:

Ulcus habet, Priami quod tendere posset alutam,
Quodque senem Pylium non sinat esse senem.

335. *Et*

Laomedontiades, & Nestoris hernia possit.
Tunc prurigo moræ impatiens, tunc fœmina simplex,
Et toto pariter repetitus clamor ab antro:
Jam fas est. admitte viros. jam dormit adulter.
Illa jubet sumto juvenem properare cucullo.
Si nihil est, servis incurritur. abstuleris spem
Servorum, venit & conductus aquarius. hic si
Quæritur, & desunt homines: mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem summittat asello.
Atque utinam ritus veteres, & publica saltem
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Noverunt Mauri, atque Indi, quæ psaltria penem

Majorem

VET. SCHOL.

335. *Et publica saltem.*) Quia habebant & privati sua sacra antea.

337. *Quæ psaltria.*) De *psaltria*, id est, de Clodio dicit, qui templum Bonę Deę ingressus habitu *psaltriæ*, adulterium admisit.

GRANG.

326. *Laomedontiades.*) Priamus Laomedontis filius, quem propterea *Virg.* *Laomedontiadem Priamum* vocat.

326. *Nestoris hernia.*) Querolus *Plauti*: *Suscipe quod exoptas, toto cum choro sume Paphien, Citheren, Briseiden, sed cum pondere Nestoris.* *Hernia* autem παρὰ τὸ ἔρνος quod, cum intestinum incipit in scrotum descendere, videtur ramum facere: unde & *ramex* etiam dictus. *Scalig.* in Catalectis. Vulgo *gravedinem* vocant, *une greveure*, a gravitate ponderis. Unde *Arnob.* lib. VII. *Ingentium herniarum magnitudine ponderosi.* *Hernia* autem dicitur *Enterocela*, *Martiali* lib. X. epig. LVII.

327. *Prurigo moræ impatiens.*) Supra:

—. Secretus adulter
Impatiensque moræ silet, & præputia ducit.

327. *Fœmina simplex.*) Ironice. *simplex* enim mulier est, quæ virum nondum cognovit. *Martial.* lib. IX. epig. XLI.

Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castæ quoque diligunt Sabinæ.

Et lib. XII. epigr. XXXV.

Tanquam simpliciter mecum, Callistrate, vivas,
Dicere præcisum te mihi sæpe soles:
Non es tam simplex, quam vis, Callistrate, credi,
Nam, quisquis narrat talia, plura tacet.

Vel, *simplex fœmina* heic, quæ non agit virum, non tribas, non frictrix, sed partes suas sustinere contenta.

328. *Repetitus clamor ab antro.*) An per contemtum vocavit Bonæ Deæ templum *antrum*, an alludit ad ejus etymologiam, ἄντρον scilicet, παρὰ τὸ ἄντειν, quod est *supplico*, quia in *antris* supplicare moris erat?

331. *Servis incurritur.*) *Lips.* lib. II. Epist. Quæst. epist. IX. putat hos versus desumtos ab *Aristophane* in Θεσμοφ. Apud quem Mnesilochus simulata mulier de hoc sexu fatetur:

Ταῦτ' οὐδεπώποτ' ἐφώρασ' Εὐριπίδης.
Οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κ' ὀρεωκόμων
Σποδούμεθ', ἢν μὴ 'χωμεν ἕτερον, οὐ λέγει.

Id est:

Hæc nunquam deprehendit Euripides.
Neque ut a servis, & mulionibus
Subagitamur, si non habuerimus alterum, non dicit.

334. *Clunem submittat asello.*) *Lucian.* in Asino, & *Apul.* X. Miles. asinis succumbere matronas docuere. Unde illud *Levitici* cap. XVIII. *Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei.* Et cap. XX. *Mulier, quæ succubuerit jumento, simul interficietur cum eo.* Sic in *Decretal.* cap. *Mulier.* XV. quæst. I.

336. *Omnes Noverunt Mauri.*) Proverbialis formula, qualis illa alia: *Lippis & tonsoribus notum.*

336. *Quæ psaltria.*) Quis ille sit, qui habitu *psaltriæ* sacra Bonæ Deæ polluerit, & Pompejam Cæsaris uxorem constupraverit. *Plut.* in Cæsare. *Sueton.* in Julio.

337. *Penem Majorem &c.*) Facete *penem Clodii*, *Cæsaris duos Anticatones* magnitudine excessisse, hoc est,

Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragileis de monte patellas
Ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram: cohibe. sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est, & ab illis incipit uxor.

Jamque

est, mentulam illius *Clodii*, duplo majorem Cæsaris mentula: ob idque, propter tam opulentum peculium, Pompejam Cæsaris uxorem magis dilexisse Clodium, quam Cæsarem. Quare autem Cæsaris mentulam *Anticatonem* vocet, in promtu est. Nam Cæsar corrupit Serviliam Catonis sororem; unde merito illius penis *Anticato*. Quod audaciuscule dixit etiam *Juvenal.* quod ipse Cæsar librum adversus librum *Ciceronis*, cui titulus *Cato*, composuisset *Anticatonis* nomine. At studiosi antiquitatis sciunt libros (qui ob id dicti *volumina*) in orbem plicatos, & penis quodammodo seu longitudine, seu rotunditate similitudinem præ se tulisse.

VET. SCHOL.

338. *Duo Cæsaris Anticatones.*) *Cæsar* bello civili, cognita Catonis morte, cujus virtutem dialogo illo, qui inscribitur *Cato*, *Cicero* etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos *Anticatones* inscripsit.

339. *Testiculi sibi conscius.*) Ad templum, ubi non est fas intrare nec murem masculum.

341. *Alterius sexus*) masculini.

343. *Simpuvium.*) Vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices lavare solebant. *Simpuvium* autem, quia omnes sacerdotes *simul bibebant*. inde *simpuviatrix* illa dicitur, quæ porrigit poculum ipsum.

345. *Ad quas non Clodius aras*) Pro Claudius. licet nam per communionem, ut *Clodius* & *Claudius*, ut *cotes* & *cautes*, ut *auriga* & *origa*.

347. *Pone seram*) januæ, id est, include uxorem.

348. *Et ab illis incipit uxor.*)

— Sint nunc lascivæ furta puellæ
Hac mercede silent: crimen commune tacetur.

GRANG.

339. *Unde mus testiculi conscius fugit.*) Facete, nam ut ait *Tibullus*:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Propert. eleg. IV. lib. X. *Ovid.* III. de Arte am. *Noster* satyr. II. *Fest.* in *Religiosus*. *Lactant.* lib. I. *Plut.* in Cæsare. *Macrob.* *Cic.* de Arusp. responsis: *Sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, aspici fas est.*

340. *Ubi velari pictura jubetur.*) Pictura maris imaginem exhibens absconditur *Seneca* epist. XCVII. *Submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur.*

342. *Et quis tunc.*) *Juvenalis* heic unus est ex illis, de quibus *Horatius*:

— Laudator temporis acti.

At melius *Seneca* ead. epist. XCVII. *Erras, mi Lucili, si existimas nostri sæculi esse vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia, quæ objicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacavit a culpa.*

342. *Contemtor numinis.*) *Virg.* VIII. Æneid.

Contemtorque Deum Mezentius. —

343. *Sympuvium Numæ.*) *Hadrian. Junius* Animadvers. II. cap. X. veteres usos fuisse vase fictili, quo libarent; ipsumque tribus nominibus efferri ostendit, *sympullum*, *sympuvium*, & *sympinium*, παρὰ τὸ συμπίνειν, hoc est, a combibendo. *Fest.* in *Sympullo*. *Erasm.* in Proverbiis.

343. *Nigrumque catinum.*) Alia lectio: *Priscumque catinum.*

347. *Pone seram, cohibe.*) Custodiebantur antiquis fœminæ, quod sexcentis locis probare non mihi, si vellem, perdifficile.

248. *Quis custodiet ipsos Custodes.*) Vana mulieris custodia. Unde *Aureol. Theophrastus* apud *D. Hieron.* in Jovinianum dicebat: *Uxorem impudicam servari non posse, pudicam non debere.* *Propert.* eleg. VI. lib. II.

Quos

Jamque eadem summis pariter minimisque libido,
Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti superest quodcunque paterni
Lævibus athletis, ac vasa novissima donat.
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit hæc, posuitque modum. tamen utile quid sit

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat.
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest,
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

348. *Ab illis incipit.*) Pecunia eos expugnat, ut supra, seu potius limat cum illis caput.

VET. SCHOL.

350. *Pedibus quæ conterit.*) quæ pedibus suis ambulat.

351. *Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*) λιτφορ significat. *Syrorum*, servorum: verbo usus est comico. Nam antiquitus servis nomina ex gentibus suis imponebantur, ut apud *Terentium* frequenter legimus. *Vehitur*, id est in lectica. ut *Cicero*: Nam, ut mos est, lectica ad forum ferebantur.

GRANG.

350. *Quæ conterit atrum silicem pedibus.*) *Prudent.* lib. I. contra Symmach.

Quæque terit silicem variis discursibus atrum.

Propert. lib. II. eleg. XXIII.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.

351. *Syrorum longorum.*) *Lecticarii* enim erecti & proceri eligebantur, ut subliniores ferrentur, ut docte animadvertit *Lips.* in Elect. lib. I. cap. XIX.

353. *Sellam.*) in qua deferretur ad theatrum, & in qua spectando sederet. idem *Lips.* eodem.

353. *Cervical.*) Non lectus in sella, quemadmodum in lectica; sed tantum *cervical* ad caput reclinandum. a Græcis dicitur προσκεφάλαιον, a nostris *aureiller*, *coussinet*.

354. *Puellam flavam.*) Intelligit puellam, quæ esset in deliciis dominæ, quæ *Abra*, sive *Favea* dicitur veteribus *Glossis*. *Scalig.* ad *Propert.*

355. *Quod superest argenti paterni donat.*) *Martial.* lib. IV. epigr. XXVIII.

Donasti tenero, Chloe, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos Sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum numeros novæ monetæ,
Et quidquid petit, usque & usque donas.
Væ Glabrania, væ tibi misella!
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Inde *Oseæ* IV. *Ephraim munera dederunt amatoribus suis.* Et *Ezechielis* cap. XVI. *Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti cunctis amatoribus tuis.*

356. *Athletis.*) De *Athletis*, & *Athletarum* diversis generibus, *Budæus* in Pandect. Hec obscœnum verbum pro iis, qui cum ea caput limarent; ut & alia metaphora Galli, *les piqueurs*, ejusmodi homines vocant.

356. *Lævibus.*) *Læves* sunt depiles, & vulsi. *Ovid.* I. de Arte:

Fœmina quid faciet, cum sit vir lævior ipsa?

356. *Novissima vasa.*) satyr. XI.

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus. —

357. *Sed nulla pudorem.*) *Idem* eadem satyr. XI.

Noscenda est mensura sui spectandaque rebus,
In summis, minimisque, etiam cum piscis emetur;
Ne mullum capias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. —

359. *Famem expavere.*) *Expavere* cum quarto casu, ut apud *Horat.* ode XXXVII. lib. I.

— — *Nec muliebriter*
Expavit ensem. —

Prospiciunt aliquando viri: frigusque, famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum:
At, velut exhausta redivivus pullulet arca
Nummus, & e pleno tollatur semper acervo,
Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent,
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa

Ingui-

VET. SCHOL.

360. *Prospiciunt aliquando viri.*) & suam paupertatem dispositione utili gubernant.

360. *Frigusque famemque.*) Victum & vestem.

365. *Nonnunquam repetunt.*) Hic versus in quibusdam non est.

366. *Sunt quas eunuchi imbelles.*) Inutiles ad concubitum:

— Et, si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam stipulis magnus nam viribus ignis
Incassum furit. —

Horatius:

— Non prælia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium.

368. *Et quod abortivo.*) Poculo faciente abortum.

GRANG.

361. *Formica magistra.*) I piger ad formicam. Vide *Horat.* in satyris. *Formica* autem a *mica*, & grano *ferendo.*

362. *Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.*) *Alciat.* Embl. XCI.

Fœmina iners animal facili congesta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

Unde aliquis Græcorum de fœminarum prodigalitate:

Γυνὴ τὶ σύνολόν ἐστι δαπανηρὸν φύσει.
Mulier prorsus res est, quæ magnos sumtus facit natura.

Apul. lib. IX. Miles. *In rapinis turpibus avara, in sumtibus fœdis profusa.* Vide proverbium *γεραιγὸς πυγή.*

363. *Nummus redivivus pullulet.*) *Redivivus*, Metaphora a plantis: Græcis *παλίμβολος*. *Scalig.* ad illud Moreti:

Et calamo redimita levi munibat arundo.

Ubi corrigit ex veteri M S.

Et calamo rediviva. —

Nos dicemus, *comme si l'argent croissoit en la bource.*

363. *Exhausta arca.*) tanquam puteus. Unde *Cic.* II. de Off. *Largitio ipsum fontem benignitatis exhaurit.* Sic in Verrem: *Ærarium inops exhaustum.* *Prop.* *exhaustæ opes Venere.* Idem satyr. X.

365. *Quanti sua Gaudia.*) Per *gaudia* intelligit voluptatem Veneream. *Tibullus*:

— Discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Petronius: *Male repugnanti gaudium extorsi.* *Ovid.* II. de Arte:

— Veneris da gaudia flenti.

366. *Sunt quas eunuchi imbelles Delectent.*) *Eunuchis delectari* mulieres docet *Muretus.* Var. lib. X. cap. XI. & *Brodæus* Miscell. lib. IV. cap. XXI. D. Hieron. *In longam, securamque libidinem exsectus spado.*

366. *Eunuchi imbelles.*) Hic *imbelles* non inutiles ad concubitum, ut vult *Vet. Scholiast.* Sensus enim auctoris repugnat; sed quod a *bellicis* artibus arcerentur ad *gynæcia.* *Claudian.* ad Eutropium eunuchum:

— Quid te turpissime bellis
Inseris? aut sævis pertentas Pallada campis?
Tu potis alterius studiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse.

Vide *Veget.* lib. I. cap. VII.

366. *Mollia Oscula.*) *Martial.* lib. XI. epigr. XXIII.

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia. —

368. *Abortivo non est opus.*) Duas rationes adfert, cur *delectarentur Eunuchis*: prima, quod non gignerent; secunda, quod non minimam cum eis voluptatem reciperent. *Martial.* lib. VI. ep. LXVII.

Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice; vult futui Gellia, non parere.

Secundam causam tangit *Galen.* lib. XIV. de Usu Part. *Basilius* lib. de Vera Virginit. *Muret.* & *Brodæus*, locis supradictis.

370. *Jam*

Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo spectatos, ac jussos crescere primum
Testiculos. postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe, cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis & horti
Provocat, a domina factus spado. dormiat ille
Cum Domina. sed tu jam durum, Posthume, jamque
Tundendum eunucho Bromium committere noli.
  Si gaudet cantu: nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus: organa semper
In manibus: densi radiant testudine tota

Sardony-

VET. SCHOL.

370. *Jam pectine nigro*) Tunc faciunt Eunuchos, quando jam pubuerunt.

373. *Tonsoris damno.*) quia non habent barbam.

373. *Heliodorus*) Medicus.

378. *Bromium committere noli.*) Puerum ephœbum & comatum non committes eunucho.

379. *Nullius fibula durat.*) *Fibulam* dicit circellos, quos Tragœdi sive Comœdi in penem habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.

380. *Organa.*) *Organa* dicit citharas eorum, quos amant.

GRANG.

372. *Esse bilibres.*) Testiculi enim appellantur auctoribus nostris *pondera*. *Catullus*:

Devolvit ipse acuto sibi pondera silice.

Martial. lib. VII.

Judæum nulla sub cute pondus habet.

373. *Tonsoris damno Heliodorus.*) De Heliodoro *Paulus Ægineta* lib. IV. cap. XLIX. Ponitur heic pro quolibet medico, ut supra *Archigenes*. Sic autem in *tonsorem* aliquando lusimus:

Tonsori Eutrapelo furtim sociata nefandis
Sartricula omnibus pluribus ante procis
Desponsata, in jus, mœsto tonsore, vocatur,
Quem sic solata est, lite cadamus, ob id
Num tibi quid pejus? saltem si nummus in arca
Deficit, en nobis altera spes in aeu est:
Serviet, bastululæ qua venas scindere suescis
Pars prior, utque prius posteriore fruar.

374. *Intrat balnea.*) quod in balneis obscœna peragerentur. Unde ea appellat *Martial.* *Fœmineis caternis dilecta*, lib XI. epig. XLVIII.

375. *Custodem vitis & horti.*) Ipsum nequitiæ Deum, qui ἁπλῶς dicitur *Custos*, *Martialis* epigr. IX. lib. VII.

Mentula custodis luxuriosa Dei.

Vide Lusus in Priapum.

376. *Dormiat Cum Domina.*) *Dormire* hoc loco femur femori conserere, & latus componere. *Ovidius*:

Et bene dic Dominæ: bene, cum quo dormiat illa,

Propertius:

Cum sene non puduit talem dormire puellam.

378. *Eunucho Bromium committere noli.*) Adolescentes puberes castrandos docet *Juvenal.* non autem exoletos, & jam barbatos: nam *committere eunucho*, castrare & eunuchum facere significat, ut docet *Scalig.* ad *Catull.* quo loco dixit Catull. *Tradi asino*, id est, in locum asini, qui versat molas, substitui. Aliam tamen interpretationem commentus *Lubinus*, non certe pœnitendam, quam videre poteris.

379. *Si gaudet cantu.*) Comœdis in scena cantantibus. *cantu* pro cantore.

380. *Organa semper In manibus.*) *Isidor.* lib. II. cap. XX. *organum* vocabulum generale omnium vasorum musicorum.

381. *Densi Sardonyches.*) Lapilli, de quibus *Plin.* lib. XXXVII. cap. VI. vulgo *des Sardoines.* *Isidor.* lib. XVI. cap. VIII. & *Plin.* loco supradicto, dictam a gemma *Sarda* volunt, quæ nostris dicitur *Cornaline.*

381. *Testudine tota.*) hoc est, Lyra, quod ex *testudine* lyram fecit Mercurius. *Homer.* in Hymno Mercurii. *Serv.* ad IV. Georg.

382. Quo

Sardonyches: crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti,
Et farre & vino Janum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput: dictataque verba
Pertulit, ut mos est, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic antiquissime Divum,

Respon-

VET. SCHOL.

383. *Quo tener Hedymeles.*) Hic citharœdus fuit. *tener* autem ad ætatem retulit.

385. *Ac nominis AppI.*) *Appias* significat.

387. *An Capitolinam.*) Olympiam coronam. id est, sacrificabat nobilis matrona, ut citharœdus *Pollio* ejus amatus, in agone *Capitolino* coronam accipere posset. *Quercum* dicit: quia inde solebant coronari.

391. *Dictataque verba*) a sacerdote, sive aruspice.

392. *Pertulit*) ad Deos scilicet, secundum consuetudinem.

392. *Palluit*) de eo sollicita, vel de responso, extra intuendo, an ille coronam posset consequi.

393. *Dic mihi.*) Apostrophe ad Deos.

GRANG.

382. *Pectine.*) *Servius Pecten* in ea significatione dicit esse neutr. g. ad illud VI.

— *Jam pectine pulsat eburno.*

Dicitur Græcis, *plectrum*, ἀπὸ τοῦ πλήττειν, hoc est, a *percutiendis* fidibus. Gallis, *Archet.*

384. *Indulget basia.*) *Indulgere* hic pro dare. *Catullus*:

Da mihi basia mille, deinde centum.

Similiter *dare oscula.*

385. *De numero Lamiarum.*) Nobilium. diximus ad satyr IV.

— *Lamiarum cæde madenti.*

385. *Nominis alti.*) Alii, *nominis AppI*, male. *altos* enim vocamus nobiles. *Virgilius*:

Thebana de matre nothum Sarpedonis alti.

i. nobilis, expositione ipsius Servii. *Noster* infra:

— *Domibus tunc porrigit altis.*

387. *Pollio.*) Citharœdus. De quo *Martialis*:

Here de theatro, Pollione cantante,
Cum subito abires. —

387. *Capitolinam quercum.*) *Coronam quernam* agonis Capitolini, quem Domitianus exemplo ludorum Olympicorum instituit, in eo omne genus artifices certabant. Vide *Ioseph. Scal.* Auson. Lection. lib. I. cap. X.

387. *Capitolinam quercum.*) *Martialis*: *Frondem Tarpejam*, & *Tarpejas quercus.* lib. IV. epig. LIV. & ejusd. lib. epig. I.

390. *Stetit ante aram.*) Salutabant enim Deos, non de geniculis, sed *stantes.* *Martial.* lib. XII.

Multis dum precibus Deos salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues.

Brisson. I. de Formul.

391. *Pro cithara.*) *Cithara*, pro Citharœdo; ut supra *cantu* pro cantore.

391. *Velare caput.*) Alius mos precantium; precaturi enim quosvis Deos (Saturnum, Honorem, & Herculem excipio) *velato* erant *capite.* *Plaut.* Curcul act. III. sc. I.

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?

Vide *Brisson.*

391. *Dictataque verba.*) Certas fuisse, & solemnes preces, certaque fuisse earum & solemnia verba, ostendit idem *Briss.* I. de Formul. quæ, ne præpostere dicerentur, aut aliquid præteriretur, Sacerdos de scripto præibat; populus, qui precabatur, nominatim repetebat.

393. *Dic mihi.*) Idiotismus interrogantis, & sæpius cum stomacho. *Donatus*: *dic mihi*, dicit esse semper imperiosum: *quæso* vero modo est rogantis, modo objurgantis.

393. *Anti-*

Respondes his Jane pater? magna otia cœli,
Non est, ut video, non est, quod agatur apud Vos.
Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum
Commendare volet, varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet Urbem
Audax, & cœtus possit quæ ferrre virorum,
Cumque paludatis Ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis!
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,

Quid

393. *Antiquissime Divum.*) Fortasse ad illam mentem dicebat *Persius*:

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.

Nam qui primus omnium, neminem habet a tergo; unde Thales πρεσβυτάτον τῶν ὄντων θεὸς, ἀγένητον γάρ. *Martial.* lib. x. epig. XXVIII.

Annorum, nitidique sator pulcerrime mundi.

Ovidius:

Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant.

VET. SCHOL.

394. *Respondes his.*) His de rebus scilicet responsa dabis?

397. *Varicosus fiet aruspex*) multum stando, dum Deos, aut exta consulit. aut certe: Tantum impudentiæ sumit in inspiciendis extis, ut *varicoso aruspice* doctior videatur. Potest & nomen esse *aruspicis* cujuspiam.

400. *Cumque paludatis.*) Euntibus ad militiam, chlamydatis scilicet. *Sallustius*: *Togam paludamento mutavit.*

401. *Siccisque mamillis.*) Adhuc exstantibus, vel sine sudore.

GRANG.

394. *Jane pater.*) Omnes Deos *Patres* vocatos fuisse ostendit multis *Brisson.* lib. I. de Form. sed inter ceteros *Pater* cognominatus *Janus*. *Virgil.* VIII. Æneid.

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

Martial. epigr. XXVIII. lib. x. ad Janum:

At tu sancte Pater. —

Horat. Epist. lib. I. epist. XVI.

Jane pater clare, clare cum dixit Apollo.

394. *Magna otia.*) Contra *Martial. parva otia* dixit:

Otia dum medius præstat tibi parva December.

396. *Te consulit.*) Exta *consuli* dicuntur. *Plin.* lib. XXVIII. cap. XI. *Victimas cædi sine precatione non videtur referre, nec Deos recte consuli.* *Stat.* IV. Theb.

Consulit ille Deos, non larga cæde juvencum,
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis.

Virg. IV. Æneid.

— *Spirantia consulit exta.*

Ubi *Servius*. *Brisson.* I. de Formul.

397. *Aruspex.*) Dictus ab *haringa* inspicienda, id est, victima in *hara* includi solita. *Donat.* in Phorm. *Varroni* dicitur *Arviga*, sed *Scalig.* legit *aringa*. *Festus*: *Harviga* dicebatur hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.

398. *Sed cantet potius.*) Magis toleranda uxor cantatrix; quam vagabunda. *Euripid.* in Oreste:

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν
In turbam progredi virgines haud honestum.

Plautus:

Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit clausa, exigitur matrimonio.

398. *Pervolet totam urbem.*) Volet per totam urbem. *Virgil.* IV. Æneid.

— *Totaque vagatur*
Urbe furens. —

399. *Audax.*) Hinc *Terent.* dixit Eunucho, *audaciam meretricum*. Et *Plaut.* Milite:

Os habet linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam.

400. *Paludatis Ducibus.*) Armatis: ubi enim bellum indictum erat, decernebatur edicto, ut Consules paludati exirent. nam *paludamenta* insignia sunt, & ornamenta militaria.

400. *Præsente marito.*) Superius:

— *Coram licet innuat, atque*
Rescribat. —.

401. *Recta facie.*) Erecta: quod signum impudentiæ: pudibunda enim

— *Solo fixos oculos aversa tenebat.*

401. *Strictisque mamillis.*) Nudatis. Supra de Messalina, *quæ auratis prostitit nuda papillis.*

402. *Hæc eadem novit.*) Curiositatis vitium reprehendit in fœminis, quod eleganti versiculo notat *Theocritus*:

Πάντα

Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercæ
Et pueri: quis amet, quis diripiatur adulter.
Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, & quo
Mense: quibus verbis concumbat quæque, modis quot.
Instantem Regi Armenio, Parthoque cometen
Prima videt: famam, rumoresque illa recenteis
Excipit ad portas: quosdam facit Ipse Niphatem
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, subsidere terras,
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia, narrat.
  Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam quæ
Vicinos humileis rapere, & concidere loris

Exorata

Πάντα γυναῖκες ἴσασιν, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν.

Sed & homines istius vitii non sunt expertes. *Plaut.* Trinum.

Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt,
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt,
Id, quod in aurem Rex Reginæ dixerit,
Sciunt, quod Juno fabulata cum Jove,
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen sciunt.

quæ *Guilielmus Canterus* animadvertit lib. II. Novarum Lection. cap. XII. quibus adde, quæ *Martialis* de Philomuso epigr. XXXVI. lib. IX.

VET SCHOL.

403. *Quid Seres, quid Thraces.*) Galliarum gentes, aut Scythæ.

404. *Et pueri.*) Quid noverca cum privigno suo agat.

404. *Quis diripiatur.*) Quis ad pœnam raptus est.

407. *Parthoque cometen.*) Hujus stellæ ortus magnum regibus portendit exitium: unde & *Lucanus*:

— Et magnum terris adstare cometen.

Latine autem hæc stella *cincinnata* dicitur.

411. *Diluvio.*) Inundasse Armeniæ fluvium.

411. *Subsidere terras.*) Terræ motum fieri.

414. *Vicinos humileis.*) Pauperes vicinos rogata, loris cædit; ceterum irata fustibus, si canes latraverint in vicinia, ut experrecta fuerit.

GRANG.

403. *Quid Seres.*) *Seres* hodie, *ceux du Royaume de Camul, ou Cambalu.* De quibus *Plin.* lib. VI. cap. XVII.

403. *Secreta novercæ Et pueri.*) Quæ privignos adamarint, recenset *Tiraquell.* de Leg. Connub. l. IX. num. CIII.

405. *Quo Mense: quibus verbis.*) Illud *Ovidian.* est, lib. II. Am. eleg. VIII.

Quoque loco fuerim tecum, quotiesque Cipassi,
Narrabo dominæ, quotque, quibusque modis.

407 *Instantem Regi Armenio Parthoque cometem Prima videt.*) *Lips.* Epistolic. Quæst. lib. IV. epist. XX. conjicit ex hoc loco *Juvenalem* ad Trajani tempora pervenisse, eoque tempore scripsisse; quod ea videantur ad Trajani expeditionem in *Armenios* & *Parthos* referenda. At a tanto viro ego dissentio. Tangit enim jocum Vespasiani, quem refert *Sueton.* in Ejus vita his verbis: *Ac ne metu quidem, ac periculo mortis extremo, abstinuit jocis: nam inter cetera prodigia, cum Mausoleum Cæsarum derepente patuisset, & stella in cælo crinita apparuisset; alterum ad Juniam Calvinam e gente Augusti pertinere dicebat: alterum ad Parthorum Regem, qui capillatus esset.*

409. *Nyphatem*) Armeniæ fluvium. de quo *Luc.* lib. III.

Armeniusque tenens volventem saxa Nyphaten.

Dictus a Tauro monte, qui in Armenia dictus *Nyphates. Plin.* cap. XXVII. lib. V.

411. *Nutare urbes.*) *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XX. refert ad illum famosum terræ motum, qui tempore Trajani Antiochiam & vicina loca concussit, quo *subsedisse* montes, fluvios erupisse *Dionis* abbreviator refert.

414. *Concidere Loris.*) Cic. *concidere virgis. Lora* autem antiquis *laura. Charis.* lib. I. *Lora* e corio vincula propria cædendis servis: hinc *lorarii.*

418. *Gravis*

Exorata solet. nam si latratibus alti
Rumpuntur somni: fustes huc ocyus, inquit,
Adferte, atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem: gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit: conchas, & castra moveri
Nocte jubet: magno gaudet sudare tumultu,
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus & cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum Dominæ femur exclamare coegit.
Convivæ miseri interea somnoque, fameque
Urgentur. tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna

Admo-

VET. SCHOL.

418. *Gravis occursu.*) Visione terribilis. ut *Virgil.*

Nec visu facilis. —

419. *Castra moveri.*) Instrumenta balnearia.

421. *Cum lassata gravi.*) Halteras dicit, quibus utuntur athletæ, cum exercentur: quasi plumbeis ponderibus exerceatur.

423. *Exclamare coegit.*) Non cogit exclamare, quod fecerit, illa non exclamat, sed patienter tolerat.

GRANG.

415. *Exorata.*) Orata. Compositum pro simplici. Alias, *exorare*, est alterius significationis. *Donat.* ad *Terent.*

415. *Alti somni.*) *Martial.* epig. v. lib. I.

Non rumpet altum pallidus somnum reus.

Virg. similiter *altum soporem* vocat.

419. *Balnea nocte subit.*) Et ante & post cœnam subibant balnea antiqui. De *balneis post cœnam* diximus ad satyr. I. *Subire* autem heic est ingredi, ut *Virg.* *Subire tecta. Subire antra.*

419. *Conchas & castra moveri.*) Metaphora a castris militaribus, quę proprie *moveri* dicuntur. *Cæsar* I. de Bello Gallico: *Cum castra moveri, & ferri signa juberet.* Vide *Brisson.* IV. de Form.

420. *Sudare*) in cella caldaria, sive sudatoria. Vide *Marcil.* ad *Persii* satyr. III.

421. *Lassata brachia gravi massa.*) i. Plumbea. in balneis enim diversa exercitiorum genera: erant enim, qui se saltu exercebant, qui a Græcis *Hamalt*æ dicuntur. ii utebantur *halteribus*, hoc est pilis sive massulis plumbeis, quibus utraque se manu librabant; ut certius assilirent. *Budæus* priorib. Annotat. in *Pand.* ex quibus *Seneca* intelligendus epist. LVI. *Cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant.*

422. *Impressit digitos cristæ.*) Vocat *cristam* partem muliebris pudendi, quæ a Græcis *Nympha*, *myrtos*, *hypodermis*, sive κλειτορὶς appellatur. *Digitos* autem *imprimere cristæ* uno verbo Græci κλειτοριάζειν. Vide *Rufum Ephesium* de partibus Hominis lib. I. cap. XIII.

422. *Aliptes.*) Unus e ministris balnei, qui a Latinis *unctor* dicitur, de quo *Seneca* epist. LVI. *Ejus erat munus, ungere qui in balneo.* Videndus *Fornerius* ad l. CCIII. §. *quid autem. D. de verb. sig.*

423. *Femur.*) Per *femur*, ipsam vulvam intelligit, quod eleganter appellavit, *interfemineum*, *Apul.* unde in sacris ponitur pro opere nuptiarum. Quod notavit *Tiraquell.* de ll. Connub. l. IX. num. XXCI. & XXCII.

423. *Clamare femur.*) Sic *Martial.* jlocaliter *cunnum clamosum* dixit lib. VII. epig. in Gallam.

424. *Urgentur somno.*) *Virgil.* X. Æneid.

— *Et ferreus urget*
Somnus. —

Et IV. Georg.

— *Oculos sopor urget inertes.*

425. *Totum Oenophorum sitiens.*) *Janus Parrhas.* epist. XXXVI. illud *Horatii* interpretans lib. I. ode XXVI.

Neu multi Damalis meri,
Bassum Threicia vincat amystide.

interpretatur *Amystidem* potionis genus esse, quod uno sumtu sumebatur, ἀπὸ τοῦ μὴ μύειν; dixitque, morem fuisse Romanis exonerandi stomachi gratia, statim a balneis uno ductu *Amystim* bibere, deinde vomere. Id quod *Erasistratus* improbavit, quasi oculis noxium, ventrem quoque sistere: quam & consuetudinem reprehendit *Juvenal.* his versibus.

426. *Oenophorum.*) Vas, quod nos dicimus *brock*, a verbo βρέχω, i. *fundo*; quod sit vas *fundendo* vino

accommo-

Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit, & loto terram ferit intestino.
Marmoribus rivi properant, aurata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates & comparat; inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec caussidicus, nec præco loquatur,
Al-

accommodatum, implendis deplendisque culeis; & vasis conditoriis, & vino quocunque modo transvasando. *Budæus* lib. V. de Asse.

426. *Tenditur plena urna.*) i. quod est capax *urnæ*: Continebat autem *urna* octodecim pintas Parisianas.

VET. SCHOL.

428. *Ducitur.*) Bibit, ut digerat.

429. *Et loto terram.*) Cum ceperit ebria rejicere.

430. *Marmoribus.*) In triclinio marmoreo.

432. *Deciderit serpens.*) Ita post vomitum bibit, tanquam *serpens*, quando in dolium vini ceciderit, bibendo vomit, & vomendo denuo bibit.

434. *Illa tamen gravior.*) *Statiliam Messalinam* insectatur, quæ, post quatuor matrimonia diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemtum, & opibus & forma & ingenio plurimum viguit. consectata est usum eloquentiæ usque ad studium declamandi. Illo tempore duæ *Messalinæ* fuerunt: hæc, & Valeria, de qua Claudius Britannicum filium sustulit.

GRANG.

427. *Admotum pedibus*) prope mensam. Nescio, quid de servorum vino heic Commentatores intelligere se putant.

428. *Rabidam orexim.*) Comedendi appetitum. *Virg.* lib. IX.

Ex longo rabies collecta fatigat edendi.

D. *Hieron.* ad Principiam: *Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies.*

429. *Dum redit*). e stomacho. Nos dicimus *rendre sa gorge.*

429. *Luto intestino.*) Antique *luto*, pro *lauto*, hoc est, lavato.

430. *Falerno Olet.*) Cum *accusat.* & cum *ablat.* jungitur. *Propert.* eleg. VII. lib. IV.

Cur nardo flammæ non oluere meæ.

Ubi male *Lipsius* corrigit *nardon* cap. XII. lib. II. Variar. *Plaut.* Amphitr.

Olet homo quidem malo suo.

Martial. epig. LXII. lib IX.

431. *Longus Deciderit serpens.*) *Serpentes* vini appetentes docet *Plin.* lib. X. cap. LXXII. & lib XXII. cap. XXIII: *Auson. Sabellicus* in Epist. & *Eras.* in Proverb. *Hydrus in dolio.* Chil. III. cent. X. proverb. XCVIII.

434. *Illa tamen gravior.*) Jam ad garrulitatis vitium venit, quod in fœminis notissimum est. *Plaut.* Aulul. vel fatente Eunomia:

Multum loquaces merito omnes habemur:
Nec mutam profecto repertam
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.

Seneca Controvers. XXV. *Mulier id solum potest tacere, quod nescit.*

436. *Committit vates.*) Comparat, componit. Verbum theatri, & arenæ. Vide *Turneb.* lib XXI. cap. XXIX. & *Marcellum Donatum* Comment. in *Sueton.*

437. *Alia in parte suspendit Homerum.*) Simili Metaphora usus *Horat.* Epist. lib II. epist. II.

Sic quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima; Romani pensantur eadem
Scriptores trutina. —

439. *Nec præco loquatur.*) Et caussidicos, & *præcones* antiquis garrulitate notatos invenio. *Martial.* lib. IX.

— *Vis, garrule, quantum*

Accipit

Altera nec mulier; verborum tanta cadit vis:
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. jam nemo tubas, nemo æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.
Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,

Dicendi

Accipis, ut clames; accipere, ut taceas.

De *præconibus Plaut.* Asin. Prologo. & in Pœnulo. Videndus *Valens Acidal.* in Divinationibus suis.

VET. SCHOL.

443. *Una laboranti poterit succurrere Lunæ.*) Sonitum fieri adsolet, quando Luna deficit.

444. *Imponit finem.*) Etiam philosophiam tractat.

446. *Crure tenus.*) id est accipere debet virilem habitum, & cingi, ut vir.

447. *Cædere Sylvano porcum.*) Sylvano mulieres non licet sacrificare.

GRANG.

440. *Tanta vis verborum.*) hoc est, tanta copia: *vis* enim pro copia, ut & Græci δύναμις, quo & *Plaut.* usus est in Pseud.

441. *Tot pariter pelves.*) Alludit ad proverbium Δωδωναῖον χαλκεῖον, de quo *Erasm.* Chil. I. cent. I. proverbio VII.

442. *Nemo tubas.*) In defectu Lunæ solebant æra quatere, queis ipsi auxiliari se putabant. *Plin.* cap. XII. lib. II.

443. *Lunæ laboranti.*) *Laborare* dicitur *Luna*, cum deficit. Virg. II. Georg.

Defectus Solis varios, Lunæque labores.

Propert. lib. II. eleg. XXXIV.

Nec cur fraternis Luna laboret equis.

Lucanus:

Et patitur tantos cantu depressa labores.

444. *Imponit finem.*) Ultimam manum. *Virg.* II. Æneid.

— *Finem impone labori.*

Sic *imponere* coronidem, & colophona dicimus.

446. *Succingere debet medio crure tunicas.*) i. ut ait *Vet. Schol.* virilem habitum accipere. Nam, ut animadvertit *Turneb.* lib. XI. cap. XXIII. demissæ tunicæ sunt fœminarum. *Plaut.* Pœnulo act. V. sc. V. *Sane genus hoc est mulierosum cum tunicis demissitiis.* *Varro* Meleagris apud *Nonium* in *Demissum.*

447. *Cædere Sylvano porcum.*) *Servius*, & post illum *Lil. Gyrald.* syntag. XV. de Diis gent. *Sylvanum* ὑλαγὸν θεὸν faciunt, hoc est, Deum τῆς ὕλης. Hinc veteres Glossæ, *Sylvanus*, πᾶς θεὸς ὑλαῖος. *Catoni* Mars Sylvanus; de quo hic locus intelligendus: Nam sacrificio, quod fiebat Marti Sylvano nullo modo fœminis adesse licebat. *Cato* libb. de Re Rust.

447. *Quadrante lavari.*) tanquam Philosophus. Alludit autem ad illud *Horatii* lib. I. satyr. III.

— *Dum te quadrante lavatum*
Rex ibis. —

irridens dogmata Philosophorum, qui *sapientes* vocant *Reges*, cum tamen in balneo publico *quadrante* laventur; non suo, ut veri Reges: non enim tantum viri, sed & feminæ *quadrante* lavabantur: at cum ibi, ut ait *Scholiastes*, tangat stultitiam *Messalinæ*; dicit ipsam debere Palatia relinquere & Philosophorum vestimentis indui, eorumque more, in thermis publicis *quadrante lavari*: eo enim modo doctior & facundior videbitur: quæ non sine Philosophorum irrisione a *Juvenale* dicta sunt.

448. *Non habeat matrona.*) *Euripid.* Hip. act. III.

Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρή.
Τὸ γὰρ πανοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις
Ἐν ταῖς σοφαῖσιν. ——

Odi eruditam, ne meæ unquam sit domi,
Quæ plus sciat, quam mulierem scire expedit.
Namque eruditis ipsa majorem Cypris
Astutiam indit. ——

Martialis:

— *Sit non doctissima conjux.*

Y 452. *Palæmo-*

Dicendi genus, aut curvum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omneis:
Sed quædam ex libris & non intelligat. odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata ſemper lege & ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria verſus,
Nec curanda viris opicæ caſtigat amicæ
Verba. ſolœciſmum liceat feciſſe marito.
Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virideis gemmas collo circumdedit, & cum

Auri-

VET. SCHOL.

452. *Palæmonis artem*) Grammatici, magiſtri *Quintiliani* oratoris.

453. *Servata ſemper lege.*) Analogia.

454. *Tenet antiquaria.*) Quæ antiquitatem tenet, &, ut *antiquarius*, verſus dicit.

455. *Opicæ caſtigat amicæ.*) Imperitæ, male pronunciantis.

457. *Nil non permittit.*) id eſt, omnia. Nam duo negativa unum confirmativum faciunt.

458. *Cum virides gemmas.*) i. Monilia circa collum miſerit. *virides*, i. praſinas.

GRANG.

449. *Curvum ſermone rotato.* &c.) *Muretus* Variat. lib. VIII. cap. XXI. conſtat heic metaphoram eſſe a jaculis ſumtam, quæ, brevia cum ſint, *rotando* torqueri ſolent. Eadem autem uſus eſt *Plato*, cum Lacedæmoniorum loquendi conſuetudinem exponeret, quos ait initio videri ſolitos rudes & imperitos: ſed poſtea torquere ac vibrare breve aliquod dictum: ut is, quicum diſſerebant, puer præ ipſis videretur. Ejus *Platonis* verba vide apud ipſum *Muret.* ſi lubet. vide & de hoc loco *Turneb.* lib. III. Adverſ. cap. XVII.

450. *Nec hiſtorias ſciat omnes.*) Hinc *Parrhaſ.* Epiſt. XXIX. *Ovidium* in hoc verſu:

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

de induſtria Penelopen, tanquam hiſtoriæ ignaram, induxiſſe, & fruſtra *Politianum* correxiſſe

Sive quis Amphimacum. —

Vide reliquum illius epiſtolæ.

451. *Quædam ex libris non intelligat.*) Contra laſcivus amoris Magiſter III. de Arte:

Sit tibi Callimachi, ſit Coi nota poetæ,
Sit quoque vinoſi Teia Muſa ſenis;
Nota ſit & Sappho, quid enim laſcivius illa? &c.

452. *Palæmonis artem.*) hoc eſt, Grammaticam. *Sueton.* lib. de illuſt. Gramm. *Palæmonis* meminit: vocatur autem *M. Remmius* Palæmon, ſive, ut alii volunt, *Quintius.* Vide *Caſaub.* & *Vineti* notas in hunc locum.

453. *Lege loquendi.*) *Horat.* de Arte:

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

454. *Antiquaria.*) quæ cum matre Euandri loquitur. *Antiquarii* enim Latinis dicuntur, qui verbis utuntur priſcis, quos non minimo ſprevit faſtidio Auguſtus. *Sueton.* in Ejus vita. Alia tamen eſt acceptio *Antiquariorum*, ſcilicet, ut ait *Sabellicus*: *Veterum poetarum & hiſtoriarum ſtudioſi Antiquarii dicuntur.* Sunt & Juriſconſultis ſui *Antiquarii*, ii ſcilicet, qui Bibliothecæ codices componebant, vel pro vetuſtate reparabant. *Marc. Donat.* in *Suet.*

454. *Tenet verſus.*) Novit. Quæ ſciuntur, *tenentur*: unde *capere* pro intelligere. Hinc *Plauti* jocus Curc. act. I. ſc. I.

Recte rem tenes? nimis formido, ne excidat.

Et in Pœnulo:

Tenetis rem? vix quidem hercle, ita pauxilla
Eſt digitulis primoribus. —

455. *Caſtigat Verba.*) *Horat.* de Arte:

Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

455. *Opicæ amicæ.*) Quæ Oſce loquitur; hoc eſt barbare, & Oſcorum more. *Oſci* enim *Opſci* dicti vulgo *Opici.*

456. *Solœciſmum liceat feciſſe marito.*) quod fiet, ſi uxorem non doctam duxerit. Hinc jocus *Martial.* lib. XI. epig. XX.

Quæris, cur nolim te ducere Galla? diſerta es,
Sæpe ſolœciſmum mentula noſtra facit.

457. *Turpe putat nil.*) Supra:

— *Nec turpe putavit.*

458. *Circumde*

Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.
Interea fœda adspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum lota veniunt cute. quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Sed

458. *Circunde virides gemmas.*) *Baifius* libello de Re Vestiaria, ait sibi videri *Juvenalem*, *Viriolas* designare hoc versu. De iis in *l. argumento. §. ornamenta D. de auro, & arg. leg.* Quod autem facit, ut assentiam *Baifio*, illud est, quod *viriæ* fiebant ex Smaragdis, quæ *virides*. De iis *viriis* meminit *Plin.* lib. XXXIII. cap. III. initio cap.

458. *Circumdedit collo.*) Catullus:

Hesterno collum poterit circumdare filo.

VET. SCHOL.

459. *Magnos commisit elenchos.*) Uniones, margaritas oblongas. Magnarum gemmarum *elenchos*, quos & *Titulatos* appellant.

462. *Pane tumet facies.*) Medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis.

462. *Et pinguia Poppæana.*) *Poppæa* uxor Neronis, adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis provocabat. earum natura fucata est. Decessit calce a Nerone percussa. Medicaminis ipsius autem nomen *Juvenalis* *Poppæana* dixit, quasi ab illa inventum sit.

465. *Foliata.*) Unguenta *foliis* plena, vel aliis aromatibus.

466. *Quidquid graciles huc mittitis Indi*) odorum.

468. *Illo lacte.*) Asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat.

GRANG.

459. *Elenchos.*) *Plin.* lib. IX. cap. XXXV. *Elenchos* appellant fastigiata longitudine, Alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes, hoc est, *en forme de bocal, grossissans en bas, comme une poire.* De iis in *l. pediculis. §. ult. D. de auro & arg. leg.*

462. *Pane tumet facies.*) Vide, quæ diximus ad illud satyr. II.

Et pressum in facie digitis extendere panem.

462. *Pingua Poppæana.*) *Calderin.* lib. III. Annot. cap. VI. interpretatur *Poppæanum*, medicamen facici, quod ex lacte asinæ & pane madido conficiebatur, a *Poppæa* Domitii Neronis uxore dictum.

462. Pinguia *Spirat.*) *Spirant* cum accusandi casu, ut apud *Persium* satyr. VI.

— *Seu spirant Cinnama.* —

464. *Ad mœchum veniunt lota cute.*) *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XXV. adfert illud *Lucilii* lib XV. satyr. quem videtur imitatus *Juvenal.*

Cum tecum est, quidvis satis est: visuri alieni
Sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

465. *Quando videri Vult formosa domi?*) Eadem satyr.

— *Quando ad palum gemat uxor Asylli?*

465. *Foliata.*) Unguenta sunt, dicta Nardina sive *foliata.* De quibus *Plin.* lib. XIII. cap. I. Hinc supra *Martiali*, *foliata sitis*, de iis, qui bibebant vinum perfusum Nardino unguento sive *foliato.*

467. *Tectoria prima reponit.*) Metaphora a parietibus, quæ dealbantur. *Tectorium* enim dealbatio, quæ ex calce & gypso fieri solet, ita in *D. de usufr.* *Tectorium* intelligendum. *Accurs.* tamen pro *tecto* intelligit, non bene, ut docet *Bartolinus* in Auctario. Vide *Budæum* in Pandect. & *Theodor. Marcil.* ad *Persium.*

470. *Axem Hyperboreum.*) *Virg.* III. Georg.

Talis Hyberboreo septem subjecta trioni.

Martial. lib. IX. epig. XLVI. Dixit autem *axem Hyperboreum*, quod apud *Hyperboreos* populos creduntur esse

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & facies madidæ dicetur, an ulcus?
Eſt precium curæ penitus cognoſcere toto
Quid faciant, agitentque die. ſi nocte maritus
Averſus jacuit: periit libraria, ponunt
Coſmetæ tunicas, tarde veniſſe Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
Hic ſcutica: ſunt, quæ tortoribus annua præſtent:
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum;

Et

eſſe cardines mundi, extremique ſiderum ambitus. *Plin* lib IV cap XII. hodie Hyperborei, *la Ruſſie*.

VET. SCHOL.

472. *Coctæque ſiliginis offas.*) Candidi panis.

474. *Eſt precium curæ.*) Operæ precium eſt.

476. *Averſus jacuit.*) Libidini ipſius ſatis non fecit.

476. *Periit libraria.*) Lanipendia.

477. *Coſmetæ tunicas.*) Eos dicit, qui ornamentis præſunt, non tamen & *ornatrices*. ponunt tamen & tunicas, ut vapulent.

477. *Liburnus.*) Nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticæ, qui *liburnata* eſt.

478. *Alieni pendere ſomni.*) Somni mariti pœnas præſtat familia.

480. *Hic ſcutica*) Lorus latus, corium non confectum.

480. *Tortoribus annua.*) Salaria quæſtionariis, ſive carnificibus.

482. *Aut latum pictæ.*) Auroclavias veſtes miratur.

GRANG.

472. *Coctæ ſiliginis offas.*) Poſſumus vertere Gallice, *de la farine reduite en maſſe*. Eo ſenſu nomine *offa*, uſus eſt *Plin*. lib. XV. cap. VII. quem adi.

474. *Eſt operæ precium.*) *Horat*. I. Serm. ſatyr. II

Audire eſt operæ precium. —

475. *Si nocte maritus Averſus jacuit.*) Qualis Circe apud *Arbitrum*, quam, cum juſto opere fefelliſſet Polyænus; Chryſis vapulat, totaque familia triſtis inter ſe muſſat, quæritque, quis Dominæ hilaritatem confuderit.

476. *Averſus jacet.*) *Martial*. epigr. XLIII. lib. XI.

Tryſtis multum quamvis averſa jaceres.

Jacere autem hic tanquam mortuus, & ad opus inutilis. *Propert*. eleg. XV. lib. II.

— *Siccine lente jaces.*

476. *Periit libraria.*) *Libraria* ſerva eſt, quæ appendit lanam ancillis: unde a *Scholiaſte*, *Lanipendia* nominatur. Huic lana illa *penſum* dicta a *pendendo*. Ipſam poſtea lanam pari pondere reddebant deductis burris, & quiſquiliis.

476. *Periit.*) Summæ deſperationis verbum. *Plaut*. Ciſt. act. IV. ſc. XI.

Hic periit, opinor.

476. *Ponunt Coſmetæ tunicas.*) Exui jubentur, ut nudi cædantur. *Plaut*. Perſa act. III. ſc. I. *Herus ſi minatus eſt malum ſervo ſuo, tametſi id futurum non eſt, ubi captum eſt flagrum, dum tunicas ponit, quanta afflictus eſt miſeria.* Propertius:

— *Quas paſtor viderat olim*
Idæis tunicam ponere verticibus.

Ovid. eleg. VI. lib. I. Am.

Certe ego, cum poſita ſtares ad verbera veſte.

478. *Pendere pœnas*) proprie is dicitur, qui ob delictum pecuniam ſolvit; quia *penſo ære* utebantur. *Feſt*. in Pendere.

479. *Hic frangit ferulas*) dorſo. Unde facete *Plauto*

— *Ulmorum Acheruns.*

Sid. Apoll. epiſt. XIII. lib. III. *Fractor ferularum*. *Tertull*. in Apologet. *Flagra rumpentes* ejuſmodi homines appellat.

480. *Scutica.*) Parvum flagellum eſt e loris factum, a Græco σκῦτος i. *corium*. *Martial*. epigr. LXII lib X.

480. *Annua.*) merces, quæ ſolvitur in annum.

482. *Pictæ veſtis*) Purpureæ. Eadem enim *picta*, & purpurea. *Liv*. lib. XXX. & XXXI. *Feſt*. in *Picta*. *Nonius* in *Phrygia*.

482. *Aurum*

Et cædit; longi relegit transversa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, EXI
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.
Præfectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, & properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;
Disponit crinem laceratis ipsa capillis

Nuda

482. *Aurum latum considerat.*) In iis enim vestibus intextum aurum. *Plin.* cap. XLVIII. lib. VIII. *Vestis* igitur *picta* i. *une robbe de broderie.*

VET. SCHOL.

483. *Transversa diurni.*) Ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum.

484. *EXI Intonet.*) Quasi in caussa disceptaverit.

487. *Præfectura domus Sicula non mitior aula*) Tyrannorum dicit *Phalaridis*, aut *Dionysii*. Phalaris Agrigentinus missos in æneum taurum homines subjecto igne torquebat. de quo *Cicero* dicit: *Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus.*

489. *Isiacæ.*) Apud templum *Isidis*. *Lenæ*, conciliatricis: quia in hortis templorum adulteria committuntur.

490. *Disponit crinem.*) Componit crines Dominæ, ipsa lacerata periram.

GRANG.

483. *Relegit transversa.*) Ea, quæ erant in *transversa* charta, ait *Vetus Scholiast.* i. in opisthographo. Sed ego puto per *transversa longi diurni* velle intelligere, illam legisse, quasi *transverso*, &c, ut dixit prius, *obiter*. Enallage igitur est, *transversa*, pro transversim, *en passant par dessus*, *en tournant les fueillets.*

483. *Diurni.*) Græcis *ephemeris*. Nobis *un papier journal*. *Ascon.* III. Verr. Moris fuit unumquemque domesticam rationem per singulos dies scribere. *Sueton.* in Augusto vocat *diurnos commentarios.*

485. *Intonat horrendum.*) *Virgil.* illud est II. Æneid.
— *Horrendumque intonat armis.*
Simili translatione *Cic.* dixit *Imitari verborum fulmina.*

486. *Præfectura domus.*) Schegkius:
— *Jam cognitione peracta*
Præfectura domo Sicula non mitior aula.
Dium Fidium appello. quis doctorum exinde hunc locum recte & ordine capit? unus meorum cum vulgato *Gryph.* an. XLVI.
— *Parata*
Præfectura domo Sicula. —
Alter vero, *præfectura domus Sicula*, rectissime, & unice ad mentem *Juvenal.* Hæc *Schegkius.* Sed cum neminem hunc locum recte cepisse dicit ante illum, fallitur. Nam magna Veterum Interpretum pars legit, *præfectura domus*. ut Ipse. Sed & in eo, & in aliis interpunctionem ignoratam video. Sic autem lego, & interpungo:
— *Donec lassis cædentibus*, EXI
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.
Deinde per exclamationem lego:
Præfectura domus Sicula non mitior aula!

487. *Nam si constituit.*) Alia lectio: *Aut si constituit.* *Constituere* autem Gallice, *donner assignation*, ut diximus ad illud satyr. III.
Heic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.

488. *Ornari.*) Cultus, & *ornatus* muliebris differunt, ex *Tertull.* lib. de Hab. Muliebri. *Cultus* versatur in mundo muliebri, hoc est, auro, gemmis, vestibus: *ornatus* in capillis componendis, facie fucanda, &c.

488. *Exspectat r in hortis*) Lucullianis, sive Lucillianis. Tangit enim historiam Messalinæ & Silii: de qua *Tacit.* XI. Ann.

489. *Sacraria.*) *Isidorus*: *Sacraria*, locus, ubi sacra reponuntur. *Suet. pars domus consecrata.* Gallice *Chappelle*. Heic *Sacraria* pro templo.

489. *Isiacæ lenæ.*) In templis, potissimum *Isidis*, adulteria & probra commissa. *Ovid.* I. de Arte, & III.
Quid facies custos &c.
Cum sedeat Phariæ sacris operata Juvencæ,
Quoque sui comites ire vetantur, eat.
Nota ex *Josepho* historia Mundi & Paullinæ stupratæ in templo *Isidis*.

490. *Componit crines.*) *Propert.* eleg. XV. lib. I.
Et potes externos manibus componere crines.
Similiter simplici, *ponere crines* Ovidio; sic *fingere*, *collocare*, *colere*, *ornare*, & similibus.

Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur,
Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragileis de monte patellas
Ausus erat? sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram: cohibe. sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est, & ab illis incipit uxor.

Jamque

est, mentulam illius *Clodii*, duplo majorem Cæsaris mentula: ob idque, propter tam opulentum peculium, Pompejam Cæsaris uxorem magis dilexisse Clodium, quam Cæsarem. Quare autem Cæsaris mentulam *Anticatonem* vocet, in promtu est. Nam Cæsar corrupit Serviliam Catonis sororem; unde merito illius penis *Anticato*. Quod audaciuscule dixit etiam *Juvenal.* quod ipse Cæsar librum adversus librum *Ciceronis*, cui titulus *Cato*, composuisset *Anticatonis* nomine. At studiosi antiquitatis sciunt libros (qui ob id dicti *volumina*) in orbem plicatos, & penis quodammodo seu longitudine, seu rotunditate similitudinem præ se tulisse.

VET. SCHOL.

338. *Duo Cæsaris Anticatones.*) *Cæsar* bello civili, cognita Catonis morte, cujus virtutem dialogo illo, qui inscribitur *Cato*, *Cicero* etiam laudavit, libros duos famosissimos in vitam Catonis edidit, quos *Anticatones* inscripsit.

339. *Testiculi sibi conscius.*) Ad templum, ubi non est fas intrare nec murem masculum.

341. *Alterius sexus*) masculini.

343. *Simpuvium.*) Vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices lavare solebant. *Simpuvium* autem, quia omnes sacerdotes *simul bibebant*, inde *simpuviatrix* illa dicitur, quæ porrigit poculum ipsum.

345. *Ad quas non Clodius aras*) Pro Claudius, licet nam per communionem, ut *Clodius* & *Claudius*, ut *cotes* & *cautes*, ut *auriga* & *origa*.

347. *Pone seram*) januæ, id est, include uxorem.

348. *Et ab illis incipit uxor.*)

— *Sed nunc lasciva furta puellæ*
Hac mercede silent: crimen commune tacetur.

GRANG.

339. *Unde mus testiculi conscius fugit.*) Facete, nam ut ait *Tibullus*:

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

Propert. eleg. IV. lib. X. *Ovid.* III. de Arte am. *Noster* satyr. II. *Fest.* in *Religiosus.* *Lactant.* lib. I. *Plut.* in Cæsare. *Macrob.* *Cic.* de Arusp. responsis: *Sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, aspici fas est.*

340. *Ubi velari pictura jubetur.*) Pictura maris imaginem exhibens absconditur. *Seneca* epist. XCVII. *Submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur.*

342. *Et quis tunc.*) *Juvenalis* heic unus est ex illis, de quibus *Horatius*:

— *Laudator temporis acti.*

At melius *Seneca* ead. epist. XCVII. *Erras, mi Lucili, si existimas nostri sæculi esse vitium luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia, quæ objicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas vacavit a culpa.*

342. *Contemtor numinis.*) *Virg.* VIII. Æneid.

Contemtorque Deum Mezentius. —

343. *Sympuvium Numæ.*) *Hadrian. Junius* Animadvers. II. cap. X. veteres usos fuisse vase fictili, quo libarent; ipsumque tribus nominibus efferri ostendit, *sympullum*, *sympuvium*, & *sympinium*, παρὰ τὸ συμπίνειν, hoc est, a combibendo. *Fest.* in *Sympullo.* *Erasm.* in Proverbiis.

343. *Nigrumque catinum.*) Alia lectio: *Priscumque catinum.*

347. *Pone seram, cohibe.*) Custodiebantur antiquis fœminæ, quod sexcentis locis probare non mihi, si vellem, perdifficile.

248. *Quis custodiet ipsos Custodes.*) Vana mulieris custodia. Unde *Aureol. Theophrastus* apud D. *Hieron.* in Jovinianum dicebat: *Uxorem impudicam servari non posse, pudicam non debere.* *Propert.* eleg. VI. lib. II.

Quos

Jamque eadem summis pariter minimisque libido,
Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, & flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti superest quodcunque paterni
Lævibus athletis, ac vasa novissima donat.
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit hæc, posuitque modum. tamen utile quid sit

Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat.
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest,
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

348. *Ab illis incipit.*) Pecunia eos expugnat, ut supra, seu potius limat cum illis caput.

VET. SCHOL.

350. *Pedibus quæ conterit.*) quæ pedibus suis ambulat.

351. *Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*) δίφρον significat. *Syrorum*, servorum: verbo usus est comico. Nam antiquitus servis nomina ex gentibus suis imponebantur, ut apud *Terentium* frequenter legimus. *Vehitur*, id est in lectica. ut *Cicero*: Nam, ut mos est, lectica ad forum ferebantur.

GRANG.

350. *Quæ conterit atrum silicem pedibus.*) *Prudent.* lib. I. contra Symmach.

Quæque teris silicem variis discursibus atrum.

Propert. lib. II. eleg. XXIII.

Cui sæpe immundo sacra conteritur via socco.

351. *Syrorum longorum.*) *Lecticarii* enim erecti & proceri eligebantur, ut subliniores ferrentur, ut docte animadvertit *Lips.* in Elect. lib. I. cap. XIX.

353. *Sellam.*) in qua deferretur ad theatrum, & in qua spectando sederet. idem *Lips.* eodem.

353. *Cervical.*) Non lectus in sella, quemadmodum in lecticis; sed tantum *cervical* ad caput reclinandum. a Græcis dicitur ὠτοκεφάλαιον, a nostris *aureiller*, *coussines*.

354. *Puellam flavam.*) Intelligit puellam, quæ esset in deliciis dominæ, quæ *Abra*, sive *Favea* dicitur veteribus *Glossis*. *Scalig.* ad *Propert.*

355. *Quod superest argenti paterni donat.*) *Martial.* lib. IV. epigr. XXVIII.

Donasti tenero, Chloe, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos Sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum numeros novæ monetæ,
Et quidquid petit, usque & usque donas.
Væ Glabrania, væ tibi misella!
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Inde *Oseæ* IV. *Ephraim munera dederunt amatoribus suis.* Et *Ezechielis* cap. XVI. *Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti cunctis amatoribus tuis.*

356. *Athletis.*) De *Athletis*, & *Athletarum* diversis generibus, *Budæus* in Pandect. Hæc obscœnum verbum pro iis, qui cum ea caput limarent; ut & alia metaphora Galli, *les piqueurs*, ejusmodi homines vocant.

356. *Lævibus.*) *Læves* sunt depiles, & vulsi. *Ovid.* I. de Arte:

Fœmina quid faciet, cum sit vir levior ipsa?

356. *Novissima vasa.*) satyr. XI.

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus. —

357. *Sed nulla pudorem.*) Idem eadem satyr. XI.

Noscenda est mensura sui spectandaque rebus,
In summis, minimisque, etiam cum piscis emetur;
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. —

359. *Famem expavere.*) Expavere cum quarto casu, ut apud *Horat.* ode XXXVII. lib. I.

— — *Nec muliebriter*
Expavit ensem. —

Prospiciunt aliquando viri: frigusque, famemque
Formica tandem quidam expavere magistra.
Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum:
At, velut exhausta redivivus pullulet arca
Nummus, & e pleno tollatur semper acervo,
Non unquam reputant, quanti sibi gaudia constent,
Sunt quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa

Ingui-

VET. SCHOL.

360. *Prospiciunt aliquando viri.*) & suam paupertatem dispositione utili gubernant.

360. *Frigusque famemque.*) Victum & vestem.

365. *Nonnunquam repetunt.*) Hic versus in quibusdam non est.

366. *Sunt quas eunuchi imbelles.*) Inutiles ad concubitum:

— Et, si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam stipulis magnus nam viribus ignis
Incassum furit. —

Horatius:

— Non prælia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium.

368. *Et quod abortivo.*) Poculo faciente abortum.

GRANG.

361. *Formica magistra.*) I piger ad formicam. Vide *Horat.* in satyris. *Formica* autem a *mica*, & grano *ferendo.*

362. *Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.*) *Alciat.* Embl. XCI.

Fœmina iners animal facili congesta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inque suum.

Unde aliquis Græcorum de fœminarum prodigalitate:

Γυνὴ τὶ σύνολόν ἐστι δαπανηρὸν φύσει.
Mulier prorsus res est, quæ magnos sumtus facit natura.

Apul. lib. IX. Miles. *In rapinis turpibus avara, in sumtibus fœdis profusa.* Vide proverbium *γοργυρὶς πυγή.*

363. *Nummus redivivus pullulet.*) *Redivivus*, Metaphora a plantis: Græcis *παλίμβολος*. *Scalig.* ad illud Moreti:

Et calamo redimita levi munibat arundo.

Ubi corrigit ex veteri M S.

Et calamo rediviva. —

Nos dicemus, *comme si l'argent croissoit en la bource.*

363. *Exhausta arca.*) tanquam puteus. Unde *Cic.* II. de Off. *Largitio ipsum fontem benignitatis exhaurit.* Sic in Verrem: *Ærarium inops exhaustum.* *Prop.* *exhaustæ opes Venere.* Idem satyr. X.

365. *Quanti sua Gaudia.*) Per *gaudia* intelligit voluptatem Veneream. *Tibullus*:

— Discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Petronius: *Male repugnanti gaudium extorsi.* *Ovid.* II. de Arte:

— Veneris da gaudia flenti.

366. *Sunt quas eunuchi imbelles Delectent.*) *Eunuchis delectari* mulieres docet *Muretus*, Var. lib. X. cap. XI. & *Brodæus* Miscell. lib. IV. cap. XXI. D. Hieron. *In longam, securamque libidinem exsectus spado.*

366. *Eunuchi imbelles.*) Hic *imbelles* non inutiles ad concubitum, ut vult *Vet. Scholiast.* Sensus enim auctoris repugnat; sed quod a *bellicis* artibus arcerentur ad *gynæcia*. *Claudian.* ad Eutropium eunuchum:

— Quid te turpissime bellis
Inseris? aut sævis pertentas Pallada campis?
Tu potis alterius studiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse.

Vide *Veget.* lib. I. cap. VII.

366. *Mollia Oscula.*) *Martial.* lib. XI. epigr. XXIII.

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia. —

368. *Abortivo non est opus.*) Duas rationes adfert, cur *delectarentur Eunuchis*: prima, quod non gignerent; secunda, quod non minimam cum eis voluptatem reciperent. *Martial.* lib. VI. ep. LXVII.

Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice; vult futui Gellia, non parere.

Secundam causam tangit *Galen.* lib. XIV. de Usu Part. *Basilius* lib. de Vera Virginit. *Muret.* & *Brodæus*, locis supradictis.

370. *Jam*

Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro.
Ergo ſpectatos, ac juſſos creſcere primum
Teſticulos, poſtquam cœperunt eſſe bilibres,
Tonſoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conſpicuus longe, cunctiſque notabilis intrat
Balnea, nec dubie cuſtodem vitis & horti
Provocat, a domina factus ſpado. dormiat ille
Cum Domina. ſed tu jam durum, Poſthume, jamque
Tundendum eunucho Bromium committere noli.
   Si gaudet cantu: nullius fibula durat
Vocem vendentis Prætoribus: organa ſemper
In manibus: denſi radiant teſtudine tota

Sardony-

VET. SCHOL.

370. *Jam pectine nigro.*) Tunc faciunt Eunuchos, quando jam pubuerunt.

373. *Tonſoris damno.*) quia non habent barbam.

373. *Heliodorus*) Medicus.

378. *Bromium committere noli.*) Puerum ephœbum & comatum non committes eunucho.

379. *Nullius fibula durat.*) *Fibulam* dicit circellos, quos Tragœdi ſive Comœdi in penem habent, ut coitum non faciant, ne vocem perdant.

380. *Organa.*) *Organa* dicit citharas eorum, quos amant.

GRANG.

372. *Eſſe bilibres.*) Teſticuli enim appellantur auctoribus noſtris *pondera*. *Catullus*:

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Martial. lib. VII.

Judæum nulla ſub cute pondus habet.

373. *Tonſoris damno Heliodorus.*) De Heliodoro *Paulus Ægineta* lib. IV. cap. XLIX. Ponitur heic pro quolibet medico, ut ſupra *Archigenes*. Sic autem in *tonſorem* aliquando luſimus:

Tonſori Eutrapelo furtim ſociata nefandis
   Sartricula ominibus pluribus ante procos
Deſponſata, in jus, mœſto tonſore, vocatur,
   Quem ſic ſolata eſt, lite cadamus, ob id
Num tibi quid pejus? ſaltem ſi nummus in arca
   Deficit, en nobis altera ſpes in acu eſt:
Serviet, haſtululæ qua venas ſcindere ſueſcis
   Pars prior, utque prius poſteriore fruar.

374. *Intrat balnea.*) quod in balneis obſcœna peragerentur. Unde ea appellat *Martial.* *Fœminеis caterviſ dilecta*, lib XI. epig. XLVIII.

375. *Cuſtodem vitis & horti.*) Ipſum nequitiæ Deum, qui ἁπλῶς dicitur *Cuſtos*, *Martialis* epigr. IX. lib. VII.

Mentula cuſtodis luxurioſa Dei.

Vide Luſus in Priapum.

376. *Dormiat Cum Domina.*) *Dormire* hoc loco femur ſemori conſerere, & latus componere. *Ovidius*:

Et bene dic Dominæ: bene, cum quo dormiat illa,

Propertius:

Cum ſene non puduit talem dormire puellam.

378. *Eunucho Bromium committere noli.*) Adoleſcentes puberes caſtrandos docet *Juvenal.* non autem exoletos, & jam barbatos: nam *committere eunucho*, caſtrare & eunuchum facere ſignificat, ut docet *Scalig.* ad *Catull.* quo loco dixit Catull. *Tradi aſino*, id eſt, in locum aſini, qui verſat molas, ſuffici Aliam tamen interpretationem commentus *Lubinus*, non certe pœnitendam, quam videre poteris.

379 *Si gaudet cantu.*) Comœdis in ſcena cantantibus. *cantu* pro cantore.

380 *Organa ſemper In manibus.*) *Iſidor.* lib. II. cap. XX. *organum* vocabulum generale omnium vaſorum muſicorum.

381. *Denſi Sardonyches.*) Lapilli, de quibus *Plin.* lib. XXXVII. cap. VI. vulgo *des Sardoines.* *Iſidor.* lib. XVI. cap. VIII. & *Plin.* loco ſupradicto, dictam a gemma *Sarda* volunt, quæ noſtris dicitur *Cornaline.*

381. *Teſtudine tota.*) hoc eſt, Lyra, quod ex *teſtudine* lyram fecit Mercurius. *Homer.* in Hymno Mercurii. *Serv.* ad IV. Georg.

382. Quo

Sardonyches : crispo numerantur pectine chordæ,
Quo tener Hedymeles operas dedit : hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti,
Et farre & vino Janum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere. quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput : dictataque verba
Pertulit, ut mos est, & aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic antiquissime Divum,

Respon-

VET. SCHOL.

383. *Quo tener Hedymeles.*) Hic citharœdus fuit. *tener* autem ad ætatem retulit.

385. *Ac nominis Appi.*) *Appias* significat.

387. *An Capitolinam.*) Olympiam coronam. id est, sacrificabat nobilis matrona, ut citharœdus *Pollio* ejus amatus, in agone *Capitolino* coronam accipere posset. *Quercum* dicit: quia inde solebant coronari.

391. *Dictataque verba*) a sacerdote, sive aruspice.

392. *Pertulit*) ad Deos scilicet, secundum consuetudinem.

392. *Palluit*) de eo sollicita, vel de responso, exta intuendo, an ille coronam posset consequi.

393. *Dic mihi.*) Apostrophe ad Deos.

GRANG.

382. *Pectine.*) *Servius Pecten* in ea significatione dicit esse neutr. g. ad illud VI.

— *Jam pectine pulsat eburno.*

Dicitur Græcis, *plectrum*, παρὰ τὸ πλήττειν, hoc est, a *percutiendis* fidibus. Gallis, *Archet*.

384. *Indulget basia.*) *Indulgere* hic pro dare. *Catullus*:

Da mihi basia mille, deinde centum.

Similiter *dare oscula*.

385. *De numero Lamiarum.*) Nobilium. diximus ad satyr IV.

— *Lamiarum cæde madenti.*

385. *Nominis alti.*) Alii, *nominis Appi*, male. *altos* enim vocamus nobiles. *Virgilius*:

Thebana de matre nothum Sarpedonis alti.

i. nobilis, expositione ipsius *Servii*. *Noster* infra:

— *Domibus tunc porrigit altis.*

387. *Pollio.*) Citharœdus. De quo *Martialis*:

Here de theatro, Pollione cantante,
Cum subito abires. —

387. *Capitolinam quercum.*) *Coronam quernam* agonis Capitolini, quem Domitianus exemplo ludorum Olympicorum instituit, in eo omne genus artifices certabant. Vide *Ioseph. Scal.* Auson. Lection. lib. I. cap. X.

387. *Capitolinam quercum.*) *Martialis*: *Frondem Tarpejam*, & *Tarpejas quercus*. lib. IV. epig. LIV. & ejusd. lib. epig. I.

390. *Stetit ante aram.*) Salutabant enim Deos, non de geniculis, sed *stantes*. *Martial.* lib. XII.

Multis dum precibus Deos salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues.

Brisson. I. de Formul.

391. *Pro cithara.*) *Cithara*, pro Citharœdo; ut supra *cantu* pro cantore.

391. *Velare caput.*) Alius mos precantium; precaturi enim quosvis Deos (Saturnum, Honorem, & Herculem excipio) *velato* erant *capite*. *Plaut.* Curcul act. III. sc. I.

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?

Vide *Brisson.*

391. *Dictataque verba.*) Certas fuisse, & solemnes preces, certaque fuisse earum & solennia verba, ostendit idem *Briss.* I. de Formul. quæ, ne præpostere dicerentur, aut aliquid præteriretur, Sacerdos de scripto præibat; populus, qui precabatur, nominatim repetebat.

393. *Dic mihi.*) Idiotismus interrogantis, & sæpius cum stomacho. *Donatus*: *dic mihi*, dicit esse semper imperiosum: *quæso* vero modo est rogantis, modo objurgantis.

393. *Anti-*

Respondes his Jane pater? magna otia cœli,
Non est, ut video, non est, quod agatur apud Vos.
Hæc de comœdis te consulit: illa tragœdum
Commendare volet, varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet Urbem
Audax, & cœtus possit quæ ferrre virorum,
Cumque paludatis Ducibus, præsente marito,
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,

Quid

393. *Antiquissime Divum.*) Fortasse ad illam mentem dicebat *Persius*:

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.

Nam qui primus omnium, neminem habet a tergo; unde Thales πρεσβύτατον τῶν ὄντων θεός, ἀγέννητον γάρ. *Martial.* lib. x. epig. XXVIII.

Annorum, nitidique sator pulcerrime mundi.

Ovidius:

Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant.

VET. SCHOL.

394. *Respondes his.*) His de rebus scilicet responsa dabis?

397. *Varicosus fiet aruspex*) multum stando, dum Deos, aut exta consulit. aut certe: Tantum impudentiæ sumit in inspiciendis extis, ut *varicoso aruspice* doctior videatur. Potest & nomen esse *aruspicis* cujuspiam.

400. *Cumque paludatis.*) Euntibus ad militiam, chlamydatis scilicet. *Sallustius*: *Togam paludamento mutavit.*

401. *Siccisque mamillis.*) Adhuc exstantibus, vel sine sudore.

GRANG.

394. *Jane pater.*) Omnes Deos *Patres* vocatos fuisse ostendit multis *Brisson.* lib. 1. de Form. sed inter ceteros *Pater* cognominatus *Janus*. *Virgil.* VIII. Æneid.

Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.

Martial. epigr. XXVIII. lib. x. ad Janum:

At tu sancte Pater. —

Horat. Epist. lib. I. epist. XVI.

Jane pater clare, clare cum dixit Apollo.

394. *Magna otia.*) Contra *Martial.* *parva otia* dixit:

Otia dum medius præstat tibi parva December.

396. *Te consulit.*) Exta *consuli* dicuntur. *Plin.* lib. XXVIII. cap. XI. *Victimas cædi sine precatione non videtur referre, nec Deos recte consuli.* *Stat.* IV. Theb.

Consulit ille Deos, non larga cæde juvencum,
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis.

Virg. IV. Æneid.

— *Spirantia consulit exta.*

Ubi *Servius*. *Brisson.* I. de Formul.

397. *Aruspex.*) Dictus ab *haruga* inspicienda, id est, victima in *hara* includi solita. *Donat.* in Phorm. *Varroni* dicitur *Arviga*, sed *Scalig.* legit *aringa*. *Festus*: *Harviga* dicebatur hostia, cujus adhærentia inspiciebantur exta.

398. *Sed cantet potius.*) Magis toleranda uxor cantatrix; quam vagabunda. *Euripid.* in Oreste:

Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν
In turbam progredi virgines haud honestum.

Plautus:

Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.

398. *Pervolet totam urbem.*) Volet per totam urbem. *Virgil.* IV. Æneid.

— *Totaque vagatur*
Urbe furens. —

399. *Audax.*) Hinc *Terent.* dixit Eunucho, *audaciam meretricum*. Et *Plaut.* Milite:

Os habet linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam.

400. *Paludatis Ducibus.*) Armatis: ubi enim bellum indictum erat, decernebatur edicto, ut Consules paludati exirent. nam *paludamenta* insignia sunt, & ornamenta militaria.

400. *Præsente marito.*) Superius:

— *Coram licet innuat, atque*
Rescribat. —

401. *Recta facie.*) Erecta: quod signum impudentiæ: pudibunda enim

— *Solo fixos oculos aversa tenebat.*

401. *Strictisque mamillis.*) Nudatis. Supra de Messalina, *quæ auratis prostitit nuda papillis.*

402. *Hæc eadem novit.*) Curiositatis vitium reprehendit in fœminis, quod eleganti versiculo notat *Theocritus*:

Παῖσαι

Exorata solet. nam si latratibus alti
Rumpuntur somni: fustes huc ocyus, inquit,
Adferte, atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem: gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit: conchas, & castra moveri
Nocte jubet: magno gaudet sudare tumultu,
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus & cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum Dominæ femur exclamare coegit.
Convivæ miseri interea somnoque, fameque
Urgentur. tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur urna

Admo-

VET. SCHOL.

418. *Gravis occursu.*) Visione terribilis. ut *Virgil.*

Nec visu facilis. —

419. *Castra moveri.*) Instrumenta balnearia.

421. *Cum lassata gravi.*) Halteras dicit, quibus utuntur athletæ, cum exercentur: quasi plumbeis ponderibus exerceatur.

423. *Exclamare coegit.*) Non cogit exclamare, quod fecerit, illa non exclamat, sed patienter tolerat.

GRANG.

415. *Exorata.*) Orata. Compositum pro simplici. Alias, *exorare*, est alterius significationis. *Donat.* ad *Terent.*

415. *Alti somni.*) *Martial.* epig. v. lib. I.

Non rumpet altum pallidus somnum reus.

Virg. similiter *altum soporem* vocat.

419. *Balnea nocte subit.*) Et ante & post cœnam subibant balnea antiqui. De *balneis post cœnam* diximus ad satyr. I. *Subire* autem hic est ingredi, ut *Virg.* *Subire tecta.* *Subire antra.*

419. *Conchas & castra moveri.*) Metaphora a castris militaribus, quę proprie *moveri* dicuntur. *Cæsar* I. de Bello Gallico: *Cum castra moveri, & ferri signa juberet.* Vide *Brisson.* IV. de Form.

420. *Sudare*) in cella caldaria, sive sudatoria. Vide *Marcil.* ad *Persii* satyr. III.

421. *Lassata brachia gravi massa.*) i. Plumbea. in balneis enim diversa exercitiorum genera: erant enim, qui se saltu exercebant, qui a Græcis *Hamaltæ* dicuntur. ii utebantur *halteribus*, hoc est pilis sive massulis plumbeis, quibus utraque se manu librabant; ut certius assilirent. *Budæus* priorib. Annotat. in *Pand.* ex quibus *Seneca* intelligendus epist. LVI. *Cum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant.*

422. *Impressit digitos cristæ.*) Vocat *cristam* partem muliebris pudendi, quæ a Græcis *Nympha*, *myrtos*, *hypodermis*, sive κλειτορὶς appellatur. *digitos* autem *imprimere cristæ* uno verbo Græci κλειτοριάζειν. Vide *Rufum Ephesium* de partibus Hominis lib. I. cap. XIII.

422. *Aliptes.*) Unus e ministris balinei, qui a Latinis *unctor* dicitur, de quo *Seneca* epist. LVI. *Ejus erat munus, ungere qui in balneo.* Videndus *Fornerius* ad l. CCIII. §. *quid autem. D. de verb. sig.*

423. *Femur.*) Per *femur*, ipsam vulvam intelligit, quod eleganter appellavit, *interfemineum*, *Apul.* unde in sacris ponitur pro opere nuptiarum. Quod notavit *Tiraquell.* de ll. Connub. l. IX. num. XXCI. & XXCII.

423. *Clamare femur.*) Sic *Martial.* joculariter *cunnum clamosum* dixit lib. VII. epig. in Gallam.

424. *Urgentur somno.*) *Virgil.* X. Æneid.

— *Et ferreus urget*
Somnus. —

Et IV. Georg.

— *Oculos sopor urget inertes.*

425. *Totum Oenophorum sitiens.*) *Janus Parrhas.* epist. XXXVI. illud *Horatii* interpretans lib. I. ode XXVI.

Neu multi Damalis meri,
Bassum Threicia vincat amystide.

interpretatur *Amystidem* potionis genus esse, quod uno sumtu sumebatur, ὥστε τὸ μὴ μύειν; dixitque, morem fuisse Romanis exonerandi stomachi gratia, statim a balneis uno ductu *Amystim* bibere, deinde vomere. Id quod *Erasistratus* improbavit, quasi oculis noxium, ventrem quoque sistere: quam & consuetudinem reprehendit *Juvenal.* his versibus.

426. *Oenophorum.*) Vas, quod nos dicimus *broch*, a verbo βρέχω, i. *fundo*; quod sit vas *fundendo vino* accommo-

Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit, & loto terram ferit intestino.
Marmoribus rivi properant, aurata Falernum
Pelvis olet: nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elisæ,
Committit vates & comparat; inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet, nec caussidicus, nec præco loquatur,

Al-

accommodatum, implendis deplendisque culeis, & vasis conditoriis, & vino quocunque modo transvasando. *Budæus* lib. v. de Asse.

426. *Tenditur plena urna.*) i. quod est capax *urnæ*. Continebat autem *urna* octodecim pintas Parisianas.

VET. SCHOL.

428. *Ducitur.*) Bibit, ut digerat.

429. *Et loto terram.*) Cum cœperit ebria rejicere.

430. *Marmoribus.*) In triclinio marmoreo.

432. *Deciderit serpens.*) Ita post vomitum bibit, tanquam *serpens*, quando in dolium vini ceciderit, bibendo vomit, & vomendo denuo bibit.

434. *Illa tamen gravior.*) *Statiliam Messalinam* insectatur, quæ, post quatuor matrimonia diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemtum, & opibus & forma & ingenio plurimum viguit. consectata est usum eloquentiæ usque ad studium declamandi. Illo tempore duæ *Messalinæ* fuerunt: hæc, & Valeria, de qua Claudius Britannicum filium sustulit.

GRANG.

427. *Admotum pedibus*) prope mensam. Nescio, quid de servorum vino heic Commentatores intelligere se putabt.

428. *Rabidam orexim.*) Comedendi appetitum. *Virg.* lib. IX.

Ex longo rabies collecta fatigat edendi.

D. *Hieron.* ad Principiam: *Ad nefandos cibos erupit esurientium rabies.*

429. *Dum redit*), e stomacho. Nos dicimus *rendre sa gorge*.

429. *Luto intestino.*) Antique *luto*, pro *lauto*, hoc est, lavato.

430. *Falerno Olet.*) Cum *accusat.* & cum *ablat.* jungitur. *Propert.* eleg. VII. lib. IV.

Cur nardo flammæ non oluere meæ.

Ubi male *Lipsius* corrigit *nardon* cap. XII. lib. II. Variar. *Plaut.* Amphitr.

Oles homo quidem malo suo.

Martial. epig. LXII. lib IX.

431. *Longus Deciderit serpens.*) *Serpentes* vini appetentes docet *Plin.* lib. X. cap. LXXII. & lib XXII. cap. XXIII: *Auson.* *Sabellicus* in Epist. & *Eras* in Proverb. *Hydrus in dolio.* Chil. III. cent. X. proverb. XCVIII.

434. *Illa tamen gravior.*) Jam ad garrulitatis vitium venit, quod in fœminis notissimum est. *Plaut.* Aulul. vel latente Eunomia:

Multum loquaces merito omnes habemur:
Nec mutam profecto repertam
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo:

Seneca Controvers. XXV. *Mulier id solum potest tacere, quod nescit.*

436. *Committit vates.*) Comparat, componit. Verbum theatri, & arenæ. Vide *Turneb.* lib XXI. cap. XXIX. & *Marcellum Donatum* Comment. in *Sueton.*

437. *Alia in parte suspendit Homerum.*) Simili Metaphora usus *Horat.* Epist. lib. II. epist. II.

Sic quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina. —

439. *Nec præco loquatur.*) Et caussidicos, & præcones antiquis garrulitate notatos invenio. *Martial.* lib. IX.

— *Vis, garrule, quantum*

Accipis

Altera nec mulier; verborum tanta cadit vis:
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. jam nemo tubas, nemo æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere Lunæ,
Imponit finem sapiens & rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit, & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,

Dicendi

Accipis, ut clames; accipere, ut taceas.

De *præconibus Plaut.* Asin. Prologo. & in Pœnulo. Videndus *Valens Acidal.* in Divinationibus suis.

VET. SCHOL.

443. *Una laboranti poterit succurrere Lunæ.*) Sonitum fieri adsolet, quando Luna deficit.

444. *Imponit finem.*) Etiam philosophiam tractat.

446. *Crure tenus.*) id est accipere debet virilem habitum, & cingi, ut vir.

447. *Cædere Sylvano porcum.*) Sylvano mulieres non licet sacrificare.

GRANG.

440. *Tanta vis verborum.*) hoc est, tanta copia: *vis* enim pro copia, ut & Græci δύναμις, quo & *Plaut.* usus est in Pseud.

441. *Tot pariter pelves.*) Alludit ad proverbium Δωδωναῖον χαλκεῖον, de quo *Erasm.* Chil. I. cent. I. proverbio VII.

442. *Nemo tubas.*) In defectu Lunæ solebant æra quatere, queis ipsi auxiliari se putabant. *Plin.* cap. XII. lib. II.

443. *Lunæ laboranti.*) *Laborare* dicitur *Luna*, cum deficit. Virg. II. Georg.

Defectus Solis varios, Lunæque labores.

Propert. lib. II. eleg. XXXIV.

Nec cur fraternis Luna laboret equis.

Lucanus:

Et patitur tantos cantu depressa labores.

444. *Imponit finem.*) Ultimam manum. *Virg.* II. Æneid.

— *Finem impone labori.*

Sic *imponere* coronidem, & colophona dicimus.

446. *Succingere debet medio Crure tunicas.*) i. ut ait *Vet. Schol.* virilem habitum accipere. Nam, ut animadvertit *Turneb.* lib. XI. cap. XXIII. demissæ tunicæ sunt fœminarum. *Plaut.* Pœnulo act. V. sc. V. *Sane genus hoc est mulierosum cum tunicis demissitiis.* *Varro* Meleagris apud *Nonium* in *Demissum.*

447. *Cædere Sylvano porcum.*) *Servius*, & post illum *Lil. Gyrald.* syntag. XV. de Diis gent. *Sylvanum* ὑλαῖον θεὸν faciunt, hoc est, Deum τῆς ὕλης. Hinc veteres Glossæ, *Sylvanus*, ὁ θεὸς ὑλαῖος. *Catoni* Mars Sylvanus; de quo hic locus intelligendus: Nam sacrificio, quod fiebat Marti Sylvano nullo modo fœminis adesse licebat. *Cato* lib. de Re Rust.

447. *Quadrante lavari.*) tanquam Philosophus. Alludit autem ad illud *Horatii* lib. I. satyr. III.

— *Dum te quadrante lavatum*
Rex ibis. —

irridens dogmata Philosophorum, qui *sapientes* vocant *Reges*, cum tamen in balneo publico *quadrante* laventur; non suo, ut veri Reges: non enim tantum viri, sed & fœminæ *quadrante* lavabantur: at cum ibi, ut ait *Scholiastes*, tangat stultitiam *Messalinæ*; dicit ipsam debere Palatia relinquere & Philosophorum vestimentis indui, eorumque more, in thermis publicis *quadrante lavari*: eo enim modo doctior & facundior videbitur: quæ non sine Philosophorum irrisione a *Juvenale* dicta sunt.

448. *Non habeat matrona.*) *Euripid.* Hip. act. III.

Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρή.
Τὸ γὰρ πανοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις
Ἐν ταῖς σοφαῖσιν. —

Odi eruditam, ne meæ unquam sit domi,
Quæ plus sciat, quam mulierem scire expedit.
Namque eruditis ipsa majorem Cypris
Astutiam indit. —

Martialis:

— *Sit non doctissima conjux.*

Dicendi genus, aut curvum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omneis:
Sed quædam ex libris & non intelligat. odi
Hanc ego, quæ repetit, volvitque Palæmonis artem,
Servata semper lege & ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ
Verba. solœcismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virideis gemmas collo circumdedit, & cum

Auri-

Vet. Schol.

452. *Palæmonis artem)* Grammatici, magistri *Quintiliani* oratoris.

453. *Servata semper lege.)* Analogia.

454. *Tenet antiquaria.)* Quæ antiquitatem tenet, &, ut *antiquarius*, versus dicit.

455. *Opicæ castigat amicæ.)* Imperitæ, male pronunciantis.

457. *Nil non permittit.)* id est, omnia. Nam duo negativa unum confirmativum faciunt.

458. *Cum virides gemmas.)* i. Monilia circa collum miserit. *virides*, i. prasinas.

Grang.

449. *Curvum sermone rotato. &c.)* *Muretus* Variar. lib. VIII. cap. XXI. constat heic metaphoram esse a jaculis sumtam, quæ, brevia cum sint, *rotando* torqueri solent. Eadem autem usus est *Plato*, cum Lacedæmoniorum loquendi consuetudinem exponeret, quos ait initio videri solitos rudes & imperitos: sed postea torquere ac vibrare breve aliquod dictum: ut is, quicum disserebant, puer præ ipsis videretur. Ejus *Platonis* verba vide apud ipsum *Muret.* si lubet. vide & de hoc loco *Turneb.* lib. III. Adverſ. cap. XVII.

450. *Nec historias sciat omnes.)* Hinc *Parrhas.* Epist. XXIX. *Ovidium* in hoc versu:

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

de industria Penelopen, tanquam historiæ ignaram, induxisse, & frustra *Politianum* correxisse

Sive quis Amphimacum. —

Vide reliquum illius epistolæ.

451. *Quædam ex libris non intelligat.)* Contra lascivus amoris Magister III. de Arte:

Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetæ,
Sit quoque vinosi Teia Musa senis;
Nota sit & Sappho, quid enim lascivius illa? &c.

452. *Palæmonis artem.)* hoc est, Grammaticam. *Sueton.* lib. de illust. Gramm. *Palæmonis* meminit: vocatur autem *M. Remmius Palæmon*, sive, ut alii volunt, *Quintus.* Vide *Casaub.* & *Vineti* notas in hunc locum.

453. *Lege loquendi.)* *Horat.* de Arte:

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.

454. *Antiquaria.)* quæ cum matre Euandri loquitur. *Antiquarii* enim Latinis dicuntur, qui verbis utuntur priscis, quos non minimo sprevit fastidio Augustus. *Sueton.* in Ejus vita. Alia tamen est acceptio *Antiquariorum*, scilicet, ut ait *Sabellicus*: *Veterum poetarum & historiarum studiosi Antiquarii dicuntur.* Sunt & Jurisconsultis sui *Antiquarii*, ii scilicet, qui Bibliothecæ codices componebant, vel pro vetustate reparabant. *Marc. Donat.* in *Suet.*

454. *Tenet versus.)* Novit. Quæ sciuntur, *tenentur*: unde *capere* pro intelligere. Hinc *Plauti* jocus Curc. act. I. sc. I.

Recte rem tenes? nimis formido, ne excidat.

Et in Pœnulo:

Tenetis rem? vix quidem hercle, ita pauxilla
Est digitulis primoribus. —

455. *Castigat Verba.)* *Horat.* de Arte:

Perfectum decies non castigavit ad unguem.

455. *Opicæ amicæ.)* Quæ Osce loquitur; hoc est barbare, & Oscorum more. *Osci* enim *Opsci* dicti vulgo *Opici.*

456. *Solœcismum liceat fecisse marito.)* quod fiet, si uxorem non doctam duxerit. Hinc jocus *Martial.* lib. XI. epig. XX.

Quæris, cur nolim te ducere Galla? diserta es,
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

457. *Turpe putat nil.)* Supra:

— *Nec turpe putavit.*

458. *Circunde*

Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives.
Interea fœda adspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, & hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum lota veniunt cute. quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.

Sed

458. *Circunde virides gemmas.*) *Baifius* libello de Re Vestiaria, ait sibi videri *Juvenalem*, *Viriolas* designare hoc versu. De iis in *l. argumento. §. ornamenta D. de auro, & arg. leg.* Quod autem facit, ut assentiam *Baifio*, illud est, quod *viriæ* fiebant ex Smaragdis, quæ *virides*. De iis *viriis* meminit *Plin.* lib. XXXIII. cap. III. initio cap.

458. *Circumdedit collo.*) Catullus:

Hesterno collum poterit circumdare filo.

VET. SCHOL.

459. *Magnos commisit elenchos.*) Uniones, margaritas oblongas. Magnarum gemmarum *elenchos*, quos & *Titulatos* appellant.

462. *Pane tumet facies.*) Medicamen ad tendendam faciem, aut cutem magis.

462. *Et pinguia Poppæana.*) *Poppæa* uxor Neronis, adeo diligens in excolenda forma fuit, ut eam quinquaginta asinæ sequerentur missam in exilium, quarum lacte candorem corporis provocabat. earum natura fucata est. Decessit calce a Nerone percussa. Medicaminis ipsius autem nomen *Juvenalis* *Poppæana* dixit, quasi ab illa inventum sit.

465. *Foliata.*) Unguenta *foliis* plena, vel aliis aromatibus.

466. *Quidquid graciles huc mittitis Indi*) odorum.

468. *Illo lacte.*) Asinino lacte faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat.

GRANG.

459. *Elenchos.*) *Plin.* lib. IX. cap. XXXV. *Elenchos* appellant fastigiata longitudine, Alabastrorum figura in pleniorem orbem desinentes, hoc est, *en forme de bocal, grossissans en bas, comme une poire.* De iis in *l. pediculis. §. ult. D. de auro & arg. leg.*

462. *Pane tumet facies.*) Vide, quæ diximus ad illud satyr. II.

Et pressum in facie digitis extendere panem.

462. *Pingua Poppæana.*) *Calderin.* lib. III. Annot. cap. VI. interpretatur *Poppæanum*, medicamen faciei, quod ex lacte asinæ & pane madido conficiebatur, a *Poppæa* Domitii Neronis uxore dictum.

462. *Pinguia Spirat.*) *Spirant* cum accusandi casu, ut apud *Persium* satyr. VI.

— *Seu spirant Cinnama.* —

464. *Ad mœchum veniunt lota cute.*) *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XXV. adsert illud *Lucilii* lib XV. satyr. quem videtur imitatus *Juvenal.*

Cum secum est, quidvis satis est: visuri alieni
Sint homines, spiram, pallas, redimicula promit.

465. *Quando videri Vult formosa domi?*) Eadem satyr.

— *Quando ad palum gemat uxor Asylli?*

465. *Foliata.*) Unguenta sunt, dicta Nardina sive *foliata*. De quibus *Plin.* lib. XIII. cap. I. Hinc supra *Martiali*, *foliata sitis*, de iis, qui bibebant vinum perfusum Nardino unguento sive *foliato*.

467. *Tectoria prima reponit.*) Metaphora a parietibus, quæ dealbantur. *Tectorium* enim dealbatio; quæ ex calce & gypso fieri solet, ita in *D. de usufr.* *Tectorium* intelligendum. *Accurs.* tamen pro *tecto* intelligit, non bene, ut docet *Bartolinus* in Auctario. Vide *Budæum* in Pandect. & *Theodor. Marcil.* ad *Persium*.

470. *Axem Hyperboreum.*) *Virg.* III. Georg.

Talis Hyberboreo septem subjecta trioni.

Martial. lib. IX. epig. XLVI. Dixit autem *axem Hyperboreum*, quod apud *Hyperboreos* populos creduntur

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas
Accipit, & facies madidæ dicetur, an ulcus?
Eſt precium curæ penitus cognoſcere toto
Quid faciant, agitentque die. ſi nocte maritus
Averſus jacuit: periit libraria, ponunt
Coſmetæ tunicas, tarde veniſſe Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere ſomni
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
Hic ſcutica: ſunt, quæ tortoribus annua præſtent:
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum,

Et

eſſe cardines mundi, extremique ſiderum ambitus: *Plin* lib IV cap XII. hodie Hyperborei, *la Ruſſie*.

VET. SCHOL.

472. *Coctæque ſiliginis offas.*) Candidi panis.

474. *Eſt precium curæ.*) Operæ precium eſt.

476. *Averſus jacuit.*) Libidini ipſius ſatis non fecit.

476. *Periit libraria.*) Lampendia.

477. *Coſmetæ tunicas.*) Eos dicit, qui ornamentis præſunt, non tamen & *ornatrices.* ponunt tamen & tunicas, ut vapulent.

477. *Liburnus.*) Nuncius, aut certe lecticarius, aut gerulus lecticæ, qui *liburnata* eſt.

478. *Alieni pendere ſomni.*) Somni mariti pœnas præſtat familia.

480. *Hic ſcutica.*) Lorus latus, corium non confectum.

480. *Tortoribus annua.*) Salaria quæſtionariis, ſive carnificibus.

482. *Aut latum pictæ.*) Auroclavias veſtes miratur.

GRANG.

472. *Coctæ ſiliginis offas.*) Poſſumus vertere Gallice, *de la farine reduite en maſſe.* Eo ſenſu nomine *offa*, uſus eſt *Plin.* lib. XV. cap. VII. quem adi.

474. *Eſt operæ precium.*) *Horat.* I. Serm. ſatyr. II
Audire eſt operæ precium. —

475. *Si nocte maritus Averſus jacuit.*) Qualis Circe apud *Arbitrum*, quam, cum juſto opere fefelliſſet Polyænus; Chryſis vapulat, totaque familia triſtis inter ſe muſſat, quæritque, quis Dominæ hilaritatem confuderit.

476. *Averſus jacet.*) *Martial.* epigr. XLIII. lib. XI.
Tryſtis multum quamvis averſa jaceret.

Jacere autem hic tanquam mortuus, & ad opus inutilis. *Propert.* eleg. XV. lib. II.
— *Siccine lente jaces.*

476. *Periit libraria.*) *Libraria* ſerva eſt, quæ appendit lanam ancillis: unde a *Scholiaſte*, *Lanipendia* nominatur. Hinc lana illa *penſum* dicta a *pendendo*. Ipſam poſtea lanam pari pondere reddebant deductis burris, & quiſquiliis.

476. *Periit.*) Summæ deſperationis verbum. *Plaut.* Ciſt. act. IV. ſc. XI.
Hic periit, opinor.

476. *Ponunt Coſmetæ tunicas.*) Exui jubentur, ut nudi cædantur. *Plaut.* Perſa act. III. ſc. I. *Herus, ſi minatus eſt malum ſervo ſuo, tametſi id futurum non eſt, ubi captum eſt flagrum, dum tunicas ponit, quanta afflictus eſt miſeria.* Propertius:
— *Quas paſtor viderat olim*
Idæis tunicam ponere verticibus.
Ovid. eleg. VI. lib. I. Am.
Certe ego, cum poſita ſtares ad verbera veſte.

478. *Pendere pœnas*) proprie is dicitur, qui ob delictum pecuniam ſolvit, quia *penſo ære* utebantur. *Feſt.* in Pendere.

479. *Hic frangit ferulas*) dorſo. Unde facete *Plauto*
— *Ulmorum Acheruns.*
Sid. Apoll. epiſt. XIII. lib. III. *Fractor ferularum.* *Tertull.* in Apologet. *Flagra rumpentes* ejuſmodi homines appellat.

480. *Scutica.*) Parvum flagellum eſt e loris factum, a Græco σκῦτος i. *corium.* *Martial.* epigr. LXII lib X.

480. *Annua.*) merces, quæ ſolvitur in annum.

482. *Pictæ veſtis*) Purpureæ. Eadem enim *picta*, & purpurea. *Liv.* lib. XXX. & XXXI. *Feſt.* in *Picta.* *Nonius* in *Phrygia.*

482. *Aurum*

Et cædit; longi relegit transversa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus, EXI
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.
Præfectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, & properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;
Disponit crinem laceratis ipsa capillis

Nuda

482. *Aurum latum considerat.*) In iis enim vestibus intextum aurum. *Plin.* cap. XLVIII. lib. VIII. *Vestis* igitur *picta* i. *une robbe de broderie.*

VET. SCHOL.

483. *Transversa diurni.*) Ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum.

484. *EXI Intonet.*) Quasi in caussa disceptaverit.

487. *Præfectura domus Sicula non mitior aula*) Tyrannorum dicit *Phalaridis*, aut *Dionysii*. Phalaris Agrigentinus missos in æneum taurum homines subjecto igne torquebat. de quo *Cicero* dicit: *Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus.*

489. *Isiacæ.*) Apud templum *Isidis*. *Lenæ*, conciliatrices: quia in hortis templorum adulteria committuntur.

490. *Disponit crinem.*) Componit crines Dominæ, ipsa lacerata per iram.

GRANG.

483. *Relegit transversa.*) Ea, quæ erant in *transversa* charta, ait *Vetus Scholiast.* i. in opisthographo. Sed ego puto per *transversa longi diurni* velle intelligere, illam legisse, quasi *transverso*, &c, ut dixit prius, *obiter*. Enallage igitur est, *transversa*, pro transversim, *en passant par dessus, en tournant les fueillets.*

483. *Diurni.*) Græcis *ephemeris*. Nobis *un papier journal*. *Ascon.* III. Verr. Moris fuit unumquemque domesticam rationem per singulos dies scribere. *Sueton.* in Augusto vocat *diurnos commentarios.*

485 *Intonat horrendum.*) *Virgil.* illud est II. Æneid.

— *Horrendumque intonat armis.*

Simili translatione *Cic.* dixit *Imitari verborum fulmina.*

486. *Præfectura domus.*) Schegkius:

— *Jam cognitione peracta*
Præfectura domo Sicula non mitior aula.

Dium Fidium appello. quis doctorum exinde hunc locum recte & ordine capit? unus meorum cum vulgato *Gryph.* an. XLVI.

— *Parata*
Præfectura domo Sicula. —

Alter vero, *præfectura domus Sicula*, rectissime, & unice ad mentem *Juvenal.* Hæc *Schegkius.* Sed cum neminem hunc locum recte cepisse dicit ante illum, fallitur. Nam magna Veterum Interpretum pars legit, *præfectura domus*. ut Ipse. Sed & in eo, & in aliis interpunctionem ignoratam video. Sic autem lego, & interpungo:

— *Donec lassis cædentibus, EXI*
Intonet horrendum, jam cognitione peracta.

Deinde per exclamationem lego:

Præfectura domus Sicula non mitior aula!

487. *Nam si constituit.*) Alia lectio: *Aut si constituit.* *Constituere* autem Gallice, *donner assignation*, ut diximus ad illud satyr. III.

Heic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.

488. *Ornari.*) Cultus, & *ornatus* muliebris differunt, ex *Tertull.* lib. de Hab. Muliebri. *Cultus* versatur in mundo muliebri, hoc est, auro, gemmis, vestibus: *ornatus* in capillis componendis, facie fucanda, &c.

488. *Exspectatur in hortis*) Lucullianis, sive Lucillianis. Tangit enim historiam Messalinæ & Silii: de qua *Tacit.* XI. Ann.

489. *Sacraria.*) *Isidorus*: *Sacraria*, locus, ubi sacra reponuntur. *Suet*, *pars domus consecrata.* Gallice *Chappelle.* Heic *Sacraria* pro templo.

489. *Isiacæ lenæ.*) In templis, potissimum *Isidis*, adulteria & probra commissa. *Ovid.* I. de Arte, & III.

Quid faciet custos &c.
Cum sedeat Phariæ sacris operata Juvencæ,
Quoque sui comites ire vetantur, eat.

Nota ex *Josepho* historia Mundi & Paullinæ stupratæ in templo *Isidis*.

490. *Componit crines.*) *Propert.* eleg. XV. lib. I.

Et potes externos manibus componere crines.

Similiter simplici, *ponere crines* Ovidio; sic *fingere*, *collocare*, *colere*, *ornare*, & similibus.

 490. *Laceræ*

Nuda humero Pſecas infelix, nudiſque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? taurea punit
Continuo flexi crimen facinuſque capilli.
Quid Pſecas admiſit? quænam eſt heic culpa puellæ,
Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera lævum
Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.
Eſt in conſilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ ceſſat acu: ſententia prima
Hujus erit; poſt hanc ætate, atque arte minores

Cen-

490. *Laceratis ipſa capillis.*) *Ovidii* illud eſt III. Metam.

Iſmenis Crotale ſparſos per colla capillos
Colligit in nodum, quamvis erat ipſa ſolutis.

VET. SCHOL.

491. *Nuda humero Pſecas.*) ψεκάζειν Græce dicunt, quando minutum, ſive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes, rarum ac parvum aquæ ſolent mittere, ac velut ψεκάζειν. Ergo nominis etymologiam ab arte ſumſit.

495. *Si tibi diſplicuit naſus tuus.*) Si tu fœda es.

495. *Altera lævum.*) Altera componit crinem, dum illa cæditur.

497. *Eſt in conſilio matrona.*) Lanipendia matris, facta ornatrix, quaſi magiſtra.

498. *Emerita.*) Quæ non ornatrix eſt, ſed jam quaſi *emerita* ceſſat.

GRANG.

491. *Pſecas*) Ab irrorandis capillis dicta. *Claudian.* de nuptiis Honorii & Mariæ, tangit hunc ritum:

Cæſariem tunc forte Venus ſubnixa coruſco
Fingebat ſolio: dextra, lævaque ſorores
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat. —

Ovid. III. Metam.

Excipiunt laticem Nypheque, Hyaleque, Rhaniſque
Et Pſecas, & Phiale, funduntque capacibus urnis.

Vide proverbium: *Pſecas, aut ros.*

492. *Cincinnus.*) Crinis annulatus: Græcis βόστρυξ ſive βόστρυχος. *Beroald.* ad *Apul.*

492. *Taurea.*) Scutica ex taurino corio; ut *bubcea* apud *Plaut.* ex bovillo. *Tertull.* II. ad Martyres: *Alii inter venatorum taureas patientiſſimi inambulaverunt.* Vide *Caſellium* Variar. lib. I. cap. VIII. & *Parrhaſ.* Epiſt. XVIII.

493. *Crimen capelli flexi.*) *Martial.* id *peccare* appellat lib. II. epig. LXVI.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

Capillum autem *flexum* vocat cincinnum. *Cincinnus* enim nihil aliud, quam *capillus flexus*, quem *annulum* vocat *Martial.*

493. *Facinus.*) *Martial.* loco ſupradicto:

Hoc facinus Lalage ſpeculo, quo viderat, ulta,
Et cecidit ſectis icta Plecuſa comis.

496. *Volvit in orbem.*) *In orbem volvi* crines, per Auctores liquido liquet. *Claudian.* de nuptiis Honor. & Mariæ:

— *Sed tertia retro*
Dat varios nexus, & juſto dividit orbes
Ordine. —

Martial. loco ſuprad. ob id Queroli *Auctor* incertus *capillorum volumina* dixit. Ubi *Daniel* hunc ritum obſervat, ſed fruſtra verſum hunc:

— *Crinemque rotant.*

de ea re dici putat. *Seneca* videndus de Brevit. Vitæ cap. XII.

497. *Eſt in conſilio matrona.*) Satyrice, quod matronæ, tanquam Senatores, de ornatu capillorum deliberent, & ſententiam dicant. Similis jocus Satyr. IV. de Rhombo piſce, ad quem *vocantur in conſilium proceres.* *Seneca* de Brev. Vit. cap. XII. *Dum de ſingulis capillis in conſilium itur.*

498. *Emerita quæ ceſſat acu.*) quæ non amplius ob ætatem crines matronarum diſponit. Intellige de *acu crinali*, quæ a Græcis βελόνη & ξανίον, a Latinis *diſcerniculum*, & *diſcriminale vocatur.* Vide *Hadrian. Junium* comm. de Coma cap. VII.

498. *Sententia prima.*) Perſequitur metaphoram, cum prius dixiſſet, *eſt in conſilio.* Princeps etenim Senatus a Conſule relatione facta, prior ſententiam dicebat, ceteri ordine rogabantur. *Briſſ.* II. de Form.

507. *Ad*

Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen a fronte videbis:
Post minor est: credas aliam. cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur
Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta.
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina mariti.
Hoc solo propior, quod amicos conjugis odit,
Et servos, gravis est rationibus. ecce furentis
Bellonæ, matrisque Deum chorus intrat, & ingens

Semivir

VET. SCHOL.

507. *Ad oscula*) Mœchi scilicet

509. *Damnorum*) quæ in domo fuerunt.

509. *Tanquam vicina.*) tanquam extranea.

510. *Quod amicos conjugis odit.*) quod vicina non facit.

511. *Gravis est rationibus.*) In lumentis, & balneariam pecuniam erogando.

512. *Bellonæ matrisque Deum*) Sacerdotes, sive mystæ.

GRANG.

500. *Censebunt.*) Secundum huic rei solemnem formulam, *De ea re ita censeo.* *Briss.* loco suprad.

501. *Tanti est quærendi cura decoris.*) MS. liber *Schegkii* Premess. epistola v. habet:

Tanti anquirendi est cura decoris.

Credo facile. Nam satyr. XIV. eo verbo usus est:

— *Quæ terra, marique*
Anquirenda putes. —

Sic *Godeschalcus* Quæstionib. suis in Apolog. I. *Apul.* ubi legebatur: *Qui omnium generum pisces acquirunt*, eleganter correxit, *anquirunt.* vide *Festum.*

502. *Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum &c.*) *Janus Parrhas.* de Rebus per epist. Quæs. epist. LVII. hunc locum interpretatur ex alio *Papinii* in epithal. Violant.

— *Celsæ procul aspice frontis honores*
Suggestumque comæ. —

Antiquæ enim matronæ crines ad verticem capitis convolutos habebant. Quod & explicat *Hadrian. Junius* de Coma, cap. VII. Crinis enim erat aggestus quasi in turrim aut metam in primore parte capitis, cujus structura Latinis dicitur *titulus*, ut docet *Varro* IV. de ling. Lat & *Sext. Pomp.* Notavit *Gregor. Nazianz.* hoc versu:

Μὴ κεφαλαῖς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι,
Γυναῖκες. —
Ne caput ædifices ascito fœmina crine.

503. *Andromachen a fronte videbis.*) *Ovid.* II. de Arte:

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo,
Unus, qui modicam diceret, Hector erat.

Et III. de Arte:

— *Quod erat longissima, nunquam*
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.

504. *Si breve parvi Sortita est lateris spatium.*) *Ovid.* III. de Arte:

Si brevis es, sedeas; ne stans videare sedere,
Inque tuo jaceas quantula cunque toro.

506. *Nullis adjuta cothurnis.*) *Cothurnus* calceamentum Tragœdorum, quod crassum adeo ajunt, ut ejus accessione Heroum æquatam altitudinem prodant. *Soccus* contra humilis: attamen Italæ mulieres altissimis utuntur; unde *Jul. Cæsar Scal.* refert patris sui facetum dictum *Ejusmodi uxorem dimidio tantum in lectis frui maritos, altero dimidio cum soccis deposito.*

508. *Nec mentio fiet Damnorum.*) *Damna* sunt rei familiaris a Jureconsf. dicta a *diminutione* patrimonii, & *demtione. Propert.* lib. III. eleg. XII.

Et Venere exhausta damna querantur opes.

Hinc *Lucretio*: *Venus damnosa.*

509. *Vivit tanquam vicina marito.*) Supra:

— *Vidua est, locuples quæ nupsit avaro.*

512. *Bellonæ, matrisque Deum.*) Conjunxit *Bellonam* & *matrem Deum*, ut quæ una eademque Dea di-

versis

Semivir, obſcœno facies reverenda minori,
Mollia qui rapta ſecuit genitalia teſta
Jam pridem, cui rauca cohors, cui tympana cedunt
Plebeja, & Phrygia veſtitur bucca tiara;
Grande ſonat, metuique jubet Septembris, & Auſtri
Adventum, niſi ſe centum luſtraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit Ipſi,
Ut quidquid ſubiti, & magni diſcriminis inſtat,
In tunicas eat, & totum ſemel expiet annum.

Hiber-

verſis nominibus, & numinibus: *Apul.* lib. VIII. *Omnipotens & omniparens Dea Syria, & Bellona, & mater Idæa.* quare iidem ſacerdotes *Galli & Bellonarii.*

512. *Ingens.*) Sic *Perſ.* ſatyr. V.

Hinc grandes Galli. —

Ubi *Vet. Scholiaſt.* explicat *grandes*, ſacrificiis pingues. *Marcilius*, *Grandes* dictos putat, quod cothurnati eſſent. *Caſaubonus* putat dici *grandes*, ob ſtultitiam & inſulſos mores. Ego ſic dici Eunuchos crederem, quod *ſperma*, quod in veris viris effluit, in ipſis procentatis cauſſa ſit.

VET. SCHOL.

513. *Reverenda minori.*) quia minorem penem habet.

516. *Et Phrygia veſtitur bucca tiara.*) Sacerdotis habitu. *Tiara* eſt *Phrygum*, quod dicunt.

519. *Et Xerampelinas veteres.*) Veſtes ſcilicet, quæ ad uſum matronarum fuerunt, *ampelini coloris*, qui inter coccinum & muricem medius eſt. Ξηρὸν vero *ſiccum* ſignificat.

GRANG.

513. *Semivir.*) *Apul.* Mileſ. VIII. *Arrepto denique flagro, quod ſemiviris illis proprium geſtamen eſt.* Ii enim neque mulierum, neque virorum numero habebantur. Alexander apud *Lamprid.*

514. *Secuit genitalia.*) Matris Deum ſacerdotes ſibi virilia amputaſſe, inter ceteros teſtatur *Plin.* lib. XI. cap. XLIX. & *Lactant.* lib. V. cap. IX.

514. *Samia teſta.*) *M. Cælius* apud *Plin.* lib XXXV. cap. XII. Non aliter citra perniciem, quam *Samia teſta* Gallos ſibi virilitatem ſecuiſſe refert, & *Lucil ius* in verbo *Samium*, ex correctione *Hadriani Junii*:

Hunc, ubi vult male habere, ulciſci pro ſcelere,
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibique illico
Proſcidit caulem, teſteſque una computat amlo.

Martialis:

Abſciſſa eſt quare Samia tibi mentula teſta?

Catullus generatim dixit: *ſilicem*:

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Lactant. tamen cap. IX. lib. V. *ferro* non *teſta Samia* ſibi virilia demetere clara voce pronuntiat.

515. *Tympana Plebeja.*) hoc eſt: Galli infimi ordinis tympanotribæ, queis *tympana* dabantur, quæ orbem terræ referunt. unde *Sueton.* in Aug. ea vocat *æra rotunda.* Dicta autem παρὰ τὸ τύπτειν, i. a feriendo. *Catull.* ſine *m* ſcriptum reliquit *typanum.*

516. *Tiara Phrygia.*) *Tiara* alia eſt Regum, alia ſacerdotum. Regum *tiara* recta, & cum apice: hinc *Sidonio*, *Reges tiarati*, lib. VIII. epiſt. III. & *Senec.* VI. de Benef. cap. XXXI. Sacerdotum autem *tiara* ſine acumine, eaque *Cidaris* dicebatur. Quare autem dicatur *Phrygia*, docet Serv. ad illud VII. Æneid.

— *Sacerque tiaras.*

517. *Grande ſonat.*) Supra:

Intonat horrendum. —

Propert. contra dixit, *molle ſonare.* *Attius* apud *Nonium* in *Cachinnare. Sæva ſonanda.*

517. *Septembris & Auſtri Adventum.*) Periphraſis Autumni, quem vocat *letiferum* ſatyr. IV. ubi plura, quæ ad hunc locum.

518. *Luſtraverit ovis.*) *Ova* in luſtrationibus adhiberi vulgare eſt, & docent id ex *Ovid.* II. de Arte. Hinc *Lucianus* τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ὠὰ, quæ non manducabantur, ſed foris projiciebantur. *Rod.* Miſcell. I. cap. XXV. De diverſis autem luſtrationum generibus vide *Marcell. Donat*, Dilucidationib. ad *Sueton.*

519. *Xerampelinas veſtes.*) Alii *veteres*, non *veſtes* legunt. *Xerampelinæ*, quæ, auctore *Merula*, *Atrebaticæ* dicuntur veſtes, ſunt *Ampelini* coloris, vulgo *de roſe ſeiche.*

519 *Donaverit Ipſi.*) *Pulman.* dicit *Gulielmum Canterum* legere: *donaverit igni.* Idque Novarum Lect. cap. VI. lib. III. ſed nuſquam gentium eo loci reperire potui.

521. *In tunicas eat.*) Ex ritu Romanorum, qui effigies, & ſimulacra habebant circum Lares in unaquaque

Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum Regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus: si candida jusserit Io,
Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius Dominæ se voce moneri:

En

quaque domo, ut si quid ma'i accideret, Dii in eas rejicerent. *Asconius* ad princip. orationis Cornel. *Festus* in *Pilæ*.

521. *Expiare.*) Purgare. Est a simplici *piare*, quod est contaminare. Hinc *piaculum*, scelus, propter quod expiatione opus est, ut ait *Servius* VI. Æneid. *Piare* tamen & *piaculum* in bonam partem ut plurimum sumuntur.

VET. SCHOL.

525. *Totum regis agrum.*) Brutus *agrum Tarquinii Superbi totum* Marti consecravit: unde hodieque *campus Martius* appellatur.

526. *Jusserit Io.*) *Io* Inachi Fluvii filia, quam Juppiter stupravit: & deprehensus a Junone, in vaccam eam transfiguravit, celare volens factum. quod Juno sciens dono eam sibi petiit, & accepit. quam acceptam Argo custodiendam tradidit. Hic Argus centum oculos dicitur habuisse, quem Mercurius jussus ab Jove occidit. Hanc igitur *Io* in tantum persecuta est Juno, ut per omnem mundum eam mitteret. Quæ cum venisset errans in partibus Ægypti, in Nilum fluvium, lassata cœpit orare, prout potuit, requiem malorum. Juppiter Junonem dilexit, * petit, indulsit pellici, & reversa in suam figuram, recepta est inter Deas. Et ipsa est *Dea Isis*. Inde etiam sacra de Ægypto.

528. *A Meroe.*) Civitas est Ægypti.

529. *Isidis antiquo.*) In Martio campo templum *Isidis* vetustum.

529. *Ovili.*) Quia ibi Romulus & pastores adsueverant pecora pascere, aut regiam dicit Romuli, ut palatium.

530. *Se voce.*) Ut putet ipsam Deam per Gallum loqui matrona, usque adeo superstitiosa est.

GRANG.

523. *Ter matutino mergetur.*) Hujus ritus pleni Auctores Pers. satyr. II. *Virg.* lib. II. *Propert. Tibull.* alii. *Matutino* autem, quod *mane* hæc ablutio fieret. *Stat.* IX. Theb.

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas.

524. *Abluet.*) *Ablutio* fiebat sacris Superorum, respersio Inferorum. *Marcil.* notavit ad II. *Persii* satyr.

524. *Superbi Regis Agrum.*) Campum Martium, de quo diximus satyr. II.

— *Cede severi*
Jugeribus campi. —

525. *Cruentis Erepet genibus.*) *Brisson.* I. de Form. supplices mulieres *genibus nixas* Deos orasse pluribus testimoniis confirmat.

526. *Candida Io.*) Quæ in *candidam* juvencam conversa, cujus colorem retinuit. *Ovidius*:

De bove nil superest, formæ nisi candor, in Illa.

528. *A Meroe portabit aquas.*) *Brodæus* Misc. lib. IV. cap. II. putat ex Ægypto Romam navibus aquas Nili deferri solitas; idque contra mentem *Servii* ad illud IV. Æneid.

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

At vera mens *Servii* consentit cum *Juvenale*, cujus sensus; quod, quamvis in templo Isidis aqua tantum simulata sit, tamen si *Io juberet*, vel pedibus hanc religiosam seu potius superstitiosam matronam ad Nilum usque ituram, veramque *Nili aquam* allaturam. *Meroe* est urbs, & insula eodem nomine, de qua *Strabo* lib. I. cap. LXXV. & *Plin.* pluribus locis. Dicta autem *Meroe* a Cambysis matre. *Diodor. Siculus.* Hodie *Ciguere* dicitur. Vide *Ortelium* in Synonymia.

529. *Antiquo quæ proxima surgit ovili.*) Templum Isidis Romæ in Campo Martio, ubi *ovile*. De quo *Feroald.* annot. in *Servium*, § XXXVIII. Cui autem usui *ovile* docet *Gruch.* I. de Comitiis.

530. *Dominæ voce moneri*) Dii *domini*, Deæque *dominæ* antiquis vocabantur. Sic *Propertio*: *Domina Juno*, *Domina Venus.* At peculiare nomen *matri Deorum* (quam unam cum Iside diximus) ut docet *Servius* lib. III. Æneid.

En animam & mentem, cum qua DI nocte loquantur!
Ergo hic præcipuum summumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor
Concubitu sacris observandisque diebus,
Magnaque debetur violato pœna cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens:
Illius lacrimæ, meditataque murmura præstant;

Ut

Et vincti currum Dominæ subiere leones.

Brisson. I. de Form. Hinc error *Beroaldi* apud *Apul.* lib. VIII. Milesf. ubi enim fatetur invenisse se, *Matris Domini*; reponit, *matris Deorum* : repone *matris Dominæ.*

VET. SCHOL.

533. *Qui grege lanigero.*) Sic enim Symmystæ, quando *Osirim* quærunt.

534. *Derisor Anubis.*) Utrum quod ipse derideat; an quod aliis se præbeat deridendum? Dictus *Anubis*, quia caput caninum accepit per mysteria.

536. *Observandisque diebus.*) Festis.

537 *Violato pœna cadurco.*) Membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen. vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur. Unde ait *Sulpicia* :

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

538. *Argentea serpens.*) quę est in templo Isidis.

539. *Illius lacrymæ.*) Isiaci antistitis.

GRANG.

533. *Cum grege linigero.*) *Pithœus* legit, *Cum grege lanigero*, & retinet. Alii tamen Auctores *linigeros* eos appellant : sed docti viderint. Nam ipsamet dicitur *Linigera.*

533. *Calvo.*) Galli non *calvi*, sed rasi, tamen per irrisionem eos vocat *calvos*. qua mente *Martial.* epig. XXIX. lib. XII.

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.

Vide *Hadrian. Junium* de Coma. cap. II. & *Lil. Gyrald.* Syntag. XII. de Diis Gent.

534. *Anubis.*) Vocat sacerdotem Archigallum *Anubim*, quod statuam Isidis custodiret, quemadmodum facere *Anubis* dicitur.

535. *Quoties non abstinet uxor Concubitu.*) Dum peragebantur Isidis sacra, mulieres a viris secumbebant, nec fas tunc temporis eos admittere. Unde querela *Propertii* el. XXXIII. lib. II.

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis,
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis!
Quæ Dea tam cupidos toties di isit amantes:
Quæcunque illa fuit semper amara fuit.

Similiter & sacris Bacchi, & Cereris, ut supra diximus. Vide *Ovid.* lib. III. Am. eleg. X. & lib. X. Metam.

537. *Movisse caput.*) ut solent irati. *Horat.* I. Serm. satyr. V.

— Prior Sarmentus: Equi te
Esse feri similem dico. ridemus; & ipse
Messius: Accipio: caput & movet. —

Virg. VII. Æneid.

Tum quassans caput hæc effudit pectore dicta.

Vide quæ super ea re congessit *Lambin.* ad Epistolas *Horatii.* Longe igitur *Lubinus* falsus.

537. *Violato cadurco.*) Lecto concusso. supra. *Cadurcum* enim est culcita sive culcitra (utroque enim modo dicitur) cujus meminit ipse *Juvenal.* satyr. VII.

Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci.

Culcitra autem *cadurcum* dicta, a *Cadurcis* Galliæ populis, vulgo *ceux de Cahors en Querci.* quod docet *Plin.* lib. XIX. cap. I. *Nullum est candidius* (linum) *lanæve similius, sicut in culcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent.*

538. *Argentea serpens.*) *Ælian.* prodit Isidis simulacrum ab Ægyptiis effingi solitum, ut quodam diademate *aspidum* coronaretur : unde in illius pompa *serpens* ferebatur. *Ovid.* pompam ejus describens post multa:

Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Et alibi:

Pigraque labatur circum donaria serpens:

539. *Meditataque murmura.*) *Pers.* satyr. II.

Haud cuivis promtum est, murmur, humileis-
que susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

542. Cum


Pag. 178.



Ut veniam culpæ non abnuat, anſere magno
Scilicet & tenui popano corruptus Oſiris.
Cum dedit ille locum: cophino, fœnoque relicto,
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuncia cœli;
Implet & illa manum, ſed parcius ære minuto.
Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt:
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ

Tra-

VET. SCHOL.

542. *Cum dedit ille locum.*) Cum Gallus ſacerdos ac luſtrator abſceſſerit, Judæa mulier advenit, quæ in aurem ſuſurrando, ſub obtentu religionis, aliquid petit. Dixit nam ſuperius *Judæis hortos datos*, quos colentes, præſtabant penſiones: modo, inquit, laborem horti declinantes, transferunt ſe ad Deos, lucri cauſſa *legem Moyſis* exponentes.

542. *Cophino fœnoque.*) Supellectile, quod his pulmentaria ſua, & calidam aquam die Sabbati ſervare conſuerunt.

545. *Ac ſummi fida internuncia cæli*) Quid Dii cogitent de hominibus, vel diſponant.

547. *Qualiacunque.*) Mala ſive bona, etiam res vanas, quas pro magno proferunt.

GRANG.

540. *Anſere magno.*) Ales Iſidi ſacer: unde illi Deæ victima. *Ovidius*:

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

In Catalectis *Joſephi Scalig.* in Novembri:

Carbaſeo poſt hunc artus inductus amictu
Memphidos antiquæ ſacra Deamque colit,
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer
Devotuſque ſacris incola Memphidiis.

Videndus *Yvo Villiomarus*, ſeu potius *Scaliger* in Locos Controverſos *Roberti Titii* lib. III. cap. XIX. Hinc *Petron.* acceptiſſimum animal matronis *anſerem* dixit, ut exiſtimat *Douza* in Præcid. Vultur etiam Iſidi ſacer, ut docet *Ælianus*.

542. *Cum dedit ille locum.*) ex formula, cujus *Acro* meminit, ſcilicet, officioſos ſervos in turba hunc & illum in latus fodiendo dicere ſolitos: *Date locum Domino meo*. Ovidius:

Vaticinor, moneoque, locum date ſacra ferenti.

543. *Cophino, fœnoque relicto.*) Cui in ſupellectile nihil aliud eſt, quam *cophinus*, & *fœnum*, quod reliquit in ſylva. Ipſe ſatyr. III.

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque ſupellex.

543. *Mendicat in aurem Arcanam.*) *Parrhaſ.* epiſt. XVIII. Opem petebat a matronis, quæ defecerant in *Judaicam* religionem, quod frequenter & a pluribus etiam Viris eſſe factum *Corn. Tac.* eſt auctor, & *Dio.* Itaque cum non Deorum, ſed opificis omnium, unicique & veri Dei nomine ſtipem peterent, id palam facere non audebat. &c *Parrhaſio* credat Judæus Apella. non credam ego. ea enim exiſtimatione tunc temporis Romæ *Judæi*, qua nobis Ægyptii, ſeu Bohemi, qui in muliercularum aurem inſuſurrabant, num futuram ſuam ſortem ſcire deſiderarent: nec, ut vult *Parrhaſ.* hinc Judæorum res auctæ: nam *æs minutum* illis tantum; cum Iſidis ſacerdotibus multo plura darentur.

544. *Sacerdos Arboris.*) Judæi alligabant *arboribus* Urbi proximis jumentum, ibique tota nocte una cum familia dormiebant; ex qua mane ſurgebant, ut in Urbe vaticinatum venirent. Ipſe ſatyr. III.

Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor. —

Unde facete Judæa materfamil. *arboris ſacerdos.* Neque ad rem, quæ de Dodone fabulantur.

546. *Ære minuto.*) *Ovid. ære parvo* dixit:

Stat meretrix parvo cuivis mercabilis ære.

549. *Calidæ.*) An recens occiſæ, & palpitantis: an ſalacis? qua in ſignificatione & ea voce Galli utuntur. De *ſalacitate* autem *columbarum* *Plin.* cap. XXXVI. lib. X. & *Serv.* ad illud *Virg.*

Maternas agnoſcit aves. —

549. *Calidæ pulmone columbæ.*) Sacrificabatur enim Veneri *columba*. *Ovid.* I. Faſtorum:

Ergo ſæpe ſuo conjux abducta marito

Tractato: Armenius, vel Commagenus haruspex
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum & pueri: faciet, quod deferat ipse.
Chaldæis sed major erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exsul,
Cujus amicitia, conducendaque tabella
Magnus civis obit, & formidatus Othoni.

Inde

Uritur in calidis alba columba focis.
Propert. eleg. v. lib. IV.

V E T. S C H O L.

551. *Pectora pullorum rimabitur.*) Inspiciet. ut *Virgilius:*

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

552. *Faciet, quod deferat ipse.*) Heic *Egnatium* philosophum significat, qui filiam *Bareæ Sorani*, quam, cum ipse ad magicam discendam esset hortatus, detulit Neroni. ob quam rem mori cum patre jussa est a Nerone. *Egnatium* autem heic Poeta ob delationem hanc ipsam sæpe lacerat, ut superius dixit:

Stoicus occidit Baream delator amicum,
Discipulumque senex. —

554. *A fronte relatum Hammonis.*) Tanquam si a Jove ipso *Ammone* sit dictum. Apollo nam indignos homines putat, quibus futura respondeat. Nam magis sic intelligitur, quod *Alexander* damnavit templum Apollinis in Delphis, ne sint homines futurorum præscii.

557. *Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exsul.*) deest *Fuerit*. *Horum* autem, id est magorum, aruspicum, mathematicorum.

G R A N G.

550. *Commagenus.*) E *Commagene* oriundus. *Commagene* autem *Syria* denominatur contra montem Taurum, quæ & alio nomine dicitur *Euphratisia* a Barbaris, hodie *Azar*. Niger.

551. *Exta catelli;*) *Parrhas.* Epist. XVIII. *exta catelli* dicit facere ad ritum magicæ damnatæque artis. *Pausan.* Ovis, hœdique & vituli exta passim consulebant Aruspices, etiam Suis apud Cyprum: *Canis* autem nemo, nisi Thrasybulus augur & vates arcano peculiarique quodam ritu.

552. *Interdum & pueri: faciet, quod deferat ipse.*) Patrabit infanticidium, quod judicio suo postea detegat, ut propositum præmium delationis assequatur: id quod a delictorum complicibus hodie quodque fieri videmus. *Parrhas.* loco suprad. At *Vet. Scholiast.* putat heic *Juvenalem* tangere *Egnatium*, qui filiam Bareæ Sorani, quam, cum ipse ad magicam hortatus esset, Neroni detulit: ob quod mori cum patre a Nerone jussa est.

553. *Chaldæis.*) Astronomis, a Belo *Chaldæo* Astronomiæ inventore. *Plin.* lib. v. cap. XXVI. *l. nemo.* §. *Chaldæi. Cod. de malef. & Mathem. Sueton.* in Vitellio. *Tacitus*, *Agell. D. Aug.* eos vocat *Planetarios*.

554. *Credent a fonte relatum Hammonis.*) Alii libri *a fronte*, male: Templum enim *Ammonis* conditum eo loco, in quo *fontem* invenit Bacchus in Indiam iter faciens, ut docet *Servius* lib. IV. Æneid. ad illud:

Heic Ammone satus. —

Propert. eleg. I. lib. IV.

Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum.

Antrum i. *fons* in antro, ubi Ammoni sacrum templum conditum. *Plutarch.* in Alexandro *Lucan.* lib. IX.

555. *Quoniam Delphis oracula cessant.*) Non tantum *Delphis*, sed ubique terrarum cessavere. *Plutarch.* de Deficientibus Oraculis, hujusmodi cessationis caussam diversis rebus attribuit, propter ignorationem Christianismi.

556. *Damnat caligo futuri.*) *Horat.* Ode penult. lib. III.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

557. *Qui sæpius exul.*) De exilio Mathematicorum *Sueton.* in Tiberio & Vitellio. & *Tacit.* Histor. II. Designat autem *Seleucum* Mathematicum, cujus persuasu *Otho*, cui portendi imperium prædixerat, Galbam occidit. *Sueton.* in Othone.

559. *Magnus civis obit.*) Galba, qui dictus *magnus civis*, quod ante Imperium nobilissimus, magnaque & veteri prosapia, ut qui statuarum titulis *pronepotem*

potem

Inde fides artis, sonuit si dextera ferro,
Lævaque si longo castrorum in carcere mansit.
Nemo mathematicus genium indemnatus habebit:
Sed qui pæne perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, & parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris,
Ante tamen de te, Tanaquil tua: quando sororem
Efferat, & patruos: an sit victurus adulter
Post ipsam? quid enim majus dare Numina possunt?
Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur

Satur-

potem Q. Catuli Capitolini semper adscripserit. *Sueton.* in Galba.

559. *Formidatus.*) Sunt, qui legunt *formidandus Othoni.*

VET. SCHOL.

560. *Sonuit si dextera ferro.*) Si jam in catenis fuit, aut in castrorum custodia.

562. *Nemo mathematicus.*) Quasi ob nimiam peritiam scilicet fuerit damnatus.

563. *In Cyclada mitti.*) In insulam *Cycladum* relegari. sensus hic est; Peritissimus astrologorum ille est, qui tale aliquid admisit: cum facinus non exilium semper mereatur.

566. *Tanaquil tua.*) Modo pro qualibet uxore posuit nomen. Hæc autem *Tanaquil* fuit Tarquinii Prisci uxor, soceri Servilii Tullii, quæ dicitur mathematicam artem optime scisse.

567. *An sit victurus.*) [illegible]. consulit, si superstes illi sit adulter suus.

569. *Quid sidus triste.*) Superstitiose. *Virgilius*:

Frigida Saturni sese cum stella receptat.

Lucanus:

— *Veneris salubre sidus.* —

GRANG.

560. *Sonuit si dextera ferro.*) Ut iis, qui sunt in castrensi carcere. Qua de re consule *Lipsium* ad lib. II. Annal. *Tac.*

562. *Habebit genium.*) Existimabitur. quo sensu *Martial.* lib. VI. epig. LX.

Victurus genium debet habere liber.

Inde eidem *Martiali* jusjurandum: *Per Genium famæ.* lib. VII.

562. *Nemo.*) Pro nullus, ut *Cicero*: *Nemo homo, nemo res, nemo hostis.*

563. *Cui vix in Cyclada mitti Contigit.*) Qui vix potuit obtinere, ut in exilium mitteretur. *Cyclas* heic pro qualibet insula, ubi sontes relegabantur. Hodie autem *Cyclades*, *les Isles de l'Archipelago*, quæ, quod in *orbem* sitæ, ideo dictæ *Cyclades*. *Plin.* lib. IV. cap. XI.

564. *Seripho.*) *Seriphus* insula est, una ex Cycladibus, vulgo *Serfone*. *Parva* autem, quod tantum pateat in circuitu XXII. M. passuum, vel, ut alii legunt, XL. M. Idem *Plin.* eodem.

565. *Consulit.*) Verbum Mathematicorum. Infra:

Consulit ante phalas. —

Et paulo post:

— *Quæ nullum consulit, & jam*
Consulitur. —

Brisson. I. de Form. *Lips.* XVI. annal. *Tac.*

565. *Ictericæ matris.*) Quæ morbo regio, sive arquato laborat, vulgo *la jaunisse*, qui *icterus* dicitur Græcis, & sanari, si avis *Icterus* spectetur, avem vero mori. Dictus autem *Icterus* a colore, a Latinis *Galgulus*, a Gallis *Loriot*.

565. *De funere lento.*) De morte, quæ nimis moratur: ea enim erat ex iis, quibus matres vivaces. Sic autem *Propert.* *seram* appellat *mortem*, eleg. XIII. lib. II.

— *O mors, cur mihi sera venis?*

Contra *subita* dicitur *Martiali*, & *cita*, *Horatio*.

566. *Tanaquil tua.*) Uxor tua Astrologiæ & divinationum perita, quemadmodum *Tanaquil* Tarquinii uxor, quæ futurum regnum Servio prædixit. *Valer. Max.* lib. I. cap. VI. Hæc autem *Tanaquil* alio nomine dicebatur *Caja Cæcilia*.

566. *Quando sororem Efferat.*) Vide supra ad illud:

Extulit ergo greges natorum. —

569. *Hæc tamen ignorat.*) Quamvis consulat Astrologos, tamen siderum effectus ignorat, neque μετεωρολογίαν novit, neque ἀποτελεσματικήν.

569. *Sidus triste Saturni.*) *Serv.* I. Georg. Planetas

duos

Saturni, quo læta Venus se proferat astro,
Qui mensis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas: quæ nullum consulit, & jam
Consulitur: quæ castra viro, patriamque petente
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli.
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli

Angulus,

duos ait bonos; Jovem, & Venerem: duos malos; Saturnum, & Martem: unum communem, Mercurium. quæ omnia susius describit *Ovid.* in Ibin.

569. *Triste.*) *Pers.* Saturnum appellat *gravem*. Horat. *impium*. Propert. *grave sidus Saturni.* Virg. *frigidam stellam Saturni.*

VET. SCHOL.

572. *Illius occursus.*) Quasi dicat: Tolerabilior illa est, quæ consulit alium: non ferenda vero ea, quę ipsa mathesin profitetur.

573. *Ceu pingua succina, tritas Cernis ephemeridas.*) Membrana mathematicorum, ad actus diurnos, quæ ad..dua tractatione colorem suum mutavit, & pellucens facta est. colorem fecit, ut *succinum*.

576. *Non ibit pariter.*) Ut præscia futuri periculi. *Thrasyllus* multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonicæ sectæ, ac deinde mathesi: qua præcipue viguit apud Tiberium, cum quo sub honore ejusdem artis familiariter vixit: quem postea Tiberius in insula Rhodo præcipitare voluit in pelagus, quasi conscium præmissæ dominationis. quem dolum cum præsensisset, fugit.

577. *Ad primum lapidem.*) Si gestari voluerit, horam ex signis eligit convenientem.

GRANG.

572. *Memento vitare.*) Tanquam aliquid mali ominis. Vide quæ diximus ad illud satyr. v.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

573. *In cujus manibus.*) Quæ semper habet in manu tabellas Mathematicas, quas terit manibus, quemadinodum teri solet *succinum*, ut magis flagret.

573. *Succina.*) Gallis *de l'ambre.* De quo *Plin.* lib. XXXVII. cap. XIII. Id in deliciis fuisse matronis Rom. docet idem *Plin.* lib. XXXVII. cap. II.

573. *Pinguia succina.*) Unde procedat *Succinum*, non conveniunt Auctores: *Agricola* putat esse speciem bituminis, & pinguedinem terræ. Unde *pinguia succina*, *Juvenali.*

573. *Trita succina.*) Attritu *succinum* magis redolere docet experientia, & libri. *Dioscor.* lib. I. cap. IX. *Lacrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in succinum, quod electrum vocant, alii Chrysophorum, id attritu jucundum odorem spirat. Martial.* epig. LXV. lib. III.

Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ovis.
Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina trita.

574. *Ephemeridas.*) *Ephemerides* sunt tabulæ Fastorum, seu lunare Astrologorum, quæ vulgo *almanaca* dicuntur, ab articulo Arabico, & voce Græca *μηνῷ*, unde *manacham* fecerunt. *Scalig.* ad *Propert.*

576. *Numeris.*) *Horat.* ode XI. lib. I.

— *Nec Babylonios*
Tentaris numeros. —

576. *Thrasylli.*) *Thrasyllus* pro quocunque Mathematico. Fuit enim Astrologus Tiberii, de quo *Sueton.* in Aug. & Tiberio.

577. *Ad primum lapidem.*) Ad primum ab Urbe milliarium. Numerabantur autem *milliaria* per *lapides*, quod in viis, ex Gracchi instituto, columellæ lapideæ exstarent, notis numerorum incisæ, quæ notabant milliaria. Unde *Rutilius*:

Intervalla viæ fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia multa lapis.

Numerus autem omnium milliarium, vel desinebat, vel incipiebat a *milliario*, sive columna aurea, quæ erat in foro Rom. in quam omnes viæ Italiæ finiebant, idque ex Augusti instituto.

578. *Sumitur ex libro.*) Supra hunc libellum vocavit *tabulam*, postea *Ephemeridas*.

578. *Prurit frictus ocelli. Angulus.*) Ex alicujus membri pruritu antiquos conjicere solitos, vel unus *Plaut.*

plus

Angulus, inſpecta geneſi collyria poſcit.
Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſyris.
Si mediocris erit: ſpatium luſtrabit utrinque
Metarum, & ſorteis ducet, frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.
Divitibus reſponſa dabunt Phryx augur, & Indus
Conductus, dabit aſtrorum, mundique peritus,
Atque aliquis ſenior, qui publica fulgura condit.

Plebe-

plus quam ſufficit. Vide *Eraſm.* ad illud proverb. *Oculus dexter mihi ſalit.* cent. IV. proverb. XXXVII. Chil. II. inde *ſaliſſatio*, divinandi ſpecies.

578. *Ocelli Angulus.*) Internus vel externus. Sunt enim duo anguli: alter ad tempora, minor, externus canthus: alter ad nares, major; internus canthus. *Gal.* lib. X de Uſu Part.

VET. SCHOL.

581. *Petoſyris.*) Alter auctor artis mathematices.

582. *Si mediocris erit.*) Si pauper erit mulier ſuperſtitioſa, in circo quærit, quos conſulat. ibi nam antea proponere ſolebant hujus artis profeſſores.

582. *Spatium luſtrabit.*) quod circulatores hoc conſueverint adhibere, ut delectis ſibi locis duobus, eos *luſtrent*, id eſt circueant; deinde per eos *ſortes*, id eſt taxillos, jactitent, quo exinde, quod ſuæ geneſeos ſignum ſe accommodaverit, inſpiciatur, nunquid vivet, & quando. Et paucis ex verbis ibidem conſcriptis *ſortes* educunt ſuas.

584. *Poppyſma.*) Oris preſſi ſonus, ut labiorum in ſe colliſorum ſtrepitus, quæ lætitia prædicere mala adſolet, vitare vota.

585. *Phryx augur & inde.*) Ille *Phryx*, qui Romæ moratur. Sunt enim, qui ob hoc ab ipſa *Phrygia* exhibiti ſunt.

587. *Qui publica fulgura condit.*) *Condi fulgura* dicuntur, quoticuſcunque Pontifex diſperſos ignos in unum redigit, & tacita ignorataque prece locum aggeſtione conſecratum facit. *Lucanus:*

— *Et tacito cum murmure condit,*
Datque locis nomen. —

GRANG.

579. *Inſpecta geneſi.*) Quæ *Manilio*, *genitura* dicitur, aliis *horoſcopus*.

579. *Colyria poſcit.*) Intelligit forte illud *Colyrium*, cui *Crocus* nomen dedit apud *Plin.* lib. XXI. cap. XX. Ipſum enim tollere *pruritus* affirmat. Venit; utem *Colyrium* ἀπὸ τοῦ κωλύειν τὸν ῥοῦν, *i.* a prohibenda fluxione; non ἀπὸ τοῦ κολλᾶν quare unico *l* ſcribi debet.

581. *Petoſyris*) Medicus, & Mathematicus, qui Aſtrologiæ medicinam accommodet ſuam. Meminit illius *Plin.* lib. II. cap. XXIII. & lib. VII. cap. XLIX. Fuit autem Rex, *Firmicus* lib. IV. cap. XVI. & lib. IIX. cap. I.

582. *Spatium Metarum.*) Circum inter duas *metas*, quibus definitum Circi ſpatium. Hinc *meta* a *metiendo*, vel a *metando*. Hæ autem turbinatæ, & in formam Pyramidum factæ, ſive in cupreſſorum figuram. unde *Ovidius:*

— *Metas imitata cupreſſus.*

quæ primum ligneæ, ſed Imperator Claudius eas auratas fecit. *Sueton.* in Ejus vita.

583. *Ducunt ſortes.*) In triviis, & compitis erant urnæ, in quas lapilli, aut quid aliud conjiciebatur, deinde manu pueri educebatur. *Cicero: Ex illa olea arcam eſſe factam, eaque conditas ſortes, quæ hodie fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in iis poteſt eſſe certi, quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atque ducuntur?* *Tibull.* eleg. III. lib. I.

Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Retulit e triviis omina certa puer.

583 *Frontemque, manumque.*) i. Conſulet *Metopoſcopum* & *Chiroſcopum*, ſive manu inſpicem. *Metopoſcopi* enim ſunt, qui ex hominum fronte, & lineamentis oris proſperam, vel adverſam fortunam divinant.

584. *Roganti crebrum poppyſma.*) Qui blandiri amat. Metaphora ab equis, qui blando manus plauſu, ſive *poppyſmo* tanguntur. *Poppyſma* enim ſive *popiſmus*, eſt ſonus ex manuum complauſione. *Turneb.* lib. IV. cap XV. Adverſ.

585. *Reſponſa dabunt.*) Ut *Conſuli* dicebantur, ſic & *reſponſa dare*. *Conſulti* enim *reſponſa dare* dicebantur. Metaphora a Jureconſultis. utramque conjungit *Virg.* II. Georg:

Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates.

Briſſon. I. de Formulis.

585. *Et inde.*) Alii: *& Indus.* & *inde* i. ex ipſa Phrygia.

587 *Ali-*

Plebejum in circo positum est, & in aggere fatum.
Quæ nudis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas, delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto?
Hæ tamen & partus subeunt discrimen, & omneis
Nutricis tolerant fortuna urgente labores;
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ sterileis facit, atque homines in ventre necandos
Conducit: gaude infelix, atque ipse bibendum

Porrige

587. *Aliquis senior.*) *Lucan.* lib. I.

Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates, quorum qui maximus ævo.

587. *Qui publica fulgura condit.*) Aruspices colligebant reliquias aut vestigia fulminis, & ibidem sepulcro condebant. transferre enim nefas. Eum locum deinde sepiebant cespite, sacrum & inaccessum habebant, & quia *bidente* hostia sacrificabant, dicebant *bidental*. *Lucan.* lib. I.

— Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, & terræ mæsto cum murmure condit.

Sidon. carm. IX.

Nec quæ fulmine Tuscus expiato
Septum numina quærit ad bidental.

Testatur enim *Acro* ad illud *Horatii*: *An triste*, reliquias fulminis Pontifices cum sacrificio sepelivisse. Sic & ii, qui fulmine icti, terra *condebantur*, non, ut ceteri, cremabantur. Vide *Theodor. Marcil.* ad II. satyr. *Persii*, & *Lips.* ad *Senecam* cap. VIII. lib. I. de Clem. & *Savarotum* ad locum *Sidonii*.

587. *Publica fulgura.*) Alia enim sunt *fulgura privata*, alia *publica*, de quibus *Plin.*

VET. SCHOL.

588. *Plebejum in circo.*) In spina. hoc ideo, quia illic pauperes sortes accipiunt.

591. *An saga vendenti.*) Negotiatori *sagario*.

583. *Fortuna urgente.*) Cogente paupertate, non solum *partus* periculum, sed etiam educationis subeunt laborem.

594. *Sed jacet.*) Vix est; ut puerperium sustineat dives mulier. Nam sterilitatis, aut abortus poculum sumit ab obstetrice, aut malefica. *Puerpera* dicitur puella, quæ primitus parit.

GRANG.

588. *Plebejum fatum.*) Plebejarum, & mediocrium fatum.

588. *In circo*) qui propterea *Horatio* Fallax dicitur, & *Ennio*, & *Pacuvio*, *de Circo Astrologi* dicuntur. Vide *Plaut* Pœnulo, & *Parrhasium* Annot. in orat. pro Milone.

590. *Consulit ante phalas* &c.) Hic locus explicandus ex historia *Dionis* lib. XLIX. circa finem: qui tradit M. Agrippam, cum in Hippodromo i. Circo, qui locus Romæ exercendis Circensibus ludis institutus erat, videret plerunque errantes in numero, dum duorum stadiorum circuitionem, cursumque minus recte observarent, jussisse delphinas quosdam fabricari, & machinas seu *phalas* in ovi formam, quibus viarum circuitus certius demonstrarentur. *Alciat.* Parerg. Jur. lib. IV. cap. XXVII.

591. *Caupone relicto.*) Sic supra:

— Sed mox hæc regna reliquit.

Caupones autem a *cupis* derivat *Isidor.*

594. *Vix ulla puerpera*) ex magnatibus matronis. *Puerpera*, *Isidoro* & *Donato* est, quæ annis *puerilibus parit*.

595. *Tantum artes hujus.*) *Artes* de nefaria veneficarum scientia, ut supra Astrologis

Nulla fides artis. —

596. *Medicamina Quæ steriles facit.*) Apium qui comederint, sterilescere docet *Plin.* lib. XX. cap. XXI. Sic & folia hermionii. Idem lib. XXVII. cap. V. & filicis duo genera, cap. IX. ejusdem lib.

596. *Homines.*) *Homo*, de puero in ventre, *Plin.* lib. VII. cap. V. *Homo toto anno, & incerto gignitur spatio.* & alibi, *Judices sunt hominis inchoati.* Sic *Sulpicius* in Epist. ad Cic. eo sensu dixit, *homo nata*.

597. *Conducit.*) Quanquam, ait *Budæus*, *l. II. D. ad L. Rhodiam.* Locator sit plerumque, qui precium accipit, & *conductor*; qui dat: tamen vice versa evenit, ut locator precium det, *conductor* accipiat. *Conducere*

igitur



Pag. 287.

Porrige, quidquid erit: nam si distendere vellet,
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Aethiopis fortasse pater: mox decolor hæres
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos, & gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. stat Fortuna improba noctu
Arridens nudis infantibus. hos fovet omneis,
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat. hos amat, his se
Ingerit, utque suos ridens producit alumnos.

610 Hic

igitur heic dicitur de ea, quæ precium accipit pro necando, in ventre gravidæ, puero.

598. *Quidquid erit*) medicaminis scilicet, ut citius abortum faciat.

VET. SCHOL.

603. *Ad spurcos decepta lacus.*) Illuc nam deferebantur *expositi partus*, atque ibi projiciebantur. *Decepta* autem *vota*, quia *suppositus* est filius: id est, factus nobilis ex *supposito*.

607. *Domibus tunc porrigit altis.*) Nobilibus.

609. *Producit.*) tanquam suos tuetur.

GRANG.

599. *Pueris salientibus.*) *Salire & moveri* incipiunt mares quadragesimo die, fœminæ nonagesimo.

600. *Æthiopis fortasse pater.*) *Martial.* lib. VI. epig. XXXIX.

Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se Cogisantræ.

600. *Decolor.*) *Ovid.* IX. Metam.

Decolor extremo qua cingitur India Gange.

601. *Impleret tabulas.*) Solus esset & ex asse hæres. sic satyr. I. dixit *implere ceras*.

602. *Transeo suppositos.*) *Ipse* satyr. X.

Festino ad nostros, & regem transeo Ponti.

Horat. Serm. lib. I. satyr. X.

Complures alios, doctos ego quos & amicos
Prudens prætereo.

602. *Vota.*) pro pueris: quod, ut eos haberent parentes, voti rei facti sint. sic *Valer. Max.* dixit, *parentium vota*.

603. *Ad spurcos lacus.*) Vide *Parrhas.* de Reb. per epist. Quæs. epist. XXVIII. Alii de *lacu Velabrensi* intelligunt.

604. *Scaurorum.*) *Scaurus* heic pro quolibet nobili, ut satyr. II.

Contemnunt Scauros. —

605. *Improba Fortuna.*) *Iniqua* Martiali, quæ, ut ait Horat. *transmutat honores, nunc mihi, nunc alii benigna.*

606. *Fovet omnes.*) tanquam filios proprios. Hinc *Horatio*: *fortunatissimi fortunæ filii.* II. Serm.

607. *Domibus altis.*) Nobilibus, ut supra:

— *Et sanguinis alti.*

608 *His se Ingerit.*) De iis curam habet, eorum tractat negotia. sic nostris, *s'ingerer des affaires d'autruy.* Alias enim *ingerere* est jacere, ut *Virg. ingerere hastas*, item fundere, ut *Horatio*, *ingerere calices*, & *Cic.* per metaphoram, *ingerere convitia.*

609. *Producit*) ad honores, sic *Cic. producere ad dignitatem.* Alias *producere* est prosequi, ut solemus discedentes. *Propert.* lib. IV.

Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos.

609. *Ridens.*) Ea enim est, teste *Plin.* lib VII. cap. XLII. quæ facit magna gaudia ex malis, & mala immensa ex ingentibus gaudiis. quod, proh dolor! nostro malo experti sumus in morte HENRICI MAGNI Galliarum & Navarræ Regis Christianissimi, quem parricida & æternum exsecrand. [illegible] impii hominis, imo monstri horrendi, inter vicos Parisienses, & medios arcus triumphales, qui proximo Reginæ in urbem Parisiensem [illegible] ingressui, spaciantem in rheda proditorie interfecit anno CIƆ. IƆC. X. prid. Idus Majas.

Aa

610. Hic

Hic magicos adfert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates. quod desipis, inde est,
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum,
Quas modo gessisti. tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli

Infudit.

VET. SCHOL.

610. *Hic Thessala vendit.*) Δεικτικῶς. nescit qui alter, qui *cantus magicos* novit, quos matronis superstitiosis vendat. *Philtra*, amatorias res.

612. *Quod desipis.*) Ἀποστροφὴ ad maritum.

613. *Inde animi caligo.*) Hinc fit lethargus morbus. Caligulam significat Cæsarem, quem adeo medicatis potionibus uxor Cæsonia in amorem suum deduxit, ut de nimia impatientia furens, sæpe eam nudam amicis ostenderet.

614. *Tamen hoc tolerabile si non.*)

Semper aquam portes rimosa ad dolia: semper
Istud onus subeas ipsis manantibus urnis,
Quod rabidum nostro Phalarim de rege dedisti:
Et furere, &c. qui versus referuntur a *Probo*.

616. *Tremuli pulli.*) Mox scilicet nati equini, cui in fronte pilleum & pellicula erepta præstat amorem: ut *Virgilius*:

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor. —

GRANG.

610. *Cantus.*) Pro incantatione. sic *Plin.* lib. XXVIII. cap. II. *Contrahique* (serpentes) *Marsorum cantu.* Tibullus:

Cantus & e curru Lunam deducere tentat.

Unde Propertio *cantatus*, pro, incantatus; & *cantamina*, pro incantaminibus, seu incantamentis.

610 *Thessala Philtra.*) Amoris pocula, ut ait *Horat.* qui dixit *Thessalum venenum*, ode XXVII. lib. I.

— *Thessalis Magus venenis.* —

Unde proverb. Θεσσαλικὴ γυνή.

611. *Quibus valeat vexare mentem.*) Ovidius:

Philtra movent animos, vimque furoris habent.

612. *Solea pulsare nates.*) *Lucianus* Philopseude: Ἐπεὶ σανδάλῳ γε χρυσῷ εἰς τὰς πυγὰς, ὥσπερ τὰ παιδία παίεσθαι ἄξιοι ἂν εἶεν οἱ ἀπιστοῦντες. *Siquidem digni sint, quibus solea aurea pulsentur nates, qui credere hæc nolint.* & dialogo Veneris ac Lunæ: Ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέτεινα εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ. *Jam pridem & nates ei aureo sandalio pulsavi.* Sic & caput sandalio, sive *solea* verberavere. *Turpilius* Lindia apud *Marcellum* in *Mitis*: *Misero mihi mitigabat sandalio caput.* *Terent.* Eunucho: *Utinam tibi commitigari videam sandalio caput.* *Theodor. Marcil.* in illud *Persii*, satyr. V.

— *Solea puer objurgabere rubra.*

612. *Inde.*) Ex illo philtro seu poculo amatorio.

613. *Animi caligo.*) i. Oblivio. Quo sensu & *Catull.* de nupt. Pelei, & Thetid.

Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus. —

613. *Oblivio rerum, Quas modo gessisti.*) Nihil enim est æque fragile in homine, quam *memoria*; morborum, & casus injurias, atque etiam metus sentiens, alias particulatim, alias universa. *Plin.* cap. XXIV. lib. VII.

614. *Si non Et furere incipias.*) Supra enim dicebamus ex *Ovidio*:

Philtra movent animos, vimque furoris habent.

Euseb. Cæsariensis similiter refert *Lucretium* Poetam exhausto amatorio poculo, tanto *furore* correptum, ut sibi violentas manus attulerit.

615. *Avunculus ille Neronis.*) Caligula Agrippinæ matris Neronis frater. *Sueton.* in Ejus vita: *Creditur potionatus a Cæsonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.*

616. *Cæsonia*) Vestiliæ filia, octavo mense genita. *Plin.* lib. VII. cap. V. quam neque facie insigni, neque ætate integra, sed matrem ex alio viro trium filiarum, & lasciviæ perditæ amavit Caligula. & uxorem duxit. *Sueton.*

616. *Frontem tremuli pulli.*) *Hippomanes* intelligit: quod, quid sit, non conveniunt inter se Auctores. Primum est caruncula caricæ magnitudine, colore nigro, quæ in *fronte* nascentis *pulli equini* apparet; quam statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habet. *Columella* lib. VI. cap. XXVII. *Virgil.* IV. Æneid.

Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor. —

Aristot. VI. de Hist. Animal. *Cum equa peperit, statim*

Infudit. quæ non faciet, quod Principis uxor?
Ardebant cuncta, & fracta compage ruebant,
Non aliter, quam si fecisset Juno maritum
Insanum. minus ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille Senis, tremulumque caput descendere jussit

In

tim secundas devorat, atque etiam quod pulli nascentis fronti adhæret, hippomanes dictum. Ovid. II. de Arte:

Datque, quod a teneri fronte revellit equi.

Aliter, *hippomanes* est virus equæ enixæ. *Virg.* ipse III. Georg.

Hinc demum hippomanes, vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum destillat ab inguine virus.

Propert. lib. IV. eleg. V.

— *Et in me*
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

Tibull. eleg. IV. lib II.

Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.

Ovid. eleg. VIII. lib. I. Am.

— *Quid valeat virus amantis equæ.*

At *Theocrit.* Pharmac. dicit esse *plantam*, qua gustata *furore* equi agitantur.

Ἱππομανὲς φυτὸν ἐστὶ παρ' Ἀρκάσι, τῷ δ' ἐπὶ πᾶσαι
Καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα ϗ θοαὶ ἵπποι.

Quæ docte observavit *Jacobus Helias* in IV. Æneid.

VET. SCHOL.

617. *Quæ non faciet.*) Si regina hoc fecit, quanto magis aliæ mulieres?

618. *Ardebant cuncta.*) Tonante Cajo, scilicet ex furore.

619. *Non aliter quam si.*) Furor ille, quem Cæsonia avunculo Neronis immisit, multis nocuit per unum Nam in multos sæviebat unius Imperatoris insania, ut si per unius Jovis insaniam totus mundus agitetur.

620. *Minus ergo nocens.*) Exemplum de *Agrippina*, quæ principem Claudium maritum suum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium. *Agrippina* mater Neronis. *Cæsonia* uxor. Agrippinæ maritus *Claudius.*

622. *Descendere jussit In cælum.*) Ridens, pro, *ad inferos*, & *apotheosin* deridet. nam Deum fecit Imperatorem.

GRANG.

617. *Infudit.*) *Horat.* epod. od. V.

— *Majus infundam tibi*
Fastidienti poculum. —

617. *Quæ non faciet, quod Principis uxor.*) *Terent.* Eunuch. act. III. sc. V.

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum:
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.
At quem Deum? qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem! ego vero illud ita feci, ac lubens.

618. *Ardebant cuncta.*) Addit *Vetus Scholiast. Tonante Claudio ex furore.* quæ adulterina, ut probum nummum accepit *Autumnus.* Mala enim manu fuerat scriptum, *Claudio*, pro, *Cajo*, Caligula scilicet, qui apud auctores *Cajus* & *Cajus princeps* simpliciter nominatur.

619. *Quam si Juno fecisset maritum Insanum.*) *Horat.* Serm. I. satyr. II.

— *Nam te*
Hoc facit insanum. —

620. *Minus ergo nocens Agrippinæ Boletus.*) Crimen quod commisit *Agrippina* Claudii uxor, cum *boleto* venenato eum exstinxit, *minus nocens* est, quam Cæsoniæ scelus. De *Boleto* Agrippinæ, vide, quæ ad satyr. V.

Boletus domino, sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris. —

621. *Unius præcordia pressit Ille senis.*) Claudium senem tantum necavit. Bene autem *pressit præcordia.* Nam prius venenum sævit in præcordiis. *Horat.* Epod. od. III.

Quid hoc veneni sævit in præcordiis?

622. *Senis.*) Vixit enim annos LXIII. menses duos, dies XIII. ut subductis rationibus notavit doctus *Casaubon.* ad *Sueton.* Claudium.

In cœlum, & longa manantia labra saliva.
Hæc poscit ferrum, atque igneis, hæc potio torquet:
Hæc lacerat mixtos Equitum cum sanguine Patres.
Tanti partus equæ! quanti una venefica constat?
  Oderunt natos de pellice: nemo repugnet,
Nemo vetet: jam jam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, & nulli credite mensæ.
Livida materno fervent adipata veneno.

Mordeat

622. *Descendere In cœlum.*) *Scalig.* lib. VI. Poet. Illo vero nil salsius de Claudio:

— *Tremulumque caput descendere jussit*
In cœlum. —

quia inter Divos relatus, in Orcum raptus fuit. Sane valet facetum illum titulum ἀποκολοκύνθωσιν dico, quem αὐτὶ τῆς ἀποθεώσεως posuit ad irrisionem. De hoc vero titulo, si vis, adi *Hadrian. Junium* Animadvers. lib. I. cap. XVII.

622. *Tremulumque caput.*) Cujus *caput tremebat.* Sueton. *Caputque tum semper, tum in quantulocunque actu vel maxime tremulum.* Dio notat & *tremulas* habuisse manus, & ex *capitis tremore* linguæ titubantiam, qua laborabat, processisse: Τὸ δὲ σῶμα, inquit, νοσώδης, ὥστε καὶ τῇ κεφαλῇ καὶ ταῖς χερσὶν ὑποτρέμειν, καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῷ φωνήματι ἐσφάλλετο.

VET. SCHOL.

623. *Et longa manantia labra saliva.*) Senem dicit.

624. *Hæc potio.*) quam Caligula scilicet bibit, temperatam a Cæsonia uxore sua.

625. *Mixtos Equitum cum sanguine Patres.*) id est omnes ordines sine distinctione occisos.

627. *Oderunt natos de pellice.*) De priore uxore, aut certe de amica.

628. *Jam jam privignum.*) Exemplum & in Agrippinam, quæ privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium.

630. *Et nulli credite mensæ.*) nec maternæ.

631. *Livida materno fervent adipata.*) Dulcia placenta veneno plena.

631. *Livida materno fervent adipata veneno.*) *Lævida*, lubrica dulci suffusa succo. Sequuntur duo versiculi:

Mordeat ante aliquis, quicquid porrexerit illa
Quæ peperit, timidus prægustet pocula pappas.

qui in aliis non sunt.

GRANG.

623. *Longa manantia labra saliva.*) Sueton. *Spumante rictu, humentibus naribus.*

624. *Poscit ferrum atque ignes.*) *Sueton.* in Caligula: *Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.*

626. *Tanti partus equæ.*) hoc est, Tot igitur aut plura mala peperit in Republ. Cæsonia Caligulæ uxor, cum *partu equæ*, seu *Hippomane*, quo Caligulam maritum in furorem vertit: quot veneniis suis Agrippina, quæ *una venefica* appellatur, quod *unius Senis præcordia tantum presserit.* Vel sic hunc locum interpretari possumus: cum Hippomanes tantos effectus producat, tanto precio debet comparari, quanto venefica; quæ non potest quid majus patrare, quasi diceret, non jam esse opus impensis in conducendis veneficis; satis esse, si comparetur caruncula, quæ nascitur in fronte equæ, cum eosdem vel majores, quam venefica, sui relinquat effectus.

627. *Oderunt natos de pellice.*) *Seneca* Medeæ act. V.

Ex pellice utinam liberos hostis meus
Aliquos haberet! —

Et Hercule furente:

Non sic abibunt odia, vivaces aget
Violentus iras animus, & sævus dolor
Æterna bella pace sublata geret.

628. *Privignum occidere fas est.*) *Ovid.* epist. Medeæ ad Jasonem:

Sæviet in partus dira noverca meos.

Vide *Euripidem* in Alcestide.

629. *Moneo vos, pupilli.*) Ostendit fœminas non tantum sævire in natos de pellice, aut privignos; sed ne quidem propriis liberis parcere.

629. *Quibus amplior est res.*) Quibus *amplæ* divitiæ. *res amplior*, contra, res angusta. *Amplus* autem ab *am*, & *pleo*, quasi undique plenus.

630. *Custodite animas.*) Unde Cic. *amittere animam* dixit, de iis scilicet, qui eam non recte custodierunt.

6,4. Fugi-

Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa,
Quæ peperit, timidus prægustet pocula papas.
Fingimus hæc, altum Satyra sumente cothurnum,
Scilicet, & finem egressi legemque priorum,
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis, cœloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia: Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent. facinus tamen ipsa peregi.

Tunc

VET. SCHOL.

634. *Fingimus.*) Anthypophora. Dices forte, quod de proposito egressus, Satyram dimisi, & ad Tragœdiam me contuli, fingens dicta. Sed *Pontia* non negat se *fecisse*. Igitur quod ait, *legem priorum*, id est satyræ propositæ.

636. *Grande Sophoclea.*) id est Tragœdiam scribimus.

638. *Nos utinam vani.*) Utinam nos hoc mentiremur, & non rea facti confiteretur. *Pontia* Publii Petronii filia, quam Nero convictam in crimine conjurat onis damnavit, defuncto marito filios suos veneno necasse convicta, cum largis se epulis onerasset, & veneno, venis incisis saltans, quo maxime studio oblectabatur, exstincta est.

GRANG.

633. *Pappas.*) Pædagogus, qui sequitur studentes, ut notant *Glossæ Isidori*. vel altius sive nutricius, a *pappa*, qui lingua infantulorum est Pater, ut ostendit *Aristoph.* in Pace, & in Vespis. Nam, ut ait *D. Hieronym. Nutricius secundus est pater.* Sic contra *pater*, pro nutricio, & *mater* pro nutrice in Jure. *l.* I. §. *ult. D. de obseq. par. præst. Marcilius* ad *Persii* satyr. IV.

633. *Prægustet.*) Duo ordines *prægustatorum* in mensa: Alii enim cibum, alii potum explorabant. qui vero cibum κατ' ἐξοχὴν *prægustatores* dicebantur, a Græcis Ἐδέατροι. At qui potum explorabant, *a potione* vocabantur Lapis vetus:

M. ULPIO. AUG. LIB.
PHAEDIMO. DIVI. TRAJANI. AUG.
A POTIONE.

Mos *prægustandi* cibos, & potum explorandi principibus viris, libera Republ. ignotus fuit, cœpitque sub Augusto. Prima origo a Regibus Persarum, ut conjicit *Lips.* ad XII. An. *Taciti*. Erant & in coquina *prægustatores*, quorum munus erat, an cibi lenta bene essent condita, ex gustu judicare: ii *cocistrones* nominabantur. *Glossæ Isidori: Cocistro, prægustator Cocinæ.* ubi *cocinæ* scriptum, pro *coquinæ*. Vide *Joannem Meursium* Exercitat. Criticar. parte II. cap. III.

634. *Altum cothurnum.*) Stylum tragicum.

636. *Hiatu Sophocleo.*) *Hiatus* tragœdiæ proprius. *Pers.* satyr. V.

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.

Prudent lib. I. contra Symmach.

Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato,
Grande aliquod cujus per hiatum carmen anhelet.

Sophocleo autem, ut *Virg.*

Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.

638. *Nos utinam vani.*) *Propert.* lib. III. eleg. XIII.

Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus aruspex!

Vanus enim mendacem significat. *Gell.* lib. XVIII. cap. IV.

638. *Clamat Pontia: Feci.*) Titi Pontii filia, Drymionis uxor, quæ duos filios consumsit veneno. Testatur vetus Lapis:

PONTIA. TITI. PONTII. FILIA. HIC. SITA. SUM.
QUÆ DUOBUS. NATIS. A. ME. VENENO. CONSUMPTIS. AVARITIÆ. OPUS. MISERE. MIHI. MORTEM.
CONSCIVI. TU. QUISQUIS. ES. QUI. HAC. TRANSIS. SI. PIUS. ES. QUÆSO. A. ME. OCULOS. AVERTE.

Non igitur excusari potest *Parrhas.* Epist. XXVIII. Qui eam *Pontiam* Vectii Bolani uxorem facit, quæ filios e medio tollere tentavit, nec perfecit.

639. *Aconita.*) quæ ex sanguine Promethei creata volunt Poetæ, vel ex spumis Cerberi canis. Dicitur autem *aconitum*, quod nascatur in nudis cautibus, quas *Aconas* Græci vocant. Vel a Græco ἀκόνη, i. *cos*, quoniam vis eadem in morte esset, quæ cautibus ad ferri aciem deterendam. *Plin.* lib. XXVII. cap. III.

640. *Facinus Peregi.*) *Seneca.* Medea;

Jam perage cœptum facinus.

Aa 3 643. De

Tune duos una sævissima vipera cœna?
Tune duos? septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quidquid de Colchide sæva
Dicitur, & Procne. nil contra conor: & illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter nummos. minor admiratio summis
Debetur monstris. quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, rabie jecur incendente feruntur
Præcipites: ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit.
Illam ego non tulerim, quæ computat, & scelus ingens
Sana facit. spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, &, similis si permutatio detur,
Morte viri cupient animam servare catellæ.

Occur-

VET. SCHOL.

643. *De Colchide sæva Et Progne*) de Medea. *Progne* filium suum occidit, propter sororem a marito stupratam.

649. *Ut saxa jugis abrupta.*) Virgilius:

— *Excisumve objice montis.*

651. *Quæ computat.*) quæ propter avaritiam peccat, ut *Eriphyle*, quam dicunt donis sollicitatam, maritum coegisse, ut iret ad bellum, & mortuus est.

652. *Spectant.*) In theatro * parapallium.

653. *Si permutatio*) de vita mariti, aut catuli.

GRANG.

642. *Septem, si septem.*) Medea apud *Senec.* act. ultimo:

Utinam superbæ turba Tantalidos meo
Exisset utero, bisque septenos parens
Natos tulissem! sterilis in pœnas fui.

643. *Credamus tragicis.*) Euripidi, Senecæ, aliis.

643. *Colchide.*) *Colchis* patria Medeæ. vulgo, *la region de Mengrelie.* A qua ipsa & *Colchis* denominata. *Propert.* lib. II. eleg. XXI.

Colchida sic hospes quondam decepit Iason.

644. *Et Procne.*) quæ filium Ityn

Tendentemque manus, & jam sua fata videntem,
Et, mater! mater! clamantem, & colla petentem
Ense ferit. —

Ovidius VI. Metam.

645. *Grandia monstra.*) Supra:

Unde hæc monstra tamen. —

Sic eadem satyr. prodigia dixit:

— *Damnante Canopo*
Prodigia, & mores. —

647. *Facit ira nocentem.*) *Ecclesiast.* cap. XXV. *Non est ira super iram mulieris.* Publius Syrus: *Aut amat, aut odit fœmina; nil est tertium.*

648. *Rabie jecur incendente.*) Alia lectio, *rabiem jecur impendere. Jecur* autem iracundiæ sedes; ut diximus ad illud satyr. I.

Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira?

648. *Feruntur Præcipites.*) *Virg.* II. Æneid.

— *Furor, iraque mentem*
Præcipitant. —

Propertius:

Nescit vestra ruens ira referre pedem.

651. *Illam ego non tulerim.*) Non absimile illud satyr. II.

— *Hunc ego fatis*
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur:
Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse
Dat veniam; sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt. —

651. *Quæ computat.*) quot nummi, si occidet filium; ei acquirantur.

652. *Spectant Alcestim.*) *Alcestis* conjux Admeti, Phereorum Regis, se pro marito sponte morti obtulit. *Euripides* in Alcestide. *Valer. Max.* lib. IV. cap. VI. *Apollod.* lib. I. *Plato* in Symposio.

652. *Subeuntem fata.*) *Valer. Max.* loco cit. *Qui conjugis tuæ fata pro tuis permutari passus es, eaque, ne tu extinguereris, voluntario obitu consumta.*

655. *Beli-*


Pag.590 I.



Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ:
Mane Clytemnæstram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam & fatuam dextra lævaque tenebat:
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;
Sed tamen & ferro, si prægustabit Atreides
Pontica ter victi cautus medicamina Regis.

ET

VET. SCHOL.

655. *Belides.*) Danaides, quæ pro patre suo maritos occiderunt.

655. *Atque Eriphylæ.*) uxor Euriphyli, filii Telephi: qui Telephus cum venisset ad auxilium Priamo, plagatus est ab Achille: & cum non posset curari, sortitus est, ab Achille se solo posse curari. Venit supplex, petit se curari, promisso hoc, ut nunquam jam auxilium ferat Trojanis, nec ipse, nec de suis aliquis. curatus est. recessit. Post mortem hujus, filius Euriphylus vir fortis fuit. Hunc sæpius ad auxilium petit Priamus. ille negavit, monitus scilicet à patre suo. Ergo cum non posset aliter Priamus eum sollicitare, fecit vitem ex auro, & misit ad uxorem ejus Eriphylem. Hæc accepto munere tanto, marito persuasit. venit in Trojam auxilium ferens. Hunc occidit Pyrrhus filius Achillis.

656. *Mane Clytemnæstram.*) quæ maritum suum occidit Agamemnonem.

657. *Bipennem.*) Hoc interest, quòd illa securi occidit.

659. *Rubetæ.*) Ranæ, cujus viscera venenosa sunt.

660. *Sed tamen & ferro.*) Aliquoties gladio, si jam manducaverit maritus, quod veneno obiit.

661. *Pontica ter victi.*) *Mithridatem* dicit, quem Lucullus, & Sylla, & Pompejus vicerunt. ideò *ter victi.* hic tale sibi fecit medicamentum, ut non posset aliquando veneno perire.

GRANG.

655. *Belides.*) De *Belidibus Lucret.* lib. III. *Ovid.* IV. Met. *Hor.* lib. III. Carm.

655. *Eriphylæ.*) Quid sibi velit *Vetus Schol.* in explicanda *Eriphyles* fabula, non mihi compertum. Aliter certe omnes Auctores eam explicant, *Serv.* VI. Æneid. *Cic.* VI. Verrina. *Ovid.* III. de Arte.

656. *Clytemnæstram.*) cujus dolo periit Agamemnon. *Homer.* IV. & IX. Odyss. *Euripides* in Oreste. *Sophocles* in Electra. *Ovid.* II. de Arte. *Hyginus.* fab. CXVII.

659. *At nunc res agitur.*) *Virgil.* lib. V.

— *Nunc tempus agi res.*

Adultera enim, & venefica, & sicaria reputatur. *Seneca* VII. Controvers. *Auctor* ad Herenn. lib. IV. *Lactant.* lib. V. Divin. Inst. *D. Ad L. Corneliam de sicariis & venef.*

659. *Tenui pulmone rubetæ.*) De *Rubeta* locuti sumus ad illud I. satyr.

Occurrit matrona potens, quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam.

660. *Atreides.*) Pro quolibet marito.

660. *Prægustabit.*) Uteretur adversus uxoris medicamina, antidoto, & alexipharmaco, quibus Mithridates uti solebat. Vide *Plin.* lib. XXV. cap. II. & lib. XXIII. cap. VIII. & lib. XXIX. cap. I. *Gell.* lib. XVII. cap. XVI. *Martial.* lib. V. epigr. LXXVII. *Eutropius* tamen *exstinctum veneno* tradit lib. VI. sed frustra.

661. *Regis ter victi.*) A Sulla scilicet, Lucullo, Pompejo. *Florus* lib. III. cap. V. *Donec tribus ingentibus bellis subactus felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji consumeretur.* Vide *Appian.* in Mithridatico. *Plutarch.* in vitis Sullæ, Luculli, & Gn. Pompeji. *Justinum* lib. XXXVII. & XXXVIII. *Cicer.* pro L. Manilia, & *Plin.* multis locis, & *D. August.* lib. III. cap. XXII. de Civit. Dei.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS SATYRARUM LIBER TERTIUS.

SATYRA VII.

MENDICANT ARTES, SIC ROMA COEGIT AVARA.

SYNOPSIS. In Trajano Cæsare unicam studiorum, & studiosorum spem repositam. Ceteros Proceres tantum admirari, & laudare disertos indignatur; qui, ne quid labori Poetarum indulgeant, versum versu rependunt: unde succurrit ei occasio recensendi, non solum illorum miseriam, sed & Historicorum, Caussidicorum, Rhetorum, Sophistarum, Grammaticorum, quos potissimum pœnituit, semperque pœnitebit vanæ sterilisque cathedræ: multis etenim exantlatis laboribus, vix sine lite exiguam, & sibi indignam mercedulam consequuntur: cum tamen gladiatoribus aut factionum victoribus Populus summas auri immensas lubens conferat.

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristeis hac tempestate Camœnas
Respexit, cum jam celebres, notique Poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Ten-

VETUS SCHOLIASTES.

Et *spes.*) de *Sterilitate Studiorum* loquitur. Neronem palpat. Talis autem est sensus: Poeticæ artis periisset industria, nisi propter egestatem in studia diversa tendentibus, Cæsaris subvenisset humanitas.

1. *Studiorum.*) Literarum.

2. *Tristeis Camœnas.*) Tacentibus poëtis.

4. *Balneolum Gabiis.*) ut mediastinus fieret.

4. *Furnos*) ad panem coquendum.

GRANGÆUS.

Et *spes.*) Mercedis.

1. *Et ratio.*) Ut non amplius passim docti, indoctique scribant,

1. *In Cæsare tantum*) Trajano. Videndus *Plin.* in Panegyr. Cave de *Domitiano* intelligas. Nam *Stat.* 1. Achil. magis adulatorie, quam vere de Ejus imperio dixit:

> — *Florent vatumque ducumque*
> *Certatim laurus.* —

Patet ex *Suetonio* Domitiani 11. cap. *Simulavit & ipse mire modestiam, inprimisque poeticæ studium tam insuetum antea sibi, quam postea spretum, & neglectum.*

2. *Camœnas.*) Musas. *Macrob.* lib. II. in som. Scip. *Musas esse mundi cantum etiam rustici sciunt, qui eas Camœnas vocant a canendo, quasi Canenas.*

2. *Tristes.*) Ut queis nil conferebatur. quo sensu *Epigrammatogr.* Poeta lib. VIII. epigr. XLI. jocatur:

> *An sit Athenagoras tristis, Fauстine, videto,*
> *Me certe tristem fecit Athenagoras.*

quod nil ei miserat scilicet.

3. *Respexit.*) Qua ratione summus Poeta:

> *Libertas, quæ sera tamen respexit inertem.*

Vide, quæ dixi ad illud III. *Ut te respiciat.* hunc *Fortuna respiciens.*

4. *Balneolum Gabiis.*) Veteres, in eos, qui perpetuo frigebant tremebantve, proverbium id detorquebant: *Nunquam eos de balneo, aut furno conducendo cogitasse.* Unde intelligendus locus *Horatii* Epist. lib. I. epist. XI.

> — *Nec qui*
> *Frigus collegit, furnos & balnea laudat,*
> *Ut fortunatam plene præstantia vitam.*

Ad quam mentem potes & referre hunc *Juvenal.* locum.

6. *Præco-*

Tentarent : nec fœdum alii, nec turpe putarent
Præcones fieri, cum, deſertis Aganippes
Vallibus, eſuriens migraret in atria Cleio.
Nam, ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Oſtendatur, ames nomen victumque Machæræ,
Et vendas potius, commiſſa quod auctio vendit
Stantibus : œnophorum, tripodes, armaria, ciſtas,
Alcyonem Bacchi, Thebas & Terea Fauſti.

VET. SCHOL.

6. *Præcones fieri.*) Emiſſarii.

6. *Aganippes.*) Locus in Bœotia Muſis ſacer. *Callimachus* tamen dicit *fontem eſſe Permeſſi fluminis.*

7. *Migraret in atria Clio.*) Oſtiarius, & cuſtos atrienſis.

8. *Nam ſi Pieria.*) *Pieria*, locus ſub radicibus Olympi montis, cui *Pierus* Poeta nomen dedit, qui primus ſacrificaſſe Muſis dicitur : unde & *Pierides* dictæ.

8. *Quadrans tibi.*) Denarius. inde *quadrantes.*

11. *Stantibus.*) Popularibus. armatis militibus.

12. *Alcitheon Pacci.*) Nomina fabularum, aut malorum Poetarum, qui has fabulas ſcripſerunt.

GRANG.

6. *Præcones fieri.*) quorum ars pecunioſa. *Martial.* epigr. LVIII. lib. V.

Cui tradas, Lupe, filium magiſtro,
Quæris ſollicitus, diuque tentas
Omnes grammaticoſque, rhetoraſque.
Devites moneo, nihil ſit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
Famæ Rutilium ſuæ relinquat.
Si verſus facit, abdices poetam.
Artes diſcere vult pecunioſas?
Fac diſcat citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur,
Præconem facias, vel architectum.

Ejuſdem rationis eſt Epigr. VI. lib. VIII.

Prætores duo, &c.

7. *Aganippes deſertis Vallibus.*) Bœotiæ fontis Muſis ſacri. *Solinus* ſcribit Aganippen fontem a Cadmo fuiſſe monſtratum, cujus aqua pota animas facundia irrigabat.

7. *Eſuriens Cleio.*) *Petron.* in Satyrico : *Ego poeta ſum, &, ut ſpero, non humillimi ſpiritus, &c quare ergo, inquis, tam male veſtitus es? propter hoc ipſum, Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.* Idem *Petr.* alio loco : *Neſcio, quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas.*

7. *Migraret in atria*) Regum Romanorum, ſportulam petitura *Cleio.* Non placent, quæ *Vetus Scholiaſt.* de ſervo atrienſi.

8. *Pieria quadrans nullus in arca.*) Alii *in umbra*: melius autem *arca.* hoc eſt, ſi componis, ut ait ille, carmina :

— *Nullos referentia nummos.*

9. *Victumque Machæræ.*) Vivas potius paraſitice, ut ille Paraſitus Machæræ nomine; hæc enim referenda ad illud *migraret in atria Cleio.* Ut ſequentia, *& vendas, quod auctio vendit*, ad hæc præcedentia :

— *Nec fœdum alii nec turpe putarent*
Præcones fieri. —

10. *Auctio vendit.*) Novo dicendi genere, pro *quod venit in auctione.* contra *Cic.* dixit, *vendere auctionem* pro *auctionari.* De verbis ſolennibus auctionum, *Briſſon.* lib. VI. *Auctio* autem noſtris, *Vencham.*

10. *Commiſſa auctio.*) Ubi licitantes utrinque precio pugnant : tranſlate a gladiatoribus, qui proprie *committi* dicuntur.

11. *Stantibus.*) Circumſtanti populo, eique licitanti. male *Vetus Scholiaſtes*, ejusque ſimia *Autumnus*, de militibus intellexere.

11. *Oenophorum.*) de quo ad illud VI.

Oenophorum ſitiens. —

11. *Armaria.*) Capſas, quibus libri concluduntur. *Optatus* in geſtis Cratini, & Felicis : *Poſtquam perventum eſt ad bibliothecam, inventa ſunt ibi armaria inania.* Vide *Savarotum* ad *Sidonii* epiſt. IX. lib. II.

12. *Alcyonem.*) Alii *Alcinoem.* Utraque lectio retineri poteſt. de *Alcyone* autem *Ovid.* XI. Met. m. *Plin.* lib. X. cap. XXXII. & lib. XVIII. cap. XXVI. ea erat Æoli, & Ægiales filia, Ceycis uxor, ambo in aves *Alcyones* mutati. *Hygin.* fab. LXV. Inde proverbium *Alcedonia ſunt apud forum.* De *Alcinoe* vero Steneli & Nicippes filia *Apollodor.* II. Bibliothecæ.

Hoc satius, quam si dicas sub Judice: Vidi,
Quod non vidisti. faciant equites Asiani,
Quanquam & Cappadoces faciant, equitesque Bithyni,
Altera quos nudo traducit Gallia talo.
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Hoc

12. *Bacchi*) Poetæ tragœdographi non multi nominis.

12. *Thebas.*) Tragœdiam, cui titulus, *Thebæ*, quæ urbs tragicis omnibus pro argumento fuit.

12. *Terea.*) Aliam de *Tereo* Tragœdiam, de quo *Hygin.* fab. XLV. & CCXLVI. *Ovid.* VI. Metam. *Virg.* in Sileno. *Apollodor.* lib. III. qui Philomelam in hirundinem, Procnen in luscinam, *Tereum* in upupam mutatos affirmat.

12. *Fausti*) Tragœdi. de quo *Martial.* lib. XI. epigr. LXV.

> *Nescio tam multis quod scribas, Fauste, puellis,*
> *Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.*

VET. SCHOL.

13. *Quam si dicas sub Judice: Vidi.*) quam si calumniam facias, falsa dicens: falsus es testis necessitate.

14. *Equites Asiani.*) Equites Romani ex Græcis facti.

14. *Faciant.*) Falsum testimonium dicant.

16 *Altera quos nudo.*) Id est *Gallogræci*, quos *Galli* in *Græcia* condiderunt. Ipsos ergo dicit, & est sensus; qui nudis pedibus ambulant, ac per hoc abjecti *Galatæ*.

18. *Nectit quicunque.*) qui carmen vocale efficit per modos, id est, *Poeta*.

GRANG.

14. *Equites Asiani.*) Tangit obiter Romanos, qui servos (quorum magna pars ex *Asia*) *equestri* donabant censu, rejectis Poetis. qua de re non semel queritur *Martial.* sed potissimum epig. LXXVI. lib. X.

> *Hoc, Fortuna, tibi videtur æquum?*
> *Civis non Syriæve, Parthiæve,*
> *Nec de Cappadocis eques catastis;*
> *Sed de plebe Remi, Numæque verna,*
> *Jucundus, probus, innocens, amicus,*
> *Lingua doctus utraque, cujus unum est,*
> *Sed magnum vitium, quod est Poeta;*
> *Pullo Mævius alget in cucullo:*
> *Cocco mullio fulget incitatus?*

15. *Cappadoces.*) *Cappadocia* hodie Castaldo *Almasia*, Thevero *Genech.* Pineto *Toccatu Aladuliæ.* Una ex provinciis Septentrionalis partis Asiæ minoris, quæ hodie *Turcia nova* dicitur.

15. *Bithyni.*) *Bithynia* oriundi, Asiæ minoris regione, hodie *Bursia*, ut *Girava* refert, & *Becsangial*, secundum *Castaldum*.

16. *Altera Gallia.*) Hoc est, *Galatia*, sive *Gallogræcia*, quæ ab incolis *Galatia orientalis* dicitur, ad differentiam *occidentalis*, quæ nunc temporis dicitur *Chiangare*.

16. *Traducit.*) Risui omnium exponit. De hoc *traducendi* verbo fuse alibi diximus.

16. *Nudo talo.*) Quod infimæ & miserabilis fortunæ indicium. nostrates Galli, *quand il vint icy, on luy voyoit les talons.*

17. *Indignum laborem studiis.*) Inediam, & exilium. De exilio *Plin.* Junior in Panegyr. *Quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius Princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret.*

18. *Nectit Eloquium.*) Quo modo *Seneca* lib. de Benef. dixit *fabulam nectere.*

18. *Canoris modis.*) Legibus carminis, quæ potissimum constant *modo*, & *numero*: *modus* etenim descriptio cujusque rei; ut si Poeta plebejum iratum describat, alio *modo* repræsentabit, quam nobilem. *Numerus* autem est concinnitas orationis apta rei, quæ significatur: parum est enim observare *modum* rei, quam describas, nisi rei conveniens adsit & concinnitas, illa constat ex partium quantitate, qualitate, dispositione. De quibus *Scalig.* IV. Poetices.

19. *Laurumque momordit.*) Tertia, imo prima conditio Poetæ, ut divinitus inspiretur, quod fieri morsu lauri credidit antiquitas: hinc illud *Tibulli:*

> *Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus*
> *Vescar.* —

Hinc vates δαφνηφάγους vocat *Lycophron* in Alexandra, & *Sophocl.* in Cassandra. Quos imitatus *Pindocinensis*

Poeta

Hoc agite, o juvenes: circumspicit, & stimulat vos,
Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit.
Si qua aliunde putas rerum spectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur: lignorum aliquid posce ocyus, &, quæ
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito;
Aut clude, & positos tinea pertunde libellos,
Frange miser calamos, vigilataque prælia dele,

Qui

Poeta sic olim cecinit inter Lædi virentia prata, Vindonesque puellas:

D'un gosier machelaurier
J'oy crier
Dans Lycophron ma Cassandre.

Plura super his *Lil. Gyrald.* Dialogis. XVI. & *Meursius* Comment ad *Lycophrona*.

VET. SCHOL.

20. *Hoc agite.*) Hortatur poetas temporibus Neronis carmina scribere: *o juvenes*, huc venite.

22. *Si qua aliunde.*) Si aliunde magis præsidium speras per carmina, quam a principe Nerone, incende libros tuos, & trade Vulcano, o Telesine.

27. *Vigilataque prælia.*) Utrum, quæ tu pugnaris, cum animo scripseris; an ea, quæ de pugna conscribis.

GRANG.

20. *Hoc agite.*) Proprie verba *Præconis*, dum magistratus res divinas faciebat, aut auspicia captabat, *Hoc age.* qua voce admonebat, ut erectis & attentis animis in eam curam cogitationemque incumberent, nec perfunctorie aut oscitanter sacris operam darent. *Brisson.* I. de Form.

21. *Indulgentia.*) Magnificentia & liberalitas. *Noni.* in *Indulgere.*

21. *Ducis.*) Imperatoris Trajani. Sic *Domitianum* simpliciter appellat. *Martial.* epigr. VI. lib. X.

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus arctois sideribusque ducem.

Sic noster pluries aliis in Satyris.

21. *Materiamque sibi quærit.*) Quasi diceret, cum nullas, præter liberalitatem, alias virtutes & animi dotes haberet Princeps *Trajanus*, illa satis amplam vatibus scribendi materiam suppeditaret.

22. *Si aliunde.*) quam ab Imperatore, ut pote a magnatibus Rom.

22. *Exspectanda rerum Præsidia.*) Aliquos fortunarum tuarum tutores, & defensores. Sic *Horat.* Mæcenatem vocat *suum præsidium* ode I. lib. I. proprie tamen *præsidium* in re militari. *Varro.* IV. de ling. Lat.

23. *Crocea membrana tabellæ.*) *Membrana* aliquando pellis est, qua libri operiuntur. qua in significatione *Tibull.* lib. III. eleg. I.

Lutea sed niveum involvat membrana libellum.

Tamen *membrana*, aliquando est, in qua scribebant: ut apud Pers. satyr. III. ubi *Casaubon.* notat pueros in scholis uti solitos *membranis*, non ceris & stylo. Illa autem *membrana* erat bicolor, ut ait idem *Persius* eod. *alba* scilicet interiore parte; altera vero, in qua fuerant pili, *crocea*. Illæ autem *membranæ* proprie *Pergamenæ*. D. *Hier.* epist. ad Chromatium, Jovium, & Eusebium: *Tamen rex Attalus membranas a Pergamo miserat, ut penuria chartæ pellibus pensaretur, unde Pergamenorum nomen ad hunc usque diem tradente sibi posteritate servatum est.*

24. *Aliquid lignorum*) infelicium. *Catull.* epigr. XXXVII.

— *Puella vovit,*
Scripta tardipedi Deo daturam,
Infelicibus ustulanda lignis.

Nam, ut ait *Martial.* lib. V. epig. LIV.

Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaeton.

25. *Thelesine.*) Quis ille Thelesinus videre est ex *Martiale* lib. VI. epigr. L. lib. III. epigr. XL. lib. XII. epigr. XXV.

26. *Claude.*) Clavi da. *Horat.* epist. XX. lib. I. Epist. ad librum:

Odisti claves. —

26. *Tinea pertunde libellos.*) Admitte

Tineas trucesque blattas.

ut ait *Martial.* lib. XIV. epig XXXVII. librorum, & vestium præsentissimas pestes. Idem *Martial.* lib. XI. epig. I. quas a terendo, *Isidor.* dictas vult, ego a *tundendo.*

27. *Frange miser calamos.*) Idem *Martial.* epigr. LXXV. lib. IX.

Calphurn.

Qui facis in parva ſublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem. ſed defluit ætas
Et pelagi patiens, & caſſidis, atque ligonis.
Tædia tunc ſubeunt animos, tunc ſeque, ſuamque

Ter-

Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Calpurn. Eclo. IV.

Frange puer calamos, & inanes deſere Muſas,
Et potius glandes, rubicundaque collige corna;
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta: quid enim tibi fiſtula reddet,
Quo tutere famem? —

27. *Dele.*) Ex palimpſeſto, non in aliam chartam relaturus.

27. *Prælia.*) Carmina Epica ſeu Heroica, quibus bella & *prælia* Ducum ſolent canere Poetæ, quæ reapte *prælia* dixit: quia tam graphice exprimuntur, ut potius committi, quam narrari videantur.

27. *Vigilata.*) Ad quorum delineationem multas inſomnes noctes duxerunt.

VET. SCHOL.

29. *Hederis.*) Corona.

29. *Et imagine macra.*) Corpore exili, propter vigilias. quia Poetæ ſic pinguntur, quaſi ad ſummam *maciem* nimio labore confecti.

30. *Spes nulla ulterior*) nummorum ſcilicet, niſi *hedera & imagines.*

GRANG.

28. *Qui facis carmina.*) Proprie: unde & Græcis *Poetæ* nomen; non a fingendo, ſed a faciendo verſu. *Scalig.* lib. I. Poetic. cap. I. & cap. II.

28. *In parva cella.*) Perſius:

Scribimus incluſi. —

28. *Sublimia carmina.*) Sic *Horat.* in Arte:

Dum ſublimes verſus luctatur. —

29. *Venias dignus.*) Sis. *Venire*, pro *eſſe* plerunque. *Virg.* II. Georg.

— *Quo non præſentius ullum*
Auxilium venit. —

Propert. eleg. ult. lib. II.

Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti.

Sic Græcis ἔρχομαι, ſum, & venio,

29. *Hederis, & imagine.*) Hoc eſt, *imagine hedera coronata.* Primariis etenim viris, ut Poetis, & Oratoribus *imagines* & ſtatuæ *hederatæ* in Bibliotheca Apollinis Palatini dedicabantur; dein reliqui transferebant in ſuas. Vide quæ diximus ad illud II.

Si quis Ariſtotelem ſimilem, &c.

Præcipue tamen *hederatæ* Poetarum *imagines.* quod autem victores ita coronarentur in commiſſionibus docet *Horat.* ode I. lib. I.

Doctarum hederæ præmia frontium.

Propert. lib. II. eleg. IV.

Cujus non hederæ circumiere caput.

Virg. eclog VII. & eclog. VIII. *Ovid.* I. Triſt. eleg. VI.

29. *Macra imagine.*) Aſſidua lectione & attentione pallidi & *macri* Poetæ: hinc tales eorum *imagines.*

30. *Spes nulla ulterior.*) Præter imaginem hanc, nulla alia tibi continget merces, etenim

— *Omnes gelidis quicunque lacernis*
Sunt tibi, Naſones Virgilioſque vides.

32. *Ut pueri Junonis avem.*) hoc eſt, Pavonem. *Ovidius* de medicamine faciei:

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & forma muta ſuperbit avis.

Claudian. VI. Conſulatu Honorii:

Quid picturatas galeæ Junonia criſtas,
Ornet avis? —

Retulit illud *Juvenalis* inter proverbia *Paræmiographus.*

32. *Defluit ætas.*) Sæpiſſime *fluenti* aquæ *ætas* comparatur. *Ovid.* eam dicit labi

— *More fluentis aquæ.*

Salluſt. *Ubi per ſocordiam vires, tempus, ingenium defluxere.* *Seneca* de Brevit. Vitæ, cap. I. *Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit.*

33. *Patiens pelagi & caſſidis* &c.) Artis nauticæ, militiæ, & agriculturæ. Sic *Horatius*:

Patiens pulveris, atque Solis.

Et LI. Georg.

— *Patientem vomeris unci.*

34. *Seque, ſuamque Terpſichoren odit.*) Ovidius:

Carmina devoveo, Pieridesque meas.

Idem

Terpsichoren odit facunda & nuda senectus.
Accipe tunc arteis, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, & Musarum, & Apollinis æde relicta:
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos. &, si dulcedine famæ
Succensus recites, Maculonis commodat ædeis;
Hæc longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedenteis
Ordinis, & magnas comitum disponere voces.

Nemo

Idem II. Trist.

Si saperem, doctas odissem jure puellas.

VET. SCHOL.

39. *Propter mille annos.*) Dinumerato tempore fortasse usque ad ætatem suam Poeta dixit mille annos fluxisse ex tempore *Homeri*. Fuit autem *Homerus* annis ante urbem conditam centum LX. post Ilium captum ducentis LX.

40. *Maculonis.*) Alii, sordidas ædes: alii, pictas.

41. *Servire jubetur.*) Patet tibi in dicendum.

42. *In qua sollicitas.*) Cum fuerint clausæ Domini calamitate. tristes effectas & *sollicitas* propter incursionem hostium.

44. *Comitum disponere voces.*) Novit disponere auditores.

GRANG.

36. *Accipe nunc arteis.*) Artificia, ut plerunque apud *Virgil.*

38. *Ipse facit versus.*) Nota historia Augusti, & Philosophi Græculi, cui, cum Augustus versum versu & epigramma epigrammate rependisset, respondit Græculus: Εἰ πλεῖον εἶχον, πλεῖον ἐδίδουν. *Si major copia, liberalitas major.*

38. *Uni cedit Homero Propter mille annos.*) D. *Hieron.* in Pentateuchum: *Nova pro veteribus cudere; ita ingenium, quasi vinum, probantes.* Vide proverb. *Quasi locum in balneis.* *Horat.* epist. I. lib. II.

— *Quia Græcorum sunt antiquissima quæque*
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina. —

39. *Propter mille annos.*) De ætate *Homeri* ante alios *Vellejus* Paterc. videndus ibidemque *Justi Lips.* notæ.

39. *Dulcedine famæ.*) Sic Martial. *dulcem gloriam* appellat. Horat. *decus dulce.*

40. *Commodat ædeis.*) Recitabant etenim Poetæ in Minervio, aut in ædibus a Rege aliquo commodatis. Lege *Theod. Marcilium* ad I. *Persii.* & quæ diximus satyr. I.

41. *Longe ferrata.*) Clatris ferreis undique munita. *Propert.* eleg. XX. lib. II.

Ferratam Danaes transiliamque domum.

Plaut. IV. sc. IV. Persa:

Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis,
Ferreas ædeis commutes, limina indas ferrea,
Ferream seram, atque annulum, ne si ferro parseris,
Ferreas tute tibi impingi jubeas crassas compedes.

42. *Janua.*) quæ proprie privatæ domus. *Servius* ad illud:

— *Foribus cardo stridebat ahenis.*

42. *Imitatur portas*) Urbium; quod, ut ait *Vet. Scholiastes*, clausæ sunt *januæ* portarum instar, cum Annibal prope est ad portas, ut ajunt. ego, *imitari januas* divitum *sollicitas portas* crederem, quod tanta circa eas turba, quanta circa portas, cum hostis adventat.

42. *Sollicitas portas.*) *Virgil.* VII. Æneid.

— *Tristesque recludere portas.*

44. *Comitum disponere voces.*) qui laudent recitantem. *Voces* autem sunt ejusmodi:

Effete, graviter, cito, nequiter, euge, beate.

Martial. lib. II. Epigr. XXVII. Aliquando, & σοφῶς, seu οὗτος ὁ σοφὸς, ut idem *Martial.* lib. I. epig L. & epig. LXXVII. lib. II. has, & similes voces precio vestis, aut cœnæ mercabantur. *Horat.* in Arte:

Ut Præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poetas.

Et epist. ult. lib. I.

Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector

Nemo dabit regum, quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.
Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere ſulcos
Ducimus, & littus ſterili verſamus aratro.
Nam ſi diſcedas, laqueo tenet ambitioſi
Conſuetudo mali: tenet inſanabile multos
Scribendi cacoethes, & ægro in corde ſeneſcit.
Sed vatem egregium, cui non ſit publica vena,

Qui

Laudet, ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, & tritæ munere veſtis.

Proptie autem ii *comites*. Perſius:

— *Calidum ſcis ponere ſumen,*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

VET. SCHOL.

45. *Subſellia.*) A Græco tractum. id eſt *ſubſellia*, ſuper quæ altius ſedeatur. gradus ſuperiores ſcanſiles.

46. *Tigillo.*) Tecto, diminutive.

47. *Orcheſtra.*) Spatium in Theatro dicit, quod Pantomimo ſaltanti vacat. Ejusmodi autem & Poeta elegit, in quo ſtans recitet, aut tabulata.

49. *Et littus ſterili.*) Metaphora ab arantibus. *Litus* pro agro poſuit, *agrum* pro auditoribus. id eſt, ſcribimus, & nihil commodi inde conſequimur.

50. *Laqueo tenet.*) Poetici mores, ut vinculum.

51. *Inſanabile multos Scribendi cacoethes.*) Mali mores, mala conſuetudo ſcribendi, quæ oblivíſci non poteſt.

53. *Cui non ſit publica vena.*) Communis, ſive vulgaris, qui nihil abjectum, ſubtile, & gracile, nihil *trivialiter* ſcribat, ſive male.

GRANG.

45. *Quanti ſubſellia conſtent.*) Inventa domo, ubi Poeta recitaret, auditorium ſibi exſtruebat. *Auctor* de Claris Oratorib. *Et domum mutuatur, & auditorium exſtruit, & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit.* Qua de re *Theodor. Marcil.* ad I. *Perſii.*

46. *Anabathra.*) Gradus. ita enim exſtructum auditorium, ut pulpitum, quod orcheſtram heic nominat, præcipuum obtineret locum: *Anabathra* autem tanquam gradus theatri.

46. *Conducto tigillo.*) Materia fabrili lignea, a *tigno*, non a *tecto*, ut putat *Nonius.*

47. *Poſita eſt orcheſtra.*) tanquam in theatro, ſive ad ſimilitudinem theatri. id eſt, pulpitum, in quo Poetæ ſedes altior ceteris, præcipui auditorum paullo infra: Deinde ratione dignitatis reliqui in *Anabathris*, hoc eſt gradibus, per quos aditus ad pulpitum: Unde recte de libertis:

Sit dare libertos extrema in parte ſedentes
Ordinis. —

48. *Tenuique in pulvere.*) *Ovid.* II. Triſt.

— *Tenuis mihi campus aratur.*

Atta in Satyra:

Vertamus vomerem in ceram mucroneque aremus
Oſſeo. —

Titinnius apud Chariſium: *Velim ego oſſe arare campum cereum.*

49. *Litus verſamus aratro.*) Vide proverbium, *litus arare.* & aliud: *arenæ mandas ſemina.*

52. *Dicendi cacoethes.*) *Ovid.* I. Triſt. eleg. ult. vocat, *inſaniam*:

Seu ſtupor huic ſtudio, ſive eſt inſania nomen.

Et II. Triſtium:

Si ſaperem, doctas odiſſem jure puellas,
Numina cultori perniciosa ſuo.
At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo,
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

at Scabiem, *Auſonius* Symmacho: *Illico noſtra illa poetica ſcabies cœpit exſcalpere; cujus morbi, quoniam facile contagium eſt, utinam ad te quoque prurigo commigret.* *Symmachus* ipſe, *Pruriginem emittendi operis*, epiſt. xxv. lib. III. Sidonius, *ſermonis pruritum.* Catio, *morbum loquendi.* At D. *Hieron.* Ruſtico monacho: *Ne ad ſcribendum cito proſilias, & levi ducaris inſania, multo tempore diſce, quod doceas.*

53. *Vena.*) Sic *Horat.* ode XVIII. lib. II.

At fides, & ingenI
Benigna vena eſt.

Et de Arte:

— *Ego*

Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta:
Hunc, qualem nequeo monstrare, & sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum, aptusque bibendis

Fontibus

— Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium. —

Nos, *il a une bonne veine.*

VET. SCHOL.

56. *Hunc qualem.*) Ordo hic est: Poetam bonum facit omni sollicitudine vel tristitia carens animus, ut nihil acerbi patiatur: qualem ego animo sentio, ostendere autem non possum.

58. *Cupidus silvarum.*) Avidus, ut *Horatius*:

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem. —

GRANG.

54. *Qui nihil expositum soleat deducere.*) Lucretius:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo. —

Virg. III. Georg.

Cetera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia jam vulgata: quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?

Deinde:

— Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Horat. ode I. lib. III.

— Carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus, puerisque canto.

Et ode XXV. ejusd. lib.

Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio.

55. *Feriat carmen moneta.*) *Horat.* in Arte:

— Producere nomen
Signatum præsente nota. —

Fabius lib. I. cap VI. *Utendumque plane sermone, ut nummo, cui publica forma est. Fortunatus* lib. III. *Verbis utendum est, ut nummis, publica moneta signatis.* Vide *Marcilium*, si plura testimonia desideras ad prædictum locum *Horatii*. sed ut argentum, quo signatur, *feriri* dicitur, sic & *feriri carmen*, & ictus in carmine ἄρσις scilicet, & θέσις. *Terentianus* de trimetro:

Sed ter feritur, hinc trimeter dicitur.

Ovid. I. Trist. eleg. ult.

Dum ferit Aonia carmina culta lyra.

Calphurnius:

Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire
Carmina. —

Sic *pulsare carmen*, *Propert.* dixit eleg. I lib. II.

55. *Communi moneta*) *Moneta* proprie Gallis *le coin du Prince*, quæ Quintiliano *forma*, Aristoteli *character*, Aristophani κόμμα, Justiniano *fusio*, *l.* II. *Cod. de falsa moneta. Constantin.* tit. XIV. lib. VI. §. IV. νομίσματα ἢ ἀλλὰ νομίσματι ... σφραγισμένα. *Moneta* tamen aliquando Latinis officina, in qua numismata cuduntur. *l.* I. §. VI. *ad L. Juliam peculatus.* & *l.* II, *de falsa moneta. Cod.* sic pro quacunque alia officina; ut apud *Macrob.* cap. VI. lib. I. in Somnium; & apud *Sidon.* lib. IV. epist. I. *Senecam*, III. de Benef. cap. XXXV.

56. *Qualem nequeo monstrare.*) Vide *Cic.* de Orat. perfecto. *Quintil.* lib. I. & XII. Sic *Plutarch.* de Sapiente: Ἔστι δ' αὐτὸς ὁ μόνος ..., ...

57. *Anxietate carens animus facit.*) *Ovid.* I. Trist.

Carminibus metus omnis abest. —

Et paullo post:

Da mihi Mæonidem, & tot circumspice casus,
Ingenium tantis excidet omne malis.

Et lib. V. eleg. XII.

Scribis, ut oblectem studio lacrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est, quod, amice, mones, quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.

Cic. ad Q. fratrem lib. III. epist. V. *Quadam animi alacritate; sed (quod te minime fugit) opus est poema. Sidon. Apollin.* lib. VIII. epist. IX. *Nosti enim probe lætitiam poetarum, quorum sic ingenia mæroribus, ut pisciculi retibus amiciuntur: & si quid asperum aut triste, non statim sese poetica teneritudo a vinculo incursi languoris illaqueat.*

58. *Cupidusque sylvarum.*) *Horat.* ode III. lib. IV.

Sed quæ Tibur aquæ fertile profluunt,
Et spissæ nemorum comæ
Fingent Æolio carmine nobilem.

Et II. Epist. epist. II.

Scriptorum

Fontibus Aonidum : neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere mœsta
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget : satur est, cum dicit Horatius : Heuohe!
Quis locus ingenio : nisi cum se carmine solo
Vexant, & Dominis Cyrrhæ, Nysæque feruntur
Pectora vestra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus, & equos, faciesque Deorum
Adspicere, & qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam, si Virgilio puer & tolerabile deesset

Hospi-

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes
Rite cliens Bacchi somno gaudentis & umbra.

Tacit. de Causis corruptæ Eloquentiæ: *Poetis relinquenda conversatio amicorum est, & jucunditas urbis deserenda, cæteraque officia, utque ipsi dicunt, in nemora & lucos, id est, in solitudinem recedendum est.*

58. *Aptusque bibendis.*) *Persius* prologo:

Nec fonte labra prolui Caballino.

Fontes autem intellige Hippocrenen, & Aganippen, quos *Ascræos* appellat *Propert.* lib. II. eleg. X.

VET. SCHOL.

60. *Thyrsumque potest contingere*) Insanire pauper non potest, aut moveri ad scribendum : quia familiaribus rebus consulere cogitur. Dicunt nam, nisi insanum, poetam esse non posse.

GRANG.

59. *Cantare sub antro Pierio.*) Ut nemora, sic *antra* Musis dicata, in queis Poetæ cantare soliti. *Propert.* lib. III. eleg. I.

Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro.

Horat. ode I. lib. II.

Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

Et ode IV. lib. III.

— Vos Musæ
Finire quærentem labores (Cæsarem)
Pierio recreastis antro.

Hinc ἀπήφαλιοι, indocti, qui non in *antris* cecinerint, & a Musis edocti fuerint. Φάλεοι enim Ionice *antra*, pro ludis literarum, qui mos ortus ab *antris* Parnassi. *Marcilius* ad *Horat.* De ejusmodi *antris*, *Virg.* ecl. V.

60. *Thyrsumve potest contingere.*) Thyrso enim dicuntur percuti Poetæ, quorum mens furore Bacchi afflatur, dicti ob id uno verbo Græcis θυρσοπλῆγες.

— Sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suavem mi in pectus amorem
Musarum. —

61. *Sana paupertas.*) Bene *sana*; nam aliquando *Horatium*

— Paupertas impulit audax
Ut versus facerem. —

Sana igitur, nullo furore Bacchi, & Apollinis percita. Hinc *insanire* Virgilio ἀντὶ τοῦ versus deducere.

62. *Satur est, cum dicit Horatius, Ohe*) *Sidon.* epist. IX. lib. VIII. *Forsitan Satyricum illud de Satyrico non recordaris: Satur est, cum dicit Horatius: hevohe.* Pluribus autem locis dixit *hevohe Horat.* ut satyr. V. lib. I. *Hevohe, jam satis est.* Et satyr. V. lib. II. & ode XIX. lib. II.

63. *Carmine se solo Vexant.*) *Horat.* epist. II. lib. II.

— Vexat furor iste poetas.

64. *Dominis Cyrrhæ, Nysæque.*) Apolline & Baccho.

65. *Duas curas*) Poeticæ, & rei familiaris.

66. *Magnæ mentis opus.*) Ex *Virg.* VII. Æneid.

Majus opus moveo. —

67. *Currus Aspicere*) bellicos, de quibus Poeta:

— Arrectos littore currus,
Inter lora rotasque viros. —

68. *Rutulum confundat Erinnys.*) *Virg.* VII. Æneid.

Talibus Alecto dictis exarsit in iras,
At juveni oranti subitus tremor occupat artus,
Diriguere oculi : tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit, tum flammea torquens
Lumina, cunctantem & quærentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore.

75. Quin-

Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri:
Surda nihil gemeret grave buccina. poscimus, ut sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus & alveolos, & lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico:
Quintillæ quod donet, habet, nec defuit illi,
Unde emeret multa pascendum carne leonem
Jam domitum: constat leviori bellua sumtu
Nimirum, & capiunt plus intestina poetæ.
Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano, tenuique Saleio
Gloria quantalibet, quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ

The-

VET. SCHOL.

72. *Rubrenus Lappa.*) Tragicus Poeta.

73. *Et lænam pignerat Atreus.*) Fœnerator, vel, quia *Atreum* scribit, ut sumtus habeat, & res suas pignori dat. *Alveolus* est tabula calculatoria, lusoria.

75. *Quintillæ.*) Meretrici.

77. *Constat leviori.*) Ironia est. *Leo* levius pascitur, quam poeta: & ex indignatione hoc dicit.

79. *Contentus fama.*) Ideoque facile otium ad scribendum carmen habuit dives *Lucanus.*

80. *At Serrano tenuique Saleio.*) Nomina sunt Poetarum pauperum: aut, * *Serrano* vas fictile, in quo at *Serranus* solebat mendicare. *Saleio*, ut mendico, catillum fictilem, in quo ea, quę falsa sunt, adponuntur. Si non sit, inquit, pecunia, gloria quid prodest?

82. *Amicæ Thebaidos.*) Gratæ. significat poema *Statii* de Bello Thebano.

GRANG.

70. *Caderent a crinibus*) Alectus, quæ
— *Tot sibilat hydris.*

71. *Surda buccina.*) Ut *Propert. lyram surdam* dixit. Intellige autem de *buccina Alectus*, quæ

Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem, qua protinus omne
Contremuit nemus, & sylvæ intonuere profundæ,
Audiit & Triviæ longe lacus, audiit amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini,
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.

72. *Lappa*) Tragœdographus.

73. *Atreus.*) qui, dum componit tragœdiam de *Atreo*, ut vitam sustentare possit,

73. *Pignerat.*) Pignori opponit

73. *Alveolos.*) de quibus satyr. v. Videndus *Turneb.* cap. IV. lib. XXIV. Adversar.

74. *Numitor.*) pro quovis Romano divite, & proavos jactitante.

75. *Quinctiliæ quod donet, habet.*) Poeta *Epigrammatogr.* lib. XI. epig. III.

Pauper amicitiæ cum sis, Lupe, non es amicæ.

79. *Lucanus.*) *M. Annæus Lucanus.* Lucii Annæi Melæ Senecæ fratris filius, grande adjumentum claritudinis, ut ait *Tacitus.*

79. *Contentus fama.*) quia sat divitiarum habet. *Famam* tamen *Lucani* viventis presserat Nero: at post mortem tamen non invidit. *Vetus lapis*:

M. ANNAEO LUCANO
CORDUBENSI POETÆ
BENEFICIO NERONIS
FAMA SERVATA.

79. *Jaceat in hortis.*) In *hortis* etenim plerunque scribebant Poetæ. *Ovid.* testatur eleg. ult. lib. I. Trist.

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis,
Nec consuete meum lectule corpus habes.

Jaceat igitur in lectulo, in quo scribere soliti. de quo nos alibi.

80. *Serrano*) Poetæ, sed pauperi, multoque ære alieno obstricto. *Martial.* lib. IV. epig. XXXVII.

Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus.

80. *Saleio*) *Basso*, ad quem *Martial.* lib. V. epig. LV. & lib. VIII. epig. X. Cui Vespasianus quingenta sestertia dari præcepit, cum poema Ei recitasset, ut auctor est *Quintilian.* seu quicunque alius scriptor de Caussis corruptæ Eloquentiæ.

Lætam

Et Paream, tu nobilium magna atria curas!
Præfectos Pelopeia facit, Philomela Tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.
Quis tibi Mæcenas? quis nunc erit aut Proculejus,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio precium: tunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire decembri.
Vester porro labor fœcundior, historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus:
Namque oblita modi millesima pagina surgit
Omni-

VET. SCHOL.

92. *Præfectos Pelopeia facit.*) Neronem significat, qui scenicis ob turpem libidinem hæc petentibus præstabat. Propter hunc versum missus est in exilium a Claudio Nerone.

97. *Toto nescire decembri.*) quo mense scilicet solet maxime lucubrari.

98. *Vester porro.*) Ironia.

GRANG.

94. *Mæcenas.*) Fautor *Virgilii*, *Horatii*, *Varii*. *Martial.* lib. I. epig. CVIII.

Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Mæcenas Flacco, Virgilioque suo.

Ab eo studiosorum patroni *Mæcenates* dicti.

94 *Proculejus.*) de quo lyricus *Poeta* od. II. Carm. II.

95. *Aut Fabius.*) cujus liberalitas notatur ab *Aurel. Victore* iis verbis: *De redemtione captivorum cum hostibus pepigit, quod pactum, cum a Senatu improbaretur, fundum suum ducentis millibus vendidit, & fidei satisfecit*, quod & refertur a *Valer. Max.* lib. IV. cap. VIII.

95. *Cotta.*) de quo satyr. V.

95. *Lentulus.*) *Cic.* epist. VII. lib I. ad Famil. *Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis*: & II. de Offic. *Omnes P. Lentulus me Consule vicit superiores.*

96. *Par ingenio precium.*) Nam, ut notant *Jureconsulti lib.* II. *cap. de Veteri Jure*, singuli versus numerabantur, auroque rependebantur.

96. *Utile multis.*) Ut *Asellio Sabino*, quem propter Dialogum, in quo boleti & ficedulæ, ostreæ & turdi certamen induxerat, Tiberius HS. CC. donavit. *Sueton.* Tiberii cap. XLII. Ut *Oppiano*, cui, cum Antonio de Venatione, & Piscatione libros dedicasset, Imperator in singulos versus stateres aureos numeravit, cum versuum essent vicena millia. Ut *Saleio Basso*, de quo supra. Ut *Virgilio*, qui, cum Sextum operis divini Augusto recitasset, propter extremos de Marcello versus donatus ab Octavia millenis quivis ducentis quinquagenis aureis. ut Græcos mittam, inprimisque *Cherilum*, cujus versus ab Archelao singulis aureis compensati: *Archimelum* epigrammatarium, cui Hiero Syracusanus pro elegia denum octavum versuum mille tritici medimnos est dimensus.

97. *Pallere.*) Studere. Studia enim vocant spiritus calentes a ventriculo ad caput, & impediunt cibi concoctionem, cruditates pariunt. hinc *pallor*. *Plin.* lib. I. epist. V. *Et palluit notabiliter, quamvis palleat semper.* *Persius* satyr. V.

At te nocturnis juvat impallescere chartis.

Hinc jocus *Martiali* lib. VII. Epigr. III. Vide adagium: *Hoc est, quod palles.*

97 *Vinum toto nescire Decembri.*) Saturnalibus inclusos fuisse, nec tunc temporis, quo universi vino & conviviis indulgent, nil aliud, quam studio vacasse.

97. *Decembri.*) *Seneca* epist. XVIII. *December est mensis, cum civitas maxime desudat, jus publicæ luxuriæ datur, ingenti apparatu sonant omnia.* Et paulo post. *His maxime diebus animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuit.* *Horat.* lib. II. satyr. VII.

— *Age libertate decembri.*

97. *Vinum.*) *Vinum* nescire Poetam? Quis nescit, quando ita Majores voluerunt:

Nulla placere diu, nec vivere carmina posse,
Quæ scribuntur aquæ potoribus. —

Per *vinum* igitur intellige mutilationes & intempestiva convivia, quæ hac publica luxuria fieri solebant.

100. *Pagina surgit.*) *Ovid.* lib. I. Am. eleg. I.

Cum bene surrexit versu nova pagina primo.

 102. *Veram*

Omhibus, & crescit multa damnosa papyro,
Sic ingens rerum numerus jubet, atque operum lex.
Quæ tamen inde seges? terrę quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet & umbra.
Dic igitur, quid caussidicis civilia præstent
Officia, & magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant: sed tunc, cum creditor audit,
Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen,
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles,
Conspuiturque sinus. veram deprendere messem

Si

VET. SCHOL.

102. *Rerum numerus*) Ordo historiæ.

104. *Acta legenti.*) Exceptori.

107. *Comites in fasce libelli.*) Breves significat.

110. *Qui venit ad dubium.*) Cautionem habens multorum temporum Creditorem argentarium significat, qui instantius debitum petit, si debitor ei cœperit esse suspectus.

112. *Folles.*) Buccas dicit.

112. *Conspuiturque sinus.*) Propter fascinum verborum ter sibi *in sinu spuunt*, & videntur fascinum arcere. ut *Persius* de matertera. vel, incipiunt multa sibi promittentes, *in sinum spuere*, vel alloquendo multum *spuunt*.

GRANG.

103. *Quæ tamen inde seges.*) *Martial.* lib. I. epig. CVIII.

In steriles campos nolunt juga ferre juvenci:
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

105. *Lecto gaudet, & umbra.*) Inepte correxerunt *tecto*. exprimit etenim illud *Ovidii* III. de Arte:

Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi:
Contemto colitur lectus & umbra foro.

Intelligit *lectum* lucubratorium, de quo & eleg. ult. lib. I. Trist.

Nec consuete meum lectule corpus habes.

In *lectis* enim sese componebant antiqui scriptioni, aut meditationi operam daturi; id *jacere* dixit *Juvenal.* supra:

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis.

De hoc ritu fusius *Isaacus Casaubonus* Animadversionib. ad *Suetonium.*

109. *Tetigit latus.*) At tunc temporis clientes humeros patronorum *tangunt*: hinc jocose esse illis partem tenerrimam dicimus, quod eo signo dato quam celerrime sese vertere soleant.

110. *Ad dubium grandi cum codice nomen.*) Quasi dicat Poeta: Caussidicos magna sonare, cum a debitore, qui acrior est creditore, conducuntur; qui quidem debitor venit ad debitum *dubiosum* diluendum, *cum codice* scilicet accepti & expensi. & ita *nomen* hoc in loco pro debito accipimus, sicuti apud *Horatium*:

Cautos nominibus certis expendere nummos.

Nomina dicuntur tituli debitorum, præsertim in his debitis, in quibus hominum *nomina* scripta sunt, quibus pecuniæ sunt commodatæ, & ita *nomina*: debita, vel debitores significare *Asconius* docet. Apud Jurisconsultos *nomina* sæpissime leges pro debitis, debitoribusque usurpari. *Alphius*, ut refert *Columella*, dicere solebat: *Bona nomina fieri mala interdum, si nunquam interpelles*, & cetera, quæ *Philippus Beroaldus* libro Annot.

111. *Folles cavi.*) Pulmones vocis & respirationis organa. D. *August.* cap. XXIV. lib. XIV. de Civit. Dei, pulmones dicit ad vocem emittendam seu modificandam, sicut *folles* fabrorum vel organorum. *Pers.* satyr. V.

Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos. —

Uterque ex *Horatio.* satyr. IV. lib. I.

Aut tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. —

Vide *Casaub.* ad *Persianam Horatii* imitationem.

112. *Veram deprendere messem.*) Fructum, Sic supra:

Luæ

Si libet : hinc centum patrimonia caussidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernæ.
Consedere Duces : surgis tu pallidus Ajax
Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Judice. rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis precium? siccus petasunculus, & vas
Pela-

Quæ tamen inde seges. —
Propert. eleg. XVI. lib. II.
— *Oblitas ne desere me[illegible]s.*
i. lucri occasionem.

VET. SCHOL.

114. *Pone Lacernæ.*) Nomen aurigæ abjecti, ex colore *Russati*. *Lacerna* sub Domitiano auriga fuit.

115. *Pallidus Ajax.*) *Ajacem* pro recitaturo posuit advocato. Hic vero *Ajax* auriga non * ictilius temporius.

118. *Figantur virides, scalarum.*) Stationum scilicet, ad instar gladiatoriæ victoriæ. *Scalas*, armariola advocatorum, vel ut quidam, casæ & stationes. *Cicero* in Corneliana. *Conrepsit*, inquit, *in scalas*. *Armaria* nam advocatorum apud Veteres *scalas* habebant.

119. *Siccus petasunculus, & vas Pelamydum.*) Vocabulum piscium salsorum.

GRANG.

114. *Russati pone Lacertæ.*) *Beroald.* lib. Annot. corrigit:

— *Rus Sisapone lacertæ.*

Nam *Sisapo* est locus in Hispania; ita ut ex *Beroaldi* mente sensus Auctoris sit, rus exiguum, non in Italia, sed in Provincia longinqua, tantundem valere, quantum patrimonia centum Caussidicorum: ex quo colligit *Juvenalem* demonstrare voluisse Caussidicos Romæ tenuissimum lucellum suis fecisse temporibus. Et *Alciat.* Annotationib. in tres posteriores libb. Cod. longe aliter legit, & interpretatur, scilicet *Lacertam* curiorem seu aurigam *russatæ* factionis majus patrimonium possidere, quam centum Caussidici. *Russatum* autem colorem inter colores factionum fuisse, probat ex epigr. Græco:

[illegible]
[illegible]

Cui favet *Marcell. Donatus* Dilucid. in *Julium Capitolin.* & *Vetus Scholiast.* sed *Lacernam*, non *Lacertam*, legit sub Domitiano aurigam. Ego aliquando sic hunc locum interpretatus sum: Pone centum Caussidicorum patrimonia una parte, altera autem rus *lacertæ*, i. in quo reponatur *lacerta*; quo sensu dixit satyr. III.

— *Unius sese dominum fecisse lacertæ.*

rus illud *lacertæ* erit æquale centum Caussidicorum patrimoniis.

115. *Consedere Duces.*) *Ovid.* XIII. Metam.
Consedere Duces, & vulgi stante corona.

115. *Surgis tu pallidus Ajax.*) Ex eodem *Ovidio*:
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.

118. *Scalarum gloria.*) Erat moris oratorum, & Caussidicorum victoriam in foro partam testari appensa pro foribus palma. *Lucanus* in Panegyrico:

— *Licet exercere togatæ*
Munera militiæ: licet; & sine sanguinis haustu,
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoque servati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Scalæ autem heic sunt aditus domus, sive janua, quam *scalas* ἐμφατικῶς vocat ad indicandam oratorum pauperiem, qui, more omnium tenuium & mendicorum, in cœnaculis habitabant, ita ut ædeis suas, nisi scalis, introire non possent. *Martial.* lib. I. epig. CXVIII.

Et scalis habito tribus, sed altis.

ut docte *Alciat.* Parerg. Jur. IV. cap. XII. & *Prodæus* Miscell. IX. cap. I. Unde miror *Casaubon.* testatum reliquisse, explicatum alibi se non legisse hunc *Juvenalis* locum. De *palmis* autem appensis foribus Caussidicorum, præter *Lucan.* loco cit. *Martial.* ep. XXVII. lib. VII.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
Excolat & geminas plurima palma fores.

Claudian. II. de Raptu:

— *Alii prætexere ramis*
Limina. —

Ausonius in Professoribus.

119. *Quod vocis precium.*) Caussidicis donari solitæ lagenæ vini, & salsamenta, atque ejusmodi tenuia munuscula, ut docte *Casaub.* ad illud *Persii* satyr. III.

— *Nec invideas, quod multa fidelia putet*

Pelamydum : aut veteres Maurorum epimenia, bulbi :
Aut vinum Tiberi devectum, quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.
Aemilio dabitur, quantum licet, & melius nos
Egimus : hujus enim stat currus aeneus, alti
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur

Emi-

In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, & pernæ, Marsi monumenta clientis.
Mænaque, quod prima nondum defecerit orca.

119. *Petasunculus.*) Parvus petaso. Pars ea est, quam coxam vocant. condimenta *petasonis* videbis apud *Apicium* lib. VII. cap. IX. *Turneb.* videndus cap. XVI. lib. XVI. Advers.

VET. SCHOL.

120. *Epimenia.*) Græce dixit, Nam Latine *menstrua* dicuntur dantium.

121. *Tiberi devectum.*) Non transmarinum, id est cibarium.

122. *Si quater egisti.*) Id est, pro quatuor actionibus unum solidum.

223. *Pragmaticorum.*) Jurisperitorum, qui negotiales caussas agunt.

124. *Aemilio dabitur quantum*) Qui hoc pacto quintas acciperet, in precium consiliatorum clientum.

124. *Et melius nos.*) Pauperes scilicet.

GRANG.

120. *Pelamydum.*) *Pelamydes* sunt partus Thynnorum, quæ dictæ Cordillæ *Martiali* lib. III. epig. II. & lib. XIII. epig. I. eæ dicuntur nostris, *de la Tonine.*

120. *Bulbi.*) *Dinæi* liber legit *bulli*, & Glossæ ad oram scriptæ: *bulli*, i. pisces exigui vilissimi. *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XXV. quam lectionem non esse de nihilo, docet *Glossarium* vetus ab *Henr. Stephano* : *Bulli*, ζευγονηθυρι.

120. *Epimenia*) sunt, quæ datur in singulos menses. *Isidori* Glossæ : *Epimenia*, senia, quæ dantur in singulos menses. Correxit apposite *Meursius* Exercitat. Critic. parte II. *xenia*, ubi prius legebant *senia*. Male ergo *Epimendia*, vel *Epimenidia*, & ceteræ ejusmodi lectiones.

121. *Vinum Tiberi devectum.*) hoc est, Vejentanum. De quo *Martial.* lib. I. epigr. CIV.

Et Vejentani bibitur fæx crassa Rubelli.

Quod quidem Vejentanum vinum vilissimum. Idem *Martial.* lib. III.

Vejentana mihi misces, tibi Massica potas,
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Illud autem *Tiberi advectum* dicit, quod *Tiberis* Vejentium agrum a Crustumino dividat. *Brodæus* Miscell. IX. cap. XVII. Contra vero *Britannicus* de transmarino, aut Campano vino, quod potius crederem.

121. *Vinum quinque lagenæ.*) hoc est, vini quinque lagenæ, ut nos *cinq bouteilles de vin*, modo usitato Latinis. *Plin.* lib. XIV. cap. XIV. *Censores edixerunt, ne quis vinum Græcum amineumque octonis æris singula quadrantalia venderet.*

123. *Pragmaticorum.*) *Pragmaticus* Græca dictio, Gallis huc usque retenta & intersecta, *praticien*, pro viro dicanico & procuratore, qui cum caussidicis partitur, imo qui sæpissime majorem sibi retinet partem mercedis debitæ. *Pragmatici* tamen *Cicer.* de Oratore, & *Quintil.* lib. XII. cap. III. sunt ii, qui leges & jura suggerunt oratoribus. De his plura *Heraldus* & *Raderus* ad *Martial.* lib. XII. epigr. LXXIII. *Rhodigin* lib. XXV. cap. XXII.

124. *Aemilio*) Caussidico diviti datur plus quam satis, at Caussidicorum inopi turbæ fere nihil.

125. *Hujus stat currus aeneus.*) Statua triumphali effigie, eaque in *curru*. Caussidicis enim statuæ poni solitæ. *Tacit.* de Caus. corruptæ Eloq. Minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli, & statuæ. *Martial.* lib. IX. epig. LXX.

127. *Bellatore feroci.*) *Bellator* dicitur equus. *Virg.* II. Georg.

— *Bellator equus campo sese arduus infert.*

Et X. Æneid.

Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.

Propert. lib. IV. eleg. IV.

Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Sic *Lucretio* dicti equi, *duellica proles.* sicque visis equis III. Æneid. Anchises exclamat:

— *Bellum*

Eminus, & statua meditatur prælia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari
Qui solet, & vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum juvenes longo premit assere Medos
Empturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: Purpura vendit
Caussidicum, vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, & facie majoris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.

Fidimus

— *Bellum o terra hospita portas;*
Bello armantur equi, bellum hæc armenta sequuntur.

127. *Hastile minatur.*) *Virg.* X. Æneid.
— *Saxum undis immane minatur*
Arduus. —
Et XI.
— *Licet arma mihi, mortemque minetur.*

VET. SCHOL.

128. *Et statua meditatur prælia lusca.*) Cujus oculus introrsus cedit.

130. *Magno cum Rhinocerote.*) id est, magno gutto, quod, sicut *Rhinoceros*, ingentis vasi.

134. *Stlataria purpura.*) Illecebrosa. *Ennius:*
Et melior natus, quam quæ stlataria portat.
Id est multisonalis, quæ vulgo dicitur *Batalaria.*

GRANG.

128. *Prælia meditatur.*) Ut satyr. IV.
— *Marmorea meditatus prælia villa.*

128. *Lusca statua.*) Gestu, quo sese componunt arcubalistæ, & sclopetarii, quo certius scopum collimantes attingant.

129. *Pedo.*) Non Poeta ætate superior, de quo *Martial.* lib. V. epig. XIX.
Illic parva tui domus Pedonis. —

129. *Conturbat.*) Quid *conturbare*, vide ad illud XIV.
Totam hanc turbavit filius. —

129. *Matho.*) de quo satyr. I. ad illud:
Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis.

130. *Rhinocerote lavari.*) E naso *Rhinocerotis* vasculum corneum fiebat oleo servando in balneis; quod vasculum συνεκδοχικῶς *Rhinoceros* appellatur. Videndus *Martial.* epigram. LIII. lib. XIV. cujus inscriptio *Rhinoceros.* Sunt, qui intelligant per *Rhinoceros*, solium sive *labrum* balneare. Alii, ut *Mercurialis*, accipiunt pro scommate, & *naso*, non satis nasute.

131. *Vexat balnea.*) ut satyr. I.
— *Nam vexant limen & ipsi.*

231. *Lutulenta turba*) comitum, quæ ut ait Epigrammatogr. solet
Matutinum ferre patique lutum.
sequebantur enim Reges ad balnea. Idem *Martial.* lib. III. epigram. XXXVI.
Lassus ut in thermas decima vel serius hora
Te sequar. —

132. *Premit longo assere.*) Longa lectica. Sic *Martial.* epigr. XXIII. lib. IX.
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.
Vide *Lips.* Elect. I. cap. XIX.

132. *Medos.*) *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XXV. legit *Mæsos*, quod *Medi* & *Parthi* essent Romanæ servitutis expertes; at ex *Mæsia* lecticarii, ut satyr. IX.
— *Et duo fortes*
De grege Mæsorum, qui me, cervice locata,
Securum jubeant clamoso insistere circo.

134. *Stlataria purpura.*) *Purpurea* vestis, velut piratica & latrocinalis, cujus splendore spoliantur & falluntur venditores divitem censentes, qui eam gestet. *Stlata* enim apud *Agell.* navis est piratica, ut docet *Caper* de Orthographia: *Stlataris sine c litera scribendum est, a stlata rate piratica.* Et ut docet *Turneb.* Adversar. lib. XIX. cap. XXXII. in antiquo lexico scriptum exstat *stlata*, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. Hinc *stlataria purpura*, ut diximus, aut potius *purpura* fallax, & deceptrix, & irridens exponi potest, quod eo vestimento homines decipiuntur. *Stlatarius* etenim in Antiquo Lexico exponitur [illegible].

r:

143. Tegeti

Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes? ideo conducta Paullus agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quam Gallus agebat,
Quam Basilus. RARA in tenui facundia panno.
Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula caussidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.
Declamare doces, o ferrea pectora Vetti;
Cum perimit sævos classis numerosa tyrannos.
Nam quæcunque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Perferet, atque eadem cantabit versibus Isdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.

Scilicet

VET. SCHOL.

143. *Togati Ante pedes.*) *Togati*, nominativus est pluralis: ut sit sensus, An *togati* sint tibi *ante pedes*, qui litigent, qui te consulant.

154. *Crambe repetita.*) Proverbium Δὶς κράμβη θάνατος omnibus tritum, cum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerunt. tractum a nimis frequenti relatione historiæ, sive fabulæ, ab aliquo tum scriptæ.

GRANG.

142. *Decem comites.*) Ita moris fuit, ut qui sella, aut in lectica veherentur, non Principes solum, sed & alii turbam *comitum τῷ φορείῳ παρεπομένων* (ut loquitur *Lucian.*) haberent. *Casaubon.* ad *Sueton.* Tiberii cap. XXX.

144. *Sardonyche.*) Sic *Persius* de Poeta recitante satyr. I.

Et natalitia tandem cum sardonyche. —

Martial. lib. II. epig XXIX de Caussidico:

Rufe vides illum subsellia prima tenentem,
Cujus & hinc lucet Sardonychata manus.

148. *Gallia nutricula caussidicorum.*) Vide, quæ dicam ad illud satyr. XV.

Gallia caussidicos docuit facunda Britannos.

153. *Eadem cantabis versibus Isdem.*) Bene Ille de præceptoribus:

Οἱ αὐτοὶ περὶ τῶν αὐτῶν τοῖς αὐτοῖς τὰ αὐτά.

154. *Occidit miseros.*) Materia declamationum *Tyrannicidium.* Auctor dialogi de Orat. *Sic fit, ut tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in schola quotidie agitur.* &c. Videndus *Seneca Pater* Controvers. VII. *Quintil.* in Declamationibus.

154. *Crambe.*) *Angelus Politian.* Misc. cap. XXXIII *Crambe* legit, refertque ad proverbium δὶς κράμβη θάνατος. At *Scopas* Collectan. II. cap. II. retinet antiquam lectionem *Cambre*, fretus auctoritate libelli Mirabilium Puteolorum, cujus referre verba haud pigebit: *Ad radicem montis Gauri. ab occidente ad orientem accessus, olim vicus fuit*, Cambre *dictus, meridiem respiciens, nunc vetustate consumtus; is locus dictus* Cambre *quasi* Cameræ: *nam locus erat, ubi* Cameræ *& Apothecæ multæ erant. in quibus navium Puteolanarum, & Miseni, Bajanorumque portuum onus suum deportandum per alias regiones Italiæ deponebatur. hic vicus nunc corrupte a circumpositæ regionis hominibus nominis vetusti ignaris* Campana *vocatur*, eo quod Campani, *id est Capuani, a Cumanis ibidem dicuntur esse conflictu superati: ob cujus conflictus memoriam, est historia composita* Cambre *dicta, quæ a magistris in scholis frequentissime dicebatur.* Unde Juvenalis:

Occidit miseros Cambre repetita magistros.

Quidam tamen putant *Cambre* nomen esse regionis Britanniæ Insulæ, quæ vulgo *Zambre* adhuc nominatur.

159. Scilicet

Quis color, & quod ſit cauſſæ genus, atque ubi ſumma
Quæſtio, quæ veniant diverſæ forte ſagittæ,
Noſſe velint omnes, mercedem ſolvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim ſcio? culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico juveni, cujus mihi ſexta
Quaque die miſerum dirus caput Hannibal implet.
Quidquid id eſt, de quo deliberat, an petat Urbem
A Cannis, an poſt nimbos, & fulmina cautus

Cir-

VET. SCHOL.

159. *Scilicet arguitur.*) id eſt, quid magiſter peccat, ſi tu cor non habes?

160. *Arcadico.*) aſino, ac per hoc ſtulto, hebeti.

162. *An petat Urbem.*) Id eſt, deliberativa ejus, quam recitat.

163. *An poſt nimbos, & fulmina.*) Dum a tertio ab Urbe lapide caſtris poſitis, ſulmine territus, eo quod propius accederet.

GRANG.

159. *Læva in parte mamillæ.*) Unde adagium: *Corpus ſine pectore. Fulgentius* II. Mytholog. in fab. Promethei: *In corde aliquanti Philoſophorum dicunt eſſe ſapientiam. Unde Juvenal.* &c.

160. *Arcadico juveni.*) Aſino, ut interpretatur *Vetus Scholiaſt.* quod, ut ait *Varro* lib. II. cap. I. de Re Ruſt. & *Plin.* lib. VIII. cap. XLIII. optimi aſini naſcantur in *Arcadia.* hinc *Plaut.* Aſin. *Meminiſti aſinos Arcadicos.* & *Perſ.* ſatyr. III.

— Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Verum quoniam *Aſinorum* mentio ſubit, nolim *Aſinuli* perulci cujuſdam, qui me olim rudere docuit, hiſtoriam poſteros ignorare, quam ſic epigrammate aliquando delineavimus:

Rudere quidnam eſſet, mihi mas poſcebat Aſellus,
Faſſus ego haud quarum rudere, vah quid, ait,
Nuſquam me, nuſquam tibi patrem audire rudentem
Contigit, an viſa eſt mater Aſella rudens?
Quod faciunt, rudere eſt, unum a me rudere diſces,
Sic me mas Aſinus ſic rudere erudiit.
Poſtea ut ipſe ſui facti mirator Aſellus,
Perpetuo hinc ait hunc hunc rudere erudii,
Et pater hunc docuit rudere, hunc, hunc natus Aſellus
Perpetuo mater rudere dicit idem.
Hinc pater, hinc natus, cum queis hinc mater Aſella
Perpetuo rudunt, perpetuoque ruunt.

Sunt tamen, ut a diverticulo repetatur ſabula, qui *Arcadicum* heic obtuſum, & hebetem dici non tam propter aſinos *Arcadicos*, quam propter ipſos *Arcades* putant. ii enim βεκκεσέληνοι a Poetis Græcis dicti, hoc eſt priſci, rudes & ſtupidi. *Philoſtratus* teſtis, ſic enim ille: *Rudes ſunt Arcades, & ſuibus ſimillimi, tum propter alia multa, tum quod arborum fructibus ut plurimum turgeant.* Hinc *Fulgentius*, *ſenſus Arcadicos* dixit, pro pinguibus, rudibus, & ſubruſticanis. *Scopas* Collectan. XXVII. *Brodæus* Miſcell. lib. IX. cap. XVII. Vide proverbium ἀρκάδιον βλάστημα.

160. *Sexta Quaque die.*) Rhetores declamationibus ſuis certum diem ſoliti aſſignare. *Sueton.* in libello de Illuſtr. Grammaticis verba faciens de M. Antonio Gniphone: *Docuit & rhetoricam: ita ut quotidie præcepta eloquentiæ traderet, declamaret vero nonniſi nundinis.* Notavit hunc ritum *Caſaub.* ad *Sueton.* Tiberii cap. XXXII.

161. *Dirus Hannibal.*) Declamatio de *Annibale*, qui *dirus* appellatur ab *Horatio* II. carm. od. XII.

— Nec dirum Annibalem.

Et od. IV. lib. III. & a *Sidonio* etiam Carm. VII,

— Denique dirum Annibalem. —

162. *An petat urbem.*) Vide epitomen *Flori* lib. XXII.

163. *A Cannis.*) De *Cannenſi* clade *Livius* lib. XII. *Polyb.* lib. V. *Plin.* lib. XV. cap. XVIII. *Valer. Max.* pluribus locis.

163. *An poſt nimbos, & fulmina.*) *Sidon. Apollin.* Carm. VII. verſu CXXIX.

— Si deni que dirum
Annibalem juncto terræ cœlique tumultu

Dd Reppu-

Circumagat madidas a tempestate cohorteis.
Quamtum vis stipulare, & protinus accipe, quod do,
Ut totiens illum pater audiat. hæc alii sex,
Vel plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant liteis, raptore relicto,
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus;
Et quæ jam veteres sanant mortaria cœcos.
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, & vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit

Fru-

Reppulimus: cum castra tuis jam proxima muris
Starent, Collina fulmen pro turre cucurrit,
Atque illic iterum timuit Natura paventem
Post Phlegram pugnare Jovem. —

Legendus *Livius* lib. XXVI.

VET. SCHOL.

164. *Circumagat.*) Retroducat ad Africam.

165. *Quantum vis stipulare.*) Proroga, quantum tibi dem.

167. *Vel plures.*) Omnes scilicet professores.

168. *Et veras agitent lites.*) Cum mercedes reposcunt. alii exponunt, transeundo ad caussas, relictis controversiis scholasticis.

168. *Raptore relicto, Fusa venena.*) Themata, quæ in auditoriis recitantur deliberativarum & controversiarum, ut, *si uxor venenum triverit, maritus recipiat oculos*, &c.

172. *Diversum iter.*) Alia qualibet.

173. *Qui rhetorica descendit ab umbra.*) Esse * nam Academiam sectam, quæ rhetoricam in se continens militiam.

174. *Summula.*) Ne annonam perdat. *Symola* medium significat gradilis panis.

GRANG.

166. *Pater audiat.*) Solebant enim Patres nonnunquam venire ad ludum, si aliquando filii declamarent. *Pers.* satyr. III.

Quæ pater adductis sudans audiret amicis.

Quintilian. lib. XI. cap. VII. & lib. X. cap. V. *Statius* in Epicedio patris.

168. *Raptore relicto.*) Vide *Senecam patrem*, & *Quintilian.* Declamatorem, apud quos *raptor* frequens declamationis argumentum.

169. *Fusa venena silent.*) Argumentum XVIII. Controversiæ apud *Senecam*: *Ter abdicatus, ter absolutus deprehensus a patre in secreta domus parte, medicamentum terens, interrogatus, quid esset? dixit venenum, & velle mori, & effudit, accusatur parricidio. Fusa* ergo *venena silent*, hoc est, declamatio de *veneno fuso.*

170. *Mortaria.*) hoc est, medicamenta in *mortario* trita a filio, ut oculis patris mederetur, quæ *venena* esse dixit noverca, cui fidem adhibens pater tabulas mutavit.

171. *Sibi dabit ipse rudem.*) Vide proverbium: *Rudem accipere.* de *Rude* autem satyr. VI.

172. *Vitæ diversum iter.*) Id natum ex litera Pythagoræ. *Horat.* epist. XVIII. lib. I.

Aut secretum iter, & fallentis semita vitæ.

Persius satyr. V.

Cumque iter ambiguum, & vitæ nescius error.

173. *Ad pugnam rhetorica descendit ab umbra.*) *Seneca pater* præfatione lib. III. Controvers. *Indicabo tibi affectum meum: cum in foro dico, aliquid ago; cum declamo, id quod bellissime Censorinus ajebat de iis, qui honores in comitiis ambitiose peterent, videor mihi in somnis laborare. Deinde res ipsa diversa est. Totum aliud est pugnare, aliud ventilare. Hoc ita semper arbitratum est, scholam quasi ludum esse, forum harenam. Agedum, produc istos declamatores in Senatum, in forum, cum loco mutabuntur, velut assueta classi, & dilecta umbræ corpora sub dio stare non possunt, non imbrem ferre, non Solem sciunt, vix se inveniunt.*

174. *Summula ne pereat.*) Ne si diutius rhetorem agat, eo mendicitatis veniat, ut etiam consumat *summulas*, quas ex tesseris frumentariis colligit, quæ in singulos menses popello & tenuioris fortunæ hominibus distribuebantur; eas autem cum recepissent a curatoribus, ire licebat ad horrea publica petitum frumentum

Frumenti. quippe hæc merces lautiſſima. tenta,
Chryſogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros, artem ſcindens Theodori.
Balnea ſexcentis, & pluris porticus, in qua
Geſtetur Dominus, quoties pluit. anne ſerenum
Exſpectet, ſpargatque luto jumenta recenti?
Heic potius: namque heic mundæ nitet ungula mulæ.
Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.
Quanticunque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condit.

Ut

mentum; aut ſi non opus eo, Teſſeras vendere. *Lipſ.* I. Elect. cap. VIII.

VET. SCHOL.

176. *Chryſogonus quanti doceat.*) Per diverſos vadunt magiſtros, ubi vilius poſſint ſtudere, tentantes.

177. *Artem ſcindens.*) Dividens.

178. *Balnea ſexcentis.*) *Balneas & porticus* ædificant, ubi geſtentur, ne eos pluvia contingat; mercedem pro filiis ſuis dare non poſſunt.

183. *Et algentem rapiat cœnatio.*) Solaria in ſuperioribus hiemalia, marmoribus & columnis ornata.

184. *Qui fercula docte.*) Structurus, ut cocus.

GRANG.

175. *Merces lautiſſima.*) *Merces* proprie ſalarium Præceptorum. *Auſon.* de Exuperio rhetore Tholoſano:

— *Tum pueri grandi mercede docendi.*

Sid. lib. III. epiſt. VII. Illæ autem *mercedes* ſolvebantur menſe Martio. *Macrob.* lib. I. Saturn. cap. XII.

176. *Quanti doceat.*) Hinc ejus artem *pecunioſam* vocat *Martialis*, lib. V. epig. LVII. & Epigr. IV. lib. III. *Sueton.* in Veſpaſiano, cap XIX.

177. *Scindens.*) Irridens, lacerans. *Ovid.* lib. de Ponto:

Ergo ſummotum patria proſcindere livor
Deſine. —

177. *Artem Theodori.*) Rhetoricam. *Theodorus* enim Gadareus, ſive, ut volebat, Rhodius, erat rhetor ingenio celebris, a quo ſecta *Theodoreorum* dicta. Hic habuit Tiberium Imperatorem diſcipulum. de eo *Strabo* lib. XVI. *Fab.* lib. I. cap. XII. & lib. III. cap. I. *Sueton.* in Tiberio cap. LVII. *Tacit.* de Cauſſ. cor. Eloq. *Fortunatianus* Rhetorices Scholaſticæ lib I. & III. *Lucian.* in Macrobiis.

178. *Balnea.*) De *balneorum* luxuria, *Seneca* epiſt. XXCVI.

178. *Porticus.*) De ejusmodi immenſis *porticibus* *Plin.* lib. IV. epiſt. II. *Tenet ſe trans Tiberim in hortis; in quibus latiſſimum ſolum porticibus immenſis ripam fluminis ſtatuis ſuis occupavit.* In iis autem *porticibus* vehi ſolitos Romanos Reges docet *Martial.* epigr. XIII. lib. I.

180. *Spargat luto.*) *Horat.* Epiſt. lib. I. epiſt. XI.

— *Qui Capua Romam petit imbre lutoque*
Aſperſus. —

183. *Algentem rapiat cœnatio Solem.*) Triclinium hybernum. Luxurioſis hominibus Romanis *triclinia* pro tempore diverſa, ut docet *Varro.* IV. de ling. Lat. *Plin.* II. Epiſt. *Columel.* in deſcriptione villæ. Mos ex Aſia, cujus & mentio III. *Judicum*, qui & ad ipſos Hebræos fluxit. Hinc *Amos* III. *Percutiam domum hyemalem cum domo æſtiva, & peribunt domus eburneæ & diſſipabuntur ædes multæ.* *Caſaubon.* ad *Sueton.* Augusti cap. LXXII.

184. *Fercula docte Componat.*) Structor, de quo vide, quæ dixi ſupra. *Apul.* dixit *fercula ſcitule adminiſtrata.* *Catullus:*

— *Multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.*

185. *Veniet*) coquus e foro, iſque magno conductus. Vide *Douzam* ad *Plautum* lib. III. cap. XXIII.

185. *Pulmentaria*) Pro quocunque obſonio. *Seneca* epiſt. XXCVII. *Illæ* (caricæ) *ſi panem habeo, pro pulmentario ſunt.* *Horat.* Serm. II. ſatyr. II.

— *Tu pulmentaria quære*
Sudando. —

Perſius ſatyr. III.

Uncta cadant laxis tot pulmentaria labris.

Originatio a *pultibus*, quibus veteres Romanos uſos fuiſſe pro omni obſonii genere, alicubi dixiſſe memini;

Dd 2 188. *Unde*

Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient: res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? exempla novorum
Fatorum transi: felix, & pulcer, & acer:
Felix, & sapiens, & nobilis, & generosus
Adpositam nigræ Lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, & jaculator.
Et si perfrixit, cantat bene. distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem

Edere

VET. SCHOL.

188. *Unde igitur tot Quintilianus.*) Anthypophora. Unde tantum possidet *Quintilianus*, si parum accepit?

189. *Exempla novorum Fatorum.*) Contingit, ut unus sit fato felix, Rhetor, vel orator.

192. *Adpositam nigræ Lunam subtexit alutæ.*) Patricius Senator est. *Lunula* nam adsuta calceis discernuntur Patricii a noviciis.

194. *Et si perfrixit.*) Infrigidatus fuit.

GRANG.

187. *Duo sestertia sufficient.*) Locus is sumtus ex Cratetis Thebani ephemeride, apud *Laert.* in ejus vita: Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκα, ἰατρῷ δραχμήν, κόλακι τάλαντα δέκα, συμβούλῳ καπνόν, πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον. *Ponito coquo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta decem, consiliario fumum, meretrici talentum, Philosopho triobolum.*

189. *Quintilianus*) Calagurritanus, ut testatur *Ausonius*:

Adferat usque licet Fabium Calagurris alumnum.

D. Hieron. in Chronico. Hic primus, ex *Cassiodoro* in Chronico, Romæ publicam scholam aperuit, & salarium e fisco accepit.

189. *Exempla novorum Fatorum.*) *Nova fata* Latini dicebant, cum magna quædam, & prope inusitata inauditaque & insolita felicitas alicui evenerat. *Drepanus Pacatus* in Panegyrico: *Nullam majorem principum felicitatem esse crediderim quam fecisse felicem, & intercessisse inopiæ, & fortunam vicisse & dedisse homini novum fatum.* *Turneb.* lib. XXVII. cap. II. Advers.

190. *Et acer.*) *Sidon.* lib. V. epist. X. *Ne videar tibi sub hoc quasi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quippiam, gratificatusque solam tibi acrimoniam Quintiliani, pompamque Palladii comparare non ambigo, sed potius acquiesco.*

192. *Subtexit Lunam nigræ alutæ.*) Calceorum Romanis genus duplex, *lunatum*, & purum: *Lunati* calcei dicti, quibus fibula in malleolo pedis eburnea, specie *lunæ*. quamque fibulam heic *Juvenal.* *Lunam* appellat. hos *lunatos* calceos non cuilibet, sed solis patriciis & nobilibus gerendi licentia. *Plutarch.* Quæst. Rom. quæst. LXXVI. hinc illud *Philostrati* II. Sophist. μηνοειδὲς ἐπισφύριον σύμβολον εὐγενείας. *Lunati calcei nobilitatis symbola.* hinc jocus in novos nobiles, & parœmia: Σὺ τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις. *Tua nobilitas in astragalis sita est.* De qua *Junius* in Proverbiis. quidam tamen non tam *lunam*, quam literam C numeri notam fuisse volunt, quod *Centum* primitus Senatores essent.

192. *Nigræ alutæ.*) Quomodo *lunam subtexit alutæ*, si patriciorum calcei *mullei* essent, hoc est, rubri? Distinguit *Marcil.* obliviis suis ad *Persium*, eis scilicet, qui magistratus curules gessissent, calceos puniceos, & *lunatos* fuisse, ceteris patriciis *lunatos* & *nigros*. Itane *Marcili*? ergo & *Quintiliano* rubri debent esse calcei, qui, ut nonnulli volunt, Consul fuit; aut saltem, nec renuere potes, Consularia ornamenta sortitus: scis de ex Panegyr. *Auson.* ad Gratianum.

193. *Jaculator.*) Argumentator, ut satyr. VI.

— Et curtum sermone rotato
Torqueat enthymema. —

Seneca in Epistolis: *Eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur.*

194. *Si perfrixit.*) Quamvis frigore raucus factus sit. id uno verbo *perfrigere* dicebant: hinc *Martial.* lib. III. epigr. XVIII.

Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces,
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

Ne autem *perfrigerent*, adhibere soliti faucalia. *Theodor. Marcil.* ad I. *Persii.*

295. *Sidera te excipiant.*) Ut satyr. IX.

— Nam si tibi sidera cessant.

Et

Pag. 282.





Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore consul;
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor,
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis Fata triumphum.
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ,

Sicut

Et satyr. XVI.

— Plus etenim fati valet hora benigni.

195. *Excipiant.*) quo modo Patres. *Statius:*

— Meus ille meus, tellure cadentem
Excepi. —

195. *Primos Edere vagitus.*) *Plin.* procemio lib. VII. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abjicit* (natura) *ad vagitus statim & ploratum.*

VET. SCHOL.

196. *A matre rubentem.*) Mox ut natus fuerit.

199. *Ventidius quid enim?*) *Ventidius* ex mulione Cæsaris Dictatoris, fuit, ut *Tullius* in Epistolis, & in Philippicis loquitur, opitulante Antonio & Augusto usque eo provectus ut Ei crederetur Parthicum bellum.

199. *Ventidius.*) Is captivus in urbem perductus postea triumphavit.

201. *Servis regna dabunt, captivis fata triumphum.*) *Servium Tullium*, & *Ventidium* significat.

202. *Felix ille tamen*) Quintilianus.

GRANG.

196. *Adhuc a matre rubentem.*) Adhuc recens natum, maternoque sanguine rubentem pollutumque. *Hippocrates περὶ φύσιος παιδίου.* Unde infantes apud Jurisconsultos *sanguinolenti* dicuntur. *l.* II. *Cod. de patribus qui filios dist. & l.* I. *Cod. Theod. de exposit. puerorum, lib.* V. *tit.* VII. *Capitolinus* in Albino: *Exemtus utero, quod contra consuetudinem puerorum, qui nascuntur & solent rubere, esset candidus. Albus* dictus hinc, ut aliquando me monuit meus *Philippus Girardus*, patronus apud Vindocinenses meritissimus, & Studiosorum, ut studiorum, juxta amantissimus. Lutetiæ Parisiorum dicti *les enfan. rouges*, non tam, quod vestibus rubris induantur, quam quod adhuc a matre rubentes ipsis in vicis exponantur, & excipiantur.

197. *Si Fortuna volet.*) Is est locus, ex quo conjiciunt *Quintilianum* fuisse *Consulem*; tamen, ut ait *Turneb.* Advers. lib. XXII. cap. XXII. cum id apertum non sit, malim, quod *Auson.* scribit, existimare donata ei fuisse Consularia ornamenta. Hunc autem *Juvenalis* locum late explanat *Salisberiensis* lib. III. cap. VIII. Et *Valerius Licinius* in Epistolis apud *Plin.* epistola, quæ est apud *Minutian. Quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex Senatoribus professores, ex professoribus Senatores.*

199. *Ventidius quid enim?*) Is est *Publ. Ventidius Bassus* humili loco natus, qui cum victum sibi sordide parasset, tandem Consul Rom. factus est. qua de re ejusmodi versiculi per vicos Urbis propositi:

Concurrite omnes augures, aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

199. *Quid Tullius.*) Servius? Cave autem de *Cicer.* intelligas, nam sequentia pugnant.

201. *Servis regna dabunt.*) Ut *Tullio Servio*, de quo *Florus* lib. I *Valer. Max.* reliqui.

201. *Captivis.*) *Ventidio Basso*, qui a Pompejo Strabone, Pompeji magni patre, bello sociali, quo Æsulanos subegit, *captus* una cum matre, atque una cum ceteris *captivis* puer ante currum ductus.

201. *Triumphos.*) Hic etenim *Ventidius* a M. Antonio provinciis Orientalibus præpositus Parthos tribus fudit præliis, primusque omnium de Parthis *triumphavit. Gell.* lib. XV. cap. IV. *Plutarch.* in Antonio. *Appian.* in Parthico. *Valer. Max.* lib. VI. cap. X. Itaque, qui *captivus* carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate celebravit.

202. *Corvo rarior albo.*) Supra:

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.

Vide proverbium *alba avis.*

203. *Pœnituit multos.*) Ut *Orbilium Puppilium*, qui jam persenex pauperem se, & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur. Ut *Pompilium Andronicum*, qui adeo egenus fuit & inops, ut opusculum Annalium vendere coactus sit. Ut *Valer. Catonem*, qui vixit ad extre-

Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis; & Hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.
DI majorum umbris tenuem, & sine pondere terram,
Spiranteisque crocos, & in urna perpetuum ver,

Qui

extremam senectutem, sed in summa pauperie, & pene inopia abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut est auctor *Eibaculus* apud *Sueton.* de Illustr. Grammat.

203. *Sterilisque cathedræ.*) Sic *Martialis*:

Illic æra sonant, at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Plin. epist. XXI. lib. VIII.

VET. SCHOL.

204. *Sicut Thrasymachi*) Rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit.

206. *Nil præter gelidas.*) *Socrates* veneno periit, cum fugeret paupertatem.

206. *Gelidas.*) Mortiferas. Mors enim frigida est.

208. *Spiranteisque crocos.*) Notandum, quia masculino genere dicit *Crocum*, ut *Virgilius*:

— *Croceumque rubentem.*

Sallustius dicit neutro: *In qua crocum gignitur.*

GRANG.

204. *Exitus Thramasychi.*) Alii legunt *Lysimachi.* Vetus Scholiast. *Thrasymachi* legit, quem *Sophistam* fuisse dicit, & Athenis præ inopia suspendio periisse.

204. *Secundi Carrinatis.*) Rhetoris a Cajo in exilium missi, quia contra Tyrannos declamaverat, ut docet *Dio.* de quo fortasse *Tacit.* XV. Annal. judicio *Justi Lipsii* eo loci.

205. *Hunc inopem*) *Socratem*, quem inter rhetoras non frustra reposuit. Nam & Ipsemet aliquando docuit rhetoricam, ut videre est apud *Laert.* in Ejus vita, ubi & plura de Ejus paupertate.

206. *Nil præter gelidas.*) Ipse satyr. XIII.

— *Dulcique senex vicinus Hymetto,*
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. —

De ejus morte *Seneca* pluribus locis. *Laert.* loco dicto. *Pers.* satyr. IV. *Gell.* lib. XVII. cap. XXI.

206. *Cicutas.*) *Cicuta* enim est Atheniensium pœna invisa. *Plin.* lib. XXV. cap. XII. *Val.* cap. VI. lib. II.

206. *Gelidas cicutas.*) Semini, & foliis *cicutæ* refrigeratoria vis, quæ si enecat, algere incipiunt ab extremitatibus corporis. Remedio est, priusquam perveniatur ad vitalia, vini natura excalfactoria. Idem *Plin.* eod. *Dioscorides*: *Inter lethalia connumeratur cicuta sua frigiditate enecans: remedio est meraci vini potus.*

207. *Majorum umbris.*) i. Sepulcris. quia in sepulcretis arbores, quæ *umbram* facerent. *Propert.* lib. II. eleg. XIII.

Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat exstincti funeris umbra locum.

207. *Tenuem & sine pondere terram.*) Solemnis veterum precandi formula toties Auctoribus recantata: *Sit tibi terra levis.* Hinc illæ sepulcrales literæ: S. T. T. L. Ut Græcis κούφη γῆ τοῦτον καλύπτοι. a quibus mutuati sunt Romani. *Raderus* putat tum Græcos tum Latinos hac precatione usos, quod putarent mortuos incantationibus obnoxios, ideoque hac precatione ipsis caveri. Verius est dicere, illos credidisse, in ipsis sepulcris mortuorum animas una cum corporibus aliquantulum residere, ipsaque mole ponderis affici; Unde inimicorum exsecrationes: *Sit tibi terra gravis. Urgeat ossa lapis. Duriter ossa cubent.* & similia. *Tertull.* lib. de Testimon. Animæ, ostendit hanc precationem, quæ fieri videbatur corpori, plane referri ab ipsis ad animam: *Animæ*, inquit, *ossibus, & cineribus ejus refrigerium comprecaris, &, ut bene requiescat apud inferos, cupis.* hinc illud *Virg.*

— *Placida compositi pace quiescant.*

Legendus *Tibull.* eleg. IV. lib. II. *Seneca* ad Marciam cap. III. quæ omnia ex *Sacris Paginis* III. Reg. cap. II. *David autem, & semini ejus, & domui, & throno illius sit pax, usque in æternum a Domino.*

207. *Sine pondere terram.*) *Propert.* eleg. XVII. lib. I.

Et mihi non ullo pondere terra foret.

Ovidius:

Et sit humus cineri non onerosa tuo.

208. *Spiranteisque crocos.*) Tangit ritum cineres & ossa odoribus miscendi, cujus meminit *Tibull.* eleg. II. lib. III.

208. *In urna perpetuum ver.*) Sic *Pers.* satyr. I.

— *Nunc non e Manibus illis,*
Nunc non e tumulo, fortunataque favilla
Nascentur violæ. —

Ad quem locum *Casaubon.* notat, Veteres, quorum felicitatem plusquam humanam videri volebant, dixisse

de

Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri?
Sed Rufum, atque alios cædit sua quæque juventus:
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Celadi, doctique Palæmonis adfert,
Quantum grammaticus meruit labor? & tamen ex hoc,
Quodcunque est (minus est autem, quam rhetoris æra)
Discipuli custos præmordet Acœnonætus,

Et,

de vivis, ex eorum vestigiis flores nasci, mortuis terram ipsam sponte sua in illorum honorem flores producere; hinc *ver* optabant *perpetuum* tumulis, eoque frui perpetuo Manes bonorum credebant. Ex ipsis autem figmentis, credit iis, qui vitas Sanctorum scripserunt, occasionem datam fuisse, ut dicerent, ex eorum tumulis manna exiisse, aut violas erupisse.

VET. SCHOL.

212. *Citharœdi cauda magistri.*) Chironis.

213. *Sed Rufum.*) qui Gallus fuit, & valde disertus.

214. *Allobroga dixit.*) Allobrogem e Gallia.

218. *Discipuli custos præmordet Acœnonætus.*) Eunuchus pædagogus, aut communi carens sensu. proprium papatis.

GRANG.

209. *Præceptorem parentis Esse loco.*) Sic *D. Paul.* se *patrem* appellat, discipulos vero suos, *filios*, ad *Gal.* IV. Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* *Quintil.* lib. II. cap. II. & cap. X. *Discipulos id unum interim moneo, ut præceptores suos non minus, quam ipsa studia ament, & parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant.*

210. *Jam grandis Achilles*) corpore, non annis: quippe qui novem vix natus annos secessit ad Lycomedem regem Scyros. *Stat.* I. Achill.

210. *Metuens virgæ.*) *Ovid.* I. de Arte:

Verberibus jussas præbuit ille manus.

Et:

Creditur annosum pertimuisse senem.

211. *Patriis in montibus.*) In antro Peliaco. *Sidon. Apoll.* carm. IX.

Quorum hic Peliaco putatur antro,
Venatu, fidibus, palæstra, & herbis
Sub Saturnigena sene institutus.

212. *Cauda magistri.*) *Chironis* Centauri biformis. *Sidon.* carm. I.

Hos inter Chiron ad plectra sonantia saltans
Flexit inepta sui membra facetus equi.

212. *Citharœdi.*) Inter cetera docuit Achillem *citharæ* artem. *Sidonius* supra:

Venatu, fidibus, palæstra, & herbis.

Ovid. I. de Arte:

Philyrides puerum cithara perfecit Achillem.

Nam *Chiron* Philyræ & Saturni filius. *Apoll.* II. Argonaut. *Hygin.* fab. CXXXVIII.

213. *Cædit juventus.*) Vetus querimonia præceptorum, ut Lydi apud *Plaut.* sc. Jamdudum:

Video nimio jam multo plusquam volueram,
Vixisse nimio jam multo satius est, quam vivere,
Magistron' quenquam discipulum minitarier?
Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis,
Valens afflictat me vacivum virium.

Cui Pistoclerus:

Etiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

Id evenit puto, quod, ut ait *Prudentius* in passione Cassiani Martyris a discipulorum turba stylis confossi,

Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis ulli disciplina infantiæ est.

215. *Rufum*) Rhetorem: forte *Q. Curtium Rufum*, cujus nomen in rhetorum epilogo tantum exstat.

214. *Ciceronem Allobroga dixit.*) Satis constat, ait Auctor de Claris Oratorib. nec *Ciceroni* quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus, & tumens, nec satis pressus, supra modum exsultans, & superfluus, & parum antiquus videretur.

214. *Allobroga.*) *Allobrogice* potius, quam Latine loquentem. Vel potius Catilinæ lusionem tangit, de qua fuse *Sallust.*

218. *Custos Discipuli.*) Distincti Pædagogi a Præceptoribus

Et, qui dispensat, frangit sibi. cede Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere : non aliter, quam
Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci :
Dum modo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro :
Dum modo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset
Flaccus, & hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni

Non

ptoribus : hi artes & scientias docebant ; illi nihil, nisi asseclæ erant, & ut puerorum progressus, actiones, mores observarent, aut formarent.

218. *Acœnonœtus.*) Nomen fictitium Pædagogi. Ἀκοινώνητος Græcis est exacte verum rectumque persequens : vel, qui nihil habet cum alio commune : aut, cujus alter particeps non est : hic enim pædagogus partitur alterius mercedem, at nemo cum illo.

VET. SCHOL.

219. *Et qui dispensat.*) Et, qui erogat, de eadem sorte tollit sibi.

221. *Institor hibernæ tegetis.*) Negotiator, qui pro qualitate temporis mercem suam distrahit. Sic *Terentius* :

Scisti uti foro.

221. *Niveique cadurci.*) *Cadurcum* quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes & nives comparatum ; alii tabernaculum, aut tentorium dixere, quibus merces suas protegere consueverunt. *Hibernæ* autem *tegetis*, est ædifici frigidi. *Virgilius* :

Qualis ob hibernam Lyciam. —

223. *Nemo faber*) ferrarius.

224. *Qui docet obliquo.*) Aut lanarius.

225. *Olfecisse lucernas.*) Cum quibus nocte veniunt ad Grammaticos, ut lectiones accipiant.

227. *Flaccus, & hæreret.*) Codex *Horatii* & *Virgilii*, in quibus legebant. quia & *Horatius* & *Virgilius* *nigri* coloris dicuntur fuisse, ideo diasyrtice dixit detrahendo.

GRANG.

221. *Institor.*) Qui merces vendit, emitve, qui tabernis præpositus, ἐργαστηριάρχης : ita dictus, quod negotio gerendo instet. *Ulpian. l. Institor. D. de institoria actione.*

221. *Nivei cadurci.*) Vide, quæ diximus ad illud VI.

Magna debetur violato pœna cadurco.

222. *Mediæ quod noctis ab hora.*) *Martial.* lib. IX. epig. LXX. & lib. XII. epig. LVII.

— *Negant vitam*
Ludimagistri mane. —

223. *Sedisti.*) *Sedebant* doctores discipulis stantibus. *Prudent.* in passione Cassiani Martyris :

Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo
Septus magister literarum sederat.

224. *Qui docet obliquo.*) i. Carminator. *Obliquum* autem illud *ferrum* vocatur *carmen*, *Plauto* Menæch. unde & *carminare lanam*, quod Græci ξαίνειν.

226. *Quot stabant pueri.*) *Prudent.* in histor. Cassiani Martyris :

Reddimus ecce tibi jam millia multa notarum,
Quæ stando flendo, te docente, excepimus.

228. *Cognitione Tribuni Non egeat.*) Ut iste locus intelligatur, sciendum ex *Halicarnas.* lege Romuli Senatores tantum Romæ judicasse primis Reip. temporibus : postea Caji Gracchi rogatione promulgata additos Equites. *Plutarch.* in Graccho, *Vellejus Patercul.* & *Varro* apud *Nonium*, *Florus* epitome LX. Sunt tamen, qui dicunt hac L. Sempronia judicia ad solos Equites translata fuisse, ut *App.* lib. 1. de Bello civili, *Ascon.* in Divinat. *Tacit.* XII. Annal. Deinde Servilia lege mixtos Senatoribus Equites. Quidquid sit, successione temporis a Lucio Cotta prætore, lex lata fuit, qua superadjuncti Tribuni ærarii. *Ascon.* in orat. Cicer. quæ est in Pisonem, & pro Cornelio : imo iis judicibus species quarta addita ab Augusto, qui *Judices ducenarii* appellati. *Sueton.* Augusti cap. XXXII. Senatores autem de maximis caussis judicabant, Equites de mediis, Tribuni ærarii de minoribus, Ducenarii de minimis. Igitur, cum vellet ostendere *Juvenalis* minimam referri pro didactro mercedulam, eamque non sine Judicis *cognitione* recuperari, non Senatorem, non Equitem, sed *Tribunum ærarium* nominavit, utpote, qui de mini-

mis

Non egeat. sed Vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet,
Ut legat historias, auctores noverit omneis,
Tanquam ungueis, digitosque suos, ut forte rogatus
Dum petit aut thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ: nomen, patriamque novercæ
Archemori: dicat, quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas?
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,

Ut

mis *cognosceret.* Dices *Juvenalem* debuisse nominare *Ducenarium.* Respondeo sublatos fuisse hos *Ducenarios*, quemadmodum & fuerant semoti a Judiciis Tribuni ærarii a Jul. Cæsare, *Sueton.* in Julio cap. XLI. restituti ab Augusto, *Sueton.* Augusti cap. XXXII. Isti *Tribuni ærarii* e plebe infima, ut claret ex *Dione.* Neque putes *ærarios* dictos, quod exigerent pecunias *ærarii* publici, ut quidam fallunt; id enim munus quæstorum fuit; sed quod minores caussas, præsertim *ærarias*, sive mavis *pecuniarias* cognoscerent. Hinc jocus *Cicer.* parum intellectus, dum appellat illos non tam *ærarios*, quam *æratos.*

VET. SCHOL.

229. *Sed vos.*) Raræ sine lite magistris redduntur mercedes. sed enim vos, o Tribuni, duras conditiones magistris imponite, ut & sine vitio loquantur, & omnes historias & poetas teneant, & ut, quacunque sit hora, etiam de rebus exiguis & impossibilibus statim respondeant.

233. *Aut Phœbi ad balnea.*) Privatæ balneæ, quæ *Dafnes* appellantur.

234. *Nutricem Anchisæ.*) Tisiphone.

GRANG.

231. *Verborum regula constet Et sciat historias.*) *Seneca* epist. LXXXVIII. *Grammaticus circa curam sermonis versatur, &, si latius evagari vult, circa historias. Quintil.* cap. XIV. lib. I. Instit. *Et finitæ quidem sunt partes duæ, quas hæc professio pollicetur, id est ratio loquendi, & enarratio Auctorum; quarum illam methodicen, hanc historicen vocant.*

232. *Tanquam ungues.*) Quod inter proverbia relatum.

233. *Thermæ.*) *Balnea*, & *thermæ* differunt. in *thermis* enim proprie sudabatur; in *balneis* lavabatur: hinc *thermæ* a calore dictæ.

233. *Balnea Phœbi.*) De *balneis* nobilissimis, Romæque celebratissimis vide *Philandrum* ad *Vitruvium* lib. V. cap. X.

234. *Nutricem Anchisæ.*) Has, & similes quæstiones, ut inutiles rejicit *Seneca* epist. LXXXVIII. *Hoc quidem me quærere, utrum major ætate fuerit Homerus, an Hesiodus? non magis ad rem pertinet, quam scire an minor Hecuba fuerit, quam Helena; & quare tam male tulerit ætatem?* Simileque argumentum est epist. CVIII. & lib. de Brevit. Vitæ, cap. XVIII. *Sueton.* in Tiberio cap. LXX. *Maxime curavit notitiam historiæ fabularis, usque ad ineptias & derisum: Nam & Grammaticos ejusmodi fere quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ? Quod Achilli nomen inter virgines fuisset? Quid Sirenes cantare solitæ? Quintil.* lib. I. cap. VIII.

234. *Novercæ Anchemoli.*) Id ex X. Æneid.

Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.

Ubi *Servius*: Hæc fabula nusquam invenitur in Auctoribus. *Avienus* autem, qui totum *Virg.* & *Livium* Jambicis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus ergo Marzubiorum rex fuit in Italia, qui *Anchemolo* filio Casperiam superduxit *novercam*, hanc privignus stupravit; quo cognito, cum eum pater persequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Turnum contulit.

235. *Quot Acestes vixerit annos?*) quod *Virg.* dixerit V. Æneid

— *Hoc ævi maturus Acestes.*

236. *Donaverit vini urnas.*) Ex illo I. Æneid.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Littore Trinacrio. —

237. *Ceu pollice ducat.*) Pers. satyr. V.

Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

Statius I. Achil.

Qualiter artifici victuræ pollice ceræ,
Accipiunt formas. —

Vide proverbium: *manu fingere.*

Ex 240. Ne

Ut si quis cera vultum facit : exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. non est leve tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementeis.
Hæc, inquit, cura, sed cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

STem-

VET. SCHOL.

240. *Ne faciant vicibus.*) Ne se corrumpant.

241. *Observare manus.*) Ne præputia ducant.

242. *Et cum se verterit annus.*) Hæc exposcunt a magistris, & post omnia in annum unum solidum accipient.

243. *Victori populus.*) Ut in theatro solent petere quinque aureos. Nam non licebat amplius dare.

GRANG.

239. *Pater illius cœtus.*) Ut supra:

Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. —

239. *Ne turpia ludant.*) Quid hic *ludere* sit, disce ex illo *Martial.* lib. IX. epig. XXVI.

Ludere Mercurio cum Ganymede licet.

Sic *Petron.* Satyrico. *Discussis fortissime claustris invenit me cum fratre ludentem. Seneca pater* III. Controvers. *Omnes infamaverunt raptæ patrem, quasi cum raptore colludentem.*

240. *Ne faciant.*) Et *facere* inter obscœna. *Petronius: Qui ne tum quidem, cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti.*

240. *Vicibus.*) Ut satyr. VI.

— *Inque vices equitant.*

240. *Tot puerorum Observare manus.*) Hinc in obscœno carm. & apud *Martialem* lib. IX. epigram. XLII.

— *Fiet amica manus.*

Sed, o tenera ætas:

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens,
Quantum vix animo concipis ipsa tuo.

241. *Oculosque in fine trementeis.*) Ovidius:

Accipies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut sol in liquida sæpe refulget aqua.

Vide *Douzam* Præcidan. ad *Arbitrum* lib. III. cap. VII. *Apul.* in Asino: *Oculos udos ac tremulos, ac prona libidine marcidos, jam jamque semiadopertulos, admissis & sorbillantibus suaviis sitienter hauriebam. Durantius* tamen *Casellius* Variar. lib. I. cap. IX. legit *patrantes.* Quod *Persius* dixerit:

— *Patranti fractus ocello.*

242. *Et cum se verterit annus.*) Eo finito anno. Nam, ut ait *Vitruvius* lib. IX. cum Sol redit ad signum, unde cœperit, perficit spatium *vertentis anni.* Finiebantur autem mense Martio, eoque mense, ut jam diximus, mercedes exsolvebant Magistris.

242. *Accipe, victori populus quod postulat, aurum.*) Ironicῶs. Mens etenim *Poetæ* irridendi, & subsannandi Romanos, qui gladiatoribus in Amphitheatro, aut aurigis, imo ipsis equis in Circo victoribus magnam pecuniarum summam conferre solerent; præceptoribus vero, qui eorum liberos erudirent, nihil, aut fere nihil, ita ut illud e tripode:

— *Res nulla minoris*
Constabit patri, quam filius. —

Nam, quæ alii interpretes, & *Alciatus*; Ædepol, liræ, liræ, & gerræ Germanæ!

243. *Postulat, aurum.*) Τὸ *postulat* est idem, ac *præbet*, ut videre est apud *Capitolinum* in Vero Imperatore, & *Lactant.* Epitomes libri Acephali cap. VI. *Ergo & his gladiatorum sceleribus non minus cruore perfunditur, qui spectat, quam ille, qui facit; nec potest esse immunis a sanguine, qui voluit effundi, aut videri non interfuisse, qui interfectori favet, & præmium postulavit.* Super quod verbum consulens V. C. *Federicum Morellum* Professorem & interpretem Regium, sic rescripsit.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS
SATYRA VIII.

NOBILITAS PROPRIA EST VIRTUS, NON ACTA PARENTUM.

SYNOPSIS. *In nobiles invehit, quorum stemmata nil prodesse ostendit, si vita labat, cum nobilitas in sola virtute consistat; ideoque nomine praeclaro tantum insignes, nobiles non existimandos, siquidem nani, Atlantes; Aethiopes, cycni; pigri, & scabie vetusta laevi canes, tigridis, leonis, pardi nomine appellitentur. Nihilominus tamen, quamvis nil ipsimet fecerint, propter quod eos potius conciperet, quae sanguine fulget Juli; quam quae ventoso conducta sub aggere texit, sintque prorsus ignari, & Hermarum truncis quam simillimi, unumquenque e plebe armis industrium & divitis indocti caussas defendentem pro nihilo habent: quasi sibi, propter majorum gloriam omnia jure vindicantes. Secus quam fuis in equis, qui, si segnipedes quantumvis velocibus parentibus orti, protinus exiguo precio Dominos mutare jubentur sine ullo respectu, nullaque majorum gratia. Quare ipsos admonet, quoniam miserum est alienae incumbere famae, ut ipsimet aliquid futurae laudis agant: inprimisque sint boni milites, bonique arbitri, irae, & avaritiae frana imponant, & si quando a Principe aliqua eis Provincia demandata fuerit, sociorum inopum miserescant: quorum miseram conditionem, & deplorandum statum latius depingit. Id autem debere facere eos potissimum suadet, quod majorum virtus claram facem praefert pudendis, quodque tanto conspectius crimen est, quanto, qui peccat, major habetur. Deinde sub persona Laterani nobilium vitia subagitat, ut qui perpetuo cum percussoribus, fugitivis, & ceteris ejusmodi, in popinis versentur; nullumque aliud Numen adorent, praeter Eponam equorum Deam, quibus alendis cum omnia consumserint, scenae se locant, arenae funera vendunt, nec mirum, talia faciente Principe. Postremo novos cum Patriciis, & multarum imaginum hominibus confert, & exemplo Ciceronis, Marii, Deciorum, Servii Tullii, Vindicis longe praestantiores novos illos concludit: unde merito ratiocinatur, patre Thersite Achilli similem multo melius nasci, quam si Thersitae similem nos producat Achilles: neque tamen esse, unde suum genus jactitent Nobiles Romani, qui, si nobilitatem suam revolvant, ad humilitatem, imo ad infamiam devenient, cum primus eorum parens Quirinus, aut pastor fuit, aut is, quem prae pudore dicere recusat.*

STemmata quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo
Sanguine

VETUS SCHOLIASTES.

IN eos, qui majorum suorum nobilitate confisi, nimis se jactitant, cum ipsi nihil suae virtutis ostendant.

1. *Stemmata.*) *Stemma* est generis ordo. ut gradus.

GRANGÆUS.

Stemmata quid faciunt &c.) Depromtum ex *Auctore* Panegyrici ad Pisones:

> *Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis*
> *Atria, quid pleni numeroso Consule fasti*
> *Profuerint, si vita labat?* —

Propertius:

> *Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi*
> *Mater?* —

1. *Stemmata.*) Male *Alciatus* correxit *Schemata*: *Stemmata* enim sunt series imaginum lineis inter se cohaerentium, quales Principum, & Regum genealogiae. *Statius*:

> *Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis*
> *Linea, nec proavis demissum stemma.* —

Plin. lib. XXXV. *Stemmata lineis discurrebant ad imagines.* has lineas vocat *flexuras*. *Seneca* III. de Benefic. cap. XXVIII. Persius, *ramos*:

> *Stemmate quod Tusco ramum.* &c.

Proprie tamen *Stemma* imago est in ipsis genealogiis primaria, a qua ceterae ortum habent, quae quidem rotunda est, & in formam coronae composita, a qua forma & nomen sortita est; aliquando tamen & pro ceteris imaginibus ad latera infra supraque additis. quo sensu *Paullus* intelligendus l. IX. *D. de gradibus & affin.* ubi *Gothofredus*, *Stemmata* definit picturam, & descriptionem graduum, & successionum. Non bene igitur *Isidorus*, qui *Stemmata* cum ramusculis confundit

Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, & stanteis in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Corvinum, posthac multa contingere virga
Fumosos Equitum cum Dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? effigies quo

10 Tot

dit. *Ramusculi* enim sunt flexuræ sive lineæ, quæ *stemma* ostendunt, hoc est, imaginem illam rotundam, in qua aut effigies, aut nomen saltem & gradus progeniei, ac ordinem in tritavis, abavis, proavis, ut recte admonuit *Dalechampius* loco *Plinii* supra dicto. unde non parvus error commissus ab *Antonio Pinedo*, in illo *Plinii* loco vertendo, qui & quid *linea*, & quid *stemma* proprie sit, ignorasse visus est.

1. *Faciunt.*) *Facere*, & *prodesse* plerunque conjuncta. *Martial.* lib. III. epig. LXXV.

Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces,
Improba nec prosunt jam satureia tibi.

1. *Longo Sanguine.*) *Sanguis* pro genere, & Stemmate. quod & *longum* dixit *Papinius*:

Exspectatur equus, cujus de Stemmate longo.

Longus igitur *sanguis*, cujus sunt multi nobilitatis gradus. *Altum* dixit *Virgil.* IV. VI. & V. Æneid.

— *Genus alto a sanguine Divum.*

Aliquando *priscum*. Videndus *Tiraquellus* tractatu de Nobilitate.

VET. SCHOL.

5. *Nasoque carentem.*) vetustate picturæ ita effectum: aut quia breviorem *nasum* habuit.

6. *Tabula jactare capaci.*) Imagine perpetua.

7. *Multa contingere virga.*) Multis fascibus, dignitate.

9. *Si coram Lepidis.*) ante imagines *Lepidorum*.

GRANG.

2. *Pictos vultus.*) *Horat.* ad finem epist. I. lib. II.

— *Ac neque picto*
In pejus vultu proponi cereus usquam.

Ubi male *facto*, & *ficto* legunt *Macrob.* lib. II. Saturn. cap. III. *Imaginem ingenuibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam.* Signanter autem *vultus*: non enim totius corporis; sed oris, & usque ad pectus imagines. de quibus *Lips.* Elect. I. cap. XXIX. *Carol. Sigon.* de Antiq. jure Rom. lib. II. cap. XX. *Conradus Lasius*, *Turnebus*, & prope infiniti.

3. *Stantes in curribus.*) Erant enim diversæ statuarum species: colosseæ, curules, equestres, pedestres. *Lips.* de Magnitud. Rom. lib. III. cap. IX. *Plin.* lib. XXXIV. cap. V. a Græcis statuarum diversitatem ortam asserit.

3. *Stantes.*) In *curribus stetisse* probat *Prudentius*:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu,
Quadrijugis stantesque duces in curribus altis.

Noster infra:

Quid si vidissent Prætorem in curribus altis
Exstantem? —

3. *Aemilianos.*) Cave de *Paullo Aemilio* intelligas; sed de *P. Cornelio Scipione*. *Aemilianus* enim nomen adoptionis, non generis. Sic Fulviani, Mariani, Pomponiani, &c.

4. *Curios dimidios.*) *Martial.* lib. X. epigr. II.

Dimidios Crispi mulio ridet equos.

i. statuas excisas, & vetustate dimidiatas.

4. *Curios.*) *M. Curium Dentatum.* de cujus abstinentia, fide, & ceteris virtutibus præter *Valer.* *Cicer.* *Florum*, *Agell.* *Claudianus* I. in Rufinum:

Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.

5. *Corvinum.*) Statuam ejus intelligit:

— *Cui cognomen Corvus habere dedit.*

Et *Ovid.* I. Fast.

Ex uno quidam celebres, aut torquis ademti,
Aut Corvi titulos auxiliaris habent.

Hunc Augustus in foro suo statuendam curavit, in ejus capite *corvi* simulacrum est rei pugnæque, quam diximus, monumentum. *Gell.* lib. IX. cap. XI. *Corvini* & Galli historiam refert *Livius* lib. VII. *Ovid.* I. Fast. *Manil.* lib. I. Astron.

6. *Galbam*) *Servium Sulpitium*; qui, ut ait *Sueton.* in Galba, fuit nobilissimus, magnaque & veteri familia, ut qui statuarum titulis *pronepotem Quinti Catuli* semper adscripserit.

10 *Alea*

Tot bellatorum, si luditur alea pernox
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces, & castra movebant?
Cur Allobrogicis, & magna gaudeat ara

Natus

VET. SCHOL.

10. *Alea pernox.*) *Per* totam *noctem* si luditur. *Virgilius:*

Dura jacet pernox in strato. —

13. *Cur Allobrogicis.*) Gallicis possessionibus, aut titulis victoriarum, aut ædibus.

GRANG.

10. *Luditur alea pernox.*) *Glossæ* Veteres *κυβεύω*, *aleo, aleam ludo.* apud *Sueton.* in Augusto:

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.

Ludere aleam, ut heic *luditur alea*, quæ vetita legibus. *Horat.* lib. III. ode XXIV. *D. de aleatoribus.* Vide *Salisberiensem* de Curialium Nugis lib. I. cap. V.

10. *Alea.*) *Aleæ* nomen omnem fortunæ lusum complectitur, non tantum talorum, aut tesserarum ex pyxide, fritillo, seu phimo. Extra operas tamen pugnatorias militibus concessa. *l. alearum. C. de Aleatorib.* Unde dicta *alea*, vide *Isidor.* lib. XVIII. cap. LX. *Pernox* autem *alea*, ut *l. alearum. Cod. de Aleatorib. Substantias perdiderunt die nocteque ludendo.* *Pincianus* in *Senecam*, de Consol. ad Polybium cap. XXXVI. sic correxit antea locum conclamatum: *Sed in Albano suo tesseris ac fere pernoctatis, & ejusmodi aleis occupatus.* Ubi nihil immuto, sed lego *& ejusmodi aliis occupationibus.* Ridicule *Aleam occupationes* vocans.

11. *Ante Numantinos.*) Quos supra *Æmilianos* dixit. *Scipio* enim *Æmilianus* ille est, qui, ut cum *Ovidio* loquar:

— *Numantina traxit ab urbe notam.*

Hinc *Propert.* eleg. IV. lib. IV. dixit *Numantinos avos.* *Cic.* VI. de Repub. *Numantiam exscindes.* Vide *Livii* Epitomen LVII. & LIX. Et eundem *Cicer.* Orat. pro Muræna, pro L. Manilia. Philip. IV.

11. *Dormire incipis.*) *Horat.* de his perversis hominibus:

— *Noctes vigilabat ad ipsum*
Mane, diem totum stertebat. —

Seneca epist. CXXII. *Lucet, somni tempus est: Quies est; nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus.* *Tacit.* de C. Petronio: *Namque illi dies per somnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebatur.* *Lamprid.* de Heliogabalo: *Trajecit & diurnos actus noctibus, & nocturnos diebus, æstimans hoc inter instrumenta luxuriæ, ita ut sero de somno surgeret, & salutari inciperet, mane autem dormire inceptaret.*

11. *Ortu Luciferi.*) quousque potaverant. *Plaut.* Menæch.

Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.

Tibull. eleg. I. lib. I.

Illum sæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orba diem.

12. *Castra movebant.*) *Movent castra & signa Duces* cum alio proficiscuntur, vel locum commodiorem capturi sunt. *Virg.* III. Æneid.

Dat clarum e puppi signum, nos castra movemus.

Sic *Propert.* allegorice dixit:

Mutato voluit castra movere loco.

Sic Noster satyr. VI.

— *Conchas & castra moveri.*

13. *Cur Allobrogicis.*) *Seneca* IV. de Benef. cap. XXX. *Quid nuper Fabium Persicum, cujus osculum etiam impuri vitabant, Sacerdotem non in uno collegio fecit, nisi Verrucosi, & Allobrogici, & illi trecenti, qui hostium incursioni unam domum objecerant; Allobrogici* autem dicti *Fabii* a devictis *Allobrogum* gentibus. *Plin.* lib. VII. cap. L. *Q. Fabius Maximus Consul apud flumen Isaurum prælio commisso adversus Allobrogum Arvernorumque gentes, a.d. VI. Idus Augustas, CXXX. M. perduellium cæsis febri quartana liberatus est in acie. Allobroges*, sive, ut *Ptolomæus*, *Allobryges*, vel *Allobriges*, populi Galliæ, *Savoyars*, vel, secundum *Marlianum*, *Daulabinois.*

13. *Magna gaudeat ara*) in foro boario constituta, eaque hæreditaria *Fabiæ* genti: non autem *magna*, sed *maxima* appellatur *Auctoribus* ut *Livio* lib. I. Decad. I. *Virgil.* VIII. Æneid.

— *Primusque Potitius Auctor,*
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hanc aram Luco statuit: quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.

Macrob. Saturn. III. cap. VI. *Ovid.* Fast. I.

Constituitque sibi, quæ maxima dicitur, aram,
Heic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Videndus *Festus* in *Potitium.*

Natus in Herculeo Fabius Lare, si cupidus, si
Vanus, & Euganea quantumvis mollior agna:
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalenteis traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, NOBILITAS sola est atque unica Virtus.

Paul-

VET. SCHOL.

14. *Natus in Herculeo Fabius Lare.*) Magna *ara* ad *Herculem* dicitur Romæ, juxta Circum Flaminium. *Fabius* ex genere *Herculis.*

15. *Et Euganea.*) Tarentina, Calabra, aut Veneta.

16. *Catinensi pumice.*) *Catina* oppidum Siciliæ, usque ad probra dissolutum notatur. ut *Bibaculus*:

Osce senex, Catinæque puer, Cumana meretrix.

17. *Traducit avos.*) Dedecorat parentes suos.

17. *Emtorque veneni.*) λαικαστοῦ.

GRANG.

14. *Fabius*) Persicus, homo prostituti corporis, & infamis ore. De quo *Seneca* lib. de Benef. II. cap. XXI. Cujus pecuniam eam ob caussam Græcinus accipere noluit. vocabatur *Paullus Fabius Priscus*, qui fuit Consul sub Tiberio anno IↃ. CC. LXXXVI Dictus *Persicus* a Rege *Perse*, ob memoriam victoriæ ab Æmilio partæ, e qua gente fuit, adoptione translati majores in *Fabiam. Valer. Max.*

15. *Mollior.*) Impudici, & potissimum Cinædi, *molles* dicuntur. *Catull.* epig. XXV.

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo.

15. *Mollior agna.*) Sic *Martialis*:

Agna Galesi mollior Phalenticus.

Vide proverbium *Junii*: *Agni lana.*

15. *Euganei.*) *Euganei*, qui & *Heneti*, & postea *Veneti*, Italiæ sunt populi, quorum regio hodie *Marca Trevisana.*

16. *Pumice Catinensi attritus.*) *Pumicibus* corpora lævigare solebant potissimum *molles*. *Plin.* lib. XXXVI. cap. XXI. *Sed & ii pumices, qui sunt in usu corporum lævigandorum fœminis, jam quidem & viris. Ovid.* I. de Arte:

Nec tua mordaci pumice crura teras.

Manilius:

Pumicibus lævis horrentia membra polire.

16. *Catinensi.*) Pumicem *Catinensem* dixit, a *Catina* urbe Siciliæ, quod *Catinenses* Cinædi audirent: unde *Lentulus* Mimum *Catinenses* inscripsit, de quo *Tertullian.* in Apologet.

17. *Traducit.*) Irridet. de vi hujus verbi alibi diximus.

17. *Squalentes.*) Horridos, minime pumicibus politos.

18. *Funestat.*) Funere incestat. *Tactu* enim vel accessu corporis demortui pollutos sese credebant. Hinc *funestare*, polluere. *Catullus*:

— *Funestat seque suosque.*

Cic. pro Rabirio: *Funestari concionem carnificis contagione.* Et pro Fontejo: *Humanis hostiis aras, ac templa funestare.*

18. *Miseram gentem.*) quod tam vitiosos pepererint nepotes.

18. *Frangenda miseram* &c.) Non tantum in damnatos, sed & in damnatorum effigies nomenque sæviit antiquitas, ut deterreret omnes a simili culpa, non pœnæ modo, sed ignominiæ metu. *Tacit.* Annal. Sententiæ dicebantur in effigies damnatorum. lege *Cic.* Philipp. XIV. *Lamprid.* in Heliogabalo, *Euseb.* Hist. Eccles. lib. IX. cap. ult.

19. *Ceræ.*) Imagines e *cera.* de quibus *Lips.* Elect. I. cap. XXIX.

19. *Ceræ veteres.*) Ex *Ovid.* I. Am.

Nec te decipiant veteri cincta atria cera.

Ubi male antea, *quinquatria*, ut vidit *Lips.* sicque correxit. At *Andreas Naugerius* legit:

Nec te decipiant veteris quinque atria ceræ.

quod essent scilicet plurima atria. *Marcilius* in III. *Persii.*

20. *Nobilitas sola est atque unica Virtus.*) *Seneca* epist. XLIV. *Bona mens omnibus patet, omnes ad hoc sumus nobiles.* Et paullo post: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo in nostram gloriam vixit, nec, quod ante nos fuit, nostrum est; animus facit nobilem; cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.* Euripides:

— Τὸν γὰρ ἀνδρείως φύντα,
Καὶ τὸν δίκαιον, τὸν κακῶν δεξαμένον,
Κἂν ᾖ πόρρω οἴκων, εὐγενῆ φημὶ λέγω.

— *Nam*

Paullus, vel Coſſus, vel Druſus moribus eſto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipſas illi te Conſule virgas:
Prima mihi debes animi bona. ſanctus haberi,
Juſtitiæque tenax factis dictiſque mereris,
Agnoſco Procerem. ſalve Getulice, ſeu tu
Silanus, quocunque alio de ſanguine rarus,
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.

Exclamare

— *Nam ab animo ſtrenuos,*
Juſtoſque, quamvis orti & e ſervis ſient;
Stirpe anteire vulgo nobiles dico.

Vellejus Paterc. *Neque novum hic mos Senatus putandi, quod optimum ſit, eſſe nobiliſſimum.*

VET. SCHOL.

22. *Hos ante effigies.*) Mores tuos antepone virtuti eorum, & præcedant mores boni, faſces.

24. *Prima mihi debes.*) Κατὰ κοινοῦ. Debes animo bonus & juſtus eſſe.

GRANG.

21. *Paullus.*) Non ad ipſum veterem *Paullum*, ne erres, ſed eum, qui fuit Conſul anno DCCLIII.

21. *Coſſus.*) De quo ſatyr. II.

— *Quid das, ut Coſſum aliquando ſalutes?*

Corneliorum fuit prænomen, & Cognomen. *Coſſi* autem antiquis dicti natura rugoſi corporis homines, a ſimilitudine vermium ligno editorum, qui *coſſi* appellantur.

21. *Druſus*) Cæſaris privignus, *Germanicus* a Senatu nuncupatus, non per adulationem, ſed ex merito. *Flor.* cap. ult. lib. de quo *Horat.* ode IV. lib. IV. *Albinovan.* Conſol. ad Liviam.

23. *Virgas*) hoc eſt, lictores. *Virgæ* autem aliæ a faſcibus lictorum, eas geſtabant in manu duplici uſu, & ad ſubmovendum, & ad januam tangendam. *Lipſ.* Elect. I. cap. XXIII. Sic pro lictoribus, *virga* ſumta hoc præcedenti verſu:

— *Poſthac multa contingere virga,*
Fumoſos Equitum cum Dictatore magiſtros.

Quamvis aliter intelligam, ſcilicet, virga quadam tetigiſſe imagines & titulos majorum, ut advenientibus facilius ſuam oſtenderent nobilitatis ſeriem. *Virgæ* tamen pro faſcibus lictorum ſumtæ hac ipſa ſatyr.

Si frangis virgas ſociorum in ſanguine. —

25. *Juſtitiæque tenax.*) *Horat.* ode III. lib. III.

Juſtum & tenacem propoſiti virum.

Virg. contra IV. Æneid.

Tam ficti pravique tenax. —

Tenax enim eſt in omnibus perſeverans, proprie, qui non facile dimittit, quod corripuit.

25. *Mereris.*) Τὸ *mereris?* legunt cum interrogatione, contra fidem omnium MSS. legendum enim ſimpliciter *mereris*, & ſubintelligitur particula *ſi*, ut in eo verſu:

— *In cælum juſſeris, ibit.*

hoc eſt, *ſi juſſeris.*

25. *Factis dictiſque.*) *Verba rebus proba*, ut ait *Seneca* epiſt. XX. *maximum enim eſt officium ſapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, ne orationi vita diſſentiat.*

26. *Agnoſco Procerem.*) Sapit *Virgil.* illud XII.

Accipio agnoſcoque Deos. —

Proceres proprie ſunt capita trabium, quæ eminent extra parietem, quaſi *procedes.* *Iſidor.* cap. IV. lib. IX. Bene autem *agnoſcit procerem.* Nam ut recte *Caſſidior.* Variar. V. epiſt. XII. *Hæc eſt indubitata nobilitas, quæ moribus probatur ornata.*

26. *Getulice*) *Getulicus Coſſus* dictus a *Getulis* devictis. *Florus* lib. IV. cap. ult. Fuit alius *Coſſus*, qui de Tolumnio opima ſpolia retulit, de quo *Virg.* VI. Æneid. *Livius* lib. IV. *Feſtus* in *Opima.* *Propert.* lib. IV. *Valer. Max.* lib. III cap. II.

26. *Seu tu Silanus.*) *M. Junium Silanum*, ſeu Lucium fratrem, Claudii generum *Ap. Junii Silani* filium, qui Conſul fuit ſub Tiberio anno IↃCCLXXX. Is Apius Silanus duxerat uxorem Æmiliam Lepidam, Juliæ & Paulli Æmilii filiam, quæ Julia erat filia Marci Agrippæ & Juliæ Auguſti filiæ; quare ſubjungit infra *rarus civis*, quod genere materno ab Auguſto *Silanus* originem traheret, eo modo, quo diximus.

129. Popu-

Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento. quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? nanum cujusdam, Atlanta vocamus:
Æthiopem, cycnum: parvam extortamque puellam,
Europen: canibus pigris scabieque vetusta
Lævibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ;
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. ergo cavebis,
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
— His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli
Plaute. tumes alto Drusorum stemmate, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli;

Non

VET. SCHOL.

29. *Populus quod clamat, Osiri Invento.*) *Tibullus* de *Osiri* dixit:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Populus Ægypti *invento Osiri* dixit: Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν.

32. *Nanum cujusdam, Atlanta vocamus.*) Ut, cum indignus sit, majoris alicujus cum nomine nuncupemus: ut si *nanum*, gigantem vocemus κατ' ἀντίφρασιν.

33. *Æthiopem, cygnum.*) id est nigrum hominem, Aegyptium, *cycnum* voces, ut candidum.

34. *Europen.*) ut formosam.

38. *Ne tu sis Creticus aut Camerinus.*) hoc est, Ne sis tantum nominibus nobilis, ac turpiter vivas.

40. *Plande.*) nam *Blandus Rubellius* dicebatur.

42. *Quæ sanguine fulget Iuli.*) Nobilis de genere Trojano.

GRANG.

29. *Exclamare libet.*) Ad ritum Ægyptiorum respexit, qui Apim (quem certos vitæ excedere annos nefas) mersum in fonte necant, alium luctu quærentes, quem substituant; &, donec invenerint, mœrent: *Invento* autem sacerdotes, & populus, præ gaudio exclamant Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. De eo ritu *Plin.* lib. VIII. cap. XLVI. *Isidor.* lib. VIII. cap XI. *Herod.* lib. II. & III. *Tibull.* eleg. VII. lib. I. *Minutius* in Octavio, *Plutarch. Lucanus.*

32. *Nanum cujusdam.*) *Nanus* μὴ ἄνω, quod *non* crescat in *altum. Politian.* cap. XIII. Miscell. Latine dicitur *pumilio. Gell.* lib. XI. cap. XIII.

36. *Nomen erit pardus.*) *Plin.* lib. VIII. cap. XL. docet, solos canes nomina sua & vocem domesticam cognoscere.

36. *Tigris.*) Forte, quod ut ait *Plin.* loco supradicto, *tigribus* eos Indi volunt concipi, & ob id sylvis coitus tempore alligant fœminas. Sic apud *Ovid.* III. Metam. unus ex Actæonis canibus est *nomine Tigris.*

37. *In terris violentius.*) Ut apud eundem *Aello, Harpyja, Labros & Agriodos.* &c.

38. *Cave sis Creticus.*) hoc est, Cave, ne nomen præclarum habeas, quemadmodum *Creticus*, aut *Camerinus* habuerunt; te autem sis vilis, ut illi: nec *Creticus* & *Camerinus* de Metello aut Sulpitio primoribus illis intelligendum, sed de nepotibus, & successoribus, qui proavorum nomina ferebant, quamvis alienis moribus.

39. *Rubelli Plande.*) In quibusdam MSS. *Rubelli Plande*, in aliis *Plance*, corrige *Plaute*, ex *Justi Lips.* animadversione. fuit enim *Rubellius Blandus*, pater *Rubellii Plauti*, de quo heic est sermo.

40. *Tumes.*) *Persius* satyr. III.

— *An deceat pulmonem rumpere ventis,*
Stemmate quod Tusco ramum, millesime, ducis.

40. *Drusorum stemmate.*) Origine materna. Nam *Rubellius Blandus* Plauti pater, maritus fuit Juliæ, filiæ *Drusi*, filii Tiberii Cæsaris, cui pater Tiberius Claudius Nero; mater Livia, postea Augusta.

42. *Sanguine fulget Iuli.*) *Julia* filia Drusi Tiberii filii

Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis:
Ast ego Cecropides. Vivas, & originis hujus
Gaudia longa feras: tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies. solet hic defendere caussas
Nobilis indocti. veniet de plebe togata,
Qui juris nodos, & legum ænigmata solvat.

Hic

lii & Livillæ Germanici Cæsaris sororis, cui Drusus frater Tiberii erat pater, Antonia minor mater: quæ Antonia fuit filia Octaviæ sororis Augusti, & Antonii III. viri. Octavia autem illa filia Atiæ, & Octavii; Atia vero ex M. Atio Balbo, & Julia Caji Cæsaris sorore: igitur ex

Julia Cæsaris sorore
Atia
Octavia, } orta est
Antonia
Julia Blandi uxor, Rubellii Plauti mater

Porro videtur respexisse ad locum *Senecæ* patris Controv. VI. lib. I. *Si possent homines sibi sortem facere nascendi, nemo esset humilis, nemo egens, unusquisque felicem domum invaderet: sed quandiu non sumus, Natura nos regit, & in quemcunque vult casum nos mittit? hinc sumus æstimandi, cum sumus nostri.*

VET. SCHOL.

43. *Conducta sub aggere.*) Plebeja muliere pauper in castris natus.

45. *Quorum nemo.*) Plebeji aut peregrini.

46. *Cecropides.*) Nobilis. *Cecrops* rex fuit Atheniensium.

49. *De plebe togata.*) id est, Senatoria.

50. *Legum ænigmata.*) Quæstiones obscuras.

GRANG.

43. *Aggere.*) Non castrorum, sed Urbis, de quo illemet:

Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit.

Alii, ut *Flavius*, Conject. cap. XIII. *aere* legit, & exponit sub atrio.

44 *Vos humiles.*) Sic illi per contemtum, infimam plebem appellant Galli *vilains*, quod inter proverbia retulit *Cagnatus*. ejusdem generis emblema Caroli V. & Francisci I. Christianiss. regis:

Alituum ut princeps aquila est, sic altera Gallo
Gloria, vos aliæ, nil, nisi vulgus, aves.

Humilis autem passim pro ignobili. Videndus *Tiraquell.* de Nobilit. cap. II.

44. *Pars ultima.*) Infima. sic *Horatius*:

— *Non ultima laus est.*

45. *Patriam monstrare parentis.*) Inter Parœmias hanc referunt: *Nec patris nomen quidem dicere possit.* *Synesius* adversus Andronicum, I Ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ὄνομα πάππου, ἀλλ' οὐδὲ πατρὸς, φασι. *Homo, qui aut nomen dicere non possit avi, imo nec patris quidem, ut ajunt.*

46. *Ast ego Cecropides.*) Sanguine regio ortus, Julii videlicet Rom. Principis, ab Iulo originem ducentis, ut illi Athenis a *Cecrope* primo Atheniensium rege descendebant: Unde Proverbium, *Cecrope generosior*, de homine antiquissimæ nobilitatis. de *Cecrope*, *Zetzes* in *Lycophr.* *Synesius* in Epist. Ἀλλ' ὑπὲρ εὐγενείας ἀμφισβητῶν τῷ Κέκροπι διετέλεσεν, *Qui de generis nobilitate cum Cecrope contendere non destitit.*

47. *Ima plebe Facundum.*) Vere, & ut ait *Plautus* Captiveis:

Summa sæpe ingenia in occulto latent.

Et *Cæcilius* apud *Cicer.* in Quæst. Tusc. *Sæpe etiam sub sordido palliolo est sapientia.*

48. *Caussas defendere.*) *Horat.* satyr. V. lib. II.

— *Caussas defendere possum.*

49. *Divitis Indocti.*) Ita est certe. Nam, ut ait *Horat.* lib. II. Serm. satyr. VIII.

— *Ingenium res*
Adversæ nudare solent, celare secundæ.

Sic Gallorum nobiles nil magis affectant, quam nescire literas: cum tamen patritio, & nobili viro nil magis turpe sit, quam jus ignorare. *Pompon. l. II. D. orig. jur.*

50. *Juris nodos, & legum ænigmata.*) *D. Hieron.* adversf. Jovinianum: *legum ænigmata* dixit ille. *Sidon.* lib. VIII. epistola ult. *Veternosus legalium quæstionum Ænigmatista.* *Ammianus* in Commonitorio, legum Rom. & veteris juris obscuritas. hinc *Vetus Scholiast.* ad illud satyr. I.

Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius: at tu
Nil, nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago.
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrum

Sic

— *Jurisque peritus Apollo.*

quod tam dubia (inquit) *Jurisperitorum responsa sunt, quam Apollinis.* Victoris Epitome in Vespasiano: *Jurisconsultorum obliqua dicta.* Et idem *Sidon.* epist. I. lib. IV. *Si quid commentator lucidum, Jurisconsultus obscurum multifariam condiderunt. Prudentius* in ἀποθεώσει.

Ut quisque est lingua nequiori,
Solvunt, liganique quæstionum vincula
Per Syllogismos plectiles:
Væ captiosis sycophantarum scriptis,
Væ versipelli astutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infesta dissertantibus.

VET. SCHOL.

51. *Euphraten.*) Fluvius est in Oriente. id est: Nomen militiæ dat, & curam cohortis sumit. *Batavi*, gens Galliarum. *Lucanus*:

Batavique truces. —

53. *Nil nisi Cecropides.*) quasi Alcibiades, infamis & nobilis.

53. *Truncoque simillimus Hermæ.*) *Hermæ*, effigies æneæ, aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo. *Hermas* Athenienses ante januas pro religione positos habuere. In hoc igitur tantum distas ab *Hermulis*.

56. *Animalia muta.*) Etiam in animalibus virtus quæritur, non genus.

GRANG.

51 *Juvenis, armis industrius.*) *Juvenis* de plebe togata. Sic *Marius* oratione, contra nobilitatem apud *Sallust. Ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendii, scilicet, ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem sui officii.* quasi ex opposito opponens nobiles, industriis. *Senec.* IV. de Benef. cap. XXX. *Sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed novis prætulit.*

51. *Euphratem.*) qui erat terminus Imperii ab Oriente, ab Augusti Imperio ad Trajanum: nam sub Trajano, ea parte latius protentum Imperium ad Tigrim, miles erum ad limites: & tres legiones militum in Syria ad *Euphratem. Lips.* de Mag. Rom. Porro *Euphrates*, qui ab Hebræis *Farath*, a Josepho *Phora*, dicitur hodie *Apherat*, ut vult *Nicolaius*; vel *Frat*, ut *Castaldus*.

51. *Batavi.*) Populi in Germania inferiori, ad ostia Rheni.

51. *Domiti*) a Domitiano juvene *Tacit.*

52. *Aquilas.*) Legiones. Nam in unaquaque legione *aquila* una solum & unicum signum Rom. Marii Instituto *Plin.* lib. X cap. IV. De ea & reliquis signis ex professo *Lipsius* lib. IV. de milit. Rom. dialogo V. & aliquid I. Annal. *Tac.*

52. *Custodes*) ad limites, ut diximus, ne Populi domiti, aut aliquis extraneus hostis Imperium lacesseret.

53. *Trunco simillimus Hermæ.*) Sic *Lysippus* Comi. apud *Dicæarch.*

Εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ.
Tu truncus es, si non Athenas videris

Sallust. de Rep. ordinanda, orat. II. *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est additamenti.* sic *Sollius Apoll.* lib. IV. epist. XVI. vocat servum *Hermam stolidissimum*, *Euripid.* in Electra vocat ἀγορᾶς ἀγάλματα. Vide Proverbium *Statua taciturnior. Hermæ* autem erant lapidei Cippi in biviis, triviisque erecti ad viarum discrimina indicanda, iisque veretra longa, ut Priapis, unde Philosophus libidinosum juvenem taxans, similem τοῖς ἑρμαῖς dixit, ut qui nil præter caput & penem haberet.

56. *Animalia muta.*) ita dicta, quod, ut ait *Cassiodor.* lib. de Orthogr. cap. I. *Vox articulata a pecoribus nos sequestrat.*

57. *Quis generosa putat, nisi fortia.*) *Marius* orat. contra nobilitatem: *Naturam unam & communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosum esse.*

Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, & exsultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cujus
Clara fuga ante alios, & primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Corythæ, posteritas &
Hirpini, si rara jugo victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum, Dominos preciis mutare jubentur
Exiguis, trito ducunt epirhedia collo

Segni-

se. Porro, *generosus* etiam dicitur de mutis. *Stat.* lib. III. *Sylv. sylv.* II.

— *Titulis generosus avitis*
Exspectatur equus. —

Sic *generositatem* agnoscit in tauris *Plin.* lib. VIII. cap. XLV. sic *Aristot.* lib. VIII. de Generat. Anim. ὄρνιθας γενναίας appellat.

VET. SCHOL.

61. *In æquore.*) Aut in circo, aut in Campo, quando bellum est, de quocunque venerit armento

62. *Coryse posteritas.*) *Coryseorum*, id est, equorum. in Achaia prima nobilitas fuit.

63. *Hirpini.*) In * initio Sabinis. *Hirpinus* mons est, ubi optimi equi nascuntur.

64. *Gratia nulla Umbrarum.*) Non attendit, de quo armento venit. Nihil præstant parentes, qui quasi *umbram* quandam videntur præbere.

65 *Dominos preciis mutare jubentur.*) Distrahuntur.

66. *Epirhedia.*) Ornamenta rhedarum, aut plaustra.

GRANG.

58. *Equum volucrem.*) Hinc & *volare* dicti Auctoribus, potissimum *Sidonio* carm. XXII.

59. *Circo rauco.*) *Circo*, pro *Circi* spectatoribus. sic *Horat.* *Raucam viciniam* dixit, & ipsemet *Circum* appellat *clamosum* satyr. IX.

— *Clamoso insistite Circo.*

Unde autem *Circus* dictus: videndus *Cassiod.* lib. III. epist. LI. & *Servius.*

59. *Exsultat Victoria.*) *Plin.* lib. VIII. cap. XLII. *Nam, qui in Circo ad currus juncti, non dubium intellectum adhortationis, & gloriæ fatentur.* *Virgil.* III. Georg.

Tantus amor laudum, (equis) tantæ est victoria curæ.

61. *Primus in æquore pulvis.*) *Virgil.* eodem:

Nec mora, nec requies, at fulvæ nimbus arenæ,
Tollitur, humescunt spumis flatuque sequentum.

61. *Æquore.*) in Circi cavea. Omnis enim planities *æquor* Latinis, maris, cœli, inferi, Circi, &c. quæ colligit *Bernartius* ad *Statium.*

62. *Corythæ*) equæ generosissimæ, cui nomen *Corytha*, dicta, quod fortasse in *Corytho* monte enutrita, qui hodie *monte Corvo* dicitur: *Vetus Schol.* legit *Coryse*, non bene.

63. *Hirpini*) equi ejus nominis. De quo meminit *Martial.* lib. III. epig. LXIII. Vetus lapis Romæ:

AQUILO N AQUI-
LONIS. VICIT. CXXX.
SECUND. TULIT
LXXXVIII
TER
TUL
XXX
VII.

HIRPINUS N AQUI-
LONIS VICIT. CXIIII
SECUNDAS TULIT
LVI
TER
TUL
XXXVI.

Dictus etiam *Hirpinus*, ab oppido ejusdem nominis, ut bene *Vetus Interpres.* *Hirpinos* equos hodie dicere posses *coursiers de Naples*. Nam *Hirpini*, pars regni Neapolitani.

64. *Nullus majorum respectus.*) Si quis enim equus agnosceretur generosus in Circo, post vigesimum annum mittebatur ad sobolem reparandam, ut docet *Plin.* lib. VIII. cap. XLII. Si contra quis degenerabat, sine ullo parentum respectu ad *Epirhedia* damnabatur.

66. *Epirhedia.*) *Quintil.* lib. I. cap. IX *Epirhedium* ex duobus peregrinis compositum: Nam cum sit præpositio ἐπὶ Græca, *rheda* Gallicum, nec Græcus tamen,

 nec

Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo, ut miremur te, non tua; primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
 Hæc satis ad Juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna, sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sicut nihil ipse futuræ
Laudis agas. MISERUM est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Esto

nec Gallus utitur: compositum Romani suum ex utroque fecerunt. vide *Cellium*.

VET. SCHOL.

67. *Molam versare.*) Molere in pistrino.

72. *Nerone propinquo.*) de quo magis debuit erubescere.

GRANG.

67. *Molam versare.*) Hinc *versatilis mola*. Alia enim est, quæ *trusatilis*, quæ ab homine; at *versatilis* ab asinis, vel equis nullius, aut exigui precii. hinc *asinaria mola* Catoni, *machinaria* Apulejo.

67. *Nepotis.*) Cui erant aliqua moletrina.

68. *Te, non tua.*) Nam, quod ante nos est, non nostrum est.

69. *Titulis inciderit.*) De statuarum *titulis* alias dixi.

70. *Quibus omnia debes.*) Marius apud *Sallust.* in orat. contra Nobilit. *Majores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præclaram, virtutem non reliquere, neque poterant: ea sola neque datur, neque accipitur.*

71. *Hæc satis.*) *Pers.* satyr. III. *Hoc satis.*

71. *Ad juvenem*) Rubellium Plautum.

72. *Inflatum.*) Ventus enim, pro, superbia. *Persius*: *Pulmonem rumpere*, *Propert.* lib. IV. eleg. I.

— *Tumefacta superbiat.* —

72. *Nerone propinquo.*) *Tacit.* XIII. Annal. Dixit Rubellium Plautum per maternam originem pari cum Nerone esse gradu a Divo Augusto. ita est; nam Juliæ matris Plauti Rubellii Livilla mater, soror erat Germanici Cæsaris, patris Agrippinæ Neronis matris.

73. *Rarus sensus communis in illa.*) Princeps Criticorum nostri temporis *Casaubonus*, per *sensum communem*, intelligit civilitatem, quæ conveniens est civi, qua civis est, & quæ *popularitas*, *Suetonio* dicta in vita Galbæ. A *Platone* πολιτική, a *Seneca*, *Juris civilis æqualitas*.

74. *Censeri.*) Æstimari; ut explicat *Budæus* Annotat. in Pandect. *Cicero* pro Archia: *Ideo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis hæc quoque censetur oratio.* i. precium, & æstimationem meretur, & in primis laudatur.

75. *Nil ipse futuræ Laudis agas.*) Laus enim præterita majorum, est laus, quæ nil ad nos. huc facit Proverbium:

Τίς πατέρ᾽ αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα;
Quis patrem laudet, nisi proles laudis inanis?

76. *Miserum est alienæ incumbere Famæ.*) Et intenta est hæc Parœmia in eos, qui, cum nihil ipsi habeant proprium, quod laudem meretur, ad paternas & Avitas laudes recurrere solent. *Accius* in Didascalo, apud *Nonium*:

Non genus virum ornat, generis vir fortis loco.

77. *Subductis columnis.*) Majorum laudibus detractis. hinc *Pindarus* vocat Hectora ἀστραβῆ κίονα, *immobilem columnam*. Hinc Proverbium *columen familiæ*. quo modo *Virgilius*:

— *In te omnis domus inclinata recumbit.*

78. *Stratus humi palmes.*) Proprie. Nam *vitis* Symbolum est principatus & evectæ nobilitatis, ut apud *Herodotum* lib. I. de somno Astyagis.

78. *Stratus humi.*) *Catull.* in Hymen. Juliæ, in vitis comparatione:

Sed tenerum corpus deflectens pondere. —

78. *Viduas desiderat ulmos.*) *Ovid.* II. Am. eleg. XVI.

Ulmus amat vites, vitis non deserit ulmos.

184. Et

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer; ambiguæ si quando citabere testis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro,
SUMMUM crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere caussas.
Dignus morte perit, cœnet licet ostrea centum
Gaurana, & Cosmi toto mergatur aeno.
Exspectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumque,
Pone & avaritiæ: miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,

Præmia

VET. SCHOL.

84. *Et propter vitam.*) Dum vis vivere, ita agas, ne vita indignus videatis.

85. *Dignus morte.*) Sic habendus, qui *morte dignus* est, quasi jam perierit, licet quotidie copiose vivat.

85. *Cœnet licet ostrea centum.*) Habeat licet tripodas æneos, ubi Heroes lavabantur, & *ostrea* a lacu Lucrino. *Cosmus* luxuriosus fuit, qui solum, in quo descendebat, multis diversorumque unguentorum odoribus miscebat.

89. *Misere inopum sociorum.*) Provincialium.

90. *Exsucta medullis.*) Exhausta a rectoribus.

GRANG.

79. *Miles bonus.*) Tibullus:

Heic ego dux, milesque bonus. —

Bonus enim heic, strenuus: armis industrius, Græcis ἄριστος.

80. *Citabere.*) Vocabere. *Fest.* in *Procitant.* & *citari*, nomine vocari. Vide illud II.

Citari ante omnes debet Scantinia. —

81. *Licet Phalaris*) omnium tyrannorum crudelissimus. *Cic.* VI. Verrina. II. & III. off.

82. *Admoto Tauro.*) Vide *Valer.* cap. II. lib. IX. *Plutarch.* in comparat. historiarum Græcarum. *Plin.* cap. VIII. lib. XXXIV. *Ovid.* lib. V. eleg. I & I. de Arte amandi. & in Ibin. Sed potissimum eleg. XII. lib. III. Trist.

84. *Vivendi caussas.*) Probitatem, & vitæ integritatem. alias cum a *Quintil.* *caussæ vivendi* sumuntur pro facultatibus, quibus vitam nostram sustentamus, ut advertit *Turneb.* Advers. XXII. cap. ult

85. *Dignus morte perit.*) Qui aliquod facinus atrox & capitale patravit, licet sit inter vivos, tamen millies in die vivens moritur.

85. *Cœnet ostrea.*) Cum *Accus.* casu, ut apud *Horat.* Epist. II. lib. II.

Emtum cœnat olus. —

Bene autem, *cœnare ostrea*: nam, ut ait *Plin.* lib. XXXII cap. VI. *palma mensarum diu jam tribuitur illis.*

86. *Gaurana.*) A *Gauro* monte Campaniæ prope mare sito, ubi exquisita *ostrea*. *Gaurus* autem vulgo hodie *Gterro*.

86. *Cosmi*) divitis, odoribus semper perfusi. de quo *Martial.* lib. III. epigr LIII & lib. IX. epig. XXVII. & lib. VII. epig. LV. ab illo *unguentum Cosmianum* dictum, & *Cosmianæ ampullæ*.

86. *Aheno.*) Solio unguentis delibuto. Nostris *une baignoire*. Unguentis solia perfundi solita docet *Plin.* *Sueton.* *Petron.*

88. *Pone iræ fræna.*) tractum a tenacibus equis. Cato apud *Livium* lib. XXXIV. *Date frænos impotenti naturæ.* *Cic.* XIII. Philipp. *injicere alicui frænos pudoris.* *Propert.* similiter:

— *Consemti ruperunt fræna pudoris.*

90. *Vacuis exsucta medullis.*) hoc est, *ossa vacua exsuctis medullis*, qua translatione usus *Horat.* lib. I. epist. X. & nos Gall. *il m'a succé jusques aux os.*

91. *Curia.*) Senatus. Ex *Varrone* etenim duo *Curiarum* genera, Senatus, & Sacrorum, Græcis βουλὴ, βουλευτήριον.

Ff 3 93. *Et*

Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine justo
Et Capito, & Numitor ruerint, damnante Senatu,
Peiratæ Cilicum. sed quid damnatio confert,
Cum Pansa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?
Præconem Chærippe tuis circumspice pannis,
Jamque tace. Furor est post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus, & modo victis.
Plena domus tunc omnis, & ingens stabat acervus

Num-

VET. SCHOL.

93. *Et Capito, & Numitor.*) Spoliatores sociorum. *Cilices* nam *piratæ* sunt. Ergo principes piratarum, aut spoliatores latronum. Bene igitur *Capitonem* & *Numitorem*, nescio quem, Poeta repetundarum damnatos a Senatu, dixit *piratas Cilicum*: sive propter deprædationem injustam, sive, ut eos facinorosiores ostenderet, qui *piratas* olim *Cilicas* exspoliaverunt.

96. *Præconem Chæripe tuis.*) Sensus hic est: Quid tibi prodest, *Chærippe*, si damnatur judex, quem tu damnandum accusasti, cum illius successor plura ablaturus sit tibi? Magis provide tibi præconem, & auctionem fac rerum tuarum, quæ superaverunt: ut in pecuniam totum conferas, ne & ipsos pannos tuos perdas, qui remanserunt. Nam nec accusatio tibi proderit, & insuper naulum perdis.

98. *Non idem gemitus.*) Olim non sic gemuerunt provinciæ a Romanis afflictæ spoliatæque jure bellorum, quando sunt devictæ, quomodo nunc, cum sunt a Judicibus deprædatæ.

GRANG.

92. *Fulmine justo Ruerint.*) Sic Græci damnari κεραυνοῦσθαι dicunt, quia Jupiter quorum impietatem damnaret, eos fulmine interficeret. Sic *Stat.* Sylv. lib. V. in Protreptico ad Crispinum:

— *Castum vibraret Julia fulmen.*

93. *Capito*) *Cossutianus* delatus a Cilicibus, de quo *Tacit.* lib. XIII. Annal.

93. *Et Numitor.*) Alii MSS. & *tutor.*

94. *Peiratæ Cilicum.*) qui *Cilices* spoliaverunt, quemadmodum Piratæ in mari, naves.

94. *Sed quid damnatio confert.*) Ut satyr. I.

— *Victrix provincia ploras.*

95. *Natta*) Pinarius. de quo *Seneca* epist. CXXII. & *Tacit.* V. Ann. qui inter Sejani clientes enumeratur. de quo sine dubio *Persius* satyr. III. quemque vocat *discinctum*, quamvis quidam *Naccam*, quidam *Nattam* legant.

96. *Chærippe.*) Cilicis nomen fictitium, quod Cilices ut plurimum *equis gaudeant.*

96. *Circumspice Præconem tuis pannis.*) *Vetus interpres* ita hunc locum intelligit: Proinde tibi prospice de præcone, tuque ipse pannorum tuorum auctionem para. Verior sensus est: prævide pro tributis solvendis aliquando frivolorum tuorum auctionem fieri, cum nihil, unde solvas, jam tibi superet, nec illud *Cassiodori* usquam in mentem veniet, Variar. lib. XII. epist. VII. *Cave ne gravior fias hostibus, si adhuc nudare exutos chlamydes non pavescant, qui arma timuerunt: rapinas non sentiant post prædones.* Cui nihil videtur relictum, a tributis constat esse liberatum.

97. *Post omnia perdere naulum.*) Ναῦλον, & ναῦλος *Aristophani*, quod pro vectura, & trajectu solvitur. Nostri, *il est si pauvre, qu'il n'a pas de quoy passer l'eau.*

98. *Vulnus Damnorum.*) Sic *Horat.* Epist. lib. I. epist. VII.

Offensus damnis. —

110. *Acervus Nummorum.*) satyr. VI.

Nummus & e magno semper tollatur acervo.

Horatius:

— *Non æris acervus, & auri.*

Seneca: *Videatur avaritia magni animi, acervis auri, argentique incumbat.* *Aristophanes* in Pluto:

Δηλοῖς γὰρ αὐτὸν σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

Venisse narras, qui ferat pecuniarum acervum.

Quare *Horat.* lib. I. Serm. satyr. I. verbo *metiri* usus est:

— *Dives*

Ut metiretur nummos. —

101. Con-

Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis, signisque Myronis
Pheidiacum vivebat ebur, necnon Polycleti
Multus ubique labor: raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres. referebant navibus altis.
Occulta spolia, & plureis de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equarum,
Et pater armenti capto eripiatur agello:
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum,

Si

VET. SCHOL.

101. *Conchylia Coa.*) Metaphora. purpura Græca, *Coa.*

103 *Phidiacum.*) Pictorum, fictorum & sculptorum sunt nomina, qui olim magni artifices fuerunt, *Phidias* statuarius fuit.

103. *Vivebat ebur.*) Cum ἐκφωνήσει pronunciandum.

104. *Raræ sine Mentore.*) Sine toreumate.

105. *Inde Dolabella atque hinc Antonius.*) *Antonius* trium * Antoniorum corruptor, ille Salustius, qui oræ maritimæ, qua Romanum esset imperium, contrarius piratis. Hi omnes socios, & maxime Græcos, Asiaticos, ac Siculos, fortunis omnibus spoliaverunt. C. Antonius a Cæsare accusatus.

109. *Et pater armenti.*) Taurus, aut admissarius.

GRANG.

101. *Chlamys.*) Quam militarem vestem interpretantur. At *Cassiodor.* supra ex diametro opposuit: *Chlamydes non pavescant, qui arma timuerunt.* Nam Senatores & provinciarum Rectores *chlamydati*, ut docet idem *Cassiodor.* lib. VI. epist. XXI. *D. Ambros. Sicut chlamys Senatorem ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma.*

101. *Spartana.*) Purpurea. Nam & *Sparta* suam jactat purpuram.

101. *Conchylia Coa.*) *Conchyliatæ* vestes ex Co insula advectæ. *Conchylium* autem proprie *concha* species eadem Murici, de qua *Plin.* lib. XXI. cap. VIII. *Catull.* in Epithal. Pelei & Thet.

101. *Coa.*) In Co insula etenim tenues & exquisitæ vestes fiebant. *Tibullus*:

Illa gerat tenues vestes, quas fœmina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Eæ autem erant *bombycina*, hoc est ex opera vermium, aliæ a Sericis, quæ ex arborum lana.

102. *Signisque Myronis.*) de quo *Petron. Myron, qui pene hominum animos, ferarumque ære comprehenderat.* de eo *Plin.* lib. XXXIV. cap. VIII. *Anthologiæ* lib. IV. *Auson.* in epigr. *Ovid.* eleg. I. lib. IV. de Ponto.

102. *Parrhasii tabulis.*) De quo *Plin.* pluribus locis. *Horat.* lib. IV. ode VIII. *Propert.* lib. III. eleg. IX. *Quintil.* lib. XII. cap. X.

103. *Pheidiacum vivebat ebur.*) *Virgil.* VI. Æneid.

— *Vivos de marmore vultus.*

Et alibi, *spirantia æra.* Ausonius:

Viva tibi species vacca Myronis erit.

Propertius lib. II. eleg. XXXI.

Quatuor artifices vivida signa boves.

Anacreon. ἔμψυχον dixit. fecit autem *Phidias* ex ebore Jovem Olympium. *Plin.* lib. XXXIV. cap. VIII. Et *Pausan.* lib. VII. *Seneca* epist. VIII. *Phidias non ex ebore tantum sciebat facere simulacra, faciebat ex ære.*

104. *sine Mentore.*) hoc est, sine scyphis Mentoris manu fabrefactis. hinc *Propert.* lib. I. eleg. XIV.

Et bibit Mentoreo opere.

Varro Agathone apud *Nonium*:

Numnam cælatus in manu dextra Scyphus,
Cælo dalitus artem ostentat Mentoris?

Cic. VI. Verrina. *Plin.* lib. VII. cap. XXXVIII. lib. XXVIII. cap. XI.

107. *Occulta spolia.*) More prædonum, qui rapinas suas spoliorum nomine adornant. Sic Thyamis apud *Heliod.* in Æthiopica: Λαφυρα τὰ σκῦλα σεμνότερον ὀνομάζει. *Prædam spoliorum nomine speciose appellat.* Nam proprie *spolium*, ut ait *Servius* VI. & VIII. Æneid. quidquid de hoste tollitur.

109. *Armenti.*) *Armenta*, *Servio* sunt equorum, & boum, quod hæc animalia apta sint *armis*, ut scutis coria boum, equi bello. At *Isidor.* dicta putat *armenta* de bobus tantum, quasi *Aramenta*.

113. *Forsitan*

Si quis in ædicula Deus unicus. hæc etenim ſunt
Pro ſummis : nam ſunt hæc maxima. deſpicias tu
Forſitan imbelleis Rhodios, unctamque Corinthum :
Deſpicias merito. quid reſinata juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?
Horrida vitanda eſt Hiſpania, Gallicus axis,
Illyricumque latus. parce & meſſoribus illis,
Qui ſaturant Urbem, Circo, ſcenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius diſcinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat
Fortibus, & miſeris, tollas licet omne, quod usquam eſt

Auri,

VET. SCHOL.

113. *Forſitan imbelles Rhodios.*) Ut oſtenderet has has civitates gymnaſiis, hoc eſt exercitationi palæſtræ deditas. Putes, inquit, has civitates furti non eſſe accuſaturas, quod de *reſina* pilos ſibi tollant, ut cinædi.

116. *Horrida vitanda.*) His parce gentibus, ne pro injuria rebellent, aut accuſent repetundarum.

117. *Meſſoribus illis.*) Afros ſignificat. *Et tenues*, quod nuper eos Marius *ſpoliaverat*, de quo ſuperius:

Exſul ab octava Marius bibit. —

GRANG.

113. *Rhodios imbelleis.*) Ex dicto Strabonici Citharœdi, qui eos albos Cyrenæos, & procorum civitatem ubique prædicabat, cum illos ſpatalonas, & thermopolas, i. diffluere deliciis, & calidum haurire animadverteret. *Cælius Rhodig.* lib. XIX. cap. VIII.

113. *Unctam.*) Divitem. Divites *uncti* appellati. Hinc jocus *Cicer.* Verr. IV. *Ita palæſtritas defendebat, ut ab illis unctior diſcederet.* *Catull.* epig. X.

Cur quisquam caput unctius referret.

Hinc proverbium *Unctum caput*, de divite.

114. *Quid reſinata juventus.*) Diverſa eſt lectio; alii, ut Raderus, *nec reſinata*. Baptiſta Pius, *quid enim reſinata* melius, *quid reſinata*. Nam duæ primæ in *reſina* ſunt productæ. *Juventus reſinata*, i. glabra ſive depilata, quod in depilationibus *reſina* uterentur. *Martial. Plin. Tertull.* ceteri.

115. *Crura lævia.*) Supra:

— *Attritus Catinenſi pumice lumbum.*

116. *Hiſpania horrida.*) *Martial.* lib. X. epigr. LXV. in Carmenionem:

Cum te municipem Corinthiorum
Jactes, Carmenion, negante nullo,
Cur frater tibi dicor ex Iberis,
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu ſimiles videmur eſſe?
Tu flexa nitidus Coma vagaris:
Hiſpanis ego contumax capillis.
Lævis dropace tu quotidiano:
Hirſutis ego cruribus, genisque.
Os blæſum tibi, debilisque lingua eſt:
Nobis filia fortius loquetur.
Tam diſpar aquilæ columba non eſt,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare deſine me vocare fratrem,
Ne te Carmenion, vocem ſororem.

116. *Gallicus axis.*) Hoc eſt clima, ſeu tractus. Sic *Sil. Ital.*

— *Aut axe relicto*
Heſperio. —

117. *Illyricum.*) Ἰλλυρὶς Ptolomæo, *Illyria* Stephano, Europæ Regio, quæ hodie *Sclavonia*.

117. *Meſſoribus illis.*) Africanis. Locus autem hic deſumtus ex *Varrone* lib. de Re Ruſt. *Manus movere maluerunt in theatro & Circo, quam in ſegetibus ac vinetis: frumentum locamus, qui nobis advehat, qui ſaturi fiamus, ex Africa, & Sardinia.* Videndus *Columell.* præfat. lib. VII. Sed ex profeſſo *Lipſ.* lib. I. Elect. cap VIII.

120. *Diſcinxerit.*) Zonam abſtulerit, i. pecuniam, quæ in *Zonis*; qua de re in ſequentibus. alludit autem ad illud *Maronis*:

— *Diſcinctos Mulciber Afros.*

122. *Fortibus, & miſeris.*) Nam ut ait *Aurel. Caſſiodor.* epiſt VI. lib. XII. Variar. *Invictas ſecuritates*

Auri, atque argenti: scutum, gladiumque relinquens,
Et jaculum, & galeam: SPOLIATIS arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia: verum est.
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire paret nummos raptura Celæno:

Tunc

tates illis dedit calamitas sua: spoliatus etenim jure negat, quod affluens inferre didiceras.

122. *Non est sententia.*) hoc est, ex *Veteri Interprete*, non sunt nuda verba. At *Britannicus*: Non est, quod ita sententiam. *Lubinus*: Non est voluntas mea. *Valla*, non est sententia, quam solummodo ornandæ locutionis caussa protuli. Ego non dico ex me ipso, sed ex *Sibyllæ* oraculo. Sic *Ovid.* II. de Arte:

Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
Dicere. —

Sic satyr. VI.

— *Credent a fonte relatum*
Hammoris. —

VET. SCHOL.

125. *Non est sententia.*) Non sunt nuda verba. In *sententia* nam solet interdum aliquid esse falsi, sed est oraculum verum.

127. *Si tibi sancta cohors.*) Si nemo servorum tuorum actus tuos vendit; si ephebus intonsus non est puer, pro quo sententia distrahatur; si uxor tua te administrante nihil rapit: denique si vir es bonus, patiar, ut falso licet, tamen ex quovis genere nobili, tibi fingas originem, vel a *Pico*, qui Fauno pater fuit.

GRANG.

126. *Folium recitare Sibyllæ.*) De re certissima Latini *folium Sibyllæ* dicere solebant. tractum adagium a Cumana *Sibylla*, cui mos, ut testatur *Varro*, palmarum in *foliis* oracula scribere. Vide *Virg.* III. & VI. Æneid.

127. *Cohors.*) Sunt comites & socii negotiorum, qui a Repub. dabantur magistratui. *Catull.* epig. X.

— *Mihi nec ipsi,*
Nec Prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret.

128. *Nullus Acersecomes.*) Si nullus ex tuis pathicis, quibus Apollinis instar

— *Flagrant nitidi fulgore remisso*
Vultus, & effuso cervix formosa capillo.

Acersecomes enim cognomen Apollinis, ut apud *Homerum* hymno in Apollinem:

Φοῖβ@ ἀκερσεκόμης. —

Idem ac ἀκειρεκόμης, ex ἀ & κειρεκόμης, cui tonsa seu rasa est coma. Sic Apollo dictus *Horatio* Cynthius Intonsus, *Homeri* imitatione.

128. *Vendit tribunal.*) Petronius:

Jam nunc judicium nihil est, nisi publica merces,
Atque eques, in caussa qui sedet, emta probat.

Bene autem *tribunal*, tanquam majoris Judicis. *Pedianus* in Divinationem. Subsellia sunt Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & ejusmodi minorum judicia exercentium; qui non in sellis curulibus, aut *tribunalibus*, sed in subselliis considebant. *Budæus* in l. I. de Judiciis.

128. *Si nullum in conjuge crimen.*) Vetere tamen Rep. legatos non solebant comitari uxores in provincias; sub Augusto, & Tiberio mutari cœpit: unde Cæcina apud *Tacit.* lib. III. Annal. censuit, ne quem Magistratum, cui Provincia obvenisset, uxor comitaretur. Qua de re *Lips.* ad *Tacit.* *Schottus* ad Controvers. *Senecæ.* *Casaubon.* ad Sueton.

129. *Curvis raptura Celæno.*) *Auctor* incertus Queroli. SYCO. *Arpyjas quæso præteriisti, quæ semper rapiunt & volant.* MAND. *Istæ sunt, quæ vota hominum observant, honores numinum, non solum solemnia, verum etiam extraordinaria requirunt & parentum debita: si aliquid ad diem præsentatum non est, cum tormentis exigunt, hac atque illac totum per orbem juxta terras pervolant, digitos ad prædam exacuunt curvis timendos unguibus, semperque mensis advolant, quod contingunt, auferunt, quod relinquunt, polluunt.* Sic *Sidon.* lib. VII. *In exactionibus harpyjæ.*

129. *Unguibus curvis.*) Alludit ad Etymologiam harpyjarum, ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, quas vocat *Suidas* ἁρπακτικὰς δαίμονας. *Rutil.* in Itinerario:

Harpyjas quarum discipitur unguibus orbis.

Vide de *Harpyjis*, *Gell.* lib. II. cap. ult. & *Lil. Gyrald.* syntagmat. V. hist. Deorum.

Gg 137. *Hebetes*

Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam,
Inter majores ipsumque Promethea ponas.
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitio, atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures:
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
OMNE animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas

In

VET. SCHOL.

137. *Hebetes lasso lictore secures.*) Retunsæ, feriendo capita damnatorum, id est, si crudelis nimium sis.

139. *Nobilitas, claramque facem.*) Hoc quod & *Sallustius* dixit: *Majorum gloria posteris quasi lumen est. Neque bona, neque mala in occulto patitur.*

140. *Omne animi vitium.*) Pro persona crimen admissum culpatur. *Sallustius*: *Qui magno imperio præditi.* *

142. *Quo mihi te solitum falsas signare tabellas.*) κατὰ κοινοῦ.

GRANG.

131. *A Pico numeres genus.*) tanquam alter rex Latinus,

Quem Fauno & Nympha genitum Laurente Marica
Accipimus; Fauno Picus pater, isque parentem
Te, Saturne, refert. —

131. *Numeres genus.*) Ut *Virg.* IV. Georg.

— *Et avi numerantur avorum.*

131. *Alta Nomina.*) Quæ Ovid. *magna*, Martial. & Stat. *ingentia*, Seneca *clara*, Albinovanus *tanta* dixerunt.

136. *Frangis virgas.*) Ut satyr. VI.

— *Hic frangit ferulas, rubet ille flagello.*

137. *Lictore.*) heic pro carnifice, ex more antiquo: unde *Nonius*: *A ligando lictoris proprietatem dictam vetustas putat; isti enim antiquitus carnificis officium fungebantur* Lips. I Elect. cap. XXIII.

137. *Delectant secures.*) Primum enim virgis cædebantur damnati, tum demum *securi* feriebantur ante leges Porcias, & Valerias.

139. *Claramque facem præferre pudendis.*) Marius apud *Sallust.* orat. contra Nobilitatem: *Majores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant; quod contra est: nam quemadmodum vita illorum præclarior; tanto horum socordia flagitiosior: & profecto ita se res habet, majorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur.* Seneca lib. IV. de Benef. cap. XXX. *Ut loca sordida repercussu Solis illustrantur, ita & inertes majorum suorum luce resplendent.*

140. *Omne animi vitium.*) *Salvian.* lib IV. de Judicio: *Atrocius sub sancti nominis professione peccamus; ubi sublimior est prærogativa, major est culpa.* D. *Hieron.* in Ezech. II *grandis dignitas Sacerdotum, sed major ruina, si peccant.* Seneca: *Magna servitus est magna fortuna, & Cæsari, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent.*

140. *Conspectius.*) Ita est, neque Imperatori magis, quam Soli latere contingit, &, ut ait *Seneca* cap. VIII. lib. I. de Clementia, *Eorum facta dictaque rumor excipit*; ideo nullis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt. reddit rationem cap. V. ejusd. lib. *Quia virtus sive vitium melius in tribunali, quam in plano conspicitur.* Ad hanc mentem *Sallust.* in Catilin. *Qui in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere, itaque in maxima fortuna minima licentia est.* Hinc merito *Albinovan.* hæc ad Liviam:

Ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus,
Nec vox missa potest Principis ore tegi.

Itaque majori pœna digni sunt. Hinc *Salomon.* Sap. VI. affirmat Judicium fieri durissimum de iis, qui præsunt. Videndus *Aristotel.* lib. I. Moral. cap XXXIV. & lib. V. Eth cap. III. & IV. *Demosth.* contra Aristog.

142. *Tabellas.*) Pro *tabellis* testamenti ἁπλῶς.

145. *Tem-*

In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo?
Præter majorum cineres, atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus, & ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul:
Nocte quidem; sed Luna videt, sed sidera testeis
Intendunt oculos. finitum tempus honoris
Cum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
Sumet, & occursum nunquam trepidabit amici
Jam senis, ac virga prior annuet, atque maniplos
Solvet, & infundet jumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas, torvumque juvencum

VET. SCHOL.

145. *Tempora Santonico.*) id est birro Gallico. Nam apud *Santonas* oppidum Galliæ conficiuntur.

145. *Cucullo.*) Galero fusco & horrido ardeliunculo, quales sunt latiunculatorum: aut ex lucerna turpi intincto.

148. *Ipse rotam adstringit.*) *Sufflamen*, vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere cœperit rheda, ne celeres rotæ sequantur, & animalia vexent.

152. *Et occursum.*) Non gravioris amici occursum timebit.

153. *Atque maniplos Solvet.*) Mannas fœni. vino nam solet fessis animalibus *infundi hordeum.*

GRANG.

143. *In templis.*) In quibus testamenta asservari solita. *Lips.* ad *Tacitum*.

145. *Velas adoperta.*) Id definitum ex III. Æneid.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

146. *Præter majorum cineres.*) via Flaminia, Latina & reliquis, ubi sepulcra Romanorum.

147. *Carpento rapitur.*) Reprehendit nobilium consuetudinem, qui nocte *carpentis* vehebantur, interdiu quiescebant. *Seneca* epist. CXXII. *Quæro circa horam octavam noctis, quis sit ille sonus rotarum, velle gestari dicitur*, &c.

147. *Lateranus.*) Alii legunt *Damasippus.* nomine fictitio fortasse *Plautius Lateranus*, parens illius, cujus mortem laudat *Arrianus* lib. I. de quo & *Tacitus.* Plura de *Lateranis* satyr. X. ad illud:

— *Lateranorum obsidet ædes.*

148. *Sufflamine.*) *Sufflamen* rotæ retinaculum. *Glossæ*: τροχῶν ἀγκύσελον βοήθημα κύφισμα ἁμάξης. Gallis *un enrajoir.* Hinc *sufflaminare* verbum apud *Senec.* in ludo Claudii: vide *Alciat.* Parerg. Jur. lib. VI. cap. V. & *Meursium* Exercitationibus Criticis.

149. *Sidera testes.*) *Propert.* lib. II. eleg. IX.

Sidera sunt testes. —

Et alter:

Sidera mundi oculi. — Alius:
Furtivos hominum vident amores.

153. *Virga prior annuet.*) satyr. III.

Sed jumenta vocant, & sol inclinat, eundum est,
Nam mihi commota jamdudum mulio virga
Annuit. —

Annuere virga, i. *faire claquer le fouet.* Ridiculi, qui aliter interpretantur.

154. *Infundet hordea.*) *Hordeum*, non avena, Italis equis pabulum. *Varro. Plin.* ceteri. Hinc *Festo*, *hordearium æs*, quod pro *hordeo* equiti Romano dabatur.

155. *Lanatas*) oves. sic satyr. XV.

— *Lanatis animalibus abstinet omnis*
Mensa. —

155. *Torvumque juvencum.*) *Erythræus* ad illud *Virg.* III. Georg.

— *Optima torvi*
Forma bovis. —

Boves perpetuo epitheto *torvos* Poetæ vocant, quod præcipua frontis asperitas in hoc pecore apparet. *Claudianus*:

— *Vitulam non blandius ambit*
Torva parens. —

i. Vacca. Unde *torvitas*, ut *Pompejo* placet, quasi *taurorum acerbitas* dicta.

More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Solam Eponam & facies olida ad præsepia pictas.
Sed cum pervigiles placet instaurare popinas;
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ,
Hospitis affectu Dominum, Regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi, fecimus & nos
Hæc juvenes. esto. desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. breve sit, quod turpiter audes.
Quædam cum prima resecentur crimina barba,
Indulge veniam pueris. Lateranus ad illos

Therma-

VET. SCHOL.

157. ***Solam Eponam.***) quia mulio est, qui consulitur. *Epona*, Dea mulionum est.

160. ***Currit Idumæa.***) *Idume* civitas Orientis. ideo *currit* Damasippus tabernarius, qui prope portam manet, tabernam volenti intrare.

162. ***Et cum venali Cyane.***) Nomen tabernariæ, pro qualibet. Scortum.

163. ***Defensor culpæ.***) Qui contra hæc defendere voluerit.

167. ***Lateranus ad illos.***) Sive Damasippus.

GRANG.

156. ***More Numæ.***) Palam, antiquo ritu, & quasi a *Numa* per manus tradito, sacrificat Jovi: sed sub pectore nullum aliud Numen, quam equos suos adorat. Nam quamvis religiosus appareret *Numa*, tamen nulla relligione tenebatur, &, ut ait *Lactant.* lib. I. cap. XXII. *Cum alios falleret, seipsum non fefellit.* *Plin.* lib. XIII. cap. XIII. *Valer. Max.* cap. I. lib. I. *Plutarch.* in Numa. *D. Aug.* cap. XXXIX. lib. VII. de Civ. Dei.

157. ***Solam Eponam.***) *Hipponæ facies pictas.* *hendiadys*, cum una res in duas dividitur: *Hipponam*, alii *Hippo* legunt. Correxit *Eponam*, *Turneb.* lib. XXIV. cap. IV. *Prudentius*:

Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra Deabus.

De ea meminit *Plutarch.* in Parallel. & *Arnob.* *Apul.* reliqui, quos videre est apud *Lil. Gyrald.* syntagm. de Diis Gent. *Lips.* Epist. Quæst. lib. II. epist. IX. putat hunc locum desumtum ex *Aristoph.* in Nubibus.

158. ***Sed cum pervigiles*** &c.) Imitatione Neronis, qui, ut ait *Xiphil.* & *Sueton.* in Ejus vita, post crepusculum arrepto pileo vel galero *popinas* inibat.

158. ***Instaurare.***) Derelictas, propter equorum desiderium denuo invisere. *Instaurare* enim *Festo* ab *instar* dictum, cum aliquid ad pristinam similitudinem, & comparationem reficitur.

158. ***Popinas.***) *Popina* locus, ubi publice obsonia, & delicatiores cibi apparantur.

158. ***Vigiles.***) Sic satyr. III.

Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ.

159. ***Amomo.***) Nonulli *amomum* idem esse putant ei, quod vulgo vocamus *herbe Robert.* Alii rosis, quæ vulgo, *roses de Jericho.* sed falso, ut docet *Matthiolus* ad *Dioscor.* cap. XIV. lib. I.

161. ***Dominum, Regemque.***) *Martial.* lib. I. epigr. CXIII.

Cum te non nossem, Dominum Regemque vocabam.

Et lib. IV. epig. XXCIV.

Sollicitus donas, Dominum Regemque salutas.

Et lib. X. epigr. X.

Qui me respiciat, Dominum Regemque vocabo.

162. ***Cyane.***) Popa.

162. ***Succincta.***) Quo magis expeditior. sic enim popæ & popinones ubique descripti.

163. ***Fecimus Hæc juvenes.***) *Plaut.* Bacchid. act. III. sc. II.

Minus mirandum est, illæc ætas si quid illorum facit,
Quam si non faciat, feci ego isthæc itidem in adolescentia.

168. *Inscripta*

Thermarum calices, inſcriptaque lintea vadit,
Maturus bello, Armeniæ Syriæque tuendis
Amnibus, & Rheno, atque Iſtro præſtare Neronem
Securum valet hæc ætas. mitte oſtia Cæſar,
Mitte: ſed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem,
Permiſtum nautis, & furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices, & fabros ſandapilarum,
Et reſupinati ceſſantia tympana Galli:

Aequa

VET. SCHOL.

168. *Inſcriptaque lintea.*) hoc eſt: Pictis velis popinæ ſuccedit, aut linteis * cabſariciis tergit. vel ubi eſculenta publice venduntur.

170. *Amnibus, & Rheno.*) Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, *Iſter* Sarmatas, & Ponto influit, *Rhenus* inter Allamanniam & Gallos Oceano influit.

172. *Legatum quære popina.*) *Παρὰ προσδοκίαν*, pro caſtris.

173. *Cum percuſſore.*) Sicario, aut gladiatore.

175. *Et fabros.*) Si *ſandaliorum*, ſutores, ac per hoc abjectæ ſortis homines. Si *Sardanafallos*, infamis hominis nomen eſt. Si *ſandapilarum*, lectorum, in quibus gladiatores mortui de amphitheatro ejiciuntur.

176. *Et reſupinati.*) Ebrii, aut turpia patientis.

GRANG.

168. *Thermarum calices.*) Ut plurimum enim in *thermis* bibendi locus. Epigrammatogr. lib. XII. epig. LXXI.

Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet, qui modo lotus eques.
A ſene ſed poſtquam nummi venere trecenti,
Sobrius a thermis neſcit abire domum.

Quintil. lib. I. cap. VI. *Petron.* in Satyr. *Seneca* epiſt. CXXII. *Atqui frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt, in ipſo pene balnei limine inter nudos bibunt, imo potant.* *Arnob.* lib. I. adverſ. Gentes.

168. *Inſcriptaque lintea.*) *Flavius* Conjectan. cap. LVII. Per *lintea inſcripta* ſcortum in thermis proſtans interpretatur; & ideo dici *inſcripta*, quod titulum oſtendant in fornice. Alii per *lintea* intelligunt ſudaria, quibus in thermis detergebantur; at per *lintea inſcripta* intelligit *popinam*, ante cujus oſtium erat velum oppenſum, orbiculos quoſdam habens, ut adduci & reduci facilius poſſet, ut docet ex *Dione Caſaubon.* ad *Sueton.*

169. *Maturus bello.*) *Senec.* de Brevit. Vitæ, cap. XVII: *Ibit in Pœnos nondum tantæ maturus rei Scipio.* Simili metaphora *Virgilius*:

Cum matura viro, cum plenis nubilis annis.

E contrario *cruda marito*, dixit *Horat.* & *cruda viro*, Martial.

169. *Armeniæ, Syriæque tuendis Amnibus.*) Sic interpungo, non, ut alii, *bello Armeniæ.* eo ſenſu ſcilicet, quo prius:

Hic petit Euphratem &c.

170. *Iſtro.*) *Iſter*, idem ac *Danubius*, Europæ maximus fluvius, ſed certis in regionibus *Iſter*, certis aliis *Danubius*: hodie *Done* & *Donaw* appellatur, ab undarum ſono & ſtrepitu.

170. *Præſtare poteſt Neronem Securum.*) Intra fines imperii conſervare Imperatorem, & ab incurſu hoſtium defendere: alias *præſtare Neronem*, eſt Imperatorio munere fungi, & *Neronis* perſonam ſuſtinere. Sic apud *Virg.* lib. XI.

— *Et magnum præſtet Achillem.*

173. *Invenies* &c.) quaſi alterum Tigellum inter

Ambubajarum collegia, pharmacopolas
Mendicos, mimos, balatrones, &c.

173. *Jacentem lectos*) Tricliniari. *Ipſe* ſatyr. XV.

— *Quem nocte ac luce jacentem*
Septimus interdum Sol invenit. —

175. *Fabros ſandapilarum.*) *Sandapila* proprie feretrum ignobilium. *Fulgent. Placiades*: *Sandapilam* vocabant feretrum ſive loculum, in quo plebejorum cadavera deferebantur.

176. *Tympana Galli.*) *Tympanorum* uſus minime in bello Romanis, imo effœminatorum pulſare *tympana.* hinc *Plauto* per convitium *Tympanotriba.* inventum autem Bacchi, quo Indi, Abari, & Parthi in bellis ſuis uſi ſunt; non ea forma, quæ nunc in uſu. *Suidas.* Ex palmæ arboris cavato ſtipite, cui tintinnabula ex orichalco introrſus adaptabant, & os deinde vaſi taurino corio occludebant, atque id in altum ferebant, concutie-

Aequa ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas,
At vos Trojugenæ vobis ignoscitis, & quæ
Turpia cerdoni, Volesos, Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo fœdis, adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumtis opibus vocem Damasippe locasti

Sipario,

curiebantque in acie. Tintinnabula igitur, quæ multa, & magna intus, inconditum quendam sonum edebant, quod recenset & *Plutarch.* in Crasso: tamen, ut testatur *Lips.* de Milit. IV. dialogo X. in marmoribus *Galli* matris Deum conspiciuntur *tympanum* manu tenentes, rotundum infra, supra planum: atque ibi conum inductum, quod bacillis pulsant. Hinc *Isidor. Tympanum est pellis vel corium, ligno ex una parte extentum.* Idem enim *Isidor.* nostrum *tympanum* describens, non *tympanum*, sed *symphoniam* vocat: *Symphonia*, inquit, *vulgo appellatur lignum cavum, ex utraque parte pelle extensa, quam virgulis hinc & inde musici feriunt.*

176. *Resupinati Galli.*) Vide illud III.

Horum, si nihil est, aviam resupinat amici.

VET. SCHOL.

177. *Aequa ibi libertas.*) Popinæ, ac per hoc communis est.

182. *Turpia cerdoni.*) Græce dixit *turpem*, vulgarem, lucri cupidum. Si pauper & popularis adulterium committat, crimen admisisse dicitur: si dives, jocosus appellatur.

183. *Vocem Damasippe locasti.*) id est præco fuisti in mimo. *Siparium* velum est, sub quo latent paradoxi, cum in scenam prodeunt: aut hostium mimi, aut quod appellatur comicum.

GRANG.

177. *Aequa ibi libertas.*) Non iniquæ Cæsaris mensæ, ut satyr. V. Nostri, *chacun y est maitre pour son argent.*

180. *Aut ergastula mittas.*) Servi enim noxii in *Ergastula* damnati. *Seneca* III. de Ira: *Magnam rem sine dubio fecerimus, si servulum infelicem in ergastulum miserimus.* Vide *Lips.* Elect. II. cap. XV.

180. *Lucanos.*) Italiæ populi *Lucani*. Quorum regio hodie *Basilicata*.

181. *At vos Trojugenæ.*) Romani. Sic satyr. I.

— *Jubet a præcone vocari*
Ipsos Trojugenas. —

Et satyr. XI.

Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum.

Trojanam enim originem affectabant, qui ab antiquo cives Romani, ut a fæce novorum separarentur. qua mente supra eadem ipsa satyr.

Teucrorum proles. —

181. *Quæ Turpia cerdoni.*) quæ humili popello turpia, & inhonesta, nobiles viros decebunt. satyr. IV.

Nam, quod turpe bonis Sejo Titioque, decebit
Crispinum. —

Et satyr. XI.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. —

182. Cerdoni.) cuilibet e plebe. Sic satyr. IV.

Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat. —

Et *Persius* satyr. IV.

182. *Volesos.*) Nonnulli *Volsos* legunt, alii *Volesos. Fest.* in voce *Optima. Catull. Volusios* appellat.

185. *Consumtis opibus*) equorum aurigatione. satyr. I.

Qui bona donavit præsepibus, & caret omni
Majorum censu. —

185. *Locasti Sipario.*) Rei scenicæ. *Siparium* hic pro arte scenica, seu theatrali. Proprie enim *Siparium* velum scenicum. *Paullus, Diaconus* ex *Festo*, *Siparium genus veli mimicum*, a *separando* dictum putat *Isidor.* inepte. Cave autem *siparium* & *supparum* confundas. *Supparum* enim navium velum est, imo non tam velum, quam supplementum veli: quod supra ipsa vela, & antennas expendebant; dictum, ut opinatur *Turneb. Papin.* in Sylvis:

— *Vos summis annectite suppara velis.*

De *Sipario*, *Tertull.* advers. Valentinianos, cap. XIII.

Seneca

Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me, dignus vera cruce. nec tamen ipsi
Ignoscas populo : populi frons durior hujus,
Qui sedet, & spectat triscurria patriciorum :
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. quanti sua funera vendant,

Quid

Seneca de Tranquillit. vitæ, cap. XI. *Apul.* lib. I. Milesf.

VET. SCHOL.

186. *Ageres ut Phasma Catulli.*) *Q. Lutatium Catullum* dicit, qui *Voranum* servum furacissimum habuisse fertur, de quo heic posterius *scurra Catulli*. De quo etiam illud traditur, cum deprehensus a nummulario esset, cujus de mensa nummos subtractos in calceos sibi insercíverat, quidam jocans in eum, *Pelle*, inquit, *si te nummularius in jus vocet, tu ei æs ablatum ex calceo abjiceres.*

187. *Laureolum.*) Hoc ideo, quia in ipso mimo, *Laureolo* figitur *crux*. Unde *vera cruce dignus Lentulus*, qui tanto detestabilior est, quantum ille gestum imitatus est scenicum. Hic *Lentulus* nobilis fuit, & & suscepit servi personam in agendo mimo, & deprehensus in falso *crucifixus* est.

189. *Ignoscas populo.*) Qui patitur nobiles agentes mimos spectare.

190. *Triscurria Patriciorum.*) Jocos, *tres scurras* nobilium fabulas agentes : dictum, quia *tres* simul exeant, quasi aliquid *quærentes*.

191. *Planipedes audit Fabios.*) Nobiles neaniscologos.

192. *Mamercorum alapas.*) Turpitudinis crimina.

GRANG.

186. Ageres *Phasma.*) Mimum, cui nomen *Phasma* a *Catullo Urbicario* Poeta compositum, imitatione *Menandri*. unde *Terentius* :

Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit.

Cujus argumentum : Adolescens introductus, qui aspectu pulcræ Virginis, veluti Numinis visu perculsus, exhorruit : hinc Φάσμα, visum, spectrum a φαίνω.

186. *Catulli*) Poetæ *Urbicarii*, non *Veronensis*, ne erres : non hendecasyllabi, sed Mimographi, quemque putat *Pervigilii Veneris* Auctorem *Scalig.* ad *Catull.* Sed dissentit *Lips.* in Elect.

187. *Egit Laureolum.*) Alterum mimum, cui *Laureolus* nomen ab eodem *Catullo Urbicario* compositum : unde & *Laureolum Catulli* vocat *Tertull.* advers. Valentinianos, cap. XIV. Primum tamen *Nævium* hujus argumenti fabulam composuisse volunt. In ea fabula, qui agebat *Laureolum*, cruci suffigebatur, unde subjungit noster :

— *Dignus vera cruce.*

Josephus lib. Antiq. XIX. cap. I. Vide *Martial.* epigr. VII. Amphith. Et *Sueton.* in Calig. cap. LVII.

187. *Lentulus*) mimus. D. *Hieron.* ad Sabinianum: *Hæc tibi ridicula forte videantur, qui comœdiis, & lyricis scriptoribus, mimis & Lentulis delectaris. Tertul.* Apol. cap. XV. *Dispicite Lentulorum, & Hastiliorum venustates.*

188. *Ipsi populo*) Romano spectanti, hoc est, Equitibus in quatuordecim, Senatoribus in Podio, infimæque plebi in cavea.

189. *Frons durior.*) quæ pudorem non admittit. Contra *tenera frons*, *Martiali* lib IV. epig. VI.

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri.

190. *Triscurria.*) Nonnulli derivant hoc nomen a *scurrilitate*, quasi *triplicem scurrilitatem* Patriciorum viderent. At *Scalig.* legit *transcurria*, quod Patricii ad orchestram *transiissent.*

191. *Fabios.*) Nobiles e *Fabia* gente. Vide *Xiphilin.* in Nerone.

191. *Planipedes*) Mimos agentes. Mimi enim dicti *planipedes*, ob eam caussam, quod cothurno Tragici, socco Comœdi pedes induerent. Ipsi autem Mimi *nudis pedibus* agerent. *Scalig.* Poet. I. cap. X.

192. *Mamercorum alapas.*) In mimis prodibant Scurræ, & parasiti, qui colaphis percutiebantur, ab iis, qui augustiores sustinebant personas. *Mamerci* igitur nobiles sipario locati scurrarum personam agebant, & *alapis* cædebantur ipso ridente populo. De iis *alapis* scurrarum, *Quintil.* Declam. CCXCVIII. *Multa video genera diversa vitæ, nec probabilia omnia. Ceterum tamen hoc novum est & inauditum, contumelias in quæstu habere & injuria pasci*, &c. *Plaut.* Captiveis:

Et

Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone:
Quid satius? mortem sic quisquam exhorruit: ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharœdo Principe mimus
Nobilis. hæc ultra, quid erit nisi ludus? & illic
Dedecus Urbis habes. nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem, aut falce supina,
(Damnat enim taleis habitus; sed damnat, & odit)
Nec galea faciem abscondit; movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra

205 Ne-

Et hic quidem, hercle, nisi qui colaphos perpeti potest parasitus. Terent. Eunucho: *At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* *Sidon. Apoll.* lib. III. epist. XIII.

192. *Sua funera vendant.*) Jam tangit nobiles, qui ludo gladiatorio sese exauctorabant; ii enim sui æris inopes, divites alieni, re cum spe consumta ad extremum deliberabant gladiatores fieri. *Propert.* lib. IV. eleg. VIII.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ.
Manilius lib. IV.

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ.
Vide *Lips.* lib. II. Saturn. cap. III.

VET. SCHOL.

193. *Nullo cogente Nerone.*) Tyranno scilicet.

194. *Celsi Prætoris vendere ludis.*) Ignobilioris, quam ipsi sint.

196. *Quid satius.*) utique mori, quam mimum agere. nec debet quis mortem sic horrere, ut in arena se locet, seu ut mimum agat.

198. *Res haud mira.*) Non est turpe, nobilem, mimum agere, cum ipse *Imperator citharœdus* sit, & in scena cantaverit. Non est mirum, si hæc mavult sequendo Ludium principem, quam mori, quando ipsum imitatur Neronem.

200. *Nec mirmillonis in armis.*) *Mirmillo* armaturæ Gallicæ nomen, ex pisce inditum, cujus imago in galea fingitur.

201. *Aut falce supina.*) *Thracum* armatura intelligenda est, quibus proprium telum, *sica* est.

203. *Movet ecce tridentem.*) Infamis est, sicut gladiator; aut indicatur, aut verba sunt *Gracchi* spernentis armaturam Secutoris.

GRANG.

195. *Finge tamen.*) Ut satyr. V.

— *Finge tamen te*
Improbulum. —

197. *Zelotypus Thymeles.*) *Thymele* mima personam sustinebat uxoris alicujus, quæ viro ζηλοτύπῳ verba daret: quem virum, quia nobilis aliquis locatus Theatro agebat, is a *Juvenale*, *Thymeles* ζηλότυπος appellatur, ut recte *Politian.* Epist. XXXIII. lib. VII.

198. *Res haud mira tamen.*) quoniam quisque sui Principis studia prosequitur.

198. *Citharœdo principe.*) Nerone. *Xiphil.* in Ejus vita: *Nero* in theatrum prodiit Gallionis voce nominatim prædicatus: *Erit*, inquit, *Cæsar in scena habitu citharœdi.* *Sueton.* in Nerone. *Tacit.* XIV. Annal. *Salisberiens.* Policrat. lib. IV. cap. VII. heic Flavii dictum apud eundem *Xiphil.* *Non possum aurigæ, & citharœdo servire.*

200. *Mirmillonis in armis*) *Mirmillo* Gladiatoris species, de qua *Lips.* Saturn. II. cap. X. Ii autem *Mirmillones* armis erant tecti. contra *Retiarii* nudi: Gracchus autem Retiarius.

201. *Clypeo pugnantem.*) quemadmodum solent *secutores.*

203. *Movet tridentem.*) *Retiario* erat *tridens*, sive fuscina pro gladio.

204. *Pendentia retia.*) In manu dextra *rete* ferebant, a quo *Retiarii* dicti. *Isidor.* Retiarius, qui contra alterum pugnantem occulte ferebat *rete*, quod *jaculum* appellatur. Festus: *Retiario adversus Mirmillonem pugnanti cantatur: Non te peto, piscem peto; quod effigies piscis galeis inerat mirmillonis, adversus quem pugnabat Retiarius.*

207. *Cre-*

Nequidquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, & tota fugit agnoscendus arena.
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, & longo jactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho jussus pugnare secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni;
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus?
Par Agamemnonidæ crimen: sed caussa facit rem
Dissimilem. quippe ille Deis auctoribus ultor
Patris erat cæsi media inter pocula: sed nec

VET. SCHOL.

207. *Credamus tunicæ.) Tunicam de faucibus.* quidam Vestem gladiatoriam dicunt, quam fibulam * pugnaturis mordet a faucibus. Alii, qua Galli utuntur in sacris, in modum organi utrinque decrescentibus virgulis purpureis. * nam fortuiti sunt veluti indicantibus partem corporis esse amputandam. hi dubii habebant, qui munera edebant, ut extremas partes tunicæ ad guttur ornarent, quo famam haberent.

203. *Et longo jactetur spira galero.)* * Pilo, quem habent *retiarii*. *Galerus* est humero impositus gladiatoris hujusmodi aliquid, quo citius sparsum funem, vel jactatum retium colligat.

212. *Senecam præferre Neroni.)* Ignobilem, sed virum bonum.

213. *Cujus supplicio.)* Hoc ideo, quia parricidis in *culleo* clausis, ad pœnam *simia* & *serpentes* jungi solebant. A Nerone autem mater occisa est, & amita, & uxor, & Antoni Claudi illa, quæ illi pro harum morte nubere noluit. Sed apertius dixit, quia & matrem occiderit & uxorem Octaviam, eandemque sororem adoptivam, & Britannicum fratrem adoptivum, filium Claudii peremit.

216. *Quippe ille Diis auctoribus.)* *Orestes*, qui & Matrem occidit, sed ut Patrem ulcisceretur & defenderet.

GRANG.

205. *Nudum ad spectacula vultum.)* Retiarius enim sine galea, cum galero solo, aperta facie. Unde *Sueton.* in Claudio: *Gladiatores forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium faciem videret.*

206. *Et tota fugit.)* Ita enim docti *Retiarii*, factique, ut arte quadam collectum, suspensumque dextra manu rete in adversarii caput jacerent; & si errassent, effuse *fugerent*, donec forte iterum rete collegissent.

207. *Credamus tunicæ.)* Et *tunica* Retiariorum propria. *Noster* satyr. II.

— Tunicati fuscina Gracchi.

Et *Sueton.* in Caligula eos *tunicatos* vocat.

207. *Credamus.)* Nonnulli *cedamus*. non ita bene. sensus autem est: Non tantum facie creditur nobilis, sed & *tunica*, & *spira aurea*, qua retinetur *galerus*.

210. *Secutor.)* Species gladiatoris *Secutor*, qui cum *retiario* committebatur; unde ei nomen ab *insequendo* retiario, si *Isidoro* credis. De *secutoribus*, *Dio* in Commod. *Cicero* Epist. ad Atticum lib. VII. *Prudentius*:

Altius impresso dum palpitat ense secutor.

211. *Suffragia)* eligendi Imperatoris.

211. *Quis tam Perditus.)* Satyr. V.

— Quis tam
Perditus, ut dicat regi: bibe. —

212. *Senecam)* Philosophum, Neronis Præceptorem virum frugi, licet longe aliter *Dio* in Nerone.

214. *Culeus unus.)* quo insuuntur Parricidæ. Vide *Xiphil.* in Nerone. & quæ dicemus infra.

315. *Par Agamemnonidæ crimen.)* Legebatur enim tempore Neronis passim:

Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι.

215. *Caussa facit rem Dissimilem.)* Orestes enim ulciscendi patris caussa matrem enecarat; Nero propria malitia.

217. *Media inter pocula.)* In mensa Agamemnona cæsum volunt *Homerus* Odyss. λ. *Dion.* oratione περὶ ἀπιστίας.

Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena nunquam cantavit Orestes,
Troica non scripsit. quid enim Virginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæva, crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ sunt generosi Principis artes,

Gau-

πνίας. *Ælian.* in Varia Hist. *Hygin.* Fab. CXVII. Alii tamen, ut *Æschylus*, & *Lycophron* in Cassandra, & *Seneca* in Agamemnone, non in mensa, sed in balneo occisum asseverant.

VET. SCHOL.

218. *Aut Spartani Sanguine conjugii.*) Helenæ, vel Hermionæ.

221. *Troica non scripsit.*) hoc ideo, quia *Nero Troados libros* scripsit. Unde & maxime insanivit, quia Poeta fuit. *Virginius* autem unus de conjuratis, qui Neronem occiderunt.

GRANG.

218. *Electræ jugulo.*) Orestes non occidit sororem suam *Electram.* At Nero Octaviam & sororem & conjugem suam interfecit.

218. *Spartani conjugii.*) Non enecavit Hermionem conjugem, Helenes & Menelai filiam, Neopolemi sponsam, de qua *Hygin.* Fab. CXXIII. Ut Nero, qui Octaviam, & Poppæam Sabinam trucidavit uxores.

218. *Spartani.*) ut quæ Spartæ Regis Menelai filia.

219. *Conjugii.*) hoc est, conjugis: sic *Catullus*:

Ereptum vita dulcius atque anima
Conjugium. —

Virgil. II. Æneid.

Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbis.

Propert.

Et certamen habet lethi, quæ viva sequatur
Conjugium. —

219. *Nulla aconita propinquis Miscuit.*) Orestes: at Nero veneno sustulit Claudium Imperatorem. *Sueton.* in Nerone cap. XXXIII. & Britannicum fratrem: *Suet.* Ibidem, & Antoniam Claudii filiam *Xiphilin.* in Nerone. *Similiter*, ut verbis utar Suetonii, *interemit ceteros aut affinitate aliqua sibi, aut propinquitate junctos.*

219. *Aconita.*) pro quocunque veneni genere, ut satyr. I.

Qui dedit ergo tribus patruis aconita. —

Et satyr. VI.

— *Pueris que meis aconita paravi.*

satyr. X.

— *Aconita nulla bibuntur*
Fictilibus. —

220. *Nunquam Cantavit Orestes.*) ut Nero. *Sueton.* in Ejus vita, cap. XX. & XXI. *Tacit.* Annal. XIV. *Xiphilin.* in Nerone.

221. *Troica non scripsit.*) *Xiphilin.* in Nerone: Ὁ δὲ Νέρων ἄλλα τε γελοῖα ἔπραττε, καὶ ποτὲ καὶ ἐπὶ τὴν τῆς θυμέλης ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ θέᾳ κατέβη, καὶ ἀνέγνω Τρωϊκά τινα ἑαυτοῦ ποιήματα. *Nero, qui multa ridicule faceret, tum aliquando in orchestram inspectante universo populo conscendit, ibique quædam pœmata sua scripta de rebus Trojanis legit.*

221. *Virginius*) *Rufus*, qui Germanis præerat, quique a Nerone descivit, ut & Vindex, & Galba. *Xiphilin.* in Nerone: *Erat Cajus Julius Vindex, natione Gallus, propter majores e stirpe regia, propter patrem ordinis Senatorii, homo magnis viribus corporis & multa præditus prudentia, peritusque rei militaris, & ad omne præclarum facinus audax. hic igitur congregata Gallorum multitudine, qui crebris pecuniarum exactionibus gravissima quæque a Nerone pertulerant, & adhuc perferebant, in tribunal ascendit, atque inde multa contra Neronem dixit, non solum ab eo deficere, sed etiam ei insultare oportere.* Et paullo post: *Quamque Vindex eo animo esset, Rufus, qui Germaniam obtinebat, inde profectus est, ut Vindici bellum inferret. Is, postquam Vesontionem venit, cœpit eam urbem obsidere, quod ab ea non fuisset exceptus. Vindex ad opem urbi ferendam contendit, nec procul castra posuit. Tandem ambo missis ad se literis in colloquium venerunt remotis arbitris. Ibi suspicio fuit eos una contra Neronem conjurasse.*

223. *Cruda.*) Crudeli. sic *Martial.* lib. IV. epigr. XLIX.

— *Aut cœnam, crude Thyesta, tuam.*

Sic *Ovidius*, *crudum Atreum* appellat.

226. *Graja-*

Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita cantu
Prostitui, Grajæque apium meruisse coronæ.
Majorum effigies habeant insignia vocis,
Ante pedes DomitI longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigonæ, seu personam Menalippes;
Et de marmoreo citharam suspende colosso.
Quid, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi
Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
Nocturna, & flammas domibus, templisque parastis;
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,

Ausi

VET. SCHOL.

226. *Grajæque apium.*) quia apud Isthmios agones, victores *apio coronantur.* Nero autem Isthmiaco certamine inter *citharœdos* certans, *apio*, uti mos erat, *coronatus* est.

227. *Habeant insignia vocis.*) Vocis missaria. * hoc est ἆθλα.

228. *Ante pedes DomitI.*) Alii *Domitium Senatorem* volunt, qui a Nerone coactus est mimum agere.

226. *Syrma.*) Vestis tragica est. Has autem personas Nero saltavit. *Menalippus* est, qui Tydeum occidit.

230. *Et de marmoreo citharam suspende colosso.*) *Colossum*, statua ultra mensuram. *suspende* statuæ *citharam*, non tropæum: ut Nero scilicet.

234. *Ut Braccatorum pueri.*) *Gallos* significat, & deest, teneant. *Allobrogæ* Galli sunt. Ideo autem dicti *Allobrogæ*, quoniam *brogæ* Galli *agrum* dicunt, *Alla*, autem, aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.

GRANG.

225. *Peregrina ad pulpita.*) hoc est, Achaica, non enim, ut ait *Xiphil.* sufficiebat Roma, non theatrum Pompeji, non Circus maximus.

226. *Apium.*) In Nemeis *Apio* coronati victores. *Plin.* lib. XIX. cap. VIII. sed *Apio* virente, vivoque: Nam & Isthmiis corona ex *Apio*, sed arente. *Plutarch.* V. Sympoliac. *Hadrian. Junius* Animad. V cap. XXI. *Jul. Scal.* Poet. I. cap. XXV. *Arnob.* lib. V. advers. Gent. dicit, *Apium* nasci ex sanguine fratris a fratre occisi, prohibitumque illud mensis apponi, quod confirmat *Plin.* lib. XX. cap. XI. hinc dicata mortuis herba. Vide proverb. *Apio egere.* & *Alexand. ab Alex.* cap. VIII. lib. V.

229. *Ante pedes DomitI*) *Neronis*, qui ex Domitia gente.

228. *Thyestæ.*) de quo consule *Hygin.* Fab. LXXXVIII. & CCLVIII. *Senecam* in Thyeste, ubi *Delrius.* Hic Achivorum rex, Atrei frater, cum cujus uxore concubuit: Atreus vero filium epulandum apposuit.

229. *Syrma.*) Vestimentum Tragœdorum ἀπὸ τοῦ σύρειν, a *trahendo*, Nobis *une robbe à queue.* *Martial.* lib. XII.

Aptasti tragicum tu quoque syrma tibi.

229. *Antigones*) filiæ Oedipi, & Jocastæ. *Hyg.* Fab. LXVII. & LXXII. & CCXLIII. *Apollodor.* lib. III. *Sophocles* in Antig. *Stat.* Theb. lib. XII. *Ovid.* in Ibin, & lib. II. Trist. eleg. I.

229. *Menalippes.*) Vide *Hygin.* Fab. CLXXXVI.

230. *Citharam suspende colosso.*) Fortasse respexit ad illud *Sueton.* in Nerone cap. XII. *Citharam autem a judicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit.* nisi intelligas de colosso CX. pedum longitudine a Zenodoro factum, de quo *Plin.* lib. XXXIV. cap. VII. nec obstat hunc æreum fuisse, sæpe enim Poetæ confundunt.

230. *Colosso.*) *Colossi* sunt moles statuarum. *Plin.* loco supradicto. dicti ita ab Auctore seu inventore ejus nominis, ut vult *Festus.* vel ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰ ὄσσε, quod altitudine nimia officiant spectantium luminibus. vel quasi κοῖλα ὄντα a vasta immanitate specus intranei.

231. *Tuis natalibus.*) Tua nobilitate. Hinc *natalibus restituere* in Jure, pro eo, quod diximus vulgo *ennoblir.* *Budæus* Annotat. in Pand. De nobilitate autem Catilinæ *Plin.* lib. VII. cap. XXVIII.

232. *Quid sublimius.*) Nobilius. Nobiles enim alti, & *sublimes* dicuntur. *Stat.* X. Theb.

Pars sublime genus. —

Claudian. IV. Panegyr. *Lucanus* ad Pisones.

234. *Braccatorum pueri*, &c.) Qui, ut ait *Florus*, faces tectis injecerunt & totam Urbem igne, ferro, manibus solo exæquarunt. *Braccatorum* autem *pueri*, hoc est Galli, qui *Braccati*, & Gallia *Braccata*: *Braccæ*

enim

Ausi, quod liceat tunica punire molesta.
Sed vigilat Consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modo Romæ
Municipalis Eques galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis, & tituli; quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio. sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Arpi-

enim Gallorum vestes. *Diodor.* lib. vi. Non autem omnis Gallia *Braccata*, sed tantum Narbonensis. *Plin.* lib. III. cap. IV. hodie, *Daufiné, Languedoc, & Provence.*

234. *Senonumque minores*) duce Brenno. *Livius*, alii.

VET. SCHOL.

235. *Tunica punire molesta.*) Vestis, ex charta facta pice inlita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent. Aut, si estis id conati, quod hoc pacto debent puniri.

239. *Et in omni monte.*) Quia in *montibus* condita est Roma. Legitur *& pontibus*, propter Molvium, ubi Catilinæ conjurati, & Allobroges deprehensi sunt.

240. *In Leucade.*) Propter Antonium & Cleopatram, quia bello navali sub *Leucade* promontorio Epiri devicti sunt ab *Augusto.*

242. *Thessaliæ campis.*) Ibi nam ab Augusto victi sunt Brutus & Cassius, & Pompejus a Cæsare.

244. *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*) non per adulationem, ut Augustum. Hoc nam differt ab Augusto Cicero, quia alius armatus, alius pacatus defenderit libertatem & civitatem, ut *Lucanus*:

— Romani maximus auctor
Tullius eloquii, cujus sub jure togato, &c.

GRANG.

235. *Tunica molesta.*) *Tunica molesta* erat, quæ solita liniri pice & bitumine, quam induebant, qui erant igne cremandi. *Seneca* epist. XIV. *Martial.* epigr. XXV. lib. X. *Tertul.* ad Martyres, cap. V. *Jam & ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent.*

236. *Sed vigilat Consul*) *Cicero*, qui in Catilinariis ita de se ipso: *Jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem Reipub.*

237. *Arpinas.*) *Arpinum* Ciceronis patria. *Plutarch.* in Cic. unde Ei probro objectum: *Arpinas novus*, & *Arpinas Romanus.* Romani enim *novos* nominant, qui ex sese claruerunt.

237. *Ignobilis.*) Variant de genere *Ciceronis. Ipse* a regibus se ortum dicit I. Tuscul.

238. *Municipalis Eques.*) i. ignotus. quod non esset tantus splendor, nec tantæ divitiæ, quantæ urbanorum Equitum. Sic *Tacitus* adulterum ignotum vocavit *municipalem. Turneb.* lib. II. cap. IX. Advers.

239. *In omni gente laborat.*) Quidam legunt, *in omni monte.* At *in omni gente*, interpretantur de equestri, senatorio, & plebejo ordine. Ego *in omni gente*, non tantum Romæ, sed & extra Romam, in Municipiis; sic cum Præneste occupare nocturno impetu consideret, invenit munitum præsidiis Ciceronis. Ipse Catilinaria I.

240. *Tantum Nominis, &c.*) Tantam gloriam reportavit togatus *Cicero*, intra muros urbis Romæ, in liberanda Republ. a conjuratione Catilinæ, quantam *Octavius* sagatus adversus Antonium.

240. *Toga contulit.*) *Plin.* cap. XXX. lib. VII. *Salve primus omnium parens patriæ appellate; primus in toga triumphum linguæque lauream merite!*

241. *Leucade.*) ubi Octavius debellavit Antonium, & Cleopatram. *Luc.* lib. IV.

Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.

Propert. lib. III. eleg. XI. *Ovid.* in epist. Sapphus. *Leucas* autem Epiri promontorium, ab albicanti colore petræ ita dicta. Hodie S. *Maura* dicitur.

242. *Thessaliæ campis.*) ubi Brutus, & Cassius victi ab Octavio, & Antonio. *Flor.* lib. IV. cap. VI. *Plutarch.* in Ant. & Bruto. *Appian.* lib. IV. de Bello Civili. *Lucan.* lib. II.

244. *Roma parentem.*) *Pater patriæ* appellatus fuit *Cicero* in Senatu a Q. Catullo ejus ordinis principe. *Cicero* ipse in Pisonem, & pro Sextio. *Plutarch.* tamen,

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra:
Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum
Excipit, & solus trepidantem protegit Urbem.
Atque ideo, postquam ad Cimbros, stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.

Plebejæ

-men, & *Appian.* a Catone. Primum autem omnium Romanorum hoc nomen reportasse affirmat *Plin.* lib. VII. cap. XXX. cui videtur contradicere *Livius*, qui *patrem patriæ Camillum* asseverat. Sed *Camillus* a militibus in triumpho appellatus *pater patriæ*; at Cic. decreto Senatus.

VET. SCHOL.

247. *Nodosam post hæc frangebat vertice vitem.*) A Centurione vapulando suo *vertice frangi* patiebatur Marius *vitem*, cum militat.

250. *Atque ideo.*) Mario, inquit, debellante Cimbros, *corvis* avibus fuit miraculum ire ad *majorum cadaverum* prædam, quia grandi statura sunt Galli. *Virgilius*:

— *Scutis protecti corpora longis.*

253. *Lauro collega secundo.*) *Secundo*, per Marium familia nova. Nam *primo* per Ciceronem nobilitata, hoc est, ut triumpharet. Vel, *secundo lauro* dixit, quia *secundo* loco triumphavit post *collegam* suum.

GRANG.

252. *Arpinas alius.*) C. Marius homo novus. *Valer. Max.* cap. I. lib. II. *Auctor* de Viris Illustribus cap. LXVII. Marius VII. Consul, Arpinas humili loco natus. Hinc *Sidon.* carm. II. vocat *Arpinatem lixam.*

245. *Volscorum in monte.*) In *Volscis* enim *Arpinum.*

246. *Alieno lassus aratro.*) Ut qui *alienum*, non suum coleret fundum. *Plin.* lib. XXXIII. cap. XI. *Ille arator Arpinas, & manipularis Imperator. Valer.* lib. III. cap. VI. *Plutarch.* περὶ ἀοργησίας.

247. *Frangebat vertice vitem.*) *Vitis* vicem fustis subibat, eaque utebantur Centuriones in castigandis militibus. *Plin.* lib. XIV. cap. I. & *Plutarch.* in Gracchis. qua de re plura ad illud satyr. XIV.

— *Et vitem posce libello.*

Tamen & aliquando puniebantur fustibus, ut notat *Faber* Semestr. I. cap. XVII.

248. *Muniret castra dolabra.*) Milites enim ipsi fabrorum vicem sustinebant, ut erudite *Lips.* lib. V. dial. XIII. At fortasse non tam de *dolabra* fabrili, quam de cetero opere militum. hinc dictum Domitii Corbulonis: *Dolabra vincendum hostem esse*, i. operibus.

250. *Trepidantem Urbem.*) *Sidon.* Carm. II.

Opposuit rabido Respublica territa Cimbro.

Orosius: *Maximus tunc Romæ non solum luctus, verum etiam metus fuit.* Eutropius: *Timor Romæ grandis fuit, quantum vix Hannibalis tempore Punicis bellis.*

251. *Cimbros.*) *Sidon. Apoll.* supra:

Ultum Arpinatem Calpurnia fœdera lixam,
Opposuit rabido Respublica territa Cimbro.

De Cimbrico bello *Flor.* lib. III. cap. III. *Plutarch.* in Mario, *Appian.* in Celtico, *Oros.* lib. V. cap. XV. *Plin.* lib. XXXIII. cap. XI. & passim.

251. *Cimbros, stragemque.*) *Stragem Cimbrorum*, Hendiadys. quæ & quanta fuerit illa strages, Auctoribus non liquet. *Florus* ad XL. millia cecidisse affirmat. *Euseb.* CC. millia cæsa, LXXX. capta. *Livius* CXL. millia cæsa, capta LX. longeque aliter *Oros.* quem adi.

252. *Majora cadavera.*) *Flor.* lib. III. cap. III. *Barbarorum rex ipse Theutobochus, quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, cum fugeret, ascendit, proximoque in saltu comprehensus insigne spectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat.*

253. *Nobilis collega.*) Quintus Luctatius Catulus, qui cum ipso *Cimbros* fudit. *Plin.* lib. XVII. cap. I. Ambo ii Consules, cum jam quartum Consul esset Marius, anno ab Urbe cond. IↃCLII. cave *nobilis* credas gignendi casu.

253. *Lauro secunda.*) at *ignobilis Arpinas*, *prima.* Nam honor ei totius belli attributus. *Plut.* in Mario.

Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina
Sufficiunt DIs infernis, Terræque parenti,
Pluris enim Decii, quam quæ servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,
Et fasceis meruit Regum ultimus ille bonorum.
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis

Exsuli-

VET. SCHOL.

254. *Plebejæ Deciorum animæ.*) *Decii* Pater & Filius, somnio moniti pro incolumitate Populi Romani se devoverunt, alter bello Latino, alter bello Gallico. Nam Pater cum esset collega L. Maulii Torquati, essentque somnio admoniti, eam partem victricem fore, cujus dux in prælio ceciderit, *Decius* calcaribus equo incitato, in medios hostes irruit, ibique pugnans interfectus est. Cujus cum corpus milites liberare contenderent cum plena sunt reversi victoria. Hoc exemplo Patris pro bello Sannitico & Tusco, bello Gallico ab hostibus est filius interemtus. de quibus & *Virgilius*:

Quin Decios Brutosque. —

259. *Ancilla natus.*) *Ocriculana* captiva. *Servius Tullius.*

260. *Regum ultimus ille bonorum.*) Nam fuerunt Reges postea *superbi.* Sextus a Romulo: nam septimus *Tarquinius* fuit *Superbus*

GRANG.

254. *Plebejæ Deciorum animæ.*) *Deciorum* familia non patritia, sed plebeja. *Horat.* Serm. I. satyr. VI.

— *Populus Lævino mallet honorem,*
Quam Decio mandare novo. —

255. *Hi*) *Decii*, pater, filius, nepos bello Latino, Herrusco, Tarentino, pro patria se devoverunt *Cic.* I. Tuscul. pat e *Decius Mus* anno ab U. C. CCCCXV. filius eodem nomine IV. Consul, an. CCCCLVIII. *Publ. Decius Pyrrhus*, an. CCCCLXXIV. Sic apud Græcos Menœceus Creontis filius vitam & sanguinem Thebanis suis largitus est, gladioque se transfixum e muris præcipitem dedit. *Cicer.* I. Tuscul. & *Stat.* X. Thebaid.

Sanguine nunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Jecit, & in sævos cadere est conatus Achivos.

De devotione *Deciorum*, *Lucan.* lib. I. *Virgil.* VI. Æneid. *Claudian.* IV. Consl. Honorii. *Valer. Max.* cap. VI. lib. V. *Plutarch.* *Plin.* *Livius.*

256. *Auxiliis.*) *Auxiliares* dicuntur in bello, socii Romanorum exterarum nationum. *Festus*: unde bene *pubem Latinam* distinguit ab *auxiliis.* *Pubes* enim *Latina* nomine Sociorum continetur. Socii semper Italici; auxiliares, externi.

257. *Terræque parenti.*) cui se devoverunt. *Terra* autem dicitur *parens.* *Virg.* lib. IV.

Illam terra parens. —

Plin. lib. II. cap. LXIII. *Sequitur Terra, cui uni rerum natura partium eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis.*

259. *Ancilla natus*) *Servius Tullius*, Sextus Rom. Rex, quem multi *ancilla natum* affirmant, alii dubitant. *Seneca* Epist. CVIII. *Flor.* lib. I. cap. VI. *Servius Tullius deinceps gubernacula Urbis invadit, nec obscuritas inhibuit, quamvis matre serva creatum.* *Seneca* Pater Controversia VI. *Regem tulit Roma, in cujus virtutibus humilitate nominis nihil est clarius.* *Aurel. Victor* de Vir.s Illustrib. hunc *Ocrisiæ* captivæ filium dicit. Paullo aliter *Plin.* lib. XXXVI. cap. XXVII. Vide *Porphyrium* ad illud *Horatii* satyr. VII.

Ante potestatem TullI & ignobile regnum.

Serv. III. Æneid. *Dionys.* lib. IV.

260. *Regum ultimus ille bonorum.*) huic enim successit Tarquinius.

260. *Meruit trabeam.*) Romani Reges utebantur *trabea.* *Plin.* lib. VIII. cap. XLVIII. Idque a primo Rege Romulo. Idem *Plin.* lib. IX. cap. XXXIX. unde *Ovidio* Quirinus *Trabeatus.* Triplicem faciunt Grammatici, Dis sacram, regiam, auguralem. At *Lips.* ad III. Annal. *Tacit.* proprie eam Equitum facit, qui ob id *Statio* dicti *Trabeata agmina.* Sed omnibus magistratibus fere attributa, ut docet *Marcellus Donat.* Dilucidationib. ad *Tacit.* ita dicta, quod purpuræ trabibus intertexatur, de qua *Wolfgangus Lazius* lib. VIII. Comment. Reip. Rom. cap. V. *Bais.* cap. X.

261. *Laxat.*) Sic *Virg.* II. Æneid.

Laxat claustra Sinon. —

261. Por-


Pag. 247.

Exsulibus juvenes ipsius Consulis, & quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, & quæ
Imperii fineis Tiberinum Virgo natavit.
Occulta ad Patres produxit crimina servus
Matronis lugendus: at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, & legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis

Aca-

261. *Portarum claustra.*) Idem *Virg.* lib. VII.
— *Portarum ingentia claustra.*

Claustra autem sunt repagula, & obices portarum: a *claudendo*.

VET. SCHOL.

262. *Juvenes ipsius Consules.*) *Ipsius* Bruti filii, qui a patre securi percussi sunt, portas aperiebant, ut Tarquinius Superbus intraret.

264. *Cum Coclite.*) *Horatius Cocles* cum fessos milites suos ab Etruscis videret, pontem sublicium subduci jussit, ne protinus hostes ab Urbem irent, & ipse solus interim exercitum Porsennæ sustinuit, dehinc armatus Tiberim transnatavit ad suos.

265. *Virgo natavit.*) *Clœlia* virgo inter obsides data Porsennæ a Romanis, simulans ritu patrio velle se in ripa *Tiberis* cum ceteris virginibus sacra facere, ablegatis custodibus *transnatavit*, & per legatos a Porsenna recepta, in tanto honore habita est, ut cum ceteris obsidibus in patriam remitteretur. Hujus rei caussa & statuam equestrem meruit inauratam.

267. *Matronis lugendus.*) propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia *Superbo* sub tyranno vim patiebatur castitas matronarum. *Vindicius servus*, qui indicavit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare; quos pater *securi* feriit: *servum* autem, ut conservatorem patriæ, manumisit, &, ut delatorem Dominorum, cruci adfixit. quod factum *matronæ planxerunt*.

268. *Prima securis.*) Quia *primus* Consul Brutus *secures* accepit.

GRANG.

261. *Juvenes.*) *Titus & Tiberius*, filii L. Junii Bruti primi omnium Consulis.

262. *Exsulibus.*) *Tarquinio, & filiis* Roma expulsis. *Val. Max.* lib. V. cap. VIII. *Flor.* lib. I. cap. IX. *Claudian.* I. in Eutrop. *Virg.* VI. Æneid. *Livius*, *Dionys. Plutarch.*

264. *Cum Coclite*) *Horatio*, de quo *Virg.* sub finem VIII. Æneid. *Plin.* lib. XXXIV. cap. V. & VI. lib. XXXVI. cap. XV. *Maximus* lib. III. cap. II. *Frontinus* lib. II. cap. XIII. *Silius* lib. X. *Livius* lib. II. *Dionys.* lib. VI. *Auctor* de Viris Illustr. cap. XI. & XII. *Flor.* lib. I. cap. X. *D. Aug.* lib. II. cap. XVIII. de Civit. Dei.

264. *Mutius.*) *Q. Mutius Scævola*, de quo *Virg.* VIII. Æneid. *Sil. Ital.* lib. VIII. *Martial.* lib. I. epig. XXII. & lib. VIII. epig. XXX. *Livius* lib. II. *Halicarnass.* lib. V. *Valer. Max.* cap. III. lib. III. *Plutarch.* II. Parall. *Seneca* Epist. LXVI. *August.* lib. IV. cap. XX. de Civit. Dei, *Lact.* lib. V. cap. I. Divin. Inst. *Tertul.* pluribus locis.

265. *Virgo*) *Clœlia.* de qua *Max.* lib. III. cap. II. *Aurel. Victor.* de Vir. Illustr. cap. XIII. *Plutarch.* cap. XIV. de laudib. mul. *Virg.* VIII. Æneid. *Silius* lib. X.

265. *Tiberinum Imperii fineis.*) *Servius* ad illud II. Æneid.

Hetruscique duces. —

Hetruria, inquit, dicta, quod ejus fines erant usque ad ripam Tiberis, quasi ἑτερερία, & per syncopen ἑτρερία. Nam ἕτερος est *alter*, & ὅρος *finis* vocatur. Igitur Roma a principio unam *Tiberis* ripam tenebat: unde *Propert.* eleg. I. lib. IV.

Et Tiberis nostris advena bubus erat.

266. *Servus*) *Vindex*, sive, ut alii volunt, *Vindicius.*

267. *Matronis lugendus.*) quem mortuum, tanquam nobilem, annum *matronæ lugebunt*. Male *Vet. Interpres*, qui aliter. De tempore autem, quo *lugebant matronæ*, *Ovidius* in Fastis. *Seneca* ad Helviam cap. 16. & epist. 63.

268. *Securis.*) More Majorum puniuntur, qui prius verberibus cædebantur, dein *securi* feriebantur. *Flor.* lib. I. cap. IX. *Virgis cecidit, & securi percussit.*

269. *Malo pater sit Thersites.*) *Gregor. Nazianz.*

Κρεῖσσον, ἄριστον ἔοντα κακὸν γένος, εἰ κάκιστον
Ἔμμεναι εὐγενέτην. —

Melius, optimum esse malum genere; quam pessimum esse nobilem. Vide *Homer.* II. Iliad.

274. Nemeæ.

Aeacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas,
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Scire

VET. SCHOL.

274. *Nomen ab infami.*) Romulus, ut augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem, *asylum* in eo loco constituit.

275. *Aut pastor.*) quos collegit Romulus.

275. *Quod dicere nolo.*) Servus aut Infamis, vel Latro. Nam latronum, aut perditorum collegit populum.

GRANG.

270. *Vulcania arma capessas.*) Ut Achilles, cui Vulcanus arma fabricavit. *Homerus*, & *Plaut.* Epidico.

270. *Capessas arma.*) Virg. III. Æneid.

— *Sociis, nunc arma capessant,*
Edico. —

270. *Vulcania arma.*) Virg. lib. VIII.

— *Vulcaniaque arma per auras,*
Laturum auxilio. —

Et lib. XII.

— *Postquam arma Dei ad Vulcania ventum est.*

Et libro XI.

Factaque Vulcani manibus paria induat arma.

272. *Longe repetas.*) *Seneca* pater Controvers. VI. *Quemcunque volueris, revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. quid recenseo singulos, cum hanc urbem tibi possum ostendere? nudi stetere colles. Inter hæc tam effusa mœnia nihil humili casa nobilius, fastigiatis supra tectis auro puro fulgens prælucet* Capitolium; *potes objurgare Romanos, quod cum humilitatem suam obscurare possint, ostendunt.*

273. *Ab infami asylo.*) Virg. VIII. Æneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum,
Rettulit. —

Servius Asyli originem ad nepotes Herculis refert. Vide *Flor.* lib. I. cap. I.

273. *Infami.*) Eo, quod tria hominum genera ad *Asyla* confugerent, malefici, servi, obærati. *Plutarch.* περὶ δεισιδαιμονίας.

275. *Aut pastor fuit.*) *Dio Nicæus* in Claudio: Βασιλεῖς ἐγένοντο οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι. *Qui antea pastores, postea Reges facti.*

275. *Quod dicere nolo.*) Spurius, lupæ filius. Sie autem *Tibullus*:

— *Quem dicere nolo.*

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA IX.

TURPIA QUI TOLERANT, NONA CARPUNTUR INIQUI.

SYNOPSIS. Cum vultus tristitiæ & hilaritatis index sit, Nævolum ad Cereris, & Isidis, ubi prostant fœminæ, fronte obducta obvium, super tristitudine interrogat: cui respondet, vitæ anteactæ genus flagitiosum penitusque tacendum, ceteris alioquin perutile, nihil sibi omnino prodesse, idque accidere tum malignitate fati, quod etiam regnat in partibus illis, quas sinus abscondit, tum mollium avaritia. Hinc Drauci cujusdam & Nævoli beneficiorum seu potius veneficiorum mutua exprobratio Poetæ a Nævolo declarata, ea lege, ut commissum secretum celare meminerit, quod divitibus nusquam cara sit annona veneni. Nullum vero divitibus secretum, ipsaque potius jumenta loqui, si servi taceant, respondet Poeta; proinde recte vivendum, potissimum ut murmura vitemus mancipiorum, quorum lingua pars eum si pessima; Domini tamen, qui prave vivunt, deteriores. Hoc consilium utile fatetur Nævolus, verum quoniam flos vitæ festinat decurrere, & bibendo obrepit non intellecta senectus, voluptatibus reliquum vitæ transigendum deliberat; huic desiderio nunquam defuturos stante Roma Pathicos denuo respondet Juvenalis. At Nævolus hæc felicibus, non sibi speranda dicit, pro quo, si aliquando fortuna rogatur, hæc, tanquam in Siculo mari alter Ulysses, cera aures suas obturat.

SCire velim, quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?

Nos

VETUS SCHOLIASTES.

IN hac Satyra *Nævolus Philopygista* queritur, quod divites cinædi avarissimi sunt, & nihil de obsequio libidinus possit adquirere.

2. *Marsya victus.*) aut proprie ab Eo, quem Apollo vicit; aut Advocatus temporis illius.

4. *Ravola, dum Rhodopes.*) Fecisti vultum tristem qualem *Ravola* fecit, cum deprehenderetur lambens.

4. *Rhodopes.*) Turpia. *Rabula*, a facto etymologiam nominis sumsit Poeta.

GRANGÆUS.

SCire velim &c.) *Seneca* in Hippolyto actus secundi scena I.

Quid huc similes fessa moliris gradus
O fida nutrix, turbidam frontem gerens
Et mœsta vultus? —

1. *Nævole.*) Eundem esse hunc *Nævolum* ei, de quo *Martialis* lib. I. ep LXXXXVIII lib. II. ep. XXXXVIIII. lib. III. ep. LXXVI. LXXXXV. lib. IV. ep. LXXXIV. ex fortuna, & moribus facile dignoscitur.

2. *Fronte obducta.*) *Horat.* Epod. ode XIII.

Obducta solvatur fronte senectus.

Quod fit, cum, ut ait *Plautus*, *frons caperat severitudine.* Retulerunt inter proverbia Parœmiographi.

2. *Ceu Marsya victus*) cantu ab Apolline. *Hygin.* Fab. CXCI. *Fulgentius* III. Mytholog. Olympi hunc filium facit, *Apollodorus* Oeagri. *Hygin.* fab. CCLXV. Hiagnis, *Apul.* Florid. I. *Marsya* autem & *Marsyas* nominandi casu, *Horat.* lib. I. Serm. satyr. VI. *adeundus Marsya.*

4. *Ravola.*) qualis Bęticus *Martial.* lib. III. epigr. LXXXI. Eunus *Ausonio*, Gellius, & Castor *Catullo.*

4. *Terit inguina.*) Libidinis verbum *terere.* *Petron.* *Perfusum os lacrymis vultu meo contero.*

4. *Uda barba.*) Catullus:

— *Emulso labra notata sero.*

4. *Rhodopes.*) pro meretrice qualibet, ob famosam meretricem *Rhodopen*, genere Thraciam, ancillam Iadmonis Samii, conservam Aesopi fabularum scriptoris. De qua *Herodot.* in Euterpe. *Strabo* lib. XVII. *Plin.* lib. XXXVI. cap. XII.

Nos colaphum incutimus lambenti cruſtula ſervo.
Non erat hac facie miſerabilior Creperejus
Pollio, qui triplicem uſuram præſtare paratus
Circuit, & fatuos non invenit. unde repente
Tot rugæ? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus:
Et ſalibus vehemens intra pomœria natis.
Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida ſiccæ
Silva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præſtabat calidi tibi faſcia viſci:

Sed

VET. SCHOL.

5. *Nos colaphum.*) Senſus talis eſt: Servus colapho percutitur a nobis, ſi placentam linguat: rabula autem, cum lambat inguina fœminarum, impunitus incedit. *Cruſtula*, ſpecies operis piſtorii. * *Lucullus: Guſtravi cruſtula ſolus, placenta.*

8. *Et fatuos.*) qui ei ſcilicet pecunias credant non ſoluturo.

11. *Et ſalibus.*) id eſt: Facetiis urbicis abundas, & es *urbanus*: id eſt, qui ſolebas in conviviis jocis omnes fatigare.

11. *Pomœria*) loca appellantur, quæ intra *muros* ſunt, hoc eſt *pone muros.*

14. *Faſcia viſci.*) Pſilotrum ſignificat, dropacem, ſolebat ſe accurare.

GRANG.

5. *Colaphum incutimus lambenti.*) at ingenuo fellanti ignoſcimus, atque ibi

— *Fortunæ veniam damus, alea turpis*
Turpe & adulterium mediocribus. —

Incutere autem *colaphum*, qua ratione *Terent. Impingere* dixit.

7. *Triplicem uſuram.*) ter amplius, quam quod legibus permiſſum. ſic *duplex uſura* & duplex fœnus *l. unica. Cod. Theod. de Uſuris.*

8. *Circuit*) forum, ubi fœneratores.

8. *Sed fatuos non invenit.*) qui ſuam ei pecuniam locent ad uſuram, cum non ſit ſolvendo. Species eſt proverbii, de quo *Eraſm.* ad illud: *Tollat te, qui non novit.* Similiter Noſtrates Galli: *Il n'a trouvé ſon fol.*

9. *Tot rugæ.*) quoniam ſupra

Occurrebas fronte obducta. —

De *rugis* diximus alibi.

10. *Agebas Vernam equitem.*) In unumquenque ſcommata, & dicteria evibrabas, *vernarum* inſtar. *Vernæ* enim non tantum ſervi domi noſtræ nati, ſed etiam ii, qui jculariter in unumquenque jocularia effundunt, quod quoſdam e *vernis* Domini ita inſtituere ſoliti eſſent. Vide *Douzam* Præcidan. ad *Arbitr.* cap XI. lib. I. facete autem eum *equitem* indigitat, ut & *Martial.* lib. I.

Domumque & agros implet equitibus vernis.

Sed potiſſimum *Nævolum* inter alios, qui *vernam equitem* agebat, cum verum non poſſet. *Martial.* clare de eo lib. III. epig. XCV.

Et ſedeo, qua te ſuſcitat Oceanus. —

11. *Salibus*) urbanis. *Petronius*: *O*, inquit, *hominem acutum, & urbanitatis vernulæ fontem.*

12. *Horrida Silva comæ.*) Magni, erectique capilli, quemadmodum enim *coma* de ſilvis, ſic *ſilva* de comis. *Catull.* epigr. IV.

Ubi iſte, poſt Phaſellus, ante fuit
Comata ſilva. —

12. *Horrida Silva.*) *Virg.* lib. IX.

Silva fuit late dumis, atque ilice nigra
Horrida. —

12. *Siccæ comæ.*) Non delibutæ unguentis. *Martial.* epig. LXXII. lib. X.

Siccis ruſtica Veritas capillis. —

Contra tamen *madidæ comæ* dicuntur.

13. *Nitor in cute.*) Horatius:

Nitidum curata cute vides.

14. *Ruſcia.*) Diverſa lectio hujus loci. quidam legunt *Pruſcia*, alii *Pruſtia*, *Bruccida*, *Bruccia.* melius, qui ita legunt hunc verſum:

Præſtabat calidi circumlita faſcia viſci.

Viſcus heic pro quolibet pſilotri ſeu dropacis genere. *Hadrian. Junius* libello de Coma.

16. Quid

Sed fruticante pilo neglecta, & squalida crura.
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies. igitur flexisse videris
Propositum, & vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis, & Ganymedem,
Pacis, & advectæ secreta palatia Matris,

VET. SCHOL.

16. *Quid macies ægri veteris.*) Ita *macer* & decolor, tanquam quartanarius.

16. *Domestica febris.*) Consueta, familiaris.

18. *Deprendas.*) id est: Omne vitium corporis, sive ægritudo, ex faciei colore *deprehenditur.*

19. *Sumit utrumque Inde habitum facies.*) id est, & lætitiæ & ærumnarum.

23. *Fanum Isidis. & Ganymedem.*) Statuæ, ad quas conveniebant cinædi.

23. *Et advectæ secreta palatia Matris.*) *Matris Deum mysteria*, cujus templum in *palatio* est.

GRANG.

15. *Fruticante pilo.*) *Salisber.* Polycrat. lib. I. cap. IV. De Esau verba faciens: *Fruticantibus pilis horrebat manus.* *Sidon.* lib. I. epist. II. *Pilis infra narium antra fruticantibus.* *Rutilius* itinerario de arboribus:

Illis proceras mos est adnectere lauros
Conspicuisque comis, & fruticante coma.

17. *Quarta dies.*) *Plin.* lib. VII. cap. L. *quadrimi circuitus febrem* vocat. Martialis *Quartanam*, quæ Saturni filia dicta est *Octavio Horatiano* veteri medico, ob tarditatem, & malitiam; *Democritus*, ut curaretur, pollutione opus esse censuit, ut sunt cædes, culpæ, menstrua, sanguinis potus, sacrarum avium, vel vetitorum animalium carnes cibo datæ. *Hadrian. Junius* III. Animadvers. cap. I.

17. *Febris Torret.*) Alludit ad verbi notationem. *Febris* enim a *fervore* dicta est.

17. *Olim domestica.*) quæ jam diu nobis familiaris, & tanquam *domestica* nobiscum moratur, qualis illa Claudii apud *Senecam* in Ludo.

18. *Deprendas animi tormenta*) *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. *Frons homini lætitiæ & hilaritatis, severitatis & tristitiæ index.* *Cic.* III. de Oratore: *Imago animi vultus est, indices oculi.* Quintus Cicero: *Frons animi janua.* Quare *Ovid.* appellat *vultum loquacem.* *Seneca* in Hercule Oetæo choro act. II. *Licet ipsa neges, vultus loquitur, quodcunque tegis.*

18. *Deprendas & gaudia.*) *Catull.* in Epithal. Pelei:

— *Declarant gaudia vultum.*

21. *Propositum*) iter vitæ.

22. *Fanum Isidis.*) Multa *Isidis* templa Romæ in prima, tertia, IX. & XIII. Urbis regione.

22. *Ganymedem Pacis.*) Volunt in *Pacis* templo a Vespasiano Imperatore exstructo *Ganymedis* statuam fuisse, propterea *Juvenalem*, *Ganymedem Pacis* dixisse, quasi diceret templum *Pacis*, in quo *Ganymedes* sive simulacrum *Ganymedis*: idque conati probare ex epigr. *Martial.* LXXIII. lib. VII. versu certe corruptissimo:

Sive cupis pace, seu Ganymede coli.

ubi Alii:

Sive cupis Paphiæ, seu Ganymedis ales.

cum vera lectio sit:

Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.

Sicque versus nil ad rem. Idcirco nonnulli mutant, ut *Valla* & *Ptolomæus Flavius* Conject. cap. LXXII. & legunt, *Ganymedis*, ut intelligatur, inquiunt, fanum. Sed ubi *Ganymedis* templum Romæ? per *Ganymedem* igitur intellige *Jovis templum*, in quo *Ganymedis* effigies; sicque interpunge *Ganymedem*, *Pacis*, &c. Videre est ex *Lactantio* I. de falsa relig. *Imago catamiti, & effigies aquilæ, cur ante pedes Jovis ponuntur in templis, & cum ipso pariter adorantur, nisi, ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum.*

23. *Pacis.*) cujus templum in quarta Urbis regione.

23. *Matris*) Deum. de cujus nominibus, *Ovid.* IV. Fast.

23. *Advectæ*) ex Phrygio Pessinunte. *Livius* lib. IX. *Plin.* lib. VII. cap. XXXV. *Herodian.* lib. I. *Fenest.* cap. XII. *Lactant.* cap. VIII. lib. II. *Arnob.* lib. VII. *Minutius* in Octavio.

Et Cererem (nam quo non prostat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus scelerare solebas,
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.
Utile & hoc multis vitæ genus: at mihi nullum
Inde operæ precium. pingueis aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri, crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.
Fata regunt homines: fatum est & partibus illis,
Quas sinus abscondit. nam, si tibi sidera cessant,

Nil

23. *Palatia.*) Templum in *Palatino* monte, de quo *Livius.*

23. *Secreta.*) In quo sacra arcana, quæ vulgare nefas.

VET. SCHOL.

26. *Quodque taces ipsos &c.*) Solebas scilicet, quod non confiteris. Hoc autem vult; ex persona Poeta eorum refert, qui divites scilicet *inclinant* viros, & tamen modica consequuntur.

27. *Utile & hoc.*) *Nævolus* hoc refert.

28. *Pingues aliquando lacernas.*) In alio *pingues*, ut ostendat *grossas*, ac per hoc pluviales. quæ muniant a pluvia, non quæ ornent.

30. *Et male percussas.*) Male textas.

30. *Textoris pectine Galli.*) Veneti, ut albidum cadurcum cucullo, ut alibi:

Atque ibi contentus Veneto duroque cucullo.

31. *Tenue argentum venæque secundæ.*) Modicum, aut leve, ærosum.

33. *Quas sinus abscondit.*) Penem dicit.

33. *Nam si tibi sidera cessant.*) Si te non adjuvat fatum.

GRANG.

24. *Cererem.*) Cereris templum in octava Urbis regione.

24. *Quo non prostat fœmina templo.*) *Tertull.* Apologet. cap. XV. *Ceterum si adjiciam, quæ non minus conscientiæ omnium recognoscent, in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditinorum. & sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis & apicibus, & purpuris ibure flagrante libidinem expungi. Minutius Felix* in Octavio, *Ovid.* Am. II. el. II. & III. de Arte Amandi. *Martial.* lib. XI. epigr. LXVIII.

25. *Aufidio Notior.*) De quo *Martial.* lib. V. epigr. LXIII.

25. *Celebrare.*) In aliis MSS. *scelerare.*

26. *Quod taceo.*) Nonnulli scribunt, *quodque taces.*

26. *Inclinare.*) Verbum obscœnum, de quo ad illud:

— *Quod discipulos inclinet Amillus.*

27. *Utile hoc multis vitæ genus.*) Mœchari multis profuit. *Martial.* epigr. LIX. lib. I.

Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo
Bis decies; hoc da tu mihi, pluris emam:

28. *Operæ precium.*) Nullam mercedem recipio ex mœchatione. *Opus & opera*, in obscœnis. *Ovidius:*

— *Medium solvat & inter opus.*

Martial. lib X. epig LV. & lib. XI. epig. CV. Sic Galli suam *operam*, suumque *operari* usurpant.

28. *Pingues lacernas.*) Sic propterea *pinguis Gallia* dicta *Martiali* lib. VI. epigr. XI.

— *Me pinguis Gallia vestit.*

29. *Munimenta togæ*) adversus imbres, & injurias cœli, vulgo ejusmodi *lacernas* vocamus, *manteaux ou capes de Bearn.*

30. *Male percussas.*) Galli: *mal batues en laine.*

31. *Tenue argentum.*) Aliquod poculum, aut simile quid *argenteum*, non magni ponderis, sed levissimum.

31. *Venæque secundæ.*) Non argenti puri, sive pustulati, quod Nostris dicitur *argent de cendrée ou de coupelle.* Sed quando aliquid æris intermixtum argento, dicitur, *argent le Roy*, *argent de Paris.* Hic per *argentum venæ secundæ*, neutrum intelligit, sed quid inferius, quod Nostri jam non amplius *argentum* vocant, sed *Billon.*

32. *Fata regunt homines.*) Sic satyr. VII.

— *Anne aliud, quam*
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

33. *Quas sinus abscondit.*) *Sinus* plerunque pro illa vestis parte, quæ tegit virilia. *Petron.* in Satyrico:

Mox

Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, & blandæ assidue densæque tabellæ
Sollicitent, Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus?
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, ac cevet. ponatur calculus, adsint

Cum

Mox manum dimisit in sinum, & pertractato vasculo &c.

33. *Si tibi sidera cessant.*) Idem *Petron.* in satyr. *O*, inquit, *Enothea, hunc adolescentem, quem vides, malo astro natus est: neque puero, neque puellæ bona sua vendere potest.*

VET. SCHOL.

34. *Mensura incognita.*) Ante non visa, quæ excedat opinionem hominum.

35. *Spumanti Virro labello.*) quia salivosus fuit. *Virro* nomen divitis. Quamvis, *inquit*, ille dives cinædus penem tuum conspexerit, & cupiditate blandis te epistolis & dypecis sollicitet, nihil tamen accipies, nisi stellas bene positas in genesi habueris, quæ tibi hoc præstent.

37 Αὐτὸς γὰρ &c.) Ipse ad se trahit.

38. *Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus.*) id est: dives avarus, infamis. *Virgilius*:

Tristius haud illo monstrum, nec sævior ulla.

39. *Hæc tribui.*) Multa tulisti. verba divitis

40. *Computat ac cevet.*) Fiat computatio. *Cevet*, crisat.

GRANG.

34. *Nervi.*) *Nervus*, pro veretro in versu obscœno:

Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse.

Mensura autem *nervi.* quomodo & ipse dixit satyr. I.

— *Ad mensuram inguinis hæres.*

Alter:

Me miserum! cupidas fallit mensura puellas.

Illa autem *mensura* similis fuit *Petroniano* illi, qui inguinum pondus tam grande habebat, ut ipsum hominem lacunam fascini crederes.

35. *Virro.*) de quo satyr. V. Hunc autem *Cinædum* fuisse *Catull.* docet epig. LXXXI.

Nescio quid certe est, an vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri.

Sic certe est, clamant Virronis rupta miselli
Ilia. —

Male legunt alii *Victoris. Unctoris. Varronis.*

35. *Te nudum*) in balneis. Sic Heliogabalus apud *Lampridium*, qui per emissarios ubique *bene nasatos*, sive, ut alii, *bene vasatos* perquirebat. Vide *Petron.* in satyr. & *Senecam* I. Natural. Quæst. *Martialem.*

35. *Spumanti labello.*) *Martial.* lib. I. epigr. XCVII.

Una lavamur, aspicit nihil sursum,
Sed spectat oculis devorantibus Dramos,
Nec otiosis mentulas videt labris.

Apulejus *undantibus labris* dixit. Nos *Il en a l'eau à la bouche.*

36. *Blandæ tabellæ.*) Illices, amatoriæ, quæ nostratibus *Poulets.*

37. *Sollicitent.*) Huic rei conveniens verbum, *Martialis*:

Nec premat ulla tuos sollicitetque toros.

37. Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται.) hoc est, *Ipse enim Cinædus virum ad se trahit.* Nonnulli aliter legunt, sed Glossema est cujusdam Græculi, tractum ex Græcorum proverbio: Πάντας γ' ἐφέλκων, οἷα μαγνῆτις λίθος. *Cunctos attrahens, haud aliter ac magnes lapis.* (non *cuncta*, ut interpretati sunt.) Porro parodia est depromta ex *Homero* IV. Odyss. Scias autem, τὸ κίναιδος, amplum illud peculium signare, quod Cinædus labris vidit spumantibus. Sic Latinis *vir* est illa pars, qua viri sumus. *Arnobius*; *virum abstulit.* & *Catull.* de Aty:

Ut relicta sensit sine viro membra sibi.

Hinc uno verbo Græci exsectos vocant ἀνδροτομουμένους.

38. *Ulterius monstrum.*) Ultra quod illud dari non potest. sic satyr. I.

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas. ———

40. *Computat & cevet.*) Alii. *canet.* melius *ceveri.* *computat*, quæ dedit, etiamsi inter *computandum* libidine frangatur. quid sit autem *cevere*, dixi ad illud II. satyr.

— *Ego te ceventem, Sexte, verebor.*

 43. *An*

Cum tabula pueri. numera sestertia quinque
Omnibus in rebus : numerentur deinde labores.
An facile & pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cœnæ?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum,
Quam dominum, sed tu sane tenerum & puerum te,
Et pulcrum, & dignum cyatho, cœloque putabas.
Vos humili adseculæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec morbo donare parati?
En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit:

VET. SCHOL.

43. *An facile.*) An putas, quod & in corrumpendo labor non est?

47. *Et pulcrum.*) hoc est: Ganymedi te comparas.

49. *Cultori.*) id est, tenui clienti, quemadmodum tu donabis, qui libidini tuæ conferre dubitas.

50. *In culin viridem umbellam, cui succina mittas Grandia.*) Gemmata dextrocheria.

51. *Aut madidum ver Incipit.*) *Matronalibus* scilicet, quæ sunt *Kalendis Aprilibus*, quibus est *natalis Veneris.*

GRANG.

41. *Cum tabula*) ratiocinatoria, seu calculatoria. *Trifon.* III. de Verbor. Sig. *Calculus* enim in rationibus adhibebatur. Hinc *calculator* pro doctore Arithmetices, & etiam pro discipulo, ut apud *D. Hieron.* a b c darii, syllabarii, *nominarii*, *calculatores*. Hinc phrases natæ, *subducere calculum*, *ponere calculum*.

42. *Labores.*) Ut supra *opus*, in re turpi. *In Phallicis*:

— *In mihi laboratum*
Locum venitis. —

43. *An facile & pronum est.*) *Martial.* lib. VI. epig. XXIII.

Stare jubes nostrum semper tibi Lesbia penem:
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.

43. *Intra viscera.*) In Carm. obscœno:

Intra viscera habere concupiscis.

Et alibi:

Intra viscera furis ibit usque.

44. *Hesternæ occurrere cœnæ.*) Unde Ille:

Smerdaleos certe nisi res non munda vocetur,
Et pædiconum mentula smerdalea est.

Sed averte oculos pudor!

45. *Foderit agrum.*) *Fodere* in utroque dicitur in Phalecis post *Petron.*

Qui tot melleolas fodis puellas.

Et in *Phallicis*:

Qui cum te male foderint jacentem.

Hinc jocus *Martiali*, epig. ult. lib. VII.

Milo domi non est, peregre Milone profecto
Arva vacant, uxor non minus inde parit.
Cum sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur, ager non habet, uxor habet.

Hinc locus ille, *fossa*, *Juvenali*:

Inter Socraticos notissima fossa Cinædos.

Hinc *fossor*, *Ausonio*. Simili translatione dixit *Apulejus*, *arare.*

46. *Tenerum puerum.*) Sic Ille:

Nec tibi tener puer patebit ullus.

47. *Dignum cyatho.*) Alterum Ganymedem, qui Jovi

Misceat amatori pocula grata suo.

49. *Morbo.*) Vocat pravum illum habitum Venereum, *morbum*, ut satyr. II.

— *Et morbo pallet utroque.*

50. *Viridem umbellam.*) Pileum, sive Causiam, ad Solem arcendum in via, sive Theatro, hodie nostris, & Italis *Parasol.*

50. *Succina Grandia.*) Vide, quæ dixi ad illud VI.

Seu pinguia succina. —

51. *Natalis quoties redit.*) *Natali* quoque veniente munera mittebantur. *Martial.* epig. LIV. lib. IX. & epig. LXIII. lib. VIII. *Terent.* Phorm. act. I. sc. I. *Ovid.* I. de Arte.

51. *Aut madidum ver.*) Non tantum die natali, sed etiam *Calendis Martiis* mittebantur fœminis munera. *Ovidius*:

Sive

Incipit: & strata positus, longaque cathedra
Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.
Dic passer, cui tot monteis, tot prædia servas
Apula, tot milvos intra tua pascua lassos?
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumque jugum Cumis, & Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto?

Quan-

Sive dies fuerit natalis, sive Calendæ,
Quas Venerem Marti continuasse juvat.

Ver autem incipit mense *Martio*: quare initium *veris* pro ipsis Calendis posuit.

51. *Madidum.*) qua ratione vocavit *nimbosum* satyr. IV.

VET. SCHOL.

52. *Et strata positus longaque cathedra.*) Cervicalibus stratum scamnum dicit.

53. *Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.*) *Kalendis Martiis*, quibus Junonis sacra celebrantur a Romanis: quia & tunc Ilia compressa est a Marte. Tunc nam *Matronalia* sunt.

55. *Tot milvos.*) Vult ostendere magnitudinem possessionum Poeta, quam latæ sint agris, ut nec *milvi transvolare* eas possint. *lassos* igitur, id est volantes in agris tuis.

55. *Suspectumque jugum.*) quod immineat Cumis, valde altum.

57. *Et Gaurus.*) *Gaurus* mons Campaniæ. *Inanis* autem, superexhaustus, ut transacto vindemiarum tempore: aut quia vaporiferos specus habet: aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est, & solis vinetis vacat.

58. *Victuro dolia musto.*) Multum duraturo.

GRANG.

52. *Positus cathedra.*) tanquam fœmina, quæ in *cathedra* sedere solet. *Martial.* epig. CIX. lib. IX.

Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet. —

Calpurnius in Bucolico. *Propert.* lib. IV.

53. *Calendis fœmineis*) *Martiis.* Cur autem *Martiæ Calendæ fœmineæ*: docet *Servius* ad VIII. Æneid. *Festus* in *Martius.* Eo die viri fœminis munera mittebant. *Horat.* lib. III. od. VIII. *Macrob.* lib. I. cap. XII. *Martial.* epigr. LXXXV. lib. V. *Tibull.* eleg. I. lib. III. *Suet.* in Vespasiano.

53. *Tractas.*) Corrige *tractas.*

53. *Secreta.*) quæ non audebat palam proferre, quod ei tanquam fœminæ a Drauco mitterentur.

54. *Passer*) ob salacitatem. Hinc illud:

Vernis passeribus salaciores.

54. *Montes*) Apulos. *Horat.*

Vulture in Apulo. —

54. *Prædia.*) Ferax enim & exculta Apulia. Idem *Horat.* od. XVI. lib. III.

Quam si quidquid arat non piger Apulus.

unde *Martial.* *Apulos campos* dixit lib. X. epigr. LXXIV. Duplex autem *Apulia*; *Apulia Daunica*; quæ hodie *Puglia Plana.* Alia *Apulia Peucetia*, quæ *Terra di Barri.*

55. *Tot milvis.*) Sic *Persius*:

Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.

Sic apud *Plutarch.* Σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν, [illegible] *Arvum colo bis sex dierum, uer solo Berecynthio.*

56. *Trifolinus ager.*) Campanus, a *Juvenale* ita dictus, quod vina ferret *trifolina*, hoc est, quæ *tertio foliorum* exortu, nempe tertio anno ad bibendum tempestiva forent. quorum meminit *Plin.* lib. XIV. cap. VI. vulgo *vin de trois feuilles.* qua ratione *trifolina vitis* dicitur *Martial.* lib. XIII.

57. *Suspectumque jugum Cumis.*) *Misenum* montem volunt. Ego putarem arduum montem; qui a balneis Triperguilnis abest mille & quingentos passus, ubi adhuc visuntur Hamarum insignes ruinæ. Ob idque illud *jugum suspectum* vocavit propter historiam, quam refert *Livius* lib. XXIII. cujus initium: *Campani adorti sunt rem Cumanam suæ ditionis facere. &c.*

57. *Gaurus inanis.*) Tibi non sufficiens, quique tibi tam inutilis, ac si nihil haberes.

58. *Linit.*) Picat; quod ideo *linere* appellat, eo quod, qui picant vasa picem diluere solent, ut liquidior inhærescat vasorum lateribus, quibus adhibebatur etiam cera.

58. *Victuro musto.*) Multos annos duraturo. *Plin.* lib. XIV. cap. IV. Durant adhuc vina ducentis fere annis;

jam

Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans
Cum matre, & casulis, & conlusore catello
Cymbala pulsantis legatus fiet amici?
Improbus es, cum poscis, ait. sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulysses.
Alter emendus erit: namque hic non sufficit: ambo
Pascendi. quid agam bruma spirante? quid, oro,

Quid

jam in speciem redacta mellis asperi. Vide *Olivarium de Serres* in Theatro Agriculturæ.

VET. SCHOL.

59. *Lumbos donare clientis.*) Magis debes illi donare possessionem pauperi *clienti* tuo, qui libidini tuæ satisfacit; quam puero, qui in agro tuo natus est.

62. *Cymbala pulsantis legatum fiet amici.*) Archigalli *cymbala percutientis*, ac per hoc Gallo * inquit, dixit. legetur id est legatario donabitur.

63. *Sed pensio.*) Tributum, aut quod in conducto maneat.

64. *Ut Polyphemi Lata acies.*) Unicus oculus Cyclopis, quem Ulysses excæcavit.

66. *Ambo Pascendi.*) id est, Ideo peto, quia pueros pasco, & vestio.

67. *Bruma spirante.*) Hiemis tempore, cum petunt calcearium, quid dicam.

GRANG.

60. *Meliusne rusticus infans.*) Certe melioris conditionis est comes, idemque Draucus Galli *cymbala pulsantis*, quem per provincias errans stipem mendicandi gratia ducit una cum matre, & reliquis fratribus, ipsoque catello; quam ego, qui tecum folco.

60. *Rusticus infans.*) Per *infantem*, heic juvenem intellige, & jam robustæ ætatis. Scriptores enim ætatis gradus ut plurimum confundunt, ut docet *Henric. Steph.* in Aprili, Schedialm. XXII.

61. *Cum matre, & casulis.*) Alii *cum matre & caculis.* facete autem *casulas* vocat canistra, seu mavis *scirpeas* asino impositas, quibus per viam mendicantes illi tanquam in domo sive *casula* omnia sua frivola recondunt. Tales depingit *Apul.* in Milesiis, quem adi.

62. *Legatus.*) i. Comes. Facete autem hunc comitem *legatum* appellat, quasi alicujus exconsulis in Provinciam proficiscentis. Alii per *legatum* legatarium exponunt. unde *Lips.* non *legatus* legit, sed *legatum.* Epist. Quæst. epist. XXV. nihiloque secius hunc locum interpretatur, quem videbis.

63. *Improbus.*) Impudens. Glossæ: *Improbus* ἀναιδής. Sic *Propert.*

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi.

63. *Pensio clamat.*) Hoc est, tempus solvendæ *pensionis* cœnaculi me monet, ut a te poscam. Similis locus est apud *Plaut.* Trucul. act. V. sc. 1.

Puero opus est cibum, opus est matri autem, quæ puerum lavit,
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Ut dies noctesque potet: opus est igne, opus est carbonibus,
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis,
Oleum opus est, farina puero opus est, opus est totum diem,
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.

64. *Appellat ut Polyphemi Lata acies.*) Tam alte me appellat, quam alte vociferabatur *Polyphemus. Polyphemi* igitur *lata acies*, hoc est, *Polyphemus*, qui ut ait *Virg.* III. Æneid.

Clamorum immensum tollit, quo pontus, & omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.

De eo *Hygin.* fab. CXXV. *Homerus* Neptuni & Thossæ filium facit Odyss. I.

56. *Postquam evasit Ulysses.*) Polyphemo inebriato, se suosque liberavit *Ulysses*, *Homer.* Odyss. IX. *Tibull.* lib. IV. *Propert.* lib. II. eleg. XXXIII. *Hygin.* loco supradicto. *Varro* Sesqui Ulysse apud *Nonium* in *Invitare.* Male autem legunt *per quam*, sed *postquam.* Nam exclamavit *Ulysse* salvo.

65. *Sollers.*) In omni re prudens, quia *sollo* Oscæ totum dicitur, ait *Festus.*

[76. Tru-

Quid dicam ſcapulis puerorum Aquilone Decembri,
Et pedibus? durate, atque exſpectate cicadas?
Verum, ut diſſimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris precio, quod, ni tibi deditus eſſem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus iſta modis, quam ſæpe rogaris,
Et quæ pollicitus. fugientem ſæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, & jam
Signabat, tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. teſtis mihi lectulus, & tu,
Ad quem pervenit lecti ſonus, & Dominæ vox.

Inſtabi-

67. *Bruma ſpirante.*) *Brumali* vento. Venti enim *ſpirare* dicuntur. *Virg.* III. Æneid.

Semper hiems, ſemper ſpirantes frigora Cauri.

Plin. lib. II. cap. XLVII.

VET. SCHOL.

69. *Exſpectate cicadas.*) Æſtivum tempus.

70. *Verum ut diſſimules, ut mittas.*) Negligas, dimittas.

71. *Quod ni tibi deditus eſſem.*) id eſt, Niſi tibi omni animo devotus fuiſſem, uxorem tuam non devirginaſſem.

74. *Fugientem ſæpe puellum.*) Volentem recedere de domo tua.

75. *Tabulas quoque ruperat, & jam Signabat.*) Dotales *tabulas* frangentem. & repudium volentem tibi dare, & *ſignantem tabulas*, ſive alii ut nubat, ſive ut alium faceret heredem, ſæpius revocavi, dormiens cum ea. ſatis faciens.

78. *Ad quem pervenit lecti ſonus & Dominæ vox*) in coitu non tacentis, quod virgo erat. ut ſit mariti major infamia. aut, cum virginem initiatur.

GRANG.

68. *Aquilone Decembri.*) *Aquilo* ventus eſt exoriens inter Septentrionem, & exortum ſolſtitialem, qui *Boreas* Græcis, noſtris *le Nort*, *ou vent Grec.* Bene autem *Decembrem* appellat: nam bis in anno ſpirat, ſummis caloribus, ſummoque frigore. *Aquilone* igitur *Decembri*, hoc eſt, hiberno. Nam *Aquilo æſtivus* dicitur *Eteſias.* unde *Lucretius*:

Eteſiæ flabra aquilonum. —

Vide *Plin.* lib. II. cap. XLIX. & lib. XVIII. cap. XXXIV.

69. *Durate.* &c.) id inter proverbia retulit *Cognatus.*

69. *Cicadas.*) An *ſurcularias*, quæ cum ſurculis veniunt? an *frumentarias*, quæ frumentis areſcentibus apparent?

72. *Devotuſque cliens.*) Addictus. *Sueton.* in Cæſare cap. LXVII. *Devotiſſimos ſibi milites reddidit.*

72. *Virgo maneret.*) Intacta, integra, non imminuta. *Varro*: *Omne caſtum, incorruptumque virginis vocabulo appellavere.* Alias virgo pro ea, quæ virum experta, ut apud *Terent.* & Virg.

75. *Tabulas quoque ruperat*) Nuptiales. hoc eſt, jam divortium fecerat. in divortiis autem *tabulæ rumpebantur.* Hinc *tabulæ* abſolute, quæ dicuntur nuptiales, matrimoniales, nuptiarum, matrimonii. Sic abſolute *tabulæ*, *Apulejo* in Apologia, & lib. IV. Mileſ. *rumpere* ſimiliter *tabulas* dixit *Cornel. Tacit.* lib. XI. Annal. ubi *Lipſ.* legendus. & *Faber* Semeſtr. II. cap. XXIII.

75. *Et jam Signabat*) alteras tabulas nuptiales, cum altero viro. ſupra:

Signatæ tabulæ. dictum FELICITER. —

77. *Teſtis mihi.*) Tibullus:

Teſtis mihi. —

Plautus:

Vos, vos mihi teſtes.

78. *Lecti ſonus.*) *Catull.* epig. VI.

— *Tremulique quaſſa lecti*
Argutatio, inambulatioque.

Ovid. el. XIII. lib. III. am.

Spondaque laſciva mobilitate tremens.

78. *Et Dominæ vox.*) Apulejus:

Inter ſubantis fœminæ voculas.

Ovidius:

Illic nec voces, nec verba juvantia ceſſent.

Martialis:

Nec motu dignaris opus, nec voce juvare.

79. *Inſta-*

Instabile, ac dirimi cœptum, & jam pæne solutum
Conjugium in multis domibus servavit adulter!
Quo te circumagas? quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. foribus suspende coronas,
Jam pater es: dedimus, quod famæ opponere possis:
Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur multa caducis,
Si numerum, si treis implevero. justa doloris,
Nævole, caussa tui. contra tamen ille quid adfert?

Neglígit

VET. SCHOL.

79. *Instabile.*) Exclamatio est.

81. *Quo te circumagas.*) Quo te vertas ad hæc, quæ dicturus est.

84. *Tollis enim & libris actorum.*) Nutris: & *libris actorum*, propter professionem inseris: quia apud ærarium Patres natorum deferebantur filiorum. Vel nominum notitiam devulgare contestatione publica.

86. *Quod famæ opponere possis.*) Ne dicaris cinædus.

87. *Jura parentis habes &c.*) Hæc omnia ad jus civile Poeta retulit. id est, meo labore habes filios, & scriberis hæres; & non pateris pœnas orbitatis.

90. *Si numerum, si tres.*) Si *tres* filios fecero. Nam a tutela excusant liberi, & in fascibus sumendis prior est, qui præstat numero filiorum.

GRANG.

81. *Circumagas.*) ut te a meis liberes objectionibus. sic vernacule, *Il ne sçait de quel côté se tourner.* *Circumagas* autem dixit, ut satyr. V.

Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Et satyr. VII.

Circumagat madidas a tempestate cohortes.

81. *Quæ prima aut ultima.*) Vide proverbium: *Quid primum, quid ultimum.*

84. *Tollis.*) Ex ritu antiquo, qui humi positos infantes *tollebant.* *Plaut.* Amphitr. & *Cistell.* *Terent.* Andria, & Heauton. *Sueton.* Augusti cap. V. in Nerone cap. VI. & sexcenti alii.

84. *Libris actorum.*) Aliter, *titulis actorum*, non bene. De *actis* autem multus *Lips.* lib. V. annal. *Tac.* Heic autem intelligit *libros actorum*, in quibus nativitas cujusque pueri reponebatur, quod nostri Curiones statuto regio faciunt, quos vulgo vocant *Registres des baptesmes.*

85. *Argumenta viri.*) Liberos, maximum enim *viri* argumentum generatio.

15. *Suspende coronas.*) Nato puero frondibus postes ornabantur. *Papin.* IV. Sylv.

— *Postesque ornare juberet.*

87. *Jura parentis habes.*) Jus trium liberorum: quod *Tacit.* appellat *privilegium parentum.* Tertull. *auctoritatem liberorum.* De illo jure *Lips.* ad *Tacit.* III. Annal. & *Raderus* ad epigr. *Martial.* XCI. lib. II.

87. *Scriberis hæres.*) Nam cælebs, lege Julia & Papia, ex aliorum testamentis quidquam capere non poterat, nisi post mortem testatoris intra centesimum diem matrimonium contraheret. *Plutarch.*

88. *Legatum omne capis.*) Lex enim Papia ab Augusto lata continebat, ut, si vir & uxor filios non haberet, quod alter alteri reliquisset, decima pars fisco adjudicaretur. Imo ex quolibet testamento, non nisi dimidiam partem accipiebant parentes orbi. *Alciat.* Dispunctionum lib. III. cap. III.

88. *Caducum.*) quod sine mea opera *caducum* fuisset. *Caducum* enim est, quod a legatario *cadit* in fiscum. Ideo ex Julia dicta *Caducaria*, *Ulpiano.*

89. *Commoda præterea.*) quia maritus meliori conditione erat, quam cælebs; & maritus filios habens, quam orbus: nisi beneficio Principis jus trium liberorum consecutus fuisset. Quæ autem illa *commoda*, vide, jam ut dixi, *Raderum*, & *Lips.* locis supra citatis.

92. *Negligit*

Negligit, atque alium bipedem sibi quærit asellum.
Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice lævis.
Qui modo secretum commiserat, ardet, & odit,
Tanquam prodiderim, quidquid scio. sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. nec contemnas, aut despicias, quod
His opibus nunquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum

Esse

VET. SCHOL.

92. *Negligit atque alium.*) Non curat, sed alium quærit, qui eum corrumpat.

93. *Hæc soli.*) *Nævolus* amico dicit, *Tibi soli* hæc secreta credidi.

95. *Nam res mortifera.*) Periculosus est cinædus iratus, aut offensus.

97. *Sumere ferrum.*) Occidere, aut incendere domum.

99. *Nec contemnas.*) Ne tibi despectæ sint, quas habet cinædus iras. *venena* dat, quanticunque distrahantur.

101. *Ut curia Martis Athenis.*) quia in Areopago primus accusatus est *Mars* a Neptuno, eo, quod filium ejus Palinrothion peremisset. vel, in Areopago *Athenis*, ubi sententiæ feruntur graviores.

102. *O Corydon.*) O stulte.

GRANG.

92. *Asellum bipedem.*) Apud *Petronium* Quartilla: *Hodie post asellum diaria non sumo.*

93. *Memento celare.*) Cela. *Ipse* satyr. V.

— *Dextram cohibere memento.*

Et satyr. VI.

Illius occursus etiam vitare memento.

95. *Pumice lævis.*) Pumicatus. *Martial.* epig. CCV. lib. XIV.

Sit nobis ætate puer non pumice lævis.

Vide *Plin.* lib. II. cap. XI. & lib. XXXVI. *Ovid.* I. de Arte, & quæ jam ad illud VIII.

— *Catinensi pumice lumbum*
Attritus. —

96. *Ardet.*) Irascitur. *Nonius* in *Ardere.*

98. *Aperire caput Fuste.*) Ut apud *Petron. Jam non potui supplicio caput aperire.*

98. *Candelam apponere valvis.*) Aedes incendere. Nugantur, qui heic obscœna cogitant.

100. *Annona veneni.*) Facete, quasi divites, ut ceterarum rerum, quæ ad victum pertinent, sic & *veneni annonæ* curam habeant. Huc usque Italis id peculiare remansit.

100. *His opibus.*) His divitibus. sic supra, *in illa fortuna*, pro, in fortunatis.

101. *Teges occulta.*) Ut *velare adoperta*, & mille alia, de quibus in *Juvenal.* vita.

101. *Ut curia Martis.*) Areopagus. Areopagitæ etenim *tacentes* judicabant. Unde proverbium: *Areopagita taciturnior. Macrob.* Saturn. ult. *Sicut apud Athenas Areopagitæ tacentes judicant; ita inter epulas oportet subsileri.*

102. *O Corydon, Corydon.*) *Corydon* pro rustico, ex illo Virg.

Rusticus es Corydon. —

aut potius pro demente ex eodem:

O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?

Deducitur autem ab ave *Corydalo*, quæ *Cassita*, seu *Galerita* est, Gallis *Cochevis*.

102. *Secretum divitis ullum &c.*) *Salisberiensis* Policr. lib. III. cap. XII. *Res siquidem periculosa est, divitum aut potentum communicare secretis: si quid enim eis per incuriam forte elabitur, cui nisi conscio imponetur? Quod cubicularii aut consiones minime aut quicunque nebulonum, quibus delicatus divitis sensus, aut furor carere non potest, in lupanari, vel taberna sparserunt, aut, ut se vendicarent a familiaritate potentis, vulgaverunt in populo: in illius calumniam retorquetur, qui in consiliis aliquem locum visus est tenuisse. Si motus rerum præscire desideras, meritoria discute, & lixarum castrensium inquire sententias. Nihil enim adeo occultum est, quod eis aliqua ex parte non reveletur, si*

mihi

Esse putas? servi ut taceant: jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen
E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet, & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. quod enim dubitant componere crimen
In Dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? nec deerit, qui te per compita quærat
Nolentem, & miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paullo ante petebas
A nobis. taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,

Pro

mihi non credis, vel Aquinati nostro aures accommoda, ait enim: O Corydon &c. Vide Agell. lib. XI. cap. XI.

VET. SCHOL.

109. *Archimagiri, Carptores.*) Inferiores, qui inlata carpunt.

112. *Baltea.*) Lora, quibus cæsi sunt.

112. *Per compita.*) Quadrivia.

113. *Vinosus inebriet.*) Impleat te ebrius secretis dominorum.

GRANG.

105. *Vela tegant rimas.*) *Vela* ante fores divitum fuisse, liquido liquet. *Martial.* epig. XXXV. lib. I.

At meretrix abigit testem, veloque, seraque;
Raraque, si memini, fornice rima patet.

Epictet. Arriani lib. III. diss. XXII. *Ceteri parietibus, januis, velis teguntur; ego sub Dio in propatulo ago, omnium oculis, & inquisitioni expositus. Deo me probo.* Vide *Sidon.* epist. II. lib. I. *Senecam* epist. LXXX. *Lips.* ad Ann. *Taciti*, & Auctorem Queroli.

107. *Ad cantum galli secundi*) hoc est, *ad secundum cantum galli*, & antelucano tempore. Vide proverbium: *Priusquam gallus iterum cecinerit.* Quare autem *Galli* noctu *canient*, alii alia. Nonnulli ad amoris vim referunt. Alii ad naturalem propensionem ad Solem. ceteri ad caliditatem & escæ cupiditatem. Vide *Heliodor* Aethiopic. lib. I.

109. *Librarius.*) Qui vel a *libra* pendenda, vel a scribendis *libris. Isidor.* lib. VI. cap. XIV.

109. *Archimagiri.*) Male nonnulli, ut *Ramires*, confundunt *carptores* cum *Archimagiris. Archimagiri* enim sunt ii, quos vulgo vocamus *maitres queux*, qui in *Magiros* habent imperium. *Sidon.* lib. II. epist. IX. *Ecce & ab Archimagiro adventans.*

110. *Carptores.*) qui scindunt obsonia, qui & a *Petronio*, *scissores*, ab aliis *Carpi* dicuntur, nostris *escuiers trenchants.* Vide *Lips.* in Saturnal. & *Douzam* ad *Arbitr.*

110. *Componere crimen.*) Fingere, Sic *Propert.* lib. II. eleg. IX.

Vobis facile est verba & componere fraudes.

111. *Quoties rumoribus ulciscuntur Baltea.*) *Seneca* epist. XLVII. *Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt; tussis, sternutamentum, singultus, magno ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota jejuni, mutique perstant: sic fit, ut isti de dominis loquantur, quibus coram domino loqui non licet.*

112. *Baltea.*) hoc est, flagella. Nostris *estrivieres.* Nam *Varro* IV. de ling. Lat. appellat *Balteum* cingulum e corio bullatum.

113. *Inebriet aurem.*) Galli recte *Il m'enyvre de son caquet. Inebriari* autem tribuitur *auribus*, ut & *bibere. Propert.* eleg. VI. lib. III.

— Suspensis auribus ista bibam.

Horat. ode XIII. lib. II.

Densum humeris bibit aure vulgus.

Ovid. III. Am.

Ore meo lacrimas, auribus illa bibi.

117. Pro

Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tunc his
Præcipue caussis, ut linguas mancipiorum
Contemnas. nam LINGUA mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas & farre suo custodit, & ære.
Iccirco ut possim linguam contemnere servi,
Utile consilium modo, sed commune, dedisti:
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, & spes
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus & salvis his collibus, undique ad illos
Convenient & carpentis, & navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. altera major

VET. SCHOL.

117. *Pro populo faciens quantum Saufeja.*) Sacrificans virgo Vestæ. *Virgilius:*

Cum faciam vitulum pro frugibus, ipse venito.

126. *Festinat enim decurrere.*) id est, Juventus decurrere, & *senectus* properare. *Virgilius:*

— Breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ. —

128. *Dum serta, unguenta.*) Coronas & aromata.

130. *Pathicus tibi deerit amicus.*) Corrumpi volens, aut corruptus.

131. *His collibus.*) id est, Septem montibus, supra quos posita Roma est, Palatino, Tarpejo, Viminali, Aventino, Esquilino, Cœlio, Vaticano.

131. *Carpentis & navibus.*) Ad corruptores & itinere venient, & mari.

133. *Altera major Spes superest.*) Multos imberbes habes tibi crescentes.

133. *Qui digito scalpunt uno caput.*) Cinædi, cum muliebri more componunt caput.

GRANG.

117. *Pro populo faciens.*) Sacrificans. Vide *Briss.* I. de Formul.

118. *Vivendum recte.*) *Salisber.* Policrat. III. cap. XII. *Veruntamen sive sciatur; sive non, nihil tutius est, quam propriam innocentiam conservare. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos; & inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur.*

119. *Linguas mancipiorum Contemnas.*) tamen testimonia servorum non valent jure civili.

120. *Lingua mali pars pessima servi.*) Vide *Plaut.* pluribus locis, & *Æsopi* vitam.

127. *Angustæ Portio vitæ.*) A brevitate vitæ captabant ansam genio indulgendi. *Lyricus* od. IV. & XI. lib. I. & od. VII. lib. IV.

128. *Dum bibimus.*) Similiter *Horatius*:

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas. —

129. *Non intellecta senectus.*) *Auson.* epig. XIII.

Dicebam tibi Galla: senescimus, effugit ætas,
Utere rene tuo, casta puella anus est.
Sprevisti, obrepsit non intellecta senectus:
Nec revocare potes, qui periere, dies.

131. *Stantibus his collibus.*) hoc est, urbe Roma, quæ sita in *collibus*. *Propertius:*

Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ jam locus urbis erit.

Stantibus autem, ut *Virgilio*, cui *stare Troja* dicitur. & *Horatio* ode III. lib. III.

— Stet Capitolium.

132. *Carpentis & navibus.*) Terra, marique.

133. *Digito scalpunt uno.*) hoc est, molles & Pathici. *Lucian.* enim effœminati hominis notam dicit τῷ δακτύλῳ

Spes superest : tu tantum erucis imprime dentem.
Hæc exempla para felicibus : at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona,
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta senectus
A tegete & baculo? viginti millia fœnus
Pignoribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet; & duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata

Securum

δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνᾶσθαι. Summo digito caput scalpere. *Seneca* epist. LII. *Impudicum & incessus ostendit, & manus mota, & unum interdum responsum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum.* Id potissimum notatum in Pompejo. Unde *Marcellinus* lib. XVII. *Nec non etiam in Pompejum obtrectatores iniqui multa scrutantes, cum nihil, unde vituperari deberet, inveniretur: duo hæc observarunt ludibriosa & irrita, quod genuino quodam more caput digito uno scalpebat.* Intelligit autem *Calicum* Poetam *Ammianus*, qui ita in Pompejum:

Fasciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum?

quod videre est apud *Senecam* patrem Controvers. XIX. Retulerunt & inter proverbia: *Uno digito scalpit caput.*

VET. SCHOL.

134. *Tu tantum erucis.*) Dicitur hæc herba ad coitum inflammare, & vires dare.

135. *Hæc exempla.*) Respondet *Nævolus.*

36. *Si pascitur inguine venter.*) Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat.

137. *Thure minuto.*) *Thus minutum* manna vocant: & in invidiam Deorum Penatium, *minuto* dicit.

138. *Exorare corona.*) id est Coronatus floribus precari.

139. *Quando ego figam aliquid.*) Constituam, componam, habeam. aut certe, quia in ceris vota *figuntur* apud templa: aut habeam, ubi maneam, aut supra quod incumbam *senex.*

140. *A tegete.*) Casa mendici. a mendicitate.

140. *Viginti millia.*) deest, *ut sint.*

142. *Sed quæ Fabricius.*) Plus sibi decem libris argenti petit. *Fabricius Censor* collegam suum *notavit* in Senatu, quia supra decem libras argenti, unam fialam invenit. Aurea enim non licebat Senatorem plus habere.

142. *Et duo fortes.*) *Lecticarii*, quorum latura locer, ut securus Circenses spectem.

GRANG.

134. *Erucis imprime dentem.*) Quod *eruca* admodum salax sit,

— *Venerem revocans eruca morantem.*

Martial. lib. III. epigr LXXV.

Sed nihil erucæ faciunt bulbique salaces.

Hinc inter proverbia de homine valde salaci, *Eruca.*

134. *Imprime dentem.*) *Horat.* ode XIII. lib. I.

— *Sive puer furens*
Impressit memorem dente labris notam.

137. *Parvi Lares.*) Ut apud *Lyricum* lib. III. od XXIII.

Parvos coronantem marino rore Deos.

138. *Tenui corona.*) Lares *coronari* solitos pervium legentibus. *Plaut.* Aulul.

Larem corona nostrum decorari volo.

141. *Pigneribus positis.*) *Tertull.* de Idol. *Pecuniam de Ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati, jurati cavent.* *Sidon.* epist. VIII. lib. VI. *Creditoribus bene credulis sola deponit morum experimenta pro pignore.* *Pignus* autem est, quod propter rem creditam obligatur, cujus possessionem ad tempus consequitur creditor. Ceterum Dominium penes debitorem est.

141. *Argenti puri.*) non cælati.

142. *Fabricius censor notet.*) utpote quæ sint decem pondo, & amplius. Nota historia *Fabricii Licinii*, qui *notavit* Cornelium Ruffinum dictatura & consulari dignitate insignem virum, quod sibi argentea vasa comparasset. *Valer.* lib. II. cap. IX. exempl. IV. de censoria nota. *Agell.* lib. I. cap. VIII. *Livii* epitome XIV. *Plutarch.* in Sylla. *Seneca* de Vita Beata, cap. XXI. *Livius* lib. XXXIV.

145. Cur-

Securum jubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies fingit cito: sufficiunt hæc,
Quando ego pauper ero. votum miserabile, nec spes
His saltem. nam, cum pro me Fortuna rogatur,
Adfixit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

Omni-

VET. SCHOL.

145. *Curvus cælator & alter, Qui.*) id est: opifices, servi argentarii, laboriosi, anaglypharii.

146. *Sufficiunt hæc.*) Plastæ, archetypus.

147. *Quando ego pauper ero.*) Non dico dives, at *pauper*, inquit, *quando ero*. Nam modo nec pauper sum, ut *Terentius*:

Nam mihi nihil esse. religio est dicere.

149. *Adfixit ceras*) ad auriculas, id est, surda est.

149. *Illa de nave*) Ulyxis, ut Sirenarum periculum posset evadere.

GRANG.

143. *Mæsorum.*) Qui e *Mæsia* oriundi, quæ hodie diversis diverse appellatur: *Servia*, *Moldavia*, *Walachia*.

149. *Adfixit ceras.*) Fortunam obturare aures dixit eleganter, & ritu antiquo; nam virgines aures *obterare* de more habebant, & obscœnis occludere aditum, & auditum. *Nonius* in *Returare*, ex *Varrone* in Agathone.

149. *Illa de nave petitas*) Ulyssis. Nota hæc fabula ex Odyss. XII. & *Hygin.* fab. CXXV. Hinc proverbium, *Ulyssea ceræ*, usurpatum a *Sidon.* epist. lib. IX. epist. VI.

150. *Siculos cantus*) Sirenum, qui ideo *Siculi*, quod Sirenes sedebant in ora maritima *Siciliæ*, juxta Petaurum promontorium, ad Acheloi fluminis ostium. *Strabo* lib. I. De Sirenibus autem abunde *Apoll.* lib. IV. *Tzetzes* in *Hesiodi* Theogoniam. *Servius* in V. Æneid. *Macrob.* in Som. Scip. cap. III. lib. II. *Horat.* lib. I. Epist. epist. V.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRARUM LIBER QUARTUS.

SATYRA X.

ARGUIT HÆC SATYRA ET CURAS ET INANIA VOTA.

SYNOPSIS. Vota, quæ in templis quotidie suscipiunt homines, reprehendit; potissimum illa, quæ sunt divitiarum, honorum, eloquentiæ, militaris gloriæ, longævitatis, & formæ: quæ omnia & supervacua, & perniciosa probat. Ad quid enim opes, ut crescant, exoptantur, si nimia congesta pecunia cura multos strangulat, & aconita timenda, cum gemmata pocula sumuntur: nullus contra fictilibus timor veneni? Ad quid insignis honorum pagina postulatur, si nos ut plurimum subjecta potentia magnæ invidiæ præcipitat? quod olim suo malo experti sunt Sejanus, Crassi, Pompeji, Cæsar: pauci etenim Reges sine sanguine descendunt ad generum Cereris. Ad quid eloquium Ciceronis, aut Demosthenis efflagitatur, si uterque periit eloquio? Ad quid tropæa humanis creduntur majora bonis, si illa peritura sint, si mors saxis cineribusque veniat, si exitus tantorum Ducum prorsus lamentabilis esse videatur, qualis Annibalis, Alexandri, Xerxis; quibus, cum totus non sufficeret orbis, sarcophago contenti sunt. Ad quid Jovem spatium vitæ & longos annos expostulamus, si longa senectus omnibus ferme malis referta sit, si senes deformes, quibus pellis pro cute, rugæ in vultu, vox, ipsaque trementia membra, læve caput, madidi infantia nasi, si edentuli, surdi, cæci, manci, febriculosi, uxoribus, liberis, ipsisque suis captatoribus graves omni morborum genere circumsepti, dementes, obliviosi, quæ omnia, etsi iis non acciderent, tamen funera gnatorum, conjugis, fratrum, & amicorum ducenda essent. Sic Nestor Antilochum, Peleus Achillem, Priamus Hectorem extulerunt. Nec tantis malis circumventi fuissent Mithridates, Crœsus, Marius, Pompejus, si juvenes exstincti, ut Lentulus, Cethegus, & Catilina. Ad quid formam pueris & puellis matres exoptant, si corporis egregii filius trepidos semper habeat parentes, cum raram faciant mixturam forma & pudicitia: Si tyranni nullos exsecent loripedes, strumosos, gibbosos, adde adulterorum pœnas: Imo formosos, quamvis castos, sua pœna manet: Quod claret in Hippolyto, Bellerophonte, Cajo Silio, cui Messalina nupsit, cuique, si paruisset, sive non, semper moriendum fuisset. Unde cum vera bona, atque illis diversa homines dignoscere nequeant; nil optare debere, sed numinibus, quæ illis convenientia sint, expendenda permittere concludit: aut, si quid poscant, orent, ut sit mens sana in corpore sano, animum fortem, mortis impavidum, laboris patientem, minime iracundum, nihili cupidum expostulent; sic enim tranquillam vitam ducere poterunt, cujus semita per virtutem unica patet, adversus quam nil potest fortuna, licet eam inter Deos cœlo locaverimus.

OMnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque

Auro-

VETUS SCHOLIASTES.

OMnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque.*) Τρόπος συνεκδοχή, a parte totum. Nam cum Occidentem & Orientem significare vellet, locum posuit, *Gades* scilicet & *Gangem*, breviter complexus orbem. Nam *Gades* sunt in Atlantico mari Hispaniæ proximæ, ubi se angustissimo divortio inter columnas Herculis in Mediterraneos sinus Oceanus infundit.

GRANGAEUS.

A *Gadibus.*) *Gades* olim erant duæ insulæ, quarum una tantum hodie superest, major scilicet, quæ habet IↃ CC. pedes in circuitu, minor vero, quæ non exstat, CC. Hæc insula, quæ restat, sita est ultra fretum Herculeum, quod ab ea *Gaditanum* Latini dixerunt; *Herculeum* vero Græci ex Poetarum figmentis, qui duas columnas ibi statuisse *Herculem* volunt. At illæ duæ columnæ nil aliud sunt, quam duo montes, quorum

Auroram, & Gangem, PAUCI dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
DI faciles. nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia. viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plureis nimia congesta pecunia cura

Strangulat

quorum unus *Calpe* in Hispania situs, alter *Alybe* in Africa. Mauri illud fretum vocaverunt *Gibaltar*, vel *Gibraltar*. Extremum Occidentem credebant antiqui: unde elogium Herculis columnis inscriptum: *Ne plus ultra*, quod ipsum nomen *Gades* designat. Auctore enim *Plinio*, & *Solino*, *Gadir* Punica vox est, quæ *septum* significat, sive *finem*, & *terminum*, ut vult *Arias Montanus*. Unde proverbium, *ad Phasim usque navigavit*. Hodie *Cades*, Hispanis dicitur *Cadiz*. at nautis *Calis*, sive *Calis-malis*.

VET. SCHOL.

8. *DI faciles.*) Satyrice, ad mala peragenda *faciles*. vel ideo *faciles*, quia preces stultas audiunt.

8. *Nocitura toga.*) Optantibus dignitates *nocituras* in pace, & in bello.

9. *Torrens dicendi copia.*) Abundans eloquentia, aut fluens.

10. *Viribus ille Confisus.*) Ut *Milo Crotoniates*, qui cum arbores manibus scinderet, brachia ejus occupata sunt, & a lupis consumtus est.

GRANG.

2. *Ad Auroram, & Gangem*) Ἐν [illegible]. i. ad *Gangem*, qui in Oriente. Is est, qui in Sacris Paginis *Phison* dicitur. *Castaldus* putat hodie vocari *Gang*. *Mercator* vero *Cantan*. ab Indis *Gualgas* dicitur, ut scribit *Thevetus*.

2. *Pauci dignoscere possunt* &c.) quia, ut ait *Seneca* epist. XLV. *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt*.

3. *Remota Erroris nebula.*) Hinc proverbium *nubem submovere*. quod adi.

6. *Pœniteat voti peracti.*) *Seneca* epist. XLV. *Pro bonis mala amplectimur, optamus contra id, quod optavimus, pugnant nostra vota cum votis, consilia cum consiliis.* Vide *Platonis* Alcibiadem.

8. *DI faciles.*) Qui optatis annuunt. *Lucan.* sub finem lib. I.

> *O faciles dare summa Deos, eademque tueri*
> *Difficiles.* —

Lege *Senecam* epist. CI.

8. *Petuntur*) a nobis; aut parentibus, aut amicis. *Seneca* epist. LX. *Etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater, nonne intelligis, quantum mali optaverunt? o quam inimica sunt nobis vota nostrorum, equidem inimiciora, quo cessere felicius. Jam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur, inter exsecrationes parentum crevimus.*

9. *Torrens dicendi copia.*) Ut satyr. III.

> — *Sermo*
> *Promtus, & Isæo torrentior.* —

et infra:

> — *Quem mirabantur Athenæ*
> *Torrentem.* —

10. *Ille.*) *Milonem Crotoniaten* intelligit, de cujus admirandis viribus *Pausan.* in Eliacis. *Plin.* lib. VII. cap. XX.

11. *Periit*) insertis manibus quercui fissæ, quam divellere conatus, excussis cuneis, in suam naturam quercus revocata has compressit, cumque feris lacerandum præbuit. *Valer.* lib. IV. exemp. XII. quæ est de mortibus non vulgaribus. *Gell.* lib. XV. cap. XVI.

12. *Plureis pecunia Strangulat.*) *Strangulare* facit, non enim nocet pecunia, sed propter eam nobis nocetur. *Seneca* epist. LXXXVIII. *Non ideo tibi divitiæ nocent, sed propter divitias tibi nocetur; qui autem habent eas, sunt in maximo periculo.* Idem I. de Tranquil. Vitæ cap. VIII. *Patrimonia, maxima humanarum ærumnarum materia. Propert.* eleg. VI. lib. III.

Erga

Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur, jussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædeis
Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Ergo sollicitæ tu caussa Pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.

Vide iterum *Senecam* lib. III. de Ira, cap. XXXII.

12. *Congesta magna cura.*) Horatius:

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Seneca epist. CXV. *Nulla avaritia sine pœna est, quamvis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lachrymarum, o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera partis est! Adjice quotidianas solicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. majore tormento pecunia possidetur, quam quæritur.* Querolus Plauti: *Pecunia illa rerum ac solicitudinum caussa & caput, neque mecum abundans, neque apud te preciosa est.* unde Hispani:

Riquezas no se deseen,
Que son malas de alcançar,
Y peores de guardar
Las vezes, que se poseen.

VET. SCHOL.

13. *Strangulat.*) Apoplexin passi moriuntur.

14. *Balæna Britannica.*) Metaphora in *Tiberium*, & divites.

15. *Temporibus diris.*) Tyrannicis scilicet, cum *jussisset* Nero omnes prædari, ad domos divitum *milites* cucurrerunt, pauci ad domos pauperum.

19. *Pauca licet.*) Licet modica tibi sit res familiaris; metuis tamen impetum militis a *Tiberio* missi ad proscriptionem tuam.

21 *Et motæ ad Lunam.*) Ut *Virgilius*:

—— *Simul ipsa silentia terrent.*

GRANG.

16 *Longinum.*) *Cassium Longinum* Jurisconsultum luminibus orbatum, quem Nero mori jussit. *Suet.* in Nerone, cap. XXXVII.

16. *Senecæ prædivitis*) tum patris, tum sua fortuna Suilius apud *Tacit.* lib. XIII. *Qua sapientia, quibus Philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies H S. paravisset*: hoc est, nostro numero septuagies quinquies centena millia Philippicorum.

16. *Hortos.*) De *hortis* suis Ipse meminit apud *Tacit.* lib. XIV. *Ubi est ille animus modicis contentus? tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, & tam lato fœnore exuberat!*

17. *Lateranorum ædeis.*) quæ sitæ in Cœlio monte; & quarum meminit *Julius Capitolin.* in M. Antonio Philosopho: *Educatus est in eo loco, in quo natus est, & in domo avi sui Veri, juxta ædeis Laterani.* & *D. Hieron.* ad Marcell. Nunc, ubi hæ ædes erant, *D. Joannis Basilica* ædificata est, quæ a *Lateranis* Lateranensis dicta est, quamvis antea fuerit appellata *Basilica Constantini*, eo quod a *Magno Constantino* data Sylvestro summo Pontifici. *Blond.* lib. I. Instaur. Italiæ. Hinc Papa *Lateranensis Episcopus*, & *Lateranenses Synodi* septem. *Lateranorum* familia initio plebeja; Nam *Sextius Lateranus* primus fuit e plebe Consul. *Livius* lib. VI. Hæc autem dicit, propter *Julium Lateranum* Consulem designatum, qui jussu Neronis interfectus est. *Capitolin.* in Aureliano.

18. *In cœnacula.*) quod ibi pauperes maneant. De *cœnaculis*, *Plaut.* Amphit. *Seneca* epist. LXXX. & nos supra.

16. *Pauca licet portes.*) *Ovid.* de Nuce:

Sic timet insidias, qui se scit ferre viator,
Cur timeat. ——

Hinc parœmia, *timidus Plutus.* ex *Aristoph.* in Pluto.

19. *Argenti puri.*) non ære mixti, aut fortasse minime cælati. vide *Alciat.* Parerg. Jur. VI. cap. IV.

21. *Ad umbram arundinis.*) Species proverbii, qualis apud *Platonem* in Phædone, τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβούμενος. *Q. Cicero* de petit. Consulatus

22. *Vacuus.*) Sic *Ovid.* de Nuce:

—— *Tutum*

PRIMA fere vota, & cunctis notissima templis
Divitiæ, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem; flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem curribus altis

Exstan-

— *Totum carpit inanis iter.*
D. Hieron. *Nudus latrones non timet.* Seneca: *Vacuum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est.*

VET. SCHOL.

24. *Ut maxima toto Nostra sit arca foro.*) Usque ad Cerealem præfectum, in *foro* Trajani *arcas* habuerunt Senatores, in quibus argentum, aut pecunias tutius deponebant. Propterea & locus ipse, in quo erant *arcæ* positæ, *Opes* dictæ sunt.

25. *Aconita bibuntur Fictilibus.*) id est; Pauperes venena non timent. Et bene Poeta, ut ostenderet paupertatem innocuam a crimine, & divitias malis oppressas, vasa potoria ad demonstrandam diversitatem posuit.

27. *Et lato Setinum.*) Vinum a *Setio*. In aurata, inquit, fiala cum vinum coloratum acceperis, time venena. Et *Ardebit*, quia vinum splendescit *in auro*.

33. *Pulmonem agitare.*) quia ex *splene* risum dicunt gigni.

35. *Prætexta.*) quarum Tarquinius Priscus usum invenit, & Romæ intulit. *palmatam* dicit.

GRANG.

22. *Cantabit.*) Securo animo erit. Cic. II. de Oratore: *Quid ploras pater? mirum, inquit, ni cantem, condemnatus sum.* Propert. eleg. XXI. lib. II.

— *Aspice, cantat*
Liber, tu nimium credula sola jaces.

24. *Divitiæ ut crescant.*) Vide *Horat.* satyr. VI. *Pers.* satyr. II.

25. *Nostra sit arca foro.*) Majorem pecuniæ summam in fœnore habeamus. *Fœneratores* etenim in *foro*.

25. *Nulla aconita bibuntur Fictilibus.*) Seneca in Hercule Oeteo choro act. II.

Tenet e patula pocula fago,
Sed non trepida tenet ipse manu.

26. *Cum pocula sumes Gemmata.*) In Thyeste act. III. sc. I.

Humi jacentem scelera non intrant casam,
Tutusque mensa capitur angusta cibus,
Venenum in auro bibitur. —

Et in Hercule Oetæo:

Aurea miscet pocula sanguis.

27. *Ardebit in auro.*) *Martial.* epig. LXXV. lib. IX.

Rumpis, & ardenti madidus crystalla falerno.

Et lib. XIV. epig. CXIII. *Ardere* autem est crepitare, aut potius splendere, quod dixit *Ronsardus*, *ridere*.

Du vin, qui rit dedans l'or.

28. *De sapientibus alter.*) *Democritus*, & *Heraclitus* appellari *sapientes*. *Sotion* apud *Stobæum*: Τοῖς δὲ σοφοῖς ἀντὶ ὀργῆς, Ἡρακλείτῳ μὲν δάκρυα, Δημοκρίτῳ δὲ γέλως ἐπῄει. vide Senecam II. de Ira, cap. X. & lib. de Tranquil. Animi, cap. XV. *Horat.* lib. II. epist. ad August.

— *Si foret in terris, rideret Democritus.* —

Unde proverbium: *Democriti*, *Heracliti*.

30. *Prætorem in curribus altis.*) Inter celebrandos ludos Prætores, qui præerant, curribus vecti. *Plinius*: *Non vetus & bigarum celebratio in his, qui prætura functi, curru vecti essent per Circum.*

38. In

Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad fræna Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tum quoque materiam risus invenit ad omneis
Occursus hominum; cujus prudentia monstrat,
SUMMOS posse viros, & magna exempla daturos

Ver-

VET. SCHOL.

38. *In tunica Jovis.*) Mappam mittentem in Circo Consulem describit Poeta. Nam *tunicam Jovis*, togam palmatam dixit, Tyria purpura confectam, hoc est *Sarrana*. ut *Virgilius*:

Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

39. *Ex humeris aulæa togæ.*) Eleganter *aulæa*, quasi latis velis. *Cicero*: *Velis amictos, non togis.*

40. *Tantum orbem.*) Tantam multitudinem.

43. *Da nunc & volucrem sceptro.*) Virgæ, quas Consules portant, quam supra aquilas faciunt.

45. *Et niveos ad fræna Quirites.*) In candidis togis officium facientes.

46. *Quos sportula fecit amicos.*) Non amor verus, sed *sportula*.

47. *Tunc quoque materiam.*) Tunc quoque *invenit Democritus materiam risus*, cum hæc, quæ in urbe fiunt, necdum essent reperta; id est, major severitas, & minor vanitas esset.

GRANG.

38. *In tunica Jovis.*) hoc est, in *toga picta*, quod *Jovis* statuis *picta tunica* imponebatur. Jus autem *pictæ togæ* Prætoribus, qui ludos præbebant. satyr. sequenti:

— Similisque triumpho
Præda caballorum Prætor sedet. —

Tacit. XII. Annal. *Ludicro Circensium Britannicus in prætexta, Nero triumphali veste transvecti sunt.*

38. *Sarrana aulæa.*) Tyria sive purpurei coloris. Hinc Virgil. *Sarranum ostrum*. *Tyrus* cum antiquis *Sarra* dicta, ut testantur *Gell. Festus, Servius*. Hanc *Sacræ Paginæ* nominant *Sor*, vel *Tzor*, & hodie *Suri*.

39. *Magnæ coronæ Tantum orbem.*) Hæc corona dicta Plinio *Etrusca*; de qua *Tertull.* lib. de Corona Militis cap XIII.

42. *Curru servus portatur eodem.*) qui clamabat, *Respice post te, hominem esse memento.* *Tertul.* Ap. cap. XXXIII. *Zonoras* tomo II. de triumpho Camilli. *Josephus* lib. VII. cap. XXIV. *Plutarch.* in Æmilio. *Plin.* lib. XXII. cap. IV. & lib. XXXIII. cap. I.

43. *Et volucrem*) aquilam. Eam ferebant in summo scipionis eburnei triumphantes. *Isidor.* cap. II. lib. XVIII.

43. *Surgit.*) Attollebatur. *Propertius*:

Tum medium claro surgebat marmore templum.

44. *Illinc cornicines.*) Militibus *cornicines* permixtos, eosque coronatos ante triumphantis currum præcessisse testatur *Appianus*.

44 *Præcedentia longi Agminis officia.*) *Casaubon.* ad *Suet.* Caligulam, locum hunc, non de iis, qui currum præcedebant, cum triumphans ingrederetur Urbem; sed de iis, qui aliquot passuum millia accurrebant ad currum, interpretatur.

45. *Officia.*) Clientes. De acceptione autem *officii* dixi ad satyr. II. Vid. & *Heraldum* ad *Martial.* lib. XI. epig. LXVI.

45. *Niveos ad fræna Quirites.*) Romanos, quos quotidiano in usu toga alba. *Martial.* lib. II. epig. XXIX.

Et toga non tactas vincere jussa nives.

Vide *Lips.* Elect. I. cap. XIII. & *Manutium* de Reb. per epist. Quæs.

46. *Defossa in loculis.*) velut in terra, quasi nunquam exinde egressura sit. facete, & satyrice in avaros.

49. *Summos posse.*) Etiam inter barbaras, & *crassi aeris*

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi;
Interdum & lacrymas, cum Fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.
Ergo ſupervacua, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.
Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis honorum
Pagina

ſi aeris regiones maxima ingenia exoriri. *Democritus* enim *Abderitanus*, hoc eſt, oriundus Thracia. Nam *Abdera* Thraciæ civitas eſt, quæ hodie *Aſperoſa*, ut *Niger*; *Polyſtylo*; ut *Sophianus*, *Aſtrizza*, ut *Jacob. Nardus.* At Thraces obtuſi audiebant, & bardi: unde *Androtion* a numero Sapientum rejicere Orpheum volebat, eo ſolo nomine, quod Thracius eſſet, ut teſtatur *Aelianus* VIII. Var. Hiſtoriæ. & inter ceteros *Abderitani* ſtolidi habiti. *Martial.* lib. X. epig. XXV.

Abderitanæ pectora plebis habes,

Hincque fere infinita proverbia, qualia ſunt: *Abderitana mens. Abdera pulcra. Diomedis equi. Tejorum colonia*, &c. Verum ut *Abderitani*, ſic & *Bœoti* male audiebant inter parœmiographos, quos adi ad hæc proverbia: *Molchus reſonat quid Bœoticum. Bœotica auris*, & ſimilia; quæ impulerunt *Hippocratem*, ut librum componeret, in quo, quid efficiant cœli & locorum diſpoſitiones, tum ad ingenium, tum ad corpus, expoſuit.

VET. SCHOL.

50. *Vervecum in patria.*) Apud *Abderim*, aut *Megarim*, quæ fuit patria *Democriti*: Nam ex cœli vitio regiones ſolent æſtimari. nam fuit *Democritus*, ubi ſtulti ſolent naſci, id eſt *Achivus*. Vult igitur *Democritum* inter ſtultos prudentiſſimum natum.

52. *Cum Fortunæ ipſe minaci.*) Cum Fortunam contemneret, *nihil* dicens *ſe habere*, *quod ab ea exſpectaret*: quinimo infami digito ei turpiter inſultaret.

55. *Genua incerare.*) In ſignis inſignare, vota facere.

57. *Honorum Pagina.*) Ænea *pagina*, quæ ante imaginem eorum ſtans, omnes eorum gradus *honorum* inſcriptos continet: quam nunc dicunt, *tabulam patronatus*.

GRANG.

50. *Vervecum in patria.*) Homines ſtupidi *verveces* & *vervecini* dicti. Vide proverbium: *verveceus.* Sic *Cercidas* tales appellat χοιρομύξας, quaſi *vervecino* muco ſcatentes.

53. *Mandaret laqueum.*) Fortunam ſibi minitantem *Democritus* irritabat, & irridebat, ut quæ nil juris in eum haberet. *Mandare* enim *laqueum* dicitur iis, quos eo usque negligi a nobis, ut, ſi vel ſe ſuſpendant, nil ad nos attinere ſignificemus.

53. *Medium oſtenderet unguem.*) Nota & ſignum contemtus *medium oſtendere digitum*, qui *infamis* dictus *Perſio*, impudicus *Martiali*, καταπύγων *Arriano* lib. III. diſſ. *Epict.* cap. II. Hinc & inter proverbia leges: *Medium oſtendere digitum.*

55. *Genua incerare Deorum.*) hoc eſt: Cereas tabellas literis ſignatas, quæ vota explicabant, Deorum imaginibus affigere. Id *aſſignare* uno verbo dixit *Apul.* ejus Apolog. I. *Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignaſti.* Vide *Briſſ.* I. de Formul. & *M. Donatum* Dilucidationib. in *Livium*, cap. X. Aliter tamen explicat *Ramires* in *Martial.* qui *Incerare* vult eſſe idem, ac precando prehendere Deorum genua, qui habitus eſt miſericordiam implorantium: ac tot & toties prehendebant Deorum genua, ut ſudore incraſſarentur, & videretur illis, quaſi *cera* ſuperpoſita. Hinc *Martiali*: *cerea toga*, pro ſqualida. favet & huic opinioni *Arnob.* lib. VI. adverſ. Gentes.

65 *Potentia ſubjecta magnæ Invidiæ.*) *Ovid.* I. de Remed. Am.

Livor ſumma petit, perflant altiſſima venti.

Seneca in Hercule Oetæo, in choro act. II.

— Cumque in populos
Prodire parant, comes invidia eſt.

Pindarus:

Ἔχει τι γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον.
Habet enim felicitas haud minimam invidiam.

57. *Honorum Pagina.*) Tot *honorum* tituli, ut vix una contineri poſſint *pagina*: quæ dicta *Feſto*, quod in libris ſuam quæque obtineat regionem, ut *pagi*; vel a *pagendo*, quod in *paginis* verſus *pagantur*, hoc eſt, figantur.

Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis? meliusne hic rusticus infans
Cum matre, & casulis; & conlusore catello
Cymbala pulsantis legatus fiet amici?
Improbus es, cum poscis, ait. sed pensio clamat,
Posce: sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulysses.
Alter emendus erit: namque hic non sufficit: ambo
Pascendi. quid agam bruma spirante? quid, oro,

Quid

jam in speciem redacta mellis asperi. Vide *Olivarium de Serres* in Theatro Agriculturæ.

VET. SCHOL.

59. *Lumbos donare clientis.*) Magis debes illi donare possessionem pauperi *clienti* tuo, qui libidini tuæ satisfacit; quam puero, qui in agro tuo natus est.

62. *cymbala pulsantis legatum fiet amici.*) Archigalli *cymbala percutientis*, ac per hoc Gallo * inquit, dixit. legetur id est legatario donabitur.

63. *Sed pensio.*) Tributum, aut quod in conducto maneat.

64. *Ut Polyphemi Lata acies.*) Unicus oculus Cyclopis, quem Ulysses excæcavit.

66. *Ambo Pascendi.*) id est, Ideo peto, quia pueros pasco, & vestio.

67. *Bruma spirante.*) Hiemis tempore, cum petunt calcearium, quid dicam.

GRANG.

60. *Meliusne rusticus infans.*) Certe melioris conditionis est comes, idemque Draucus Galli *cymbala pulsantis*, quem per provincias errans stipem mendicandi gratia ducit una cum matre, & reliquis fratribus, ipsoque catello; quam ego, qui tecum soleo.

60. *Rusticus infans.*) Per *infantem*, heic juvenem intellige, & jam robustæ ætatis. Scriptores enim ætatis gradus ut plurimum confundunt, ut docet *Henric. Steph.* in Aprili, Schediasm. XXII.

61. *Cum matre, & casulis.*) Alii *cum matre & caculis.* facete autem *casulas* vocat canistra, seu mavis *scirpeas* asino impositas, quibus per viam mendicantes illi tanquam in domo sive *casula* omnia sua frivola recondunt. Tales depingit *Apul.* in Milesiis, quem adi.

62. *Legatus.*) i. Comes. Facete autem hunc comitem *legatum* appellat, quasi alicujus exconsulis in Provinciam proficiscentis. Alii per *legatum* legatarium exponunt. unde *Lips.* non *legatus* legit, sed *legatum.* Epist. Quæst. epist. XXV. nihiloque secius hunc locum interpretatur, quem videbis.

63. *Improbus.*) Impudens. Glossæ: *Improbus* ἀναιδής. Sic *Propert.*

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi.

63. *Pensio clamat.*) Hoc est, tempus solvendæ *pensionis* cœnaculi me monet, ut a te poscam. Similis locus est apud *Plaut.* Truculent. act. V. sc. I.

Puero opus est cibum, opus est matri autem, quæ puerum lavit,
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Ut dies noctesque potet: opus est igne, opus est carbonibus,
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis,
Oleum opus est, farina puero opus est, opus est totum diem,
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.

64. *Appellat ut Polyphemi Lata acies.*) Tam alte me appellat, quam alte vociferabatur *Polyphemus. Polyphemi* igitur *lata acies*, hoc est, *Polyphemus*, qui ut ait *Virg.* III. Æneid.

Clamorum immensum tollit, quo pontus, & omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.

De eo *Hygin.* fab. CXXV. *Homerus* Neptuni & Thossæ filium facit Odyss. I.

56. *Postquam evasit Ulysses.*) Polyphemo inebriato, se suosque liberavit *Ulysses*, *Homer.* Odyss. IX. *Tibull.* lib. IV. *Propert.* lib. II. eleg. XXXIII. *Hygin.* loco supradicto. *Varro* Sesqui Ulysse apud *Nonium* in *Invitare.* Male autem legunt *per quam*, sed *postquam.* Nam exclamavit *Ulysse* salvo.

65. *Sollers.*) In omni re prudens, quia *sollo* Osce totum dicitur, ait *Festus.*

[76. Bru-

Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri,
Et pedibus? durate, atque exspectate cicadas?
Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto
Metiris precio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret?
Scis certe, quibus ista modis, quam sæpe rogaris,
Et quæ pollicitus. fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui: tabulas quoque ruperat, & jam
Signabat, tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. testis mihi lectulus, & tu,
Ad quem pervenit lecti sonus, & Dominæ vox.

Instabi-

67. *Bruma spirante.*) *Brumali* vento. Venti enim *spirare* dicuntur. *Virg.* III. Æneid.

Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.

Plin. lib. II. cap. XLVII.

VET. SCHOL.

69. *Exspectate cicadas.*) Æstivum tempus.

70. *Verum ut dissimules, ut mittas.*) Negligas, dimittas.

71. *Quod ni tibi deditus essem.*) id est, Nisi tibi omni animo devotus fuissem, uxorem tuam non devirginassem.

74. *Fugientem sæpe puellam.*) Volentem recedere de domo tua.

75. *Tabulas quoque ruperat, & jam Signabat.*) Dotales *tabulas* frangentem, & repudium volentem tibi dare, & *signantem tabulas*, sive a'ii ut nubat, sive ut alium faceret hæredem, sæpius revocavi, dormiens cum ea. satis faciens.

78. *Ad quem pervenit lecti sonus & Dominæ vox*) in coitu non tacentis, quod virgo erat. ut sit mariti major infamia. aut, cum virginem imitatur.

GRANG.

68. *Aquilone Decembri.*) *Aquilo* ventus est exoriens inter Septentrionem, & exortum solstitialem, qui *Boreas* Græcis, nostris *le Nort*, *ou vent Grec*. Bene autem *Decembrem* appellat: nam bis in anno spirat, summis caloribus, summoque frigore. *Aquilone* igitur *Decembri*, hoc est, hiberno. Nam *Aquilo æstivus* dicitur *Etesias*. unde *Lucretius*:

Etesiæ flabra aquilonum. —

Vide *Plin.* lib. II. cap. XLIX. & lib. XVIII. cap. XXXIV.

69. *Durate.* &c.) id inter proverbia retulit *Cagnatus*.

69. *Cicadas.*) An *surcularias*, quæ cum surculis veniunt? an *frumentarias*, quæ frumentis arescentibus apparent?

72. *Devotusque cliens.*) Addictus. *Sueton.* in Cæsare cap. LXVII. *Devotissimos sibi milites reddidit.*

72. *Virgo maneret.*) Intacta, integra, non imminuta. *Varro*: *Omne castum, incorruptumque virginis vocabulo appellavere.* Alias *virgo* pro ea, quæ virum experta, ut apud *Terent.* & *Virg.*

75. *Tabulas quoque ruperat*) Nuptiales. hoc est, jam divortium fecerat. in divortiis autem *tabulæ rumpebantur*. Hinc *tabulæ* absolute, quæ dicuntur nuptiales, matrimoniales, nuptiarum, matrimonii. Sic absolute *tabulæ*, *Apulejo* in Apologia, & lib. IV. Milef. *rumpere* similiter *tabulas* dixit *Cornel. Tacit.* lib. XI. Annal. ubi *Lips.* legendus. & *Faber* Semestr. II. cap. XXIII.

75. *Et jam Signabat*) alteras tabulas nuptiales, cum altero viro. supra:

Signatæ tabulæ. dictum FELICITER. —

77. *Testis mihi.*) Tibullus:

Testis mihi. —

Plautus:

Vos, vos mihi testes.

78. *Lecti sonus.*) *Catull.* epig. VI.

— *Tremulique quassa lecti*
Argutatio, inambulatioque.

Ovid. el. XIII. lib. III. am.

Spondaque lasciva mobilitate tremens.

78. *Et Dominæ vox.*) Apulejus:

Inter subantis fœminæ voculas.

Ovidius:

Illic nec voces, nec verba juvantia cessent.

Martialis:

Nec motu dignaris opus, nec voce juvare.

79. *Insta-*

Instabile, ac dirimi cœptum, & jam pæne solutum
Conjugium in multis domibus servavit adulter!
Quo te circumagas? quæ prima, aut ultima ponas?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filia nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. foribus suspende coronas,
Jam pater es: dedimus, quod famæ opponere possis:
Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur multa caducis,
Si numerum, si treis implevero. justa doloris,
Nævole, caussa tui. contra tamen ille quid adfert?

Negligit

VET. SCHOL.

79. *Instabile.*) Exclamatio est.

81. *Quo te circumagas.*) Quo te vertas ad hæc, quæ dicturus est.

84. *Tollis enim & libris actorum.*) Nutris: & *libris actorum*, propter professionem inseris: quia apud ærarium Patres natorum deferebantur filiorum. Vel nominum noticiem devulgare contestatione publica.

86. *Quod famæ opponere possis.*) Ne dicaris cinædus.

87. *Jura parentis habes &c.*) Hæc omnia ad jus civile Poeta retulit. id est, meo labore habes filios, & scriberis hæres; & non pateris pœnas orbitatis.

90. *Si numerum, si tres.*) Si *tres* filios fecero. Nam a tutela excusant liberi, & in fascibus sumendis prior est, qui præstat numero filiorum.

GRANG.

81. *Circumagas.*) ut te a meis liberes objectionibus. sic vernacule, *Il ne sçait de quel côté se tourner. Circumagas* autem dixit, ut satyr. V.

Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Et satyr. VII.

Circumagat madidas a tempestate cohortes.

81. *Quæ prima aut ultima.*) Vide proverbium: *Quid primum, quid ultimum.*

84. *Tollis.*) Ex ritu antiquo, qui humi positos infantes *tollebant*. *Plaut.* Amphitr. & *Cistell. Terent.* Andria, & Heauton. *Sueton.* Augusti cap. V. in Nerone cap. VI. & sexcenti alii.

84. *Libris actorum.*) Aliter, *titulis actorum*, non bene. De *actis* autem multus *Lips.* lib. V. annal. *Tac.* Heic autem intelligit *libros actorum*, in quibus nativitas cujusque pueri reponebatur, quod nostri Curiones statuto regio faciunt, quos vulgo vocant *Registres des baptesmes.*

85. *Argumenta viri.*) Liberos, maximum enim *viri* argumentum generatio.

15. *Suspende coronas.*) Nato puero frondibus postes ornabantur. *Papin.* IV. *Sylv.*

— *Postesque ornare juberet.*

87. *Jura parentis habes.*) Jus trium liberorum: quod *Tacit.* appellat *privilegium parentum*. Tertull. *auctoritatem liberorum*. De illo jure *Lips.* ad *Tacit.* III. Annal. & *Raderus* ad epigr. *Martial.* XCI. lib. II.

87. *Scriberis hæres.*) Nam cælebs, lege Julia & Papia, ex aliorum testamentis quidquam capere non poterat, nisi post mortem testatoris intra centesimum diem matrimonium contraheret. *Plutarch.*

88. *Legatum omne capis.*) Lex enim Papia ab Augusto lata continebat, ut, si vir & uxor filios non haberet, quod alter alteri reliquisset, decima pars fisco adjudicaretur. Imo ex quolibet testamento, non nisi dimidiam partem accipiebant parentes orbi. *Alciat.* Dispunctionum lib. III. cap. III.

88. *Caducum.*) quod sine mea opera *caducum* fuisset. *Caducum* enim est, quod a legatario *cadit* in fiscum. Ideo ex Julia dicta *Caducaria*, *Ulpiano.*

89. *Commoda præterea.*) quia maritus meliori conditione erat, quam cælebs; & maritus filios habens, quam orbus: nisi beneficio Principis jus trium liberorum consecutus fuisset. Quæ autem illa *commoda*, vide, jam ut dixi, *Raderum*, & *Lips.* locis supra citatis.

92. *Negligit*

Negligit, atque alium bipedem sibi quærit asellum.
Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice lævis.
Qui modo secretum commiserat, ardet, & odit,
Tanquam prodiderim, quidquid scio. sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. nec contemnas, aut despicias, quod
His opibus nunquam cara est annona veneni.
Ergo occulta teges, vt curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum

Esse

VET. SCHOL.

92. *Negligit atque alium.*) Non curat, sed alium quærit, qui eum corrumpat.

93. *Hæc soli.*) *Nævolus* amico dicit, *Tibi soli* hæc secreta credidi.

95. *Nam res mortifera.*) Periculosus est cinædus iratus, aut offensus.

97. *Sumere ferrum.*) Occidere, aut incendere domum.

99. *Nec contemnas.*) Ne tibi despectæ sint, quas habet cinædus iras. *venena* dat, quanticunque distrahantur.

101. *Ut curia Martis Athenis.*) quia in Areopago primus accusatus est *Mars* a Neptuno, eo, quod filium ejus Palinrothion peremisset. vel, in Areopago *Athenis*, ubi sententiæ feruntur graviores.

102. *O Corydon.*) O stulte.

GRANG.

92. *Asellum bipedem.*) Apud *Petronium* Quartilla: *Hodie post asellum diaria non sumo.*

93. *Memento celare.*) Cela. *Ipse* satyr. V.

— Dextram cohibere memento.

Et satyr. VI.

Illius occursus etiam vitare memento.

95. *Pumice lævis.*) Pumicatus. *Martial.* epig. CCV. lib. XIV.

Sit nobis ætate puer non pumice lævis.

Vide *Plin.* lib. II. cap. XI. & lib. XXXVI. *Ovid.* I. de Arte, & quæ jam ad illud VIII.

— Catinensi pumice lumbum
Attritus. —

96. *Ardet.*) Irascitur. *Nonius* in *Ardere.*

98. *Aperire caput Fuste.*) Ut apud Petron. *Jam non potui supplicio caput aperire.*

98. *Candelam apponere valvis.*) Aedes incendere. Nugantur, qui heic obscœna cogitant.

100. *Annona veneni.*) Facete, quasi divites, ut ceterarum rerum, quæ ad victum pertinent, sic & *veneni annonæ* curam habeant. Huc usque Italis id peculiare remansit.

100. *His opibus.*) His divitibus. sic supra, *in illa fortuna*, pro, in fortunatis.

101. *Teges occulta.*) Ut *velare adoperta*, & mille alia, de quibus in *Juvenal.* vita.

101. *Ut curia Martis.*) Areopagus. Areopagitæ etenim *tacentes* judicabant. Unde proverbium: *Areopagita taciturnior. Macrob.* Saturn. ult. *Sicut apud Athenas Areopagitæ tacentes judicant; ita inter epulas oportet subsileri.*

102. *O Corydon, Corydon.*) *Corydon* pro rustico, ex illo Virg.

Rusticus es Corydon. —

aut potius pro demente ex eodem:

O Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?

Deducitur autem ab ave *Corydalo*, quæ *Cassita*, seu *Galerita* est, Gallis *Coebevis.*

102. *Secretum divitis ullum &c.*) *Salisberiensis* Policr. lib. III. cap. XII. *Res siquidem periculosa est, divitum aut potentum communicare secretis: si quid enim eis per incuriam forte elabitur, cui nisi conscio imponetur? Quod cubicularii aut consiones minime aut quicunque nebulonum, quibus delicatus divitis sensus, aut furor carere non potest, in lupanari, vel taberna sparserunt, aut, ut se vendicarent à familiaritate potentis, vulgaverunt in populo: in illius calumniam retorquetur, qui in consiliis aliquem locum visus est tenuisse. Si motus rerum præscire desideras, meritoria discute, & lixarum castrensium inquire sententias. Nihil enim adeo occultum est, quod eis aliqua ex parte non reveletur, si*

Kk 2 mihi

Esse putas? servi ut taceant: jumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen
E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet, audiet, & quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. quod enim dubitant componere crimen
In Dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea? nec deerit, qui te per compita quærat
Nolentem, & miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quidquid paullo ante petebas
A nobis. taceant illi: sed prodere malunt
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,

Pro

mihi non credis, vel Aquinati nostro aures accommoda, ait enim: O Corydon &c. Vide Agell. lib. XI. cap. XI.

VET. SCHOL.

109. *Archimagiri, Carptores.*) Inferiores, qui inlata carpunt.

112. *Baltea.*) Lora, quibus cæsi sunt.

112. *Per compita.*) Quadrivia.

113. *Vinosus inebriet.*) Impleat te ebrius secretis dominorum.

GRANG.

105. *Vela tegant rimas.*) *Vela* ante fores divitum fuisse, liquido liquet. *Martial.* epig. XXXV. lib. I.

At meretrix abigit testem, veloque, seraque;
Raraque, si memini, fornice rima patet.

Epictet. Arriani lib. III. diss. XXII. *Ceteri parietibus, januis, velis teguntur; ego sub Dio in propatulo ago, omnium oculis, & inquisitioni expositus. Deo me probo.* Vide *Sidon.* epist. II. lib. I. *Senecam* epist. LXXX. *Lips.* ad Ann. *Taciti*, & Auctorem Queroli.

107. *Ad cantum galli secundi*) hoc est, *ad secundum cantum galli*, & antelucano tempore. Vide proverbium: *Priusquam gallus iterum cecinerit.* Quare autem *Galli* noctu *canteut*, alii alia. Nonnulli ad amoris vim referunt. Alii ad naturalem propensionem ad Solem. ceteri ad caliditatem & escæ cupiditatem. Vide *Heliodor* Aethiopic. lib. I.

109. *Librarius.*) Qui vel a *libra* pendenda, vel a scribendis *libris. Isidor.* lib. VI. cap. XIV.

109. *Archimagiri.*) Male nonnulli, ut *Ramires*, confundunt *carptores* cum *Archimagiris*. *Archimagiri* enim sunt ii, quos vulgo vocamus *maitres queues*, qui in *Magiros* habent imperium. *Sidon.* lib. II. epist. IX. *Ecce & ab Archimagiro adventans.*

110. *Carptores.*) qui scindunt obsonia, qui & a *Petronio*, *scissores*, ab aliis *Carpi* dicuntur, nostris *escuiers trenchants.* Vide *Lips.* in Saturnal. & *Douzam* ad *Arbitr.*

110. *Componere crimen.*) Fingere, Sic *Propert.* lib. II. eleg. IX.

Vobis facile est verba & componere fraudes.

111. *Quoties rumoribus ulciscuntur Baltea.*) *Seneca* epist. XLVII. *Infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet, virga murmur omne compescitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta sunt; tussis, sternutamentum, singultus, magno ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota jejuni, mutique perstant: sic fit, ut isti de dominis loquantur, quibus coram domino loqui non licet.*

112. *Baltea.*) hoc est, flagella. Nostris *estrivieres.* Nam *Varro* IV. de ling. Lat. appellat *Balteum* cingulum e corio bullatum.

113. *Inebriet aurem.*) Galli recte *Il m'enyvre de son caquet. Inebriari* autem tribuitur *auribus*, ut & *bibere. Propert.* eleg. VI. lib. III.

— Suspensis auribus ista bibam.

Horat. ode XIII. lib. II.

Densum humeris bibit aure vulgus.

Ovid. III. Am.

Ore meo lacrimas, auribus illa bibi.

117. Pro

Pro populo faciens quantum Saufeja bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tunc his
Præcipue caussis, ut linguas mancipiorum
Contemnas. nam LINGUA mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,
Quorum animas & farre suo custodit, & ære.
Iccirco ut possim linguam contemnere servi,
Utile consilium modo, sed commune, dedisti:
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, & spes
Deceptas? Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ
Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrepit non intellecta senectus.
Ne trepida: nunquam pathicus tibi deerit amicus,
Stantibus & salvis his collibus, undique ad illos
Convenient & carpentis, & navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. altera major

Spes

VET. SCHOL.

117. *Pro populo faciens quantum Saufeja.*) Sacrificans virgo Vestæ. *Virgilius:*

Cum faciam vitulum pro frugibus, ipse venito.

126. *Festinat enim decurrere.*) id est; Juventus decurrere, & *senectus* properare. *Virgilius:*

— Breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ. —

128. *Dum serta, unguenta.*) Coronas & aromata.

130. *Pathicus tibi deerit amicus.*) Corrumpi volens, aut corruptus.

131. *His collibus.*) id est, Septem montibus, supra quos posita Roma est, Palatino, Tarpejo, Viminali, Aventino, Esquilino, Cœlio, Vaticano.

131. *Carpentis & navibus.*) Ad corruptores & itinere venient, & mari.

133. *Altera major Spes superest.*) Multos imberbes habes tibi crescentes.

133. *Qui digito scalpunt uno caput.*) Cinædi, cum muliebri more componunt caput.

GRANG.

117. *Pro populo faciens.*) Sacrificans. Vide *Briss.* I. de Formul.

118. *Vivendum recte.*) *Salisber.* Policrat. III. cap. XII. *Veruntamen sive sciatur; sive non, nihil tutius est, quam propriam innocentiam conservare. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos; & inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur.*

119. *Linguas mancipiorum Contemnas.*) tamen testimonia servorum non valent jure civili.

120. *Lingua mali pars pessima servi.*) Vide *Plaut.* pluribus locis, & *Æsopi* vitam.

127. *Angustæ Portio vitæ.*) A brevitate vitæ captabant ansam genio indulgendi. *Lyricus* od. IV. & XI. lib. I. & od. VII. lib. IV.

128. *Dum bibimus.*) Similiter *Horatius*:

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas. —

129. *Non intellecta senectus.*) *Auson.* epig. XIII.

Dicebam tibi Galla: senescimus, effugit ætas,
Utere rene tuo, casta puella anus est.
Sprevisti, obrepsit non intellecta senectus:
Nec revocare potes, qui periere, dies.

131. *Stantibus his collibus.*) hoc est, urbe Roma, quæ sita in *collibus*. *Propertius:*

Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ jam locus urbis erit.

Stantibus autem, ut *Virgilio*, cui *stare Troja* dicitur. & *Horatio* ode III. lib. III.

— Stet Capitolium.

132. *Carpentis & navibus.*) Terra, marique.

133. *Digito scalpunt uno.*) hoc est, molles & Pathici. *Lucian.* enim effœminati hominis notam dicit τῷ

δακτύλῳ

Securum jubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi præterea curvus cælator, & alter,
Qui multas facies fingit cito : sufficiunt hæc,
Quando ego pauper ero. votum miserabile, nec spes
His saltem. nam, cum pro me Fortuna rogatur,
Adfixit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo.

Omni-

VET. SCHOL.

145. *Curvus cælator & alter, Qui.*) id est: opifices, servi argentarii, laboriosi, anaglypharii.

146. *Sufficiunt hæc.*) Plastæ, archetypus.

147. *Quando ego pauper ero.*) Non dico dives, at *pauper*, inquit, *quando ero.* Nam modo nec pauper sum. ut *Terentius* :

Nam mihi nihil esse. religio est dicere.

149. *Adfixit ceras*) ad auriculas, id est, surda est.

149. *Illa de nave*) Ulyxis, ut Sirenarum periculum posset evadere.

GRANG.

143. *Mæsorum.*) Qui e *Mæsia* oriundi, quæ hodie diversis diverse appellatur : *Servia*, *Moldavia*, *Walachia*.

149. *Adfixit ceras.*) Fortunam obturare aures dixit eleganter, & ritu antiquo; nam virgines aures *obterare* de more habebant, & obscœnis occludere aditum, & auditum. *Nonius* in *Returare*, ex *Varrone* in Agathone.

149. *Illa de nave petitas*) Ulyssis. Nota hæc fabula ex Odyss. XII. & *Hygin.* fab. CXXV. Hinc proverbium, *Ulyssea ceræ*, usurpatum a *Sidon.* epist. lib. IX. epist. VI.

150. *Siculos cantus*) Sirenum, qui ideo *Siculi*, quod Sirenes sedebant in ora maritima *Siciliæ*, juxta Petaurum promontorium, ad Acheloi fluminis ostium. *Strabo* lib. I. De Sirenibus autem abunde *Apoll.* lib. IV. *Tzetzes* in *Hesiodi* Theogoniam. *Servius* in V. Æneid. *Macrob.* in Som. Scip. cap. III. lib. II. *Horat.* lib. I. Epist. epist. V.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS
SATYRARUM LIBER QUARTUS.

SATYRA X.

ARGUIT HÆC SATYRA ET CURAS ET INANIA VOTA.

SYNOPSIS. Vota, quæ in templis quotidie suscipiunt homines, reprehendit; potissimum illa, quæ sunt divitiarum, honorum, eloquentiæ, militaris gloriæ, longævitatis, & formæ: quæ omnia & supervacua, & perniciosa probat. Ad quid enim opes, ut crescant, exoptantur, si nimia congesta pecunia cura multos strangulat, & aconita timenda, cum gemmata pocula sumuntur: nullus contra fictilibus timor veneni? Ad quid insignis honorum pagina postulatur, si nos ut plurimum subjecta potentia magnæ invidiæ præcipitat? quod olim suo malo experti sunt Sejanus, Crassi, Pompeji, Cæsar: pauci etenim Reges sine sanguine descendunt ad generum Cereris. Ad quid eloquium Ciceronis, aut Demosthenis efflagitatur, si uterque periit eloquio? Ad quid tropæa humanis creduntur majora bonis, si illa peritura sint, si mors saxis cineribusque veniat, si exitus tantorum Ducum prorsus lamentabilis esse videatur, qualis Annibalis, Alexandri, Xerxis; quibus, cum totus non sufficeret orbis, sarcophago contenti sunt. Ad quid Jovem spatium vitæ & longos annos expostulamus, si longa senectus omnibus ferme malis referta sit, si senes deformes, quibus pellis pro cute, ruga in vultu, vox, ipsaque trementia membra, læve caput, madidi infantia nasi, si edentuli, surdi, cæci, manci, febriculosi, uxoribus, liberis, ipsisque suis captatoribus graves omni morborum genere circumsepti, dementes, obliviosi, quæ omnia, etsi iis non acciderent, tamen funera gnatorum, conjugis, fratrum, & amicorum ducenda essent. Sic Nestor Antilochum, Peleus Achillem, Priamus Hectorem extulerunt. Nec tantis malis circumventi fuissent Mithridates, Crœsus, Marius, Pompejus, si juvenes exstincti, ut Lentulus, Cethegus, & Catilina. Ad quid formam pueris & puellis matres exoptant, si corporis egregii filius trepidos semper habeat parentes, cum raram faciant mixturam forma & pudicitia: Si tyranni nullos exsecent loripedes, strumosos, gibbosos, adde adulterorum pœnas: Imo formosos, quamvis castos, sua pœna manet: Quod claret in Hippolyto, Bellerophonte, Cajo Silio, cui Messalina nupsit, cuique, si paruisset, sive non, semper moriendum fuisset. Unde cum vera bona, atque illis diversa homines dignoscere nequeant; nil optare debere, sed numinibus, quæ illis convenientia sint, expendenda permittere concludit: aut, si quid poscant, orent, ut sit mens sana in corpore sano, animum fortem, mortis impavidum, laboris patientem, minime iracundum, nihili cupidum expostulent; sic enim tranquillam vitam ducere poterunt, cujus semita per virtutem unica patet, adversus quam nil potest fortuna, licet eam inter Deos cælo locaverimus.

Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque

Auro-

VETUS SCHOLIASTES.

Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque.) Τρόπος συνεκδοχή, a parte totum. Nam cum Occidentem & Orientem significare vellet, locum posuit, *Gades* scilicet & *Gangem*, breviter complexus orbem. Nam *Gades* sunt in Atlantico mari Hispaniæ proximæ, ubi se angustissimo divortio inter columnas Herculis in Mediterraneos sinus Oceanus infundit.

GRANGAEUS.

A *Gadibus.*) *Gades* olim erant duæ insulæ, quarum una tantum hodie superest, major scilicet, quæ habet IↃCC. pedes in circuitu, minor vero, quæ non exstat, CC. Hæc insula, quæ restat, sita est ultra fretum Herculeum, quod ab ea *Gaditanum* Latini dixerunt; *Herculeum* vero Græci ex Poetarum figmentis, qui duas columnas ibi statui a *Herculem* volunt. At illæ duæ columnæ nil aliud sunt, quam duo montes, quorum

Auroram, & Gangem, PAUCI dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multum diverſa, remota
Erroris nebula. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipſis
DI faciles. nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. torrens dicendi copia multis,
Et ſua mortifera eſt facundia. viribus ille
Confiſus periit, admirandiſque lacertis.
Sed plureis nimia congeſta pecunia cura

Strangulat

quorum unus *Calpe* in Hiſpania ſitus, alter *Alybe* in Africa. Mauri illud fretum vocaverunt *Gilbatar*, vel *Gibraltar*. Extremum Occidentem credebant antiqui: unde elogium Herculis columnis inſcriptum: *Ne plus ultra*, quod ipſum nomen *Gades* deſignat. Auctore enim *Plinio*, & *Solino*, *Gadir* Punica vox eſt, quæ *ſeptum* ſignificat, ſive *finem*, & *terminum*, ut vult *Arias Montanus*. Unde proverbium, *ad Phaſim uſque navigavit*. Hodie *Cades*, Hiſpanis dicitur *Cadiz*. at nautis *Calis*, ſive *Calis-malis*.

VET. SCHOL.

8. *DI faciles.*) Satyrice, ad mala peragenda *faciles*. vel ideo *faciles*, quia preces ſtultas audiunt.

8. *Nocitura toga.*) Optantibus dignitates *nocituras* in pace, & in bello.

9. *Torrens dicendi copia.*) Abundans eloquentia, aut fluens.

10. *Viribus ille Confiſus.*) Ut *Milo Crotoniates*, qui cum arbores manibus ſcinderet, brachia ejus occupata ſunt, & a lupis conſumtus eſt.

GRANG.

2. *Ad Auroram, & Gangem*) Ε῎ Ἀγ' ὄδοιν, i. ad *Gangem*, qui in Oriente. Is eſt, qui in Sacris Paginis *Phiſon* dicitur. *Caſtaldus* putat hodie vocari *Gang*. *Mercator* vero *Cantan*. ab Indis *Gualgas* dicitur, ut ſcribit *Thevetus*.

2. *Pauci dignoſcere poſſunt* &c.) quia, ut ait *Seneca* epiſt. XLV. *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt.*

3. *Remota Erroris nebula.*) Hinc proverbium *nubem ſubmovere*. quod adi.

6. *Pœniteat voti peracti.*) *Seneca* epiſt. XLV. *Pro bonis mala amplectimur, optamus contra id, quod optavimus, pugnant noſtra vota cum votis, conſilia cum conſiliis.* Vide *Platonis* Alcibiadem.

8. *DI faciles.*) Qui optatis annuunt. *Lucan.* ſub finem lib. I.

O faciles dare ſumma Deos, eademque tueri
Difficiles. —

Lege *Senecam* epiſt. CI.

8. *Petuntur*) a nobis; aut parentibus, aut amicis. *Seneca* epiſt. LX. *Etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater, nonne intelligis, quantum mali optaverunt? o quam inimica ſunt nobis vota noſtrorum, equidem inimiciora, quo ceſſere felicius. Jam non admiror, ſi omnia nos a prima pueritia mala ſequuntur, inter exſecrationes parentum crevimus.*

9. *Torrens dicendi copia.*) Ut ſatyr. III.

— *Sermo*
Promtus, & Iſæo torrentior. —

et infra:

— *Quem mirabantur Athenæ*
Torrentem. —

10. *Ille.*) *Milonem Crotoniaten* intelligit, de cujus admirandis viribus *Pauſan.* in Eliacis. *Plin.* lib. VII. cap. XX.

11. *Periit*) inſertus manibus quercui fiſſæ, quam divellere conatus, excuſſis cuneis, in ſuam naturam quercus revocata has compreſſit, cumque feris lacerandum præbuit. *Valer.* lib. IV. exemp. XII. quæ eſt de mortibus non vulgaribus. *Gell.* lib. XV. cap. XVI.

12. *Plureis pecunia Strangulat.*) *Strangulare* facit, non enim nocet pecunia, ſed propter eam nobis nocetur. *Seneca* epiſt. LXXXVIII. *Non ideo tibi divitiæ nocent, ſi propter divitias tibi nocetur; qui autem habent eas, ſunt in maximo periculo.* Idem I. de Tranquil. Vitæ cap. VIII. *Patrimonia, maxima humanarum ærumnarum materia.* *Propert.* eleg. VI. lib. III.

Ergo

PRIMA fere vota, & cunctis notissima templis
Divitiæ, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum,
Protuleratque pedem; flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non esset urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem curribus altis

Exstan-

— *Totum carpit inanis iter.*

D. Hieron. *Nudus latrones non timet.* Seneca: *Nudum latro transmittit, etiam in obsessa via pauperi pax est.*

VET. SCHOL.

24. *Ut maxima toto Nostra sit arca foro.*) Usque ad Cerealem præfectum; in *foro* Trajani *arcas* habuerunt Senatores, in quibus argentum, aut pecunias tutius deponebant. Propterea & locus ipse, in quo erant *arcæ* positæ, *Opes* dictæ sunt.

25. *Aconita bibuntur Fictilibus.*) id est, Pauperes venena non timent. Et bene Poeta, ut ostenderet paupertatem innocuam a crimine, & divitias malis oppressas, vasa potoria ad demonstrandam diversitatem posuit.

27. *Et lato Setinum.*) Vinum a *Setio*. In aurata, inquit, fiala cum vinum coloratum acceperis, time venena. Et *Ardebit*, quia vinum splendescit *in auro*.

33. *Pulmonem agitare.*) quia ex *splene* risum dicunt gigni.

35. *Prætexta.*) quarum Tarquinius Priscus usum invenit, & Romæ intulit. *palmatam* dicit.

GRANG.

22. *Cantabit.*) Securo animo erit. Cic. II. de Oratore: *Quid ploras pater? mirum, inquit, ni cantem, condemnatus sum.* Propert. eleg. XXI. lib. II.

— *Aspice, cantat*
Liber, tu nimium credula sola jaces.

24. *Divitiæ ut crescant.*) Vide Horat. satyr. VI. Pers. satyr. II.

25. *Nostra sit arca foro.*) Majorem pecuniæ summam in fœnore habeamus. *Fœneratores* etenim in *foro*.

25. *Nulla aconita bibuntur Fictilibus.*) Seneca in Hercule Oeteo choro act. II.

Tenet e patula pocula fago,
Sed non trepida tenet ipse manu.

26. *Cum pocula sumes Gemmata.*) In Thyeste act. III. sc. I.

Humi jacentem scelera non intrant casam,
Tutusque mensa capitur angusta cibus,
Venenum in auro bibitur. —

Et in Hercule Oeteo:

Aurea miscet pocula sanguis.

27. *Ardebit in auro.*) Martial. epig. LXXV. lib. IX.

Rumpis & ardenti madidus crystalla falerno.

Et lib. XIV. epig. CXIII. *Ardere* autem est crepitare, aut potius splendere, quod dixit *Ronsardus*, *ridere*.

Du vin, qui rit dedans l'or.

28. *De sapientibus alter.*) *Democritus*, & *Heraclitus* appellati *sapientes*. *Sotion* apud *Stobæum*: Τοῖς δὲ σοφοῖς ἀντὶ ὀργῆς, Ἡρακλείτῳ μὲν δάκρυα, Δημοκρίτῳ δὲ γέλως ἐπῄει. vide Senecam II. de Ira, cap. X. & lib. de Tranquil. Animi, cap. XV. Horat. lib. II. epist. ad August. —

Si foret in terris, rideret Democritus. —

Unde proverbium: *Democriti*, *Heracliti*.

36. *Prætorem in curribus altis.*) Inter celebrandos ludos *Prætores*, qui præerant, curribus vecti. *Plinius*: *Non vetus & begarum celebratio in his, qui prætura functi, vehere eos essent per Circum.*

38. In

Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.
Ridebat curas, nec non & gaudia vulgi;
Interdum & lacrymas, cum Fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.
Ergo ſupervacua, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.
Quoſdam præcipitat ſubjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa, atque inſignis honorum
Pagina

ſi aeris regiones maxima ingenia exoriri. *Democritus* enim *Abderitanus*, hoc eſt, oriundus Thracia. Nam *Abdera* Thraciæ civitas eſt, quæ hodie *Aſperoſa*, ut Niger; *Polyſtylo*; ut *Sophianus*, *Aſtrizza*, ut *Jacob. Nardus*. At Thraces obtuſi audiebant, & bardi: unde *Androtion* a numero Sapientum rejicere Orpheum volebat, eo ſolo nomine, quod Thracius eſſet, ut teſtatur *Aelianus* VIII. Var. Hiſtoriæ. & inter ceteros *Abderitani* ſtoldi habiti. *Martial.* lib. x. epig. XXV.

Abderitanæ pectora plebis habes,

Hincque fere infinita proverbia, qualia ſunt: *Abderitana mens. Abdera pulcra. Diomedis equi. Tejorum colonia*, &c. Verum ut *Abderitani*, ſic & *Bœoti* male audiebant inter parœmiographos, quos adi ad hæc proverbia: *Molchus reſonat quid Bœoticum. Bœotica auris*, & ſimilia; quæ impulerunt *Hippocratem*, ut librum componeret, in quo, quid efficiant cœli & locorum diſpoſitiones, tum ad ingenium, tum ad corpus, expoſuit.

VET. SCHOL.

50. *Vervecum in patria.*) Apud *Abderim*, aut *Megarim*, quæ fuit patria *Democriti*: Nam ex cœli vitio regiones ſolent æſtimari. nam fuit *Democritus*, ubi ſtulti ſolent naſci, id eſt *Achivus*. Vult igitur *Democritum* inter ſtultos prudentiſſimum natum.

52. *Cum Fortunæ ipſe minaci.*) Cum *Fortunam* contemneret, *nihil dicens ſe habere, quod ab ea exſpectaret*: quin imo infami digito ei turpiter inſultaret.

55. *Genua incerare.*) In ſignis inſignare, vota facere.

57. *Honorum Pagina.*) Ænea *pagina*, quæ ante imaginem eorum ſtans, omnes eorum gradus *honorum* inſcriptos continet: quam nunc dicunt, *tabulam patronatus*.

GRANG.

50. *Vervecum in patria.*) Homines ſtupidi *verveces* & *vervecini* dicti. Vide proverbium: *verveceus*. Sic *Cercidas* tales appellat κριομύξας, quaſi *vervecino* muco ſcatentes.

53. *Mandaret laqueum.*) Fortunam ſibi minitantem *Democritus* irritabat, & irridebat, ut quæ nil juris in eum haberet. *Mandare* enim *laqueum* dicitur iis, quos eo usque negligi a nobis, ut, ſi vel ſe ſuſpendant, nil ad nos attinere ſignificemus.

53. *Medium oſtenderet unguem.*) Nota & ſignum contemtus *medium oſtendere digitum*, qui *infamis* dictus *Perſio*, impudicus *Martiali*, καταπύγων *Arriano* lib. III. diſſ. *Epict.* cap. II. Hinc & inter proverbia leges: *Medium oſtendere digitum.*

55. *Genua incerare Deorum.*) hoc eſt: Cereas tabellas literis ſignatas, quæ vota explicabant, Deorum imaginibus affigere. Id *aſſignare* uno verbo dixit *Apul.* ejus Apolog. I. *Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignaſti.* Vide *Briſſ.* I. de Formul. & *M. Donatum* Dilucidationib. in *Livium*, cap. X. Alter tamen explicat *Ramires* in *Martial.* qui *Incerare* vult eſſe idem, ac precando prehendere Deorum genua, qui habitus eſt miſericordiam implorantium: ac tot & toties prehendebant Deorum genua, ut ſudore incraſſarentur, & viderentur illis, quaſi *cera* ſuperpoſita. Hinc *Martiali*: *cerea toga*, pro ſqualida. favet & huic opinioni *Arnob.* lib. VI. adverſ. Gentes.

65 *Potentia ſubjecta magnæ Invidiæ.*) *Ovid.* I. de Remed. Am.

Livor ſumma petit, perflant altiſſima venti.

Seneca in Hercule Oetæo, in choro act. II.

— Cumque in populos
Prodire parant, comes invidia eſt.

Pindarus:

Ἔχει τι γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον.
Habet enim felicitas haud minimam invidiam.

57. *Honorum Pagina.*) Tot *honorum* tituli, ut vix una contineri poſſint *pagina*: quæ dicta *Feſto*, quod in libris ſuam quæque obtineat regionem, ut *pagi*; vel a *pagendo*, quod in *paginis* verſus *pagantur*, hoc eſt, figantur.

 58. *Reſtem*

Pagina, descendunt statuæ restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam strident ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ,
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco

Spectan-

VET. SCHOL.

58. *Restemque sequuntur.*) Trahuntur, ducuntur.

59. *Impacta securis.*) Si intacta, nova: si impacta, percussa, ab eo, quod est *impinge*.

60. *Et immeritis franguntur crura caballis.*) quibus vecti sunt honorati. Nam Poeta equestres *statuas* & consulares dicit *immerito* pœnam sustinere, aut ad *restem* trahi. quod ait *sequi*, aut certe conflari * eum fuerunt, propriis moribus dignam sustinuerunt sententiam. ex quo ostendit per hoc vitam nobilium.

61. *Jam strident ignes.*) Conflatur statua, ut pecunia inde fiat.

63. *Sejanus.*) *Sejanus* fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset, quod ei a Tiberio petenti negaretur: usque adeo etiam de eo cogitaverit necem, ut dispositis conjurationis sociis occiso Tiberio ipse regnaret. cum hoc cognovisset Tiberius, super ejus nomine *Epistolam* ad *Senatum* misit, & sic per Consules damnatus est, cum omni progenie sua: usque adeo, ut filiam ejus virginem juberet Senatus a carnifice stuprari; & sic occidi, ut jure videretur fuisse occisa.

63. *Orbe secunda.*) quia præfectus Urbi fuit, venerabilis, secundus a Cæsare Tiberio.

65. *Pone domi lauros.*) Hoc quasi populus loquitur.

66. *Cretatumque bovem.*) Candidum. Quid tibi, inquit, prosint Dii, cum Sejano nihil profuerint? ut *Lucretius*:

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

GRANG.

58. *Descendunt statuæ.*) *Statuis* altioribus receptum laqueos injicere, atque inde detrahere. quod notatum a *Lipsio* ad III. Annal. *Tacit. Auctor* Octaviæ in choro act. IV.

Quæcunque claro marmore effigies stetit
Aut ære fulgens, ora Poppææ gerens,
Adflicta vulgi manibus, & sævo jacet
Eversa ferro, membra per partes trahunt
Deducta laqueis. —

59. *Impacta securis.*) In Sacris Paginis: *Securis est ad radicem arboris.* Vide & proverb. *Securim injicere.*

59. *Rotas bigarum Cadit.*) Erant enim statuæ triumphales in curribus cum bigis, aut quadrigis.

60. *Immeritis caballis.*) Innocentibus. sic *Propertius*, *immeritam* arborem dixit. & *Horat. immeritam* vestem. ode XVII. lib I.

62. *Ardet caput.*) Sejani statuæ *caput vasta fornace liquescit.*

62. *Adoratum populo.*) Nam, ut docet *Xiphilin.* in Tiberio, *faciebant sacra statuis ejus, non aliter, quam statuis Tiberii.*

63. *Ex facie toto orbe secunda.*) Idem *Xiphilin.* eodem: *Tum enim per fortunam Sejani jurabant, eumque Tiberii collegam appellabant, non in Consulatu, sed in orbis terræ Imperio.*

65. *Pone domi lauros.*) quod fieri solitum in lætitia publica, in qua *frondibus domus* ornabantur. *Socrates* Hist. Eccles. lib. III. cap. I. Imo & in privata lætitia. *Stat.* III. Theb. *Claudian.* II. de Raptu.

65. *Duc in Capitolia Bovem*) sacrificandum Jovi in gratiarum actionem. Locus hic imitatus ex *Lucret.*

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

Cretatus autem i. albus, quod vestes addito *creta* genere fiant candidiores, ut docet *Isidor.* Hinc apud *Persium*: *ambitio cretata*, quod, qui magistratus ambirent, *candidioribus* solito togis uterentur, a quibus & *candidati* dicti.

66. *Ducitur.*) Trahitur, *ἑλκόμενος*. Sic *Cic.* II. de Orat. *Qui judicatum duci videbat.*

66. *Unco.*) Sontium gutturi impingebantur *unci* a carnifice, ut traherentur in scalas Gemonias, aut in Tiberim. *Dio* lib. LVIII. & LVII. *Ovid.* in Ibin:

Carnificisque manu populo plaudente traheris
Infixusque tuis ossibus uncus erit.

Vide *Fabrum* Semestr. II. cap. IX.

71. *Verbosa*

Spectandus: gaudent omnes. quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indicibus? quo teste probavit?
Nil horum: verbosa & grandis epistola venit
A Capreis: bene, habet; nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? SEQUITUR Fortunam, ut semper, & odit
Damnatos. idem populus, si Nurtia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus

Princi-

VET. SCHOL.

71. *Verbosa, & grandis Epistola.*) Multa nam superflua ad populum Principes solent scribere.

72. *A Capreis.*) Insula in Campania. *Virgilius:*

— *Teleboum Capreis cum regna teneret.*

ibi nam Nero habitabat.

74. *Si Nyrtia Tusco.*) Fortunam vult intelligi Poeta, quæ apud *Nyrtiam* colitur, unde fuit *Sejanus.*

GRANG.

69. *Quo cecidit sub crimine.*) *Cic.* pro Cœlio: *Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet.* Sidon. lib. I. epist. XI. *Unde, cur, quando responderi? quis crimen agnovit? quis probavit?* vide, quæ diximus ad illud VI.

— *Meruit quo crimine servus.*

71. *Nil horum.*) quæ fieri debent in capitali judicio.

71. *Grandis & verbosa epistola*) Tiberii ad Senatum scripta; & Nævio Sertorio Macroni data.

71. *Grandis & verbosa.*) *Xiphilin.* in Tiberio: *Recitantur longæ literæ, in quibus nihil erat perpetuum contra Sejanum, harum principium erat de aliis rebus scriptum, subsequebatur brevis contra eum expostulatio, post alia quædam diversa, rursum in Sejanum aliquid. ad extremum scribebat in duos senatores familiares hosce animadverti oportere, ipsum esse in custodia retinendum.* Quare *Sueton.* in Tiberio, non *epistolam*, sed orationem vocat.

72 *A Capreis.*) ubi habebat Tiberius. *Plin. Sueton.* Alii, insula in mari Tyrrheno, quæ *Capriene* dicitur *Stephano*: hodie huc usque a nautis dicitur *Capri*, ut *Leander* & *Campanella* scribit.

72. *Bene habet.*) Formula gratulantis suæ fortunæ, & boni eventus. *Cic.* pro Muræna: *Bene habet, jacta sunt fundamenta defensioni.* *Stat.* XII. Theb.

Sed bene habet, Superi, gratum est, fortuna peracta est.

Ego tamen crederem heic τὸ *bene habet*, idem esse ac *actum est de illo, & mortuus est*, quod hæc solemnia morituri usurpare solerent. Sic Scipio moriturus militibus eum quærentibus respondit: *Imperator bene se habet.* *Seneca* pater controvers. VI. & apud *Cic.* Tuscul. I. Socrates: *Magna spes me tenet, Judices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem.* Imo & in sepulcris formula usurpata, ut patet ex inscriptione aræ, quæ exstat Tarracone, quam refert *Gruterus* pag. CCCXXXIX.

CONTEGIT OSSA LAPIS. BENE HABET. FORTUNA VALEBIS
FONDIMUS INSONTI LACHRYMAS. NUNC VINA PRECAMUR
UT JACEAS PLACIDE. NEMO TUI SIMILIS.
ΤΟΙϹ ϹΟΙϹ ΑΓΩΝΑϹ. ΑΥΩΝ. ΑΑ-ΑΙΙϹΕΙ.

73. *Turba Remi.*) *Remus* plerunque pro Romulo. Sic *Catull.* dixit *Remi nepotes.* *Propert.* lib. II. eleg. I.

— *Regnave prima Remi.*

Et eleg. I. lib. IV.

Quot gradibus domus ista Remi se sustulit olim.

Statius in Genethliaco Lucani:

Dices culminibus Remi vagantes
Infandos Domini nocentis ignes.

73. *Sequitur Fortunam.*) Felicium multi cognati, ait Vetus verbum. Inde illud e fonte Græcorum εὐτυχία πολύφιλος. vide *Pindarum* in Nemeis. & *Senecam* in Octavia ad finem.

74. *Si Nortia.*) Vel potius *Nurscia* Volsiniensium Dea, ut testatur *Tertul.* Apologet. cap. XXIII. ubi *Pammelius.*

75. *Favisset Tusco.*) Volsiniensi Sejano. *Volsiniensem* fuisse *Sejanum* docet *Tacit.* IV. Annal. Volsiniensium igitur Deæ erat Volsiniensi civi favere. *Volsinium* autem in *Tuscia*, quod hodie dicitur *Bolsena.*

75. *Si oppressa foret*) a Sejano Volsiniensi.

75. Sene-

Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum. jam pridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas. nam, qui dabat olim
Imperium, fasceis, legiones, omnia; nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenseis. perituros audio multos.
Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mI
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut male defensus! curramus præcipites, &,

Dum

75. *Senectus secura Principis*) Tiberii, in insula Capreensi *senectutem secure* agentis. vide *Sueton.* in Tiberio, cap. LXV.

Vet. Schol.

76. *Hac ipsa.*) qua illi detrahit potestatem Imperii, secuta

77. *Ex quo suffragia nulli.*) id est, Ex quo non est imperium populi, quod per *suffragia* diversis vendat. Hoc post Augusti monarchiam, ex quo Imperatores esse cœperunt.

81. *Perituros audio multos.*) Iterum sibi loquitur populus pavens, cum Sejanus tractus est.

82. *Magna est fornacula.*) Multos habet *fornax*, quos exurat.

84. *Exigat Ajax.*) *Tiberius Nero*, quasi insanus, si inferior fuerit in bello, aut si scierit se a nobis fuisse contemtum.

85. *Ut male defensus.*) Timeo, ne eum Tiberius occidat, cum se dicat a Senatu male defensum, & parum aliquid in Sejanum factum.

Grang.

76. *Hac ipsa hora.*) qua oppressus foret princeps Tiberius.

76. *Diceret Augustum.*) Imperatorem Sejanum proclamasset.

77. *Ex quo suffragia nulli Vendimus.*) Ex quo ad Principes a populo delata summa Imperii potestas. antea enim *populi suffragia venalia* erant. *Sueton.* in Cæs. cap. XIX. *Luc.* lib. I. *Plutarch.* in Catone.

81. *Panem & Circenses.*) Alii *Pana* & *Circenses.* alii *pannum.* Vera lectio *Panem* & *Circenses*, hoc est, nil aliud populus Rom. desiderat, nisi ut intersit ludis *Circensibus*, & gratis recipiat singulis diebus *panem*, quem distribui jubebant Imperatores; nam ut popellus operas & impensas pistorias lucri faceret, non semper distributum frumentum, sed etiam *panis*, qui quod certis *gradibus* per regiones Urbis distribui soleret, idcirco *gradilis* dictus. *Lips.* Elect. I. cap. VIII. Noster satyr. VIII. & sequentibus probat, quantum *Circensibus* delectarentur.

— Parce & messoribus illis,
Qui saturant urbem Circo scenæque vocantem.

Et satyr. sequenti:

Mæstitia est caruisse anno Circensibus *uno.*

satyr. III.

Si potes avelli Circensibus. —

Vide *Alciat.* Parerg. Jur. lib. V. cap. VIII.

81. *Perituros audio multos.*) *Xiphilin.* in Tiberio: *Tunc in Urbe magnus tumultus concitatus est: plebs enim occidere properabat eos, quos intelligebat plurimum apud Sejanum potuisse.* Et paullo post: *Tiberius ex Sejani delictis nactus occasionem, magnum numerum sustulit, quos partim tradidit in manus carnificum, partim afferre sibi manus coegit.*

82. *Magna est fornacula.*) in qua ardet Sejanus, & quæ multos alios continere potest.

82. *Pallidulus.*) timore mortis.

83. *Brutidius meus.*) *Brutidius Niger.* de quo *Seneca* pater in Controversiis, & *Tacit.* III. Annal.

84. *Quam timeo ne victus.*) Is enim Rhetor, qui cum ceteris Sejani familiaribus accusatus esset, caussam ipsemet peroravit suam, & victus fuit a delatore, non secus quam Ajax ab Ulysse. Unde *Brutidii* similis exitus, & Ajacis. Uterque enim sibi violentas manus attulerunt. non tam quod semetipsos male defenderint, quam favore, & invidentia Judicum. frustra ergo alii, qui hæc ad Tiberium referunt.

85. *Curramus præcipites.*) Verba populi fortunam sequentis, & damnatorum osoris.

87. *Sed*

Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice obstricta dominum trahat. hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari sicut Sejanus, habere
Tantundem, atque illi summas donare curuleis?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis Augusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? vis certe pila, cohorteis,
Egregios equites, & castra domestica? quid ni
Hæc cupias? &, qui nolunt occidere quenquam,

Posse

VET. SCHOL.

87. *Sed videant servi.*) Proprii cujusque *servi*, ne dicant *Dominos* suos ad *trahendum* non convenisse: ne calumnientur. Quoniam dederat *servis* potestatem, ut liceret *Dominos* accusare quibuslibet criminibus. ne ergo judicium de *Dominis* facerent, si minus Cæsarem vindicarent in corpore *Sejani*.

90. *Visne salutari.*) Hoc quasi ex persona Poetæ inferitur.

91. *Summas donare curules.*) Consules facere.

92. *Illum exercitibus.*) Magistrum militum facere.

92. *Tutor haberi Principis.*) Patricius fieri.

93. *Augusta Caprearum in rupe sedentis.*) Tiberius Nero secessum cum elegerat: de qua insula *Augustus* ἀπραγόπολιν dixit, quod ibi esset otii locus, ut ait *Suetonius*. *Sedentis*, significat & diu turpiter vixisse Capreis Tiberium, qui *Sejanum* velut tutorem habuisset.

94. *Cum grege Chaldæo.*) Cum magis, aut mathematicis

95. *Et castra domestica.*) Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, id est super *Diocletianas*: quæ dicta sunt *castra Prætoria*.

GRANG.

86. *Dum jacet*) Sejanus.

86. *In ripa.*) Ubi scalæ Gemoniæ, donec in Tiberim projiciatur. *Dio* lib. LVII.

87. *Ne quis neget*) Cæsaris hostem nos calcasse, ipsius que fautores fuisse accuset. Nam, ut ait *Sueton.* in Tiberio, cap. LXI. *Decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnunquam & testibus; nemini delatorum fides abrogata.*

87. *In jus trahat.*) *Horat.* I. Serm. satyr. IX.

88. *Cervice obstricta.*) Obtorto collo.

— Licet antestari? ego vero.
Oppono auriculam. Et rapit in jus. —

Vide *Plautum*, & ceteros.

90. *Visne salutari.*) Postquam docuit, quæ acciderunt Sejano potenti, nunc interrogat Poeta lectorem suum, num velit *salutari*, sicut *Sejanus*, & pati eadem, quæ *Sejanus* passus. Hæc etenim ita connexa sunt, ut nunquam fere separentur. tale argumentum tractat Querolus *Plauti*.

91. *Tantundem habere*) divitiarum.

92. *Tutor.*) Deposuerat enim curam Reipub. in manus Sejani.

93. *Sedentis.*) Vis in verbo τῷ *sedentis*. Signat enim, quod narrat *Sueton.* in Tiberio, cap. XLIII. *Secessu vero Capreensi etiam sellariam excogitavit sedem arcanarum libidinum.* &c. quæ scribere vetat pudor.

94. *Cum grege Chaldæo.*) Cum Mathematicis, quibus maxime addictus erat. *Sueton.* in Ejus vita cap. LXIX. *Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus, cuncta fato agi.* & *Dio*: Ὁ Τιβέριος ἐμπειρότατος τῆς διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς ἦν.

95. *Castra domestica.*) *Prætoriana*, tanquam Imperator. Prætorianis præfuit Sejanus. *Xiphilin. Sejanus aliquanto tempore una cum patre prætorianis præfuit, sed postquam ejus pater in Aegyptum missus est, atque ipse Præfectus eorum fuit solus, præter cetera, quæ constituit, prætorianos milites seorsum ante per cohortes cubantes, unum in locum atque in eundem murum conduxit, ut conferti celerius possent imperata facere, utque (quod in eodem muro essent) metuerentur ab omnibus.*

96. *Nolunt occidere quenquam, Posse volunt.*) Simile illud *Albinovani* Consol ad Liviam:

Nec nocuisse ulli, & fortunam habuisse nocendi.

Posse volunt. Sed quæ præclara, & prospera tanti,
Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis:
An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis Aedilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum. nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes: numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset

Casus

Plautus Sticho, sc. *Qui manet.*

A. *Ubi facillime spectatur mulier, quæ ingenio est bono.*

P. *Cui male faciundi est potestas, quæ, ne fiat id, temperat.*

VET. SCHOL.

97. *Sed quæ præclara.*) Quid juvat tanti æstimare bona, si cum his & mala perveniant?

99. *Prætextam sumere mavis.*) id est Præfectus & Consul esse, cum periculo: an securus minorem dignitatem administrare; ut sis ædilis, aut curator cujuscunque parvæ civitatis, ut juberes tabernariis.

102. *Vacuis Aedilis Ulubris.*) desertum Italiæ oppidum, aut juxta Romam.

GRANG.

97. *Quæ præclara & prospera.*) Nil adeo prosperum, quin plus infelicitatis secum trahat. Querol. *Plauti*: QUER. *Tribue saltem nunc mihi peregrini illius & transmarini mercatoris sacculum.* LAR. *Age igitur, conscende maria, te tuosque pariter undis, & ventis credito.* QUER. *Istud egomet nunquam volui: da mihi saltem vel capsas Titi.* LAR. *Sume igitur & podagram Titi.* QUER. *Minime.* LAR. *Neque tu capsas continges Titi.* QUE. *Neque istud volo: da mihi psaltrias, & concubinulas, quas habet avarus ille fænerator advena.* LAR. *Habes nunc plane, tota mente quod rogas, suscipe, quod exoptas, toto cum choro, sume Paphien Cytherin, Erisciden; sed cum pondere Nestoris.* QUER. *ha, ha, he, quamobrem?* LAR. *Habet hoc ille, cujus tu sortem petisti. He. Querole nunquam audisti: nemo gratis bellus est? aut hæc cum illis habenda sunt, aut hæc cum his amittenda sunt.*

99. *Prætextam.*) Dignitates, honores, magistratus.

99. *Ejus, qui trahitur.*) *Lucii Aelii Sejani.* supra:

— *Sejanus ducitur unco.*

100. *Esse potestas.*) *Potestas* pro magistratu Auctoribus. *Sueton.* in Cæsare, cap. XVII.

100. *Fidenarum & Gabiorum.*) ubi fere nulli qui habitent. *Horat.*

Scis, Lebedus quam sit Gabiis desertior, atque Fidenis. —

Fidenæ hodie, ut vult *Erythræus*, *Castel Jubileo.* *Gabii*, sive, ut *Stephanus*, *Tabii*, hodie *Gallicano*, ut putant *Leander* & *Blondus.* At *Onuphrius* putat esse *Zagarolo.*

101. *De mensura jus dicere.*) Aediles *de mensura jus dicebant*, easque frangebant, si iniquæ. *l.* XIII. §. VIII. *D. locati.* & *l.* XII. *D. de Decurionibus.* *Plaut.* Rudente, & Sticho: *Si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes, ædilitatem gerit.* Pers. satyr. I.

Sese aliquem credens, Italo quod honore superbus Fregerit heminas. —

Vide *Duarenum* I. Disputationum cap. XXVI. in fine.

101. *Vasa minora.*) quæ Pers. *mensuras iniquas* dixit Satyr. I. & *l.* XIII. §. VIII. *D. Conducti.* *Si quis mensuras conduxerit, easque magistratus frangi jusserit, siquidem iniquæ fuerunt: a Græcis μέτρα κολοβὰ* dicuntur *mutilæ* mensuræ, & ψευδῆ falsæ. *Marcilius* ad *Pers.* & *Gothofred.* ad dictam l. XIII. locati.

103. *Ergo quid optandum foret.*) Hinc nititur veritas hujus primæ propositionis:

— *Pauci dignoscere possunt,*
Quæ sunt vera bona. &c. —

104. *Qui nimios.* &c.) *Seneca* de Brevit. vitæ, cap. XVII. *Omne, quod fortuito evenit, instabile est, quo altius erexit, vertit protinus in occasum.* *Claudian.* hunc locum imitatus:

— *Tolluntur in altum*
Ut lapsu graviore ruant. —

108. *Et*

Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompejos evertit? & illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.
AD generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte tyranni.
Eloquium, aut famam Demosthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,

Quisquis

VET. SCHOL.

108. *Et illum Ad sua.*) Syllam, Cinnam, sive Cæsarem.

110. *Summus nempe locus.*) Honorum culmen, regnandi cupiditas.

111. *Magnaque Numinibus vota exaudita malignis.*) Dii nam irati exaudiunt, & præstant contraria futura petentibus.

113. *Et sicca morte.*) Incruenta, ac per hoc *naturali morte* sua.

115. *Et totis Quinqatribus.*) Diebus festis, quibus *Minerva* colitur, aut quod intra *quinque atria* fit. *atria* abundat. nam dies *quinque* in uno festo.

GRANG.

108. *Quid Crassos*) *Patrem, & filium*, qui perierunt bello Parthico. *Florus* lib. III. cap. XI. *Appianus* in Parthico. *Ovid.* VI. Fast.

Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque
Perdidit, & leto est ultimus ipse datus.

Plutarch. in Crasso. *Justin.* lib. XLI. & XLII. Avaritiam hunc perdidisse dicunt fere omnes. *Seneca* lib. V. Natural. Quæst. cap. ult. At ambitioni *Plutarch.* in Ejus vita caussam ruinæ suæ attribuit, quod consentit cum *nostro*, cum dicit:

Summus nempe locus nulla non arte petitus.

108. *Pompejos*) Patrem, & duos filios.

108. *Et illum*) Julium Cæsarem.

109. *Ad sua flagra.*) *Flagrum* enim symbolum dominationis. Hinc & somnium *Ciceronis* apud *Sueton.* in Augusto cap. XCIV. *M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus forte narrabat: puerum facie liberali, demissum cælo, catena aurea ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem flagellum tradidisse: deinde Augusto viso, quem ignotum adhuc plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi obversata sit.*

110. *Summus nempe locus.*) *Seneca* epist. XCIV. *Quid Pompejum in Africam, quid in Septentrionem, quid in Mithridaten & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi; cum sibi uni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata, pariter ac publica immisit? gloria, & ambitio, & nullus supra cæteros eminendi modus. Quid tu C. Marium tot pericula putas appetisse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio.*

110. *Nulla non arte.*) vel teste ipso Julio Cæsare, quem illud *Eurip.* semper habuisse in ore testatur *Cic.*

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est, aliis rebus pietatem colas.

111. *Vota exaudita malignis.*) Unde *Seneca* epist. LX. dicit: *Ea vota inimiciora, quo cessere felicius. Inde maligni Dii, qui nos exaudierunt, ut, cum ad summa erecti, in profundum detruderent.*

112. *Ad generum Cereris.*) Vide *Salisber.* lib. II. cap. XV. *Seneca* in Hercule Oetæo:

Quota pars moritur tempore fati?
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies.
Rarum est felix idemque senex!

Ad generum Cereris autem i. ad *Plutona*, qui Proserpinam rapuit, de quo *Claudian.*

113. *Morte sicca*) sanguine. *Virgil.* VIII. Æneid.

— *Et siccum sanguine guttur.*

Et IX.

— *Sicca sanguine fauces.*

Propert. lib. IV. eleg. XI. vocat *spolia*

Sanguine sicca suo. —

115. *Quinquatribus.*) *Quinquatria* seu *quinquatrus* festa mensis Martii. quidam ita dicta existimant, quod *quinque diebus* continuis celebrarentur. Alii, quod post *diem quintum* Iduum is dies sit festus; vocabulique hu-

 jus

Quisquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur, cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio ſed uterque perIt orator: utrunque
Largus, & exundans letho dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa: nec unquam
Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli.

O for-

jus formam enuntiatam eſſe exemplo populorum Italicorum, qui dicunt *triatrus*, *ſexiatrus*, *ſeptimatrus*, *decimatrus*. Varro & Feſt. *in Quinquatrus*. Dicata autem *Quinquatria* Minervæ, quod eodem die ædes Ejus in Aventino conſecrata fuerit. Propterea *quinquatribus* pueri feriabantur. *Horat.* II. Epiſt. epiſt ult. ſub finem:

Ac potius, puer ut feſtis quinquatribus, olim
Exiguo, gratoque fruaris tempore raptim.

VET. SCHOL.

116. *Uno partam colit aſſe Minervam.*) Vilioris pretii fictilis *Minervæ* ſignum. aut certe, cum nunc oſtendit puerum, qui adhuc diſcit, & arcula ſequitur eum: aut qui tenue adhuc eloquium habet.

117. *Capſas.*) in qua ſignum, aut codices reponit.

118. *Eloquio ſed uterque*) *Demoſthenes*, *&* *Cicero.* Nullus enim tanti fuit ingenii. Ergo ambos affluens ingenium & eloquentia morti ſubjecit. Ille nam a Philippo, Hic ab Antonio occiſus eſt.

GRANG.

116. *Quisquis colit Minervam*) ſcientiarum præſidem. Hæc pro ipſis literis, ſeu potius elementis primis literarum, quæ vili pretio magiſtelli docebant; unde ſubdit *uno aſſe partam*. Quomodo & nos de iis, qui ne limen Muſarum ſalutarunt, *Il a eté a l'école, a un carolus par moys.* Innuit igitur ſyllabarios pueros feſtis *quinquatribus Minervæ ſacris*, ipſam Deam jam polluere eloquentiam *Ciceronis*, aut *Demoſthenis*.

117. *Quem*) puerum

117. *Sequitur*) ad ſcholam proficiſcentem

117. *Vernula.*) Servulus domi paternæ natus.

117. *Cuſtos anguſtæ capſæ.*) in qua libri ſunt, ut tunc temporis ii, qui noſtra *gerifoliæ* portant. At Romæ in *capſis* libri ferebantur. Hinc tales ſervi *Capſarii* dicti in Jure. *l. ſi collectaneus. D. de manumiſſ. vindicta. Sueton.* in Nerone cap XXXVII. Alia tamen *Capſariorum* acceptio in jure, de qua *Gothofredus* ad *Feſtum* in *Capſa*.

118. *Uterque orator perIt.*) *Ille* veneno, quod ſibi ipſemet præparavit. *Hic* ferro Antonii juſſu, a Popillio & Herennio necatus. *Plutarch.* in Demoſth. & Cicer.

118. *Eloquio.*) quo uſus eſt *Demoſthenes* in Antipatrum, & Macedonas. *Cicero* adverſus Antonium III. virum.

119. *Ingenii fons.*) *Cic.* pro Muræna: *Cum tui fontes vitiosi tibi pateant, amicis rivulos noſtros putas clauſos eſſe oportere.*

120. *Ingenio.*) Propter ingenium.

120. *Manus eſt & cervix cæſa*) *Ciceronis*, & roſtris affixa. *Flor.* lib. IV. cap. V. *Quum reſciſſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris videretur, nec aliter ad videndum eum, quam ad audiendum, concurreretur.* *Seneca* de Tranquil. Vitæ cap. XV. ſed non ſolum *cervix*, ſed & duæ *manus* obtruncatæ, quod iis Philippicas ſcripſerat, roſtriſque affixæ juſſu Antonii. *Plutarch.* in Cicer. qua de re olim juvenis hæc faciebam:

Hoſpes, & Roma.

Hoſp. *Quis locus hic, dic Roma, precor, num Roſtra vocatur?*
Rom. *Roſtra.* hoſp. *caput cujus, ſanguineæque manus?*
Rom. *Romani eloquii.* hoſp. *quid circum concio tanta, Quæ ſpectando aures arrigit.?* Rom. *Illa putat*
(*Eloquio tantus Cicero dum vita manebat*)
Hoc caput abſciſſum denuo poſſe loqui.

Aliud.

Ne quis Miretur Marco Cicerone perempto,
Cur capiti roſtris addita utrinque manus:
Mortuus ore tonat, populumque inflammat in hoſtem,
Actio ſic manibus, ſic capiti eloquium.

Aliud.

Sanuſne AntonI? populum vel roſtra petentem
Arce, aut abſectum hoc fac caput, ut ſileat.

121. *Maduerunt roſtra Sanguine cauſſidici puſilli.*) *Cornel. Severus* apud Senecam:

Oraque magnanimum ſpirantia pæne virorum
In roſtris jacuere ſuis; ſed enim tunc abſtulit omnes,
Tanquam ſola foret rapti Ciceronis imago.

122. *O for-*

O fortunatam natam me Consule Romam.
AntonI gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. ridenda poemata malo,
Quam te conspicuæ divina Philippica famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus & illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.
DIs ille adversis genitus, fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus

A carbo-

VET. SCHOL.

122. *O fortunatam.*) Hic versus male compositus, est *Ciceronis.* & est cacemphaton. dicit ergo, si *Cicero* nihil peritius scripsisset, non interficeretur.

128. *Fræna theatri.*) Μεταφορικῶς. cohibentem vulgi tumultum.

129. *DIs ille adversis.*) Philippus rex Macedonum cum vicisset Athenienses, & parceret civitati, *Demosthenem* sibi dari ad supplicium petivit. Verum cum hoc ageretur, sumto veneno se interemit. Filius autem *fabri ferrarii* fuit *Demosthenes.*

GRANG.

122. *Fortunatam.*) Hunc *Ciceronis* versum propter cacophoniam merito irrisit antiquitas, ut videre est apud *Senecam* patrem, & *Quintil.* lib. XI. cap. I. etsi hunc defendere conatur *Turneb.* in Adversariis.

124. *Ridenda poemata malo.*) Non tantum hunc versum irriserunt, sed cetera carmina *Ciceronis.* *Senec.* pater lib. III. Declamationum: *Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit.* & *Seneca* Philosophus III. de Ira, cap. XXXVII. *Et Cicero, si derideres carmina ejus, inimicus esset.* *Quintil.* lib. XI. cap. I. *In carminibus utinam pepercisset! quæ non desierunt carpere maligni.* Martialis:

Carmina quod scribis Musis & Apolline nullo,
Laudari debes, hoc Ciceronis habes.

Plutarch. tamen feliciter versus pepigisse, & quidem uno tempore quingentos dictasse testatur.

124. *Poemata*) permulta, quorum fragmenta exstant a *Roberto Steph. Sigonio*, *Patricio* collecta.

125. *Divina Philippica.*) *Seneca* pater suasoria VI. *Visa ad caput ejus deligata manus dextera divinæ eloquentiæ ministra*: Et paullo post: *Relatum caput ad Antonium, jussuque ejus inter duas manus in rostris positum, ubi ille Consul, ubi sæpe Consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat.*

125. *Famæ conspicuæ*) Idem *Seneca* eodem: *Si ad memoriam operum tuorum, semper victurus es.*

126. *Volveris a prima.*) hoc est, *secunda*, quæ inter alias Antonium acrius læsit.

126. *Sævus exitus.*) quod crudelius est veneno, quam ferro perimi.

128. *Moderantem fræna theatri.*) *Sidon.* carm. XXIII. versu CXXXVI.

Qui Pandioniam movebat arte
Orator caveam tumultuosus;
Seu luscum raperetur in Philippum,
Caussam seu Ctesiphontis actitaret,
Vir semper popularitate crescens,
Et juste residens in arce fandi.

More Græco uterque *Theatri*, & *Caveæ* meminit. in theatro enim locus consultationis præbebatur. Vide *Just.* lib. XXII. *Frontin.* Strat. *Agel.* lib. III. cap. II. *Cic.* pro Flacco. *Tacit.* II. Hist.

129. *DIs adversis fatoque sinistro.*) *Seneca* lib. IV. de Benef. cap. IV. *Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, & in pœnam genitus?* Petronius: *Hunc adolescentem quem vides, malo fato natus est.*

129. *DIs adversis.*) Propertius:

— *Adversos cogor habere Deos.*

Vide *Brissonium* de Form.

130. *Quem pater.*) Aliter tamen *Plutarch.* neque ad Rhetorem se contulisse, nisi post mortem patris, utpote qui tunc septennis esset, idque audito Callistrato Oratore.

130. *Pater lippus fuligine.*) *Sidon.* carm. II. vers. CLXXXVIII.

Fabro progenitus, spreto cui patre polita
Eloquiis plus lingua fuit. —

Et carmine XXIII.

Qui fabro genitore procreatus

Oris

A carbone, & forcipibus, gladiosque parante
Incude, & luteo Vulcano ad rhetora misit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis
Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hoc se
Romanus, Grajusque, ac Barbarus induperator
Erexit:

Oris maluit expolire limen.

Martian. Capel. lib. V. *Diversum utrique oris sonum &c. cum alterum Quirinalis eques, alium fabrilis procrearet industria.* Pater tamen *Demosthenis* non fabricabat ipse, sed officinam solummodo habebat. Hinc teste *Plutarcho* dictus μαχαιροποιὸς, unde illud:

— Gladiosque parante.

130. *Lippus fuligine.*) Qui enim ferrariam exercent, sunt *lippis* & rubentibus oculis. *Seneca* epist. XCIV. *Denique ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur, videbis, quanta fuligine oblinantur.*

VET. SCHOL.

135. *Lorica & fracta.*) Spolia, quæ tropæis solent adfigi bello erepta.

136. *Aplustre, & summo tristis captivus in arcu.*) id est in arcu triumphali, cui solent imponi. *Aplustra*, tabulatum ad decorandum superficiem navis adpositum. alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα.

137. *Ad hoc se.*) id est, Non propter virtutem posse volunt, sed propter famam & gloriam: cujus caussa etiam imperium adsumptum est.

GRANG.

131. *Vulcano luteo.*) hoc est Igne *lutei* coloris. aliqui legunt *luto*, quod prima *lutei* brevis sit, neque a *luto* prima brevi *luteum* illud deducere credas, cum Vulcanus nil minus, quam *luteus* sit.

132. *Ad rhetora.*) *Rhetorem Isæum* audiit, non Isocratem propter paupertatem. *Plutarch.* in Demosth.

133. *Truncis affixa tropæis.*) Primi enim, qui *tropæa* erexerunt, *truncis* arborum arma victorum suspendere; arbores enim primas, quas inveniebant, detruncabant, iisque arma figebant. *Virg.* 11. Æneid.

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma.

Truncis igitur *tropæis*, i. in quibus debent esse *tropæa*. qua ratione, post hæc verba, *ingentem quercum*, subdit *Virg.*

— Tibi magne tropæum
Bellipotens. —

Disputant an *tropæum*, an *trophæum* legere debeant; & qui *tropæum* scribunt a τρέπω, hoc est, ab hostium in fugam versione.

134. *Lorica.*) Duplex *loricæ* genus: unum, quod pectorale, coriaceum; postea æreum, quod solum tegebat summum pectus. Alterum *lorica* hamata, quæ non aliud erat, quam circuli, sive annuli ferrei inter se nexi. Varroni *lorica* a *loris*, quod de corio crudo pectoralia faciebant. Postea succuderunt Galli e ferro, sub id ex annulis ferream tunicam. Hodie *cotte de maille*. Vide *Lips.* de Milit. Rom. lib. III. dial. VI.

134. *Buccula pendens de casside.*) In galea seu *casside* erant *buccula* duæ, quæ malas utrasque tegebant, ut videmus in nonnullis galeis nostris, quæ nobis dicuntur *morions*. Inde *bucculæ* idcirco dictæ, quod *buccas* tegant, & *buccularii*, qui has parant. ab imis *bucculis* lora, quibus stringerentur ad guttur, & firmarentur. Idem *Lips.* lib. III. de Milit. Rom. dial. V.

137. *Aplustre.*) quod summo malo navis appenditur, Gallis *la banniere*. Confundit autem & terrestre, & navale prælium.

136. *Summo in arcu.*) Alii tamen *arcus* triumphales a tropæis. ii autem *arcus* primum lateritii, mox lapide quadrato, tum demum marmorei.

36. *Tristis captivus.*) In arcu triumphali superiori parte erant spatia quædam, in quibus cum victoribus currus erant ære expressi; sub pedibus ducum *captivi* habitu *tristi*. *Prudent.* advers. Symmach. lib. posteriori:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugis, stantesque Duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos:
Sub pedibusque Ducum captivos poplite flexo,
Ad juga depressosque manibus in terga retortis.

140. *Famæ*

Erexit : caussas discriminis, atque laboris
Inde habuit : TANTO major famæ sitis est, quam
Virtutis. QUIS enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas ? patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis, tituli que cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus : ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus :
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem : quot libras in Duce summo
Invenies ? hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano, Niloque admota tepenti.
Rursus ad Aethiopum populos, altosque elephantos

Additur

VET. SCHOL.

140. *Famæ sitis.*) Corruptæ gloriæ cupiditas & desiderium.

143. *Gloria paucorum.*) id est, Cæsaris & Pompeji, & aliorum.

144. *Hæsuri saxis.*) id est, inscribendi sepulcris.

145. *Discutienda.*) Dirumpenda. in quibus saxis *caprificus* nascitur.

147. *Expende Hannibalem.*) Examina, pensa.

148. *Africa Mauro.*) Quantum ab Oriente distendit Oceanus.

150. *Rursus ad Aethiopum.*) Duo sunt : Orientes, & Occidentes in occasum : Garamantici degeneres, in ortum Macrobii præstant eos, qui junguntur Mauritaniæ, æquitate, ætate, virtute.

GRANG.

139. *Caussas discriminis.*) *Cic.* pro Archia : *Nam nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilii parvi esse ducenda.*

140 *Sitis.*) etiam ad animum. ut apud *Cicer.* in Paradoxis : *Nunquam expletur cupiditatis sitis. Horat.* I. epist. epist. XVIII.

Quem tenet argenti sitis importuna famesque.

141. *Quis enim virtutem.*) *Cassiodor.* lib. II. Variar. epist. XVI. *Studii nostri est, P. C. remunerationem recto conferre proposito, & bonæ indolis viros ad instituta meliora fructu impensæ benignitatis accendere : nutriunt enim præmiorum exempla virtutes : nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conscientia teste laudatur. Ovid.* II. de Ponto :

Iste decor recti, facti si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.

Sallust. orat. II. de Rep. ordinanda. *Gloria industria alitur; ubi eam dempseris, ipsa per se Virtus amara, atque aspera est.* Vide *Symmach.* epist. XLIII. LXXIX. & XCVI. lib. I. & epist. XX. lib. II.

143. *Gloria paucorum.*) Marii, Sullæ, Pompeji, Cæsaris, Octavii, Antonii, Lepidi.

143. *Tituli hæsuri.*) *Titulos* fuisse in sepulcris docuimus ad illud VI. satyr.

— *Titulo res digna Sepulcri.*

145. *Robora ficus sterilis.*) hoc est, *Caprifici*, cujus ea est natura, ut saxa distrahat, & monumenta dissolvat. *Isidor.* lib. XVII. cap. VI. *Martial.* lib. X. epigr. II. *Pers.* satyr. I.

145. *Mala robora.*) Ut apud *Propert.* eleg. V. lib. IV.

Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo :
Urgeat hunc supra vis, caprifice, tua.

146. *Data sunt fata sepulcris.*) *Propert* lib. III. eleg. II.

Nec Mausolæi dives fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacat.

Ausonius Burdigalensis :

— *Monimenta fatiscunt,*
Mors etiam saxis nominibusque venit.

146. *Fata sepulcris.*) Et *Poeta Umbro* eleg. XXVIII. lib. II.

Illa sepulturæ fata beata meæ.

148. *Mauro Percussa Oceano*) ab occidente. hic dicitur Atlanticus, *Maurus* autem a *Mauritania* Africæ regione, cujus incolæ Græcis *Maurusii*, Latinis *Mauri*, Hispanis hodie *Alabres*. Eorum regio, si Augustinum audimus, *le Royaume de Maroch*. Aliis *le Royaume de Fez*.

149. *Nilo tepenti.*) *Propert.* lib. II. eleg. XXXIII.

Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit ! —

Tepens autem dictus, quia *tepentem* Ægyptum irrigat;

Additur imperiis Hispania : Pyrenæum
Transilit. opposuit natura Alpemque nivemque :
Diducit scopulos, & montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam : tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Subura.
O qualis facies, & quali digna tabella,
Cum Gætula Ducem portaret bellua luscum!
Exitus ergo quis est? o gloria : vincitur idem
Nempe, & in exsilium præceps fugit, atque ibi magnus,
Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis,

Donec

rigat; & per ardentia decurrit.

150. *Ad Aethiopas*) Trogloditas.

150. *Aliosque elephantos.*) Altera lectio *altosque Elephantas.* Melius tamen *alios*, hoc est oppositos: quomodo & *Stat.* dixit lib x. *Æthiopas alios.*

V. ET. SCHOL.

151. *Additur imperiis Hispania*) Hannibalis, quia & eam obtinuit.

153. *Diducit scopulos.*) Nam dicitur primus Hannibal per *Alpem* viam fecisse, dum saxa montium ingentia igni primum exureret, deinde acetum acerrimum suprafundebat. & sic cecidit, & viam fecit; qui & in *Alpibus* a frigore oculum perdidit.

158. *Cum Gætula ducem.*) Constat nam *Hannibalem* a fulmine ictum, oculum perdidisse, Camelo solitum vehi vel Elephanto.

G R A N G.

151. *Additur imperiis Hispania.*) Cujus pars jam domita ab Annibale, & Asdrubale. *Livius* lib. XXI.

151. *Pyrenæum*) montem, qui Hispanias a Gallis dividit. τῷ autem *transilit* usus est, tum quia dicitur *Pyrenæus* saltus, tum ut celeritatem transeuntis Annibalis patefaceret. *Livius* lib. XXI.

152. *Alpem.*) *Alpis* Gallorum lingua *mons altissimus* vocantur, *Jun. Philarg.* III. Georg. hinc *Sidon.* carm. IX.

Juxta frondiferi cacumen Alpis.

Fortunatus de Greg. Turonensi:

Alpibus Arvernis veniens mons altior ipsis.

Peculiariter tamen *Alpes* longissimi tractus, qui Italiam a Germania, & Gallia separant.

152. *Alpemque, nivemque.*) Hendiadys, hoc est, *niveam Alpem.* vel quod, ut refert *Livius* lib. XXI. *fessis tædio tot malorum, nivis etiam casus occidente jam sidere vergiliarum ingentem terrorem adjecit.*

153. *Rupit aceto.*) *Livius* lib. XXI. *Unde ad rupem minuendam, per quam una via esse poterat, milites ducti, cum cædendum esset saxum arboribus, circa immanibus dejectis detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt, eamque tum & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt.* *Plin.* lib. XXIII. ostendit *acetum* infusum saxa *rumpere*, quæ non ruperit ignis antecedens. *Sidon. Apollin.* carm. II.

— *Si ruperit Alpes Pœnus.* —

Vide *Æmil. Probum* in Annibalis vita. *Senecam* præfat. lib. III. Natural. Quæst. *Flor.* lib. II. cap. VI. *Silium* lib. III. *Virg.* lib. X. *Plutarch.* in Annibale.

155. *Portas Frangimus.*) cum consilium cepit scilicet de obsidenda Roma. *Liv.* lib. XXVI.

158. *Cum Gætula Ducem.*) *Gætula bellua*, hoc est, Elephantus. Hanc historiam ita narrat *Liv.* lib. XXII. *Ipse Annibal æger oculis ex verna primum intemperie, variante calores frigoraque, Elephanto, qui unus superfuerat, quod altius ex aqua exstaret vectus: vigiliis tamen, & nocturno humore palustrique, cælo gravante caput; & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur.* *Plutarch.* in Annibale.

156. *Idem*) *Annibal*, qui vicerat Hispanias, Galliam, Italiam.

159. *Vincitur*) a Scipione ipsa in Africa. *Livius* lib. XXX. *Florus* lib. II. cap. VI. *Appian.* in Libyco. *Plutarch.* in Scipione.

160. *In exilium*) voluntarium, petentibus eum Legatis Romanorum. *Liv.* lib. XXXIII.

160. *Præceps fugit*) ad Antiochum. & victo Antiocho ad Prusiam Bithyniæ Regem. *Liv.* lib. XXXIX.

162. Do-

Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela; sed ille
Cannarum vindex, & tanti sanguinis ultor
Annulus. i demens, & sævas curre per Alpeis,
Ut pueris placeas, & declamatio fias!
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Aestuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.

Cum

VET. SCHOL.

162. *Donec Bithyno.*) *Prusia* in *Bithynia* civitas. Per annos sedecim *Hannibal* Italia pulsus, & in Africa victus ab Scipione, & postea pulsus a civibus, fugit ad Antiochum Syriæ regem: quem male impulsum ad bellum Romanis inferendum, victus cum regia classe deseruit. inde descendit ad *Prusiam Bithyniæ* regem. Quo cognito Romani legati mittunt ad Prusiam, Quintum Flaminium, ut sibi daretur perducendus ad Urbem Romam. Quod ne fieret, prævenit *Hannibal* hausto veneno, quod sub annuli gemma omni tempore habuerat.

165. *Cannarum vindex.*) quia populus apud *Cannas* vicum Apuliæ, ab *Hannibale* occisus est.

167. *Ut pueris placeas.*) Ut de te pueri studentes dicant in scholis deliberativa: *Hannibal utrum de Alpibus recederet?*

168. *Unus Pellæo*) Alexandro magno. Hic nam in *Pella* natus est Macedoniæ civitate.

170. *Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seripho.*) Insulæ angustæ, exsulibus aptæ.

GRANG.

162. *Bithyno tyranno*) Prusiæ.

163. *Finem animæ.*) Vitæ.

164. *Non gladii.*) Non enim enecatus *gladio* Annibal, sed veneno periit.

166. *Annulus Cannarum vindex.*) *Auctor* de Viris Illust. *Romana legatione per Titum Flaminium repetitus* (Annibal) *ne Romanis traderetur, hausto quod sub annuli gemma habebat, veneno absumtus est.* Ergo hic *annulus* pro veneno sub *annuli gemma* posito, ponitur qui recte *Cannarum vindex*, quasi annulorum vindex, quos Margo Carthaginem tulerat, quorum tantus acervus, ut metientibus dimidium super tres modios explevisse sint quidam auctores. *Livius* lib. XXIII. Veneno autem exstinctum Annibalem præter Auctorem citatum, *Livius* lib. XXXIX. *Sidon.* carm II.

Hannibal ille ferox ad pœnam forte petitus,
Etsi non habuit jus vitæ fine supremo,
Certe habuit mortis: quem cæcus carcer, & uncus,
Et, quem spectabat, fracturus guttura lictor,
Hausit Fabricio constantior hospite virus.

Sub *annulis* autem venenum occultasse antiquos docet *Plin.* lib. XXXII. cap. I. *Alii sub gemmis venena cludunt, sicut Demosthenes summus oratorum Græciæ, annulosque mortis gratia habent.*

167. *Ut pueris placeas.*) satyr. VII.

—— Dirus caput Annibal implet.

167. *Declamatio fias.*) *Tibull.* lib. I. eleg. IV.

Parce puer, quæso, ne turpis fabula fiam.

Horat. epist. XIII. lib. I.

— Asinæque paternum
Cognomen vertas in risum, & fabula fias.

Sic *Plaut.* Pœnulo act. I. sc. V.

Solus sermo est omnibus.

Propert. lib. I. eleg. V.

Rumor eris. —

168. *Unus orbis.*) Unde ille apud *Senec.* Patrem: *Orbem, quem non novi, quæro; quem vici, relinquo.* Plures enim esse mundos audierat ab Anaxarcho.

168. *Pellæo juveni*) *Alexandro magno*, ita dicto a *Pella* civitate Macedoniæ, in qua Philippus & ille nati. Hodie *Jeniza* Sophiano, *Zuchria* Nigro. *Auson.* Paullino:

Ocyus illa jugi fatalis solvere lora,
Pellæum potuisse Deum reor. —

Alciatus:

Pellæum Taliam gessisse numismata Regem.

169. *Angusto limite mundi.*) *Seneca* pater: *Alexander orbi magnus est, Alexandro orbis angustus.* Et paulo post: *Orbis illum suus non capit.* Seneca Philosophus, epist. CXIX. *Ille modo ignobilis anguli, non sine controversia dominus, de tanto fine terrarum, per suum rediturus orbem tristis est.*

170. *Gyaræ clausus scopulis.*) Ut qui mundum

hunc

Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. MORS sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus isdem,
Suppositumque rotis solidum mare. credimus altos
Defecisse amneis, epotaque flumina Medo

Pranden-

hunc putat esse alteram *Gyaram*, vel *Seriphum*, de quibus alibi.

VET. SCHOL.

171. *Cum tamen a figulis munitam.*) *Babylonem* significat Persarum civitatem: quam condidit Urbem Semiramis Nini uxor, & coctili latere munivit, quem hodie dicimus *ordinarium lapidem.* In hac igitur Urbe *Alexander* devictis Persis ingressus veneno periit. Hæc Urbs sexaginta millium circuitu patet, ex latere cocto circundata muris, quorum latitudo ducentos pedes detinet, altitudo quinquaginta.

172. *Sarcophago contentus.*) quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco *contentus* est.

174. *Velificatus Athos.*) *Xerxen* dicit Persarum regem, qui *Athonem* montem in Achaia dicitur perforasse, & immisisse terris novum mare: pontum contabulasse navibus, atque ita exercitum in Achaiam transtulisse.

GRANG.

171. *Intraverit urbem.*) *Babylona.* *Seneca* lib. de Constantia sap. cap. VI. *Non Babylonis illi muros contuleris, quos Alexander intravit.* Q. *Curt.* lib. V. *Plutarch.* in Alexandro. *Just.* lib. XII. *Oros.* lib. VI. *Seneca pater* suasoria IV. *Sidon.* carm. II. versu XXCI.

Quaque Draconigenæ portas non clauserat hosti,
Tum demum Babylon nimis est sibi visa patere.

171. *Munitam figulis.*) *Munitam figulis Babylona* vocat, quod ejus muri cocto latere constructi. *Propert.*

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum coctus tolleret agger opus.

Ovid. IV. Metam.

— *Ubi dicitur altam*
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Vide *Plin.* lib. XXXV. cap. XV. *Justin.* lib. I. *Herodot.* lib. I. *Curtium* lib. V. unde proverbium: *Murus Semiramidis.*

172. *Sarcophago contentus erit.*) Nam ibi mortuus est, præter auctores citatos, *Plutarch.* in Alexandro.

173. *Quantula hominum corpuscula.*) Supra:

Expende Annibalem, quot libras in duce summo
Invenies? —

174. *Velificatus Athos.*) *Justin.* lib. II. de Xerxe: *Quædam maria pontibus sternebat, quædam ad navigationis commodum per compendium ducebat.* Solinus: *Verum uti sileam Rhodopen, Mygdonium montem, aut Athon classibus Persicis navigatum.* *Sidon.* carm. II.

— *Cui ruptus Athos, cui remige Medo*
Turgida sylvosam currebant vela per Alpem.

Et carm. IX.

Admissoque in Athon tumente ponto.

Virgil. in Culice.

175. *Græcia mendax.*) Vide proverbium: *Græca fides.* Ipsemet satyr. XIV.

Græciæ si vera est. —

Euripides in Iphigenia: *Fidem Græcia non novit.*

175. *Audet in historia.*) *Aurel. Victor* in Caligula: *Græcorum dicto, queis augendi omnia studium est*

175. *Constratum classibus isdem.*) *Valer.* lib. I. cap. VI. *Qui mare classibus, terram pedestri operis exercitu.* *Sidon.* carm. V.

— *Nec tantæ Seston juncturus Abydo*
Xerxes classis erat, tumidus cum sterneret undas.

176. *Suppositumque rotis solidum mare.*) Ipse *Sidon.* eodem:

Et pontum sub ponte daret. —

Just. lib. II. *Quædam maria pontibus sternebat, ut illo, quo junxit Seston Abydo.* de quo *Herodot.* lib. VII. *Aemil. Probus* in Themistocle. *Orosius* lib. II. cap. X.

176. *Defecisse amnes.*) *Justinus* lib. II. *Sidon.* carm. IX. vers. XXXIX.

Aut cum millia mille concitaret
Inflatum numerositate Xerxen,
Atque hunc fluminibus satis profundis
Confestim ebibitis adhuc sitisse.

Vide *Herodot.* Polyhymnia, qui inter alios Onochoni, & Chidori fluminis meminit.

178. *Et*

Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relicta,
In corum atque eurum solitus sævire flagellis
Barbarus, Aeolio nunquam hoc in carcere passos;
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non & stigmate dignum
Credidit. huic quisquam vellet servire Deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis

Flu-

VET. SCHOL.

178. *Et madidis cantat quæ Sostratus alis.*) *Sostratus* poeta fuit. Hic *Xerxis regis facta* descripsit *Madidis* autem ideo, quia omnis, qui cum sollicitudine recitat, necesse est, ut alæ ejus sudent. Sic *Horatius*:

— Sudor ad imos
Manabat tales. —

179. *Salamine relicta.*) Cum victus a Græcis fugit.

180. *In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis.*) Solebat verberare flatus. Sic nam fingunt *Græci Poetæ*.

182. *Ipsum compedibus.*) Dicebat nam *Xerxes*: *Usque adeo vicisse se procellas Hellesponti, ut ventos flagris compesceret, & ipsum Neptunum compedibus vinciret.*

183. *Mitius id sane.*) Ironia. quia non cecidit, ne maculam infererent notæ, secundum jus.

183. *Stigmate.*) Quia non hoc inscribi jussit.

184. *Huic quisquam vellet servire Deorum.*) quia pontem mari superposuit, finxerunt illi *servisse Neptunum*: quemadmodum Laomedonti regi Phrygiæ. Vel propter Apollinem, quia servivit Admeto.

185. *Sed qualis rediit.*) Interrogative pronunciandum

GRANG.

178. *Sostratus.*) quem *Vetus Scholiastes* Poetam facit, qui *Xerxis facta* cecinit, puta quendam Aretalogum designare.

178. *Madidis alis*) Ad sudorem recitantium alii referunt, ego ad ebrietatem.

179. *Ille*) Xerxes.

179. *Salamine relicta.*) Insula prope Peloponnesum, quæ hodie *Coluri*, in qua victus a Themistocle. *Herodotus* in Urania.

180. *In corum atque eurum solitus.*) ventos oppositos. *Corus* enim Latinis, Græcis *Argestes*, nostris *Ouest*, ventus est flans ab Occidente solstitiali. *Eurus* vero Græcis, qui Latinis *Vulturnus*, Gallis *Suest* ou *Siroch* flat ab Oriente brumali.

180. *Sævire flagellis.*) In mare *flagellis sævisse*, non in *ventos* reperio. *Herodot.* in Polyhymnia. Ὡς δὲ ἐπύθετο Ξέρξης, δεινὰ ποιεύμενος τὸν Ἑλλήσποντον ἐκέλευσε τριηκοσίας ἐπικέσθαι μάστιγι πληγάς. *Quod cum audiisset Xerxes, indigne ferens, jussit trecenta Hellesponto verbera infligi.*

182. *Vinxerat compedibus.*) Idem *Herodot.* eodem: Καὶ κατεῖναι ἐς τὸ πέλαγος πεδέων ζεῦγος. *Et in ejus pelagus par compedum demitti.* *Seneca* de Constantia Sapientis cap. IV. *Quid tu putas, cum stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset, ullam sagittam in Solem incidisse, aut demissis in profundum catenis Neptunum potuisse contingi.* Valer. Max. *Gravem illum & mari & terræ Xerxem, nec hominibus tantum terribilem; sed Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem.*

182. *Ennosigæum.*) *Neptunum*, qui ἐννοσίγαιος dictus ἀπὸ τῆς ἐνόσεως, id est, concussio, & γαῖα terra, eo quod terram quatiat. Ob eamque rem Σεισίχθων a verbo σείω, quod est, quatio, & χθὼν, terra. *Ammian. Marcel.* lib. XVII. Ideoque Neptunum humentis substantiæ potestatem *Ennosigæum*, & *Sisichthona* Poetæ veteres, & Theologi nuncupaverunt.

183. *Quod non & stigmate dignum Credidit.*) Imo audi *Herodot.* in Polyhymnia: Ἤδη δὲ ἤκουσα, ὡς καὶ στιγέας ἅμα τούτοισι ἀπέπεμψε στίξοντας τὸν Ἑλλήσποντον. *Jam vero audivi misisse quoque cum his etiam, qui stigmata Hellesponto inurerent.*

185. *Una nave, cruentis Fluctibus &c.*) Non tam intelligendum de strage exercitus, quam de iis, quæ fugienti Xerxi acciderunt. qua de re sic *Herodot.* in Urania, navem Phœnissam conscendisse, ut in Asiam se reciperet; & dum cursum tenet a Strymonia ingenti vento fuisse exceptum, & eo vehementius tempestate vexatum, quod navis referta vectoribus erat, utpote cum super contabulationes essent frequentes Persæ, qui cum Xerxe. Ibi metu perculsum Regem cum clamore interrogasse gubernatorem, numqua salus ei esset, & quum ille respondisset: Here, nulla admodum est, nisi horum vectorum aliqua fiat abitio: tunc Xerxem eo audito ita loquutum: viri Persæ, nunc aliquis vestrum declaret se curam habere Regis: in vobis enim

videtur

Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas!
Da spacium vitæ, multos da Juppiter annos!
Hoc recto vultu solum, hoc & pallidus optas.
Sed QUAM continuis & quantis longa senectus
Plena malis: deformem, & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendenteisque genas, & taleis adspice rugas;
Qualeis, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo:

Una

videtur sita esse salus mea. Hæc ubi dixit Xerxes, illos eo adorato desiliisse in mare: atque ita levata navi Xerxen incolumem in Asiam pervenisse. *Herodot.* tamen ipse terrestri via potius rediisse credit.

185. *Una nave*) Phœnissa.

VET. SCHOL.

188. *Da spacium vitæ.*) Prolixum tempus vitæ.

189. *Hoc recto vultu.*) Lætus & Tristis vitam longam optas.

194. *Quales umbriferos.*) Opacas silvas esse in Africa *Poeta* dicit, in regione *Tabracena*, in quibus *simiæ* nascuntur.

196. *Plurima sunt.*) Queis discerni possunt inter se.

GRANG.

186. *Per densa cadavera*) *Persarum*, qui rogatu Xerxis in mare desilierunt, ob quorum mortem ipsum navis gubernatorem decollavit, quem corona aurea donaverat, quod eum servasset. Idem *Herodot.* eodem.

188. *Da spacium vitæ, da* &c.) Verbum solemne in precationibus, idque geminatum. *Pers.* satyr. II.

— Da fortunare Penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. —

Virgil. III. Æneid.

Da propriam Thymbræe domum, da mœnia fessis.

189. *Vultu recto.*) Vide *Brisson.* de Formul. pag. 44.

190. *Senectus Plena malis.*) Senarii proverbiales Græci:

Πρὸς γὰρ τὸ γῆρας, ὥσπερ ἐργαστήριον,
Ἅπαντα τ' ἀνθρώπινα προσρεῖ τὰ κακά.

Miseram ad senectam, ut ad officinam quampiam,
Mala universa confluunt mortalium.

Et alius:

Τὸ γῆρας ὥσπερ βωμός ἐστι τῶν κακῶν.

Quædam est malorum ara senectus omnium.

191. *Deformem vultum.*) *Horat* ode XIII. lib. IV,

— Fis anus, & tamen
Vis formosa videri.

192. *Dissimilemque sui.*) Idem *Horat.* eod. ad Lycen anum factam:

— Quid habes illius,
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mihi.

Et ode X. lib. IV.

Nunc &, qui color est Puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam,
Dices: heu (quoties te speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

192. *Pro cute pellem.*) Sic enim *pellem* a *cute* distinguunt, ut *cutis* hæreat vivis, *pellis* mortuis. Quamvis sæpissime confundantur.

193. *Aspice rugas.*) *Rugosi* senes. *Lucilius* satyr. IX. apud *Nonium* in *Passum*:

Rugosi, passique senes eadem omnia quærunt.

Horatius:

— Te quia luridi
Dentes, te quia rugæ turpant.

194. *Tabraca.*) Varie scribitur illud nomen: quidam *Tabraca.* Alii *Thabraca.* Nonnulli *Tanracha*, uno & *Stephanus* legit *Tabathra.* Africæ Urbs, in qua *fimiarum* ingens copia, *Solino* & *Strabone* testibus. Vide *Leroald.* Annotat. in lib. V. *Plinii.*

198. *Una*

Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi,
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Usque adeo gravis uxori, gnatisque, sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini, atque cibi torpente palato
Gaudia: nam coitus jam longa oblivio; vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus;
Et, quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,

Quæ

VET. SCHOL.

198. *Una senum facies.*) id est, Dissimiles & multæ figuræ sunt juvenum, & est unicuique sua gratissima: quod quidam pulcer est, alter fortis, alter eloquens: *senibus* enim *una* esse videtur *forma*.

199. *Madidique infantia nasi.*) Ita nam senibus humor de *naso*, ut *infantibus* pendet.

200. *Frangendus misero gingiva panis inermi.*) Notandum masculino genere dixisse, ut *hic gingiva*. quia dentes ruerunt, *gingiva panis frangendus* est.

202. *Fastidia Cosso*) hæredipetæ.

203. *Non eadem vini.*) Nullus illi sapor est.

204. *Nam coitus jam longa oblivio.*) Ut *Virgilius*:

Frigidus in Venerem senior. —

205. *Jacet exiguus cum ramice nervus.*) Penis, ut *Virgilius*:

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis.

Ramicem, decit intestinum.

206. *Et quamvis tota palpetur nocte.*) Fricetur, præputietur.

208. *Suspecta libido est.*) Ut infames dicantur, qui sine ullo calore coitum desiderant.

GRANG.

198. *Cum voce trementia membra.*) Catullus:

Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.

Tremoris caussam in senibus docet *Macrob.* lib. VII. cum sanguis scilicet nervos relinquit, quibus vis membrorum tenebatur. *Plaut.* Menæch. *Catullus* iterum de Parcis:

His corpus tremulum. —

Propert. lib. IV. I.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris. —

199. *Jam læve caput.*) Glabrum & calvum. *Horatius*:

Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.

Hæc omnia D. *Hieron.* ad Principiam, in Epitaphio Marcellæ complexus est: *Jam incanuit caput, tremunt genua, dentes cadunt, & frons ob senium rugis arata.*

199. *Madidique infantia nasi.*) Martialis:

Turpis ab inviso pendebat stiria naso.

200. *Gingiva inermi.*) Verum est, & ut ait *Gregor. Thessalonicensis*:

Γέροντι ἄμιλοι γνάθοι βακτηρία.
Sunt scipio seni, maxillæ edentulæ.

200. *Inermi gingiva.*) Sidonius *ora exarmata* dixit. carm. XIII. & lib. VII. epist. XIV.

201. *Gravis uxori.*) satyr. VI.

Jam gravis est nobis. —

202. *Moveat fastidia.*) *Martial.* lib. XIII. epigr. XVII.

Nec tibi pallentes moveant fastidia caules.

204. *Vel si Coneris.*) Idem *Martialis*:

Lactaris demens tu tamen arrigere.

205. *Exiguus nervus.*) Contra satyr. IX.

— *Longi mensura incognita nervi.*

205. *Cum ramice.*) *Ramex*, & *hernia* idem, & ut *hernia* παρὰ τοῦ ἔρνος, ita *Ramex* dicitur a *ramo*, quod cum intestinum incipit in scrotum decidere, videtur ramum facere.

206. *Tota palpetur nocte.*) *Martial.* lib. XII.

Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.

Vide epigr. XLVII. lib. XI. *Petronius*: *Sollicitavit inguina mea mille jam mortibus frigida.*

208. *Suspecta libido.*) Vide *Martialem* lib. III. epig. LXXV. & lib. XI. epig. XXVI. & XLVII.

216. Quem

Quæ Venerem affectat sine viribus? adspice partis
Nunc damnum alterius. nam quæ cantante voluptas;
Sit licet eximius citharœdo, sive Seleuco,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam in corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos; quot longa viros exsorbeat uno

Maura

VET. SCHOL.

216. *Quem dicat venisse puer.*) quia per ætatem nec videt, & nisi puer admoneat, nihil sponte sentit.

217. *Præterea minimus gelido.*) Ut *Virgilius*:

— *Gelidus tardante senecta,*
Sanguis hebet. —

219. *Morborum omnes genus.*) id est, Omne genus ægritudinis, ut *Terentius*:

Rogas? Senectus ipsa morbus est.

221. *Quot Themison ægros.*) Archiater illius temporis, cui detrahit.

222. *Quot Basilus*) Advocatus illo tempore, prævaricator.

222. *Quot circumscripserit Hirrus*) Tutor.

223. *Quot longa viros absorbeat.*) Hanc ostendit ore fuisse impuram.

GRANG.

209. *Partis damnum alterius.*) Aurium sive auditus. *Plin.* lib. VII cap. L.

212. *Et quibus Aurata &c.*) *Horat.* hunc morem expressit in Arte in iis verbis:

— *Trahitque per pulpita vestem.*

216. *Qui nuntiet horas.*) *Martial.* lib. VIII. epigr. LXVII.

Horas quinque puer nondum tibi nuntiat, & tu
Jam Conviva mihi Cæciliane venis.

Seneca lib. de Brevit. Vitæ, cap. XII. *Sidon.* epist. IX. lib. II. *Sueton.* in Domitiano cap. XVI. Sic Dus in templis *horas nuntiatas* docet *Lips.* ex fragmento *Senecæ* in Elect. lib. II. cap. XVIII.

218. *Velut agmine facto.*) Illud *Virgilianum* est, quo & usus Ipse satyr. III.

219. *Morborum omne genus.*) Unde *Seneca* in epist. notat *Virgilium* una posuisse *morbos*, & *senectutem*:

— *Subeunt morbi, tristisque senectus.*

Terent. Græcos imitatus, *Senectus ipsa morbus*. Unde *Erasmus* suum proverbium concinnavit. *Seneca* ipse: *Senectus insanabilis morbus*, epist. CIX.

219. *Quorum si nomina quæras.*) Illud hemistichium *Ovidianum* est. De variis *morborum* generibus inter alios *Pineda* in *Job*.

220. *Quot amaverit &c.*) Seipsum imitatus satyr. XIV.

— *Largæ*
Filia; quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito &c. —

221. *Themison.*) pro quocunque medico. *Themison* autem Cyprius, medicus Antiocho Regi in deliciis habitus, auctore *Athenæo*. Cujus arrogantia Menecratis superbiæ æquiparatur. Hic habuit sectam, de qua *Seneca* epist. XCV.

221. *Occiderit.*) Cassiodor. *Homicidii crimen est in hominis salute.* Unde facete quidem Poetarum *medico* & *Judici* hominem *occidere* licere impune. Talis lusus est *Martialis* in Diaulum, lib. I. epig. XLIIX. & Hermocratem, lib. VI. epig LIII.

223. *Exsorbeat viros.*) Errat *Vetus Scholiast.* qui ad

oris

Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet: hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis:
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte; nec illos,
Quos genuit, quos eduxit. nam codice sævo
Hæredes vetat esse suos, bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,

Quod

oris impuritatem hæc referenda putat. *exsorbere* enim est etiam alterius partis. sic & *Tibullus*, *vorare*:

Tibi hæc paratur, ut tum ter aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput.

Peragere viros dixerunt ut *Phallicis*:

Quæ quot no te viros peregit una.

V E T. S C H O L.

224. *Quot discipulos inclinet Hamillus*) Magister, infantium corruptor.

226. *Quo tondente gravis.*) *Licinius* ex tonsore senator factus.

227. *Ille humero.*) Redit ad senes.

229. *Digitis alienis.*) *Chiragra* debilis, qui ab alio cibatur.

230. *Diducere rictum.*) Os applicare, ut pulli hirundinis; quæ pleno ore volat, dum incibat filios suos.

233. *Major dementia.*) Ad postremum, quod desipes efficiuntur.

238. *Ad Phialen.*) *Impuram* hanc fuisse demonstra Poeta, interea & artificem ad inquietandum senis inguinem.

G R A N G.

224. *Maura.*) de qua satyr. VI.

— *Qua sorbeat aera sanna,*
Maura Pudicitiæ veterem cum præterit aram.

224. *Amillus.*) de quo *Martial.* lib. VII. epigr. LXI.

224. *Inclinet.*) Incurvet, ut satyr. IX.

— *Atque ipsos etiam inclinare maritos,*

225. *Quot villas.*) Vide, quæ dixi ad illud satyr. I.

Patricios omnes opibus cum provocet unus,
Quo tondente &c. —

225. *Percurram citius.*) Supra: *Promtius expediam.* & satyr XIV.

— *Tanto prætexere cursu.*

227. *Ille humero,* &c.) *Mæcenas* apud *Senec.* epist. CI.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa:
Tuber adstrue gibberum.
Lubricos quate dentes:
Vita dum mihi superest, bene est,
Hanc mihi, vel acuta
Si sedeam cruce, sustine.

228. *Luscis invidet.*) quod Galli dicunt, *au Royaume des aveugles les borgnes sont Roys.*

233. *Major dementia.*) *Plaut.* Mercatore:

Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit.

236. *Quos duxit.*) Educavit. *Diomedes* lib. I. Educo *eductus* & *educatus* facit, sed *educatus* frequentius. *Plaut.* Milite: *Eductum in nutricatu venereo. Virgil.*

Eductum Aegeriæ lucis. —

Terent. Heaut. act. II. sc. I. ubi *Donatus.*

236. *Codice sævo.*) Testamento. qua ratione *Justinianus* codicem sumsit. §. *sed unum. Inst. de test.* Hinc *codicilli.*

237. *Hæredes vetat esse suos.*) Hac solenni formula; *Titius exhæres esto.*

238. *Ad Phialen*) fellatricem.

238. He-

Quod ſteterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus adſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigra veſte ſeneſcant.
Rex Pylius, magno ſi quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui tot per ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos,

Qui-

238. *Halitus*) impurus

238. *Oris artificis.*) quod tum fellatione, tum blandiloquio hæreditatem ſenis captaverat.

VET. SCHOL.

239. *Quod ſteterat.*) Ex eo, quam diu proſtiterit.

240. *Ut vigeant ſenſus.*) Pone, ut non ſit demens, qui diu vixerit; tamen omnes effert ipſe filios ſuos.

242. *Plenæque ſororibus urnæ.*) *Urnæ*, vaſa in quibus mortuorum oſſa componebantur, poſtquam corpus arſiſſet.

246. *Rex Pylius.*) *Neſtorem* dicit, qui dicitur tertiam uſque ætatem vixiſſe, id eſt ccc. annos, ut dicit *Homerus*.

GRANG.

239. *Steterat.*) *Horat.* I. Serm. ſatyr. II.

— *Niſi olenti fornice ſtantem.*

240. *Ducenda Funera.*) *Ducere* verbum ſepulturæ, *Albinov.* ad Liviam:

Funera ducuntur Romana per oppida Druſi.

241. *Funera gnatorum.*) Virg. VI.

Impoſitique rogis juvenes ante ora parentum.

242. *Plenæ ſororibus urnæ.*) Albinovanus:

Vidimus erepta mœrentem ſtirpe ſororis,
Luctus ut in Druſo publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, ſepulcro;
Excepit generos jam locus ille duos.
Vix poſito Agrippæ tumuli bene janua clauſa eſt,
Perficit officium funeris ecce ſoror.

242. *Sororibus.*) Cineribus ſororum.

243. *Hæc data pœna diu viventibus.*) *Seneca* propterea dixit:

Rarum eſt felix, idemque ſenex.

Et *Plin.* lib. VII. cap. L. vocat ſenectutem *pœnam vivacem*.

245. *Nigra veſte*) in perpetuo funere, quo

Aſpicitur toto purpura nulla foro.

246. *Rex Pylius*) *Neſtor*, quem *ſenem Pylium* vocat *Ovid.* *Pylius* autem a patria, quæ *Pylos* in Peloponneſo. ſunt autem tres ejuſdem nominis in eadem regione.

246. *Si quidquam credis Homero.*) In Priapejis:

— *Qui, ſi quid credis Homero.*

Seneca Quæſt. Natural. VI. cap. XXVI. *ſi Homero fides.*

246. *Magno.*) *Horat.* ſatyr. X. I. Serm.

Tu nihil in magno doctus reprendis Homero.

Ovid. II. Triſt.

— *Indicio magni ſciremus Homeri.*

247. *Vitæ fuit a cornice ſecundæ.*) Cujus vita non tam longæva, nec par *vitæ cornicis*, ſed ſecunda ab ea. De *vita* autem *cornicis*, *Plin.* ex *Heſiodo* lib. VII cap. XLVIII. qui *cornici* novem hominum ætates attribuit, quod confirmat *Virg.* in epigram. & *Ovid.* in Metam.

248. *Tot ſecula.*) Tria ſcilicet. Unde apud *Gell.* VII. lib. XIX. dictus *Nævio*, *Triſeclıſenex.* Vide *Homer.* Iliad. I. quem imitatus *Ovid.* — *Vixi*

Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Tibull. lib. IV.

Vixerit ille ſenex quamvis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurreret horis.

Horat. ode IX. lib. I. *Propert.* lib II. eleg. XIII. De ſpacio tamen *ætatis* & *ſeculi* diſputatio eſt. *Ovid.* & *Varro* centum annorum faciunt; alii centum & decem annorum, ut *Cenſorinus*, & *Saliger* libris de Emendatione Temporum. *Plutarch.* XXX. annorum in Catone Cenſorino; *Acro* apud *Horat.* & *Lactant.* in Theb. IV. Ita ut Neſtor XC. annos tantum vixerit. quod videtur annuere *Seneca* epiſt. LXXVII.

249. *Jam dextra computat annos.*) Hunc locum imitatus *Sidon.* epiſt. IX. lib. IX. *Ut quandoquidem tuos annos jam dextra numeravit, ſeculo prædicatus uno, deſideratus alieno.* Antiqui enim per digitos numerare

ſoliti

Quique novum toties mustum bibit. oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum vidit acris
Antilochi barbam ardentem: cum quærit ab omni,
Quisquis adest socius, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis sollennibus, Hectore funus

Por-

solitì. Patet *Seneca* epist. LXXXVIII. & III. de Ira. cap. XXXIII. *Sueton.* in Claudio cap. XXI. *Martian. Capel.* II. de Nuptiis. *Tertull.* Apol. cap. xc. At numerus, qui infra centum, *digitis* sinistræ manus numerabatur. Centenarius vero numerus, & major illo *digitis manus dextræ.* D. *Hieron.* in tractatu Euangelicæ sententiæ: *Centesimus numerus de sinistra transfertur in dexteram.* Videndus *Beda* tractatu de Computo. & D. *Irenæus* lib. I. cap. XIII. *Rhodig.* lib. XXIII. cap. XI. *Cassian.* collat. XXIV. cap. XXVI.

VET. SCHOL.

250. *Quique novum toties.*) qui multos autumnos vidit.

253. *Antilochi barbam.*) Filium suum ploravit *Antilochum*, quem Memnon auxilium patri ferentem occidit in Troja.

257. *Atque alius*) *Laertes*, propter Ulyxem naufragum.

259. *Assaraci magnis sollennibus.*) id est, Felix etiam fuisset *Priamus*, si ante incendium Trojæ fuisset mortuus, cujus *funus* omnes filii sui deduxissent.

GRANG.

251. *Ipse queratur.*) Albinovanus:

Te queritur casusque malos invisaque fata.

251. *Legibus Fatorum.*) *Martial.* lib. V. epig. XXXIX.

Quam pessimorum lex avara fatorum.

Lucan. lib. VIII.

Quod nisi fatorum leges. —

253. *Antilochi.*) *Antilochus* filius Nestoris a Memnone interfectus, non, ut *Ovid.* ab Hectore, id enim dicit non ipse, sed fœmina historiæ ignara. *Homer.* odyss. III. & IV. *Horat.* ode IX. lib. II. *Pindarus* Pythiis. queritur ergo de morte filii, quia, ut ait *Publius Syrus*:

Homo toties interimitur, quoties amittit suos.

Similis querela Euandri XI. Æneid.

254. *Cur hæc in tempora duret.*) *Propertium* imitatus lib. II. eleg. XIII.

Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ,
Nestoris est visus post tria secla cinis.
Si tam longævæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati:

Et postea:

Diceret aut: o mors cur mihi sera venis?

Ut Livia apud *Albinovanum*:

Accusatque annos, ut diuturna, suos.

Contra quidam *senes decrepiti*, ut docet *Seneca* de Brevit. Vitæ, cap. XI. *paucorum annorum accessionem votis mendicant, minores natu seipsos effingunt; mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quam si fata una decipiant.*

257. *Atque alius*) Laertes.

257. *Ithacum natantem.*) Ulyssem navigantem. *Propert.* de illo lib. III. eleg. XII.

Totque hyemis noctes, totque natasse dies.

De naufragio tamen licet & intelligere, de quo *Homerus* Odyss. V. & XII.

258. *Venisset ad umbras.*) Virg.

Troius Aeneas, pietate insignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.

259. *Assaraci*) Fratris illi, patris Laomedontis.

259. *Magnis sollennibus.*) *Magna* pompa funebri. *Sollenne* enim *Festo*, & *Servio* anniversarium est, ad illud *Virg.*

— *Et tumulo sollemnia mittent.*

259. *Hectore funus Portante.*) Corpus Priami patris. *funus* enim pro ipso mortui corpore non semel, maxime cum effertur, aut humatur. *Propert.* eleg. XVII. lib. I.

Haccine parva meum funus arena tegit?

A filiis

Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla:
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam, ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,

Qui

A filiis autem patrum corpora *portari* clarum ex *Valer. Max.* lib. VII. cap. I. *Exstinctum* (Q. Metellum) *filii & generi humeris suis per Urbem latum rogo imposuerunt.* Quod idem repetitur *Plinio* lib. VII. cap. XLIV. *Florus* Epitome *Livii* XLVIII. & *Cic.* I. Tuscul.

VET. SCHOL.

260. *Portante.*) quæ solent a filiis in funere patris fieri.

264. *Audaces Paris.*) Bene, *audaces*: quia *Helenam* alienam uxorem ablaturæ erant.

265. *Omnia vidit Eversa.*) Ut *Virgilius*:

Urbis uti captæ casum, collapsaque vidit, &c.

Ergo hoc illi prolixa vita præstitit.

268. *Et ruit ante aram.*(Ut *Virgilius*:

Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.

GRANG.

260. *Reliquis cervicibus.*) *Humeris* enim portabantur funera. *Plin.* lib. XVIII. cap. III. *Virg.* VI. Æneid. *Albinov.* ad Liviam. *Luc.* lib. VIII *Papin.* VI. Theb. *Sueton.* August. cap. C. Locus autem ille *Juvenalis* desumtus ex *Cic.* I. Tuscul. *Metellus ille honoratus* IV. *filiis; at quinquaginta Priamus, e quibus decem & septem justa uxore natis, in utroque eandem habuit fortuna potestatem; sed usa in altero est. Metellum enim multi filii, filiæ, nepotes, neptes in rogum imposuerunt: Et Priamum tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset hostilis manus interemit. hic si vivis filiis incolumi regno occidisset.*&c. Attamen, ut docet *Sueton.* Cæsar Tiberius *hoc uno felicem vocabat Priamum: quod superstes suorum fuisset.*

261. *Iliadum lacrymas.*) Albinov.

Omnis adest, ætas mœrent juvenesque, senesque,
Ausoniæ matres, Ausoniæque nurus.

Virg. XI. Æneid.

Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.

261. *Edere planctus.*) tanquam præfica. *Præficæ* enim modum *plangendi* ceteris dabant. *Xiphilin.* in Severo. & *D. Matth.* cap. XI. Quare eleganter *Lucian.* vocat has præficas σοφιστὰς θρήνων.

262. *Scissa palla.*) Veste lacera. in funere & luctu ritus *vestes scindere. Seneca* in Choro I. Octaviæ:

— *Scindit vestes*
Augusta suas. —

Virgil. XII. Æneid.

— *Et scissa veste Latinus.*

Stat. in Glauciam Melioris:

— *Vestes & pectora rumpis.*

Sic & Judæi, ipseque David. *lib.* I. *Sam. cap.* I. & *Sam.* II. *cap.* III. de varia autem *scissione vestium* plura super his *Faber* Semestr. II. cap. X.

264. *Audaces carinas.*) Hypallage, hoc est, *Paris audax*, tum quod mare ascenderet, unde *Horatius*:

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Et Serm. I.

— *Nautæque per omne*
Audaces mare qui currunt. —

tum quod ibat, ut raperet Helenen. Idem *Horat.* od. XV. lib. I.

264. *Aedificare carinas.*) Cicero: *Navem tibi ædificatam Messanæ.*

295. *Longa dies.*) Dies heic pro tempore, ut apud *Virg.*

Multa dies variusque labor. —

265. *Omnia vidit Eversa.*) Hæc ex iis versibus, quos affert *Cic.* I. Tuscul.

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo & vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari.

267. *Tunc miles tremulus.*) *Virgil.* II. Æneid.

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris. —

268. *Ante aram summi Jovis.*) Supra:

Jovis

Qui Domini cultris tenue, & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro.
Exitus ille utcunque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, & Regem transeo Ponti,
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
RESPICERE ad longæ jussit spacia ultima vitæ.
Exsilium, & carcer, Minturnarumque paludes,

Et

Jovis aram sanguine turpari.

Virgilius II.

— *Altaria ad ipsa frementem*
Traxit, & in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.

VET. SCHOL.

270. *Ab ingrato jam fastiditus aratro.*) Contemtus ab aratro senex, qui non potest laborare, id est arare.

271. *Sed torva canino.*) *Hecubam* dicit, quæ excæcato Polymnestore, cum saxis impelleretur a populo Thracum, versa in *canem* fertur. An quia Græcis convitia congerebat, *canem* nominaverunt?

273. *Et Regem transeo Ponti.*) *Mithridates*, cum per quadraginta annos adversus Romanos dimicasset, cum Pharnacen filium suum apud ceteros ejus fratres, voluisset occidere, ab omni relictus exercitu est: & exhausto veneno periit. Accepto frequenter antidoto, ut perire non posset. Postea vero Pharnaces successit ejus imperio.

274. *Et Crœsum.*) Cum interrogatus fuisset *Solon* a *Crœso: si aliquem vidisset tam gloriose regnantem?* ille dixit: *Debere vitæ ultimæ eventum exspectari.* quem cum Cyrus captum victor vivum jussisset in rogo poni, clamare cœpit, *Solonem non sibi esse mentitum:* atque ita a Cyro est liberatus, timente ne aliquid sibi fieret in extremo vitæ spacio perdurante.

276. *Exilium, & carcer, Minturnarumque.*) Cum Sylla cum Jugurtha in Africa pugnaret, *Marius* supra ipsum ambiit, & missus est. illo remoto, vicit. Posthæc cum denuo ad Mithridaten Sylla mitteretur, & profectus esset in Campania, iterum cœpit ambire supra eum, & inde discordia inter eos nata est. Verum cum Sylla reverteretur ob hanc caussam, *Marius* fugit, & latuit in Gallus in *Minturnarum paludibus.* Qui cum fuisset ibidem agnitus, in carcerem missus est: & cum carnifex ad occidendum eum missus esset, visa circa eum tanta majestate, vel quid futurum esset, relicto gladio pavens fugit, ac retulit cognita his, a quibus missus fuerat. illi eum dimitti jusserunt. Qui cum fuisset dimissus, in Africam abiit, id est *Carthaginem:* ibidem solutis ergastulis Romam venit, & omnes Syllanos occidit, & receptus a Cinna tunc Consule tenuit Urbem. Postea Consul VII. fuit. Sylla, posito bello, ante adventum *Marii* fato suo mortuus est.

GRANG.

268. *Vetulus bos.*) Imitatio carminis *Virg.*

— *Exanimusque tremens procumbit humi bos.*

271. *Exitus utcunque hominis.*) qui mortuus inter arma.

272. *At uxor.*) *Hecuba* Cissei, vel, ut alii volunt, Dimantis filia.

272. *Latravit rictu canino*) in *canem* conversa. *Hyg.* fab. CXI. seque in mare præcipitavit, quod ab ea *Cynæum* dictum est. Idem *Hyg.* fab. CCXLIII. ad convicium linguæ referunt hanc *caninam* transformationem *Plaut.* Menæch. *Cic.* III. Tuscul.

273. *Regem Ponti*) *Mithridaten.* qui a *Sidon.* carm. XXII. versu CLXIII. dicitur *Ponticus rector.* hic inter senes, quod regnaverit an. LXVI. si Plinio credas lib. XXV. cap. II. de ejus morte *Florus* lib. III. cap. V.

274 *Crœsum.*) de quo vide *Herod.* in Cleio, & præter alios *Senecam* de Tranquillit. cap. XI. & epist. XLVII.

275. *Respicere ad longæ.*) Ausonius:

Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta sunt.

Ovid. III. Metam. Vide proverbium: *finem vitæ specta.* & illud: *nemo ante obitum felix.*

276. *Exilium, carcer.*) Tangit historiam C. Marii; de quo *Flor.* lib. III. cap. XXI. Epitome *Livii* LXXVII. *Plutarch.* in Mario, & Sulla; *Aurel. Victor.* seu quicunque alius de viris Illustrib. *Appian.* I. bell. Civil. *Valer.* lib. II. cap. V.

Et mendicatus victa Carthagine panis
Hinc caussas habuere. quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam;
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompejo dederat Campania febreis
Optandas: sed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. igitur Fortuna ipsius & Urbis
Servatum victo caput abstulit. hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater,

Usque

276. *Minturnarumque paludes.*) in quibus *Marius* latuit. *Minturnæ* autem urbs in Latio, quæ secundum *Fabricium* hodie *Trajetto*: secundum *Nardum*, *Castro al mar* vocatur. In *paludibus* autem sæpe latuere fugientes, notum ex *Tacito*, & *Seneca*. quid autem *Paludes*, vide apud *Heliodorum* 1. Hist. Æthiopicæ.

VET. SCHOL.

283. *Provida Pompejo*) Nam dicitur *Pompejus* mox, quam suscepit bellum civile contra Cæsarem, in Capua vehementer ægrotasse: & quia non potuit *febre* emori, servatus est, ut a Cæsare occideretur.

287. *Lentulus.*) qui proditor fuit. Et *Cethegus* conjuratus *Catilinæ*, laqueo, quasi conjurati, non gladio perierunt.

290. *Cum Veneris fanum videt.*) id est, cum ad *templum Veneris* vadit.

GRANG.

277. *Mendicatus panis.*) ex confessione ipsius Marii. *Plutarch.* in Ejus vita.

280. *Captivorum agmine.*) quod fieri solebat in triumpho. Vide *Alexand. ab Alex.* & *Tiraquell.* lib. VI. cap VI.

281. *Animam opimam.*) Triumphantem, & victoriis exsultantem ad satietatem.

282. *Teutonico curru.*) quo de Teutonibus triumphavit.

283. *Provida Pompejo*, &c.) Hic locus desumtus ex *Cic.* I. Tuscul. *Pompejo nostro familiari, cum graviter ægrotaret Neapoli*, &c. *Seneca* Consolat. ad Marciam cap. XX. *Cn. Pompejum decus istius firmamentumque imperii Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus* Pop. *Romani princeps excesserat.* Vide *Vellejum Paterculum* lib. II. & *Dionem* lib. XLI.

284. *Multæ urbes.*) Pro salute ipsius vota suscepta, cum Neapoli ægrotaret. *Plutarch.* in Pompejo.

285. *Fortuna Urbis.*) *Florus* cap. XI. lib. IV. *Itaque fortuna invidens principi gentium populo.*

286. *Abstulit caput victo*) Pompejo. *Lucan.* lib. VIII.

— *Atque indignatus apertum*
Fortunæ præbere caput. —

286. *Servatum*) ad hanc ignominiam. de morte Pompeji *Florus* lib. IV. cap. XI. *Propert.* lib. III. eleg. XI. *Petron.* in satyr. *Plutarch.* in Pompejo.

288. *Cadavere toto.*) Non enim ei caput abscissum. Vide *Sallust.* in Catilin. & *Florum* lib. IV. cap. I.

289. *Formam optat modico.*) *Scaliger.* ad *Tibull.* lib. II. eleg. I. Notat Veterum superstitionem, qui non nisi *taciti* vota concipiebant, quod tamen non sine distinctione intelligendum: nam & inter murmurandum quædam clare pronuntiabant. *Horatius*:

Jane pater! clare hæc, clare, ut audiat hospes.

290. *Murmure.*)

Haud cuivis promtum est murmur humilesque susurros
Tollere de templis. —

Ut docet *Persius*.

290. *Anxia mater.*) Sollicita de liberis. *Propert.* lib. II. eleg XXIII.

Tutus & geminos anxia mater alit.

291. *Usque*

Usque ad delicias votorum. cur tamen, inquit,
Corripias? pulcra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit. cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. filius autem
Corporis egregii, miseros trepidosque parentes
Semper habet. RARA est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ! sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos:
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu: (quid enim puero conferre potest plus,
Custode & cura natura potentior omni?)

Non

VET. SCHOL.

291. *Usque ad delicias votorum.*) id est: Usque ad hoc *deliciæ* hominum *veniunt*, ut pulcritudinem optent filiis suis.

292. *Pulcra gaudet Latona Diana.*) A majore ad minus.

293. *Sed vetat optari faciem Lucretia.*) *Lucretia* uxor Tarquinii Conlatini, quam Tarquinius amorem ejus non sustinens, invitam dicitur corrupisse; propter quod illa mortem sibi adcivisse dicitur.

294. *Cuperet Rutilæ Virginia gibbum.*) *Virginiam* Appius Decemvir adamatam, clienti, quem ob hoc subornaverat, in servitutem addixerat. Propter quod eam pater *Virginius* interimit; Decemviris imperium abrogatum. Appius in carcere necatus est.

301. *Sanguine ferventem.*) Cito erubescentem.

GRANG.

291. *Ad delicias votorum.*) Ut pro ipsis *vota deliciarum plena* concipiant.

292. *Latona gaudet pulcra Diana.*) Id ex *Virg.* I. Æneid. ubi cum

Exercet Diana choros —
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

293. *Lucretia.*) quæ ob formam Tarquinio stuprata. *Liv.* lib. I. *Valer.* lib. VI. cap. I. *Seneca* Consol. ad Marciam cap. XVI. *Plutarch.* de Virtut. mulierum, cap. XIV. *Ovid.* II. Fast. *August.* I. de Civit. Dei, cap. XIX.

294. *Virginia.*) quam pater *Virginius* occidit Appio Claudio stupro destinatam. *Flor.* lib. I. cap. XXIV. *Valer.* lib. VI. cap. I. *Aurel. Victor.* de Viris Illustr.

297. *Rara concordia formæ &c.*) *Seneca* III. de Benef. cap. XVI. *Argumentum est pudicitatis pudicitia.* *Petron.* in Satyrico: *Raram facit mixturam cum sapientia forma.* *Ovid.* II. Fast.

Fœdera servasset, si non formosa fuisset.

Idem in epist. Paridis:

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Idem:

Quid formosa tibi, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coire modis.

Propertius:

Formosis levitas semper amica fuit.

299. *Imitata Sabinos.*) De *castitate Sabinarum* legendus *Aldus Manut.* lib. III. de Reb. per epist. Quæsit. *Ovid.* eleg. VIII. lib. I. Amor.

Forsitan incultæ Tatio regnante Sabinæ
Noluerint habiles pluribus esse viris.

Livius lib. I. *Instructum* (Numam) *non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinarum, quo genere nullum quondam incorruptius fuit.*

300. *Vultumque modesto Sanguine.*) rubore suffusum, quod maximum Virtutis signum. *Diogenes Cynicus* olim cernens adolescentulum erubescentem; *Confide*, inquit, τοῖς ἐστι τῆς ἀρετῆς τὸ χρῶμα. Unde *Cato*, adolescentium magis se amare *erubescentes*, quam *pallescentes* dicebat. & *Seneca* epist. XI. appellat *verecundiam* bonum in adolescente signum.

303. *Natura potentior omni cura.*) quia, ut ait Annæus Seneca epist. ead. XI. *nulla sapientia naturalia corporis, aut animi vitia ponuntur, quidquid infixum, & ingenitum est, lenitur arte, non vincitur.* Et lib. II. de Ira, cap. II. *Naturam*, inquit, *mutare difficile est, quid ita?*

Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia! nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumosum, atque utero pariter, gibboque tumentem.
I nunc, & juvenis specie lætare tui! quem
Majora exspectant discrimina? fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet, quascunque maritis
Iratis debet: nec erit felicior astro

Martis

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

Unde & illud:

Naturam expellas furca &c.

Quod inter proverbia recensent.

VET. SCHOL.

304. *Non licet esse viros.*) Ut omnia interim ad custodiendum fiant, inter *viros* permanere *formosus* non potest.

306. *Nullus ephebum Deformem &c.*) id est: *Tyrannus nullum ephœbum in* arce sua tentum in adulterio *fœdum* castravit, nisi formosum.

313. *Nec erit felicior astro Martis.*) qui cum Venere deprehensus est in adulterio.

GRANG.

304. *Prodiga.*) Huic Gallorum proverbium: *amantium marsupia folio porri vinciri*, quod refert *Cœlius Rhodig.* Vide *Plautum* Trinummi prologo.

305. *Tentare.*) *Tentare*, huic rei verbum conveniens. *Horat.* ode IV. lib. III.

— Et integræ
Tentator Orion Dianæ.

306. *Tanta muneribus fiducia.*) quibus vel ipsi Dii capiuntur.

Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας.

Dona Deos flectunt, & venerandos Reges.

Petron. in satyr.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipsumque licebit,
Acrisium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat caussas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus PARET, NON PARET *habeto*,
Atque adeo quidquid Servius, & Labeo.
Multa loquor, quidvis nummis præsentibus opta
Eveniet; clausum possidet arca Jovem.

307. *Castravit.*) Vetuit *castrari* Domitianus. Vide *Suetonium.*

308. *Prætextatum loripedem.*) Nero enim Pæderastiam affectabat. Ipse *Suetan.* in Ejus vita, cap. XXVIII. *Super ingenuorum pædagogia, & nuptarum concubinatus*, &c.

308. *Loripedem.*) Cui in *lori* modum obtorta sunt crura. Glossæ: *Loripes*, βλαισόπους.

309. *Strumosum.*) *Strumæ* sunt, quæ barbaris vocantur *Scrophulæ*, Gallis *Escrouelles*, Græcis χοιράδες. Hinc *strumosus*, qui hoc morbo laborat.

310. *I nunc.*) Ut supra:

— I demens, & sævas curre per Alpes!

Et satyr. XII.

I nunc, & ventis animam committe! —

Insultantis, & reprehendentis formula, *Propert.*

I nunc, & noctes disce manere domi!

Et *Ovid.* Deianiræ:

I nunc, tolle animos, & fortia facta recense!

310. *Specie lætare tui.*) Illud est *Maronis*:

O formose puer nimium ne crede colori!

310. *Specie.*) Forma. *Ovid.* V. Fast.

Et mones ætatis specie, dum floreat, uti.

313. *Irati debent.*) Hic textus variæ mentis, variæque lectionis. Vide *Canterum* Novarum Lect. III. cap. VI. *Lips.* Epist. Quæst. lib. IV. epist. XXIV. qui putat:

— Quascunque maritis
Irati debent. —

veram esse lectionem, aut illam:

— Maritis
Irati debent. —

ut *ventis debere ludibrium*, quod Latini *debendi* verbum usurpant, ut Græci ὀφείλειν.

313. *Astro Martis.*) Alludit ad malignitatem *astri*

Martis

Martis, ut in laqueos nunquam incidat. exigit autem
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit. necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox cum dederit Servilia nummos,
Fiet & illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum. quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Oppia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.

Sed

Martis. *Ovid.* I. Am. eleg. VIII.

Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.

VET. SCHOL.

317. *Et mugilis intrat.*) Piscis grandis capitis, postremis exilis, qui in podicem mœchorum deprehensorum solebat inmitti.

318. *Sed tuus Endymion.*) Pulcer tuus *Endymion*, pastor quem *Luna* admavit.

319. *Servilia.*) Nomen cujusdam mulieris turpissimæ.

320. *Exuet omnem Corporis ornatum.*) Pro libidine usque & sua ornamenta, inquit, donat mulier; ut tantum ad libidinem suam possit inducere filium tuum.

322. *Sive est hæc Oppia.*) Quælibet nobilis matrona nihil aliud propter libidinem spectat.

GRANG.

314. *Ut in laqueos nunquam incidat.*) Nota fabula ex *Ovid.* IV. Met. & II. de Arte. *Hyg.* fab. CXLVIII. *Martial.* epig. VII. lib. V. *Tibullo* lib. II. eleg. III. *Fulg.* lib. II.

315. *Lex ulla.*) De *legibus* diversarum gentium, quibus puniuntur adulteria, multi. Lege divina lapidantur, *Deuteron.* XXII. Oseæ tempore cremabantur, *Oseæ* VII. Sicque Opilius Macrinus voluit virum & uxorem junctos comburi, *Jul. Capitol.* in Macrino. Jure civili aliquando capitalis fuit pœna, aliquando relegatio tantum. Diversa est adulterorum & adulterarum pœna; in fœminis enim mitior. Vide *Cujacium* Observ. VI. cap. XI. *Lips.* IV. Comm. ad Ann. *Tac.* Gothofredum ad *l. Juliam. de Adult. D. & l.* V. *D. de Quæstionib. & ad Novellam* CXXXIV. *cap.* X.

316. *Necat hic ferro.*) *Horat.* I. Serm. satyr. II.

— *Quin etiam illud*
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro. —

316. *Secat ille cruentis.*) Idem *Horat.*

— *Ille flagellis,*
Ad mortem cæsus. —

317. *Quosdam mugilis intrat.*) Alludit ad supplicium, quo olim Athenienses pauperes afficiebant in adulterio deprehensos; eis enim depilabant nates cinere calido: deinde *raphanos*, & *mugiles* in podicem immittebant. Fidem facit *Catull.* epig. XV.

Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique, mugilesque.

317. *Mugilis.*) *Mugilis*, sive *Mugil* piscis; qui *Capito*, nobis *mulet*. Hic dicitur mirum in modum famem tolerare. Hinc *Mugilis vitam degere* inter proverbia *Junii*.

318. *Endymion.*) heic pro formoso, de quo *Hyg.* Fab. CCLXXV. *Apollodor.* lib. I. Bibliothec. *Catull.* epigram. LXVII. *Propert.* lib. II. elegia XV. *Ovid.* III. de Arte. *Cicer.* I. Tuscul. *Plin.* lib. XI. cap. IX.

319. *Mox cum Servilia.*) Notum *Serviliæ* adulterium. de quo ad illud:

— *Duo Cæsaris Anticatones.*

319. *Dederit nummos.*) Ut Lesbia, quæ *Martiali*

— *Numerare solet.*

De iis satyr. VI.

320. *Exuet omnem Corporis ornatum.*) satyr. VI.

Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.

321. *Udis Inguinibus.*) In Phallicis:

Quod partem madidam mei videtis.

Martial lib. XI. epig. XVII.

Tunc quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges. —

322. *Sive Catulla.*) quæ formosissima, & castissima *Martiali* æstimatur, lib. VIII. epig. LIII.

O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut minus pudicam.

323. *Deterior fœmina.*) quæ natura mala est. Cicero:

Fœmina

Sed casto quid forma nocet? quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, repulsâ.
Nec Sthenobœa minus, quam Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ. MULIER sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet. elige quidnam
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat. optimus hic, & formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser exstinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flameolo, Tyriusque palam Genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur

Antiquo:

Fœmina nulla bona est, vel si bona contigit ulla,
Nescio, quo fato res mala facta bona est.

323. *Totos habet mores.*) Totam industriam. Sic *Horatius*:

— Et totus in illis.

323. *Illic.*) in corrumpendis precibus, & precio formosis.

VET. SCHOL.

324. Sed *casto.*) quasi objectio: Quid enim si *castus* fuerit, pulcritudo nocet?

326. *Nempe hæc*) Phædra Minois filia, uxor Thesei, noverca Hippolyti.

327. *Nec Sthenobœa.*) Prœti uxor, quæ amavit Bellerophontem.

329. *Cum stimulos odio pudor admovet.*) Dum læsa, aut contemta erubescit. dum læsus amor irascitur. ut *Virgilius*:

— Duri magno sed amore dolores
Polluto, *notumque, furens quid fœmina possit.*

330. *Cui nubere Cæsaris uxor.*) Uxor Claudii *Messalina* quæ *Gajo Silio* palam nupsit, inducto etiam Claudio, ut tabulas dotales obsignaret: quod, quasi de industria simularetur, ad avertendum periculum, quod immineret ipsi, * per quem dum portenta ostenderentur Hostilium transeuntem per forum rapuit Claudius, & necavit.

333. *Messalinæ oculis.*) Vidente ipsa: id est, ante oculos amatus crucifigitur.

334. *Flameolo.*) quo nova nupta operitur.

334. *Genialis*) lectus, ubi concumbunt.

335. *Centena dabuntur.*) Dos scilicet secundum morem.

GRANG.

325. *Grave propositum.*) *Seneca* in Hippolyto:

Detestor omnes (fœminas) *horreo, fugio, efferor:*
Sit ratio, sit natura, sit dirus furor,
Odisse placuit. —

Hinc proverbium *Hippolyto castior. Propert.* de lena:

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem.

Vide *Hyg.* Fab. XLVII. & XLIX.

325. *Bellerophonte.*) De quo *Hyg.* Fab. LVII. *Homer.* Iliad. VI. Proverbium, *Bellerophontis literæ.* & *Bellerophonte castior. Fulgent.* III. Mythol. *Bellerophonta* dictum ait, quasi βουληφόρον. i. sapientiæ conciliatorem.

327. *Sthenobœa*) Prœti uxor.

327. *Cressa*) *Phædra* Minois filia Cretensium regis.

330. *Cæsaris uxor.*) Messalina uxor Claudii. *Xiphil.* in Claudio. *Aurel. Victor* in Cæsaribus.

331. *Optimus*) C. Silius. Idem *Xiphil. Sueton.* in Claudio cap. XXVI. *Tacit.* lib. II. Annal.

332. *Exstinguendus*) suasu Narcissi.

333. *Dudum sedet.*) Ceremonias nuptiarum describit Messalinæ & Caji Silii, quas & *Tacit.* in Annalib.

334. *Tyrius.*) hoc est: purpureus. *Genialis* enim *lectus* purpura sternebatur. *Catull.* in Nuptiis Pelei, & Thet.

Pulvinar vero Divæ geniale locatur,
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum,
Tincta tegit roseo Conchylis purpura fuco.

334. *In hortis*). *Lucullianis*, ubi postea occisa.

335. *Decies centena.*) vide, quæ dixi ad illud VI.

Bis quingenta dedit. —

Et *Lips.* ad II. Annal. *Tac.*

336. *Auspex*

Antiquo : veniet cum ſignatoribus auſpex.
Hæc tu ſecreta, & paucis commiſſa putabas.
Non, niſi legitime, vult nubere : quid placeat, dic :
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas :
Si ſcelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi & populo contingat Principis aureis.
Dedecus ille domus ſciet ultimus : interea tu
Obſequere imperio, ſit tanti vita dierum
Paucorum. quidquid melius, leviuſque putaris,
Præbenda eſt gladio pulcra hæc, & candida cervix.
  Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis,
Permittes ipſis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt DI.
CARIOR eſt illis homo, quam ſibi. nos animorum
Impulſu, & cœca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris : at illis
Notum qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.

Ut

VET. SCHOL.

336. *Auſpex.*) *Auſpices* ut ſolebant nuptiis intereſſe.

337. *Et paucis commiſſa.*) Clanculo celebrari.

338. *Non, niſi legitime, vult nubere.*) Adultera.

342. *Interea tu obſequere.*) *Interea* dum ad illum pervenit crimen admiſſum, tu illi vel tibi fac ſatis. nam ſive indulſeris, ſive negaveris, tantundem erit.

346. *Nil ergo optabunt homines.*) Objectio cum interrogatione.

347. *Permittes.*) Pones in voluntate Deorum.

350. *Carior eſt illis homo, quam ſibi.*) Ipſi non petita bona præſtabunt. Plus enim nos ipſis cariores ſumus, quam nobis.

351. *Cœca magnaque cupidine.*) *Cœco*, ſive vano deſiderio.

353. *Notum, qui pueri.*) Sciunt futura.

GRANG.

336. *Veniet auſpex.*) *Aruſpices* in nuptiis adhibitos docet *Plaut.* prologo Caſinæ :

Ultro ibit nuptum, non manebit aruſpices.

Cic pro Cluentio. Vide *Briſſ.* de Ritu Nuptiar.

336. *Cum ſignatoribus.*) *Sueton* in Claudio, cap. XXIX. *Non illud omnem fidem exceſſerit, quod nuptiis, quas Meſſalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis & ipſe conſignaverit.*

339. *Ni parere velis*) cupidini Meſſalinæ.

339. *Pereundum ante lucernas.*) Aurel. Victor: *Namque uxor primo paſſimque, quaſi jure, adulteris utebatur, eoque exſtincti cum ſuis plerique ingenio, ſeu metu abſtinentes, dum pervagatis mulierum artibus peti ſe & petitis criminatur.*

342. *Dedecus ille domus, &c.*) *Xiphil.* in Claudio: *Quæ cum viderentur, & audirentur ab omnibus, ea ſolus Claudius ignorabat.* quomodo autem, ſi *Suetonio* fides?

347. *Permittes ipſis expendere Numinibus.*) Illud eſt orationis Dominicæ γενηθήτω τὸ θέλημά σου.

348. *Quid Conveniat nobis.*) Adi *Valer. Max.* lib. VII. cap. II.

350. *Carior eſt illis homo.*) Quid magis Chriſtianum ſapit? Num *Paulum* perorantem putas, *ſic hominem a Deo dilectum, ut filio proprio non pepercerit?* *Seneca* IV. de Benef. cap. V. *Neque neceſſitatibus noſtris tantummodo proviſum eſt, uſque in delicias amamur.* Et II. de Benef cap. XXIX.

353 *Notum qui pueri.*) *Seneca* cap. XXXII. lib. IV. de Benef *Nota eſt illis operis ſui ſeries, omnium illis rerum per manus ſuas iturarum ſcientia in aperto ſem-*

per

Ut tamen & poſcas aliquid, voveasque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci:
ORANDUM eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
Fortem poſce animum; mortis terrore carentem:
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcunque labores,
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat ſævoſque labores,
Et Venere, & cœnis, & pluma Sardanapali.
Monſtro, quod ipſe tibi poſſis dare. SEMITA certe
Tranquillæ per Virtutem patet unica vitæ.

Nul-

per eſt, nobis ex abdito ſubit.

353. *Futura ſit uxor.*) *Salom* Proverb. XIX. *Domus, & divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens.*

VET. SCHOL.

354. *Voveasque ſacellis.*) *Votum* facias in templis.

355. *Tomacula porci.*) Pinguia quædam viſcera.

357. *Et mortis terrore carentem.*) qui *mortem* contemnat.

359. *Naturæ qui ferre queat.*) quicquid imperat Natura.

361. *Herculis ærumnas.*) id eſt: Laborum gloriam ferat, & præferat labores deliciis.

362. *Et pluma Sardanapali.*) *Sardanapalus* rex Aſſyriorum luxurioſus: de quo *Tullius* in tertio de *Republica* ſic ait: *Sardanapalus ille vitiis multo, quam nomine ipſo deformior.*

GRANG.

355. *Tomacula.*) *Tomaculum*, quod idem eſt *Iſicio* ſive *Inſitio*, farciminis genus eſt, quod Gallis dicitur *ſauciſſe.* de quo *Varro* lib. II. cap. II. de Re Ruſt.

356. *Ut ſit mens ſana.*) *Seneca* epiſt. X. *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi: deinde corporis.* Petronius: *At ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt.*

156. *Mens ſana.*) Quæ ſit *mens ſana* docet *Seneca* epiſt. LXXII. *Si ſe ipſa contenta ſit, ſi confidit ſibi, ſi ſcit omnia vota mortalium, omnia beneficia, quæ dantur, petunturque; nullum in vita beata habere momentum.*

356. *In corpore ſano.*) cujus multi potius ſanitatem procurant, quam animi. *Seneca* epiſt. LXXX. & *Horatius.*

358. *Inter munera ponat.*) Socrates in Phædone: *Mihi videtur vir, qui revera in ſtudio ſapientiæ vitam poſuerit, cum fiducia moriturus, plenus bonæ fidei, quod magna ibi præmia conſequitur, cum obierit.* *Seneca* Conſol. ad Marciam cap. XX. *O ignaros malorum, quibus non mors, ut optimum inventum naturæ laudatur!*

360. *Neſciat iraſci.*) Stoicum nobis depingit ſapientem, quem volunt *imperturbabilem* eſſe, præcipue nuſquam *iraſci.* Id enim *Seneca* cap. VI. VII. VIII. lib. II. de Ira.

361. *Herculis ærumnas.*) *Cic.* II. de Finib. *At cum de omnibus gentibus mererere, cum opem indigentibus ſalutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas, ſic enim majores noſtri labores non fugiendos triſtiſſimo verbo etiam in Deo nominaverunt.* Vide *Plaut.* Perſa act. I. ſc. I.

361. *Sævoſque labores.*) De numero & *laboribus Herculis* diverſi diverſa. *Hyg.* aliter fab. XXX. aliter *Albricus Philoſophus* libello de Deor. imaginibus. Aliter *Apollodor.* lib. II. Biblioth. Vide proverbium: *Herculei labores.*

362. *Sardanapali.*) Teſtatur *Ariſtoph.* Interpres ex hominis epitaphio:

Ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τἄλλα οὐδενὸς ἐστὶν
Ἄξια. —
Ede, bibe, utere Venere, cetera ſunt nihil.

363. *Monſtro, quod ipſe tibi poſſis dare.*) *Bonam mentem* ſcilicet. *Seneca* epiſt. XLI. *Perſeveras ire ad bonam mentem, quam ſtultum eſt optare, cum poſſis a te impetrare.* Et epiſt. LXXX. *Tibi des oportet iſtud bonum, a te petas.*

363. *Semita &c.*) *Idem* Philoſophus epiſt. XXVII. *Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, & ſecurum, etiam ſi quid obſtat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt.*

365. Nul

Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

ATti-

VET. SCHOL.

365. *Nullum numen habes, si sit prudentia.*) Ne quid Deos, qui sapiat, timebit.

366. *Nos te, Nos facimus, Fortuna, Deam.*) Dum petimus, aut speramus aliquid.

GRANG.

265. *Nullum numen habes.*) Alii MSS. *Nullum numen abest.* Utrumque tolerari potest; Malim tamen *habes.* Sic & hoc repetit *Sat.* XIV.

365. *Nullum numen habes.*) Nullam potestatem. *Festus: Numen* quasi *nutus Dei*, & potestas dicitur.

365. *Si sit prudentia.*) Vide *Senec.* epist. XCVIII.

365. *Te facimus Deam.*) Nostra avaritia, & cupiditate habendi.

366. *Fortuna.*) O Fortuna.

366. *Cœloque locamus.*) *Douza* ad epig. VI. *Catulli:*
Ad cœlum lepido vocare versu.
correxit ex conjectura hunc de Legib. II. *Divos & ollos, qui Cœlestes semper habiti sunt, colunto; & ollos, quos endo cœlo merita vocaverunt*, legit: *Endo cœlo merita locaverunt.*

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA XI.

LAUTA REPROBAMUS CONVIVIA, PARCA PROBAMUS.

SYNOPSIS. *Crispino convivæ promisso Romanorum intolerandam narrat consuetudinem, quibus viris patricii & beatuli reges quantumvis diffluentes, & luxui dediti, lauti habentur: Mediocris contra fortunæ homines, qui eadem fecerint, dementes, & ubique locorum cachinno excepti. Quamvis ut plurimum condiendis gulosis fictilibus, cæterisque impensis cœnarum reguli illi omnia sua consumserint, nil animis precio obstantibus, cum solum eos juvet, quod pluris emitur; imo tanto ære obruti alieno, ut creditoribus multoties elusis vertere solum cogantur, nec majori afficiantur pudore, dum foro cedunt, quam si frequenti & populosa Suburra migrarent Esquilias. Attamen quanto quisque miserrimus, tanto egregius, & lautius cœnat, donec ad mendicitatem redacti, jam mori habent in votis. Ejusmodi etenim decoctoribus Apiciis & nepotibus Nattis morte multo magis senectus metuenda. Hos autem merito despicit, ut qui non memori pectore fixerint illud cælo lapsum γνῶθι σεαυτὸν, quo monemur in minimis summisque nostris actionibus nosmet cognoscere, nostrique mensuram indagare. At, ut experiatur Crispinum, num Poeta præstet re, & moribus hæc pulcerrima dictu, cœnam, ad quam eum pridem vocavit, suppellectile, ministris, cibis, secundis mensis, ludis instructam, qualis futura est, describit. Primumque mensam non citream, sed domi natam: non fulcrum eburneum, ut cui nulla suppetat uncia eboris, ipsaque cultellorum manubria ossea sint: non gemmatos calices, sed plebejos, & paucis assibus emtos: non ministros Phrygas, aut Lycios, aut a mangone petitos, non structores; sed vernulas, & tirunculos, qui nec latus avis Afræ subducere norunt: non vinum transmarinum, sed Tiburtinum: non apros, Pygargos, Phœnicopteros, sed hædulum, gallinas, ova, asparagos, uvas, quales in vitibus, servatas, signina pyra, Syriaque, & mala Picenis æmula, eaque omnia inemta, & in villa Tiburtina nata habere dicit. Non denique Gaditanas mulieres prurire canoro choro, nec lasciva & obscœna verba proferre sua in cœna; sed legi solita Homeri, & altisoni Maronis carmina. Tum, ut omnem deponat solicitudinem, monet, & dum ludis Circensibus Roma occupata est, quamvis hora supersit, ad sextam subire balnea non erubescat; aliquando enim genio indulgendum: & quæ fastidia movent iis, qui conviviis continuò indulgent, ipsos delectabunt; voluptates enim commendat rarior usus.*

ATticus eximie si cœnat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? omnis

Convi-

VETUS SCHOLIASTES.

AD Persicum scribit in eos, qui ultra vires familiaris rei preciosas epulas comparant ad exstruenda convivia.

1. *Atticus.*) Poeta nomina duo posuit, cum de generalitate loquatur. Per *Atticum* vero, divitem vult intelligi quemlibet: per *Rutilum* autem, pauperem: quem *dementem* ideo dixit, quia in divitibus, quæ *humanitas* dicitur, hæc in paupertate *dementia* habetur.

3. *Omnis Convictus, thermæ.*) deest, Loquuntur omnes.

GRANGÆUS.

A*Tticus.*) Hic ex nepotibus Titi Pomponii cognomine *Attici*, quod *Attice* optime loquere-tur. *Cic.* in Caton. Ejus vitam scripsit *Aemil. Probus.* Ad hunc autem *Atticum* nostri Poetæ *Martial.* epig. XXXI. lib. VII. & epig. CI. lib. IX.

1. *Eximie.*) Libis eximiis, & e pluribus electis. *Fest.* in *Eximium.* Donatus in Hecyram.

1. *Lautus.*) Magnificus in epulis. *Fest.* in *Lautia.* Donatus: *Facetus, qui facit verbis, quod vult: lepidus, qui politus, ut λεῖος: lautus, qui mundus, & splendidus est.*

2. *Majore cachinno Excipitur vulgi.*) Unde Ipse:

Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. —

3. *Pauper Apicius.*) Vertes Gallice, *qu'un pauvre & gourmand.* *Apicius* etenim hic appellative pro guloso. *Sidon.* epist. VII. lib. IV. *Illic ea comitate pertractabitur, ac si inter Apicios epulones.* Ab *Apici*

ci

Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo. nam dum valida, ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardens ſanguine fertur;
Non cogente quidem, ſed nec prohibente Tribuno
Scripturus leges, & regia verba laniſtæ.
Multos porro vides, quos ſæpe eluſus ad ipſum
Creditor introitum ſolet exſpectare macelli,
Et quibus in ſolo vivendi cauſſa palato eſt.
Egregius cœnat, meliusque miſerrimus horum,
Et cito caſurus jam perlucente ruina.

Interea

cio guloſo illo, de quo *Seneca* in epiſt. & de Vita Beata cap. XI. & Conſol. ad Helviam cap. X. Tres tamen *Apicios*, eoſdemque guloſos diverſis fuiſſe temporibus animadvertit *Lipſ.* ad Ann. *Taciti.*

VET. SCHOL.

7. *Sed nec prohibente Tribuno.*) qui cuſtodes erant libertatis.

8. *Et regia verba.*) Superba & delicata. id eſt, ſe auctoraturus: aut hæc ſcripturus, quæ juris & conſuetudinis erant ab iisdem ſcribi, qui accepto precio ſe in ludo diſtrahebant.

9. *Multos porro vides.*) Eos vult intelligi, qui ex pecunia ſibi credita luxuriantur.

9. *Quos ſæpe eluſus.*) id eſt, Frequenter deluſi ex pollicitatione redhibitionis, ibi eos exſpectant, ubi res aptæ luxuriæ diſtrahuntur.

11. *Et quibus in ſolo.*) qui tantum propter gulam volunt vivere.

GRANG.

4. *Convictus, thermæ.*) *Lipſ.* Epiſt. Quæſt. epiſt. IX. lib. II. aſſerit ſe vidiſſe MS. in quo:

Conventus, turmæ. —

4. *Stationes.*) Loca, ubi frequentes conveniunt, confabulandi, vel animi recreandi gratia. *Plin.* I. epiſt. *Plerique in ſtationibus ſedent, tempuſque audiendis fabulis conterunt.* *Turneb.* in Adverſ. intelligit de *ſtationibus* Municipiorum in foro, de quibus lib. XVI. cap. XLIV. & *Victor* de urbis Romæ regionibus. De varia autem acceptione illius nominis vide *Marcellum Donat.* Dilucidat. in *Ælium Lampridium.*

5. *De Rutilo*) paupere, & ganeone rident & fabulantur.

5. *Juvenilia membra Sufficiunt galeæ.*) ſatyr. VII.

— *Sed deſinit ætas,*
Et pelagi patiens, & caſſidis. —

Nos: *pendant qu'il peut porter la cuiraſſe.*

6. *Ardenti ſanguine.*) Calido, & ferventi. *Horat.* epiſt. IV. lib. I.

— *At vos*
Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat.

Propert. lib. IV. eleg. V.

Dum vernat ſanguis. —

Virgilius:

— *Vos, o quibus integer ævi*
Sanguis, ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires.

7. *Non cogente Tribuno.*) Alibi:

— *Nullo cogente Tribuno.*

8. *Leges laniſtæ.*) Præcepta gladiatoriæ artis, dictante *laniſta* tanquam doctore. Hinc & eorum præcepta *dictata*: Iique *commentari*, & *dare dictata* dicebantur. *Lipſ.* Elect. I. cap. XV.

9. *Eluſus creditor.*) *Eludere*, inquit *Donatus*, gladiatorum eſt, cum vicerunt, & ludo finem impoſuerunt.

11. *In ſolo vivendi cauſſa palato.*) De quibus D. *Paul.* III. ad Philipp. ſub finem: Ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία, ϗ ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. *Quorum Deus venter eſt, & gloria in dedecore ipſorum, qui terreſtria curant.* *Macrob.* in fine II. Saturn. *Socrates quidem dicebat, homines multos propterea velle vivere, ut ederent, & biberent; ſe bibere, atque eſſe, ut viveret.* *Noſter* de avaris ſimile dixit ſatyr. ſequenti:

Non propter vitam faciunt patrimonia quidam;
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.

12. *Miſerrimus horum.*) qui creditores eluſerunt. *Miſerrimus* autem pro inopi, & pauperrimo: paupertas enim ſumma *miſeria* eſt.

12. *Egregius.*) Eximius. *Egregius* autem & eximius ſimili metaphora, a grege ſcilicet. *Feſtus.*

13. *Caſurus.*) Qui vergit in paupertatem, *cadere* dicitur. *Propert.*

— *Cum caderent Laomedontis opes.*

Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo preciis obstantibus: interius si
Attendas, MAGIS illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta:
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile, sic veniunt ad miscellanea ludi.

Refert

VET. SCHOL.

14. *Interea gustus.*) *Hos gustus*, masculinum.

15. *Nunquam animo preciis obstantibus.*) Intentiose emunt, quæ carius distrahuntur. Hæc enim eos plus delectant.

17. *Perituram arcessere summam.*) Non dubitant mutuo accipere, quæ perdant magis, quam erogent.

18. *Lancibus oppositis*) id est, Argentum vendet, aut *matris suæ imaginem*, si in auro picta est, aut in argento.

19. *Condire gulosum Fictile.*) Hypallage: nam *gulosum* pro eo, quod *gulosis* paratur. *Fictile* autem, patinam accipiens, ut cacabum, *gulosis* cibis compositum.

20. *Sic veniunt ad miscellanea ludi.*) in est, Cum non habeant, unde manducent, distrahunt se ad *ludum*. genus miserabile ferculi *Miscellanea*, cibus gladiatorum, id est, ultima cœna. Ideo *miscellanea*, quia omnia, quæ apponuntur eis, *miscent*, sic manducant.

GRANG.

14. *Elementa per omnia.*) Frustra intelligunt de elementis Alphabeti. Quasi quærerent omnes cibos, quorum nomen ab unaquaque Alphabeti litera inciperet, ut *aper*, *anas*, *bos*, & similia. Primus enim ejusmodi luxus inventor Antonius Geta, *Spartianus* in Ejus vita. Intellige igitur *per elementa omnia*, per omnes orbis terræ easque longinquiores partes. *Seneca* Consolat. ad Helviam cap. IX. *Dii istos Deæque perdant! quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Ultra Phasin capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget a Parthis, a quibus nondum pœnas repetiimus, aves petere; undique convehunt omnia nota fastidienti gulæ. Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano. vomunt ut edant, edunt ut vomant, & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Vide eundem epist. LXXXIX.

16. *Magis illa juvant.*) *Petronius* in Satyrico:

> *Ales Phasiacis petita Colchis,*
> *Et pictis atagen opaca pennis,*
> *Atque Afræ volucres placent palato;*
> *Quod non sunt faciles.* —

hoc est, ut ait *Douza*, facili, vili, seu minuto precio parabiles. *Seneca* Consolat. ad Helviam, cap. IX. *O miserabiles! quorum palatum, nisi ad preciosos cibos non excitatur; preciosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit.* *Pacatus* in Panegyr. ad Theod. *Horum gulæ angustus erat orbis noster: namque appositas dapes non sapore, sed sumtu æstimantes*, &c. Ita est certe:

> *Quidquid quæritur, optimum videtur.*

18. *Lancibus oppositis.*) satyr. IX.

> — *Viginti millia fœnus*
> *Pignoribus positis.* —

Opponere enim est oppignerare. Seneca: *Rebus meis in securitatem creditoris oppositis.* Terentius:

> *Ager oppositus est pignori ob decem minas.*

Hinc jocus *Catulli* epigr. XXVI.

> *FurI villula nostra non ad Austri,*
> *Flatus opposita est, nec ad FavonI,*
> *Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ;*
> *Verum ad millia quindecim & ducenta.*
> *O ventum horribilem atque pestilentem!*

19. *Quadringentis nummis.*) *Seneca* epist. XCV. *Quid est cœna sumtuosa flagitiosius, & equestrem censum consumente.* *Nobilem patinam* appellat *Seneca* epist. XCV. Vide Plin. lib. X. cap. LI. & *Lips.* de mag. Rom. lib. IV. cap. VII.

20. *Fictile.*) aut quia lances argenteas opposuerat, aut quia maxima aliqua patina ei opus erat, ut satyr. IV.

> — *Testa alta paretur,*
> *Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.*

20. *Sic veniunt ad miscellanea ludi.*) id est, fiunt *Ludii*, sive gladiatores, & cibis gladiatorum victitant, cum non amplius aliunde habeant: unde manducent. Quæ interpretatio est *Veteris Scholiast.* qui *miscellanea*, genus cibi gladiatorum esse affirmat. At *Britannicus* interpretatur *miscellanea*

Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est; in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & a censu famam trahit. illum ego jure
Despiciam, qui scit quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. e cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν,

Figen-

nea, ludos, & artes ludicras, eademque *miscellanea* esse *miscellis ludis*. *Turneb.* cap. XXIII. lib. XXII. ad hos ludos *miscellos* putat *Juvenalem* respexisse, ita tamen, ut significet hos conturbare, & deficere, solvendoque non esse, & ad paupertatem redigi, & omnia *miscere*, quoniam in eadem significatione *conturbare* usus sit idem *Poeta* satyr. III.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit. —

Ego autem sic aliquando interpretatus sum:

20. *Sic*) pignoribus positis ingenti pecuniæ summa a creditoribus desumta,

20. *Ludii.*) Iuicones illi Ludii seu gladiatores futuri, & ut ante dixi:

Scripturi leges & regia verba Lanistæ

20. *Veniunt ad miscellanea ludi.*) Condiunt patinas omni ciborum genere refertas & intermixtas, nec quid jam singulare in patina farciunt. Talis reprehensio Senecæ epist. XCV. *Memini fuisse quondam in sermone nobilem patinam, in quam, quidquid apud lautos solet diem ducere, properans in damnum suum popina congesserat: veneriæ, spondylique, & ostrea catenus circumcisa, qua eduntur, intervenientibus distinguebantur echinis, torti distractique sine ullis ossibus mulli constraverant. Piget jam esse singula: coguntur in unum sapores. In cœna fit, quod fieri debet saturo in ventre.* Et paullo post: *Grave est luxuriari per singula: omnia semel, & in eundem saporem versa ponantur. Quare ego ad unam rem manum porrigam? plura veniant simul: multorum ferculorum ornamenta coeant & cohæreant.*

VET. SCHOL.

22. *Laudabile nomen.*) Bonum *nomen*, vel famam accipit.

24. *Qui scit quanto.*) id est, Pauper, qui novit, quantum distat a divite, & tamen non se agnoscit, & quasi dives luxuriatur.

24. *Atlas.*) Metaphora a montibus.

26. *Quantum ferrata distet.*) id est, a majore patrimonio paupertas, aut mediocris res familiaris.

27. *Γνῶθι σεαυτόν.*) *Socratis* philosophi dictum, id est: Agnosce te, quis sis, & secundum possibilitatem tuam age.

GRANG.

22. *Et Ventidio*) admodum divite. *Pers.* satyr. IV.

— *Nostin' Ventidii prædia? cujus?*
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret:

23. *A censu famam trahit.*) *Poeta* incognitus apud *Senecam* epist. CXV.

Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

Quem imitatus *Horat.* Serm. I. satyr. I.

Nil satis est, inquit: tanti, quantum habeas, sis.

23. *Illum ego* &c.) Merito despiciendi, qui frivola scientiarum consectantes seipsos ignorant suique regionem. *Seneca* multoties hanc tangit chordam, ut de Brevit. Vitæ cap. XIV. & epist. LXXXVIII. sic & libris de Beneficiis.

24. *Atlas.*) Mons, de quo *Herodot.* in Melpomene, tantæ altitudinis, ut ejus cacumen cerni nequeat. Hunc propterea vocant accolæ κίονα τοῦ οὐρανοῦ.

27. *Sacculus.*) Crumena. *Glossæ*: *Sacculus*, βαλλάντιον. *Martial.* lib. XI. epigr. IV.

— *Nescit sacculus ista meus.*

27. *E cœlo descendit.*) Quæ præstantissima, *e cœlo descendisse* & decidisse dicebant Veteres. Supra *Noster*:

Tertius e cœlo cecidit Cato. —

Plautus Persa, sc. *Jovi*.

Ea nunc quasi decidit de cœlo.

Hinc divina illa sententia Γνῶθι σεαυτόν, merito dicitur *de cœlo descendisse*, cui potius attribui debet, quam hominibus: unde tot, & tantis attribuitur, ut vix numerari possint. Vide *Erasmum* ad illud proverbium. Quidquid sit, constat inscriptum illud fuisse in vestibulo templi Delphici ante ipsa περιῤῥαντήρια, ubi ingressuri se aspergebant. Aureum certe præceptum, & quod pauci norunt, & vere *Plaut.* Pseud. Act. IV. sc. II.

Vix decumus est in foro, qui seipsum norit.

Immo mi *Plaute*:

Τὸ γνῶθι σεαυτὸν, τοῦτ' ἔπος μὲν οὐ μέγα,
Ἔργον δ' ὅσον Ζεὺς μόνος ἐπίσταται θεῶν.
Nosce seipsum, dictio quidem est brevis;
Sed tanta res, quam Jupiter solus sciebat.

Plura pete e *Porphyrii* sermonibus apud *Stobæum*.

31. In

Figendum, & memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte Senatus
Esse velis. nec enim loricam poscit Achillis
Thersites, in qua se transducebat Ulysses:
Ancipitem; seu tu magno discrimine caussam
Protegere affectas; te consule, dic tibi, quis sis,
Orator vehemens, an Curtius & Matho buccæ.
NOSCENDA est mensura sui, spectandaque rebus
In summis, minimisque: etiam cum piscis emetur,
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. quis enim te deficiente crumena,

Et

VET. SCHOL.

31. *In qua se transducebat.*) Idoneum existimabat, transferebat.

34. *An Curtius an Matho buccæ.*) Jactanticuli, qui tantum *buccas* inflant & nihil dicunt.

35. *Noscenda est mensura sui.*) id est, Consideranda in omnibus rebus est mensura uniuscujusque rei: & si ad hanc sufficit, sic eam debes adsumere.

36. *Etiam cum piscis emetur.*) Etiam in rebus levissimis.

37. *Ne mullum.*) Preciosum piscem non debes emere, cum sis pauper.

GRANG.

28. *Figendum*) altius scilicet, ut inhæreat. Sic ipse supra:

Primo fige loco. —

29. *Conjugium.*) Conjugem. Vide, quæ dixi satyr. VIII. ad illud:

— *Spartani*
Sanguine conjugii. —

Id autem dixit ex altero *Sapientis* dicto: *Nube pari.*

31. *Thersites.*) *Flavius* Conjectan. cap. XXXI. Notat ex *Quinto* Poeta Thersiten alapæ ictu ab Achille interemtum, nec potuisse interesse armorum certamini. ideoque vel *Juvenalem* memoria lapsum, vel historiam variasse.

31. *In qua se traducebat.*) Se risui exponebat. nec enim arma Achillis Ulyssem decebant. Sic *Seneca* IV. de Benefic. cap. XXXII. *Hic corpore deformis est, adspectu fœdus, & ornamenta sua traducturus.*

32. *Ancipitem.*) Dubium, an debeat ferre arma illa, an non. Propria enim conscientia dictat tanti viri arma ipsi non convenire.

33. *Te consule.*) *Pers.* satyr. IV.

Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.

Vide proverbium: *In se descendere.*

34. *An Matho.*) De quo satyr. I. & *Martial.* lib. X. epigram. XLVI.

Omnia vis belle Matho dicere, dic aliquando,
Et bene; dic neutrum, dic aliquando male.

34. *Buccæ.*) Sic interpungo. *Curtius & Matho* non oratores, sed *buccæ*, i. fastuosi & ventosi caussidici. Sic & *August.* libris Confess. *Buccis typho crepantibus.* Hinc & *Buccæ* inter proverbia.

35. *Noscenda est mensura sui.*) *Pers.* satyr. VI. sic expressit:

Messe tenus propria vive. —

36. *Etiam cum piscis emetur.*) Sequentia declarant respexisse ad mullum, quem Octavius emit quinque millibus HS. si vera scriptura apud *Senecam*, epist. XCV. quod scilicet in emendis piscibus summa fieret impensa. Unde Cato Censorius publice questus, non posse salvam esse Urbem, in qua piscis pluris, quam bos veniret.

37. *Gobio In loculis.*) hoc est *Gobii* precium. Sic *Plaut.* Persa act. II sc. V.

— SAGARIST. *Abi, cave sis*
A cornu. TOXIL. *quid jam?* SAGARIST. *quia boves bini hic sunt.*
In crumena. —

Idem Trucul. act. III. sc. I.

Ego propere minas
Ovis in crumena hac in urbem detuli.

Idem alibi:

Nimis vellem habere perticam. quoi rei? qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumena.

40. *Ac*

Et crescente gula, manet exitus; ære paterno,
Ac rebus mersis in ventrem, fœnoris atque
Argenti gravis, & pecorum, agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ; sed morte magis metuenda senectus.
Hi plerunque gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur. inde ubi paullum,
Nescio quid, superest, & pallet fœnoris auctor;
Qui vertere solum, Bajas, & ad ostrea currunt.
Cedere namque foro jam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Subura.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.

Sanguinis

VET. SCHOL.

40. *Ac rebus mersis.*) id est, patrimonio.

44. *Non præmaturi.*) id est, non magis metuenda mors in juventa luxuriantibus, quam senectus.

46. *Hi plerunque gradus.*) Frequenter his rebus ad summam egestatem pervenitur: & cum mutuo acceptam a creditoribus pecuniam devoraverint, in exilium sponte eunt, id est, ad Bajas, ubi major est luxuria, ubi & reliquam, si est, pecuniam devorent. tunc nam cum non superest aliquid, ne sit facultas repetundi pecuniam suam, exilium sibi indicunt * annum abesse patriæ suæ. *Vertere solum* est, exilium pati.

48. *Pallet fœnoris auctor.*) Creditor consumta pecunia.

50. *Cedere namque foro.*) id est: Tantum illis est deserere patriam suam, vel forum; quantum est a Subura frequentissima regione, ad Diocletianas migrare, ubi solitudo est.

52. *Illa Mœstitia est.*) Hoc tantum dolent.

GRANG.

40. *Rebus mersis.*) Hinc homines profundæ gulæ dicti *gurgites*, quod in eorum ventre, tanquam in *gurgite* omnia mersa: sic Q. Fab. Rulliani filius *Gurges* dictus, a devorato patrimonio. sic ab *Horat.* Memmius facete dictus:

Pernicies & tempestas baratrumque macelli.

41. *Argenti gravis.*) *Grave argentum* est non cælatum, in quo nihil præter pondus æstimandum. *Seneca* de Tranquil. Anim. cap. I. *Placet inculens, & rudis minister, argentum grave rustici patris sine ullo opere, & nomine artificis.* Id a *Juvenale*, *purum* dictum alias docuimus.

42. *Talibus a dominis*) helluonibus, & manducis.

42. *Post cuncta*) mobilia, & immobilia, serventi ganea consumta.

42. *Exit.*) Pignori opponitur, seu potius abalienatur: nam, ut ait *Seneca* I. de Benef. *fœdissimum patrimoniorum exitium culina.* Vide *Martialem* lib. II. Epig. LVII.

43. *Annulus.*) qui solus census equestris signum supererat.

44. *Præmaturi cineres.*) Tria sunt genera mortis: *acerba*, *immatura*, naturalis: *acerba* infantium, *immatura* juvenum, naturalis senum. Sic *Virg.* VI. Æneid.

— Et funere mersit acerbo.

Sic Apicius rationibus inspectis, cum videret superfuturum tantum sestertium centies, velut in fame victurus, veneno vitam finiit. *Plinius* & *Seneca.*

49. *Qui vertere solum.*) Quid *solum vertere*, docet Cicero pro Cæcinna: *Qui volunt pœnam aliquam subterfugere, solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant. Erasm.* inter suas parœmias retulit, ut omnia.

50. *Cedere foro.*) *Foro cedere* nil aliud videtur, quam æris alieni caussa in *forum* non ventitare, & creditoribus non solvere; quod genus *cessionis* erat. *Turneb.* Advers.

Sanguinis in facie non hæret gutta : morantur
Pauci ridiculum effugientem ex Urbe pudorem.
Experiere hodie, nunquid pulcerrima dictu,
Persice, non præstem vita vel moribus, & re :
Sed laudem siliquas occultus ganeo, pultes
Coram aliis dictem puero ; sed in aure, placentas.
Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis

Euan-

vers. lib. XVI. cap. V. *Seneca* lib. IV. de Benef. cap. XXXIX. *Et appellare debitorem ad diem possum*, &, *si foro cesserit, portionem feram.*

51. *Esquilias.*) *Esquilinam* regionem. De *Esquiliis* videndus *Varro.*

VET. SCHOL.

56. *Experiere hodie.*) Intelliges, inquit, *Persice*, utrum præceptis meis vita conveniat, cœnæ dum ego parsimoniam laudo. ideo *siliquas* opposuit luxuriæ victui.

59. *Coram aliis.*) id est, Ante alios, ut frugi videaris, *pultes* aut legumina jubes parentur tibi ; *in aurem puero* alia *dicis* tibi parari. *Siliquas*, id est parcitatem. Nam proprie *siliqua* est, qua legumina continentur.

60. *Nam cum sis conviva.*) Qui te mihi *convivam* futurum promisisti. Nunc *Poeta* vult hoc intelligi, Cum inquit, sis vir magnus, exciperis tamen a me hospitio paupere, ut scilicet Hercules ab Euandro, aut Æneas: *Hæc*, inquit, *limina victor Alcides.* —

GRANG.

54. *Gutta Sanguinis.*) i. Pudoris. & contra *Pudor* pro *sanguine*, ut apud *Nævium* in Alcestide apud *Agellium* lib. XIX. cap. VII. ubi *Aurora* appellatur *pudoricolor.*

55. *Fugientem ex Urbe.*) Imo ex *orbe.* sic & olim vitiis hominum

— *Terras Astræa reliquit.*

58. *Ganeo.*) cui vitæ modulus est culina, ut ait *Varro* in *Modio.* Glossis : *Ganearius*: Ἀσελγὴς, ἄσωτος, ἀκόλαστος, ὁ ἐξώλης. Hinc *ganeum*, pro *taberna*, & loco vinulentiæ apto. *Fulgentius.*

58. *Laudem siliquas.*) Pro leguminibus posuit *siliquas*, ut apud *Horat.* Epist. II. epist. I.

— *Vivit siliquis*, & *pane secundo.*

Proprie tamen *siliqua* pericarpium, seu folliculus, i. involucrum seminis, quod vernacule vocamus *gousse*, pecoris immundi potius, quam hominum pabulum. *D. Lucas* cap. XV. Ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. *Horat.* epist. II. epist. I. extremam frugalitatem ea voce expressit:

— *Vivit siliquis*, & *pane secundo.*

Et *Persius* satyr. III.

— *Siliquis*, & *grandi pasta polenta.*

Prudentius Cathem. hymno III.

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

Tamen κεράτια aliter apud *D. Lucam* accipit *Theophylactus*, qui de fructu arboris *siliquæ* interpretatur ; quem fructum ξυλόγλυκα *Auctor Glossarii* nominat, quia *dulcis* est, ut etiam scribit *Plin.* lib. XV. cap. XXIV. Arabs *charnub* interpretatur, nos Galli *Carrouges*, ut docet *Casaub.* ad III. *Persii.*

58. *Pultes.*) More antiquo. *Plin.* lib. XVIII. cap. VIII. *Pulte*, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & *pulmentaria* dicuntur. *Valerius* lib. II. de instit. antiquis. *Noster* satyr. XIV.

— *Grandes fumabant pultibus ollæ.*

Hinc *pultiphagi* dicti in Most. a *Plauto. Varro*, *pultes* deducit a Græco πόλτος, vel a sono, quem *puls* edit, cum aqua ferventi insipitur, hoc est, inspergitur. sonum illum edere, uno verbo dixit Nonius *bilbire*, Eupolis παφλάζειν apud *Athenæum.*

59. *Dictum puero.*) Servo. *D. Ambros.* lib. I. de Abraham cap. IX. *Disce, quod etiam ætatis senioris servuli, pueri dicuntur a dominis, vel quibuscunque potentioribus.* unde & quidam *Poeta* hoc sequendum putavit, sive in eorum usum, qui sibi docti, & sapientes videntur, ipse hoc egerit, sive translatum invenerit :

Pascite ut ante boves pueri, submittite tauros.

Unde & *pueros* dicimus, quando *servulos* significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem.

59. *In aurem dictem puero.*) *Horat.* satyr. IX. lib. I.

— *In aurem*
Dicere, nescio quid, puero. —

59. *Placentas.*) *Placentas* cibum fornaceum caseo addito. *Festus* in *Placenta.*

63. *Alter*

Euandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hoſpes, & ipſe tamen contingens ſanguine cœlum:
Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguiſſimus agro
Hœdulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ,
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti,
Qui plus lactis habet, quam ſanguinis; & montani
Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo.
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adſunt ipſis cum matribus, & ſervatæ

Parte

VET. SCHOL.

63. *Alter aquis.*) *Æneas*, qui in Numicium fontem lapſus, creditur conſecratus. ideo ait, *aquis: flammis* vero, *Hercules*: qui in Oeta monte ſe incendit, non tolerans ardorem veſtis, quam in ſanguine Neſſi Centauri tinctam, uxor ſua cauſſa pellicis Deianeira veſtiendam porrexit.

66. *Inſcius herbæ.*) Lactans, qui adhuc herbam non contigit. ut *Virgil.*

Bina die ſiccant ovis ubera. —

68. *Et montani aſparagi.*) quia ſunt & in hortis.

70. *Tortoque calentia fœno Ova.*) Recentia *ova*, cum ipſis gallinis.

GRANG.

61. *Euandrum.*) Pauperem hoſpitem. *Virg.* VIII. Æneid.

— *Tum res inopes Euandrus habebat.*

Deinde:

— *Dum tecta ſubibant*
Pauperis Euandri. —

61. *Tirynthius*) Hercules.

61. *Et minor illo.*) Aeneas *minor* & tempore, & virtute. Uterque enim ab Euandro hoſpitio exceptus, *Virg. Ovid.*

62. *Ipſe.*) Aeneas.

62. *Contingens ſanguine cœlum.*) Utraque origine, paterna & materna.

63. *Aquis*) fluminis Numicii. *Ovid.* XIV. Met. *Tibull.* eleg. v. lib. II.

63. *Alter*) Hercules.

63. *Flammis*) in monte Oetæo. *Seneca* in Hercule Oetæo. *Apollodor.* lib. II. Biblioth. *Lucian.* in Hermotim. *Ovid.* VIII. Met.

64. *Nullis macellis.*) Nullis dapibus, & obſoniis emtis in macello. *Ipſemet* ſatyr. VI.

— *Carituros turture magno*
Mullorumque jubis, & captatore macello.

Sic *macellum* pro piſcatore, ut ſatyr. V.

Retibus aſſiduis penitus ſcrutante macello.

65. *De Tiburtino agro.*) *Tibur* hodie *Tivoli*. eo in agro villa & prætorium *Juvenali*.

65. *Veniet Hœdulus.*) Talis cœna *Horatii*. ſatyr. II.

— *Non piſcibus urbe petitis,*
Sed pullo atque hædo. —

Martial. epig. XLVIII.

Parvus in his una ponetur cœdula menſa,
Hædus, inhumani raptus ab ore lupi.

Veniet autem *hœdulus*, qua ratione nos dicimus: *le ſouper vient il?* genere dicendi uſitato Latinis. Sic de aqua *Martial.*

Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit.

67. *Salicti.*) Salicis. ut apud *Virgil.*

69. *Aſparagi.*) De *Aſparagis Plin.* lib. XIX. cap. VIII.

69. *Legit Villica.*) Sic *Martial.* epig. ſuperiori:

Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

Et lib. IX.

Seu Prœneſtino quæ villica legit in horto.

71. *Cum ipſis matribus.*) hoc eſt, Gallinis. abſolute, ut apud *Martial.*

Raucæ corbis aves, & ova matrum.

71. *Servatæ uvæ.*) De modo *ſervandarum uvarum*, *Plin.* lib. XV. cap. XVII. & lib. XXII. cap. I. *Columella*, *Cato*, *Varro*, reliqui, ex quibus noviſſime *Olivarius Serranus* in Theatro Agriculturæ. a diverſis modis, quibus *ſervantur uvæ*, diverſa ſortitæ ſunt nomina, ut *ollares*, *penſiles* &c.

Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:
Signinum Syriumque pirum, de corbibus Isdem
Aemula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.
Hæc olim noſtri jam luxurioſa Senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula: quæ nunc
Squalidus in magna faſtidit compede foſſor,
Qui meminit, calidæ ſapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga ſuis, rara pendentia crate,

Moris

VET. SCHOL.

72. *Quales fuerant in vitibus uvæ.*) *Uvæ*, quas ſuſpentas ſervavimus.

74. *Aemula Picenis.*) tanquam *Picena.*

75. *Siccatum frigore.*) Hieme. nam *ſicca* poma non incitant morbum, humore nocivo conſumto, ſive digeſto ſucco malo.

77. *Hæc olim noſtri.*) Veteres licet adhuc parce biberent, tamen jam egrediebantur antiquam parſimoniam.

78. *Curius.*) De hoc *Cicero* in *Catone majore*: *Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum obtuliſſent, repudiati ſunt. Non aurum habere præclarum ſibi videri dixit; ſed iis, qui haberent aurum, imperare.*

82. *Sicci terga ſuis.*) In crate pendens *laridum.*

GRANG.

73. *Signinum, Syriumque pirum.*) *Signinum pirum*, hodie *poire de chat.* Sunt enim quædam *pirorum* nomina Latina, quæ Galli verterunt ſuo idiomate, quæque ordine Alphabetico haud referre pigebit poſt *Dalechampium*: Pira Ampulaces: *Poires d'angoiſſe*. Coriolana: *de jalouſie.* Cruſtumina: *de perle.* Cucurbitina: *de Campagne.* Dolabelliana: *de muſet.* Falerna: *de bargamote.* Favoniana: *groſſe Muſcadelle.* Hordearia: *de ſaint Jean.* Lactea: *de blanchete.* Lateriana: *de prevoſt.* Myrapia: *de caleau roſat.* Nardina: *d'argent.* Onychina: *de cuiſſe madame.* Pompejana: *de bon chreſtien.* Regia: *de Carmaignol.* Signina: *de chat.* Tiberiana *de Foreſts.* Venerea: *d'acciole.* Voconia: *de ferteau.* *Syrium* autem *pirum* idem eſt, ac *Falernum*, quod vulgo *bargamote.* De quibus *Martial.*

Et nomen, pira quæ ferunt Syrorum.

74. *Aemula Picenis.*) Putant eſſe *Tiburtina mala*, de quibus *Horat.* ſatyr. IIII. lib. II. *Piceni* autem hodie *la marque d'Ancone.*

76. *Autummum.*) Succum autumnalem.

77. *Luxurioſa ſenatus cœna.*) Cum ſeſe pluſculum invitarent.

78. *Curius.*) *M. Curius Dentatus.*

78. *Quæ legerat Oluſcula.*) *Seneca* Conſolat. ad Helviam, cap. X. *Scilicet minus beate vivebat Dictator noſter, qui Samnitum legatos audit, cum viliſſimum cibum in foco ipſe manu ſua verſaret. Valer. Max.* lib. IV. cap. III. *Cic.* in Catone. *Plin.* lib. XIX. cap. V. *Plutarch. Seneca* tamen lib. de Providentia cap. III. Fabricio id etiam attribuit: *Infelix eſt Fabricius, quod rus ſuum, quantum a Republ. vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum cœnat illas ipſas radices & herbas, quas in agro repurgando triumphalis ſenex vulſit?*

78. *Parvo horto.*) Collige, quam exiguus *Curii* hortus ex proportione villæ, quæ tantum ſeptem jugeribus continebatur.

80. *In magna compede foſſor.*) Servi enim ergaſtularii *pedibus vincti* etiam inter opus. *Ovid.*

Spes etiam dura ſolatur compede vinctum;
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Plin. lib. XVIII. cap. III. Sed ex profeſſo *Lipſ.* Elect. II. cap. XV.

81. *Vulva.*) Ejectitia? an porcaria? utraque enim in precio, ſed ejectitia helluonibus multo magis. *Ejectitia* autem *vulva* eſt, quæ extrahitur utero matre prægnante: *porcaria* vero, poſtquam peperit. *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. ea interdicta cœnis a Cenſoribus. Idem *Plin.* lib. VIII. cap. LI.

82. *Sicci ſuis.*) Auctor Moreti:

Durati ſale terga ſuis. —

82. *Pendentia crate*) juxta focum. *Auctor Moreti* vocat *Suſpenſa carnaria.*

85. *Accedente*

Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter Consulis, atque
Castrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, & Fabricios, postremo severos
Censoris mores etiam collega timeret:
Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,

Cla-

VET. SCHOL.

85. *Accedente nova.*) id est Recenti, ut:

— Duo lacte novo.

87. *Castrorum imperiis.*) Dux, magister exercitus.

88. *Solito maturius.*) Citius *solito*, ante horam nonam.

89. *Erectum domito.*) Sola dignitate clari: nam nec superbi, nec divites. & *domito*, id est, fosso & subacto *monte*.

90. *Et Fabricios.*) *Fabricium Censorem* dicit, cui in Censura *Maximi* nomen obvenit, qui luxuriam Reipublicæ damnans; a collega Publio Decio postulavit, ut aut Ipse, quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum Censorum negligentia perditos; aut pateretur se revocare pristinum civitatis statum. quorum si neutrum faceret, minitatus abdicaturum se cum magistratu. Decius ergo exterritus, permisit, ut, quemadmodum vellet, Remp. administraret, se consentiente.

93. *Nemo inter curas & seria.*) Inter necessaria.

94. *Qualis in Oceani fluctu testudo.*) Ut lectum *testudineum* haberet. *Lectos* nam antiqui *testudine Oceani* ornabant.

GRANG.

84. *Natalitium lardum.*) quod die natali editur. Omnium enim fere gentium mos *natalitia* celebrare conviviis: soli Thraces natalem lacrymis prosequebantur, ut est in *Archiæ* Epigram. Vide super hoc ritu *Alexand. Neapol.* lib. II. cap. XXII.

87. *Castrorum imperiis.*) Cum salutatus Imperator a militibus certo hostium numero cæso.

88. *Solito maturius.*) Ut fieri solet in conviviis lautioribus.

89. *Domito monte.*) *Martial.* lib. IV. epig. LXIV,

Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Præneste domate. —

89. *Erectum ligonem.*) Propriis enim manibus terram subagitasse Romanos Imperatores, *Plinium*, ceterosque legenti pervium est.

90. *Tremerent.*) Timerent, & revererentur. Virg. VIII. Æneid.

— Jam tum saxum sylvamque tremebant.

Propert. Eleg. X. lib. II.

India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho;
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.

Martial. Epig. LV. lib. VIII.

Et cujus tremerent ipsi quoque jura leones.

90. *Durumque Catonem.*) Idem *Martial.* epig. II. lib. XI.

— Durique severa Catonis
Frons. —

92. *Etiam collega timeret.*) *Vetus Scholiast.* refert ad *Publium Decium*, quem Fabricius Censor abdicare magistratu minitatus est. *Tritannicus* vero ad Censuram Claudii Neronis, & Livii Salinatoris, qui se invicem severiter notaverunt. de quibus *Valer.* lib. II. cap. IV.

93. *Nemo*) Veterum.

94. *In Oceani. fluctu.*) Alii legunt *in Oceano fluctu*, ut paullo post *littore ab Oceano*. *Oceanus* autem *fluctus*, ut *Senecæ*, *Hispania. Machæra*, & cetera Auctoribus solita. *Schegkius* Præmessor. epist. v.

94. *Testudo factura fulcrum.*) Lectos & repositoria *testudinibus* ornabant Romani, Cornelii Pollionis instituto. *Plin.* lib. IX. *Seneca* VII. de Benefic. cap. IX. *Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, in-*

Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus, atque supellex.
Tunc rudis, & Grajas mirari nescius arteis,
Urbibus eversis prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ

Im-

gentibus pretiis emtas, in quibus illa ipsa, quæ placet, varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur.

VET. SCHOL.

95. *Et nobile fulcrum.*) *Nobilius* dixit, quam *lectum*.

96. *Sed nudo latere.*) Non ornata sponda.

98. *Ruris alumni.*) Rustici infantes.

99. *Tales ergo cibi.*) Talia convivia eorum quales, & res familiares.

100. *Et Grajas mirari nescius artes.*) Signa, sive alias ornaturas.

102. *Magnorum artificum.*) *Magno artificio* confecta *pocula*.

103. *Ut phaleris gauderet equus.*) id est: Ut de poculis fractis *phaleras*, & alia ornamenta militaria fabricaret.

104. *Feræ mansuescere jussæ*) a Diis, ut pueros nutriret Remum & Romulum.

GRANG.

95. *Fulcrum*) lecti. *Lucian.* in Asino: Κλίνη ἦν μεγάλη ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς, quæ vertit Apulejus: *Lectus Indica testudine pellucidus.*

96. *Frons ærea.*) non testudinea.

96. *Lectis*) tricliniaribus.

97. *Ostendebat*) cœnantibus. hoc est, cœnantes videre poterant ex ipso triclinari

97. *Caput coronati Aselli.*) quod erat in medio horto, ejus enim præsentia credebatur fœcundari, quæ spectaret. *Pallad.* lib. 1.

97. *Aselli.*) Scopas Collectan. cap. XXVII. *Asellæ* putat legendum, quod potius fœminæ, quam maris caput hortis appenderetur fœcunditatis ergo.

97. *Aselli coronati.*) *Plutarch.* Romanis Quæst. XLVIII. Consualibus equos, & *asinos* coronari solitos scribit. *Propert.* eleg. I. lib. IV.

Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.

Ovid. VI. Fast.

Ecce coronatis panis dependet asellis.

98. *Ad quod*) caput aselli

98. *Ruris alumni.*) Infantes rustici.

98. *Lascivi.*) Petulci. *Horat.* satyr. III. Serm. I.

— *Vellunt tibi barbam*
Lascivi pueri. —

100. *Rudis miles.*) Deliciarum expers.

100. *Nescius mirari.*) Phrasi Græca. *Horat.* od. VI. lib. I.

— *Nec gravem*
Peleidæ stomachum cedere nescii.

Et lib. IV. ode VI.

Nescios fari pueros. —

100. *Grajas artes.*) Picturam, cælaturam, & similia.

101. *Prædarum in parte.*) quæ illi forte obtigerat.

102. *Magnorum artificum.*) ut Mentoris, &c.

103. *Gauderet phaleris equus.*) Gloriæ fatentur intellectum *equi. Plin.* lib. VIII. cap. XLII. *Virg.* III. Georg.

Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare.

Gaudere autem cum auferendi casu, ut satyr. VI.

— *Hispulla Tragœdo*
Gaudet. —

Et infra:

— *Tormentis gaudet amantis,*
Et spoliis. —

satyr. VII.

— *Lectio gaudet & umbra.*

104. *Simulacra feræ Romuleæ.*) Lupam. Imitatio *Virg.* VIII Æneid.

— *Et viridi fœtam Mavortis in antro*

Pro-

Imperii fato, geminos ſub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo venientis, & haſta,
Pendentiſque Dei perituro oſtenderet hoſti.
Argenti quod erat, ſolis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tuſco farrata catino
Omnia tunc: quibus invideas, ſi lividulus ſis.
Templorum quoque majeſtas præſentior, & vox
Nocte fere media, mediamque audita per Urbem
Litore ab Oceani Gallis venientibus, & Dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat

Fictilis

Procubuiſſe lupam. geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem,
Impavidos. Illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternis, & corpora fingere lingua.

Vide *Livium* lib. I. *Plutarch.* in Romulo, *Ovid.* II. Faſt. & III. *Propert.* eleg. VI. lib. II. eleg. IX. lib. III. eleg. I. lib. IV.

VET. SCHOL.

106. *Clypeo venientis.*) Martis ad Iliam *venientis*, ut concumberet.

107. *Pendentis*) de ære.

109. *Farrata catino.*) Cibus ex *farre*, qui cibus primus antiquorum fuit.

10. *Omnia tunc quibus.*) hoc eſt, Omnia tunc præſtantiora erant, & tanti precii, quibus, ſi avarus ſis, *invidere* poſſis.

111. *Et vox Nocte fere media.*) Conturbantibus Gallis Senonibus, repente *vox* monentis *audita* eſt: *Hoſtem caverent.* Itaque hoſtibus pulſis, reſtituta Urbe, templum conſtitutum eſt, & conſecratum *Deæ Monetæ.* Dicit nam Jovem, adventum Senonum prænuntiaſſe Gallorum. unde *Virgilius*:

Armorum ſonitum toto Germania cælo
Audiit. —

114. *Officium vatis.*) *Officium* ſacerdotis, & aruſpicis Dii fecerunt, ſacerdotibus timore fugientibus. Ipſorum enim fuerat imminentia Romanis pericula nunciare.

GRANG.

105. *Geminos Quirinos.*) Remum, & Romulum: quorum Romulus poſtea *Quirinus.*

106. *Nudam effigiem.*) Græco more. *Plin.* lib. XXXIV. qua de re Nos ſuperioribus Satyris.

106. *Venientis*) ad ſuos liberos, quos lupa educabat,

107. *Dei*) *Martis*, Gentis Romuleæ auctoris

107. *Pendentis*) in caſſide cælata.

108. *Argenti quod erat.*) Antiquum Rom. inſtitutum. *Plutarch.* in Bruto. *Joſephus* Ἁλώσεως V. Quod & in nova republ. retinuerunt. *Sueton.* in Cæſare, cap. LXVII. *Habebatque tam cultos* (milites) *ut argento & auro politis armis ornaret.* quapropter, ut notat eo loci *Caſaubon.* ſemper tecta arma gerebant, niſi prælii tempore, aut luſtratione exercitus, atque omni transvectione pompæ. Illa tegumenta armorum *Joſephus* θήκας, Attici πτύγματα appellant.

109. *Tuſco catino.*) Aretino. *Plin.* lib. XXXV. cap. XII.

109. *Farrata.*) Juſculenta e *farre.*

110. *Quibus invideas.*) Utpote qui felicius, quam tunc temporis homines vivebant.

110. *Si lividulus ſis.*) Si tibi tantillum *invidiæ* præcordiis ſedet.

111. *Templorum majeſtas.*) Deorum. *Templa* heic pro ipſis Diis, qui in templis adorantur.

111. *Præſentior.*) Magis propitia. *Virg.* in Tityro:

Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos.

Et I. Gregor.

— *Agreſtum præſentia numina Fauni.*

id eſt, propitia, inquit *Servius*, quia ſcilicet Dii cum *adſunt*, favent. Hinc intelligendus *Horat.* in epiſt.

Præſenti tibi maturos largimur honores.

112. *Vox Nocte fere media.*) M. Ceditio facta, Gallos adventare. *Livius* lib. V.

113. *Littore ab Oceani.*) *Livius* lib. V. *Inuſitato atque inaudito hoſte ab Oceano, terrarumque ultimis oris bellum ciente.* Diverſa autem lectio. *Pulmannus* enim legit *Littore ab occiduo.* At *Divæi* codex: *Littore ab Oceano*, recte, ut ſupra *in Oceano fluctu.* Vide *Lipſ.* Epiſt. Quæſt. IV. epiſt. XXV.

116. Et

Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.
Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt: hoc lignum stabat ad usus,
Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas.
Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur
Unguenta, atque rosæ; latos nisi sustinet orbeis
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Jam nimios, capitique graveis. hinc surgit orexis,
Hinc stomacho vires: nam pes argenteus illis,

Annulus

VET. SCHOL.

116. *Et nullo violatus Juppiter auro.*) id est, Cum necdum *auro* textus esset, sed *fictilis* tota *Jovis* compago, magna pro nobis cura vigilabat.

117. *Nostraque ex arbore mensas.*) Ut mensæ fierent nucinæ.

123. *Grande ebur.*) Eburnea mensa ex ebore facta.

123. *Pardus hiatu.*) *Pardus*, qui sustineat orbem.

124. *Porta Syenes.*) Civitas Ægypti.

125. *Et Mauri celeres.*) Nam & apud *Mauritaniam* interiorem dicuntur nasci elephanti. unde & Hannibal habuit. Præterea hoc etiam addunt, quod cum senserit se grandes habere *dentes*, in terram eos figit, & inde abducto capite eos amittit.

126. *Nabathæo bellua saltu.*) Locus in India, ubi nascuntur *Elephanti*.

128. *Hinc surgit orexis.*) Libido vescendi hinc delectat cibum capere, si mensa est eburnea.

128. *Nam pes argenteus illis*) *mensis* scilicet. Ut est, inquit, nobis vilis *annulus ferreus*, ita illis mensis *pes argenteus*, nisi fuerint elephanti dente compositæ.

GRANG.

116. *Fictilis Juppiter.*) E luto *figuli* rota conformatus. *Plin.* lib. XXXIV. cap. VII. & lib. XXXV. cap. XII. *Ovid.* I. Fast. *Senec.* epist. XXXI. *Cogita Deos, cum propitii essent, fictiles fuisse.* Et consol. ad Helviam cap. X. *Itaque tunc per fictiles Deos religiose jurabatur.*

116. *Violatus auro.*) Ut satyr. III.

— *Nec ingenuum violarent marmora tophum.*

117. *Nostraque ex arbore mensas.*) Antiquæ mensæ nuceæ, aut querceæ; nunc citreæ longinquis regionibus allatæ. *Plin.* lib. XIII. cap. XV. *Martial.* lib. XII. epig. LXVII. & lib. XIV. *Seneca* lib. VII. cap. IX. de Benef. *Petron.* Præcipuæ mensarum fuerunt M. Tullii Cicer. & Asinii Pollionis, & Jubæ regis, quingentis enim millibus nummum citream mensam emit *Cicero*. *Tertull.* lib. de Pallio.

122. *Unguenta atque rosæ*) in conviviis solita passim apud *Horatium*.

122. *Latos sustinet orbes*) citreos. fulcrum eburneum sustinebat mensas citreas. *Lucanus*:

Dentibus his niveis sectos Atlantide sylva
Imposuere orbes. —

Martial. lib. II. epig. XLIII. & lib. XIV. epig. XCI.

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris,
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Plin. lib. XII. cap. V.

123. *Pardus.*) Fulcrum in formam *pardi* & similitudinem confictum. Vide, quæ dixi ad illud:

— *Et recubans sub eodem marmore Chiron.*

Divitum enim trapezophori diversis figuris fabrefacti.

124. *Dentibus ex illis*) Elephantinis. *Plinius* similiter vocat *dentes*. at *Pausanias*, & *Juba* cornua.

124. *Syenes.*) Urbs Ægypti *Syene*, quæ hac ætate *Guegere*, a Jovio: *China*, Nigro: *Asna*, Zieglero dicitur.

126. *Bellua.*) Elephantus, ut satyr. X.

Cum Gætula ducem portaret bellua luscum.

126. *Nabathæo.*) *Nabathæa* eadem est Arabiæ Petrææ, quam Amalechitæ incolunt, in Sacris Literis, Palæstinæ contermina, & propterea *Procopio*, & *Stephano* tertia Palæstina dicta, tunc *Farraab* Ziglero dicitur. *Bengaucal* Castaldo. *Rathal-alhaga* Theveto.

127. *Hinc surgit orexis.*) Vide illud VI.

— *Rabidam facturus orexin.*

128. Nam

Annulus in digito qùod ferreus. ergo ſuperbum
Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res
Deſpicit exiguas. adeo nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſellæ, nec calculus ex hac
Materia: quin ipſa manubria cultellorum
Oſſea: non tamen his ulla unquam obſonia fiunt
Rancidula, aut ideo pejor gallina ſecatur.
Sed nec ſtructor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, diſcipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautiſſima ferro
Cæditur, & tota ſonat ulmea cœna Subura.

Nec

128. *Nam pes argenteus.*) Non magis æſtimant *argenteum pedem*, ſeu in menſa trapezophorum, quam in digito *annulum ferreum*. *Annuli* tamen *ferrei* priſcis in æſtimatione. *Plin*, lib. XXXIII. cap. I.

VET. SCHOL.

130. *Qui me ſibi comparet.*) id eſt, Qui me ex comparatione contemnat, non eum invito.

135. *Rancidula.*) quia oſſea ſunt manubria.

136. *Cui cedere debeat.*) Cui quaſi magiſtro ſubjaceant omnia.

137. *Pergula.*) Coquina, qua boletaria ponuntur.

138. *Et Pygargus.*) *Pygargus* fera eſt ſpecie cervi, quæ retriores partes *albas* habet. ideo & *pygargus* dictus eſt, quia Græce *nates* πυγὴ dicuntur. *Pygargus*, avis genus, *clagalopes* appellatur.

139. *Et Scythicæ volucres.*) Faſianus, ἀπὸ τῆς Φάσιδος dicitur. eſt allata Argo navi.

139. *Et phœnicopterus ingens.*) Genus avis, quæ habet *pinnas* colore *phœnicio*. in aqua ſemper eſt, abundans in Africa. Hujus roſtrum tam prolixum eſt & curvum, ut, niſi merſo capite, aqua in os ipſius non poſſit intrare.

140. *Et Gætulus Oryx.*) *Oryx* animal minus, quam bubalus, quem Mauri *Uncem* vocant: cujus pellis ad citonas proficit, ſcuta Maurorum minora.

141. *Ulmea cœna.*) Quia lanionum codices maxime ex *ulmis* ſunt omnes.

GRANG.

135. *Gallina ſecetur.*) Vide Senec. de Vita Beata cap. XVII. & de Brevit. Vitæ cap. XII. *Martial.* lib. III. ep. XII.

136. *Nec ſtructor erit.*) Vide illud v.

Structorem interea. —

137. *Pergula.*) Triplex *pergularum* genus ex *Scaligero*, & *Paſſeratio*. interdum enim pro caſula ſeu tuguriolo, ut apud *Propert.* eleg IV. lib. IV. Aliquando pro opere topiario, quod in ea *pergimus*, & inambulamus. heic autem pro ædificiorum appendice, qua in publicum ſpectatur, unde artifices ſua proponebant opera, ut ita populo innoteſcerent.

138. *Cum ſumine.*) De Sumine *Martial.* epig. XXXVII. lib. II. de cujus apparatu *Apicius* lib. VII. cap. II.

138. *Pygargus.*) Species damæ, ſi *Plinio* credas. Cervi tamen ſpeciem facit *Vetus Scholiaſtes.* in Sacris Paginis Deuteron. XIV. Equi unicornis genus eſſe volunt, manducare prohibitum.

139. *Scythicæ volucres.*) Phaſiani. a Phaſide flumine nominati. *Martial.* epig. LXXII. lib. XIII.

139. *Phœnicopterus.*) ab alis *Phœnicii* coloris, de quo *Martial.* epigr. LVII. lib. III.

Nomenque qui rubentibus pennis.

Et lib. XIII. epig LXXI. *Ariſtoph.* in Avibus. *Plin.* lib. X. cap. XLVIII. A nobis ſecundum *Bellonium* dicitur *Flament*, *ou flambant*.

140. *Oryx.*) Vide *Plin.* lib. II. cap. XL. *Martial.* lib. XIII. epig. XCV. *Oppianum* de Venatione lib. II. *Ælianum* lib. XIV. cap. XIV.

141. *Sonat ulmea cœna Subura.*) Sic hunc locum interpretantur, ut *obſonia ulmo* formata ſint, quæ dum tirunculi ſcindere diſcunt, tantus editur ſonus, ut per totam excurrat *Suburam*, circa quam ſtructorum ſunt pergulæ. Aliter *Vetus Scholiaſtes*, & ad laniorum

Rr

Nec frustrum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ furtis imbutus ofellæ.
Plebejos calices & paucis assibus emtos
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus;
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit in magno. cum posces, posce Latine.
Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.
Pastoris duri est hic filius: ille bubulci
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, & notos tristis desiderat hœdos.
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,

260 Qua-

num codices refert, quod omnes fiant ex *ulmis*. Ego omnino aliter, & intelligo doctores illos suos discipulos *ulmis* cædere, si quando cibos non apposite scinderent, ipsos *ulmorum* ictus per totam *Suburam*, circa quam eorum pergulæ, resonare, quos facete *cœnam ulmeam* vocat, quod, cum ediscerent apparatum cœnarum, *cenam* primi, sed *ulmeam* prægustarent: *ulmeis* etenim *virgis* servos cæsos, non est, cur doceam. Idque libentius dixit, quod, ut notavit *Faber*, in *Subura* flagris cæderentur servi. *Martial.* epig. XVII. lib. II.

VET. SCHOL.

142\. *Nec frustum.*) Hoc est, quod vult dicere; Insertor noster *furtum facere* ignorat, neque aut capreæ carnis particulam, aut alicujus avis subtrahens: nec aliud novit rapere, nisi *ofellam*, quod didicit.

145\. *Paucis assibus.*) Vile emtos.

146\. *Incultus puer, atque &c.*) Bene *Poeta* ostendit vestitum *puerum*, non tamen ornatum.

147\. *Non a mangone petitus.*) Quales vendunt care mancipari.

148\. *Posce Latine.*) non Græce, quia nescit.

149\. *Idem habitus cunctis.*) id est, Pueris similes vestes.

149\. *Tonsi rectique.*) Non comati.

150\. *Pexi.*) Deducti pectine capilli.

151\. *Pastoris duri.*) Duobus his generibus *Poeta* convivium deformat, quod rusticos dicit ministrare pueros.

152\. *Suspirat.*) quia diu abest a parentibus, tristis est.

153\. *Desiderat hœdos.*) ut pastoris filius.

154\. *Ingenui vultus.*) Modesti, bene nati.

GRANG.

142\. *Afræ Avis.*) *Afra avis*, sive Numidica, quæ nostris hodie dicitur, *poule di Guinee*. Cave, confundas cum *meleagride*, quam Latini *Gilberam* appellant.

145\. *Plebejos calices.*) Martial. *plebeja toreumata*, vocat.

145\. *Paucis assibus emtos.*) Ipse lib. IX. epig. LX.

Undecima lassus cum jam discederet hora,
Asse duos calices emit, & ipse tulit.

146\. *Porriget.*) *Idem* lib. IX. epig. XXVI.

— *Tanquam mihi pocula Gorgon*
Porrigat. —

147\. *Mangone.*) *Mango* proprio κυνοτρόφος, canum educator & altor, ut in *Glossis*. Sed longius tractum, & puerorum altores & educatores ita dicti.

149\. *Idem habitus cunctis.*) At distincti beatulis & Regibus Romanis servi. Quod tangit *Seneca* epist. XCV. *Transea agmina exoletorum per nationes, coloresque descripta.* & lib. de Brevit. Vitæ, cap. XII. *Qui vinctorum suorum greges in ætatum & colorum paria diducit.* Lucanus:

Tunc famulæ numerus turbæ, populusque minister;
Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas;
Hæc Libycos, pars jam flavos gerit altera crines.

149\. *Tonsi.*) Ut qui non catamiti, qui intonsi. *Martial.* lib. IX. epigr. XXXVII.

149\. *Recti.*) Non calamistro intorti, & in annulos inflexi, aut cirrati in orbes & cornua.

155\. *Quos*

Qualeis esse decet, quos ardens purpura vestit;
Nec pugillareis defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto:
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit:
Namque una, atque eadem est vini patria, atque ministri.
Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ;
Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticæ: major tamen ista voluptas

Alterius

VET. SCHOL.

155. *Quos ardens purpura vestit.*) qui prætextati sunt. *Ardens purpura*, pro fulgens: ut *Virgil.*

— *Tyrioque ardebat murice læna.*

156. *Nec pupillares.*) id est, Quales habent hi, qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiæ, sed castus est.

158. *Inguina.*) Majorem penem.

159. *Hic tibi vina.*) Talis puer tibi erit pincerna.

160. *A quibus ipse venit.*) De eadem villa vinum, unde & minister est.

162. *Forsitan exspectes, ut Gaditana.*) id est, Speras forsitan, quod incipiant saltare delicatæ ac pulcræ puellæ Syriæ. quoniam de Syris & Afris, *Gadis* condita est: Nunc, inquit, exspectas apud me pantomimas aut lyristrias de *Gadibus*, quod lasciviant. *Martialis*:

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

163. *Incipiant prurire choro.*) quæ suo motu faciunt barbaros pati *pruriginem*.

GRANG.

155. *Ardens purpura.*) *Virg.* IX. *Æneid.*

— *Tyrioque ardebat murice læna.*

Martial. lib. V. epig. XX.

Flammatæ ve togæ scripula tota decem.

hoc est *ardentis Purpuræ*.

155. *Purpura vestit.*) Horat. od. XVI. lib. II.

— *Te bis Afro*
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ. —

156. *Nec raucus.*) Ut, qui non coitui indulget. siquidem vox *raucescit*. hinc cantores infibulati, de quibus alias.

156. *Defert.*) Ibi enim probe peculiati quærebantur, ut diximus ex *Petronio* supra.

156. *Pugillares.*) Aliter legunt *pupillares*. qui *pugillares*, interpretantur *pugilli* instar crassos; qui *pupillares*, tumentes, quales in licentiam pueritiæ habent adolescentes parentibus orbati.

157. *Vellendas præbuit alas.*) alipilo, qui in balneis *alas vellebant*, Alipili dicti. *Seneca* epist. LVI. Hinc vetus inscriptio:

M. OTAVIUS PRIMIGENIUS ALIPILUS A TRITONE.

Glossæ: *Alipilarius*, δρωπακιστής. nempe qui aut dropace (unguento e pice) pilos alarum, aut volsellis evellit.

158. *Opposito gutto.*) satyr. III.

— *Et pleno componit lintea gutto.*

Guttum, vas olearium in balneis, ita dictum *Varroni* IV. de ling. Lat. quod minutatim stillet.

162. *Gaditana.*) Similis locus apud *Martial.* lib. V. epig. VIII.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

165. *Acres Urticæ.*) Prurigines. Sic satyr. II.

— *Unde*
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.

166. *Major tamen ista voluptas.*) Quamvis Gaditanarum crissatio virorum irritet Venerem, tamen magis movet mulieres, majorique voluptate afficiuntur & libidine. *Propert.* eleg. XIX. lib. III.

Objicitur toties a te mihi nostra libido,

 Crede

Alterius sexus : magis ille extenditur , & mox
Auribus , atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus : audiat ille
Testarum crepitus cum verbis , nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet , ille fruatur
Vocibus obscænis , omnique libidinis arte ,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem :

Namque

Crede mihi , vobis imperat ista magis.

Ovid. 1. de Arte :

Omnia fœminea sunt ista libidine mota,
Acrior est nostra plusque furoris habet.

Vide , quæ dixi ad illud VI.

— Nam quantula nostra voluptas.

VET. SCHOL.

167. *Magis ille extenditur*) ad Venerem , illis saltantibus.

168. *Urina movetur.*) Irritata scilicet clunibus saltantium puellarum.

170. *Testarum crepitus.*) Testis nam antea percutiebant saltantibus pantomimis: quoniam tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus.

172. *Vocibus obscænis.*) Divites cantilenis turpibus ac tam *obscænis* , ut illis meretrices abstineant.

173. *Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.*) Qui exspuit supra marmor Lacedæmonium , quo stratum est pavimentum , ut læve sit , ut saltantibus puellis nihil impediat.

GRANG.

168. *Concepta urina movetur.*) satyr. VI.

Cheironomon Ledam molli saltante Bathyllo ,
Tuccia vesicæ non imperat ; Appula gannit ,
Sicut in amplexu. ———

168. *Auribus.*) Ut Ipsemet :

— Cum tibia lumbos
Intrat. —

& Persius :

— Cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.

169. *Audiat Testarum crepitus.*) *Crepitus testarum* genus est plausus , ut patet ex *Suetonii* Nerone cap. XX. *Neque eo segnius adolescentulos equestris ordinis , & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit , qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (BOMBOS , & IMBRICES , & TESTAS vocabant.)* Ubi *Casaub.* *testas* dictas putat ad similitudinem *crepitus* , quem edebant collisis *testis*. At *Brodæus* Miscell. IX. cap. XVII. putat intelligi de vasis *testaceis* , quæ parietibus infarciebant , & theatris præcipue , ut exceptum hominum spectantium plausum cum harmonia quadam redderent. Sed longe verbis *Suetonii* refellitur. Quæ autem *Lubinus* ad hunc locum , Germani germanæ gerræ.

170. *Nudum mancipium.*) In lupanaribus meretrices nudæ. *Xiphilin.* in Heliogabalo. Petronius : *nudasque meretrices furtim conspatiantes.* *Noster* satyr. VI.

— Tunc nuda papillis
Constitit auratis. —

Papillas enim , & τὰ αἰδοῖα vinciebant , cætera nudæ. *Lips.* ad *Tacit.* *Heraldus* ad *Martial.*

170. *Stans Fornice.*) *Horat.* Serm. 1. satyr. II.

Contra alius nullam , nisi olenti fornice stantem.

172. *Omnique libidinis arte.*) *Ars* etiam in libidine. in Phallicis:

Nemo meo melius nervum tendebat Ulysse ,
Sive illi laterum , seu fuit artis opus.

173. *Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.*) *Grangæus* huc bene multa congessit , & varias Variorum hoc de loco sententias ad Morellum V. C. perscribit , quibus , ob molem & copiam , qua textum nimis quantum interrumperent , in *Variorum notis* locum concessimus : ubi integram *Grangæi* epistolam exhibemus. *Grangæi* vero hoc de loco sententia huc redit : Nulli Criticorum se fidem habere *ait* , præterquam *Flavio* , *Lipsio* , *Ceruto* , ut qui , quamvis non sine damno veræ lectionis , propius scopum attigerint. germanam autem lectionem ex fide omnium MSS eam esse , quæ nihil addit , mutat , immutat. & si quis perpenderit antecedentia ; visurum sub his verbis anguem latere , ut ajunt , & nescio quid propudiosi subintelligi : videlicet μηλίων κλαζομενίας. *Orbem* certe toti theatro apud *Suetonium* sic intelligi :

Viderisne , ut cinædus orbem digito temperet ?

& magis *Orbem Lacedæmonium* , quod ex *Aristophane* Juvenalem sumsisse credit , cui Clinias dicitur

κυσο-

Namque ibi Fortunæ veniam damus. alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cum faciant, hilares, nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur?
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor,
Humida suspectis referens multicia rugis,
Vexatasque comas, & vultum, auremque calentem.

Proti-

κυσολάκων, quod aliquo modo *Hesychius* illustrat, cum *Λακωνίζειν* explicat *παιδικοῖς χρῆσθαι*. unde *Eupolis*: *Μισῶ λακωνίζειν*. *τὸ Pytisma* vero nulli Criticorum intellectum in culpa fuisse tot variantium lectionum & opinionum: sumi illud pro re obscœna, ut apud Latinos *serum*, *salivam*, *sputum*, *rorem* &c. hoc ex Phallicis patere. *Spuere* item, *despuere*, & *vomere* esse in obscœnis *Arnobio*: item *Catullo*; cui Gellius

— Patrui perdespuit ipsam Uxorem —

Gallis etiam simili aliquando idiotismo eandem rem exprimi. Ergo versum hunc tandem sic *παραφράζει*. *Qui Lacedæmonium* &c. id est, qui nova Elephantidos figura nudum supinatumque in ventrem exsecrandis uredinibus flagitat.

VET. SCHOL.

174. *Namque ibi Fortunæ veniam damus:*) divitum, quasi liceat illis peccare.

175. *Hæc eadem illi.*) id est, Si alea luserit pauper, aut adulterium commiserit, damnandus est: si dives horum aliquid fecerit, jocosus appellatur.

180. *Qua voce.*) bona, an mala.

184. *Nec, prima si luce egressa.*) Mire nec ipsi rei pepercit Poeta. Ne uxor tibi bilem contrahat, si tarde regreditur, quæ a prima luce processerat, & ita regressa, ut se prodat signis quibusdam concubuisse cum mœcho. solent enim *aures* & *vultus* sub ora eis rubere.

186. *Humida suspectis referens multicia rugis.*) Terent.

Postquam ludificatus est virginem, vestem scidit:
Vexata igitur a mœcho; qui cum ea concubuit.

GRANG.

178. *Conditor Iliados.*) *Homerus*, qui ab *Horatio* dicitur scriptor Trojani belli.

179. *Dubiam facientia palmam.*) Non certe, si creditur *Propertio*, eleg. ult. lib. II.

Cedite Romani scriptores, cedite Graji,
Nescio quid majus nascitur Iliade.

quantum enim a plebeja ineptaque muliercula matrona distat, tantum summus *Homerus* a divino *Virgilio* superatur. *Scaliger* Poet. V. cap. II. Vide *Macrob.* Saturnal. I. cap. XXIV.

181. *Averte negotia.*) *Horat.* ad Mæcenatem lib. III. od. VIII.

Mitte civiles super Urbe curas.

186. *Multicia Humida*) effusa genitura super ipsius veste. Sic Nero apud *Sueton.* *Quoties lectica cum matre veheretur, libidinatum inceste, ac maculis vestis proditum affirmant.*

186. *Suspectis rugis*) vestimentorum, quæ sunt signa voluptatis. *Hieronym.* epist. de vitand. sup. *Vestis ipsa vilis & pulla animi tacentis indicium est, si rugam non habeat.*

187. *Vexatasque comas.*) *Sueton.* in Augusto cap. LXIX. *Fœminam consularem a triclinio viri coram in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam.* Idem *Sueton.* in Calig. cap. XXXVI. *Quoties deinde libuisset, egressus triclinio cum maxime placitam sevocasset, paullo post recentibus adhuc lasciviæ notis reversus vel laudabat, vel vituperabat.* Has enim *lasciviæ notas* intelliges, vexa-

Protinus ante meum, quidquid dolet, exue limen:
Pone domum, & servos, & quidquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos ante omnia pone sodaleis.
Interea Megalesiacæ spectacula mappæ,
Idæum sollenne colunt, similisque triumpho
Præda caballorum Prætor sedet, ac, mihi pace
Immensæ nimiæque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit, & fragor aurem

Per-

vexatasque comas, auremque calentem; alias notas notat *Propertius* lib. II. eleg. XXIX.

Apparent non ulla toro vestigia presso
Signa voluptatis, nec jacuisse duos.
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgit
Spiritus, admisso notus adulterio.

VET. SCHOL.

191. *Interea Megalesiacæ.*) hoc ideo, quia *Megalesiaci* Circenses ante Solem prope edebantur.

192. *Idæum solemne.*) de *Ida*, matri Deum.

193. *Præda caballorum.*) Pompa. Quoniam *Circensibus* illis, quos *Prætores* edunt, unus est missus, qui *ordinarius* dicitur: ideo *præda caballorum*, quia *hordeum* pro illo die aurigæ tollunt equorum, aut ideo *præda* dixit, quoniam multi equi frangebantur iisdem *Circensibus*.

GRANG.

188. *Exue, quidquid dolet.*) *Martial.* lib. X. Epigr. XXX.

Et inquietas fessus exuit curas.

191. *Spectacula.*) pro spectatoribus, qui sibi invicem sunt *spectaculo*:

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.

Et III. Fast.

Cum redeunt, titubant, & sunt spectacula vulgi.

191. *Mappæ.*) i. Ludorum. Nam cum *ludorum* primariæ partes quatuor, pompa fabulæ, pugnæ in arena, curruum certamina; *Mappa* autem esset aurigationis signum, *Mappam* tamen pro ipsis ludis posuit. *Mappam* vero aurigationis signum fuisse, & cœpisse sub Nerone docet *Cassiod.* lib. III. epist. LI. *Mappa, quæ signum dat Circensibus, tali casu fluxit in morem: Cum Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram: ut libertatem daret certaminis postulandi.* De *Mappa* plusquam satis *Heraldus*; & *Raderus* ad *Martialem*. *Panvinius* lib. I. de Lud. Circ. cap. XIV. *Bulleng.* libro de Circo, cap. XVI. Nomen autem *mappa* non Latinum, sed Punicum, teste *Quintil.* lib. I. cap. I. adde & proverbium *Junii*: *Quasi mappa missa.*

191. *Megalesiacæ.*) Ludorum *Megalensium*. *Megalenses* ludi dicati magnæ matri Deum, dicti ἀπὸ τῆς μεγάλης τῆς θεᾶς. Alii tamen, a templo *Megalesio*: unde advecta erat Romam Dea, hi singulis vertentibus annis celebrari consueverant, cum primum eos instituisset M. Junius Brutus: de iis *Manutius* lib. II. epist. *Cic.* ad Fam. epist. II. *Scaliger* in Poeticis lib. I. *Alexander Neapol.* lib. VI. cap. XIX.

192. *Idæum sollenne.*) Vocat *Megalenses* ludos *Idæum sollenne* a monte *Ida*, a quo magna mater *Idæa* dicta. *Virg.* X. Æneid.

Alma parens Idæa Deum. —

192. *Similis triumpho.*) Triumphanti. Erant enim *prætores* in Circo prætextati: unde supra satyr. X.

In tunica Jovis & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ. —

potissimum autem ludis *Megalensibus*. Hinc *Megalensis purpura*. *Scalig.* Poetic. primo, cap. XXVIII.

193. *Prædo caballorum.*) *Just. Lips.* I. Commentario ad *Tacit.* putavit legendum *Præda caballorum*; quia magna scilicet pecuniæ vis effundenda prætori in aurigas, & equos, iisque ipse, quasi *præda*. *Philippus Beroald.* in Annot. *Satyrice prædonem prætorem appellat*, inquit, *propterea quod palma præmioque fraudat meritos equos; & non ex æquo, sed ex animi libidine hunc & illum judicat esse victorem.*

195. *Totam hodie Romam circus capit.*) Sic *Plin.* de C. Curionis amphitheatro pensili: *Ecce populus Rom. universus, velut duobus navigiis impositus, binis cardinibus sustinetur.* Et *Cassiodorus* Variar. V. epist. XLII. *Hoc Titi potentia principalis, divitiarum profuso flumine, cogitavit ædificium fieri: unde caput urbium potuisset.*

195. *Fragor.*) *Seneca* de Tranquil. Animi, cap. II.

Nimis

Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam, si deficeret, mœstam, attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. spectent juvenes, quos clamor, & audax
Sponsio, quos cultæ decet assedisse puellæ:
Spectent hoc nuptæ juxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis:
Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam. jam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quanquam solida hora supersit

Ad

Nimis diu a plausu & fragore aures vacaverunt. Ubi *Lips.* Fragorem proprie ad circum attinere dixit.

VET. SCHOL.

196. *Eventum viridis quo colligo panni.*) id est, *Prasini*; ex clamore colligo victoriam.

179. *Nam, si deficeret.*) Si vinceretur *Prasinus*: aut si hoc spectaculum *deficeret*, ut non essent *Circenses*, sic tristem urbem videres, ut si esset bello victa.

198. *Veluti Cannarum in pulvere.*) locus in Apulia, ubi Romani ab Hannibale sunt victi.

198. *Victis Consulibus.*) *Varronem Terentium* dicit, & *Paullum*; quorum *Paullus* semet occidit, *Varro* autem fugit: cui triumphus decretus est, quia non penitus desperavit.

199. *Spectent Juvenes.*) Juvenibus spectacula concede, qui propter certamina, *sponsiones* ponunt, & delectat eos juxta *puellas* spectare.

201. *Spectent hoc* &c.) Quia antiquitus solebant mulieres cum viris interesse omnibus *spectaculis* indifferenter.

204 *Jam nunc in balnea* &c.) Bene hisdem Poeta verbis verecundiam expressit.

205. *Solida hora.*) Una integra hora usque ad sextam.

GRANG.

196. *Quo*) fragore

196. *Colligo eventum viridis panni.*) In Circo etenim factiones quatuor a pannis diversi coloris nomen suum sortitæ, albi, virentis, veneti, rubentis. *Sidon.* carm. XXIII.

— *Micant colores,*
Albus, vel venetus, virens, rubensque.

De iis *Plin.* lib. IV. epist. VI. *Cassiod.* lib. III. Variar. epist. LI. lib. de spectaculis, cap. de arte Circi. *Chrysostom.* in libello de Circo. & l. I. *Cod. Theod.* de equis Curulibus. His quatuor factionibus duas addidit Domitianus, auream scilicet, & argenteam. *Sueton.* in Domitiano cap. VII. & *Xiphil.* At inter ceteras factiones factio *viridis* seu *prasini panni* adamata Imperatoribus. *Sueton.* in Calig. cap. LV. & *Dio* in Ejus vita, & in Nerone cap. XXII. Item *veneta*. Non tanti aliæ.

197. *Attonitam Urbem.*) *Urbs* pro civitate, & contra civitas pro *Urbe*. *Barrientus* sylva annotat. cap. XII.

198. *Cannarum pulvere victis.*) *Cassiodor.* Variar. III. epist. LI. *Transit Prasinus, pars populi mœret: præcedit Venetus, & potior turba civitatis affligitur: nihil proficientes ferventer insultant: nihil patientes graviter vulnerantur, & ad inanes contentiones sic descenditur, tanquam de statu periclitantis patriæ laboretur.*

199. *Audax Sponsio.*) quæ fieri solebat pro hac vel illa factione. *Martial.* lib. XI. epig. I.

Sed cum sponsio, fabulæque lassæ
De scorpo fuerint & incitato.

Vide *Turneb.* lib. VIII. cap. IV. & XVIII. cap. XXXVII. Plura super his *Bullenger.* cap. XLVI. de Circo.

200. *Cultæ decet assedisse puellæ.*) Plura ad hanc mentem *Ovid.* lib. de Arte amandi.

201. *Spectent hoc nuptæ.*) Hos duos versus non esse hujus loci attentus lector judicaturus est, quin imo legendi post versum hunc:

Ad terram tremulo descendunt clune puellæ.

Quid enim ludis circensibus obscœni? unde bene admodum exemplaria *Gulielmi Canteri* ad hunc locum reponunt, ut ipse asserit, Novar. lect. III. cap. VI.

203. *Curata cuticula.*) *Pers.* satyr. IV.

— *Et assiduo curata cuticula Sole.*

Ubi *Marcilius.*

204. *In balnea.*) quo omnes ante cœnam.

205. *Solida hora supersit Ad sextam.*) Quamvis sit

tantum

Ad sextam. facere hoc non possis quinque diebus
Continuis: quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. VOLUPTATES commendat rarior usus.

NAta-

tantum hora quinta, & mos sit lavari octava. *Lips.* III. Antiq. lect. & Comment. XIV. ad Annal. *Taciti.*

VET. SCHOL.

207. *Quia sunt talis quoque tædia vitæ.*) Ut sæpius idem facias. Quidquid fit rariter, magis delectat.

GRANG.

207. *Sunt talis quoque tædia vitæ.*) *Seneca* lib. de Vita Beata, cap VII. *Voluptas cito implet, & tædio est, & post primum impetum marcet.* *Cic.* III. de Orat. *Difficile dictu, quanam caussa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostras impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, fastidio quodam et societate abalienemur.*

108. *Voluptates commendat rarior usus.*) *Propert.* lib. II. eleg. XXXII.

Semper in absentes felicior æstus amantes,
Elevat assiduos copia longa viros.

Plin. epist. XX. lib. VIII. *Omnium rerum cupido languescit, cum facilis occasio est.* *Pacatus* in Panegyrico ad Theod. *Vicinum habent permissa fastidium.*

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS
SATYRA XII.

ARGUIT HÆC AVIDOS NIMIUM, NIMIUMQUE RAPACES.

SYNOPSIS. *Ob reditum Catulli amici medio in mari horrenda passi, fereque naufragi, ni contra sui temporis hominum consuetudinem, quibus ipsa carior vita pecunia, propter quam unam vivunt, castora imitatus, qui se eunuchum ipse facit, vestium, preciosæque supellectilis jacturam fecisset, vix tenui fragilique ligno, quo quatuor, aut septem digitis a morte remotus. Junoni agnam niveam, parque vellus Minervæ, Jovi vitulum, majores hostias, si res ampla domi, similisque affectibus esset, immolaturus Poeta pueros suos hortatur, ut linguis animisque faveant, & cetera, quæ ad futurum sacrificium necessaria, peragant. Quod quidem non est, cur hæc suspicetur Corvinus captandæ hæreditatis gratia istiusmodi sacrificium suscepisse, cum tres habeat hæredes Catullus, nullusque sit tam demens captator, qui patribus ne ægram quidem gallinam impendere velit: longe autem secus in orbis, qui, si vel minimum calorem senserint, ubique vota affixa, hic hecatomben, ille, si permittas, greges servorum, imo aliquis Novius aut Pacuvius captatores celeberrimi propriam filiam altaribus daturi sunt, quod mutatis tabulis, si ægri Libitinam evaserint, solos se fore hæredes sperant. Qua de re indignatus merito Juvenalis ejusmodi captatoribus Nestoris vitam, aureos montes optat, ea lege, ut nec ament quenquam, nec amentur ab ullo.*

NAtali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festas promissa Deis animalia cespes
Exspectat: niveam Reginæ cædimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.

Sed

VETUS SCHOLIASTES.

REginæ ducimus agnam.) *Junoni*, alii *Fortunæ*. & *ducimus*, ad sacrificium *ducendam* ad aram.

4. *Pugnanti Gorgone Maura.*) *Minervæ* similis agna. & *Maura* quoniam in *Mauritania* juxta Atlantem a Perseo est occisa *Gorgon* Medusa.

GRANGÆUS.

H*Æc lux.*) qua salvus rediit *Catullus*, sive qua voti reus pro reditu *Catulli* vota debita reddo.

1. *Mihi dulcior.*) Gratior, & jucundior. translatione a gustu.

1. *Natali die.*) de quo dixi ad illud satyr. XI.

Et natalitium cognatis ponere lardum.

Vide *Fabrum* Semestr. 1. cap. VI. Antiquitus *natalem* simpliciter vocabant, postea *natalem diem* dixerunt, ut notat *Servius* ad *Virg.*

2. *Cespes.*) Ara ex *cespite. Horat.* lib. I. od. XV.

Heic vivum mihi cespitem, heic
Verbenas pueri ponite, thuraque.

Et lib. III. ode VIII.

Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo
Cespite vivo.

2. *Promissa animalia*) voto, quod *Catullo* discedenti concepi.

3. *Reginæ.*) *Junoni*, quæ absolute *Regina*, & *Regina Deum* Poetis dicitur. *Virg.* VII.

Tum Regina Deum cœlo delapsa. —

Et I.

Quidve dolens Regina Deum. —

Aliquando *Juno Regina*: Idem *Virg.*

— *Extremam Saturnia Juno*
Imponit Regina manum. —

Similiter & aliæ Deæ *Reginæ* dicuntur. Vide *Briss.* de Formul.

3. *Niveam agnam.*) Ut uni ex superis, inferis contra hostia pulla. *Horat.* Serm. I. satyr. VIII.

4. *Par vellus.*) Nivei velleris agna.

4. *Dabitur pugnanti Gorgone Maura.*) Minervæ, quæ in sinistra gerit scutum sive Ægidem *Gorgoneo* capite formidabilem. *Virgil.*

Gorgoneumque caput turbatæ Palladis arma.

 Hinc

Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpejo servata Jovi, frontemque coruscat:
Quippe ferox vitulus, templis maturus, & aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera matris
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu.
Si res ampla domi, similisque adfectibus esset,
Pinguior Hispulla traheretur taurus, & ipsa

Mole

Hinc *Gorgon* pro ipso scuto, & apud *Propert.* lib. IV. eleg. X.

Magnam Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.

Gorgonum autem fabulam leges apud *Aratum* in Phœnomenis. *Fulgent.* Mytholog. I. *Palæphatum* de Fabulosis Narrationibus. *Apollod.* Biblioth. II. *Ovid.* VII. Metam.

4. *Maura Gorgone.*) Medusa enim Phorcynis Cyrenæi filia. At Cyrenæi inter Æthiopes numerati. *Maura* igitur patriæ nomen, pro *Cyrenaica* Geographi enim Neoterici Cyrenen sub *Mauritania* comprehendunt. *Ortel.* in Synonymia.

VET. SCHOL.

5. *Petulans quatit hostia funem.*) id est: Juvencus, qui *funem*, quo ligatus est, rumpit.

6. *Frontemque coruscat.*) Movet sicut telum, quod *coruscat.*

8. *Quem jam pudet ubera matris.*) Lac sugere.

9. *Qui vexat,*) Ferus, indomitus, maturus ad sacrificium, ut *Virgil.*

— Atque irasci in cornua discit
Arboris innixus trunco. —

10. *Similisque affectibus esset.*) Voto, voluntati æquales.

11. *Pinguior Hispulla.*) Matrona pinguis fuit.

GRANG.

5. *Quatit funem.*) Non, ut reluctantem depingat hostiam, esset enim mali ominis, ut videre est apud *Macrob.* Saturn. III. cap. V. sed ut vituli ferocis naturam oculis legentis accuratius exprimeret.

6. *Frontemque coruscat.*) Hinc illinc disjicit. satyr. III.

— Modo longa coruscat
Sarraco veniente abies. —

Vetus Scholiast. movet sicut telum, quod coruscat. Unde *Virg.*

— Hastamque coruscat.

6. *Tarpejo Jovi.*) Capitolino. Sic *Martial.* vocat *Tarpejum patrem* lib. IX. epigram. CIV. & *Tarpejum tonantem* epigram. LXXIV. lib. XIII.

7. *Vitulus.*) Ita *Horat.* pro reditu Pomponii Numidæ, od XXXVI. lib. I.

Et thure, & fidibus juvat,
Placare, & vituli sanguine debito,
Custodes Numidæ Deos.

7. *Templis maturus.*) ut supra, *maturus bello.*

7. *Templis, & aræ.*) Hendiadys. hoc est, *aris templorum.*

8. *Spargendusque mero*) inter cornua. *Virg.* IV. Æneid.

Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Et VI.

— Fronti immergit vina Sacerdos.

8. *Mero*) Non sine caussa *mero.* Unde *Ovid.* VII. Metam.

— Et fundit purum inter cornua vinum.

Purum vinum uno verbo *merum.*

8. *Pudet ubera Matris Ducere.*) Qui jam relinquit matrem. *Horat.* lib. IV. ode II.

Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota.

8. *Ubera Ducere.*) ut *ducere pocula* Propertio, & Horatio.

9. *Vexat nascenti robora cornu.*) Exprimit illud *Virg.* Georg. & XII Æneid.

— Atque irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco. —

10. *Si res ampla domi.*) Pro cujusque enim facultatibus sic & Diis hostiæ. *Tibull.* lib. I. eleg. I.

Vos quoque felices quondam, nunc pauperis horti,
Custodes, fertis munera vestra Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos,
Nunc agna exigui est hostia magna soli.

Horat. ode II. lib. IV. ad Julium Antonium:

Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus. —

11. *Traheretur taurus.*) Duceretur. *Trahi* heic pro duci, & contra satyr. X. *duci* pro *trahi.*

11. *Pin-*

Mole piger, nec finitima nutritus in herba;
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & a grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque passi
Nuper, & incolumem sese mirantis amici.
Nam præter pelagi casus, & fulguris ictum
Evasi, densæ cœlum abscondere tenebræ
Nube una, subitusque antennas impulit ignis;
Cum se quisque illo percussum crederet, & mox
Attonitus nullum conferri posse putaret

Naufra-

11. *Pinguior Hispulla*) matrona: de qua satyr. VI. & cujus pinguedinem morsu obliquo obiter attingit.

11. *Ipsa Mole piger.*) *Virg.* III. Georg.

Torpent mole nova. —

VET. SCHOL.

12. *Nec finitima nutritus in herba.*) Non in his partibus, sed de peregrinis.

13. *Ostendens Clitumni pascua sanguis.*) Fluvius, qui *Trevis*, civitatem Flaminiæ interfluit.

15. *Et a grandi cervix ferienda ministro.*) *Sacerdote*, aut, qui sacrificia occidunt, *ministris*.

16. *Nuper* &c.) *Catulli*, qui prope naufragio perierat.

17. *Fulminis ictum.*) Tempestates.

19. *Subitusque antemnas impulit ignis.*) Fulmen impulit *antemnas* cum velis.

GRANG.

13. *Sanguis ostendens.*) Sic *Auctor* Thebaid.

— *Qua per horrentes rubos*

Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.

13. *Clitumni pascua ostendens.*) Nutritum se inter *Clitumni pascua* niveo demonstrat colore.

13. *Læta pascua.*) Pinguia, grataque aspectu, simulque luxuriantia. *Horat.* ode IV. lib. IV.

Qualemve lætis caprea pascuis

Intenta. —

13. *Clitumni.*) fluminis in Mevania, quæ pars Umbriæ partis Thusciæ. *Servius* ad II. Georg. ejus aquam animalia quæ potaverint, albos fœtus creant. *Virg.* loco dicto:

Hinc albi, Clitumne, greges. —

Propert. lib. II. eleg. XIX.

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco

Integit, & niveos abluit unda boves.

Plin. lib. II. cap. CIII. *Sil. Italic.* lib. I. fluvius ille egeritur e Vadimonis lacu, qui hodie *Lago de Bassanello*, ut docet *Scalig.* ad *Propert.*

14. *Grandi ministro.*) Popas *ministri* nomine appellatos legenti obvium est.

14. *Ferienda*) hostia primum securi, aut clavis cædebatur. Deinde prostrata suppositis cultris jugulabatur. *Turneb.* Adversf. lib. XV. cap. XII. *Ferire* autem sacrorum verbum. *Ovid.* I. Fast.

Hostia cælitibus quo feriente cadit.

Et VII. Metam.

— *Feriuntque secures*

Colla torosa boum. —

Horat. ode XVII. lib. II.

Nos humilem feriemus agnam.

15. *Ob reditum.*) Pro ituris enim vota suscipiebant, quæ in reditu solvebant.

18. *Cœlum abscondere tenebræ Nube una.*) Virgil.

Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque

Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Ovidius:

Omne latet cœlum, duplicataque noctis imago.

Statius lib. V. Theb.

— *Et raptum ab omni*

Sole diei miscet tenebras.

Lucan. V. Pharsal.

— *Latet obsitus aer.* &c.

19. *Ignis.*) An fulguris? minime. Nam is accidit præter fulguris ictum evasis. Quis ergo *ignis*? Solitarius ille fratrum Helenes. De quo *Plin.* lib. II. cap. XXXVII. *Graves, cum solitarii veniunt, mergentesque navigia, &, si in carinæ ima deciderint, exurentes.* contra cum conjuncti illi fratres, *salutaris*, isque Nostris dicitur, *le feu S. Elme*, de quo *Theocrit.* in Dioscuris. *Horat.* lib. I. Carm. ode III. & XII.

21. *Attonitus.*) *Seneca* Natural. Quæst. II. cap. XXVII.

Naufragium velis ardentibus. omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas. genus ecce aliud discriminis audi,
Et miserere iterum, quanquam sint cetera sortis
Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit & nostro similis fortuna Catullo.
Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem: decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se

Eunu-

XXVII. *Quidam vero vivi stupent, & in totum sibi excidunt; quos vocamus attonitos, quorum mentes sonus ille cœlestis loco pepulit.*

21. *Nullum Naufragium velis ardentibus.*) Non debere perire aqua, quoniam ignis omnia consumebat.

VET. SCHOL.

23. *Si quando poetica surgit.*) id est, Tales tempestates contingunt navigantibus, quales fingere solent Poetæ, *magnæ*.

25. *Cetera sortis Ejusdem.*) id est Naufragii.

27. *Et quam votiva.*) quam naufragio liberati ponunt. Antiquitus enim solebant, qui naufragio liberati essent, pro voto pingere *tabellas*, & in *templo Isidis* ponere.

28. *Pictores quis nescit ab Iside pasci.*) quod in templis figendas tabellas pingunt.

31. *Alternum puppis.*) * Latus dabat navis & arbore coacta.

33. *Rectoris.*) Gubernatoris.

33. *Decidere jactu.*) De periculo & de vita cœpit pacisci cum ventis: & jacturam mercium facere.

34. *Imitatus castora.*) *Castorem*, bebrum dicit, qui cum viderit se obsideri, & non posse evadere, testiculos suos morsu avulsos projicit. Intelligit enim ob hanc rem se capi: quia ad medicamina valde sunt necessarii.

GRANG.

23. *Poetica surgit Tempestas.*) Qualis describitur a *Virg.* I. Æneid. *Lucano* v. Pharsal. *Statio* Theb. v. *Ovid.* in Met. & lib. I. de Tristib. *Valerio Flacco* Argonaut. I. *Homero* v. & IX. & XII. Odyss.

28. *Pictores quis nescit ab Iside pasci.*) *Isidis* tutelæ, ut *Lucian.* asserit, commissi navigantes. Hinc, qui in mari detinebantur, vovebant, si maris præsenti periculo liberarentur, in *Isidis* templo tabellam *pictam*, quæ casum periculi contineret, se appensuros. *Horat.* carm. I. ode v. & in Arte. neque tantum navigantes, sed & aliquo detenti morbo id votum faciebant. *Tibull.* eleg. III. lib. I.

— Nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

30. *Alveus.*) Heic pro navi, ut apud *Ovid.* III. Fast.

Assiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, & canas alveus haurit aquas.

Veteres Glossæ: *Alveus*, σκάφη. Hinc ridiculus *Servius*, qui de *alveo* fluminis hunc locum *Virg.* intelligit:

— Simul accipit alveo
Ingentem Æneam. —

Propert. lib. III. eleg. VI.

Portabat sanctos alveus iste viros.

30. *Fluctu*) decumano.

32. *Arboris.*) *Arbor* simpliciter de malo. Petron. *Non arbor erat relicta.* Sic *l.* III. *ad lege Rhod. de jactu.* & *l.* V. & VI. *eodem.* Virg. *arborem mali* dixit lib. v.

33. *Rectoris.*) Virg. v.

Ipse gubernaclo rector subit. —

33. *Jactu.*) Proprie. toto titulo *ad l. Rhodiam de jactu.* Hinc *jacturam facere.* quod coactus metri necessitate *fundere* dixit infra.

34. *Imitatus castora.*) de quo *Aristot.* lib. VII. cap. V. Hist.

Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcerrima, vestem
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adjuvat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci.
Adde & bascaudas, & mille escaria, multum

v. Hist. Anim. *Aesopus* in Apologis. *Aelianus* lib. vi. cap. xxxiii. *Plin.* lib. xxxvii. cap. vi. lib. viii. *Tertul.* adversus Marc. *Servius* ad i. Georg. *Apul.* Miles. i.

VET. SCHOL.

37. *Fundite, quæ mea sunt.*) Projicite in mare res meas.

42. *Et Bæticus adjuvat aer.*) id est, Spanas *Bæticas.*

44. *Parthenio factas.*) Cælatoris nomen.

44. *Urnæ cratera capacem.*) Grandem scilicet, qui urnam posset capere.

45. *Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci.*) Uno de Centauris: vel uxore *Fusci*, quæ ebriosa fuit.

46. *Adde & bascaudas.*) Vasa, ubi calices lavabantur, & cacabus.

GRANG.

36. *Medicatum inguen.*) *Alciat.* Emblem. CLII.

Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit.

Plin. lib. VIII. cap. XXXII. *Easdem partes sibi ipsi amputant fibri periculo urgente, ob hoc se peti gnari.* Hinc *Alciatus*:

— *Atque abicit gnarus ob illa peti.*

quod si iterum a Venatoribus petatur, erigit se & ostendit nihil exspectandum amplius. *Sestius* tamen id esse falsum asserit apud eundem *Plin.* lib. XXXII. cap. III.

38. *Vestem aptam Mæcenatibus.*) Vide *Senec.* epist. CXIV. *Poeta* de illo:

Improbe, quid tandem tunica nocuere solutæ,
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

40. *Atque alias*) vestes non arte, sed natura graminis, vique occulta *Bætici* fluminis, & aeris infectas nativo veneno; quas Græci αὐτοφυεῖς vocant. Hinc color *Bæticus*, qui & *spanus color*, nam *Spaniam*, pro *Hispaniam* usurpant; Nostris, *couleur de garance.* De hoc nativo colore *Bætico* multis locis *Martial.* Ut lib. v. epig. XXVIII. lib. XII. epigr. LXIV. & epigr. C. lib. XIV. epigr. CXXII. *Virg.* Eclog. x. *Plin.* lib. VIII. cap. XLVIII.

41. *Egregius fons.*) *Fons* pro flumine Bætico. *Bætis* enim fluvius dedit nomen *Bæticæ* regioni Hispaniæ, quæ hodie *Andaluzia* dicitur: Fluvius vero hodie *Guadalquivir* ab Hispanis nuncupatur, quod nomen *Arabicum* est, & idem significare, quod *fluvium magnum* docet *Vasæus.*

44. *Parthenio*) sculptore, de quo *Plin.*

44. *Cratera Dignum sitiente Pholo.*) Locus desumtus ex *Stesichoro* Lyrico Poeta, qui Centaurorum, & Lapitharum convivium describens, ait *Pholum* implevisse Herculi *craterem* trium lagenarum capacem, quem prior ipse obbibisset. Amplum fuisse autem oportuit, qui *urnam*, hoc est, viginti & quatuor sextarios caperet, ut & τελλάγυνοι. Verba autem *Stesichori* ista sunt:

Σκύφιον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς
τελλάγυνον
Πῖεν ἐπισχόμενος τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος
κεράσας.

Hercules acceptum in manus scyphum plenum trium lagenarum capacem, ori admovens obbibit, quem Pholus ipsi infuderat. *Adrian. Jun.* lib. IV. cap. V.

46. *Bascaudas.*) Vasa *escaria* Anglica: De quibus *Martial.* lib. XIV. epigr. XCIX.

Cælati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusque salutem?
Non propter vitam faciunt patrimonia quidam,
Sed vitio cœci propter patrimonia vivunt.
Jactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna levant. tunc, adversis urgentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro summitteret, ac se
Explicat angustum, discriminis ultima quando
Præsidia afferimus, navem factura minorem.
I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda!

Mox

46. *Escaria.*) Correxit in Nomenclatore *Junius*, *Escalia.*

46. *Multum Cælati.*) hoc est, *Multas* pateras aureas, easque *cælatas.*

VET. SCHOL.

47. *Pallidus emtor Olynthi.*) *Philippus* pater Alexandri magni, cui *Olynthum* Macedoniæ civitatem Lasthenes & Eutycrates prodiderunt: qui cum a Philippo *proditores* se nuncupari sæpe audissent, vitam laqueo finierunt.

51. *Sed vitio cæci.*) id est, Multi sunt, qui ob hanc caussam colligunt patrimonia, tantum ut habeant, non tamen ut utantur, sed avaritiæ satisfaciant.

53. *Tunc adversis.*) Absolute, quod *adversa* sint naufragantium fata.

54. *Recidit, ut malum ferro.*) Res pervenit ad hoc, ut arborem succideret, & per hoc breviorem faceret.

54. *Ac se Explicat.*) Sensus hic est: Ultima præsidia angustum discrimen habent, post ejectionem rerum omnium, ut facias *navem minorem.* Fit autem *minor navis*, sublata arbore, id est, levis.

57. *I nunc.*) Castigatio ab exemplorum eventu.

58. *Digitis a morte.*) Cum inter te & *mortem quatuor* sit *digitorum* distantia.

59. *Si sit latissima tæda.*) id est, navis de pinu, pro qualibet posuit materia, ut:

Pinea silva mihi. —

GRANG.

47. *Quo*) cælato auro; sive, quibus pateris aureis cælatis.

47. *Emtor Olynthi*) Philippus Macedo, cui Lasthenes *Olynthum* urbem prodidit numerata pecunia. *Demosthenes* contra Æschinem. *Servius* ad illud VI.

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges precio atque refixit.

Licet, inquit, hæc generaliter dicantur, habent tamen specialitatem: nam Lasthenes *Olynthum* Philippo vendidit. Solitus autem *emere* civitates Philippus. *Seneca* epist. XCIV. *Olynthos* autem urbs sita inter Athon montem, & Pallenen urbem, quæ ab *Herodoto Scithonia* in Polyhymnia.

49. *Argento præferre caput.*) Ut Aristippus, qui, cum una eademque navi cum piratis esset, omnes pecunias de industria in mare projecit. Se simulans imprudenter id fecisse: præviderat enim, se ab iis propter pecuniam præcipitem datum iri. Hinc recte *Auctor* Apologorum: *Τὸν ἀνθρώπων εἰ φρόνιμοι ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας ἴδια λόγον χρημάτων ποιοῦσι.*

53. *Damna.*) Quæ propria rei, ut mala hominis quæ *demendo.*

53. *Levant*) navim.

54. *Illuc Recidit.*) MS. meus *decidit*, vere & qua ratione dicunt Nostrates, *il en vint là*

57. *I nunc.*) *Propert.* lib. III. eleg. III.

Ite rates curvæ, & leti contexite caussas:
Ista per humanas mors venit acta manus.

Seneca Medeæ act. III.

Ite nunc, ventis fortes perarate pontum
Sorte timenda. —

Petronius: *Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete!*

57. *Ventis animum committe.*) Corrige *animam*, hoc est vitam. *Committimus* autem magna, & quæ salutem in dubio habent, ait *Donatus.*

59. *Dolato*

Mox cum reticulis, & pane, & ventre lagenæ
Adſpice ſumendas in tempeſtate ſecureis.
Sed poſtquam jacuit planum mare, tempora poſtquam
Proſpera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago; poſtquam Parcæ meliora benigna
Penſa manu ducunt hilares, & ſtaminis albi
Lanificæ: modica nec multum fortior aura
Ventus adeſt: inopi miſerabilis arte cucurrit

Veſtibus

59. *Dolato confiſus ligno.*) hoc eſt, navi. Sic *Seneca* Medea:

Potuit tenui fidere ligno.

59. *Quatuor, aut ſeptem.*) Unde *Dio Chryſoſtomus* orat. II. de Fortuna, vocat navem τριδάκτυλον ξύλον πεύκινον, trium digitorum tabulam abiegnam. ſecundum *Anacharſidis* dictum, cum enim ſciret ὅτι τέσσαρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεώς: τοσοῦτον ἔφη θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν, *navis tabulam latam eſſe quatuor digitis, dixit eos, qui nave veherentur illa, totidem digitis diſtare a morte.* *Ovid.* Amor. eleg. XI. de nauta:

Qui prope tam letum, quam prope cernit aquam.

Hinc poſt *Anacharſidem* a *Seneca* poeta ſtatuuntur navigantes:

Inter vitæ mortiſque vias.

Verum non tantum in mari, ſed & ubique locorum, non longius a morte ſumus. *Seneca* Philoſophus epiſt. XLIX. *Erras, ſi in navigatione tantum exiſtimas minimum eſſe, quo a morte vita diducitur, in omni loco æque tenue intervallum eſt.* *Petronius* in Satyr. *Non ſola mortalibus maria hanc fidem præſtant, illum bellantem arma decipiunt, illum Diis vota reddentem Penatum ſuorum ruina ſepelit, ille vehiculo lapſus properantem ſpiritum excuſſit, cibus avidum ſtrangulavit, abſtinentem frugalitas: ſi bene calculum ponas, ubique naufragium eſt.*

59. *Latiſſima tæda.*) *Tæda* hic pro tabula: nam nomen eſt πολυώνυμον, nunc pingue reſinoſum, & pingue lignum ſignificans, τὴν δᾷδα, quod lucernæ, candelæve loco uritur; nunc arborem ſui generis, de qua *Plin.* lib XVI cap. X. Putarem tamen heic *tædam* ſumtam pro *tabula pinea*, quod potiſſimum naves e *pinu*. *Virg.*

— *Dant utile lignum*
Navigiis, pinos. —

VET. SCHOL.

60. *Mox cum reticulis & pane.*) Quod nautæ ſibi ſcilicet adſumtum viaticum ponunt.

61. *Adſpice ſumendas.*) Inter ſitarchiam & *ſecurem* neceſſariam putato ad navem vehendam.

62. *Sed poſtquam jacuit planum mare.*) Tranquillum factum eſt, & fatum vectoris ſuperavit ventum & mare.

64. *Parcæ meliora benignæ.*) Fata mitiora.

65. *Et ſtaminis albi Lanificæ.*) non mortem minitantia.

67. *Ventus adeſt.*) Ventus proſperus.

GRANG.

60. *Reticulis, & pane.*) hoc eſt reticulo panis. *Horat.* ſatyr. I.

61. *Aſpice ſecures.*) Præter vulgatum ſenſum poteſt ſic & hic locus explicari: Cogita media in tempeſtate de Romanis aſſequendis honoribus, quomodo & *Petron.* de Licha: *Hæc ſunt conſilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum*, &c. *Secures* enim pro magiſtratibus ſumi dicere ſuperfluum videtur. Vide inter alios *Horat.* ode II. lib. III. *Tibull.* eleg. I. lib. IV.

62. *Poſtquam jacuit planum mare.*) *Cum placidum ventis ſtaret mare.* Nam ut *jacere* dicitur *mare*, ſic & ſurgere cum turbidum.

65. *Ducunt penſa.*) *Seneca* in Claudii ludo:

— *Felicia vellera ducunt.*

65. *Staminis albi.*) Nam & Parcarum aliud *ſtamen nigrum* mali ominis.

66. *Lanificæ.*) *Martial.* lib. VI. epigr. LVIII.

Si mihi lanificæ ducunt non pulla ſorores
Stamina. —

Lanificarum picturam videſis apud *Catull.* de Nuptiis Pelei & Thetidos ſub finem.

66. *Fortior aura Ventus.*) *Iſidor.* *Aura* ab *aere* dicta, quaſi *aerea*, quod levis ſit *aeris* motus. Tamen aliquando *aura* pro vento etiam vehementiori. *Virgil.*

Aſpice, ventoſi ceciderunt murmuris auræ.

Et *Propertius*:

Aſpice, quam ſævas increpat aura minas.

67. *Miſerabilis prora.*) ut quæ malo, velis ceteriſque partibus deſtituta.

67. *Cucur*

Vestibus extentis, &, quod superaverat, unum,
Velo prora suo: jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum Sole redit: tum gratus Iulo,
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex: cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Tan-

67. *Cucurrit.*) Quod & navibus attribuitur. *Virgil.*

Currit iter tutum non secius æquore classis.

Propert. lib. I. eleg. XIV.

Et modo tam celeres mireris currere lintres.

Sic & *ambulare* naves dicuntur *Catoni* cap. I. de Re Rust. *Prope siet mare, aut amnis, qua naves ambulent.*

VET. SCHOL.

68. *Vestibus extentis.*) Funibus: aut, *vestibus*, velis accipe, aut quod dicunt artemonem.

69. *Velo prora suo.*) id est, Artemone solo velificaverunt.

71. *Atque novercali sedes.*) Albam longam significat: quam condidit Julus Ascanius: concessa *novercæ* sui nominis civitate, id est *Lavinio*.

72. *Cui candida nomen Scrofa.*) Montes Albanenses.

73. *Miserabile sumen.*) Aut, *mirabile*, quia triginta fœtus habuit: aut, *miserabile*, quod *miseratum* sit Phrygibus.

74. *Et nunquam visis.*) Nunquam inventa cum triginta mamillis.

GRANG.

68. *Vestibus extentis.*) non *velis*, quæ igne adusta, sed vestibus nautarum expensis una cum *velo* proræ, quod forte tunc restabat. *Velum* autem illud minimum omnium est, quod *dolon* Latinis dicitur, nostris *le trinchet*: *Velum* vero ad puppim *epidromus*, nostris *la mezane*. *Acatium* vero, sive *Artemon* velum minus est.

68. *Quod superaverat.*) Restiterat. *Ovid.* Trist. el. II. lib. V.

— *Satis pœnæ, quod superabit, erit.*

Nonius in *Superare*.

70 *Cum Sole redit.*) Sic post tempestatem Neptunus apud *Virgil.*

70. *Cum Sole redit.*) Sic post tempestatem Neptunus apud *Virgil.*

Collectasque fugat nubes Solemque reducit.

70. *Tum*) reducto Sole.

70. *Gratus Iulo*) *Ascanio* Æneæ filio. Mons Albanus *gratus*, quia illius sedes fuit. Sic *Horat.* Antium *gratum* vocat od. I. quod Augusto ejus secessus *gratus* fuisset.

71. *Sedes prælata.*) *Virgil.* I. Æneid.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque a sede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet Albam.

71. *Lavino novercali.*) Livius: *Oppidum condunt, Aeneas a nomine uxoris Lavinium vocat.* *Virg.* XII. Æneid.

— *Mœnia Teucri*
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.

Lavinia igitur noverca Juli Æneæ filii, unde *novercale Lavinium*.

72. *Conspicitur.*) *Virg.* III. Æneid.

Quarto terra die primum se attollere tandem,
Visa aperire procul montes, & volvere fumum.

72. *Sublimis apex.*) Mons Albanus.

72. *Cui Candida nomen Scrofa dedit.*) *Propert.* lib. IV. eleg. XXIII.

Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,

Vide *Varronem* IV. de ling. Lat. *Livium* lib. I. *Virg.* III. Æneid.

72. *Candida Scrofa.*) quam tamen *nigram* facit *Lycophron*, & propterea merito reprehensus a *Tzetze*

73. *Lætis Phrygibus.*) quoniam

Is locus urbis erat, requies ea certa laborum.

74. *Triginta clara mamillis.*) Virg.

Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba solo recubans, albi circum ubera nati.

Varro II. de Re Rust. cap. XIV.

74. *Mamillis.*) Pro porcis: Non enim tot habebat *mamillas*, quod porcos. *Varro* loco supradicto: *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat; si minus pariat, fructuariam idoneam non esse; si plures pariat, portentum.* In quo illud antiquissimum fuisse scribitur,

Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum,
Quæ Pelago currunt medio, longeque relinquunt
Italiam. non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit: sed trunca puppe magister
Interiora petit Bajanæ pervia cymbæ.
Tuti stagna sinus. gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.

Ite

bitur, quod sus Æneæ Lavini *triginta* porcos peperit albos, itaque quod protenderit factum *triginta* annis, ut Lavinienses condiderunt oppidum *Albam*. *Alba* hodie *Savello*.

VET. SCHOL.

75. *Inclusa per æquora moles.*) Portum Augusti dicit, sive Trajani.

76. *Porrectaque brachia rursum.*) Quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius, & interius tutiorem sui nominis fecit.

77. *Quæ Pelago currunt.*) Intrant mare, & admittunt terram solidam.

78. *Non sic igitur mirabere.*) id est, Non sunt ita mirandi portus naturales, quam qui manu fiunt.

79. *Trunca puppe magister.*) Truncata nave.

82. *Garrula securi.*) Quia libenter frequentius narrant tempestatem perpessi, postquam devenerunt in portus securi.

GRANG.

75. *Tandem intrat*) portum Hostiensem, cujus constructio debetur Claudio Imperatori, cum antea Julius Cæsar propter difficultatem operis omisisset. *Sueton.* in Claudio cap. XX.

75. *Moles.*) Portus. Nos ita, *le mole du port.*

76. *Tyrrhenamque Pharon.*) De qua sic *Sueton.* *Ad introitum profundo jam solo* (seu *salo*, ut legit *Casaubon.*) *mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.*

76. *Porrectaque brachia.*) *Sueton.* loco citato: *Portum Ostiæ exstruxit circumducto dextra sinistraque brachio.* *Ovid.* I. Metam.

— *Nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

76. *Rursum porrecta.*) Errant, qui ab alio, puta Trajano hunc portum auctum, ad quod τὸ *rursum* referre volunt. Imo *rursum* illud ostendit, ultra Pharon *rursum exporrecta* seu continuata brachia portus: Nam ad ejus introitum turris exstructa.

80. *Interiora petit Tuti stagna sinus*) *Portum* petit *interiorem*. *Petere* autem *portus*, *Virgilianum* est ut lib. V.

80. *Bajanæ pervia Cymbæ.*) Quod mare ita tranquillum est, & pacatum, ut *Bajana cymba* ipsum tuto pervadere possit.

81. *Stagna.*) Nam *Servio*, *stagnum* est *stans aqua* vel profundum maris; Hinc autem pro mari.

81. *Vertice raso.*) Ritus antiquus in mari urgente tempestate & desperata salute *capillos radere*. *Petron.* in satyr. *Audio non licere cuiquam mortalium in nave nec ungues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur.* Hinc, ut censet *Casellius* Variar. II. cap. IX. *D. Paul.* Actuum XXVII. his verbis usus est: Διὸ παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς, τοῦτο γὰρ πρὸς τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὑπάρχει. οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. i. *Propterea hortor vos, ut sumatis cibum, hoc enim ad salutem vestram pertinet, quia nullius vestrum capillus de capite cadet.* Sic *Artemidorus* in Onirocriticis, *rasuræ* somnium portendere ait navis submersionem, quod naufragi *radi* consueverint, ut *rasura* periculi magnitudinem aliis patefaciant, ut nautæ *Catulli* fecerunt. Verum non tantum in naufragio, sed fere in omni luctu multis populis sese *radendi* consuetudo fuit, ut videre est in sacris Paginis, ut apud *Esaiam* cap. VII, & XV. *Hieremiam* XLVIII. vide *Adrian. Junium* lib. de Coma.

81. *Gaudent securi narrare pericula.*) *Euripides* recte igitur dixit:

Ὡς ἡδὺ τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Seneca epist. LXXVIII. *Quod acerbum fuit, retulisse jucundum est, naturale est mali sui fine gaudere.* *Macrob.* lib. VII. cap. II. *Pericula quoque præterita, vel ærumnas penitus absolutas qui evasit, ut referat, gratissime provocatur.*

Ite igitur pueri, linguis, animisque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris,
Ac molleis ornate focos, glebamque virentem:
Jam sequar, & sacro, quod præstat, rite peracto,
Inde domum repetam, gracileis ubi parva coronas
Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Heic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Tura dabo, atque omneis violæ jactabo colores.

Cuncta

82. *Nautæ securi*) a tempestate, dum terram appulerunt.

82. *Garrula pericula.*) An pro *garrulis* nautis? an quod, qui evaserunt aliquod periculum, multoties de eo *garriant*?

VET. SCHOL.

83. *Sertaque delubris.*) Coronas immolatis hostiis.

85. *Ac molles ornate focos.*) *Molles focos* Deorum dicit, qui de *ture* facti sunt.

86. *Et sacro, quod præstat, rite peracto.*) Sacrificio completo.

88. *Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.*) Incerato signa Deorum.

90. *Atque omnes violæ jactabo colores.*) *Violæ* nam multorum sunt *colorum*, purpureæ, albæ, aureæ.

GRANG.

83. *Linguis, animisque faventes.*) Formula in sacris: *Favete linguis*, de qua *Brisson.* I. de Formul. Utrumque conjunxit *Ovid.* I. Fast.

Prospera lux oritur, linguisque animisque favete.

Quid autem *favere linguis*, explicat *Seneca* de Vita Beata cap. XXVI. *Quotiens sacra mentio literarum intervenerit, favete linguis. hoc verbum non, ut plerique existimant, a favore trahitur, sed imperatur silentium, ut rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.*

83. *Ite faventes.*) More Græco. *Budæus* in commentar. ling. Græcæ.

85. *Farra imponite cultris*) cum sale. *Serv.* ad illud II. Æneid.

— *Et salsæ fruges.*

Sal & *far* inquit, quod dicitur *mola salsa*, qua & frons victimæ, & foci aspergebantur, & *cultri*.

85. *Ornate focos.*) Vittis aras cingite. *focus* hic pro ara, quæ vittis circumdari solita. *Propert.* lib. IV. eleg. VI.

Terque focum circa laneus orbis erit.

Hinc *molles focos* dixit, quod *mollibus vittis* cingerentur, & *ornarentur*. *Virgil.* Ecl. VIII.

Affer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

Mollis autem *vitta*, quia lanea: Lanæ autem epithetum, *mollis*

85. *Focos, glebamque.*) Aras cespite conductas. hendiadys, figura *Poetæ nostro* frequentissima.

86. *Sacro rite peracto.*) *Virgil.* IV. Æneid.

Sacra Jovi Stygio quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus. —

87. *Coronas graciles.*) Sic satyr. IX.

— *Tenui soleo exorare corona.*

88. *Nitentia cera simulacra.*) Lares. quos propterea *Horat.* vocat *renidentes*, Epod. od. II. ubi *Marcilius*.

89. *Nostrum Jovem.*) Latium, aut faventem. *Propert.* eleg. XI. lib. III.

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin.

90. *Thura dabo.*) ut satyr. IX.

— *Quos thure minuto* &c.

90 *Omnes jactabo colores.*) *Colores* heic pro *violis* diversicoloribus. Sic *Virgil.* in Pharmaceutria, *colores* posuit pro filis diversi & varii *coloris*:

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.

Diversi autem *coloris* sunt *violæ*. *Virg.* ipse in Ciri:

Et violæ omne genus. —

Est enim τὸ ἴον λευκόϊον viola alba, τὸ μελάνιον nigra, τὸ λευκόϊον matronalis, τὸ φλόγινον flammâ aut flammula.

90. *Longos ramos.*) Non sine caussa *longos ramos* dixit. Interdum etenim integræ arbores suspendebantur januis. Habes exemplum apud *Catull.*

— *Namque ille tulit radicitus altas*
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaethontis, & aeria Cyparisso,
Hæc circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.

90. *Janua erexit ramos.*) Qua ratione *Propert.*

Janua mutavit lectum. —

91. Longos

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine: Catullus,
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. libet exspectare, quis ægram
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. verum hæc nimia est impensa: coturnix
Nulla unquam pro patre cadet. sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita, & Paccius, orbi:

100 Legi-

VET. SCHOL.

91. *Longos erexit janua ramos.*) Coronatæ januæ lauro.

92. *Operantur festa lucernis.*) Sacrificant. ut Virgilius:

— *Lætis operatus in herbis.*

94. *Tot pono altaria.*) Sacrificia id est, Ne me putes hac humanitate hæreditatem adpetere: tres habet filios.

95. *Libet exspectare.*) Mirum est nam, ut amico filios habenti, aliquis amicorum tam impensius obsequatur, cum hæc pro hæreditate captanda fieri soleant.

97. *Coturnix Nulla.*) Ironiam ad sterilitatem retulit. Occiditur pro patre febricitante, non, ut dicam, pro amico paupere.

98. *Sentire calorem.*) Aegrotare.

GRANG.

92. *Operatur.*) Alii *operitur. Lips.* Elect. I. cap. III. *Ajunt in his versibus, operandi verbum referri ad sacra; & per* lucernas *significari diem. itaque hoc velle Poetam, ob reditum incolumis amici, sacra se facturum tempore matutino. Albæ mentes, sive qui hæc scribunt, sive qui credunt! scilicet* janua operari *sacris potuit (de illa enim loquitur) aut exemplo probabunt* lucernam, *quæ noctis nota, significare diem. Rideo albis dentibus, cum hæc lego. At vocis unius correctione, quam plana res? nam scribendum:*

Et matutinis operitur festa lucernis.

Operitur, id est, tegitur, vestitur, ut alibi:

Legitime fixis vestitur tota tabellis,
Porticus. —

Morem seculi sui expressit *Juvenal.* quo in omni publica, privataque lætitia receptum, *januam ornari lauro & lucernis.* Quod probat multorum testimoniis, in primis *Tertul.* in Apologet. *Cur die læto non laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus?* & ad Uxorem lib. II. Nuper *Lutetia* vidit fenestras suas *lucernatas* fausto sponsaliorum Ludovici Regis auspicio.

94. *Pono altaria.*) ut & Virgil. *ponere templa.*

95. *Tres habet hæredes.*) & proinde non amicus captatoribus. *Ipse* satyr. V.

— *Dominus tamen, & domini rex*
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo.
Jucundum & carum sterilis facit uxor amicum.

Martial. facete epig. LVI. lib. XI.

Hortatur fieri, quod se Lupus; Urbice, patrem,
Ne credas; nihil est, quod minus ille velit.

Petronius: *In hac urbe* (Crotona) *nemo liberos tollit; quia quisquis habet suos hæredes, nec ad cœnas, nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos habitat. qui vero nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt.*

95. *Quis ægram*) pituita, qua potissimum laborant. *Plin.* lib. X. cap. LVII.

97. *Tam sterili.*) aut Ironicos *sterilis amicus* dicitur, qui habet tres filios; aut *sterilis*, ex quo hæredipeta nil referre queat.

97 *Coturnix Nulla cadet.*) Tibullus:

Agna cadet vobis. —

98. *Calorem.*) Minusculam febriculam. Vide *Lips.* Epistolic. Quæst. II. epist. VI. & commentar. ad *Senec.* Philosoph.

99. *Gallita*) *Crispilina.* De qua *Tacit. Mox potens pecunia & orbitate; quæ bonis, malisque temporibus juxta valent.*

99. *Paccius*) *Orphitus.* De quo idem *Tacit.* meminit, & *Martial.* lib. XIV. epigr. LXXVIII. Sed *Pactium*, non, *Paccium*, vocat.

Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus. existunt, qui promittant hecatomben:
Quatinus heic non sunt, nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam sub nostro sidere talis
Bellua concipitur: sed furva gente petita
Arboribus Rutulis, & Turni pascitur agro
Cæsaris armentum, nulli servire paratum
Privato: siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali, & nostris Ducibus, Regique Molosso,
Horum majores, ac dorso ferre cohorteis,
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turrem.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Istram
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante Lareis Gallitæ victima sola,

De

VET. SCHOL.

100. *Legitime fixis.*) id est devotis precibus impletur.

101. *Existunt, qui promittant hecatomben.*) *Hecatomben promittunt*, ut moriantur illi, a quibus se hæredes scribi poscunt. alii vero comperto hoc, quod pro ipsis vota faciunt, hæredes eos scribunt.

102. *Nec venales elephanti.*) quos immolet.

104. *Sed furva gente.*) nigra, de India.

105. *Arboribus Rutulis.*) Apud Lavinium, id est: in Hetruria.

106. *Nulli servire paratum.*) nisi regi.

107. *Siquidem Tyrio.*) Et Ipse dicit:

Cum Gætula ducem portaret bellua luscum.

108. *Regique Molosso.*) *Pyrrho* Epirotarum regi, qui pro Tarentinis adversum Romanos bis pugnavit, & victus bis exutus est castris. ex cujus nomine est *Pyrrhica*. Et ipse *elephantis* vectus est per triumphum.

109. *Ac dorso ferre cohortes.*) *Elephantis* nam pugnabant.

11. *Nulla igitur mora per Novium.*) id est, Nulla mora erit hæredipetis, si etiam hoc genus emere liceat & immolare, quin & ipsum faciant.

115. *Alter enim si concedas.*) id est, Etiam aliquanti Deis, si liceret, de servis sacrificium facerent.

GRANG.

101. *Hecatomben.*) Sacrificium centum boum. Alii per *hecatomben* intelligunt sacrificium ἐξ ἑκατὸν βασέων, id est, ποδῶν, in quo immolarentur animalia viginti quinque, quorum pedes numero centum.

102. *Quatenus.*) Quoniam. *Cornel. Fronto*: *Quatenus*, qua fine; *quatinus*, quoniam. *Quatenus* tamen legendum affirmat ad *Sueton* Claud. *Casaub.*

104. *Furva de gente.*) Ex Mauritania, & India, ubi *nigri* incolæ.

105. *Arboribus Rutulis, & Turni agro.*) Circa Ardeam, quæ *Rutulorum* metropolis, quorum rex *Turnus*.

106. *Cæsaris armentum.*) Non privatorum elephantes, sed solius Imperatoris.

107. *Tyrio Hannibali.*) Carthaginensi. Sic *Virg.* de Carthagine:

— *Tyriam qui adveneris urbem.*

quod *Tyria Dido* eam fundasset. Hinc & Carthaginenses *Tyrii*.

108. *Nostris Ducibus.*) ut Curio Dentato, qui primus duxit *elephantos* in triumpho: Lucio Metello, & reliquis.

108 *Regique Molosso.*) Pyrrho Epirotarum Regi. *Molossi* etenim, teste *Plinio* præfat. lib. IV. inter *Epiri* populos numerantur. Hodie *Molossorum* regio *Pandosia*. De *Elephantis* autem Regis Pyrrhi *Livius*, & *Plinius* lib. VIII. cap. VI.

109. *Dorso ferre cohortes.*) Turres, in queis *cohortes* militum.

109. *Cohortes Partem aliquam belli.*) In bello multæ legiones: legionis autem unius decima pars *cohors*.

111. *Mora Nulla per Istram.*) Sic satyr.

— *Mora nulla per illam*

112. *Illud ebur.*) Elephas. *Ebur* pro *Elephante*, cum illius dentes proprie *ebur*. Vice versa *Virg.* Elephantum pro ebore III. Georg & VI. Æneid.

118. *Et*

Tantis digna Deis, & captatoribus horum.
Alter enim, ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna aut pulcerrima quæque
Corpora, vel pueris, & frontibus ancillarum
Imponet vittas, &, ſi qua eſt nubilis illi
Iphigeneia domi, dabit hanc altaribus; etſi
Non ſperat tragicæ furtiva piacula cervæ.
Laudo meum civem, nec comparo teſtamento
Mille rates: nam ſi Libitinam evaſerit æger,
Delebit tabulas, incluſus carcere naſſæ,

Poſt

VET. SCHOL.

118. *Et ſi qua eſt nubilis illi.*) Etiam filiam virginem devovet ad ſacrificium, quamvis ſciat, non eam poſſe eripi a Diana, ut *Iſigeniam*.

GRANG.

115. *Vovebit De grege ſervorum.*) Opinio veterum fuit mortem morte poſſe redimi: unde ægrotos poſſe eripi periculo putabant, ſi vitam aliquorum, ægrotorum loco projeciſſent. *Sueton.* in Calig cap. XIV. *Ut vero in adverſam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt, qui depugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito voverent.* Vide *Caſaub.* ad locum *Sueton.* ſupra dictum.

118. *Imponet vittas.*) Victimæ enim *vittis* coronabantur. *Ovid.* inter alios in Ibin:

Tu quoque quid dubitas ferales ſumere vittas?

119. *Iphigenia.*) Filia virgo, qualis *Iphigenia* Agamemnonis nuptiis & viro matura.

120. *Non ſperat &c.*) Quamvis non ſperet filiæ loco *ſupponi cervam*, ut accidit Agamemnoni, Dianæ beneficio: unde *Martial.*

Suppoſitam fama eſt quondam pro virgine cervam.

Propert. eleg. XXII. lib. III.

Nec ſolvit Danaas ſubdita cerva rates.

Ovid. XII. Metam.

Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerva.

Et eleg. IV. lib. IV. Triſt.

Hoc pro ſuppoſita virgo Pelopeia cerva.

Euripides vocat ἔλαφον ὀρειδρόμον, hoc eſt, *cervam montivagam.* Sunt tamen, qui in *urſam*, alii in *juvencam*, in *anum edentulam*, in *Hecaten*, & ſimilia. *Virginem* tamen *caſam* aſſerit *Virg.* II. Æneid.

120. *Tragicæ.*) quod illa *cerva* tragœdorum debeat eſſe argumentum.

122. *Mille rates.*) Numerus *millenarius* non erat completus, ut oſtendit *Varro* II. de Re Ruſt. ſi inquam numerus non eſt, ut ſit ad amuſſim; ut non eſt, cum dicimus *mille naves* iſſe ad Trojam. navium autem enumerationem vide apud *Homerum.* Conſtanter tamen *Poetæ* Latini *mille rates* numerant. *Ovid.* XIII. Metam.

Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ.

Seneca Agamemnon act. I. ſc. I.

— Ductor Agamemnon ducum,
Cujus ſecutæ mille vexillum rates.

Virgil. II. Æneid.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Propert. lib. II. eleg. XXVI.

Et Danaum Euboico littore mille rates.

122. *Libitinam.*) Mortem, ut apud *Martial.* lib. VIII. epig. XLIII. & *Horat.* lib. III. ode ult.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. —

Hinc *Libitinarii ſenes*, prope mortui; *Acherontici*, *Plauto* Bacchid. Quamvis & *Libitinarii* ſint curatores funerum. *Libitina* enim Venus eſt, cujus templum Romæ, in quo, quæ ad funera.

123. *Carcere naſſæ.*) Aeger eſca captus ab hæredipetis, tanquam piſcis in *naſſa*. *Martial.* lib. VI. ep. LXIII.

Munera magna quidem miſit, ſed miſit in hamo,
Et piſcatorem piſcis amare poteſt?

Horat. epiſt. I. ad Mæcenatem:

Excipiuntque ſenes, quos ad vivaria mittunt.

Sic Serm. II. ſatyr. V.

Plures adnabunt thunni. —

Unde *Plaut.* Milite, act. II. ſc. ult.

Nunquam certe ex iſta naſſa ego hodie eſcam petam.

124. Poſt

Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit. ille superbus
Incedet victis rivalibus. ergo vides, quam
Grande operæ precium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum
Exæquet, nec amet quenquam, nec ametur ab ullo!

EXem-

VET. SCHOL.

124. *Post meritum sane.*) Post *Ifigeniam* immolatam non verbo facit hæredem, sed vero.

126. *Victis rivalibus.*) Æmulis hæreditatem captantibus.

127. *Jugulata Mycenis.*) Filia Agamemnonis veluti filia captatoris. *Ifigenia*, Ironia.

128. *Vel Nestora totum.*) Tribus seculis.

129. *Quantum rapuit Nero*) proscribendo.

129. *Montibus aurum Exæquet.*) id est, in patrimonio habendo.

GRANG.

127. *Mycenis.*) *Iphigenia*, hoc est Pacuvii filia, dicta *Iphigenia* sive *Mycenis*, exemplo filiæ Agamemnonis, quæ sacrificata. *Mycenis* autem *Iphigenia* dicta a patria. Supra citatus *Ovid.*

Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.

129. *Rapuit Nero.*) Lege *Sueton.* in Nerone cap. XXXII.

130. *Nec ametur ab ullo.*) Ovidius:

Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRARUM LIBER QUINTUS.

SATYRA XIII.

MORS CRUCIAT PRAVOS: SAPIENS FERT DAMNA MODESTE.

SYNOPSIS. *Depositum sibi amico interceptum, Calvinum querentem consolari nititur; tum, quod non sit adeo tenuis fortunæ, ut tantillæ jacturæ ipsum mergat onus; tum quod multi similes, imo multo majores summas eadem fraude deperdant, hæcque Saturno regnante stupenda fuisse, cujus ævo improbitas fuit admirabilis: non autem hac ætate, quæ ferrea multo pejor est, a nullo metallo nomen habens, in qua numerus bonorum ita exiguus est, ut vix totidem sint boni, quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili: ubi omnia vitiorum genera regnant, quæ tanta constantia vultus a facinorosis denegantur, ut per omnes Deos audacissime pejerent. Quod quidam faciunt, quod nullo rectore moveri mundum, sed omnia fortunæ nutu agi credant. Alii providentiam Deorum fatentur, pœnamque crimina secuturam, sed nummos ipsis, quantumvis gravibus, suppliciis præponunt, ipsamque iram Deorum, ut pœnam ita lentam arbitrantur, nec si velint, omnes punire facinorosos cœlestes, tam cito ad illos perventuros: deinde sibi Numina fore exorabilia persuadent, cum illis ignoscere peculiare sit: multique diverso fato eadem committunt crimina, ita, ut, qui unum idemque commiserit crimen cum alio, diademate coronetur, alius cruci suffigatur. Quæ cum ita sint, gemitus deponere admonet, cum viri flagrantior æquo dolor esse non debeat, claudendaque sit janua accepto damno, ne similis videatur iis, qui majore tumultu plangunt nummos, quam funera, in quibus pleraque ficta; at in hoc casu ploratur lacrimis amissa pecunia veris. nec tanti criminis ultionem requirere undique, cum semper depositi jactura maneret, vindictaque exigui fœmineique animi voluptas, non hominis Philosophi, ut videre est in Chrysippo, Thalete, Socrate, qui accusatori partem acceptæ cicutæ dare noluisses: satis esse pœnarum homini scelerato animum conscium, cujus sola voluntas patitur pœnas, & crimen intra se conceptum facti crimen habeat, quanto magis igitur, si conata peregerit, licet enim a Prætore absolutus sit. tamen se judice nemo nocens absolvitur, & prima est ultio hominis facinorosi, quod primum ipsi proprium displicet crimen: quamvis præter hanc conscientiæ pœnam, a Diis jam missa gravior pœna malos maneat, potissimum eos, qui fraude sacrilega sibi depositum abnegant: quod probat exemplo cujusdam Glauci Spartani, qui tota cum prole exstinctus non solum, quod non reddiderit depositum, sed quod aliquid cogitaverit de eo non reddendo. Unde concludit hunc perfidum perfidiæ & sacrilegæ fraudis pœnam subiturum, eumque tunc istius pœna amara gavisurum, & ingenue fassurum, Deos nec cæcos, nec surdos esse, sed oculos & aures attentas habere ad ea, quæ sunt hominum.*

EXemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. PRIMA est hæc ultio, quod, se
Judice, nemo nocens absolvitur, improba quamvis

Gra-

VETUS SCHOLIASTES.

EXemplo.) Ita male Virtutem esse ait, ut *displiceat crimen ipsi, qui male commisit.*

GRANGÆUS.

EXemplo quodcunque malo.) *Seneca* epist. XLII. *Nulla major pœna nequitiæ, quam quod sibi ac suis displicet.*

2. *Prima ultio*) inter alias: Nam, ut ait *Epictetus* Οὐδεὶς δίχα ἀπωλείας καὶ ζημίας κακός ἐστι. *Nemo sine damno & pœna malus est.*

3. *Nemo nocens absolvitur* &c.) *Isid.* lib. II. de Summo Bono cap. XXVI. *Omnia fugere homo potest, præter cor suum: non enim potest a se quisquam recedere; ubicunque erit, conscientia reatus sui illum non derelinquis, quamvis humana judicia subterfugiat.* D. Amb.

Omnium

Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.
Quid sentire putas omneis, Calvine, recenti
De scelere, & fidei violatæ crimine? sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus: nec rara videmus,
Quæ pateris. casus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, & e medio Fortunæ ductus acervo.
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu, quamvis levium minimam, exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi, quod non reddat amicus
Depositum. stupet hæc, qui jam post terga reliquit

Sexaginta

Omnium egreditur sententias, qui a sua conscientia, sua sententia damnatur. Petronius: *Dii Deæque, quam male est extra legem viventibus! quidquid meruerunt, semper exspectant.* *Macrob.* lib. I. in Somn. Scip. cap. X. *Vulturem jecur immortale tundentem, nihil aliud intelligi volentes, quam tormenta conscientiæ obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis: tanquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis: lege hac, qua* se judice nemo nocens absolvitur, *nec de se suam potest vitare sententiam.* Contra insontes etiam damnati vincunt. *Seneca* IV. de Benef. cap. XXI. *Hic quid aliud sequitur, quam ipsam conscientiam? quæ etiam obruta delectat, quæ concioni, ac famæ reclamat, & in se omnia reponit, & cum ingentem ex altera parte turbam contra sentientium aspexit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit.*

3. *Improba Gratia vicerit urna.*) Supra *D. Isidor.* *Quamvis humana judicia subterfugiat.* De *urnis* autem, & tabulis judicialibus, vide *Apul.* lib. X. & *Ascon.* in Verrinis.

Vet. Schol.

4. *Vicerit urna.*) Nihil prodest corrupisse judicem, vel subposuisse pro sorte.

6 *Sed nec Tam tenuis.*) id est, Aequo animo hoc ferre debes, quia nec tantum pauper es, ut damni, quod contigit, adfligat pondus: nec tibi soli hoc contigit; sed jam apud homines vetus est hæc caussa.

11. *Ponamus nimios gemitus.*) Pone, quod debeas tristari; sed ita, ut oportet secundum damnum.

14. *Spumantibus ardens.*) Flagrantibus, irans.

16. *Stupet hæc, qui jam.*) Interrogative ipsum increpat. hæc seni nova videri non debent.

Grang.

5. *Calvine.*) Fortasse is est *Calvinus*, de quo *Martial.* ep. LXXXIX. lib. VII.

6. *Fidei violatæ crimine.*) Sic appellatur perfidiæ crimen in Jure Civili, ut *l.* I. §. *sed autem*, *D. depositi.*

7. *Mediocris Jacturæ*) decem sestertiorum.

8. *Jacturæ onus.*) Cornel. Fronto: *Dispendium est ponderis, damnum deminutionis, detrimentum usus, jactura oneris, quod e nave jacitur.*

8. *Nec rara videmus.*) Communia illa sunt, sic vivitur, omnes fere depositum inficiantur: nam ut *Theognis*:

Παῦροί τοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον.

11. *Flagrantior æquo Non debet esse viri dolor.*) *Seneca* epist. XCIX. *Est aliquis & dolendi decor. hic sapienti servandus est, & quemadmodum in ceteris rebus, ita & in lacrimis aliquid sat est. Imprudentium, ut gaudia, sic dolores exundavere.*

14. *Spumantibus Visceribus.*) quod signum est vehementioris iræ. *Seneca* I. de Ira cap. I.

15. *Quod non reddat.*) Levitici VI. *Qui negaverit depositum, convictus delicti reddet depositum integrum, & quintam partem amplius.* Jure autem Civili *infamis* fit. *l. qui depositum. D. Depositi. Cod. l.* I. *& l.* VI. §. VI. *de his, qui notant. infam.*

16. *Depositum.*) Quod sic definit *Ulpian.* *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est.* dictum ex

eo,

Sexaginta annos, Fontejo Consule natus?
An nihil in melius tot rerum proficit usu?
Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis,
VICTRIX Fortunæ Sapientia. Ducimus autem
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vita didicere magistra,
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, & partos gladio, vel pyxide nummos?
RARI quippe boni: numerus vix est totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Nona

eo, quod *ponitur*. Præpositio enim, *de*, auget *depositum*: ut ostendat fidei ejus commissum, quod ad cudiam rei pertinet. *De*, autem idem est quod *valde*. *Festus* in *Decultarunt*, valde occultarunt. Idem in *dedita*, *defrui*, *depereo*. Et *Nonius* in *Deamare*.

16. *Stupet hæc.*) Cum accusandi casu, ut infra:

Cærula quis stupuit Germani lumina? —

VET. SCHOL.

18. *An nihil in melius.*) Tanti temporis usus non tibi proficit.

21. *Hos quoque felices.*) pro, *sapientes*, posuit.

22. *Nec jactare jugum.*) Translative. qui non reluctantur contra necessitatem.

23. *Quæ tam festa dies.*) Quid tam sacrum celebratur, ut non quotidie delinquant inficiantes homines.

25. *Gladio vel pyxide.*) Veneno, vel gladio.

26. *Numerus vix est totidem, quot Thebarum portæ.*) *Septem portas* habent *Thebæ*, & *septem ostia Nilus*, & *septem sunt sapientes*.

GRANG.

17. *Fontejo Consule natus.*) Duplex *Fontejus Consul*. Prior in Fastis anno DCCLXV. sub Tiberii imperio: alter DCCCXII. sub Nerone. De priore si istud *Juvenalis* accipimus, erit, ut incidant scripta ejus in annum Urbis DCCCXXV. id est in tertium annum Imperii Vespasiani, quod fieri non potest. Igitur de altero intelligendum. Ita ut inde concludatur *Juvenalem* attigisse annum Urbis DLXX. hoc est secundum annum imperii Hadriani, quo Satyram hanc ipsam ad *Calvinum* scripsit.

18. *Tot rerum proficit usu.*) Cum abierit etiam in proverbium, *Experientia rerum magistra*. Unde *Lucret.* lib. V.

Usus, & impigræ simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredientis.

20. *Fortunæ victrix sapientia.*) *Seneca* epist. XCVIII. *Valentior omni fortuna est animus.* Et epist. LXXXII. *Philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit.*

22. *Vita magistra.*) Ex *Thaletis* apophthegmate, qui *omnium sapientissimum tempus* asserebat, quod *cuncta inveniret*.

23. *Quæ tam festa dies.*) Ut *Sueton.* in Tiberio cap. LXI. *Nullus a pœna hominum cessavit dies, ne religiosus, aut sacer.* Nostrates Galli, *aux bons jours l'on faict les bonnes œuvres*, ironice.

25. *Partos gladio, vel pyxide.*) Ferro, aut veneno. Sic interpretor *pyxidem*; quamvis aliter *Cujacius* & *Gothofredus* ad l. de Aleatoribus. D. qui per *pyxidem* intelligunt pyrgum aleatorium, fritillum, sive phimum.

26. *Rari quippe boni.*) *Seneca* epist. XLII. *Scis, quem nunc virum bonum dicam? hujus secundæ notæ; nam ille alter fortasse, tanquam phœnix semel anno quingentesimo nascitur.* *Cic.* II. de Divinatione.

27. *Thebarum portæ.*) *Thebarum* nomine multæ Urbes veniunt. Alia enim Urbs ejus nominis in Macedonia in regione Phthiotidis, quæ hodie *Ziton*. Alia in Aegypto, quæ & ἑκατόμπυλοι a numero portarum, de qua satyr. XV. Sunt & *Thebæ Corsicæ*, *Lucanæ*, & *Thebæ Bœotiæ*, sive *Dirceæ*, Urbs in Bœotia, de qua hic loquitur, quæ a numero *septem portarum* dicta ἑπτάπυλος. Ovidius:

Cur tacui Thebas, & mutua vulnera fratrum,
Et septem portas sub duce quamque suo?

Hodie *Stibes* dici scribunt *Niger* & *Sardus*, aut *Tiva*, ut *Sophianus*.

27. *Aut divitis ostia Nili.*) Quæ sunt *septem*, ut

vult

Nona ætas agitur, pejoraque secula ferri
Temporibus: quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & a nullo posuit Natura metallo.
Nos hominum Divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam, ne pejeret: & putet ullis
Esse aliquod numen templis, aræque rubenti?

Quon-

vult *Pompon. Strabo*, *Diodorus*, *Herodotus*: At *Ptolomæus* vult esse novem, *Plinius* undecim, sed quatuor esse falsa dicit; hinc semper *septem ostia Nili*. Unde recte a *Virg.* & *Catul.* *septemgeminus* dicitur; Propertio, *septemfluus*.

27. *Divitis Nili.*) quia fluit arena aurea. Hinc a *Cedreno* dictus *Chryssorrhoas*, quasi *aurifluus*.

VET. SCHOL.

30. *Et a nullo posuit Natura metallo.*) Quemadmodum priora tempora habuerunt nomina, id est *aurea argentea*, & cetera.

31. *Nos hominum Divumque fidem.*) Cum scelerata secula, nos hunc errorem patimur, ut hominum ac Deorum fidem imploremus.

32. *Quanto Fæsidium.*) Ut ostendat *Fæsidium* conductos tunc habuisse, qui eum agentem caussas magna voce laudarent.

33. *Dic senior bulla dignissime.*) Irrisive, quasi iterum puer. hoc ex proverbio Græco παῖδες δὶς γέροντες. Ceterum *bullæ* qui usus, aut a quo inventus fuerit, supra dictum est.

34. *Nescis, Quem tua.*) id est, Ignoras, quas voluptates populo præstas, cum perfidiam minaris.

37. *Aræque rubenti.*) Sanguinolentæ, vel, ex igni.

GRANG.

28. *Nona ætas agitur.*) Hunc locum ignorare fatentur *Interpretes*, dum ad illa communia, quæ de ætatibus mundi referunt. *Juvenalis* etenim mundum tanquam hominem considerat, totque ætates, sive gradus ætatis attribuit mundo, quot antiqui attribuebant homini. Illæ autem ætates septem annis definiebantur, ut patet ex *Solonis* elegia, quæ est de ætatibus hominis. At quemadmodum *nona ætas* in homine languet, & multo minus robusta est, quam præcedentes, ita mundo eruditissime *nonam ætatem* arrogat pejorem ceteris antecedentibus. Id autem desumsit ex illo *Solonis* districho:

Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτοῦ,
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.

Quæ ita vertit *Henric. Stephanus*:

At minus in nona mens illi linguaque pollet,
Quam præstare aliquod forte queant ut opus.

Multo melius, quam *Gelenius*.

31. *Hominum Divumque fidem.*) ex Quiritationis formula, de qua magnus *Brisson*.

32. *Vocalis Sportula.*) Cœna sive centum quadrantes, dans vocem comitibus, qui alias sine spe cœnæ obmutescerent. Sic facete *Martiali*, *cœna diserta* appellatur, epig. XLVIII. lib. VI.

32. *Laudat Fessidium agentem.*) Cum ipsis acclamationibus σοφῶς, *euge*, *belle*, & similia, de quibus *Martial. Horat. Pers. Plin. Junior.*

33. *Senior bulla dignissime.*) Sic *Persius*:

— *Tun' vetule.* —

Vocat autem *Calvinum seniorem*, qui natus jam sexaginta annos. Supra:

— *Stupet hæc, qui jam post terga reliquit*
Sexaginta annos, Fontejo Consule natus.

33. *Bulla dignissime.*) Dignus, qui inter pueros referatur. Unde proverbium, *bis pueri senes*. *Bulla* enim *aurea* pendebat puerorum collo. Hinc *Bullatæ nugæ*, *Persio*, hoc est pueriles & infantinæ.

34. *Quas habeat Veneres.*) Quæ illicia. Sic *Seneca* III. de Benef. cap. XXVIII. *Ille non est mihi par virtutibus, nec officiis, sed habuit suam venerem.* Vide & *Plin.* lib. XXXV. cap. X.

37. *Templis, aræque rubenti.*) Ut superiori satyr.

— *Templis maturus, & aræ.*

Aram autem *rubentem*, sanguine victimarum scilicet, ut supra:

— *Matremque rubentem.*

38. *Prins-*

Quondam hoc indigenæ vivebant more, prius quam
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens. tunc, cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Juppiter antris.
Nulla super nubes convivia Cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, etiam siccato nectare tergens
Brachia Volcanus Liparæa nigra taberna,
Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum
Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis sortitus triste profundi

60 Im-

VET. SCHOL.

38. *Priusquam Sumeret agrestem.*) id est, Temporibus, quibus Saturnus regnum tenuit, fidem homines exhibebant.

42. *Nulla super nubes.*) Irrisiones per immutationes formarum.

43. *Herculis uxor.*) Heben dicit.

43. *Nec puer Iliacus.*) Ganymedes.

44. *Et jam siccato nectare tergens.*) Ut bene placeat etiam exsiccato fæculento, aut liquefacto.

46. *Prandebat sibi quisque Deus.*) Non in convivio communi, sed privatim.

48. *Miserum urgebant Atlanta.*) Quia dicunt eum cœlum sustinere: ut *Virgilius*:

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

49. *Nondum sortitus triste profundi.*) id est, Cum adhuc Juppiter regnum cœleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluto inferna cum Proserpina.

GRANG.

38. *Indigenæ.*) Latii incolæ.

38. *Vivebant hoc more.*) *Ovid.* epist. Phædræ:

Ista vetus pietas avo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.

Plura diximus satyr. VI.

39. *Posito diademate*) regni cœlestis.

39. *Sumeret falcem.*) Unde *falcifer* dictus Poetis.

41. *Idæis antris.*) An montis *Idæ*, qui est in Creta? An montis *Idæ*, qui est in Phrygia? Nam utrumque fuisse *Jovis cunabula* diversi Auctores diverse asserunt. *Propert.* clare de *Phrygio Ida* lib. III. eleg. I.

Idæum Simoenta, Jovis cunabula nostri.

Ovidius contra:

Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten.

43. *Iliacus puer*) *Ganymedes*, qui *Martiali*. epig. XXXVII. lib. IX.

Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis.

& *Iliacus Cinædus*, lib. II. epig. XLIII.

43. *Formosa uxor.*) Hebe. *Ovid.* VI. Fast.

Finierat Juno: respeximus, Herculis uxor
Stabat —

Ea *Juventa* Latinis, quæ cum *Ganymede* Jovis est pocillatrix.

43. *Puer ad cyathos.*) Pocillator. *Horat.* ode XXIX. lib. I.

Puer quis ex aula capillis,
Ad cyathum statuetur unctis.

Sic *Propert.*

Lygdamus ad cyathos. —

44. *Siccato nectare.*) Sic satyr. V.

Siccabis calicem. —

Nectar autem Deorum immortalium potus, a τὸ particula privativa, & κτείνω.

45. *Taberna Liparæa.*) *Taberna* heic pro Cyclopum officina. In Aeoliis autem insulis Vulcanum suos habuisse Cyclopes, non est, quod probem: satis est dixisse, Aeolias insulas *Liparæas* etiam dictas fuisse, & *Vulcanias* Latinis, Vulcani insulas *Livio*, Hephæstiades *Græcis*, Aeolides *Trogo*.

46. *Sibi.*) Solus apud se.

46. *Nec turba Deorum Talis, ut est hodie.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Quamobrem major Cælitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi.*

48. *Atlanta.*) Qui, quod dux Titanum fuisset adversus Jovem, idcirco ejus humeris Jupiter fornicem cœli imposuit. *Hygin.* Fab. CL.

49. Sorti-

Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna: sed infernis hilares sine Regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret

Plura

49. *Sortitus.*) *Sorte* partiti sunt mundum Jupiter, Neptunus, Pluto, habuitque

Juppiter astra, fretum Neptunus, tartara Pluto.

49. *Triste Imperium.*) *Horat.* lib. III. ode IV. *regnaque tristia.* Virgil. *tristia tartara.*

VET. SCHOL.

51. *Nec rota.*) *Rota*, in qua Ixion dicitur volvi. *Saxum*, quod Sisyphus volvit. *vultur*, qui jecur Tityi comedit.

52. *Hilares sine Regibus umbræ.*) Nam non erat opus judicibus, dum scelera nulla procederent.

53. *Improbitas illo.*) *Mirabile* fuit, si quis illo tempore *improbus* inveniretur.

GRANG.

50. *Torvus Pluto.*) Quod signum feritatis. Sic Charon *torvus*, *Propertio* lib. III. eleg. XIIX.

Scandenda est torvi publica cymba senis.

50. *Sicula conjuge*) Proserpina, quæ in *Sicilia* rapta. *Cic.* Verrina VI. *Hygin.* Fab. CXLVI. *Ovid.* V. Fast. Aut *Sicula conjux*, quod in eadem *Sicilia* educta fuerit. *Claudian.* I. de Raptu:

Commendat Siculis furtim sua pignora terris,
Infidis natam Laribus commisit habendam.

51. *Nec rota, nec furiæ.*) Nullæ tunc temporis apud inferos pœnæ. *Seneca* epist. XXIV. *Non sum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam persequar, & dicam vanos esse inferorum impetus, nec Ixionem rota volvi, nec saxum humero Sisyphi trudi in adversum, nec ullius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. nemo tam puer est, ut Cerberum credat, timeat & tenebras, & larvarum habitum nudis ossibus cohærentium.* Sic & epist. LXXXIII. & Consol. ad Mart. cap. XIX. & II. de Ira, cap. XXXV. *Lucret.* lib. III. *Cic.* I. Tuscul. III. & IV. *Propert.* eleg. V. lib. III. *Sallust.* in Catilin. *Plin.* lib. VII. *Noster* satyr. II.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et Contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt; nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. —

51. *Rota*) *Ixionis*: de qua *Virg.* VI. Æneid. *Claud.* II. de Raptu. *Propert.* lib. I. eleg. IX. *Tibull.* lib. I. eleg. III. *Ovid.* in Ibin. *Hygin.* Fab. LXII.

51. *Furiæ*) tres: quæ ex *Servio*, *Diræ* in cœlo, *Eumenides* apud inferos, *Furiæ* in terris dicuntur. De iis *Lil. Gyrald.* de Diis Gentium.

51. *Nec saxum*) Sisyphi, qui

— *Versat*
Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.

51. *Vulturis atri Pœna.*) qua afficitur *Tityus. Virg.* VI. Æneid. *Ovid.* in Ibin. *Claud.* II. de Raptu. *Tibull.* lib. I. eleg. III. *Lucret.* lib. III. *Homer.* Odyss. λ. Alii ab uno, alii a duobus vulturibus lancinari credunt, sunt & qui a serpentibus.

51. *Atri vulturis.*) *Seneca* Thyeste:

Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effossis aves.

55. *Si juvenis vetulo.*) *Valer. Max.* lib. IV. cap. V. *Athenis quidam ultimæ senectutis cum spectatum ludos in theatrum venisset, eumque nemo e civibus sessum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte pervenit, qui hominis ætate moti, canos ejus & annos assurgendi officio venerati sunt, sedem ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt; quod ubi fieri populus aspexit, maximo plausu, alienæ urbis verecundiam comprobavit.* Idem *Valer.* lib. II. cap. I. *Plut.* in Publicola. *Agell.* lib. II. cap. XV.

56. *Licet ipse videret.* &c.) licet ditior esset. Ut ille apud Pers.

Est mihi far modicum. —

Divitiæ autem antiquorum in *glande*, & *fragis*, & ceteris ejusmodi. *Propert.* lib. III. eleg. XIII.

Felix agrestum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum messis, & arbor erat.

Seneca Hippolyto:

Sylvæ nativas opes, & opaca dederunt antra
Nativas domos. —

57. Plura

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ!
Nunc, si depositum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, & Tuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna.
Egregium, sanctumque virum, si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, vel mirandis sub aratro
Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ

Sollici-

VET. SCHOL.

57. *Plura domi fraga.*) Quamvis ditior esset. *Virgil.*

— *Et humi nascentia fraga.*

Divitiæ autem in *fragis* & in *glande* taxabantur.

58. *Tam venerabile erat.*) Ita, inquit, videbatur venerabilis ætas, ut pueris majoribus se annis quatuor deferrent * ut sicut prima lanugo, id est, juvenes deferens senibus adfectarent.

58. *Cum tota ærugine follem.*) Æris vitium, *ærugo* dicitur ferri rubigo.

62. *Prodigiosa fides.*) quasi monstro similis.

63. *Quæque coronata.*) quæ res in æde Fidei sacrificiis lustrari debet.

65. *Hoc monstrum puero.*) id est, Hoc tempore vir bonus *monstris* conferendus est.

66. *Et fœtæ comparo mulæ.*) Monstris. Prodigia, quæ bellum civile Cæsaris & Pompeji præcesserunt.

GRANG.

61. *Si reddat* &c.) Legisse memini apud *Plut.* in Demosthene, sub finem, militem quendam in jus a duce suo vocatum deposuisse aurum inter manus statuæ Demosthenis: tuncque temporis oblitum, longe postea memorem facti a statua illud aurum repetiisse, fideliterque illam restituisse depositum. Qua de re Poetæ, ait *Plutarch.* plurima epigrammata confecerunt: quo motus subito calore illud effudi, quod hic referre extra rem haud videbitur:

Præbuerat miles manibus Demosthenis aurum,
Jussus forte ducis sistere judicio.
Depositi oblitus longo post tempore venit,
Pignus & intactum quod dedit, id repetit:
Reddidit acceptum fidus sine judice Rhetor.
Quid mirum? nam non ipse erat, at statua.

61. *Cum tota ærugine.*) Integrum, & nulla parte diminutum. Sic *Plaut.* Trucul.

Quo citius rem auferant cum pulvisculo.

62. *Tuscis digna libellis.*) quorum instituto tanquam prodigium procuretur, inquiunt.

63. *Lustrari debeat agna.*) Nam minoribus, aut majoribus hostiis, prout respondebant aruspices, ut passim videre est apud *Livium.*

63. *Coronata agna.*) Ut moris est inter sacrificandum.

64 *Egregium, sanctumque virum,* &c.) *Cic.* II. de Divinat. *Si quid raro fit, id portentum putandum est, sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse.*

64. *Bimembri puero.*) qui habeat membra hominis, membraque animalis. *Virg.* v. III. Æneid.

— *Tu nubigenas, invicte, bimembres.*

Puer autem *bimembris*, ut apud *Livium* unus natus cum Elephanti capite.

65. *Mirandis sub aratro Piscibus.*) *Plin.* lib. IX. cap. LVII. piscium genera etiamnum a *Theophrasto* mira produntur (libello scilicet de piscibus.) In Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis, terrenos, altis scrobibus, in his locis, ubi nullæ restagnant aquæ. Quod *Aristot.* confirmat. *περὶ θαυμασ. ἀκουσμ.* & *Strabo* lib. XII. Vide *Ælian.* VIII. Var. Hist.

66. *Fœtæ mulæ.*) Si *mula* peperisset prodigium existimabant antiqui. *Plin.* lib. VIII. cap. XLIV. hinc talia procurata fuisse prodigia docet *Livius.* At id portentum esse non æstimat *Varro* II. de Re Rust. cap. II. multoties *mulas* peperisse apud Auctores invenimus, ut apud *Aristot.* VI. animal. cap. XXIV. *Herodot.* in Thalia, *Sueton.* in Galba. quin & nunc temporis apud Allobroges *mulam* una cum *fœtu* nutriri affirmat *Olivarius Serranus* Theatro Agricult.

Vv 3

70. *Curgi-*

Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Examenque apium longa consederit uva
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum est superos contemnere testeis,
Si mortalis idem nemo sciat! adspice, quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus?
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis:
Per calamos venatricis pharetramque Puellæ,

Perque

VET. SCHOL.

70. *Gurgitibus miris.*) aut lacteis, aut sanguineis.

71. *Intercepta decem.*) Apostropham facit ad illum, cujus ob reditum sacrificavit.

75. *Hoc arcana modo.*) Perdidit commodatum.

75. *Tam facile & pronum est.*) id est, Facilius contemnuntur Dii, si hominis testimonium intersit, sive in judicio dicat, *vidi*.

77. *Quæ sit ficti constantia vultus.*) Pro, quanta sit: *Terentius:*

Num ejus voltus pudoris signum usquam indicat.

Vultus, negantis vultus.

78. *Tarpejaque fulmina*) Capitolini Jovis.

80. *Per calamos venatricis.*) Κατὰ κοινοῦ. Per omnes Deos jurat.

GRANG.

67. *Lapides effuderit imber.*) Illud autem novendiali sacro expiatur. Livius vocat *lapideum imbrem*: Dicunt & *lapidibus pluere*, & *lapideo imbri pluisse*, & *lapideo imbri pluisse*, & *de cælo lapidare*, & *lapides pluere de cælo*.

68. *Longa uva.*) Βοτρυδὸν, i. in formam *uvæ*. *Plin.* lib. XI. cap. XVII. *Tunc ostenta faciunt* (apes) *privata, ac publica, uva dependente in domibus, templis, sæpe expiata magnis eventibus.* Columella: *Animadvertito, an totum examen in formam uvæ dependeat.* *Varro* III. de Re Rust. cap. XVI. *Multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ.* *Virgil.* ult. Georg.

— *Jamque arbore summa*
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

ubi *Servius*, in morem uvæ, i. Botryonis defluere, quod Græci βοτρυδὸν dicunt.

69. *Tanquam in mare fluxerit amnis Gurgitibus miris.*) Nimia vis etenim aquarum religionem facit, & inter portenta reponitur. Cave autem ad *sanguineos amnes* aut similia referas.

70. *Lactis vertice torrens.*) Cum scilicet *lacte* pluit; quod pluries evenisse constat. *Livius* lib. XXXIV. *Nuntiatum lac Interamnæ fluxisse.*

71. *Intercepta.*) Ea vis verbi *intercipere*, ut *totum capere* significet. *Donat.* in Eunuch.

75. *Tam facile & pronum.*) Nostrates exemplo pessimo, cum aliquod crimen volunt patrare, judicium metu retenti, *si je ne craignois autre, que Dieu.*

78. *Per radios.*) Vide *Briss.* lib. de Formul. VIII.

78. *Tarpeja fulmina.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Alii in ipso Capitolio fallunt, & fulminantem pejerant Jovem.*

78. *Tarpejaque*) *Jovis Capitolini.* nam & alii Dii Mars, Pallas, Vulcanus, Summanus fulmina jaculantur.

79. *Frameam.*) Hastam. *Framea* enim Germanicum nomen. *Tacit.* in Germania, ubi *Lips.*

79. *Cirrhæi vatis.*) Apollinis, a *Cirrha* Parnassi vertice. Vide *Sidon.* Carm. XXII. Noster alibi:

— *Dominis Cirrhæ, Nisæque ferentur.*

80. *Per calamos.*) *Tibull.* lib. I. eleg. IV.

Perque suas, impune licet, Dictynna sagittas
Affirmet. —

83. *Arma-*

Perque tuum, pater Aegei Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, haſtamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.
Si vero & pater eſt: Comedam, inquit, flebile gnati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, in Fortunæ qui caſibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Eſt alius metuens, ne crimen pœna ſequatur:
Hic putat eſſe Deos, & pejerat, atque ita ſecum:

Decer-

VET. SCHOL.

83. *Armamentaria cœli.*) In quibus *arma* poſita ſunt.

84. *Comedam, inquit, flebile gnati.*) id eſt, Per filios ſuos jurat, *Sic non eos comedat.*

85. *Pharioque madentis aceto.*) Ægyptio, forti.

86. *Sunt in Fortunæ.*) Dicit, quam ob cauſſam homines perjurent, cum dicant, quod non *Diis* agimur, ſed *fortunæ caſibus.* Quid ergo Dii nocebunt læſi, ſi *fortuna* diſponente vita hominum regitur?

88. *Natura volvente.*) Ut natura diſpoſuit.

89. *Atque ideo intrepidi.*) Sine ullo timore pejerant.

90. *Eſt alius metuens.*) Qui credit, delictum poſſe puniri voluntate Deorum, ſed veniam ſperat.

GRANG.

81. *Aegei Neptune pater.*) Nonnulli *Aegeum Neptuni filium* credunt, ut *Hyginus*, alii Pandionis, ut refert idem *Hyg.* fab. XVI. Alii Scyrii natum faciunt, ut *Apollodor.* Biblioth. III.

82. *Herculeos arcus*) Nam *Hercules* ſagittarius Deus creditus. *Phornutus* lib. de nat. Deor. *Arcus* autem Philoctetí donavit fatales, & ſine quibus Troja capi non poterat. *Hyginus* Fab. CII.

82. *Haſtamque Minervæ.*) Antiqui per *haſtas* jurare ſoliti; quod facit Parthenopæus apud *Aeſchyl.* ſicque apud *Homer.* & *Virg.* per ſceptrum jurare mos eſt, ut advertit *Turneb.* lib. VIII. cap. XVI.

84. *Si pater.*) Si ille, qui pejerat, natos habet.

84. *Comedam flebile* &c.) Non tantum jurabit *per caput fili*, ut ſolebant patres, ſed, quod horribilius, ſe manducaturum filii ſinciput aſſeverat.

85. *Phario aceto.*) Aegyptio. a *Pharo* Aegypti. *Sidonius*:

Dum venis a Phario dotalis turba Canopo.

Acetum autem *Aegyptium* in precio. *Martial.* de eo lib. XIII. epig. CXXII. Et Chryſippus apud *Athenæum* cap. XXX. lib. II. commendat Cnidium & Aegyptium.

86. *Sunt, qui Fortunæ caſibus.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Toto mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis Fortuna ſola invocatur, una nominatur, una accuſatur: una agitur, & cum conviciis colitur, huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit.*

87. *Mundum nullo rectore moveri, Natura volvente* &c.) *Plin.* loco ſuperiore: *Jovem quidem, aut Mercurium, aliterve alios inter ſe vocari, & eſſe cœleſtum nomenclaturam, quis non interpretatione Naturæ fateatur? Irridendum vero, agere curam rerum humanarum, quidquid eſt ſummum.*

88. *Vices lucis, & anni.*) Claudian.

— *Annique meatus,*
Et lucis, noctiſque vices. —

89. *Intrepidi altaria tangunt.*) Jurant, & pejerant ſive ullo metu: quia non credunt Deos pœnarum vindices. *Tangere* autem *altaria*, pro, jurare, quod jurare ſolerent *altaria tangentes.* *Macrob.* III. Saturn. cap. II. Sic *Propert.* *aram* poſuit pro ſacramento:

Ergo, qui pactas in fœdere ruperit aras,

Vide ſuper hunc ritum *Virg.* IV. VI. & XII. Æneid. *Valer. Max.* lib. IX. cap. III. *Horat.* od. XIII. lib. III. Sic in Eccleſia Romana, Jusjurandum ſuper altari fieri olim ſolitum, ut patet *c. habemus.* XXII. *quæſt.* Juramentum ſuper *altari*, & reliquiis ſanctorum præſtitum a Canonibus approbatur.

90. *Ne crimen pœna ſequatur.*) *Lyricus Vates* lib. IV. od. V.

Culpam pœna premit comes.

93. *Feriat*

Decernat, quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cœcus teneam, quos abnego, nummos.
Et phthisis, & vomicæ putres, & dimidium crus
Sunt tanti? pauper locupletem optare podagram
Nec dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene. quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, & esuriens Pisææ ramus olivæ?

Ut

VET. SCHOL.

93. *Feriat mea lumina.*) id est, Cœcum etiam faciat.

94. *Dummodo vel cæcus.*) id est, Si pro ingenti precio ferenda est *cæcitas*, dummodo magnum sit, quod negetur.

96. *Sunt tanti.*) Melius est ægrotare cum divitiis, quam esse sanum pauperem.

97. *Nec dubitet Ladas.*) *Ladas* fuit inter nobilissimos cursores Olympico certamine, cui æmulus Talaris eandem gloriæ palmam tulit, sed apud Elidem coronatus est. Sensus autem ex persona perjuri est: Melius est cum uno pede currere, quam pauperem vivere, etsi hoc sis in cursu, quod *Ladas*.

98. *Quid enim velocis gloria plantæ.*) Quid præstat coronari in *Elida*, ubi athletæ habent Olympiacum certamen.

GRANG.

92. *Decernat.*) tanquam judex. *Donat. Decernere* est magnis de rebus *certam* proferre sententiam.

93. *Irato feriat mea lumina.*) Nam *cæcos* reddere homines credidit antiquitas. *Apul.* Milef. VIII. *Te omnipotens & omniparens dea Syria cæcum reddat.*

93. *Irato sistro.*) Enallage. *sistrum* enim gerebat *Isis* dextra manu, Ejusque in sacris *sistri* maximus usus. *Sistrum* dictum ἀπὸ τοῦ σείειν, i. ab agitando, & concutiendo. De forma *sistri* permulti variant. Vide, si libet, *Apul.* II. de Asino. *Plutarch.* in Iside. *Turneb.* Advers. lib. XXVI. cap. XXXIII. *Bernartium* ad I. Thebaid. *Adrian. Junium* in Nomenclatore. *Servium* ad XIII. Æneid.

95. *Phthisis.*) Tabes. a verbo φθίω corrumpo: Hinc *Phthisicus*, tabidus.

95. *Vomicæ putres.*) *Vomica* est abscessus malignus latens puris plenus. Hinc facete *Plaut.* Perf. vocat *crumenam, vomicam*: Quem imitatus sic Poeta Gallus *Marotius*:

Vit, que sa bourse avoit grosse apostume.

96. *Pauper Ladas.*) Agilis & velox cursor, qualis *Ladas*, de quo *Pausan.* in Corinthiacis, & Anthologiæ IV.

Per stadium Ladas saltaverit, anne volarit,
(Par superis cursu) dicere lingua nequit.

Heic autem antea legebant *Laudas*, pari errore, quo apud *Senec.* epist. LXXXV. *Qui si miratur velocitatem suam Ladas.* quod feliciter, ut omnia, correxit *Just. Lips.* De eo autem cursore *Auctor* ad Heren. lib. IV. *Martial.* lib. X. epigr. C. & lib. II. epig. LXXXVI. *Catull. Solinus.*

96. *Locupletem podagram.*) Qui enim *podagra* laborant, plerunque divites. Hinc Querolus *Plauti*: QUER. *Da mihi saltem vel capsas Titi.* LAR. *Sume igitur & podagram Titi.* *Vetus Aristophanis Scholiastes* notat, in Pluto ad hunc versum:

— Παρ' αὐτῷ μέν γε ποδαλγῶντι.

Ποδαγρῶντι γε, inquit, τοιοῦτοι οἱ πλούσιοι γίνονται ὑπὸ τῆς τροφῆς, ὅπερ ἀσελγείας καὶ φαυλότητος δηλωτικόν ἐστι.

97. *Anticyra.*) i. Helleboro, quo purgabantur insani. sic *Horat.*

Si tribus Anticyris &c.

eo quod helleborum in *Anticyra*. Vide proverbium: *Naviget Anticyras.*

97. *Nec Archigene.*) Hincque proverbium *Junii*: *Archigenis indiget*, de eo, qui non est mentis compos. Hic *Archigenes* fuit ex Apamæa Syriæ, magni nominis medicus sub Trajano. Hinc apud *Nostrum* sæpius pro medico, ut satyr. VI.

Advocat Archigenem. —

& satyr. XIV.

Ocyus Archigenem quære. —

hoc est medicum.

98. *Velocis gloria plantæ.*) *Propert.* eleg IX. lib. III.

Sunt quibus in celeres gloria nata pedes.

99. *Esuriens Pisææ ramus olivæ.*) In ludis Olympicis cursus coronam & bravium consequutum & *esurire*. qui enim in iis victores evaserant, *olea* coronabantur.

99. *Esuriens ramus.*) Supra satyr. VII.

— *Esuriens migraret in atria Cleio.*

99. *Pisææ*

Ut sit magna, tamen certe LENTA ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocenteis,
Quando ad me venient? sed & exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere. MULTI
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris precium tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam, CUM magna malæ superest audacia caussæ,
Creditur a multis fiducia. mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:

Tu

99. *Piseæ.*) Olympiacæ. Olympia Urbs in Peloponneso, a qua ludi Olympici. Ea autem *Arpina*, & *Pisa* vocata, ut est auctor *Stephanus*. Hodie *Langanico* dicitur, ut vult *Castaldus*: *Stauri* vero, ut scribit *Niger*.

VET. SCHOL.

100. *Ut sit magna tamen.*) Concedo, inquit, ut delictum puniant Dii; tarde tamen.

103. *Fortasse experiar.*) Fortasse, inquit, placabile numen, quod omnia diversa sunt facta: usque adeo, ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium.

105. *Hic diadema.*) ut Romulus pro commisso scelere non dedit pœnas, sed imperium adeptus est.

407. *Sacra ad delubra vocantem.*) Vocantem eum ad templum, ut juret.

109. *Nam cum magna malæ.*) Nam cum, inquit, homines, qui malam caussam habent, id est, qui denegant alienum, visa fuerit improba contentio, audacia creditur innocens, ut *mimum urbani scurræ agere* ac irrisione audaciæ videatur. Talis est enim mimus, ubi servus fugitivus dominum suum trahit. *Catullus*, mimographus fuit.

GRANG.

100. *Ut sit magna, certe lenta.*) Epicurei Nostrates solent dicere, *le terme vaut l'argent.*

100. *Lenta ira Deorum.*) *Seneca* Pater præfat. lib. V. Controversf. *Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani.* *Heliodor.* Æthiopic. I. *Οὐ πάντη πάντως, ἔφη ὁ Χαρίας, ἐκλέλοιπεν ἡμᾶς ἡ δίκη καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ μικρὸν μὲν ἄν τι καὶ παρέλθοι ποτὲ, τὸ χρόνιον τ̃ ἄμυναν παρέλκουσα. τοῖς δὲ οὕτως ἀθέσμοις ὀξὺ ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμόν.* *Non omnino deseruit nos (inquit Charias) justitia, secundum Hesiodi sententiam: sed quamvis interdum aliquantisper convixerit in sceleribus hominum, in longum tempus ultionem protrahens, tamen in ejusmodi nefarios acrem injicit oculum.* *Papin.* Thebaid. V.

— Lentoque increpat agmine pœnæ.

Tibullus:

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Vide *Horat.* ode II. lib. III. & *Homer.* Iliad. IV. *Valer. Max.* lib. V. cap. V. *Plin.* lib II. cap. VII. *Platon.* lib. X. de Legib. *Lactant.* de Ira Dei cap. XX. *Ælian.* lib. III. Var. Hist. *Salomon* Proverb. XVII & XXII. Et Theologos ad *D. Pauli* ad Rom. cap. II. Hinc proverbium vulgatissimum: *Dii pedes laneos habent.*

102. *Exorabile Numen.*) *Propert.* lib. II. eleg. XXX.

Et jam si pecces, deus exorabilis ille est.

105. *Ille crucis.*) quasi latronum, qui cum Christo pependerunt, historiam acu tangeret.

107. *Ad sacra delubra.*) Ubi celebrari *sacramenta* consueverant, velut præsentibus, & audientibus Diis *Plaut.* Curcul.

Namque incubitare satius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilio in jurejurando fuit.

& Captiveis:

Siquidem incubare velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

111. *Urbani Catulli.*) Quia, inquit *Scaliger* ad *Catullum*, scenatici homines, quos *βιολόγους* vocant Græci, dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum; propterea factum, ut *Mimi, Scurræ & Urbani* vocarentur.

Tu miſer exclamas, ut Stentora vincere poſſis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: Audis
Juppiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus, & ſectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuamque Vagelli.
Accipe, quæ contra valeat ſolatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica diſtantia, non Epicurum
Suſpicit exigui lætum plantaribus horti.

Curen-

Vet. Schol.

112. *Tum miſer exclamas.*) Præcones Græcorum: quia antiqui tubas non habebant.

113. *Quam Gradivus Homericus.*) Mars cum plagatus eſt a Diomede.

115. *Vel marmoreus, vel aeneus.*) cujus ſtatua vel *marmorea*, vel *ænea* ſit.

17. *Albaque porci Omenta.*) Ad quid ſacrificamus, ſi vocem non redditis?

119. *Statuamque Vagelli.*) Ut video, inquit, inter vos & *Vagellium*, qui, ut vos, ſtultiſſimus accepit ſtatuam.

119. *Accipe, quæ contra.*) quæ valeat adferre ſolatia *Juvenalis* tibi.

121. *Et qui nec Cynicos.*) Dicit *Cynicorum & Stoicorum* dogma convenire, tantum *veſte* diſtare. Nam *Cynica* mater *hæreſis Stoicæ*. *Cynici* abſque pallio exſerto brachio.

123. *Exigui lætum plantaribus horti.*) Qui in *hortis* de otio & voluptate diſputat.

Grang.

112. *Ut Stentora vincere poſſis.*) Sic Juno aſſimilatur *Stentori* χαλκεοφώνῳ, ut qui vocem tantam haberet *Stentor*, ut quinquaginta aliorum hominum vocem ſuperaret. *Homer.* Iliad. ε. Vide proverb. *Stentore clamoſior.*

113. *Gradivus Homericus.*) Tangit illud *Homeri* Iliad. ε.

— Ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης
Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.

— *Ille autem boavit ferreus Mars*
Quantum novies mille clamant, vel decies mille
Viri in bello certamen committentes Martis.

114. *Jupiter hæc.*) Simile quid ſatyr. II ad Martem:
Nec galeam quaſſas, nec terram cupide pulſas,
Nec quereris patri? —

114. *Nec labra moves.*) *Horat.* lib. I. epiſt. XVI.
— *Clare cum dixit: Apollo!*
Labra movet metuens audiri. —

114. *Mittere vocem.*) *Lucanus* ad Piſonem:
— *Cum tua mæſtos*
Defenſura reos vocem facundia mittit.
Propert.
Spirantesque animos, & vocem miſit. —
Horat. in Arte:
— *Neſcit vox miſſa reverti.*

116. *Pia thura.*) *Martial.* lib. XIII. epig. IV.
— *Da pia thura Jovi.*

116. *In carbone tuo.*) In acerra, ubi carbo.

116. *Thura Ponimus.*) Horatius:
Verbenas pueri ponite thuraque.

116. *Soluta charta.*) in qua thus involutum, hoc eſt *cucullus*, qui e malorum Poetarum carminibus fieri ſolebat.

119. *Statuam Pathylli*) a Polycrate erectam ante aram Junonis Samiæ. *Apul.* Florid. II.

122. *A Cynicis tunica diſtantia.*) *Cynicorum* enim & *Stoicorum* Philoſophorum idem Auctor *Antiſthenes*, ut docet *Laert.* in Ejus vita. utriuſque ſectæ eadem dogmata, iidemque fere *Stoici & Cynici*, niſi quod in habitu aliquid mutant. Idem *Diog.* in Menedemo. Communio & ſocietas quædam eſt his duabus ſectis, unde &*Cyniciſmum* dixerunt brevem ad virtutem viam. *Lipſ* lib. I. ad Stoicam Phil. diſſert. XIII.

123. *Plantaribus exigui horti.*) Schola enim *Epicuri* in *Horto*. De quo Virg. in Ciri:

Cecropius

Curentur dubii medicis majoribus ægri;
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quam funera. nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam

Conten-

Cecropius suaves exspirans hortulus auras,
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra.

Diog. Laert. in vita Epicuri: *Hortis* ipsius foribus id inscriptum: HOSPES HEIC BENE MANEBIS HIC SUMMUM BONUM VOLUPTAS EST. *Seneca* epist. XXI. De *hortis* autem *Epicuri*, *Noster* satyr. sequenti:

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Et *Cic.* multis locis, itemque *Plin.* lib. XIX. cap. IV. *Propert.* lib. III. eleg. I.

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.

Stat. in Tiburtino Maulii lib. I. Sylv.

VET. SCHOL.

124. *Curentur dubii.*) Per allegoriam sufficere se dicit in solatium amico damnum mœrenti.

129. *Claudenda est janua.*) quasi lugentes *januas claudunt*, cum damnum pertulerunt.

131. *Nemo dolorem Fingit.*) sed vere plangunt damna.

GRANG.

125. *Discipulo Philippi*) medici e via.

126. *Si nullum in terris.*) Imitatio *Horatiana* satyr. III. lib. II.

— Hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.

127. *Pugnis cædere pectus.*) quod in maximis doloribus fieri solitum. *Seneca*:

— Sævite manus,
Pulsu vasto tundite pectus.

Chorus respondet:

Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos,
Tibi nostra caput dextera pulsat.

129. *Claudenda est janua damno accepto.*) tanquam in funere, & demortui luctu, quo *januæ domorum claudebantur. Albinov.* Consolat. ad Liviam de funere Drusi:

Incerti clauduntque domos, trepidantque per urbem.

Tacit. Annal. II. *Sumto justitio deferuntur fora, clauduntur domus.* Tamen potest & illud referri ad id, quod specie proverbii Galli efferunt, *Il est temps de fermer les estables, quant les chevaux n'y sont plus.*

130. *Majore domus gemitu Planguntur nummi, quam funera.*) *Auctor* Queroli, prologo: *Iste ad me venit, patrem peregre mortuum audivit. hui! quam graviter dolet, ut sunt humana: Credo, quia nil relictum comperit.* Et paullo post: *Nonne hoc justum fuit, bustum ut efferret filius?* QUER. *Fateor, sed pater ipse nil reliquit.* LAR. *Dura deploratio, exequias inanes tibi contigisse luges.*

131. *Nemo dolorem Fingit in hoc casu.*) at plurimum *fingitur* in funeribus. *Seneca* epist. XCIII. Et *Martial.* lib. I. epigr. XXXIV.

Amissum non flet, cum sola est, Gellia patrem,
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.

132. *Diducere vestem summam.*) quod fieri solet in luctu, ut pectus appareat. Petron. *Non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere. Seneca* in Troade:

— Veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus, cui conjugia
Pectora velas captive pudor.

& paullo post:

— Cadat ex humeris
Vestis apertis, utrumque tegat
Suffulta latus. Jam nuda vocant
Pectora dextras.

Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela:
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt cheirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera: gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ custoditur eburnis:
Ten'o delicias extra communia censes
Ponendum: qui tu gallinæ filius albæ;
Nos viles pulli nati infelicibus ovis!
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina. confer
Conductum latronem, incendia sulfure cœpta,
Atque dolo, primos cum janua colligit igneis:
Confer & hos, veteris qui tollunt grandia templi

Pocula

VET. SCHOL.

133. *Humore coacto.*) Lacrimis extortis. *Terentius*:
Una hercle falsa lacrimula.
Virgilius:
Mens immota manet, lacrimæ volvuntur inanes.

136. *Si decies lectis.*) Si sæpius lectis cautionibus negant suas esse manus.

138. *Gemmaque princeps.*) preciosa, signum suum.

139. *Loculis quæ custoditur eburneis.*) Quia in *locellis eburneis* gemmas solent reponere.

141. *Gallinæ filius albæ.*) proverbium vulgare. id est, *nobilis*.

142. *Nos viles pulli.*) Virgilius:
Nos animæ viles. —

143. *Et mediocri bile ferendam.*) Damnum, quod debeas contemnere.

144. *Majora ad crimina confer.*) Hunc, qui depositum tibi negavit, compara.

146. *Primos cum janua.*) Sulphuratas esse januas ab incendio.

147. *Qui tollunt grandia templi.*) qui templum spoliant.

GRANG.

133. *Vexare oculos.*) *Virgil.* II. Æneid.
— *Captique dolis, lacrimisque coactis.*
Ovid. VI. Metamorph.
Invitique oculi lacrimis maduere coactis.
Et eleg. VIII. lib. I. Amor.
— *Oculi discunt lacrimare coacti.*
Vide & quæ dixi ad illud VI.
Uberibus semper lacrimis, semperque paratis
In statione sua. —

133. *Vexare oculos.*) Sic apud *Terent.* Eunuchi act. I. Sc. I.
Hæc verba mehercule, una falsa lacrymula,
Quam oculos terendo vix vi expresserit, restinguet.

137. *Ligni.*) Simpliciter *lignum* pro tabulis, ut apud *Ovid.* II. de Ponto:
Nec mea fallaci convicta est gemma sigillo
Mendaces lignis imposuisse notas.
Ut recte *Cujacius* correxit cap. XIV. lib. XI. Observat. cum antea legerent *ceris*, aut *linguis*. *Tabulæ* enim illæ *ligneæ*, & potissimum e pinu. *Plin.* lib. XIII. cap. XXIV. & *Euripides* in Hippolyto.

148. *Gemmaque princeps.*) *Gemmis* enim signacula inscripta diximus ad illud I.
Signator falso &c.

138. *Princeps Sardonychus.*) Non quod sit *princeps* lapidum, sed quod in *signaculis principem* locum obtineat. *Plin.* lib. XXXVII. cap. VI. quoniam solæ prope gemmarum sculptæ ceram non auferrent.

140. *Te nunc deliciis.*) Ut satyr. VI.
Deliciis hominis. —

141. *Gallinæ filius albæ.*) Vide *Sueton.* in Galba. item *Dionem*, & *Plin.* lib. XV. cap. ult. *Erasm.* in Chiliadib.

145. *Incendia.*) Intellige de incendio urbis Romæ a Nerone patrato; de quo idem *Sueton.* cap. XXXVIII. in Nerone.

148. Popu-

Pocula adorandæ robiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas a Rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis
Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus. paucos consume dies, &

Dicere

VET. SCHOL.

148. *Pocula adorandæ robiginis.*) Antiquitatis merito *adorandæ*.

151. *Radat inaurati femur.*) * Dropacistas dicit, qui cera de inauratis statuis *aurum* tollunt.

153. *An dubitet solitus.*) id est, Qui non dubitet etiam ipsius Jovis statuam conflare.

154. *Mercatoremque veneni.*) Dubium, venditorem an emtorem dicat.

155. *Et deducendum corio bovis in mare.*) *Culleo* nam insui consueverant, qui hæc scelera tentarent, id est, *parricidæ cum simia & serpente, & in mare mitti. Innoxia*, pro, innocens.

157. *Quæ custos Gallicus.*) Nomen præfecti vigilum, qui institutus est, postquam *Galli* Capitolium ceperunt.

160. *Sufficit una domus.*) *Gallici* scilicet domus, ubi hæc omnia audiuntur cottidie.

GRANG.

148. *Populorum Dona.*) Et id de eodem Nerone intelligendum. *Sueton.* in ejus vita: cap. XXXII. *Ultimo, templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit.*

148. *Pocula adorandæ robiginis.*) Antiqua & quasi *ærugine* corrosa, proindeque *adoranda*, & quasi veneranda. *Robigo* tamen proprie ἰὸς σιδήρου Glossis. Prima autem *Robiginis* anceps, nam corripuit *Ovid.*

— *Scabrique rubigine denses.*

Et *Prudent.* in Psychomachia:

Condere vagina gladium, ne tecta robigo.

152. *Bracteolam.*) *Bracteam* quæstoriam. Crassior enim dicebatur *Bractea Prænestina* a fortunæ simulacro ibi fidelissime inaurato. *Plin.* lib. XXXIII. cap. III. Ubi unciam auri in septingenas, & quinquagenas bracteas quaternum utroque digitorum spargi dicit. Glossæ: *Bractea*, πέταλον, hoc est folium auri. hinc *imbracteare* inaurare est, & *bractearii* inauratores.

153. *Tonantem*) Jovem. *Horat.*

Cælo tonantem credidimus Jovem.

Vide *Claudianum.*

154. *Mercatorem veneni*) mali. Est enim *venenum* verbum anceps, & tam bonum, quam *malum* venenum est. *l.* III. §. II. *D. ad L. Cornel. de sicariis.*

155. *Corio bovis.*) Culeo, qui, ut ait *Vetus Interpres*, saccus est factus ex *coriis*: hinc sic Græci δέρματι βοείῳ ἐνεδύετο. *Parricidæ* autem *culeo* insuebantur. Supra *Noster* satyr. VIII.

— *Non debuit una parari*
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Cicero pro Roscio Amer. *Sed prius cæsi virgis sanguineis cum cane, gallo, vipera in mare dejiciebantur. l. I. & penult. D. ad L. Pompejam de parricidiis.*

155. *In mare.*) quod si abesset longius, in proximum amnem. *l. unica. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.*

156. *Simia.*) Ut satyr. IIX. Quare autem *simia*, & reliquæ illæ clauderentur cum *parricida*, diversorum diversa ratio. Vide *Rhodig.* lib. VI. cap. XIII. & *Forcatulum* in Necyomantia Juris. & *Olivarium Aregarensem* interpretem *Valerii Max.* & *l. unic. de his, qui parent. vel lib. occid.*

162. Quis

Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue. si videas hoc

Gentibus

VET. SCHOL.

162. *Quis tumidum guttur.*) Quis potest, inquit, facta scelera suis in locis, ubi omnes tales sunt, mirari: tanquam si in *Alpibus guttorosos homines* admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet: nam lata & inflata colla habent.

164. *Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem.*) Glaucos oculos, & capillos rubeos.

166. *Nempe quod &c.*) Ideo non est mirum.

167. *Ad subitas Thracum volucres.*) ad fluvium Strymonem.

168. *Pygmæus parvis.*) Aut quis debet mirari *Pygmæos* cum gruibus pugnantes, quorum hoc est studium semper?

169. *Mox impar hosti.*) quia parvi sunt corpore.

GRANG.

162. *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus.*) *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. *Guttur* homini tantum & suibus *intumescit*, aquarum, quæ potantur, plerunque vitio, præsertim, auctore *Vitruvio*, apud Aequicolas Italiæ, & Medullos Alpinos, vulgo *Miolans*, & *la vallee de la Tarentaise.*

163. *In Meroe*) Nili insula. De cujus hodiernis nominibus consule *Ortelium* in Synonymia.

163. *Majorem infante mamillam.*) Consule & *Pompon. Melam* ea de re.

164. *Cærula Germani lumina.*) *Tacit.* libello de moribus Germaniæ: *Habitus quoque corporum, quanquam ni tanto hominum numero, idem, omnibus truces & cærulei oculi, rutulæ comæ, magna corpora & tantum ad impetum valida. Sidon.* carm. V.

— *Tum lumine glauco*
Albet aquosa acies. —

164. *Flavam Cæsariem.*) *Claudian.* IV. Consulatu Honorii:

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem. —

Rutilas vocat *comas* Tacit. Silius *auricomas*, *rufos* Senec. III. de Ira, cap. XXVI. Vide *Lips.* locis *Taciti* citatis, & *Junium* de Coma.

164. *Madido cirro.*) *Cirrus* crinis est obliquus, & nodo substrictus: quod proprium gentis Germaniæ, *Tacit.* in Germania. *Seneca* Epist. ult. & loco de Ira supradicto. *Tertul.* lib de Veland. Virginibus.

165. *Torquentem cornua.*) Virgil. *vibrare ferro crines* dixit: *obligare* Tacitus: *torquere* Martialis:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

165. *Cornua*) in capillis. quæ & a Græcis κέρατα ea in significatione.

165. *Madido cirro.*) unguentis delibuto. Vide *Junium* cap. VII. lib. de Coma.

166. *Natura est omnibus una.*) Supra Tacit. *Habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.* Seneca: *Nihil in uno judicatis notabile aut fœdum, quod genti suæ publicum est.*

167. *Ad subitas Thracum volucres.*) i. Grues, quas *Virg.* vocat I. Georg. & lib. XI. Æneid. *Strymonias*, a *Strymone* Thraciæ amne. *Pygmæi* etiam in Thracia, teste *Plinio* lib. IV. cap. XI. Quamvis ipse *Plin.* lib. VII. cap. II. eos statuat in India, aut Æthiopia cum *Homero*, & *Mela. Ovid. Threiciam gruem* dixit III. de Arte.

168. *Bellator.*) De *Pygmæorum bello cum gruibus*, *Plin.* multis locis, ut lib. IV. cap. XI. lib. VII. cap. II. lib. I. cap. XXIII. *Mela* cap XI. lib. III. *Ovid.* VI. Metam. *Strabo* lib. X. *Aristoteles* in Histor. Animal. Multi tamen populos fabulosos credunt. Alii tamen & Neoterici exstare affirmant, inter quos *Cardanus*, & *Olaus Magnus.*

171. *Risu*

Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit? abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. manet illa tamen jactura, nec unquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At VINDICTA bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia caussis.

Quan-

VET. SCHOL.

171. *Risu quatiare.*) id est, Rideres, si hoc apud nos possis videre. At quia omnes tales sunt, nemo ibi de alio ridere potest.

174. *Nullane perjuri capitis.*) Anthypophora, quasi objectio. Ergo nulla pœna manet eos, qui pejerant?

175. *Abreptum crede hunc graviore catena.*) id est, Puta quam majoribus pœnis afficitur. quanquam animus tuis exposcit, quid tibi prodest, nec damnum ex hac re resarciri potest. puta igitur hunc continuo vinclis ligari.

178. *Sed corpore trunco.*) id est, Etiam si decolletur, nihil inde lucri habebis, nisi invidiosam defensionem.

180. *At vindicta.*) Sed dicis, Bona res est vindicari.

181. *Nempe hoc indocti.*) Imperiti, qui nullis caussis pœnas exposcunt. Sapientis est damnum, qualecunque, usque ad iracundiam ut procedat, non etiam ad vindictam debere reddi pœnam.

GRANG.

173. *Tota cohors pede non est altior uno.*) Hinc Pygmæi dicti *Philostrato*: *πήχεις παιδία*, *cubitales pueri.* Et *D. August.* de Civit. Dei lib. XVI. cap. VIII. a πυγμῇ vel πήχει, quod cubitum significat, vel πυγὸς brevis. Itaque πυγμαῖος, quasi πηχυαῖος. *Gell.* lib. IX. cap. IV. dicit *Pygmæorum* longissimos non longiores esse, quam pedes duos & quadrantem. *Plin.* lib. VII. cap. II. *Spithameos vocat ternas spithamas longitudine*, hoc est ternos dodrantes non excedentes, hoc est nostra mensura; viginti novem pollices, nimirum pedes duos & quinque pollices. *Olaus Magnus* in partibus Septentrionalibus affirmat eos dici vulgo SCRELINGER, quasi unus passus dicas: SCRE enim *passum*; LINGE *longitudinem* significat.

174. *Nullane perjuri capitis.*) *Seneca* de Ira lib. III. cap. XXVI. *Quid ergo? inquis, impune illi erit? puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ injuriæ pœna, fecisse: nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur.* Quæ respondet his *Poeta* sequentibus:

— Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos. —

178. *Corpore trunco.*) Truncato. *Truncus* heic adjective. *Propert.* eleg. IX. lib. IV.

Jactabant truncas ad cava buxa manus

Virgilius:

Trunca manum pinus. —

180. *Vindicta bonum vita jucundius ipsa.*) Publ. Syrus:

Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram.

Homer. Iliad. Σ. in Achillis persona:

Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο.
Dulcior (vindicta) *melle liquidum stillante.*

Seneca II. de Ira, cap. XXXII. *At enim ira habet aliquam voluptatem, & dulce est dolorem reddere.*

181. *Nempe hoc indocti*) dicunt. Verba *Juvenalis* Calvino.

181. *Præcordia flagrantia.*) Ex opinione Stoicorum, qui volunt iram in *pectore* moveri, effervescente circa cor sanguine. *Seneca* cap. XIX. lib. II. de Ira.

182. *Levibus caussis.*) ut tussi, sternutamento, aut musca parum curiose fugata, aut fracto calice, aut clavi negligentis manibus elapsa. *Seneca* de Ira II. cap. XXV.

186. Qui

Nona ætas agitur, pejoraque secula ferri
Temporibus: quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & a nullo posuit Natura metallo.
Nos hominum Divumque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem
Sportula. dic senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam, ne pejeret: & putet ullis
Esse aliquod numen templis, aræque rubenti?

Quon-

vult *Pompon. Strabo, Diodorus, Herodotus*: At *Ptolomæus* vult esse novem, *Plinius* undecim, sed quatuor esse falsa dicit; hinc semper *septem ostia Nili*. Unde recte a *Virg.* & *Catul. septemgeminus* dicitur; Propertio, *septemfluus*.

27. *Divitis Nili.*) quia fluit arena aurea. Hinc a *Cedreno* dictus *Chryssorrhoas*, quasi *aurifluus*.

Vet. Schol.

30. *Et a nullo posuit Natura metallo.*) Quemadmodum priora tempora habuerunt nomina, id est *aurea argentea*, & cetera.

31. *Nos hominum Divumque fidem.*) Cum scelerata secula, nos hunc errorem patimur, ut hominum ac Deorum fidem imploremus.

32. *Quanto Fæsidium.*) Ut ostendat *Fæsidium* conductos tunc habuisse, qui eum agentem caussas magna voce laudarent.

33. *Dic senior bulla dignissime.*) Irrisive, quasi iterum puer. hoc ex proverbio Græco *παῖδες δὶς γέροντες*. Ceterum *bullæ* qui usus, aut a quo inventus fuerit, supra dictum est.

34. *Nescis, Quem tua.*) id est, Ignoras, quas voluptates populo præstas, cum perfidiam minaris.

37. *Aræque rubenti.*) Sanguinolentæ, vel, ex igni.

Grang.

28. *Nona ætas agitur.*) Hunc locum ignorare fatentur *Interpretes*, dum ad illa communia, quæ de ætatibus mundi referunt. *Juvenalis* etenim mundum tanquam hominem considerat, totque ætates, sive gradus ætatis attribuit mundo, quot antiqui attribuebant homini. Illæ autem ætates septem annis definiebantur, ut patet ex *Solonis* elegia, quæ est de ætatibus hominis. At quemadmodum *nona ætas* in homine languet, & multo minus robusta est, quam præcedentes, ita mundo eruditissime *nonam ætatem* arrogat pejorem ceteris antecedentibus. Id autem desumsit ex illo *Solonis* disticho:

Τῇ δ' ἐνάτῃ ἔτι μὲν δύναται, μαλακώτερα δ' αὐτῦ,
Πρὸς μεγάλην ἀρετὴν γλῶσσά τε καὶ σοφίη.

Quæ ita vertit *Henric. Stephanus*:

At minus in nona mens illi linguaque pollet,
Quam præstare aliquod forte queant ut opus.

Multo melius, quam *Gelenius*.

31. *Hominum Divumque fidem.*) ex Quiritationis formula, de qua magnus *Brisson*.

32. *Vocalis Sportula.*) Cœna sive centum quadrantes, dans vocem comitibus, qui alias sine spe cœnæ obmutescerent. Sic facete *Martiali*, *cœna diserta* appellatur, epig. XLVIII. lib. VI.

32. *Laudat Fessidium agentem.*) Cum ipsis acclamationibus *σοφῶς*, *euge*, *belle*, & similia, de quibus *Martial. Horat. Pers. Plin. Junior.*

33. *Senior bulla dignissime.*) Sic *Persius*:

— *Tun' vetule.* —

Vocat autem *Calvinum seniorem*, qui natus jam sexaginta annos. Supra:

— *Stupet hæc, qui jam post terga reliquit*
Sexaginta annos, Fontejo Consule natus.

33. *Bulla dignissime.*) Dignus, qui inter pueros referatur. Unde proverbium, *bis pueri senes*. *Bulla* enim *aurea* pendebat puerorum collo. Hinc *Bullatæ nugæ*, *Persio*, hoc est pueriles & infantinæ.

34. *Quas habeat Veneres.*) Quæ illicia. Sic *Seneca* III. de Benef. cap. XXVIII. *Ille non est mihi par virtutibus, nec officiis, sed habuit suam venerem.* Vide & *Plin.* lib. XXXV. cap. X.

37. *Templis, aræque rubenti.*) Ut superiori satyr.

— *Templis maturus, & aræ.*

Aram autem *rubentem*, sanguine victimarum scilicet, ut supra:

— *Matremque rubentem.*

38. *Prius-*

Quondam hoc indigenæ vivebant more, prius quam
Sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens. tunc, cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Juppiter antris.
Nulla super nubes convivia Cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, etiam siccato nectare tergens
Brachia Volcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus, nec turba Deorum
Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. nondum aliquis sortitus triste profundi

60 Im-

VET. SCHOL.

38. *Priusquam Sumeret agrestem.*) id est, Temporibus, quibus Saturnus regnum tenuit, fidem homines exhibebant.

42. *Nulla super nubes.*) Intisiones per immutationes formarum.

43. *Herculis uxor.*) Heben dicit.

43. *Nec puer Iliacus.*) Ganymedes.

44. *Et jam siccato nectare tergens.*) Ut bene placeat etiam exsiccato sæculento, aut liquefacto.

46. *Prandebat sibi quisque Deus.*) Non in convivio communi, sed privatim.

48. *Miserum urgebant Atlanta.*) Quia dicunt eum cœlum sustinere: ut *Virgilius*:

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

49. *Nondum sortitus triste profundi.*) id est, Cum adhuc Juppiter regnum cœleste teneret, nec Neptunus mare, nec Pluto inferna cum Proserpina.

GRANG.

38. *Indigenæ.*) Latii incolæ.

38. *Vivebant hoc more.*) *Ovid.* epist. Phædræ:

Ista vetus pietas avo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.

Plura diximus satyr. VI.

39. *Posito diademate*) regni cœlestis.

39. *Sumeret falcem.*) Unde *falcifer* dictus Poetis.

41. *Idæis antris.*) An montis *Idæ*, qui est in Creta? An montis *Idæ*, qui est in Phrygia? Nam utrumque fuisse *Jovis cunabula* diversi Auctores diverse asserunt. *Propert.* clare de *Phrygio Ida* lib. III. eleg. I.

Idæum Simoenta, Jovis cunabula nostri.

Ovi[dius] contra:

Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten.

43. *Iliacus puer*) *Ganymedes*, qui *Martiali.* epig. XXXVII. lib. IX.

Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis.

& *Iliacus Cinædus*, lib. II. epig. XLIII.

43. *Formosa uxor.*) Hebe. *Ovid.* VI. Fast.

Finierat Juno: respeximus; Herculis uxor
Stabat —

Ea *Juventa* Latinis, quæ cum *Ganymede* Jovis est pocillatrix.

43. *Puer ad cyathos.*) Pocillator. *Horat.* ode XXIX. lib. I.

Puer quis ex aula capillis,
Ad cyathum statuetur unctis.

Sic *Propert.*

Lygdamus ad cyathos. —

44. *Siccato nectare.*) Sic satyr. V.

Siccabis calicem. —

Nectar autem Deorum immortalium potus, a νη particula privativa, & κτείνω.

45. *Taberna Liparæa.*) *Taberna* heic pro Cyclopum officina. In Aeoliis autem insulis Vulcanum suos habuisse Cyclopes, non est, quod probem: satis est dixisse, Aeolias insulas *Liparæas* etiam dictas fuisse, & *Vulcanias* Latinis, Vulcani insulas *Livio*, Hephæstiades *Græcis*, Aeolides *Trogo*.

46. *Sibi.*) Solus apud se.

46. *Nec turba Deorum Talis, ut est hodie.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Quamobrem major Cœlitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi.*

48. *Atlanta.*) Qui, quod dux Titanum fuisset adversus Jovem, idcirco ejus humeris Jupiter fornicem cœli imposuit. *Hygin.* Fab. CL.

49. *Sorti-*

Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec ſaxum, aut vulturis atri
Pœna : ſed infernis hilares ſine Regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer, licet ipſe videret

Plura

49. *Sortitus.*) *Sorte* partiti ſunt mundum Jupiter, Neptunus, Pluto, habuitque

Juppiter aſtra, fretum Neptunus, tartara Pluto.

49. *Triſte Imperium.*) *Horat.* lib. III. ode IV. *regnaque triſtia.* Virgil. *triſtia tartara.*

V E T. S C H O L.

51. *Nec rota.*) *Rota*, in qua Ixion dicitur volvi. *Saxum*, quod Siſyphus volvit. *vultur*, qui jecur Tityi comedit.

52. *Hilares ſine Regibus umbræ.*) Nam non erat opus judicibus, dum ſcelera nulla procederent.

53. *Improbitas illo.*) *Mirabile* fuit, ſi quis illo tempore *improbus* inveniretur.

G R A N G.

50. *Torvus Pluto.*) Quod ſignum feritatis. Sic Charon *torvus*; *Propertio* lib. III. eleg. XIIX.

Scandenda eſt torvi publica cymba ſenis.

50. *Sicula conjuge*) Proſerpina, quæ in *Sicilia* rapta. *Cic.* Verrina VI. *Hygin.* Fab. CXLVI. *Ovid.* V. Faſt. Aut *Sicula conjux*, quod in eadem *Sicilia* educta fuerit. *Claudian.* I. de Raptu:

Commendat Siculis furtim ſua pignora terris,
Inſidis natam Laribus commiſit habendam.

51. *Nec rota, nec furiæ.*) Nullæ tunc temporis apud inferos pœnæ. *Seneca* epiſt. XXIV. *Non ſum tam ineptus, ut Epicuream cantilenam perſequar, & dicam vanos eſſe inferorum metus, nec Ixionem rota volvi, nec ſaxum humero Siſyphi trudi in adverſum, nec ullius viſcera & renaſci poſſe quotidie, & carpi. nemo tam puer eſt, ut Cerberum credat, timeat & tenebras, & larvarum habitum nudis oſſibus cohærentium.* Sic & epiſt. LXXXIII. & Conſol. ad Marc. cap. XIX. & II. de Ira, cap. XXXV. *Lucret.* lib. III. *Cic.* I. Tuſcul. III. & IV. *Propert.* eleg. V. lib. III. *Salluſt.* in Catilin. *Plin.* lib. VII. *Noſter* ſatyr. II.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,
Et Pontum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque una tranſire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt; niſi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta. —

51. *Rota*) *Ixionis*. de qua *Virg.* VI. Æneid. *Claud.* II. de Raptu. *Propert.* lib. I. eleg. IX. *Tibull.* lib. I. eleg. III. *Ovid.* in Ibin. *Hygin.* Fab. LXII.

51. *Furiæ*) tres : quæ ex *Servio*, *Diræ* in cœlo, *Eumenides* apud inferos, *Furiæ* in terris dicuntur. De iis *Lil. Gyrald.* de Diis Gentium.

51. *Nec ſaxum*) Siſyphi, qui

— *Verſat*
Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum.

51. *Vulturis atri Pœna.*) qua afficitur *Tityus*. *Virg.* VI. Æneid. *Ovid.* in Ibin. *Claud.* II. de Raptu. *Tibull.* lib. I. eleg. III. *Lucret.* lib. III. *Homer.* Odyſſ. λ. Alii ab uno, alii a duobus vulturibus lancinari credunt, ſunt & qui a ſerpentibus.

51. *Atri vulturis.*) *Seneca* Thyeſte:

Aut pœna Tityi, qui ſpecu vaſto patens
Viſceribus atras paſcit effoſſis aves.

55. *Si juvenis vetulo.*) *Valer. Max.* lib. IV. cap. V. *Athenis quidam ultimæ ſenectutis cum ſpectatum ludos in theatrum veniſſet, eumque nemo e civibus ſeſſum reciperet, ad Lacedæmoniorum legatos forte pervenit, qui hominis ætate moti, canos ejus & annos aſſurgendi officio venerati ſunt, ſedem ei inter ipſos honoratiſſimo loco dederunt; quod ubi fieri populus aſpexit, maximo plauſu, alienæ urbis verecundiam comprobavit.* Idem *Valer.* lib. II. cap. I. *Plut.* in Publicola. *A. Gell.* lib. II. cap. XV.

56. *Licet ipſe videret. &c.*) licet ditior eſſet. Ut ille apud *Perſ.*

Eſt mihi far modicum. —

Divitiæ autem antiquorum in *glande*, & *fragis*, & ceteris ejuſmodi. *Propert.* lib. III. eleg. XIII.

Felix agreſtum quondam pacata juventus,
Divitiæ quorum meſſis, & arbor erat.

Seneca Hippolyto:

Sylvæ nativas opes, & opaca dederunt antra
Nativas domos. —

57. *Plura*

Plura domi fraga, & majores glandis acervos.
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo ſacræ lanugo ſenectæ!
Nunc, ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna libellis,
Quæque coronata luſtrari debeat agna.
Egregium, ſanctumque virum, ſi cerno, bimembri
Hoc monſtrum puero, vel mirandis ſub aratro
Piſcibus inventis, & fœtæ comparo mulæ

Sollici-

VET. SCHOL.

57. *Plura domi fraga.*) Quamvis ditior eſſet. *Virgil.*

— *Et humi naſcentia fraga.*

Divitiæ autem in *fragis* & in *glande* taxabantur.

58. *Tam venerabile erat.*) Ita, inquit, videbatur venerabilis ætas, ut pueris majoribus ſe annis quatuor deferrent * ut licut prima lanugo, id eſt, juvenes deferens ſenibus adfectarent.

58. *Cum tota ærugine follem.*) Æris vitium, *ærugo* dicitur ferri rubigo.

62. *Prodigioſa fides.*) quaſi monſtro ſimilis.

63. *Quæque coronata.*) quæ res in æde Fidei ſacrificiis luſtrari debet.

65. *Hoc monſtrum puero.*) id eſt, Hoc tempore vir bonus *monſtris* conferendus eſt.

66. *Et fœtæ comparo mulæ.*) Monſtris. Prodigia, quæ bellum civile Cæſaris & Pompeji præceſſerunt.

GRANG.

61. *Si reddat &c.*) Legiſſe memini apud *Plut.* in Demoſthene, ſub finem, militem quendam in jus a duce ſuo vocatum depoſuiſſe aurum inter manus ſtatuæ Demoſthenis: tuncque temporis oblitum, longe poſtea memorem facti a ſtatua illud aurum repetiiſſe, fideliterque illam reſtituiſſe depoſitum. Qua de re Poetæ, ait *Plutarch.* plurima epigrammata confecerunt: quo motus ſubito calore illud effudi, quod hic referre extra rem haud videbitur:

Præbuerat miles manibus Demoſthenis aurum,
Juſſus forte ducis ſiſtere judicio.
Depoſiti oblitus longo poſt tempore venit,
Pignus & intactum quod dedit, id repetit:
Reddidit acceptum fidus ſine judice Rhetor.
Quid mirum? nam non ipſe erat, at ſtatua.

61. *Cum tota ærugine.*) Integrum, & nulla parte diminutum. Sic *Plaut.* Trucul.

Quo citius rem auferant cum pulviſculo.

62. *Tuſcis digna libellis.*) quorum inſtituto tanquam prodigium procuretur, inquiunt.

63. *Luſtrari debeat agna.*) Nam minoribus, aut majoribus hoſtiis, prout reſpondebant aruſpices, ut paſſim videre eſt apud *Livium.*

63. *Coronata agna.*) Ut moris eſt inter ſacrificandum.

64. *Egregium, ſanctumque virum, &c.*) *Cic.* II. de Divinat. *Si quid raro fit, id portentum putandum eſt, ſæpius enim mulam peperiſſe arbitror, quam ſapientem fuiſſe.*

64. *Bimembri puero.*) qui habeat membra hominis, membraque animalis. *Virg.* v. III. Æneid.

— *Tu nubigenas, invicte, bimembres.*

Puer autem *bimembris*, ut apud *Livium* unus natus cum Elephanti capite.

65. *Mirandis ſub aratro Piſcibus.*) *Plin.* lib. IX. cap. LVII. piſcium genera etiamnum a *Theophraſto* mira produntur (libello ſcilicet de piſcibus.) In Paphlagonia effodi piſces gratiſſimos cibis, terrenos, altis ſcrobibus, in his locis, ubi nullæ reſtagnant aquæ. Quod *Ariſtot.* confirmat. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. & *Strabo* lib. XII. Vide *Ælian.* VIII. Var. Hiſt.

66. *Fœtæ mulæ.*) Si *mula* peperiſſet prodigium exiſtimabant antiqui. *Plin.* lib. VIII. cap. XLIV. hinc talia procurata fuiſſe prodigia docet *Livius.* At id portentum eſſe non æſtimat *Varro* II. de Re Ruſt. cap. II. multories *mulas* peperiſſe apud Auctores invenimus, ut apud *Ariſtot.* VI. animal. cap. XXIV. *Herodot.* in Thalia, *Sueton.* in Galba. quin & nunc temporis apud Allobroges *mulam* una cum *fœtu* nutriri affirmat *Olivarius Serranus* Theatro Agricult.

Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Examenque apium longa consederit uva
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris, & lactis vortice torrens.
Intercepta decem quereris sestertia fraude
Sacrilega? quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile & pronum est superos contemnere testeis,
Si mortalis idem nemo sciat! adspice, quanta
Voce neget, quæ sit ficti constantia vultus?
Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, & Cirrhæi spicula vatis:
Per calamos venatricis pharetramque Puellæ,

Perque

VET. SCHOL.

70. *Gurgitibus miris.*) aut lacteis, aut sanguineis.

71. *Intercepta decem.*) Apostropham facit ad illum, cujus ob reditum sacrificavit.

73. *Hoc arcana modo.*) Perdidit commodatum.

75. *Tam facile & pronum est.*) id est, Facilius contemnuntur Dii, si hominis testimonium intersit, sive in judicio dicat, *vidi*.

77. *Quæ sit ficti constantia vultus.*) Pro, quanta sit: *Terentius*:

Num ejus voltus pudoris signum usquam indicat.

Vultus, negantis vultus.

78. *Tarpejaque fulmina*) Capitolini Jovis.

80. *Per calamos venatricis.*) Κατὰ κοινοῦ. Per omnes Deos jurat.

GRANG.

67. *Lapides effuderit imber.*) Illud autem novendiali sacro expiatur. Livius vocat *lapideum imbrem*. Dicunt & *lapidibus pluere*, & *lapideo imbri pluisse*, & *lapideo imbri pluisse*, & *de cœlo lapidare*, & *lapides pluere de cœlo*.

68. *Longa uva.*) Βοτρυδὸν, i. in formam *uvæ*. *Plin.* lib. XI. cap. XVII. *Tunc ostenta faciunt* (apes) *privata, ac publica, uva dependente in domibus, templis, sæpe expiata magnis eventibus.* Columella: *Animadvertito, an totum examen in formam uvæ dependeat.* *Varro* III. de Re Rust. cap. XVI. *Multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ.* *Virgil.* ult. Georg.

— *Jamque arbore summa*
Confluere, & lentis uvam demittere ramis.

ubi *Servius*, in morem uvæ, i. Botryonis defluere, quod Græci βοτρυδὸν dicunt.

69. *Tanquam in mare fluxerit amnis Gurgitibus miris.*) Nimia vis etenim aquarum religionem facit, & inter portenta reponitur. Cave autem ad *sanguineos amnes* aut similia referas.

70. *Lactis vertice torrens.*) Cum scilicet *lacte* pluit; quod pluries evenisse constat. *Livius* lib. XXXIV. *Nuntiatum lac Interamnæ fluxisse.*

71. *Intercepta.*) Ea vis verbi *intercipere*, ut *totum capere* significet. *Donat.* in Eunuch.

75. *Tam facile & pronum.*) Nostrates exemplo pessimo, cum aliquod crimen volunt patrare, judicium metu retenti, *si je ne craignois autre, que Dieu*.

78. *Per radios.*) Vide *Briss.* lib. de Formul. VIII.

78. *Tarpeja fulmina.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Alii in ipso Capitolio fallunt, & fulminantem pejerant Jovem.*

78. *Tarpejaque*) *Jovis Capitolini.* nam & alii Dii Mars, Pallas, Vulcanus, Summanus fulmina jaculantur.

79. *Frameam.*) Hastam. *Framea* enim Germanicum nomen. *Tacit.* in Germania, ubi *Lips.*

79. *Cirrhæi vatis.*) Apollinis, a *Cirrha* Parnassi vertice. Vide *Sidon.* Carm. XXII. Noster alibi:

— *Dominis Cirrhæ, Nisæque ferentur.*

80. *Per calamos.*) *Tibull.* lib. I. eleg. IV.

Perque suas, impune licet, Dictynna sagittas
Affirmet. —

83. *Arma-*

Perque tuum, pater Aegei Neptune, tridentem:
Addit & Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quidquid habent telorum armamentaria cœli.
Si vero & pater est: Comedam, inquit, flebile gnati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, in Fortunæ qui casibus omnia ponant,
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Est alius metuens, ne crimen pœna sequatur:
Hic putat esse Deos, & pejerat, atque ita secum:

Decer-

VET. SCHOL.

83. *Armamentaria cœli.*) In quibus *arma* posita sunt.

84. *Comedam, inquit, flebile gnati.*) id est, Per filios suos jurat, *Sic non eos comedat.*

85. *Pharioque madentis aceto.*) Ægyptio, forti.

86. *Sunt in Fortunæ.*) Dicit, quam ob caussam homines perjurent, cum dicant, quod non *Diis* agimur, sed *fortunæ casibus.* Quid ergo Dii nocebunt læsi, si *fortuna* disponente vita hominum regitur?

88. *Natura volvente.*) Ut natura disposuit.

89. *Atque ideo intrepidi.*) Sine ullo timore pejerant.

90. *Est alius metuens.*) Qui credit, delictum posse puniri voluntate Deorum, sed veniam sperat.

GRANG.

81. *Aegei Neptune pater.*) Nonnulli *Aegeum Neptuni filium* credunt, ut *Hyginus*, alii Pandionis, ut refert idem *Hyg.* fab. XVI. Alii Scyrii natum faciunt, ut *Apollodor.* Biblioth. III.

82. *Herculeos arcus*) Nam *Hercules* sagittarius Deus creditus. *Phornutus* lib. de nat. Deor. *Arcus* autem Philocteti donavit fatales, & sine quibus Troja capi non poterat. *Hyginus* Fab. CII.

82. *Hastamque Minervæ.*) Antiqui per *hastas* jurare soliti; quod facit Parthenopæus apud *Aeschyl.* sicque apud *Homer.* & *Virg.* per sceptrum jurare mos est, ut advertit *Turneb.* lib. VIII. cap. XVI.

84. *Si pater.*) Si ille, qui pejerat, natos habet.

84. *Comedam flebile* &c.) Non tantum jurabit *per caput fili*, ut solebant patres, sed, quod horribilius, se manducaturum filii sinciput asseverat.

85. *Phario aceto.*) Aegyptio. a *Pharo* Aegypti. *Sidonius*:

Dum venis a Phario dotalis turba Canopo.

Acetum autem *Aegyptium* in precio. *Martial.* de eo lib. XIII. epig. CXXII. Et Chrysippus apud *Athenæum* cap. XXX. lib. II. commendat Cnidium & Aegyptium.

86. *Sunt, qui Fortunæ casibus.*) *Plin.* lib. II. cap. VII. *Toto mundo, & locis omnibus, omnibusque horis Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur: una agitur, & cum conviciis colitur, huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.*

87. *Mundum nullo rectore moveri, Natura volvente* &c.) *Plin.* loco superiore: *Jovem quidem, aut Mercurium, aliterve alios inter se vocari, & esse cœlestium nomenclaturam, quis non interpretatione Naturæ fateatur? Irridendum vero, agere curam rerum humanarum, quidquid est summum.*

88. *Vices lucis, & anni.*) Claudian.

— *Annique meatus,*
Et lucis, noctisque vices. —

89. *Intrepidi altaria tangunt.*) Jurant, & pejerant sive ullo metu: quia non credunt Deos pœnarum vindices. *Tangere* autem *altaria*, pro, jurare, quod jurare solerent *altaria tangentes.* *Macrob.* III. Saturn. cap. II. Sic *Propert.* *aram* posuit pro sacramento:

Ergo, qui pactas in fœdere ruperit aras,

Vide super hunc ritum *Virg.* IV. VI. & XII. Æneid. *Valer. Max.* lib. IX. cap. III. *Horat.* od. XIII. lib. III. Sic in Ecclesia Romana, Jusjurandum super altari fieri olim solitum, ut patet c. *habemus.* XXII. *quæst.* Juramentum super *altari*, & reliquiis sanctorum præstitum a Canonibus approbatur.

90. *Ne crimen pœna sequatur.*) *Lyricus Vates* lib. IV. od. V.

Culpam pœna premit comes.

93. *Feriat*

Ut sit magna, tamen certe LENTA ira Deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocenteis,
Quando ad me venient? sed & exorabile Numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere. MULTI
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris precium tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmant. tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam, CUM magna malæ superest audacia caussæ,
Creditur a multis fiducia. mimum agit ille,
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:

Tu

99. *Pisea.*) Olympiacæ. Olympia Urbs in Pelopon neso, a qua ludi Olympici. Ea autem *Arpina*, & *Pisa* vocata, ut est auctor *Stephanus*. Hodie *Langanico* dicitur, ut vult *Castaldus*: *Stauri* vero, ut scribit *Niger*.

VET. SCHOL.

100. *Ut sit magna tamen.*) Concedo, inquit, ut delictum puniant Dii; tarde tamen.

103. *Fortasse experiar.*) Fortasse, inquit, placabile numen, quod omnia diversa sunt facta: usque adeo, ut in eodem crimine deprehensi, alter crucem mereatur, alter imperium.

105. *Hic diadema.*) ut Romulus pro commisso scelere non dedit pœnas, sed imperium adeptus est.

407. *Sacra ad delubra vocantem.*) Vocantem eum ad templum, ut juret.

109. *Nam cum magna malæ.*) Nam cum, inquit, homines, qui malam caussam habent, id est, qui denegant alienum, visa fuerit improba contentio, audacia creditur innocens, ut *mimum urbani scurræ agere* ac irrisione audaciæ videatur. Talis est enim mimus, ubi servus fugitivus dominum suum trahit. *Catullus*, mimographus fuit.

GRANG.

100. *Ut sit magna, certe lenta.*) Epicurei Nostrates solent dicere, *le terme vaut l'argent*.

100. *Lenta ira Deorum.*) *Seneca* Pater præfat. lib. V. Controvers. *Sunt Dii immortales lenti quidem, sed certi vindices generis humani.* *Heliodor.* Æthiopic. I. Οὐ παντάπασιν, ἔφη ὁ Χαρίας, ἐκλελοίπασιν ἡμᾶς ἡ δίκη καθ' Ἡσίοδον, ἀλλὰ μακρὸν μὲν ἄν τι καὶ παρίδοι ποτὲ, τῷ χρόνῳ τ' ἄμυναν παρέλκουσα. τοῖς δὲ οὕτως ἀθέσμοις ὀξὺ ἐπιβάλλει τὸν ὀφθαλμόν. *Non omnino deseruit nos (inquit Charias) justitia, secundum Hesiodi sententiam: sed quamvis interdum aliquantisper conviveris in sceleribus hominum, in longum tempus ultionem protrahens, tamen in ejusmodi nefarios acrem injicit oculum.* *Papin.* Thebaid. V.

— *Lentoque increpat agmine pœna.*

Tibullus:

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Vide *Horat.* ode II. lib. III. & *Homer.* Iliad. IV. *Valer. Max.* lib. V. cap. V. *Plin.* lib. II. cap. VII. *Platon.* lib. X. de Legib. *Lactant.* de Ira Dei cap. XX. *Ælian.* lib. III. Var. Hist. *Salomon* Proverb. XVII & XXII. Et Theologos ad *D. Pauli* ad Rom. cap. II. Hinc proverbium vulgatissimum: *Dii pedes laneos habent.*

102. *Exorabile Numen.*) *Propert.* lib. II. eleg. XXX.

Et jam si pecces, deus exorabilis ille est.

105. *Ille crucis.*) quasi latronum, qui cum Christo pependerunt, historiam acu tangeret.

107. *Ad sacra delubra.*) Ubi celebrari *sacramenta* consueverant, velut præsentibus, & audientibus Diis *Plaut.* Curcul.

Namque incubitare satius te fuerat Jovi,
Tibi qui auxilio in jurejurando fuit.

& Captiveis:

Siquidem incubare velint, qui pejeraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

111. *Urbani Catulli.*) Quia, inquit Scaliger ad *Catullum*, scenatici homines, quos βιολόγους vocant Græci, dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum; propterea factum, ut *Mimi, Scurræ & Urbani* vocarentur.

Xx 112. Tam

Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius, quantum Gradivus Homericus: Audis
Juppiter hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta
Ponimus, & sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuamque VagellI.
Accipe, quæ contra valeat solatia ferre,
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.

Curen-

VET. SCHOL.

112. *Tum miser exclamas.*) Præcones Græcorum: quia antiqui tubas non habebant.

113. *Quam Gradivus Homericus.*) Mars cum plagatus est a Diomede.

115. *Vel marmoreus, vel aeneus.*) cujus statua vel *marmorea*, vel *ænea* sit.

17. *Albaque porci Omenta.*) Ad quid sacrificamus, si vocem non redditis?

119. *Statuamque VagellI.*) Ut video, inquit, inter vos & *Vagellium*, qui, ut vos, stultissimus accepit statuam.

119. *Accipe, quæ contra.*) quæ valeat adferre solatia *Juvenalis* tibi.

121. *Et qui nec Cynicos.*) Dicit *Cynicorum & Stoicorum* dogma convenire, tantum *veste* distare. Nam *Cynica* mater *hæresis Stoicæ*. *Cynici* absque pallio exserto brachio.

123. *Exigui lætum plantaribus horti.*) Qui in *hortis* de otio & voluptate disputat.

GRANG.

112. *Ut Stentora vincere possis.*) Sic Juno assimilatur *Stentori* χαλκεοφώνῳ, ut qui vocem tantam haberet *Stentor*, ut quinquaginta aliorum hominum vocem superaret. *Homer.* Iliad. ε. Vide proverb. *Stentore clamosior.*

113. *Gradivus Homericus.*) Tangit illud *Homeri* Iliad. ε.

— Ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης
Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος.
— *Ille autem boavit ferreus Mars*
Quantum novies mille clamant, vel decies mille
Viri in bello certamen committentes Martis.

114. *Jupiter hæc.*) Simile quid satyr. II ad Martem:
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas,
Nec quereris patri? —

114. *Nec labra moves.*) *Horat.* lib. I. epist. XVI.
— *Clare cum dixit: Apollo!*
Labra movet metuens audiri. —

114. *Mittere vocem.*) *Lucanus* ad Pisonem:
——— *Cum tua mæstos*
Defensura reos vocem facundia mittit.
Propert.
Spirantesque animos, & vocem misit. —
Horat. in Arte:
— *Nescit vox missa reverti.*

116. *Pia thura.*) *Martial.* lib. XIII. epig. IV.
— *Da pia thura Jovi.*

116. *In carbone tuo.*) In acerra, ubi carbo.

116. *Thura Ponimus.*) Horatius:
Verbenas pueri ponite thuraque.

116. *Soluta charta.*) in qua thus involutum, hoc est *cucullus*, qui e malorum Poetarum carminibus fieri solebat.

119. *Statuam Pathylli*) a Polycrate erectam ante aram Junonis Samiæ. *Apul.* Florid. II.

122. *A Cynicis tunica distantia.*) *Cynicorum* enim & *Stoicorum* Philosophorum idem Auctor *Antisthenes*, ut docet *Laert.* in Ejus vita. utriusque sectæ eadem dogmata, iidemque fere *Stoici & Cynici*, nisi quod in habitu aliquid mutant. Idem *Diog.* in Menedemo. Communio & societas quædam est his duabus sectis, unde & *Cynicismum* dixerunt brevem ad virtutem viam. *Lips.* lib. I. ad Stoicam Phil. dissert. XIII.

123. *Plantaribus exigui horti.*) Schola enim *Epicuri* in *Horto*. De quo *Virg.* in Ciri:

Cecropius

Curentur dubii medicis majoribus ægri;
Tu venam vel discipulo committe Philippi.
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo, nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quam funera. nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam

Conten-

Cecropius suaves exspirans hortulus auras,
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra.

Diog. Laert. in vita Epicuri: *Hortis* ipsius foribus id inscriptum: HOSPES HEIC BENE MANEBIS HIC SUMMUM BONUM VOLUPTAS EST. *Seneca* epist. XXI. De *hortis* autem *Epicuri*, *Noster* satyr. sequenti:

Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis.

Et *Cic.* multis locis, itemque *Plin.* lib. XIX. cap. IV. *Propert.* lib. III. eleg. I.

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.

Stat. in Tiburtino Manlii lib. I. Sylv.

VET. SCHOL.

124. *Curentur dubii.*) Per allegoriam sufficere se dicit in solatium amico damnum mœrenti.

129. *Claudenda est janua.*) quasi lugentes *januas claudunt*, cum damnum pertulerunt.

131. *Nemo dolorem Fingit.*) sed vere plangunt damna.

GRANG.

125. *Discipulo Philippi*) medici e via.

126. *Si nullum in terris.*) Imitatio *Horatiana* satyr. III. lib. II.

— Hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.

127. *Pugnis cædere pectus.*) quod in maximis doloribus fieri solitum. *Seneca*:

— Sævite manus,
Pulsu vasto tundite pectus.

Chorus respondet:

Tibi nostra ferit dextra lacertos,
Humerosque ferit tibi sanguineos,
Tibi nostra caput dextera pulsat.

129. *Claudenda est janua damno accepto.*) tanquam in funere, & demortui luctu, quo *januæ domorum claudebantur*. *Albinov.* Consolat. ad Liviam de funere Drusi:

Incerti clauduntque domos, trepidantque per urbem.

Tacit. Annal. II. *Sumto justitio deferuntur fora, clauduntur domus.* Tamen potest & illud referri ad id, quod specie proverbii Galli efferunt, *Il est temps de fermer les estables, quant les chevaux n'y sont plus.*

130. *Majore domus gemitu Planguntur nummi, quam funera.*) *Auctor* Queroli, prologo: *Iste ad me venit, patrem peregre mortuum audivit. hui! quam graviter dolet, ut sunt humana: Credo, quia nil relictum comperit.* Et paullo post: *Nonne hoc justum fuit, bustum ut efferret filius?* QUER. *Fateor, sed pater ipse nil reliquit.* LAR. *Dura deploratio, exequias inanes tibi contigisse luges.*

131. *Nemo dolorem Fingit in hoc casu.*) at plurimum *fingitur* in funeribus. *Seneca* epist. XCIII. Et *Martial.* lib. I. epigr. XXXIV.

Amissum non flet, cum sola est, Gellia patrem,
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.

132. *Diducere vestem summam.*) quod fieri solet in luctu, ut pectus appareat. Petron. *Non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere.* Seneca in Troade:

— Veste remissa
Substringe sinus, uteroque tenus
Pateant artus, cui conjugia
Pectora velas captive pudor.

& paullo post:

— Cadat ex humeris
Vestis apertis, utrumque tegat
Suffulta latus. Jam nuda vocant
Pectora dextras.

Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela:
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt cheirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera: gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ custoditur eburnis:
Ten'o delicias extra communia censes
Ponendum: qui tu gallinæ filius albæ;
Nos viles pulli nati infelicibus ovis!
Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina. confer
Conductum latronem, incendia sulfure cœpta,
Atque dolo, primos cum janua colligit igneis:
Confer & hos, veteris qui tollunt grandia templi

Pocula

VET. SCHOL.

133. *Humore coacto.*) Lacrimis extortis. *Terentius:*
Una hercle falsa lacrimula.
Virgilius:
Mens immota manet, lacrimæ volvuntur inanes.

136. *Si decies lectis.*) Si sæpius lectis cautionibus negant suas esse manus.

138. *Gemmaque princeps.*) preciosa, signum suum.

139. *Loculis quæ custoditur eburneis.*) Quia in *locellis eburneis* gemmas solent reponere.

141. *Gallinæ filius albæ.*) proverbium vulgare. id est, *nobilis.*

142. *Nos viles pulli.*) Virgilius:
Nos animæ viles. —

143. *Et mediocri bile ferendam.*) Damnum, quod debeas contemnere.

144 *Majora ad crimina confer.*) Hunc, qui depositum tibi negavit, compara.

146. *Primos cum janua.*) Sulphuratas esse januas ab incendio.

147. *Qui tollunt grandia templi.*) qui templum spoliant.

GRANG.

133. *Vexare oculos.*) *Virgil.* II. Æneid.
— *Captique dolis, lacrimisque coactis.*
Ovid. VI. Metamorph.
Invitique oculi lacrimis maduere coactis.
Et eleg. VIII. lib. I. Amor.
— *Oculi discunt lacrimare coacti.*
Vide & quæ dixi ad illud VI.
Uberibus semper lacrimis, semperque paratis
In statione sua. —

133. Vexare *oculos.*) Sic apud *Terent.* Eunuchi act. I. Sc. I.
Hæc verba mehercule, una falsa lacrymula,
Quam oculos terendo vix vi expresserit, restinguet.

137. *Ligni.*) Simpliciter *lignum* pro tabulis, ut apud *Ovid.* II. de Ponto:
Nec mea fallaci convicta est gemma sigillo
Mendaces lignis imposuisse notas.
Ut recte *Cujacius* correxit cap. XIV. lib. XI. Observat. cum antea legerent *ceris*, aut *linguis*. *Tabulæ* enim illæ *ligneæ*, & potissimum e pinu. *Plin.* lib. XIII. cap. XXIV. & *Euripides* in Hippolyto.

148. *Gemmaque princeps.*) *Gemmis* enim signacula inscripta diximus ad illud I.
Signator falso &c.

138. *Princeps Sardonychus.*) Non quod sit *princeps* lapidum, sed quod in *signaculis principem* locum obtineat. *Plin.* lib. XXXVII. cap. VI. quoniam solæ prope gemmarum sculptæ ceram non auferrent.

140. *Te nunc delicias.*) Ut satyr. VI.
Delicias hominis. —

141. *Gallinæ filius albæ.*) Vide *Sueton.* in Galba, item *Dionem*, & *Plin.* lib. XV. cap. ult. *Erasm.* in Chiliadib.

145. *Incendia.*) Intellige de incendio urbis Romæ a Nerone patrato; de quo idem *Sueton.* cap. XXXVIII. in Nerone.

148. Popu-

Pocula adorandæ robiginis, & populorum
Dona, vel antiquo positas a Rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet solitus totum conflare Tonantem?
Confer & artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis
Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus. paucos consume dies, &

Dicere

VET. SCHOL.

148. *Pocula adorandæ robiginis.*) Antiquitatis merito *adorandæ*.

151. *Radat inaurati femur.*) * Dropacistas dicit, qui cera de inauratis statuis *aurum* tollunt.

153. *An dubitet solitus.*) id est, Qui non dubitet etiam ipsius Jovis statuam conflare.

154. *Mercatoremque veneni.*) Dubium, venditorem an emtorem dicat.

155. *Et deducendum corio bovis in mare.*) *Culleo* nam insui consueverant, qui hæc scelera tentarent, id est, *parricidæ cum simia & serpente, & in mare mitti. Innoxia*, pro, innocens.

157. *Quæ custos Gallicus.*) Nomen præfecti vigilum, qui institutus est, postquam *Galli* Capitolium ceperunt.

160. *Sufficit una domus.*) *Gallici* scilicet domus, ubi hæc omnia audiuntur cottidie.

GRANG.

148. *Populorum Dona.*) Et id de eodem Nerone intelligendum. *Sueton.* in ejus vita: cap. XXXII. *Ultimo, templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit.*

148. *Pocula adorandæ robiginis.*) Antiqua & quasi *ærugine* corrosa, proindeque *adoranda*, & quasi veneranda. *Robigo* tamen proprie ἰὸς σιδήρου Glossis. Prima autem *Robiginis* anceps, nam corripuit *Ovid.*

— *Scabrique rubigine dentes.*

Et *Prudent.* in Psychomachia:

Condere vagina gladium, ne tecta robigo.

152. *Bracteolam.*) *Bracteam* quæstoriam. Crassior enim dicebatur *Practea Prænestina* a fortunæ simulacro ibi fidelissime inaurato. *Plin.* lib. XXXIII. cap. III. Ubi unciam auri in septingenas, & quinquagenas bracteas quaternum utroque digitorum spargi dicit. Glossæ: *Bractea*, πέταλον, hoc est folium auri. hinc *imbracteare* inaurare est, & *bractearii* inauratores.

153. *Tonantem*) Jovem. *Horat.*

Cælo tonantem credidimus Jovem.

Vide *Claudianum.*

154. *Mercatorem veneni*) mali. Est enim *venenum* verbum anceps, & tam bonum, quam *malum* venenum est. *l.* III. §. II. *D. ad L. Cornel. de sicariis.*

155. *Corio bovis.*) Culeo, qui, ut ait *Vetus Interpres*, saccus est factus ex *coriis*: hinc sic Græci δέρματι βοείῳ ἐνεδύετο. *Parricidæ* autem *culeo* insuebantur. Supra *Noster* satyr. VIII.

— *Non debuit una parari*
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Cicero pro Roscio Amer. *Sed prius cæsi virgis sanguineis cum cane, gallo, vipera in mare dejiciebantur. l.* I. *& penult. D. ad L. Pompejam de parricidiis.*

155. *In mare.*) quod si abesset longius, in proximum amnem. *l. unica. Cod. de his qui parent. vel lib. occid.*

156. *Simia.*) Ut satyr. IIX. Quare autem *simia*, & reliquæ illæ clauderentur cum *parricida*, diversorum diversa ratio. Vide *Rhodig.* lib. VI. cap. XIII. & *Foreatulum* in Necyomantia Juris. & *Olivarium Aregarensem* interpretem *Valerii Max.* & *l. unic. de his, qui parent. vel lib. occid.*

162. Quis

Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue. si videas hoc

Gentibus

VET. SCHOL.

162. *Quis tumidum guttur.*) Quis potest, inquit, facta scelera suis in locis, ubi omnes tales sunt, mirari: tanquam si in *Alpibus guttorosos homines* admireris, ubi tales sunt plurimi scilicet: nam lata & inflata colla habent.

164. *Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem.*) Glaucos oculos, & capillos rubeos.

166. *Nempe quod* &c.) Ideo non est mirum.

167. *Ad subitas Thracum volucres.*) ad fluvium Strymonem.

168. *Pygmæus parvis.*) Aut quis debet mirari *Pygmæos* cum gruibus pugnantes, quorum hoc est studium semper?

169. *Mox impar hosti.*) quia parvi sunt corpore.

GRANG.

162. *Quis tumidum guttur miratur in Alpibus.*) *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII. *Guttur* homini tantum & suibus *intumescit*, aquarum, quæ potantur, plerunque vitio, præsertim, auctore *Vitruvio*, apud Aequicolas Italiæ, & Medullos Alpinos, vulgo *Miolans*, & *la vallee de la Tarentaise*.

163. *In Meroe*) Nili insula. De cujus hodiernis nominibus consule *Ortelium* in Synonymia.

163. *Majorem infante mamillam.*) Consule & *Pompon. Melam* ea de re.

164. *Cærula Germani lumina.*) *Tacit.* libello de moribus Germaniæ: *Habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem, omnibus truces & cærulei oculi, rutulæ comæ, magna corpora & tantum ad impetum valida. Sidon.* carm. V.

— *Tum lumine glauco*
Albet aquosa acies. —

164. *Flavam Cæsariem.*) *Claudian.* IV. Consulatu Honorii:

Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem. —

Rutilas vocat *comas* Tacit. Silius *auricomas, rufos* Senec. III. de Ira, cap. XXVI. Vide *Lips.* locis *Taciti* citatis, & *Junium* de Coma.

164. *Madido cirro.*) *Cirrus* crinis est obliquus, & nodo substrictus: quod proprium gentis Germaniæ, *Tacit.* in Germania. *Seneca* Epist. ult. & loco de Ira supradicto. *Tertul.* lib. de Veland. Virginibus.

165. *Torquentem cornua.*) Virgil. *vibrare ferro crines* dixit: *obligare* Tacitus: *torquere* Martialis:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

165. *Cornua*) in capillis. quæ & a Græcis *κέρατα* ea in significatione.

165. *Madido cirro.*) unguentis delibuto. Vide *Junium* cap. VII. lib. de Coma.

166. *Natura est omnibus una.*) Supra Tacit. *Habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.* Seneca: *Nihil in uno judicatis notabile aut fœdum, quod genti suæ publicum est.*

167. *Ad subitas Thracum volucres.*) i. Grues, quas *Virg.* vocat I. Georg. & lib. XI. Æneid. *Strymonias*, a *Strymone* Thraciæ amne. *Pygmæi* etiam in Thracia, teste *Plinio* lib. IV. cap. XI. Quamvis ipse *Plin.* lib. VII. cap. II. eos statuat in India, aut Æthiopia cum *Homero*, & *Mela. Ovid. Threiciam gruem* dixit III. de Arte.

168. *Bellator.*) De *Pygmæorum bello cum gruibus*, *Plin.* multis locis, ut lib. IV. cap. XI. lib. VII. cap. II. lib. I. cap. XXIII. *Mela* cap XI. lib. III. *Ovid.* VI. Metam. *Strabo* lib. X. *Aristoteles* in Histor. Animal. Multi tamen populos fabulosos credunt. Alii tamen & Neoterici exstare affirmant, inter quos *Cardanus*, & *Olaus Magnus*.

171. *Risu*

Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic,
Quanquam eadem assidue spectentur prælia, ridet
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit? abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, & nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio. manet illa tamen jactura, nec unquam
Depositum tibi sospes erit: sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis.
At VINDICTA bonum vita iucundius ipsa.
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia caussis.

Quan-

VET. SCHOL.

171. *Risu quatiare.*) id est, Rideres, si hoc apud nos possis videre. At quia omnes tales sunt, nemo ibi de alio ridere potest.

174. *Nullane perjuri capitis.*) Anthypophora, quasi objectio. Ergo nulla pœna manet eos, qui pejerant?

175. *Abreptum crede hunc graviore catena.*) id est, Puta quam majoribus pœnis afficitur. quanquam animus tuis exposcit, quid tibi prodest, nec damnum ex hac re resarciri potest. puta igitur hunc continuo vinclis ligari.

178. *Sed corpore trunco.*) id est, Etiam si decolletur, nihil inde lucri habebis, nisi invidiosam defensionem.

180. *At vindicta.*) Sed dicis, Bona res est vindicari.

181. *Nempe hoc indocti.*) Imperiti, qui nullis caussis pœnas exposcunt. Sapientis est damnum; qualecunque, usque ad iracundiam ut procedat, non etiam ad vindictam debere reddi pœnam.

GRANG.

173. *Tota cohors pede non est altior uno.*) Hinc *Pygmæi* dicti *Philostrato*: πηχεῖς παῖδες, *cubitales pueri*. Et *D. August.* de Civit. Dei lib. XVI. cap. VIII. a πυγμῇ vel πήχει, quod cubitum significat, vel πυγὸς brevis. Itaque πυγμαῖος, quasi πηχυαῖος. *Gell.* lib. IX. cap. IV. dicit *Pygmæorum* longissimos non longiores esse, quam pedes duos & quadrantem. *Plin.* lib. VII. cap. II. *Spithameos* vocat *ternas spithamas longitudine*, hoc est ternos dodrantes non excedentes, hoc est nostra mensura; viginti novem pollices, nimirum pedes duos & quinque pollices. *Olaus Magnus* in partibus Septentrionalibus affirmat eos dici vulgo SCRELINGER, quasi unus passus dicas: SCRE enim *passum*; LINGE *longitudinem* significat.

174. *Nullane perjuri capitis.*) *Seneca* de Ira lib. III. cap. XXVI. *Quid ergo? inquis, impune illi erit? puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ injuriæ pœna, fecisse: nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur.* Quæ respondet his *Poeta* sequentibus:

— *Cur tamen hos tu*
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos. —

178. *Corpore trunco.*) Truncato. *Truncus* heic adjective. *Propert.* eleg. IX. lib. IV.

Jactabant truncas ad cava buxa manus

Virgilius:

Trunca manum pinus. —

180. *Vindicta bonum vita jucundius ipsa.*) Publ. Syrus:

Inimicum ulcisci, vitam accipere est alteram.

Homer. Iliad. Σ. in Achillis persona:

Ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο.

Dulcior (vindicta) *melle liquidum stillante.*

Seneca II. de Ira, cap. XXXII. *At enim ira habet aliquam voluptatem, & dulce est dolorem reddere.*

181. *Nempe hoc indocti*) dicunt. Verba *Juvenalis* Calvino.

181. *Præcordia flagrantia.*) Ex opinione Stoicorum, qui volunt iram in *pectore* moveri, effervescente circa cor sanguine. *Seneca* cap. XIX. lib. II. de Ira.

182. *Levibus caussis.*) ut tussi, sternutamento, aut musca parum curiose fugata, aut fracto calice, aut clavi negligentis manibus elapsa. *Seneca* de Ira II. cap. XXV.

186. Qui

Quantulacunque adeo est occasio; sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium, dulciquè senex vicinus Hymetto,
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare: plurima felix
Paullatim vitia, atque errores exuit omneis,
Prima docet rectum Sapientia: quippe MINUTI
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio: continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina. cur tamen hos tu
Evasisse putes: quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Pœna

VET. SCHOL.

186. *Qui partem acceptæ.*) *Socrates* philosophus Atheniensis cum argueretur proditionis, receptus est in carcere cum *accusatore*, qui, cum sibi daretur venenum, *accusatori* petenti noluit dare.

187. *Plurima felix.*) Generaliter, * Quicunque *felix*, id est, doctus & sapiens. Potior ergo est Sapientia, quam felicitas. Siquidem illa paullatim amittit, hæc statim purgat.

188. *Atque errores exuit omnes.*) Sapientia.

189. *Quippe minuti.*) Fœminei dicit.

192. *Nemo magis gaudet.*) quia vincitur animus sexus iracundia.

194. *Mens habet attonitos, &c.*) id est, Conscientia sua pœnis & verberibus adficit.

GRANG.

184. *Chrysippus non dicet idem.*) Non hoc præcipit Philosophia, ut rependantur malis vices.

184. *Chrysippus.*) Philosophus, de quo *Laertius* in Vitis.

184. *Non dicit idem.*) Vindictam bonum jucundius vita.

185. *Senex*) *Socrates*, qui natus septuagesimæ septimæ Olympiadis anno quarto, mortuus est primo anno nonagesimæ quintæ: quamvis alii sexagenarium obiisse dixerint. hic supra aliôs ab injuriarum vindicta abhorruit. Videndus *Seneca* III. de Ira cap. XI.

185. *Vicinus Hymetto.*) Atheniensis, Alopecensis pago.

186. *Qui nollet dare acceptæ &c.*) *Melito.* Sunt tamen, qui tres accusatores numerant: *Avitum, Melitum*, *Lyconem*.

186. *Inter vincla.*) In quo triginta dies post condemnationem exegit propter *Delia festa*; quæ nec Græcis, nec Romanis licebat funestare. *Seneca* epist. LXX.

186. *Acceptæ cicutæ.*) Satyr. VII.

— *Et hunc inopem vidistis Athenæ &c.*

187. *Felix sapientia.*) Ex porticu paradoxum illud: *Etiam in tormentis sapientem beatum esse.*

189. *Quippe minuti.*) *Seneca* lib. II. de Ira cap. XXXIV. *Pusilli & hominis miseri est repetere mordentem, mures & formicæ, si manum admoveris, ora convertunt, imbecillia se lædi putant, si tanguntur.* At e contrario, ut docet idem *Philosophus* I. de Clementia cap. V. *Magni animi est proprium, placidum esse tranquillumque, & injurias atque offensiones superne despicere.*

191. *Vindicta Nemo magis gaudet.*) *Seneca* in Medea:
Pars ultionis ista, qua gaudes, quota est.

193. *Evasisse putes.*) Cic. pro Milone: *Magnam vim habet conscientia in utramque partem, ut semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccaverint, & nihil timeant, qui nihil admiserint.* Plutarchus: *Facinorum conscientia, sicut ulcus in carne, in animo pœnitentiam relinquit assidue lancinantem, & pungentem.* Ovid. I. Fast.

Conscia mens ut cuique est, sic ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.

Stat. III. Thebaid.

— *Invigilant animo, scelerisque patrati*
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis augur timor. —

194. *Surdo verbere cædit.*) Illud Græcorum exprimit:
Συνείδησις [illegible]

195. *Tortore flagellum.*) *Seneca* epist. XCVII. *Hic*

con-

Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,
Quas & Cæditius gravis invenit, & Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.
Spartano cuidam reſpondit Pythia vates:
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depoſitum retinere, & fraudem jure tueri
Jurando: quærebat enim, quæ Numinis eſſet
Mens, & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus, & tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit:
Exſtinctus tota pariter cum prole, domoque,
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,

Fa-

conſentiamus mala facinora conſcientia flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eo, quod perpetua illam ſollicitudo urget ac verberat.

VET. SCHOL.

197. *Quas & Cædicius.*) *Cædicium* aulicum Neronis crudeliſſimum fuiſſe vult intelligi ſatellitem.

199 *Spartano*) *Glaucum* dicit genere Spartanum, qui creditum fidei ſuæ theſaurum a Mileſio quodam, & repetentibus hanc pecuniam hæredibus filiis ejusdem Mileſii, reddere dubitavit. cum Apollinem conſuluiſſet, quid ſibi ſuaderet, fraudaretne perjurio, quod ad ſacramentum vocaretur, an ſine ſacramento fideicommiſſum redderet: cui Deus reſpondit, pœnas ſoluturum hoc ipſo, quod dubitarit creditum reſtituere. Quo reſponſo *Glaucus* territus paravit ſe citra ſacramentum reddere. Hæc narratio in VII. hiſtoria *Herodoti* eſt. Reddidit ergo *Glaucus*, quia timuit, non quia voluit: unde pœnas dignas ſceleris non effugit. Hoc eſt apud *Herodotum*: Ὄμνυ ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.

201. *Depoſitum retinere.*) Non reddere fideicommiſſum, ſed pejerare.

204. *Reddidit ergo metu, non moribus.*) Timens pœnam, non pro voluntate.

205. *Vocem adyti.*) Quæ illi Apollo fuerat minitatus.

206. *Cum prole domoque.*) Cum omnibus ſuis vel propinquis eradicatus eſt.

208. *Has patitur pœnas.*) Qui, inquit, animo ſcelus cogitat, tanquam commiſerit, ſic eum conſcientia ſua torquet.

209. *Nam ſcelus.*) id eſt, Qui cogitaverit ſcelus admittere, reus eſt, tanquam ſi cogitata perpetraverit.

GRANG.

197. *Aut Cæditius.*) Mentionem & de *Cæditio* facit alibi, quem *facundum* dicit ſatyr. XVI.

198. *Geſtare teſtem.*) Ex illo Quintiliani: *Conſcientia mille teſtes.*

199. *Cuidam Spartano.*) *Glauco* Epicydidis filio. Cujus hiſtoriam narrat Athenienſibus Leutychides apud *Herodot.* in Erato.

202. *Quæ numinis eſſet Mens.*) Ατ τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ποιῆσαι, ἴσον δύναται.

205. *Vocem adyti.*) *Adytus* locus eſt templi ſecretior, ad quem nulli eſt aditus, niſi Sacerdoti, ab *α ſine*, & *δύω ingredior*, id eſt ſine alicujus ingreſſu; ex eo loco Pythiæ virgines reſpondebant. *Servius* ad illud II. Æneid.

— *Iſque adytis hæc triſtia dicta reportat.*

206. *Exſtinctus tota pariter cum prole.*) Γλαύκου νῦν οὔτε τι ἀπόγονον ἐστὶ οὐδὲν, οὔτ' ἱστίη οὐδεμία νομιζομένη εἶναι Γλαύκου. ἐκτέτριπταί τε πρόῤῥιζος ἐκ Σπάρτης. *Glauci nunc nulla ſupereſt neque ſoboles, neque domus, quæ illius cenſeatur, ſed ex Sparta radicitus extrita eſt.*

208. *Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.*) Pari ſorte ſcelus, & ſceleris voluntas. *l.* I. *ad L. Juliam de ambitu. Cod. Theodoſ.*

209. *Scelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum &c*) *Apul.* IV. Floridor. *In maleficiis, etiam cogitata ſcelera, non perfecta, vindicantur cruenta mente, pura manu: ſufficit ad pœnam, meditari punienda.* Paterculus:

Facta

Facti crimen habet. cedo, si conata peregit?
Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interque molareis
Difficili crescente cibo. sed vina misellus
Exspuit: Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. ostendas melius, densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt:
Continuo templum, & violati Numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem sudoribus urget,
Te videt in somnis. tua sacra & major imago

Huma-

Facta majores nostri ad consilium dirigebant. Vide *Senecam* lib. v. de Benef. cap XIV. *Lactant.* in Epitome cap. v. Sicque jure divino punitur conscientia: Exodi XXII. Deuteron. v. Romanor. VII ad Titum II. Petri II. *cap. homicidium. de pœnitent. distinct.* I. Tamen humanæ leges aliter se habent Nam, ut ait *Ulpian. l.* XVIII. *de Pœnis.* D. *Cogitationis pœnam nemo patitur,* Unde *Cato* apud *Gellium* VII. Noctium cap. III. *Neminem, qui male facere voluit, plecti æquum esse, nisi quod factum voluit, etiam fecerit: facta sola censenda esse, atque in judicium vocanda, voluntates nudas inanesque negligendas, neque pœnis fieri obnoxias.* Vide *Cujacium* VIII. Observat. cap. XXII. & *Gothofr.* notis ad dictam *l.* XVIII. *D. de pœnis.*

VET. SCHOL.

211. *Nec mensæ tempore cessat.*) Nec edendi tempora concedit.

213. *Sed vina misellus.*) Cum apud conscientiam suam cogitat de admisso scelere.

216. *Velut acri ducta Falerno.*) Aceto Falerno.

219. *Et violati Numinis aras.*) ubi pejeravit.

220. *Sudoribus urget.*) ex perturbatione somnii.

221. *Tua sacra, & major imago.*) Tu illi es pro sacris, cui fraudem fecit.

GRANG.

211. *Perpetua anxietas.*) *Seneca* epist. CV. *Confusam vitam, & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent, nec ullo tempore vacant. trepidant enim, cum fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit.*

212. *Interque molares Difficili crescente cibo.*) Idem *Seneca* epist. LXXXII. *At ille Leonidas quam fortiter illos allocutus est! sic, inquit, commilitones prandete, tanquam apud inferos cœnaturi. nam in ore crevit cibus, non hæsit faucibus, non elapsus est manibus.* *Molares* autem sunt dentes maxillares, a *molendo* dictæ, quæ & Græcis μυλῖται, seu γομφίοι.

215. *Albani preciosa senectus.*) *Horat.* lib. IV. od. XI.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus. —

Vide *Plin.* lib. IV. cap. II. & VI.

216. *Acri Falerno.*) Falluntur, qui *Falernum acre* acetum existimant. Duo enim genera *Falerni*, alterum *austerum*, dulce alterum: *austerum* melle lenire & mitigare solebant, ex eoque *mulsum* conficere, nec tamen ita poterat misceri, quin aliquid austeritatis remaneret, ut testatur *Athenæus.*

218. *Toto versata toro.*) Noster *Philosophus*, quem ubique *Noster Juvenal.* imitatur, cap II. de Tranquil. *Adjice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant.*

220. *Præcipuis sudoribus urget.*) Aestuantis animi indicium permaximum Sudor. *Virgil.* v. Æneid.

Tunc gelidus toto manabat corpore sudor.

Ennius:

Tunc timido manat ex omni corpore sudor.

221. *Imago major Humana.*) *Tacit.* I. Hist. *Fruisse cella Junonis majorem humana speciem.* Idem XII. Annal. *Oblata ei species muliebris ultra modum humanum.* Plinius: *Muliebris figura humana grandior pulcriorque.* *Livius* lib. I. *Sueton.* in Claudio cap. I: *Heliodor.* Æthiop. I.

222. *Cogit-*

Humana turbat pavidum, cogitque fateri.
Hi ſunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat: exanimes primo quoque murmure cœli;
Non quaſi fortuitus, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & judicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur
Proxima tempeſtas: velut hôc dilata ſereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, miſſum ad ſua corpora morbum
Infeſto credunt a Numine: ſaxa Deorum
Hæc & tela putant. pecudem ſpondere ſacello
Balantem, & Laribus criſtam promittere galli
Non audent. Quid enim ſperare nocentibus ægris
Conceſſum? vel quæ non dignior hoſtia vita?
Mobilis, & varia eſt ferme natura malorum.
Cum ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quod fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus. Tamen AD mores Natura recurrit
Damnatos, fixa, & mutari neſcia. nam quis

Peccan-

VET. SCHOL.

222. *Cogitque fateri.*) Quod debetur, reddat.

223. *Hi ſunt, qui trepidant.*) Phyſici nam adſerunt ex conflictu ventorum vel nubium, tonitrua vel fulgura fieri. nam ex nimio flatu vel certamine ventorum nubes inter ſe conliſæ tonitrua & coruſcas faciunt, ac veluti ſaxa inter ſe conliſa ignem excutiunt.

227. *Iratus cadat*) propter ſua commiſſa.

230. *Si cœpere pati.*) Si cœperit ægrotare.

231. *Infeſto credunt a Numine.*) Irato, læſo numine.

232. *Pecudem ſpondere ſacello.*) Sacrificia promittere, pro ſanitate recuperanda, non audet tanquam reus.

235. *Vel quæ non dignior hoſtia vita.*) Magis hoſtia, quam ipſe vivere meruit.

237. *Cum ſcelus admittunt.*) Cum ad perpetrandum ſcelus venerint, in eadem conſtantia perſtant, ut ſperent etiam illicita debere omni modo fieri. peracto facinore, ex ipſa conſcientia animi eorum ab illa dejiciuntur conſtantia.

239. *Tamen ad mores Naturâ recurrit.*) Sentiunt ſe malefacere, & tamen faciunt. Nam ipſam conſuetudinem verterunt in naturam.

GRANG.

222. *Cogitque fateri.*) Illud *Virgilianum* eſt:

— *Subigitque fateri.*

223. *Ad omnia fulgura pallent.*) *Sueton.* in Caligula, cap. LI. *Nam, qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua, & fulgura connivere, caput obvolvere, ad majora vero proripere ſe e ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat.* Vide *Saliſberienſem* lib. I. cap. XIII.

224. *Murmure cœli.*) *Virgil* IV. *Æneid.*

Interea magno miſceri murmure cœlum
Incipit. —

225. *Non quaſi fortuitus.*) *Plin.* lib. II. cap. XLIII. fulmina omnia *fortuita* eſſe dicit. Vide & *Senec.* Natural. Quæſt. VI. cap. III.

231. *Saxa Deorum Hæc tela putant.*) Loquitur ex ſententia *Epicuri*, qui Deum inermem facit. Noſter *Philoſophus* plane IV. de Benef. cap. XIX.

236. *Mobilis natura malorum.*) *Seneca* epiſt: XLVII. *Hoc habent inter cetera boni mores, placent ſibi & permanent: levis eſt malitia, ſæpe mutatur, non in melius, ſed in aliud.*

239. *Ad mores natura recurrit.*) tanquam ſus lota ad volutabrum, ſeu canis ad vomitum, & ſimilia: de quibus conſule Parœmiographos.

240. *Fixa & mutari neſcia.*) D. Cyprian. *Quod*

ſemel

Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Ejectum ſemel attrita de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio? dabit in laqueum veſtigia noſter
Perfidus; & nigri patietur carceris uncum,
Aut maris Ægæi rupem, ſcopuloſque frequenteis
Exſulibus magnis. pœna gaudebis amara
Nominis inviſi, tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Teireſiam quenquam eſſe Deorum.

PLu-

ſemel imbibimus, difficulter deponimus, nec propoſitum noſtrum facile mutamus.

VET. SCHOL.

243. *Quiſnam hominum eſt.*) Quis eſt hominum, qui, cum ſemel peccaverit, non hoc frequenter deſideret?

244. *Dabit in laqueum.*) Ligabitur in carcerem.

245. *Carceris uncum.*) *Unco* nam *ferreo* trahebantur a populo, qui merebantur ſic puniri.

247. *Exſulibus magnis.*) Κατὰ νησιοῦ. id eſt, Patietur exilium: in inſulam exilio deputabitur.

249. *Nec ſurdum, nec Tireſiam.*) Dicturus es & potentes & exaudibiles eſſe Deos.

GRANG.

245. *Carceris uncum.*) de quo ſatyr. x.

246. *Maris Ægæi rupem.*) *Seriphum.* Inſula de qua alibi.

246. *Scopuloſque frequentes.*) *Gyaram* & vicinas *Cycladas*, quibus exſulabant Romani: de quibus ſatis diximus.

249. *Nec ſurdum, nec Teireſiam quenquam eſſe Deorum.*) ut exiſtimabat *Epicurus.* hinc *Philoſophus* IV. de Benef. cap. IV. *Non in hunc furorem conſenſiſſent omnes mortales alloquendi ſurda numina, & inefficaces Deos.*

249. *Teireſiam.*) hoc eſt, *cæcum*, quia *Tireſias* cæcus. Hunc autem excæcatum quidam volunt a Junone. ut *Ovid.* III. Met. & in Ibin. & *Hygin.* fab. XXV. At *Callimach.* hymno εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος, & *Propert.* lib. IV. eleg. X. a Pallade excæcatum volunt.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA XIV.

HIS DOCET EXEMPLIS NATOS MALA VITA PARENTUM.

SYNOPSIS. *Cum citius juvenes exempla domestica corrumpant, parentes hortatur, ut damnandis abstineant; inprimisque aleam, popinas, & sævitiam in servos fugiant, ne suos hæredes lusores, popinatores, trepidique laris Antiphatas, & Polyphemos videant. Si etenim senem juvat alea, ludit & hæres bullatus; nec exspectandum, ut Largæ adulteræ pudica sit filia, cum imitandis turpibus ac pravis ab infantia ipsa dociles simus, libentiusque æmulemur Catilinam, quam aut Brutum, aut Bruti avunculum Catonem. Quare inprimis admonet, ut procul a limine puerorum sint impudica & obscœna verba, procul puellæ lenonumque pueri; & si tantam curam impendunt, ut in domo venturis hospitibus omnia munda & nitida appareant, multo magis invigilare debent, ut filii domos suas sine labe, vitioque carentes aspiciant. Sic etenim, quæ a teneris ediscuntur, perpetuo inhærent; unde ciconiæ, & vultures, quod parentibus serpentum & cadaverum frustis in nido enutriuntur, grandes factæ ad serpentes & cadavera currunt. Aquilæ contra generosæ illæ Jovis ministræ lepores capreasque insequuntur quod leporibus & capreis a nativitate a matribus eductæ sint. Sic ædificatorem Centronium imitatur filius, sic, Judæum qui nactus est patrem, Judaicum servat & metuit jus: Sicque juvenes cetera id genus vitia sponte imitantur, unicam tantum avaritiam vel inviti exercentes. Cujus miseriam celiquo Satyræ cursu describit. Tandemque concludit mensuram census eam sufficere, in quantum sitis, fames, & frigora poscunt: quibus si non contenti simus, Crœsi, Narcissi, Persarumque regum gazas animo nusquam satisfacturas.*

PLurima sunt, Fuscine, & fama digna sinistra,
Et nitidis maculam hæsuram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea: ludit & hæres

Bulla-

VETUS SCHOLIASTES.

PLurima sunt.) Contraria mala institutio in naturam vertit. *Horatius*:

— Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

3. *Pueris traduntque.*) Filiis. ut *Virgilius*:

— Tuque puerque tuus.

GRANGÆUS.

ET *quod majorum vitio sequiturque minores.*) Secundum versum ex veteri libro *Canterus* primus adtexuit. & ex suis denique *Pulmannus*. Mihi autem liquet jurare a *Juvenali* nunquam eum pictum aut scriptum. Facile docuero: unde in libros manarit. In manusf. plerisque Satyris sua argumenta versu præfixa sunt memoriæ juvandæ, ut satyr. x. præponitur:

Arguit hæc hominum curas, & inania vota.

eademque nugamenta in ceteris. At hi versus (quod in *Dinæi* libro vidi) interdum & ad marginem libri scribuntur: Nec dubito, quin ab hac caussa ille peregrinus irrepserit in urbem. Nam argumentum Satyræ hujus fuit:

Et quod majorum vitium sequiturque minores.

Confirmant *Dinæi*, & *Carrionis* libri, in quibus nullus legitur. Ne addam ineptum versiculum esse, & sententiæ turbatorem. *Lips* Epist. Quæst. lib. IV. epist. XV.

1. *Maculam hæsuram figentia rebus.*) Virgil. sæpe hæc duo conjunxit, ut 1. Æneid.

— Obtutuque hæret defixus in uno.

4. *Si damnosa senem juvat alea.*) *Salisber.* Carnutensium Antistes Policrat. 1. cap. V. *Hæc pernicies* (alea) *a parentibus manat ad filios. quid enim faciet filius, nisi quod patrem viderit facientem?*

4. *Alea damnosa.*) *Alea parva nuces, & non damnosa videtur.* inquit *Martialis*.

Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Nec melius de ſe cuiquam ſperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, & eodem jure natanteis
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monſtrante gula. cum ſeptimus annus
Tranſierit puerum, nondum omni dente renato,
Barbatos licet admoveas mille inde magiſtros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu

Semper,

VET. SCHOL.

5. *Bullatus.*) Adhuc parvulus.

5. *Parvoque eadem movet arma fritillo.*) *Fritillus* pyxis cornea: qui *fimus* dicitur Græce. *Fritinnire* aves dicuntur ſtrepere, aut ſonare. Apud antiquos in cornu mittebant teſſeras, moventeſque fundebant. aut *fritillum*, pyrgum dixit.

9. *Mergere ficedulas didicit nebulone parente.*) id eſt, A patre didicit luxurioſus & guloſus.

10. *Et cana.*) Patris, id eſt vetula.

12. *Barbatos licet.*) Philoſophum licet ad erudiendum adhibeas ſemel imbutum luxuria patris, non poteſt revocari.

GRANG.

5. *Hæres bullatus.*) Juvenis adhuc collo *bullam* gerens. Vide, quæ dixi ad illud v.

— *Etruſcum puero ſi contigit aurum.*

Et ſatyra præcedenti:

— *Dic ſenior bulla digniſſime.*

5. *Eadem arma movet.*) Talos, & teſſeras. *Ovid.* IV. triſt. eleg. I.

Aſpera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec, niſi luſura, movimus arma manu.

Vide & quæ dixi ad illud I.

Prælia quanta illic diſpenſatore videbis
Armigero? —

5. *Fritillo.*) *Fritillus* vaſculum, quo tali mittuntur; Pyrgus *Horatio*, turricula *Martiali*, *Perſio* Orca dicitur, & Pyxis, & Phimus. Tabula autem, in quam ex *fritillo* talos jaciebant, dicitur *Varroni*, & *Vitruvio*, Alveus, *Macrobio* Abacus, *Suidæ* τήλια, alias τηλιθιον. Vide *Berould.* Sylva annot. cap. XXII. *Caſaubon.* ad *Theophraſti* characteres.

7. *Radere tubera terræ.*) Ut ſatyr. v.

Tubera raduntur. —

Ut & de *boletis* alibi.

8. *Natantes jure.*) *Horat.* Serm. II. ſatyr. VIII.

Affertur ſquillas inter muræna natanteis.

Perſ. ſatyr. v.

Cauda natat Thynni. —

9. *Ficedulas.*) *Ficedula* Græcis συκαλὶς, *Ariſtoteli* μελαγκόρυφος. Italis *beccafighi*, Gallis *pivoine*, ea in deliciis Romæ. *Petron.* in ſatyr. & *Martial.* lib. XIII. epigram. v. *Gell.* lib. XV. cap. VIII. quod *ficuum* eſu pinguis fiat, idcirco *ficedula* dicta. Hinc videndus jocus *Martialis* lib. XIII. epig. XLIX.

Cum me ficus alat, &c.

De *Ficedula* vide *Bellonium* lib. VII. de Natura avium, cap. XVII. & *Geſnerum* lib. III. de Avib. cap. v. hinc & illud e Græcis proverbium: *Gratæ avibus ficus ſunt, ſed plantare recuſant.*

9. *Nebulone.*) Proprie *nebulo*, qui *nebulam* mendaciis obtendit. Heic pro frugiperda, ut apud *Horat.* II. Serm. ſatyr. II.

11. *Nondum omni dente renato.*) Paullo poſt ſeptennium. Septimo enim anno dentes decidunt. *Plaut.* in Menæchm.

Quot eras annos natus, cum te pater a patria avexit?
Septennis, nam tum dentes mihi cadebant primulum.

Et in Mercatore, de ſene ludens ſic ait:

— *Puer eſt ille quidem ſtultus,*
Nam illi quidem haud ſane diu eſt, cum dentes exciderunt.

Vide *Plin.* lib. XI. cap. XXXVII.

12. *Barbatos magiſtros.*) Philoſophos. Ex *Perſio* ſatyr. IV.

— *Barbatum hoc crede magiſtrum*
Dicere. —

Sic *Varro* apud *Marcellum* in *Roſtrum*, *Barbatum Philoſophi Roſtrum*, dixit. De Philoſophis *barbatis*, *Horat.* ſatyr. III. lib. II. *Seneca* epiſt. XLVIII. *Gell.* lib. IX. cap. II. *Lucian.* in Hermotimo.

15. *Mitem*

Semper, & a magna non degenerare culina.
Mitem animum, & mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animas servorum & corpora, nostra
Materia constare putat, paribusque elementis:
An sævire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Seirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus?
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer

Rusti-

VET. SCHOL.

15. *Mitem animum.*) Interrogative pronunciari potest, sed melius ironicos. Pro Ironia dictus est sensus: *Mitem animum præcepit Rutilius.* An putas eum sævire, qui gaudet plagarum strepitu? Ironicos, *& mores modicis erroribus æquos*, quia nemo sine vitio est, id est tolerabilibus indulgentem.

19. *Et nullam Sirena flagellis.*) Dulciorem esse flagellorum strepitum, quam cantum *Sirenarum.*

20. *Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus.*) Carnifex potius, & latro domus suæ, quam dominus. Læstrygonum rex *Antiphates*, & *Polyphemus* Cyclops, qui homines comedebant.

22. *Duo propter lintea.*) id est, Sic servus cruciatur propter duo sabana.

23. *Quid suadet juveni.*) Paterna crudelitate.

24. *Inscripta ergastula.*) Quoniam. qui ibi includuntur, inscripti sunt.

24. *Afficiunt.*) Lætum faciunt, delectant.

GRANG.

17. *Paribus elementis.*) Id æmulatum ex *Seneca* epist. XLVII. *Vis tu cogitare illum, quem tuum servum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque vivere, æque mori.* Quæ omnia leges apud *Macrob.* Saturn. I. cap. XI. Sic *Epictetus* apud *Arrian.* lib. I. Diss. XIII. *Non recordaberis, quis sis, & quibus imperes? nonne cognatis? nonne fratribus? nonne a Jove oriundis?*

18. *Qui gaudet acerbo.*) Ut Caligula apud *Sueton.* cap. XXXIII. qui Apellis vapulantis, simulque deprecantis vocem, quasi etiam in gemitu prædulcem collaudabat.

19. *Nullam Seirena.*) Voces *Seirenarum* nihili habet præ sono, & strepitu, quem edunt flagella, dum servi vapulant: De *Sirenibus* autem lege *Macrob.* lib. II. in Somn. cap. III. *Servium* in V. Æneid. *Hygin.* Fab. CXXV. & CXLI. *Tzetzen* in *Hesiodi* Theogon. *Martial.* lib. III. epigram. LXIII. *Horat.* epist. I. *Pausan.* in Bœoticis. *Ovid.* III. de Arte, & Metam. V. & XV. *Cicer.* III. Tuscul. *Plin.* lib. X. cap. XLIX.

20. *Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus.*) *Gentius* id inter proverbia retulit, & torquet in patrem familias in servos verberibus & cæde sævientem, uxori, filiisque infestum, omnibus denique intolerabilem. *Antiphates* autem Læstrygonum rex, de quo *Homer.* Odyss. X. hic carnibus vescebatur humanis, *Ovid.* XIV. Metamor. fabula V. hinc *Sidon.* carm. XXII. versu II. dixit, *Antiphatæ mensas.* Et ob id a *Statio*, *cruentus* dicitur I. Sylvarum:

— *Littusque cruenti*
Antiphatæ. —

Dicitur & *Antiphates*, & *Antiphata* recto casu *Tibull.* lib. IV. *Hygin.* Fab. CXXV. Sic & *Polyphemus* Neptuni, & Toossæ filius satis cognitus ex *Homero* Odyss. I. & *Hyg.* Fab. CXXV.

22. *Uritur ardenti Ferro.*) *Lips.* ad frontis inscriptionem refert, nam ratio inscribendi ita habuit, ut primitus litteræ sive notæ inurerentur. At *Passerat.* ad illud *Propertii*:

Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ.

ad quæstionem refert: nam & igni in quæstionibus usos antiquos, docet *Cic.* in Top. *In igne fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.*

24. *Inscripta ergastula.*) *Ergastula* pro *Ergastulariis servis*, qui fronte inscripti. qua de re *Lips* II. Elect. cap. XV.

24. *Carcer Rusticus.*) Ergastulum enim locus in villis subterraneus ad *carceris* formam. Idem *Lips.* eodem.

24. *Exspe-*

Rusticus? exspectas, ut non sit adultera Largæ
Filia: quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, & ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.
Sic Natura jubet: velocius, & CITIUS nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus. unus & alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis. hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes sumus; & Catilinam

Quo-

VET. SCHOL.

25. *Exspectas, ut non sit adultera Largæ Filia* &c.) Spectas, quod filia meretricis, casta possit esse, quæ non potest nomina mœchorum matris suæ continuo ac uno spiritu dicere.

29. *Ceras nunc hac dictante.*) Dictante ut hæc disceret. jocunde, pro ætate.

30. *Ferre cinædis.*) Internunciis ministris, qui matris suæ fuerunt.

33. *Unus & alter.*) Pater & Avus.

34. *Forsitan hæc spernant.*) id est, Turpia.

35. *Præcordia Titan.*) Prometheus filius Japeti, qui fuit unus e *Titanibus*.

36. *Fugienda patrum vestigia*) *Juvenibus* scilicet. id est, Multi filii inviti facta parentum sequuntur.

40. *Quoniam dociles imitandis.*) id est, Ad mala imitanda faciles sumus. ut *Terent.*

Namque, ut est hominum ingenium proclive ad libidinem,
Dehinc quæstum accepit. —

41. *Et Catilinam Quocunque in populo.*) Malum hominem ubique invenias.

GRANG.

25. *Exspectas, ut non sit adultera.*) satyr. V.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet. —

26. *Maternos dicere mœchos.*) *Seneca* cap. XVI. lib. III. de Benef. *Quam invenies tam miseram, ut illi satis sit unum adulterorum par? nisi singulis divisit horas, & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit?*

32. *Corrumpunt exempla domestica.*) *Seneca* II. de Ira, cap. XXII. *Proximis applicatur omne, quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit. nutricum & pædagogorum retulere mox in adolescentiam mores. Apud Platonem educatus puer, cum ad parentes relatus vociferantem videret patrem:* nunquam hoc, inquit, apud Platonem vidi. *non dubito, quin citius patrem imitatus sit, quam Platonem.* Vide *Quintil.* cap. II. lib. I. Institut. & *Plutarch.* de Instit. Liber.

34. *Titan.*) Prometheus *Titanis* nepos. Vide proverbium: *Eodem luto factus.*

40. *Quoniam dociles imitandis.*) *Plaut.* Bacchidib. act. I. sc. ult.

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa, quæ te docui, ubi operam perdidi.

Quintil. I. Instit. cap. II. *Moribus magis consulunt fugiendo turbam hominum ejus ætatis, quæ sit ad vitia maxime prona.* *Seneca* epist. XCVII. *Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux, nec comes deesse potest: & res etiam sine duce, sine comite procedit: non pronum est tantum ad vitia, sed præceps iter.* quæ omnia ex Sacris Paginis.

41. *Catilinam* &c.) *Seneca* epist. superiori: *Omne tempus Clodios, non omne Catones fert.*

43. *Bruti*

Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
NIL dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est. procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam, si quid dignum Censoris fecerit ira
Quandoque, & similem tibi se non corpore tantum,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, & castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
Unde tibi frontem libertatemque parentis;
Cum facias pejora senex, vacuumque cerebro
Jampridem caput hoc ventosa cucurbita quærat?
Hospite venturo, cessabit nemo tuorum:

60 Ver-

VET. SCHOL.

43. *Bruti nec avunculus unquam.*) Bonus, ut Cato Uticensis philosophus.

45. *Intra quæ pater est.*) Ubi filios habes.

46. *Puellæ Lenonum.*) Meretrices.

49. *Sed peccaturo obstet tibi.*) Impediat te, ne cum viderit hæc, imitetur.

50. *Censoris fecerit ira.*) Ut a *Censore* corrigi mereatur aut damnari, tamen filius patri non solum corpore, sed & moribus similabit.

53. *Omnia deterius.*) *Deterius* quam tu, aut eo *deterius*, quam te magistro.

54. *Corripies*) filium turpiter agentem.

56. *Unde tibi frontem.*) Terentius:

Quo ore illum objurgabis, dic mihi.

58. *Jampridem caput hoc ventosa cucurbita*) a medicis, quia sanus non est. *cucurbita*, σικύα.

GRANG.

43. *Bruti nec avunculus.*) *Cato* frater Serviliæ matris *Bruti*.

44. *Nil dictu fœdum.*) Ut Cato, qui præsente filio se temperabat a verborum turpitudine, quasi Vestalibus locuturus esset. *Plutarch.* in Catone.

45. *Procul hinc, procul.*) Sacrorum formula. de qua *Briss.* lib. de Form.

55. *Tabulas mutare parabis.*) Supra satyr. XII.

— *Nam si Libitinam evaserit æger,*
Delebit tabulas. —

56. *Unde tibi frontem &c.*) Sic Phorm. act. V. sc. IX. Nausistrata:

Adeone hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adolescens si habet unam amicam, tu uxores duas.
Nihil pudere? quo ore illum objurgabis?

58 *Ventosa cucurbita.*) Sicut, qui parum sanæ mentis, helleboro indigere dicitur, vel Anticyris dignus: ita stultum & insanum *cucurbitam* quærere jubet *Juvenalis*. *Cucurbita* enim huic morbo remedio esse potest, sive per *cucurbitam* κεφαλοκύστην intelligas, quæ sumta humores cerebri actionem impedientes potenter educit: sive τὴν σικύαν, quam *ventosam* dicimus, qua sanguis leni scarificatione educitur. *Adr. Junius.*

59. *Hospite venturo.*) *Sallust.* orat. I. de Rep. ordinanda: *Nam domum aut villam exstruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, & omnia potius, quam semet visendum efficere, id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.* *Seneca* epist. V. *Qui domum intraverit, nos potius miretur, quam supellectilem nostram.*

Verre pavimentum : nitidas oſtende columnas :
Arida cum tota deſcendat aranea tela :
Hic læve argentum , vaſa aſpera tergeat alter :
Vox domini furit inſtantis, virgamque tenentis.
Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici,
Ne perfuſa luto ſit porticus, & tamen uno
Semodio ſcobis hæc emendat ſervulus unus :
Illud non agitas, ut ſanctam filius omni
Adſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem ?
Gratum eſt, quod patriæ civem, populoque dediſti ;
Si facis, ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas. ſerpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta :
Illi eadem ſumtis quærunt animalia pinnis.
Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis,
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert.

Hic

VET. SCHOL.

60. *Verre pavimentum.*) Hoc dicis tuis.

61. *Arida cum tota.*) Mundentur parietes, vel camaræ.

62. *Hic læve argentum.)* Anaglyfa ſigillis. *Virgilius:*
— *Et aſpera ſignis.*

63. *Vox domini furit.*) Virgilius :
— *Urguet præſentia Turni.*

67. *Semodio ſcobis.*) Non πείσμασ۞.

68. *Illud non agitas.*) Illud non reſpicis, quemadmodum filio caſtam domum exhibeas ?

71. *Si facis, ut patriæ ſit idoneus.*) Civem bonum ſi eum ita inſtitueris, ut ſit utilis patriæ.

76. *Illi eadem ſumtis quærunt animalia pinnis.*) quæ a parentibus didicerunt.

77. *Vultur jumento.*) Exemplis docet hoc ſervare filios, quod a parentibus acceperunt.

78. *Partemque cadaveris*) hominum. Nam antiqui *crucibus* figebant.

GRANG.

62. *Vaſa aſpera.*) Percuſſio, & ſigni impreſſio aurum & argentum exaſperant. *Virgilius :*
Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.
Claudian.
Frontes innumeris exaſperat ægida ſignis.

63. *Vox domini inſtantis.*) *Perſ.* ſatyr. v.
— *Inſtantique negaris*
Parere imperio —

69. *Sine labe domum.*) Supra :
— *Maculam ſigentia rebus.*

70. *Patriæ civem dediſti.*) *Plaut.* Perſa :
Sum lepidus civis, qui Atticam civitatem
Maximam majorem feci, atque auxi civi fœmina.

71. *Si facis, ut patriæ ſit idoneus.*) Vide Eccleſiaſticum cap. xxx.

74. *Serpente ciconia pullos.*) *Plin.* lib. x. cap. xxiii. Honos *ciconiis*, *ſerpentium exitio*, tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe, eademque legibus pœna eſt, quæ in homicidam.

74. *Per devia rura.*) A via, turbaque hominum remota. *Propert.*
Et ſi me invito diſcedis Cynthia Roma,
Lætor, quod ſine me devia rura colis.

76. *Vultur.*) *Auctor* incognitus : *vultur a volatu tardo* nominatus putatur ; magnitudine quippe corporis præcipites volatus non habet.

78. *Partem cadaveris.*) *Plin.* lib. x. cap. vi. *Viduo,*

aut

Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, & se
Pascentis, propria cum jam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Jovis, & generosæ
In saltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur: inde autem, cum se matura levarit
Progenies stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum prædam rupto gustaverat ovo.
Aedificator erat Cetronius, &, modo curvo
Littore Cajetæ, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus vincens Fortunæ atque Herculis ædem:

Ut

aut triduo vultures cadavera sentiunt, &, ubi futura sunt, volant. *Plautus* Truculento:

Illud est, vide, ut jam quasi volturii, triduo
Prius prædivinant, quo die esuri sint.

VET. SCHOL.

79. *Hic est ergo cibus.*) Quem parentes tradiderunt.

80. *Cum jam facit arbore nidos.*) Cum cœperit volare.

84. *Festinat ad illam.*) id est, Ad venationem, unde nutrita est.

86. *Aedificator erat Cetronius.*) Cupidus fabricæ.

87. *Litore Cajetæ.*) In Campania Cajeta.

90. *Vincens Fortunæ atque Herculis ædem.*) Apud *Præneste* & *Fortunæ*, & *Herculis* habent *ædes.* aut certe, quod in Capitolio, post ædem Dianæ & Jovis, secundum de miraculo operis habent gloriam *Fortunæ atque Herculis ædes. Fortunæ* apud *Præneste ædem* pulcerrimam ferunt fuisse: *Herculis* enim *ædem Tiburis* dicit.

GRANG.

80. *Facit in arbore nidos*) Non in *arboribus nidificant* vultures, sed in excelsissimis rupibus. *Plin.* superiori loco.

81. *At famulæ Jovis.*) potissimum illa, quæ Græcis χρυσαετὸς & γνήσιος, Latinis *stellaris* vel *Jovis aquila*. Gallis *Aigle Royal.*

81. *Famulæ Jovis.*) quæ ejus fulmen ferunt. *Plin.* lib. II. cap. LV. & lib. x. cap. III. non tangi fulmine aquilam, ideo *armigeram* hujus teli dictam. *Horat.* IV. Carm.

Qualem ministrum fulminis alitem.

Sed & in aliis serviunt Jovi Aquilæ, ut in raptu Ganymedis: Idem *Horat.* eodem. & *Virg.* in Æneide.

82. *Cubili.*) Nido. sic *Virg.* I. Georg. cum de Corvis loquitur:

— *Et sæpe cubilibus altis,*
Nescio qua, præter solitum, dulcedine læti
Inter se foliis strepitant. —

84. *Festinat ad illam.*) hoc est, ad venationem, unde nutrita est.

85. *Rupto ovo.*) Cum pullus excluditur.

86. *Littore curvo.*) Virgilius:

— *Et littore curvo*
Mœnia prima loco. —

Horatius:

Curvo nec faciem littore dimovet.

Potissimum autem *littore Cajetæ curvo* dixit, alludens ad nominis Etymologiam. *Strabo*: *Cajetam nominaverunt veteres, quoniam curva omnia Lacones appellavere Cajetas.* At Virg. a nutrice Aeneæ *Cajeta* nomine:

Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix
Aeternam moriens famam Cajeta dedisti.

Servius autem ἀπὸ τοῦ καίειν. At a *Cajando* putat *Scaliger* Ausonianar. Lect. II. cap. XXII. *Cajare* enim cohibere, & coercere est, unde & Galli *Cajos* vocant. hodie *Gaeta* dicitur.

88. *Prænestinis montibus.*) *Præneste* urbs Latii. Hodie *Palæstrina.* Alludit autem ad etymologiam. Nam dictam vult *Festus*, quod montibus *præstet.*

89. *Græcis Marmoribus.*) Romani enim ex *Græcia marmora*, & ad columnas construendas, & domos ornandas advehere sueti. *Stat.* II.

Montibus aut late Grajis effulta nitebant
Atria. —

90. *Fortunæ ædem*) *Prænestinam. Sueton.* in Tiberio, cap. LXIII.

90. *Hercu-*

Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.
Dum ſic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes, nec parva tamen menſura relictæ
Partis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas.
Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem,
Nil præter nubes, & cœli numen adorant:
Nec diſtare putant humana carne ſuillam,
Qua pater abſtinuit, mox & præputia ponunt.
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum ediſcunt, & ſervant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes.

Non

90. *Herculis*) Tiburi. Hinc *Straboni* lib. V. *Plinio* lib. XVI. cap. ult. *Martiali* lib. I. epig. XIII. *Herculeum Tibur.* Vide *Statium* in Tiburtino Manlii.

VET. SCHOL.

91. *Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.*) Hic *Poſides ſpado*, libertus Claudii Imperatoris, tantæ gratiæ & potentiæ fuit, ut eum Claudius in Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donaverit: cohortibus quoque & aliis provinciis Judææ præpoſuerit, & lecticæ per urbem vectandi, ſpectacula quoque publice edendi jus tribuerit. Legitur in *Suetonio.*

92. *Imminuit rem.*) Minuit patrimonium fabricando. Secutus patrem ſcilicet: &, quod remanſerat de patrimonio, filius omne in ædificiis impendit.

97. *Cœli numen adorant.*) Nuda contemplatione colentes.

98. *Nec diſtare putant.*) tanquam humanam, *porcinam* putant.

99. *Præputia ponunt.*) Id eſt, ἀκροποσθίαν.

102. *Tradidit arcano quodcunque volumine Moyſes.*) Sacerdos, vel rex ejus gentis, aut ipſius quidem religionis inventor: cujus *Cornelius* etiam *Tacitus* meminit.

GRANG.

91. *Spado Poſides.*) de quo *Sueton.* in Claudio, cap. XXVIII. *Plinius* etiam meminit balneorum, quæ dicta ſunt *Poſidiana*, a *Poſide* ſtructore, liberto Claudii lib. XXXI. cap. II.

93. *Fregit opes.*) Cic. pro Rabirio Poſt. *Vis, quæ ſummas frangit infirmatque opes.* *Horat.* lib. II. ſatyr. III.

— *Poſtquam omnis res mea Janum*
Ad medium fracta eſt. —

94. *Turbavit.*) Conturbavit, ut ſatyr. VII.

Sic Pedo conturbat, Matho deficit. —

96. *Metuentem ſabbata patrem.*) Judæum, qui ob id *Sabbatarius* dictus *Martiali*, epig. IV. lib. IV. *Perſ.* ſatyr. V.

— *Recutitaque ſabbata palles.*

Vide *Petron.* in fragmentis.

97. *Nil præter nubes.*) ut apud eundem *Petron.* ex correctione *Douzæ*:

Et cœli ſummos advocet auriculas.

97. *Cœli numen.*) *Canterus* Novar. Lect. IV. cap. V. legit *cœli lumen.* Quem ſequitur *Scaliger* comment. ad Cirim. Verum *Lipſ.* ad *Tacit.* (*Judæi mente ſola unumque numen intelligunt.*) τὸ *Numen* retinet. De Deo autem Judæorum vide *Dionem* in Pompejo.

98. *Humana carne ſuillam.*) Mandatum Judæis, ut ſuilla carne abſtinerent. Levit. XI. *Omne, quod habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis; quidquid autem ruminat, & habet ungulam, ſed non dividit eam, non comedetis* &c. quæ reperiuntur Deut. XIV. *Tacit.* V. Hiſt. *Sive abſtinent memoria cladis, quod ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* At *Lactant.* de Vera Sapientia lib. IV. cap. XVII. *Eodem ſpectat etiam carnis ſuillæ interdictio, a qua, cum eos abſtinere Deus juſſit, id potiſſimum voluit intelligi, ut peccatis atque immunditiis abſtinerent.* &c.

99. *Præputia ponunt.*) ex præcepto divino, Geneſeos cap. XVII. Cujus rationem videbis apud *Lactant.* de Vera Sapientia lib. IV. cap. XVII.

100. *Romanas contemnere leges.*) *Tacit.* V. Hiſt. *Circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur, tranſgreſſi in morem eorum idem uſurpant, nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam; parentes, liberos, fratres vilia habere.* Vide *Dionem* in Pompejo.

102. *Arcano*

Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.
Sed pater in cauſſa, cui ſeptima quæque fuit lux
Ignava, & partem vitæ non attigit ullam.
Sponte tamen juvenes imitantur cetera: ſolam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
FALLIT enim vitium ſpecie virtutis & umbra,
Cum ſit triſte habitu vultuque & veſte ſeverum,
Nec dubie, tanquam frugi, laudetur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum
Certa magis, quam ſi fortunas ſervet eaſdem
Heſperidum ſerpens aut Ponticus. adde quod hunc, de
Quo

102. *Arcano volumine.*) Pentateucho.

VET. SCHOL.

103. *Non monſtrare vias.*) id eſt, Non confiteri religionis ſecreta.

104. *Quæſitum ad fontem.*) ubi baptiſantur.

104. *Deducere verpos.*) Judæos, qui ſine pellicula ſunt.

105. *Sed pater in cauſſa.*) Cauſſa hujus metus pater eſt.

105. *Cui ſeptima quæque fuit lux.*) quia ſemper ſabbatis nihil faciunt.

109. *Fallit enim vitium.*) Sæpius ſub ſpecie virtutis avaritia tegitur. Multi enim avaros, tanquam frugi laudant, ſperantes, quod frugalitate faciente patrimonia ſua cuſtodiunt: & non ſentiunt eos cauſſa avaritiæ facere. Frugalitas quippe avaritiam contemnit, & mediocritatem amat.

111. *Certa magis quam ſi.*) tanquam ille, qui aut mala aut pellem auream ſervabat.

GRANG.

103. *Nec monſtrare viam* &c.) Solent advenæ, qui aquaturi eunt, ſciſcitari obvios de fonte. Unde Cic. proverbialiter dixit, *digitum ad fontem intendere*, pro eo, quod eſt δεικνύειν, &, ut *Aeſchylus* loquitur, δακτυλοδεικτεῖν & quaſi manu ad aliquid ducere. Idcirco ita hic locus intelligendus:

Nec monſtrare viam, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere Verpos.

Hoc eſt: Moſes vetuit, niſi *ſacra eadem colentes*, hoc eſt jus Judaicum, ad myſteria illa admitti, ut qui eam doctrinam quærunt, excludantur, niſi eandem legem colant. Unde apparet Grammaticos perperam fabuloſum *Cornelii Taciti* fontem huc retuliſſe, cum ſit proverbium *quærere fontem*. *Scaliger* ad illum verſum *Priapejorum*:

Ad fontem, quæſo, dic mihi, qua ſit iter?

104. *Verpos.*) Judæos, qui *Recutiti*, *Apellæ*, *Verpi* audiebant, ob renudatam verendorum glandem. *Turneb.* XXVIII. cap. XXI.

105. *Septima lux Ignava.*) Tacit. *Septimo die otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit: dein blandiente inertia ſeptimum quoque annum ignaviæ datum.*

108. *Inviti avaritiam.*) Juvenes enim non ſunt avari; alias etenim animus non eſt incitandus, ſua ſponte in ipſam fertur, ait *Seneca* III. de Benef. cap. IV.

109. *Fallit vitium ſpecie virtutis.*) *Horat.* in Arte:

Decipimur ſpecie recti. —

Seneca pater lib. III. Controverſ. *Nec mirum, ſi difficulter apprehenditur vitio tam vicina virtus.* Et *Seneca* filius, epiſt. XLV. *Vitia nobis ſub nomine virtutum obrepunt.* *Ovid.* I. de Remed. Am.

Et mala ſunt vicina bonis, errore ſub illo
Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

112. *Rerum tutela ſuarum.*) *Horat.* epiſt. I.

— *Rerum tutela mearum*
Cum ſis. —

114. *Heſperidum ſerpens.*) *Propert.* lib. II. eleg. XXIV.

Et tibi ab Heſperio mala dracone ferat.

Vide *Servium* ad illud:

Heſperidum templi cuſtos. —

& *Ovid.* IX. Metam. Huic Draconi nomen fuit *Ladon*, ut docet *Apollodor.* Bibiioth. lib. II.

114. *Aut Ponticus*) velleris aurei cuſtos. de quo *Ovid.* VII. Met. *Claudian.* bello Getico.

Quo loquor, egregium populus putat adquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocunque modo, majoraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis esse putat: juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere sectæ.
SUNT quædam vitiorum elementa: his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediscere sordes:
Mox adquirendi docet insatiabile votum.
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet unquam
Mucida cœrulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri, nec non differre in tempora cœnæ
Alterius, conchem æstivam cum parte lacerti
Signatam, vel dimidio, putrique siluro,

Filiaque

VET. SCHOL.

116. *Quippe his crescunt patrimonia fabris.*) Fabris patrimoniorum, dum auram popularem captant, & patrimonii opinione delectantur.

118. *Incude assidua.*) Metaphora a fabris ferrariis. quocunque casu.

118. *Ardente camino.*) Avaritia operante.

120. *Qui miratur opes.*) qui patrimonio & divitiis gaudet.

121. *Sibi nulla exempla beati.*) Qualis Apollinis oraculo declaratus est felicissimus *Aglaus Arcas*, qui nunquam patrium agellum excesserat, cum a Deo quæreretur, *quis fidem veræ felicitatis implesset?*

122. *Ire viam pergant.*) Perseverent in avaritia.

124. *Et cogit minimas ediscere sordes.*) Eum sequi in avaritia, quæ nullis satiatur divitiis.

126. *Modio castigat iniquo.*) Parva mensura.

127. *Neque enim omnia sustinet unquam.*) id est Omnia sustinet. Duo negativa confirmativum faciunt.

131. *Alterius conchem æstivam.*) id est, *fabam coctam*, quæ illi remansit, in alium diem cum sardina servat.

131. *Cum parte lacerti.*) Genus piscis salsi.

GRANG.

122. *Ire viam pergant.*) *Pers.* satyr. VI.

— *Neu dicta repone paterna.*

122. *Sectæ*) *Avarorum*, tanquam Philosophorum: ut apud *Terent.* Eunuch. act. II. sc. II.

126. *Modio iniquo.*) Ut Persio *hemina iniqua*. De qua superius.

131. *Conchen æstivam.*) satyr. III. *Cujus conche tumes?* Est *faba cum cortice elixa*, ad discrimen *fabæ fressæ*, quæ sine cortice coquitur.

131. *Aestivam.*) & propterea duriorem, quam quæ primo veris tempore.

131. *Cum parte lacerti.*) Sic *Conchen*, & *lacertum* conjunxit *Martial.* epig. LXXXVII. lib. VII.

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi est.

Lacertus autem piscis, qui hodie Italis *Lacerto*, Nostris *Maquereau*.

132. *Signatam.*) ne quis servorum obrodat, aut aliquid detrahat. *Plautus*: *Isti parcipromi, qui salinum obsignant cum sale.* Sicque & matris *Ciceronis* lagenæ vacuæ signatæ. Qua de re multi, ut *Torrentius* ad epist. II. lib. II. *Horatii*: *Meursius* ad *Lycophrona*: *Lips.* ad II. annal. *Tacit.*

134. *Aliquis*

Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negavit.
Sed quo divitias hæc per tormenta coactas,
CUM furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato?
Interea pleno cum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit,
Et minus hanc optat, qui non habet. ergo paratur
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
Et proferre libet fineis, majorque videtur,
Et melior vicina seges. mercaris & hanc, &

Arbusta,

VET. SCHOL.

133. *Filaque sectivi.*) bene, *sectivi*; quia quando ponitur cultoribus hortorum, tunc *secatur.*

134. *Aliquis de ponte.*) quia mendici in *pontis* itinere sedent.

135. *Sed quo divitias.*) id est, Ubi sunt divitiæ, si non ipsis uteris.

137. *Ut locuples moriaris.*) id est, Cum egestate vitam tolerant, ut divites moriantur.

139. *Crescit amor nummi.*) id est, Quanto plus adduntur divitiæ, tanto plus crescit avaritia.

140. *Ergo paratur Altera villa.*) Coemuntur plures possessiones, quia una non sufficit.

142. *Et proferre libet fines.*) Producere, protendere.

143. *Et melior vicina seges.*) Semper avaris res alienæ meliores & ampliores videntur.

GRANG.

133. *Fila numerata porri.*) ne quis servorum vel unum surripere possit. *Martial.*

Fila Tarentini graviter redolentia porri.

Sectivum porrum Gallis, *de la porrete.* Id fit capitatum si translatum est.

134. *Aliquis de ponte.*) Mendicus, qui in *ponte* mendicare solet. satyr V.

Nulla crepido vacat, nusquam pons. —

& satyr. IV.

— *Dirusque a ponte satelles.*

Seneca de Vita Beata cap. XXV. *In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige, non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.*

135. *Tot per tormenta coactas.*) Valer. *Avaritia nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.* Vide quæ dixi ad illud satyr. X.

— *Magna congesta pecunia cura.*

136. *Ut locuples moriaris, egentis vivere fato.*) Querolus *Plauti*: *Omnem ætatem exosus agito, funus ut lautum pares.*

139. *Crescit amor nummi.*) *Ovid.* I. Fast.

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:
Et cum possideant plurima, plura petunt.

Seneca epist. XCIV. *Avarus animus nullo satiatur lucro.* & epist. CXIX. *Qui multum habet, plus cupit.* Et II. de Beneficiis cap. XXVII. *Nunquam improbæ spei, quod datur, satis est, eo majora cupimus, quo majora venerunt, multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata; ut flammæ infinito major vis est, quo & majore incendio emicuit.* Vide *Horat.* ode II. lib. II. & *Aristoph.* in Pluto.

141. *Rus non sufficit unum.*) *Horat.* Serm. II. satyr. V.

— *O si angulus iste*
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum.

Et lib. II. od. XIIX.

Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos, & ultra
Limites clientium
Salis avarus?

143. *Melior vicina seges.*) Ex *Pers.* satyr. V.

— *Securus & angulus ille*
Vicini, nostro quia pinguior. —

Horat. Satyr. I lib. I.

Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat. —

Ovidius:

Fertilior seges est alienis semper in agris.

Publius Syrus:

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.

144. Et

Arbusta, & densa montem qui canet oliva.
Quorum si precio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Jumenta ad virideis hujus mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent,
Et quot venaleis injuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hæc, inquit. tunicam mihi malo lupinæ,
Quam si me toto laudet vicinia pago,
Exigui ruris paucissima farra secantem.
Scilicet & morbis, & debilitate carebis,
Et luctum & curam effugies, & tempora vitæ
Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur:
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis

Prælia

VET. SCHOL.

144. *Et densa montem qui canet oliva.*) Hyperbole. id est, Integrum montem *Oliveti* comparas.

145. *Si precio dominus*) non consentit ad distrahendum. id est, cum vicinum agrum non poterit precio elicere, ita agit, ut cogatur vicinus vendere, non patiens importunitatem animalium, quæ ille dimittit, ut segetes ipsius depascantur.

148. *Quam tota novalia.*) Agros seminatos.

149. *Falcibus actum.*) Messum.

151. *Et quot venales injuria.*) Molestia confinii potentis.

152. *Quam fœdæ buccina famæ.*) Quam mala fama est avaris potentibus?

153. *Quid nocet hæc*) mala fama, quæ de me loquitur. Avaritiam dicit.

154. *Quam si me toto.*) Sine quæstu aliquo vilis est conlaudatio.

156. *Scilicet & morbis.*) id est, Si mediocriter possideas, quod tibi ad vitam sufficiat, omnibus rebus malis carebis & quietus eris.

156. *Debilitate carebis.*) Σχῆμα ὑπόνοια.

157. *Et luctum & curam.*) Mala vitiosa.

160. *Quantum sub Tatio.*) Si tantum possides solus, quantum populus Rom. possedit; Campum Martium.

GRANG.

145. *Quorum si precio &c.*) Si nullo precio potest pellere vicinum, saltem injuria pellet. *Seneca* epist. xc. *Licet agros agris adjiciat, vicinum vel precio pellat æris, vel injuria.* Ubi male antea legebant *aeris*. Nec bene, Muretus *agris*, aut Lipsius *terris*. Nam *æris precio* dixit, qua ratione dicimus *a pris d'argent*.

153. *Tunicam mihi malo lupinæ.*) qualis Pomponii:

Ego rumorem parvi facio, dum sit, qui rumen impleam.

Et *Poeta incognitus* apud *Senec.* epist. cxv.

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer:
An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus.

Id autem ex *Horatio* Serm. I. satyr. I.

— Populus me sibilat, at mihi plaudo,
Ipse domi simul ac nummos contemplor in arca.

156. *Scilicet & morbis.*) Verum illud est:

Non domus, & fundus, non æris acervus & auri
Aegroto domini deducunt corpore febres.

160. *Sub Tatio*) Sabino.

160. *Populus Romanus*) universus. De cujus Imperio sub primis Regibus vide illud VIII.

Imperii finem Tiberinum virgo natavit.

162. *Pre-*

Prælia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molossos,
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur
Vulneribus. merces hæc sanguinis atque laboris
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. saturabat glebula talis
Patrem ipsum, turbamque casæ: qua fœta jacebat
Uxor, & infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres Domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
INDE fere scelerum caussæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido
Immodici census. nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari?

Vivite

VET. SCHOL.

162. *Prælia, vel Pyrrhum.*) Epirotarum regem *Pyrrhum* dicit. *Gladios Molossos*, Epiroticos.

164. *Merces hæc sanguinis.*) Deductis in colonia viris.

165 *Nullis visa unquam meritis minor.*) id est, Nunquam visa sunt dona minora meritis, in duobus jugeribus. id est, par merces laboribus visa est illis, quibus dabatur.

168. *Unus Vernula, tres Domini.*) Ante nam unum servum plures Domini habebant, qui erant parvuli.

170. *A scrobe vel sulco.*) qui colebant terram. Hoc nam dicit alios in bello * alios terram colere.

171. *Amplior*) Parabatur scilicet.

172. *Nunc modus hic agri.*) Bene dixit plus nunc possidari in horto, quam tunc in agro.

173. *Inde fere scelerum caussæ.*) Ex institutione avaritiæ, qua interficit veneno, aut ferro.

175. *Sæva cupido.*) Avaritia.

177. *Et cito vult fieri*) per scelera scilicet.

177. *Sed quæ reverentia legum.*) Exclamatio.

GRANG.

162. *Gladiosque Molossos*) *Pyrrhi.* vide illud:

— *Regemque Molossi.*

163. *Jugera bina dabantur.*) *Liv.* lib. XVIII. cap. II *Bina tunc jugera Pop. Romano satis erant.* Scaliger ad *Propert.* lib. IV. eleg. XI.

166. *Glebula talis.*) *Bina jugera*, *glebulam* vocat ex ritu antiquo, quo totus ager ex *gleba* repræsentabatur. *Gell.* lib. XX. cap. IX.

171. *Grandes ollæ.*) Eo quod multo pane vescuntur, quibus solus panis est cibus. *Pers.* satyr III.

— *Et grandi pasta polenta.*

172. *Nunc modus hic agri.*) Queritur *Plin.* lib XVIII. cap. II. *Valer.* lib. IV exemplo IV.

172. *Nostro horto.*) Habitabant veteres voluptatis gratia in *hortis*. *l. lex Cornelia.* § *domum.* *D. de injuriis.* qua de re *Briss.* select. Antiquit. lib. III. cap. XIII. & jam diximus Poetas in *hortis* scribere solitos ad illud VII.

Contentus fama jaceat Lucanus in hortis.

173. *Inde fere scelerum caussæ.*) *D. Paul.* ad Timoth. cap. ult. Φιλαργυρία ῥίζα πάντων τῶν κακῶν. Ex quo *Cassiodorus* Variar. III. epist XXXIX. *Avaritiam siquidem radicem esse omnium malorum & lectio divina testatur.* *Claudian.* de laudibus Stiliconis, versu CXII.

Ac primum scelerum matrem? quæ semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum.

Vide *Salisber.* lib. VIII. cap. XV.

178. *Quis metus aut pudor est.*) *Propert.* eleg. XIII. lib. III.

Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Vivite contenti casulis, & collibus istis,
O pueri, Marsus dicebat & Hernicus olim
Vestinusque senex, panem quæramus aratro,
Quis satis est mensis: laudant hoc Numina ruris,
Quorum ope & auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi, qui summovet euros
Pellibus inversis. peregrina ignotaque nobis
Ad scelus, atque nefas, quæcunque est, purpura ducit.
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Post finem autumni media de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat: accipe ceras,
Scribe puer, vigila, caussas age, perlege rubras

Majorum

VET. SCHOL.

180. *Et Hernicus olim.*) Virgilius:
Hernica saxa colunt. —

181. *Vestinusque.*) Oppidum est Italiæ.

181. *Panem quæramus aratro.*) id est, Hoc persuadebant: Hoc tantum ex labore quæramus, quod nobis ad victum sufficiat. hoc enim & Diis placet.

184. *Contingunt homini veteris fastidia quercus.*) Quia ante *fraga* & *glandem* homines comedebant.

185. *Nil vetitum fecisse.*) Is nam non vult ea, quæ inlicita sunt admittere, sed sua paupertate contentus esse.

186. *Per glaciem perone tegi.*) Virgilius:
— *Crurum tegit altera pero.*

187. *Ignotaque nobis.*) Quæ a nobis ignota, alios inducit ad scelus.

189. *Hæc illi veteres*) posteris suis dabant.

190. *Supinum.*) Dormientem.

192. *Perlege rubras.*) Rubricas Juris.

GRANG.

181. *Vestinusque.*) *Vestini* hodie, *ceux d'Aquila.*

181. *Panem quæramus aratro.*) *Seneca* epist. XXV. *Panem & aquam natura desiderat, nemo ad hæc pauper est.* Idem epist. XX. *Nemo nascitur dives, quisquis exit in lucem, jussus est lacte & pane esse contentus. Horat.* Serm. II. satyr. II.

— *Cum sale panis*
Latrantem stomachum bene leniet. —

182. *Ruris Numina.*) An *Liber*, & *Ceres*, quorum
— *Munere tellus*
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

An *Seja*, *Segesta*, & *Tutilina*; de quibus *Plin.* lib XIIX. cap. II.

183. *Quorum ope.*) *Ovid.* I. Fast.

Consortes operum, per quos correcta vetustas,
Quorum glans victa est utiliore cibo.

189. *Summovet euros.*) *Seneca* epist. XC. *Nunquid non pelles ferarum, & aliorum animalium a frigore satis abundeque defendere queunt, non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora?* &c.

187. *Peregrina purpura*) Phœnicia, aut Spartana.

187. *Ignota nobis.*) Marsis, Hernicis, & Vestinis agricultoribus.

188. *Ducit ad scelus, atque nefas.*) *Tibull.* lib. II. eleg. VI.

O pereat! quicunque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ caussas, & Coa puellis
Vestis, & a rubro lucida concha mari.

190. *Post finem autumni.*) Antelucanam etenim lucubrationem incipiebant sub *finem Autumni*, quamvis de more fuisset, ut de mense Augusto Vulcanalibus *lucubrare* inciperent: sed ἀφʹ ἑσπέρας [illegible] plerique faciebant. *Muret.* lib. XIIX. cap. XIII. Variar.

192. *Rubras Majorum leges.*) Tituli, & principia legum *rubrica* notata. Glossis: *Rubrica*, ἐπιγραφὴ διαγράμματος. Hinc plerunque *rubricæ* pro ipsis legibus, ut *Prudentio* contra Symm.

— *At cur rubrica minatur,*
Quæ prohibet peccare reos? —

Quintilian. cap. III. lib. XII. Non tantum legum, sed & omnium, quæ scribebant, principia minio notata, ut

Majorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat,

ut docet *Casaub.* ad v. *Persii*. Unde *minuscularii*, qui titulos fiscales libris illinebant. nec tantum minio puro rubebant tituli, sed cera etiam miniata, quæ *miniatula* Ciceroni, Vitruvio *cera ex milto*. *Casaub.* eodem, & *Savaro* ad *Sid.* epist. XII. lib. VII.

VET. SCHOL.

193. *Aut vitem posce libello.*) Ut Centurio fias, da *libellos* : id est milita. *vitis* nam insigne *Centurionum* est, a Libero patre inventum, qui primus triumphavit, & inventor *vitis* est.

194. *Sed caput intactum buxo.*) Sensus hic est : Sic age, ut te sordidum pueri mirentur, & virtutem tuam imitentur, si vis Centurio militare.

195. *Miretur Lælius alas.*) Comes *Lælius Centurio*, sub quo militabis, ut everras casas & attegias Maurorum.

196. *Brigantum*) Gallorum.

197. *Ut locupletem aquilam.*) Ut signifer sis stipendiis emeritis anno sexagesimo, quo stipendia deponebant sua.

GRANG.

193. *Vitem*) Centuriatum. Nam *vitis* centuriatus insigne. *Spartian.* in Hadriano : *Nulli vitem, nisi robusto & bonæ famæ dedit.* *Lucan.* lib. VI.

— Latiam longo gerit ordine vitem.

Martial. epig. XXVI. lib. X.

Vare Parætonias Latia modo vite per urbes
Nobilis. —

Ubi plura *Raderus*.

193. *Posce libello*) Initio & sequenti ævo Reip. Rom. sola virtus promovebat ad militares ordines. unde *Lucan.* loco dicto :

— Ibi sanguine multo
Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem.

At postea per gratiam & *libellis* supplicibus dati. Unde *Vegetii* querela : *Legionum robur infractum, cum præmia virtutis occuparet ambitio, & per gratiam promoverentur milites, qui consueverant per virtutem.* *Lips.* lib. II. cap VIII.

194. *Caput intactum buxo.*) Notat illuviem & αὐχμηρίαν eorum, qui *centurionatus*, aliosque militares ordines ambiebant, qui sordidi, ut plerunque, Romæ incedebant. Hinc *Pers.*

— De gente hircosa centurionum.

Et *Noster* :

Hispida membra quidem, duræ per brachia setæ,
Promittunt atrocem animum. —

194. *Buxo.*) Pectine buxeo. *Ovid.* VI. Fast.

Non mihi de tonso crinem depectere buxo.

Martialis :

Multifido buxus quæ tibi dente datur.

194. *Nares pilosas.*) quæ mollibus depilantur. *Ovid.* II. Am.

Inque cava nullus stet tibi nare pilus.

Hi *pili narium* Festo dicti *vibrissæ*, quod his evulsis caput *vibretur*.

196. *Attegias.*) *Attegiæ* sunt mapalia, qualia Mauri colunt. *Rufinus* ponit pro umbraculis, ubi componi *attegias* dixit. Ubi *Josephus* σκηνοποιεῖσθαι, ut notat *Politian.* Miscel. cap. IX.

196. *Castella Brigantum.*) *Brigantes* Albionis sunt insulæ populi, tamen de Gallis intelligit *Vetus Scholiastes*, qui longe fallitur, nisi per Gallos *Phrygas* intelligat, quos *Stephanus*, *Brigantes* vocatos tradit. Galli hodie pro *latrone* id nomen usurpant.

197. *Aquilam.*) Hoc est, *primopilatum*, qui absolute etiam *aquila* dicitur apud *Plin.* lib. XIV. cap. I. *Centurionum in manu vitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas* (corrige *lætas*) *perducit aquilas*. Quare autem primipilatus *aquila*, ratio est, quod primi pili Centurio *aquilam* servabat. Non audiendus ergo *Vetus Interpres*, qui ad Signiferum refert.

197. *Locupletem.*) Primopilatus hæc dignitas multo in quæstu. Unde *Plin.* supra : *Opimo præmio tardos ordines* dixit. Neque tamen ita accipiendus locus *Martialis* lib. I. epig. XCIV.

Ara duplex primi testatur munera pili.

de muneribus & præmiis, ut intelligit *Lips.* sed *munere primipili*, hoc est, primopilatu, quem *ara duplex* testatur, ubi *duæ aquilæ* maximæ primipilorum. Hinc colligas, quod & censu, & dignitate equestri donarentur, ut docte *Lips.* de Militia II. dialogo VII.

197. *Sexagesimus annus.*) Nam tarde, & nisi gradatim isti ordines conferebantur. Potuisti videre ex tex-

Afferat: aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, & trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra,
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta, & corium. LUCRI bonus est odor ex re
Qualibet. illa tuo sententia semper in ore
Versetur, DIs atque ipso Jove digna, Poetæ:
UNDE habeas, quærit nemo, sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ:

Hoc

tu *Plinii*. *Sexagesimus* autem *annus* hyperbolicos. Nam post quinquagesimum militia vacabant. Plura *Lips.* I. de Milit. dial. II.

VET. SCHOL.

199. *Cornua ventrem.*) Si pavore cornuum, aut lituorum, *venter* tibi solvitur.

200. *Vendere possis.*) Esto negotiator.

201. *Pluris dimidio.*) Plus media parte.

202. *Ablegandæ Tiberim ultra.*) Transportandæ ultra Tiberim.

203. *Neu credas ponendum.*) Ne contemnas viliorem mercem, aut quæ puteat, id est coria.

206. *Atque ipso Jove digna.*) id est, *Jovis* dictum est.

208. *Vetulæ pueris repentibus assæ.*) *Assa* nutrix dicitur, quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam & munditiam adhibet. nutricula sicca vetusta infantibus monstrat.

GRANG.

199. *Solvunt cornua ventrem.*) *Solvitur venter* timore. Sic inducitur Dionysius apud *Aristoph.* in Ranis. Ratio redditur apud *Macrob.* lib. VII. Saturn. cap. XI. *Laxamentum ventris comitatur timorem, quia musculi, quibus claudebantur retrimentorum meatus, fugientis introrsum animæ virtute deserti laxant vincula, quibus retrimenta usque ad digestionis opportunitatem continebantur.* Vide *Joachim. Camerarium* problem. decuria III problem. IV nec exoneratio ventris in Bruto, aut in Cneo Carbone ad aliam caussam referri debet. *Seneca* epist. LXXXII. & *Valer. Max.*

199. *Cornua Cum lituis.*) Adi *Lips.* lib. IV. de Milit. dial. X.

201. *Mercis Ablegandæ*) coriorum. Pelles fœtidæ in Transtiberina regione dispiebantur. Hinc Martial. *cutis transtiberina*, lib. I. epig. XCIII.

Et detracta cani transtiberina cutis.

Turneb. lib. XXIV. cap. XLIII.

202. *Tiberim ultra.*) *Ultra & citra Tiberim* postea dictum, quod dicebatur *uls*, & *cis Tiberim*. *Gell.* lib. II. cap. XIII.

204. *Unguenta, & corium.*) *Ovid.* II. de Arte:

Ferre novæ nares taurorum terga recusant;
Assidue domitas tempore fallit odor.

204. *Lucri bonus odor.*) Ex facto Vespasiani, qui reprehensus a Tito filio, quod etiam *urinæ* vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, num odore offenderetur; & illo negante, *Atqui*, inquit, *e lotio est.* *Sueton.* in Vespasian. cap. XXIII.

205. *Sententia Poetæ*) Ennii.

207. *Unde habeas quærit nemo.*) Incertus & incognitus *Poeta* apud *Senecam* epist. CXV.

Non quare & unde: quid habeas, tantum rogant.

Habere autem absolute pro divitem esse, ut apud *Arnob.* II. ad curs. Gent. *In habendi studium inexsaturabili pectoris ardescerent appetitu.* Sic Græcis ἔχειν. Unde in sacris τῷ ἔχοντι δοθήσεται, *Habenti dabitur.* Hinc & Latinis *habentia*. πλοῦτος.

207. *Pueris poscentibus assem.*) Fortasse vera lectio: nam satyr. V. dixit:

— *Jubebit*
Auferri minimasque nuces, assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans.

Legit tamen *Ludovicus Carrio* Emendat. lib. II. cap. IX.

— *Pueris repentibus assæ.*

Et per *Assam* intelligit nutricem, quæ ita dicta est, quod *assit* sive *adsit* iis, quos nutrit, nec vel exiguo tempore ab illis divellatur. At *Vetus Interpres* Assam interpretatur *siccam nutricem*, quæ lac non præstat infantibus, sed solum diligentiam & munditiam adhibet.

209. *Ante*

Hoc discunt omnes ante alpha. & beta puellæ
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Sic possem adfari : dic, o vanissime, quis te
Festinare jubet? meliorem præsto magistro
Discipulum. securus abi : vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum est teneris. nondum implevere medullas
Maturæ mala nequitiæ. ast cum pectere barbam
Cœperit, & longi mucronem admittere cultri;
Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, & Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra
Mortifera cum dote subit. quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terraque marique
Adquirenda putas, brevior via conferet illi.
NULLUS enim magni sceleris labor. hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi:
Mentis caussa malæ tamen est, & origo penes te.

Nam

VET. SCHOL.

209. *Ante alpha & beta.*) Ante ætatem discendi.

213. *Vinceris, ut Ajax.*) id est, Ut illi in virtute parentes suos superaverunt, sic & iste te in avaritia.

217. *Admittere cultri.*) id est, tondere barbam,

219. *Summa Exigua.*) Ut in minima mercede avaritia exprimatur.

219. *Cereris tangens aramque.*) Ut perjurus erit.

220. *Elatam jam crede nurum.*) Mortuam, quæ cum dote sibi afferat mortem.

222 *Per somnum digitis.*) id est, Quæ per somnum essocabitur propter dotem.

223. *Brevior via conferet illi.*) id est, homicidium.

224 *Nullus enim magni sceleris labor.*) id est, In perpetrando scelere nunquam difficultas est.

226. *Mentis caussa malæ.*) Exordium sceleratæ mentis tuæ, quæ jubet ei avaritiam sequi.

GRANG.

212. *Meliorem præsto magistro Discipulum.*) Senarius ignoti *Poetæ* ex *Cicer.* epist. VII. lib. IX.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

219. *Cereris tangens aramque pedemque.*) Vide, quæ dicta sunt ad illud:

— *Quæcunque altaria tangunt.*

Amplius admonendum venerabundos *pedes* tetigisse tum Deorum, tum hominum. De signis Deorum *Arnob.* lib. VI. *Ita non videtis spirantia hæc signa, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes.* De hominibus videndus *Sueton.* in Tiberio cap. XXVII. *Ovid.* in epist. Paridis & Acontii. & II. de Arte *Virg.* II. Æneid.

220. *Elatam nurum.*) Mortuam. sic Propertius:

— *Miseros elata per ignes.*

Et lib. IV. eleg. VII.

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.

220. *Limina subit.*) Hæc referenda ad antiquum morem nuptiarum, de quo *Brisson.* de Ritu Nupt. & interpretes *Catulli* ad illud:

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.

Subire enim est ita ingredi, ut ne limen tangatur. Nam, ut ait *Lucanus*:

Translata vitat contingere limina planta.

221. *Mortifera dote.*) Ut satyr. X.

Et sua mortifera est facundia. —

221. *Premetur digitis.*) Strangulabitur.

226. *Origo penes te.*) *Seneca* Epist. CXV. *Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt, & teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum.*

228. *Et*

Nam quisquis magni censûs præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros;
Et qui per fraudes patrimonia conduplicare
Dat libertatem, & totas effundit habenas
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis juveni: stultum, qui donet amico,
Qui paupertatem levet, attollatque propinqui:
Et spoliare doces, & circumscribere, & omni
Crimine divitias adquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus:
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, & horrida bella capessunt
Continuo, tanquam & tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, & rapientem cuncta videbis.
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum

Nec

VET. SCHOL.

228. *Et lævo monitu.*) Subtili monitu.

228. *Producit avaros.*) Sceleratos.

230. *Dat libertatem, & totas effundit habenas.*) Auctoritatem & nequitiam permittit.

231. *Quem si revoces, subsistere nescit.*) Virgil.
Fertur equis auriga. —

232. *Et te contemto.*) Patre vel rectore. Qui jam fuerit debitus avaritiæ, revocari non potest.

233. *Nemo satis credit.*) Nemo se putat satis fecisse, nisi amplius delinquant, quam non permittas; adeo plus peccare cupiunt.

235. *Cum dicis juveni.*) Si reprehendas eum bene facientem, quid illi suadeas, nisi ut criminosus sit.

238. *Quarum amor in te.*) Divitiarum & avaritiæ tantum amoris habes, quam *Decii* habuerunt civitatis suæ.

240. *Menœceus.*) qui pro civibus suis mortem elegerunt.

241. *Legiones dentibus anguis.*) Virgilius:
— *Satis immanis dentibus hydri,*
Nec galeis, densisque. —

243. *Tanquam & tubicen surrexerit una.*) qui eos excitet ad prælium. Inridet Græcorum audaciam paratam in omni mendacio.

GRANG.

229. *Patrimonia conduplicare.*) Pers. Satyr. VI.
Rem duplica. —

230. *Effundit habenas.*) Virgil. V. Æneid.
— *Manibusque omnes effundit habenas.*

239. *Deciorum in pectore.*) Vide illud satyr. VIII:
Plebejæ Deciorum animæ. —

239. *Quantum Menœceus.*) *Apollodor.* lib. III. Biblioth. Tiresias Thebanis futura prædicens, eos victores fore inquit, si *Menœceus* Creontis filius Marti sese victimam devoveret: Quod ubi *Menœceus* audivit, seipsum ad portas mactavit. Cujus & meminit *Cic.* I. Tuscul. inter alios, qui pro patria occubuerunt.

240. *Si vera est Græcia.*) Vide illud X.
— *Et quidquid Græcia mendax*
Audet in historia —

241. *In quorum sulcis.*) Nota historia ex *Apollodor.* lib. III.

242. *Cum clypeis*) Ovidius:
— *Crescitque seges clypeata virorum.*

247. *Tollet*

In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Exspectare colus. morieris stamine nondum
Abrupto. jam nunc obstas, & vota moraris:
Jam torquet juvenem longa & cervina senectus.
Ocyus Archigenem quære, atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum,
Atque alias tractare rosas. medicamen habendum est,
Sorbere ante cibum quod debeat & pater & Rex.
Monstro voluptatem egregiam; cui nulla theatra,
Nulla æquare queas Prætoris pulpita lauti;
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, ærata multus in arca
Fiscus, & ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars ultor galeam quoque perdidit, & res

Non

VET. SCHOL.

247. *Tollet alumnus.*) *Filius*, allegoricos. hoc est, & in te malitiam cum scelere exercebit.

249. *Exspectare colus.*) Calatos.

251. *Jam torquet juvenem.*) Odiosus es filio.

251. *Cervina senectus.*) Quos usque ad nongentos annos vivere dicunt. *Longivivax.*

252. *Ocyus Archigenem.*) Medicum. Nam pater, qui perniciosum filium habet, æque debet timere saluti suæ, sicut Rex.

253. *Si vis aliam decerpere ficum.*) id est, Antidotum, quod veneno obstet.

256. *Monstro voluptatem.*) Nulla theatra tibi talem voluptatem dabunt, nullam promotionem dabit cuiquam, quod accipiet hic de tua pecunia.

258. *Discrimine.*) Periculo.

260. *Fiscus.*) Pecunia sacculi.

260. *Et ad vigilem ponendi Castora nummi.*) Ad templum *Castoris.*

261. *Ex quo Mars ultor.*) Ex illo pecuniam amat, ex quo *Mars* a furibus spoliatus est. Antea solebant arcas æratas facere, & ibi mittere pecuniam suam Senatores, & sic in foro *Martis* ponere. Verum per noctem a furibus exspoliatæ sunt arcæ, & cœperunt ex eo ad templum *Castoris* ponere. Ideo dicit *Mars ultor galeam perdidit.*

GRANG.

248. *Genesis tua.*) Nativitas. *Sueton. genituram* appellat.

348. *Mathematicis.*) Genethliacis, ut recte Salisber. lib. I. cap. XII. Sic in Ludo Claudii: *Patere mathematicos.* &c.

249. *Nondum stamine Abrupto.*) Filius ante diem patrios inquirit in annos.

251. *Longa cervina senectus.*) Vide proverbia *Junii.*

252. *Quod Mithridates Composuit.*) *Serenus* cap. de venenis:

Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed Magnus scrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Synthesin, & vulgata satis medicamina risit.

Postea autem illam synthesin describit ita:

Bis denum rutæ folium, salis & breve granum
Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die parco conspersa Lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula tutor.

Vide *Plin.* lib. XXIII. cap. VIII. *Agell.* lib. XVII. cap. XVI. & ea, quæ jam dixi ad illud VI.

——— *Si prægustavit Atreides*
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

260. *Fiscus.*) Crumena. *Isidorus*: *Fiscus est saccus publicus.* Nonius Marcellus: Vas rusticum contextum sparteum, quo recipiebantur pecuniæ. Vide *Ascon.* II. in Verrem. *Senecam* epist. CXIX.

260. *Ponendi ad Castora nummmi.*) Nummi custodiæ caussa in templis reponi legenti occurrit. Neque tantum pecuniæ, sed & fœdera, pactiones, ceteraque ejusmodi. *Lips.* I. ad Annales *Taciti.*

260. *Vigilem Castora.*) Idcirco vigilem *Castora* appellat,

Non potuit ſervare ſuas. ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas:
Tanto majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro
Corpora, quique ſolet rectum deſcendere funem;
Quam tu, Corycia ſemper qui puppe moraris,
Atque habitas, coro ſemper tollendus & auſtro,
Perditus, ac vilis ſacci mercator olentis:
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ
Paſſum, & municipes Jovis advexiſſe lagenas?

Hic

pellat, quod ante *Caſtoris* templum militum excubiæ. Idem *Lipſ.*

VET. SCHOL.

262. *Omnia Floræ, Et Cereris.*) Ludos Theatrales, qui in honorem Dearum exhibentur.

264. *Tanto majores.*) Negotia hominum majores ludos habent, quam votiva ſolemnitas.

266. *Quique ſolet rectum deſcendere funem.*) Funambulus.

267. *Quam tu Corycia.*) *Coryeus* civitas Iſauriæ. id eſt, negotiator, qui omni tempore navigas.

269. *Ac vilis ſacci mercator olentis.*) *Opobalſamum*, aut *malobathrum* fœtidæ alicujus mercis. ut ex ſententia tali, tu *fœtide*.

271. *Et municipes Jovis advexiſſe lagenas.*) Creticas, quia Juppiter ibi nutritus eſt.

GRANG.

262. *Floræ Aulæa.*) Ludos. in ludis enim *aulæorum* uſus. Hinc pro ipſis ludis *aulæa*.

264. *Humana negotia ludi.*) Quid in vita humana ludi? audi *Senec.* epiſt. LXXVII. *Quomodo fabula, ſic vita: non quandiu, ſed quam bene acta ſit, refert.* Sic epiſt. LXXX. *Hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas male agimus, aſſignat.* in *Anthologia*:

> Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον. ἢ μάθε παίζειν,
> Τὴν σπουδὴν μεταθείς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.
> *Scena hæc eſt vita, & mimus. vel ludere diſce,*
> *Seria poſtponens, vel cruciare miſer.*

Hinc Auguſti morituri quæſitum: *Ecquid hunc mimum vitæ ſatis commode egiſſe videretur?*

265. *Jactata petauro Corpora.*) Πέταυρον ſeu πέτευρον (ut a nomine incipiam) tabella eſt parieti affixa, ad quam ſe gallinæ volatu recipiunt, ut pernoctent. Hinc factum, ut machina in altum ſuſpenſa, in quam gallinarum inſtar, quaſi volatu ſeſe ferebant juvenes πέταυρον diceretur, iique *petauriſtæ*. Sic *Aelius Stilo*, *petauriſtas* dictos affirmat, quod ii πρὸς ἀέρα, vel πρὸς αὔρας πέτονται, quod in aera, ſive in *auras volent.* hæc de nomine omnes, de re non item. Nam quæ de *petauro Calderinus* & *Merula*, itemque *Vitellius*, nugæ. nec ſatis ſeſe explicat *Turneb.* Adverſ. IV. cap. VIII. & lib. XXIX. cap. XIX. At *Mercurialis* de arte Gymnaſtica, putat machinam fuiſſe ligneam, qua rotis homines in aerem jactabantur, ſimilem noſtris oſcillis. Cui videtur aſſentire *Lipſ.* itemque *Muretus*. At *Joſeph. Scalig.* ad hos *Manilii* verſus ſcriptos lib. V.

> *Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem*
> *Corpora, quæ valido ſaliunt excuſſa petauro,*
> *Alternoſque cient motus, elatus & ipſe*
> *Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur ille.*

explicat de *rota* in ſublimi poſita, quæ a duobus verſabatur, altero ſuperne, altero inferne nitente, ita ut alternis dejecti nunc penderent, nunc erecti ſederent.

267. *Corycia puppe.*) Cretenſi. *Coryeus* enim Cretæ inſulæ promontorium *Ptolomæo*, quod hodie *Cambraſio*, ut *Pinetus*: vel *Cambruſſia*, ut *Niger*. falluntur, qui referunt ad *Coryeum* Ciliciæ oppidum; quod ex ſequentibus facile videre eſt, ubi de *Creta* inſula verba facit.

269. *Mercator olentis ſacci.*) Croci, vel opobalſami.

270. *Cretæ.*) Creta hodie *Candia*, inſula mediterranei maris.

270. *Antiquæ.*) Nobilis, & incunabulis Jovis claræ.

271. *Paſſum.*) Gallis *malvoiſie*. Nonius: *Paſſum nominabant, ſi in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque in ſole aduri paſſi eſſent.* Et alibi: *Paſſum dicitur, quod ex uva paſſa cogitur.* Dictum autem volunt

a pa-

Hic tamen ancipiti figens veſtigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque, famemque
Illa reſte cavet: tu propter mille talenta,
Et centum villas temerarius aſpice portus,
Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum eſt jam
In pelago. veniet claſſis, quocunque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Gætulaque tantum
Aequora tranſiliet: ſed longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo ſtridentem gurgite Solem.
Grande operæ precium eſt, ut tenſo folle reverti
Inde domum poſſis, tumidaque ſuperbus aluta
Oceani monſtra, & juvenes vidiſſe marinos.
Non unus menteis agitat furor: ille ſororis

In

a patiendo; nam percutitur uva ſiccior, & decoquitur, & inde fit *paſſum*. Sic *Plin*. lib. XIV. cap. I. *Cum & a patientia nomen acinis datur paſſis*. Quod tamen negat *Dalechamp. & uvas paſſas* dici potius, quod ad ſolem *expanduntur*, quas Græci vocant πατηθίους, quaſi *conculcatas*, non quidem, quod *conculcentur*, ſed quod ob reſiccationem *calcatis* ſimiles videantur. De ratione autem conficiendi *paſſi* vide *Palladium* in Octobre, & *Columellam* lib. XII. cap. XXXIX. Id autem potiſſime in Creta fieri ſolitum. *Plin*. lib. XIV cap. IX. & *Martial*. lib. XIII. epig CVI. cujus lemma: *Paſſum*. Vide *Beroald*. Annotat. in *Servium*, ubi notat *defrutum* a *paſſo* longe diſtare.

271. *Municipes Jovis*) Cretenſes. Sic *Martial*. vocat Lucernas Tyrias *Cadmi municipes*, quod Cadmus Tyri, & Jupiter Cretæ natus. Sed eruditiſſimus *Philippus Jacobus Mauſſacus* monuit me hunc locum ex *Ariſtophane* in Acharnenſibus depromtum, cujus habe verba: Ὁ λάρκος δημότης ὅδ' ἐστὶν ἐμός, cum quo alluſit *Harpocration* in Lexico.

VET. SCHOL.

272. *Hic tamen ancipiti*.) Funambulus ex hac arte victum ſibi comparat.

273. *Brumamque famemque*.) Horatius:

Frigus quo duramque famem depellere poſſit.

274. *Illa reſte cavet*.) ſupra quam ambulat ſcilicet.

276. *Plus hominum eſt jam In pelago*.) id eſt, Qui naufragium pertulerunt.

279. *Sed longe Calpe relicta*.) Urnæ ſimilis mons, inde *Calpe* in extrema Spania.

280. *Audiet Herculeo ſtridentem gurgite Solem*.) Gaditano Oceano Sol mergens ſtridet, ut ſi ferrum candens in aqua tinguas. ultra *Herculis columnas* dicit ad mare mortuum, ultra quod navigare non conceditur: nam ſic ſubjungit:

Oceani monſtra & juvenes vidiſſe marinos.

281. *Ut tenſo folle reverti*.) Ut pleno ſacculo revertaris.

282. *Tumidaque ſuperbus aluta*.) manticula, id eſt, mercibus.

283. *Oceani monſtra, & juvenes*.) Tritones & Nereides.

284. *Ille ſororis*.) Furens Oreſtes. Iſigenia ſoror Oreſtis.

GRANG.

272. *Ancipiti planta*.) Suſpenſo & dubio paſſu.

273. *Cavet brumam*.) Sic apud Ovid. *cavere frigora*. & apud Petron. *cavere canem*.

278. *Carpathium*.) Quod a *Carpatho* inſula Aſiatica, quæ hodie *Scarpanto* appellatur, auctore *Sophiano*.

279. *Calpe*.) Mons in Hiſpania, ut ſupra diximus, ad fretum Gaditanum.

280. *Stridentem Solem*.) Ex opinione *Epicuri*, qui cum Hiſpaniæ populis credebat Solem in Oceanum mergi, cumque mergeretur, quaſi candens ferrum tinctum aqua ſtridorem edere. *Rhodig*. lib. XXIV. cap. XIII.

281. *Tenſo folle*) Crumena plena *follis* heic ſaccus coriaceus pecuniæ reponendæ attributus.

283. *Juvenes vidiſſe marino*.) Vide *Plin*. cap. V. lib. IX. & lib. XXXII. cap. XI. *Pauſan*. in Phocicis, & *Rondeletium*.

284. *Sororis In manibus*.) Iphigeniæ. *Hyg*. fabula CXX.

286. *Vi-*

In manibus vultu Eumenidum terretur, & igni:
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit,
Aut Ithacum. parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, & tabula distinguitur unda:
Cum sit caussa mali tanti & discriminis hujus,
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
Occurrunt nubes & fulgura: solvite funem
Frumenti dominus clamat, piperisque coemti.
Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur:
Aestivum tonat. infelix, hac forsitan ipsa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & zonam læva, morsuque tenebit.
Sed, cujus votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus, & rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni,
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Tantis

VET. SCHOL.

286. *Hic bove percusso*) Ajax, quia & ipse insanit.

287. *Aut Ithacum.*) Ulyxem.

287. *Parcat tunicis licet.*) Quamvis vestem non conscindit, tamen insanit.

291. *Concisum argentum.*) in argenteolos sive nummos.

292. *Occurrunt nubes.*) Ergo hoc dicit, non insanit.

294. *Nil fascia nigra*) Nubes ducta per cœlum.

295. *Aestivum tonat.*) Naturaliter. hæc dicit negotiator.

297. *Et Zonam læva.*) in qua fert solidos.

299. *Quod Tagus, & rutila volvit Pactolus.*) Fluvii, unus Spaniæ, alter Asiæ.

300. *Frigida sufficient.*) Uda, aut nuda.

302. *Et picta se tempestate tuetur.*) Dum picturam naufragii sui portat in tabula, fletens casus sui historiam.

GRANG.

286. *Hic.*) alias Telamonius, qui propterea *Mastigophorus* dictus.

289. *Tabula distinguitur unda.*) Vide, quæ dixi ad illud XII.

Quatuor aut septem digitis a morte remotus.

quibus addo hunc patris *Senecæ* locum III. Contro. vers. *Scitis nil esse periculosius, quam instructa navigia, parva materia se jungit fato.* Sic enim correxit *Schottus*, cum prius legeretur *fata.* Male autem, & contra mentem *Auctoris* correxit. Repone igitur, *parva materia sejungit fata. Sejungit* scilicet uno verbo, non duobus, ut inepte rescripserunt, hoc est, non longe a morte remoti navigantes.

297. *Zonam læva morsuque tenebit.*) In zona ferebant pecunias antiqui. hinc Plauto *Sector zonarius*, quem nos dicimus *coupe bource.* De *zonis* vide *Meurs.* Exercitat. Critic. parte II. cap. XXV. & *Peroald.* Annot. cap. XV.

299. *Rutila Pactolus arena*) *Varro* apud *Nonium* in agere:

Pactolus aureas undas agens.

300. *Frigida sufficient.*) Nudi sunt naufragi, quia ut facilius natent, vestes abjiciunt. hinc Poetis ita picti. *Ovidius*:

Luridus, exanimi similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum misere flevit. —

Vide & *Horat.* ode Epod. penult.

302. *Picta se tempestate tuetur.*) Naufragium passi, & ad stipem redacti curabant tempestatis casum, quem sustinuerant, *tabula depingi*, eamque humeris ferebant, ut mendicantes fortunam toties repeterent suam. Alias, qui ita destituti, ut *tabulam depictam* non haberent,

Tantis parta malis, cura majore metuque
Servantur. MISERA eſt magni cuſtodia cenſus.
Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro
Electro, ſigniſque ſuis, Phrygiaque columna,
Atque ebore, & lata teſtudine. dolia nudi
Non ardent Cynici: ſi fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commiſſa manebit.
Senſit Alexander, teſta cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurus geſtis æquanda pericula rebus.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: NOS te,
Nos facimus, Fortuna, Deam. menſura tamen quæ

Sufficiat

rent, *truncum* ferebant faſciis involutum, caſumque narrabant. Hinc ille locus nulli, quod ſciam, intellectus, aut ſaltem expoſitus apud *Martial.* epigr. LVII. lib. XII.

Nec faſciato naufragus loquax trunco.

VET. SCHOL.

304. *Miſera eſt magni cuſtodia cenſus.*) Miſera eſt cuſtodia magni patrimonii.

305. *Diſpoſitus prædives hamis.*) Per tranſlationem diſciplinæ militaris *Sparteolorum* Romæ, quorum cohortes in tutelam urbis cum *hamis* & cum *aqua* vigilias curare conſuerunt vicibus.

306. *Servorum noctu Licinus jubet.*) *Licinus* ille ex liberto Claudii, de quo ſuperius dixit:

— Ego poſſideo plus
Pallante & Licinis. —

307. *Phrygiaque columna.*) Marmorea.

309. *Non ardent Cynici.*) id eſt, Diogenis, qui in dolio dormiebat.

311. *Senſit Alexander*) Macedo.

313. *Quam qui totum ſibi poſceret orbem.*) id eſt, Alexander.

314. *Geſtis æquanda pericula rebus.*) Cum magnis periculis magna res efficitur.

3ſ6. *Menſura tamen quæ.*) Si vis noſſe, patrimonii modus quantus debet eſſe.

GRANG.

303. *Tantis parta malis.*) Supra:

— Divitias tot per tormenta coactas.

305. *Prædives Licinus.*) ignem reformidans, cui non minimum obnoxia Roma. Hic autem *Licinus* Augusti libertus, de quo *Seneca* epiſt. CXIX. & CXX. Alii *Licinium* volunt, eumque Claudii libertum.

305. *Diſpoſitis hamis.*) Vaſis aqua plenis ad arcendum ignem. cave legas *armis* cum *Britannico*, aut intelligas de *hamis* piſcium, ſyllaba repugnante. *Hamæ* enim hauriendi inſtrumenta apud *Columellam* in Hortulo:

Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.

Sunt tamen, qui interpretantur de inſtrumentis, quibus diſturbantur ædificia a ſimilitudine *hamorum*: ſicque uſurpantur in Jure Civili. *l. nam ſalutem.* §. III. *D. de officio Præfecti vigilum.* Sicque *Harpagones & hamas*, ſive *amas* conjungit *l.* XII. §. XXI. *de inſtr. legato.* Vide *Brodæum* Miſcell. X. cap. XV. *Turneb.* lib. II. cap. XXIX. lib. XIX. cap. XXIII. *Leopardum* Emendat. IX. cap. XXII.

308. *Dolia nudi Cynici.*) *Diogenis*, qui *dolium*, quod in Metroo erat, pro domo habuit. *Laert.* in Ejus vita. At illa *dolia* non ex ligno, ſed fictilia ex terra. *Plin.* lib. XXXV. cap. XII.

310. *Atque eadem plumbo.*) Corrige ex veteri M.S. *Pinxi*: *Aut eadem.* Nam, ut recte *Lipſ.* IV. Epiſt. Quæſt. epiſt. XXV. quomodo *altera* fieret *domus*, & ſimul maneret eadem? Sententia igitur eſt: *Diogenis domus* non ardebit, quia ex terra: ſi quis fregerit, vel nova fingetur altera, vel partibus conjunctis inſtaurabitur eadem. *Plumbo commiſſi* autem intellexit *plumbaturam*, ſive ferruminationem, quam ſimili verbo Græci μολυβδοῦντι dicunt. Nos *de la ſoudure.*

Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te cludere. misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam
Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit, extenditque labellum:
Sume duos equites, fac tertia quadringenta.
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi;
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis uxorem occidere jussus.

Quis

Vet. Schol.

321. *Aliud Sapientia dicit.*) Poscit philosophia.

322. *Acribus exemplis.*) id est, Video te nolle consentire ad philosophorum patrimonia.

324 *Bis septem ordinibus.*) id est, Gradibus equitum Romanorum.

325. *Si rugam trahit.*) Si displicet, & tristem facit; duorum equitum patrimonium fac.

328. *Nec Crœsi.*) *Crœsus* ille est, cui Solon dixit, ὅρα τέλος μακροῦ βίου: cujus filius, cum ipse Trallibus victus esset a Cyro rege Persarum, adulescens usque id mutus, intentum jugulo patris gladium cum vidisset, subito exclamavit: *Homo Cyre, parce homini.*

329. *Nec divitiæ Narcissi.*) *Narcissus* libertus Claudii potentissimus, idemque ditissimus Eunuchus.

Grang.

318. *In quantum.*) *Inquantum* dictionem Latinam, bonisque Auctoribus usurpatam docet *Ptolomæus Flavius* Conject. cap. LXXVII.

324. *Bis septem ordinibus.*) *Martial.* lib. V. epigr. XXVIII.

Bis septena tibi non sunt subsellia tanti.

Quatuordecim gradus dicuntur *Senecæ* de Benef. II. *Quatuordecim ordines*, *Plinio* lib. XXXIII. cap. II. *Quatuordecim* simpliciter *Petronio* in Satyr. *Macrobio* Saturnal lib. II. cap. III.

324. *Othonis.*) Ea lex *Roscia* a *L. Roscio Othone* Tribuno pl. anno ab U. C. IↃCLXXXVII. Manilio Glabrione, & C. Calpurnio Pisone Coss. diximus ad illud:

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Vide *Fabrum* Semest. II. cap. XI.

325. *Si rugam trahit.*) Si nondum tendit, neque explet marsupium, sed adhuc hians & laxum est os illius. Contra *Pers.* satyr. VI.

Jam redit in rugam. —

id est, multiplicatur, elegantissime a vestibus ducta metaphora, quarum est proprium *rugare*, ut docte *Casaub.* ad *Pers.*

326. *Duos equites.*) Duos census equestres.

329. *Divitiæ Narcissi*) admodum divitis, de quo *Plin.* lib. XXXIII. *Sueton.* in Claudio. Hinc *Floridus Sabinus* Subcisivarum III. cap. V. inter proverbia recensendum putat illud: *Divitiæ Narcissi.*

331. *Uxorem*) Messalinam. Cujus historiam satyr. X. ex *Xiphilino*, & *Suetonio* retulimus.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS
AQUINATIS
SATYRA XV.

OBTINET AEGYPTUS PERVERSOS IMPIA RITUS.

SYNOPSIS. Mores Ægyptiorum reprehendit, quorum alii crocodilum, alii ibides, cercopithecos, canes porra, & cetera, quæ nascuntur in hortis, pro Numinibus habent: quique, cum lanatis animalibus abstineant, humanis vesci carnibus licitum putant: unde odium atrocius, & antiquæ crudeliores pro religione simultates: (nam eorum quisque solos habendos esse Deos credit, quos ipse colit.) Quæ ne quis similia iis, quæ Alcinoo super cœnam narrabat Ulysses, arbitretur, prælium a se visum inter Ombitas & Tentyritas nuper commissum narrat, in quo, cum fugatis Ombitis, Tentyræi fugientibus instarent, cum unus ex Ombitis nimia formidine cursum præcipitans, laberetur, captus a Tentyræis, sectusque est in diversa frusta & particulas, ut pluribus sufficeret, & ab ipsis tanta aviditate devoratus, ut corrosis ossibus ipso consumto, ductis digitis super terram, effusum sanguinem gustarent: quæ nec Vascones, nec Saguntini ad extremam miseriam redacti, non Cimbri, nec Iritones, Sauromatæ, aut immanes fecerunt usquam Agathyrsi; nec Taurici, qui tantum homines immolant, nil ulterius molientes. Sed quamvis natura ad humanitatem mutuumque nascamur auxilium, pejus convenit inter nos, quam inter belluas ferocissimas; quæ nunquam sæviunt in compar genus: tanta vero quorundam hominum atrocitas est, ut non contenti mutua cæde, seipsos devorent.

QUis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus ibin.

Effigies

VETUS SCHOLIASTES.

AD *Volusium* scribit de *Aegyptiorum sacris*; odio Crispini, qui Aegyptius erat, egens, & modo magister peditum atque equitum factus est.

2. *Crocodilon adorat.*) qui ab ichneumone perit dormiens.

3. *Illa pavet saturam serpentibus Ibin.*) *Ibin* propterea Aegyptii colunt, quod illi naturale cum *serpentibus* bellum est. Nam cum Aegyptum Nilus etiam *serpentibus* inundaverit, illa eos omnes devorat simul & aspides. De hujuscemodi animalium genere *Cicero* in libro *de Natura Deorum* primo, sic ait: *Ipsi, qui irridentur, Aegyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt: veluti Ibin. Ibes maximam vim serpentum conficiunt, cum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues ex Libyæ vastitate vento Africano invectas interficiunt, atque consumunt: ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ.*

GRANGÆUS.

QUis nescit.) Ex Cic. v. Tuscul. *Ægyptiorum mores quis ignorat? quorum imbutæ mentes civitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibin, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent.*

2. *Portenta colat.*) *Lactant.* de Orig Erroris, II. cap. XIV. *Postea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt. Aurel. Prudent.* lib. I. contra Symmach.

Sunt hæc barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne sacrum est, quicquid formido tremendum
Suaserit, horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monstra Deos. —

3. *Pars hæc crocodilon adorat*) *Herodot.* in Euterpe: Τοῖσι μὲν δὴ τῶν Αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ κροκόδειλοι, τοῖσι δ' οὔ. Pars autem illa, quæ *crocodilon* adorat, ea est, quæ circa *Thebas*: nam, qui circa Elephantinam urbem, *Crocodilos* comedunt. Idem *Herodot.* eodem.

3. *Ibin*) *nigram.* duæ enim species sunt, *alba*, & *nigra*, *Herodot.* in Euterpe. *Aristot.* lib. IX. cap. XXVII.

Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cœruleos, heic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum & cepe nefas violare,* & frangere morsu.

O

Plin. lib. x. cap. xxx. *Strabo* lib. xvii.

3. *Saturam serpentibus.*) *Herodot.* lib. ii. *fertur ex Arabia serpentes alatos ineunte statim vere in Aegyptum volare, sed eis ad ingressum planiciei occurrentes aves ibides non permittere, sed ipsos interimere, & ob id opus ibin magno in honore ab Aegyptiis haberi Arabes ajunt, confitentibus & ipsis Aegyptiis idcirco se iis avibus honorem exhibere.* quæ repetit *Cic.* i. de Nat. Deorum. *Plin.* lib. x. cap. xxviii. *Invocant & Aegyptii ibes suas contra serpentium adventum.*

Vet. Schol.

5. *Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.*) *Memnonis* ex ære *statua*, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc *Cambyses* rex jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret: nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo *dimidio* dixit, id est, aperto & diviso.

6. *Atque vetus Thebe.*) *Thebas* dicitur trans Aegyptum Liber condidisse.

Grang.

4. *Cercopitheci.*) i. Cynocephali, (quem Latine *Canicipitem* posses appellare) ita dictus *Cynocephalus*, quod *Cercopithecis*, hoc est simiis caudatis eadem prope forma ac figura sit. Is Aegyptiis est sacerrimum animal, ut testatur *Joannes Pierius* lib. vi. Hieroglyph.

5. *Ubi*) in Serapidis templo, quod Thebis Aegyptiis erat.

5. *Chordæ resonant*) Non revera *chordæ*; sed statua *chordarum cytharæ* instar resonabat. *Pausan.* *Quotidie insonat oriente sole, quem sonitum similem dixeris diruptæ chordæ in cythara.*

5. *Dimidio Memnone.*) *Dimidiata* statua *Memnonis*, ut satyr. viii.

Et Curios jam dimidios. ——

Unde autem ex integra *dimidiata* facta fuerit, non constat. Nam *Strabo* terræ motu id esse factum affirmat. At *Vetus Scholiastes* Pubæi id factum, quod *Cambis hanc* (Douza corrigit *Cambyses*) *jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret, nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit.* Quæ autem dixit *Vetus Scholiastes*, cum iis, quæ *Pausan.* conveniunt. De *statua Memnonis*, *Euseb.* in Chronicis. *Pausan.* in Atticis. *Strabo* lib. xvii. *Lucian.* in Toxari. *Philostrat.* in Iconibus. *Plin.* *Tacit.* Annal. ii. vide & *Floridum Sabinum* Subcisivarum iii. cap. i.

6. *Centum portis.*) Unde ἑκατόμπυλος Græcis. Vide *Homer.* Iliad. i. & odyss. δ.

7. *Illic cœruleos.*) *Frodæus* Miscellan. vii. cap. ii. correxit *æluros*, id est, *feles*, quos ab Aegyptiis pro Diis cultos testatur *Herodot.* in Euterpe, & *Dionys.* lib. i. At *Turneb.* Adversar. viii. cap. xvii. retinet veram lectionem *cœruleos*, hoc est pisces marinos, ut *Cic.* in Arato:

— *Cœrula pistrix.*

7. *Piscem fluminis.*) quem *Frodæus* Oxyrinchum, lepidotum, & latem exponit, a quibus *nomos Chatraphia*, sive præfectura est, suum nomen sortitur apud *Plin.* lib. v. cap. ix.

8. *Canem venerantur.*) Non tantum *Anubin*, quem *canino* capite effingebant, quique propterea *latrator Anubis* Poetis dicitur, sed *canem* animal venerabantur; ita ut *cane* mortuo non tantum supercilia eraderent, quod fiebat in *fele*, sed & totum corpus. *Herod.* in Euterpe. *Lactant.* de Falsa Sapientia lib. iii. cap. xx.

8. *Nemo Dianam.*) Magis pathice, quam vere. *Pubastis* enim colebatur Aegyptiis, ut docet *Ovid.* viii. Metam.

Sanctaque Pubastis, variisque coloribus Apis.

At *Pubastis*, ut docet *Herodot.* Κατ᾽ ἑλλάδα γλῶσσαν ἐστὶν ἄρτεμις, quæ *Diana* Latinis.

9. *Porrum & cepe nefas.*) *Plutarch.* lib. de Iside, & Osiride, *cæpam* Aegyptios sacerdotes aversari dixit, quod lacrimas eliciendo festos dies celebrantibus molesta sit, & excitata siti incommoda sit iis, qui religionis caussa potu ciboque abstinent: tum etiam, quod luna decrescente viget, & augescit, quam etiam rationem affert *Gell.* lib. xx. cap. vii.

13. *Carnibus*

O sanctas genteis, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. nefas illic fœtum jugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. attonito cum
Tale super cœnam facinus narraret Ulysses
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam
Moverat, ut mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abicit, sæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immaneis Læstrygonas, atque Cyclopas?
Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa
Cyaneis, plenos & tempestatibus utreis

Cre-

VET. SCHOL.

13. *Carnibus humanis.*) Usque adeo de Aegyptiis vanum aut incredibile est, ut *Ulyxi* similia de *Læstrygonibus* referenti credi non potuerit in mensa Alcinoi hæc cum exclamatione legenda sunt.

15. *Fortasse quibusdam.*) Simul discumbentibus.

16. *Ut mendax aretalogus.*) Virgilius:
Artificis scelus. —

16. *In mare nemo.*) Diceebant Phæaces.

18. *Læstrygonas atque Cyclopas.*) quos perhibent hominibus pastos exstinctis.

19. *Vel concurrentia saxa.*) Symplegadas, inter quas *Argo* evasit; quæ in Ponto cucurrisse dicuntur. numquid & ad hæc Ulysses accessit?

GRANG.

10. *Quibus nascuntur in hortis.*) *Plin.* lib. XIX. cap. VI. *Allium capasque inter Deos in jurejurando habet Aegyptus.*

11. *Lanatis animalibus abstinet omnis Mensa.*) D. Hieron. *Coge Aegyptium, ut ovium lacte vescatur; compelle* Pelusiotam, *ut cape manducet.*

12. *Fœtum jugulare capellæ.*) potissimum Mendesiis; qui *capram* & *hircum* adorant. videndus *Strabo.*

14. *Super cœnam.*) Inter cœnandum. *Sueton.* in Nerone cap. XXII. *A quibusdam rogatus, ut cantaret super cœnam. Curtius* lib. IIX. *Super vinum & epulas.* Statius: *Super somnos.*

14. *Narraret Alcinoo.*) IX. & X. Odyss. *Lucianus: Hujus scurrilitatis*, inquit, *artifex & inventor exstitit Homericus ille Ulysses, qui apud Alcinoum ventorum servitutem, & unoculos crudaque vorantes homines, rudi populo Phæacum est ementitus.*

16. *Mendax aretalogus.*) *Turneb.* in Adversar. *Aretalogum* non ab ἀρετῇ, sed ab ἀρεστὸς, i. gratus, & placens deducit. Imo & putat ab *Arete* uxore Alcinoi deduci, quod fieri non potest, cum duæ primæ in *Arete* producantur, ut vidit *Scaliger* Ausoniar. Lect. II. cap. V.

18. *Læstrygonas.*) *Læstrygones* populi in Sicilia, qui nunc *Leontini*. Ii primum *Gigantes* dicti, postea *Læstrygones*: deinde *Anthropophagi*, & tandem *Cyclopes*, ut scribit *Fazellus* cap. I. Decad. II. rerum Sicularum. Vide de *Læstrygonibus*, & Cyclopibus *Homer.* Odyss. IX. X. & XI.

19. *Scyllam.*) *Scylla* scopulus in freto Mamertino, inter Siciliam & Italiam: qui & hodie *Scyllo* dicitur, auctore *Fazello.*

19. *Concurrentia saxa Cyaneis.*) *Cyaneæ*, quæ & Symplegades, quæ ab *Homero*, *Planctæ*; sunt *saxa*, vel insulæ duæ, Bosporo Thracio adjacentes. Hodie illas vulgus vocat *Pavonare*. *Thevetus* etiam testatur Barbaris dici *Jarcazes*. Ex insulæ mobiles, celeriusque moveri dictæ, quam venti a *Pindaro*; verum Argonautarum navigatione immobiles factæ. *Plin.* lib. IV. cap. XIII. fabulæ rationem reddit, quem adi.

19. *Concurrentia saxa.*) *Ovid.* eleg. XI. lib. II. Am.
Quæ concurrentes inter temeraria cautes,
Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
& VII. Metamorph.
Quid quod, nescio qui, mediis concurrere in undis
Dicuntur montes. —
Valer. Flaccus lib. IV.
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes.
De iis præterea lege *Apollonium* lib. I. *Lucan.* lib. II. Pharsalic. *Martial.* epig. XIIX. lib. VII. *Propert.* lib. II. eleg. XXVI.

20. *Plenos tempestatibus utreis.*) *Homer.* Odyss. X. initio:
Δῶκε δέ μοι δείρας ἀσκὸν βοὸς ἐννεώροιο,
Ἔνθα δὲ βυκτάων ἀνέμων κατέδησε κέλευθα.

Dedit

Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat urna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Junio
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti,
Nos vulgi scelus, & cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus a Pyrrha, quanquam omnia syrmata volvas,
Nullus apud tragicos populus facit. accipe, nostro

Dira

Dedit autem mihi excoriatũ utrẽ bovis novennis,
In quo procellosorum ventorum ligavit flatus.

VET. SCHOL.

22. *Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.*) Unum de sociis Ulyxis, *porcis* a Circe factis.

23. *Tam vacui capitis.*) Inani capitis, κενεγκέφαλος.

25. *De Corcyræa temetum.*) Vinum de insula Phæacum.

26. *Nullo sub teste canebat.*) Qui cum redargueret mendacio. Merito ergo non credebatur illi, qui ea *sine teste* narrabat.

27. *Nos miranda quidem.*) De se dicit *Juvenalis*, quia in Aegypto militem tenuit, & ea promittit se relaturum, quæ ipse vidit.

29. *Nos vulgi scelus*) referimus.

29. *Et cunctis graviora.*) Non *cyclopis*, sed Tragœdiæ narrationis.

30. *Quanquam omnia syrmata.*) Vestes tragicas. *Tragœdias.*

GRANG.

21. *Percussum verbere Circes.*) *Homer.* Odyss. x.
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα, κατ' ἐν συφεοῖσιν ἐέργνυ.

22. *Remigibus porcis*) xxi. qui omnes mutati in porcos, virga Circes percussi. Idem *Homer.* eodem.
Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε, δέμας τε,
Καὶ τρίχας. —
Illi vero suum habebant capita, vocesque, corporaque, & setas.

22. *Elpenora*) Potius *Elpenora* nominavit, quam quenquam aliorum, quod in domo Circes ebrius & lapsus per gradus interiit, ut videre est apud *Homer.* Odyss. x. Hinc *Ovidii* imprecatio in Ibin:
Neve gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.
& *Martial.* lib. XI. epig. LXXXIII.
A Sinuessanis conviva Philostratus undis,
Conductum repetens nocte jubente Larem,
Pæne imitatus obit sævis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas.

23. *Tam vacui capitis.*) Hinc proverbium *Phæaces* pro crudelibus & stultis. *Phæaces* autem sive *Phæaci*, utroque enim modo dicitur, a *Phæacia*, quæ eadem Corcyræ maris Ionii insulæ Venetorum ditionis, quæ hodie *Corfu*.

25. *Duxerat temetum.*) ut *Horatio*: *Ducere nectaris succos.* Propertio: *Ducere pocula.* Planto: *Ducere meri hirneam.*

26. *Nullo sub teste canebat.*) Ex *Ovid.* XIII. Metam.
— *Sua narrat Ulysses*
Quæ sine teste. —

27. *Nuper consule Vinco.*) Alii, *Consule Junco.* Quo tempore autem vel *Juncus*, vel *Vincus* Cos. non est dicere, nullus etenim in historia *Consul* ejus nominis, intricataque illa pars fastorum, propter *Consules* crebro *suffectos*, ut advertit *Lips.* Epist. Quæst. IV. epist. XXI. Crederem legendum esse *Vero.* *Fulvius* enim & *Verus* fuerunt Coss. sub Domitiano.

28. *Copti.*) *Coptos* Aegypti civitas & metropolis, quæ *Cana*, sive *Chana*, *Ramusio* videtur.

29. *Cothurnis.*) Tragœdiis, quod *cothurnati* essent tragœdi. Hinc *Ovidio* in Ibin, *cothurnatus vates Euripides* dictus, & ipse *Ovid.* II. Trist.
Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis.
Dicti Græcis ἐμβάται, vel ἐμβάδα.

32. *Dira,*

Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua ſimultas,
Immortale odium & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc Ombos & Tentyra. ſummus utrinque
Inde furor vulgo, quod Numina vicinorum
Odit uterque locus, cum ſolos credat habendos
Eſſe Deos, quos ipſe colit. ſed tempore feſto
Alterius populi rapienda occaſio cunctis
Viſa inimicorum primoribus ac ducibus: ne
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent poſitis ad templa, & compita menſis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum Sol invenit. horrida ſane
Aegyptus: ſed luxuria, quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit turba Canopo.

Adde

30. *Syrmata.*) Tragœdias. *Syrma* proprie veſtis tragœdorum. *Vopiſcus* in Carino: *Pallio aurato atque purpurato pro Syrmate tragœdus uteretur.* Dictum autem *Syrma* παρὰ τὸ σύρειν, Nam veſtis oblonga & humum verrens. *Martial.* *Syrma* uſurpavit pro *tragœdia* lib. IV. epigram. XLIX.

Muſa nec inſano ſyrmate noſtra tumet.

VET. SCHOL.

32. *Dira quod exemplum.*) quod apud Aegyptum factum eſt a populo.

35. *Ombos & Tentyra.*) Inter hos *Ombos* & *Tentyra*, accuſativus pluralis, ut *Mænala*, civitas Aegypti.

36. *Quod Numina vicinorum.*) Quod illi alios deos colunt vicini.

38. *Sed tempore feſto.*) Cum diem feſtum habeant.

44. *Septimus interdum.*) Feſtivitas ſacrorum per ſeptem dies ſolet celebrari.

46. *Barbara famoſo non cedit turba.*) Alexandria.

46. *Canopo.*) Latina ripa.

GRANG.

33. *Inter finitimos.*) Hinc malorum vicinorum querelæ, ut apud *Plaut.* Mercatore: & Querolum *Plauti*, *Heſiodum*, & ceteros. *Finitimi* autem proprie in agris, ut vicini in urbibus.

35. *Ombos.*) Civitas Aegypti.

35. *Ardet.*) Odit.

35. *Tentyra.*) Alteram illam civitatem ſibi conterminam, & finitimam.

36. *Numina vicinorum Odit uterque locus.*) *Ombitæ* enim *crocodilon* venerantur: *Tentyritæ* contra eum odio proſequuntur; imo & ichneumon *crocodilo* infeſtus ab eis adoratur. *Strabo* lib. XVII. & *Plin.* lib. VIII. *Seneca* Quæſt. Natural. lib. IV.

42. *Poſitis menſis.*) Sic *Propert.* lib. III. eleg. XXV.

Riſus erant poſitis inter convivia menſis.

Ovid. epiſt. Paridis:

— *Poſita tum denique menſa.*

Plaut. Aſinar. ſc. I. act. I.

— *Pueri menſam apponite.*

Horat. ſatyr III. lib. II.

— *Menſam poni jubet.* —

42. *Ad compita.*) *Pompon. Mela* lib. I. cap. IX. *Cibos* (Aegyptii) *palam & extra ſua tecta capiunt, obſcœna intimis ædium reddunt.*

43. *Pervigili toro*) Triclinari. *Pervigilem* autem vocat, quo modo *pervigiles popinas* dixit ſatyr. VIII. & *vigiles feneſtras* ſatyr. III.

45. *Quantum ipſe notavi.*) *Lipſ.* lib. IV. Epiſt. Quæſt. epiſt. XX. *Juvenalem exſulaſſe ſub Domitiano non abnuerim: & quod in Pivani libro eſt, in Ægyptum miſſum etiam ultro crediderim. Indicare hoc Juvenalis ipſe voluit ſatyr. XV. cum ait:*

— *Quantum ipſe notavi.*

Vidit igitur Aegyptum, vel cum inibi exſularet, ut MS. Pivani: vel, ut Suidas, cum in vicina Pentapoli eſſet, quo nomine Cyrenaicam accipimus, auctore Plinio. Hæc luſtratio Aegypti cauſſam illi præbuit ſcribendæ Satyræ de immani ſuperſtitione Aegyptiorum. Niſi hoc fuiſſet: cur non pariter aliquid de Hiſpanis aut Germanis?

46. *Barbara*

Adde, quod & facilis victoria de madidis, &
Blæsis atque mero titubantibus. inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc jejunum odium. sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ;
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus
Integer. aspiceres jam cuncta per agmina vultus

Dimi-

46. *Barbara turba.*) Agrestes & rustici Aegyptiorum.

46. *Non cedit Canopo.*) Alexandrinis civibus delicatioribus, & *Canopicis*: quorum tanta luxuria est, ut in proverbium abierit *luxuria Canopea.* De qua *Seneca* epist. LI. Dicitur autem *Canopus*, vel *Canobus* a *Canobo* Menelai gubernatore. Hodie *Bochir*, ut *Zieglerus*, vel *Bichieri*, ut *Guilandinus Callaldus* habet.

46. *Famoso Canopo.*) Sic Propert. *incestum Canopum* appellat, lib. III. eleg. XI.

Scilicet incesti meretrix Regina Canopi.

De *Canopo* amplius satyr. VI.

VET. SCHOL.

48. *Blæsis atque mero titubantibus.*) Ex parte ebriosum. *Terentius*:

Nam neque pes, neque mens satis suum officium facit.

49. *Nigro tibicine.*) Aethiope, neque delectarent.

51. *Hinc jejunum odium.*) Ab inimicis infesta sobrietas.

52. *Hæc tuba rixæ.*) *Tuba rixæ*, inquit, convitia, fiunt.

54. *Sine vulnere malæ.*) Sine pugnis genæ.

55. *Ac nulli toto certamine nasus.*) Subauditur, *est*.

GRANG.

47. *Facilis victoria de madidis.*) *Seneca* epist. LXXXIII. *Ebrietas acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit.* Unde, cum Fabricius Romanis narraret se audivisse, cum legatus apud Pyrrhum esset, a quodam Thessalo, Sapientem Athenis esse, qui omnia ad voluptatem referenda profiteretur, id ex eo audientes Curius & Titus Coruncanus optare solebant, ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, ut facilius vinci possent.

48. *Blæsis atque mero titubantibus.*) *Propert.* eleg. XXXIV. lib. II.

Errabant multo quod tua verba mero.

Seneca epist. LXXXIII. *Adjice illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem.*

49. *Nigro tibicine.*) Aegyptio. Sic *Propert.* lib. IV. eleg. IX.

Nile, tuus tibicen. —

Tacit. XIV. Annal. *Destinatur reus cognomento Eucerus, natione Alexandrina, tibiis doctus.* *Tibicines* autem conviviis adhiberi notum ex *Plauti* Sticho. & ex eodem *Propertio* lib. III. eleg. X.

Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,

49. *Nigro.*) Sic *Petronius*:

Memphitides puellæ
Sacris Deum paratæ;
Tinctus colore noctis,
Manu puer loquaci.

51. *Odium jejunum.*) hoc est, *jejunorum*, qui necdum in honorem Deorum suorum festa convivia celebrabant. Ita *sicci* & *jejuni* contra madidos & *ebrios*.

51. *Jurgia prima sonare Incipiunt.*) Ea ingeniosus Poeta vocavit satyr. III.

— *Proœmia rixæ.*

ut heic de iis, *tuba rixæ*. Nam sicut *tuba* accendit ad pugnam, sic & jurgia. Hinc illud triviale: *a verbis ad verbera.* Vide proverbium: *Classicum canere.*

53. *Teli vice.*) *Ovid.* XII. Metam.

— *Sævique vicem præstantia teli.*

Et eodem:

— *Telique habet instar.*

54. *Nuda manus.*) Inermis. Sic *Stat.* *nudam pugnam* dixit, quæ pugnis solis committitur, sine armorum usu. I. Thebaid.

— *Nudamque lacessere pugnam,*

Sic Propert. *prælia nuda*, & Gratian. *nudam virtutem.*

57. *Alias*

Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Offa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt ipſi tamen, & puerileis
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent:
Et ſane quo tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? ergo acrior impetus, & jam
Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditioni
Tela. nec hunc lapidem, qualeis & Turnus, & Ajax,
Vel quo Tydides percuſſit pondere coxam
Aeneæ: ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.

TER-

VET. SCHOL.

57. *Alias facies.*) Mutatas ex cruore.
Ludere ſe credunt.) Cum adhuc manibus res agitur, luſum putant.
60. *Quod nulla cadavera*) mortuorum.
61. *Rixantis millia turbæ.*) Bene ſcilicet credunt ſe ludere, ubi tot rixantibus nullus moritur.
64. *Domeſtica ſeditioni Tela.*) Competentia vicino furori. nulla nam ſic ſunt *domeſtica* rixantibus *tela*, ut ſaxa.
65. *Nec hunc lapidem.*) id eſt, Non tam magna ſaxa jactant, qualia antiqui.

GRANG.

63. *Saxa.*) Ex *Virgilio*:
Jamque faces & ſaxa volant. —
64. *Domeſtica ſeditioni Tela.*) In *domeſtica ſeditione* ſaxa *telorum* vicem ſubeunt, tunc cum
— *Furor arma miniſtrat.*
Et, ut ait idem ſummus & divinus Vates VII. divini operis:
— *Quod cuique repertum,*
Rimanti telum ira facit. —
Et ut *Heliodor.* delicatulus ſcriptor Aethiop. I. Τὸ γὰρ ἀφνίδιον τοῦ κακοῦ χρείας ἐκαινοτόμει καὶ εἶλκε κεχρῆσθαι τοῖς ἐκπώμασιν ἰοδόκοις. *Subitum enim malum novum uſum afferebat, & jaculorum loco poculis uti docebat.*
65. *Nec hunc lapidem, qualeis Turnus.*) Et Virg. XII. ſub finem:
— *Saxum circumſpicit ingens,*
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat,
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus:
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem
Altior inſurgens, & curſu concitus heros.
65. *Et Ajax.*) cum certaret adverſus Hectorem, Hectorque prius cepiſſet manu forti lapidem
Κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα, τρηχύν τε μέγαν τε.
Jacentem in campo nigrum aſperumque magnumque.
— Αἴας πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας
Ἧκ' ἐπιδινήσας. —
Ajax multo majorem lapidem elevans miſit contortum.
ut ſcribit *Homer.* Iliad. H.
66. *Et quo Tydides.*) De quo *Homer.* Iliad. E.
— Ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. —
— *Ille autem ſaxum prehendit manu*
Tydides magni ponderis, quod non duo viri ferrent,
Quales nunc homines ſunt. —
hunc autem *Juvenalis* verſum citat *Servius* ad illud IV. Æneid.
— *Bis Grajum vindicat armis.*
66. *Percuſſit coxam.*) Idem *Homer.* eodem:
Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον. —
69. *Genus hoc vivo decreſcebat Homero.*) quod collegit ex ipſis *Homeri* verbis:
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. —
quæ ita vertit *Virgilius*:
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Varro

TERRA malos homines nunc educat, atque pusillos.
Ergo Deus, quicunque adſpexit, ridet & odit.
A diverticulo repetatur fabula. Poſtquam
Subſidiis aucti pars altera promere ferrum
Audet, & infeſtis pugnam inſtaurare ſagittis:
Terga fugæ celeri præſtantibus omnibus, inſtant,
Qui vicina colunt umbroſæ Tentyra palmæ.
Labitur hinc quidam, nimia formidine curſum
Præcipitans, capiturque: aſt illum in plurima ſectum
Fruſta & particulas, ut multis mortuus unus

Suffi-

Varro apud *Agell.* lib. III. cap. x. *Niſi ſi, ut Homerus opinatus eſt, vaſtiora prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum: & nunc, quaſi jam mundo ſeneſcente, rerum atque hominum decrementa ſint.* Plin. lib. VII. cap. XVI. *Jam vero ante annos prope mille vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium, quam priſca conqueri.* Huc quæri non extra rem poſſit, an primi homines majores, & paullatim minores facti fuerint? Majores autem fuiſſe jam *Homerus* confirmavit, quem & *Lucret.* ſequitur lib II.

— Jamque adeo affecta eſt effœtaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Sic *Eſdras* lib. IV. cap. V. *Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. dices enim ei: quare, quos peperiſti nunc, non ſunt ſimiles iis, qui ante te, ſed minores ſtatura? Et dicet tibi ipſa. Alii ſunt, qui in juventute virtutis nati ſunt, & alii, qui ſub tempore ſenectutis, deficiente matrice ſunt nati. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtatura eſtis præ his, qui ante vos: & qui poſt vos: minori quam vos; quod ſeneſcentes creaturæ & fortitudinem juventutis prætereuntes.* Tamen ſi id ita eſſet, jam Pygmæi eſſemus, ut docte *Lipſ.* Phyſiologiæ Stoicæ lib. III. diſſertatione v.

VET. SCHOL.

72. *A diverticulo repetatur.*) Propter exceſſum.

74. *Pugnam inſtaurare ſagittis.*) Commoveri & a ſagitta.

77. *Labitur heic quidam.*) Cadit fugiens.

79. *Fruſta & particulas.*) Cruda membra hominis capti.

GRANG.

70. *Terra malos homines nunc educat.*) Imo idem ſemper de nobis debemus pronunciare, *malos* eſſe nos, *malos* fuiſſe, invitus adjiciam, & futuros eſſe. *Seneca* lib. I. de Benef. cap. x. *Hoc majores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi.*

70. *Atque puſillos.*) Plinius: *In plenum cuncto mortalium generi minorem in dies menſuram fieri, raroſque parentibus proceriores.*

71. *Quicunque aſpexit*) e ſublimi. Sic appoſite *Seneca* præfat. lib. I. Natur. Quæſt. *Cum te in illa vere magna ſuſtuleris, quoties videbis exercitus ſubrectis ire vexillis, &, quaſi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus effuſum, libebit dicere:*

It nigrum campis agmen. —

Formicarum iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantium. quid illis & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi?

72. *Fabula.*) Hiſtoria. Sic & D. *Hieron.* ad Caſtrutium: *Et ne veteres replicando hiſtorias longum faciam, excedam menſuram epiſtolæ, brevem fabulam tibi referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit. Seneca* epiſt. LXX. *In fabulam exceſſi non ingratam tibi.* Ea in ſignificatione multoties in epiſtolis uſurparunt *Symmachus* & *Sidonius.*

73. *Subſidiis aucti* &c.) Imitatio *Virg.* VII. Æneid.

— Non jam certamine agreſti
Stipitibus duris agitur, ſudibusve præuſtis,
Sed ferro ancipiti decernunt. —

74. *Inſtaurare pugnam.*) Virgilius:

— Sinite, inſtaurata reviſam
Prælia. —

Et x. Æneid.

Inſtaurant acies. —

Inſtaurare autem eſt *inſtar novare.*

75. *Inſtant.*) fugientibus adſunt, imminent, impendent. Sic *Virg.*

Inſtantes Teucros. —

81. Nec

Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aeno,
Aut verubus: longum usque adeo tardumque putavit
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Heic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. elemento gratulor, & te
Exsultare reor. sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quæras, & dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. ultimus autem,
Qui stetit absumto jam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim

Produ-

VET. SCHOL.

81. *Nec ardenti decoxit aeno.*) id est, Tanta insania est illorum, ut nec in cacabis cocta, nec in verubus fixa coquant: sed *cruda* consumant.

84. *Hic gaudere libet, quod.*) id est, Præstitit, inquit nobis, quod exta hominis focum communem * immolarunt.

86. *Elemento gratulor.*) Gratulari te ipsum elemento, igni scilicet.

90. *Ultimus autem.*) Qui venit jam novissimus.

91. *Qui stetit absumto.*) Si ulterius senserit voluptatem.

93. *Vascones, ut fama est.*) Obsessi Saguntini ab Hannibale coacti sunt cadaveribus suorum pasci. *Lucanus*:

Obsessum Pœno gessit quæ Marte Saguntum.

cæsis scilicet imbellibus. Alii nam non ab Hannibale, sed a Metello obsessos dicunt.

GRANG.

81. *Decoxit aeno, Aut verubus.*) Errat ergo Servius, qui ad illud 1. Æneid.

— Verubusque trementia figunt,
Littore aëna locant alii. —

dicit, Heroicis temporibus elixa carne non solitos vesci: & *aena* locasse non ad elixandas carnes, sed ad se lavandos. Errorem hunc erraste pluribus testibus probat *Castalio* Variar. lect. cap. v. Ut *Ovid.* 1. Metam.

Atque ita semineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.

Valerii Flacci Argonautic. VIII.

Pars verubus, pars undanti despumat aeno.

Senecæ in Thyeste act. IV.

Hæc verubus hærent viscera, & lentis data
Stillant caminis: illa flammarum latex
Querente aeno jactat.

Claudiani lib. II. in Eutropium:

Quas figat verubus partes, quæ frustra calenti
Mandet aquæ. —

85. *Summa cœli raptum de parte.*) Hinc *Æschyli* tragœdia Προμηθεὺς πυρφόρος, *Prometheus Igni-fur.* Et *Virg.* Ecl. VI. dixit *Furtum Promethei.* Horatius: *ignem ætherea domo subductum.* *Fulgent.* Mytholog. II. *Nulla quærantur ultra terris munimina, dum usque in cœlum pervenerint furta, aut quæ securitas auri & argenti, ubi flamma potuit involari.* Id autem finxit antiquitas, quod in ferula ignem conservare docuerit Prometheus, ut docet *Hyg* fab. CXLIV. *Plin.* lib. VII. cap. XLVI. *Pausanias* tamen repertum à Phoroneo dicit, & mortalibus communicatum.

87. *Sustinuit mordere.*) Ut satyr. VI.

— Sustinuit ludia dici.

Et satyr. XIV.

— Neque enim sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta.

93. *Vascones.*) Calaguritani. *Calaguris* enim, ut *Strabo*, sive *Calagorina* *Ptolomæo*, quæ nunc, ut *Varrerius* scribit, *Calahorra*, Urbs est *Vasconum* in Hispania Tarraconensi. De cujus obsidione ita *Valer. Max.* lib. VII. cap. VI. *Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Calaguritanorum exsecrabilis impietas supergressa est: qui, quo perseverantius interemti Serto-*

rii

Produxere animas : ſed res diverſa , ſed illic
Fortunæ invidia eſt, bellorumque ultima , caſus
Extremi , longæ dira obſidionis egeſtas.
Hujus enim , quod nunc agitur , miſerabile debet
Exemplum eſſe cibi. ſicut modo dicta mihi gens
Poſt omnes herbas , poſt cuncta animalia , quidquid
Cogebat vacui ventris furor , hoſtibus ipſis
Pallorem ac maciem & tenueis miſerantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant , eſſe parati
Et ſua. quiſnam hominum veniam dare , quiſve Deorum
Viribus abnuerit dira atque immania paſſis,
Et quibus illorum poterant ignoſcere Manes ,
Quorum corporibus veſcebantur ? melius nos
Zenonis præcepta monent. nec enim omnia , quædam
Pro vita facienda putat. ſed Cantaber unde

rii cineribus, obſidionem Cn. Pomp. fruſtrantes, fidem præſtarent , quia nullum jam aliud in urbe eorum ſupererat animal , uxores ſuas natoſque ad uſum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata juventus viſcera ſua viſceribus ſuis aleret , infelices cadaverum reliquias ſalire non dubitavit. &c.

93. *Vaſcones.*) Secunda brevi , ut *Paullinus* epiſt. III. apud *Auſon.*

Vaſconiæ ſaltus , & ninguida Pyrenei
Objicis hoſpitia. —

Et paullo poſt:

— *Sic Vaſcone ſaltu*
Quiſquis agit. —

VET. SCHOL.

95. *Fortunæ invidia.*) quæ ad hoc eos deduxit.

95. *Bellorumque ultima.*) Cum obſiderentur a Metello.

97. *Hujus enim , quod nunc agitur.*) De quo loquebat modo.

98. *Sicut modo dicta mihi gens.*) *Vaſcones Saguntini* quorum dicta ſunt facta , ut ſit major invidia. exemplum , quod doleas, non quod horreas.

100. *Ventris furor.*) Famis inopia.

104. *Dira atque immania paſſis*) Saguntinis.

107. *Zenonis præcepta.*) *Zeno* Stoicæ ſectæ auctor , qui quod honeſtum eſſet , id ſummum & ſolum bonum eſſe dicebat.

108. *Pro vita facienda putant.*) Sed per honeſtatem, ſicut *Stoici* dicunt , melius erat mori , quam cadaveribus paſci.

GRANG.

94. *Produxere animas.*) Vitam. *Virgilius :*

Abnegat exciſa vitam producere Troja.

hoc eſt, longius ducere. *anima* autem pro *vita* , ut ſatyr. IX.

Quorum animas & farre ſuo cuſtodit & ære.

100. *Vacui ventris furor.*) *Ovidius* lib. VIII.

— *Furit ardor edendi.*

101. *Pallorem , & maciem.*) Famis comites. *Idem* eodem :

— *Pallorque , tremorque ,*
Et jejuna fames. —

102. *Eſſe parati Et ſua.*) *Eſſe* heic manducare. ſic *Ovid.*

Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu
Cœpit , & infelix minuendo corpus alebat.

107. *Zenonis*) Cittici , ſectæ Stoicæ principis.

107. *Nec omnia, quædam Pro vita facienda.*) Vide *Senec.* epiſt. XVII. & LXX. unde *Valer.* lib. VII. cap. IV. cum de Numantinis verba facit : *Nulla eſt in hiis neceſſitatis excuſatio , nam quibus mori licuit , ſic vivere neceſſe non fuit.* Tamen contra *Cicero* pro Milone : *Omnes modos conſervandæ vitæ & honeſtos & licitos eſſe* dixit. Vide illud VIII.

Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

108. *Cantaber.*) Calaguritanus. *Cantabrum* enim pro Vaſcone, ſeu Calaguritano poſuit , quod ſint contermini. *Cantabri* hodie *Santillana* Taraphæ , *Guipuſcoa* Cluſio , *Biſcaia* Curioni. quæ omnes regiones ſunt conterminæ ſic appellatæ.

Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?
Nunc totus Grajas noſtraſque habet orbis Athenas:
Gallia cauſſidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur jam rhetore Thule.
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute atque fide; ſed major clade Saguntus.
Tale quid excuſat? Mæotide ſævior ara
Aegyptus. quippe illa nefandi Taurica ſacri
Inventrix homines, ut jam, quæ carmina tradunt,
Digna fide credas, tantum immolat, ulterius nil,
Aut gravius cultro timet hoſtia. quis modo caſus
Impulit hos? quæ tanta fames, infeſtaque vallo
Arma coegerunt, tam deteſtabile monſtrum

Aude-

VET. SCHOL.

109. *Stoicus, antiqui præſertim ætate Metelli.*) Unde poterat tantum ſapere, quantum *Zeno*, ut cadaveribus abſtineret, ſcelus putando committere pro vitæ cupiditate?

110. *Grajas noſtraſque habet orbis Athenas.*) Romanas literas & Græcas.

112. *De conducendo.*) De adhibendo negotiis ſuis oratore.

112. *Thyle.*) Civitas in Oceano, in qua brumæ tempore dies nulli: perinde ſolſtitiali æſtivo nox nulla.

115. *Tale quid excuſat Mæotide ſævior ara.*) Juxta *Mæotim* paludem *Taurici* ſunt, quorum rex Thoas advenas immolare conſuerat, uſque in adventum Oreſtis & Pyladis: quibus agnitis Iſigenia, quæ erat templi ſacerdos, ablato inde Dianæ ligno, auſugit, idque Ariciæ conſecravit. Et *Salluſtius*: *Namque omnium ferociſſimi ad hoc tempus Achæi atque Taurici ſunt, quod, quantum conjicio, locorum egeſtate, rapto vivere coacti.*

120. *Quæ tanta fames.*) id eſt, Quomodo Saguntinos coegit obſeſſio.

GRANG.

109. *Stoicus.*) Philoſophiam *Stoicam*, & Zenonis *præcepta* diſcere potuiſſet.

109. *Ætate Metelli.*) qui Sertorianum bellum una cum Pompejo geſſit, quique *Calagurritanos* obſidione cinxit. *Appian. Plutarch.. Florus.*

109. *Antiqui.*) Veteris. Hinc jocus Sertorii in Pompejum apud *Plutarch.* in Pompejo.

110. *Athenas.*) Literas. Hinc & *Athenæum* pro ſchola ſeu Minervio, ubi docentur literæ.

111. *Gallia cauſſidicos.*) Sic ſatyr. VII.

— *Nutricula Cauſſidicorum*
Gallia. —

Auctor Queroli: *Ad Ligerim vivito.* QUER. *Quid tum?* LAR. *Illic jure gentium vivunt homines: ibi nullum eſt præſtigium: ibi ſententiæ capitales de robore proferuntur, & ſcribuntur in oſſibus. Illic etiam ruſtici perorant, & privati judicant: ibi totum licet.*

111. *Facunda Gallia.*) Auſonius:

Aemula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Vide *Pithœi* præfationem in declamationes *Quintiliani.*

112. *Thule.*) Septentrionalis Oceani inſula ſupra Orcadas. Hodie *Iſlandt.*

113. *Par Virtute atque fide.*) *Fides* enim *Calagurritanorum* magna, quæ & Sertorii cineribus præſtita.

114. *Saguntus.*) *Saguntus* vel *Saguntum* Hedetanorum Urbs *Ptolomæo*, in Hiſpania Tarraconenſi. Hodie *Morvedre* dicitur. De *Saguntinorum* obſidione & fide *Valer* lib. VI. cap. VI. *Sil.* lib. I. *Florus* lib. II. cap. VI. *Plutarch.* in vita Annibalis, Scipionis, Fabii, Marcelli. *Appian.* in Libyco, ceteri.

115. *Mæotide ara.*) i. Taurica. Nam Taurica ab antiquis & *Mæotis* vocata, *Stephano* teſte.

116. *Taurica*) *Iphigenia*, Tauricæ ſacerdos Dianæ.

116. *Infandi ſacri.*) ubi immolati homines. *Hygin.* Fab. CXX. *Caſſiod.* epiſt. XLII. lib. V. *Tertullian.* adverſus Gnoſticos. *Ovid.* III. de Ponto. *Strabo* lib. V. *Sidon.* carm. V.

118. *Quæ carmina tradunt, Digna fide.*) Martialis:

— *Accepit fabula priſca fidem.*

121. *Anne*

Audere? anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromataeque truces, aut immanes Agathyrsi,
Hac saevit rabie imbelle & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Nec poenam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt
Et similes ira atque fames. mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur,
Quae lacrymas dedit, haec nostri pars optima sensus.
Plorare ergo jubet caussam dicentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem

Cir-

VET. SCHOL.

122. *Anne aliam, terra Memphitide sicca.*) Quam, inquit, invidiam facerent Nilo cessanti defluere aliam, quam hanc, quam fecerunt, cadavera devorantes, tanquam fame coacti?

123. *Surgere Nilo.*) Irrigare Aegyptum.

124. *Cimbri, nec Britones.*) Gentes diversae barbarorum.

125. *Sauromatae.*) Sarmatae.

126. *Imbelle & inutile vulgus*) Aegyptiorum.

127. *Dare vela phaselis.*) *Testeis* navigiis. talibus enim navigiis in Nilo utuntur.

131. *Ira atque fames.* Eorum scilicet, qui hoc compulsi fecerunt, id est, Vascones & Saguntini.

131. *Mollissima corda.*) Humanitatem & misericordiam Natura hominibus non negavit.

133. *Haec nostri pars optima sensus.*) Pars optima est naturae vel mentis nostrae, miserum flere.

GRANG.

122. *Terra Memphitide sicca.*) Aegypto. *Memphis* enim civitas Aegypti ad Nilum aedificata, quae hodie *le grand Cayre.*

123. *Nolenti surgere Nilo.*) De *Nili* exundatione *Herodot.* in Euterpe, *Plin.* lib. XVIII. *Seneca* Natur. Quaest. lib. IV. cap. II. *Cassiodor.* lib. III. epist. LII. & lib. VII. epist. VI.

127. *Parvula fictilibus.*) Forte tangit, quod *Seneca* lib. IV. Natur. Quaest. cap. II. quem adi. Aut potius Alexandrinorum luxuriam, qui *testaceis phaselis*, iisdemque pictis, cum omni cithaedorum gente *Canopum* usque navigabant.

127. *Fictilibus phaselis.*) *Phaseli* illi *testacei* sive *fictiles*, auctore *Strabone*. Sed quomodo *testaceae scaphae* aquis sustinentur? forte tibi satisfaciet idem *Seneca* Quaest. Natur. III. cap. XXV.

131. *Molissima corda.*) quo facile casibus aliorum illachryment. Sic *Propert.* lib. III.

Et durum Zethum, & lachrymis Amphiona mollem.

Ovid. IV. Fast.

Flent pariter molles animis virgoque senesque.

133. *Quae lachrymas dedit.*) *Seneca* Consol. ad Polyb. cap. XXIII. *Non vides, qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quae primum nascentium omen fletum esse voluit?* Sic Consolat. ad Marciam, hominem dicit a fletu vitam auspicatum. *Plin.* procemio lib. VII. *Hominem tantum nudum & in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus vitae principio.* Hinc in *Anthologia*:

Δακρυχέων γενόμην, καὶ δακρύσας ἀποθνήσκω,
Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον εὗρον ὅλον.

In lachrymis lucem vidi, in lachrymis quoque linquo,
In lachrymis vita est tota peracta mihi.

133. *Nostri pars optima sensus.*) Hinc Graecorum proverbium:

Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες.

Boni viri lachrymabiles.

Contra mali *illachrymabiles*. Sic *Horat.* od. XIV. vocat

Illachrymabilem Plutona.

135. *Squaloremque rei.*) *Rei squalidi*, ut hoc habitu suffragatores sibi conciliarent, inimicos permulcerent:

Circumscriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. quis enim bonus & face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti
Sensum a cœlesti demissum traximus arce,

Cujus

rent, judices temperarent. *l. vestem. D. de injuriis. Gell.* lib. III. cap. IV. *Seneca* pater Controvers. III. *Cic* pro Sextio.

VET. SCHOL.

136. *Circumscriptorem.*) Curatorem suum.

137. *Ora puellares.*) *Puellares capilli*, tristitia & squalore longiores. Cum enim rei tenemur, & *capillos* demittimus; qui faciunt nos interdum vultum habere, tanquam *puellæ*.

138. *Cum funus adultæ.*) Hora maturæ.

139. *Vel terra clauditur.*) Sepelitur.

140. *Et face dignus.*) * Infans mortis.

141. *Arcana, qualem.*) *Face arcana* dignus sacerdotii, ac per hoc justus. *Arcana*, imbutum sacris dicit Pontificem: aut *arcana*, dicit mystica, cum in templo Cereris sibi invicem *facem* cursores tradunt.

143. *A grege mutorum.*) Animalium, pecorum.

145. *Atque exercendis.*) Discendi artificii faciles.

146. *Sensum a cœlesti.*) Quem animum esse dicunt partem cœlicæ divinitatis.

GRANG.

136. *Circumscriptorem.*) Deceptorem. Sic *Tertull. Dum ipsum circumscriptorem colubrum a congressu fœminæ arcet.*

137 *Faciunt incerta ora.*) Ita ut nequeas dicere, sit puer, an puella. *Horat.* od. V. lib. II.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleres hospites,
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

Ovid IX. Metamorph.

Cultus erat pueri, facies, quam sive puellæ,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.

Et lib. VIII.

Talis erat cultu facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine posses.

140. *Minor igne rogi.*) Qui nondum septimum attigerit mensem, quo nascuntur dentes. hominem enim priusquam genito dente cremari mos gentium non est, ait *Plin.* lib. VII. cap. XVI. Hæc autem sepulcra infantium dicebantur *Suggrundaria*, ut scribit *Placiades*, quia nec *busta* dici potuerint, quia *ossa*, quæ *comburerentur*, non erant, nec tanta magnitudo cadaveris, quæ loco tumesceret.

140. *Face dignus Arcana.*) Mysteriis Cereris, quæ revelare nulli Deo fas est. *Tibull.* eleg. V. lib. III.

Non ego tentavi nulli temeranda Deorum
Audax laudandæ sacra docenda Deæ.

ubi frustra *Scaliger* reponit *virorum.* Nam si *nulli Deo*, multo minus homini vulganda. *Horat.* ad hanc mentem carm. III. ode. II.

— *Vetabo, qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum. —

141. *Qualem vult esse sacerdos Cereris.*) ut *epopta* fiat. Duplicia enim Cereris mysteria, *minuscula*, & *majuscula*; *minuscula* quotannis instaurabantur: *majuscula* quinto quoque anno mense boedromione. Initiandi autem per totum quadriennium dicebantur *mystæ*. Ad ipsa autem sacra admissi *epoptæ*, ab eo scilicet, quod illis sacra inspicere permitteretur. Vide *Scaligerum* ad *Tibulli* locum illum.

142. *Ulla aliena sibi credat mala.*) *Seneca* epist. XCV. *Iste versus & in pectore, & in ore sit: Homo sum, humani a me nihil alienum puto.*

146. *Sensum a cœlesti traximus arce.*) Idem *Seneca* ad Helviam, cap. VI. *Animus, si primam ejus origi-*

Cujus egent prona & terram ſpectantia. mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut nos
Adfectus petere auxilium & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto
De nemore, & proavis habitatas linquere ſilvas:
Aedificare domos, Laribus conjungere noſtris
Tectum aliud, tutos vicino limite ſomnos
Ut collata daret fiducia: protegere armis
Lapſum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare ſigna tuba, defendier iſdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam ſerpentum major concordia: parcit

Cog-

nem inſpexeris, non eſt ex terreno gravique concreto materia, ex illo ſpiritu cœleſti deſcendit.

V E T. S C H O L.

147. *Prona, & terram ſpectantia*) animalia.

148. *Conditor illis.*) Deus.

150. *Et præſtare juberet.*) Homines.

151. *Diſperſos trahere.*) In unum colligere in civitate.

154. *Tutos vicino limite.*) Securos, vicinitate aliorum confidentes.

155. *Protegere armis.*) Defendere bello.

156. *Vulnere civem.*) pro, cives.

158. *Portarum clave teneri.*) Cuſtodia portarum.

159. *Sed jam ſerpentem.*) id eſt, Nec ſerpens ſerpentem comedit, nec fera ſui generis feram. *Varro: Canis caninam non eſt.*

G R A N G.

147. *Cujus egent prona.*) Ex I. Metam. *Ovid.* Unde *Cic.* I. de Legib. *Homo rectus in cœlum ſpectat, quia propoſita eſt illi immortalitas.* Hinc Græci hominem ἄνθρωπον, quod ſurſum aſpiciat, dixere: ob idque *Plato* vocavit hominis formam θεοειδῆ.

149. *Tantum animas, nobis animum.*) *Anima* enim eſt, qua vivimus & ſentimus; *animus* autem, quo intelligimus ſapimuſque. Itaque beſtiis haud temere *anima* conceditur. *Attius* apud *Nonium*:

Sapimus animo, fruimur anima, ſine animo
Anima debilis eſt. —

Lactant. de Opificio Dei: *Non eſt idem mens, & anima. aliud eſt, quo vivimus, aliud, quo cogitamus.* Unde *Philo* de Mundi Opificio: *Animum homini eximium dedit, aliam animæ animam, tanquam pupulam in oculo.* Hinc recte *Varro* apud *D. Auguſt.* de Civit. Dei lib. VII. cap. XXIII. ad mentem *Juvenalis* dicit tertium gradum animæ eſſe ſummum, qui vocatur *animus*, in quo intelligentia præeminet, hac præter hominem carere omnes mortales.

149. *Mutuus ut nos Affectus.*) *Seneca* I. de Ira, cap. V. *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt.* & epiſt. XCV. *Natura nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.* & paullo poſt: *Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſa ſuſtinetur.*

151. *Diſperſos trahere in populum.*) Cic. de Inventione I. *Diſperſos homines in agris, & in tectis ſylveſtribus abditos ratione quadam compulit in unum locum & congregavit.*

152. *Proavis habitatas linquere ſylvas.*) ſatyr. VI.

— *Cum frigida parvas*
Præberet ſpelunca domos, &c.

155. *Ut collata daret fiducia.*) *Lactant.* de Opificio Dei, cap. IV. *Quoniam homo imbecillis eſt, nec per ſe poteſt ſine homine vivere, ſocietatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat & tutior.*

155. *Protegere armis civem.*) Hinc *civica corona*: hinc ſuperbæ illæ inſcriptiones: OB CIVES SERVATOS. *Ovid.* III. Triſt. & IV. Faſt. *Valer.* lib. II. cap. VIII.

159. *Serpentum major concordia.*) *Seneca* I. de Clementia, cap. XXVI. *Illa rationis expertia, & a nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent ſuis, & tuta eſt etiam inter feras ſimilitudo.* *Seneca pater* Controverſia IX. *Si quæſierit aliquis, quæ cauſſa hominem in facinus*

coegit:

Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda
Produxisse parum est, cum rastra & sarcula tantum
Adsueti coquere, & marris ac vomere lassi
Nescierint primi gladios extendere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras: cunctis animalibus abstinuit qui

Tanquam

coegit: nam neque feris inter se bella sunt, nec si forent, eadem hominem deceant, placidum proximumque divino genus. *Plin.* procemio lib. VII. *Cetera animalia in suo genere probe degunt; congregari videmus, & stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes: ne maris quidem belluæ ac pisces, nisi in diversa genera sæviunt; at Hercule homini plurima ex homine sunt mala.* *Horat.* Epod. ode VII.

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar genus.

Hinc proverbia: *Canis caninam non est: Homo homini lupus*, & similia.

VET. SCHOL.

162. *Majoris dentibus apri.*) A sua gente.

163. *Indica tigris agit.*) De India. ut *Terentius*:

Elephantis quem Indicis præfecerat.

166. *Produxisse parum est.*) Nam & invicem se absumunt dentibus, non tantum ferro.

168. *Nescierint primi gladios.*) Primo tempore. qui fuerunt regnante Saturno.

169. *Adspicimus populos.*) Aegyptios.

173. *Pythagoras: cunctis animalibus.*) Samius philosophus propter cognationem inter se mundi, omnibus abstinuit animalibus, aversatus & fabam, quæ ex sanguine humano orta esset. * Nam flores ejus in sanguinem vertuntur, si sic ponatur.

GRANG.

165. *Ferrum lethale.*) *Seneca* VII. de Benef. cap. X. *Video ferrum ex iisdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut precium.* *Plin.* lib. XXXIV. cap. XIV. appellat *ferrum* optimum pessimumque vitæ instrumentum: siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites, squalore deciso, singulis annis cogimus juvenescere: hoc exstruimus tecta, cædimus saxa, omnesque ad alios usus ferro utimur, sed eodem ad bella, cædes, latrocinia.

168. *Nescierint primi gladios extendere fabri.*) *Tibull.* eleg. III. lib. I.

Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
Immiti sævus duxerat arte faber.

Inventio *dactylis Idæis* a *Strabone* tribuitur. *Plinius* Lacedæmonios primum excogitasse *gladii* usum lib. VII. quisquis certe sit,

Hic ferus, & vere ferreus ille fuit.

172. *Quo non fugeret.*) Sic satyr. II.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet. —

173. *Pythagoras*) sectæ Italicæ princeps. De cujus ætate, patria, præceptoribus, peregrinationibus, & ceteris ejusmodi affatim *Lips.* Manuduct. I. dissert. VI.

173. *Abstinuit Tanquam homine.*) *Ovid.* XV. Metam.

— *Primusque animalia mensis*
Arguit imponi. —

Similiter de Judæis *Noster*:

Nec

Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen?

QUis

Nec distare putant humana carne suillam. Vide *Laert.* in Ejus vita. *Senecam* epist. CVIII. *Plutarch.* de esu carnium. Sunt tamen, qui usum *carnibus Pythagoram* affirmant. Videndus *Plin.* lib. XXIII. cap. VII. *Gell.* lib. IV. cap. XI.

VET. SCHOL.

174. *Et ventri indulsit non omne legumen.*) Qui & *legumina* timeret edere. Antistrophe, qui abstinuit.

GRANG.

174. *Non indulsit omne legumen.*) Ut fabas, lathyrum, erebinthum. *Plutarch.* in Problem. *Gell.* lib IV. cap. XI. *Erasm.* in Chiliadib. *Cic.* I. de Divinat. *Plin.* lib. VIII. cap. XII. *Laert.* in Pythagora.

D. JUNII

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS

SATYRA XVI.

MILITIAE MORES ET COMMODA MAGNA VIDETE.

SYNOPSIS. *Militum conditionem longe meliorem, quam ea, quæ paganorum est, ostendit, quod eos togati pulsare non audeant, quia proprios habent judices; nec, ex lege Camilli, extra vallum litigent, idque sine ullo tædio & mora, & quoties illis libitum fuerit: quod solis militibus testandi libertas vivo patre datur, quodque ducis referre videtur, ut, quo quis strenuissimus, eo sit felicissimus. Paganis vero omnia contra.*

QUis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? nam si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere: PLUS etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genetrix, quæ delectatur arena.

Com-

VETUS SCHOLIASTES.

ISta a plerisque exploditur, & dicitur non esse *Juvenalis*.

1. *Felicis præmia, Galle, Militiæ.*) Quanta in se habeat bona militia.

2. *Nam si subeantur prospera castra.*) Ut nihil periculi patiatur in bello, vel non intersit præliis: vel si sint pericula, quamvis timidus sim, tamen eo ad militandum.

6. *Et Samia genetrix quæ delectatur arenae*), id est, Juno.

GRANGÆUS.

G*Alle.*) Is est, de quo *Martial.* toto opere.

1. *Præmia Militiæ.*) Sic *Virg.* XI. Æneid. *præmia pugnæ*. Recte autem *præmia felicis militiæ*, nam sunt & *mala præmia*. *Ipse* eodem:

Huc periture veni, capias ut digna Camillæ
Præmia. —

Catull. in nupt. Pelei:

Talia qui reddis pro dulci præmia vitæ.

Illud mirandum a *principe Poeta* ipsa *præmia doni* & *prælia* usurpata:

— *Nunc te mea dextera bello*
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet.

hoc est, *magna prælia*, ex quibus victori magna *præmia*.

2. *Prospera castra.*) Hæc notanda *prospera castra*, *militiæ felicis*, *secundo sidere*, & *fati benigni*. Ita enim copia laborat noster *Juvenalis* magnus magni *Virgilii* discipulus.

3. *Excipiat porta.*) Signanter *porta*: nam castrorum aggerem subire capitale. *l.* III. §. *nec nos*. D. *De re militari*. De *portis* autem castrorum consule *Lipsium* Commentariis ad *Tacit.* & lib. V. de Milit. Rom. dialog. V.

3. *Tironem.*) novum militem, cui opponitur *vetera*-[illegible]

3. *Pavidum.*) Imo certe, veteranis plerumque tirones audaciores, quia usu carent, &, ut ait *Propert.*

Vulneribus didicit miles habere metum.

4. *Benigni fati.*) Sic *Horat.* III. Odarum, *fortunam benignam* dixit. *benignum fatum* expone liberale. Nam *benignus* proprie, auctore *Festo*, is est, qui bonis & dignis largitur, a *bono & gignendo*.

4. *Hora fati.*) *Genethliaci* in suis judiciis utuntur horariis temporibus signorum, quibus perspectis facilius partem horoscopantem deprehendunt:

Sic felix aut triste venit per singula fatum.

5. *Veneris.*) Amasiæ.

5. *Marti.*) Amatori, eidemque bellorum præsidi.

6. *Genitrix.*) *Juno*, quæ & *Ciceroni* III. Verrina vocatur *Samia*. *Mars* enim Junonis & Jovis filius. *Hyginus* lib. I. vel, ut alii volunt, *Junonis* sine patre. Docet pluribus *Ovid.* V. Fast.

6. *Samia arena.*) Cosmographi tres eo nomine insulas

Commoda tractemus primum communia, quorum
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat: immo & si pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos Prætori ostendere denteis,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,

Le-

lis suis pinxerunt. At *Samos*, quæ ab *Ovidio* VIII. Metam. *Junonia* dicitur, quod in ea *Juno* nata sit, est *Samos Ionica* in Icario mari e regione *Ioniæ* posita, quæ huc usque *Samos* dicitur, ubi templum *Junoni*, & sacra anniversaria. *D. Aug.* lib. VI. cap. VII. de Civit. Dei, *Lactant.* lib. I. cap. XVII. & *Virg.* I. Æneid. Auctor Phallicorum:

Dodona est tibi Juppiter sacrata,
Junoni Samos. —

Homerus tamen Iliad. δ. inter civitates a *Junone* amatas non recenset *Samon*.

VET. SCHOL.

11. *Et nigram in facie tumidis livoribus offam.*) Panis.

12. *Medico nil promittente.*) Desperante.

13. *Bardaicus judex.*) Centurio. Qui quasi inter illos milites militavit habentibus stationem apud *Pardos*. est autem gens Galliæ, vel qualis fuit *Pardus*.

14. *Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ.*) Dat ipsis militibus calceamenta dixit.

GRANG.

7. Commoda communia.) *Plaut.* in Milite, hæc commoda quodammodo videtur interpretari:

An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero?

7. *Tractemus.*) Hoc est, describemus. *Horat.*

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas. —

Nec Galli abhorrent ab hoc genere loquendi.

8. *Togatum.*) Inermis, sive Quiris, nobis *un homme de ville, un bourgeois. Togatus* enim ita differt a *sagato* sive paludato, ut inermis ab armato. Sic *Toga* pro pace. *Lucan.* de Pompejo:

Prætulit arma togæ, sed pacem armatus amavit.

Tamen apud *Tacit. togata cohors* defendit Galbam, & *Capitolinus* in M. Antonino horat, ipsum *togam* sumsisse, militesque *togatos* esse jussisse, nec unquam *sagatos* sub eo milites fuisse.

9. *Si pulsetur, dissimulet.*) ut satyr. III.

— *Ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.*

11. *Nigram offam.*) Nebulones nostri facere hunc locum *Juvenalis* exprimunt, dum contusum in facie livorem idiomate suo appellant, *un coup de poing à la vinaigrette. Offa* enim propria caro in frustula concisa.

11. *Nil promittente*) salutis.

12. *Oculum relictum.*) Eo modo Galli: *Il est abandonné des medecins.*

13. *Bardaicus judex.*) Sensus hujus loci is est: Quiriti sive Togato a milite offenso non datur potestas vocandi militem coram Prætore sive judice urbano, (milites enim non alio, quam militari judicio sistuntur) sed coram militum Tribuno vel Centurione, quem jocose describit a statura procera & grandi, a calceis & veste bardocucullo: Nam *bardaicus judex* apposite dixit, quomodo & postea *calceus judex*, & *grandes suræ* judices. *Bardaicus judex* idem est, ac si diceret *bardocucullo indutus*, quo vestis genere hyberno tempore, ut plurimum utebantur milites, potissimum Galli; Nec interest *bardaicus*, an *bardiacus* legas, licet *bardaicus* corrigat *Turneb.* in Adversar. Nec bene hunc locum intellexit *Marcellus Donatus* Dilucidationibus suis, ut quamvis antiquus Lexicographus *bardiacum* interpretetur vestem, quæ cucullo caret, tamen pignori certarem *bardiacum* seu *bardaicum* nil aliud esse, quam *bardocucullum*; sic enim *Capitolinus* in Pertinace *bardaicum cucullum* appellat; sive a *Bardis* deducas, qui sunt cantores apud Gallos, sive à *Pardea* vel *Pardala*, quæ *alauda* est, unde *alaudarum* legionarii, sive a *Pardæis* Illyrici populis, sive ab illis populis Hispaniæ, qui solebant, ut nunc Germani, principibus apparere, & excubias facere, quos *Plutarch.* in Mario vocat βαρδιαίους. ut notavit *Alciatus* Parerg: Juris lib. V. cap. XVI.

14. *Calceus.*) Ut veste, sic *calceo* distincti milites a Quiritibus. *Petron.* in Satyr. ubi miles agnoscit fictum militem ex calceis, sic ait: *Age, inquit ille, in exercitu vestro phæcasiati milites ambulant.*

14. *Gran-*

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra
Et procul a signis. justissima Centurionum
Cognitio est igitur de milite, nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur caussa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit
Vindicta & gravior, quam injuria: dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot

Mil-

14. *Grandes suræ.*) Unde & rustici, quia robustiores & majoris molis, ideo primi in delectu, & propterea a *Catone* fortissimi bellatores habiti apud *Plin.* lib. XVIII. cap. V. A *grandi* enim *sura* reliquam corporis partem metiri licet, ut a passu Herculis magnitudinem collegit *Agellius* in Noctib. Atticis.

VET. SCHOL.

15. *Legibus antiquis castrorum.*) *Castra* intra Urbem erant militum, quæ *Tiberius* fecit.

19. *Si justæ defertur caussa querelæ.*) Si justam caussam habueris.

21. *Curabilis ut sit vindicta.*) Ut satis cures, quemadmodum effugias illos.

23. *Mulino corde VagellI.*) in alio, *Mutinensis.* Rhetor aliquis de *Mutina. corde mulino* i. e. ignavus.

GRANG.

15. *More Camilli.*) dum obsideret Vejos.

16. *Litiget extra.*) l. XII. C. de re milit. l. finali C. de offic. milit. jud.

17. *Procul a signis.*) quæ in principiis locata, ubi Tribuni militum, eorumque subsellia: Nam tribunal Imperatoris prope Prætorium.

17. *Justissima Centurionum.*) Gallus respondet Poetæ, cum Camillus legem tulit, ut miles extra castra non litiget: *Centuriones* & reliqui militares judices summo jure adversus reos judicabunt, & si quem ad eos deferam, ulciscar, non secus, quam coram Prætore sive judice urbano.

20. *Tota cohors.*) Objectioni respondet Poeta eo modo; Pone hæc ita esse, at reliqui commilitones tibi inimici futuri sunt, ita ut vindicta, quam sument, de judicio a te in militem obtento, multo gravior erit ea ipsa injuria, quam prius acceperas a milite.

20. *Cohors.*) quæ ex quadrigentis quinque & viginti militibus constabat.

20. *Manipli.*) qui in legione triginta, ut decem cohortes. *Agellius* lib. XVI. cap. XIII. Unde autem *manipli* aliter *Veget.* libris de Re Militari; aliter *Ovid.* in Fastis.

21. *Consensu magno efficiunt.*) Alii *officiunt*, ibique interpungunt lectione veriore, ut & verbum sequens *curabitis*, quod in *curabilis* librariorum incuria mutavit.

22. *Gravior quam injuria.*) *D. Ambros.* adversf. Symmach. *Quæ autem æquitas, ut paucis sacerdotibus dolentes victum negatum: ipsi omnibus denegarent, cum inclementior esset vindicta, quam injuria?*

23. *Mulino corde.*) Alii *Mutinensi.* *Vetus Scholiastes Pithoei* utramque lectionem legit, sed per *mulinum* ignavum intelligit. Ego de pertinaci; talis enim natura *mulorum*, quasi diceret: togatus, qui adversus militem litigat, *Rhetori Vagellio* prorsus similis est, qui pertinaciter adversus unumquemque nullo respectu, nullaque personarum ratione adhibita, insolenter invehit.

24. *Caligatos.*) *Caligati* proprie sunt milites gregarii a *caliga* militum vulgari calceamento. *Sueton.* in Augusto, & Vitellio. Quamvis *Centuriones*, ceterique duces *caligas* gestarint, ut videre est ex versu præcedenti:

Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ.

Caligæ autem illæ *clavis respersæ*: Unde apposite dixit *caligatos, millia clavorum.* Sed in *clavis* differentia: alii enim ferreos, argenteos, aureos gestabant in *caligis*, ut quisque dignitate antecellebat, aut diffluebat luxu, eoque pacto *caligatos*, pro omni militum genere accipi vides, ut erudite *Turneb.* animadvertit Adversar. IV. cap. VII.

24. *Cum duo crura habeas.*) quæ clavis caligaribus pungere undique milites possint, eo modo, quo nunc nostri nobiles ignobiles dicunt *donner de coups d'esperon dans les fesses.*

Millia clavorum. quis tam procul absit ab urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? lacrymæ siccentur protinus, & se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, judex cum dixerit: audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere: Vidi,
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum. citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem,
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Præmia nunc alia, atque alia emolumenta notemus
Sacramentorum. Convallem ruris aviti

Improbus,

sesses. Quam imperite id interpretatus sit *Autumnus*, viderit, qui leget.

24. *Caligatos Millia clavorum.*) Tot milites, qui *caligas* ferunt, in quibus sunt *clavi*. Vide illud satyr. III.

— *In digito clavus mihi militis hæret.*

VET. SCHOL.

29. *Da testem.*) Fortasse dicis: Habeo testes.

31. *Et credam dignum barba.*) Si audebit dicere: Dico illum ex illis esse antiquis, qui testimonium tibi præbeat.

36. *Sacramentorum.*) id est, militiæ: quia *jurabant*.

GRANG.

25. *Absit ab urbe*) hoc est, tam inurbanus, tam rusticus.

25. *Clavorum.*) qui *caligares* dicti *Plin.* lib. XXII. cap. XXII. & lib. XXXIV. cap. XIX. *Isidoro* lib. XVI. cap. XX. *Sosipatra* Institut. Grammat. lib. I.

26. *Quis tam Pylades.*) tam amicus.

26. *Molem aggeris.*) castrorum. *Virgil.* VII.

— *Pinnis atque aggere cingit*
Castrorum in morem. —

Legendus *Lipsius* V. de Milit. Rom. dial. V.

27. *Ut veniat*) Te comitatum, more eorum, qui veste mutata in judiciis amicos concomitabantur.

27. *Siccentur lachrymæ.*) *Propert.* lib I. eleg. XIX.

Cogat & invitum lachrymas siccare cadentes.

Fabius cap I. lib. I. *Nec jocis lachrymas, ubi opus erit miseratione, siccabimus.* *Ovid.* III. Fast.

— *Lachrymasque per oscula siccat.*

Et epist. Herus:

Dumque queror, lachrymæ per amantia lumina manant,
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.

Apul. V. Milesi. *Diutinis lachrymis madentes genas siccate.*

27. *Se Excusaturos.*) Non posse nobis adesse in caussa, & sistere coram Prætore judicium exercente.

30. *Qui vidit, dicere: Vidi.*) Ut satyr. VII.

Hoc satius, quam si dicas, sub judice: Vidi;
Quod non vidisti. —

31. *Dignum barba.*) Vide, quæ dixi ad illud:

— *Facile est barbato imponere Regi.*

33. *Paganum.*) Togatum sive Quiritem. *Pagani* autem varia multiplexque acceptio. Proprie *Pagani*, qui habitant in *pagis*, ἀπὸ τῶν πηγῶν, hoc est, a fontibus. Secunda in Jure accipitur pro non militante, ita *Ulpian.* *de militum testamentis*. Ita ut *miles* & *paganus* oppositi, sic testamentum *paganicum*, & testamentum *castrense*. *Paganus* etiam pro Ethnico, qua in acceptione explicaturi sumus ad *Prudentium* ex iis, quæ *Baronius* in Martyrologio, & *Herald.* ad *Arnob.*

36. *Sacramentorum.*) *Sacramentum* proprie pecunia, quæ in judicium venit, quæ & Græcis dicitur παρακαταβολή, ut notavit *Budæus* in Comment. Ling. Gr. *Sacramentum* autem a *sacro*, nam qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad pontem deponebat, de aliis rebus item alio certo legitimo assium. Qui judicio vicerat, suum *sacramentum* a *sacro* auferebat, victi ad ærarium redibat. *Varro* IV. de ling. Lat. *Fest.* & *Paul.* *Diaconus* in *Sacramentum*. Secundo *sacramentum* idem est, quod jusjurandum. *Horat.* lib. II. ode. XVII.

— *Non ego perfidum*
Dixi sacramentum. —

Ita dictum credo, quod *jurarent* per res *sacras*. Strictius autem *sacramentum* apud bonos auctores pro juramento militis in manus ducis habiti, post habitum delectum.

Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum patulo coluit puls annua libo;
Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni:
Exspectandus erit, qui lites inchoat, annus
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ, toties subsellia tantum
Sternuntur, tum facundo ponente lacernas
Cædicio, & Fusco jam micturiente, parati

Digre-

lectum. Hinc *Juvenal.* heic *sacramentum* dixit, pro milite; non absurde certe: nam licet in castris milites fuissent, tamen, nisi sacramento fuissent adstricti, nec hostes lacessere, nec ferire fas erat. *Cato* apud *Cicer.* I. Off. & *Plutarch.* in Problem. imo & si aliquis *sacramento* solutus, studio pugnæ ad militiam redit, non potest denuo arma sumere in hostes, nisi suscepto *sacramento.* Idem *Cic.* eodem, & ex Neotericis *Lips.* de Milit. Rom. lib. I. dial. VII. *Marcell. Donat.* Dilucid in Othonem *Suetonii. Gothofred.* ad l. II. de Veteranis. D. lib. XLIX.

VET. SCHOL.

37. *Improbus.*) Militaris.

37. *Campum* &c.) Terminum, id est, si egeris contra aliquem, quod terminos effoderit, & transtulerit.

43. *Ferenda Tædia.*) Odia.

44. *Subsellia tantum Sternuntur.*) Substernuntur, ponuntur aut parantur.

GRANG.

38. *Sacrum saxum.*) Termini *sacri* dicuntur, eorumque *saxa*, stipites sive lapides, quibus notantur, *sacri.* *Seneca* in Hippolyto:

— *Nullus in campo sacer*
Divisit agros arbiter populi lapis.

38. *Effodit.*) *Effodi*, everti, convelli, proferri, moveri Termini dicuntur, ut notat *Gothofred.* ad l. I. D. de termino moto. Ii, qui movebant terminos, detestabiles & sacri lege Numæ. *Fest.* in *Termino.* Nec minor pœna Jure Divino, Deuteron. cap. XIX.

39. *Puls annua.*) Die quoque natali *liba* in usu fuisse Romanis docuimus, cum correximus *libis genialibus*, ubi antea legebatur *libis venalibus.* Nunc & *pulte* usos fuisse docemus ex *Plinio*, lib XVIII. cap. VIII. *Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur.* Vult igitur dicere & *pulte* & *libis* natalibus Deum Terminum colere *annuatim.* Primum etenim *Terminorum* sacrificium incruentum fuit, postea vero & cum sanguine, ut dum placatur *pulmone gallinæ* apud *Prudentium*, & *agna cæsa* apud *Horatium.*

40. *Pergit non reddere.*) hoc est: non reddit; phrasis *Horatio* familiaris, ut satyr. I.

— *Pergis pugnantia secum*
Frontibus adversis componere. —

& ode XVIII. lib. II.

— *Truditur dies die*
Novæque pergunt interire Lunæ.

41. *Vana supervacui.*) Repetit hunc versum ex satyr. XIII. quem adi.

42. *Exspectandus erit.*) Pluribus hoc carmen explicat *Pithœus* Subsecivor. II. cap. XX. Cujus sententiam quamvis semper plurimi fecerim, germanum tamen hujus loci sensum hunc esse respondeo. Tantam scilicet Romæ forensium rerum copiam, tantamque litigantium multitudinem, quorum lites singulæ ordine dirimuntur, &, ut in foro Gallorum dicitur, *au tours de roole*, ut eo anno, quo quis nomen alicujus ad Prætorem retulerit, in ordinem venire non possit, ita ut ad annum sequentem, cum res eo redeunt, illi exspectandum sit, quod tempus *Servius* vocat *litium annum.* *Annus* enim *litium* est, cum non sunt vacationes, sive, ut Latine dicam, cum res prolatæ. Nam in illa rerum prolatione, sive in judiciis caussarum jus etiam dicebatur, sed extra ordinem, & prout quæque caussa occurrebat, idque ex tempore, vel si dies fuisset feriatus.

45. *Ponente lacernas.*) Deponente vestem judicialem. sic alibi:

— *Ponunt Cosmetæ tunicas.* —

46. *Cædicio*) Judice. de quo satyr. XIII.

Pœna autem vehemens ac multo sævior illis
Quas & Cædicius gravis invenit, aut Rhadamanthus.

Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt, & balteus ambit,
Quod placitum est, ipsis præstatur tempus agendi,
Nec res atteritur longo sufflamine litis.
Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur: nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater. ergo Coranum
Signorum comitem castrorumque æra merentem,
Quamvis jam tremulus, captat pater: hunc labor æquus
Provehit, & pulcro reddit sua dona labori.
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

JOAN-

46. *Fusco*) patrono. de quo *Martial*. epig. XXVII. lib. VII.

Sic fora mirentur, sic te palatia laudent!
Excolat ut geminas plurima palma fores.

Ubi, quæ, de *palmis Raderus* non apposite. Cave hunc *Fuscum* putes eundem ei, de quo ipse satyr. IV.

46. *Jam micturiente.*) Discedente. Nam cum diu aliquo in loco quis sedens remansit, discedendo micturire solet. Unde Satyrice & suo modo, *micturire*, discedere dixit potissimum, quod ebriosus hic *Fuscus* notetur a *Martiale*, ut subolfecit Germanus *Lubinus*.

VET. SCHOL.

52. *Nam quæ sunt parta labore Militia.*) Castrense peculium liberum habent.

GRANG.

48. *Quos arma tegunt.*) At militi quoque die, & quoties libet, agendi tempus præstatur. *Arma* autem *tegunt* dixit, quomodo *Virgil.*

— *Cristaque tegit galea aurea rubra.*

50 *Sufflamine.*) Quid *sufflamen*, dixi ad satyr. VIII. Heic metaphoricas pro mora & dilatione litis in longum tempus extractæ. qua metaphora & usus *D. Augustus* apud Senec. Controv. IV. *Haterius noster sufflaminandus est*, ut qui in dicendo concitatior, quam par esset, nimiaque verborum affluentia laboraret. Quod & videre est apud *D. Hieron.* ad Pammachium.

51. *Testandi militibus jus.*) Instit. §. de milit. testam. l. penult. C. qui testam. fac. possunt.

53. *In corpore census.*) l. ex nota. D de peculio. & l. IV. C. eodem.

59. *Ut, qui fortis erit.*) Polybius: Καλῶς ἢ καὶ τοὺς νέους ἐκκαλοῦνται πρὸς τὸ κινδυνεύειν. &c.

60. *Phaleris & torquibus omnes.*) Scipio apud *Italicum*:

— *Phaleris hic pectore fulget,*
Hic torque aurato circundat bellica colla.

Differunt autem *torques* a phaleris: qua ratione & *Dionysius* distinguit στρεπτοὺς καὶ τὰ φάλαρα. Et *Lipsius* de Milit. Rom. dial. V. putat *torques* stringere magis & ambire ipsum collum; *phaleras* vero dimissas ad pectus pendere, tum etiam a forma inter *phaleras* & *torques* diversitatem inesse, quod *Phaleræ* planæ magis jacentes; *Torques* contortæ, ut ex etymologia vocis tum Græcæ tum Latinæ claret. vide præterea, quæ de *phaleris*, *Marcilius* ad *Pers.* satyr. III.

FINIS SATYRARUM *D. JUNII JUVENALIS*, ET *VETERUM* IN EAS *SCHOLIORUM*, ET *ISAACI GRANGAEI* NOTARUM.

JOAN-

JOANNIS BRITANNICI,
BRIXIANI
COMMENTARIA:

Quibus immixta sunt

CAELII SECUNDI CURIONIS

SCHOLIA,

IN

D. JUNII JUVENALIS
AQUINATIS
SATYRAS.

HENRIC. CHRISTIANUS HENNINIUS
Lectoribus Sal.

POsteaquam ad JUVENALIS Satyras denuo recensendas animum applicuimus, nullum prius aut antiquius negotium nobis datum credidimus, quam ut uno junctas volumine Eruditorum vigilias ad illustrandum JUVENALEM lucubratas studiosæ juventuti in manus daremus, ut eo faciliora & expedita essent doctissimi Poetæ acumina. Inter hos autem Viros doctissimos, qui ad explicandum JUVENALEM præcipuam contulere symbolam, temporis ratione primas merito tenet JOANNES BRITANNICUS, *Brixianus*: Vir sui temporis ætate doctissimus, & vel illi seculo invidendus: id, quod me tacente, erudito lectori evidenter probabunt hæc ipsa, quæ nunc damus, in JUVENALEM BRITANNICI *Commentaria*. Dicabat ea Vir doctus *Senatui populoque Brixiano*: in qua dedicatione caussas reddit, quibus permotus JUVENALEM sit aggressus. Sed audi Ipsum: *Juvenalis igitur Satyras*, inquit, *etsi temporibus nostris a nonnullis aliis egregie literatis commentatoribus, vel cum magna ipsorum laude, enarratæ fuerant, aggressi sumus: quod omnino animadverteremus, in toto opere multa ab iis, sive incuria quadam, sive consulta opera, prælerita esse, quod, quæ ipsi forte intelligerent, eadem & ceteris perspicua arbitrarentur, multaque etiam longe aliter exposita, quam sensus Auctoris exposceret. hocque eo libentius fecimus, quod Juvenalem eum esse novimus poetam, qui, veluti flagello atque ense peccantium vitia persequens, saluberrima carminis sui stilo docet a semita turpitudinum declinandum, honestatemque apprehendendam, ita ut in scholis (quando adolescentes poetice instituendi sint) nihil fere utilius fructuosiusve legi queat. Ii enim mihi tum demum probatissimi videntur Auctores, quorum doctrina non tam ad voluptatem, quam ad institutionem nostram refertur. Confido autem, in toto opere, præter fortasse tria aut quatuor ad summum loca, quæ aut ingenii mei imbecillitate, aut morum ignoratione veterum non intellecta altioribus ingeniis enodanda relinquo, nihil prorsus relictum quod, a me non sit optime dilucidatum, multaque etiam longe rectius explicata, quam ab omnibus aliis, qui ante me in hunc Poetam scripsere.* Hæc ille. Quo plausu fuerint ab eruditis excepta ea *Comtaria*, docuerunt iteratæ eorum editiones. Sane postea JUVENALIS rectius cœpit intelligi, postquam suis curis perquam eruditis ad intellectum viam fecisset faciliorem BRITANNICUS. Multa & non protrita e recondita literarum eruditione Ipse primus observavit, quæ postea alii suppresso doctissimi Viri nomine sua fecere. Non faciemus heic illis invidiam, qui plagiarii BRI-

TANNICI fuiſſe maluerunt, quam ſuo Marte ſuiſque ſudoribus doctiſſimum illuſtrare Poetam. Miramur tamen nonnunquam, qua fronte potuerint ſublegere aliena. Sed vetus ea querela, & fortaſſe noſtris olim nepotibus denuo querenda. Exhibemus autem Vobis poſtliminio, Lectores eruditi & ingenui, ceteros namque non moramur, integras BRITANNICI notas, non quales hodie faciunt noſtri Palæmones, qui virorum doctorum doctos labores pro ſua libidine, inſtar Baccharum, diſcerpunt, &, neſcio quos, centunculos conſuunt, queis *Variorum notas* invidioſo epigrammate præſcribunt. Quot, bone Deus! iſtius rei corruptelæ non exſtitere apud ſtudioſam juventutem, ubi pro Junone nubem amplectitur, pro theſauris carbones reperit. Si idem factum fuiſſet JUVENALIS ævo, procul dubio ſatyrica declamatione exarſiſſet nobilis ira acutiſſimi Poetæ. Sed tetigere ante nos palmarium hunc errorem GRAEVII, CASAUBONI, aliique Viri doctiſſimi & clariſſimi. Integra ergo heic habes BRITANNICI *Commentaria*. Pueriles tantum & grammaticas verborum facillimorum paraphraſes nonnuſquam expunximus; Litura etiam induximus aliquando errores nimis craſſos, in quibus vel Poetæ noſtro contradicit, vel extra orbitam aberrat: rariſſime tamen id factum, & non niſi ὀφθαλμόφανος eſſet error. Item omiſimus ea, quæ *Grangæus* jam in ſuos *Commentarios* contulerat, ne vel veſtra abuteremur patientia, cramben repetitam apponendo; vel typographos fatigaremus inutili labore, cum novis notis iſte loci vacare cum commodo lectoris poſſint. Indicamus tamen his elementis [*Gr.*] eſſe quædam omiſſa ex BRITANNICO, quæ ibi loci habeat *Grangæus*. Ad BRITANNICI autem *Commentaria* adjecit *Scholia* Vir doctus CAELIUS SECUNDUS CURIO, cum crederet BRITANNICUM *non ſemper Poetæ ſenſum eſſe aſſecutum*; *eaque edi ac publicè communicari voluit rogatu Hieron. Frobenii & Nicol. Epiſcopii*, Typographorum ſolertiæ plurimæ & maximæ celebritatis, ut ipſe indicat in epiſtola dedicatoria ad Nobiliſſ. adoleſcentem *Abrah. Sbaski*. Edita ſunt *CURIONIS Scholia* cum BRITANNICI *Commentariis* ad JUVENALEM & *Perſium* repetitæ lectionis primum *Baſileæ*, anno CIↃ. IↃ. LI. *typis Frobenii*, in forma ea, quam librariorum filii *in folio* vocare amant. CURIONIS *Scholia* in fronte ejus libri ſe jactant *nova, quibus tum præterita ab aliis explicantur, tum male intellecta corriguntur: tum etiam Græca, quibus* Britannicus *in* Juvenalis *Commentariis uſus eſt, Latinorumque Auctorum loci, quæ omnia miris modis corrupta fuerant, reſtituuntur.* Exinde liquet, quantum ſibi juris in aliena tribuerit CURIO; quantum e regione ipſi BRITANNICO præſtiterit. Eam Frobenii editionem in recudendis BRITANNICI *Commentariis*, & immixtis hiſce CURIONIS *Scholiis*, ut video, κατὰ πόδα ſecutus eſt *Claudius Morellus*, Typographus Pariſinus, in ea editione JUVENALIS, quam *in quarto*, ut vocant, procuravit *Pariſiis, anno* CIↃ. IↃ. C. II. Hanc & noſtri typographi ſunt ſecuti, poſtquam prius incredibilem erratorum,

opera-

operarum incuria admiſſorum, multitudinem, tanquam ex Augiæ ſtabulo repurgaſſimus. Si cui vel perfunctoria collatio priorum editionum cum noſtra placebit, liquidam deprehendet eorum, quæ diximus, primo intuitu veritatem. Quæ CURIONIS ſunt, in his BRITANNICI *Commentariis*, ſi quidem ſint adjecta & ſubnexa BRITANNICI curis, inter duo iſta elementa C.-----S. includuntur a capite & calce: ſicubi vero CURIO ad JUVENALEM aliquid novi de ſuo annotat, ea in fine initialibus iſtis elementis C.S.C. diſtingui juſſimus. Eodem quoque Jure uſi ſumus in recenſendis *Scholiis* CURIONIS, quo ipſe uſus eſt in BRITANNICO; atque, quod ſupra monebamus de BRITANNICI *Commentariis* a nobis recenſitis, idem intelligi volumus a nobis præſtitum in CURIONIS *Scholiis*. Hæc volebamus, neſcii ne eſſent Lectores eruditi.

JOAN-

JOANNIS BRITANNICI, COMMENTARIA

Cum admixtis & insertis

CAELII SECUNDI CURIONIS SCHOLIIS

IN

D. JUNII JUVENALIS SATYRAM I.

SEmper Ego auditor tantum?) Temporibus Juvenalis magna in Urbe Poetarum copia vigebat: qui fere quotidie aliquid recitabant. Ad hos audiendos rogabantur & noti & amici. Unde scribit Tranquillus: *Augustum recitantes benigne & patienter audivisse: nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos.* Horat. item:

Hic sponsum vocat: hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis. —

Hoc tamen multis molestum omnino erat: unde est illud Plinii: *Magnum proventum Poetarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies fuit, quo non recitaret aliquis. Juvat me, quod vigent studia: proferunt se ingenia hominum & ostentant? tametsi ad audiendum pigre coitur: plerique in stationibus sedent; tempusque audiendo fabulas conterunt: ac subinde sibi nunciari jubent: an jam recitator intraverit? an dixerit præfationem? an ex magna parte evolverit librum?* & paullo inferius: *Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus, & identidem admonitus, aut non venit, aut si venit; queritur se diem, quia non perdiderit, perdidisse.* Idem etiam indicat Corn. Tacitus de *Claris Oratoribus*, loquens de Poetis: *Rogare ultro & ambire coguntur: ut sint, qui dignentur audire: & ne id quidem gratis.* Poeta igitur veluti audiendorum diuturna carminum alienorum molestia affectus erumpit: non tam audiendi fastidium indicans suum, quam diutinam ignaviam suam accusans: quod ipse nihil adhuc scripserit, quum & ipse possit scribere. Sed quum varia sint poematum genera, in quibus versari possit, Satyram ait se velle potius, quam aliud genus poematis tractare; adhibita ratione: quod ampla sibi ad scribendum suggeratur materia. Principium igitur more satyrico ex abrupto fecit: ut Persius:

O curas hominum. —

Horatius:

Qui fit Mæcenas? —

1. *Semper.*) Hoc dicit: quum ex nimio audiendi fastidio, tum ex diuturno silentio quasi magnam ætatis suæ partem per inertiam absumserit: quum nihil interea ipse scripserit.

1. *Auditor tantum*) subaudi *ero.* scil. alienorum scriptorum.

1. *Nunquamne reponam.*) Nunquam ego, sicut ceteri, aliquid scribam & recitabo? Non ignoro, hunc locum variis exponi modis: ego tamen, omissis, quæ parum ad rem faciunt, hoc sumtum esse a debitore contenderim, qui quum precium creditori reddit, reponere dicitur: unde Sen. *epist.* LXXXII. *ad Lucilium*: *Ergo nec, quod debet creditori suo, reponere quisquam scit alius, quam sapiens.* Idem *lib.* VI. *de Beneficiis*: *Ideo non est trepidandum, quam cito reponamus.* loquitur enim de beneficio referendo. Plaut. in *Persa*:

Des mihi nummos sexcentos: quos continuo tibi
reponam in hoc triduo aut quatriduo.

Ergo, inquit Poeta, quum alios poetas audiverim, eorumque sim debitor, tanquam qui ab eis multa acceperim, nunquamne eis reponam? nunquamne eis reddam, quantum acceperim: ac per hoc, nunquamne & ego scribam?

2. *Vexatus totiens.*) Nam, ut diximus: non sine aliqua animi molestia audiebantur recitantes.

2. *Theseide.*) recitatione *Theseidos*, id est gestorum Thesei? de quibus multa Plutarch & Diod. *in* V. & Ovid. *in Metam.*

2. Codri.) Nomen est Poetæ sui temporis: quem in III. *satyr.* pauperem fuisse ostendit:

Lectus

Lectus erat Codro Procula minor. —

2. *Rauci.*) Clamosi: ut referas ad fastidium Poetæ: quasi qui nimio ejus clamore offensus sit. C. S. C.

2. *Rauci.*) id est, recitando defessi, & voce compressi. *Rauci* enim fiunt, & voce obtusi, cum aliis de caussis, tum clamore, nimiaque vocis contentione. hinc Martialis:

Exercet raucos tertia caussidicos

Nam cicadæ non tam clamore, quam natura sunt raucæ.

3. *Impune ergo mihi.*) Ergo, inquit, alius mihi recitaverit togatas, alius elegias, alius alia: & ego non reponam? & pœna talionis afficiam, ut & illi vicissim me audiant recitantem? Nam *impune* sine pœna significat. C. S. C. Horat. *in ultim. epist.*

— *Sed mente recepta*

Obturem patulas impune legentibus aures.

Et *in Arte Poetica*:

Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

3. *Togatas.*) sc. comœdias. Erant enim *togatæ* & *palliatæ*. *Togatæ*, Romanæ erant, ab habitu *togæ*, quæ Romana est: *palliatæ* vero Græcæ, a *pallio*, quod Græcorum est. *Togatarum* autem quatuor sunt genera: sunt enim togatæ, quæ *prætextatæ* dicuntur, in quibus Imperatores negocia agebant publica, & reges Romani, vel duces inducuntur, personarum dignitate & sublimitate tragœdiis similes; *Prætextatæ* autem dicuntur, quia fere regum, vel magistratuum in ejusmodi fabulis acta comprehenduntur. Secundum genus togatarum, *tabernariæ* dicuntur, humilitate personarum, & argumentorum similitudine comœdiis pares, in quibus non magistratus regesve, sed humiles homines & privatæ domus inducuntur: quæ quia olim tabulis tegerentur, communiter *tabernariæ* sunt appellatæ. Tertium genus *Attellanæ*, ab *Attella* civitate Oscorum; in qua primum cœptæ, argumentis dictisque jocularibus similes satyricis fabulis Græcis. Quartum *planipedæ*: quæ Græce dicuntur *mimi*: dictæ ob humilitatem argumenti ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena, aut pulpito: sed *plano pede*. vel ideo, quod non ea negotia continent, quæ in personarum turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt: sed in plano & humili loco. lege Diomedem Grammaticum, & Donatum in Terent.

4. *Elegos.*) *Elegi* versus sunt impariter juncti, hexametro enim & pentametro constant. Quis autem eorum inventor fuerit,

Grammatici, auctore Horatio; *certant, & adhuc sub judice lis est*,

Instituti autem primo fuerunt deflendo desiderio mortuorum, mox ad amores traducti: sed tamen nomen retinuerunt a miserabili cantu, quo olim mortuos deplorabant. nam ἐλελίω idem est, quod *misereor*, unde Sappho:

Elegi flebile carmen.

4. *Ingens Telephus.*) Ingens tragœdia de *Telepho*. Qui (ut auctor est Diodorus, *in quinto*) Herculis & Auges filius fuit. Hunc Teutrantus Rex Mysiæ successorem regni instituit: qui, quum bello Trojano avidius Græcos a Mysia arceret, vite implicitus ab Achille percussus in fœmore sinistro, consulto oraculo, accepit, nullo modo posse sanari, nisi ab eodem repercuteretur, a quo vulnus accepisset. Ad Achillem profectus novo genere medicinæ, & tunc primum excogitatæ, hoc est rubigine, sive ab ærea, sive a ferrea cuspide fuerit, sanatus est. Ita enim, auctore Plin. *lib* XXXIIII. *cap.* XV. depingebatur, eam decutiens ex gladio. hinc nata est fabula, quod eadem repercussus est cuspide, qua fuerat ab Achille vulneratus. Ovid.

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,

Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Alii vero tradiderunt sanatum fuisse non rubigine, sed herbarum remedio per Achillem. unde Claudianus *ad Adrianum*:

Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis:

Notat igitur sui temporis Poetas, qui longo verborum anfractu & Telephi & Orestis tragœdias scripsere.

5. *Plena jam margine.*) Plena etiam exteriore parte paginæ, quæ solet ad ornamentum libri relinqui vacua. *Margo* autem capitur pro extremitate omnium rerum: Plin. loquens de testudinibus: *Sed rostri margines acuti.* C. Margo incerti generis est. de masculino Ovid.

— *Nec brachia longo*

Margine terrarum porrexerat Amphitrite. S.

5. *Summi libri.*) id est extremi, vel extrema parte scripti. unde dicitur *Scriptas & in tergo.* C. S. C.

6. *Et in tergo.*) Ostendit Plin. Junior in ea *epist.* quæ incipit: *Pergratum est mihi. ad Macrum*, ea volumina, quæ etiam in tergo scripta fuissent, *Opisthographa* fuisse appellata. ab ὄπισθεν, id est *retro* & γράφω *scribo*, sic enim scribit: *Electorum quoque commentarios centum sexaginta reliquit opisthographos quidem, & minutissime scriptos.* Ulpianus *De bonorum possessione secundum tabulas* sic ait: *Chartæ appellatio & ad novam chartam defertur, & deleticiam: proinde & si opisthographo quis testatus sit, hinc peti potest bonorum possessio.* Quod ergo *scriptum* dicit Poeta *in tergo*, Græci *opisthographon* appellavere. Quod ostendit & Porphyrio apud Horat. *in Epistolis* his verbis: *Nemo te ornabit atque describet: sed aut carie consumeris, aut fient ex te opisthographæ epistolæ.* Nam apud veteres libri in volumina complicabantur, ita ut interiori tantum parte scriberentur, dicebanturque volumina, quod involverentur. unde Juven.

— *Quæ psaltria penem*
Majorem, quam sint duo Cæsaris Anticatones.

ex quo apparet libros solitos colligi in volumina. unde contra dicebantur *evolvi*, quum explicabantur. Carpens ergo Poeta longas Poetarum ambages in scribendis fabulis, ostendit non solum tota volumina interiore parte, sed etiam exteriore (contra consuetudinem scribi. quod & *Martial.* ostendit alloquens librum:

— *Ad salariorum*
Curras scrinia protinus licebit,
Inversa pueris arande charta.

In tergo igitur, id est exteriore parte membranæ. [*Gr.*]

6. Orestes scriptus.) id est Tragœdia de *Oreste*. cujus magnitudinem tantam fuisse satyrice ostendit, ut ne volumine quidem ipso, quamvis extrema paginæ parte, & a tergo scripto contineretur. Orestes enim Agamemnonis Mycenarum regis filius, & Clytemnæstræ, quum accepisset patrem ab expeditione Iliaca reversum, ab Aegystho adultero, & Clytemnæstra interemtum, sibique ab eisdem insidias tendi, capta opportunitate utrumque necavit. Cujus parricidii conscientia exagitatus in insaniam & furorem versus, videre sibi videbatur matrem se ardentibus facibus & serpentibus atris insequentem. unde Virg.

Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Quum fugit: ultricesque sedent in limine diræ.

Ceterum, quum monitu Pyladæ, ut furiis liberaretur, Apollinis templum ingressus esset, & inde exire vellet, ei furias occurrisse tradit Pacuvius: ad quod respexit Virg.

— *Ultricesque sedent in limine diræ.*

Omitto, quomodo in Tauricam regionem, ubi Iphigenia erat sacerdos Dianæ, pervenerit: indeque abrepto Palladio cum sorore suam Italiam confugerit. de Oreste multæ scriptæ fuerunt tragœdiæ. unde Virg.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes.

Orestem tragœdiam cantavit in scena Nero: auctore Tranquillo. *Orestem* autem, sic dixit tragœdiam de Oreste: ut alibi *Atreum*, id est tragœdiam de Atreo:

Cujus & alveolos & lenam pignerat Atreus.

7. Nota magis nulli.) Tam multi, inquit, temporis nostri existunt scriptores, qui quotidie opera sua mihi recitent, ut *nulli magis nota sit domus sua, quam mihi est lucus Martis*, & alia hujusmodi fabulamenta. ut hoc totum ad multitudinem recitantium referat, quos audiverat, simulque ostendat, se etiam posse scribere, quando docti & indocti passim scribant.

7. Lucus Martis.) hoc est historia de origine Urbis. Nam in *luco Marti* sacro ad Albam inclusa Rea ab Amulio patruo, tanquam per speciem honoris sacerdos electa, Romulum & Remum Urbis conditores, incertum stupro, an ex Marte conceptos enixa est. De hoc multa Justin. *lib.* XIII. Liv. *lib.* I. & Dion. *Lucus* item fuit *Martis* in Ponto: ubi vellus aureum servabatur. Mart.

Custodem Scythici fuisse luci.

qui autem Athenis appellatus est Areopagus, non *lucus*, sed *Martis villa* dicitur.

8. Et Aeoliis vicinum rupibus antrum.) Multi hoc loco dubitant, de quo *antro Vulcani* Poeta intellexerit. Nonnulli enim Hieram putant, unam ex septem insulis Aeolus, intelligi, quas Itali uno vocabulo *Vulcanias* appellant. Nam existimatur natura soli ignea, per occulta commercia aut mutuari Aetnæ incendia, aut subministrare. Sed quum omnes Deo ignium sacratæ sint, Hieram volunt *Vulcano* præcipue sacratam, quod plurimum colle eminentissimo nocte ardeat: de hacque Poetam intellexisse. verum hoc non procederet: quum enim dicit, *antrum vicinum rupibus Aeoliis*, ostendit antrum ipsum inter septem insulas non numerari, sed segregari ab eis, vicinumque & proximum esse, ita ut de *Hiera* nequaquam sit intelligendum: unde nos exponimus *antrum Vulcani vicinum rupibus Aeoliis*, Aetnam montem Siciliæ, qui Vulcano sacer est: & ex quo insulæ (ut diximus) aut accipiunt incendia, aut ei subministrant. Estque *vicinus rupibus Aeoliis*, qui etiam Cyclopes tulit, nunc assiduis ignibus flagrat. Sacrum fuisse Vulcano docet Solin. his verbis: *Vulcano Aetna sacer est. in Aetnæ vertice hiatus duo sunt, crateres nominati: per quos eructatus erumpit vapor præmisso prius fremitu per æstuantes cavernarum latebras* &c. Sic & Valer. Flaccus II. *Argonauticon*:

Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ
Sit comes, Aetnæi genitor quæ flammea gessit
Dona dei, —

hoc est Vulcani. nam non minus Aetnæ mons dictus est a Poetis *domus Vulcani*: quam Lemnos & insulæ Aeoliæ. unde Valer. Flaccus:

Lemnos chara deo, nec fama notior Aetnæ,
Aut Liparis domus. —

Montem autem Aetnam vicinum esse *Aeoliis* testatur sic Strab. *Imminet autem Aetna littori Catanensi, & Liparitanis insulis, quas plerique Aeolias vocant.* ita ut omnino de Aetna intelligendum sit: de cujus incendio, rationibusque incendii, multi scripserant ante Juvenalem: sicut Virg. cujus carmen adhuc extat, in quo perpetui ignis multas ostendit rationes: docetque a Poetis falso traditum sedem esse Vulcani, his versibus:

Principio

Principio, ne quem capiat fallacia vatum,
Sedes esse Dei : tumidisque e faucibus ignem
Vulcani ruere, & clausis resonare cavernis.

Poetæ enim cecinere Vulcanum in antro Aetnæ habitare, & ex faucibus suis ignem evomere : unde Juven. Aetnam appellavit *antrum Vulcani*, ait tergo *nulli domum suam magis esse notam*, quam sibi est descriptio Aetnæ, & ejus incendii, quod est *vicinum rupibus Aeoli*. Insulæ autem Aeoliæ septem sunt numero in freto Siculo Hephæstiæ nominatæ, i. Vulcaniæ : Lipare, Hiera, Strongyle, Didyme, Eriphusa, Phœnicusa, Enonymos, dictæ ab *Aeolo*, qui ibi temporibus Iliacis regnavit. C. *Lucum Martis* locum Romæ fuisse testis est Varro *de Ling. lat.* & qui *de Urbis regionibus* scripsere, ut P. Victor, & Blondus, tria antra Romæ fuisse dicunt : In regione secunda antrum Cyclopis ; in quarta Vulcani : in octava Caci. Itaque per *lucum Martis : & Vulcani antrum*, non male fortassis intelligas loca, in quibus Poetæ convenirent, ut sua poemata recitarent. S.

9. *Quid agant venti.*) Quæ natura sit ventorum. Horum enim alii sunt frigidissimi, quales a Septentrione spirant. Ii enim & reliquos compescunt, & nubes abigunt. alii humidi, ut Auster, Africus, & præcipue Auster Italiæ. alii sicci, ut Corus & Vulturnus alii nivales, ut Aquilo & Septentrio. Grandines Septentrio importat & Corus. æstuosus Auster. tepidi Vulturnus & Favonius. saluberrimus autem omnium Aquilo: Noxius Auster & magis siccus. Ventus autem est (ut quidam definiunt, auctore Sen.) aer fluens in unam partem : quia nunquam aer tam immobilis est, ut non aliqua sit in agitatione. De ventis igitur multi scripserant, ut Sen. *in Naturalibus*. Veteres quatuor tantum servavere per totidem mundi partes. Ideo nec Homerus plures nominat : mox autem posterior ætas octo addidit : ratione nimis subtili & concisa. Sunt ergo bini in quatuor cœli partibus, de quibus abunde *lib.* II. Plin. Vitr. & Gell. & (ut diximus) Sen. in *Nat.* Ordo autem talis est, ut potius inferioribus, quam superioribus conjungantur. *Platani Frontonis clamant : quid agant venti* &c. Sicque ostendit in ædibus *Frontonis* sub *platanorum* umbris varia quotidie a Poetis recitari.

9. *Torqueat.*) Judicet, & puniat: Ovid.

Noxia mille modis lacerabitur umbra, suasque
Aeacus in pœnas ingeniosus erit.

9. *Quas torqueat umbras Aeacus.*) Aliqui hunc locum simpliciter accipiunt. id est, quæ de inferis scribantur, apud quos Aeacus judex sit constitutus. Ceterum ad id poeta respicit, quod scribit Plato in *Gorgia*, sic enim inducit Jovem loquentem : *Constitui tres alios meos judices : duos quidem ex Asia, Minoem & Rhadamanthum: unum vero ex Europa, Aeacum, qui mortuos judicabunt in trivio, ex quo portant viæ, altera ad beatorum insulas, altera ad tartarum : & Asiaticos quidem Rhadamanthus judicabit. ab Europa igitur qui venerint, Aeacus. Minoi autem committam, ut judicet, si quid aliis occultum existat, ut sic justissime procedat judicium, tectaque sit animarum transmissio.* Ait ergo Poeta sibi notum esse ex frequenti Poetarum recitatione Aeacum judicem esse apud inferos, qui animas Europæas judicet tantum.

10. *Unde alius furtivæ devehat aurum Pelliculæ.*) id est expeditionem Argonautarum. videlicet unde Jason aureum vellus sustulerit. Cujus rei historia nota est ex Diodoro *lib.* v. Strabo autem *lib.* XI. aurei velleris fabulam sic interpretatur : Apud Colchos torrentes deferre aurum, quod barbari perforatis tabulis, pellibusque villosis excipiunt, unde fabulæ ortum est figmentum. De Argonautis autem apud Latinos scripsit Valerius Flaccus, apud Græcos vero Orpheus primus, mox Apollonius.

10. *Furtivæ*) hoc est, quæ furtim & inscio Aeeta subrepta fuit.

11. *Quantas jaculetur Monychus ornos.*) Pugnam dicit : quæ inter Lapithas & Centauros populos Thessaliæ : quæ historia ita se habet. Quum (ut diximus in *Achilleida*) Pirithous Hippodamiam duxisset uxorem, circumvicinos populos omnesque Deos convocavit ad nuptias, præter Martem. Qua re indignatus Centauros jam mero calefactos, ad rapiendam Hippodamiam concitavit adversus Lapithas : eo certamine ferunt Centauros deletos fuisse. Sed hoc veritas habet, Centauros (ut scribit Strabo) aut funditus a Pirithoo deletos fuisse, illorum agro prorsus desolato, aut ipsarum nomine gentium nusquam amplius existente, nec tali eorum conventu perdurante, si quid tamen adhuc restat, mentione non insigniri.

11. *Monychus.*) Nomen est proprium Centauri. Ovidius:

Fecerat attonitos nova res, heu dedecus ingens!
Monychus exclamat. —

Lucanus:

— *Aut te jactantem Monychon ornos.*

dictio est composita. μόνος enim *solus* dicitur & ὄνυξ *unguis*. equinos enim pedes Centauri habuisse feruntur. Homerus autem sæpe dat hoc epitheton equis, quod solidis sint ungulis, & non fissis.

11. *Ornos.*) *Orni* arbores sunt, quæ maximæ in montibus proveniunt. Virg.

Cantando rigidas deducere montibus ornos.

12. *Frontonis platani.*) Partem pro toto, id est ædes *Frontonis*. Hic est ille *Fronto*, de quo & Martialis:

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,

 Clarum

Clarum militiæ Fronto togæque decus.

Frontonum cognomina a *fronte* sunt dicta, sicut *Capitonum*, a *capite*, auctor est Cicero I. *de natura Deorum.* Est autem sensus: In ædibus Frontonis quotidie Poetæ aliquid recitant, ita ut tota domus quotidie assiduis clamoribus resonet: ac per hoc sciat, quæ a variis Poetis tractentur. Nam nobiles Romani ædes suas recitantibus commodabant, unde & alibi

— *Maculonus commodat ædes.*

Et Cor. Tacitus *de Claris Oratoribus*, loquens de Poetis sic scribit: *Nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit, & libellos dispergit* &c. Per *platanos* autem ædium luxum & magnificentiam ostendit. *Platanus* enim umbræ gratia ex alieno petebatur orbe. tam late enim rami vagabantur, ut etiam in scamnis patulis arboris epularentur quindecim convivæ assistentibus etiam ministris. Tantumque honoris postea increvit, ut vino infuso enutrirentur. compertum maxime id prodesse radicibus, quod primus excogitavit Hortensius. Lege Plin. *lib.* XII. *cap.* I.

12. *Marmora convulsa.*) Quæ assiduo recitantium clamore ex parietibus *convelli*, & labefactari videntur. Nam potentiorum parietes marmorum crustis integebantur. Seneca *ad Lucil. Ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant.* ad eundem: *Quid loquar marmora; quibus templa, quibus domus fulgent?* Primus autem fuit Mamurra Formianus præfectus fabrorum Cæsaris in Gallia, qui Romæ, crustis marmoreis parietes domus suæ in monte Cœlio operuit. auctor Plin.

12. *Clamant.*) Resonant: reboant.

13. *Columnæ ruptæ.*) Ita dictum, ut illud Virg.

Et cantu querulæ rumpunt arbusta cicadæ

& illud:

Fregit subsellia versu. —

13. *Assiduo lectore.*) Assiduo lectoris & recitatoris clamore.

14. *Exspectes eadem.*) Cum indignatione legendum, quod non solum docti scribant, sed etiam indocti, ex illo Horatii:

Scribimus indocti doctique poemata passim.

15. *Et nos ergo manum.*) Sensus est: quum docti, inquit, & indocti scribant: possumus ergo & nos scribere, quum & Grammaticen & Rhetoricen didicerimus. Erit autem ordo: & nos scribemus, *manum enim ferulæ subduximus, & consilium dedimus Syllæ.* potest etiam alius esse sensus & melior, ut sit: Ergo & nos jam Grammaticen & Rhetoricen didicimus, ut sileamus, & nihil scribamus? quum omnes & docti & indocti pariter scribant: ut omnino sensus sit nimia indignatione intercisus. Estque legendum ea interrogatione, qua contrarium videmur velle facere. quasi dicat, num didici Grammaticen & Rhetoricen, ut sileam, & nihil scribam, ut omnino hæc extrinsecus subaudiamus. & ita dictum est:

Et nos ergo manum —

sicut illud:

Impune ergo mihi. —

15. *Ferulæ subduximus.*) id est subtraximus: ac per hoc jam a Grammaticis eruditi recessimus. *Ferulæ*, virgæ, qua manus puerorum feriunt: de qua Columella:

Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æquas.

& infra:

Capparis & tristes hinulæ ferulæque minaces.

Martialis *in Apophoretis:*

Ingratæ nimium pueris, gratæque magistris.

Est autem infirmissimum virgultum fœniculo perquam simile, unde Plin. *Foliis fœniculo, inani caule, natura eadem, quæ anetho, & fructu similis.* De hac multa Theophrast. Nulli, auctore Plin. fruticum levitas major, quam ferulæ, ob id gestata baculorum usum senectuti præbet.

16. *Consilium dedimus Syllæ.*) Ostendit (ut diximus) artem oratoriam se etiam didicisse, in qua cum versaretur, sæpe exercitationis gratia suasorias declamavit. Nam in scholis suasoriæ tractandæ proponebantur adolescentibus. *Deliberat Agamemnon, an Iphigeniam immolet, negante Calchante navigari posse?* Item *Deliberant Athenienses, an trophæa Persica tollant, Xerxe minitante rediturum se, nisi tollerentur? Deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio, orationes suas comburat?* Item *Deliberat Sylla, an deponat dictaturam, promittente Senatu impunitatem?* Ait igitur Juvenalis talem declamando suasoriam, *suasisse Syllæ*, ut dictaturam deponeret. nam *dare consilium*, est suadere. Quintil. *Quum Ciceroni dabimus consilium, ut Antonium roget.*

16. *Privatus ut altum Dormiret.*) Hæc erat ratio suasionis: ut deposita dictatura, quam sibi ipse ad centum & viginti annos adsciverat, tanquam gravissimis solutus curis altius dormiret. Nam Sylla: cum imperium ejus rogatione Sulpitia transferretur ad Marium, indignatus ex Asia in Italiam reversus est: & ante Urbem adversariorum septuaginta amplius millia ad portam Collinam occidit: ingressus Urbem quatuor millia inermium, nulla servata fide, in villa publica interfici jussit. Marii cineres erutos in Tiberim projecit. Post tantam hanc crudelitatem, per summum animi & corporis cruciatum exspiravit Puteolis, quum dictaturam deposuisset. morbus autem, quo consumtus est, phthiriasis est appellatus, i. pedicularis, ἀπὸ τῶν φθειρῶν, quos pedes & pediculos vocamus, corpore seipsum erodente

dente, & supplicium sibi gignente. unde est illud Sereni:

Sylla quoque infelix tali langore peresus
Corruit, & misero se vidit ab agmine pasci.

quam fœditatem, ne viseutes intelligerent, somno dissimulabat. De quo Plin. ita scribit *lib.* VII. *Age, non exitus vitæ ejus omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente seipsum corpore, & supplicia sibi gignente? quod, ut dissimulaverit, & supremo somno ejus, cui immortuus quodammodo est, credamus ab uno illo invidam gloriam victam.* ad quod Poeta videtur alludere, quum ait, *ut altum dormiret.* eo genere morbi ostendit Plin. *lib.* VII. & Apul. III. *Floridorum* Pherecyden orationis solutæ auctorem consumtum esse.

16. *Privatus.*) Deposito imperio.

17. *Dormiret altum.*) id est profundo somno. Horat.

— *Ter uncti*
Transnando Tiberim, somno quibus est opus alto.

17. *Stulta est clementia.*) Anthypophora est, quasi aliquis dixerit, chartam non esse perdendam, & ipse respondeat: Stulta est hæc clementia, tanti facere tam modicam chartæ jacturam. & ita extenuat non sine summa animi modestia vires ingenii sui, quasi sciat paucos fore, a quibus opus suum legatur. Martial.

Scribere versiculos, miseras & perdere chartas.

Clementia autem proprie est lenitas superioris adversus inferiorem, & temperantia animi in potestate ulciscendi, auctore Seneca.

18. *Perituræ.*) Quam scio perituram, quum nemo lecturus sit carmen.

19. *Cur tamen hoc potius* &c.) Rationem affert, quare potius Satyram, quam aliud poematis genus sit scripturus. Sumta metaphora ab iis, qui equos, & currus agunt per spatiosos campos. C. *Campus* enim, ut etiam *Regio*, pro materia, & argumento, ad tractandum subjecto, capitur. Cic. *Off.* I. *Hinc Rhetorum campus de Marathone.* &c. In procemio lib. *de Orat. Bene dicere autem,* inquit, *quod est scienter, & perite, & ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem.* S.

20. *Auruncæ magnus alumnus.*) Periphrasis est *Lucilii*, qui apud *Aruncos* natus, primus apud Latinos scripsit satyram. In eo mira fuit, ut docet Quint. eruditio & libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis. natus autem est anno, antequam Carthago in Romanorum ditionem per Scipionem redacta est: mortuus quo anno Furius Bibaculus poeta natus est Cremonæ, & Cimbri superati sunt a Mario. *Alumnus* is proprie dicitur, qui *alitur.* Plin. *Italia alumna omnium terrarum; eadem & parens.* Ovidius:

Pax nutrit Cererem, pacis alumna Ceres.

Non ignoro ab Divo Augustino nominari *Jovem alumnum*, quasi qui omnia *alat.* Verum apud alios auctores tali significatione, aut nunquam, aut raro invenies: unde falluntur, qui putant *Italiam* dictam *alumnam* a Plin. quod *alat.* quum hoc dicat, Italiam se, tanquam filiam ab omnibus terris alimenta accipere, eandemque tanquam matrem omnibus præbere: sed quum hoc longe clarius sit, quam ut indigeat explicationis, plura non addemus.

20. *Flexit equos.*) Perstat in translatione, quia dixit *campo*: *equos* ergo, i. stilum suum.

21. *Si vacat.*) Si otium est ad audiendum. Sen. *Non vacat mihi verba dubie cadentia consectari.* & paullo inferius: *Non vaco ad istas ineptias, ingens negotium in manibus est.*

22. *Quum tener uxorem.*) Una est ex rationibus, quare potius satyram, quam aliud genus carminis sit scripturus.

22. *Ducat spado.*) Indignatio est in libidinem mulierum: quæ cum a Domitiano, auctore Tranquillo, revocata esset lex Julia in adulteros, mœchis suis nubebant, ne supplicio afficerentur. Inter mœchos autem erant & *spadones.* Mart.

Quod nubis Proculina concubino,
Ne lex Julia te notare possit:
Non nubis Proculina, sed fateris,
Et mœchum modo, nunc facis maritum.

alibi:

At prius, o mores! & spado mœchus erat.

Simul etiam Poeta ridet legem ipsam, cui jam excogitata est fraus. Nam, quum revocata sit ad pudoris sanctitatem tuendam, mulieres impudenter *spadonibus*, ut diximus nubebant, quibus oblectatæ fuerant. *Spado* autem & *eunuchus* voces sunt Græcæ, idemque significant. dicitur autem *spado*, a σπάω, quod est avello & aufero: quod ab eo testiculi avellantur. Ulpianus ait: *Spadonum nomine eos etiam contineri, qui natura spadones sunt. Eunuchus* autem dicitur ἀπὸ τῆς εὐνῆς, i. *cubile*, & ἔχω *custodio*, quia id genus hominum adhibebatur servandis cubilibus regum & principum.

22. *Tener.*) nam spadones molles sunt & effœminati.

22. *Mævia Tuscum.*) Alia indignatio in mulierum impudentiam, quæ temporibus Domitiani in venationes & pugnas theatrales descendebant. unde Martialis:

Hæc jam fœminea vidimus acta manu.

Statius *in Sylvis*:

Stat sexus rudis insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim ferumque Phasin
Thermodontiacas movere turmas.

Mævia autem nomen est impudicæ mulieris: & pro quacun-

quacunque impudenti muliere ponitur, quæ in venationes & pugnas theatrales descenderet.

23. *Aprum Tuscum.*) Emphasin habet: quasi qui ceteris esset ferocior. Martialis:

Tuscæ glandis aper populator, & ilice multa
Jam piger, Aetoliæ fama secunda feræ.

23. *Nuda mammam.*) Habitum expressit procumbentis in vulnera feræ. sic enim *mammæ* e sinu exseruntur. Illud autem est fatuum, quod aliqui ad ritum Amazonum referunt, quæ sibi dextram mammillam adurebant. simpliciter enim locus est accipiendus.

24. *Patricios omnes.*) De Cinnamo tonsore sui temporis intelligit, qui muneribus mulierum locupletatus est usque ad censum equestrem, mox damnatus in Sicilia exsilavit. [*Gr.*]

24. *Patricios.*) Nobiliores, denominatos a *Patribus*. Nam condita Urbe Romulus centum legit senatores, quibus reipublicæ curam demandavit: hos *Patres* ob venerationem appellavit. Aucta mox civitate reliqui reges numerum senatorum ampliaverunt, eosque *Patres Conscriptos* appellavere. unde hoc postea servatum est, ut senatores *Patres Conscripti* nominarentur. Qui ergo ex iis *Patribus* nascebantur, *Patricii* sunt appellati.

25. *Gravis.*) molesta, & minime grata, qualis solet esse juvenibus.

25. *Sonabat*) tondendo. C. Imitatus est Virgilii versum *in Bucolicis*:

Candidior postquam tondenti barba cadebat. S.

26. *Quum pars.*) Indignatur Juvenalis *Crispinum* hominem Aegyptium ex servili conditione ad censum equestrem esse provectum. Nam Domitiano fuit gratissimus, ejusque consiliorum particeps, cum Juvenalis ubique insectatur & præcipue *satyra* IV. E diverso Martialis laudat:

Sic placitum videas semper Crispine tonantem!
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet!

26. *Pars Niliacæ plebis.*) id est servus ex *plebe*, quasi dicat, ex infimo loco apud Aegyptios natus: hincque est potissimum indignatio.

26. *Niliacæ.*) Aegyptiæ. *Nilus* enim fluvius est Ægypti.

26. *Verna.*) Alumnus. Inter *servum* & *Vernam* hoc interest, quod *servi* appellantur, qui in potestatem nostram venerunt, aut jure belli; aut ære comparati: *Vernæ* vero, qui domi ex ancillis nascuntur, tametsi in servitute sunt. omnis enim ancillæ fœtus domini est. Inde dicimus *vernaculum*, omne, quod intra parietes domesticos alitur, ut *gallinam vernaculam*, *equum vernaculum*, & *linguam vernaculam*.

26 *Canopi.*) *Canopus* civitas est Aegypti, dicta, auctore Strabone, a *Canopo* gubernatore Menelai, qui ibi sepultus est.

27. *Humero revocante lacernas.*) id est rejectis lacernis in *humeros*, quasi nimis ponderosis. tali habitu fuisse & Colossum Domitiani ostendit Statius I. *Sylvar.*

It tergo demissa chlamys. —

Humeri, auctore Plinio, hominis tantum sunt, armi quadrupedum.

27. *Tyrias.*) Purpureas. nam *Tyrus* insula fuit Phœniciæ, præalto mari septingentis passibus divisa. Nunc vero (auctoribus Plinio & Quinto Curtio) Alexandri oppugnantis operibus continens. Omnis ejus nobilitas Conchylio atque purpura constat.

27. *Lacernas.*) *Lacernæ* conficiebantur ex variis coloribus. unde apud Martialem in *Distichis* loquuntur *Lacernæ Coccinæ*:

Si Veneto Prasinove faves, qui coccina sumis,
Ne fias illa transfuga forte vide.

Item *Lacernæ Beticæ* loquuntur sic:

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Lacernæ autem tum albæ, tum purpureæ sumebantur in spectaculis. Martialis:

Spectabat modo solus inter omnes,
Nigris unus Horatius lacernis,
Quum plebs & minor ordo maximusque,
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cælo;
Albis spectat Horatius lacernis.

alibi & in *Distichis*:

Amphitheatrales non commendamur ad usus,
Quum tegit albentes nostra lacerna togas.

Idem *in quinto*:

Edictum Domini deique nostri
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubet lacernis.

Et paullo infra:

Illas purpureas & arrogantes
Jussit surgere Lectiam lacernas.

28. *Ventilet*) Hinc pendet omnis Poetæ fremitus: quod homo Aegyptius, & servili conditione, ea sit mollitie, ut *annuli æstivi* sint etiam ei ponderosi.

28. *Ventilet æstivum* &c.) Quasi refrigeret annulum eximendo illum e digito, & in aera leviter jactando. Nam *ventilare*, est in aere aliquid jactare. Apulejus *Mil.* *Aureos refulgentes manu mea ventilabam.* Inde dicimus *ventilare frumentum*, & *ventilabrum* instrumentum jactandi frumenti. *Ventilare* etiam est ventum facere. Tranquillus *in Augusto*: *Atque etiam ventilante aliquo cubabat.*

28. *Aurum æstivum*) id est Annulos, quos tempore æstatis gestabant. nam eo deliciarum pervenerant Romani, ut *annulos* haberent, alios *æstivos*, alios *hymales*, ac si dicat levem bracteam, & filum aureum. nam

nam, quod tempore æstatis per levitatem gestamus, *æstivum* appellamus, ut *vestes æstivas*. In *annulis* autem (ut scribit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* 1.) alii pondera, & magnitudinem auri ostentabant, aliis plures, quam unum, gestare labor erat. alii bracteas inserebant leviorem materiam? & propter casum gemmarum totam sollicitudinem amputabant, quibus pro annulis utebantur, per annulum autem aureum, ostendit Poeta Crispinum equestris fuisse & census & dignitatis. Nam annuli, ut scribit Plinius, distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis tantum. Sed annuli plene medium ordinem, tertiumque plebi & patribus inseruere.

29. *Gemmæ majoris.*) id est prægrandem gemmam: ut sit descriptio annuli levioris bracteæ, cui lapis prægrandis sit insertus. Appellatione *gemmæ* intelligimus omnes lapillos preciosos. Sabinus tamen ad Vitellium ait: *Gemmas esse perlucidæ materiæ, velut Smaragdos, Chrysolithos, Amethystos: Lapillos autem contrariæ superioribus naturæ: ut Obsionos, Vejentanos: Margaritas autem nec gemmis nec lapillis contineri.* C. Hoc verum sit in *Jure civili*, in aliis literis non sit. Vide Laurentium Vallam *Eleg. libro* VI. capite ult. S.

30. *Nam quis Tam patiens.*) Quis enim, inquit, possit pati tantam Urbis iniquitatem, ut non moveatur ad scribendum. Est autem ratio, quare sit difficile non scribere, quum etiam alia sint notatu graviora.

32. *Caussidici nova.*) Hinc maxime movetur Poeta ad scribendas satyras, quod sub Domitiano frequens, & pene publice accusandi rabies existeret, quæ omni bello civili gravius togatam civitatem conficeret, adeo aures Imperator delationibus patefaciebat, ut nihil propemodum tutum esset, ita ut delator delatorem timeret. Unde sic conqueritur Plinius *in Panegyrico* de Domitiano: *Vidimus delatorum judicium, quasi grassatorum, quasi latronum. non solitudinem illi noverant, sed templum, sed forum insederant. nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant.* Multi igitur, inter quos & *Caussidici*, quum in ea se quæstum & Principis gratiam esse cognoscerent, relictis actionibus forensibus, ad delationes se conferebant: ut *Matho & Pompejus Falco*, qui iisdem temporibus accusabant, ut alibi notatur a Juvenale:

— Sævior illo
Pompejus tenui jugulos aperire susurro.

Caussidicum fuisse Pompejum ostendit Plinius Epistol. Notat igitur omnes delatores sub persona *Mathonis*: quem ex paupere divitem factum esse videri vult quæstu delationum. Pauperem fuisse ostendit alibi Juvenalis:

— Matho deficit. —

Parva rogas magnos, sed non dant hæc quoque magni.
Ut levius pudeat, jam Matho parva roga.

32. *Lectica.*) Non tantum ea dicebatur *lectica*, qua nocturno tempore quiescerent, sed qua etiam gestarentur, non tam primores viri, quam matronæ. Instar cubiculi erat, & *lecticarii* dicebantur servi, qui *lecticam* gestabant humeris. Græce *hexaphorum* dixere lecticam, quæ a *sex servis*; *Octophorum* vero, quæ ab *octo* gestaretur. In ea erant & fenestræ. unde alibi:

— Clausa lectica fenestra.

Tranquillus in *Augusto*: *A cœna in lecticulam se lucubratoriam recipiebat.* alibi Juvenalis:

— Latis specularibus antrum.

nam *antrum* appellat *lecticam*: cui *specularia* adhibebantur. quemadmodum & nostra ætate vidimus fœminam quandam primariam Gallicam gestari lectica, ex corio cocto cum fenestris, adhibitis specularibus vitreis, ea autem gestabatur non a servis, sed a duobus equis mediam lecticam intercipientibus. Lecticam autem velis aulæisve circumseptam fuisse docet Plutarchus in *Eumene*: *Duo, ait, accepto Eumenes incitatis lecticariis cursu delatus, ex utraque lecticæ parte summovit aulæum, magna lætitia manum protendens.*

32. *Nova.*) Nuper comparata delationibus, quum antea esset pauper.

33. *Plena ipso.*) quasi qui commodius gestaretur solus, ut delicatus & luxuriosus.

33. *Delator.*) De Marco Regulo intelligit, qui (ut scribit Plinius in *Epistolis*) omnium bipedum fuit nequissimus. Multorum enim nobilium sub Domitiano cædes molitus fuerat. Cassios enim & Camerinos accusavit, qui sub Nerone interemti sunt. Et hunc (ut ipse refert) tam *Fæbius Massa*, quam *Metius Carus*, valde timebant. nam Regulo intemperanter laceranti Herennium Senecionem, respondit Carus: Quid tibi cum meis mortuis? Numquid ego Cassio, aut Camerino molestus sum? quos ille sub Nerone accusaverat.

33. *Delator.*) Occultus accusator, nam *deferre* est occulte accusare.

33. *Magni amici.*) id est Imperatorii. [*Gr.*] ut ostendat ne amicos quidem Imperatoris tutos fuisse a delationibus.

34. *Rapturus.*) Absumturus. nam partem bonorum delationibus consequebantur, nobilibus ipsis aut in exilium ejectis, aut trucidatis ab Imperatore. C. Hujusmodi *delatores*, interceptores, quadruplatoresque vocabantur. *In Rhetoricis ad Herenn. lib.* II. *Quadruplator, ut breviter describam, capitalis est.* Livius: *Populum Romanum quadruplatoris & interceptoris litis alienæ personam laturum.* S.

34. *Nobilitate*

34. *Nobilitate comesa.*) Nobilibus absumtis, & laceratis ab Imperatore. Nam (auctore Tranquillo) nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo bona vivorum ac mortuorum: usquequaque & accusatore & crimine corripiebatur: Satis erat objici qualecunque factum, dictum adversus majestatem Principis. Hinc est, ut alibi conqueratur Poeta:

Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantum.

Ejus crudelitatem in *Panegyrico Trajani* sic taxat Plinius: *Quum nuper immanissima bellua, velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages cædesque proferret*, &c.

35. *Quod superest.*) quod adhuc ab Imperatore non est corrosum & correptum.

35. *Massa.*) Bæbium Massam intelligit, & ipsum delatorem. Sensus est autem: Bæbius ipse Massa, qui delator erat, delatorem timebat apud Principem, qui tantopere delatores fovebat. De Bæbio Massa sic Plinius in *epistola ad Macrinum*: *Legati rursus inducti, iterum me jam præsentem advocatum postulaverunt, implorantes fidem meam, quam erant contra Fabium Massam experti.*

35. *Palpat.*) Cui munere blanditur. Nam *palpare*, sive *palpari* idem est, quod blandiri. *Horatius*:

Cui male si palpere, recalcitrat, undique tutus.

Lucilius:

Hic ubi me videt, subblanditur, palpatur, caput scabit.

Inde dicuntur *palpones*, adulatores. Persius:

Jus habet ille sui palpo. —

36. *Carus.*) Delator & ipse fuit, de quo Martialis:

Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus.

Plinius libro I. ad Voconium (ut paullo ante dictum est) ejus meminit.

36. *Trepido Latino.*) *Latinus* mimus fuit, cujus jocis & uxoris Thymeles mimæ plurimum delectatus est Domitianus, unde Martialis:

Qua Thymelen spectas derisoremque Latinum,
Illa fronte, precor, carmina nostra legas.

36. *Submissa.*) Utrum ad coitum, an ad placandum. Ostendit autem Poeta, ne personam quidem gratam Imperatori fuisse tutam a delationibus. Nam Latinus timens delatorem, ei clanculo submittebat uxorem ad placandum. Non ignoro a nonnullis, qui ætate nostra in liberalibus studiis postremas partes non ferunt, longa verborum contentione disputatum; *Thymelen* mimam fuisse, quæ itidem, ut *Latinus* a Domitiano populoque favorabiliter spectaretur, sed non uxorem Latini: quæ omnia, quum frivolis fulciantur argumentis, nihil video, cur adhuc potius Latini non credam: quam aliam mulierem. Quum præsertim Juvenalis ostendat, zelotypum fuisse *Thymeles*. Credibilius enim est Latinum zelotypum fuisse exoris, quam alterius, quæ corpus vulgaret. Sed quum res non magni sit momenti unicuique sua sit existimatio. Illud tamen constat mulieri nomen inditum ab arte scenica. θυμέλη enim *pulpitum*, sive *scenam* significat. & θυμελικός histrionem, nam & ipsa placuit theatris. Unde Apulejus in *Apologia* appellat *choragium thymelicum*, id est scenicum apparatum & instrumentum. Non me fugit a Fulgentio *choragium* falso exponi funus virginale.

37. *Quum te summoveant.*) Alia est scribendæ satyræ indignatio, quod scilicet multi vetularum consuetudine locupletarentur. Nam quum vetulis prurientibus officium suum præstitissent, ab eis postea, defraudatis liberis, hæredes scribebantur. Martialis:

Insectaris anus, o quantum cogit egestas!

quibus verbis innuit, talia adulteria, licet jocunda non fuissent, fructuosa tamen exstitisse.

37. *Summoveant*) a bonis tuis paternis.

37. *Merentur testamenta.*) id est bona; quæ per testamentum assequuntur.

38. *Noctibus.*) Nocturno concubitu.

38. *Vehit in cælum.*) id est ad excellentissimos opulentiæ gradus perducit, ut proinde tanquam dii habeantur.

4. *Vesica.*) Pruritus & libido

39. *Vetulæ beatæ.*) Divitis & opulentæ. Papinius in *Sylviis*:

Jam se (quisquis is est) inops, beatus,
Convivam ducis esse gloriatur.

Propertius:

Noli nobilibus, noli conferre beatis.

40. *Unciolam Proculejus.*) Antiqui, ut recitavimus apud Persium, Patrimonium in duodecim partes diviserunt, ita ut nomine *assis* totum contineretur. unde dicitur hæredem te reliquit *ex asse*; id est ex toto. *as* in duodecim partes dividitur, *Sextantem*, quæ sexta est pars assis, *Quadrantem*; quæ quarta: *Trientem*, quæ tertia: *Quincunx* a numero est unciarum: *Semis* dimidium assis: *Septunx* a septem & uncia: *Bes*, demto, triente *Dodrans*, sextante demto: *Deunx*, demta una uncia. *Uncia* autem erat minima pars & duodecima *assis*. Est ergo sensus: Adulteros pro membri sui qualitate & laboribus accipere præmia. *Proculejus* ergo, tanquam male mentulatus unam tantum accipit *unciam* patrimonii ex testamento. *Gillo* autem draucus reliquum patrimonii accipit, id est, *deuncem*, quod est totum demta una *uncia*, quæ jam debetur *Proculejo*. per *Proculejum* autem intelligit virum parum mentu-

mentulatum, per *Gillonem* autem bene mentulatum.

41. *Quisque heres.*) irrisione satyrica. Aequum, inquit, est, ut unusquisque pro portione membri, laboribusque suis accipiat partes patrimonii.

41. *Inguinis.*) *Inguen* ab Auctoribus accipitur pro parte genitali, tam in mare quam in fœmina, unde Tranquillus *in Nerone*: *Virorumque ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet.* Cornelius Celsus *lib.* VII. dicit *testiculos dependere ab inguinibus per singulos nervos.*

43. *Palleat.*) Adulteri enim exhausti sanguine, intemperato coitu, *pallent* non minus, quam qui pedibus anguem calcavere.

44. *Ad aram Lugdunensem*) Hoc est ex historia. Nam Caligula edidit in Gallia Lugduni miscellos ludos, sed & certamen quoque Græcæ Latinæque facundiæ; quo certamine ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorundem & laudes componere coactos. Eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi maluissent. Qui ergo in hoc certamen descendebant, incerti eventus rei pallebant. C. Lugdunum autem civitas est Galliæ Celticæ, mercimoniis nobilitata & quaternis quotannis nundinis, totius Europæ maximis & celeberrimis. Eam condidit Numatius Plancus (ut tradit Eusebius) ubi Arar Rhodano commiscetur. S.

44. *Rhetor.*) *Orator* hoc loco. Cicero *in Oratore*: *Sed & Græce ab eloquendo ῥήτωρ, & Latine eloquens dictus est. Is autem est, qui veras tractat agitque caussas, ut virum doctum, copiosum, & sapientem decet. Rhetor* tamen Latinis sæpius is dicitur, qui dicendi præcepta tradit, quem Cicero & Quintilianus *declarandi magistrum* vocant. Nam non veras, sed ad exercitationem fictas caussas tractat.

45. *Quid referam quanta.*) Alia indignationis caussa. in *Spoliatores* enim cum pupillorum, tum provinciarum invehitur.

45. *Quid referam.*) Quid dicam, quantum mihi æstuent præcordia, quum videam quendam, qui spoliis pupilli locupletatus eo deliciarum pervenit, ut lectica magno grege comitum sequente per Urbem gestetur? Quem autem Poeta designet, nulla exstat certa historia. Illudque falsum est, quod de Cæcilio Classico aliqui tradiderunt. in omnes spoliatores nullo modo dici posse videtur, quam dicat *hic spoliator*: quasi qui temporibus suis omnibus esset notissimus.

46. *Premat populum.*) Hinc maxime indignatur Poeta, quod rapinis pupilli locupletatus, tanto per Urbem fastu & pompa incedat, ut premat & urgeat populum, quum gestatur lectica. unde & alibi:

— *Et ingenti curret super ora Liburno.*

46. *Gregibus comitum*) vel clientum vel servorum: nam *comitem* accipere debemus (inquit Ulpianus, *de injuriis*) eum, qui comitetur & sequatur. Et (ut ait Labeo) sive liberum, sive servum, sive masculum, sive fœminam. Et ita *comitem* definit, qui frequentandi cujuscunque caussa, ut sequeretur, destinatus est. Inter *comites* utique & pædagogi erant.

47. *Prostantis.*) Differentia est inter *prostare* & *prostituere*. Nam *prostare* verbum est neutrum absolutum, & significat *turpitudine corporis quæstum facere. Prostituere* autem est activum, significatque, quod proprium est lenonis, *marem vel fœminam publicæ libidini quæstus gratia exponere.* unde & scortum ipsum appellamus *prostibulum*, vel quod *prostet*, vel quod ante *stabula* hæ sedebant; sicuti antea *Alicariæ* meretrices appellabantur in Campania, solitæ ante pistrina *Alicariorum* versari, quæstus gratia. hæc Festus.

47. *At hic damnatus.*) In avaritiam sui temporis fertur, cum publicam, tum privatam, conqueriturque judicia vana esse & iniqua. hocque maxime propter Marium priscum hominem Bæticum. Hic enim quum Africam provinciam, cui proconsul præfuerat, spoliasset (nam ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias acceperat) accusantibus Afris, Cornutus Tertullus septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda censuit, Mario urbe Italiaque interdicendum. Notat igitur Poeta iniquitatem sui temporis, quum id, quod Provincialibus restituendum fuit, in ærarium sit delatum.

47. *At hic*) Marius. Tantum abest, ut hic Marius, qui condemnatus est, solicitudine angatur, ut etiam hilare & splendide vivat, quasi, qui talem condemnationem parvifaciat. Sicque innuit ex bonis Provincialium apud eum magnam partem esse relictam.

47. *Inani Judicio.*) *Inane judicium* appellat, quod Provincialibus nihil profuerit, quum eis pecunia non sit restituta, sed in ærarium delata.

49. *Quid enim salvis infamia nummis.*) Anthypophora est, quasi aliquis dixerit: *Inane judicium* non est appellandum, o Poeta, quando gravi infamia sit aspersus, & proinde respondeat: Quid nocet infamia salvis nummis? ut ostendat hominem improbum infamia a vitiis non absterreri.

49 *Exul.*) Nam (ut dictum est) urbe & Italia ei interdictum est in biennium.

49. *Ab octava.*) Statim post octavam horam. C. id est hora a Solis ortu secunda. nam dies civilis Romanis media nocte incipiebat usque ad meridiem. S. nam comedisse ante nonam horam mensæ destinatam, hominis erat dissoluti & luxuriosi: post nonam igitur comedebant. Martialis:

Imperat exstructos frangere nona toros.

 id est

id est lectos discubitorios.

49. *Ab.*) *A*, & *Ab*, plerunque pro *post* ponuntur. Plinius: *A conceptu decimo die doloris capitis.*

49. *Fruitur Diis iratis.*) Ille dicitur *frui Diis iratis*, qui, licet eos infensos sibi ob scelera habeat, nullam tamen ab iis sentit punitionem, sed interim per omnia vitam hilarem agit. Marius ergo, licet *Deos* haberet *iratos* ob flagitia, in summa tamen hilaritate vivebat, nullum ab iis sentiens incommodum. idem dictum est à Junone apud Senecam conquerente, Herculem abuti ira sua. *Superat*, inquit, & *crescit malis, iraque nostra fruitur, in laudes suas mea vertit odia.* quasi dicat, licet ei irata sim, nullum ex hoc sentit incommodum.

50. *Provincia victrix.*) quæ obtinuisti, ut Marius damnaretur. *Provincia* dicitur, quasi *procul victa* ab Italia. Nam Italia *Provincia* non appellatur, sed quæ extra Italiam sunt, unde Plinius Junior: *Italicusne es, an Provincialis?* Plinius *lib.* III. *Nat. Hist.* scribens de Gallia Narbonensi: *Italia*, inquit, *verius est*, *quam provincia.* apud Columellam titulus est *de natura Provincialium vinearum*, ubi intelligit omnes vineas, præter Italicas. C. Sed Italia tunc Rubicone flumine terminabatur, reliqua appellabatur Gallia, ut Geographi docent. S.

50. *Ploras*) pecunia non restituta tibi. Conqueritur etiam Sallustius in *Jugurtha*, Provinciales sæpe spoliari, his verbis: *Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis ereptæ pecuniæ, quæ quanquam gravia sunt, tamen pro consuetudine jam pro nihilo habentur.*

51. *Hæc ego non credam.*) Ego non credam seculi nostri scelera digna carmine satyrico, quale Horatius multa lucubratione scripsit?

51. *Venusina lucerna.*) id est carmine satyrico, quo maxime Horatius in vitia temporis sui est insectatus. *Venusia* autem civitas est in confinio Apuliæ & Lucaniæ, patria Horatii, quod ipse ostendit *in Sermonibus*:

— *Sequor hunc Lucanus, an Appulus anceps:*
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

est in via Appia.

51. *Lucerna.*) Carmine lucubrato.

52. *Agitem.*) Insequar. notem.

52. *Sed quid magis.*) Tacitam objectionem diluit. Respondet enim iis, qui possent dicere, longe satius esse, si scribantur fabulæ.

52. *Quid magis*) subaudi *scribam*.

52. *Heracleas.*) id est ærumnas & fabulas de Hercule confictas. De quibus multa Diodorus *in V. Heracleas* autem legendum est, non *Herculeas*. Ἡρακλῆς enim Græce dicitur, *Hercules* Latine, & possessivum *Heracleam* penultima producta, hac ratione, quod apud Græcos Heracleus scribitur per diphthongum ει, sicut *Aeneas*, & *Spondeus*, & *Medea*: quæ diphthongus convertitur in e longam apud Latinos τὸ *Heracles* autem interpretantur *Junonis gloria.* Ἥρα enim Græce, *Juno* Latine, κλέος *gloria*: quasi *Junone* persequente magnam sit *gloriam* adeptus.

53. *Aut Diomedeas.*) Fabulas, quæ de *Diomede* & sociis ejus narrantur: nam Diomedes Tydei & Deiphiles filius, Aetoliæ rex, quum bello Trojano Venerem transfixa manu vulnerasset conantem Aeneæ filio suo auxilium ferre, id passus est incommodi, ut Venus in ultionem sui furorem libidinis Aegialæ uxori ejus immiserit. Quæ correpta amore Stheneli cujusdam calamistrati, quem *Diomedes* domi tanquam bonorum suorum gubernatorem reliquerat, cum eo concubuit, & ab eo adjuta maritum e bello Trojano redeuntem non admisit. Ille vero seu ab uxore fugatus, sive pudore uxoris adulteratæ in Italiam navigavit ad Daunum regem Appuliæ, ubi Arpos & Beneventum condidit. Mox eum ferunt in insulas contra Italiam navigasse, ibique nunquam visum, socios in fluctibus submersos, in aves esse a Pallade conversos, quæ *Diomedeæ* dicuntur. de quibus Plinius, Ovid. & Solinus.

53. *Aut mugitum labyrinthi.*) id est fabulam vulgatam de Theseo, de quo multa Diodorus *in* V. & Plutarchus in *Ejus vita.* Quæ fabula ita se habet: Androgeus Minois filius, quum Athenas consensu omnium Atheniensium concessisset, regnante Aegeo, superaretque athletas omnes, in amicitiam venit filiorum Pallantis. At Aegeus veritus, ne aliquando a Pallantiadis propter amicitiam Androgei, auxilio Minois pelleretur regno; Androgeum positis insidiis proficiscentem Thebas obtruncat. Minos accepta injuria, bellum Atheniensibus indixit: superatis imperavit, ut septem pueros totidemque virgines singulis annis Minotauro, quoad viveret, devorandos mitterent; inter hos quum Theseus mitteretur, præcepit Aegeus gubernatori, si Minotaurum superaret filius, ut albis velis domum rediret: nigris, si periisset. Theseum in Cretam delatum Ariadne Minois filia, ejus pulcritudine capta, occidendi Minotauri rationem, Labyrinthique egressum docuit. *Mugitum* igitur intellige Minotauri, qui in *Labyrintho* Cretensi custodiebatur: quique a Theseo fuit interfectus: erat enim biformi specie.

53. *Labyrinthi.*) *Labyrinthus* ædificii genus fuit, quod itinerum ambages occursusque, ac recursus inexplicabiles continebat, crebris foribus ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem. [*Cr.*]

54. *Et mare percussum puero.*) hoc est fabulam confictam de Icaro & Dædalo ejus patre. Dædalus enim Atheniensis fuit (ut scribit Diodorus) Mitionis filius, præclarus architectus, qui a patria fugit, damnatus ab

Areopa-

Areopagitis. Talus enim sororis filius, quum ab eo erudiretur, ingenii acumine totam primum figularem adinvenit. Mox cum serpentis maxillam invenisset, secuissetque modicum ligni, imitatus serpentis dentium spissitudinem, serram ferream excogitavit. Invenit praeterea tornum. Quum igitur pluribus in rebus hominibus profuisset: & proinde celebris ejus esset apud omnes fama; a Daedalo, invidia urgente interemtus est, quasi ei turpe esset gloria vinci ab adolescente. Damnationem igitur fugiens in Cretam venit, Minoi ob artem fuit gratus Labyrinthum enim, auctore Plinio, ei sumto exemplari ab Aegyptio extruxit. Sed quum Pasiphae Minoi uxor tauri pulcerrimi amore flagraret, ei Daedali arte supposita in bove lignea inclusa, decantatum fabulis Minotaurum genuit. Fertur Minos iratus, quum eum ad supplicium quaereret, nec is inveniretur, praemia invenientibus proposuisse. Daedalus desperata navigatione, alas sibi a Pasiphae absconditus fabricavit, & Icaro filio suo. Sed quum Icarus altius iret, ut adolescens, peteret, liquefacta calore cera, laxatisque alarum compagibus in mare decidit. Pater vero in Siciliam ad regem Cocalum delatus est. *Percussum* igitur *mare puero*, subaudi *Icaro*, a quo postea *Icarium mare* denominatum constat. C. Ut est apud Ovidium:

Icarus Icarias nomine fecit aquas. S.

54. *Fabrumque volantem.*) Daedalum. Sed haec omnia fabulosa sunt. Historia autem hoc habet, vela Icarum & malum, antennamque Daedalum invenisse, & proinde fictum eos volasse supra mare. Daedalus item, auctore Plinio, dicitur invenisse fabricam materiarum, & in ea serram, asciam: perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam.

55. *Quum leno accipiat.*) Foedam sui temporis avaritiam notat, qua multi mariti pecuniae cupiditate ducti, uxores suas ab aliis tractari permittebant; iidem edocti dissimulare turpitudinis conscientiam, suspiciendo scilicet lacunaria, aut stertendo, quum moechus ingrediebatur. idem etiam ab Horatio notatur:

Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito; seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

id est qui magno precio emit adulteria. Sensus est: Ergo haec ego magis fabulamenta secter, quum mihi ad reprehendendum tam multa obscoena occurrant, ut cum maritus uxoris suae pudicitiam vendat?

55. *Leno accipiat.*) Multi adulteri plerunque, praeteritis liberis, bona sua relinquebant moechis suis. Sed quum postea per legem Domitiani [*Gr.*] moechae adulterorum suorum bona capere non possent; ea bona maritus, qui tanquam uxorem suarum lenones erant, relinquebantur. Ait ergo Juvenalis inventae legi inventam fraudem.

55. *Leno.*) id est ipse maritus, qui dissimulato uxoris adulterio eam tractari ab adultero permittit. Nam *leno*, auctore Ulpiano, is dicitur, qui mulieres quaestuarias prostituit; & is, qui alterius negotiationis nomine hoc genus vitae exercet, ut puta, si quis cauponam exercens, in ea corpora quaestuaria habeat, ut multi solent sub praetextu instrumenti cauponii prostitutas mulieres habere.

54. *Si capiendi.*) id est, quia jus capiendi legata & haereditates sublatum est uxoribus lege Domitiani.

56. *Lacunar.*) Appellatione *lacunaris & laquearis* (nam utrumque accipimus in eadem significatione) intelligimus tabulata pensilia coenationem reliquorumque aedificiorum. C. Cicero *in Tusculanis: Gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit.* de *laqueari* Virgilius:

— *Dependent lychni laquearibus aureis.* S.

56. *Stertere.*) Differentia est inter *stertere* & *dormire*, ut, quicunque *stertit*, dormiat: sed non omnis, qui *dormit*, stertat: est enim *stertere*, dormiendo strepitum per nares emittere.

56. *Naso vigilanti.*) quia revera non dormiat, sed somnum simulet. C. A Cepio quodam sumtum, qui *Pararinchos* dictus est, quod dormientem simularet, quo impunitius uxor moecharetur. unde illud, *non omnibus dormio*, ut Festus, & Coelius Rhodiginus *lib.* XXII. *cap.* XVI. scribit. S.

58. *Quum fas esse putet.*) Cornelium Fuscum designare videtur: qui puer aurigae officium praestiterit Neroni. Nam id in gratiam ejus, qui eodem aurigandi studio tenebatur, multi ex nobilibus faciebant. Putabat enim Nero pudorem aurigationis suae tolli posse ceterorum nobilium aurigantium multitudine, temporibus postea Domitiani *cohortium praetorianarum praefectus* bellum gessit adversus Dacos, ubi occubuit. Unde alibi:

Et qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus marmorea meditatus praelia villa.

Nobilem fuisse Fuscum, ostendit Tacitus his verbis: *Procurator aderat Cornelius Fuscus, ingens aetate, clarus natalibus: post Neronis tempora, senatorio ordine deposito, se in otium quietis cupiditate contulit.* Sicque Poeta Fuscum notat non sine summa indignatione: quod quum foedam egerit adolescentiam, audeat postea dignitatibus & honoribus se dignum putare: quasi Poeta innuat, homines tantum vitiosos ad honores provehi & sublimari. Nam (ut diximus) Fuscus *praefecturam cohortium praetorianarum* adeptus est: quum indignus videri posset jam foedata adolescentia aurigatione. Alii etiam sunt, qui non de Fusco: sed de Tigilli-

Tigillino intelligendum putent, qui Neroni gratissimus fuit, & *præfectus cohortis prætorianæ.* is ætatem suam impudice & libidinose egit. De quo sic scribit Tacit. *Offonius Tigillinus, obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, præfecturam vigilum & prætorii, & alia præmia virtutum, quæ velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone: quædam ignaro ausus, postremo ejusdem desertor & proditor.* Idem paullo inferius sic ait: *Tigillinus accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, inter stupra concubinarum & oscula sectis faucibus concidit.* Idem alibi: *Ne dum ille scenicus Tigillino cum pellicibus suis comitante arma contra cieret.* Hinc ergo apparet Tigillinum gratissimum fuisse Neroni, & bona sua concubinis & pellicibus condonasse. potuit etiam in gratiam Principis aurigare. Sed quum in ambiguo sit, de quo Poeta potissimum intelligat, unusquisque si neutrum horum probabile visum fuerit, aliquid, quod ad loci explanationem faciat, excogitet. Satis est hunc locum ex iis esse apud Poetam, de quibus adhuc quærendum sit.

58. *Cohortis.*) *Cohors* pars decima est legionis. Nam in legione decem *cohortes* esse debere tradunt, qui *de re militari* scripsere. Constabatque equitibus & peditibus, sed majore semper peditum numero: lege Vegetium & Modestum.

59. *Præsepibus.*) id est equis alendis, si ad aurigationem referas: si autem ad stupra concubinarum, *præsepibus* expone lupanaribus & pellicibus ipsis. Cic. *in Pisonem: Utrum audis in præsepibus, audis in stupris, audis in cibo & vino.* melius autem referas ad aurigationem, quod bona impenderit alendis equis. Nam sequitur:

— *Dum pervolat axe citato*
Flaminiam, puer Automedon. —

60. *Dum pervolat.*) Consumsit, inquit, bona majorum, dum in gratiam Neronis aurigat, & aurigæ officium præstat ipsi Neroni. Qui (auctore Tranquillo) Sporum suum Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum, & circa conventus mercatusque Græciæ, mox Romæ circa sigillaria comitatus est, identidem exosculans. Et licet Tranquillus *lectica vectum* scribat, potuit tamen & *curru gestari.*

61. *Flaminiam.*) id est Viam, quam *Cajus Flaminius* Lepidi collega, devictis Liguribus ab Roma Ariminum usque stravit.

61. *Puer Automedon.*) id est Ipse Fuscus auriga, sive Tigillinus: ut *Automedonta* posuerit pro auriga: qui Diorei fuit filius, & auriga Achillis: unde a Poetis usurpari solet pro auriga. [*Gr.*]

62. *Ipse quum se jactaret.*) hoc est Cum ipse Nero per multa lasciviæ blandimenta comitaretur Sporum, & sæpe oscularetur. Nam *jactare se alicui*, est seipsum illi dare, ingerere, insinuare.

62. *Amicæ lacernatæ.*) id est Sporo, quem ideo appellat *amicam lacernatam*, quia, quum perdite eum amaret, conatus est exsectis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare: eum etiam cum dote & flammeo persolenni nuptiarum celeberrimo officio deductum, pro uxore habuit. ergo *amicam lacernatam* genere fœminino Poeta per cavillationem appellavit: ac si diceret, *amicæ masculæ*; hoc est *amicæ*, quæ *vir* omnino erat. Nam *lacerna* vestis est *virilis*: de qua antea:

— *Tyrias humero revocante lacernas.*

63. *Nonne libet.*) Aliam affert caussam satyræ scribendæ. Nonne, inquit, etiam in quadrivio, & propatulo libeat nihil scribere, quasi loco minime scriptoribus convenienti? quum Poetæ secreta & secessus soleant quærere; quum jam Regulus, qui per falsa testamenta est locupletatus, tanto fastu vehatur per Urbem, ut petulantius nihil sit. Sicque Poeta conqueritur, in precio & honore duntaxat illos esse, qui per scelera ad eximias opes pervenere, qualis fuit ipse Marcus Regulus: de quo supra diximus illic:

— *Magni delator amici.*

De eo sic Plinius Junior: *Aspice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia processit, ut ipse mihi dixerit, quum consuleret, quam cito sexcenties sestertium impleturus esset? invenisse exta duplicata: quibus portendi millies & sexcenties habiturum: & habebit: si modo, ut cœpit, aliena testamenta (quod est improbissimum genus) falsis his, quorum sunt illa, dictaverit.* Hunc laudat Martialis assentando: quum dives & potens esset, ut etiam Plinius docet, eundem testamentorum captatorem ostendit, *omniumque bipedum nequissimum* appellat.

63. *Nonne libet.*) Impetus est. Sic alibi:

Ultra Sauromatas fugere hinc libet. —

63. *Capaces.*) Amplas, & quæ multa capiant: quum & materia ampla sit.

64. *Quadrivio.*) *Quadrivia* dicuntur spatia, unde *quatuor viæ* deflectantur, sicut *trivia*, unde *tres.*

64. *Quum jam sexta.*) Hinc est omnis indignatio.

65. *Hinc atque inde.*) id est, Cujus latus neutra ex parte sit stipatum, qui ab utraque parte pateret, & conspici posset; quum solus sit in lectica. Nam delicati erat & luxuriosi solum gestari, ut supra de Mathone caussidico.

65. *Cathedra.*) id est lectica, quam etiam *sellam* appellant. Martialis *lib* IV. in Afrum salutantem:

— *Nec ulla cathedra est,*
Cui non mane feras irrequietum Ave.

65. *Pane*

65. *Pene nuda.*) Pæne vacua, quum in ea nemo esset præter eum. nam & littus *nudum*, in quo nulli sint habitatores, appellamus. Papinius *in Sylvis:*

— *Nec littora pauper*
Nuda tenes. —

id est, vacua & sine ædificio. Alii autem (quod omnino placet) intelligunt *nudam*, id est detracto velamento, ut conspiciatur: nam lecticæ ita se habebant, ut ab utroque latere possent aperiri.

66. *Multum referens*) sc. deliciis. ac si dicat mollis & delicatus, qualis fuit *Mæcenas*: cum enim delicatum fuisse ostendit Seneca his verbis: *Quomodo Mæcenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat, quomodo delicatus fuerit. Non oratio ejus æque soluta est, quam ipse discinctus. Item non statim hæc quum legeris, hoc tibi occurret: hunc esse, qui solutis tunicis in Urbe semper incesserit; nam etiam quum absentis partibus Cæsaris fungeretur, signum a discincto petebatur.* alibi Juvenalis:

— *Vestem*
Purpuream teneris quoque Mæcenatibus aptam.

ab Horatio *Malthinus* appellatur. μαλθακὸς enim mollem significat & delicatum.

Demissis tunicis Malthinus obambulat. —

66. *Supino.*) Molli & delicato & negligenti. Martialis:

Nusquam deliciæ supiniores.

67. *Signator.*) *Signatores* ait Pedianus eos esse, qui aut testamentis, aut caussis subsignabant. hi autem testes erant, quos septem esse oportebat, qui testamentis signacula imponebant, atque subscribebant, nequa fraus fieri posset. possunt autem omnes testes, ut tradit Justinianus Imperator, uno annulo signare testamentum.

67. *Falso.*) i. falsarius signator.

67. *Lautum.*) Delicatum, & divitem. nam *lauti* appellantur, qui in victu delicatiora & electa sectantur, politiorique cultu domestico vivunt.

68. *Exiguis tabulis.*) Modicis testamentis, id est quæ modico verborum anfractu condita essent, & omnia bona uni relinquerent, non adhibita multa scriptione, ut illud in *satyra* XII.

— *Atque omnia soli*
Forsan Pacuvio breviter babit. —

i. paucis verbis, quum eum relinquat hæredem ex asse.

68. *Gemma uda.*) id est Annulo signatorio, qui saliva humectatus imprimitur ceræ. Nam multi signavere gemma annulo inserta, multi auro tantum: ut Claudii Cæsaris principatu repertum.

69. *Occurrit matrona potens.*) Ita dictum, quasi ei ambulanti *occurrat* matrona venefica: vel *occurrit*, in mentem mihi venit, ut sit: adest etiam matrona venefica, quæ reprehendenda est mihi. & per hanc: quamcunque veneficam nonnulli intelligi volunt, quæ temporibus Poetæ veneficia misceret. Alii vero de *Agrippina* Claudii uxore (in qua opinione & Nos sumus) intelligi volunt, quæ (ut scribit Tranquillus) Claudium maritum medicato sustulit boleto post adoptatum Neronem. Nam Poeta ita plerunque de mortuis loquitur, ac si viverent, præsentesque essent: ut de *Crispino*, *Mario*, *Prisco*, *Mathone caussidico*.

69. *Potens.*) utpote Claudii Imperatoris uxor, & mater Neronis: Nam *matrona* semper dicitur de nobiliotibus. Suetonius *in Vespasiano* sic ait: *Agrippinam timens potentem adhuc apud filium.* Aut *potens*, quod ut auctor est Cornelius Tacitus, summam rerum ex arbitrio diu moderata fuerit.

69. *Molle Calenum Porrectura.*) id est venenum vino inditum. Nam veneno vinum misceri temporibus Juvenalis maxime in usu erat. Martialis:

Diceris hac cælebs factus quater esse lagena.

id est veneno lagenæ infuso.

69. *Molle.*) Leve & suave. Virgil.

— *Tunc & mollissima vina.*

69. *Calenum.*) Vinum Campanum a *Calibus* civitate Campania, de qua Virgilius VII. *Aen.*

Quique Cales linquunt. —

tota enim Campania (auctore Plinio) optimi vini est feracissima.

70. *Rubetam.*) Veneficium ex *rubeta*. Ranæ enim *rubetæ* (ut scribit Plinius *lib.* VIII.) & in terra & humore vivunt plurimis refertæ medicaminibus, quæ deponere quotidie, & resumere pastu dicuntur, venena tantum sibi reservantes. Idem *lib.* XI. *Et aqua & vinum interimit, salamandra ibi mortua, vel si omnino biberit, unde potes. Item rana, quam vocant Rubetam, tantum insidiarum est vitæ.* dictæ autem *rubetæ* a *rubis*, in quibus maxime versantur.

70. *Viro sitiente.*) Pro *sitienti*, ut sit casus pro casu, sic Ovidius:

Et fas omne facit fratre marita soror.

pro *fratri*. Et Virgilius:

— *Hæret pede pes.* —

id est *pedi*, & alibi:

— *Nec sospite dirum*
Optabis nato funus. —

pro *sospiti nato*.

71. *Locusta.*) id est Ipsa matrona, tanquam *Locusta* magistra. [*Vide Veterum Scholia.*]

71. *Melior.*) Peritior ceteris.

71. *Instituit.*) Docet

71. *Rudes propinquas.*) *Rudes* alias matronas vicinas. Alludit autem ad historiam. Nam & Nero Locu-

stæ pro navata opera impunitatem, prædiaque ampla, sed & discipulos dedit.

72. *Efferre.*) Verbum est funebre. Terentius:

Effertur, imus, ad sepulcrum venimus.

72. *Nigros.*) Veneno sublatos.

72. *Per famam & populum.*) nam varius solet esse populi rumor, orta veneficii suspicione. [*Gr.*]

73. *Aude aliquid.*) Mira excandescentia hoc dictum. Non est, inquit, mirum, si tam multa flagitia fiunt in Urbe, quum jam nullus sit in precio, nisi qui sit impense sceleratus: ut sit sensus: Si vis in urbe Roma in aliquo esse precio, aude aliquid dignum carcere, aut exilio: unde Plinius Junior ad hanc sententiam sic ait: *In ea civitate, in qua jampridem non minora præmia, immo majora nequitia & improbitas, quam pudor & virtus habent.* sicque Poeta improbos temporis sui mores notat.

73. *Brevibus Gyaris.*) hoc est Parvis insulis, qualis est *Gyarus*, una ex Sporadibus. nam damnati in insulas parvas relegabantur, tanquam ad pœnam gravioris exilii, unde illud in satyr. x.

Ut Gyari clausus scopulis parvaque Seripho.

Titus, auctore Tranquillo, delatores assidue in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per amphitheatri harenam, partim subjici in servos, ac venire imperavit, partim in asperrima insularum devehi.

75. *Criminibus debent hortos.*) Dupliciter hic locus exponi potest, ut sit sensus: Romam, inquit, debere videntur (ut recitavimus ex sententia Plinii) ingentia præmia improbis & sceleratis: ut ex eo pendeat, *Aude aliquid brevibus Gyaris.* vel sic, quod magis placet: si, inquit, improbus & nefarius fueris, opes & dignitates adipisceris: nam alii scelerati, qui hortos delicatos, magnifica prætoria, & alia hujusmodi bona possident, debent ea omnia criminibus, quia adepti sunt illa per crimina & flagitia. Plin. *lib.* VII. *Versum heroicum Pythio oraculo debemus. lib.* VIII. *Corporum tutela pecori debetur.* erit ergo sensus: Scelerati homines agnoscunt bona, quæ possident, beneficio scelerum se esse adeptos

75. *Hortos.*) qui ad amœnitatem tantum & voluptatem parantur variis consiti arboribus. Hortos magnificentissimos habuit Mæcenas in Exquiliis. Item Lucullus, in quibus Messallina uxor Claudii occisa fuit.

75. *Prætoria.*) Hoc loco magnifica in agris ædificia intelligit: unde Tranquillus *in Caligula: In exstructione prætoriorum atque villarum.* Idem *in Tito: Cuncta prætoriorum suorum ornamenta, operibus ac templis destinavit.* Martialis:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

Prætorium etiam appellamus Imperatoris tabernaculum in castris, unde *Præfectus prætorii*, & *Cohors prætoriana*, quæ circa *prætorium* vigilaret, atque assideret.

75. *Mensas*) Citreas intelligit, quæ tantæ erant taxationis, ut tanto auro rependerentur. Martialis:

Accipe felices Atlantica munera sylvas,
Aurea qui dederit dona; minora dabit.

ex Atlante enim monte Mauritaniæ mittebantur: harum sumtus fœminæ (ut docet Plinius *lib.* XIII.) viris exprobrabant, quum ipsis luxus margaritarum exprobraretur a viris: ex præcipuo erant in precio, quæ caudas pavonum undatim imitarentur: unde Seneca *de Tranquillitate: Placet mensa non varietate macularum conspicua.*

76. *Argentum vetus.*) id est Pocula argentea antiquis (ut ait Seneca) nominibus artificum nobilia, ea & *Archetypa* dicebantur. ἀρχαῖος enim antiquum significat, & τύπος formam. Plinius item scribit: *Subito ars cælandi argenti exolevit: sola jam vetustate censetur usque attritis cælaturis, ut ne figura quidem discerni possit.*

76. *Et stantem extra pocula caprum.*) Nam variæ in Poculis figuræ excudebantur, maximeque *caper*, quod animal sit infensum Baccho. Martial. *lib.* XIII.

Stat caper in phiala Thebani vellere Phryxi
Cultus, ab hoc mallet vecta fuisse soror.

76. *Stantem extra.*) id est exstantem & cælatura eminentem. Ovidius *in Metam.*

Exstantem signis, multæque in pondere massæ
Ingentem manibus tollit cratera duabus.

77. *Quem patitur.*) Alia indignationis caussa. Duo enim reprehendit: & quod soceri, ut libidinentur, nurus suas precio corrumpant; & quod nurus lucri cupiditate soceris suis nefando concubitu obsequantur. Alii vero (quod non placet) exponunt: quod reprehendant soceros, qui pecunia nurus corrumperent: ut pueris sui facerent copiam, quibus postea deprehensis ipsi soceri abuterentur.

77. *Corruptor.*) Stuprator. nam *corrumpere* plerunque accipitur pro adulterare & strupare. Tranquillus *in Cæsare: Constans opinio est plurimas & illustres fœminas corrupisse.* Idem *in Domitiano; Fratris filiam adhuc virginem non multo post alii collocatam ultro corrupit.* Idem *in eodem: Nec defuerunt, qui affirmarent corruptum Domitianum, & a Nerva successore mox suo.* id est stupratum.

77. *Avaræ.*) quæ magis lucro, quam pudicitiæ consulat.

77. *Quem*) Poetarum.

77. *Patitur dormire.*) Silere & non moveri ad satyram scribendam.

78. *Quem sponsæ turpes.*) Quem sc. Poetam patiuntur dormire, & non excitari ad satyram? aliud enim obscœnissimum vitium sui temporis notat, hoc est viros

ros viris nubentes. nam multi reperiebantur, qui solenni nuptiarum ritu nuberent, quod & a Nerone factum fuisse scribit Tranquillus, ut ante diximus. Item alibi Juvenalis:

Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem.

& paullo infra:

Quæ caussa officii? quid quæris? nubit amicus.

sponsus igitur *turpes*, intellige viros, qui viris nuberent.

78. *Adulter prætextatus.*) Illud etiam conqueritur Poeta, quod pueri in ea ætate, quæ ab omni turpitudine maxime resilire debet, jam adulteria noverint, quod & ætate nostra non sine quadam Naturæ injuria fieri vidimus.

78 *Prætextatus.*) id est puer adhuc. Nam *prætexta* vestis erat, qua pueri usque ad quartumdecimum ætatis suæ annum utebantur, dicta, auctore Macrobio, quod ei purpuram *prætexerunt*. amicitiam puerilem *prætextatam* appellat Martialis:

Tu mihi simplicibus, Manni, dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia.

ut autem *prætexta* uteretur ætas puerilis, institutum fuit Tarquinii Prisci, qui devictis Sabinis triumphum egit, filiumque suum annos quatuordecim natum, quod hostem interfecisset: *bulla aurea*, & *prætexta* donavit, unde hæc ingenuorum puerorum insignia esse cœperunt. Quum antea instituto Tulli Hostilii tertii Romanorum regis, *prætexta* esset magistratuum. *Bulla* vero gestamen triumphantium, sumto usu ab Etruscis superatis: sed de hoc supra latius dictum est ex auctoritate Macrobii.

79. *Si natura negat.*) Tam multis, inquit, tamque variis contaminata est civitas vitiis, ut si a natura negatum sit carmen ad ea exagitanda; ipsa tamen animi indignatio carminis faciendi rationem subministraret. bene autem ait: *Si Natura negat.* Nam ex sententia Democriti, Poetica natura magis, quam arte constant: in qua persuasione est & Cicero *pro Archia*, ubi ait: *Ceterarum rerum studia, & doctrina & præceptis, & arte constare; Poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu inflammari.* Est autem sententia generalis, quam tamen sibi accommodat. ut dicat ipsam indignationem posse vel facile unicuique, etiam rudi, versum subministrare.

80. *Qualemcunque potest.*) sc. *facere*, etiamsi non sit decora elegantia.

80. *Quales ego, vel Cluvienus.*) Indignatio facit versum qualemcunque potest, & talem, qualem *ego* facio, vel *Cluvienus* facit. Satyrice autem meritum suum se nominando extenuat, ut licentius *Cluvienum* notet, ut malum poetam sui temporis. Solent enim Poetæ breviter & urbaniter per transitum homines notare, ut alibi *Lausejam*: ut mulierem bibacem & ebriosam notat:

— *Quantum Lauseja bibebat.*

Horatius, Damalim:

Non Multi Damalis meri,
Bassum Threicia vincat amystide.

81. *Ex quo Deucalion.*) Quæcunque vitiorum genera valuerunt inter mortales, ex quo genus humanum instauratum a tempore Deucalionis, *votum* scilicet, *ira, timor* & ceteri affectus, sunt *farrago* & materia *nostri libelli.* Pollicetur se de omni genere vitiorum esse dicturum, quæ inter mortales viguerunt, usque a temporibus Deucalionis.

81. *Deucalion Ascendit montem.*) Nota est fabula carmine Ovidii. [*Gr.*]

81. *Nimbis tollentibus*) Imbribus æquor augentibus. *Nimbi* sunt proprie imbres repentini, præcipites, & improvisi; *Pluviæ* vero sunt juges.

83. *Caluerunt animæ.*) Secundum eos locutus est, qui igneam animam esse dixerunt.

85. *Quicquid agunt homines.*) Omnes, inquit, animi affectus, quibus hominum mentes perturbantur, & sic a ratione discedunt, sunt *farrago* & argumentum operis nostri.

85. *Votum.*) Desiderium, & appetitio alicujus boni. Poeta alibi:

— *Quid tam dextro pede concipis, ut te*
Conatus non pœniteat, votique peracti?

85. *Timor.*) Opinio magni mali impendentis.

85. *Ira.*) Ex philosophis quidam (ut scribit Seneca 1. *de Ira*) dixerunt, iram *brevem insaniam* esse, unde Horatius:

Ira furor brevis est. —

Alii vero, ut scribit Cicero *in Tusc.* Iram libidinem esse ulciscendi ejus, qui videatur læsisse injuria. Seneca *lib.* 1. *de Ira* definit: Ira est concitatio animi ad ultionem voluntatis judicio pergentis.

85. *Voluptas.*) Duplicem scimus esse *voluptatem*, & honestam, & inhonestam. Honestam; quum illam ponimus ad demonstrandam animi hilarem affectionem, ut si dicamus: *ex lectione Plinii non solum fructum, sed & mirificam cepi voluptatem.* inhonestam, quum ex turpi aliqua re dicimus nos *voluptatem summam cepisse.*

86. *Gaudia.*) Scribit Seneca *ad Lucilium*: *Gaudium, nisi sapienti, non contingere. est enim*, ut inquit, *animi elatio suis bonis, viribusque fidentis.* Vulgo tamen sic loquuntur, ut dicamus *magnum gaudium* nos ex illius consulatu, aut ex nuptiis, aut ex partu uxoris percepisse, quæ adeo non sunt *gaudia*, ut sæpe initia futuræ tristitiæ sint: gaudio autem junctum est non desinere.

detinere, nec in contrarium verti. itaque quum dicit Virgilius:

— Et mala mentis Gaudia. —

diserte quidem dicit, sed parum proprie. Nullum enim *malum gaudium* est. Voluptatibus hoc nomen imposuit, &, quod noluit, expressit.

86. *Discursus.*) Animi nostri evagationes, quibus ad varias rapimur cupiditates. Nam hominum mentes rationis oblitæ transversæ feruntur, eaque cupiunt & appetunt, quæ plerumque magis nocent, quam prosunt. potest etiam in rebus honestis *discursus* existere. *Discursus* ergo ad animum, non ad corpus referas, ut sit: ipsi affectus, & perturbationes animi, quibus quasi quibusdam furiis mens hominis nunc huc, nunc illuc agitur. potest etiam referri ad labores matutinos salutandi potentiores; per Urbem enim *discurrendo* salutandi officium peragebant. Martialis lib. VII.

Discursus varios vagumque mane,
Et fastus & Ave potentiorum.

sed prior sententia magis placet.

86. *Farrago.*) Materia & argumentum. metaphoricus autem dictum. Nam *farrago* proprie est id, quod ex pluribus satis pabuli causa datur jumentis. dicta Varroni, quod primum in farracea segete seri cœpta, aut quod ferro cæsa sit.

86. *Libelli nostri.*) Operis nostri, quo satyras complectimur.

87. *Et quando uberior.*) subaudi *fuit*, quam nunc & ætate nostra? ac si dicat, nunquam fuere plura vitia, neque majora.

87. *Vitiorum.*) id est animi pravitatum.

88. *Major sinus.*) Metaphora sumta a navigantibus, quorum vela quanto majorem explicant sinum, tanto majorem vim ventorum excipiunt.

88. *Alea quando.*) subaudi *magis vexavit*, vel habuit, vel aliquid tale: in alea sunt talus, tessera, alveolus, & omnia id genus, quæ in varietate fortunæ consistunt. Est enim *alea*, ipse casus sive eventus ludi. Plautus *in Curculione*:

Talos poscit sibi in manum, provocat me in aleam, ut ego ludam.

Martialis:

Alea parva nuces, & non damnosa videtur.

unde & *alea* aliquando pro fortuna & eventu ponitur. Livius: *Nec tam celebrem aleam universi certaminis timens.* sic etiam illud Plin. *de Cic. Extra omnem aleam ingenii positus*: id est extra omnem sortem & eventum ingenii, adeo ut nemo sit Cicerone præstantior: ut sit metaphora ab *alea*, id est ludis, qui omnes sunt in fortuna & casu. Apulejus in IV. Metam. *Ancipitis machinæ subiit aleam*, id est fortunam & dubium eventum.

89. *Neque enim loculis.*) Tanto, inquit, studio aleæ tenentur, ut in ludum descendant non cum modica pecunia, sed tota arca. *Loculi* enim capsulæ sunt, vel crumenæ, & receptacula nummorum, & annulorum, & id genus preciosarum rerum. alibi:

— Gemmaque princeps
Sardonychum, loculis quæ custoditur eburnis.

Horatius *in Sermonibus*:

— Ut hæres
Jam circum loculos & claves lætus ovansque
Curreret. —

Apulejus *in V. Metam.* jubet decem aureos (ut ipse habebat) ex loculis annumerari. Martialis:

Hos, nisi de flava loculos implere moneta,
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

Loculis etiam alia servari legimus: ut illud apud Plin. in VII. *Pollicem Pyrrhi in dextro pede, cum reliquo corpore cremari non potuisse tradunt, conditumque loculo in templo.*

90. *Casum tabulæ.*) Ad dubium ludi eventum. nam hujusmodi ludi fortunæ & casui, ut diximus, sunt subjecti. *Casum* autem a *Cadendo* dicimus, quod in tabula jacti tali casu efficiant, aut *venerem* aut *caniculam*, aut aliud punctum. sicque *cadere* dicitur punctum, quod fortuito, non industria venit. unde Terentius *in Adelphis*:

Quasi, quum ludas tesseris:
Si illud, maxime quod est opus, jactu non cadit;
Illud, quod cadit forte, id arte ut corrigas.

id est evenit. Cicero *lib. I. de Divinatione*: *Quatuor tali jacti, casu Venerem efficiunt.* Idem alibi: *Dixi multa de casu, ut venereum est.*

90. *Tabulæ*) *Lusoriæ*, sc. in quam jaciuntur tali fritillo: alio vocabulo ipsam tabulam *alveolum* appellamus.

91. *Prælia quanta.*) An rixas & altercationes, quæ sæpe inter collusores oriuntur. An assiduum ludentium certamen, quemadmodum Virgilius *nocturnos concubitus, prælia*, vocavit.

91. *Dispensatore armigero.*) Existente illic *armigero*, hoc est servo armigero, qui officium præstat *dispensatoris* domino ludenti. Nam *armigeri* servi erant, qui dominum suum sequentes scutum reliquaque arma gerebant. Plautus *in Casina*:

Potius quam illi servo des armigero nihili atque improbo.

& paullo post eundem scutigerulum appellat sic:

Qui (malum) homini scutigerulo dari jubet.

Tranquillus *in Augusto*: *Germanorum manum usque ad cladem Varianam inter armigeros circa se habuerat.* Ait nunc Poeta eum fungi officio *dispensatoris*, utpote qui ludenti domino nummos subministret. Nam *dispen-*

dispensator servus erat: qui æs *dispensabat*, curamque habebat universæ rei domesticæ, de quo illic sensit *Juvenalis*:

Et qui dispensat, frangit sibi. —

eum Græci œconomon appellant. unde ab ære *dispendendo* dictus est. Nam pecunia *pendebatur*. unde & *stipendium*, æs quod dabatur militibus, dictum, quod *stipem pendebant*. & sic *dispendium*, quod in *dispendendo* solet minus fieri, damnum significat, contra *compendium* est lucrum. unde *dispendiosus*, damnosus: *Compendiosus*, lucrosus.

91. *Simplexne furor*) sc. ille contendus est? significat extra omnes rationis terminos, qui centum sustinet sestertia ludo aleæ perdere, & servum frigentem negligit, nec vestit.

92. *Sestertia centum.*) id est, ∞. ∞. CCL coronatorum, ut hodie loquimur. nam singula sestertia, mille sestertios nummos continent, hoc est scutatos sive coronatos XXV. Itaque *sestertius* genere masculino, & nummus idem sunt, id est quarta denarii Romani pars. nam denarius *decussi*, id est *decem assibus* valebat. Dictus *sestertius*, quasi *sesquitertius*, quod quod *duos asses & semis* caperet. *Sestertium* autem genere neutro, mille nummos, ut dixi, continebat. vide Budæum *de Asse*, & Georgium Agricolam. C.S.C.

93. *Horrenti.*) Frigenti. Persius:

Seu comitem horridulum trita donare lacerna.

94. *Quis totidem erexit villas.*) Nimium in exstruendis villis luxum notat. nam non una contenti villa plures exstruebant, marmoribusque adornabant. *Villa* proprie est ædificium erectum ruri. Plin. *Neque fundus villam quærat, neque villa fundum.*

94. *Quis fercula septem.*) In luxum ciborum & lautitiam privatam insurgit. Sic Seneca: *Deinde ad cœnas lautitiasque transfertur, & illic commendatio ex novitate, & sola ordinis commutatione captatur.*

94. *Quis avus.*) id est Quis antiquus tam luxuriosus, vel in cibis, vel ædificiis, ut nunc pæne omnes sunt? ex frugalitate igitur & simplicitate antiquorum damnat luxuriam, & ciborum, & ædificiorum sui temporis. Nam frugalitas antiquis fuit (auctore Valerio) quasi quædam mater bonæ valetudinis inimica luxuriosis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab omni immod rato Veneris usu aversa.

94. *Septem fercula.*) Varia, & diversa ciborum genera, numerum posuit finitum pro infinito. Appellatione autem *ferculorum* intelligimus patinas. Horatius:

Multaque de magna superessent fercula cœna.

Seneca detestans luxum sui temporis: *Hodie utrum tandem sapientiorem putas: qui versatilia cœnationum laquearia ita coagmentant, ut subinde alia facies atque alia succedat & toties tecta, quoties fercula mutentur, hoc est cibi & patinæ.* *Fercula* etiam appellantur, quæcunque *feruntur* in pompa triumphorum, ludis, & sacris. unde Cicero *in Officiis*: *Cavendum est, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus: ut similes pomparum ferculis esse videamur.* Tranquillus *in Cæsare*: *Pontico triumpho inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum: veni, vidi, vici.*

95. *Cœnavit secreto.*) Non conqueritur, quod in propatulo non cœnent, quod ab antiquis factitatum est, qui mos temporibus Juvenalis & multo ante desiverat: Sed quod intra privatas ædes multijugæ, luxuriosæque, & lautæ parentur cœnæ. *Secreto* ergo i. in domo privata.

95. *Nunc sportula primo.*) Consueverant divites Romani, ut liberalitatem & munificentiam suam ostenderent, ad rectam cœnam admittere pauperes clientes, a quibus comitati fuissent. *Rectam* autem *cœnam* intelligo, quod apud divitem splendide & laute cœnarent. Sequitur enim:

Votaque deponunt, quanquam longissima, cœnæ.

nam cum dominis cœnare consueverunt. unde Tranquillus *in Nerone* ait: *Publicæ cœnæ ad sportulas sunt redactæ.* Sed quum ea consuetudo forte fastidiosa videretur, *rectam cœnam* revocavit Nero ad *sportulam*. Postea vero Domitianus *sportulam* ad *cœnam rectam*, unde Martialis *lib.* VIII.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Verum apparet id non servatum mortuo Domitiano, quum Poeta hæc scripsit. Dabantur igitur obsonia plerunque, & pecuniæ ex *sportula*. unde Tranquillus *in Domitiano*, ita scribit: *Atque inter spectacula muneris largissimum epulum, septimontiali sacrorum quidem die, Senatui equitique panariis, plebejis sportellis cum obsonio distributis.* Martialis:

Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum.

Ceterum *sportula* non dabatur tantum ex privato, quantum etiam ex publico vectigali clientibus, & pauperibus, dabaturque etiam in nuptiis. Apulejus *in* II. *Apol.* *Quippe ita placuerat in suburbana villa potius, ut jungeremur, ne cives denuo ad sportulas convolarent.* Quum igitur hanc tantum pauperes captarent, conqueritur Juvenalis, Nunc tantam esse Romanorum avaritiam, ut & nobiles, & divites, & magistratus, eam quoque captare non pudeat. *Sportæ* autem, & *sportellæ*, & *sportulæ*, nummorum (auctore Pediani) erant receptacula, denominatæ a *Sparto* herba Iberica, ex qua conficiebantur. Plautus *in Menæchmis*:

Sportulam cape, atque argentum: eccos tris nummos habes?

Verum *sportula* non tantum pro receptaculo nummorum, quantum etiam pro muneribus, quæ clientibus

 (ut

(ut diximus) darentur, ponitur, ut sit continens pro contento.

95. *Nunc.*) Hoc tempore: hac ætate nostra avarissima.

95. *Primo limine.*) Primo ædium ingressu.

96. *Parva.*) Conqueritur imminutam esse prioris *sportulæ* liberalitatem.

94. *Turbæ togatæ.*) id est quam viliores & pauperes clientes deberent capere. Nam (ut scribit Asconius) toga communis habitus fuit, & marium & fœminarum: unde Virgilius:

Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.

Sed postea *prætexta* honestorum tantum fuit, *toga* viliorum, unde pauperes clientes, ut viles, quum ibant salutatum, sumebant *togam*. Martialis:

Mane vel a media nocte togatus ero.

Ejusdem distichon est in *Apophoretis*, cui inscriptio est *Toga*:

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Mentita veniet sportula multa toga.

97. *Ille tamen.*) qui sportulam dispartitur.

97. *Faciem prius inspicit.*) Hinc apparet sportulam non omnibus pauperibus, sed tantum his consuevisse dari, qui in officio fuissent circa divitem, faciem etiam intuetur, an ex clientibus sit.

98. *Suppositus.*) Subdititius, & loco alterius positus.

98. *Falso nomine.*) Expositio est subdititii.

99. *Agnitus*) ex clientibus domini.

99. *Jubet a præcone vocari.*) Hinc est omnis Poetæ indignatio, quod *sportula* nunc nobilioribus erogetur, quæ antea duntaxat dabatur, ut diximus, pauperibus.

99. *A præcone.*) *Præco* is dicitur, qui jubente magistratu clara & elata voce aliquid ad populum enunciat: a præcinendo.

190. *Ipsos Trojugenas.*) Satyrica indignatione dixit *ipsos*, quasi quos rei pudere deberet.

100. *Vexant*) Celebrant & frequentant.

100. *Et ipsi.*) quasi dicat: & *ipsi*, quos pudor rei absterrere deberet.

101. *Nobiscum*) sc. clientibus.

101. *Da prætori.*) Verba sunt dispensatoris. Veteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, *prætorem* appellaverunt, quod *præiret* exercitui, teste Varr. a quo & in castris tabernaculum ducis *prætorium* est appellatum, & *porta prætoria* in castris, qua exercitus in prælium educitur, quia initio *prætores* erant, qui nunc *consules*, & hi bella administrabant. Eum etiam (ut tradit Liv. *lib.* v. *prætorem* dixerunt, qui ex patribus creatus jus in Urbe diceret, penes quem magistratum omnis publici, privatique juris potestas, ut & novum jus condere, & vetera abrogare facultas esset. Idque ob magistratus honorem *jus honorarium* est vocatum. Quum tamen regia illi essent insignia, ut apparatu Consulibus par videretur, lictores non amplius sex habuit, de quo Pompejus *de origine juris* sic scribit: *Prætor creatus est, quum consules evocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in Urbe jus redderet. Isque urbanus est dictus, quod in Urbe jus diceret. Post aliquot deinde annos, non sufficiente eo prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus est & alius prætor, qui peregrinus appellatus est. Capta deinde Sardinia, mox Sicilia & Hispania, deinde Narbonensi provincia, totidem prætores, quot provinciæ in ditionem venerant, creati sunt.* Cicero II. de *Legibus*: *Juris disceptator, qui privata judicet, judicareve jubeat, prætor esto, juris civilis custos esto, huic potestati parento.*

101. *Tribuno.*) *Tribunorum* duo exstitere genera: *tribuni* scilicet *plebis*, & *tribuni militum*. *Tribuni militum* dicti sunt, quod *terni ex tribus tribubus*, Ramnium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur. *Tribunorum* autem *militum* officium est, milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circuire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensuræ fraudem coercere, delicta castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere: ex his etiam erant *Tribuni*, qui dicebantur *ærarii*, ab eo (ut scribit Varr.) quod attributa illis erat pecunia, quam militibus redderent. Idque, quod attributum erat, dicebatur *æs militare*. De *tribunis ærariis* sic Tranquillus in *Cæsare*: *Tribunos ærarios, quod erat tertium scilicet genus judicum, sustulit.* *Tribuni plebis* in monte sacro a plebe creati sunt, qui eam defenderent: quum plebs a patribus secessisset, anno fere XVII. post reges exactos. De *tribunis* multa leges apud Jurisconsultos, Livium, Vegetium, Appianum, Modestum, Varronem, Festum, Gellium, & Plutarchum.

102. *Sed libertinum.*) Verba sunt Juven. *libertinum* more satyrico ridentis, qui magistratui non solum se æquet, sed etiam præponat *libertinus* autem generaliter est accipiendum, id est *ipsi libertini*.

102. *Prior est.*) Se potiorem magistratu facit, sequitur enim, *prior ego adsum*. *Libertini* dicuntur (auctore Cajo *de statu hominum*) qui ex justa servitute manumissi sunt.

103. *Defendere locum.*) Tueri locum meum, sicque Poeta ostendit homines per divitias efferri in superbiam.

104. *Natus*) subaudi *sim*.

104. *Ad Euphratem.*) In Armenia, id est ex servili sim conditione. Nam *Euphrates* fluvius est, auctore Strabone, qui ex Niphate monte Armeniæ defluit in mare rubrum: prius tamen Babyloniam per

medium

medium dividit, & Tygri conjunctus Mesopotamiam facit. illinc servi multi mittebantur.

104. *Molles quod in aure fenestræ Arguerint.*) id est Quam rem sc. me natum esse in Armenia sive Cappadocia, quæ sunt contermina, arguerint *molles fenestræ*, id est ostenderint & probaverint mollia aurium foramina. Nam in Oriente, ut scribit Plin. *lib.* XI. *cap.* XXXVII., viris aurum gestare in auribus decus existimabatur. Idem *in proœmio lib.* XII. sic ait, loquens de unionibus: *Ad hoc excogitata sunt aurium vulnera.* quæ autem ad ornamenta aurium gestabantur, *inaures* appellatæ sunt. Plin. *lib.* IX *cap.* LV. *Antonia Drusi murænæ, quam diligebat, inaures addidit.* Plautus *in Pœnulo:*

Quia incedunt cum annulatis auribus.

Unde & *in Pentateucho* Mosis sic scriptum est: *Dixitque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.*

105. *Licet ipse negem.*) Etiamsi velim ipse negare, me ex servili conditione esse & Armenum.

105. *Sed quinque tabernæ.*) Hinc stultam hominis elationem ostendit, qui divitiis & bonis tantum fortunæ gloriatur. *Quinque*, inquit, sunt mihi *tabernæ*, quæ parant mihi *quadringenta*, id est, quæ ex vectigali & proventu reddunt mihi quadringenta millia sestertium, quæ summa ad nostram consuetudinem redacta, efficit fere decem millia coronatorum. S. Erat autem census equestris, qui enim eam summam habebant inter equites Romanos numerabantur, Tiberii edicto, ut scribit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* II. qui constituit, ne cui jus gestandi annuli aurei esset, nisi cui ingenuo, ipsi patri avoque paterno sestertia quadringenta census fuissent, & lege Julia theatralis in quatuordecim ordinibus sedendi. Romæ autem quædam ædificia *quinque tabernæ* appellabantur juxta forum: eadem *septem* dictæ sunt. Livius *lib.* XXXVI. *Pluribus simul locis circa forum incendium ortum. Eodem tempore septem tabernæ, quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc novem appellantur, arsere.*

106. *Quid confert purpura majus.*) Nobilis ipse, qui per prætextam designatur, nam, ut diximus ex auctoritate Pediani, prætexta erat honestiorum, id est nobilium, toga viliorum. Et ut ostendit Plin. pro majestate pueritiæ erat prætexta, & curiam, id est senatores, distinguebat ab equite.

105. *Quid confert.*) Quid affert? quid invenit? quod majus optet, quam quod ego possideo, si ipse nobilis, qui per *Corvinum* designatur ad paupertatem redigatur? id est, quid invenit ipse nobilis & senator, si pauper sit, quod majus possit sibi optare, quam quod ego possideo? quasi ostendat non solum se censum equestrem, sed etiam senatorum suis opibus superare. nam quum census equester esset quadringentorum millium, ut diximus, senatorius erat, auctore Tranq. *in Augusto*, octingentorum: quam summam, quum Augustus ampliasset, duodecies centies sestertium taxavit. Videturque Poeta alludere ad M. Valerium Corvinum, qui ad centesimum annum vitam produxit, exactaque jam ætate in agris, eos coluit.

106. *Purpura.*) i. prætexta. *Purpura* autem piscis est ex genere concharum, ex cujus faucibus liquor, ut scribit Plin. elicitur, aptus ad tingendas vestes. *Murex* item ejusdem generis est, & *conchylium*: *ostrum* etiam in eadem significatione accipimus. Virgilius:

— *Tyrioque ardebat murice lana.*

Idem:

Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Juven.

Horum ego non fugiam conchylia?

id est vestes purpura tinctas.

107. *Si custodit oves.*) Si in paupertatem prolapsus est, ut pascendæ sint ei oves alienæ.

107. *In agro Laurenti.*) *Laurentum* oppidum fuit prope Lavinium in antiquo Latio.

108. *Corvinus.*) Nobilis, qualis fuit familia *Corvinorum*, quæ cognomen sumsit a *Valerio Corvino*, qui Consule Camillo Furii Camilli filio singulari dimicans certamine adversus præferocem Gallum, eum confecit, adjuvante *corvo*, qui galeæ Valerii insidens, unguibus & rostro in Gallum insiliebat, ita ut patria victoria *Valerius Corvinus* sit cognominatus.

109. *Pallante.*) *Pallas* ex Arcadia fuit, auctore Tacito, libertinæ conditionis, quem unum & *Narcissum* alium libertum adeo dilexit Claudius, auctore Tranq. ut decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, sed & quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus sit: tantum prætereа acquirere & rapere, ut querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur: eum postea Nero veneno sustulisse creditus est, quod immensam pecuniam longa senecta teneret.

109. *Et Licinis.*) *Licinum* divitem fuisse ostendit Persius illic:

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Juvenalis alibi:

Dispositis dives armis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet attonitus, pro
Electro, signisque suis: Phrygiaque columna.

Ejusdem sic meminit Sen. *in Epistolis*, ubi notat eos, qui assidue suum statum variant. *Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem mollitie provocat.* Eum unum, ut diximus ad Persium, fuisse ex Augusti Libertis

bettis Principis indulgentia prædivitem placet intelligere. Scribit enim Tranquillus sic : *Multos libertorum in honore & usu maxime habuit, ut Licinum, Enceladum, aliosque.* Non ignoro *Crassum*, auctoribus Valerio & Plinio, cognomento *divitem*, primum omnium Romanorum *divitem* fuisse. Sed nunc de *divitibus*, qui paullo ante fuissent, loquitur.

109. *Exspectent ergo Tribuni.*) Verba sunt Juvenalis indignantis impudentem & petulantem superbiam in homine servili.

100. *Honori sacro.*) id est tribuno. Nam veteres lata lege sanxerunt, ut *tribuni* inviolabiles, sacrosanctique haberentur, statuendo, ut qui *tribunum* læsisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris venum iret. eum autem hominem *sacrum* appellavere, quem populus judicavit ob maleficium, & qui eum occidit, parricidii non damnatur. Nam Lege tribunitia cavetur, si quis eum, qui sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Si quis ergo *tribunum*, ut sacrosanctum violasset, morte pœnas pendebat. *Sacrosanctum* dicebatur, auctore Festo, quod jurejurando interposito erat institutum, ut si quis violasset, morte pœnas penderet.

111. *Nuper.*) id est Qui non diu venit in Urbem. Nam *nuper* dicitur de longiori tempore, ut illud Livianum in Epistola : *Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes opes, desiderium per luxum atque libidinem, pereundi, perdendique omnia invexere.* Hoc enim potuit esse supra centum annos, ex quo luxus & libido Urbem invasere. De breviore etiam tempore dicimus, ut de anno, vel mense, vel diebus paucis Plin. *M. Perpenna & nuper L. Volusius Saturnius omnium, quos in consulatu sententia rogaverant, superstites fuerunt.* Item Cic. *in Rhet. ad Herennium* : *Et quoniam nuperrime dictum facile memoriæ mandatur.*

111. *Pedibus albis.*) Pedibus gypsatis & cretatis. Nam, ut scribit Plin. *lib.* XXXV cap XVI. est quoddam genus cretæ, quæ *argentaria* appellatur, nitorem argenteum reddens. est & vilissima, & qua pedes venalium servorum trans mare advectorum denotare instituerunt majores. Unde Tibullus:

> *Barbara gypsatos ferre catasta pedes.*

Ovidius *in Amoribus* :

> *Nec tu, si quis erit, capitis mercede redemptus,*
> *Despice gypsati nomen inane pedis.*

117. *Quandoquidem* &c.) id est : Quandoquidem divites pro Diis ipsis habentur.

113. *Majestas sanctissima.*) subaudi *est*, id est colitur, & in maxima est veneratione : *Majestas* appellatur apud Valerium *honor sine honore* : magna enim erat Catonis majestas etiam sine honore; id est sine dignitate aliqua. Ergo *majestas* honor est, sive amplitudo & dignitas quædam, per quam hominem ipsum in veneratione habemus.

113. *Pecunia.*) dicta a *pecude*, quod nota *pecudis* feriretur, ut auctor est Plin.

113. *Funesta.*) Exitiosa. Nam multis exitio est, dum aut paratur per pericula, aut custoditur domi. unde Poeta alibi :

> *Sed plures nimia congesta pecunia cura*
> *Strangulat.* —

Unde & Plinius ait aurum ad perniciem vitæ repertum.

114. *Nondum habitas.*) Contra sensit Varro & Augustinus *de Civitate Dei.* nam *Pecuniam* cultam a Romanis ambo testantur, sub nomine *Aeris Dei*, sive, ut Augustinus, *Aesculini.* Ergo ironicos hoc dicit Satyricus. C. S. C.

115. *Ut colitur Pax.*) In ejus templo vasa templi Hierosolymitani, & universa donaria Vespasianus constituit. [Cr.]

115. *Atque Fides.*) Numa Pompilius *Fidei* solenne instituit : ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato vehi jussit, manuque usque ad digitos involuta rem divinam facere, ad quod Virg. respexisse videtur :

> *Illis cana fides.* —

significantes fidem tutandam, sedemque ejus, etiam in dextris sacratam esse. dicta est autem *fides*, ut idem Cicero est auctor *in officiis a fio*, quod id *fieri* debet, quod dictum & promissum est. Templum *Fidei* fuisse in Capitolio ostendit Cicero *in* III. *Officiorum* his verbis: *Qui igitur jusjurandum violat : is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis optimi maximi, ut in Catonis oratione est, majores nostri esse voluerunt.*

115. *Victoria.*) Templum in honorem *Victoriæ* extructum fuisse ab Arcadibus in colle Aventino docet Dionysius *lib.* I. a quibus & sacrificia eidem sunt constituta. C. Eam enim filiam fabulantur Arcades fuisse Pallantis, qui fuit Lycaonis. S.

115. *Virtus.*) *Virtuti & Honori* M. Marcellus templum condidit : auctor est Plutarchus, Valerius, & Livius.

115. *Concordia.*) Nonnulli in hac persuasione fuerunt, *Concordiam* sub imagine *Ciconiæ* coli, inter quos fuit Georgius Merula præceptor meus, vir eruditissimus, qui in Commentariis suis sic scriptum reliquit : *Ciconia*, inquit, avis est, quæ, ut Ambrosius scribit, Romano usu *pia* vocatur, ob hanc videlicet caussam, quod *ciconiarum* pulli parentibus jam senio confectis, & longa ætate invalidis, & opem & alimenta ministrant in mutuam compensationem. Nam & Græci ἀντιπελαργεῖν *retributionem* appellant, deducto vocabulo a *ciconia*,

quam

quam illi *πελαργὸν* dicunt. Proverbium est, *ἀντιπελαργεῖν* pro *referre gratiam*. Unde in regum sceptris superne *ciconiam* figurabant, inferne vero *hippopotamum*, quippe significantes vim justitiæ parere, quando hippopotamus animal sit violentissimum. ciconiam autem esse avem piam his verbis indicat Petronius satyricus: *Ciconia etiam grata, peregrina, hospita, pietatis cultrix.* quod & Solinus confirmat his verbis: *Eximia illis inest pietas. Etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipsi a pullis suis invicem aluntur.* Angelus vero Politianus in *Miscellaneis* scribit: Cornicem eam esse, qua *Concordiæ* effigies repræsentaretur, cujus verba hæc sunt: Cornices, inquit, ut Aelianus Græcus scriptor lib. *de Animalib.* III. de hac ave scribit: *Inter se fidissimæ sunt, & quum societatem inierint, maximo se opere diligunt.* Neque id genus animalia videat quisquam licenter misceri, & temere. quin hoc quoque dictitant, qui res istiusmodi callent, altera exstincta comparem viduam degere. Ceterum id quoque audio veteres in nuptiis, post Hymenæum *cornicem* invocare, signumque id *Concordiæ* dari his consuevisse, qui liberorum creandorum gratia convenissent: tum qui sedes avium, & volatus observant, inauspicatum esse captantibus auguria dicunt unius tantum cornicis obsequium. Sic Ille, additque: Sed in nummismatis, ureis duobus Faustinæ Augustæ manifestam prorsus imagunculam nuper mihi Laurentius Medices ostendit, cum titulo ipso *Concordiæ*. non possem huic opinioni non suffragari: nisi id obstaret, quod cornix rostro non crepitat, quod facit ciconia. Nam, ut scribit Plinius, fuere, qui *ciconiis* linguas non esse confirmarent. Unde rostro tantum crepitant. Solinus Plinium secutus sic scribit: *Aves istas ferunt linguas non habere, sonum autem, quo crepitant, oris potius, quam vocis esse.* Unde Ovidius *Metamorph.*

> *Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.*

quid de hac historia sentiendum sit, alii dijudicent, ego adhuc quærendum censeo. *Concordiæ* autem *ædem* a diversis Romanorum exstructam fuisse constat. eam enim vovit Camillus, ut scribit Plutarchus *in vita ejus* his verbis: *Postridie autem congregati decreta tulere, ut Concordiæ, quemadmodum Camillus voverat, in foro & concione ingens, pro rebus bene gestis, templum moliretur.* De quo Ovidius I. *Fastor.*

> *Candida te niveo posuit lux proxima templo,*
> *Qua fert sublimes alta Moneta gradus.*

& paullo infra:

> *Furius antiquum populi superator Hetrusci,*
> *Voverat & voti fecerat ille fidem.*

Postea vero Gu. ille Flavius scriba Appii Cœci, Annio libertino patre genitus, qui dies fastos publicavit, æream facit in Græcostasi, quæ tunc supra comitium erat. Inciditque in tabula ærea eam ædem CCCIIII. annis post Capitolinam dedicatam. Hæc Plinius *libro* XXXII. Ex quo apparet *ædem* illam *Concordiæ* Capitolinam fuisse eam, quam juxta templum Junonis Monetæ, ut dictum est testimonio Ovidii, Camillus voverat. Tertium templum *Concordiæ* Tiberius dedicavit, auctor est Tranq.

116. *Salutato nido.*) Quum ad nidum volat, strepit enim rostro, videturque adveniens pullos salutare.

117. *Sed cum summus honor.*) Avaritiam sui temporis taxat. Si divites, inquit, & magistratus, qui sportulam captavere, finito anno computant, quantum lucri sibi attulerit *sportulæ* ratio, quid facient comites? quasi dicat in hoc comites magis occupati esse deberent, utpote quibus tota vita inde pendeat.

117. *Summus bonor*) Prætor, tribunus, propter illud:

> — *Da prætori, da deinde tribuno.* —

118. *Quid referat*) Quid emolumenti afferat.

119. *Comites.*) Clientes & togati. Nam, ut diximus, *comites* hi dicuntur secundum Labeonem, qui frequentandi cujuscunque caussa, ut sequerentur, destinati sunt.

119. *Hinc*) ex ratione sportulæ.

119. *Toga, calceus hinc est.*) Ex *sportula* enim omnia sibi coemebant, quæ & ad victum, & cultum pertinerent. Unde Mart. *lib.* V.

> *Sportula nulla datur: gratis conviva recumbis:*
> *Dic mihi, quid Romæ Gargiliane facis?*
> *Unde tibi togula est? & fuscæ pensio cellæ:*
> *Unde datur quadrans, unde vir es Chiones?*

120. *Fumusque domi.*) Satyrice *fumum* dixit ligna viridia, ex quibus magna vis exit *fumi*, nam talia pauperi emenda sunt.

120. *Densissima lectica.*) Novam captandæ *sportulæ* notat artem. multi enim mariti collocantes in *lecticis* uxores suas, aut languidas, aut prægnantes circumducebant; multi etiam *lecticas* vacuas simulantes in his esse conjuges ægrotas, eoque modo *sportulam* captabant.

120. *Densissima.*) id est frequens lectica, ut ostendat id fieri a multis: non autem multis stipata.

120. *Centum Quadrantes.*) id est *sportulam* ipsam, ex qua (ut diximus) dabantur interdum nummi. Martialis:

> *Dat Bajana mihi quadrantes sportula centum.*

Interdum obsonia, ut diximus ex testimonio Tranquilli.

121. *Sequiturque maritum.*) sc. ipsa in lectica.

121. *Maritum*) pedibus præcedentem.

123. *Hic.*) Alius.

123. *Absenti*) uxori.

123. *Arte nota.*) Fraude jam omnibus manifesta.

124. *Sellam.*) *Lecticam.* Tranquillus *in Nerone*: *Interdiu quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum.* Idem *in Othone*: *Tunc aditus propere muliebri sella in castra contendit, ac deficientibus lecticariis laxato calceo restitit.*

125. *Inquit*) sc. maritus.

125. *Galla mea est*; uxor, ita vocata.

125. *Citius dimitte.*) Verba mariti, ut cito dimittatur erogata *sportula*,

125. *Moraris.*) id est, si moraris ad dandam *sportulam*, ait: citius dimitte nos. vel *moraris?* cum interrogatione, & leni increpatione, ut sit maritus, qui leniter increpet dispensatorem, quod nimis cunctetur ad dandam sportulam.

126. *Profer Galla caput.*) Verba dispensatoris volentis videre, an sit intus Galla.

126. *Noli vexare.*) Dicit maritus: *noli vexare*, noli inquietare. dormit enim lassa.

127. *Ipse dies.*) Ignaviam pariter & avaritiam divitum Romanorum carpit, qui hoc modo diem consumerent, ut clientibus semper comitantibus primo sportulam captarent, mox in forum ociosi transirent. sicque per summam indignationem, divitum, ut diximus, notat avaritiam, qui circumductis per varia Urbis loca clientibus, tam ingrati sint, ut ne eos quidem in cœnam, quam summis votis speraverant, invitent, sed eos omni spe cœnæ destitutos dimittant.

127. *Pulchro ordine.*) Ironicos.

128. *Sportula*) petitur.

128. *Deinde forum*) sc. Augusti, quod is inter publica & plurima opera exstruxit cum æde Martis ultoris. Fori exstruendi caussa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere. Itaque festinantius necdum perfecta Martis æde publicatum est, cautumque, ut separatim in eo publica judicia, & sortiones judicum fierent. hæc Suetonius.

128. *Jurisque peritus Apollo,*) *Forum* ipsum *Augusti*, ut dixi, intelligit. [Gr.] Unde facete Poeta, *peritum juris Apollinem* nominavit, quasi qui assidue lites audiendo *juris* factus esset *peritus*. Non placet ut intelligas de templo Apollinis, quod exstructum fuit, auctore Tranquillo, in ea parte palatii, quæ a fulmine disjecta fuerat: ubi Colossus erat Apollinis æreus quinquaginta pedum in Bibliotheca templi: sed de foro, ut diximus, Augusti. ibi enim, & non in templo Apollinis jura reddebantur. Et illic erat statua, ut dictum est, Apollinis eburnea, ita ut videretur potuisse jura civilia discere. Ad quod etiam respexit Horatius loquens de Bilano garrulo tracto in jus:

— *sic me servavit Apollo.*

id est judices sedentes in foro Augusti.

129. *Atque triumphales*) sc. imagines petuntur, ac per hoc ipsum forum Augusti. [Gr.] Legimus tamen & in aliis foris ante Augustum statuas poni solitas. unde Scipio Nasica, auctore Plin. statuas, quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit.

129. *Inter quas.*) Indignatur Poeta, quod inter *statuas triumphales*, quæ non solum in foro, sed etiam passim per totam Urbem erant erectæ, *Crispinus* natione *Ægyptius*, & conditionis libertinæ, statuam triumphalem habuerit. Nam de Crispino intelligere omnino videtur, quum sequatur: *Ægyptus.*

130. *Nescio quis.*) Satis contumeliose dictum, *nescio quis*, quasi vilis & ignobilis.

130. *Ægyptius, aut Arabarches.*) Bene autem dixit *Ægyptius aut Arabarches*. Nam *Ægyptus & Arabia* conterminæ sunt, ita ut Poeta videatur nescire recte discernere patriam ejus, dictumque est cum contemtu patriæ: quasi dicat, undecunque fuerit, patria ei fuit barbara & ipse vir barbarus.

130. *Arabarches.*) *Arabum princeps*, ridicule dictum, aut *princeps Arabum*, hoc est servorum, qui essent Romæ ex Arabia. C. Ex *Arabia* in *Ægyptum* ingens animalium copia abduci fuit solita, cui vectigal impositum erat, quod *Arabarchia* dicebatur, cujus fit mentio in Jurisconsultorum libris. hinc, qui ei vectigali præfectus erat, *Arabarches* dicebatur. Hinc quoque Cicero *Attico epistolarum lib.* 11. Pompejum *Arabarchen* appellat, quod *Arabiæ* partem, quæ Syriæ conjuncta est, domuisset, non M. Antonium, ut Cælius Rhodiginus putavit.

130. *Titulos.*) Imagines cum *titulis*, & inscriptionibus suis.

130. *Non tantum mejere fas est.*) Hinc maxime apparet Poetæ indignatio. Adeo, inquit, statua illa Crispini contemnenda est, ut non solum urina respergenda sit, sed etiam spurciori re. Tali enim nota affici solent, quæ maxime contemnuntur. unde Tarentini alterum ex legatis Romanorum urina resperserunt. Nero item, auctore Tranquillo, in ludibrium religionis, Deam Syriam urina contaminavit.

132. *Vestibulis.*) A domo divitis recedunt: quos comitati sunt per multos labores, hincque est omnis Poetæ indignatio. [Gr.] Quidam a *vehendo* dictum putant *vestibulum*, quod primas partes ædium *vestiat*; vel a *Vesta* Dea: cui omnis ædium introitus sit consecratus. de *vestibulis* etiam sic meminit Vitruvius *lib* VI. *Communia autem sunt, quibus etiam invocati suo jure de populo possint venire.* Virgil.

Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Pyrrhus

132. *Lassi*) longa erratione, dum comitantur divitem.

132. *Clientes*) dicuntur quasi *colentes*, qui Patricios

cios colant, quibus defenduntur. Patroni autem dicti quasi *patres*. *Clientelas* & *patrocinia* instituit Romulus.

132. *Veteres*.) Hinc conqueritur maxime Juven. quod in *veterem* clientem, & familiarem sint tam ingrati.

133. *Coenæ*) rectæ.

134. *Spes hominum*.) Acclamatio Poetæ in miseriam clientum, qui diu speraverant se apud divitem cœnaturos.

134. *Caules*.) *Caulem* accipimus sæpenumero pro brassica, sed generale est vocabulum. significat enim scapum ipsum in herbis & leguminibus. dicimus enim *caulem ciceris*, *caulem fabæ*, *& caulem betæ*, id est scapum ciceris, fabæ, & betæ.

135. *Interea*) dum pauperes clientes infeliciter cœnant domi suæ.

135 *Optima sylvarum*.) In sordidam gulam Romanorum insurgit, qui opiparas sibi solis cœnas pararent, nullo prorsus adhibito, nec cliente, nec parasito.

135. *Vorabit*.) Indignatione satyrica dictum, quasi magnus helluo.

136. *Rex horum*.) *Rex* alias regnatorem, alias divitem significat, alias patronum, ut hoc loco, ad significandos clientes, qui æque ac parasiti dominum sequuntur, ut cœnent. Nam sicut parasitus est *regis*, & libertus patroni, ita *rex* est parasiti, & patronus liberti. Unde Terent.

Nemo pro merito gratiam regi refert.

Parasitus apud Plautum *in Captivis* ita loquitur:

Nam postquam meus est rex potitus hostium.

appellat enim parasitus Philopolemum *regem suum*, apud quem sæpe cœnabat. Terent. alibi *regem* pro divite posuit:

Regem me esse oportuit,

id est divitem.

136. *Vacuis thoris*.) Lectis discubitoriis. Nam antiqui tribus stratis lectis epulabantur. C. Unde *Triclinia*, dicta sunt, id est conclavia & cœnacula. Cicero *pro Murena* : *Atque ille rogatus, ut triclinium sterneret, stravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos.* S. Horatius:

Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos.

Terentius:

Dedit lectulos pedibus iligneis faciendos, ubi potetis vos.

Martialis:

Imperat exstructos frangere nona thoros.

136. *Vacuis*.) Quia solus cœnat, ut sordidus.

137. *Nam de tot pulcris*.) Hoc est dictum est in profundam gulam, & luxuriam ciborum: Tam laute, inquit, tantoque impendio epulantur divites Romani, ut una cœna absumant patrimonia. Unde Seneca in detestationem gulæ sic clamat: *Nunc conviviorum vigebit furor & fœdissimum patrimoniorum exitium culina.*

137. *Orbibus latis*.) Mensis citreis orbiculatis, de quibus supra illic: *Prætoria, mensas.*

138. *Una mensa*) Una cœna.

138. *Antiquis*.) id est Quæ fuissent multorum per successionem dominorum. unde Seneca: *Placet mensa non varietate macularum conspicua, nec per multas elegantium dominorum successiones civitati nota.*

139. *Nullus iam parasitus erit*.) Ita, inquit, divitum avaritia adolevit, ut soli tantum cœnent, & laute & delicate, neque ullo adhibito parasito, qui sæpe joci caussa a divitibus in cœnam admittebatur. fit autem parasitus a παρὰ, quod est *juxta*, & σίτου *cibus*. est enim is, qui nobiles, & potentes sectatur gulæ gratia, paratusque ad omnia assentari. unde apud Terent. de Gnathone parasito:

Quicquid dicunt, laudo. Si negant, nego: ajunt, ajo.

Inde est *parasitor* verbum. Plaut. in *Amphitruone*:

Amanti parasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo.

Et:

Ante supparasitabor patri.

139. *Sed quis ferat istas*.) Non cessat conqueri Poeta, divites Romanos avaros pariter esse & luxuriosos: *Avari*, inquit, sunt pauperibus clientibus, quibus nihil dant: *luxuriosi* vero sibi, qui tam delicatis, tamque preciosis epulis saginantur. Monet autem Poeta nihil magis esse vitandum, quam istam *luxuriæ* & *sordium* turpem societatem.

140. *Sordes*.) Avaritiam, quum nihil dant clientibus. *Sordidi* appellantur avari, sumta metaphora a *sordibus* vestium: quod non minus hominum vita avaritiæ morbo commaculetur, quam vestimenta maculis & *sordibus*. Nam *sordes* proprie opponuntur mundiciis, & lautitiæ. unde Terentius:

Harum videre ingluviem, sordes & inopiam,
salus est adolescentulis.

unde etiam *sordere* apud Veteres usurpatum est, pro *sordidum esse*. Actius in *Ægistho*:

Cujus manus materno sordet sanguine sparso.

ponit autem *sordidos* pro avaris docet Cicero *ad Atilium*: *Propter quosdam sordidos homines, qui beneficia Cæsaris vendunt.* Horatius:

Sordidus a tenui distabit victus ofella.

140. *Luxuriæ*.) Tantæ lautitiæ & tanti apparatus, quum ventrem suum preciosis, & variis cibis opiment.

140. *Quanta est gula*.) Acclamatio in derisionem gulæ: quasi dives non possit sibi ventrem implere, quum omnino modice sit capax, nisi integrum aprum sibi apponat. Servilius Rullus, ut scribit Plin.

lib. VIII. pater ejus Rulli, qui in Cicer. consulatu legem Agrariam promulgavit, primus Romanorum solidum aprum epulis apposuit.

140. *Totos.*) Integros. Tiberius tamen, auctore Tranquillo, ut parsimoniam publicam exemplo quoque juvaret, *dimidiatum aprum* apposuit.

141. *Animal propter convivia natum.*) Veluti acclamatio in detestationem gulæ: quo uno vitio nihil putat homini turpius: & ideo multo carmine id insectatur: quasi, inquit, aper ob nullam sit natus rem, quam ut delicata de se præbeat pulpamenta. Videtur ad id respexisse: quod scribit Varro *lib.* II. de Re Rustica: *Suillum pecus donatum a Natura dicunt ad epulandum.*

141. *Natum.*) quasi ad hoc genitum & inventum. Horatius:

Natis in usum lætitiæ scyphis,
Pugnare Thracum est. —

142. *Pœna tamen præsens.*) quasi punitionem desideret Poeta tantæ gulæ. sed pœna, inquit, ab eis non abest: nam ex nimia repletione contrahunt morbos, quibus etiam moriuntur. Tale etiam est dictum apud Plinium loquentem de ebrietate: *Hinc pallor & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa. Et quam sit pœna præsens, furiales somni & inquies nocturna ostendunt.* Seneca ad *Lucilium*: *Multos morbos multa fercula fecerunt.*

142. *Præsens.*) Subita & præsentanea: quæ non diu sit exspectanda. Unde *præsentissimum periculum, præsentissimum venenum*, id est subitum & præsentaneum: quod statim occidat.

142. *Quum tu deponis amictum.*) Quum in balnea descendis. Nam tunc ex nimia repletione, & cibo crudo, in balneis vis morbi inopinata obrepit: juxta autem balnea locus erat, qui *Apodyterium*, Latine vero *spoliarium* vocabatur; ubi, qui balnea ingressuri erant, vestes deponebant apud *Capsarium*, qui, ut scribit Ulpianus, mercede servanda in balneis vestimenta suscipiebat.

143. *Turgidus*) nimia repletione. Aemulatio est Persiana:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

143. *Crudum Pavonem.*) id est incoctum, non perfectum in stomacho. Nam *crudum* dicimus, quod ad maturitatem non pervenerit: ut *poma cruda.* & quod coctum non sit: ut *Caro cruda.* *Crudum* item hominem: qui cibum non conficiat. Horatius *in Sermonibus*:

Namque pila lippis inimicum, & ludere crudis.

Crudum etiam *cibum*, qui non conficiatur in stomacho: in qua significatione hoc loco accipit Poeta. Cicero *lib.* IX. *ad Pætum*: *Satius est, heic cruditate, quam istic fame scilicet perire.* Columella *lib.* I. *Mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus*, Cicero *ad Cassium*: *Ferunt P. Syllam alii a latronibus interfectum, alii cruditate.* *Cruditates* autem scribit Macrobius evenire, aut qualitate succi, in quem cibus vertitur, si non sit aptus humori, qui corpus obtinuit; aut ipsius cibi multitudine, non sufficiente natura ad omnia, quæ congesta sunt, concoquenda. *Crudum* ergo *pavonem* appellat: quem ob nimiam epularum ingurgitationem concoquere non potuit.

143. *Pavonem.*) Primus Hortensius augur, ut scribit Plin. *lib.* X. *cap.* XX. posuit *Pavonem* cœna aditiali, nam ita appellabatur cœna pontificum, auctore Festo. De qua Macrobius & Varro *de Re rustica lib.* III. *Primus*, inquit, *Hortensius pavones augur aditiali cœna posuisse dicitur.* Eandem etiam *adipalem* appellavere.

143. *In balnea.*) Nam Romani ante cœnam, auctore Celso, exercebantur: post eam exercitationem, balnea ingrediebantur. Appianus mentionem faciens de Catone sic ait: *Circa vesperam e balneo ad cœnam transiit.* Apulejus *lib.* X. *Mil.* *Qui quum se refecturi, clausa cellula, balneas petiissent.* Et idem *lib.* VIII. *Disposita cœnula, balneas obeunt.* De hac consuetudine plura diximus apud Persium illic:

Turgidus heic epulis. —

144. *Hinc subitæ mortes*) subaudi *sunt*, ex nimia epularum ingurgitatione. Hinc monet Poeta, frugalitate nihil esse nec laudabilius, nec utilius, multosque ex nimia cibi & potus intemperantia mortuos.

145. *Intestata.*) Non facto testamento: quia morte repentina intereunt. *Intestatus* autem videtur dici, non fecit; sed etiam, qui testamento liberis suis tutores non tantum, qui testamentum non dederit. quantum enim ad tutelam pertinet, *intestatus* est. auctor Paullus *de Legitimis Tutoribus.*

145. *It nova fabula.*) id est Recens & subitus rumor dissipatur per omnia convivia. Nam in conviviis de variis & novis rebus solet esse sermo. Horatius:

Fabula quanta fuit conviviorum. —

145. *Nec tristis.*) Sine aliqua doloris significatione. nemo enim est, qui de eo aliquam præ se ferat tristitiam: quia nihil per testamentum legaverit, sicque Poeta miseram humanæ fragilitatis conditionem ostendit.

146. *Ducitur.*) Verbum est funebre, id est, *ad bustum fertur.* Virg.

— *Et tristia funera ducunt.*

146. *Plaudendum.*) in quo magis lætitiæ, quam doloris ostenditur significatio, quum nihil sit relictum, unde possint tristitiam simulare.

146. *Iratis*

146. *Iratis amicis.*) quia nihil relictura sit. Horatius in *Sermonibus*:

— Adde

Iratum patruum, vicinos. —

irascuntur enim, quum omnia per luxum sint absumta. Persius:

Sed cœnam funeris hæres

Negliget iratus, quod rem curtaveris. —

147. *Nil erit ulterius*) Adeo, inquit, inter mortales emersere vitia, ut putem nihil addi posse ulterius a posteris. [*Gr.*]

147. *Moribus.*) Vitiis, est enim vocabulum medium. dicimus enim *bonos mores*, & *malos mores*.

148. *Minores.*) Nepotes, posteri.

149. *In præcipiti.*) In sublimi, quasi omne vitium emerserit ex imo in altum.

149. *Utere velis.*) Hortatur seipsum Poeta ad scribendum, sumta metaphora a navigantibus, qui nacti prosperum ventum, pandunt velorum sinus, quasi dicat, explica librum tuum, & utere stilo tuo ad scribendum nactus uberem materiam.

150. *Dicas heic forsitan.*) Occupatio, id est possis fortasse dicere: unde sit mihi ingenium par materiæ, quasi dicat, materiam esse uberiorem, quam ingenio suo possit explicari.

153. *Priorum*) poetarum.

153. *Simplicitas.*) Monitorem introducit antiquam illam scribendi libertatem non esse poetis, quæ olim fuit & Lucilio & Horatio. Nam ante libertatem occupatam ab Imperatoribus Lucilius mira carminis acerbitate nominatim etiam hominum vitia carpsit. de quo sic Horatius:

— At qui

Primores populi arripuit, populumque tributim.

Persius:

— Secuit Lucilius Urbem,

Te, Lupe, te, Muti: & genuinum fregit in illis.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico,

Tangit: & admissus circum præcordia ludit.

153. *Simplicitas.*) Libertas scribendi: quia simpliciter amoto omni velamento carpebantur vitia delinquentium. nam *simpliciter* ille dicit, qui libere & aperte dicit, quod sentit.

153. *Non audeo dicere nomen.*) Ita, inquit, libertas scribendi periit, ut non audeam eam nominare, quasi nefas sit: Nam ea non audemus nominare, quæ fœda abominandaque sunt: sicque infelicem suorum temporum notat conditionem, quum omnino sublata libertate omnia nutu Imperatorum gererentur.

154. *Quid refert.*) Adeo, inquit, tutum fuit Lucilio libere loqui, & scribere, ut parvipenderit irasceretur ne Mutius Scævola, an non: quod scriptis suis libere notatus. libere enim loqui poterat, quia libertas nondum oppressa erat ab Imperatoribus.

154. *Ignoscat dictis.*) Scriptis & carminibus, quibus proscissus erat.

154. *Mutius.*) Nam *Mutium Scævolam* insectatus est Lucilius, & quendam *Lupum*, ut diximus.

155. *Pone Tigillinum.*) Potuit, inquit, libere & impune Lucilius notare vitia: quia libertas a tyrannis adhuc occupata non erat: verum modo, si volueris hominem potentem & gratum Imperatori notare, qualis fuit Tigillinus Neroni, non erit tibi tutum, quia afficieris supplicio.

155. *Pone.*) Scribe & nota.

155. *Tigillinum.*) id est Hominem potentem & gratum Imperatori: qualis, ut dixi, fuit ipse Tigillinus Neroni. de *Tigillino* dictum est supra illic:

Quum fas esse putet curam sperare cohortis.

155. *Tæda lucebis in illa.*) id est ardebis quidem vivus, quemadmodum multi imperante Nerone arserunt. Existimo id genus supplicii designari, de quo Seneca *ad Lucilium*: *Cogita hoc loco illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, quicquid aliud præter hæc commenta est sævitia.* Qui enim afficiebantur, induti tunicam illam intextam & illitam fomentis ignium alligati palo adurebantur. Talem *tunicam* appellat Juvenalis *molestam*:

— Tunica punire molesta.

Aliud genus non absimile supplicii notatur a Vulcatio Gallicano *in vita Avidii Imperatoris*: *Primus etiam id supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum: & a summo usque ad imum damnatos ligaret & ab imo focum apponeret: incensisque aliis, alios fumi cruciatu, alios timore etiam necaret.*

155. *Tæda.*) Illo igne. Nam *tæda* arbor est resinam desudans, & ideo apta ad comburendum. Ovidius; *in Heroidibus*:

Ardet ut ad magnos picea tæda Deos.

de ea lege Plinium.

156. *Qua stantes ardent.*) Aut quia alligabantur stipiti circumjecto igne: aut quia, ut scribit Seneca, *stipes* per medium hominem agebatur, ut per omnes artus emergeret.

157. *Et latum media.*) Nam multi in *media arena* theatri cremabantur. Tranq. in Caligula: *Attellanæ poetam ob ambigui loci versiculum, media amphitheatri arena igne cremavit*

157. *Deducit sulcum.*) Aut quia forte unco trahebantur, aut quod damnati, & in *media arena* alligati stipiti pedibus *sulcum* faciebant circum se volventes, terrore ignis admoti. Aliqui legunt *deducis*, ut sit sensus: Si Tigillinum notare volueris, afficieris eo

 suppli-

supplicio, quo ardent stantes. et frustra laboras: ac si dicat: notatio & reprehensio tua nihil omnino proficit. aras enim sterilem arenam: ut illud:

— Et littus sterili versamus aratro.

ut ad proverbium illud Græcum alludat, quod de his dici solet, qui in difficili se laborant, ἄμμον μετρεῖς, hoc est *arenam metiris.* Alij vero legunt:

Et latum media sulcum qui ducit arena:

ut sic exponas: Ardebis in illa tæda, qua stantes ardent: & qua ardet ille, qui ducit sulcum media arena: ut conveniat primo sensui.

158. *Qui dedit ergo tribus.*) Ergo, qui tres patruos suos veneno sustulit, vehatur pensilibus plumis: ut sit quasi concessio, id est in deliciis securus vivat, & Poetas contemnat: quandoquidem nulla eis concessa est libertas notandi viventium flagitia. de Tigillino autem intelligit ut sit responsum ad illud:

Pone Tigillinum —

Nam is homo omnium nequissimus tres patruos veneno, ut scribit Probus, necavit. ut eorum hæreditatibus potiretur: subtractisque annulis, & falso tabulis signatis, hæreditates summo scelere consecutus est. Nec illud obstat, quod jam Tigillinus sub Othone mortuus esset. Nam Poeta non secus de mortuis loquitur, quam si viverent, & præsentes essent, ut per taxationem scelerum præteritorum moneat recte vivendum esse.

158. *Aconita.*) Venena. Nam *aconitum* est herba, quæ in saxis nascitur: & ut sensit Ovid. spuma Cerberi respersa fuit, quum ad superos tractus est ab Hercule. dictum ἀπὸ τῆς ἀκόνης, id est a *caute* unde Ovidius,

Quæ quia nascuntur dura vivacia caute,
Mortales aconita vocant. —

Plinius item ait dictum, quod in nudis cautibus, quas *aconas* vocant, nascatur. Solinus vero ab *Acone* portu Heracleæ.

159. *Pensilibus plumis.*) Lectica, in qua erant lecti plumei. *pensilia* appellantur omnia, quæ in aere *pendent*, aut columnis, aut alia re supposita: & *lectica pensilis*, quod servorum humeris sustentetur. *Uvas pensiles* dicimus, quæ suspendantur: & *hortos pensiles*, qui insublimi sint. Servius tamen ait *plumas pensiles*; dici molles, & contra molles *pensiles*: ut illud Virgilii:

Pilentis matres in mollibus. —

160. *Digito compesce labellum.*) Verba sunt monitoris suadentis Poetæ, tacendum esse, affore accusatorem illi, qui dixerit verum, ut sit sensus: O Juvenalis silentium tibi, fac, indicas: nam profecto non deerit tibi accusator, si verum sequi volueris tuis carminibus, qui dicit: hic est, o Imperator, id est, hic est ille, qui hominum vitia notat.

161. *Qui verum.*) Tacitæ occurrit responsioni. potuisset enim dicere: accusabitur tantum, qui mendacio usus fuerit, & falso aliquem notaverit. Immo, inquit, accusabitur etiam, qui vera dixerit, ut legendum sit *verum*, & non *verbum.*

161. *Securus licet Æneam.*) Potes, inquit, sine aliquo periculo tuo historias scribere, quales commemorant de Ænea & Turno Rutulorum duce.

163. *Committas.*) Carmine tuo scribendo committas, id est componas, & in certamen deducas. Nam *committere* est aliquem cum aliquo in certamen deducere. Suetonius *in Augusto: Spectavit autem studiosissime pugiles: & maxime Latinos, non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Græcis solebat.* Martialis:

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas.

in qua significatione videtur accepisse alibi Juvenalis, quum ait.:

Committit vates. —

quasi dicat in certamen Poetas deducit, quasi alter cum altero de virtute carminis certare possit. Qui ergo hujusmodi historias & bella scribunt, committunt & in certamen deducunt Imperatores cum Imperatoribus, quum describunt eos simul pugnantes.

163. *Nulli gravis est percussus Achilles*) Nemo, inquit, offenditur, si de Achille vulnerato, & hujusmodi historiis scripseris. Achilles autem percussus fuit a Paride in templo Apollinis Thymbræi, quum illic amatam Polyxenam uxorem accepturus esset. insidiis enim Paridis post simulacrum Apollinis latentis sagitta confixus est. fingitur id factum Apolline arcum tenente. unde Virg.

Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidæ. —

194. *Aut multum quæsitus Hylas.*) Subaudi *nulli gravis est.* nemo, inquit, offenditur, si talia a Poetis describuntur. *Hylas* Thiodamantis regis Driopum fuit filius: quem Hercules cum Argonautis navigans rapuit. patre ejus prius occiso, quod poscenti sibi cibum denegasset. Sed quum Hercules *Hylam* ad Ascanium flumen misisset ad hauriendam aquam, a tribus nymphis ob pulcritudinem in fontem raptus est. Eum diu multumque quæsitum, quum Hercules non invenisset: sacra instituit, ubi *Hylas* solenniter clamaretur: ad quod illud dictum est a Virgilio:

Hinc adjungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut littus Hyla! Hyla! omne sonaret:

fictum autem est nomen a verbo ὑλάω, quod est *resono*, & *latro.* Diodorus vero & Strabo secuti magis historiam scribunt: *Hylam* Herculis comitem unum fuisse

ex

ex Argonautis: qui in Bithynia juxta Prusiadem urbem perierit: ubi in memoriam ejus festa quædam celebrabantur, in quibus per montes vagi ac saltantes *Hylam* vocabant. Valerius vero Flaccus *lib. III. Argonaut.* narrat ab Junone Herculi infensa, quum is in sylva una cum *Hyla* remum sibi quæreret, Dryopem unam nympharum monitam, ut *Hylam* puerum formosissimum, qui per saltus & fontem ejus vagaretur, ad se raperet: idque ut facilius fieret, cervum suscitavit, quem illico conspectum *Hylas* insequitur, hortante Hercule. cervus fugiens puerum protraxit ad fontem, & intactas levis ipse superfugit undas: puer amisso cervo, cursuque defatigatus ad fontem stetit, bibentem nympha ad se sub aquas traxit, amissum quærebat Hercules rursus *Hylam*, & rursus *Hylam* per longa reclamans avia.

164. *Quæsitus*) sc. ab Hercule.

165. *Ense velut stricto.*) Dissuasio est, ne scribat, a terrore periculi imminentis. Solet, inquit, auditor, quem scelerum conscientia exagitat, quotiens a Poeta notatur, affici rubore, quod vitia sua detegantur. proinde in reprehensorem incenditur ira: quod identidem etiam accidit temporibus Lucilii, quotiens infremuit in vitia hominum.

166. *Rubet auditor.*) Sceleris conscientia afficitur rubore, ac proinde ad vindictam inflammatur.

166. *Mens frigida criminibus.*) Quasi deficiens & pæne mortua criminum conscientia, ut solet corpus frigere, cum mortuum est.

167. *Præcordia.*) Dicuntur proprie membranæ illæ, quas Græci *phrenas* appellant, quibus exta homini ab inferiore viscerum parte separantur. dicta *præcordia*, quia *cordi prætensa* sunt. Hæc ex Aristotele *de Animal.* & Plinio eadem. Verum ab Auctoribus plerumque accipiuntur pro corde, & iis, quæ cordi sunt proxima.

168. *Inde iræ & lachrymæ.*) subaudi *sunt*, reprehensione scelerum suorum, & hæc est item dissuasio a terrore periculi consequentis. Sic Persius:

— *Videsis, ne majorum tibi forte*
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Littera. —

Qui enim notantur, ex indignatione iram concipiunt, prorumpuntque in lachrymas. Horatius:

Qui me commovit, melius non tangere clamo,
Flebit & insignis tota cantabitur Urbe.

flebit enim, quia sentiet se notari.

169. *Hæc.*) Aut quæ tibi proposui pericula, aut quæ sequuntur.

169. *Animante tuba.*) Proponit exemplum alieni incommodi, ne idem patiatur, & sibi caveat. Militem, inquit, qui se stimulante tuba, in aciem immisit, consilii sui pœnitet; sed sero, quia aut vulneratur, aut interficitur, sicque apte similitudinem accommodat Poetæ, ne idem patiatur. C. Lego ego:

— *Ergo voluta*
Hæc animo ante tubas. —

ut Poeta se ipse adhortetur, ad cogitandum periculum, antequam pugnam ineat, i. antequam stylum in Romanos principes stringat. S.

169. *Duelli.*) id est belli, unde & *perduelles* apud veteres dicebantur hostes. Ex *duello* factum est *bellum*, ut scribit Fabius *lib. VII.*

170. *Experiar.*) Verba Poetæ ad monitorem. Si vivos, inquit, notare sine periculo non potero, experiar, quid mihi liceat in mortuos. Et ita pollicetur se tantum de mortuis dicturum. Unde illud sciendum a Poeta nullum potentem virum, nisi nomine mutato, fictoque nominari.

171. *Flaminia & Latina.*) Pleræque viæ fuerunt celebres, quæ ab Urbe procul ducerent ut *Latina*, *Appia*, *Valeria*, *Æmilia*, *Flaminia*. In duabus autem ex his, scilicet in *Latina* & *Flaminia* sepeliebantur mortui exstructis sepulcris ab utroque latere viarum: exstant multa epigrammata ad viatores. Et Juvenalis alibi:

Clivosæ veheris dum per monumenta Latinæ.

Via Latina media erat inter Valeriam & *Appiam*, ad Casinum oppidum conjungitur *Appiæ*: ubi Capua decem & novem distans stadiis. Hæc Strabo *in V.*

IN SATYRAM II.

Vltra Sauromatas.) Hæc satyra eos insectatur, qui cum obscœnissime vivant, dissimulata morum pravitate alios castigant, & quandam præ se ferunt bonitatem, quod hominum genus est improbissimum. Verum eos imprimis tangit, qui per summam Naturæ injuriam more mulierum nupserunt. Ait igitur Poeta, quum talia hominum monstra ferre non possit, in animo sibi esse extremas orbis partes petere.

1. *Libet.*) Impetus est.

1. *Sauromatas.*) Quos Latini *Sarmatas*, Græci, auctore Plinio, *Sauromatas* appellant. populi Scythiæ sunt inhabitantes loca circa Mæotidem paludem, spatio quindecim dierum Oceanum versus, regio arboribus vacua est, originem ducunt ex Amazonibus & Scythis.

De his Herodotus *lib.* IV. Dionysius Halicarnasseus, Plinius, Florus, Strabo, Ovidius in *Ponto*, & *Tristibus*.

1. *Glacialem Oceanum.*) id est Septentrionalem, quasi ubi nulla sint mortalium domicilia. *Oceanus* autem appellatur omne mare, quod ambit terram.

2. *Audent de moribus*) *Subaudi*, loqui, disserere, aut aliquid tale, tanquam viri boni.

3. *Qui Curios simulant.*) Qui simulant, se ea esse continentia & bonitate, qua fuit *Curius Dentatus*, qui terna agri jugera viritim populo dividens, sibi deinde totidem constituit, dicens neminem esse debere, cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapam torreret, Malo, inquit, heic in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Quum interversæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium protulit, juravitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam convertisse.

3. *Bacchanalia vivunt.*) *Bacchanaliter*, nomen pro adverbio, id est more versantium in *Bacchanalibus*, quæ sacra noctu in Urbe celebrabantur a maribus, & mulieribus: ibi stupra promiscua ingenuorum & fœminarum erant plura. de iis Livius *lib.* IX. de Bello Macedonico sic: *Bacchanalium sacrum Græcum, & quidem nocturnum, scelerum omnium maximum seminarium.* Ibi enim horrenda dictu fiebant.

4. *Indocti primum.*) Quum sint, inquit, indocti neque ullam operam præstent virtuti, volunt tamen videri magna eruditione, & sapientia. habent enim domum variis philosophorum imaginibus refertam, ut virtutis videantur cultores. Unde Cicero *lib.* VII. *Epistol.* ad Fabium Gallum scribit, ut signa sibi emat ad ornandam bibliothecam. C. Et in *Epistol. ad Attic.* sæpissime idem scribit. S.

4. *Gypso Chrysippi.*) id est statuis *Chrysippi ex gypso.* nam ex *gypso* figuræ ducuntur. Est autem calci non absimile. de quo Plinius *lib.* XVI.

5. *Chrysippi.*) *Chrysippus Solensis*, seu, ut alii dicunt, Tarsensis, Apollonii filius, Zenonis, sive Cleanthis fuit discipulus: ut Valerius vero scribit, Cleanthis præceptor ingeniosus quidem, & acutissimus in omni genere orationis, & subtilitate disputandi adeo acer, ut illud jactatum sit, Deos, si dialectica uti vellent, non alia usuros, quam Chrysippea. De eo multa Laertius & Valerius Maximus. Et nos plura recitavimus apud Persium illic:

Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

5. *Nam perfectissimus horum*) subaudi *est.* Est autem ironia, ut sit sensus: Existimat se perfectissimum omnium, modo sibi emerit statuam, aut Aristotelis, aut alterius philosophi ad bibliothecæ suæ exornationem.

6. *Aristotelem.*) Aristoteles Platonis fuit discipulus, Peripateticæ sectæ princeps, Alexandri Magni præceptor.

6. *Aristotelem similem.*) id est Statuam similem ipsius Aristotelis, hoc est, quæ Aristotelem referat.

6. *Pittacon.*) Hic unus fuit ex septem sapientibus: Mitylenæus, qui Mitylenis sumtus dux adversus Athenienses, singulari certamine Phrynonem ducem rete obvolutum interemit.

7. *Archetypos Cleanthas.*) id est Antiquas *Cleanthis* imagines. opera enim antiquis nominibus artificum nobilia *archetypa* sunt appellata, quasi quæ principali essent forma. Ea enim in precio fuisse ostendit (ut diximus in priore *satyra*) Plinius his verbis: *Subito ars cælandi argenti exolevit, sola jam vetustate censentur usque attritis cælaturis, ne figura discerni possit.*

7. *Cleanthas.*) *Cleanthes* philosophus fuit Stoicus, qui Zenonis scholæ successit: quam postea Chrysippo reliquit. inopia urgente noctu ex puteis ad irrigandos hortos Atheniensium aquam hausit, qua mercede interdiu studiis liberalibus vacabat. unde a Græcis *Phreantles* est appellatus, id est, hauriens puteos. Nam φρέαρ Græce *puteum* significat Latine, & ἀντλάω *haurio.* De hoc Seneca ad Lucilium: *Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando horto locavit manus.*

7. *Pluteum*) posuit pro bibliotheca. Sic Persius:

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

qua significatione videtur accepisse Sidonius, quum ait: *Heic libri affatim in promtu: videre te crederes aut grammaticales pluteos, aut Athenæi coneos, aut armaria exstructa bibliopolarum, & bibliothecarum.* Festus Pompejus scribit: *Pluteos numero plurativo fuisse crates corio crudo intectas, quæ solerent opponi militibus opus facientibus, quas militares appellarent.* Nunc etiam tabulas significare, quibus aliquid præsepitur: possumus ergo intelligere aut bibliothecas, aut pinacothecam, id est repositorium tabularum pictarum. Nam per totam domum ostentabant tales imagines, tanquam bonarum artium cultores. unde dixit:

— *Quanquam plena omnia gypso.*

Vitruvius tamen *Architect. lib.* V. ostendit *pluteum* id esse, quod inter superiores & inferiores columnas est.

8. *Fronti nulla fides*) subaudi *habenda est.* Sic Martialis:

Nolito fronti credere, nupsit heri.

Multi severitate supercilii summam præ se ferunt bonitatem, quum turpissimis omnino sint moribus.

8. *Quis enim.*) Quis, inquit, in Urbe locus est, qui non abundet hominibus severis, eisdemque obscœnis?

nis? id est iis, qui tristi supercilio graves & censorii videri volunt, quum sint obscœnissimis & fœdissimis moribus.

8. *Vicus.*) *Vici* in Urbe fuerunt supra mille, dictique sunt a *via*, ut scribit Varro, quod ab utraque parte *viæ* sunt ædificia. a *vico* fit *vicinus* & *vicinia*. *vicos* etiam appellamus ipsas villas, hos est pagos.

9. *Castigas turpia.*) Hinc omnis est Poetæ indignatio, quod fœdissimus aliena castiget vitia, ut ostendat id, quod ait Cicero *in Sallustium*; *Oportere hominem omni carere vitio, qui in alterum paratus est dicere.*

9. *Notissima fossa.*) Notissimus pathicus; qui draucis abutaris, a quibus fodiaris.

10. *Socraticos cinædos.*) Inter eos, qui quum sint pathici & vitiosissimi, de moribus disserunt more *Socraticorum*, voluntque videri philosophi *Socratici*. Nam *Socrates* primus, ut recitavimus apud Persium, auctore Cicerone *in Tusculanis*, fuit, qui e cœlo philosophiam devocavit, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, coegitque de vita & moribus bonis & malis quærere, quum antea philosophi in rerum natura perscrutanda essent occupati, quum igitur hi de moribus loquerentur, *Socratici* videbantur.

11. *Hispida membra.*) Occurrit illis, qui possent dicere eos ex cultu corporis videri & bonos & severos. Verum, inquit, est membra hirsuta & pilosa promittere severitatem in illis, sed revera cinædi sunt, & turpissimi.

12. *Podice.*) pro circulo ani. Horatius *in Odis*:

Hinque turpis inter aridas nates
Podex: velut crudæ bovis.

12. *Levi.*) Depilato. Nam *læve* appellatur, quod sine pilis est. Macrob. *Læve autem est mulierum corpus, quasi naturali frigore densetur.*

13. *Marisce tumidæ.*) Metaphoricos ulcera innata ex turpi attritu *mariscas* appellat. Nec sine ratione. Nam, ut auctor est Celsus: *In sede ulcus nascitur simile fungo, & ideo medici fungum appellavere.* Juniores vero ficum: ex genere autem ficorum est *marisca*. Columella & ex eo Plinius: *Ficos mariscas in loco cretoso serito.* Martialis:

Infanti melimela dato, fatuasque mariscas.

13. *Ridente.*) Quia turpitudinis caussam novit.

14. *Rarus sermo.*) *Illis* subaudi *est*, id est raro loquuntur, quo severiores videantur. multiloquium enim hominem levitatis arguit.

14. *Libido.*) Cupiditas & magnum tacendi desiderium. Nam *libido* præter tritam illam & notam significationem, hoc est Veneris pruritum, capitur pro cupiditate, & veluti appetitu sive voluntate, ut hoc loco. Et apud Terentium *in Hecyra*:

Neque libidini tuæ adversabor.

Idem infra:

Potius quam adversum animi tui libidinem esset cum illo nupta.

Et apud Plinium *lib.* VII. *Quis hunc jure felicem dixerit periclitatum ad libidinem inimici, hoc est arbitrium, voluntatem & nutum inimici.* Cicero *in Tusculan. lib.* III. ita definit vocabulum: *Altera cupiditas, quæ recte vel libido dici potest, quæ est immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans.* Vel cupiditas recte dici potest. unde in *Rhet. ad Herennium*: *Pro cupiditate modestiæ partibus utentur, si nimias libidines honoris, pecuniæ, similiumque rerum vituperabimus.*

15. *Atque supercilio brevior coma.*) Incedunt, inquit, brevi capillo, ut infamiam vitent, quam solent subire comati. Nam proverbium fuit apud Græcos: *Nullus comatus, qui idem cinædus non sit.*

15. *Supercilio.*) *Supercilium* dictum est, quod sit *supra cilium*, est autem *cilium* extremus ambitus genæ superioris. In *superciliis* hominis pars animi est, negamus, annuimus, hæc maxime indicant. Fastus superbia heic sedem habet. Unde Poeta in Carmine obscœno:

Carminis incomti lusus lecture procaces,
Conveniens Tatio pone supercilium.

15. *Verius ergo.*) Minus, inquit, *Peribomius* reprehendendus est, & si pudicitiam suam vulgo prostituit: id enim facit urgentibus sic fatis, quibus adversari non potest.

15. *Verius ergo*) subaudi *facit*, id est apertius, & simplicius amota omni simulatione.

16. *Fatis.*) Secundum eos loquitur, ut est apud Senecam, qui ajunt: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Fatum autem Chrysippus, auctore Gellio, ita definit: *Fatum est*, inquit, *sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsam: sese & implicans per æternos consequentiæ ordines, & quibus apta, connexaque est.*

17. *Morbum.*) Vitium, & turpitudinem suam. Jurisconsulti differentiam facientes inter *morbum & vitium* tam varia sentiunt, ut non facile intellectu relinquant significatum vocabulorum. Modestinus *de verborum significatione* scribit, morbum temporalem esse corporis imbecillitatem: *Vitium* vero perpetuum corporis impedimentum. veluti si luscus sit; nam luscus vitiosus est. Sabinus vero refert Labeonem quid esset morbus, ita definisse: *Morbus est habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus facit deteriorem*: sed morbum alias in toto corpore accidere dicit, alias in parte corporis. Totius corporis morbus est, veluti est *phthisis*,

aut *febris*: partis autem veluti cœcitas, aut pedis debilitas, multaque, quæ addunt alia. Demum alii dicunt *vitium* esse perpetuum morbum, cum accessu & discessu, sed hoc si ita est; neque cœcus, neque eunuchus *morbosus* est, contra Labeonis sententiam.

18. *Miserabilis.*) Digna miseratione. Nam *miserabilis* est, non qui miseretur, sed cujus nos miseremur.

18. *Ipse furor.*) Ipsa amentia, qua vexatur urgentibus fatis, ut prostet.

19. *Sed pejores.*) Improbiores; inquit, sunt ii, qui quum obscœne vitam agunt, aliorum vitia severissime reprehendunt, & insectantur.

19. *Talia*) sc. vitia, & turpitudines.

19. *Verbis Herculis.*) id est gravibus & severis, qualibus Hercules usus est, quum voluptatem incusando repulit a se, secutus Virtutem. Nam Hercules: (ut est auctor Xenophon in eo libello, quem scripsit de *dictis & factis Socratis memoratu dignis*, quod & Cicero *de Offic. lib.* 1. & Divus Basilius recitat.) cum adolescens esset, diu multumque dubitavit, quam viam teneret, virtutis an voluptatis; Ambigenti duæ matronæ apparuere, Virtus scilicet & Voluptas, quarum utraque sedulo instabat, ut se sequeretur: Audita utriusque cohortatione, incusata gravissimis verbis Voluptate, Virtutem secutus est. Hi ergo, quum turpissimi essent, de virtute multa disputabant, magnaque verborum gravitate vitia damnabant: quemadmodum & Hercules Voluptatem damnaverat secutus Virtutem.

21. *Clunem agitant.*) Obscœna patiuntur & muliebria.

21. Ego te ceventem.) Proponit Poeta ridiculam satis cujusdam Sexti cinædi castigationem, qui cum Varillum alterum cinædum, dissimulata sua ipsius turpitudine graviter increparet, ab eo reprehensus est & delusus, ut deterior se: sicque Poeta philosophice ostendit, oportere alieni vitii correctorem omni prorsus vitio carere. unde sequitur: *Loripedem rectus derideat.* Est ergo sensus: Varillus infamia temporibus Poetæ notissimus, quum a Sexto cinædo reprehenderetur, remordens dixit: egone te ceventem verebor? quum te non sim deterior.

23. *Loripedem rectus.*) Bonus, inquit, malum notet, sed non malus malum.

23. *Loripedem.*) Plinius *lib.* v. *cap.* viii. ostendit in India esse *loripedes*, qui anguium modo ingrediantur & serpant. Unde *loripedem* dicimus, qui tarde incedat, & claudicet. Plautus *in Pœnulo*:

Ne quicquam hos patronos mihi elegi loripedes tardissimos:

ubi locum correximus: nam *procos* scriptum est, pro *patronos*. erit ergo sensus: Rectus rideat aut trahentem corpus per humum, aut revera claudicantem obtortis pedibus. Videnturque dici a *loro*, quod pedes habeant *loreos*, hoc est molles & obtortos, veluti est *lorum* molle, & obtortum, quos Græci, auctore Plinio, *Himantopodas* appellarunt: ἱμὰς enim *lorum* significat sive corrigiam, πὺς pedem. unde Poeta *in satyr.* x.

Nec prætexatum rapuit Nero loripedem.—

23. *Æthiopem.*) Æthiopia, ut docet Plinius *lib.* v. duplex est; altera circa occasum ad Atlantem montem Mauritaniæ, altera circa ortum, Ægypto contermina. Æthiopum qui vicina Ægypti loca incolunt, alii utrasque Nili ripas insulasque in Nilo sitas habitant: hi Arabiæ proximi sunt. Alii Mediterraneas tenent regiones versus Arabiam sitas. Major pars Aethiopum nigro colore est: de quibus plurima Diod. *lib.* IV. digna memoratu. Dicti autem sunt *Aethiopes*, auctore Plin. ab *Aethiope* Vulcani filio. Alii vero tradunt nominatos, quod sint Solis calore adusti αἴθω quod est *uro*.

24. *Quis tulerit.*) Quis non indignetur, si seditiosus vir, quales Gracchi, seditiosum reprehendat? *Tiberius* enim & C. *Gracchi* fratres, Africani superioris ex filia nepotes, utrique tribuni plebis, quum leges Agrarias non sine nobilitatis indignatione tulissent, cæsi fuerunt. *Tiberius* in Capitolio a P. Scipione Nasica fragmento subsellii, *Cajus* in ponte sublicio, aut sua, aut servi Eupheri manu.

25. *Quis cœlum terris.*) Quis ita non confundatur, & clamet, ut est apud Terentium:

O terra, o cœlum, o maria Neptuni!

Sic enim faciunt, qui ira vehementi incenduntur.

26. *Displiceat Verri.*) C. enim Verres, Cn. Pompejo & M. Crasso consulibus, in Sicilia quæstor fuit: quam per triennium, nemine succedente tenuit, ubi libidinose, avare, crudeliterque versatus est. succedente tandem Metello, reversus Romam a Siculis repetundarum est accusatus: caussam egit Cicero cujus actiones adhuc exant, *Verrinæque* appellantur.

27. *Clodius accuset mœchos.*) Nam *Clodius*, de cujus ea de modo dictum est, quum Pompejam uxorem Cæsaris perdite amaret, habitu muliebri ingressus est domum Cæsaris tunc summi Pontificis; ubi sacra Bonæ Deæ, quæ quotannis in domo Pontificis celebrari consueverant, noctu celebrabantur. præterea *Clodius* sororem suam germanam constupraverat.

27. *Catilina Cethegum.*) Nam *L. Catilina* vir patricius inita conspiratione cum pluribus rempublicam opprimere conatus est. Ejus consilium Cicero consul prudentia sua discussit. Inter conjuratos fuit *Cethegus*, vir magnæ audaciæ. ait ergo Poeta intolerandum esse, si *Catilina* conjurator ipse, & conjurationis princeps, accuset Cethegum sceleris ejusdem conscium.

27. *In tabulam Syllæ.*) *Sylla* primus fuit, qui tabula

bula proscriptionem proposuit, idque superatis partibus Marianis. quem postea triumviri Augustus, Lepedus, & M. Antonius imitati, unusquisque adversarios suos, proposita tabula, proscripsit. Itaque Poeta eos *discipulos Syllæ* appellat, quasi imitatores, qui idem, quod Sylla, fecerunt.

29. *Qualis erat.*) Domitianum a crudelitate notat, quem triumviris comparat, & eis cæde hominum non absimilem dicit.

29. *Qualis erat.*) Periphrasis est ipsius Domitiani, qui Juliam Titi fratris filiam jam viro collocatam corrupit, & quidem vivo etiam Tito, mox patre & viro orbatam ardentissime palamque dilexit, ut etiam caussa mortis exstiterit coactæ conceptum a se abigere, unde Plinius Junior ad Cornelium sic scribit: *Domitianum, ut illustraret seculum suum exemplo aliquo severitatis, Corneliam Maximillam Vestalem virginem absentem, inauditamque damnasse incesti, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, sed etiam occidisset. Nam vidua abortu periit.*

19. *Tragico concubitu.*) Nefando, qualem tragici conscribere solent, qui stupra, incesta, parricidia & id genus nefanda flagitia in suis tragœdiis tractant.

34. *Revocarat leges amaras.*) Nam *legem Juliam*, quæ erat contra adulteros, renovaverat. Lege item caverat, ne quis mas castraretur. Earum legum meminit sic Martial.

Ludus erat sacræ connubia fallere tædæ,
Ludus & immeritos exsecuisse mares.
Utraque tu prohibes Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At prius, o mores! & spado mœchus erat.

33. *Amaras.*) Nam deprehensi in adulterio, ferro puniebantur lege Julia, ut docet Justinianus *in Institutionibus.*

31. *Ipsis Veneri Martique.*) Quippe & ipsi in adulterio sunt deprehensi. Nam Venus cum Marte concubuit: Vulcanus, quum id rescivisset, accusante Sole, lectum tenuissimis & adamantinis retibus cinxit, eosque in amplexibus jacentes & implicatos aperto cubiculo omnibus Diis præbuit videndos. C. Hinc Ovid.

Mulciberis capti Marsque Venusque dolis. S.

32. *Abortivis.*) *Abortivos* appellamus immaturos fœtus, & ante legitimum tempus editos. Tranquillus *in Augusto*: *Illos senatores, quos vulgus abortivos vocabat, ad modum pristinum & splendorem redegit.* Plin. *in* XIV. *Aegyptus & Ecbolinam habet abortivos facientem.* *Abortus* etiam invenitur in alia significatione pro ipsa abortione. unde Plinius *lib.* VII. *Uno abortu duo puerperia egesta.*

32. *Julia.*) Titi fratris filia.

32. *Vulvam.*) de *vulva* Plin. multa scribit *lib.* XI. *cap.* XXXVII. sic: *Quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus vulvam. Hæ viperæ & intra se parientibus duplex. Ova generantium annexa præcordiis. Et in muliere geminos sinus sub utraque parte laterum habet. Funebris quotiens versa spiritum inclusit.* Quibus verbis ostendit Plin. in muliere *locos* & *vulvam* dici, idemque esse, sed in reliquis animalibus *vulvam* tantum, non *locos* dici. Est autem *vulva* conceptabulum fœtus in alvo, dicta quod fœtum *involvat*: *uterus* idem est, quod *vulva*, idque non solum in mulieribus, sed etiam in reliquis animalibus. Plin. *lib.* VIII. de asinis loquens: *Sed incontinens uterus urinam genitalem reddit, ni cogatur in cursum verberibus a coitu.* *Vulvam* lautæ fuisse gulæ constat. Horat. *in Epistolis*:

— Obeso
Nil melius turdo: nil vulva] pulcrius ampla.

33. *Offas.*) id est, frustra carnis, & fœtus immaturos. Nam *offam* appellamus, quicquid in tumorem crescit. unde Juven. *satyr. ult.*

Et nigram in facie tumidis livoribus offam.

offam porcinam cum cauda, *offam penitam* dicebant. Plinius appellat *offas* amygdalas contusas, & in unum convolutas his verbis: *Amygdalinum oleum, quod aliqui vocant neopum, arefactis & in offam contusis exprimitur.* Et *lib* XIII. *cap.* X. *Purgatum enim pomum tundunt, servantque ejus offas.*

33. *Similes patruo*) Domitiano, qui (ut dictum est) eam incestaverat.

34. *Nonne igitur.*) Merito, inquit, flagitiosi & scelerati contemnunt illos, qui cum sint vitiosi, dissimulata morum turpitudine repræsentant *Scauros* viros graves & severos: nam ubique a scriptoribus pro viris severis & gravibus ponuntur. Juven. *satyr.* XI.

Quum tremerent autem Fabios, durumque Catonem,
Et Scauros, & Fabricios, rigidique severos
Censoris mores etiam collega timeret.

M. enim *Aemilium Scaurum* summæ integritatis exstitisse illud declarat apud Plin. quod a Vario tribuno plebis postulatus, quasi socios & Latium ad arma coegisset, respondit: *Scaurus negat, utri potius credendum putatis?* potest etiam hic locus referri ad historiam. Nam, ut scribit *Sallustius*, *Aemilius Scaurus* ex omnibus conjuratis nobilis homo fuit, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum: ceterum callide vitia occultans, ut sit: nonne vitiosi hi contemnunt jure fictos *Scauros*, id est improbos & sceleratos, qui vitia sua non aliter occultant, quam *M. Aemilius Scaurus* occultavit.

34. *Vitia*

34. *Vitia ultima.*) id est Homines extremorum vitiorum per hypallagen.

35. *Castigata*) ab iis, qui præ se ferunt quandam morum sanctitatem.

36. *Non tulit.*) Satis urbane Poeta inducit mulierem, quæ virorum vitia insectetur.

36. *Laronia.*) Mart. Latoniam ostendit fuisse divitem & viduam:

Abnegat & retinet nostrum Laronia servum,
Respondens orba est dives, anus, vidua.

37. *Clamantem torvum.*) Pro *torve*, nomen pro adverbio.

37. *Dormis.*) Quæ non excitaris ad coercendos adulteros.

38. *Ad quem*) clamantem.

38. *Subridens.*) Parum ridens, velut indignabundus Nam *sub* in compositione plerumque *parum* significat, ut *subtristis*, id est aliquantulum tristis. *Subiratus* paullulum iratus. Persius:

— *Subrisit molle puella.*

38, *Subridens*) ait.

38, *Felicia tempora.*) Ironicos dictum.

39. *Opponunt.*) tanquam, qui obstes vitiis.

39. *Habeat jam Roma pudorem.*) Jam pudore, inquit, Roma vincatur, ne quid turpe faciat, quum exemplum habeat tam probatorum virorum: estque ironia. C. Est autem *pudor*, ut Aristoteles *in Eth.* definit, metus quidam dedecoris & infamiæ. S.

40. *Tertius e cælo.*) Licet plures, ut præclare docet Gellius, fuerint *Catones*, duo tamen magni fuere nominis, ut gravissimi & severissimi: *Cato Censorius*, qui libros *de Re Rust.* edidit, & *Cato*, qui post mortem *Uticensis* est cognominatus. recte igitur hunc per ironiam appellat tertium, tanquam gravem & severum censorem: quasi cœlitus demissum in terras. *Censorium* autem *Catonem* ostendit Sen. *ad Lucilium* non minus reip. fuisse utilem, quam Scipionem, alter enim cum hostibus bellum, alter cum moribus gessit.

40. *Sed tamen unde.*) Hæc interrogatio illuc tendit, ut ostendat illum esse nequissimum: quando more cinædorum & mollium unguentatus sit.

41. *Opobalsama.*) Odores preciosissimos ex succo balsami: *opobalsama* enim dicuntur *succi balsami. opos* enim *succum* significat. *Xylobalsamum* autem appellatur lignum balsami. *Xylon* enim Græce *lignum* significat Latine. *Carpobalsamum* fructus. *Carpos* enim *fructum* significat. Arbor ipsa *balsamum* dicitur, quæ ut docet Plin. incisa vitro, aut lapide, osseisve cultellis succum emittit, qui omnibus odoribus præfertur: & uni terrarum Judææ arbor concessa.

41. *Hirsuto.*) Hispido, & piloso, ad dissimulandam molliciem.

42. *Dominum.*) pharmacopolam.

42. *Taberna.*) Officinæ unguentariæ: quas Græci *myropolia* appellant. dicta *taberna*, quod *tabulis* claudatur, unde & *tabernacula* dicta sunt, & inde *conturbernales.*

42. *Ne pudeat.*) Ironice dictum.

43. *Quod si vexantur leges.*) Si existimas, inquit, ut gravis censor, leges esse citandas in adulteria, inprimis *lex Scantinia* est citanda, quæ lata fuit contra eos, qui muliebria patiebantur: nam Poeta *tota satyra* insectatur tale genus hominum, ut spurcissimum, qui *lege Scantinia* puniebantur, quam *Scantinius* quidam *Aricinus* tulit, cujus ita meminit Cic. *in tertia Philippica: Quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum: hinc Vaconiæ, hinc Scantiniæ leges.* Ejus legis sic meminit Ausonius scribens in mollem & effœminatum:

Scantiniam metuens, non metuit Titiam.

Lege Scantinia quosdam ex utroque ordine condemnavit Domitianus, auctor Tranquillus. Alii contra pædicones statutam falso contendunt, nomenque accepisse ab eo C. *Scantinio*, qui auctore Valerio *lib.* VI. vim filio Marcelli inferre ausus est; & accusante patre damnatus: nam leges nomen accipiunt a latoribus, non autem a reis & sontibus. Et tota indignatio Poetæ est in molles & patientes muliebria. hanc pœnam statuebat *lex Scantinia*, ut, qui ingenuum stuprasset, sestertium decem millia exsolveret.

43. *Leges ac jura.*) *Lex* a *jure civili* hoc modo differt, ut *lex* sit tanquam juris civilis mater. Nam, ut scribit Papinianus: *Jus civile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit.*

45. *Faciunt hi plura.*) Plura peccant, & plura committunt digna reprehensione, quam mulieres. C. S. C.

45. *Sed illos.*) Occurrit tacitæ quæstioni. posset enim dicere: quare non puniuntur, si plura scelera committunt. respondet illos defendi, quia multi sint, & alterum alterius vitium occultare. nam quod malo exemplo fit a multis, solet impunitum esse, & quodammodo desinit esse probri loco commune maledictum malefactumve.

46. *Phalanges juncta umbone.*) Sumta est translatio a re militari, in qua pedites se invicem tuentur ab hoste. Nam *phalanx*, ut a Servio dissentiamus, non est, ut ipse exponit, *legio* lingua Macedonica, licet per quandam similitudinem apud Virgilium *Aen.* II. ita accipiatur:

Et jam Argiva phalanx. —

Sed proprie *phalanx* est, quum pedites ita se instruunt adversus

adversus hostem, ut pares omnes connexis scutis impetum faciant in hostes. Unde sæpe Cæsar *in Commentar. facta phalange.* Sed quia hoc primum fuit a Macedonibus inventum, ut scribit Livius *lib.* III. De bello Macedonico, ideo *phalanx* vocabulum est Macedonicum, verba sunt Livii: *Et cohortes invicem sub signis, quæ cuneum Macedonum (phalangem ipsi vocant) si possent, vi perrumperent, emittebat:* unde & Vegetius *lib.* IV. de Re Militari ostendit phalangem constructionem quandam esse militum, quam modo *cuneatam*, modo *quadratam* appellat, quæ instar *cunei* & *quadratæ formæ* composita in hostem progrederetur: Quintus etiam Curtius hujus rei sic meminit: *Macedones phalangem vocant peditum stabile agmen, quum vir viro, arma armis conserta sunt.* Plin. *lib.* VII. ait *phalanges* significare fustes, quibus Afri prælium contra Aegyptios primi fecerunt. *Phalangis* sive *phalangium* (nam utrumque dicitur) est, auctore Plinio, genus aranei.

46. *Umbone.*) hoc loco, scuto. *Umbo* autem propriè pro media parte scuti eminentiore capitur.

47. *Non erit ullum.*) Non invenies, inquit, rem tam nefandam in sexu fœmineo, ut mulier mulierem ineat, quod inter viros frequenti est in usu: carpit tamen Juven. alibi Laupheam & Medullinam, quod *tribades* essent inter se:

Lenonum ancillas posita Lauphea corona
Provocat, & tollit pendentis præmia coxæ,
Ipsa Medullinæ frictum crissantis adorat.

Tale monstrum libidinis dicitur Sappho excogitasse, unde *mascula* est appellata. Horat. *in Epistolis:*

Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho.

49. *Tædia non lambit Cluviam.*) Fellatorem notat, qui & lambere & lingere alterum dicitur. Martialis:

Lingis non mihi, nam proba & pusilla est.

Mulieres etiam id turpitudinis exercuerunt. Philænin enim notat Martialis:

Undenas vorat in die puellas.

50. *Hippo subit juvenes.*) Nomen fictum infamis cujusdam.

50. *Subit juvenes.*) Utrum ad fellandum, an ut ineatur a draucis?

50. *Utroque morbo.*) Utraque turpitudine nefanda, quum & fellaret, & pædicaretur.

51. *Nunquid nos agimus*) Adeo impudentes estis, ut officia etiam muliebria usurpetis, quod nos non facimus. Nam nos caussas in foro, quod vestrum est, non agimus. Id enim turpissimum habebatur in mulieribus. Unde impudentiæ notantur Afrania Licinii Buteonis uxor, & Calphurnia, & Amesia, quod caussas egerint, ut scribit Valerius. *Caussas*, negotia forensia & lites.

51. *Civilia jura.*) Nunquid nos (inquit mulier aliqua) novimus *civilia jura?* Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, (ut jurisperitus definit) vocatur jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis. C. S. C.

52. *Fora vestra.*) Tria enim erant fora, ubi jura reddebantur. Papinius *in Sylvis:*

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas.

Martialis:

Ut te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane fori.

De quibus sic Tranq. *in Aug.* *Fori extruendi caussa fuit hominum, & judiciorum multitudo, quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere.* horum primum appellatum est Romanum, vel vetus: alterum exstruxit C. Cæsar. Papin. in *Sylvar.* I.

Cæsarei stat sede fori. —

Tertium, ut dictum est, erexit Augustus, cum æde Martis ultoris. Mart. *lib.* VIII.

Foroque triplici sparsus ante equos omnes.

id est, ante omnes judices, qui ex equestri ordine eligebantur. Idem *lib.* III. ad Sextum:

Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Dicta autem *fora* a *ferendo*, quod eo lites *ferantur.* *Fora* item appellamus loca, ubi res venales exponuntur. unde dicimus *forum frumentarium*, *forum olitorium*, *forum vinarium*, ubi frumenta, olera, & vina venduntur.

53. *Luctantur paucæ.*) Si forte, inquit, acciderit, ut mulieres luctentur, paucæ tamen luctantur. neque enim negare potuit. nam alibi a *Juvenale* notantur:

Endromidas Tyrias, aut fœmineum ceroma
Quis nescit? aut quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus scutoque lacessit.

53. *Colliphia.*) id est Panes luctatorum ad confirmanda membra. [*Gr.*] Quidam volunt dici a κόλλιξ, qui est panis subcinericius. Plautus *in Persa:*

Colliphia mihi ne incocta detis.

54. *Vos lanam trahitis.*) aut carminatis, aut e colo ducitis.

54. *Calathis.*) Dictio est Græca, apud nos non solum significat *calicem vinarium.* ut illud Virg.

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Et *in Distichis* Martialis Calathi loquuntur:

Nos satyrus, nos Bacchus amat, nos ebria Tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes:

sed etiam pro genere cistæ ponitur, ut hoc in loco. & Virgilius *in Bucolicis:*

— *Tibi lilia plenis*
Ecce ferunt nymphæ calathis. —

55. *Vellera*) Lanæ dicuntur & lanicia, a *vellendo*, & *laniando*, eo quod ante inventam tonsuram ex ove laniarentur vellerenturque.

56. *Melius Penelope torquetis.*) Superatis, inquit, nendo *Penelopen* ipsam, & *Arachnen*. utraque enim lanificii opere laudatur. *Penelope* Icarii & Polycastæ filia, uxor Ulyssis, summæ pudicitiæ exemplo fuit seculo suo, lanificio & telam texendo absentiam & mariti desiderium solabatur, & procos frustrabatur, quibus, ut tradit Homerus *in Odyssea*, promittebat se in matrimonium tradituram, quum absoluta esset tela. Sed quod interdiu texuerat, noctu retexebat: quod tetigit Ovid.

Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus.

56. *Arachne*) puella fuit Lydia, quæ, ut ferunt fabulæ, in lanificio cum Pallade certavit, & quum Dea forte superaret, ab ea in *araneam* est conversa, [*Gr.*]

57. *Horrida.*) Inculta.

55. *Quale*) sc. stamen.

57. *Facit pellex.*) Nam *pellices*, quum senuerunt, ab amatoribus desertæ ad stamina lanificiumque sese accommodant victum quæritantes. Unde Horatius *in Odis* de turpi anu:

Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam, non cytharæ decent.

Pellex proprie appellatur illa, quæ consuetudinem adulterii cum eo habet, cui sit uxor, diciturque *pellex* non tantum viri, quantum etiam uxoris. unde Sallustius *in Ciceronem*: *Filia matri pellex, tibi jucundior atque obsequentior, quam parenti par est.* Dolabella, ut scribit Suetonius, objiciens Cæsari, quod Nicomedi se obscœne summitteret, eum appellat *pellicem reginæ*. a *pellice* fit *pellicatus*; sicuti a concubina concubinatus.

57. *In codice.*) id est vili scamno, seu trunco. Nam, ut scribit Theophrastus, ea pars arboris, quæ terræ inhæret, radix vocatur, supra radicem usque ad scamnum arboris codex sive caudex & truncus dicitur: ex scamno exeunt rami, ex ramis surculi. C. At ego existimo satyricum, *codicis* nomine συμβολικῶς & operte, *robur*, intellexisse, in quo meretricula jam annosa, ob perpetratum scelus fuerit impacta, atque inibi nendo vitam tolerare solita sit. Huc etiam respexit Propertius, cum inquit:

Nostraque quod Petale tulit ad monumenta coronas,
Codicis immundi vincula sentit anus.

Item Plautus *in Pœnulo*, *codicem robustum* vocat. Erat autem locus in carcere, *robur*, in quem demitti seu potius præcipitari malefici solebant, quo tutius & fœdius haberentur; quale fuit Tullianum illud Romæ de quo Sallustius & Cicero. Equidem arbitror *robore* fisso etiam significasse compedes ligneas ex *robore* factas, quas hodie *Cippos* appellant. vide Cœl. Rhodig. *lib.* VII. *cap.* VIII. S.

58. *Notum est, cur soli.*) Satis verecunde Laronia eos insectatur, qui draucis abutebantur, qualis fuit *Hister Pacuvius*, qui captatione testamentorum locupletatus, libertum draucum suum reliquit hæredem. de *Histro* alibi Poeta:

— *Mora nulla per Histrum*
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras.

Scimus, inquit, quare Hister Pacuvius libertum suum reliquerit solum hæredem.

58. *Tabulas*) testamenti. Nam *tabulæ* num. plur. dicuntur, quibus continentur contractus & conventa, ut tabulæ dotis, tabulæ venditionis, tabulæ emtionis & testamenti. A *tabulis* fit *tabularium* & *tablinum*, quorum utrumque signat locum, ubi actus publici continentur. De quo est apud Virg. in Georg.

Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.

Plin. *lib.* XXXV *cap.* II. *Tablina* codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. dicimus autem *tablinum*, sicuti figlinum, quod Græci *pinacothecam* appellant: differentia tamen illa est, quod in pinacothecis *tabulæ pictæ*; in *tablino* rerum, ut diximus, in magistratu gestarum monumenta continebantur. De exstructione *tablini & pinacothecæ* Vitruvius *lib.* VI. *cap.* IV.

59. *Cur multa puellæ.*) id est uxori suæ adolescenti, ut scilicet turpitudinem taceret.

60. *Dives erit magno.*) Illa, inquit, ingentia munera consequetur a marito, quæ tacebit, quum is a draucis inibitur.

61. *Tu nube.*) Cum indignatione dictum, quasi puellæ auditis virorum sceleribus matrimonium aspernentur.

61. *Cylindros.*) *Cylindros* appellant, quod formati sint ad speciem *cylindri*; id est columnellæ, qua area æquari solet. [*Gr.*]

62. *Post hæc*) scelera vestra, quum deberetis vos ipsi de vobis sumere supplicium.

63. *Censura.*) Animadversio & punitio, nam *censores* moribus civitatis præerant.

63. *Corvis.*) Sceleratis, impuris, & spurcis, quales habentur *corvi*, qui fœda sequuntur, & qui ore coire dicuntur. Martialis:

Corve salutator quare fellator haberis?

63. *Columbas.*) Simplices & bonos, quales sunt *columbæ*, ut sit sententia catholica.

65. *Stoicidæ.*) Impuri & flagitiosi, qui præferebant Stoicorum integritatem, & in re Stoico de *Virtute* disputabant, contendentes *Virtutem* solum bonum esse, dicti ἀπὸ τῆς στοᾶς, id est *porticu*. Zeno enim

in

in *porticu* Athenis primus cœpit docere, ad quem audiendum discipuli eo confluentes, quum antea Zenonii dicerentur, postea ab ipsa porticu *Stoici* sunt appellati, de qua porticu intellexit Persius noster:

Quæque docet sapiens braccatis illita Medis,
Porticus insomnis. —

ubi pluscula de Porticu diximus.

65. *Stoicidæ.*) forma patronymica, sicuti Priamidæ, in prima declinatione.

65. *Quid falsi?*) subaudi *dixit.*

65. *Sed quid.*) Hoc etiam in mollitiem virorum dicit Poeta, quos vel orantes in impudicitiam mulierum non pudebat vestes tenuissimas induere, ut corpus etiam perluceret. Unde Plinius in reprehensionem tantæ mollitiei sic ait: *Nec puduit has vestes bombycinas etiam viros levitate usurpare, propter onera æstiva. in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* Ait ergo Poeta: mulierum impudicitiam accusas? quum ipse tu multo magis fores condemnandus, qui ea mollitie aliis sis futurus exemplo?

66. *Non facient alii.*) Argumentum a majori ad minus.

66. *Multicia.*) Vestes tenuissimas dictas a *mollitie*, ut quibusdam placet: ut aliis vero a *mulcendo*, quod *mulcerent* & gratæ essent tenuitate sua: bombycinas autem videtur intelligere, de quibus ex Plinii auctoritate diximus. Nam Bombyces telas aranearum modo texunt ad vestem luxumque fœminarum: quæ bombycina appellantur, tantæ tenuitatis, ut denudet fœminam vestis bombycina. [*Cr.*]

67. *Cretice.*) A *Creta*, quæ primam habet syllabam longam. C. Nam *Critice*, a *Crisi*, id est, a judicio, est brevis prima, ut est apud Horatium *lib.* II. *Epistola* I.

Ut critici dicunt, leviter curare videtur.

Apud Martialem autem *Cretice*, nomen est proprium:

Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

Idem *lib.* VII.

Ergo aut Creticum. — *S.*

Intelligit Æacum, de quo illic:

— *Quas torqueat umbras Æacus.* —

ut sit sensus: Quid non facient alii, quum tu, qui tanquam Æacus judex & cognitor vitiorum sumas tales habitus vestium. posset etiam referri ad unumquemque primarium Romanorum, quem per *Metellum Creticum* designaret, ut sit sensus, quid non facient alii, quum tu ex primariis & principibus civitatis sumas tales vestes. Nam *Metellus Creticus* is fuit, qui *Cretam* Romano imperio adjecit.

67. *Perores.*) Oratione urgeas, nam *peroratio* fit in fine orationis, qua maxime adversarius urgetur.

68. *In Proculas & Pollineas.*) id est in adulteras Proculæ & Pollineæ similes.

68. *Est mœcha Labulla.*) Labulla & Carfinia, quæ adulteræ sunt, si adulterii admissi convincantur in judicio, majus tamen præ se ferent honestatis studium. non enim talem sument togam, ut indecentem ornatum. mulieres enim convictæ adulterii, cogebantur toga virili indutæ in publicum procedere. auctores sunt Porphyr & Asc. unde Horat. *in Serm.*

— *Quid interest, in matrona ancilla peccesque togata.*

contra vero *stola* erat matronarum.

71. *Nudus agas.*) Verba Poetæ, i. nudus eas, si te calor urget. quasi innuat, non minus turpe esse, tali corporis amictu, quam nudum agere.

71. *Minus est insania turpis.*) Respondet iis, qui possent dicere, illum judicatum iri *insanum*, qui nudus ambulaverit. Ait ergo Poeta: *Insania* minore est digna reprehensione, quam talis ornatus.

72. *En habitum.*) Indignantis sunt verba Poetæ, & insultantis, quasi dicat: o quam dignus habitus, in quo te spectarent prisci Romani illi, qui agricolationi intenti erant, & qui paucis annis ante victores pro rep. crudelia vulnera accepere. o quam riderent te, ut ostendat, illum fuisse futurum ludibrio & priscis Romanis, & qui paullo ante sua tempora pro repub. multa præclara fecissent.

73. *Modo victor.*) id est paucis annis ante, id est nostris fere temporibus, ac si dicat nostra ætate.

73. *Vulneribus crudis.*) id est per cruda vulnera victor: i. aspera & crudelia, nam a *crudo* fit *crudelis.*

73. *Illud vulgus Montanum.*) Rudis ille populus, qui priscis fuit temporibus, qui cessantibus bellis agriculturam exercebat, ut de Quinto Cincinnato legitur, & aliis civibus Romanis.

75. *In corpore judicis.*) Argumentum est a minore ad majus. quasi dicat, si multicia testem non decent, multo minus judicem decebunt. Nam quanto quis excellentior est, tanto magis eum decet honestatis esse cultorem, & tanquam ceteris Virtutis speculum.

76. *Quæro, an deceant.*) Quasi dicat, non decent, si ergo non decent testem, minus conveniunt judici.

77. *Libertatisque magister.*) Qui videatur morum gravissimus censor, & qui in libertatem velit asserere flagitiosos. Nam de animi libertate intelligit, non corporis.

78. *Dedit hanc contagio labem.*) Sumta est translatio a pestilenti animali, cujus contactu & consuetudine reliqua animalia facile commaculantur. Ergo vitia, inquit, aliena in te hanc labem deduxerunt, & plures in dies deducent. Unde Sen. *de Tranquillitate vitæ: Serpunt enim vitia & in proximum quemque*

que transiliunt, & contactu nocent. [Gr.]

79. *Sicut grex.*) Ita, inquit, vitia serpent in unumquemque, ut porrigine unius porci reliquus grex contaminatur. Qui parum considerate loquuntur, dicunt *gregem* tantum de minoribus intelligi animalibus: quum constet *gregem* non solum de omni animalium genere, sed etiam de hominibus dici. Terent.

Ut me in gregem vestrum recipiatis.

Et alibi Juvenalis:

Cum grege Chaldæo.—

Sen. *ad Lucilium. Elephantorum gregem excelsissimus ducit.*

80. *Scabie*) Scabies, auctore Celso, est durior cutis rubicunda, ex qua pustulæ oriuntur quædam humidiores, quædam sicciores.

82. *Fœdius hoc aliquid.*) Futurum, inquit, est, ut aliquid etiam in posterum turpius facias hoc amictu, hoc est longe etiam indecentius committas, quam quæ per turpem habitum peccasti.

83. *Nemo repente.*) Verissima sententia, quam multis similibus probavit. ut enim graves & periculosi corporis morbi ex humoribus paullatim corruptis existunt, sic ex consuetudine vitiorum paullatim homines flagitiosissimi fiunt, id quod de aliis quoque rebus licet intelligere. C. S. C.

83. *Accipient te paullatim.*) In eam turpitudinem, laberis, qua nitet se sacerdotes Minervæ vivunt. Sicque Poeta descendit in reprehensionem sacerdotum, quorum collegium (auctore Tranquillo) Minervæ in Albano Domitianus instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & ludos scenicos. Horum epulas, luxum, mollitiem scenicam, & reliqua turpia insectatur, ostenditque eos nihil differre a mulieribus colentibus *Bonam Deam*, aut a sacerdotibus *Cotyttia* celebrantibus: gulamque eorum maxime reprehendit, qui lautissime epularentur. Unde & a Martiale dapes lautæ *Albanæ* appellantur. Denique indignatur ex sacerdotibus quendam cornicini, cujus opera in ludis illis Albanis utebantur, nupsisse. Omnis ergo Poetæ fremitus est in turpitudinem & mollitiem sacerdotum Albanorum.

83. *Qui longa domi redimicula.*) Ostendit eos a mulieribus non esse absimiles, quæ celebraturæ sacra *Bonæ Deæ sumunt redimicula*, id est ornamenta & vincula capitis convenientia sexui muliebri, & monilia aptant collo. Idem, inquit, faciunt isti sacerdotes in Albano, ut more mulierum sacrificia colant *Bonæ Deæ*, & quod proprium est mulierum, sibi usurpent. Nam sacra *Bonæ Deæ* fiebant, ut scribit Plutarchus *in vita Ciceronis & Cæsaris*, quotannis in domo Maximi Pontificis pro salute populi Romani: Iis neminni viro interesse licebat, a mulieribus tantum celebrabantur.

Unde Cicero *in Oratione in P. Clodium* sic: *Hominemque eum, qui pulvinaribus Bonæ Deæ stuprum intulerit, eaque sacra, quæ viri oculis, ne imprudentis quidem, aspici fas est, non solum aspectu virili, sed flagitio stuproque violarit.* Alii tamen ita interpretantur, non quod *Bonam Deam* illi sacerdotes colant, sed quod illorum ritus & ludi scenici nihil pæne differant a sacris Bonæ Deæ, quæ mulieres operantur. *Deam* autem *Bonam* etiam Majam & Terram dixere, eandemque etiam Faunam, Opem, & Fatuam. *Bonam*, quod omnium nobis ad victum bonorum caussa est: *Faunam*, quod omni usui animantium faveat: *Opem*, quod ipsius auxilio vita constet: *Fatuam* a fando, quod infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram.

86. *Abdomine.*) id est sumine. Plin. *lib.* XI. *cap.* XXXVII. ait, antiquos vocavisse *abdomen*, quod nunc *sumen.* [Gr.]

87. *Sed more sinistro.*) Sed in his sacris contrario se gerunt ritu. Nam quum sacra a mulieribus tantum celebrentur, ipsi contra ritum sacrorum eas excludunt, & soli inter se molles & effœminati celebrant.

87. *More sinistro.*) More contrario, quum a mulieribus soleant excludi mares, ita ut ne effigiem quidem maris in eo loco sit fas conspici. Nam & picturæ marium velis integebantur. unde alibi:

Testiculi sibi conscius unde fugit mus.

Varro enim tradit, eam adeo pudicam fuisse, ut extra Gynecium nunquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, vel a viro visa sit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur.

89. *Ite profanæ! clamatur.*) Jubent, inquit, magno clamore mulieres abesse.

89. *Profanæ.*) *Sacer* & *profanus* vocabula sunt contraria. *Sacrum* enim est (ut Tribatius *lib.* I. *de religionibus* refert) quicquid est, quod Deorum habetur. unde Virgilius, hujus definitionis memor, ubi *sacrum* nominavit, admonitionem Deorum pæne semper adjecit:

Sacra Dodoneæ matri Divisque ferebam.

Item:

Sacra Jovi Stygio quæ rite incepta paravi.

Profanum omnes pæne consentiunt id esse, quod *extra fanaticam* caussam sit, quasi *porro a fano*, & religione secretum. unde *ad Herennium: Locus quæritur celebris, an desertus, sacer an profanus, publicus an privatus?* ubi liquido ostendit vocabula esse opposita. *Porphyr.* exponens illud Horatii: *Odi profanum vulgus*, ait *profanos* eos dici, qui sacris initiati non sunt, qui fanum intrare non poterant.

90. *Gemit*

90. *Gemit heic tibicina.*) Nam in ejus sacris adhibebantur modulationes, & tibicinæ canentes cornibus. Sed heic, inquit, non sunt tibicinæ, non sunt mulieres, sed viri tantum.

91. *Talia Orgia.*) Ostendit Poeta eorundem sacerdotum mollitiem nihil differre a sacerdotibus *Deæ Cotyttus.* Non dissimilia, inquit, sunt sacrificia, quæ sacerdotes instituti a Domitiano Minervæ in Albano colunt, ab iis, quæ feruntur ab Atheniensibus culta, quæ *Cotyttia* appellata sunt. Nam Athenienses instituerant *Cotyttia* sacrificia peregrina sumta a Thracibus, quæ nocturnis pervigilationibus celebrarentur, in quibus impudica turpiaque multa fiebant. De quibus videtur intellexisse Horatius in *Epodis*:

Inultus, ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Caninia enim saga minatur Horatio, quia talia sacrificia ei commissa ridens divulgaverit. *Cotyttia* autem, ut scribit *Porphyrius*, *sacrum* Cupidinis esse dicitur, quia maleficia hæc, quæ per inferna sacra fiunt, ad amorem pertineant. unde apparet & hos sacrificos talia sacrificia, ut impudica & ad amorem pertinentia tractare. His ritibus pervigiliisque *Deam Cotytto* præesse voluerunt, & proinde *Cotyttia* nominata sunt. unde Strabo sic inquit: *Athenienses autem sicuti reliquis in rebus hospitum & externorum studiosi persliterunt, sic & in Deis. externa enim multa suscepere sacra, ita ut in comœdiis complura, & Thracia, & Phrygia decantata sint.* Eam tamen Deam alii *Cotytto*, alii vero Cotyn appellavere. Unde Strabo *libro x. Similia*, inquit, *sunt, quæ apud Thraces celebrantur, quæ Cotyttia & Bendidia, apud quos & Orphica initium habuerunt.* Ipsam sane *Cotyn*, quæ *Edonis* colitur, & ejus instrumenta memorat Æschylus. sic & Synesius appellat his verbis θαῤῥῶν ἀπόφαινε τὸν ἄνδρα ἡμίγυνον αὐτίκα ἑταῖρον καὶ θιασώτην τῆς Κότυος. *Confidens demonstra virum semimarem statim sodalemque Cotys.* quem locum exponens Suidas *Cotyn* Deam coli ait turpium præsidem. Alibi tamen idem Synesius *Cotytto* appellat, ubi ait: Ἑρμῇ μὲν καὶ Ἡρακλεῖ τοῖς παλαίστρας ἐφόροις οὐδὲ καθ' ὁτιοῦν προσήκων· Κοτυττοῖ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀττικοῖς κακοτεχνίαις λατρεύων. id est: *Mercurio quidem & Herculi palæstra præfectis nunquam congruit. Cotyttoni autem, & aliis apud Atticos despicatissimis administrat.* quibus verbis declaravit eum, de quo agit in Epistola, fœdissimis esse moribus, qui *Cotyttoni* inserviat. Contra igitur hæc nocturna *Cotyttia Eupolis* Poeta comicus, ut referunt quidam commentatores Aristophanis, scripsit comœdiam, quam *Baptas* appellavit. de qua sic Platonius meminit, ubi de comœdiarum differentiis agit: ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας, ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλατταν ὑπ' ἐκείνων εἰς οὓς καθῆκε τοὺς Βάπτας. *Scimus*, inquit, *Eupolim, quum Baptas fabulam docuerit, ab his ipsis in mare submersum, contra quos Baptas emiserat.* Lucianus quoque in ea oratione, quæ inscribitur *ad ineruditum multos emitantem libros*, in hanc ferme sententiam: *Dic mihi*, inquit, *etiamne Aeschinis orationem adversus Timarchum legis, an vero omnia illa scis, & nosti singula? Aristophanem vero & Eupolim subisti, Baptas integram fabulam perlegisti?* unde etiam Probus sic scribit: *Baptæ comœdia*, inquit, *fuit, in qua Eupolis inducit viros Athenienses ad initiationem fœminarum saltantes lassare psaltriam Cotytto.* Cotytto apud Athenienses *psaltria*, quam effœminati colunt noctu illam adeuntes. [*Gr.*]

91. *Orgia*) proprie dicuntur sacrificia Bacchi. ὀργιάζω enim *Orgia celebro.* unde Strabo *lib. x.* scribit sic: *Plurimi igitur Græcorum totum ceremoniale negotium, quod Orgia vocantur, Bacchanaleque, & Choricum & sacrorum mysteria Libero patri attribuerunt. Ceterum tamen orgia pro omnibus ceremoniis capiuntur.* unde idem Strabo: *Cybelen præcipuo venerantur honore, ejus orgia frequentantes.*

91. *Secreta tæda.*) id est Mystica face, nam noctu talia sacrificia peragebantur.

92. *Baptæ.*) Sacerdotes molles & effœminati, a quibus forte *Eupolis* denominavit comœdiam suam, a βάπτω, quod significat *tingo & lavo*, quod qui sacris initiabantur, *lavarentur* aqua calida primum. Aristophanes: *Primum ex ritu veteri me laverunt.*

92. *Lassare.*) Nam in sacris saltantes fictam fortasse personam *Cotyttus* lassabant. Probus, ut diximus, ait fuisse *psaltriam*, quam effœminati Athenienses noctu colunt eam adeuntes.

92. *Cecropiam.*) Atticam a *Cecrope* rege, qui primus Atheniensium rex regnavit in Attica ante Deucalionis tempora, quem omnis antiquitas fabulata est biformem fuisse, quia primus marem fœminæ matrimonio junxit.

93. *Ille supercilium.*) Mollitiem adhuc insectatur in iisdem sacerdotibus, qui more mulierum decoris essent studiosi. *supercilia* enim fuligine denigrabant, quod solitum fieri ostendit Plinius *lib.* XXVIII. ubi ait: *Capilli defluvia ursinus adeps, misto ladano & iantho continet, alopeciasque emendat, & raritatem superciliorum cum fungis lucernarum, ac fuligine, quæ est in rostris earum.*

94. *Producit.*) Extendit & emendat.

94. *Obliqua acu.*) Calamistro.

94. *Pingit.*) Oculos enim sibi tingebant. Plinius in *lib.* x. *Palpebræ in genis homini utrinque, mulieribus etiam infectæ quotidiano; tanta est decoris affectatio,*

 ut

ut tingantur oculi quoque. Ovidius *in Arte amandi:*

Nec pudor est oculos tenui signasse favilla:
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.

per *oculos* igitur intellige genas, quæ inficiebantur. Unde Divus Cyprianus in tractatu, *de Habitu Virginum*, de impudicis viris sic scribit: *Illi docuerunt & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, &c.* sic & Divus Hieronymus ad matrem & filiam in Gallia commorantes scribit: *Oculos stibio linit.*

95. *Ille.*) Alius ex Sacerdotibus.

95. *Vitreo Priapo.*) Nihil, inquit, omittunt, quod ad mollitiem nequitiamque pertineat. Nam & poculis utuntur in convivio effigiatis instar inguinum, quam obscœnitatem notat Plin. *lib.* XIV. loquens de ebrietate: *Jam vero, quæ vasa adulteriis cælata? tanquam per se parum doceat libidinis temulentia: ita vina ex libidine hauriuntur.* [Gr.]

96. *Reticulumque.*) qualibus & nostris temporibus matronæ utuntur & aureis & sericeis. De eo sic Lampridius: *Matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo, atque inauribus, & Bacchat monili.* genere masculino protulit Plin. *lib.* XII. ubi de natura thuris: *Persona adjicitur capiti, densusve reticulus.* Nam apud veteres capillos puellæ, aut humeris diffluentes, aut reticulo collectos gestare consueverunt. Propertius:

Nec de more comæ per lævia colla fluentes.

97. *Rasa.*) Vestimenta, quæ pilo carerent. Nam absolutum positum est *rasa*, & numero plurali. apud priscos in usu fuit *Toga rasa* & *pexa*, quæ contrariæ erant. Nam *rasa* sine pilis erat, *pexa* vero villosa. De quibus sic Martialis:

— *Rasam tu mihi mitte togam.*

Et alibi:

— *Togamve pexam.*

Plinius item scribit *Lanam Histriæ Liburniæque lino propiorem, quam lanæ esse, alienam pexis, & quam sola ars scutulato textu commendat.* ita ut bene conveniat togæ rasæ, quæ scutulato textu conficiebatur, id est brevibus scutis distinguebatur.

97. *Galbana.*) *Galbanum* genus est coloris albi, ut aliqui putant, & sublucidi, quod mollium & delicatorum fuisse ostendit non solum Juvenalis, sed & Martialis, quum hominem muliebriter indutum *galbanatum* appellat. [Gr.]

98. *Et per Junonem domini.*) Omnia, inquit, faciunt, quæ mulierum sunt, ut etiam non per Genium, sed per *Junonem Domini* jurent servi. Nam placuit quibusdam, ut auctor est Senec *Epistola* CXI. *unicuique nostrum pædagogum dari Deum: non quidem primarium, sed hunc inferioris notæ ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos.* Stoici vero affirmarunt singulis & Genium & Junonem dari. unde & *Plin. lib.* I. *cap.* VII. sic inquit: *Quamobrem major cælitum populus etiam, quam hominum intelligi potest: quum singuli ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones Geniosque adoptando sibi.* ex quo videtur innuere mares consuevisse per *Deos* masculos, fœminas vero per *Deas* jurare. unde Poeta ait, sacerdotes ipsos more fœmineo *per Junonem* jurare, sicuti jurat sive imprecatur Quartilla apud Petronium: *Junonem meam iratam habeam! si unquam me meminerim virginem fuisse.* Licet Socrates apud Platonem, *in Gorgia*, juret *per Junonem*, ita ut de hoc adhuc quærendum censeam.

99. *Ille tenet speculum.*) Ex sacerdotibus, inquit, alius tam grande habet speculum, quo se polit, quam grande fuit illud Othonis, quo se in acie videbat. De quo ita & Sidonius Apollinaris:

Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat,
Hinc turpis, quod pulcer Otho. —

Idem alibi:

Galbam sternis Otho speculo, qui pulcer haberi
Dum capias. —

sicque per transitum mollitiem *Othonis* sugillat, qui, ut scribit Tranquillus, adeo mollis fuit & munditiarum studiosus, ut vulso corpore, & galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & adnexo incederet, ut nemo dignosceret: quin & faciem quotidie rasitabat, & pane madido linebat. Idque instituit a prima lanugine, ne barbatus unquam esset.

99. *Gestamen.*) Appositio est, hoc est, quale solebat gestare *Otho* studiosissimus formæ.

99. *Pathici Othonis.*) id est patientis muliebria. Nam (ut scribit Tranquillus) Neroni consuetudine mutui stupri conciliatus est.

100. *Actoris Aurunci spolium.*) Hoc hemistichium Virgilianum in dedecus dicit *Othonis*, qui non jam ingentem hastam, more Actoris viri fortissimi, portabat, sed ingens speculum, ut mollis & effœminatus: legendumque est ironicos, quasi dicat non jam spolium ablatum hosti, qualis fuit hasta, quam Turnus Actori abstulit. *Æneid.* XII.

100. *Ille*) Otho, *quum iam tolli vexilla juberet*, quum jam in hostes acies dirigeret sublatis signis.

102. *Res memoranda.*) Acclamatio est in derisum Othonis, cum sit non memoranda, sed supprimenda.

102. *Novis annalibus atque recenti Historia.*) Inter *annales* & *historiam* hoc interest: quod *Annales*, quantum potuimus colligere ex verbis Gellii, sunt libri continentes res gestas plurium annorum, observato cujusque anni ordine: unde & nomen accepere. nudi autem sunt & simplices, velutique commentarii, qui bre-

breviter rem complectentes materiam præbeant volentibus scribere *historiam* : neque enim affectus movent : neque alacriores ad remp. defendendam, neque segniores ad rem perperam faciendam annales commovere possunt. *Historia* vero est rerum gestarum narratio, vel demonstratio, dicta ab ἱστορῶ, quod est idem, quod narro. unde Cic. *in* II. *de Oratore. Erat historia annalium confectio : res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi : hique annales maximi nominabantur.* Virg. itaque omnium rerum peritissimus inducit Æneam tanquam pontificem dicere:

Et vacet annales nostrorum audire laborum.

Quum ergo Æneas ut pontifex inducatur, merito *annales* appellat historiam. *Historia*, ut scribit Gellius, qua ratione, quove consilio gestæ sint res, demonstrat. Ex *annalibus* igitur, tanquam ex brevi nudaque materia, sumebatur *historia*, quæ rem uberius perscribit, quæ affectuum plena est. ergo *annales* id omnino sunt, quod *historiæ* : sed *historiæ* non omnino id, quod *annales* sunt, tanquam alterum sit speciale nomen, alterum generale.

103. *Speculum civilis sarcina belli.*) Veluti acclamatio in contemptum tantæ mollitiei : quod inter cetera belli machinamenta speculum quoque gestaretur.

103. *Belli civilis.*) *Bellum* appellat *civile*, quod inter *Othonem* & *Vitellium* gestum fuit ad Bebriacum vicum inter Cremonam & Veronam, ubi duabus Otho cladibus acceptis superatus est. De quo bello & loco Plin. meminit *lib.* X. *cap.* XLIX. *Venerunt in Italiam Bebriacensibus bellis civilibus trans Padum & novæ aves.*

104. *Nimirum.*) Insultatio est in Othonem, ut effœminatum. quasi dicat rem facit monstruosam *Otho*, qui Imperatores de regno ejicit, & cutem more mulierum curat & polit, quasi contraria. Nam quum a Galba adoptari exspectaret, isque Pisonem prætulisset, indignatus ad vimque conversus, eum a suis desertum interemit. *Galba* autem septimus fuit Imperator, qui Neroni successit nullo gradu contingens Cæsarum domum : lege Suetonium. De cæde item *Galbæ* & *Othonis*, & pugna Bebriaca meminit Josephus de Bello Judaic. *lib.* V. *In medio namque Romanorum foro Galba peremto creatus Otho imperator, cum Vitellio imperante pugnabat, quem Germanorum tunc manus elegerat.* Habito autem apud Bebriacum Galliæ prælio cum Valente & Cinna Vitellii ducibus, primo die *Otho* superavit, altero Vitellii milites, multisque trucidatis, & adversæ partis audita victoria *Otho* apud Brixellum semet occidit, postquam biduum, tresque menses imperium tenuit.

105. *Curare cutem.*) Faciem quotidie rasitare, & corpus vellere.

106. *Affectare.*) Appetere, & magna animi cupiditate ad aliquid aspirare. C. S. C.

106. *Spolium palatii.*) ubi sedes erat Imperatorum. Nam primus fuit Romulus, auctore Liv *lib.* I. qui *palatium*, ubi educatus ipse fuerat, muniit. Ex septem enim collibus Urbis fuit *palatium*. Unde Cicero *in Offic.* ait Cn. Octavium præclaram ædificasse in palatio & plenam dignitatis domum. *Palatinam* appellarunt domum Imperatorum. Dictum *palatium*, vel quod ibi pecus pascens *balare* consueverit, ut sit quasi *balantium*. unde Nævius *balantium* appellat : vel quod *palare*, id est errare pecudes solerent, vel quod ibi Hyperborei filia *Palanto* habitaverit : quæ ex Hercule Latinum peperit : vel quod ibi *Pallas* Euandri filius sepultus fuerit : vel quod etiam *Palatini* & *Aborigines* ex agro Reatino : qui appellatur *palatium*, ibi consederint : vel a *Pale* pastorali Dea, ut scribit Solinus.

107. *Et extendere panem*) scil. madidum lacte asinino. Nam, ut scribit Plin. *lib.* XXVIII. *Cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodiri lacte asinino putant. Proinde Poppæa uxor Neronis quocunque ire contigisset, secum sexcentas asellas ducebat.*

108. *Quod nec in Assyrio.*) [*Gr.*] ut ostendat ipsum & fœminis molliorem exstitisse.

109. *Semiramis.*) Nini regis Assyriorum fuit uxor. [*Gr.*]

109. *Orbe Assyrio.*) In ea parte Assyriæ, ubi Babylon est. Nam Babylon ac Nisibus urbes Assyriæ sunt maximæ. quæ autem Assyria antea dicta fuit, postea dicta est Syria terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. de qua abunde Plin. *lib.* V. & Strabo XVI.

110. *Cleopatra*) Ægypti regina, soror illius Ptolomæi, qui Pompejum neci tradidit. Eam primo amavit Julius Cæsar, ex qua puerum suscepit Cæsarionem : mox eam post mortem Julii Cæsaris M. Antonius ardenter dilexit, ex qua liberos duos suscepit: quos Solem & Lunam appellavit. Eum postea adversus Augustum cum exercitu proficiscentem quatuordecim cum triremibus secuta est ad Actium promontorium, ubi commissa pugna, vincenteque Augusto ipsa prior cum suis triremibus aufugit in Ægyptum, quam fugientem Antonius relicto exercitu perditus amore consecutus est. Sicque Augustus potitus victoria in Ægyptum secutus est utrumque. M. Antonius gladio suo seipsum interemit : Cleopatra, ne viva ab Augusto in triumphum duceretur, admotis corpori ser-

serpentibus mortem sibi conscivit. [*Cr.*]

109. *Massa.*) quia victa iam Cæsaris Augusti timebat.

110. *Heic nullus verbis pudor.*) Redit Poeta ad Sacerdotes, de quibus cœperat: ait ergo inter ipsos omnia turpia fieri, nec ullum existere pudorem, quo minus & verbis & factis utantur obscœnis. Nam *pudor* est veluti obstaculum, ne quid turpe faciamus. unde philosophi sic definiunt, auctore Gellio: *Pudor est justæ vituperationis sive reprehensionis timor.*

111. *Turpis Cybeles.*) id est omnia obscœna fiunt heic, id est inter ipsos sacerdotes: qualia fieri solent in sacris Cybeleis, ubi turpissima quæque fiebant, & præcipue solenni die lavationis ejus in Almone fluvio. Nam, ut scribit August. *lib* II. *cap.* III. *de Civitate Dei*, ante Deæ lecticam talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia non deceret matrem scenicorum audire, unde August. subdit: *Illam proinde turpitudinem obscœnorum dictorum atque factorum scenicos ipsos domi suæ proludendi causa coram matribus suis agere puderet, quam per publicum agebant Deorum matre spectante & audiente utriusque sexus frequentissima multitudine.*

111. *Fracta voce.*) Aut molli & effœminata: aut in omnem effusa turpitudinem, sumta translatione ab equis, qui fracto & soluto fræno toto impetu feruntur. Apul. *lib.* VIII. de sacerdotibus deæ Syriæ: *Fracta, rauca, & effœminata voce clamores absonos intollunt.*

112 *Phanaticus senex.*) id est sacerdos non absimilis Gallo sacerdoti Cybelio. Nam *Phanaticus* epitheton est *Galli*, id est afflatus numine: nam spiritu quodam videbantur agi divino, & futura prædicere: unde Horat. *in Sat.*

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

& *in Odis*:

Nam Dyndimene non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Nec Liber æque.

Quum igitur quodam furore divino agantur, caput jactant rotantque crines. Lucanus *in* I.

— Crinemque rotantes
Sanguineum populis cecinerunt tristia Galli.

unde Liv. *lib* XXXVI. scribit: *L. Scipionis legatus classem in Europam ad Sestum oppugnandam trajecit. Jamque subeuntibus muros phanatici Galli primum cum solenni habitu ante portam occurrerunt.*

113. *Rarum ac memorabile.*) Ironicos dictum. quasi dicat raro invenias tam boni exempli magistrum conducendum mercede ad voluptatem gulæ. Nam *exemplum* id est, quod nobis propositum monet, quid nobis fugiendum imitandumve sit. *Exemplum* item dicimus id, quo demonstratur in rebus venalibus, cujusmodi sit ea res venalis. unde *ad Herennium*: *Si mercei ipsi, qui venditant, aliunde exemplum quæritant mercis, aut si acervos dicant se tritici habere, & eorum exemplum pugno non habent, quod ostendant.*

115. *Quid tamen exspectant.*) Ex quo, inquit, vitam agunt obscœnam & muliebrem, nec magis indigent genitalibus, quam Galli, qui castrati erant, quandoquidem nubunt, quid ergo exspectant, cur non castrentur, ut per omnia similes sint Cybeleis sacerdotibus, quos in reliquis imitantur?

115. *Phrygio More.*) More Gallorum sacerdotum Cybeles, qui testa Samia, auctore Plin. virilitatem sibi amputabant, ad imitationem Atys pueri, quem Cybele impudice dilexit. qui cum castitatem suam Deæ promisisset, eamque commisso stupro cum nympha Sagaritide non servasset, & Dea irata supplicium de nympha sumsisset, correptus furore & putans domos ruere, solitudinem petiit, & per summa Dindymi montis Phrygiæ discurrens arrepto lapideo cultro seipsum castravit. Unde Ovidius:

Ah pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc: onus inguinis aufert:
Nullaque sunt subito signa relicta viri.

Catullus tamen aliter scribit, puerum, quum ex aqua Galli fluminis Phrygiæ bibisset, in furorem ex aquæ natura compulsum se castrasse. Tandem e monte in vallem præcipitatum, in arborem pinum conversum esse.

115. *Phrygio.*) Nam Phryges Troesque prope Idam habitantes, auctore Strabone, Deam præcipuo venerantur honore, ejus orgia frequentantes.

116. *Carnem supervacuam*) Superfluam & minime necessariam, quando omnia muliebriter agant & nubant, sicque per irrisionem a Poeta dicuntur

116. *Cultris.*) Non ferreis, sed lapideis. Nam talibus virilia sibi amputabant.

117. *Quadringenta dedit.*) Notat Poeta mores sui temporis, quo multi fronte inverecunda nubebant. unde Martialis:

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro:
Hac qua lege solet nubere virgo viro.

Nupsit & Nero Doryphoro liberto, & Neroni Sporus, auctore Tranquillo. ostendit ergo ex sacerdotibus Gracchum nobilem & potentem virum nupsisse, omniaque fecisse, quæ in nuptiis etiam virginalibus fieri solent, ut *dotem* etiam dederit marito.

117. *Quadringenta sestertia.*) Ac si dicat tantam dotem, quæ capiat etiam summam equitis Romani. Neque enim quisquam haberi poterat inter equites Romanos, qui summam *quadringentorum sestertium* non habuisset. C. Hoc est, ut hodie loquimur, decem millia

millia coronatorum, qua de re *Satyr.* I. copiosius diximus. S.

117. *Gracchus.*) Unus ex sacerdotibus nobilis & potens, quales fuerunt *Gracchi*. Nam *Gracchorum* familia nobilitate præstabat & potentia.

108. *Cornicini, sive hic recte cantaverat ære.*) Hoc in infamiam & dedecus est nubentis. Nam ille, inquit, cui nupsit, fuit aut cornicen aut tubicen: ut ostendat partam omnino ex eâ re trahi infamiam. nam in castris legio habet *tubicines*, *cornicines*, *buccinatores*. *Tubicines* ad bellum vocant milites: & rursum receptui canentes revocant. *Cornicines* & *buccinatores* erant ornamentum totius legionis in ingressu conflictus, & ejus reditu. Quotiens ad aliquod opus exituri sunt milites, soli *tubicines* canunt, & soli milites ad signa eorum obtemperant; quotiens movenda sunt signa, *cornicines* canunt: quotiens pugnatur & *tubicines*, & *cornicines* pariter canunt. Unde illud est Ovid. *in Metamorph.*

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

119. *Signatæ tabulæ*) sunt. nam matrimonium non fiebat sine publica scriptura: unde alibi Poeta:

Si tibi ligitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus. —

Tabulæ autem dicuntur venditionum, emtionum, dotium, & id genus contractuum: unde *tabularium* locus, ubi reponuntur ipsæ *tabulæ*, & *tabularius* ipse tabularum scriptor & notator, quem vulgo *notarium* appellamus.

119. *Dictum Feliciter!*) est, ut sit: *feliciter* cedant nuptiæ. ita enim dici solebat in nuptiarum celebratione. Tranquillus in *Domit.* *In reducenda post divortium uxore acclamari audiit libenter: Domino & Dominæ feliciter!*

120. *Sedet.*) Accumbit. Alii dicunt, *ingens cœna sedet*, id est ponitur: quod mihi non placet. nam *cœna* per Metonymiam, cœnantes et invitatos significat. C. S. C.

121. *Censore opus est.*) Turpitudinem rei dubitatione aggravat: quasi dicat flagitium esse nihilo magis dignum castigatione, quam expiatione.

121. *Censore.*) qui mores corrigit. nam censor præerat moribus civitatis. de quo ita Plutarchus *in vite Paulli Æmilii*: *Censura maxima omnium magistratuum reverentiæ est, plurimæque potestatis, cum in aliis rebus; tum maxime ad morum emendationem. Nam e Senatu removere potest, equitibus auferre equos, notare infamia, censum agere, lustrum condere.* Asconius Pedianus: *Regendis moribus civitatis Censores quinto quoque anno creari solebant: hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur senatu, qui eques Rom. equum publicum perderet: qui Plebejus, in ceritum tabulas referretur & ærarius fieret: ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ.*

121. *Haruspice.*) qui sacrificiis expiet tantum naturæ portentum. *Haruspex* enim is dicebatur, qui inspectis extis victimæ, futura prædicebat portentaque sacrificio expiabat, denominaturque ab *haruga* id est victima; & *haruga* ab *hara* id est stabulo.

122. *Scilicet horreres.*) Cum ea interrogatione legendum est, qua increpamus male intelligentes, quasi dicat: virum viro nubere multo monstruosius est, quam si bos agnum pareret, & mulier vitulum.

124. *Segmenta.*) Ornamenta esse muliebria declarat Valer. Max. *lib.* v. *cap. de Gratis.* *Permisit quoque his purpurea veste, & aureis uti segmentis.* Secundum quod dixit Servius: *Segmentum esse monile, & ornamentum gutturis.* Quod etiam Sidonius comprobare videtur his verbis: *Et illam Sarranis ebriam succis, inter crepitantia segmenta palmatam convenustavit*: quibus verbis ostendit ornamenta esse, quæ constarent aut argento, aut auro, aut margaritis, aut preciosis lapillis crepitantibus. Juvenalis:

Et segmentatis dormisset parvula cunis.

Plinius *lib.* VII. ostendit *segmenta* significare circulos: *Plura autem sunt segmenta mundi: quæ nostri circulos appellavere, Græci parallelos*: vocabulum autem deductum est a *secando*, sicut & *segmina*.

124. *Longos.*) Muliebres.

124. *Flamea.*) *Flameum* veli genus erat, coloris lutei, quo caput novæ nuptæ velabatur.

125. *Sacra ferens.*) Nobilem esse ostendit sacerdotem, qui nupsit. Nam *Salii* sacerdotes Martis ex nobilioribus tantum creabantur: sicque ostendit Poeta eum, qui in monte Albano sacerdos sacra Minervæ ministrabat, & nupserat antea, Matris Deum sacerdotem exstitisse.

125. *Qui Sudavit clypeis ancilibus.*) hoc est, clypeis, quæ *ancilia* sunt appellata, de quibus talis exstat historia. Regnante Numa Pompilio, e cœlo in terram decidit breve scutum ex ære, dictum *ancile*, quod undique *recisum*: unde Ovid. *in Fastis:*

Atque ancile vocant, quod ab omni parte recisum est:
Quaque oculis spectes, angulus omnis abest.

et una vox edita, *omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea servaretur.* Rex igitur, ne furto locus esset, adhibito fabro Mamurra, jussit ad illius similitudinem undecim alia scuta fieri, simulque misceri, ne cœleste internosci posset, adhibitique sunt sacerdotes Salii duodecim, qui *ancilia* ferrent, ac per Urbem irent canentes carmina cum tripudiis solennique saltatu: unde & nomen accepere. hi autem Marti erant consecrati: eorum primus *præsul* vocabatur, auctore Plin.

125. *Arcano loro.*) Quod nulli alii liceret ferre & pertractare, quam Salio.

126. *O pater Urbis.*) Exclamatio est, qua & rei indignitas, & indignatio Poetæ exprimitur.

126. *Pater Urbis.*) sc. Mars: ex quo & Ilia Rhea Numitoris filia nati sunt, Romulus & Remus Urbis conditores.

127. *Unde nefas tantum.*) id est tanta morum pravitas, ut vir viro nubat.

127. *Latiis pastoribus.*) Romanis, qui a pastoribus originem traxerunt: & qui omnium antea voluptatum ignari fuerunt, ut rudes & agrestes pastores. De quibus scribit Varro: *Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quis non dicit? quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum & Remum educavit? non ipsos fuisse pastores obtinebit?* Sicque Poeta fœdam sui temporis mollitiem notat.

128. *Hæc urtica.*) Hic libidinis pruritus, ut etiam viri nubant.

128. *Gradive.*) Mars, quia *gradatim*, & per ordines eatur in bellum. [Gr.]

131. *Quereris patri.*) id est, nec quereris apud Jovem patrem tuum de luxuria & mollitie Romanorum.

131. *Vade ergo.*) Acri indignatione dictum.

131. *Campi severi.*) *Campi Martii*, in quo comitia fiebant, & magistratus creabantur, militesque novi exercebantur, ut dicemus illic:

— *Aut vulnera pali.*

132. *Officium.*) Ad irrisionem, contemtumque temporum suorum hoc dicit, quibus multi abjecta verecundia nubebant: Introducta est persona, quæ ostendat operam sibi dandam esse viro nubenti.

132. *Officium.*) Nemini dubium est *officium* dictum esse ab *efficiendo*, ut id sit, quod unusque teneatur efficere: unde Cicero librum suum *de Officiis* inscripsit: quod ibi doceat, quid in omni rerum actione sit *efficiendum*. Est ergo sensus: quoddam mihi negotium curandum ex officio est. Tranquillus *in Caligula*: *Liviam Orestillam, C. Pisone nubente, quum ad officium & ipse venisset ad se deduci imperavit.*

133. *Primo sole.*) Primo ortu solis.

133. *In valle Quirini.*) Utrum ad *templum Quirini*, de quo meminit Plinius *lib.* XV. *cap.* XXIX. an ad *porticum Quirini*, id est Romuli? [Gr.] *Quirinus* autem dictus est Romulus, sive ab *hasta*, æque *quiris* a Sabinis dicebatur, quia semper armatus incedebat: sive a *Curibus* civitate Sabinorum, quos percusso fœdere in Urbem recepit, populumque a Curibus *Quirites* vocavit, ipsique post mortem eum pro Deo coluerunt, *Quirinumque* appellaverunt. unde Ovid. *in Fastis lib.* II.

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra Deus;
Sive suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis vinxerat ille Cures.

135. *Fient, fient.*) quasi cum suspirio dictum.

136. *In acta referri.*) In libros, quibus describebantur tam privata, quam publica negotia, hoc est quæ ad remp. pertinebant. unde Tranq. *in Tiberio*: *Interim quum in actis senatus legisset, dimissos ac ne auditos quidem quosdam reos.* Idem *in Cæs.* *Fuerat animus conjuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere*, id est libros quibus leges & decreta Cæsaris continerentur. De hoc uberius in IX. *Sat.* dicemus illic:

— *Et libris actorum spargere gaudet*
Argumenta viri. —

137. *Interea tormentum ingens.*) Dum sunt matrimonio conjuncti, nullam tamen ex matrimonio capiunt voluptatem, sed ingentem dolorem, & animi cruciatum, quia quum nuptiæ institutæ sint gratia prolis, & liberi sint pignus amoris inter virum & uxorem, nequeunt parere, & partu, mariti amorem retinere.

139. *Sed melius.*) Ironicws, quasi Poeta eorum incommodis gaudeat.

139. *Quod nil animis.*) In animo quidem habent & cupiunt concipere, sed Natura vetat.

140. *Steriles*) Sine libris, dicuntur a στερέω, quod est privo.

141. *Turgida Lyde.*) Aliqui hoc ad *araneam* referri existimarunt; Alii vero ad *mulierem unguentariam*, ut legatur sic versus:

Turgida non prodest condita pyxide Lyde.

id est, Lyde mulier unguentaria turgida et ventricosa non prodest sterili pyxide condita, id est unguentis plena. Qui autem ad *araneam* referunt, ita exponunt: Lyde turgida, id est, *aranea* tumens in ventre, condita in pyxide, id est inclusa in pyxide, non prodest sterili. Scribit enim Plin. *lib.* XI. ex *araneis*, qui phalangia dicuntur, tricenos vermiculos parere: unde existimatur gestare *araneam* inclusam pyxide, quasi fœcunditatis exemplo prodesse sterilibus, & fieri fœcundas. Sed quia hoc adhuc non est compertum apud idoneos auctores, liceat unicuique dijudicare, quod sit melius.

141. *Lyde.*) Si de *aranea* intelligis, *Arachne* puella fuit *Lydia*, quæ cum Pallade in lanificio ausa concertare, a Dea in *araneam* multis concisa verberibus est conversa. Unde nunc Poeta *Lyde* posuit pro *aranea*.

141. *Pyxide.*) pro vase; ut scribit Quint. *lib.* VIII cujuscunque materiæ, quo vasa unguenta, venaliaque

aque id genus medicamenta recondunt.

142. *Agili Luperco.*) *Lupercalia* ludi erant, in quibus *Luperci* per lasciviam discurrentes pellibus se invicem cædebant. De origine *Lupercalium* varia ab Auctoribus traduntur. Sed, quod sensit Ovid. *in Fastis* sequemur. Romani, inquit, beneficii memores, quod lupa nutriendis infantibus Romulo & Remo præstitit, templum illi ad ficum ruminalem exstruxerunt, quod *Lupercal* est appellatum:

Venit ad expositos mirum, lupa fœta gemellos &c.
Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercal,
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Ejus templi sacerdotes, auctore Varrone, *Luperci* dicebantur, rem divinam nudi agebant, nec in templo solum, sed per vicos Urbis ac compita discurrentes. sed præter sacerdotes licebat omnibus, tam viris quam mulieribus, ludos celebrare: unde scribit Plut. M. Antonium nudum in *Lupercalibus* curru per Urbem fuisse vectum a matronis & virginibus omnia membra nudatis. Erat mos, ut Luperci discurrentes pellibus obvias quasque fœminas verberarent, existimantes talibus verberibus fœcundas fieri. Unde et *Crepi* sunt dicti, auctore Festo, a *crepitu* pelliculanum, quem faciebant verberantes. De his autem *Liv.* in *lib.* I. Plut. *in Romulo, in M. Antonio, in Problematis*, Varro, Divus Augustin. Valerius *lib.* II. ubi de *Institutis antiquis* scribit, sic tradit: *Lupercalium mos a Romulo & Remo inchoatus est, tunc quum lætitia exultantes, quod iis avus Numitor rex Albanorum eo loco, ubi educati erant, Urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander Argeis consecraverat, facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate ac vino largiore provecti divisa pastorali turba cuncti ovinis pellibus immolatarum hostiarum jocantes gestuerunt.* Aliqui vero putarunt dicta *Lupercalia* a lupis *arcendis*, quod tali sacrificio, quod in honorem *Panos* Dei Arcadici celebrabatur, *lupi* a pecoribus *arcerentur.*

142. *Præbere palmas*) verberandas, ut fiant fœcundæ. Nam id putabant maxime ad fœcunditatem pertinere. Unde Ovid.

Nupta quid exspectas? non tu pallentibus herbis,
Nec prece nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optatum nomen habebit avi.

143. *Vicit & hoc monstrum.*) Hactenus de *Sacerdotibus*: nunc de polluta Nobilitate ludis gladiatoriis, & opera scenica. Nam temporibus Poetæ, quum Domitianus edidit pugnas virorum & mulierum, multi nobiles illic præstiterunt operam, unde Poeta *Sat.* VIII. in eosdem:

— Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.

Nam Nero, ut scribit Tranq. & Eusebius, exhibuit ad ferrum quadringentos senatores, sexcentos equites Rom. Domitiani vero tempore nobiles non coacti, sed jam antea sub Nerone educati inter ludos scenicos sponte in theatrum veniebant, quod Juven. conqueritur etiam alibi:

— Cytharœdo principe natus
Nobilis hæc ultra, quid heri nisi ludus? —

per *Gracchum* autem, ut supra diximus, nobilem & potentem intelligit. Alibi:

— Cum Graccho jussus pugnare secutor.

Nam *Gracchorum* domus nobilitate præstabat, & potentia populari seditione comparata. Dicendo autem Poeta:

Vicit & hoc monstrum. —

ostendit turpius quiddam esse virum ad artem scenicam descendere & digladiari, quam nubere. neque enim quicquam existimabatur flagitiosius, quam ludis scenicis arenaque fœdari. Tranquil. in *Tiberio*: *Ex juventute utriusque ordinis profligatissimus quisque, quo minus in opera scenæ arenæque edenda senatusconsulto tenerentur, famosam judicii notam sponte subibant.* unde, Corn. Tacitus: *Cautum severe, ne equites Rom. ludo & arena pollluerentur.*

143. *Vicit.*) Superavit rei turpitudine.

143. *Hoc monstrum.*) ut vir nuberet viro. *Monstrum* appellatur, quicquid est præter naturam, a *monstrando*, quod aliquid futurum *monstret* terrificum.

143. *Fuscina*) Telum erat retiarii. Nam gladiatorum alter dicebatur *retiarius*, alter *mirmilo*, sivo *secutor*. *Retiarius fuscinam & rete* gestabat, quo *mirmilonem* implicitum caperet, unde inferius:

— Cujus nunc munere retia misit.

Nam in summitate galeæ *mirmilonis*, qui adversus *retiarium* pugnabat, piscis erat effigiatus, in quem *retiarius* rete immittens dicebat: *Piscem peto, non te peto*: *fuscina* item instrumentum est ferreum instar tridentis, ad capiendos pisces.

143. *Tunicati.*) *Tunica* vestis erat, auctore Marcel. sine manicis. ea utebantur gladiatores *retiarii*, ut fortasse ad dimicandum essent expeditiores. Tranquil. *in Caligula*: *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine ullo totidem secutoribus succubuerant: quum occidi juberentur, unus resumta fuscina omnes victores interemit.*

145. *Generosior Capitolinis.*) Nam *Capitolinorum* familia nobilissima fuit, ducta origine ab *Marco* illo *Manilio*, qui *Capitolium* a Gallis obsessum servavit. Nam quadam nocte clangore anseris excitatus, Gallos ascendentes dejecit, *patronus* a civibus appellatus, verum

 postea,

postea, quum affectati imperii reus factus esset, de saxo Tarpejo præcipitatus est.

145. *Marcellis.*) *Marcellorum* familia duobus maxime *Marcellis* claruit. altero quartum consule, altero qui Hannibalem vicit, de quibus Plutarchus.

146. *Catulis.*) Nam & *Catulorum* familia fuit antiquissima, principiumque Nobilitatis accepit a Q. *Catulo Luctatio*, qui primo bello Punico trecentis navibus adversus Carthaginenses profectus, inter Siciliam & Africam sexcentas eorum naves commeatibus, & aliis oneribus impeditas, duce Hamilcare, devicit, finemque bello imposuit. Fuit item *Q. Catulus Luctatius* temporibus Syllæ & Marii, qui triumphante Mario ex Teutonis, ex Cimbris ipse triumphum gessit, de quo in VIII. *Sat.* pleraque dicemus. Hic ille fuit, a quo (ut testatur Cic. *in oratione de Signis*) *Capitolium* non solum dedicatum, sed etiam magnificentius restitutum, quam antea fuit, quum incendio absumtum fuisset quadringentis & quindecim annis post dedicationem ejus factam ab Horatio Pulvillo consule. Unde est illud Martialis *lib.* v.

Et laudent Catuli Julia templa senes.

De quo etiam sic Tranquillus *in Cæsare*: *Primo prætura die Q. Catulum de refectione Capitoli ad disquisitionem populi vocavit, rogatione promulgata.*

146. *Paullique minoribus.*) *Paulli* nobilitatem acceperunt ab eo *Paullo Æmilio*, quem Pythagoræ (auctore Plutarch.) discipulum fuisse arbitrantur. ille enim primus dictus *Æmilius* ἀπὸ τῆς αἱμυλίας id est a *colloquio & conversatione*, cujus lepore gratissimus erat. Duo autem fuere *Paulli*, qui maxime familiam illustraverunt; quorum alter inito prælio apud Cannas, duce Varrone, maluit mori ex vulnere, quam fugere, quum liceret. Alter vero ejus filius Perseum regem Macedoniæ devicit, duxitque in triumphum cum uxore & liberis. Hujus filius a Scipione filio Africani superioris adoptatus Carthaginem delevit. Hos igitur posteriores *minores* intelligimus, non jam virtute, sed tempore, quemadmodum dicimus *Scipionem majorem*.

146. *Fabiis.*) Familia *Fabiorum* nobilissima fuit: ex ea trecenti & sex, duce Fabio consule, contra Vejentes pugnarunt, & sæpe victoriam reportarunt, tandem hostium insidiis omnes occisi fuerunt. Ovid. *in Fast.*

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos perdidit una dies.

147. *Omnibus.*) id est omnibus nobilioribus, qui in Podio sedebant. Nam in theatris *scena*, *podium*, *orchestra*, & *pulpitum* exstruebantur. Tranquil. *in Nerone*: *Spectavit primum ex parvis foraminibus, deinde toto podio adoperto.* De *podio* lege Vitruvium *lib.* v. *cap.* VII.

147. *His licet ipsum Admoveas.*) Verba sunt Poetæ ad monitorem introductum. Non est, inquit, mirum Domitianum polluere nobiles viros ludis scenicis & gladiatoriis, & turpiter vivere. Non enim credit esse inferos, ubi manes pro meritis puniuntur. potes itaque, o monitor, referre Imperatori omnino inferos esse, & supplicia iis statuta, qui turpiter vixerint: ut sic Domitianum terreat, cujus imperio tam multa flagitiosa fiebant. Nullo modo legi potest *Admoneat* sensus enim non procederet. vult enim Domitianum admoneri *esse aliquos manes*, &c.

147. *His*) *verbis sequentibus*, videlicet *esse aliquos manes*.

147. *Ipsum*) Domitianum. Illud autem attendendum, Domitianum non aliter admoneri, quam si viveret. Nam Poeta mortuos in toto opere (ut diximus) notat, quasi vivant, ut sic doceat, quid aliis faciendum, fugiendumve sit.

148. *Retia misit.*) Gracchus enim fuit *retiarius*, qui in mirmilonem fuscinam & rete tendebat.

149. *Manes.*) Inferos antiqui *manes*, sive *lemures* appellaverunt animas, quum ex corpore humano migrassent: ex quibus (ut Apul. scribit) qui posterorum suorum curam sortitus, pacato, & quieto numine domum possidet, *Lar* dicitur *familiaris*, qui vero propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus in terra vagatione, ceu quodam exillio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis. hunc plerique *larvam* perhibent. Sed dum in corpore nostro sunt, *genii* & *dæmones* nuncupantur.

149. *Subterranea regna.*) Inferos, qui, ut publica est opinio, sub terra sunt, & in centro terræ: ad quod respexit & Virg.

Sed non ante datur telluris operta subire.

id est, inferna.

150. *Contum.*) Lignum cuspidatum, quo utuntur nautæ ad tentandum alvei fundum, & ducendam navem, ac per hoc significat Charonta, quem animas in ulteriorem ripam Stygiæ paludis nave transvehere credidit stulta antiquitas. Virg.

Portitor illeCharon,hi,quos vehit unda,sepulti: &
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba.

150. *Ranas.*) Fictio poetica, quasi ibi in palude sint ranæ.

152. *Nec pueri credunt*) Ita omnes hoc tempore impii sceleratique sunt, ut ne pueri quidem credant *inferos* esse, præter eos, qui nondum lavantur ære, id est, a quibus in thermis non exigitur æs.

172. *Aere lavantur.*) qui sunt impuberes, ab iis enim *quadrans* non exigitur in thermis. imo nec lavantur in publicis thermis. qui lavabantur, *quadrantem* solvebant: Poeta alibi:

Cadere

Cadere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Horatius:

— Dum te quadrante lavatum Rex ibis. —

153. *Curius quid sentit*) Cujus sententiæ credis esse illos illustres viros apud inferos, quum vident manes & animas sceleratorum illuc descendere? quasi dicat hujus sunt sententiæ, ut credant eorum contagione se esse sordidatos & maculatos; ac proinde vellent lustrari & purgari. *Curios* enim pro bonis viris ponit. Nam *M. Curius* exactissimæ fuit abstinentiæ, utpote qui legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapam torreret, *Malo*, inquit, *hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare.*

153. *Ambo Scipiadæ*) Utrum *superior & inferior*: quorum alter Carthaginem fecit tributariam, alter vero delevit? An *Cn. & Pub. Scipiones* fratres, qui in Hispania ingentibus prœliis Hannonem & Asdrubalem fratrem Hannibalis exciderunt, raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa victoria prope cum totis exercitibus Punica fraude oppressi cecidissent. lege Liv. *lib. xxv. Scipiadæ* autem pro *Scipionibus* necessitate metri, quemadmodum & Virg. *Scipiadas geminos* dixit.

154. *Fabricius.*) *Fabricius Licinius* honoribus & auctoritate omni cive temporibus suis fuit major, censu par unicuique pauperrimo: bello Tarentino missis ad Pyrrhum legatis de redimendis captivis, frustra, ut patriam desereret, a rege tentatus est, partemque sibi imperii oblatam repudiavit.

154. *Manesque Camilli.*) *Furius Camillus* patriæ amantissimus fuit. Quum Ardeæ exsularet, quod ei datum esset crimini, quod albis equis triumphasset de Vejis, & prædam inique divisisset; dictus absens Dictator, collectis reliquiis Gallos Senones Capitolium obsidentes improvisos internecione occidit. Pop. Rom. migrare Vejos volentem retinuit.

145. *Quid Cremeræ legio*) CCC. & VI. *Fabios*, de quibus paullo ante dixit, intelligit, qui cum servis & clientibus adversus Vejentes dimicarunt, a quibus insidiis intercepti juxta *Cremeram* fluvium Thusciæ sunt trucidati.

155. *Consumta Cannis.*) Nam juxta *Cannas* vicum Apuliæ quadraginta hominum millia cum Paullo Æmilio altero consule sunt interemta, commissa pugna suasu Varronis collegæ.

156. *Talis.*) id est qualis erat umbra Domitiani.

157. *Cuperent lustrari.*) Purgari, ut maculati contagione illius.

157. *Si qua darentur Sulphura.*) Purificabantur enim antiqui, si quo piaculo essent polluti, *sulphure, aqua, ove, igni, & lauro.* Apul. *lib. xi. Navem summus sacerdos tæda lucida, ovo, & sulphure, solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Deæ nuncupavit.* de purgatione *ignis, sulphuris & aquæ* Ovid. *in Fastis:*

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit, idcirco cum duce purgat oves. [Gr.]

158. *Tædis.*) Purificationem intelligit, quæ fit per ignem. Nam *tæda* arbor est resinam ferens, quæ facile ardet.

158. *Humida laurus.*) Plin. *lib. xv.* scribit honorem lauris habitum in triumphis, quia suffimentum sit cædis hostium & purgatio, ut tradit Massurius. Ovid.

Nuda fit hinc laurus, lauro sparguntur abunde
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.

C. Vide Cœl. Rhod. *lib. vi. cap. xxii.* S.

149. *Illuc, heu! miseri.*) Hoc pendet ex illo versu: *Esse aliquos manes & subterranea regna*, ut sit sensus: Domitianum, omnesque nobiles, qui tam obscœne vivunt, meminisse debere inferos omnino esse, & omnes illuc traduci, ubi pro delictis puniuntur.

159. *Arma quidem ultra.*) Ex stomacho Nobilitatis pollutæ ludis scenicis, & gladiatoriis, nimiaque mollitie fluentis: Quid, inquit, prodest armis & virtute nostra extremas orbis partes esse subactas, quum in Urbe nostra jam neglecta omni honestate committantur vitia, quæ in ipsis Provinciis, quas vicimus, non committuntur, & quamvis tamen quidam externus flagitiose vivat, hoc, inquit, est ex commercio nostro.

160. *Juvernæ.*) *Juverna* insula est Oceani Britannici, de qua Pomp. Mela.

160 *Modo captas.*) Ex historia est. Nam (ut scribit Hieron. *in Chronicis Eusebii*) Claudius Imperator de Britannis triumphavit & *Orcadas* insulas imperio Romano adjecit.

161. *Orcadas.*) *Orcades* inter insulas Oceani Britannici connumerantur, dierum (ut scribit Solinus) septem, totidemque noctium cursu numero tres. Ab *Orcadibus* usque Thylen quinque dierum & totidem noctium est navigatio.

161. *Britannos.*) *Britannia* insula ultra oras Gallici littoris octingentis & amplius millibus passuum longa porrigitur. ut nomen pæne alterius orbis mereatur, a qua Oceanus nominatur *Britannicus.* Virgil.

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

161. *Contentos minima nocte.*) Cæsar *in Commentariis* ostendit, Britannos breviores habere noctes. Illud que prorsus falsum est, quod alii sensere, nullam illic esse noctem æstivo solstitio.

162. *Sed quæ nunc.*) Ea vitia, quæ nos committimus in Urbe nostra, ipsi populi, quos vicimus, non committunt domi suæ.

162. *Populi victoris.*) scilicet Romani.

163. *Et tamen unus Armenius Zalates.*) Astute Poe-

ta ostendit, mirum non esse, si & in Provinciis alia committantur flagitiosa. Nam ex seminario, inquit, Romano scelerum radices ad reliquos propagatæ sunt populos. per *Zalatem* autem *Armenium* intelligit & reliquas gentes externas & longinquas, contagione Rom. esse corruptas.

164. *Armenius Zalates.*) Est enim nomen proprium obsidis. Nam obsides ex *Armenia* traditos fuisse Romanis scribit Corn. Tacitus. Tradebantur etiam aliunde, & præcipue ex nationibus longinquis. Tranq. *in Aug. Quodam muneris die, Parthorum obsides tunc primum missos per arenam mediam, ad spectaculum induxit.* Idem *in Caligula*: *Præ se ferens Dareum puerum ex Parthorum obsidibus.* Quosdam Caligula, ut scribit idem Tranquillus, obsides dilexisse fertur commercio mutui stupri.

164. *Ephebis.*) Nam ἔφηϐος, *puer*, ἐφηϐῶ *pubesco*, ἐφηϐία *ætas* est *prima* adolescentiæ.

165. *Mollior.*) Effœminatior.

165. *Indulsisse.*) Exhibuisse se in turpe obsequium.

165. *Ardenti tribuno.*) Impatienter amanti.

166. *Aspice, quid faciant.*) Veluti exclamatio Poetæ tangentis mores sui seculi.

166. *Obses.*) Is est, qui a patria principibus dari solet, cum honore custodiendus, de fide servanda: unde Festus ait, *obsidem* dictum, quasi *ob fidem* id est propter fidem, quia *ob fidem* patriæ præstandam datur.

167. *Heic fiunt homines.*) Ironicos, id est heic fiunt homines scelerati.

167. *Nam si longior.*) Si forte pueri externi diutius Romæ manserint, statim aderunt, qui eos ament: mittantque munera, quibus soleant delectari etiam domi suæ. Talibus enim rebus facilius, quam pecunia videntur capi posse. Aliqui ita exponunt: *Mittentur brachæ, cultelli*, pro omittentur & relinquentur vestimenta, quibus in patria utebantur, & studia exercendorum equorum, & virilis disciplina dediscetur, reportabuntque in patriam mores Romanos perditissimos. placet magis intelligas ab amatore adolescentulis obsidibus mitti talia munera, quibus in patria sua delectantur; sicque muneribus corruptos in omnem turpitudinem Romanam labi, domumque & in patriam tales mores Romanos reportare.

169. *Brachæ.*) *Brachas* scribit Diodorus esse vestes, quas Galli ad terrorem intonsas, & varii coloris gerunt, easdemque Græcos *anaxyridas* vocare. Corn. item Tacitus a Diodoro non dissentiens ait: *At Cæcina, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia & coloniæ in superbiam trahebant: quod versicolori sagulo brachas barbarum tegmen indutus, togatos alloqueretur.* Brachas item docet Suet. *in Cæs.* vestes esse: quum ait: *Gallos Cæsar in triumphum ducit, Iidem in curia Galli brachas deposuerunt: latum clavum sumserunt.* Flavius Vopiscus *in Aureliano*: *Inter hæc fuit Tetricus brachis Gallicis ornatus.* C. Brachas sunt, qui intelligant *fœminalia*, sive *fœmoralia* fuisse, quibus quoniam uterentur Galli, *brachati* dicti sunt, & Gallia *Brachata*: vide Baysium. S.

169. *Flagellum*) quo equi excitantur ad cursum.

170. *Sic*) per commercia Romanorum, & moram manendi in Urbe.

170. *Mores prætextatos*) Aut mores Romanos, i. qualibus instructi sunt nobiles Romani, quum *prætexta* habitus fuerit Romanorum, &c, ut testatur Asconius, honestiorum, & toga viliorum. Unde Sen. *ad Lucil. Parem autem Deo pecunia non faciet, Deus nihil habet, prætexta non faciet, Deus nudus est.* *prætextam* item diximus vestem fuisse, qua puerilis ætas uteretur usque ad XIIII. *annum*. Erat etiam magistratuum, sed non tribunorum: aut *mores prætextatos*, i. sordidos & obscœnos, unde Suet. *in Vesp. Erat enim dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis, ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.* Nam *prætextatum sermonem* veteres dixerunt obscœnum, ab eo dictum; quod *prætextatis* nefas fit obscœno verbo uti. alii dici existimant, quod quum in nuptiis a sponso & sponsa *prætextæ* deponerentur, a multitudine puerorum obscœna clamarentur. Macrob. *in Saturn. prætextata verba* obscœna esse ostendit his verbis: *Hæc nobis sit literata lætitia, & docta cavillatio, vice planipedis, & Subulonis impudica & prætextata verba jacentis, ac pudorem, ac modestiam versus imitata.*

170. *Artaxata.*) id est In provincias suas. *Artaxata* sita juxta Araxem flavium caput gentis. eam urbem imperante Nerone Corbulo, quum bellum adversus Tiridatem regem Armeniæ gereret, delevit æquavitque solo, quia teneri non poterat sine valido præsidio ob amplitudinem mœniorum.

IN SATYRAM III.

Quamvis digressu.) Reprehensurus Poeta hac satyra varia Urbis vitia, illud imprimis, maximeque Græcis servilibus assentatoribus: introducitque *Umbritium* haruspicem sui temporis amicum suum, parantem ob pravitatem morum ab Urbe discedere: cui ad notanda vitia dat partes suas. Ait ergo Poeta: Quamvis non possim non commoveri, quod amicus meus Umbritius ab Urbe discedat, tamen habita discessus ratione laudo ejus consilium, quod relicta urbe Roma, statuat migrare Cumas.

1. *Confusus.*) Quamvis sim totus perturbatus & commotus. Nam *confundi* est contristari & commoveri. Valerius *lib.* III. *Alcibiades interrogavit Periclem avunculum, quid ita tantam in vultu confusionem gereres?*

1. *Amici*) Umbritii. haruspicem fuisse docet *Plin. lib.* x. *cap.* XII.

2. *Cumis*) *Cumæ* in Campania civitas est, quæ antiquitate cunctas & Italiæ & Siciliæ urbes antecessit, quam Hippocles Cumæus & Megasthenes Chalcidensis condiderunt, quia ex re *Cumæ* nuncupantur, a Cumæis, qui ex Eubœa venerant. Nonnulli *Cumas* ob κύματα, id est *fluctus* nomen duxisse memorant. littus enim proximum frequentibus abundat tergoribus, quibus illisæ fremunt undæ. Hæc Strabo *lib.* v. Ibi sacellum, auctore Solino, fuit Sibyllæ, quæ *Cumæa* est cognominata.

2. *Vacuis*) Non tam plenis hominum, quam est Roma, ut sit honesta ratio illic habitandi. C. Aut *vacuis*, id est otiosis, & quietis, & liberis a curis. Sic Cicero dicit *habere dies vacuos*, & item *esse animo vacuo. Ita*, inquit, *de Clar. Orat. hunc prælegimus diem, cum te sciremus esse vacuum*, id est, otiosum, & minime occupatum, aut negotiosum. S.

3. *Sibyllæ.*) Nam illic, ut dixi, sacellum habebat *Sybilla*, nomen est autem officii, non proprium: nam antiqui *Sibyllas* appellavere omnes puellas, quæ numine afflatæ Deorum concilia enunciarent, σιὸς enim Deum significat & βυλὴ consilium, quasi σιὸς βυλή.

4. *Et gratum littus.*) id est Totus ille tractus littoralis, qui est inter Bajas & Cumas amœnissimus est. Nam de Cumæo littore intelligit: quum dicat Cumas esse *Januam Bajarum*, & *littus amœnum.* Illud denique constat omnium siquidem non modo Italiæ tantum, sed pæne toto orbe terrarum pulcerrimam Campaniæ plagam esse, nihil hospitalius illo mari. Heic illi nobiles portus Cajeta, Misenus, tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus & Avernus quædam maris Ostia: Heic amicti vitibus montes.

5. *Janua Bajarum*). id est: Cumæ civitas est janua Bajarum, ut euntibus Bajas ab urbe Roma, necesse sit Cumis iter facere, & ita est tanquam quædam janua, quæ excipiat & emittat proficiscentes od oppidum Bajas. Eo multi Rom. tempore æstatis animi caussa migrabant. Ibi enim erant calidæ aquæ, & ad voluptatem, & ad sanandos morbos accommodatissimæ. Horat.

Nullus in Urbe locus Bajis prælucet amœnis.

Bajas, inquit Seneca *ad Lucilium, sapiens vir nunquam eliget, quæ diversorium vitiorum esse cœperunt, illic sibi plurimum luxuria permittit. Bajæ* autem civitas est Campaniæ: a socio Ulyssis *Bajo* illic sepulto cognominatæ. Silius Italicus:

Trimores adsunt Capuæ, docet ille, tepentes,
Unde ferant nomen Bajæ comitemque dedisse,
Dulichii puppis stagno sua nomina monstrat.

5. *Ego vel Prochytam præpono Suburræ.*) Anthypophora est, quasi aliquis dixerit: *Cumas* locum esse desertum, & parum frequentatum, & ipse respondeat: Ego autem Prochytam, quasi dicat vilissimum quemque locum præpono Suburræ regioni urbis Romæ frequentissimæ. Nam *Prochyta* insula est in littore Campano, de qua ita Plinius: *Inarimes mons fuit, qui terræ motum passus alteram fudit insulam, quæ Prochyta ab effusione dicta est.* Nam προχεῖν effundo significat. Ovidius:

Inarimen, Prochytamque legit. —

Strabo *lib.* VI. sic scribit: *Prochyta & Pithecusæ avulsæ de terra partes sunt: eodem modo & Capreæ.*

5. *Suburræ.*) Ac si dicat amœniori etiam loco Urbis. Nam regio erat, ut diximus, celebratissima in Urbe.

6. *Nam quid tam miserum.*) Ratio, quare pluris faciat hæc loca tam deserta, quam Romam: nam quid, inquit, tam solitarium vidimus, ut non sit longe melius illic esse, quam Romæ, ubi quotidie multa varii generis pericula, & incommoda omnibus imminet, præcipueque pauperibus?

7. *Horrere incendia.*) Quæ crebra in Urbe videbantur non sine multorum calamitate: nam imperante Nerone centum triginta duæ domus, insulæ quatuor, sex diebus, ut scribit Seneca, arsere.

7. *Lapsus assiduos.*) Assiduas ædificiorum ruinas.

8. *Sævæ urbis.*) Magnæ, aut sævæ, ubi quotidie sævia multa acciderunt, & crudelia.

9. Et

9. *Et Augusto recitantes mense Poetas*) *audire*: nam & hoc inter alia Urbis incommoda connumerat, refertur enim ad fastidium audiendi Poetas passim recitantes, ut dicat nihil quidem tam solitarium esse tamque desertum, quod non putes esse deterius perpeti Urbis incommoda, ubi horremus incendia, denique cogimur audire poetas recitantes, etiam mense Augusto, qui nobis occurrentes velint audiri. *Mense* autem *Augusto* dixit ex stomacho, quasi dicat eo tempore, quo Romani migrant. ut sit sensus: civitas nunquam est adeo civibus exhausta, quin semper habeas Poëtas, qui *mense Augusto*, quum omnes fere migrarunt, recitatione sua te vexent, nam ut diximus, initio operis, non sine molestia audiebantur.

10. *Rheda.*) Genus est vehiculi, vocabulum est auctore Quint. *lib.* 1. Gallicum, sicut & petoritum, quorum altero usus est Cicero, altero Horat. *in Sat.*

— *Atque caballi*
Pascendi, ducenda petorita. —

Est autem & *petoritum* genus vehiculi, quod vulgo *carrum* dicitur, auctore Porphyr.

11. *Substitit.*) Restitit exspectans rhedam.

11. *Ad veteres arcus.*) Aliqui intelligunt *arcus*, quos Romulus construxerat lateritios, quos postea Romani florentes opibus in marmoreos muraverunt, ne Conditoris sui memoria periret. possemus etiam intelligere *arcus* tergeminorum Horatiorum, qui ad portam Capenam erant, ubi & campus eorum erat. Martialis:

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiæque matris Almo qua lavat ferrum,
Horatiorum qua viret sacer campus.

hocque melius. nam ait Umbritium substitisse ad portam Capenam, juxta quam erat campus tergeminorum cum arcubus. Locum etiam fuisse Romæ, qui diceretur *sub veteribus*, docet Plin. *lib.* XXXV. *cap.* IV. *Hinc Marci Crassi oratoris ille lepos agentis sub veteribus, quum testis compellatus instaret.* ejusdem meminit & Plautus *in Curculione*: *Sub veteribus ibi sunt, qui dant, quique recipiunt.*

11. *Madidamque Capenam.*) *Capena* porta erat, quæ etiam *Appia*, ut auctor est Frontinus *de Aquæ ductibus*, dicta est, per quam itur Capuam.

11. *Madidam.*) Ideo quia, ut scribit Probus, super eam erant aquæductus. Quod & Mart. comprobare videtur *l. l.*

Capena grandi porta qua pluit gutta.

12. *Ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.*) *Numa Pompilius* secundus post Romulum rex Romanorum, quo efficacissimum Deorum metum rudi & imperitæ multitudini incuteret, simulavit se congressus nocturnos, connubiumque habere cum Egeria Dea, ejusque monitu non modo remp. administrare, sed etiam, quæ acceptissima Diis essent sacra instituere, sacerdotesque suos cuique Deorum præficere. Erat autem lucus extra portam Capenam, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua, ubi nympha habitare ferebatur. eo *Numa* se persæpe sine arbitris, velut ad congressum Deæ inferebat: Camœnis cum lucum sacravit, quo earum sibi consilia cum conjuge sua Egeria essent, & fidei solenne instituit. Ait nunc Poeta lucum illum, & delubra Musis sacrata, Judæis mendicis locari. Et sic avaritiam sui temporis flagellat, quæ æs etiam ex tanta inopia exigeret, & paupertatem ostendit Judæorum, qui eversis Hierosolymis a Vespasiano per orbem profugi mendicare cogebantur, & edicto Domitiani pulsis Urbe necesse fuit colere sylvas.

12. *Amicæ nocturnæ,*) nam noctu congressum cum ea simulabat.

13. *Sacri fontis nemus.*) Nam fons ex opaco specu medium lucum rigabat perenni aqua. *Sacrum* autem *fontem* appellat, aut quia omnes pariter *fontes sacri* habentur. [Gr.] aut quia *Numa*, auctore Plut. non solum Camœnis lucum & prata, quæ circum erant sacraverat, sed & *fontem* ipsum, qui sacris Vestalibus virginibus erat constitutus.

13. *Delubra*) Camœnis antea ab Numa consecrata. *Delubrum* Varr. *lib.* VIII. ut recitat Macr. *lib.* I *Saturn.* ait alios existimare, in quo præter ædem sit area assumta Deum caussa, ut est in circo Flaminio Jovis Statoris; Alios in quo loco Dei simulacrum dedicatum sit, & adjecit; sicut locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatum, ita in quo *Deum* ponerent, nominatum *delubrum*, de quo ita accepit Virg. *in* II.

At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt. —

&, ut mox simulacrum nominaret, subtexuit.

— *Sævæque petunt Tritonidis arcem*
Sub pedibusque Deæ, clypeique sub orbe teguntur.

Festus vero sic ait: *Delubrum dicebant fustem delibratum*, hoc est decorticatum, *quem venerabantur pro Deo.* Ascon. item Pedianus sic scribit: *Sunt etiam qui delubra ligna delibrata*, id est decorticata, *pro simulacris Deorum more veterum posita existiment*: sed male. Illud tamen constat, *Delubra* poni generaliter pro templis. unde Plin. *lib.* XXXVI. *Durat Cyzici delubrum, quo filum aureum commissuris omnibus politi lapidis subjecit artifex.*

14. *Quorum cophinus.*) Adeo pauperes sunt Judæi, ut nihil aliud habeant, quam *cophinum & fœnum*: nam *fœni* fasciculum gestabant, & *cophinum.* [Gr.] *Cophinus* autem vocabulum est Græcum, apud nos, ut ait Prisc. *corbem* significat. Sidon. de eo ita meminit:

ait: *Ordinis res est, ut Aegyptius Pharao incedat cum diademate, Israelitæ cum cophino.*

15. *Omnis jussa est pendere mercedem Arbor.*) Hinc exit summa indignatio Poetæ, quod etiam ob avaritiam loca sacra Romani profanarent, locando ea Judæis.

15. *Pendere mercedem.*) Solvere: nam *penso ære*, & non numerato debitum solvebant.

15. *Populo*) Romano.

16. *Omnis sylva.*) Omnes Judæi habitantes in sylva.

16. *Ejectis Camœnis.*) quibus lucus erat sacratus. *Camœnæ* autem dicuntur Musæ, quasi *canenæ*, a *canendo*.

17. *In vallem Egeriæ.*) id est in lucum, de quo diximus, Camœnis consecratum, & in quo simulabat colloquium se habere Numa cum Egeria.

17. *Inque speluncas*) In specum, de quo dictum est.

18. *Dissimiles veris*) Naturalibus non similes. Nam quæ ex topho antea erant, aucta Romanorum luxuria & ambitione, marmoribus sunt adornata.

18. *Quanto præstantius esset*) id est, excellentius, & proinde præstantius, si in natura sua mansisset: & non marmore incrustatum esset, ut ostendat Deos rebus humanis non capi, sed bona sinceraque hominum voluntate gaudere. unde ait Seneca *ad Lucil. Cogita Deos, quum propitii essent, fictiles fuisse.*

19. *Numen aquæ.*) Fontis.

20. *Violarent tophum*) Nam vis inferri videtur *topho*, qui ex loco suo detruditur, appositis marmoribus.

20. *Tophum.*) *Tophus* lapis est levis & cavernosus.

20. *Ingenuum.*) Ibi natum, unde Lucr. *ingennos* appellat *fontes* ibi natos, nec aliunde ductos:

Unde mare, ingenui fontes, extremaque longe
Flumina suppeditant. —

Translatio est ab iis, qui liberi nati sunt. Nam *ingenuus* dicitur, qui, ut statim natus est, liber est: sive ex duobus *ingenuis* matrimonio constante editus est, sive ex altero libertino & altero ingenuo. lege Justinianum.

21. *Quando artibus.*) Ex quo nullus jam locus est viris bonis in Urbe: nec jam ullus fructus sequitur labores, & omnia jam in deterius labuntur, statui migrare Cumas. & sic Mart *lib.* III. ostendit, viro bono nullum esse locum in Urbe:

Quid faciam, suade: nam certum est vivere Romæ,
Si bonus es, casu vivere Sexte potes.

21. *Viris honestis.*) Viris honestas artes exercenti bus.

22. *Nulla emolumenta.*) Nulla utilitas, nullus fructus laborum nostrorum est.

23. *Res hodie.*) Videntur enim omnia in deterius labi. [Gr.]

24. *Deteret.*) Diminuet ex consequenti, quia, quæ deteruntur, minuuntur.

25. *Dædalus exuit alas.*) Cumas intelligit, ubi *Dædalus* fugiens Minoem condidit templum Apollini. Virg.

Dædalus (ut fama est) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos:
Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.

26. *Dum nova canities.*) *Canities* homini tantum est & equo. Auctor Plin.

27. *Dum superest.*) Dum adhuc aliquid vitæ mihi superest. Nam *Lachesis* una ex tribus Parcis, quæ vitam humanam summa disponere concordia dicuntur: una enim earum dicitur nere vitam hominis, altera filum ipsum vitæ colligere, tertia abrumpere. Unde bene Poeta dixit, quod *torqueat*, i. neat. De *Lachesi* sic Martialis:

Nil addit penso Lachesis, fusosque sororum
Explicat, & semper de tribus una necat.

28. *Bacillo.*) Pro *baculo scipione*. Cic. *de Fin.* Ut *bacillum aliud est inflexum, & incurvatum, aliud ita natum.*

29. *Cedamus patria.*) Mira indignatione dictum.

29. *Vivat Arturius.*) *Catulus* & *Arturius* nomina sunt vilissimorum hominum, qui ex humili fortuna ad summas pervenerant opes. *Umbritius* nunc conqueritur in Urbe tales homines gratiosiores esse, quam honestos.

30. *Maneant.*) Acri bile dictum: improbos autem & versutos homines designat, qui virtutem in vitium, & vitium in virtutem vertunt. Nam per *nigrum* malum accipere debemus. Horatius:

— *Hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

Album virum pro bono. Persius:

— *Per me equidem sint omnia protinus alba.*

Unde est illud Ovidii:

Candida de nigris, & de candentibus atra.

Sicque Poeta ostendit tale genus hominum gratius esse. Unde & Terent. *in Phormione:*

His precium nunc est, qui recta prava faciunt.

31. *Quis facile est ædem conducere.*) Designat cum publicanos, tum alios vilissimarum rerum redemtores, qui habentur infames ob vile lucrum, quod sectantur. Non enim eos pudet conducere ædes reficiendas, flumina purganda, & vectigalia portus.

31. *Conducere portus.*) i. portoria redimere, quæ in portu exiguntur. Unde & portitores sunt nominati, qui vectigalia exigunt ad *portus*, qua significatio-

ne ita accipitur illud Virgil. *Portitor ille Charon.* de hoc uberius dicemus infra:

— Quem porrigat ore trientem.

32. *Eluviem.*) Sordes, quæ per cloacas, aut flumina labuntur, & residere solent, ab *eluendo* dictæ. Nam residentes *eluuntur* aqua dilabente.

32. *Portandum ad busta cadaver.*) Libitinarios designat, qui cadavera sepelienda conducebant. Nam in templo Libitinæ, ea vendi solebant, quæ ad sepeliendum mortuum fuissent necessaria. Funera enim locabantur. Unde Plin. XXI. *lib.* loquens de Scipione *Asses ergo contulit populus, ac funus elocavit.* Iique qui vendebant, *libitinarii* dicebantur, *pollinctores* vero, qui sepeliebant. Unde Ulpianus *de Institoria Actione*: *Si libitinarius servum pollinctorem habuerit, isque mortuum spoliaverit, dandam in eum quasi institoriam actionem.* Quumque ex hac re lucrum sectarentur, mortem multorum optabant. unde Seneca de *Benefic.* *An tu Auruntium & Attejum, & ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putes eadem habere, quæ designatores & libitinarii, vota?*

32. *Ad busta.*) *Bustum* proprie dicebatur locus, in quo mortuus erat *combustus*: & *bustum* dicitur, quasi *bene ustum.* Nunc vero *busta* dicuntur sepulcra. Festus.

33. *Et præbere caput.*) Multi enim patiebantur se vendi: quod Martianus in Digestis *de statu hominum.* sic ostendit: *Servi in dominium nostrum rediguntur, aut jure civili, aut jure gentium. Jure civili, si quis major* XX. *annis se ad precium participandum venire passus est: Jure gentium servi nostri sunt, qui ab hostibus capiuntur aut qui ex ancillis nostris nascuntur.* Plautus *in Curculione*:

In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.

apud Germanos, ut scribit Tacitus in *lib. de Moribus Germanorum*, hæc consuetudo servatur, ut quum in alea omnia amiserint, ex remo ac novissimo jactu de libertate & corpore contendant, victus voluntariam servitutem adeat.

33. *Sub hasta.*) Nam publica auctione in foro ponebatur hasta, quæ præcipuum erat signum auctionis, eique subjiciebantur omnia, quæ publice venderentur. C. Hinc *hasta* pro auctione sæpe usurpata a Cicerone, & aliis. S.

33. *Domina.*) Quasi cujus potestati & imperio omnia essent subjecta in venditione.

34. *Quondam hi cornicines.*) Conqueritur Juvenalis eos, qui *cornicines* & tubicines non modo Romæ, sed etiam in municipiis fuerunt, eo divitiarum pervenisse temporibus suis, ut tanquam magnifici & potentes viri ludos gladiatorios edant in Urbe, cædantque, quos velint. Nam facile erat hujusmodi homines Principum liberalitate locupletari. Unde Menecratem citharœdum & Spectillum Mirmillonem scribit Tranquillus a Nerone triumphalium virorum patrimoniis, ædibusque donatos fuisse. Martialis:

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus, aut choraules.

34. *Hic cornicines.*) Legendum est *hic*, & non *hi*, ut sit: Qui heic cornicines quondam fuerunt, id est Romæ, & comites perpetui arenæ municipalis: hoc est & in municipiis.

35. *Perpetui.*) Assidui comites arenæ municipalis. Nam tubicines non solum theatris Romanis: sed etiam municipalibus buccas suas locabant; Ludis enim canentes tuba serviebant. *Municipia*, ut Gellius definit; dicta sunt, quod quum omnino suis juribus & legibus viverent, *munera* cum populo Romano habebant, id est tanquam Romani habebantur. Sicque idem fuisse videntur iis, qui fœdere in civitatem accepti. Ulpianus Jurisconsultus, *Proprie*, inquit, *municipales appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munera nobiscum facerent.* Sed nunc abusive *municipes* dicimus suæ cujusque civitatis cives, ut si Brixianus sis, alios cives Brixianos *municipes* tuos appelles. C. Ut vere & brevi dicam: *municipia* erant omnes liberæ civitates in Italia, præter Romam. S. *Arenam* ergo *municipalem* intelligit, quæ in municipiis esset, & liberis civitatibus.

35. *Notæ buccæ.*) ipsi tubicines, qui etiam *buccinatores* dicuntur a *buccis*, quas canentes inflant. est enim *bucca* ea pars oris infra malam, quæ inflatur: unde Horatius:

— Quin Juppiter ambas
Iratus buccas inflet. —

C. sive a *buccina*, qua signum datur pugnæ. Cicero *pro Murena*: *Te Gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat.* Item Ovid. *Metamorph.* I.

— Cava buccina sumitur illis. S.

36. *Munera nunc edunt.*) id est ludos gladiatorios, ut potentissimi viri.

36. *Munera.*) Ludos gladiatorios, nam multi ex infima conditione ad summas opes provecti munera gladiatoria edebant. Mart. *lib.* III.

Das gladiatores, sutorum regule Cerdo,
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

Idem alibi succensus a vilibus edi munera clamat:

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus:
Fullo dedit Mutinæ, nunc ubi caupo dabit?

36. *Et verso pollice vulgi.*) De eisdem tibicinibus intelligit; qui quum arte & quæstu suo locupletati sint, non modo munera edunt gladiatoria suis impensis, sed etiam conciliato sibi favore populi occidunt,

quem velint: quales multi in seditionibus interemti fuerunt a potentioribus.

36. *Verso pollice vulgi.*) i. verso ad se, & conciliato favore vulgi. sequitur enim *populariter* i. favente, ut dixi, populo. hocque ex proverbio tractum ostendit Plin. *lib.* XXVIII. *In magicis pollices, quum favemus, premere etiam proverbio jubemur.* unde etiam illud est Horatii *in Epist. ad Lollium*:

Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

ubi *Porphyrio* ait, per *utrumque pollicem* intelligi *utramque manum*: a parte totum, aut quia, qui laudat, vehementius manus jungens jungit pollicem cum proximo.

37. *Populariter.*) Vulgo, passim, vel populo favente, quasi dicat omnibus applaudentibus. Nam *popularis* is appellatur, qui gratus est populo.

37. *Inde reversi*) a ludis gladiatoriis, & caedibus hominum.

38. *Conducunt foricas.*) Ad res viles descendunt, *foricas* purgandas. *foricae* enim sunt latrinae: in quas ventris excrementa dejicimus, *Foria* enim auctore Nonio, veteres dixerunt stercora liquidiora.

38. *Et cur non omnia*) faciunt sordidissima.

38. *Quum sint Quales ex humili.*) Quandoquidem sunt ex numero eorum, quos Fortuna solet per ludum ex humili loco ad altiora provehere.

41. *Quid Romae faciam.*) Verba sunt Umbritii.

41. *Mentiri nescio.*) Anthypophora i. nec simulare nec dissimulare novi. sicque conditionem seculi sui taxat, quasi aliter agi vita non queat.

41. *Librum, si malus.*) Assentari se dicit nescire, quod multi in gratiam divitum & nobilium faciebant, qui laudibus alienis delectati laudatores conducebant, & coenis, & muneribus. unde Persius:

— *Calidum scis ponere sumen:*
Et comitem horridulum trita donare lacerna.
Et verum, inquis, amo, & verum mihi dicito, de me
Quis populi sermo. —

Horatius:

— *Laudato carmine vecors.*

42. *Et poscere*) per adulationem, tanquam qui mirabiliter placeat.

42. *Motus astrorum ignoro.*) Ut possim futura praedicere, hoc autem dicit, ut ostendat magos & Chaldaeos, qui futuri cognitionem profitebantur, & id genus hominum Romae gratia & auctoritate apud omnes valere, ac per hoc dites fieri. vulgo enim consulebantur. unde Poeta Satyr. VI.

Chaldaeis sed major erit fiducia, quicquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis. —

43. *Funus promittere patris.*) Iniquitatem ostendit filiorum sui temporis, qui mortem parentum multis plerumque optabant votis, inquirebantque a divinatoribus. unde Ovid.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

44. *Ranarum viscera nunquam Inspexi.*) Ut ex iis aliquod pararem veneficium. sicque ostendit tale hominum genus in Urbe esse & gratum, & favorabile. Nam ex *visceribus ranae*, hoc est liene, jecinore, corde, lingua & ossiculo multa veneficia fieri posse tradit Plin. *lib.* XXXII.

45. *Ferre ad nuptam.*) Alii internuncii sint conciliando adulteria, ego vero hoc non fecero. Nemo enim erit adulter *me ministro.*

45. *Mittit*) munera & literas.

46. *Mandat.*) hoc est, quae dat mandata.

46. *Nemo ministro.*) Me auctore & internuncio, Cicero *in Laelio*: *Ut aut libidinis ministri, aut adjutores essent ad injurias.*

47. *Fur erit.*) i. adulter. Nam & *furtum* adulterium appellatur. Propertius:

— *Nolim furta pudica tori.*

47. *Atque ideo nulli comes exeo.*) Quia tales artes mihi non placent, discedo ab Urbe *nulli comes* i. sine comite, ac per hoc solus, quasi qui a cunctis repudier, tanquam mancus, & tanquam corpus inutile exstincta dextra; i. tanquam homo iners, nullius precii, nulliusque ingenii, utpote qui novas vivendi artes, ut ceteri, non calleam. & ita, quod animi est, transtulit ad corpus. Exstincta ergo dextra i. exstinctis ingentii viribus. sunt tamen, qui legant, *exstinctae dextrae.*

48. *Mancus*) dicitur, quasi *manu carens.*

49. *Nisi conscius.*) Nisi qui secreta divitis scelera novit.

50. *Aestuat.*) Agitatur, incalescit, taceatne, an proferat uspiam.

51. *Nil tibi se debere putat.*) Non eris gratus, neque acceptus illis, quorum secreta honesta noveris; sed tantummodo iis, quorum scelera tibi nota erunt, afficieris enim muneribus, ne secreta eorum patefacias.

53. *Verri.*) Ille erit carus viro scelerato & furi, qualis fuit Verres, qui potest furti eum accusare. Nam *Verres*, ut dictum est *sup. Satyr.* quaestor Siciliam per triennium tenuit: ubi libidinem, avaritiam, crudelitatemque exercuit: succedente tandem Metello repetundarum postulatus est a Siculis eam caussam egit Cic. *pro Siculis*. Adhuc exstant actiones, quae *Verrinae* appellantur.

54. *Tanti tibi non sit opaci.*) Et si conscii scelerum a divitibus afficiuntur muneribus, ut taceant, tamen tu noli quaerere, ut divitis secreta scias, ne semper solicitus sis, & nequeas dormire, veritus, ne aliquando tibi objiciat, quod ea patefeceris, quorum eras conscius.

56. *Ut somno careas.*) Nam dormire nequit, sollicitus, ne aliquo afficiatur incommodo a divite.

56. *Præmia ponenda.*) quæ postea cogaris ei reddere.

57. *Amico magno.*) Divite, & potente. alibi ante:

— Magni delator amici.

58. *Quæ nunc divitibus.*) Ostendit Poeta in Urbe viros bonos non esse gratos: sed tantummodo versutos, assentatores, scelerum ministros, & id genus hominum, sed si quæras, qui maxime grati sint: sunt, inquit, Græci. Ii enim acceptissimi sunt divitibus, & tota civitas Græcis referta est.

59. *Quos fugiam.*) Devitem, habeam odio.

60. *Nec pudor obstabit.*) Pudor me non impediet, quominus aperte dicam, quæ sentiam de Græcis. Est enim ita dictum, quasi aliquis monuerit, non te pudebit tam insolenter Græcos insectari?

60. *Quirites.*) Romani. Nam qui orationem habebant ad populum, Romanos *Quirites* appellabant.

61. *Græcam urbem.*) Mores Græcorum, quibus tota civitas corrupta est.

61. *Quamvis quota portio.*) Quamvis sit minima pars gentis Græcæ. ac si dicat Græcorum vitia adeo sunt magna, ut vel pauca multitudo eorum possit etiam urbem corrumpere.

61. *Quota.*) Minima. Plin. in III. ubi de Italia & Roma mentionem facit: *Ipsi de ea judicavere Græci, genus in gloriam sui effusissimum, quotam partem ex ea appellando Græciam magnam.* Alibi Juven.

Hæc quota pars scelerum? —

Mart. *lib.* VIII.

Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus Aulæ?

Quotus item nomen est, quod numerum refert. sicut *quot*, Horat.

Tu quotus esse velis rescribere. —

Plin. *lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Murium jecusculis fibræ ad numerum Lunæ dictum in mense congruere dicuntur, totidemque inveniri, quotum ejus lumen sit.* Mart. *lib.* IX.

Scis, quota de Libyco littore puppis eat.

61. *Facis.*) In contemtum est Græcorum, quasi dicat sordidæ, & vilissimæ gentis.

61. *Achææ*) Secundum Græcam declinationem dixit. Nam & *Agivum* dicimus *æ* diphthongo in *i* productam conversa & *v* digamma interposito. Est autem vox deducta ab *Achaia*: quæ pars est Peloponnesi incipiens ab Isthmo: antea *Ægialos* vocabatur, propter Urbes in littore per ordinem dispositas, αἰγιαλὸς enim *littus* significat.

62. *Jampridem in Tiberim.*) Non solum Græci in Urbem venere, qui divitibus sunt acceptissimi; sed etiam aliæ gentes barbaræ ex Syria in Urbem novos gentis suæ mores invexerunt: neque Umbritius indignatur peregrinos gratiores esse, qui non virtute, sed novis deliciis & artibus placeant, simulque ostendit Romanos, ex quo ad summum divitiarum culmen pervenere, in omnem ita luxum prorupisse, ut ex peregrinis omnia etiam voluptatum blandimenta perdiscerent. unde in sequentibus:

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu.

62. *Orontes.*) hoc est Ipsi Syri, qui ad Orontem habitant. Est enim fluvius, qui Syriam ab Antiochia dividit: dictus ab *Oronte*, qui primus eum ponte junxit. Legendunque est *Syrius*, non *Syrus* prima enim corripitur. Tibullus:

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Et ante Juven.

Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe.

Sirius vero, quum pro sydere ponitur, primam habet longam. Virg.

— Tum steriles exurere Sirius agros.

C. Possit tamen & *Syrus* legi, ut prior etiam brevis fiat hoc modo:

Jampridem Syrus in Tiberim, &c. S.

62. *Et cum tibicine chordas Obliquas.*) Et instrumenta musica, quibus placeent. Nam per *chordas obliquas* intelligimus citharam, cui *chordæ* intenduntur *obliquæ*, id est obtortæ, aut *obliquæ* pro forma citharæ, ut ostendat non solum tibiæ: sed & citharæ cantum a barbaris introductum. *Citharœdi* enim apud Romanos extiterunt, qui *lyras septichordes eburneas*, & quæ *barbita* dicuntur, intendebant. Dionysius.

63. *Tympana gentilia.*) Quibus domi suæ utuntur. Nam *gentilis* etiam dicitur ejusdem generis: ut hoc in loco.

65. *Jussas prostare puellas.*) Præter alia turpia in Urbem etiam invexerunt puellas quæstuarias, quæ prostant ad *circum maximum*, ubi ædificium erat ad id accommodatum. [*Gr.*] *Prostare* autem dicitur mulier, quæ turpitudine corporis quæstum facit.

66. *Ite.*) Cum indignatione legendum. *Ite* vos ad libidinandum, quibus gratæ sunt meretrices *istæ* barbaræ: vel ite vos ad spectandas puellas meretricias saltantes, qui delectamini ludis.

66. *Lupa.*) Meretrix: quasi quæ ad rem non minus sit avida, quam lupa ad cibum.

66. *Mitra picta.*) Ornamentum erat capitis, non modo Lydiorum & Phrygum, sed & Assyriorum. Herod. *Assyrii capita crinita habentes mitris redimunt.* Virg.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur. —

Ait

Ait Servius *pileum* fuisse *curvum*, de quo penderet buccarum tegmen.

67. *Rusticus ille tuus.*) scilicet Romanus, qui superioribus seculis summa frugalitate vivebat, & agricolationi intentus erat, ducta origine, ut diximus, a pastoribus, *sumit trechedipna*, id est in gymnasiis versatur & palæstra, ubi *sumit trechedipna*, id est vestes peregrinas post exercitationem, quum deludabit, sicque indignatur contagione Græcorum Syrorumque Romanam juventutem corrumpi, in gymnasiisque exerceri, ubi auctore Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XII. animorum vires perderentur, ita enim scribit de mollitie palæstræ: *Plura de hac parte non sum dicturus, non Hercules magis, quam de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora viresque animorum perdidit.*

67. *Trechedipna.*) Vestis est peregrina, qua in gymnasiis utebantur, de qua mentionem facit Athenæus *lib.* VI. *Dipnosophist*, quum de parasitis loquitur. Plutarchus item in *Symposiacis*.

68. *Et ceromatico.*) [Gr.] *Ceroma*, fit ex oleo & terra in speciem luti, quod ostendit Seneca *Lucil. Tantum luti tota via fuit, ut possim videri nihilominus navigasse. Totum athletarum fatum in illo die perpetiendum fuit. A ceromate nos Faphe accipit in Crypta Neapolitana. A ceromate* igitur a *luto* per similitudinem. *Mart. lib.* V.

Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ.

id est ipse palæstrita Antæus ceromate perunctus, castigatus est ab Hercule. De *ceromate* intellexit Plin. *lib.* XIIII. *Ad hæc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, ac pectorosa cervicis repandæ ostentatio.* quibus verbis athletarum certamen designavit. nam athletæ, ut diximus, *luto*, id est terra oleo mixta ungebantur, quorum mos erat cervicem dilatare, pectus exporrigere. unde illud est, quod sequitur:

Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis.

69. *Niceteria.*) Insignia & præmia victoriæ pugilum, qui in gymnasio alios vicissent.

69. *Hic alta.*) Redit ad Græcos, quos ait ex diversis Græciæ locis in Urbem venire, inserentes se domibus divitum: ubi assentatione, aliisque artibus se gratos reddunt.

69. *Sicyone.*) *Sicyon* urbs est Achaiæ, item urbs in Laconia, unde *Laconia* dicta est *Sicyonia*: insula est etiam in mari Ægæo contra Epidaurum. quam *altam* esse & eminentem docet Plinius.

69. *Amidone.*) *Amidon* insula est inter Sporadas, & civitas Pœoniæ.

70. *Andro.*) *Andros* insula ex Cycladibus cum oppido ejusdem nominis, dicta postea *Cauros*, deinde *Antandros* Plinius.

70. *Samo.*) *Samos* insula in mari Icario, ubi Juno maxime colebatur.

70. *Trallibus.*) *Tralles* plur. tantum, oppidum Phrygiæ, a quibus fit possessivum *Trallianus*. Cic. in *Orat. pro Flacc. Vidi ego in quodam judicio nuper Philodotum testem Trallianum.*

70. *Alabandis.*) *Alabanda* oppidum Ioniæ, quam Apollonius Molon *cistam inversam* appellavit *scorpionum plenam*. Nam eorum illic est copia, homines sunt molles, & psaltriæ mulier, ut scribit Strabo.

71. *Exquilias.*) i. collem *Exquilinum*. Nam in Urbe septem fuere colles, de quibus sic Tibullus:

Carpite nunc tauri de septem montibus herbas.

Exquiliæ dictæ sunt secundum Varr. aut ab *excubiis regiis*, aut quod *excultæ* sint a rege Tullo: unde Ovid. *in Fast.*

Adde, quod Excubias, ubi rex Romanus agebat,
Qui nunc exquilias nomina collis habet.

72. *Viscera magnarum domuum.*) Appositio est: hoc est, qui artibus suis in divitum familiaritatem se insinuant, eorumque secreta condiscunt.

72. *Dominique futuri.*) Tam callidi sunt, ut a divite in amicitiam & familiaritatem recepti, quasi Domini omnia in domo moderentur.

73. *Ingenium velox.*) Ad omnia sollers & promtum.

74. *Torrentior Isæo.*) Uberior, copiosior, vehementior: sumtum a *torrente*, qui magna fertur aquarum ubertate & vi. Nam *Isæus orator*, de quo Plin. *in Epist. ad Nepotem lib.* II. *Magna Isæum fama præcesserat: major inventus est, summa est facultas, copia, ubertas, dicit semper ex tempore &c.* Fuit item *Isæus* alter, præceptor Demosthenis.

74. *Ede, quid illum.*) Hoc quasi argumenti loco positum, ad probandum, quam versuti sint Græci ad omnia. Ait ergo: Dic, quid censes esse Græcum hominem: quasi dicat, tam astutus, tamque vafer est, ut nulla sit prorsus ars, quam ipse non profiteatur: secum enim attulit *omnem hominem*, id est omnia profitetur, quæ homo possit facere & scire. Erit enim *grammaticus*, *rhetor* &c. unde est illud apud Sen. *lib.* II. *Controv. Hoc autem vitium, ajebat Scaurus, a Græcis declamatoribus tractum: qui nihil &c. non permiserint sibi, & penetraverint.*

76. *Grammaticus.*) *Grammaticus* circa curam sermonis, ut scribit Sen. versatur, &, si latius evagari vult, circa historias: jam ut longissime fines suos proferat, circa carmina.

76. *Rhetor.*) qui rhetoricam docet, & qui præcepta artis tradit. *Orator* vero, qui secundum præcepta agit.

76. *Geometres.*) qui numeros mensurasque persequitur, unde Horat. *Carm. lib.* 1. de Archyta Tarentino Geometriæ perito:

Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ,
Mensorem cohibent Archyta. —

76. *Aliptes*) is erat, qui descendentes in balnea, quique palæstritas in gymnasio ungebat, ab ἀλείφω quod est *ungo*, vellebatque alas. unde Sen. *ad Lucil.* *Aliptam cogita tenuem & stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem, nec unquam tacentem: nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit.*

77. *Augur.*) qui futura prænoscit ex avium observatione. Unde aliqui ab *avium garritu* dictum putant, alii vero ab *augendo*. Ovid.

Sancta vocant augusta Patres, augusta vocantur
Templa sacerdotum rite dicata manu,
Hujus & augurium dependet origine verbi:
Et quodcunque sua Juppiter auget ope.

77. *Schœnobates*) ille dicitur, qui per funes ambulat. σχοῖνος enim *funem* significat. &, βαίνω *ascendo, & vado*. Latini vero *funambulum* dixere: qua dictione usus est Terent. *Hecyr. Funambuli exspectatio accessit: Et populus in funambulo animum occuparat.* primus Messala usus est, & jam pro Latina recepta. pro *funambulo* dixit Apul. *funerepum*. unde ubique apud ipsum pro *funepeus* sive *funecreplus*, correximus *funerepus*: ut dictio sit deducta a *fune & repo*. quod ita scribendum sit, innuit Apul. 1. *Florid.* ubi scriptum est *Funereplus* pro *funerepus*, ut omnino *funerepos* appellemus, & non *funepeos*, quum a *fune & repo* deducatur: sicut dicimus *funambulum* a *fune & ambulo*, & *pinnirapum* a *pinna & rapio*. *Bustirapum* a *busto & rapio*, quo usus Plaut. *in Pseud.* *Fœdifragum* a *fœdere* & *frango*. *Legirupam* a lege & rumpo: quo idem Plautus usus est *in Pseud.*

77. *Magus.*) Lingua Persarum *magus* est, qui nostra Sacerdos, qui rite sciat & calleat leges cerimoniarum, fas sacrorum, jus religionum. Siquidem *Magiam* Plato interpretatur artem esse a Diis immortalibus acceptam colendi Deos ac venerandi pergnaram, piam & divini scientem jam inde a Zoroastre & Ormace auctoribus suis nobilem, Cœlitum antistitam: quippe inter prima regalia docetur, nec ulli temere inter Persas concessum est, *magum* esse, haud magis, quam regnare. More vero vulgari is proprie *magus* existimatur, qui communione loquendi cum Diis immortalibus ad omnia, quæ velit, incredibili quadam vi carminum polleat. Hæc ex 1. Apulej *Apol.*

78. *Græculus esuriens.*) Græculus premente rerum egestate, omnium rerum scientiam profitebitur.

78. *In cœlum jusseris, ibit.*) Affirmabit, si jubeas, in cœlum volaturum, hocque dicit respiciens ad Dædalum Atheniensem, qui, ut diximus 1. *Satyr.* volavit per aera, sibi & filio Icaro fabricatis alis.

79. *Ad summam.*) In summa, breviter, & quod Terent. dicit: *Quid opus est verbis.* Cicero *de Off. lib.* 1. *Ad summam, ne agam de singulis.* I. S. C.

79. *Non Maurus erat.*) Vult probare exemplo Dædali, facile esse Græco volare in cœlum.

79. *Maurus.*) Mauritania posita est in extrema parte Africæ, Occidentem versus, ubi mons est Atlas.

79. *Thrax.*) *Thraces* populi sunt Septentrionales, quorum pleríque trans amnem Strymonem usque ad Ponticum ostium, atque Hæmum montem habitant. Quidam etiam in Propontide siti, plerique vero ad Hellespontum, de quibus abunde Strabo *lib.* VII.

80. *Qui sumsit pennas.*) i. Dædalus. de quo supra:

Et mare percussum puero, fabrumque volantem.

81. *Horum ego non fugiam conchylia.*) Inter alias caussas sui ab Urbe discessus unam hanc præcipuam esse ostendit, quod nequeat ferre Græculos, qui nuper ex Græcia advecti ita suis artibus locupletati sunt, ut nunc inter primores Urbis habeantur. Nam purpurati incedunt, priores etiam testamenta signant, honoratiore loco discumbunt.

81. *Conchylia.*) hoc est *Vestes conchyliatas*, quibus induti in publicum procedunt tanquam nobiles Romani. Nam *conchylium* piscis est ex genere *concharum*, sicut purpura & murex: ex iis autem piscibus eliciebatur liquor ille tam preciosus ad tingendas vestes. Julius Cæsar, ut scribit Tranq. *conchyliatæ vestis* usum ademit, nisi certis personis & ætatibus. Plin. *lib.* IX. *Conchylia & purpuras omnis ora atterit: quibus eadem mater luxuria, paria pæne etiam margaritis precia fecit.* & infra: *Concharum ad purpuras & conchylia quidem est materia.* Alibi *lib.* V. mentionem faciens de Tyro: *Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura constat.* *Conchylium* etiam capimus pro omni pisce concha contecto. Sen. *lib.* XIIII. *epist.* 1. *Quantulum ex tot conchyliis tam longe advectis per istum stomachum inexplebilem labitur.*

81. *Me prior ille.*) summa indignatione.

82. *Signabit*) testamenta.

82. *Meliore thoro.*) Meliore & honoratiore parte triclinii. Nam posita mensa convivæ duobus, aut tribus lectis discumbentes epulabantur. Unde non solum lectos ipsos: sed & locum & *biclinium* & *triclinium* appellavere: ubi comedebant, a numero lectulorum. κλίνη enim *lectum* significat.

83. *Advectus Romam.*) caussas undique colligit indignationis: quod Romam non venerint honesto aliquo negotio, aut navigio, sed ut rerum vilium mercatores, & illiberalis lucri sectatores: venerunt enim, inquit,

inquit, Romam *eo vento* i. ea nave, qua *pruna & cottana* advecta sunt. ac si dicat oneraria & plena vilis mercibus. venerunt, inquit, ex Syria, unde *pruna Damascena*, *& cottana* vehuntur, non autem nati Romæ. Sic Pap. *in Sylvis lib.* II. de Glaucia puero loquitur:

Nec mistus Phariis venalis mercibus infans.

84. *Usque adeo nihil est.*) Acclamatio, quæ ad rei narratæ vel probatæ amplificationem valet. qualis est illa Virg. II. Georg.

—Adeo a teneris consuescere multum est!

& illa Aen. I.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem!

ergo, *Usque adeo nihil est*, i. nihil nos juvat, nihil nobis prodest. C. S. C.

84. *Cœlum Hausit Aventini.*) nutrita sit Romæ. [Gr.]

85. *Baccæ Sabinæ.*) cibis Italicis, ac per hoc Romanis, ut sit species pro genere. Sic Horat.

Quod mare Daunia
Non decoloravere cædes.

i. cædes Italicæ, ac per hoc Romanæ: per *baccam* autem intellige omnem fructum omneque esculentum. Nam appellatione *baccæ* intelligimus fructus, qui in arboribus dispersius & rarius nascuntur: ut sunt fructus lauri, fructus oleæ, corni, loti, myrti, lentisci, similiumque.

85. *Sabinæ.*) Nam *Sabini* & *Romani* commune habuere imperium. Unde Romani Quirites sunt appellati, de quibus supra.

86. *Quid*) dices, si aliud de Græcis gravius addidero, quod artificio adulationis, quo nihil est turpius, omnes decipiunt.

88. *Et longum invalidi collum.*) Hoc sumtum est ex athletis, quibus mos erat in gymnasiis collum dilatare. Unde Sen. *lib.* II. *Epist. ad Lucil. Stulta est enim, mi Lucili, & minime conveniens literato viro occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi.* Plin. *lib.* XIII. *cap. ult. Ad hæc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, ac pectorosa cervicis repandæ ostentatio.*

88. *Æquat.*) Græcus adulando collum etiam invalidi amici æquat & comparat Herculi, qui collum dilatabat, quum Antæum lacertis apprehensum sublimem teneret, ut dicat per adulationem, virum etiam imbecillum per omnia Herculi fortissimo simillimum.

89. *Antæum.*) Nam Hercules secundum laborem consummans, *Antæum* filium terræ in Libya hospites palæstra superantem occidit. Nam is, quum ab Hercule in palæstra superaretur, simulato casu terram matrem suam manibus contingebat, a qua vires ei suggerebantur. Hoc cognito Hercules amplexibus hominem ita revinxit, ut nec manibus, nec pedibus terram contingeret: sicque coactus est animam reddere.

90. *Miratur.*) Plus est, quam si dixisset, *laudat*. sic enim aliena facta, qui assentantur, *mirantur* tanquam præclara quædam & nova. Sic Terentianus ille Gnatho: *Eorum ingenia admiror.*

90. *Vocem angustam.*) Exilem, non claram, veluti suffocatam.

90. *Qua deterius.*) Nam talis vox maxime damnabatur. de qua ita scribit Quintil. *lib.* XI. *Vox autem ultra vires urgenda non est. Nam & suffocatur sæpe, & majore nixu minus clara est: & interim elisa in illum sonum erumpit, cui Græci nomen ab immaturo Gallorum cantu dederunt.* quod autem nomen dederint Græci, quærendum est, licet non desint, qui putent βρόγχον i. raucitatem.

91. *Ille*) gallus.

91. *Quo marito.*) *Maritum* appellavit *gallinarum*, gallum, ut Virg. *in Buc.*

Vir gregis ipse caper. — *C. S. C.*

93. *An melior.*) Ostendit ad omnia esse aptissimum mimum, sive meretricis persona, sive Dea sit sustinenda in actione fabularum.

93. *Thaida.*) Personam meretricis, qualis est *Thais* apud Terentium.

94. *Agit.*) Nam *agi* proprie dicuntur *fabulæ*, quod quum in scenis repræsentantur, non sine corporis *agitatu* pronunciantur: unde *actor*, qui gestum vultus & corporis agit: unde tum ipsa pronunciatio, tum oratio, quæ habetur, tum oratio scripta *actio* appellatur. Cic. *actionem* alias, quasi sermonem, alias eloquentiam quandam corporis dicit. Quint. *lib.* XI. *Pronunciatio a plerisque Actio dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu, videtur accipere.*

94. *Comœdus*) is est, qui fabulas agit: *Comicus* qui scribit, sic *tragœdus* & *tragicus*.

94. *Dorida.*) Personam Doridis Deæ marinæ. Nam Doris Oceani & Tethyos fuit filia, uxor autem Nerei: ex quo peperit Thetidem minorem Achillis matrem: *omnium* etiam *nympharum mater* dicitur.

94. *Nullo palliolo Cultam.*) Ornatam nullo velamento. nam Deæ marinæ nudæ fingebantur. *palliolum* autem communis est vestis tam virorum, quam mulierum. Martialis:

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.

Idem alibi:

Succida palliolo vellera quinque petit.

Suetonius *in Claudio: Palliolatus novo more præsedit.* unde *palliolatim* adverbium, quo usus est Plautus. Caper Grammaticus ostendit velum fuisse capitis, quum ait: *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genasque.* Lampridius scripsit: *Matronas regias contentas esse debere unico pallio, auro sparso.* Flavius

Vopi-

Vopiscus *in Aureliano*: *His accedit, quod ex palliolo purpureo, quod soli sui temporis Imperator obtulerat, sacerdos mulier crepundia filio fecisse perhibetur.*

95. *Mulier nempe ipse videtur.*) Adeo bene mulieres reddit Græcus, ut putes mulierem ipsam esse, quæ loquatur, non personatum mimum. nam mimi, quo liberius omnia peragerent, *personas* induebant. Tranquillus in Nerone: *Tragœdias quoque cantavit personatus Heroum Deorumque: item Heroidum, ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui.* Est autem *persona* velamentum oris, dicta a *personando*, quod facit vocem clarescere & resonare. Vox enim non vaga, neque diffusa in unum tantummodo exitum collecta, coactaque magis canoros clarosque *sonitus* facit. Lege Gellium. Aeschylus eam primus invenit. Horatius:

Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus, & modicis instravit pulpita tignis.

96. *Vacua & plana.*) Tam bene personam mulieris sustinet, ut non solum voce, sed etiam toto corporis habitu videatur mulier. Nam verenda ita habet depressa & plana, ut viri formam habere non censeatur.

97. *Infra ventriculum.*) Infra ipsum ventrem, ubi pubes est.

97. *Distantia.*) quæ tantummodo distant a sexu fœmineo parvula rima.

98. *Nec tamen Antiochus.*) Licet hi omnes fabularum actores feliciter omnia repræsentant, tamen istic non sunt mirabiles, adeo omnibus notum est, eos esse agendi peritissimos. nam *Antiochus*, *Stratocles*, *Demetrius* & *Hæmus* nomina sunt comœdorum. de Demetrio & Stratocle Quintilianus *lib.* XI. *Maximos actores comœdiarum Demetrium & Stratoclem placere diversis virtutibus novimus. Sed minus mirum, quod alter Deos & juvenes, & bonos patres, servosque, & matronas, & graves anus optime: alter acres senes, callidos servos parasitos, lenones, & omnia agitatoria melius. sunt enim naturæ diversi. nam vox quoque Demetrii jucundior, illius acrior erat.* De *Hæmo* alibi Juvenalis:

— Mollius Hæmo
Quanquam & Carpophoro. —

100. *Natio.*) ista Græca. *natione* dicitur Græcus, an barbarus; *patria* Atheniensis, an Lacædemonius; *Cognatione*, quibus majoribus, quibus consanguineis. Cic. *lib.* I. *Rhetor. Veteris.*

100. *Comœda est.*) Ita ad fabulas agendas est apta, ut id a natura habere videatur.

100. *Rides.*) Quam periti sint Græci ad adulandum, ostendit multis modis. Est ergo sensus: Si rides, ipse statim tibi applaudit.

100. *Cachinno.*) Solutiore risu. est enim *Cachinnus* risus immoderatus, a quo est *cachinno* verbum, & *Cachinno* nomen.

102. *Nec dolet.*) Quamvis fleat, non tamen dolet. sunt enim omnia in eo ficta.

103. *Endromidem.*) vestis est Gallica, quamvis nomen sortita sit Græcum, quæ ad arcendum frigus sumebatur. Martialis:

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet:
Aspera, sed gelido non aspernanda Decembri,
Dona peregrinam mittimus endromida.

Ea utebantur in gymnasio & theatro post ludorum exercitationem, ne lusores calefacti refrigescerent. Unde Martialis:

Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua:
Ridebis ventos, hoc munere tectus, & imbres.

de *Endromide*, *Satyr.* IV.

104. *Non sumus ergo pares.*) Ergo quum gens Græca adulandi sit peritissima, idque mihi minime placeat, *non sumus pares*: id est, ego longe sum dissimilis a natura Græcorum.

105. *Alienum sumere vultum.*) Sed ille primum in adulatione obtinet locum, qui vultu suo scit alienos exprimere affectus. ut aliquando in gratiam divitum tristitiam gerat, aliquando lætitiam. Tales enim sunt versutissimi. unde Terent.

Vultus quoque hominum fingit scelus.

106. *A facie jactare manus.*) Solent enim adulatores utraque manu faciem amici adulando demulcere. videturque ad id alludere, quod antiquis Græcis, ut auctor est Plinius *lib.* XI. in supplicando mentum attingere mos erat.

108. *Si trulla.*) *Trua* vas est, secundum Varronem, quo aquam e culina in lavacrum fundebant, dicta a *trajiciendo*, quod per eam aqua *trajiciatur*, a qua *Trulla* per diminutionem dicta a similitudine *truæ*, quod ea sit magna & hæc pusilla. inde etiam *Trulleum* aliud vas aquarium, a quo vocabulo deflexit Apicius verbum *Detrullare*, quod est *de trulla in trullam diffundere.* *Trullam* item capi pro vase potorio ita docet Scævola jurisconsultus, *de Auro & Argento legato*: *Poculum aureum Sejæ dulcissimæ, quod elegerit, fidei hæredum committo, ut dent: quæro, quum in hæreditate non sint, nisi Trullæ, scyphi, modioli, phialæ, an Seja de his speciebus eligere possit? respondit, quum omnia potui parata pocula dicantur, posse eam ex iis eligere.* Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* II. Titus Petronius consularis moriturus invidia Neronis principis, ut mensam ejus exhæredaret, trullam murrhinam CCC. sestertiis emtam fregit. Horatius *in Satyris*:

Qui

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

De *trulla* alio genere vasis crebra fit mentio a Catone *in Re rustica*. *Trulla* item appellatur instrumentum illud, quo fabri parietarii utuntur ad exstruendos parietes, tectoriaque lævigãda, & complananda. unde verbum *trullissare* apud Vitruvium. Quum ergo *trulla* pro duplici genere vasis accipiatur, hinc fit, ut diversis etiam sensibus locus exponatur. Aliqui enim dicunt Græcum laudare, quum crepitus fit sordibus alvi decidentibus in *trullam*, qua *inverso fundo* exciperentur. Aliqui laudare, quum crepitus fit bibendo *inverso fundo trullæ*. Ego vero neutram secutus sententiam ita interpretor, ut ex consuetudine vetere, & quasi proverbio dicatur: Græcus paratus est laudare; sive recte mingat, sive pedat. Nam metaphoricos omnia sunt accipienda. i. si *trulla aurea*, id est venter divitum *dedit crepitum*, hoc est pepedit.

108. *Inverso fundo.*) Nam tunc vas dicitur habere *fundum inversum*, quum os ima spectat, sed ad fundum sublimia. Ventris ergo *os*, id est *anus* ima spectat, fundum vero superiora. Suet. *in Claudio: Dicitur etiam meditatus edictum, quo veniam daret, & flatum crepitumque ventri in convivio emittendi, quum periclitatum quendam præ pudore ex continentia reperisset.* C. *Trullas* pocula esse & vasa potoria inter omnes constat. Idque quod a Juvenale dictum de *trulla*, de quo apud eruditos controversia est, non id dicit, ut de vase in quo alvi proluvies effunditur, intelligatur, cum id aliud sortitum nomen sit, & a doctissimis *scaphium* & *lasanum* dicatur, veroque Auctoris sensui non satis conveniat: sed de vase potui parato intelligi oportere constat, illudque quam sincerissime a Poeta dictum fuisse:

— Laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

In quo illum significare putamus, qui, postquam calicem exhausit, in ipso *fundo*, ructu aut sibilo *crepitum* facere more detestabili non fuit veritus. ubi idem crimen bis arguere satyricæ dignitatis fuit: vel de eo, qui postquam vini calicem hausit, id quod remansit, ita elisit in pavimentum, ut resonaret. Quod insolentissimi animi, audacis & petulantis, nimiæque securitatis fuisse liquet: quem abusum apud compotores & helluones imputos, qui scortis vinoque madidi & e pulis distenti erant, Græcis invaluisse multi adnotarunt: ita ut ludus inde convivalis foret, quem κοτταβισμὸν appellarunt, cum residuum potum in æneas phialas jactarent, qui si sonantior creparet, se ab amica redamari, & mutuo affectu teneri putabant. Quod esse probabile, & ab Auctoris sensu non alienum, ex contextu verborum liquere putamus.

109. *Præterea sanctum.*) Nulla illic tuta est castitas, ubi Græcus versatur.

109. *Sanctum*) dicitur, auctore Martiano, de re divina, quæ ab injuria hominum defensa atque munita est, ut hoc loco. Macrob. etiam ait. *Sanctum* dici sacrum, & religiosum, & omni observatione inviolatum.

109. *Ab inguine.*) Lubidine Græcorum. *Inguen* pro parte genitali tam in mare, quam in fœmina accipitur: de quo diximus in *Sat.* I.

111. *Sponsus lævis adhuc.*) i. adhuc sine pube: qui adhuc inferiora pube non vestiverit: *lævis* enim significat sine pilis.

112. *Aulam resupinat amici*) si nihil est horum, quod agat; *resupinat aulam*, i. omnia, quæ in domo sunt, evolvit & evertit: scrutans secreta domini. sequitur enim: *Scire volunt secreta domus.* Stat. *in* VII. *Theb.*

Aut Cirrham tauris Anemoriamque supinat.

id est, arat & volvit. unde Actius *in Antigona*, ut tradit Marcel.

Quid agis? perturbas rem omnem; ac resupinas sororem.

Stat. ita *in* IX. *Theb.*

Te quoque sublimi transnantem flumina curru,
Dum socios Pharsale petis, resupinat ademtis
Dorica cuspis equis. —

i. evertit, Propert.

Nec mora, quum totas resupinat Cynthia valvas:

i. pervertit & prosternit. C. Quid si *aulam* pro *olla* dictam interpretemur? ut sit: *aulam resupinat amici.* i. ollam pecunia plenam, & defossam evacuat, & vertit, ut quemadmodum libidinosam, sic etiam furacem Græcam gentem esse dicat. Et nota est Plauti *Aulularia*, ab Euclionis *aula*, i. olla argenti plena defossa. S.

113. *Inde timeri.*) Ne secreta revelent, ac per hoc consequi eorum gratiam & munera. tales enim ditabantur. Mart.

Vis fieri dives, Bithynice, conscius esto.

114. *Et quoniam cœpit.*) Quandoquidem de Græcis facta est mentio, volo *gymnasia*, i. certamina gymnica prætereamus, quasi quæ leviora & tolerabiliora sint, præ aliis, quæ ab iis fiunt. sicque Poeta per transitum ostendit exercitationes gymnicas damnandas esse, quarum usus a Græcis in Urbem invectus, juventutem Romanam enervavit. Nam, ut scribit Plin. *Juvenes se exercendo, & ungendo animi vires perdiderunt.*

115. *Majoris abollæ.*) *Abolla* vestis fuit, qua philosophi utebantur, de qua Mart. loquens de Cynico philosopho:

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Serv. exponens illud Virg.

— Duplicem ex humeris rejecit amictum. ait *duplicem*,

esse *abollam*, quâ philosophi & milites uterentur. de qua etiam Horat. intellexisse videtur, quum ait loquens de Diogene:

Contra quem duplici panno patientia velat.

Nonius Marc. ait vestem esse militarem. Juven. alibi ostendit esse senatoriam:

— Rapta properabat abolla.

Ergo *majoris abollæ*, i. non militaris, sed philosophicæ, & ideo majoris gravioris que auctoritatis, ut sit; audi quæ quæ fecerit Græcus philosophus, vir magnæ auctoritatis.

116. *Stoicus occidit Baream.*) Excandescit Poeta in perfidiam Græcorum, ostendens & eos, qui studia Sapientiæ profitentur, pecunia corrumpi ad perniciem vel amicorum & familiarium, notatque P. Egnatium, qui falso testimonio pecunia corruptus Baream Soranum amicum circumvenit. Nam quum Torius Servinus eques Romanus Baream Soranum accusasset per calumnias Neroni, quod detecta conjuratione Pisoniana, nihil Proconsul in Asia minore ex communi utilitate fecisset, imo seditiones in provincia aluisset, Nero in eum commotus est. Itaque cognitione Senatui mandata, accitaque Servilia filia, quæ & ipsa facta est rea, quod pecuniam dilargita esset ad devotiones & veneficia pro salute patris: adducti testes sunt, quorum unus P. Egnatius emtus ad opprimendum amicum, Baream Soranum falso testimonio oppugnavit. Sorano igitur & Serviliæ filiæ datum est mortis arbitrium. fuerat autem P. Egnatius cliens Sorani. lege Tacit. in Nerone.

116. *Stoicus.*) P. Egnatius Stoicæ philosophiæ professor. Nam, ut scribit Cornelius, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitii. *Stoici* denominati ἀπὸ τῆς στοᾶς, seu porticu; in qua, ut diximus ante, commorantes disputabant.

116. *Occidit Baream*) falso testimonio.

117. *Discipulumque senex.*) hinc maxime indignatur Poeta, quod magister discipulum oppresserit.

117. *Nutritus in illa.*) Natus in Bœotia ad Heliconem montem, ubi equus Pegasus Neptuni & Medusæ Gorgonis, auctore Hygino, filius, ut alii vero tradunt, ex Medusæ sanguine & cervice a Perseo resecta procreatus ad Heliconem montem devolavit, ubi ungula saxum feriens aperuit fontem, qui *Caballinus* Latine, Græce vero *Hippocrene* est dictus.

118. *Penna Caballi.*) i. Pegasus equus alatus: hic autem est, quem Bellerophon, auctore Strabone, deprehendit potantem ad Pirenen fontem in Acrocorintho, quoque usus est ad interficiendam Chimæram in Lycia. Plinius ait equos pennatos & cornibus armatos *Pegasos* vocari, de quibus etiam videtur intellexisse Cicero in *Oratione pro Quintio: O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuncios seu pegasos habeat.*

119. *Non est Romano.*) In ea domo, ubi aliquis habitat, & conversatur Græcus, nullus Romanus habitare potest: nam inde falsis Græci criminationibus eliminatur.

120. *Protogenes.*) Aliquis Græcus. *Protogenes* est primo genitus. Protogenis pictoris meminit Plin. *lib.* VII

120. *Diphilus.*) *Amicus Jovis.* ἀπὸ τοῦ Διὸς i. *Jove* & φίλου *amore.* [Gr.]

120. *Erimantus*) dici potest, qui *lites disseminando divinat.* ἔρις enim *lis* dicitur, & μάντις *divinus vates*, hoc est, qui suis divinationibus lites dissemmat.

122. *Facilem stillavit in aurem.*) Imitatio Horatiana:

Præceptum auriculis hoc instillare memento.

124. *Limine summoveor.*) a familiaritate & amicitia divitis *rejicior.* Nam a Poetis *limen* pro amicitia poni, docet Serv. apud Virg. *Se limine pelli.*

125. *Servitii.*) servitutis meæ, qui tanquam servus in obsequiis, & negociis sui divitis.

126. *Quod porro officium*) Sed ne forte nobis videar nimis blandiri, & rationes nostras nimium tueri, quod nihil nobis sit, quod agamus in gratiam divitum & potentum: id tamen nobis pauperibus relictum est negotii, ut divitibus officio salutandi occupatis simus comites, nec sine multo labore & animi anxietate. Sicque ostendit pauperis clientis in Urbe difficilem esse vitæ rationem, quando ejus labores maximi sint & inanes.

126. *Quod Pauperis meritum.*) quod beneficium est, quod possit pauper diviti præstare, ut inde aliquid utilitatis consequatur?

127. *Togatus currere*) i. ut sumta toga divitem pauper comitetur. Nam divites ante se habebant, ut diximus, clientes togatos, qui appellabantur *anteambulones.* Habebant etiam, qui pone sequebantur. dicebantur autem *clientes togati*, quia *toga* erat viliorum, quam in officio salutandi sumebant mane. unde Mart. *lib.* III. ad Candidum:

Exigis a nobis operam sine fine togatam:

Non eo, libertum sed tibi mitto meum. [Gr.]

128. *Quum Prætor lictorem impellat.*) Nam & magistratus non pudebat, ut hæreditates captarent, salutare potissimum viduas, divites, & orbos. Sex autem lictores Prætorem, duodecim autem consulem præcedebant cum fascibus virgarum, & securi colligata. Plut. rationem quærens, quare fasces virgarum cum securibus præferrentur, ait: signum fuisse, non oportere magistratus iracundiam promtam ac dissolutam esse, aut quia virgarum dissolutio mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur. Sed malitiam, quoniam partim medicabilis est, partim curari non potest: virgæ, quod mutari potest, corrigunt: secures autem, quod emendari non potest, abscindunt.

128. *Li-*

128. *Lictorem.*) scribit Val. Ruf. appellatum a *ligando*, quod, quum magistratus Pop. Rom. quempiam verberari jussisset, crura ejus & manus *ligari* vincirique a viatore solita sint. Itaque, qui ex collegio viatorum officium *ligandi* habebat, *lictor* est appellatus. Cic. in *orat. pro C. Rabirio*: *Lictor*, inquit, *colliga manus.* Fest. vero ait a *ligando*, quod fasces virgarum *ligatos* imperantibus magistratibus gerit. Tyroni vero Cic. liberto a *lino*, vel *licio* derivari placuit.

129. *Orbis.*) *Orbus* dicitur proprie, qui & oculis, & liberis privatus est. Et filius etiam, qui parentibus est privatus. Ter.

Orbæ, qui proximi sunt, iis nubant.

Persius:

Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?

Inde est *orbitas* & *orbare* verbum, quod est aliqua re chara privare. *Orbis* autem, aut viris, aut viduis vigilantibus jam luce appropinquante.

130. *Ne Prior Albinam.*) Imitatio est Horatii *in Serm.*

Ne prior officio quisquam respondeat, urge:
Sive aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.

131. *Divitis.*) conqueritur Poeta iniquam temporum conditionem incidisse, ut ingenui sint togati & comites hominum divitum libertinæ conditionis.

131. *Claudit latus.*) Comitem se præbet. nam illi dicuntur *claudere*, sive *tegere latus*, qui aliquem comitantur, ut sit honoratior. [Gr.] Ordo autem est: *Filius ingenuorum claudit latus servi*, i. illius, qui nuper servus fuerat, nunc autem libertinus. hyperbolicos autem dicit *divitis servi*, cum nimio stomacho, quasi qui adhuc oleat servitutem.

131. *Heic*) Romæ.

132. *Alter enim.*) Ex libertinis sunt aliqui adeo divites, ut donent Calvinæ vel Catienæ mœchis, quantum tribuni militares accipiunt ex stipendio.

134. *At tu*) O Juvenalis, per quem omnem intelligit Romanum pauperem.

135. *Scorti vestitu*) vestibus ornati, ut pulcrius appareat. ut sic ostendat, vix licere pauperi conducere turpem meretricem.

136. *Chionem*) nomen meretricis, *Chion* autem Græce *nivem* significat, in cujus nomen hoc disticho jocatus est. Mart.

Digna tuo cur sis, indignaque nomine: dicam
Frigida es & nigra es, non es, & es Chione.

Idem de Chione:

Unde datur quadrans, unde vir es Chiones.

137. *Da testem Romæ.*) Conqueritur Romæ fidem non haberi pauperibus, licet viri boni sint, sed divitibus tantum, licet sceleratis. Est ergo sensus: Si testem produxeris tam sanctum, tamque justum, qualis fuit Scipio Nasica, & Numa Pompilius, nulla ei fides habebitur, nisi dives sit: nam statim percunctantur, quo censu sit: de moribus autem (quod primum esset inquirendum) nulla fit mentio.

137. *Hospes Numinis Idæi.*) i. Scipio Nasica, qui hospitio Cybelen excepit: quam & *Rheam*, & *matrem Deorum*, & *Vestam*, & *Deam Phrygiam* & *magnam*, a locis autem *Idæam*, & *Dindymenam*, & *Philenam*, & *Pessinuntiam* nominaverunt. Græci ministros ejus nuncupant uno vocabulo *Curetes*, eosdem & *Corybantes* vocant. lege Strab. De cujus historia ita Liv. *lib.* XXXVIII. *Oratores Rom. Pergamum ad Regem venerunt: is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit: sacrumque iis lapidem: quem Matrem Deum esse incolæ dicebant, tradidit, & deportare Romam jussit; quem Tiberi advectum Scipio Nasica optimus vir a senatu judicatus, per portam Capenam duxit in Urbem, eumque hospitio excepit, quum ita responsum habebatur, ut Numen id ab optimo viro reciperetur, consecraretur que.* & quum Nasica templum ei vovisset, Metellus incepit, Augustus perfecit. Unde Ovidius:

Illa sedens plaustro porta est invecta Capena,
Sparguntur junctæ flore recente boves.
Nasica excepit, templi non exstitit auctor,
Augustus nunc est, ante Metellus erat.

de simulacro *Cybeles*, quod cœlitus demissum constat, multa scribit Herodian.

138. *Vel Numa.*) etiam quasi *Numa* longe fuerit sanctior Scipione. *Numa* enim *Pompilius* ob inclytam ejus religionem ex Curibus civitate Sabinorum accitus est Romam, & creatus rex secundus post Romulum: sacra plurima instituit, ædem Vestæ confecit. Virgines Vestales elegit; Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem: Salios Martis sacerdotes, Pontificem Maximum creavit.

139. *Servavit trepidam.*) *L. Metellum* intelligit, qui orbam luminibus exegit senectam amissis incendio oculis, quum ex æde Vestæ ardenti Pontifex Palladium raperet memorabili caussa, sed eventu misero. Tributum ei, auctore Plin. a Pop. Rom. quod nunquam ulli alii ab condito ævo, ut, quotiens in senatum iret, curru veheretur ad curiam: quod magnum & sublime; sed pro oculis datum.

140. *Protinus ad censum*) devenitur. ut interrogent, quantas possideat opes.

141. *Quot pascit servos.*) Hoc autem ex luxu Romanorum, qui, ut scribit Plin. tantam servorum multitudinem habebant, ut justum exercitum numerum diceres. Pudentilla uxor Apuleji, ut ipse docet in II. *Apol.* servos haud minus quadringentos donavit filiis suis.

 142. Quum

142. *Quam multa.*) quam magno ciborum luxu cœnet. *Paropsis* enim hoc loco pro patina positum est, in qua cibi in mensam feruntur, ut apud Auctores tam Græcos, quam Latinos sæpe usurpatur, a παρὰ τὸ ὄψον, id est *ab cibum*. Licet proprie *paropsis* genus sit juris, auctoribus Polluce & Eustathio. Unde Plautus *in Pseud.*

Terrestres pecudes, aut cecimandro condio, aut paropside.

ubi liquido ostendit Plautus genus esse juris & condimenti. C. S. C.

143. *Quantum quisque sua.*) Sententia corrupti seculi, qualis illa Terent. *in Andr.*

Namque hoc tempore Obsequium amicos, veritas odium parit.

Item Ovid. *Fast.* I.

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique jacet.

hinc est, quod locupletes & assiduos testes vocabant, quia divitias primo spectabant in testibus, non probitatem, quod pauperes ad perjurium facilius adduci posse existimabantur. Itaque obtinuit illud, *Ex censu fides.* C. S. C.

144. *Jures licet & Samothracum.*) Licet pauper per Deos juret peregrinos & Romanos, existimatur omnino uti mendacio, ac per hoc esse perjurus. per *Deos Samothraces*, Deos Penates intelligit, quos ex Samothracia insula maris Aegei in Phrygiam Dardanus, & ex Phrygia Aeneas in Italiam pervexit. Dionysius Halic. scribit *lib.* 1. Deos Penates duos fuisse adolescentes ligneos sedentes, ac pila tenentes, veteris artis opera. multaque subdit de *Samothracia* ex sententia Callistrati & Satyri. De Diis ipsis intellexit Virg. *in* II.

Hos cape fatorum comites, his mœnia quære. [Gr]

135. *Et nostrorum aras.*) Jovis, Junonis, & Palladis. Nam ii præcipue ab Romanis colebantur.

145. *Contemnere fulmina.*) Creditur pauper non timere Deos, ac per hoc securus esse ad perjuria.

147. *Quid quod materiam.*) Proponit Poeta aliam pauperum miseriam, quod male vestiti omnibus sint deridiculo.

150. *Pelle patet.*) Ruptus hiat. C. S. C.

150. *Crassum atque recens linum.*) Crassum, & rude filum, quo ruptura consuta est. C. S. C.

151. *Cicatrix.*) Perstat in translatione. nam quia *vulnus* dixit *consutum*, sequitur, ut remaneat *cicatrix*. & si *cicatrix*, ergo *vulnus*. Est enim *cicatrix* vulneris persanati signum hærens in corpore. C. S. C.

152. *Nil habet infelix paupertas.*) Epiphonemate exaggerat paupertatis miserias. in summa, inquit, pauper ubique jacet. & ridiculus est. C. S. C.

153. *Exeat, inquit.*) Quam infelix sit pauper ab exemplo etiam theatri ostendit. Conqueritur enim, quum antea in theatro omnes promiscue sederent, theatralem nunc illam spectandi promiscuam licentiam in contemptum pauperum esse sublatam. Lucius enim Roscius Otho Tribunus plebis legem tulit, ut in theatro quatuordecim ordines spectandi gratia equitibus tantum Romanis darentur: ii autem in ordinem equestrem transibant, quorum census quadringentorum fuisset sestertium: multi ergo viri boni & nobiles, qui aut ad illum censum non pervenissent, aut forte aliquo casu decidissent, jubebantur magno dedecore omnibus fere spectaculis surgere ab iis, qui præerant. Tota indignatio est in Domitianum, qui legem Othonis temporum vetustate pæne abolitam restituit: quod Tranquillus ostendit his verbis: *Licentiam theatralem promiscuam iniquitate spectandi exhibuit.*

154. *De pulvino equestri.*) i. ex quatuordecim gradibus theatri, quæ & *equestria* dicebantur. Seneca *lib.* VII. *de Beneficiis*: *Equestria omnium equitum Romanorum sunt.* Et item: *Sed quum in theatrum venissem, plena sunt equestria, & jure habeo locum illic, quia mihi sedere licet.* Tranquil. *in Caligula*: *Ut equestria ab infimo quoque occuparentur.* *Popularia* dicebantur, ubi plebs sedebat. Tranquillus *in Domitiano*: *Et quia pars major intra popularia deciderat.* *Pulvinum* autem *equestrem* appellat, sedilia ipsa theatri ad similitudinem fortasse *pulvini* plumei, quod non aliter in sedilibus requiescimus toto corpore sedentes, quam in *pulvinis* reposito capite. Nam *pulvinus* dicitur, quasi *pluminus*: eo quod *plumis* refertus sit.

155. *Cujus res.*) Ille surgat, cujus census

155. *Non sufficit legi.*) Non tantus est, quantum jubet lex Roscii Othonis.

155. *Et sedeant hic.*) Hoc dictum ex summa indignatione Poetæ. Sedeat, inquit, heic in quatuordecim gradibus turpissimus quisque, modo dives sit.

156. *Lenonum pueri.*) Vilissimi quique vel cinædi, qui lenonibus servierunt. Multi enim ex servili conditione, & ad opes summas, & dignitatem equestrem pervenerant, omnibus deliciis affluentes. Unde legimus apud Plin. *lib.* XIII. *cap.* III. quendam ex servis Neronis solitum unguento lavari, imitatum Caium principem, qui idem fecerat. *Lenones* dicuntur, auctore Ulp. qui quæstuaria mancipia habent, sed & qui in liberis quæstum hujusce exercent, in eadem caussa sunt: sive autem hoc principaliter negocium gerunt, sive alterius negociationis accessione utuntur, ut puta, si caupo fuerit, vel stabularius, & mancipia talia habuerit ministrantia, & occasione ministerii quæstum facientia, *Lenocinium facere* non minus est, quam *corpore quæstum exercere.*

155. *Fornice.*) Lupanari, & loco *fornicato*, qualia domicilia solent inhabitare scorta. Alibi:

— *Nudum*

— *Nudum olido stans*

Fornice mancipium. —

157. *Nitidi.*) Lauti, & splendidi opibus.

157. *Plaudat.*) Nam spectatores in theatro *plausu* victoribus favebant, excipiebantque in theatrum Principes, de quibus bene sentiebant; de quibus autem male, sibilo. unde Horat. loquens de avaro:

— *Populus me sibilat, at mihi plaudo*

Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

157. *Praeconis.*) Praeco a *praecinendo* est dictus. Est enim is, qui clara voce edicta magistratuum, quique precia rerum in publicis venditionibus pronunciat.

157. *Inter pinnirapi.*) Filius nitidi praeconis plaudat inter *juvenes cultos pinnirapi*, & *juvenes lanistae*. i. inter eos, qui ex gladiatoribus ad magnas opes provecti sunt, & nunc sedent, ut nobiles in quatuordecim. vel Filius praeconis heic plaudat, & juvenes pinnirapi, & juvenes lanistae plaudant inter cultos, i. inter comtos & nitidos; ac per hoc Romanos & equestris ordinis. *Pinnirapus* autem dictio est composita ex duobus corruptis ex *pinno* & *rapio*, sicut apud Plautum *in Pseudol. Bustirapus*, signatque retiarium alterum ex gladiatoribus, qui pinnam & summitatem galeae mirmillonis immisso reti capiebat, quum cantaret: *Piscem peto, non te peto, quid me fugis Galle*: nam mirmillonicum genus armaturae Gallicum est: ipsique mirmilones ante *Galli* vocabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. quod genus institutum fertur a Pittaco uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynonem dimicaturus propter controversias finium, quae erant inter Atticos & Mitylenaeos, rete occultato, impedivit Phrynonem.

158. *Lanistae.*) *lanistae*, *lanii*, *laniones* sunt a *laniando*, sed ita inter se differunt, ut *lanii*, sive *laniones* dicantur, qui carnes vendunt populo, easque concidant & *laniant*: unde Apul. *lanienam* formavit vocabulum, quod pro cruciatu & veluti quadam *laniatione* saepe posuit. Plaut vero *in Epid. lanienam* appellat locum, ubi pecudes mactantur a *laniis*, his verbis: *Defessus sum quaerere per medicinas, tonstrinas, in gymnasio, atque in foro; per myropolia & lanienas. Lanistae* vero erant, qui gladiatorum familias habebant venales, easque digladiari docebant: unde Tranq. *in Caes. Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Rom. ac etiam senatores armorum peritos erudiebat.* dicti ergo *lanistae*, quod praeessent hominibus *laniandis*.

159. *Sic libitum*) est cum indignatione dictum. quasi dicat, nulla fuit hujus distinctionis honesta ratio, sed *sic libuit*. Sicque Poeta ostendit contumeliosam divitum adversus pauperes superbiam. Est autem *libet* unum ex verbis, quae apud veteres geminant praeteritum: ut *libuit libitum est*, *licuit licitum est*, *placuit placitum est*, *puduit puditum est*, *nupsit & nupta est*, *prandit & pransus est*, *coenavit & coenatus est*.

160. *Quis gener.*) Alia est querela paupertatem ubique contemni. Nam si ducenda uxor est, repudiatur gener, nisi opibus par sit puellae; sicque ostendit hominum fortunam, non virtutem quaeri.

160. *Censu minor*) Qui divitiis non sit par puellae.

162. *Quando in consilio est aedilibus.*) Conqueritur Poeta pauperem ab omni reip. administratione, & cura, tanquam nulli rei aptum arceri a magistratibus. Quasi dicat: Aediles, qui minimi sunt magistratus, qui que res minimas in Urbe curant, si quid in consilio publico facturi sunt, ne quidem pauperem in consilium admittunt. Nam *aediles* praeerant mensuris, ut in sequentibus.

Et de mensura jus dicere, vasa minora

Frangere. —

Et minimi erant magistratus: adolescentes prima commendatione creabantur. Cicero de *Leg.* II. *Suntoque Aediles curatores Urbis annonae, ludorumque solennium: ollisque ad honoris amplioris gradum primus accessus esto.* Erit ergo argumentum a minore ad majus, ut sit sensus: Si a minore magistratu pauper contemnitur, multo magis a majore. Per quod Poeta seculum suum inscitiae damnat, quod homines tantum ex censu considerandos putet. Hincque est illud Plinii *in procem.* XIIII. *lib. Postquam senator censu legi coeptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nil magis exornare, quam census, pessum iere vitae pretia, omnesque a maximo bono, liberales dictae artes, in contrarium recidere.*

162. *Agmine.*) Damnat ex nimia indignatione consilium priscorum pauperum, qui, quum per seditionem in montem Sacrum secessissent, in Urbem tamen hortatu Agrippae redierunt, quum debuissent omnino migrare. Plebs enim, quum tributum & militiam tolerare non posset, a Patribus secessit in montem, qui postea ob id *sacer* est dictus. Et quum inde revocari nequiret, Menenius Agrippa legatus recitata fabula Aesopi, qua ostenduntur artus humani a ventre discordasse, moxque quum omnia ob discordiam deficerent, in gratiam redisse, sic populum cum Senatu reconciliavit, creatis tamen tribunis plebis, quibus libertatem suam adversus superbiam Nobilitatis defenderent.

162. *Facto.*) collecta omni multitudine, vel facto impetu. Nam *agmen* sermo est πολύσημος. significat enim impetum, ut illud Virg:

— *Illi agmine certo*

Laocoonta petunt. —

C. Item:

— *Leni fluit agmine Tibris.* S.

et multitudinem, ut:

— *Vocat agmina saeva sororum.*

etiam exercitum incedentem *agmen* vocamus.

163. *Migrasse.*) Ita abiisse, ut nunquam redirent in Urbem, ubi tanto sunt contemtui.

165. *Res angusta domi.*) Tenuis facultas rei domesticæ.

165. *Illis.*) pauperibus.

166. *Magno hospitium.*) Ratio est, quare ad felicitatem durior sit conatus Romæ.

166. *Magno*) constat. dicimus enim *magno*, *parvo*, *plurimo*, & *minimo* absolute, quum verbis significantibus precium sunt adjuncta; sed non *tanto* & *quanto*, verum tanti & quanti, pluris & minoris. Liv. *lib.* II. *Magno illi ea cunctatio stetit.* C. Cic. de Fin. III. *Virtutem magno æstimandam puto.* S.

166. *Hospitium.*) Domus conductitia.

166. *Miserabile.*) Quod te etiam possit ad misericordiam movere. Nam *miserabilis* ille est, qui sua miseria nos, ut sui misereamur, movet. Unde Ovid. monet amantem, ut se miserabilem puellæ ostentet, id est, plenum ærumnarum, ut puella ejus misereatur:

Ut voto potiare tuo, miserabilis esto.

168. *Fictilibus.*) Conqueritur ita auctum esse per divitias omnium rerum luxum: ut Romæ homines etiam pudeat cœnare in fictilibus, ne sint ludibrio. Ci qui, si repente ad *Marsos*, aut ad *Sabellos*, qui iidem Sabinis sunt, transferantur, minime hoc sibi turpe esse existimabunt. Nam frugalitate semper laudati fuerunt *Sabini*, & vicini populi, ut est apud Liv. Virgilium, & Ciceronem. S.

168. *Quod turpe negavit.*) Curius Dentatus exemplo cœnæ suæ ostendit turpe non esse etiam in fictilibus cœnare. nam quum is forte bellum gereret adversus Samnites, ab eorum Legatis inventus est, quum in igne rapa versaret, cœnaretque in fictilibus, per quod docuit frugalitatem maxime tenendam, vitamque simplicem & sine ambitione veteribus Romanis fuisse. Nam ut scribit Horatius:

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum. —

169. *Translatus subito ad Marsos.*) *Sabelli*, ut scribit Sempronius & Cato *de Originibus*, proles sunt *Sabinorum*, ut nomen est argumento. *Sabinia* autem regio est, ut docet Strab. *lib.* V. quæ inter Latinos & Umbros jacet, extenditurque ad Samnitum montes propinquior Apennino ad Vestinos, Pelignos, & Marsos. unde scite Poeta *Marsos* nominavit & *Sabellos*, quando vicini contiguique sint: adversus quos Curius bellum gerens visus est in fictilibus cœnare. Nec mirum si eodem anno, iisdemque propinquis regionibus pari Curius vixit frugalitate, ut non magis apud Samnites, quam apud *Sabinos* & *Marsos* fictilibus cœnaverit. *Marsi* enim non longe sunt a Samnitibus & *Sabinis*, ut diximus: de quibus etiam Dionysius de Situ Orbis: *At Samnites deinde positi intra magis continentem atque Marsi, qui velocitate pedum plurimum ad cursum præstant.*

170. *Cucullo.*) genus est vestis villosæ ad arcendas pluvias & frigora. Col. *lib.* I. *cap.* VIII. Culiam *inquit* vestitamque familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitam diligenter a vento, frigore pluviaque, quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel sagis cucullis. Sidonius: *Per quos nocturnalem cucullum, quo membra confecta jejuniis inter rogandum cubandumque dignanter tegare, transmisi; quanquam non opportune species villosa mittatur hyeme finita, jamque temporibus æstatis appropinquantibus.* Jul. Capitolinus in vita Veri.: *Vagabatur nocte per tabernas & lupanaria, obtecto capiti cucullione vulgari viatorio.* [Gr.]

170. *Veneto.*) Coloris veneti. Vegetius *de Re Militari*: *Ne tamen exploratoriæ naves candore prodantur, colore Veneto, qui marinis fluctibus est similis, vela tinguntur: ut nautæ non tantum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant exploratores.* cum colorem aliqui putant illum esse, quem *blavum* dicimus, quo vestes viliores tinguntur. Mart.

Si veneto prasinoque faves, qui coccina sumis.

170. *Duro.*) Crassiore lana.

171. *Pars magna.*) Ita ostendit Poeta minori impensa alibi vivi, quam Romæ.

172. *Nemo sumit togam.*) Ista non vivitur ambitione, ut clientes *togati* adeant divitibus salutandis, ut fit Romæ. Nam ut diximus supra, *toga* erat viliorum, quæ sumebatur a clientibus, quum ibant ad salutandum.

172. *Nisi mortuum.*) Nam *toga* ornabantur mortui. Martialis:

Aut pallens toga mortui tribulis.

172. *Ipsa dierum Festorum.*) Nullam videbis differentiam inter senatores & Plebejos, ut est Romæ. Ut omnia referas ad parem habitum vestium: ut nulla inter eos sit per vestes distinctio: sed nobiles & plebeji sint similes. per *orchestram* autem designat Senatores, & nobiles. Nam *orchestra* locus erat in scena, ubi Senatores sedebant, de qua Vitr. *In orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata, & ejus pulpiti altitudo sit, ne plus pedum quinque: ut qui orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus.* Nam scenici artifices suas per orchestram præstant actiones, sicuti scribit Vitruv. *lib.* V. *de Architectura.* ὀρχέομαι apud Græcos idem est, quod *salio*. unde ὀρχηστὴς i. *saltator* & ὀρχήστρια *saltatrix*, & ὀρχήστρα i. *locus saltationis scenicæ.*

173. *Theatro herboso.*) Nam in municipiis theatra

in pratis ex cespite plerunque exstruebant: unde Propertius:

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi, in prato sæpe senatus erat:
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro:
Pulpita solennes non oluere crocos.

Theatrum Latinæ *spectaculum* dicitur.

174. *Ad pulpita notum.*) Nam in theatris exstruebantur scenæ & pulpita ad commodum spectantium. lege Vitr.

174. *Notum Exodium.*) Sæpius recantatum. Nam, ut scribit Liv. *lib.* VII. *Exodia ridicula fuere, intexta versibus, quæ juventus inter se more antiquo jactare cœpit.* eaque conserta sunt fabulis potissimum Atellanis. quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus. Alibi Poeta:

Urbicus exodio risum movet Atellanæ.

C. *Exodium*, inquit Pollux, est carmen, quod e comœdiis exeuntes cantabant. S.

175. *Quum rusticus.*) Pueri enim, qui una cum matribus spectabant, ludiones personatos expavescebant. [*Cr.*].

177. *Æquales habitus.*) Similia omnibus vestimenta, ita ut Senatores a Plebejis genere vestium non distinguantur, ut fit Romæ. Nam *purpura*, ut scribit Plin. *lib.* IX. *distinguit ab equite curiam.* Est enim *prætexta* senatorum. Ea etiam fuit magistratuum & pueritiæ, de qua alibi uberius.

178. *Clari velamen honoris.*) Appositio est, scilicet albæ tunicæ, quæ sunt *velamen clari honoris*, hoc est, quæ lacernæ dantur ædilibus, qui ludis præsunt. Nam ædiles fuisse in municipiis paullo ante ostendimus.

179. *Sufficiunt tunicæ.*) In municipiis non omnes vivunt ea ambitione, qua in Urbe, ut omnes habeant in theatro tunicas albas, sed tantum ædiles, qui ludis præsunt; Romæ autem omnes spectantes lacernas habent albas. Martialis:

Et plebs, & minor ordo maximusque,
Sancto cum duce candidus sederet.

Idem in *distichis* de *Lacernis*:

Amphitheatrales nos commendamur ad usus.

180. *Hic ultra vires.*) Tanta in Urbe vivitur ambitione, ut unusquisque etiam supra vires studeat ornatui.

181. *Interdum aliena sumitur arca.*) Alibi:

Ut spectet ludos conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas.

182. *Ambitiosa Paupertate.*) Ut cum simus pauperes, velimus videri divites, & alicujus precii. Est enim *ambitio* honoris cupiditas.

184. *Quid das.*) Conqueritur tantam esse divitum superbiam, ut pauperes in amicitiam suam non admittant, nisi per multa munera. per *Cossum* autem, & *Vejentonem*, intelligit nobilissimum quemque. Nam *Cossorum* familia nobilis fuit: de *Vejentone Fabritio* alibi Juvenalis:

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo.

Alibi:

Accepta rude cœpisset Vejento videri.

Fabritii Vejentonis meminit Plin. *in Epist.* IV. Vixit sub Domitiano & Nerone.

186 *Ille metit barbam.*) Eo miseriæ ventum est, ut si forte puer divitis, aut barbam, aut capillum deponat, statim pauper in gratiam divitis mittat munera, ut diem festum celebret. Nam qui barbam aut capillum deponebant, solemni quodam modo alicui Numini dedicabant. Suet. de Nerone: *Inter Euchysiæ apparatum barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, & preciosissimis margaritis adornatam, Capitolio consecravit.* Martialis:

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini Centurionis amor.

Idem loquens, de *Earino* liberto Domitiani, qui Æsculapio crines suos in pyxide aurea reconditos misit, sic scribit:

Accipe laudatos, juvenis Phœbeie, crines,
Quos tibi Cæsareus donat habere puer.

Et alibi:

Consilium formæ speculum, dulcesque capillos:
Pergameo posuit dona sacrata Deo.

186. *Amati.*) Quem habet in deliciis.

186. *Plena domus libis.*) id est: Statim pauperes, ut gratiam Domini ineant, donant *liba*, & alia, quæ puer deinde vendat, ut peculium sibi comparet, & augeat, sequitur enim: *cogimur augere peculia servis.*

187. *Libis.*) *Libum* genus erat placentæ, quod offerebatur Diis, dictum a *libando*. Ovidius:

Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque, quod sicitis, pars datur inde focis.

Mittebantur igitur *liba*, quasi quæ die festo Diis offerrentur. Cato de *Re Rust.* docet confecturam ejus: *Libum hoc modo facito, casei pondo* II. *in mortario bene disterat, ubi bene distriverit, farinæ siligineæ libram, aut si voles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem indito, permisceto que cum caseo bene, ovum unum addito, & una bene permisceto. inde panem facito, folia subdito, in foco calido sub testa coquito leviter.*

187. *Accipe, & illud.*) Accipe & illud malum, unde tibi sit indignandum, & irascendum: sumta translatione a *fermento*, quod intumescit.

188. *Præstare tributa clientes.*) Et hæc est indignatio, quod etiam clientes & familiares Domini coguntur in gratiam ejus dare munera servis, qui grati sint ei. Horat.

Horat. *Sat.*

Difficiles aditus primos habet: haud mihi deero;
Muneribus servos corrumpam, non hodie si
Exclusus fuero, desistam, tempora quæram.

189. *Peculia.*) [*Gr.*] Apud Auctores *peculium* pro omni patrimonio identidem capi manifestum est. Plin. *lib.* XXXIII. *Romæ simulacrum ex ære factum Cereris primum reperio ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat.*

189. *Servis cultis.*) Dilectis a Domino.

190. *Quis timet.*) A contrario per comparationem ostendit commodius habitare pauperem foris, quam in Urbe.

190. *Præneste gelida.*) *Aciem Præneste sub ipsa*, oppidum est, ut scribit Strabo *lib.* v. in conspectu Romæ situm in colle. nomen autem accepit, auctore Solino, a *Præneste* Ulyssis Nepote Latini filio: [*Gr.*] *gelidam* autem appellat, quia in monte sita est.

191. *Volsiniis.*) Oppidum Hetruriæ. Strabo: *Ceterum in mediterraneo præter jam dictas Urbes exstant Arretium, Perusia, Volsinii, Sutrium.*

192. *Gabiis.*) *Gabii*, auctore Strab. exstant in via Prænestina siti: ubi Latomiæ sunt.

192. *Simplicibus.*) Ex historia *simplices* appellat, quod Tarquinius Superbus, quum virtute superare Gabios non posset, dolis aggressus est. quum enim velut posito bello fundamentis templi faciendis, aliisque Urbanis operibus intentum se esse simularet, Sextus filius ejus, qui minimus erat, transfugit ex composito Gabios, patris in se sævitiam intolerabilem conquerens. jam ab alienis in suos vertisse superbiam. se quidem inter tela & gladios patris elapsum. nihil usquam sibi tutum, nisi apud hostes Tarquinii credidisse. Et ne errarent, imminere iis bellum, quod positum simulatur, & per occasionem eum in cautos invasurum. Benigne itaque a *Gabiis* excipitur, Duxque constituitur adversus patrem, qui mox monente patre primoribus Urbis partim interfectis, partim in exilium actis *Gabios* in manum Patris tradidit. ergo *simplicitate* sua capti sunt.

192. *Proni Tiberis.*) Oppidum est non longe ab Urbe Roma situm in monte, quod conditum fuit a tribus fratribus: *Tiburto*, *Catillo*, & *Cato*, quos Virg. Argivos fuisse ostendit:

Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Horat. item:

Tibur Argeo positum colono.

de *Tibure* ita Strabo *lib.* v. *In Romæ vero conspectu sunt Tibur, Præneste, & Tusculum: Tibur quidem Herculeum est.*

192. *Proni.*) Penduli, veluti in suspicientes ruituri.

193. *Fultam.*) Sustentatam, ac per hoc veterem, & jam casus minantem.

193. *Tibicine.*) Sustentaculo. Nam *Tibicines*, auctore Festo, in ædificiis dici existimantur a similitudine tibiis canentium, qui sicut cantantes sustinent, ita illi ædificia tenent. Itaque apparet *tibicinem* capi pro omni sustentaculo, ut apud Ovid *in* IIII. *Fast.*

Hæc modo versabat stantem tibicine telam.

a Grammaticis etiam *tibicines* appellantur particulæ, quibus versus replentur.

194. *Labentibus*) tectis, quæ in eo sunt: ut labi videantur.

195. *Villicus.*) Servus ille, qui ruris curam habebat, *villicus* appellatus est.

197. *Ubi nulla incendia.*) Eleganter ostendit in Urbe crebra & horrenda *incendia* oriri, non sine summo pauperum damno. nam plerunque jam cœpto incendio dives, qui inferiores ædium partes tenet bona sua ab igne transtuli, quum interea pauperem ignis absumit ignarum, utpote, qui domus superiora incolat. Nam inquilinis & pauperibus superiora domus locabantur. Mart.

Et scalis habito tribus, sed altis.

198. *Frivola.*) Etiam vilissima quæque, & fragilia a *frio* verbo, quod significat aliquid attrectando in pulverem, & partes minutas convertere, quo verbo sæpe utitur Plin. ut est illud *in* XIII. ubi loquitur de palmis: *In ipsa quidem Æthiopia friatur, hæc tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem.* Idem *in* XII. *Friatum amomum* appellat, i. contritum. Idem in eodem loquens de Ladano: *Id quoque terrenum est & friabile.*

199. *Ucalegon.*) Dominus domicilii tui, qui subter te habitat in primis tabulatis, alludit autem ad carmen illud Virg.

— Jam proximus ardet
Ucalegon —

200. *Ab imis gradibus.*) Ab imis scalis, & primis tabulatis.

201. *Tegula sola tuetur.*) Id est, qui habitat in suprema parte ædium sub tegulis, designat autem cœnacula, quæ superiores partes domus dicuntur, quæ inquilinis locari consueverant. Unde alibi:

— Rarus venit in cœnacula miles.

203. *Lectus erat Codro.*) Ostendit Umbritius, pauperem ubique infelicem esse exemplo Codri. Nam si pauper bona sua aut incendio, aut alia calamitate amiserit, neminem invenit, a quo juvetur. At si dives ardeat, statim præsto sunt, qui subveniant.

203. *Lectus*) discubitorius. Nam & vasa commemorat pertinentia ad triclinium.

203. *Co-*

203. *Codro.*) Pauper fuit Poeta tragicus, de quo initio operis:

— Rauci Theseide Codri.

203. *Procula minor*) Tam modicus, ut vix caperet Proculam uxorem discumbentem.

203. *Urceoli sex.*) Vasa sex potoria, quæ in abaco *sena* tantum reponi ostendit Poeta. unde Plin. *lib.* XXXVII. *cap.* 11. de Pompeji triumpho: *Vasa ex auro & gemmis abacorum novem.* Cic. *in* V. *Tusc.* *Abacosque quamplures ornavit argento auroque cælato*, quibus verbis colligitur *abacum* mensam esse, ubi vasa escaria potoriave reponerentur. unde Plin. *eod. libro & cap.* *Abacis etiam escariisque vasis inde expetitis.* Et paullo infra eodem capite: *Murina humorem putant sub terra colore densari, amplitudine nusquam parvos excedunt abacos.* Ausonius:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Ea etiam fiebat ex marmore, & appellabatur *Delphica.* sequitur enim *sub eodem marmore Chiron*, id est sub *Delphica*, ita enim exponit Porphyr. illud Horatianum:

— Et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet. —

204. *Infra*) abacum i. sub abaco & mensa marmorea erat & cantharus.

205. *Cantharus.*) Græcum est vocabulum, estque genus vasis potorii ansati, de quo sæpe apud Plautum fit mentio, ut in *Pseud.* *Datur cantharus, bibi.* quod Virg. auctore Macrob. proprium Liberi patris poculum, assignat Sileno:

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

205. *Chiron.*) Aliqui intelligunt *Chironem* marmore sculptum sustinentem Delphicam, id est poculorum mensam, sed melius est intelligas opus compositum de *Chirone*, ut planius paupertas *Codri* ostendatur, qui ne haberet quidem commoda librorum suorum repositoria. *Chiron* autem Centaurus fuit Saturni ex Philyra filius, nam, ut scribit Aratus, Saturnus, quum per Thraciam filium Jovem quæreret, in equum conversus cum Philyra concubuit. inde natus *Chiron*, qui priore parte speciem habebat hominis, posteriore vero equi. Navigavit, teste Orpheo, cum Argonautis quorum etiam fuit medicus, & usum multarum herbarum invenit, inter quas & *Centauream.* Achillis magister fuit. Ad hunc in monte Pelio quum divertisset Hercules, & sagittas ejus manibus mirabundus pertractaret, e manibus una sanguine hydræ Lernææ tincta in pedem decidit, cujus vulnere quum angeretur, miseratione Deorum in cœlum post novem dies est translatus inter astra. unde Ovid. in Fastis:

Nona dies aderat, quum tu justissime Chiron,
Bis septem stellis corpore cinctus eras.

de hoc ergo a Poetis fabula cantata erat. multa etiam apud *Achilleida* Statii diximus. [Gr.]

207. *Mures opici.*) Per lusum dicit, quasi rudes & barbari, nec qui Latine sciant, unde Sidonius: *Turbida, & præceps, & Opica.* translatio, deducto vocabulo ab *Opicis* populis Campaniæ, qui eam regionem priscis temporibus tenuerunt, de quibus Strabo sic scribit: *Antiochus sane reliquit scriptum, hanc olim ab Opicis regionem habitatam fuisse, istos autem Ausonios appellatos. iidem etiam vocati sunt Osci*, de quibus Festus Pomp. *Opicum quoque invenimus pro Osco. Opicos*, etiam populos antiquissimos Italiæ fuisse docet Thucydides *lib.* VI. *Siculi autem ex Italia (ibi namque habitavere) fugientes, Opicos in eandem insulam trajecerunt.* De *Opicis* item meminit *Dionys. Halic. lib.* I. Thucydidem secutus. *Opicos* ergo sive *Oscos* rudes & incultos fuisse docet Titinnius Poeta his verbis:

Osce & Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.

Vocabulum ergo usurpabatur ad exprobrandam veræ Latinitatis ignorantiam: unde & VI. *Satyra* appellat mulierem *Opicam*, quasi Latine nescientem:

— Atque Opicæ castigat amicæ
Verba. —

Unde exstat & illud dictum Catonis in Græculos: *Nos spurios dicunt & Opicorum cognomento dedecorant.* Ausonius:

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister, sic eum docet Phyllis.

Alii dicunt *Opicos* appellari eos, qui Græce nesciant, licet Latine non sint indocti, ut per lusum *mures* Poeta appellet *Opicos*, qui carmina Græca rodebant, quæ nec intelligebant: in qua opinione videtur esse Gellius *lib.* X. *cap.* XVI. *Percunctanti cuipiam, qui literarum, & vocum Græcarum expers fuit cujusnam liber, & qua de re scriptus esset*: Ei paullo post subdit: *Tunc ille Opicus verbis meis inchoatis, & inconditis adductus.* *Opicum* ergo capit pro eo, qui literarum Græcarum esset ignarus.

208. *Nil habuit Codrus.*) Eo paupertatis redactus erat, ut nihil omnino haberet. et tamen illud *nihil* totum amiserit, nec invenerit alicunde calamitati suæ subsidium, adeo paupertas infelix est. At si dives aliquo fortunæ impetu de feliciore statu dejiciatur, statim habet suppetias amicorum paratas.

209. *Ultimus autem ærumnæ cumulus.*) Sed hoc est omnium miserrimum, quod quærendo, petendoque nihil invenit.

212. *Si magna Asturici.*) Hinc toto est indignatio Poetæ, quod homines vel sceleratissimi, modo divites sint, magis respiciantur, quam pauperes honesti.

212. *Horrida mater.*) Mulieres Romanæ squalidæ hunc quasi communem casum lugent, quemadmodum

dum constat & publicas calamitates sæpe luxisse.

213. *Pullati*) sunt, id est, atrati, & vestes lugubres induti. *pullum* enim nigrum significat. Virg.

— ne maculis infuscet vellera pullis.

Tranquillus *in Aug. Sanxitque, ne quis pullatorum media cavea sederet.*

213. *Differt vadimonia prætor.*) Differt dictionem juris, sive sponsiones sistendi se in judicio, ac per hoc jura ipsa. C. Est autem *vadimonium* (ut breviter dicam) sponsio quædam sistendi in judicio ad diem dictam & constitutam, per se, aut per advocatos, quod deserere non licet. hinc *vadari*, id est *vadimonio* obstringere, sive diem judicii ex compacto constituere, & in jus vocare. Cic. *pro Quintio: Hominem in præsentia non vadatur, ita sine vadimonio disceditur.* Ponitur tamen interdum *vadimonium* simpliciter, pro judicio & actione judiciali. Cic. *ad Atticum lib.* II. *In hominem ire cupiebam, non, me hercule, ut differrem cum eo vadimonium, nam mira sum alacritate ad litigandum.* S. *Vadimonium* vocabulum quidem occursu frequens est apud Auctores, sed difficile intellectu. variis enim modis usurpari ab scriptoribus dubium non est. Videtur aliquando capi posse pro sponsione ad diem sistendi se in judicio vel per se vel per advocatos, ut in Horat. Cic. *pro Quintio* datur intelligi. ubi longa est altercatio de *vadimoniis*, altera parte dicente fuisse sibi *vadimonia* deserta, altera vero nequaquam a se fuisse facta. qua significatione videtur accepisse Tranq. *in Caligula*, ubi ait: *Ut litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent caussa caderent*, quasi ad sponsionem factam sistendi se in judicio ad diem constitutum. Aliquando pro citatione in jus. Plautus in *Curcul.*

Ubi tu es, qui me vadatus es vadimoniis Venereis. id est, qui me citasti in judicium citationibus Venereis. Val. *lib.* III. *Nam quum oppidum Badiam circumsederent, Scipio tribunal suum adeuntes in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diem facere jussit.* Sen. *lib. de Ira: Quid si propter usuram aut millesimam valetudinarius fœnerator, distortis pedibus, & manibus ad comparandum non relictis clamat, ac per vadimonia asses suos in ipsius morbi accessionibus vindicat*; hoc est, asciscit & consequitur per citationes, & jura forensia. unde & Porphyr. *in Horat.* scribit: *Horatium consulit, an permittat attestari injecta manu extracturus ad prætorem, quod vadimonio non paruerit*, hoc est citationi. Idem Porphyr. alibi refert, se incidisse in hominem molestum, neque se ab eo avellere potuisse, nisi adversarius supervenisset, a quo *vadimonium* sibi dicendum est, id est citatio in jus. capi etiam videtur pro jurisdictione. Livius: *Prætores, quorum jurisdictio erat, tribunalia ad disciplinam publicam posuerunt, eo vadimonia fieri jusserunt, ubique eo anno jus dictum est.* Gellius *lib.* VII. *Tum e militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem vadimonium promitti juberet.* ubi liquido apparet, *vadimonium*, ut sit de quo die, quove loco velit me dicere, poni pro *jurisdictione*. Macrobius *lib.* I. *Sat. Comperendini dies sunt, quibus vadimonium licet dicere.* Plinius *lib.* VII. *Bæbius judex, dum vadimonium differri jubet, mortuus est*; hoc est dictionem juris. Sen. *Epist. Tam ridicule facio, quam ille, quisquis vicisse se putat, cum vadimonium distulit.* Idem *lib.* I. *Non videor tibi plus prodesse, quam quum ad vadimonium advocatus descenderem.* Apul. vero *lib.* X. pro *effectu* posuisse videtur, quum scribit: *Promissæ libidinis flagitat vadimonium*, quasi dicat effectum, id est, ut efficiat, quod promisit. Idem *lib.* XI. *Jamque dies aderat divino destinatus vadimonio.* heic videtur poni *vadimonium* pro promissione, quasi Deus promisisset ei pristinæ formæ recuperationem.

214. *Tunc gemimus*) ardente Arturio, homine divite.

218. *Vetera ornamenta.*) id est, Quæ antea diu fuerant in templis Deorum.

218. *Deorum Phæcasianorum.*) id est Deorum, quos *Phæcasii* sacerdotes colebant. nam *Phæcasios* sacerdotes fuisse ostendit Appian. *lib.* V. *de bello Civili*: *Calceamenta candida, qualia Atheniensium sacerdotes & Alexandrinorum, quos Phecasios vocant, deferre consueverunt.* A calceamentis igitur, quæ *Phæcasia* dicebantur, apparet tales sacerdotes esse denominatos. Calceamenti meminit Sen. *lib.* VII. *de Beneficiis: Pythagoricus quidam emerat a sutore Phæcasia.* Item *ad Lucil. Si quem palliatum aut phæcasiatum conspexeris.* Divus quoque Hieron. *contra Jovinianum*: *Bacirianis ad hoc ipsum nutritis objiciunt senes, quod, cum Alexandri præfectus Phæcasianum emendare voluisset, pæne amisit provinciam.*

219. *Mediamque Minervam.*) Statuam Minervæ in medio reponendam, ad exornandam bibliothecam.

220. *Modium argenti.*) Potest capi pro mensura *modius*, ut magnas Persici opes significet. C. S. C.

220. *Reponit.*) Vel donat, vel recondit.

221. *Persicus orborum lautissimus.*) Persicus, Pactius, Gallita, Laronia pro nobilibus & ditissimis orbis ponuntur.

223. *Si potes avelli Circensibus.*) Notat populum Rom. qui *ludis Circensibus* ita delectabatur, ut nihil illi majori curæ esse videretur. unde alibi:

— Atque duas tantum res anxius optat
Pana, & Circenses. —

Alibi:

Totam hodie Romam circus capit. —

Item

Item alibi :

— *Illa*

Mæstitia est caruisse anno Circensibus uno.

Nam hi ludi, qui tanta omnium spectabantur delectatione, in circo maximo fiebant. Unde & nomen sortiti sunt. Iidem etiam etiam appellati sunt *Romani & magni*. In *circo* autem, qui *maximus* dicitur, Tarquinius Priscus, ut docet *Liv. lib.* I. Romæ primus locum designavit, in quo ludos longe instructius opulentiusque fecit, quam priores reges. *Circum* autem *maximum* dictum esse scribit Varro, quod *circum* spectaculis ædificatis ibi ludi fiunt, & quod ibi circum *metas* fertur pompa & equi currunt : *Maximus* autem appellatus est, quod amplitudine longe major esset, quam *circus intimus*, & *circus Flaminius*. Nam, ut scribit Plin. *lib.* XXXVI. longitudine unius, sed cum ædificiis quaternum jugerum. Capiebat autem ducenta & sexaginta millia hominum sedentium. Ludi autem instituti fuerunt in honorem Cybeles, magnæ Deorum matris, qui vocabulo Græco dicti *Megalenses*, Latino *magni*, ἀπὸ τῆς μεγάλης μητρὸς, hoc est a magna Matre. Unde est illud apud Juvenalem in XI. Satyr.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ

Idæum solemne colunt. —

Asconius tamen Pedianus ait, *ludos magnos* esse appellatos, quod *magnis impensis* sint dati. Nam primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. vel quod *Diis magnis*, id est Laribus urbis Romæ dati sint, quibus ajunt raptas Sabinas esse. C. Virg. *lib.* VIII.

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas,

Consessu caveæ magnis Circensibus actis. — S.

Nam & *Circenses ludi* iidem etiam *plebeji* sunt appellati, quod initio veris stato, solemnique die celebrabantur magno totius *plebis* studio & delectatione. *Plebejos* autem ait Asconius appellatos, quod exactis regibus pro libertate plebis facti sunt, aut pro reconciliatione *plebis*. Ludi etiam *Circenses* in honorem Cereris celebrabantur. unde Corn. Tacitus *lib.* VI. de Nerone principe loquens : *Tandem statuta Circensium ludorum die, qui Cereri celebrantur, exsequi destinata, quia Cæsar rarus egressu, domoque, aut hortis clausus, ad ludicra circi ventitabat.* Et paullo post : *Utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equitum cursibus celebraretur.* Ovid. *in* III. *Fastorum* :

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum,

Primaque ventosis palma petetur equis.

Heic Cereris ludi non est opus indice caussa.

De quibus etiam Juvenalis intellexit XIIII. *Sat.*

— *Ergo omnia Floræ,*

Et Cereris licet, & Cybeles aulæa relinquas :

illic, ut de iis aliquid uberius dicatur, quatuor exhibebantur aurigarum factiones, nominatæ a quatuor diversis panni coloribus, quibus ipsi agitatores induti erant. De quibus sic Sidonius Apollinaris :

— *Micant colores :*

Albus & venetus, virens rubensque,

Vestra insignia, continent ministri,

Ora & lora manu, jubasque totas

Cogunt flexilibus latere nodis,

Hortaturque obiter, juvantque blandis

Ultro plausibus, & voluptuosum

Dictant quadrupedantibus furorem,

Impellunt, trepidant, trahunt, repugnant,

Ardescunt, saliunt, timent, timentur.

nam spectatores diverso currentibus aurigis favebant studio, aliique alium hortabantur ad victoriam. unde est illud apud Plin. *ad Calvisium* : *Nunc favent panno, pannum amant. Et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc transferatur, studium favorque transibit, & repente agitatores illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent : tanta auctoritas in una vilissima tunica.* quibus verbis ostendit Plin. tanto studio coloribus Romanos diversis usos fuisse, ut non homines, sed colores ipsos, quibus induti erant, admirarentur : ita, ut si colorum mutatio facta esset in ipsis agitatoribus, & ab una factione ad alteram translata, itidem & favorem spectatorum transiturum, ut plane ostendat illos non personis, sed coloribus favisse. *Prasinæ* hoc est *viridi* factioni Caligula & Nero ita addicti deditique fuerunt, ut Caligula cœnaret in stabulo assidue & maneret, viciesque sestertium agitatori Cythico contulerit : Nero vero inter discipulos quum conquereretur quondam tractum *Prasinum* agitatorem, & quum a magistro objurgaretur, de Hectore tracto se loqui ementitus sit. *Venetæ* vero factioni adeo favit Vitellius, ut quosdam de plebe ob id ipsum, quod *Venetæ* factioni clare maledixerant, interemerit. Martial. in *Distichis* de *Prasino & Veneto* mentionem facit :

Si Veneto Prasinove faves, qui coccina sumis :

Ne fias ista transfuga veste vide.

Nam *coccinatus* pro *transfuga* haberetur, qui relictis *Prasino & Veneto*, ad *purpurei panni* factionem abiret. Jul. Capitolinus *in vita Veri* : *Circensium tantam curam habuit, ut frequenter provincialibus literas caussa eorum & miserit, & acceperit; denique etiam præsens & cum Marco sedens multas a Venetianis passus est injurias, quod turpissime contra eos faverit. nam & volucri equo Prasino aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat.* est ergo sensus : Si potes relinquere istos ludos Circenses, quibus tota civitas tantopere delectatur, optime tranquilleque habitabis in Campania.

v. 225. *Tenebras.*) In aliis Italiæ oppidis tanti tibi po-

teris parare & hortum & puteum, quanti Romæ conducis domicilium tenebrosum?

226. *Puteusque brevis*) Non profundus; sic etiam dicimus *aquas breves*, non altas, non profundas. Talem *puteum* præcipit & Col. habendum:

Aut fons illachrymet putei non sede profundi.

228. *Vive bidentis amans.*) Satius est agricolationi vacare, quam habitare intra Urbem, inter tot vivendi difficultates & molestias.

228. *Ergo amans bidentis.*) i. rei rusticæ & imprimis cultus hortorum.

228. *Bidentis.*) *Bidens* genus est sarculi.

239. *Pythagoreis.*) Pythagoras, quum carnibus abstinendum doceret, legumine oleribusque vescebatur, ut mortales ad faciliorem assuefaceret victum, & cibos semper parabiles; quod institutum discipuli servavere De quo plura illic dicemus:

— *Ventri indulsit non omne legumen.*

230. *Est aliquid.*) Venusta suasio. Operæpretium est alicujus rei, vel vilissimæ dominium se facere; ut omnino ostendat longe melius esse in loco deserto habitare, quam in Urbe.

231. *Unius lacertæ.*) Unius (ut dici solet) vermiculi? hocque melius, quam ut ad mensuram referas.

232. *Plurimus hic æger.*) Aliud incommodum affert pauperum. Plurimi moriuntur contracta ægritudine ex noctibus insomnibus. Nam pauperes in ea parte ædium divitis habitant, quæ publicis est proxima viis, ut dormire non queant nimio & jumentorum & plaustrorum strepitu, sicque interrupto sæpe somno, in ægritudines lethiferas incidunt. Hoc etiam conqueritur Martialis;

Otia me somnusque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi. —

233. *Cibus imperfectus*) i. non concoctus in stomacho, qui caussa est languoris.

234. *Quæ meritoria.*) Loca *meritoria* dicuntur, quæ mercede locantur inquilinis, a *merendo*, unde & tabernæ *meritoriæ* ipsa stabula dicuntur, hoc est cauponæ. Nam *mereri* est caussa quæstus aliquid operari, unde & *meretrices* sunt appellatæ, quod turpitudine corporis æs merentur: Mercesque præmium appellatur, quod datur pro laboribus susceptis. inde etiam dicuntur *pueri meritorii*, qui aut sponte sua, aut jubente domino prostant, turpique quæstu æs *merentur*.

235. *Magnis opibus.*) i. Divites & potentes dormiunt, qui sibi de loco remoto prospiciunt.

236. *Inde caput morbi*) est, quod scilicet non dormiunt.

236. *Rhedarum transitus*) Ratio somni interrupti. Nam transitus rhedarum in arcto viarum inflexu adimunt somnum.

236. *Arcto vicorum inflexu.*) Vici adeo conjuncti obliquique erant, ut difficilem transitum vehiculis darent. Tacitus: *Artis itineribus, hucque & illuc, & enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.* unde Nero, auctore Tranquillo, offensus angustiis & flexuris vicorum incendit Urbem. quod autem vici obliqui essent, docet *Liv.* in fine v. *lib. Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui alienique discrimine in vacuo ædificant. ea est caussa, ut veteres cloacæ primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ similis.*

237. *Convicia stantis mandræ.*) hoc est convicia, quæ fiunt *mandræ stanti* & remoranti. nam genitivus *mandræ* stat passive. genitivi enim ponuntur & active & passive, ut si dicam *verbera magistri prosunt pueris.* i. verbera, quæ infligit magister, & qua magister agit, active ponitur genitivus: passive vero *verbera puerorum*, id est, quæ pueri patiuntur. *Convicia* ergo *mandræ*; i. quæ mulio facit in mandram: solent enim multis conviciis & minis agere jumenta. *Convicium* dicitur, auctore Ulpiano, vel a *concitatione*, vel a *conventu*, hoc est a collatione vocum. quum enim plures voces in unum conferuntur, *convicium* appellatur, quasi *convocium*. fecisse *convicium* dicitur, non tantum is, qui vociferatus est, verum is quoque, qui concitavit ad vociferationem alios, vel qui submisit, ut vociferetur. non tamen omne maledictum *convicium* est, sed id solum, quod cum *vociferatione* dictum est; & sive unus, sive plures dixerint, *convicium* est, quod in cœtu dictum est; quod autem nec in cœtu, nec vociferatione dicitur, *convicium* proprie non dicitur; sed infamandi caussa dictum.

237. *Mandræ.*) Gregis jumentorum stantis. significat enim *mandra* multitudinem jumentorum. Mart. *lib.* v.

Vixque datur longas mulorum vincere mandras.

238. *Eripiunt somnum Druso.*) Omnes, quos adhuc vidi, Codices legunt *Druso*, sic commentatores *Drusum* exponunt, pro homine somnulento. Ergo vero *Urso* legendum contenderim, hac maxime ratione, quod quum dicat *somnum eripi vitulis marinis*, recte procedat, ut de aliis belluis, quæ alte dormiunt, potius loquatur, quam de homine. nam Ursi, ut scribit Plin. *lib.* VIII. *cap.* XXXVI. primis diebus bis septenis tam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant.

239. *Si vocat officium.*) Aliud etiam incommodum proponit pauperum. Nam si forte aliquo eundum sit, ita officio postulante, dives super ora pauperum lectica feretur sine aliquo ejus incommodo; sed cum magna pauperum pernicie, quia servi lecticarii, ceteraque servorum turba prosternuntur, conculcanturque pedibus in luto.

240. Cur-

240. *Curret super ora.*) i. sublimis in lectica vehetur supra capita hominum. unde Sen. *ad Lucil. Quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit.* Plin. *in Panegyr. Trajani: Ante te Principes fastidio nostri & quodam æqualitatis metu usum pedum amiserant.* illos ergo humeri cervicesque servorum super ora nostra vehunt. sic enim dives nec solum in Urbe, sed etiam foris gestabatur. Sen. item *ad Lucil. Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana ac peregrina portantium.* Cic. in II. *Philip. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus.*

240. *Ingenti Liburna.*) Ingenti & procero lecticario. Alibi:

— Tarde venisse Liburnus Dicitur. —

Nam ex *Liburnia*, quæ Dalmatiæ est contermina, magnæ staturæ mittebantur servi. unde alibi:

— Primus clamante Liburno Currite. —

241. *Atque obiter.*) Heic est indignatio Umbritii; quod quum ipsi pauperes in itinere luto provolvantur, dives tanto otio gestetur, ut etiam in lectica legat & dormiat.

241. *Obiter.*) C. id est παρέργως, quasi aliud agens. Commode hoc loco interpretabimur, interim, vel interea. nam πάρεργα dicuntur, quæ alicui rei, præter propositum, adduntur. S. Curret super ora, & interim leget, aut scribet. sic etiam alibi: *Verberat? atque obiter faciem linit, audit amicas.* Plin. *lib.* XXXVII. *Libet obiter vanitatem magicam heic quoque coarguere.* Idem *in eodem: Nec vero id solum agemus, sed ad majorem utilitatem vitæ, obiter coarguetur magorum infanda vanitas.* Idem *lib.* XXXIII. *Illud quoque obiter indicari convenit.*

241. *Intus.*) Nam lectica erat instar cubiculi. unde Plin. *lib. ult. Nat. Histor.* Cubiculum viatorium appellavit, *antrum.*

243. *Ante tamen veniet.*) Licet legat, aut scribat, aut dormiat cum multo otio, tamen nos etiam præcedet.

244. *Unda.*) Multitudo, quæ undam maris imitatur in tumultu. Virg. in II. Georg.

Mane salutantum totis vomit ædibus undam.

245. *Assere duro.*) Asseres ligna dicuntur oblonga, ut puta perticæ. Unde Cæs. *de Bel. Civ.* ait: *Asseres enim pedum duodecim cuspidibus præfixi.* Hircius *lib.* IV. *de Bel. Alex. Asseres remorum usum obtinebant.* Suet. *in Cal. Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus accurrunt.* Cato *in Re rust. Duobus asserculis appositis parieti, quibus gallinæ in nidum possint irrepere.* Vitruv. in VII. *Asseres directi disponantur inter se, nec plus spacium habentes pedes binos & hi maxime cupressei, quod abiegni a carie & vetustate celeriter vitiantur.* Idem *lib.* V. *Deinde insuper sub tegulas asseres ita prominentes, uti parietes projecturis eorum tegantur.* dicti *asseres*, quod *assideant* parietibus trabibusque, ut Fest. scribit.

246. *Tignum.*) scribit Ulp. appellatione *tigni* contineri omnem materiam, ex qua ædificium constet: vineæque necessaria: unde quidam ajunt, *tegulam* quoque, & *lapidem*, & *cementa*, ceteraque, si qua in ædificiis sunt utilia. (*tigna* enim a *tegendo* dicta sunt) hæc amplius & calcem, & arenam, *tignorum* appellatione contineri sed in vineis etiam *tigni* appellatione omnia vineis necessaria continentur, ut puta perticæ, pedamenta, unde etiam fabri *tignarii* appellantur, qui ædificia exstruunt.

246. *Metretam.*) C. Cadum. est enim mensuræ genus tam aridorum, quam liquidorum, capiens libras CVIII. S. Martialis:

Plurimus Hispanas misit tibi nauta metretas.

Cato *in Re rust. Ahenum unum habeat, quod capiat metretas* XXX.

247. *Magna planta.*) i. pedibus magnorum militum proculcor & patior. Nam & alibi appellat *grandes suras* milites ipsos magnos & proceros.

248. *Clavus mihi.*) Milites *caligas* gestabant multis *clavis* subfixas. unde alibi Juvenalis:

Quum duo crura habeas, offendere tot caligatos,
Millia clavorum. —

Clavi autem, quibus caligæ suffigebantur, *caligares* dicti sunt. Plin. *lib.* IX. *Pisces existunt squammis conspicui crebris, atque præacutis, clavorum caligarium effigie.* Cujus calceamenti ita meminit Josephus *lib.* VII. *de Bello Jud. Calceos namque habens creberrimis atque acutis* (*ut ceteri solent milites*) *clavis fixos, dum strato saxeis crustis solo occurreret, labitur magnoque cum armorum sono dejectus in tergum fugientes reduxit.* Valer. *lib.* IX. loquens de *luxuria exercitus regis Antiochi* scribit: *Magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit.* Festus ait, *clavata* dicuntur aut vestimenta *clavis* intexta, aut calceamenta clavis infixa. Quo calceamenti genere nostris etiam temporibus Turci gentes barbaræ, *Græcique stratiotæ* utuntur. calceos enim multis *clavis* habent suffixos.

249. *Nonne vides.*) Confirmatio est pauperes nimia multitudine in itinere conculcari.

249. *Quanto fumo.*) Nonne vides, quanta sit multitudo petentium *sportulam*: ut demonstret mirum non esse, si pauper in itinere elidatur. Nam *obsonia*, quæ distribuebantur ex *sportula*, miro hominum concursu & studio petebantur, utque ea calida conservarentur, cum foco domum ferebantur a servis:

— Sequitur sua quemque culina.

 250. *Centum*

250. *Centum convivæ*) adsunt, qui sportulam celebrent.

251. *Corbulo.*) i. vir fortis & validus, qualis fuit *Corbulo*. is enim temporibus Neronis rebus in Armenia gestis claruit, de cujus viribus Corn. Tac. *Ne si ad capiendas copias Syriam intravisset, Corbulo omnium ora in se verteret. Corpore ingens erat, & supra experientiam, sapientiamque etiam validus.* Ordo est & sensus: *Corbulo* vir fortis & validus vix ferret tot vasa ingentia, & tot res impositas capiti suo, quot portat servulus infelix recto vertice. legendum autem est *quot*, & non *quas*.

253. *Servulus infelix.*) Pathos a miserabili labore.

253. *Ventilat.*) Hoc est cursu facit ventum igni. C. vel ignem quasi *ventilando* accendit. S

264. *Scinduntur.*) Hoc totum refertur ad incommodum pauperis, qui nimia hominum turba ubique conculcatur.

254. *Coruscat.*) Nutat, & tremit.

254. *Tunicæ sarta modo.*) i. paullo ante domi consutæ & refectæ.

255. *Abies.*) Speciem posuit pro genere, i. lignum maximum: sic Sen. detestans luxuriam Urbis. in Epist. *Nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur, longo vehiculorum ordine vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.*

155. *Sarracum.*) Genus est vehiculi infra in v. Sat.

Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.

Sidon. *Mille graves sarcinæ ad prædium ex oppido ductæ, nulla sarraca, nullaque esseda subvehendis oneribus attrahebantur.*

156. *Populo.*) pauperibus.

257. *Nam si procubuit.*) si forte plaustrum, quo magnæ lapidum moles vehuntur, procubuerit super pauperes, ita eorum corpora atteruntur, ut nulla quidem inveniantur membra.

257. *Saxa Ligustica.*) [Gr.] Æmulatio est Horat.

Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,

Tristia robustis luctantur funera plaustris?

261. *More animæ.*) Ita corpus pauperis obteritur, ut de eo non plus conspicias, quam de anima, quæ nusquam apparet.

261. *Interea.*) Dum exspectatur, aut (quod magis placet) naturæ concessit.

261. *Domus.*) familia.

261. *Secura.*) nihil de Domino timens, sed sine aliqua cura, quum eum incolumem putet.

262. *Jam lavat*) ad rem divinam faciendam, nam *patella* vas erat fictile sacrificiis aptum. post enim rem divinam *lavabantur*, antequam cœnarent. *patella* etiam accipitur pro quocunque vase escario. Pers.

Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella.

Horatius:

Nec modica cœnare times olus omne patella.

patella autem & *patina* dicta sunt a *patulo*. sunt enim proprie vasa, quæ *patula* sunt.

262. *Bucca.*) Ea pars oris infra malam, quæ inflatur, *bucca* appellatur. unde Horatius:

— *Quin Juppiter ambas*

Iratus buccas inflet. —

Inde fit *buccina* i. tuba, & *buccinator*, id est tubicen, & *buccella* sive *bucca*, id est quantum cibi ore capias.

262. *Unctis strigilibus.*) De *strigilibus* diximus apud Persium:

I puer & strigiles Crispini ad balnea defer.

instrumenta enim erant *ferrea*, quibus in balneis utebantur ad detergendum sudorem, a *strigendo* i. radendo dicta. Illud observandum est a Juven. primam produci, quam Persius corripuit. Nec mirum, quando etiam alia videmus Auctoribus diversis poni modis. Nam Persius primam syllabam produxit in hoc verbo *rudere*: quum dixit *pecuaria rudere credas*: quam Ovid. corripuit:

Ut rudit a scabra turpis asella mola.

262. *Unctis*) oleo, quo minus cutem læderent.

263. *Componit*) Parat.

163. *Lintea.*) quibus corpus madidum ex balneis siccabant.

263. *Gutto.*) *Guttus* vas ex cornu erat denominatum a *gutta*. nam *guttatim* oleum fundebat lavantibus se in balneis. id etiam prima æstimatione fiebat ex cornu Rhinocerotis, inde idem dicitur *Rhinoceros* De hoc Martialis:

Gestavit modo fronte me juvencus,

Verum Rhinocerota me putabis.

Guttus item vas erat ligneum, quo in sacris utebantur, vinum *guttatim* fundens. de quo ita Var. *In sacris remansit guttus & simpullum.*

274. *Inter pueros.*) id est *filios*, more Græco, quos παῖδας vocant. C. vel inter ministros & famulos. S.

265. *In ripa*) Stygia, quam dicunt *animas* transire vectas cymba a Charonte portitore. Virgil.

Corpora viva nefas Stygia vectare carina.

265. *Novitius.*) *Novitius* appellatur in omni arte rudis & *novus*, & quod nupertime inventum est, *novitium* dicitur. unde Plinius *lib.* VIII. appellavit mensas citreas *novitias*: *Homerus de mensis tamen tacuit, & altas nullius ante Ciceronianam vetustior memoria est, ex quo novitiæ apparent.*

166. *Porthmea.*) id est, Charontem, qui *portitor* apud inferos est. Virgil.

Portitor ille Charon. —

hoc est qui homines navigio traducit. *porthmos* enim signifi-

significat fretum, et *porthmis* naviculam.

266. *Nec sperat cœnosi.*) Non sperat qui ita mortuus est posse a Charonte trajici. hoc ideo, quia dicuntur animæ eorum, qui insepulti jacuerint, ultra Stygiam paludem non transvehi. Sed illis errandum centum annos circa ripas, eoque tempore completo, quasi ultimo cursu vitæ humanæ traduci a Charonte. unde Virg.

Portitor ille Charon, hi quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos volitantque hæc littora circum;
Tunc demum admissi stagna exoptata revisunt.

266. *Alnum*) Cymbam, quæ est ex *alno* arbore.

266. *Cœnosi gurgitis.*) id est Stygiæ paludis. Virg.

Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges.
Æstuat. —

267. *Porrigat ore trientem.*) Finxerunt Græci, auctore Diod. animas mortuorum ad inferos transire, ultraque Stygiam paludem transvehi, unde Ægyptii repræsentantes, corpora mortuorum per fluvium & Acherusiam paludem ad sepulcrum mittebant. Navis, qua vectabantur, appellabatur apud Græcos *epibatra*. *Obolum* dabant mortuo, dandum portitori, cui nomen inditum est ab incolis Charon. hujus superstitiosæ opinionis meminit & Apul. *lib.* VI. *Mil. Apud inferos Charon est expetens portorium, sic ad ripam ulteriorem sutili cymba deducit commeantes, & inter mortuos avaritia vivit.* Ex quo manifestissime apparet, *portitores* proprie dici, qui *portoria* & vectigalia exigunt, qua significatione ita accepit Virg. in VI. quum Charontem *portitorem* appellavit, quasi qui ab omnibus transeuntibus obolum exigat. deflexumque est vocabulum a *portu*, quod ibi *portitores* considant, exigentes vectigalia; quæ ab ipso *portu*, *portoria* etiam sunt appellata. Ter. *in Phorm.*

Sed epistolam audivi delatam esse ad portitores.

ubi Donatus docet *portitores* esse magistros tributorum, qui in *portu* inferendarum rerum, & efferendarum vectigal exigebant. Plautus in Asinaria:

Jam ego hunc portitorem privabo portorio.

Cic. *in* II. *Epist. ad Atticum*: *Illa causa publicanorum, quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur.* *Portitorem* etiam dicimus ipsum gerulum a *portando*. Col. *de Cultu Hortorum*:

Mox ubi nubigenæ Phryxi nec portitor Helles.

267. *Trientem.*) C. *Triens*, parvula moneta est, quarta pars oboli: *assis* vero tertia; ex quo apparet errasse Donatum, qui *obolum* ultimam & minimam monetam esse existimavit. S. Capitur etiam *triens* pro vase portorio. Mart.

Quum potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano.

Persius:

— *Calidumque trientem,*
Excutit e manibus. —

268. *Respice nunc alia.*) Monet, quam multa immineant pericula ambulanti per Urbem nocturno tempore, ut sit suasio, deserendam esse urbem ingruentibus tot incommodis.

269. *Quod spatium*) sit i. intervallum a tectis sublimibus ad terram. Nam, ut scribit Vitr. cum areæ complanatæ recipere non possent tantam multitudinem ad habitandum in Urbe, ad auxilium coacti sunt Rom. ad altitudinem ædificiorum devenire. Ergo Umbritius ait ex altitudine ædificiorum formidanda esse pericula, ne ex jactu testarum feriatur pauper nocturnus.

269. *Testa.*) Appellatione testæ intelligimus omnia fragmenta vasorum fictilium: ut sunt *seriæ*, *urceoli*, *urnæ*, *tegulæ*, & id genus, ipsaque etiam vasa integra. ut illud:

— *Pictaque incumbere testæ.*

Testas etiam dicimus conchas piscium, unde Plin. *Solertia est inanium ostrearum testis se condere.*

270. *Curta.*) Aliqua ex parte mutilata.

272. *Ignavus.*) Parum prudens.

273. *Ad cœnam si.*) Si forte apud amicum eas cœnatum.

274. *Intestatus.*) Non tantum is (ut diximus supra) qui testamentum non fecit, dicitur *intestatus*, sed etiam, auctore Paullo *de legitimus tutoribus*, is, qui testamento liberis suis tutores non dederit. quantum enim ad tutelam pertinet, *intestatus* est.

274. *Tot fata.*) Tot mortes.

276. *Ergo optes.*) Quum tanta tibi immineant pericula, possis bene optare, ut e fenestris tantum in caput tuum fundantur sordes, quæ matulis excipiuntur, modo a reliquis periculis sis tutus.

277. *Contentæ*) fenestræ.

277. *Pelves.*) Vasa proprie sunt ad lavandos pedes, ut docet Var. Verum heic ponitur pro quocunque vase.

278. *Ebrius ac petulans.*) Juventus Romana lasciva & temulenta tempore nocturno per Urbem vagatur, obviosque pauperes vario vexationis genere afficit: ita ut si forte ea nocte aliquem non ceciderit, præ dolore nequeat dormire. Sicque petulantiam, nimiamque juventutis lasciviam notat, periculaque & incommoda, quæ in Urbe patiuntur pauperes, ostendit. Legitur apud Sueton. Othonem solitum vagari noctibus atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere ac disten-

distento sago impositum in sublime jactare. Nero quoque post crepusculum, accepto pileo popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus: a cœna redeuntes verberare ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assuerat.

279. *Patitur noctem.*) Eo afficitur dolore, quod nullum verberaverit, quo afficiebatur Achilles ob cædem Patrocli, quem Hector, ut scribit Hom. *ult. lib. Iliados* interemerat. [*Gr.*]

279. *Amicum*) Patroclum.

280. *Pelidæ.*) Achillis filii Pelei & Thetidis.

281. *Quibusdam Somnum rixa facit.*) Lætantur enim scelere perpetrato sicque quiete dormiunt.

282. *Rixa.*) Inter *rixam* & *altercationem* hoc interest. *altercatio* est contentio verborum, unde illud apud Tranquil. *in Cæs. Triduoque per irritas altercationes absumto in provinciam abiit.* i. per irritas verborum contentiones. *Rixa* vero ipsa pugna & concertatio. Juven. infra:

Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

Hæc tamen Auctoribus plerumque confunduntur.

282. *Sed quamvis improbus.*) Licet juvenis sit, & mero calefactus, cavet tamen, si cui occurrat potenti & diviti, quasi ostendat, non esse tamen tanta petulantia, ut omnes pariter feriat, sed tantum miseros & inopes, sicque Poeta docet, solam paupertatem ubique esse ludibrio.

283. *Cavet.*) Vitat, intractumque relinquit.

283. *Quem coccina læna.*) Hominem coccinatum, ac per hoc divitem. Nam *vestes coccinæ* in magno erant precio, & nobiliorum. κόκκος enim Græce *granum* Latine significat & κοκκινὸς *rubrum*, qui ex grano inficitur. Plin. *lib.* XXII. *cap.* II. ostendit, *coccum* tanquam herbam dicatam imperatoris paludamentis.

284. *Ordo comitum.*) Hunc hominem potentem & divitem designat, qui multis stipatus clientibus ambulet.

285. *Atque ænea lampas.*) id est Candelabrum Corinthium, quod preciosissimum erat, ideoque tantum ditioribus dabatur. Unde illud est apud Plin. *lib.* XXXIV. de candelabris: *Nec pudet tribunum militum ea salariis emere, quum ipsum nomen a candelarum nomine impositum appareat.* Ubi Plin. aperte docet, tribunum pudere debuisse, qui *candelabrum* Corinthium talento mercatus fuerit, quantum erat, auctore Strab *lib.* XI. Tribuni militaris stipendium, id est, sestertia quinquaginta, quæ CXXV. *libras* valerent, quibus videlicet talentum constat. *Æs* autem *Corinthium* dicebatur, quod æquali portione auro & argento miscebatur. Lege Plin. *lib.* IX. *cap.* XL. & *lib.* XXXIII. *cap.* II. Ejus autem mistura caussa fuit incendium ipsius civitatis *Corinthi*. Nam quum civitas a L. Munio ex Senatusc. diruta fuisset, quia ibi legati Romanorum violati fuerant, infinitum aurum, argentum, æs, & ferrum in conflagratione confusum est, & commistum. unde fluxit novum genus metalli; ad cujus similitudinem mistura ejusmodi ab eo tempore *æs Corinthium* vel *vasa Corinthia* dicuntur. De *candelabro Corinthio* ita Mart.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt;
Non norat parcos uncta lucerna patres.

M. varro inquit: *Candelabra a candela; in iis enim funiculi ardentes figebantur.*

287. *Filum.*) *Funiculum* ipsum cera obvolutum. Bene autem expressit ridiculam pauperis industriam in parsimonia rerum. solent enim pauperes digitis extendere candelam, quasi non plus sit arsurum, quam ipsi digitis extenderint.

288. *Cognosce procœmia.*) Corrigendus est locus, legendum enim est *procœmia* non *præmia*, ut & metri ratio stet, & sensus recte procedat. Nam operæ precium, inquit, est cognoscere, quale sit pugnæ principium. Neque enim inchoata est pugna. sequitur enim: *stat contra, starique jubet.*

288. *Procœmia.*) Initia & principia. Nam quod *principium* Latine, vel *exordium* dicitur: majore quadam ratione Græci videntur *procœmium* nominasse, deducto vocabulo a citharœdis, qui pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoent, emerendi favoris grana canunt. *procœmium* cognominarunt, πρὸ enim *ante* & οἴμη *cantum* significat. unde & oratores ea, quæ priusquam caussam exordiantur ad conciliandos sibi judicum animos præloquuntur, eadem appellatione significarunt.

293. *Cujus conche sumes.*) Insultat pauperi, quasi a vilibus ubique cibis pascatur, *conchis* autem ea est, quam *fabatiam viridem* appellat Apitius. Ea condiebatur liquamine, oleo, coriandro viridi, cumino, & porro conciso. Ingrati est saporis, nisi bene condita fuerit. [*Gr.*] *Inter fabatias*, ut Apitius ait, *Bajanas elixas minutatim concidendas, condiendas ruta, apio viridi, porro, aceto, oleo, liquamine, careno vel passo modico.* unde fit, ut putem *fabam viridem* appellari apud nos corrupto vocabulo *bazianam*. Aliqui dicunt *conchem* simpliciter dici fabam, quæ veluti *concha* cortice tegitur, & cum ea coquitur.

293. *Sutor.*) Sutorem nominavit, ut vilem & pauperem. Nam *sutor* quum absolute enunciatur illum signat, qui calceos *suit*. possumus & eum appellare, qui vestes, & alia *suit*, si sic conjungamus, *sutor* vestiarius, *sutor* pelliciarius.

294. *Vervicis.*) Differentia est inter vervecem & arietem. nam *aries* appellatur, qui oves init, *vervex* vero, qui castratus est, quasi qui natura sit *versa*. Sic in

in porcis *verres* dicitur, qui scrophas init: *Majalis* vero, cui testes sunt exemti. Item in equis appellamus *canterios*, qui castrati sint. licet Apul. *lib.* IV & VIII. *Miles.* etiam asinum *canterium* appellet, quo vocabulo etiam dicimus tigna in ædificiis. Caput autem *vervecinum* in Apophoretis inter cetera munera mittebatur pauperibus. Martialis:

Mollia Phryxei secuisti colla mariti.

Ebrius igitur consuetudinis memor interrogat pauperem per ludibrium, apud quem *caput vervecinum* comederit.

294. *Elixi.*) Aqua & liquore cocti. vel a *lixa*, ut sentit Nonius Marc. i. aqua, quam sic Veteres appellavere, vel, ut placuit Varroni, a *liquore*.

296. *Proseucha.*) Locus est, ubi solent mendicare. προσεύχεσθαι est orare. *Proseucha* vocabulum est, quod forte nusquam alibi invenias apud Latinos Auctores. Angelus Politianus scribit se legisse apud Cleomedem in secundo libro Circularis Inspectionis adversus Epicurum *nonnulla* differentem hoc modo: *Ex iis dictantur, alia vero ex media proseucha, atque ab iis ipsis, qui illic mendicant, desumta.* C. Miror ego, cum Cleomedes Græce scripserit, quid sibi velit Politianus. S.

298. *Pariter feriunt.*) Sive respondeas, sive taceas.

298. *Vadimonia faciunt.*) Non satis est, quod eos graviter ceciderint, sed ultro etiam, tanquam graviter læsi, *vadimonia faciunt*, hoc est eos citant, ut constituto die adsint in judicio.

299. *Libertas pauperis.*) Ironicos, immo misera servitus, qui tot malis sit obnoxius.

304. *Compago.*) *Compaginem* dicimus, & *compagem* a *compingendo*, id est conjungendo. Ovidius:

— *Compagine ceræ.*

Juvenalis:

— *Molli compage soluta.*

305. *Grassator*) *Grassari* dicitur supra modum sævire: unde *grassari* latrones dicuntur vias obsidentes.

305. *Agit rem.*) latrocinium exercet, & homines ferro cædit.

307. *Pontina palus.*) *Paludem Pontinam* Strabo scribit fuisse in Campania, quam destinaverat, auctore Sueton. Julius Cæs. siccare, ubi erant loca opportuni latrociniis.

307. *Gallinaria pinus.*) id est sylva Gallinaria, quæ auctore Strab. erat in sinu Cumano. Ejusdem nominis est insula, de qua ita Var. *in* III. *de Re rust.* *Ab his gallinis dicitur insula Gallinaria, quæ est in mari Tusco secundum Italiam contra montes Ligusticos.*

308. *Ad vivaria.*) Ad paratam escam. Nam *vivaria* dicuntur loca, ubi animalia habentur ad saginam.

309. *Qua fornace.*) Tanta est latronum multitudo, ut nulla sit fornax, in qua non fabricentur vincula ad eos vinciendos.

310. *Maximus.*) id est maxima copia, & maximus numerus ferri. Nam *modus* ponitur aliquando, ut hoc in loco pro mensura. Valer. in capite *de Senectute*: *Masinissa rex Numidiæ hunc modum excessit.* Tranquillus *in Cæs.* *Frumentum quotiens copia esset, etiam sine modo mensuraque præbuit* Plautus *in Aul.*

Agri reliquit ei non magnum modum.

Seneca *ad Lucilium*: *Modus certa mensura est.*

311. *Marræ.*) Genus est ligonis. Columella *de Cultu Hortorum*:

Contundas marra, vel fracti dente ligonis.

Poeta in *penult. Sat.*

— *Marris & vomere lassi,*
Nescierunt primi gladios extendere fabri.

311. *Sarcula.*) a *sarriendo* sive purgando, nam eo instrumento segetes purgantur. Nec tu putes esse diminutivum, nam multa sunt, quæ diminutiva videntur, & non sunt, ut cubiculum, sarculum, cœnaculum, crepitaculum, stragulum.

312. *Felices proavorum.*) Per comparationem priorum temporum, quibus reges imperabant, ostendit tempora sua esse infelicia, quibus contingat tam multa scelera fieri in Urbe, ut plures non sufficiant carceres ad punitionem reorum: quum unus tantum olim sufficeret. Nam, ut scribit Livius, Ancus rex, quum res Romana aucta foret, & facinora clandestina fierent, ad terrorem increscentis audaciæ media Urbe imminentem foro carcerem ædificavit.

313. *Secula.*) Apellatur *seculum* spacium centum annorum, deducta origine a *sequendo se*: eo quod *sequatur*, atque in *se* revolvatur, auctor est Varro.

314. *Carcere.*) *Carcer* dictus, quasi *coercer*, a *coercendo*. *Carceres* vero, numero plurali, dicuntur loca, unde currus emittuntur ad cursum. possumus tamen & *carceres* dicere numero plurali, pro locis in quibus rei *coercentur*, si plures sunt: sicuti etiam dicimus ædes multas, id est templa multa, licet ædes numero plurali domum significent.

316. *Sed jumenta vocant.*) Jumenta onusta sunt, ut jam me vocent hinc. *Jumentorum* appellatione existimo intelligi animalia, quæ hominem *juvent* dorso suo: ut equum, mulum, asinum: unde auctore Ulp. *jumentorum* appellatione boves non continentur, sed *pecoris* appellatione continebuntur. idem sensit. Marc. *de legatis tertio* *Jumentis legatis boves non continentur.* Cui adstipulari videtur & Plin. *lib.* XVI.

Folia fraxini jumentis mortifera, ceteris ruminantium innocua. ubi docet *jumenta* separari a *ruminantibus.* Aulus Gellius ait jumenta denominata a *jungendo.* Columella a *juvando*, quod nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando juvent.

317. *Mulio)* is appellatur, qui mulos clitellarios, sive quadrigarios agit. Plin. *de Vith Ill. Mulionem evitantem super ipsum corpus carpentum agere praecepit.* Mart. *lib.* IX.

Nec pigri rota quassa mulionis.

319. *Refici.)* Figuratam attende locutionem, verbum enim pro participio positum est. i. reficiendum, imitatio est Horatiana:

Me quotiens reficit gelidus Degentia rivus.

319. *Aquino.)* Oppidum est Volscorum in via Latina, juxta quod labitur Melphis fluvius, ut scribit Strab. *lib.* V.

319. *Tuo.)* id est patriae tuae.

319. *Properantem.)* Festinantem, tanquam Urbis incommoda fugientem.

320. *Cererem Elvinam.)* Opinio est in agro Aquinati fontem fuisse *Elvinum* denominatum. adhuc enim incolae *Elvinum fontem* appellant: juxta quem adhuc quaedam templorum vestigia conspiciuntur. Aliqui vero legunt, *Me quoque Eleusinam Cererem*: ut sit epitheton Cereris, cujus templum fuit in *Eleusine* civitate sita inter fines soli Attici & Megarici, unde *Eleusine* appellata est *Ceres*: quam ob id Virg. *Eleusinam matrem* in Georg vocat. Ejus sacrificia non modo illic celebrabantur; sed & in Italia diversis locis. Neapoli cultam fuisse docet Pap. *in Sylvis*:

Hei mihi, quod tantum patrias ego vertice frondes,
Solaque Chalcidicae Cerealia dona coronae,
Te sub teste tuli. —

421. *Ni pudet illas)* me talem esse auditorem quasi non idoneum, utpote qui rebus militaribus per habitum, quam poeticis aptior esse videar, sicque modestiam suam commendat.

322. *Caligatus.)* *Caliga* genus fuit calceamenti militaris, unde *Caligula* Imperator Germanici filius cognomentum accepit; a *caliga*, quia in castris natus est: unde est illud apud Ausonium:

Cajus cognomen Caligae cui castra dederunt.

a *caliga* dicti sunt milites caligati, alibi Poeta in *ult. Sat.*

— *Offendere tot caligatos*
Millia clavorum. —

nam caligae clavis ferreis, ut ante diximus, suffigebantur. Justinus *lib.* XXXVIII. loquens de luxuria Antiochi sic scribit: *Argenti certe aurique tantum, ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant.* Hanc etiam consuetudinem temporibus nostris, servant & Graeci & Turci milites, ut calceos multis suffixos clavis gestent. *Umbritius* ergo habitu militari ostendit se venturum ad Juven. in agrum Aquinatem, ut proinde mirum videri non debeat ipsis satyris, si non satis idoneus auditor visus fuerit, quum habitu non Poetico, sed militari venerit.

IN SATYRAM IV.

ECce iterum Crispinus.) Hic est ille Crispinus Ægyptius, qui ex servili conditione ad equestrem dignitatem Domitiani indulgentia provectus est. eum Poeta ut flagitiosum spurcissimumque hominem ubique lacerat: contra Martialis semper adulando laudat:

Sic placidum videas semper Crispine tonantem,
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet.

Eum igitur Juvenalis insectatur, & quod adulter & stuprator sit notissimus, & quod gulae indulgentissime obsequatur: quorum vitiorum alterum ex altero pendet. hincque nactus occasionem Poeta satyricos aculeos, tum in crudelitatem, tum mox in gulam Domitiani distringit, eum irridens, quod infra imperatoriam dignitatem nimium contulerit studium ad piscem condiendum, super quo etiam senatorum consilium tentatum fuerit. Hocque usque ad extremum satyrae cum summa indignatione & morsu persequitur.

1. *Ecce iterum.)* Bene autem *iterum*, nam & ante taxatus est, ut mollis & delicatus.

2. *Ad partes.)* Scilicet operis mei. sumta est translatio a comoediis, ubi dicuntur personae *primas & secundas partes agere*, apud Terentium *in Eun.* persona Parmenonis *primas partes* habet, *secundae* sunt Chaereae, *tertiae* ad Phaedriam spectant. &c.

2. *Monstrum.)* Crispinus adeo omnibus inhaesit vitiis, ut tanquam naturae quoddam sit monstrum.

2. *Nulla virtute.)* Sumta est metaphora a captivo, qui aere se ab hostibus redimit, ne in eorum sit manibus. Ergo Crispinus nulla virtute unquam potuit se redimere a vitiis, quin in eorum esset potestate tan-

tanquam servus, quasi dicat quum in eo essent plura vina, nulla tamen fuit Virtus, quæ facit, ut leviora vitia esse videantur.

4. *Delicias viduæ.*) Nullo adulterii genere abstinet, præterquam viduæ, ut ostendat illum, jucundiora tantum sectari adulteria, nam qui viduas aut anus sequebantur, id lucri gratia faciebant. Martialis:

Nunc sectaris anus, o quantum cogit egestas!

5. *Quid refert igitur*) si Crispinus tam fœdis moribus est, quid igitur prodest ei possidere divitias, & in tantis vitam suam agere deliciis, quandoquidem nemo malus sit felix? ita autem de Crispino loquitur, ac si viveret, quum omnino hæc Poeta scribente esset vita functus. neque enim, ut diximus, *vivos* notat, sed mortuos.

5. *Quantis Porticibus.*) Quam magnificis gestationibus aut vehatur mulis, aut lectica gestetur. nam Romani ad omnem luxum, omnemque profusi intemperantiam, gestationes exstruebant in hortis, ut aut lectica gestarentur, aut in umbra jumentis veherentur & tempore pluvio. Plin. *Epist.* III. ad Canidium Rufum: *Quæ illa mollis & tam gelida gestatio.* idem ad Gallum: *Gestatio buxo & rore marino, ubi deficit buxus, ambit.* Et paullo inferius eadem *Epist. Adjacet gestationi interiore circuitu vinea tenera & umbrosa.*

7. *Vicina foro.*) Urbi, nam *forum* sæpissime ab Auctoribus usurpatur pro Urbe. ut illic:

Cedere namque foro, jam non est deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Suburra.

aut revera hortos intelligit, quos ad amœnitatem habebant potentiores in medio ferme Urbis, & vicinos foro.

8. *Minime corruptor*) Crispinus minime est felix, quasi sit epitheton *Crispini*, ut dicatur *corruptor & incestus.* De corruptore diximus Sat. I.

— *Corruptor avaræ Nullus.* —

8. *Idem incestus.*) *Incestus* dicitur, qui stuprum committit, & *incesta* mulier, unde Seneca *in Declamationibus: Incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum. Incestum* autem genere neutro, dicimus ipsum stuprum.

8. *Cum quo.*) Apparet Crispinum cum virgine Vestali concubuisse, quam moris erat *vivam*, ex Numæ Pomp. instituto in subterraneum specum *defodi*, si incesti convicta esset. Erat autem cubiculum illud subterraneum ad portam Collinam cum lecto strato, lucerna ardente, primitiis rerum, quæ ad victum spectant, hoc est pane, aqua, & lacte, ne virgo tanta religione sacra dimitti illuc videretur, ut fame periret. ipsa viva imposita feretro ferebatur per forum magno silentio & horrore. ubi perventum erat ad cubiculum illud, deposito feretro, solutis vinculis Pontifex arcana quædam precatus eam educebat, deinde collocabat in scalis, quibus in domum descendebatur, & statim se avertebat, tum humus injiciebatur. Stupratores earum in comitio virgis cædebantur. Illic enim jubente Domitiano cæsus fuit Celer eques Rom. cui Cornelia Maximilla objiciebatur, qui quum verberaretur in hac voce perstitit: *Quid feci? nihil feci.* de iis lege Plut. *in Numa*, & Plin. *in Epist. ad Corn. Minutianum*, & Dionys. *lib.* II. Sed non dicit Poeta *virginem* id supplicii fuisse passam, sed tali supplicio consuevisse affici, quæ convicta fuisset: unde sequitur *subitura terram*, si accusata, convictaque fuisset adulterii. Hincque est indignatio Poetæ, quod quum Domitianus Corn. Maximillam Vestalem incesti accusatam absentem, & inauditam, & forte innocentem damnaverit, in Crispino idem scelus dissimulaverit. sequitur enim:

— *Alter*
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.

sicque Poeta non tam Crispini nefaria scelera, quam Domitiani iniquam morum correctionem insectatur, Duplicem in Problematis caussam Plut. affert, quare virgines vivæ defoderentur: aut quod mortuos urunt, quod illis tribuere injustum judicarent, quæ non diligenter ac sancte sacrum ignem custodiissent. Aut quod corpus maximis ac sanctissimis religionibus consecratum interficere, & mulieri sacræ manus afferre nefas putaverunt. Rationem igitur inierunt, qua subterraneo specu defosso obrutæ sua sponte morerentur.

9. *Vittata.*) Erat enim *vitta* commune quoddam capitis sacerdotale ornamentum. *Vittæ* etiam in immolatione adhibebantur, unde sic loquitur Sinon ille Virgilianus, tanquam victima aris distinata:

— *Mihi sacra parari*
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Matronarum gestamen etiam fuit. Ovid.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.

11. *Sed nunc de factis levioribus.*) Hoc dictum est, ut ostendatur, quam flagitiosus fuerit Crispinus, cujus, quamvis gravissimum hoc fuerit scelus, tamen turpiora etiam supersint.

12. *Caderet sub judice.*) Hinc ostendit, quam carus principi *Crispinus* fuerit, quem tanti sceleris reum non punierit, quum alios graviter puniret, si idem fecissent. nam Celerem equitem Romanum, ut diximus, cui stuprum Corneliæ objiciebatur, in comitio virgis cecidit.

12. *Sub judice morum.*) Cum indignatione ait *judice morum*, quasi qui vitiorum justus non sit vindex. [Gr.] Mart. adulando *Censorem morum* appellat:

Censor maxime principumque princeps.

12. *Morum.*) id est vitiorum. est enim τῶν μέσων. C. nam eo nomine tam virtutes; quam vitia notantur. S.

13. *Nam quod turpe bonis.*) Adeo Crispinus gratus erat Principi, ut quod in aliis turpe, in Crispino pulcrum princeps censeret.

14. *Quid agas.*) Quid facias, nisi objicias homini scelesto sua scelera, quum sit omnium fœdissimus.

15. *Mullum.*) Piscis est marinus, de quo multa Plinius *lib.* IX. *cap.* XVII. dictus a colore *mulleorum* calceamentorum, ut tradit Fenestella, auctore Plinio. Gulam autem Crispini exagitat, qui ex servili conditione in tantum divitiarum cumulum sit provectus, ut *mullum sex millibus nummum* emere non dubitaverit.

15. *Sex millibus*) nummum sive sestertiis sex, hoc est, ut hodie loquimur, CL. aureis scutatis sive coronatis. C. S C.

16. *Aequantem sane.*) Ironicos, quasi dicat non est mirum, si tot *millibus nummum* piscem emit, qui pendebat *libras sex* pro numero sestertiorum, quum neget Plin. *mullum* inveniri, qui pondere duas excedat libras. Horat. *in Sat.* ostendit trium librarum inveniri, quum ait:

— *Laudas insane trilibrem*
Mullum, in singula quem minuas pulmenta, necesse est.

17. *Ut perhibent.*) Periphrasis est assentatorum Crispini, qui eum excusantes dicunt *mullum* fuisse *librarum sex.*

18. *Consilium laudo.*) Ironia est. Si Crispinus emit mullum, ut captaret hæreditatem, aut mitteret amicæ, ejus consilii certe non est ratio damnanda, sed in gulam emit suam.

18. *Artificis.*) Crispini.

19. *Præcipuam ceram in tabulis*). Præcipuam hæreditatem, & præcipuum legatum testamenti, quod in tabulis ceratis notabatur. unde adhuc dicuntur *tabulæ testamenti*, & *tabulæ dotis.*

19. *Senis orbi.*) id est senis divitis, & sine liberis.

20. *Est ratio ulterior.*) Ironicos, quasi dicat: ratio est melior, si misit magnæ amicæ, id est diviti, aut ut eam captet, aut ut ab ea amaretur.

21. *Antro clauso.*) id est lectic, quod instar cubiculi, ut diximus ante ex testimonio Plin. fiebant cum fenestris. unde superius:

— *Clausa lectica fenestra.*

21. *Latis specularibus.*) In qua lectica sunt *specularia* ad arcendos ventos, & lucem accipiendam. Nam *specularia* sunt, quæ fenestris adhibentur, dicta a *speculando*, quemadmodum & *speculum*; quæ fieri consueverunt aut ex charta, aut tela, aut vitro. Sen. *lib.* IX. *Natural.* *Itaque quamvis cœnationem velis ac specularibus muniant, & hyemem multo igne doment.* Idem *Epist.* LXXXVII. *Quantæ autem aliquis rusticitatis damnat Scipionem, quod in caldarium suum latis specularibus diem admiserat, quod non in multa luce decoquebat?* Idem: *Quædam nostra demum prodiisse memoria scimus, ut specularium usum, perlucente testa, clarum transmittentium lumen.* Mart. *lib.* VIII.

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat & tenerum fortior aura nemus.
Hibernis objecta notis specularia puros
Admittunt Soles, & sine fece diem.

Plin. *lib.* XXXVI. scribit ex auctoritate Jubæ, in Arabia esse lapidem vitri modo translucidum, quo utuntur pro specularibus. Idem *lib.* XV. *Septentrionalibus fenestris fereno die patere, Austros specularibus arcere.* quod de lapide speculari intelligas, non placet.

22. *Fmit sibi*) in gulam suam, hincque est tota Poetæ in lignatio.

22. *Multa videmus*) Crispinum fecisse.

23. *Misr & frugi Apicius.*) [Gr.] Hic est ille *Apicius*, de quo ita Seneca *ad Helv.* *Sed minus beate vivebat Dictator noster, qui Samnitum legatos audivit, quum vilissimum cibum in foco versaret, quam Apicius nostra memoria vixit, qui in ea Urbe, ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit, cujus exitum noscere operæpretium est. quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum & ingens Capitolii vectigal singulis commessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit: superfuturum sibi sestertium centies computavit, & velut in ultima fame victurus, in sestertio centies si vixisset; veneno vitam finivit.*

24. *Patria papyro.*) Papyrus est palustris herba, ex qua texuntur navigia. & e libro vela tegetesque: nec non vestes, stragulaque conficiuntur: præparantur etiam ex ea chartæ divisæ acu in prætenues, sed quam latissimas philyras.

26. *Provincia tanti.*) id est Provincia tanti vendit agros & latifundia, quanti Crispinus emit piscem. Sed *Apulia* longe etiam majores agros vendit. ut sit sensus: In provinciis, hoc est extra Italiam, tanti emes agros, quanti emit piscem Crispinus, sed in Italia longe etiam majores emas. Nam *provincia* proprie dicitur extra Italiam, quasi *procul victa*, quæ & procuratorem accipiebat. Plin. de Gallia Narbonensi: *Italia verius, quam provincia.* & Plinius Junior *in Epist.* *Provincialis es an Italicus?*

28. *Quales tunc epulas.*) a minori ad majus. Si Crispinus Domitiani scurra ausus est tanti sibi piscem emere, quid putemus factum ab ipso Imperatore in parandis

randis cœnis? sicque Poeta sensim in reprehensionem gulæ Domitiani descendit.

29. *Partem.*) quæ lestertia fuissent minima pars cœnæ vel modicæ ipsius Imperatoris.

30. *Scurra.*) id est Crispinus, quem in contemptum *scurram aulicum* appellat. Est autem *scurra*, qui in gratiam potentum risum captat ab Auditoribus, non servata dignitate personæ.

31. *Palati*) ostendit Crispinum, ut vilissimum hominis officio *scurræ* fungi.

31. *Ructaret.*) Invidiose, hoc est comederet.

32. *Jam princeps equitum.*) Ad *censum* enim *equestrem* indulgentia Domitiani pervenerat.

33. *Municipes.*) Conterraneos, id est Ægyptios.

33. *De merce fracta.*) Non integra, sed quos minutatim venderet more vilissimi cetarii.

33. *Siluros.*) *Siluri* pisces in Nilo tantum natant, & in Nilide lacu, juxta montem inferioris Mauritaniæ. Plin. C Reperiuntur tamen etiam in Danubio, & in Mœno Germaniæ amne, & in Borysthene, ut idem Plinius *lib.* IX. *cap.* XV. testatur. S.

34. *Incipe Calliope.*) In irrisionem Domitiani invocat Musas, ut qui auxilio divino egeat ad experiendam piscis magnitudinem, quum a Poetis ex instituto Horatiano non sint invocanda numina, nisi occurrente aliqua difficili materia. Unde est illud Horatii:

Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit. —

34. *Licet heic considere.*) Anthypophora est. possent enim dicere Musæ: nolumus in hac re ficta tempus atterere: & ipse respondeat, potestis profecto heic sedere & immorari. nam cantandum nox est, id est more vatum fingendum aliquid, res enim vera agitur.

36. *Pierides.*) A *Pieria* rupe Thessaliæ, quæ est eis consecrata. unde sic Strabo *lib.* X. *Nam Pieria, & Olympus, & Pimpla, & Libetrum quondam loca fuere Thraciæ, ubi Musæ fuerunt.*

36. *Dixisse puellas.*) Quod appellaverim *puellas*, hoc mihi apud Vos prosit. Nam Poetæ quasi blandientes Musas appellant modo *puellas*, modo *nymphas*, hoc est sponsas. Virgilius:

Nymphæ, noster amor, Libetrides.—

37. *Quum jam.*) Quum imperaret Domitianus crudelissimus, accidit, ut rhombus miræ magnitudinis captus fuerit in sinu Adriatico juxta Anconem. hinc planissime constat, Juvenalem *Satyras* suas non scripsisse sub Domitiano, qui jam mortuus erat.

37. *Laceraret Flavius orbem.*) Ostendit Poeta Domitianum eo crudelitatis evectum, ut non modo urbes, sed universus orbis eam senserit. Fuit enim, ut scribit Tranq. non solum magnæ, sed & calidæ inopinatæque sævitiæ.

38. *Calvo Neroni.*) Domitiano, quem a morum similitudine appellat alterum *Neronem*. Sic & Virg. *Paridem* nominavit pro Ænea:

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.

39. *Spatium admirabile.*) id est *rhombus* miræ amplitudinis. Est autem *rhombus*, ut ait Plin. ex genere piscium planorum. Martialis:

Quamvis lata gerat patella rhombum:
Rhombus latior est tamen patella.

40. *Ante domum Veneris.*) id est ante ædem Veneris. Ibi enim cultam fuisse Venerem ostendit Catullus, in eo carmine, quod in Annales Volusii scripsit:

Quæque Anconam Gnidumque arundinosam
Colis. —

40. *Quam Dorica sustinet Ancon.*) *Doricam* appellat, quia a Syracusanis condita fuit, qui a Græcis oriundi sunt. Nam quum Dionysii tyrannidem fugerent, in Italia, in ora Galliæ Cisalpinæ, juxta Cymerium promontorium ipsam condiderunt. Strabo *lib.* V. *Urbes vero habet, ex quibus Ancon Græca civitas est, a Syracusanis condita Dionysii tyrannidem fugientibus, sita in promontorio inclusum complectente portum.*

41. *Illis.*) Rhombus non erat magnitudine inferior *illis rhombis*, aut aliis piscibus, qui ad Mæoticam paludem nutriuntur. Nam, ut scribit Plinius, pisces in Mæotica palude conglaciata per hiemem fiunt pingues, qua resoluta in Pontum exeunt.

42. *Mæotica.*) *Mæotis* palus est, quam efficit Tanais, ea in Pontum effunditur. auctores Plinius, & Pomponius Mela, & alii Geographi.

43. *Ad Ostia.*) *Ostia* appellamus fluminum exitus, unde dicimus *ostia Nili*, & *ostia Tiberina*, quum in mare irrumpunt. *ostia* autem *Ponti*, id est ad ostia ipsius paludis, quæ exeunt in *Pontum*.

43. *Torpentis.*) Frigore conglaciati.

44. *Desidia tardos.*) Longa mora factos segnes.

45. *Destinat.*) Mittit. alias *destinare* est statuere, ut Imperator gravi supplicio affecit milites, qui destinato die non affuissent, id est constituto. Tranquillus *in Julio Cæs. Jam de ornanda instruendaque Urbe, item de tuendo ampliandoque imperio plura ac majora in dies destinabat.* Dicimus etiam *lapides destinatos* templo Martis, hoc est jam paratos & assignatos ad templum Martis.

46. *Pontifici summo*) Domitiano, quem ironicos *Pontificem summum* appellat, hocque ex historia. Nam is, ut docet Plinius *in Epistol. ad Cornelium Munatianum*, quum Corneliam Maximillam virginem Vestalem incesti ream vivam defodere cuperet, ut seculum suum ejusmodi exemplis illustraret, in villam Albanam reliquos *pontifices* convocavit. Et summi *Pontificis* jure eam absentem & inauditam damnavit.

Nam virginum Vestalium punitores, ut scribit Dionysius, sunt *Pontifices*. Domitianus ergo tanquam *Pontifex* eam damnavit. *Pontifices* dicuntur a *ponte & facio*. Nam ab iis *Pons* Sublicius est factus primum, & restitutus sæpe.

47. *Quum plena.*) Ratio est, quare nemo auderet nec vendere nec emere, quia ubique sint delatores.

47. *Et littora.*) Etiam litrora, nedum alia Urbis loca.

49. *Inquisitores*) maris, in cujus littoribus multa *alga* passim ejecta est. *alga* enim est herba marina, quæ ex profundo ejicitur.

49. *Agerent.*) Accusarent piscatorem, quod piscem esset expiscatus, qui elapsus esset ex vivariis Cæsaris.

51. *Vivaria.*) ubi continentur vel aves, vel pisces, vel feræ, quæ duntaxat ad victum spectant. Nam Romani habebant, ubi pisces inclusos pascebant. Plin. *De manu pascuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris villis.* lege Macrob. apud quem multa de *vivariis*, & saginandis piscibus referuntur.

53. *Si quid Palphurio.*) Quicquid ex mari est pulcrum & preciosum, id omne est fisci publici, id est Imperatoris, si credimus *Palphurio* & *Armillato*, qui in gratiam Imperatoris per calumnias & sacrilegas interpretationes multa fisco vindicabant. Fuit autem *Palphurius Sura*, ut auctor est Probus, consularis viri filius. sub Nerone luctatus est cum virgine Lacedæmonia in Agone, postea a Vespasiano summotus e Senatu transiit ad Stoicam sectam, in qua cum eloquentia præcelleret, Domitiano familiaritate conjunctus, delationem acerbissime exercuit De quo ita meminit Tranquillus *in Domitian. Sed ei Capitolino etiam in cunctos ingenti consensu precantes, ut Palphurium Suram restitueret, pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, tacere tantummodo jussit voce præconis.*

53. *Armillato.*) De hoc Tranquillus sic: *Armillatus processit in publicum, & eandem sententiam habuit. Armillati* autem dicuntur, qui *armillis* ornati sunt. Propertius, metaphoricos canes *armillum* gestantes *armillatos* appellat:

Atque armillatos colla molossa canes.

Est enim *armilla* torquis argenteus sive aureus, qui circa brachium gestabatur. *Armillum* vero est, auctore Festo, vas vinarium in sacris, dictum quod *armo*, id est humero deportetur.

55. *Fisci.*) id est Imperatoris. Nam *fiscus* receptaculum erat nummorum, capiturque pro ipso ærario, ut hoc loco. Plinius *lib.* VII. de balsamo: *Serit nunc eam fiscus.* scilicet Romanus. Idem in eodem: *Quippe millibus denariorum sextarii empti vendente fisco*, id est publico ærario. A nomine fit verbum *confiscare*, id est ad ærarium deferre. Nummorum autem receptacula erant *sportæ*, *sportulæ*, *sportellæ*, *sacci*, *sacculi*, *saccelli*. Et *crumenæ*, *manticæ*, *marsupia*, ita *fisci*, *fiscinæ*, *fiscellæ*. *Spartea* sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. auctor Pedianus.

55. *Donabitur ergo.*) Verba Poetæ subsannantis talem legum interpretationem.

56. *Ne pereat.*) scilicet piscator.

56. *Jam letifero.*) etsi jam tempus erat hyemale, ut facile piscis frigore conservari posset, tamen piscator, veluti urgente Austro, quo spirante facile corrumpuntur obsonia, ad Imperatorem festinat cum pisce.

56. *Cedente pruinis.*) Hyeme: quo tempore maxime cadunt pruinæ. dictæ autem *pruinæ*, quasi *perurinæ* ab *urendo*, quod in agris omnia *urant*, atque absumant.

56. *Letifero.*) Mortalibus pernicioso, solet enim *Autumnus* propter temporum mutationes esse gravis & pestilens, tunc enim ventus auster flat, quo maxime morbi generantur. unde est illud Horatii:

Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Idem alibi:

Pomifero grave tempus anno.

C. De anni temporibus, vide Celsum *lib.* II. *cap.* I. Item Cœl. Rhodiginum *lib.* XXIX. *cap.* XXXVIII. S.

57. *Autumno.*) Varro putat *autumnum* dictum ab *augendo*, quod eo tempore præcipue hominum res *augeantur*, coactis agrorum fructibus.

57. *Jam quartanam.*) Fine enim autumni solent febres tertianæ in *quartanas* mutari.

57. *Sperantibus.*) per contrarium, id est timentibus. Virgilius:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

58. *Deformis.*) Appellatur a Poetis hyems *deformis*, quod omnia frigore & nivibus *deformia* videantur.

59. *Auster.*) Nam, ut diximus, eo flante, ut docet Plin. obsonia corrumpuntur. Horat.

— *At vos*
Præsentes Austri, coquite horum obsonia. —

est autem ventus, qui a Meridie flat, qui Græce *notus* dicitur, id est humidus.

60. *Utque lacus.*) postquam piscator *lacubus* *superat*, qui *Albani* vocantur. Nam Alba, auctore Dionysio, inter montem excelsum, atque lacum magnum, & profundum exstructa est, æque distans ab utrisque; hique erant tanquam muri vix expugnabilem eam reddentes. De *lacu* sic Cicero in I. de *Divinat. Quid quod in Annalibus habemus Vejenti bello, quum*

lacus

lacus Albanus praeter modum crevisset, quendam ad nos hominem nobilem profugisse. Ejus etiam meminit Valer. *lib.* I. *Subito lacus Albanus solitum stagni modum excessit.* De *lacubus Albanis* sic etiam meminit Horat.

— Albanos prope te lacus
Pones marmoream sub trabe Cypria.

Unde fit, ut putem apud Virgilium in VII. mendum esse, ubi ostendit Nisum & Euryalum peracta multorum caede in castra Rutulorum pervenisse ad *locos*, qui *Albani* sunt dicti, ita ut ad *lacus Albanos*, non *locos* legendum contenderim.

61. *Ignem Trojanum.*) id est colit ritus Vestae, in cujus templo perpetuus ignis adservabatur a sacris Virginibus.

61. *Trojanum.*) Nam id institutum servandi ignis initium habuit a Trojanis, quum in Italiam Aeneas Penates vexisset, unde Virgil.

Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape fatorum comites. [*Gr.*] —

Papinius:

— An tacita vigilet face Troicus ignis.

Pontifex maximus custos erat virginum Vestalium, quae custodiunt ignem perpetuum, ut scribit Plut. Unde & Papinius loquens de patre docente Neapoli, sic inquit:

Sub te Dardanius facis explorator opertae.

Nam *fax* sive *ignis cinere opertus* servabatur. Quae vero Deam colebant, virgines quatuor a principio erant, eligentibus eas Regibus ad ea, quae instituerat Numa legitima: posterius autem propter multitudinem sacrorum ministeriorum, quae perficiunt, sex factae sunt apud Deam vitam agentes. Unde scribit Tranq. testamentum Augusti apud *sex virgines Vestales* depositum fuisse. Triginta annos necesse est eas manere innuptas & castas, sacrificia peragentes ex lege, quo in tempore opus est decem annis discere, decem sacra perficere, decem ulterius alias edocere. Lege Dionysium. *Lotos* antiquissima arbor fuit in Urbe, quae *capillata* dicebatur, ad quam virginum Vestalium capillis deferebatur. Plin. *lib.* XVI. *cap. ult.*

61. *Vestam minorem.*) Ad differentiam templi, quod Romae a Numa Pompilio exstructum fuerat novum & rotundum, & majus, ut scribit Plut. *in vita Numae.*

61. *Albani.*) Nam post supplicium sumtum de Metio Suffetio Albanorum duce, Alba, imperante Tullo Hostilio, diruta est. Templis tamen Deum, ut scribit Liv. (ita enim edictum ab Rege fuerat) temperatum est, Albanis in Urbem Romam admissis mons Coelius inhabitandus traditus est, sicque Albae ruinis duplicatus est numerus civium. Albam, auctore Dionys. condidit Ascanius filius Aeneae. Annos duravit, postquam condita est, quingentos minus tredecim.

61. *Albae.*) Describit locum, ubi Domitianus quotannis in Albano quinquatria Minervae celebrabat, cui collegium instituerat sacerdorum.

63. *Valvae.*) Postes, a *volvendo*, quod in cardinibus *volvantur*. Propert. de templo Apollinis Palatini:

Et valvae Libyci nobile dentis opus.

64. *Patres.*) Senatores, qui in Albano erant cum Imperatore.

65. *Ad Atridem.*) Ad Domitianum, nam ut Agamemnon omnium Graecorum ducum voluit Imperator appellari, ita Domitianus non solum *dux ducum*, & *princeps principum*, sed etiam *Deus*. aut appellavit *Atridem* a crudelitate, ut quando *Neronem* etiam dixerit, ostendat in omnibus Neroni similem fuisse, ut sic, *itur ad Atridem*, i. ad Neronem alterum, qui matrem suam interemit Agrippinam, sicut Orestes *Atrei* nepos & Agamemnonis filius matrem suam Clytemnaestram.

65. *Tunc Picens.*) Piscator de *Piceno* agro, qui *rhombum* ceperat. aut revera nomen est proprium, sicut apud Martial.

Scribit in adversa Picens epigrammata charta.

66. *Majora.*) Precio ora, quam privato conveniant homini, quasi dicat: digna tantum principibus.

67. *Genialis agatur iste dies.*) Hic dies celebretur summa cum voluptate. Nam tunc *Genio* operam dare dicimur, quum animi relaxationem sequimur. Pers.

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est,
Quod vivimus. —

68. *Servatum in tua.*) Aperta & manifesta adulatio, quae omnibus fere grata esse consuevit. Unde Sen. *ad Luc. Quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prehendimus, optimos nos esse & sapientissimos affirmantibus assentimur; quum sciamus illos multa mentiri, adeo quoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in eo, cui contraria tam maxime facimus. Mitissimum ille se ipsis in suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantissimum. Sequitur itaque, ut ideo mutari nolimus, quia nos optimos esse credimus.*

69. *Quid apertius*) ista adulatione.

70. *Surgebant cristae.*) Domitianus mira afficiebatur laetitia, talia audiendo.

70. *Nihil est.*) Valde enim aures Principium adulationibus delectantur, unde Alexander Magnus praedicantibus se Jovis esse filium aliquando credidit, ita ut quum in India vulnus accepisset, magnumque sentiret dolorem: *Omnes jurant, me esse ipsius Jovis filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.*

71. *Quum laudatur DIs aequa potestas.*) Ex historia est. Nam tantae fuit stoliditatis & arrogantiae, ut quum audivisset se nominari *Deum* per libellum, statim edixerit, ne alia praefatione appellaretur, unde Mart. *lib.* V.

Edictum

Edictum Domini, Deique nostri.

Et ipse Domitianus, quum procuratorum suorum nomine *formalem* dictaret, epistolam sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthæc, ut ne scripto quidem, ac sermone cujusquam appellaretur aliter.

72. *Sed deerat.*) In irrisionem Principis hoc fingit Poeta, ejus luxum & gulam notans.

*72. *Deerat.*] Tantus erat piscis, ut nulla exstaret patina, quæ eum coquendum integrum caperet.

73. *Magnæque Amicitiæ.*) Imperatoriæ. Unde *Satyr.* I.

— Magni delator amici.

id est Imperatoris.

75. *Abolla.*) De *abolla* dictum in *Sat.* III.

75. *Liburno.*) Servo nomenclatore, qui in Senatum Patres vocaret. nam, ut diximus ante, ex *Liburnia* servi proceræ staturæ mittebantur, & proinde Dominis grati. superius:

Et ingenti curres super ora Liburno.

76. *Pegasus.*) Jurisconsultus fuit celeberrimus temporibus Vespasiani, a quo & *Urbi præfectus* fuit, ut Pomp. in *Origine Juris* est auctor. unde & *villicum* improprie appellat, i. præfectum & custodem. Nam *villicus* proprie appellatur villæ gubernator, unde a villa *villicus* nomen accepit: οἰκονόμος autem tam pecuniæ, quam frugum & omnium, quæ dominus possidet, dispensator est.

76. *Jam sedit.*) Imperator.

80. *Tractanda inermi Justitia.*) Et si sanctissimis erat moribus, tamen sævitiam Imperatoris veritus, putabat non omnia sibi agenda, ut justitia postulabat, sed ad nutum & voluntatem Principis omnia esse, qui ex stultis fatuos reddunt homines,

81. *Venit & Crispi.*) Hic est ille *Vibius Crispus*, qui, ut scribit Tranquillus, cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare Domitiano, non absurde respondit: *Ne musca quidem.* unde Poeta *jucundam senectutem* appellat: quod facetus esset: consueverat enim Domitianus initio principatus sui quotidie sibi horarium sumere, nec quicquam amplius, quam muscas captare, ac stilo peracuto configere.

83. *Maria ac terras.*) Crispus moribus Principis se optime accommodabat, ut per omnia assentaretur. Sed nemo unquam utilior comes Imperatori fuisset totum orbem regenti, si ei licuisset per sævitiam Principis omnia libere loqui.

84. *Illa clade & peste.*) Domitiano, qui communis erat quædam omnium pernicies.

85. *Damnari Sævitiam.*) i. scelera hominum, aut quod magis placet, libere *accusare sævitiam* Principis, qui more sævissimi tyranni, verum audire nolebat: unde sequitur:

— Sed quid violentius aure tyranni?

87. *Cum quo de pluviis.*) Imminebat mortis periculum amico, si forte aliquid locuturus, de rebus incertis aliquid dixisset, quod ejus voluntati fuisset adversum.

*88. *Fatum pendebat.*) In ambiguo erat, veluti sunt res pendulæ in ambiguo, ne cadant.

89. *Contra Torrentem.*) metaphoricos. nam *torrens* magno impetu ferri consuevit, hoc est nunquam Imperatoris voluntati refragatus est.

90. *Nec civis erat.*) Efferatam Domitiani crudelitatem ostendit, quum nemo esset, qui libere loqui auderet.

92. *Sic.*) per hanc ingenii comitatem.

92. *Octogesima solstitia.*) i. octoginta annos, quibus in aula Principum est versatus. Nam etsi in anno duplex est *solstitium, brumale & æstivum*: quum tamen absolute ponitur, pro *æstivo* tantum intelligimus: ergo quot *solstitia* dicimus, totidem *annos* intelligimus. Unde Virg.

Humida solstitia, atque hyemes optate serenas
Agricolæ. —

hic enim intelligimus de *solstitio* æstivo. Sic etiam apud Ovid. *de Ponto*:

— Noxque
Tardior hyberna solstitialis erit.

Contra vero *brumale solstitium* non dicimus absolute, sed semper *solstitium brumale.* Est autem solstitium æstivum VIII. *Calend. Julii.* quo tempore remeare ad inferiores Sol incipit circulos: hyemale vero VII. *Calend Januar.* quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. dictum autem solstitium, quasi *solis statio.* Tunc enim *sol stare* videtur.

93. *His* &c.) Acilius eusdem ævi propetabat proximus, i. secundus post Crispinum, tutus in illa aula *his armis* id est pari arte, paribus moribus, & assentationibus. Hic est ille *Acilius Glabrio*, quem postea, ut scribit Tranquillus, supplicio affecit una cum Salvidiano & Orfito, quasi molitorem novarum rerum. fuit etiam iisdem temporibus *Acilius Ruffus* vir consularis: de quo Plin. *in Epist. ad Ursum*: *Censuit Acilius Ruffus consularis designatus inquisitionem Bithynis dandam.*

93. *Illa aula*) tam sævi Principis. est autem *aulæ* sedes & domicilium Imperatoris & tyranni: unde fit *aulicus*, qui in *aula* versatur, & tyranni est contubernalis.

95. *Cum juvene indigno.*) Aliqui de Helvidii Filio quem Domitianus interemit, putant intelligen-

gendum: quod quasi scenico exodio, sub persona Paridis & Oenones divortium suum cum uxore tractasset. sed quum plurimos interemerit, nulla exstat historia quis fuerit juvenis, qui cum *Acilio* properabat.

96. *Festinata.*) In juvenibus mortem acerbam & festinatam appellare solemus, quasi quæ ante tempus festinet: Unde *festinata* legendum est, non autem *destinata*, versus enim non staret. *I* enim brevis est in *destinata*. recte autem Poeta mortem, ut dixi, *festinatam* appellat, quæ juvenem opprimat, quasi quæ celerius *festinet*, quam conveniat.

96. *Sed olim.*) i. superioribus temporibus, quibus Domitianus imperabat. Hincque apparet Juv. *Sat. suas* non scripsisse sub Domitiano. Tam multos, inquit, Domitianus efferata quadam crudelitate cives interemit, ut in prodigio haberetur, si quem in Urbe offenderes senem nobilem & Patricium. *Prodigum* autem dicitur, auctore Festo, velut *prædicium*, quod *prædicat*. Unde & Cic. *lib.* 11. *de Natura Deorum* ait: *Ostenta, monstra, portenta, & prodigia dicta, quod ostendant, monstrent, portendant, prædicant.*

98. *Unde fit, ut malim.*) Quum Imperator in Nobilitatem tam atrociter sæviret (nam, ut scribit Euseb. multos in exilium ex nobilibus misit & occidit) maluerim *fraterculus* esse *gigantum*, qui Terræ filii fuerunt, i. ignobilis & obscurus, quam Patricius & nobilis. Nam qui obscuro genere essent orti, quasi quorum parentes ignorarentur, *filii terræ* appellari consueverunt. Lactant. Firmianus *lib.* I. *Divinar. Institution.* Minutius Felix in *eodem libro*, qui *Octavius* inscribitur, sic est argumentatus: Saturnum, quum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Cœli filium dictum. quod soleamus eos, quorum virtutes miremur, aut eos, qui repentine advenerint, *de cœlo cecidisse* dicere: *Terræ* autem eos esse *filios*, qui ignotis parentibus sint nati. Unde & Tertul *in Apologet.* de Saturno: *Dictus autem terræ & Cœli filius, quia ignoti, vel inopinato apparentes de cœlo supervenisse dicuntur: nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est.* Cic. *ad Atticum* I. *Sed hæc ad te scribam alias subtilius. Nam neque adhuc satis mihi nota sunt: & huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.*

98. *Fraterculus.*) Satis lepide se *fraterculum* & non *fratrem* dicit, utpote qui sentiat tantæ moli giganteæ se parem non esse.

98. *Gigantum.*) Gigantes, ut fabulosa prodidit antiquitas ex imis Terræ visceribus nati sunt, immanissimo corpore, qui quum conati essent e sede cœlesti Deos deturbare, tam acriter inde pugnatum est, ut Dii in Ægyptum usque fugati sint. qui demum parta victoria Gigantes perdiderunt. *Berosus* vero *Babylonicus* historiam persequens, scribit in Syria circa Libanum fuisse Enos urbem maximam gigantum, qui universo orbi dominabantur ab occasu Solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inventis armis omnes opprimebant, libidinique inservientes invenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabant abortus, in eduliumque præparabant, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis, & brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterent contemtores religionis & Deorum: unde & Marc. *lib.* 1. *Satur.* gentem quadam impiam vocat, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse. horum pedes in draconum volumina desinebant, quod significat, nihil eos rectum, nihil supernum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.

99. *Profuit ergo.*) Putabat se per studium venationis theatralis, quo & Imperator maxime delectabatur, posse sæviniam ejus effugere, ac proinde feras in arena conficiebat; ut placeret, sed nihil, inquit, ei hoc profuit, quia tales artes jam noverat Imperator.

100. *Albana arena.*) Nam & in Albano, ubi quotanis *quinquatria Minervæ* celebrabat, feras conficiendas exhibuit, ipseque centenas varii generis confecit, auctor Tranquillus.

100. *Numidas.*) Libycos. Nam *Numidia* pars est Africæ imperio Masinissæ clara, dicta *Numidia* a pascuorum fertilitate. nam νομὸς pascua, sive *pabulum* significat. igitur conversa *o* in *u* fit *Numidia*. inde ursi feroces mittebantur. Plin. *lib.* VIII. *Annalibus notatum est Domitium Ænobarbum ædilem curulem ursos Numidicos centum & totidem venatores Aethiopas in circo exhibuisse. Miror adjectum Numidicos fuisse, quum in Africa ursos non gigni constet* Et miror Plin. negare *ursos* gigni in Africa, quum ceteri scriptores nasci affirment, Solinus: *Numidici ursi forma ceteris præstant.* Mart.

> *— Et fræno Libyci domantur ursi.*

Virgilius *lib.* V.

> *Horridus in jaculis, & pelle Libyssidis ursæ.*

Idem *lib.* VIII.

> *Effultum spoliis & pelle Libissidis ursæ.*

100. *Nudus.*) Depositis vestibus, ut esset expeditior, & quasi per quandam stultitiam.

101. *Quis jam.*) Non est opus his artibus Principem seduci, qui simulatam nobilium noscit stultitiam.

102. *Acumen priscum.*) hoc est Prudentiam & sagacitatem illam priscam, id est qua priscis usus fuisti temporibus.

103. *Brute.*) Brutus, ut avunculi sui Tarquinii Superbi sævitiam vitaret, quum ab eo omnem Nobilita-

tis indolem excerpi, interque ceteros etiam fratrem suum, qui vegerioris ingenii erat, interfectum animadverteret, obtusi se cordis esse simulavit, eaque fallacia maximas virtutes suas texit. Ait ergo Poeta: Rudi illa ætate facile potuisti Brute Principes decipere: Sed nunc nemo esset, qui artes illas tuas non nosceret.

103. *Imponere.*) Decipere. Nam *imponere*, cum dativo tantum jungitur, efficiturque neutrum, idem est, quod *decipio*. Sen. *ad Lucil. Oculis nostris imponimus*, id est oculos nostros decipimus. Plin. *Epistola ad Proculum: Si modo mihi non imposuit recitatio tua: legis enim suavissime & peritissime, inde fit etiam impostura*, id est deceptio.

103. *Regi.*) Tarquinio Superbo.

103. *Barbato.*) Nam Romani quadringentis & quadraginta quatuor annis intonsi fuerunt, quum tonsores non haberent, eos postea Ticinus Mena ex Sicilia in Urbem adduxit. Olim *tonsores* non fuisse significant antiquorum statuæ, quod pleræque habebant capillum & barbam magnam, auctor Varro *lib.* 11. *de Re Rust.*

104. Nec *melior.*) Nec lætior, sed pari tristitia.

104 *Quamvis ignobilis.*) Heic ostendit nimiam Domitiani crudelitatem, qui in omnes pariter sæviret tam nobiles, quam plebejos.

105. *Rubrius.*) Hic Rubrius temporibus fuit Domitiani, ut ipse ostendit Poeta, sed historia minime est nota, quomodo reus fuerit *offensæ veteris, & tacendæ*. itaque de hoc adhuc quærendum censeo, quæ autem ab aliis afferuntur ex testimonio Taciti de *Rubrio Gallo*, alioque *Rubrio*, qui in conjuratione Pisoniana deprehensus est, non placent, quum ad rem Poetæ minime sint accommodata.

106. *Et tamen improbior.*) Licet Rubrius ignobilis esset & humili loco, tamen improbior fuit Nerone ipso, qui *satyram* scripsit *in Quintianum*, appellavitque eum *mollem & effæminatum*, quum ipse esset cinædus. Nam nupsit Doryphoro servo, ut scribit Tranquillus, sicut ipsi Sporus. Tacitus eum appellat Pythagoram, quem Tranquillus Doryphorum. ea forte ratione a Tranquillo Doryphorus appellatur, quem proprio nomine dicit Tacitus, quod satelles fuerit Domitiani. nam Græci dicunt Doryphorum satellitem ab hasta ferenda, quæ δόρυ Græco vocabulo nominatur. Quod autem Nero in Quintianum scripserit, sic prodidit Tacitus: *Quintianus molli corpore infamis, & a Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.* Ergo *cinædo scribente satyram* id est Nerone, qui earmen probrosum scripsit in Quintianum, quum & ipse esset cinædus. carmen etiam Elegiacum scripsit. Matt. *lib.* IX.

Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Latinum juvenis quum tibi lusit opus.

Scripsit etiam *Iliada*. auctores Tranquillus, Tacitus, & Eusebius.

107. *Montani quoque venter.*) De Curtio Montano intelligit, de quo multa apud Tacitum leguntur. dictum autem Satyrice *venter adest*, ut ostendat hominem corpulentum fuisse, & epulis intentum. unde eum in sequentibus ostendit magnam edendi habuisse peritiam. quum ait, *nulli major fuit usus edendi.*

108. *Sudans amomo matutino.*) id est unguento perfusus matutino Est autem *Amomum* genus fruticis provenientis in Syria, cujus uva in usu est, frutice venoso, palmi altitudine, capiturque cum radice. Ex eo fit unguentum preciosissimum. Unde Plinius: *Omnia autem acutiora fiunt costo, amomo, quæ maxime nares feriunt.* Unguento etiam, quod dicebatur *regale*, inter alia adhibebatur *amomum*.

108. *Matutino*) Non placet, ut exponas *Orientali*, sed quo *mane* ungeretur. *Matutinum* autem dicimus a *Matuta* Dea, id est Aurora.

109. *Quantum vix redolent.*) Invidiose hoc dicit in Crispinum, quem ubique ut luxuriosum & mollem lacerat.

109. *Duo funera.*) Nam mortuorum corpora perungebantur. Plin. *Unguentorum quoque bonos ad mortuos pertinere cœpit.* Persius noster:

Ossa inodora dabit. —

110. *Pompejus.*) Temporibus Domitiani multi, quæstus causa ad delationem se contulerant. Inter quos & *Pompejus*, Sed quum temporibus Domitiani plures exstiterint ejusdem nominis, de *Pompejo Ruffo* possumus intelligere, de quo ita Plin. in *Epistol.* ad Cornel. Minutianum: *Quin etiam duo consulares* Pomp. *Ruffus & Libo Frugi læserunt Norbanum testimonio, tanquam apud judicem sub Domitiano Salvii Liberalis accusatoribus affuisset. Damnatus, & in insulam relegatus est.* Licet etiam intelligere de *Pompejo Falcone*, de quo idem Plin. *Consulis, an existimem te in tribunatu caussas agere decere.*

110. *Aperire jugulos.*) Ibi enim locus est maxime cædi obnoxius. Lucanus:

— *Jugulumque senilem*
Confodiam. —

hinc fit verbum *jugulo*, quod non modo *gladio*, sed & *morbo occidere* significat. Celsus *lib.* III. *Nam quartana neminem jugulat.*

111. *Vulturibus.*) *Vultures* enim cadavera adeo avide sequuntur, ut triduo ante, aut biduo volare, eo, ubi cadavera futura sunt, tradantur. *Plinius lib.* X.

112. *Fuscus.*) Est *Corn* ille *Fuscus*, qui temporibus Domitiani prætorianæ cohortis præfectus bellum gessit adversus Dacos, a quibus in prælio est occisus. Lege Tacitum, Matt. de eo ita scribit lib. VI.

Ille

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,
Credita cui summi castra fuere ducis:
Hic situs est Fuscus, licet hoc fortuna fateri,
Non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

113. *Prudens Vejento.*) *Vejentonis & Catulli Messalini* cœci mentionem facit Plin. *Epist. ad Sempronium Ruffum*: *Sic cœnabat Nerva cum paucis: Vejento recumbebat proximus, atque etiam in sinu, dixi omnia. Quum hominem nominavi incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus, ingenio suo mala cœcitatis addiderat. non verebatur, non erebescebat, non miserebatur. sæpius a Domitiano non secus ac tela, quæ & ipsa cœca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. de hujus nequitia sanguinariisque sententiis, in commune omnes super cœnam loquebantur.* Hinc ergo Poeta *mortiferum Catullum* appellat, ut delatorem & nocentissimum hominem. *Vejentonem* autem appellat honorifice *prudentem*. neque enim usquam apparet eum fuisse malum, sed doctum, & familiarem Nervæ. est autem *Fabricius* ille *Vejento* vir senatorius, de quo in VI. *Sat.* intellexit Poeta: ubi ostendit Hippiam uxorem ejus, relicto marito per impudicitiam gladiatorem abeuntem ab Urbe in Aegyptum usque fuisse secutam.

114. *Nunquam visæ.*) Erat enim luminibus orbatus.

116. *Satelles Dignus.*) hoc est Dignus, qui ad pontes mendicaret, in quibus solent considentes pauperes stipem a transeuntibus petere. Sen. *In sublicium pontem me transfer, & inter egenos abige, non ideo tamen me despiciam, quod illorum in numero consedero, qui manum ad stipem porrigunt.* Juvenalis:

Nulla crepido vacat, nusquam pons. —

116. *Satelles.*) Ironice *satellitem*, quasi *pontis custodem* appellavit: nam *satelles* proprie is appellatur, qui ad custodiam Principis assistit, unde *Cæcil. Cyprian.* in Epistola ad Donatum: *Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sic licet satellitum manu septus, & clausum ac prope tectum latus numeroso stipatore tuetur.*

117. *Aricinos.*) id est Qui stipem peteret ab iis, qui *Ariciam* vehuntur. Nam *Ariciæ*, quæ sita est in clivo in Appia via post Albanum montem, lucus fuit Dianæ, quem *Artemisium* appellavere, quo magna populorum multitudo confluebat: propter quod mendici in eo clivo sedentes mendicabant.

118. *Rhedæ devexæ.*) Est clivus juxta Ariciam. Martialis.

Debet Aricino conviva recumbere clivo.

119. *Magis stupuit.*) quam ipse Catullus Messalinus.

121. *Sic pugnas Cilicis.*) *Cilix* nomen fuit gladiatoris, cujus pugnas simili adulatione laudabat.

122. *Et pegma.*) *Pegmata* machinamenta erant lignea, quæ in triumphorum pompa ferebantur eo artificio compacta, ut per se surgerent, veluti ramos exserentia. Sen. *ad Lucil.* *Ludicræ sunt artes, quæ ad voluptatem aurium, atque oculorum tendunt. his annumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia.* Mart.

Et crescunt media pegmata celsa via.

Josephus item *lib. VII.* *Maxime autem erat stupor machinarum, quæ portabantur, sive pegmatum fabricatio, pro quorum magnitudine viribus portantium occurrentes timebant. multa enim in tertium uidum quartumque surgebant, & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabant.* De quibus sic Claudianus *de cons. Manlii Theodos.*

Vel qui more avium sese jaculantur in auras,
Corporaque ædificant celeri crescentia nexu,
Quorum compositam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus plantæ vel crucibus hærens;
Pendula librato figat vestigia saltu,
Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

Pegma autem dictio est Græca, quæ *ludum* significat.

122. *Et pueros*) laudabat, residentes in pegmate.

122. *Inde raptos.*) id est ex *pegmate* finitis ludis ablatos: aut *raptos*, mox stupratos. De quibus videtur intellexisse Divus Augustinus *lib. II.* *Veniebamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula, ludibriaque sacrilegiorum. spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos, ludos turpissimos, qui Diis Deabusque exhibebantur.* ubi videtur, ut diximus, per *arreptitios* intellexisse pueros *arreptos ad stupra.*

122. *Ad velaria.*) *Velaria* loca erant, ubi *vela* reponebantur, quæ ad ornandum thatrum tendebantur. non sum nescius & *velaria* poni etiam pro ipsis velis, nisi mendum est apud Papinium *in Sylvis lib. I.*

Jam velaria linea pluebant.

Nam illic in plerisque codicibus legitur:

Bellaria adorea pluebant.

123. *Non cedit Vejento.*) In adulatione & piscis laudatione non cedit Messalino: ac si dicat, longe vehementius adulatur.

123. *Ut Phanaticus.*) *Phanatici* proprio epitheto dicebantur sacerdotes Cybeles, sive Bellonæ, qui veluti Deæ numine afflati, caput & comas rotabant jactabantque, futuraque prædicebant. Lucanus *lib. I.*

— *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis cecinerunt tristia Galli.

Quintil. *lib.* IX. *Jactare caput, & comas rotare, phanaticum est.* Lampridius *in Heliogab. Jactavit autem caput inter præcisos phanaticos, & genitalia sibi devinxit.* Porphyrius ita scribit *in Horat. Affirmat autem non magis matris magnæ, aut Apollinis numine instinctos furere, quam eos, qui iracundia sunt incitati.* Horat. *in Poetica*:

Aut Phanaticus error, & iracunda Diana.

Iidem *Enthei* etiam dicebantur, quasi divini, & Deo pleni. Papinius *in Sylvis*:

— *Eat enthea vittis*
Atque hederis redimita cohors. —

Martialis:

Spadone quum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Cæleneo,
Quem sectus ululat matris
Entheæ Gallus. —

nam sacerdotes Cybeles furore correpti in sacris ululatu requirebant Atyn, quem olim Cybele amaverat. De sacerdotibus Bellonæ sic & Lactantius *lib.* I. de *Institutione Divina.*

124. *Percussus tuo æstro Bellona.*) id est tuo furore correptus. *æstrum* Græci, ut auctor est Festus, appellant, quem Latini *asilum* dixere. id est *Tabanum.* est enim genus violentæ muscæ, quæ in furorem armenta agit, Virgil. *Georg.* III.

Est lucus Silarim circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, æstrum Graji vertere vocantes.

heic ergo *æstrum* pro furore Poeta posuit. Statius *lib.* I. *Thebaidos*:

Tempus erit, quum laurigero tua fortiter æstro
Facta canam. —

Idem *in Sylvis* de Genethliaco:

— *Lucanus*
Docto pectore concitavit Oestro.

Plinius *lib.* XI. *cap.* XVI. *Nascuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ ceteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum.* Et idem *cap.* XXVIII. *ejusdem lib. Quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet.* Seneca *ad Lucilium*: *Hunc, quem Græci æstron vocant, pecora peragentem totis saltibus dissipantem, asilum nostri. vocabulum Asilum interisse, & æstri usum remansisse.*

124. *Bellona.*) Dea est belli: Sensit Apulejus *in Metam.* Cybelem Bellonam & Isidem easdem esse Deas, easdemque sacerdotes, qui suo cruore in earum sacris rem divinam faciebant. Nam gladiis humeros sibi & lacertos ferientes cum capitis agitatione discurrebant, & veluti numine Deæ afflari agebantur prædicebantque futura.

126. *Regem aliquem capies.*) Hinc argumentatur, divinatque, cum *capturum aliquem regem* barbarum & peregrinum, quia piscis sit peregrinus & spinis armatus, ut reges casside cristata armantur.

126. *De temone Britanno Excidit.*) id est capietur in bello, & de curru dejicietur. Nam Britanni curribus utuntur in bello, ut auctor est Cæsar *in Comm.* quos *Covinos*, auctore Pomponio Mela, vocabant. Lucanus:

Et docilis rector monstrati Belga Covini.

quod Britanni curribus, in bello uterentur, indicat & Propertius:

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru.

128. *Hoc defuit unum Fabricio.*) Ita reliqua per assentationem prædixit, ut aliud nihil restaret, quam ut commemoraret patriam piscis, & quot annos esset natus, sicque tantam assentationem apprehensoremque ejus subsannat.

130. *Quidnam igitur censes.*) Verba sunt Juvenalis: Quid putas decretum fuisse de pisce coquendo?

130. *Conciditur.*) Verba personæ introductæ respondentis.

130. *Absit ab illo.*) Verba Poetæ recitantis sententiam Montani.

130. *Dedecus hoc.*) scilicet, ut concidatur.

131. *Testa.*) Patella fictilis, in qua integer coquatur.

132. *Tenui muro.*) Qui summæ sit tenuitatis. laus est figuli in conficiendis vasis ea ducere tenuia. Hyperbolicos *murum* appellavit, quum *Murus* proprie sit, qui publica ambiat, ut civitatem; Paries vero privata, ut domos.

133. *Debetur Prometheus.*) Inveniendus est optimus & prudens figulus, qui fingat patinam, qualis Prometheus, qui ex limo hominem finxit inanimatum & insensibilem; sed beneficio Minervę in cœlum assumtus, Ignem ex radiis Solis furatus est, cumque pectusculo hominis applicans, animatum reddidit. Hyginus, Ovidius, & Fulgentius.

134. *Rotam*) figularem. Eam invenit Anacharsis Scythes, sive Chorebus Atheniensis, ut Plinius *lib.* VII. & Laertius Diogenes tradunt, quamvis scribat Seneca *ad Lucil. Figuli rotam apud Homerum inveniri.*

136. *Sententia*) Montani.

136. *Digna viro.*) Ac si dicat: talis fuit sententia, qualis vir: quasi qui cibis optime conditis delectaretur. Corpulentum enim fuisse, & magni ventris superius ostendimus.

137. *Noctesque Neronis.*) Non est mirum, si tam gravem tulit sententiam de coquendo pisce, quia callebat, quid Imperatores superiores & præsertim Domitius Nero facere consueverint in parandis obsoniis. Nam *Nero*, ut auctor est Tranquillus, *epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpe calidis piscinis ac tempore æstivo nivatis.*

138. *Aliam-*

138. *Aliamque famem.*) quomodo novam famem posset sibi excitare, quum ex nimia repletione cibi & potus stomachus arderet. ac si dicat, noverat delicatis pulmentariis lautiorique apparatu ciborum stomachum excitandum.

139. *Major usus edendi.*) Major peritia in ciborum delectu, quam ipsi Montano, qui primo morsu callebat ex quo littore mitterentur educataque fuissent ostrea.

140. *Circeis.*) id est in Campania juxta *Circeos* esse nata. *Circei* enim oppidum est Campaniæ. Horat.

Ostrea Circeis, Miseni oriuntur echini.

141. *Ad saxum Lucrinum.*) hoc est in lacu *Lucrino*. nam illic prima fuit *ostreorum* commendatio, primusque *Sergius Orata*, ut scribit Plin. *lib.* IX. *Optimum saporem Lucrinis adjudicavit.* alibi capta in Lucrinum advehebant, ut illic saginarentur. Idem Plin. auctor Mart.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Lacus autem *Lucrinus* in Campania est.

141. *Rutupino fundo.*) id est mari Britannico. nam ostrea Britannica inventa fuere, postquam Lucrina. Plin. *lib.* IX. *Nondum Britannica serviebant littora, quum Orata Lucrina nobilitabat.* Ex extremis enim maris tractibus quærebant pisces. Unde Vitellius in dedicatione patinæ suæ, a Carpathio usque freto Hispaniç, per Navarchos ac triremes pisces conquisivit. Seneca: *Non est necesse perscrutari per fundum, nec strage animalium ventrem onerare. nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere.*

141. *Rutupino.*) Britannico, ab oppido littorali, quod docet Ptolom. *lib.* II. ubi scribit, Carnicorum urbem esse *Rutupinas*. Lucanus:

At vaga quum Thetis Rutupinave littora fervent,
Unda Caledonios nescit turbata Britannos.

142. *Ostrea.*) Pisces sunt concha inclusi. Ovid. *lib.* V. *Fast.*

Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

143. *Echini.*) Sunt *echini* ex genere cancrorum, in quibus spinæ pro pedibus.

145. *Arcem.*) Bene *arcem.* nam, ut auctor est Asconius, *Arx* dicitur vel sedes tyranni, vel editus in civitate & munitior ad salutem civium locus. Unde Virg.

Quo res summa loco Panthu, quam prehendimus arcem.

146. *Traxerat.*) Hoc verbo ostendit eos invitos sequi Imperatorem ob ejus sævitiam.

146. *Attonitos.*) Anxios, & qui sibi timerent ob ejus crudelitatem.

147. *Tanquam de Cattis.*) Legendum est *de Cattis*, non *Getis*. ad historiam enim respicit. Nam de Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. Tranquillus & Eusebius auctores. Stat. *lib.* I. *Sylv:*

Das Cattis Dacisque fidem. —

Eutropius: *Expeditiones quatuor habuit, unam adversus Sarmatas, alteram adversus Cattos, duas adversus Cattos, duas adversus Dacos.* Sunt autem *Catti* populi Germaniæ, *Sicambris* finitimi, qui indigentia laborant. auctor est Strabo *lib.* VII. Eos inchoare ab Hercinio saltu scribit Tacit. *Sicambri* Germaniæ sunt populi inter Rhenum & Albim fluvios, siti ad Oceanum, de quibus multa Cæs. *in Comment.* & Tacit. *de mor. German.*

149. *Penna præcipiti.*) hoc est, quæ per avem esset allata. Nam quum celeriter aliquid nunciandum esset, didicere antiqui avibus literas alligare, quas volantes perferebant. Plinius de columbis sic scribit *lib.* X. *Quin internunciæ in magnis rebus fuere, & epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra pertulere D. Bruto mittente. quid vallum, & vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio per cælum eunte nuntio* C. Sunt tamen, qui hoc dictum de cursoribus tabellariisve accipiunt, quos Dion historicus surrectas in capite pennas gestare consuesse scribit: hinc fortassis *Pegasi* a Cicerone appellati. S.

150. *Atque utinam his.*) Utinam tempora imperii sui potius consumsisset in his nugis, nec abstulisset nobiles & illustres cives.

151. *Illustres animas.*) Nobiles & illustres cives. Complures enim senatores, & in iis, aliquot consulares interemit, ex quibus *Civicum Cerealem* in ipso Asiæ proconsulatu: *Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrionem*: quos prius exilio insulari mulctatos interemit, quasi novarum rerum molitores, ceteros levissima quemque de causa, *Ælium Lamiam, Salvium Coccejanum, Metium Pompusianum, Sallust. Lucullum, Junium Rust.* & multos alios. Lege Tranquill. de ejus sævitia, & Euseb.

152. *Impune.*) Nullo existente, qui tantam crudelitatem ulcisceretur.

153. *Sed periit.*) Dum sævit in nobilitatem hunc & illum necando, nemo inventus est, qui eum interimeret, sed postquam cœpit sanguine plebejo manus suas contaminare, statim inventus est interemtor. Nam a Stephano Domicillæ Flaviæ procuratore, Partheniоque cubiculario ceteris conspiratis cunctantibus est occisus in cubiculo. De parthenio tanquam cubiculario Domitiani sic meminit Martialis.

Musæ Parthenium rogate vestrum,
Admittat timidam, brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.

Lege Tranquillum

153. *Cerdonibus.*) hoc est plebejis & vilissimis hominibus, nam *cerdo* is appellatur, qui *lucro victum* quærit.

quærit. κέρδος enim *lucrum* significat.

154. *Hoc nocuit.*) sævisse in cerdones, homines tenuis fortunæ.

154. *Madenti cæde Lamiarum.*) hoc est cæde nobilium. Nam *Lamias* posuit pro omnes nobilibus, respexitque ad historiam. *Alium* enim *Lamiam* interemit ob suspiciosos, & veteres, & innoxios jocos, Auctor Tranquillus. *Lamiæ* genus duxerunt ab *Lamo*: qui, ut tradit Homerus *in Odyss.* Cajetæ regnavit. Silius:

Et regnata Lamo Cajeta. —

Horatius:

Æli vetusto nobilis ab Lamo.

IN SATYRAM V.

Si te propositi.) Multi temporibus Poetæ amicitias nobilium & divitum sequebantur, & vilissimis quibusque officiis cœnas captabant, in quo vitæ instituto versantem Trebium amicum suum Poeta monet, deterretque, ne tale genus vitæ sectetur: ostendens superbe contumeliosèque a divitibus accipi pauperes. Sicque notat avaritiam sui temporis.

1. *Si te propositi nondum pudet.*) Tolerabilius vult esse mendicare, quam contumeliosas sequi mensas nobilium, ubi tanto excipiuntur ludibrio.

2. *Aliena quadra.*) Aliena mensa & orbe alieno: nam *quadra* vasculum appellatur a forma *quadratum*, ubi incisa reponuntur obsonia, quod ostendit Virg. *in Æneid.*

— *Patulis nec parcere quadris*
Fatalis frusti. —

Capitur & *quadra* pro frusto, veluti quadrato: ut est apud Martialem:

Quum mittis turdumque mihi quadramque placentæ,
Fucellas misisse tuas te, Pontia, dicis.

quadram ergo, id est frustum placentæ quadratum. Horatius *in Epistolis*:

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Seneca *de Beneficiis*: *Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem æris abjecti, aut ignis accendendi factam potestatem?* Mart. *lib.* XII. in Vacerram:

Nec quadra deerat casei Tholosani.

3. *Nec Sarmentus iniquas.*) *Sarmentus* eques fuit Romanus scurrilitate notissimus, per hoc Augusto Cæsari gratissimus, de quo meminit Horatius *in Satyr.*

— *Nunc mihi paucis*
Sarmenti scurræ pugnas Messique Cicerri,
Musa velim referas. —

Ejus etiam meminit Plutarchus *in Antonium.*

4. *Galba.*) Item scurra. Mart.

Ille suo felix Cæsare Galba vetus.

alibi:

Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Posses vincere Testium Caballum.

5. *Tibi jurato.*) hoc est, qui juraveris. Cicero *in Offic.* *Quum vero jurato sententia dicenda est.* Horatius *in Epistol.*

Per sanctum juratus dicat Osyrim, Credite. —

C. hinc, *injuratus* qui non *juravit.* Cicero *de Off. lib.* III. *Juravi lingua, mentem injuratam gero.* S.

6. *Testi.*) Illud minime est admittendum, ut *Testi* sit vocativus, quod *Testius Caballus* scurra fuerit, de quo dictum: non enim ad *Testium* scribit, sed ad *Trebium.* præterea illud apud Martial. non *Testium* sed *Testium Caballum* legendum est.

8. *Nulla crepido.*) Nullum saxum, nullus locus eminens, ubi solent mendici considere. Nam *crepido* capitur pro loco excelso & summitate excelsi loci. unde Sen. *ad Lucil.* *Itaque caligabit, si vastam altitudinem in crepidine ejus constitutus despexerit.*

11. *Sordes farris canini.*) id est *panem sordidum caninum*, hoc est, qui datur *canibus.* Varro *de Re Rust.* *Panem ordeaceum canibus dandum puto.*

11. *Primo fige loco.*) Proponit incommoda & contumelias, quibus afficitur in cœnis divitum. putat dives amplissimum tibi laborum mercedem rependisse, si tibi unam dedit cœnam.

12. *Fige.*) Pone, & statue jam hoc

12. *Primo loco.*) sc. contumeliarum.

14. *Fructus amicitiæ.*) Ordo est: cibus est fructus magnæ amicitiæ. *magnam amicitiam* appellat divitis, sicut & ante, *Magni delator amici*, & alibi:

In quorum facie miseræ magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. —

i. Imperatoriæ, & potentis hominis.

13. *Imputat.*) Objectat. Sen. *de Benefic.* *Ministerium est servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quæ præstat, imputet superiori.*

15. *Et quamvis rarum*) cibum. licet, inquit, te raro vocet ad cœnam, id tamen tibi imputat & objicit.

17. *Tertia culcitra.*) Tertio lecto. *ternis* enim *lectis* cœna-

bant antiqui, unde, ut alibi ante diximus, *tricli-* Græce appellatur, non solum ipsi tres lecti; sed ius ipse, ubi cœnabant. Horatius:

Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos.

itra autem appellatur, quod aut plumis, aut toto repleatur & *inculcetur*. Cic. III. *Tusc. Eripiahuic ægritudinem, quomodo collocemus in culcitra tea.* Lampridius *in Anton. Heliogab. Nec cuin accubitis facile, nisi iis, quæ pilum leporinum bant, aut plumas perdicum subalares, sæpe culcitras ans.*

8. *Votorum summa.*) Exclamatio Poetæ, cum in os clientum labores, tum ut sui temporis avaritiam: e est summa votorum, id est, optatorum & desiderum tuorum merces & tributio.

18. *Quid ultra quæris.*) Hæc in derisum ipsius cliennonne hoc magnum est præmium? quid est ultra quærendum, quum hoc sit satis?

19. *Habet Trebius.*) Ironicos. quum capiat, inquit, intam mercedem Trebius, habet sane, quod debeat rumpere somnum, & sequi divitem in officio salutandi.

20. *Ligulas dimittere, sollicitus.*) Nam qui properabant ad salutandum, non poterant se colere, unde Mart. *lib.* III.

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum.

20. *Ligulas.*) Festu Pomp. *ligulam* scribit esse partem dam in calceo ad similitudinem *linguæ* exsertæ, hanc properantes dimittebant. Mart. *in Distichis*:

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

21. *Peregerit orbem.*) Officium salutandi perfecerit.

22. *Sideribus dubiis.*) Ut adhuc non facile cognoscceret, an dies & lux vicina foret.

22. *Aut illo tempore.*) i. jam appropinquante die, quo tempore plaustrum peregit cursum suum in Septentrionem. Propert.

— *Quum jam*
Ejectant Icari sidera tarda boves.

23. *Bootæ.*) i. bubulci. Nam qui de Astrologia scripserunt, tradunt septem stellas esse in cœlo, ex quibus duæ, quæ pariles, & maximæ in uno loco videntur, pro bobus haberentur, reliquæ vero quinque figuram plaustri simularent. & quod proximum est his signum, *Bootem* appellari volunt.

23. *Pigri.*) hoc est ex ratione sphæræ dictum: nam quum modico flectatur gyro circa polum septentrionalem, nec longe discedat, ideo *piger* vocatur.

24. *Vinum quod succida nolit lana pati.*) Id est vinum vix idoneum ad aspergines parandas, quibus corpora vel domus consperguntur. Nam & *vinum*, & acetum, & oleum in aspergininum usum venire, & *lanas* facile aspergines combibere, cum alii, tum Dioscorides scriptum reliquit. C. S. C.

24. *Vinum quod succida nolit Lana pati.*) Conqueritur non idem vinum apponi convivis. sequitur enim: *Ipse capillato diffusum consule potat.* Eadem etiam est querela apud Plinium *lib.* XIIII. loquentem de Catone redeunte cum triumpho ex Hispania: *Non aliud*, inquit, *vinum bibi, quam remiges, in tantum dissimilis istis, qui etiam convivis, alia quam sibimet ipsis ministrant, aut procedente mensa projiciunt.*

24. *Succida.*) Ea dicitur lana *succida*, quæ *succisa* ex ove nondum est lota; dicta a sudore.

25. *Corybanta videbis.*) Jam putabis de conviva præ importuna ministrantium vexatione esse insanum & furentem, quales erant *Corybantes*, qui ita sunt appellati, quod inter saltandum capita jactarent. quos *Hetarmonas* vocat Homerus: *Age age Rhea, cum Hetarmones egregii adsunt.* Hinc eos qui capita saltando jactant, & numine aspirantur, & furiis agitantur, *corybantiare* dicimus. ii existimantur iidem fuisse, qui & *Curetes* Jovis in Creta educatores, qui quia alendi Jovis *curam* gesserunt, *Curetes* nominati sunt. Nam dicuntur in Ida monte, quum Juppiter infans nutriretur, ne vox ejus vagientis audiretur a Saturno, tympana & cymbala pulsasse. De quibus multa Strabo *lib.* X. Alii vero tradunt *Corybantes* dictos esse a pupillis oculorum sive genis, quas Græci κόρας vocant, quod ipsi, quum custodes essent Jovis, non modo excubare, sed etiam apertis oculis dormire cogerentur, hinc natum ex fabula vocabulum; ut, qui leporum modo somnum caperent oculis patentibus, ita nominarentur. Serv. *lib.* IIII.

26. *Jurgia.*) Verborum contentiones. inde est *jurgare* & *objurgare* non sine differentia, ut *jurgare* sit verbis contendere, & veluti altercari; *objurgare* vero reprehendere, unde illud apud *Apul.* I. *Apol. Rhetori jurganti, an philosopho objurganti.* Rhetor enim in actione causarum verbis contendit, ac perstrepit: philosophus hominum delicta objurgat.

27. *Mappa.*) Genus est mantilis ad usum mensarum. Horat. in *Epistol.* loquens de convivis:

— *Varius mappa compescere risum*
Vix poterat. —

Idem ibidem:

— *Ne turpe toral, ne sordida mappa,*
Corruget nares: —

& ut alibi in sequentibus dicemus, quum publice ostendebatur, erat signum futurorum ludorum Circensium:

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ.

27. *Rubra.*) quæ ex vulnere facta est rubra.

29. *Lagena.*) Vas tam vinarium, quam aquarium.

29. *Saguntina.*) hoc est fictili, a *Sagunto* civitate Hispaniæ, unde vasa fictilia pulcerrima mittebantur. Mart.

Ficta Saguntino Cymbia malo luto.

Ea, quia fictilia erant, & tanquam modici precii, apponebantur pauperibus convivis. Mart.

Quæ non sollicitus teneat, servetque minister,
Sume Saguntino pocula facta luto.

30. *Diffusum.*) Expressum, quod postea in vasa *diffundi* solet in usum totius anni. Unde Plinius *lib.* XIV. *Protopum appellatur a quibusdam mustum sponte defluens. antequam calcentur uvæ, hoc protinus diffusum lagenis suis defervere passi.* Et alibi, ut statim dicemus, vina, quæ eo anno diffusa sunt, in ducentesimum annum servata fuerunt, idem alibi diffusa ita decimo die obturant. Apul. *lib.* IX. *Miles. Concurrit unus a cella vinaria nuncians omne vinum, quod olim diffusum fuerat, in omnibus doliis ferventi calore rebullire.*

30. *Consule capillato.*) Vinum Opimianum intelligit. Nam *Lucilio Opimio* consule quo tempore Ca. Gracchus Tribunus plebis Agrariæ legis promulgator interemtus est, cœli temperies fulsit, quam *cocturam* vocant *Solis* agricolæ, tanta vini fertilitate & præstantia, ut, quæ eo anno diffusa sunt, in ducentesimum annum servata fuerint, redacta in speciem mellis asperi, ita ut non sit mirum ad tempora usque Juven. perdurasse. auctor est Plin. *lib.* XIIII. *cap.* IV.

30. *Capillato.*) Antiquo, nam antiqui intonsi incedebant & capillati.

31. *Calcatam.*) id est vinum, quod exit ex uvis calcatis & pressis. Horat.

Et prælo domitam Caleno tu bibes uvam.

31. *Bellis socialibus.*) i. quo tempore fuit bellum sociale, quod ob hanc caussam excitatum est. Nam quum Senatus, auctore Liv. *lib.* LXX. & LXXI. impotentiam equestris ordinis in officiis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur: M. Livius Drusus Tribunus plebis causam senatus suscepit. Itaque, ut majoribus viribus eam tueretur, socios & Italicos populos spe civitatis Romanæ sollicitavit. Iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, legem quoque judicialem tulit: ut æquali parte judicia penes senatum, & equestrem ordinem essent, quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt, propter quod M. Livius Drusus est senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est. Contra autem matrem & parentem suam Urbem, omne Latium, atque Picenum, Hetruria omnis atque Campania postremo Italia consurrexerunt. Eo bello nihil unquam fuit calamitosius.

32. *Amico cardiaco.*) id est laboranti dolore cordis. καρδία enim cor significat: cardiacis autem vino optimo maxime succurritur. id autem morbi genus nihil aliud est, quam nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Hæc Celsus *lib.* III. Sen. *ad Lucil. Bibere & sudare vita cardiaci est.* Plin. ait cor ejus cremari non posse, qui tali morbo perierit.

33. *De montibus Albanis.*) Vinum Albanum intelligit prædulce, ut scribit Plinius *lib.* XIV. *cap.* VI.

33. *De Setinis.*) Divus Augustus *Setinum* prætulit cunctis: dictum a *Setia* civitate Campaniæ. Martialis:

Pendula Pontinos, quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab Urbe cados.

35. *Veteris testæ.*) Vasis. Horat.

Quum semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. —

Nam apud Veteres vina vasis fictilibus condebantur, obturabanturque gypso. Lege Plin. *lib.* XIIII. unde sæpe est apud Poetas, *vasa lini*: ut illud Terent. *Vasa omnia relevi*, id est aperui remoto gypso.

36. *Thrasea Helvidiusque bibebant.*) Adeo uterque libertatis studiosus fuit, ut natalem diem Brutorum & Cassii, qui patriam a tyrannis liberaverant, summa poculorum hilaritate celebrarent. *Pætus Thrasea* Patavinus fuit: cui Nero, ut Tacitus scribit, infensus valde factus est, quod scilicet senatu egressus esset, quum de Agrippina referretur, & quod Juvenalium ludicro parum expectabilem operam præbuisset. ea enim offensio altius penetrabat, quia idem *Thrasea* Patavii, unde ortus erat, ludis cæsticis a Trojano Antenone institutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo prætor Antistius Socianus ob factitata in Nerone probrosa carmina exsilio mulctatus est, mitiora censuit obtinuitque, & quum divini honores Poppææ decernerentur, sponte absens funeri non interfuit. Nec Poppæam Deam credidit, ob quæ Nero, stimulante Capitone Cossutiano Thraseæ inimico, eum ad necem campulit. venis enim utriusque brachii excisis, vitam cum sanguine amisit. talibus verbis usum Capitonem Cossutianum tradit Tacitus contra Thraseam: *Frustra Nero Cossum amovisti, si gliscere & vigere Brutorum æmulos passurus es.* *Thrasea* autem fuit socer Helvidii, de quo ita Tacitus: *Helvidius Priscus regionem Italiæ, Terracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium illustre, altioribus studiis juvenis admodum deditus, non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret, doctores Sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum*

quæ

quæ turpia, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis annumerabat. Quæstorius adhuc a Pæto Thrasea gener delectus, a moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit, ruina soceri in exilium pulsus a Nerone Apolloniam concessit. & Galbæ principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseæ accusare aggreditur. hic postea Vespasianum in studio libertatis offendit, ut putaret id optante avunculo Claudio pristinum libertatis statum posse revocari, quo nomine reus, ac præter spem absolutus est. Hi ergo duo *Thrasea & Helvidius*, Brutorum æmuli fuerunt in tuenda libertate. Hæc autem Historia inserta est a Poeta, non tam ut bonum vinum designaret, quam in invidiam Domitiani, qui, ut tradit Suetonius, Junium Rusticum necari jussit, quoniam *Pæti Thraseæ, & Helvidii* laudes ediderat, appellaveratque eos sanctissimos; præterea eadem de caussa philosophos omnes ab Urbe expulit, & *Helvidium* Helvidii filium sustulit.

36. *Coronati.*) Nam in solemnibus conviviis Romani epulabantur *coronati*, sumta consuetudine ab Ionibus populis Asiæ, qui unguenti *coronarumque* in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parva luxuriæ instrumenta, ut tradit Valerius, repererunt. Verum eum morem homines prius accepisse videntur a Prometheo: qui quum ab Jove vinculis liberatus fuisset, in monte Caucaso *coronam* habuisse fertur, ut se victorem impune peccasse diceret. Itaque homines in maxima lætitia victoriaque *coronas* habere constituerunt. Idemque maxime in exercitationibus conviviisque est custoditum. Lege Hyginum.

37. *Brutorum.*) & *Junii*, qui Tarquinium Superbum ejecit post stuprum Lucretiæ; & *Decii*, qui una cum reliquis conjuratis Julium Cæsarem in Senatu confodit.

37. *Cassii.*) Nam & *Cassius* unus fuit ex interfectoribus Cæsaris studio libertatis.

37. *Ipse capaces*) phialas. Designat electrum, ex quo vasa potoria magni pretii fiebant. id autem erat aurum, ubi quinta argenti portio inerat. Nam quum omni auro insit argentum vario pondere, alibi nona, alibi octava parte, ubicunque argenti quinta portio inest, *electrum* vocatur, ut scribit Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* IV. Ex electro in Lindo insula Rhodiorum Helena sacravit calicem Minervæ, mammæ suæ mensura. Electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Id Poeta prosequitur, quod Græci mendaciorum affectatores finxerunt, quod nostri postea imitati sunt. Phaetontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere juxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, & *electrum* appellatum, quoniam Sol vocitatus sit *electros*, constat, licet Ovidius Græcos imitatus dixerit:

De ramis electra fluunt, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Unde & Mart. *lib.* IV. Græcos secutus ita dicit:

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit victa repente gelu.

Nam succino sive *electro* illo ex arboribus destillante, animalia plerunque corripiebantur, quæ ita inclusa perpetuo vivere videbantur. Mart. in *eod. lib.*

Et latet & lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.

38. *Heliadum.*) i. sororum Phaetontis, quę in arbores populos fletu nimio mutatæ sunt, ex quibus electrum fluit, & inde calices fiunt. ἥλιος enim Sol appellatur. De *electro & succino* multa Plin. *lib.* XXXVII. *cap.* II.

38. *Et inæquales beryllos.*) [Gr.] *Inæquales* dixit, quia, ut testatur Plin. *lib.* XXXII. sexangula figura poliebantur, ut color repercussu angulorum excitaretur. Hos autem mittit India.

39. *Tibi non committitur aurum.*) Hinc apparet *electrum* esse ex genere auri.

41. *Qui numeret gemmas.*) *Gemmatos calices* intelligit. Nam poculis aureis gemmæ inserebantur, & præcipue smaragdi, qui *Scythici* dicuntur. Plin. *in proœm. lib.* XXXIII. Nec hoc, *inquit*, fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussa tenere Indiam juvat. [*Gr.*]

41. *Gemmas*) insertas calici.

42. *Da veniam.*) Ironicos. non est mirum, si tam accurate custodiunt pocula, nam illic sunt jaspides pretiosi, qui merentur custodiri: sicque immoderatam sui temporis luxuriam taxat, & nimias delicias.

42. *Iaspis.*) Lapis est, qui viret, & sæpe translucet. plurimæ ferunt eam gentes, & in agro nostro Brixiano maxima est varii generis copia, sed quum diversorum sit colorum, optima est illa, quæ *purpuræ* quicquam habet, secunda quæ *rosæ*, tertia quæ *smaragdi*.

43. *Nam multi.*) tanta est lautitiæ affectatio apud Romanos, ut multi lapidibus pretiosis, qui in digitis gestandi sunt, calices ornent.

44. *Quas in vaginæ.*) Solebat Æneas Trojanus talibus lapillis non pocula, sed vaginam gladii adornare: ut per *Æneam* intelligas omnem antiquitatem, quam ostendit a deliciis penitus fuisse abhorrentem, ut sic, mollitiem sui seculi damnet. eleganter autem *Æneam* nominavit, ut pote a quo Romani originem traxerunt: ac si dicat eos a vestigiis majorum multum declinasse.

44. *In fronte vaginæ.*) In parte exteriore vaginæ: allusit autem ad illud Virg.

— Stellatus iaspide fulva
Ensis erat. —

45. *Prælatus Hiarbæ.*) quem Dido *Hierbæ* regi Libyæ in amore præposuit. Spreto enim *Hierba*, nupsit Æneæ.

45. *Zelotypo.*) Æmulo. *Zelotypus* enim dici potest æmulator formæ. Nam ζῆλος *æmulatio* est, τύπος *forma*. qui ergo ita amat, ut timeat, ne quis amore suo fruatur, *zelotypus* est. *Zelotypia* definitur a Chrysippo, ægritudo animi ex eo proveniens, quod timeas, ne adsit alteri, quod cum nemine velis habere commune. C. *Zelotypia*, Latine obtrectatio dicitur, auctore Cicerone *Tusc.* IV. S.

46. *Tu Beneventani sutoris.*) Tu quum voles bibere, calices non habebis aureos, sed vitreos & deformes. Nam *Vatinius* quidam Beneventanus sutor vitrearius fuit, cujus calices vitrei & deformes erant. De Vatinio ita scribit Cornelius Tacitus loquens de Nerone: *Apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta fuit, sutrinæ alumnus, corpore detorto, facetiis similibus: primo inter contumelias assumtus, dehinc optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi inter maximos emineret.* Poeta autem in contemtum Vatinii fœdissimi hominis, *calices* ejus nominat magis, quam alterius opificis.

46. *Nomen sutoris.*) nam *calices Vatiniani* appellabantur a nomine ipsius Vatinii.

50. *Decocta.*) Aqua cocta absolute dicitur decocta. Scribit Plin. *lib.* XXXI. *cap.* III. *Neronis Principis inventum esse decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare*: ita voluptas frigoris contigit sine vitiis. Unde Mart.

Non potare nivem: sed aquam potare rigentem,
De nive commenta est ingeniosa sitis.

Sen. *ad Lucil.* *Quid tu illam æstivam nivem non putas callum interioribus obducere?* appellat autem *nivem æstivam*, quę decocta refrigerabatur. Didicerunt enim luxuria monstrante Romani, ut docet Sen. *ad Lucil.* nives ad tempus æstatis, locis subterraneis custodire.

50. *Pruinis Geticis.*) hoc est Scythicis, ac per hoc frigidissimis: ubi perpetua sunt frigora, nam *Getæ* populi sunt Scythiæ.

52. *Vos aliam potatis aquam.*) Frequens est conquestio apud Martialem, clientes paribus cum domino non excipi dapibus: Ut illud *in* III. *lib.* in Ponticum:

Quum vocor ad cœnam, non tam venalis, ut ante,
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?

52. *Cursor.*) Non delicatus, sed qui inter servos est *cursor*, & qui officium habet eundi, quocunque missus fuerit a Domino: hi etiam a pedibus dicebant. Mart.

Cursorem sexta tibi, Russe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.

Idem in III.

Sed tuta fœno cursor ova portabat.

nam mira erant pedum pernicitate. [*Gr.*]

53. *Manus ossea.*) i. Æthiops ipse osseus: nam Æthiopi manus & reliqua corporis membra sunt exilia, & sine pulpa.

54. *Nolis occurrere.*) Vereris enim, ne manes essent alicujus, qui ex bustis exisset. C. Apud Veteres formosiori occurrisse, omen censebatur bonum: deformi vero malum & inauspicatum. Nam nec Brutus Maurum sibi occurrisse lætum omen existimavit: & Imperator Adrianus ex Mauri occursu, ingruere sibi extrema concepit. Ad hunc morem Juvenalem spectare hoc versu puto. S.

55. *Monumenta.*) Sepulcra dicta a *monendo*, quod *moneant* nos mortuorum & majorum nostrorum: unde & *monumenta* dicimus, quæcunque nobis memoriam alicujus rei refricant.

56. *Flos Asiæ.*) Formosissimus pocillator ex Asia. Inde enim pulcerrimi habebantur servi.

57. *Quam fuit census.*) Nec mirum tanti servum emi, quum scribat Plin. *lib.* VII. *cap.* XII. M. Antonium duos pueros eximios forma mercatum fuisse ducentis sestertiis.

57. *Census Tulli pugnacis.*) Pluris servantur, quam fuerint opes *Tulli* tertii Romanorum regis, qui Romulo etiam ferocior fuit, unde *pugnacem* appellavit. de eo sic Virgil. *lib.* VI.

— Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina, quem juxta sequitur jactantior Ancus.

Nam *Ancus Marcius* quartus fuit rex a Romulo, nepos Numæ Pompilii ex filia, æquitate & religione avo similis. Hi autem pauperes fuere reges.

58. *Et ne te teneam.*) Ne longo verborum anfractu te remorer. C. quod dixit *Sat.* I. *ad summam*, in III. *quid te moror*. S.

58. *Omnia frivola Regum Romanorum.*) Tantum impendunt in emendis servis, ut omnes regum Romanorum facultates talibus preciis sint inferiores.

58. *Omnia sunt Frivola.*) id est Nullius fere precii in comparatione eorum, quæ impenduntur in comparandis servis. Nam *frivola*, auctore Festo, sunt proprie vasa fictilia quassa, unde dicta *frivola*, quæ minus sunt fide subnixa. Vide quæ diximus III. *Sat.*

59. *Tu Gætulum Ganymedem Respice.*) Non est, quod

quod credas tibi a talibus pocula ministrari, sed respice *Ganymedem Gatulum*, id est ministrum a poculis deformem & nigrum, utpote Sole ustulatum, quem supra *cursorem* dixit. *Ganymedem* autem ironicos dixit. Nam is puer fuit delicatissimus Trois regis & Calliroes filius, quem Jupiter venantem conversus in Aquilam tulit in cœlum, mensæque suæ remota Hebe filia, adhibuit pocillatorem.

61. *Sed forma, sed ætas Digna supercilio.*) Non est mirandum, si pauperibus abnuit ministrare, habet enim formam & ætatem dignam fastu & gravitate. nam in *supercilio*, ut auctor est Plin. fastus & superbia sedem habet.

63. *Caldæ gelidæque minister.*) Nam Romani habebant ministratores, qui domino calidam & gelidam aquam miscebant urceis, quos *ministratorios* appellabant. de quibus Mart. in *ult.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti,
Sed tu morosa ludere parce siti.

Calda autem pro *calida* veteres sunt usi. Unde Quint. *lib.* I. ita scribit: Aug. *inquit*, quoque in Epist. ad C. Cæsarem scriptis emendatius *calidum* dicere, quam *caldum* mavult, non quia id non sit Latinum, sed quia sit odiosum.

67. *Ecce.*) Particula est, qua rem aliquam novam & recentem ostendimus.

67. *Alius*) servus & minister.

69. *Agitent.*) Labefaciant.

69. *Genuinum.*) *Genuini* dentes sunt homini novissimi, qui circiter vigesimum annum giguntur, multis, & LXXX. ut auctor est Plin. dicti, quod a *genis*, ut scribit Festus, pendeant.

70. *Mollique siligine.*) Delicatissimus panis conficiebatur ex siligine, de quo Sen. *Epist. Malum panem, inquis, exspecta, bonus fiet, etiam illum tenerum tibi & siligineum fames reddet.* Idem: *Utrum hic panis sit plebejus an siligineus, ad naturam nihil pertinet.* Plin. *lib.* XVIII. *Siliginem dixerim proprie tritici delicias, candor est & sine virtute & sine pondere.* C. Item Corn. Celsus *lib.* II. *cap.* XVIII. *Ex tritico firmissima siligo.* S. Colum. *lib.* II. Nec nos tanquam optabilis agricolis fallat *siligo*. Nam hoc *tritici* vitium est, & quamvis candore præstet, pondere tamen vincitur.

72. *Artotopi.*) Hoc est panis siliginei multo labore confecti, ut docet compositio. ἄρτος enim, *panem* significat, & κόπος *laborem*, & licet Plin. multa genera panum nominet, ut *ostrearios*, *artolaganos*, *speusticos*, *furnaceos*, *parthicos*, multosque alios, non tamen *Artocopus* nomen est proprium panis, sed ipsum intelligit siligineum, qui multo labore confectus sit. Græci tamen ἀρτοκόπον & ἀρτοποιὸν *pistorem* appellant. *artoptam* videtur Plaut. in *Aulul.* pro mensa panaria accipere, quum ait: *Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto a Congrione.* alii vero putant accipi pro testa, ubi panis coqueretur, facta compositione ἀπὸ τοῦ ἄρτου quod est panis & ὀπτᾶν asso. *artoptæ* meminit & Plin. *lib.* XVIII. *cap.* XI. ubi locus est corrigendus, nam pro artopta *artoptesia* scriptum est.

72. *Salva sit reverentia.*) Salva dicitur reverentia, quum non violatur, fac, inquit, in pane illo reverentiam non amittas; non tangas, quasi cui reverentia sit habenda. Verba sunt Poetæ ridentis tam superbas & contumeliosas cœnas divitum.

72. *Finge tamen.*) hoc est, si te finxeris aliquantulum audacem, ut apprehendas panem, statim adest qui te inclamet, cogatque deponere.

73. *Improbulum.*) Audaculum.

74. *Vis tu consuetis.*) Verba sunt servi increpantis, visne panem tuum consuetum cognoscere, eoque impleri? *Vis* legendum est a volo & non *vix*. Est enim verisimile, ut quem cogat panem deponere, eum etiam acerbe reprehendat.

76. *Scilicet hoc fuerat.*) Verba sunt clientis, conquerentis pro laboribus suis æquam mercedem sibi non rependi. Certe, inquit, hæc tam benigna in cœnis tractatio fuerat causa, ut tot incommoda sustinerem, legendumque est cum ironia. Nam hæc particula *scilicet* fere semper ironicos profertur. Ut Pers.

Scilicet hoc populo pexusque togaque recenti.

Terent.

Id populus curat scilicet. —

76. *Sæpe relicta Conjuge.*) Ostendit se sæpe antelucano tempore relicta conjuge ex lecto surrexisse, ut divitum comitaretur euntem salutatum.

78. *Fremeret.*) Hinc maxime emergit querela.

78. *Vernus Juppiter.*) Aer. Nam *Juppiter*, auctore Varr. aer dicitur & cœlum.

79. *Nimbo.*) *Nimbus* proprie appellatur, auctore Sen. pluvia repentina maximo cum impetu.

79. *Pænula.*) Tempore pluvio sumebatur *pænula*. Ælius Spartianus in primo operis sui limine sic scribit de Adriano: *Tribunus plebis factus est, in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asseruit, quod pænulas amiserit, quibus uti tribuni plebis tempore pluviæ solebant, imperatores autem nunquam: unde hodie quoque imperatores sine pænulis a togatis videntur.* Hinc est jocus ille apud *Quint.* Quum Galba roganti pænulam amico respondit, si non pluit, non opus est tibi: si pluet, ipse utar. Ulp. Jurisconsf. scribit, *pænulam* communem esse habitum tam virorum, quam mulierum. Tradit Lampridius Alexandrum constituisse, ut Senatores pænulis intra Urbem frigoris causa uterentur, quum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset: Matronas intra

 Urbem

Urbem uti vetuit *pænulis*. Varro. in *Virgula divina* scribit, ut est auctor Marcel. *Non quærenda est pænula homini, qui habet virtutem.* Pænulæ autem repertores Lacedæmonios fuisse scribit Tertull. *in Apolog.*

80. *Aspice.*) Alium luxum ostendit divitis, cum maxima clientis contumelia: Aspice, inquit, quam grandis *squilla* paretur domino, tibi autem *cammarus* tantum. *Squilla* autem genus est piscis ex genere concharum, de qua sic Cic. *de Nat. Deor. Pinna vero, sic enim Græce dicitur, duabus grandibus patula conchis cum parva squilla, quasi societate coit comparandi cibi.* Horat. *Satyr.* VIII.

Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta. —

80. *Distendat.*) Impleat.

82. *Asparagis*) *Asparagi* dicti sunt, quod ex *asperis* virgultis leguntur, & ipsi scapi *asperi* sint, non læves, nisi vox sit Græca, nam ἀσπάραγος dicitur. hæc Varro.

82. *Qua cauda.*) quasi quæ maxime expetitur. Nam in *squilla & locusta* cauda optimi habebatur saporis. Fuisse autem lautæ gulæ docet Suidas, qui scribit Apicium eo sibi genere bona consumsisse, & ejus aviditate in Africam navigasse.

82. *Despiciat.*) Deorsum aspiciat, quum sublimis a ministro feratur: sequitur enim *excelsis manibus sublata ministri.*

84. *Cammarus.*) Est ex genere piscium conchiliatorum, cujus meminit & Mart.

Concolor in rubra cammare lance rubes.

De eo Lampridius *in Heliog. Primus fecit Isitia de piscibus, primus de ostreis & lichostreis, & hujusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis.*

84. *Constrictus ovo.*) Cammari enim immixti ovis coquebantur.

85. *Cœna feralis.*) cœna, qualis mortuis dabatur, Unde Apul. *in* IIII. *Florid. Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrens. Feram* enim Veteres mortem appellavere.

86. *Venafrano*) oleo. Totus enim ager Venafranus bonitate olei commendatur. Martial.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum, quoties sumis, & istud olet.

87. *Pallidus caulis.*) Nam brassicæ pallescentes fastidium movebant. Unde, ut viriditatem custodirent, cum nitro coquebantur. Mart.

Ne pallescentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiet aqua.

88. *Olebit laternam.*) i. oleum, quale *laternis* inde solet, nam in usum lucernarum pessimum paratur. *laternam* autem posuit pro lucerna.

88. *Vestris alveolis.*) Satyrice appellavit patinas pauperis *alveolos*. Nam *alveoli* dicuntur vasa proprie ex ligno excavata, sic etiam in sequentibus *alveolos* appellavit:

Cujus & alveolos & lænam pignerat Atreus.

ubi locus est corrigendus. nam pro alveolis *albiolos* legitur. Ergo vestris *alveolis*. i. vestris patinis vilibus & ligneis.

89. *Canna Mycipsarum.*) Quod ex Numidia Romam vehitur. Nam Mycipsa Masinissæ filius, Numidarum fuit rex: qui mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hyempsali, & Jugurthæ fratris filio, quem in filium adoptaverat.

89. *Canna acuta prora.*) id est navis. Hoc autem dicit, quia, ut scribit Plin. *lib.* VII. *cap.* LVI. naves fiunt utiles in Nilo ex papyro, & scirpo, & arundine, simulque ad id respexit, quod in India arundines sunt tantæ proceritatis, ut ex singulis internodiis naviculæ fiant, quæ alveo navigabili ternos interdum homines ferant. Plin. *lib.* VII. *cap.* II. Solin. Diod. Mela.

90. *Cum Boccare.*) Tantus est fœtor olei, ut nemo Romæ lavetur cum *Boccare*, hoc est cum Numida aliquo. *Boccar* autem, ut scribit Liv. *lib.* XXIX. rex fuit Maurorum, fuitque temporibus Masinissæ regis Numidiæ, per quem nunc Poeta intelligit omnes Numidas & Mauros.

91. *Tutos a serpentibus.*) Tanta est vis tetri odoris olei, ut serpentes ipsi fugentur.

92. *Corsica.*) alio nomine *Cirnus*, unde Virg. in Bucol.

Sic tua Cirneas fugiant examina taxos.

93. *Rupes Taurominitana.*) Hoc est Sicilia ipsa. Nam *Taurominium* oppidum est Siciliæ non longe a Messana, olim *Naxus* vocitatum, auctore Solino.

93. *Quando omne.*) Ratio est, quare tam ex longinquo petantur pisces, quoniam mare nostrum jam piscibus est exhaustum, dum gulæ tantopere inservimus. Unde & Sen. detestans gulam sic scribit *ad Lucil. Vide, quantum rerum per unam gulam transiturum permiserit luxuria, terrarumque, marisque vastatrix.*

95. *Macello scrutante.*) hoc est, piscatore maria quæque vicina explorante. *Macellum* enim posuit pro piscatore. Est autem *macellum* locus, ubi obsonia venduntur. dictum, ut sensit Donat. *in Terent.* a *mactandis* pecoribus: ut alii vero tradunt, a *Macello* quodam, qui exercebat in Urbe latrocinium, quo damnato censores Æmilius & Furius statuerunt, ut in domo ejus obsonia venderent, non autem, qui pecora mactarent, ii enim *lanii & laniones* sunt appellati, & *laniena* locus, ubi mactaretur, de quo plura ante.

97. *Instruit ergo focum.*) Quum mare nostrum piscibus sit exinanitum, ideo ex provinciis & longinquis locis

locis petuntur, sicque Poeta gulam sui temporis notat. *Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo petitur Oceano. vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

98. *Lenas.*) pro avaro captatore ponitur, ut *Aurelia* pro orba divite, cui multa mitterentur munera, uterque autem fuit temporibus Juvenal. ut *Gallita & Pactius.*

99. *Virroni.*) divitî.

99. *Muræna.*) Anguillæ similis est, in freto Siculo multæ capiuntur. Macr. *lib.* III. *Arcessebantur murænæ ad piscinas nostræ Urbis abusque freto Siculo.* Lautæ habebantur gulæ adeo, ut Licinii Crassi *Murænæ* sint cognominati, quod hoc pisce effusissime sint delectati. Lege Plinium *lib.* IX. Col. & Macrob. *lib.* III.

100. *Nam dum se continet.*) Non verentur piscatores, quiescentibus ventis in mari Siculo, licet periculoso piscari, ut ostendat nihil intactum relinqui ad indomitam gulam explendam.

101. *In carcere.*) Fabulam miscet. Nam venti in Æoliis insulis, in quibus temporibus Iliacus Æolus regnabat, in carcere ab eo coerceri dicebantur. Virg.

Æoliam venit, hinc vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

102. *Charybdim.*) In freto, quod est inter Italiam & Siciliam, scopulus est *Scylla*, item *Charybdis*, mare vorticosum, ambo clara sævitia: *Charybdis* autem Peloro promontorio adjuncta est. de Scylla & Charybdi plura ad XV. *Sat.*

103. *Cognata colubræ.*) quasi ejusdem generis. scribit Plin. *lib.* IX. *cap.* XXIII. Murænas in terram elapsas serpentibus commisceri. sed de anguilla hoc non legitur apud Plin. verum Poeta sequitur opinionem vulgarem, quæ credit serpentes & angues coire cum anguillis.

104. *Aut Tiberinum.*) Lupum piscem intelligit, qui in Tiberi stercore pasceretur, & immunda esca inter cloacas Urbis. Et licet hoc joco Juven. *Tiberinum piscem*, ut vilem pauperi apponi dicat, Varro tamen, ut tradit Macrob. pisci Tiberino palmam tribuit his verbis in *lib. Rerum Humanarum* XI. Ad victum, *inquit*, optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. Nam omnes ex hoc amne pisces maximum honorem tenuerunt apud prodigos, imprimisque lupus, qui inter duos pontes captus esset, quod etiam Horatius indicare videtur *Sat.* II. *lib.* II.

Quæ virtus; Lupus hic Tiberinus an alto,
Captus hiet pontes inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? —

Columella *lib.* XI. *cap.* XVI. *Doctaque & erudita palata fastidire, docuit fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adverso torrente defatigasset*, quibus verbis docet, Lupum Tiberinum in pretio fuisse. Verum forte temporibus Juven. talis piscis in pretio non erat, temporum longinquitate mores, ut fit, mutante, sicut & ætate nostra anguillæ, quæ temporibus Poetæ in minima erant taxatione, mensis nostris sunt gratissimæ. *Lupos* etiam marinos laudat Plinius *lib.* IX. *Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, candore mollitieque carnis.*

104. *Aspersus maculis.*) Nam lupi pisces maculis variegati inveniebantur, iique minoris æstimationis. unde Col. *lib.* IX. *cap.* XVII. *Tum etiam sine macula (nam sunt & varii) lupos includamus.* Eos nos esse putamus, quos vulgo appellant *Lucinos*, dictos *lupos* ab eorum voracitate, nam reliquos pisces insectantur. unde Col. *eod. lib. lupos rapaces* appellat.

104. *Glacie.*) Per hyemem, videntur enim maculis frigore aspergi.

105. *Vernula.*) Alumnus.

105. *Cloaca.*) Nam tota urbs pensilis erat cloacis, corrivatis septem amnibus a M. Agrippa sordes Urbis in Tiberim deferentibus. lege Livium.

106. *Cryptam.*) Cavernam, & loca riparum excavata, quæ piscis depascens perscrutatur. Unde Lucilius, acer & violentus Poeta, eum quasi *Liguritorem catillonem* appellat, scilicet qui proxime ripas & stercus insectaretur. Proprie autem *catillones* dicebantur, qui ad pollinctum Herculis ultimi quum venirent, *catillos* liguriebant.

107. *Ipsi pauca velim.*) ipsum Virronem paucis alloqui, si me velit auscultare.

108. *Nemo petit.*) Nemo petit a te, Virro, ut in pauperes clientes tam munificus sis, quam fuerunt Seneca, Piso & Cotta in amicos suos, quos multis donis prosequebantur, sed ut cœnes civiliter, & communibus epulis cum eis, & non discretis.

109. *A Seneca.*) Senecam divitem fuisse & liberalem in amicos scribit Tac. apud quem lege de vita & nece ejus.

109. *Piso bonus.*) Multi extitere *Pisones*, verum de *C. Pisone* illo intelligit, qui amicus & familiaris fuit Sen. quique auctor fuit conjurationis in Neronem, a quo dicta est conjuratio illa Pisoniana. de eo ita scribit Tac. *Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, & ignotos quoque comi sermone & congressu.* Unde a Poeta & liberalis & bonus appellatur.

110. *Namque & titulis.*) Ideo liberales & munifici erant in amicos, quod veteres gloriosius esse in homine putarunt, liberalitatem exercere, quam dignitates acipisci. Unde Sallust. *in Cat.* commendans mores vete-

Nam virginum Vestalium punitores, ut scribit Dionysius, sunt *Pontifices*. Domitianus ergo tanquam *Pontifex* eam damnavit. *Pontifices* dicuntur a *ponte* & *facio*. Nam ab iis *Pons* Sublicius est factus primum, & restitutus sæpe.

47. *Quum plena.*) Ratio est, quare nemo auderet nec vendere nec emere, quia ubique sint delatores.

47. *Et littora.*) Etiam littora, nedum alia Urbis loca.

49. *Inquisitores*) maris, in cujus littoribus multa *alga* passim ejecta est. *alga* enim est herba marina, quæ ex profundo ejicitur.

49. *Agerent.*) Accusarent piscatorem, quod piscem esset expiscatus, qui elapsus esset ex vivariis Cæsaris.

51. *Vivaria.*) ubi continentur vel aves, vel pisces, vel feræ, quę duntaxat ad victum spectant. Nam Romani habebant, ubi pisces inclusos pascebant. Plin. *De manu pascuntur pisces in pluribus quidem Cæsaris villis.* lege Macrob. apud quem multa de *vivariis*, & saginandis piscibus referuntur.

53. *Si quid Palphurio.*) Quicquid ex mari est pulcrum & preciosum, id omne est fisci publici, id est Imperatoris, si credimus *Palphurio* & *Armillato*, qui in gratiam Imperatoris per calumnias & sacrilegas interpretationes multa fisco vindicabant. Fuit autem *Palphurius Sura*, ut auctor est Probus, consularis viri filius. sub Nerone luctatus est cum virgine Lacedæmonia in Agone, postea a Vespasiano summotus e Senatu transiit ad Stoicam sectam, in qua cum eloquentia præcelleret, Domitiano familiaritate conjunctus, delationem acerbissime exercuit De quo ita meminit Tranquillus *in Domitian. Sed ei Capitolino etiam in cunctos ingenti consensu precantes, ut Palphurium Suram restitueret, pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, tacere tantummodo jussit voce præconis.*

53. *Armillato.*) De hoc Tranquillus sic: *Armillatus processit in publicum, & eandem sententiam habuit. Armillati* autem dicuntur, qui *armillis* ornati sunt. Propertius, metaphoricos canes *armillum* gestantes *armillatos* appellat:

Atque armillatos colla molossa canes.

Est enim *armilla* torquis argenteus sive aureus, qui circa brachium gestabatur. *Armillum* vero est, auctore Festo, vas vinarium in sacris, dictum quod *armo*, id est humero deportetur.

55. *Fisci.*) id est Imperatoris. Nam *fiscus* receptaculum erat nummorum, capiturque pro ipso ærario, ut hoc loco. Plinius *lib.* VII. de balsamo: *Serit nunc eam fiscus.* scilicet Romanus. Idem in eodem: *Quippe millibus denariorum sextarii empti vendente fisco*, id est publico ærario. A nomine fit verbum *confiscare*, id est ad ærarium deferre. Nummorum autem receptacula erant *sportæ*, *sportulæ*, *sportellæ*, *sacci*, *sacculi*, *saccelli*. Et *crumenæ*, *manticæ*, *marsupia*, ita *fisci*, *fiscinæ*, *fiscellæ*. *Spartea* sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas. auctor Pedianus.

55. *Donabitur ergo.*) Verba Poetæ subsannantis talem legum interpretationem.

56. *Ne pereat.*) scilicet piscator.

56. *Jam letifero.*) etsi jam tempus erat hyemale, ut facile piscis frigore conservari posset, tamen piscator, veluti urgente Austro, quo spirante facile corrumpuntur obsonia, ad Imperatorem festinat cum pisce.

56. *Cedente pruinis.*) Hyeme: quo tempore maxime cadunt pruinæ. dictæ autem *pruinæ*, quasi *perurinæ* ab *urendo*, quod in agris omnia *urant*, atque absumant.

56. *Letifero.*) Mortalibus pernicioso. solet enim *Autumnus* propter temporum mutationes esse gravis & pestilens, tunc enim ventus auster flat, quo maxime morbi generantur. unde est illud Horatii:

Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Idem alibi:

Pomifero grave tempus anno.

C. De anni temporibus, vide Celsum *lib.* II. *cap.* I. Item Cœl. Rhodiginum *lib.* XXIX. *cap.* XXXVIII. S.

57. *Autumno.*) Varro putat *autumnum* dictum ab *augendo*, quod eo tempore præcipue hominum res *augeantur*, coactis agrorum fructibus.

57. *Jam quartanam.*) Fine enim autumni solent febres tertianæ in *quartanas* mutari.

57. *Sperantibus.*) per contrarium, id est timentibus. Virgilius:

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

58. *Deformis.*) Appellatur a Poetis hyems *deformis*, quod omnia frigore & nivibus *deformia* videantur.

59. *Auster.*) Nam, ut diximus, eo flante, ut docet Plin. obsonia corrumpuntur. Horat.

— *At vos*
Præsentes Austri, coquite horum obsonia. —

est autem ventus, qui a Meridie flat, qui Græce *notus* dicitur, id est humidus.

60. *Utque lacus.*) postquam piscator *lacubus* superat, qui *Albani* vocantur. Nam Alba, auctore Dionysio, inter montem excelsum, atque lacum magnum, & profundum exstructa est, æque distans ab utrisque; hique erant tanquam muri vix expugnabilem eam reddentes. De *lacu* sic Cicero in I. de *Divinat. Quid quod in Annalibus habemus Vejenti bello, quum*

lacus

lacus Albanus praeter modum crevisset, quendam ad nos hominem nobilem profugisse. Ejus etiam meminit Valer. *lib.* I. *Subito lacus Albanus solitum stagni modum excessit.* De *lacubus Albanis* sic etiam meminit Horat.

— Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe Cypria.

Unde fit, ut putem apud Virgilium in VII. mendum esse, ubi ostendit Nisum & Euryalum peracta multorum caede in castra Rutulorum pervenisse ad *locos*, qui *Albani* sunt dicti, ita ut ad *lacus Albanos*, non *locos* legendum contenderim.

61. *Ignem Trojanum.*) id est colit ritus Vestae, in cujus templo perpetuus ignis adservabatur a sacris Virginibus.

61. *Trojanum.*) Nam id institutum servandi ignis initium habuit a Trojanis, quum in Italiam Aeneas Penates vexisset, unde Virgil.

Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape fatorum comites. [Gr.] —

Papinius:

— An tacita vigilet face Troicus ignis.

Pontifex maximus custos erat virginum Vestalium, quae custodiunt ignem perpetuum, ut scribit Plut. Unde & Papinius loquens de patre docente Neapoli, sic inquit:

Sub te Dardanius facis explorator opertae.

Nam *fax* sive *ignis cinere opertus* servabatur. Quae vero Deam colebant, virgines quatuor a principio erant, eligentibus eas Regibus ad ea, quae instituerat Numa legitima: posterius autem propter multitudinem sacrorum ministeriorum, quae perficiunt, sex factae sunt apud Deam vitam agentes. Unde scribit Tranq. testamentum Augusti apud *sex virgines Vestales* depositum fuisse. Triginta annos necesse est eas manere innuptas & castas, sacrificia peragentes ex lege, quo in tempore opus est decem annis discere, decem sacra perficere, decem ulterius alias edocere. Lege Dionysium. *Lotos* antiquissima arbor fuit in Urbe, quae *capillata* dicebatur, ad quam virginum Vestalium capillis deferebatur. Plin. *lib.* XVI. *cap. ult.*

61. *Vestam minorem.*) Ad differentiam templi, quod Romae a Numa Pompilio exstructum fuerat novum & rotundum, & majus, ut scribit Plut. *in vita Numae.*

61. *Albani.*) Nam post supplicium sumtum de Metio Suffetio Albanorum duce, Alba, imperante Tullo Hostilio, diruta est. Templis tamen Deum, ut scribit Liv. (ita enim edictum ab Rege fuerat) temperatum est, Albanis in Urbem Romam admissis mons Coelius inhabitandus traditus est, sicque Albae ruinis duplicatus est numerus civium. Albam, auctore Dionys. condidit Ascanius filius Aeneae. Annos duravit, postquam condita est, quingentos minus tredecim.

61. *Alba.*) Describit locum, ubi Domitianus quotannis in Albano quinquatria Minervae celebrabat, cui collegium instituerat sacerdotum.

63. *Valvae.*) Postes, a *volvendo*, quod in cardinibus *volvantur*. Propert. de templo Apollinis Palatini:

Et valvae Libyci nobile dentis opus.

64. *Patres.*) Senatores, qui in Albano erant cum Imperatore.

65. *Ad Atridem.*) Ad Domitianum. nam ut Agamemnon omnium Graecorum ducum voluit Imperator appellari, ita Domitianus non solum *dux ducum*, & *princeps principum*, sed etiam *Deus.* aut appellavit *Atridem* a crudelitate, ut quando *Neronem* etiam dixerit, ostendat in omnibus Neroni similem fuisse, ut sic, *itur ad Atridem*, i. ad Neronem alterum, qui matrem suam interemit Agrippinam, sicut Orestes *Atrei* nepos & Agamemnonis filius matrem suam Clytemnaestram.

65. *Tunc Picens.*) Piscator de *Piceno* agro, qui *rhombum* ceperat. aut revera nomen est proprium, sicut apud Martial.

Scribit in adversa Picens epigrammata charta.

66. *Majora.*) Precio ora, quam privato conveniant homini, quasi dicat digna tantum principibus.

67. *Genialis agatur iste dies.*) Hic dies celebretur summa cum voluptate. Nam tunc *Genio* operam dare dicimur, quum animi relaxationem sequimur. Pers.

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est,
Quod vivimus. —

68. *Servatum in tua.*) Aperta & manifesta adulatio, quae omnibus fere grata esse consuevit. Unde Sen. *ad Luc.* *Quicquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquam debitum prehendimus, optimos nos esse & sapientissimos affirmantibus assentimur; quum sciamus illos multa mentiri, adeo quoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in eo, cui contraria tam maxime facimus. Mitissimum ille se ipsis in suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantissimum. Sequitur itaque, ut ideo mutari nolimus, quia nos optimos esse credimus.*

69. *Quid apertius*) ista adulatione.

70. *Surgebant cristae.*) Domitianus mira afficiebatur laetitia, talia audiendo.

70. *Nihil est.*) Valde enim aures Principum adulationibus delectantur, unde Alexander Magnus praedicantibus se Jovis esse filium aliquando credidit, ita ut quum in India vulnus accepisset, magnumque sentiret dolorem: *Omnes jurant, me esse ipsius Jovis filium, sed vulnus hoc hominem esse me clamat.*

71. *Quum laudatur DIs aequa potestas.*) Ex historia est. Nam tantae fuit stoliditatis & arrogantiae, ut quum audivisset se nominari *Deum* per libellum, statim edixerit, ne alia praefatione appellaretur, unde Mart. *lib.* V.

Edictum Domini, Deique nostri.

Et ipse Domitianus, quum procuratorum suorum nomine *formalem* dictaret, epistolam sic cœpit: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthæc, ut ne scripto quidem, ac sermone cujusquam appellaretur aliter.

72. *Sed deerat.*) In irrisionem Principis hoc fingit Poeta, ejus luxum & gulam notans.

*72. *Deerat.*] Tantus erat piscis, ut nulla exstaret patina, quæ eum coquendum integrum caperet.

73. *Magnæque Amicitiæ.*) Imperatoriæ. Unde *Satyr.* I.

— Magni delator amici,

id est Imperatoris.

75. *Abolla.*) De *abolla* dictum in *Sat.* III.

75. *Liburno.*) Servo nomenclatore, qui in Senatum Patres vocaret. nam, ut diximus ante, ex *Liburnia* servi proceræ staturæ mittebantur, & proinde Dominis grati. superius:

Et ingenti curret super ora Liburno.

76. *Pegasus.*) Jurisconsultus fuit celeberrimus temporibus Vespasiani, a quo & *Urbi præfectus* fuit, ut Pomp. in *Origine Juris* est auctor. unde & *villicum* improprie appellat, i. præfectum & custodem. Nam *villicus* proprie appellatur villæ gubernator, unde a villa *villicus* nomen accepit: οἰκονόμος autem tam pecuniæ, quam frugum & omnium, quæ dominus possidet, dispensator est.

76. *Jam sedit.*) Imperator.

80. *Tractanda inermi Justitia.*) Et si sanctissimis erat moribus, tamen sævitiam Imperatoris veritus, putabat non omnia sibi agenda, ut justitia postulabat, sed ad nutum & voluntatem Principis omnia esse, qui ex stultis fatuos reddunt homines.

81. *Venit & Crispi.*) Hic est ille *Vibius Crispus*, qui, ut scribit Tranquillus, cuidam interroganti, essetne quis intus cum Cæsare Domitiano, non absurde respondit: *Ne musca quidem.* unde Poeta *jucundam senectutem* appellat: quod facetus esset: consueverat enim Domitianus initio principatus sui quotidie sibi horarium sumere, nec quicquam amplius, quam muscas captare, ac stilo peracuto configere.

83. *Maria ac terras.*) Crispus moribus Principis se optime accommodabat, ut per omnia assentaretur. Sed nemo unquam utilior comes Imperatori fuisset totum orbem regenti, si ei licuisset per sævitiam Principis omnia libere loqui.

84. *Illa clade & peste.*) Domitiano, qui communis erat quædam omnium pernicies.

85. *Damnari Sævitiam.*) i. scelera hominum, aut quod magis placet, libere *accusare sævitiam* Principis, qui more sævissimi tyranni, verum audire nolebat: unde sequitur:

— Sed quid violentius aure tyranni?

87. *Cum quo de pluviis.*) Imminebat mortis periculum amico, si forte aliquid locutus, de rebus incertis aliquid dixisset, quod ejus voluntati fuisset adversum.

*88. *Fatum pendebat.*) In ambiguo erat, veluti sunt res pendulæ in ambiguo, ne cadant.

89. *Contra Torrentem.*) metaphoricos. nam *torrens* magno impetu ferri consuevit, hoc est nunquam Imperatoris voluntati refragatus est.

90. *Nec civis erat.*) Efferatam Domitiani crudelitatem ostendit, quum nemo esset, qui libere loqui auderet.

92. *Sic.*) per hanc ingenii comitatem.

92. *Octogesima solstitia.*) i. octoginta annos, quibus in aula Principum est versatus. Nam etsi in anno duplex est *solstitium, brumale & æstivum*: quum tamen absolute ponitur, pro *æstivo* tantum intelligimus: ergo quot *solstitia* dicimus, totidem *annos* intelligimus. Unde Virg.

Humida solstitia, atque hyemes optate serenas
Agricolæ. —

heic enim intelligimus de *solstitio* æstivo. Sic etiam apud Ovid. *de Ponto*:

— Noxque
Tardior hyberna solstitialis erit.

Contra vero *brumale solstitium* non dicimus absolute, sed semper *solstitium brumale.* Est autem solstitium æstivum VIII. *Calend. Julii.* quo tempore remeare ad inferiores Sol incipit circulos: hyemale vero VII. *Calend. Januar.* quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. dictum autem solstitium, quasi *solis statio.* Tunc enim *sol stare* videtur.

93. *His* &c.) Acilius ejusdem ævi properabat proximus, i. secundus post Crispinum, tutus in illa aula *his armis* id est pari arte, paribus moribus, & assentationibus. Hic est ille *Acilius Glabrio*, quem postea, ut scribit Tranquillus, supplicio affecit una cum Salvidiano & Orfito, quasi molitorem novarum rerum. fuit etiam iisdem temporibus *Acilius Ruffus* vir consularis: de quo Plin. *in Epist. ad Ursum*: *Censuit Acilius Ruffus consularis designatus inquisitionem Bithynis dandam.*

93. *Illa aula*) tam sævi Principis. est autem *aula* sedes & domicilium Imperatoris & tyranni: unde fit *aulicus*, qui in *aula* versatur, & tyranni est contubernalis.

95. *Cum juvene indigno.*) Aliqui de Helvidii filio quem Domitianus interemit, put[ant] intelligen-

gendum: quod quasi scenico exodio, sub persona Paridis & Oenones divortium suum cum uxore tractasset. sed quum plurimos interemerit, nulla exstat historia quis fuerit juvenis, qui cum *Acilio* properabat.

96. *Festinata.*) In juvenibus mortem acerbam & festinatam appellare solemus, quasi quæ ante tempus festinet: Unde *festinata* legendum est, non autem *destinata*, versus enim non staret. I enim brevis est in *destinata*. recte autem Poeta mortem, ut dixi, *festinatam* appellat, quæ juvenem opprimat, quasi quæ celerius *festinet*, quam conveniat.

96. *Sed olim.*) i. superioribus temporibus, quibus Domitianus imperabat. Hincque apparet Juv. *Sat. suas* non scripsisse sub Domitiano. Tam multos, inquit, Domitianus efferata quadam crudelitate cives interemit, ut in prodigio haberetur, si quem in Urbe offenderes senem nobilem & Patricium. *Prodigum* autem dicitur, auctore Festo, velut *prædicium*, quod *prædicat*. Unde & Cic. *lib.* II. *de Natura Deorum* ait: *Ostenta, monstra, portenta, & prodigia dicta, quod ostendant, monstrent, portendant, prædicant.*

98. *Unde fit, ut malim.*) Quum Imperator in Nobilitatem tam atrociter sæviret (nam, ut scribit Euseb. multos in exilium ex nobilibus misit & occidit) maluerim *fraterculus* esse *gigantum*, qui Terræ filii fuerunt, i. ignobilis & obscurus, quam Patricius & nobilis. Nam qui obscuro genere essent orti, quasi quorum parentes ignorarentur, *filii terræ* appellari consueverunt. Lactant. Firmianus *lib.* I. *Divinar. Institution.* Minutius Felix in *eodem libro*, qui *Octavius* inscribitur, sic est argumentatus: Saturnum, quum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Cœli filium dictum. quod soleamus eos, quorum virtutes miremur, aut eos, qui repentine advenerint, *de cœlo cecidisse* dicere: *Terræ* autem eos esse *filios*, qui ignotis parentibus sint nati. Unde & Tertul *in Apologet.* de Saturno: *Dictus autem terræ & Cœli filius, quia ignoti, vel inopinato apparentes de cœlo supervenisse dicuntur: nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est.* Cic. *ad Atticum* I. *Sed hæc ad te scribam alias subtilius. Nam neque adhuc satis mihi nota sunt: & huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.*

98. *Fraterculus.*) Satis lepide se *fraterculum* & non *fratrem* dicit, utpote qui sentiat tantæ moli giganteæ se parem non esse.

98. *Gigantum.*) Gigantes, ut fabulosa prodidit antiquitas ex imis Terræ visceribus nati sunt, immanissimo corpore, qui quum conati essent e sede cœlesti Deos deturbare, tam acriter inde pugnatum est, ut Dii in Ægyptum usque fugati sint. qui demum parta victoria Gigantes perdiderunt. *Berosus* vero *Babylonicus* historiam persequens, scribit in Syria circa Libanum fuisse Enos urbem maximam gigantum, qui universo orbi dominabantur ab occasu Solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inventis armis omnes opprimebant, libidinique inservientes invenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabant aborsus, in eduliumque præparabant, & commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis, & brutis, & nihil erat sceleris, quod non admitterent contemtores religionis & Deorum: unde & Marc. *lib.* I. *Satur.* gentem quadam impiam vocat, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse. horum pedes in draconum volumina desinebant, quod significat, nihil eos rectum, nihil supernum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.

99. *Profuit ergo.*) Putabat se per studium venationis theatralis, quo & Imperator maxime delectabatur, posse sævitiam ejus effugere, ac proinde feras in arena conficiebat; ut placeret, sed nihil, inquit, ei hoc profuit, quia tales artes jam noverat Imperator.

100. *Albana arena.*) Nam & in Albano, ubi quotanis *quinquatria Minervæ* celebrabat, feras conficiendas exhibuit, ipseque centenas varii generis confecit, auctor Tranquillus.

100. *Numidas.*) Libycos. Nam *Numidia* pars est Africæ imperio Masinissæ clara, dicta *Numidia* a pascuorum fertilitate. nam νόμος *pascua*, sive *pabulum* significat. igitur conversa o in u fit *Numidia*. inde ursi feroces mittebantur. Plin. *lib.* VIII. *Annalibus notatum est Domitium Ænobarbum ædilem curulem ursos Numidicos centum & totidem venatores Aethiopas in circo exhibuisse. Miror adjectum Numidicos fuisse, quum in Africa ursos non gigni constet* Et miror Plin. negare *ursos* gigni in Africa, quum ceteri scriptores nasci affirment, Solinus: *Numidici ursi forma ceteris præstant.* Mart.

— Et fræno Libyci domantur ursi.

Virgilius *lib.* V.

Horridus in jaculis, & pelle Libyssidis ursæ.

Idem *lib.* VIII.

Effultum spoliis & pelle Libissidis ursæ.

100. *Nudus.*) Depositis vestibus, ut esset expeditior, & quasi per quandam stultitiam.

101. *Quis jam.*) Non est opus his artibus Principem seduci, qui simulatam nobilium noscit stultitiam.

102. *Acumen priscum.*) hoc est Prudentiam & sagacitatem illam priscam, id est qua priscis usus fuisti temporibus.

103. *Brute.*) Brutus, ut avunculi sui Tarquinii Superbi sævitiam vitaret, quum ab eo omnem Nobilita-

tis indolem excerpi, interque ceteros etiam fratrem suum, qui vegetioris ingenii erat, interfectum animadverteret, obtusi se cordis esse simulavit, eaque fallacia maximas virtutes suas texit. Ait ergo Poeta: Rudi illa ætate facile potuisti Brute Principes decipere: Sed nunc nemo esset, qui artes illas tuas non nosceret.

103. *Imponere.)* Decipere. Nam *imponere*, cum dativo tantum jungitur, efficiturque neutrum, idem est, quod *decipio*. Sen. *ad Lucil. Oculis nostris imponimus*, id est oculos nostros decipimus. Plin. *Epistola ad Proculum: Si modo mihi non imposuit recitatio tua: legis enim suavissime & peritissime, inde fit etiam impostura*, id est deceptio.

103. *Regi.)* Tarquinio Superbo.

103. *Barbato.)* Nam Romani quadringentis & quadraginta quatuor annis intonsi fuerunt, quum tonsores non haberent, eos postea Ticinus Mena ex Sicilia in Urbem adduxit. Olim *tonsores* non fuisse significant antiquorum statuæ, quod pleræque habebant capillum & barbam magnam, auctor Varro *lib.* 11. *de Re Rust.*

104. *Nec melior.)* Nec lætior, sed pari tristitia.

104 *Quamvis ignobilis.)* Heic ostendit nimiam Domitiani crudelitatem, qui in omnes pariter sæviret tam nobiles, quam plebejos.

105. *Rubrius.)* Hic Rubrius temporibus fuit Domitiani, ut ipse ostendit Poeta, sed historia minime est nota, quomodo reus fuerit *offensæ veteris*, & *tacendæ*. itaque de hoc adhuc quærendum censeo, quæ autem ab aliis afferuntur ex testimonio Taciti de *Rubrio Gallo*, alioque *Rubrio*, qui in conjuratione Pisoniana deprehensus est, non placent, quum ad rem Poetæ minime sint accommodata

106. *Et tamen improbior.)* Licet Rubrius ignobilis esset & humili loco, tamen improbior fuit Nerone ipso, qui *satyram* scripsit *in Quintianum*, appellavitque eum *mollem & effæminatum*, quum ipse esset cinædus. Nam nupsit Doryphoro servo, ut scribit Tranquillus, sicut ipsi Sporus. Tacitus eum appellat Pythagoram, quem Tranquillus Doryphorum, ea forte ratione a Tranquillo Doryphorus appellatur, quem proprio nomine dicit Tacitus, quod satelles fuerit Domitiani. nam Græci dicunt Doryphorum satellitem ab hasta ferenda, quæ δόρυ Græco vocabulo nominatur. Quod autem Nero in Quintianum scripserit, sic prodidit Tacitus: *Quintianus molli corpore infamis, & a Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.* Ergo *cinædo scribente satyram* id est Nerone, qui carmen probrosum scripsit in Quintianum, quum & ipse esset cinædus. carmen etiam Elegiacum scripsit. Mart. *lib.* ix.

Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Latinum juvenis quum tibi lusit opus.

Scripsit etiam *Iliada*. auctores Tranquillus, Tacitus, & Eusebius.

107. *Montani quoque venter.)* De Curtio Montano intelligit, de quo multa apud Tacitum leguntur, dictum autem Satyrice *venter adest*, ut ostendat hominem corpulentum fuisse, & epulis intentum. unde eum in sequentibus ostendit magnam edendi habuisse peritiam. quum ait, *nulli major fuit usus edendi.*

108. *Sudans amomo matutino.)* id est. unguento perfusus matutino. Est autem *Amomum* genus fruticis provenientis in Syria, cujus uva in usu est, frutice venoso, palmi altitudine, capiturque cum radice. Ex eo fit unguentum pretiosissimum. Unde Plinius: *Omnia autem acutiora fiunt costo, amomo, quæ maxime nares feriunt.* Unguento etiam, quod dicebatur *regale*, inter alia adhibebatur *amomum*.

108. *Matutino)* Non placet, ut exponas *Orientali*, sed quo *mane* ungeretur. *Matutinum* autem dicimus a *Matuta* Dea, id est Aurora.

109. *Quantum vix redolent.)* Invidiose hoc dicit in Crispinum, quem ubique ut luxuriosum & mollem lacerat.

109. *Duo funera.)* Nam mortuorum corpora perungebantur. Plin. *Unguentorum quoque honos ad mortuos pertinere cœpit.* Persius noster:

Ossa inodora dabit. —

110. *Pompejus.)* Temporibus Domitiani multi, quæstus causa ad delationem se contulerant. Inter quos & *Pompejus*, Sed quum temporibus Domitiani plures extiterint ejusdem nominis, de *Pompejo Ruffo* possumus intelligere, de quo ita Plin. in *Epistol.* ad Cornel. Minutianum: *Quin etiam duo consulares Pomp. Ruffus & Libo Frugi læserunt Norbanum testimonio, tanquam apud judicem sub Domitiano Salvii Liberalis accusatoribus affuisset. Damnatus, & in insulam relegatus est.* Licet etiam intelligere de *Pompejo Falcone*, de quo idem Plin. *Consulis, an existimem te in tribunatu caussas agere decere.*

110. *Aperire jugulos.)* Ibi enim locus est maxime cædi obnoxius. Lucanus:

— *Jugulumque senilem*
Consodiam. —

hinc fit verbum *jugulo*, quod non modo *gladio*, sed & *morbo occidere* significat. Celsus *lib.* III. *Nam quartana neminem jugulat.*

111. *Vulturibus.)* *Vultures* enim cadavera adeo avide sequuntur, ut triduo ante, aut biduo volare, eo, ubi cadavera futura sunt, tradantur. Plinius *lib.* x.

112. *Fuscus.)* Est *Corn* ille *Fuscus*, qui temporibus Domitiani prætorianæ cohortis præfectus bellum gessit adversus Dacos, a quibus in prælio est occisus. Lege Tacitum, Mart. de eo ita scribit lib. VI.

Ille

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,
Credita cui summi castra fuere ducis:
Hic situs est Fuscus, licet hoc fortuna fateri,
Non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit,
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

113. *Prudens Vejento.*) *Vejentonis & Catulli Messalini* cœci mentionem facit Plin. *Epist. ad Sempronium Ruffum: Sic cœnabat Nerva cum paucis: Vejento recumbebat proximus, atque etiam in sinu, dixi omnia. Quum hominem nominavi incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus, ingenio suo mala cœcitatis addiderat. non verebatur, non erebescebat, non miserebatur. sæpius a Domitiano non secus ac tela, quæ & ipsa cœca & improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur. de hujus nequitia sanguinariisque sententiis, in commune omnes super cœnam loquebantur.* Hinc ergo Poeta *mortiferum Catullum* appellat, ut delatorem & nocentissimum hominem. *Vejentonem* autem appellat honorifice *prudentem*. neque enim usquam apparet eum fuisse malum, sed doctum, & familiarem Nervæ. est autem *Fabricius* ille *Vejento* vir senatorius, de quo in VI. *Sat.* intellexit Poeta: ubi ostendit Hippiam uxorem ejus, relicto marito per impudicitiam gladiatorem abeuntem ab Urbe in Aegyptum usque fuisse secutam.

114. *Nunquam visæ.*) Erat enim luminibus orbatus.

116. *Satelles Dignus.*) hoc est Dignus, qui ad pontes mendicaret, in quibus solent considentes pauperes stipem a transeuntibus petere. Sen. *In sublicium pontem me transfer, & inter egenos abige, non ideo tamen me despiciam, quod illorum in numero consedero, qui manum ad stipem porrigunt.* Juvenalis:

Nulla crepido vacat, nusquam pons. —

116. *Satelles.*) Ironice *satellitem*, quasi pontis custodem appellavit: nam *satelles* proprie is appellatur, qui ad custodiam Principis assistit, unde *Cæcil. Cyprian.* in Epistola ad Donatum: *Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sic licet satellitum manu septus, & clausum ac prope tectum latus numeroso stipatore tueatur.*

117. *Aricinos.*) id est Qui stipem peteret ab iis, qui *Ariciam* vehuntur. Nam *Ariciæ*, quæ sita est in clivo in Appia via post Albanum montem, lucus fuit Dianæ, quem *Artemisium* appellavere, quo magna populorum multitudo confluebat: propter quod mendici in eo clivo sedentes mendicabant.

118. *Rhedæ devexæ.*) Est clivus juxta Ariciam. Martialis.

Debet Aricino conviva recumbere clivo.

119. *Magis stupuit.*) quam ipse Catullus Messalinus.

121. *Sic pugnas Cilicis.*) *Cilix* nomen fuit gladiatoris, cujus pugnas simili adulatione laudabat.

122. *Et pegma.*) *Pegmata* machinamenta erant lignea, quæ in triumphorum pompa ferebantur eo artificio compacta, ut per se surgerent, veluti ramos exserentia. Sen. *ad Lucil. Ludicræ sunt artes, quæ ad voluptatem aurium, atque oculorum tendunt. his annumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, & tabulata tacite in sublime crescentia.* Mart.

Et crescunt media pegmata celsa via.

Josephus item *lib.* VII. *Maxime autem erat stupor machinarum, quæ portabantur, sive pegmatum fabricatio, pro quorum magnitudine viribus portantium occurrentes timebant. multa enim in tertium nidum quartumque surgebant, & magnificentia fabricæ cum admiratione delectabant.* De quibus sic Claudianus *de cons. Manlii Theodos.*

Vel qui more avium sese jaculantur in auras,
Corporaque ædificant celeri crescentia nexu.
Quorum compositam puer augmentatus in artem
Emicet, & vinctus plantæ vel crucibus hærens,
Pendula librato figat vestigia saltu,
Mobile ponderibus descendat pegma reductis.

Pegma autem dictio est Græca, quæ *ludum* significat.

122. *Et pueros*) laudabat, residentes in pegmate.

122. *Inde raptos.*) id est ex *pegmate* finitis ludis ablatos: aut *raptos*, mox stupratos. De quibus videtur intellexisse Divus Augustinus *lib.* II. *Veniebamus nos etiam aliquando adolescentes ad spectacula, ludibriaque sacrilegiorum. spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos, ludos turpissimos, qui Diis Deabusque exhibebantur.* ubi videtur, ut diximus, per *arreptitios* intellexisse pueros *arreptos ad stupra*.

122. *Ad velaria.*) *Velaria* loca erant, ubi *vela* reponebantur, quæ ad ornandum theatrum tendebantur. non sum nescius & *velaria* poni etiam pro ipsis velis, nisi mendum est apud Papinium *in Sylvis lib.* I.

Jam velaria linea pluebant.

Nam illic in plerisque codicibus legitur:

Bellaria adorea pluebant.

123. *Non cedit Vejento.*) In adulatione & piscis laudatione non cedit Messalino: ac si dicat, longe vehementius adulatur.

123. *Ut Phanaticus.*) *Phanatici* proprio epitheto dicebantur sacerdotes Cybeles, sive Bellonæ, qui veluti Deæ numine afflati, caput & comas rotabant jactabantque, futuraque prædicebant. Lucanus *lib.* I.

— *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis cecinerunt tristia Galli.

 Quintil.

Quintil. *lib.* IX. *Jactare caput, & comas rotare, phanaticum est.* Lampridius *in Heliogab. Jactavit autem caput inter præcisos phanaticos, & genitalia sibi devinxit.* Porphyrius ita scribit *in Horat. Affirmat autem non magis matris magnæ, aut Apollinis numine instinctos furere, quam eos, qui iracundia sunt incitati.* Horat. *in Poetica*:

Aut Phanaticus error, & iracunda Diana.

Iidem *Enthei* etiam dicebantur, quasi divini, & Deo pleni. Papinius *in Sylvis*:

— Eat enthea vittis
Atque hederis redimita cohors. —

Martialis:

Spadone quum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celeneo,
Quem sectus ululat matris
Entheæ Gallus. —

nam sacerdotes Cybeles furore correpti in sacris ululatu requirebant Atyn, quem olim Cybele amaverat. De sacerdotibus Bellonæ sic & Lactantius *lib.* I. de *Institutione Divina*.

124. *Percussus tuo œstro Bellona.*) id est tuo furore correptus. *œstrum* Græci, ut auctor est Festus, appellant, quem Latini *asilum* dixere. id est *Tabanum.* est enim genus violentæ muscæ, quæ in furorem armenta agit, Virgil. *Georg.* III.

Est lucus Silarim circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Graji vertere vocantes.

heic ergo *œstrum* pro furore Poeta posuit. Statius *lib.* I. *Thebaidos*:

Tempus erit, quum laurigero tua fortiter œstro
Facta canam. —

Idem *in Sylvis* de Genethliaco:

— Lucanus
Docto pectore concitavit Oestro.

Plinius *lib.* XI. *cap.* XVI. *Nascuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ ceteras fugant. Oestrus vocatur hoc malum.* Et idem *cap.* XXVIII. *ejusdem lib. Quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet.* Seneca *ad Lucilium*: *Hunc, quem Græci œstron vocant, pecora peragentem totis saltibus dissipantem, asilum nostri. vocabulum Asilum interiisse, & œstri usum remansisse.*

124. *Bellona.*) Dea est belli: Sensit Apulejus *in Metam.* Cybelem Bellonam & Isidem easdem esse Deas, eosdemque sacerdotes, qui suo cruore in earum sacris rem divinam faciebant. Nam gladiis humeros sibi & lacertos ferientes cum capitis agitatione discurrebant, & veluti numine Deæ afflati agebantur prædicebantque futura.

126. *Regem aliquem capies.*) Hinc argumentatur, divinatque, cum *capturum aliquem regem* barbarum & peregrinum, quia piscis sit peregrinus & spinis armatus, ut reges casside cristata armantur.

126. *De temone Britanno Excidit.*) id est capietur in bello, & de curru dejicietur. Nam Britanni curribus utuntur in bello, ut auctor est Cæsar *in Comm.* quos *Covinos*, auctore Pomponio Mela, vocabant. Lucanus:

Et docilis rector monstrati Belga Covini.

quod Britanni curribus, in bello uterentur, indicat & Propertius:

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru.

128. *Hoc defuit unum Fabricio.*) Ita reliqua per assentationem prædixit, ut aliud nihil restaret, quam ut commemoraret patriam piscis, & quot annos esset natus, sicque tantam assentationem apprehensoremque ejus subsannat.

130. *Quidnam igitur censes.*) Verba sunt Juvenalis: Quid putas decretum fuisse de pisce coquendo?

130. *Conciditur.*) Verba personæ introductæ respondentis.

130. *Absit ab illo.*) Verba Poetæ recitantis sententiam Montani.

130. *Dedecus hoc.*) scilicet, ut concidatur.

131. *Testa.*) Patella fictilis, in qua integer coquatur.

132. *Tenui muro.*) Qui summæ sit tenuitatis. laus est figuli in conficiendis vasis ea ducere tenuia. Hyperbolicos *murum* appellavit, quum *Murus* proprie sit, qui publica ambiat, ut civitatem; Paries vero privata, ut domos.

133. *Debetur Prometheus.*) Inveniendus est optimus & prudens figulus, qui fingat patinam, qualis Prometheus, qui ex limo hominem finxit inanimatum & insensibilem; sed beneficio Minervæ in cœlum assumtus, Ignem ex radiis Solis furatus est, cumque pectusculo hominis applicans, animatum reddidit. Hyginus, Ovidius, & Fulgentius.

134. *Rotam*) figularem. Eam invenit Anacharsis Scythes, sive Chorebus Atheniensis, ut Plinius *lib.* VII. & Laertius Diogenes tradunt, quamvis scribat Seneca *ad Lucil. Figuli rotam apud Homerum inveniri.*

136. *Sententia*) Montani.

136. *Digna viro.*) Ac si dicat: talis fuit sententia, qualis vir: quasi qui cibis optime conditis delectaretur. Corpulentum enim fuisse, & magni ventris superius ostendimus.

137. *Noctesque Neronis.*) Non est mirum, si tam gravem tulit sententiam de coquendo pisce, quia callebat, quid Imperatores superiores & præsertim Domitius Nero facere consueverint in parandis obsoniis. Nam *Nero*, ut auctor est Tranquillus, *epulas e medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus sæpe calidis piscinis ac tempore æstivo nivatis.*

138. *Aliam-*

138. *Aliamque famem.*) quomodo novam famem posset sibi excitare, quum ex nimia repletione cibi & potus stomachus arderet. ac si dicat, noverat delicatis pulmentariis lautiorique apparatu ciborum stomachum excitandum.

139. *Major usus edendi.*) Major peritia in ciborum delectu, quam ipsi Montano, qui primo morsu callebat ex quo littore mitterentur educataque fuissent ostrea.

140. *Circeis.*) id est in Campania juxta *Circeos* esse nata. *Circei* enim oppidum est Campaniæ. Horat.

Ostrea Circeis, Miseni oriuntur echini.

141. *Ad saxum Lucrinum.*) hoc est in lacu *Lucrino.* nam illic prima fuit *ostreorum* commendatio, primusque *Sergius Orata*, ut scribit Plin. *lib.* IX. *Optimum saporem Lucrinis adjudicavit.* alibi capta in Lucrinum advehebant, ut illic saginarentur. Idem Plin. auctor Mart.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino.

Lacus autem *Lucrinus* in Campania est.

141. *Rutupino fundo.*) id est mari Britannico. nam ostrea Britannica inventa fuere, postquam Lucrina. Plin. *lib.* IX. *Nondum Britannica serviebant littora, quum Orata Lucrina nobilitabat.* Ex extremis enim maris tractibus quærebant pisces. Unde Vitellius in dedicatione patinæ suæ, a Carpathio usque freto Hispaniç, per Navarchos ac triremes pisces conquisivit. Senecæ: *Non est necesse perscrutari per fundum, nec strage animalium ventrem onerare. nec conchylia ultimi maris ex ignoto littore eruere.*

141. *Rutupino.*) Britannico, ab oppido littorali, quod docet Ptolom. *lib.* II. ubi scribit, Carnicorum urbem esse *Rutupinas.* Lucanus:

At vaga quum Thetis Rutupinave littora fervent,
Unda Caledonios nescit turbata Britannos.

142. *Ostrea.*) Pisces sunt concha inclusi. Ovid. *lib.* V. *Fast.*

Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

143. *Echini.*) Sunt echini ex genere cancrorum, in quibus spinæ pro pedibus.

145. *Arcem.*) Bene *arcem.* nam, ut auctor est Asconius, *Arx* dicitur vel sedes tyranni, vel editus in civitate & munitior ad salutem civium locus. Unde Virg.

Quo res summa loco Panthu, quam prehendimus arcem.

146. *Traxerat.*) Hoc verbo ostendit eos invitos sequi Imperatorem ob ejus sævitiam.

146. *Attonitos.*) Anxios, & qui sibi timerent ob ejus crudelitatem.

147. *Tanquam de Cattis.*) Legendum est *de Cattis,* non *Getis.* ad historiam enim respicit. Nam de Cattis, Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit. Tranquillus & Eusebius auctores. Stat. *lib.* I. *Sylv:*

Das Cattis Dacisque fidem. —

Eutropius: *Expeditiones quatuor habuit, unam adversus Sarmatas, alteram adversus Cattos, duas adversus Cattos, duas adversus Dacos.* Sunt autem *Catti* populi Germaniæ, *Sicambris* finitimi, qui indigentia laborant. auctor est Strabo *lib.* VII. Eos inchoare ab Hercinio saltu scribit Tacit. *Sicambri* Germaniæ sunt populi inter Rhenum & Albim fluvios, siti ad Oceanum, de quibus multa Cæs. *in Comment.* & Tacit. *de mor. German.*

149. *Penna præcipiti.*) hoc est, quæ per avem esset allata. Nam quum celeriter aliquid nunciandum esset, didicere antiqui avibus literas alligare, quas volantes perferebant. Plinius de columbis sic scribit *lib.* X. *Quin internunciæ in magnis rebus fuere, & epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra pertulere D. Bruto mittente. quid vallum, & vigil obsidio, atque etiam retia amne prætenta profuere Antonio per cœlum eunte nuntio.* C. Sunt tamen, qui hoc dictum de cursoribus tabellariisve autument, quos Dion historicus surrectas in capite pennas gestare consuesse scribit: hinc fortassis *Pegasi* a Cicerone appellati. S.

150. *Atque utinam his.*) Utinam tempora imperii sui potius consumsisset in his nugis, nec abstulisset nobiles & illustres cives.

152. *Illustres animas.*) Nobiles & illustres cives. Complures enim senatores, & in iis, aliquot consulares interemit, ex quibus *Civicum Cerealem* in ipso Asiæ proconsulatu: *Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrionem*: quos prius exilio insulari mulctatos interemit, quasi novarum rerum molitores, ceteros levissima quemque de causa, *Ælium Lamiam, Salvium Coccejanum, Metium Pomposianum, Sallust. Lucullum, Junium Rust.* & multos alios. Lege Tranquill. de ejus sævitia, & Euseb.

152. *Impune.*) Nullo existente, qui tantam crudelitatem ulcisceretur.

153. *Sed periit.*) Dum sævit in nobilitatem hunc & illum necando, nemo inventus est, qui eum interimeret, sed postquam cœpit sanguine plebejo manus suas contaminare, statim inventus est interemtor. Nam a Stephano Domicillæ Flaviæ procuratore, Parthenioque cubiculario ceteris conspiratis cunctantibus est occisus in cubiculo. De parthenio tanquam cubiculario Domitiani sic meminit Martia'is.

Musæ Parthenium rogate vestrum,
Admittat timidam, brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.

Lege Tranquillum

153. *Cerdonibus.*) hoc est plebejis & vilissimis hominibus, nam *cerdo* is appellatur, qui *lucro* victum

quærit. κέρδος enim lucrum significat.

154. *Hoc nocuit.*) sævisse in cerdones, homines tenuis fortunæ.

154. *Madenti cæde Lamiarum.*) hoc est cæde nobilium. Nam *Lamias* posuit pro omnes nobilibus, respexitque ad historiam. *Alium* enim *Lamiam* interemit ob suspiciosos, & veteres, & innoxios jocos, Auctor Tranquillus. *Lamiæ* genus duxerunt ab *Lamo*: qui, ut tradit Homerus *in Odyss.* Cajetæ regnavit. Silius:

Et regnata Lamo Cajeta. —

Horatius:

Æli vetusto nobilis ab Lamo.

IN SATYRAM V.

S*I te propositi.*) Multi temporibus Poetæ amicitias nobilium & divitum sequebantur, & vilissimis quibusque officiis cœnas captabant, in quo vitæ instituto versantem Trebium amicum suum Poeta monet, deterretque, ne tale genus vitæ sectetur: ostendens superbe contumelioseque a divitibus accipi pauperes. Sicque notat avaritiam sui temporis.

1. *Si te propositi nondum pudet.*) Tolerabilius vult esse mendicare, quam contumeliosas sequi mensas nobilium, ubi tanto excipiuntur ludibrio.

2. *Aliena quadra.*) Aliena mensa & orbe alieno: nam *quadra* vasculum appellatur a forma *quadratum*, ubi incisa reponuntur obsonia, quod ostendit Virg. *in Æneid.*

— *Patulis nec parcere quadris*
Fatalis frusti. —

Capitur & *quadra* pro frusto, veluti quadrato: ut est apud Martialem:

Quum mittis turdumque mihi quadramque placentæ,
Bucellas misisse tuas te, Pontia, dicis.

quadram ergo, id est frustum placentæ quadratum. Horatius *in Epistolis:*

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Seneca *de Beneficiis*: *Quis beneficium dixit quadram panis aut stipem æris abjecti, aut ignis accendendi factam potestatem?* Mart. *lib.* XII. in Vacerram:

Nec quadra deerat casei Tholosani.

3. *Nec Sarmentus iniquas.*) *Sarmentus* eques fuit Romanus scurrilitate notissimus, per hoc Augusto Cæsari gratissimus, de quo meminit Horatius *in Satyr.*

— *Nunc mihi paucis*
Sarmenti scurræ pugnas Messique Cicerri,
Musa velim referas. —

Ejus etiam meminit Plutarchus *in Antonium.*

4. *Galba.*) Item scurra. Mart.

Ille suo felix Cæsare Galba vetus.

alibi:

Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Posses vincere Testium Caballum.

5. *Tibi jurato.*) hoc est, qui juraveris. Cicero *in Offic.* *Quum vero jurato sententia dicenda est.* Horatius *in Epistol.*

Per sanctum juratus dicat Osyrim, Credite. —

C. hinc, *injuratus* qui non juravit. Cicero *de Off. lib.* III. *Juravi lingua, mentem injuratam gero.* S.

6. *Testi.*) Illud minime est admittendum, ut *Testi* sit vocativus, quod *Testius Caballus* scurra fuerit, de quo dictum: non enim ad *Testium* scribit, sed ad *Trebium*. præterea illud apud Martial. non *Testium* sed *Testium Caballum* legendum est.

8. *Nulla crepido.*) Nullum saxum, nullus locus eminens, ubi solent mendici considere. Nam *crepido* capitur pro loco excelso & summitate excelsi loci. unde *Sen. ad Lucil.* *Itaque caligabit, si vastam altitudinem in crepidine ejus constitutus despexerit.*

11. *Sordes farris canini.*) id est *panem sordidum caninum*, hoc est, qui datur *canibus*. Varro *de Re Rust.* *Panem ordeaceum canibus dandum puto.*

11. *Primo fige loco.*) Proponit incommoda & contumelias, quibus afficitur in cœnis divitum. putat dives amplissimum tibi laborum mercedem rependisse, si tibi unam dedit cœnam.

12. *Fige.*) Pone, & statue jam hoc

12. *Primo loco.*) sc. contumeliarum.

14. *Fructus amicitiæ.*) Ordo est: cibus est fructus magnæ amicitiæ. *magnam amicitiam* appellat divitis, sicut & ante, *Magni delator amici*, & alibi:

In quorum facie miseræ magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. —

i. Imperatoriæ, & potentis hominis.

13. *Imputat.*) Objectat. Sen. *de Benefic.* *Ministerium est servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quæ præstat, imputet superiori.*

15. *Et quamvis rarum*) cibum. licet, inquit, te raro vocet ad cœnam, id tamen tibi imputat & objicit.

17. *Tertia culcitra.*) Tertio lecto. *ternis* enim *lectis* cœna-

cœnabant antiqui, unde, ut alibi ante diximus, *triclinium* Græce appellatur, non solum ipsi tres lecti; sed & locus ipse, ubi cœnabant. Horatius:

Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos.

Culcitra autem appellatur, quod aut plumis, aut tomento repleatur & *inculcetur.* Cic. III. *Tusc. Eripiamus huic ægritudinem, quomodo collocemus in culcitra plumea.* Lampridius *in Anton. Heliogab. Nec cubuit in accubitis facile, nisi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, sæpe culcitras mutans.*

18. *Votorum summa.*) Exclamatio Poetæ, cum in vanos clientum labores, tum in sui temporis avaritiam: Hæc est summa votorum, id est, optatorum & desideriorum tuorum merces & tributio.

18. *Quid ultra quæris.*) Hæc in derisum ipsius clientis. nonne hoc magnum est præmium? quid est ultra quærendum, quum hoc sit satis?

19. *Habet Trebius.*) Ironicos. quum capiat, inquit, tantam mercedem Trebius, habet sane, quod debeat rumpere somnum, & sequi divitem in officio salutandi.

20. *Ligulas dimittere, sollicitus.*) Nam qui properabant ad salutandum, non poterant se colere, unde Mart. *lib.* III.

Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum.

20. *Ligulas.*) Festu Pomp. *ligulam* scribit esse partem dam in calceo ad similitudinem *linguæ* exsertæ, hanc properantes dimittebant. Mart. *in Distichis*:

Quamvis me ligulam dicant equitesque patresque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

21. *Peregerit orbem.*) Officium salutandi perfecerit.

22. *Sideribus dubiis.*) Ut adhuc non facile cognosceret, an dies & lux vicina foret.

22. *Aut illo tempore.*) i. jam appropinquante die, quo tempore plaustrum peregit cursum suum in Septentrionem. Propert.

— *Quum jam*
Ejectant Icari sidera tarda boves.

23. *Pootæ.*) i. bubulci. Nam qui de Astrologia scripserunt, tradunt septem stellas esse in cœlo, ex quibus duæ, quæ pariles, & maximæ in uno loco videntur, pro bobus haberentur, reliquæ vero quinque figuram plaustri similarent. & quod proximum est his signum, *Bootem* appellari volunt.

23. *Pigri.*) hoc est ex ratione sphæræ dictum: nam quum modico flectatur gyro circa polum septentrionalem, nec longe discedat, ideo *piger* vocatur.

24. *Vinum quod succida nolit lana pati.*) Id est vinum vix idoneum ad aspergines parandas, quibus corpora vel domus conspergentur. Nam & *vinum*, & acetum, & oleum in asperginum usum venire, & *lanas* facile aspergines combibere, cum alii, tum Dioscorides scriptum reliquit. C. S. C.

24. *Vinum quod succida nolit Lana pati.*) Conqueritur non idem vinum apponi convivis. sequitur enim: *Ipse capillato diffusum consule potat.* Eadem etiam est querela apud Plinium *lib.* XIIII. loquentem de Catone redeunte cum triumpho ex Hispania: *Non aliud*, inquit, *vinum bibi, quam remiges, in tantum dissimilis istis, qui etiam convivis, alia quam sibimet ipsis ministrant, aut procedente mensa prosiciunt.*

24. *Succida.*) Ea dicitur lana *succida*, quæ *succisa* ex ove nondum est lota; dicta a sudore.

25. *Corybanta videbis.*) Jam putabis de conviva præ importuna ministrantium vexatione esse insanum & furentem, quales erant *Corybantes*, qui ita sunt appellati, quod inter saltandum capita jactarent. quos *Tetarmonas* vocat Homerus: *Euge age Rhea, cum Tetarmones egregii adsunt.* Hinc eos qui capita saltando jactant, & numine aspirantur, & furiis agitantur, *corybantiare* dicimus. ii existimantur iidem fuisse, qui & *Curetes* Jovis in Creta educatores, qui quia alendi Jovis *curam* gesserunt, *Curetes* nominati sunt. Nam dicuntur in Ida monte, quum Juppiter infans nutriretur, ne vox ejus vagientis audiretur a Saturno, tympana & cymbala pulsasse. De quibus multa Strabo *lib.* X. Alii vero tradunt *Corybantes* dictos esse a pupillis oculorum sive genis, quas Græci κόρας vocant, quod ipsi, quum custodes essent Jovis, non modo excubare, sed etiam apertis oculis dormire cogerentur, hinc natum ex fabula vocabulum; ut, qui leporum modo somnum caperent oculis patentibus, ita nominarentur. Serv. *lib.* IIII.

26. *Jurgia.*) Verborum contentiones. inde est *jurgare & objurgare* non sine differentia, ut *jurgare* sit verbis contendere, & veluti altercari; *objurgare* vero reprehendere, unde illud apud *Apul.* I. *Apol. Rhetori jurganti, an philosopho objurganti.* Rhetor enim in actione causarum verbis contendit, ac perstrepit: philosophus hominum delicta objurgat.

27. *Mappa.*) Genus est mantilis ad usum mensarum. Horat. in *Epistol.* loquens de convivis:

— *Varius mappa compescere risum*
Vix poterat. —

Idem ibidem:

— *Ne turpe toral, ne sordida mappa,*
Corruget nares: —

& ut alibi in sequentibus dicemus, quum publice ostendebatur, erat signum futurorum ludorum Circensium:

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ.

27. *Rubra.*) quæ ex vulnere facta est rubra.

29 *Lagena*

29. *Lagena.*) Vas tam vinarium, quam aquarium.

29. *Saguntina.*) hoc est fictili, a *Sagunto* civitate Hispaniæ, unde vasa fictilia pulcerrima mittebantur. Mart.

Ficta Saguntino Cymbia malo luto.

Ea, quia fictilia erant, & tanquam modici precii, apponebantur pauperibus convivis. Mart.

Quæ non sollicitus teneat, servetque minister,
Sume Saguntino pocula facta luto.

30. *Diffusum.*) Expressum, quod postea in vasa *diffundi* solet in usum totius anni. Unde Plinius *lib.* XIV. *Protopum appellatur a quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ, hoc protinus diffusum lagenis suis defervere passi.* Et alibi, ut statim dicemus, vina, quæ eo anno diffusa sunt, in ducentesimum annum servata fuerunt, idem alibi diffusa ita decimo die obturant. Apul. *lib.* IX. *Miles. Concurrit unus a cella vinaria nuncians omne vinum, quod olim diffusum fuerat, in omnibus doliis ferventi calore rebullire.*

30. *Consule capillato.*) Vinum Opimianum intelligit. Nam *Lucilio Opimio* consule quo tempore Ca. Gracchus Tribunus plebis Agrariæ legis promulgator interemtus est, cœli temperies fulsit, quam *cocturam* vocant *Solis* agricolæ, tanta vini fertilitate & præstantia, ut, quæ eo anno diffusa sunt, in ducentesimum annum servata fuerint, redacta in speciem mellis asperi, ita ut non sit mirum ad tempora usque Juven. perdurasse. auctor est Plin. *lib.* XIIII. *cap.* IV.

30. *Capillato.*) Antiquo, nam antiqui intonsi incedebant & capillati.

31. *Calcatam.*) id est vinum, quod exit ex uvis calcatis & pressis. Horat.

Et prælo domitam Caleno tu bibes uvam.

31. *Bellis socialibus.*) i. quo tempore fuit bellum sociale, quod ob hanc caussam excitatum est. Nam quum Senatus, auctore Liv. *lib.* LXX. *&* LXXI. impotentiam equestris ordinis in officiis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur: M. Livius Drusus Tribunus plebis causam senatus suscepit. Itaque, ut majoribus viribus eam tueretur, socios & Italicos populos spe civitatis Romanæ sollicitavit. Iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, legem quoque judicialem tulit: ut æquali parte judicia penes senatum, & equestrem ordinem essent, quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt, propter quod M. Livius Drusus est senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est. Contra autem matrem & parentem suam Urbem, omne Latium, atque Picenum, Hetruria omnis atque Campania postremo Italia consurrexerunt. Eo bello nihil unquam fuit calamitosius.

32. *Amico cardiaco.*) id est laboranti dolore cordis. καρδία enim cor significat: cardiacis autem vino optimo maxime succurritur. id autem morbi genus nihil aliud est, quam nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente immodico sudore digeritur. Hæc Celsus *lib.* III. Sen. *ad Lucil. Bibere & sudare vita cardiaci est.* Plin. ait cor ejus cremari non posse, qui tali morbo perierit.

33. *De montibus Albanis.*) Vinum Albanum intelligit prædulce, ut scribit Plinius *lib.* XIV. *cap.* VI.

33. *De Setinis.*) Divus Augustus *Setinum* prætulit cunctis: dictum a *Setia* civitate Campaniæ. Martialis:

Pendula Pontinos, quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab Urbe cados.

35. *Veteris testæ.*) Vasis. Horat.

Quum semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu. —

Nam apud Veteres vina vasis fictilibus condebantur, obturabanturque gypso. Lege Plin. *lib.* XIIII. unde sæpe est apud Poetas, *vasa lini*: ut illud Terent. *Vasa omnia relevi*, id est aperui remoto gypso.

36. *Thrasea Helvidiusque bibebant.*) Adeo uterque libertatis studiosus fuit, ut natalem diem Brutorum & Cassii, qui patriam a tyrannis liberaverant, summa poculorum hilaritate celebrarent. *Pætus Thrasea* Patavinus fuit: cui Nero, ut Tacitus scribit, infensus valde factus est, quod scilicet senatu egressus esset, quum de Agrippina referretur, & quod Juvenalium ludicro parum exspectabilem operam præbuisset. ea enim offensio altius penetrabat, quia idem *Thrasea* Patavii, unde ortus erat, ludis cæsticis a Trojano Antenone institutis, habitu tragico cecinerat. Die quoque, quo prætor Antistius Socianus ob factitata in Nerone n probrosa carmina exsilio mulctatus est, mitiora censuit obtinuitque, & quum divini honores Poppææ decernerentur, sponte absens funeri non interfuit. Nec Poppæam Deam credidit, ob quæ Nero, stimulante Capitone Cossutiano Thraseæ inimico, eum ad necem compulit. venis enim utriusque brachii excisis, vitam cum sanguine amisit. talibus verbis usum Capitonem Cossutianum tradit Tacitus contra Thraseam: *Frustra Nero Cassium amovisti, si glistere & vigere Brutorum æmulos passurus es.* *Thrasea* autem fuit socer Helvidii, de quo ita Tacitus: *Helvidius Priscus regionem Italiæ, Terracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium illustre, altioribus studiis juvenis admodum deditus, non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret, doctores Sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum*

quæ

quæ turpia, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis annumerabat. Quæstorius adhuc a Pæto Thrasea gener delectus, a moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit, ruina soceri in exilium pulsus a Nerone Apolloniam concessit, & Galbæ principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseæ accusare aggreditur. hic postea Vespasianum in studio libertatis offendit, ut putaret id optante avunculo Claudio pristinum libertatis statum posse revocari, quo nomine reus, ac præter spem absolutus est. Hi ergo duo *Thrasea & Helvidius*, Brutorum æmuli fuerunt in tuenda libertate. Hæc autem Historia inserta est a Poeta, non tam ut bonum vinum designaret, quam in invidiam Domitiani, qui, ut tradit Suetonius, Junium Rusticum necari jussit, quoniam *Pæti Thraseæ*, & *Helvidii* laudes ediderat, appellaveratque eos sanctissimos, præterea eadem de caussa philosophos omnes ab Urbe expulit, & *Helvidium* Helvidii filium sustulit.

36. *Coronati.*) Nam in solemnibus conviviis Romani epulabantur *coronati*, sumta consuetudine ab Ionibus populis Asiæ, qui unguenti *coronarumque* in convivio dandarum, & secundæ mensæ ponendæ consuetudinem, haud parva luxuriæ instrumenta, ut tradit Valerius, repererunt. Verum eum morem homines prius accepisse videntur a Prometheo: qui quum ab Jove vinculis liberatus fuisset, in monte Caucaso *coronam* habuisse fertur, ut se victorem impune peccasse diceret. Itaque homines in maxima lætitia victoriaque *coronas* habere constituerunt. Idemque maxime in exercitationibus conviviisque est custoditum. Lege Hyginum.

37. *Brutorum.*) & *Junii*, qui Tarquinium Superbum ejecit post stuprum Lucretiæ; & *Decii*, qui una cum reliquis conjuratis Julium Cæsarem in Senatu confodit.

37. *Cassii.*) Nam & *Cassius* unus fuit ex interfectoribus Cæsaris studio libertatis.

37. *Ipse capaces*) phialas. Designat electrum, ex quo vasa potoria magni pretii fiebant. id autem erat aurum, ubi quinta a genti portio inerat. Nam quum omni auro insit argentum vario pondere, alibi nona, alibi octava parte, ubicunque argenti quinta portio inest, *electrum* vocatur, ut scribit Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* IV. Ex electro in Lindo insula Rhodiorum Helena sacravit calicem Minervæ, mammæ suæ mensura. Electri natura est ad lucernarum lumina clarius argento splendere. Id Poeta prosequitur, quod Græci mendaciorum affectatores finxerunt, quod nostri postea imitati sunt. Phaetontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere juxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, & *electrum* appellatum, quoniam Sol vocitatus sit *electros*, constat, licet Ovidius Græcos imitatus dixerit:

De ramis electra fluunt, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Unde & Mart. *lib.* IV. Græcos secutus ita dicit:

Flentibus Heliadum ramis dum vipera serpit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram;
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit victa repente gelu.

Nam succino sive *electro* illo ex arboribus destillante, animalia plerunque corripiebantur, quæ ita inclusa perpetuo vivere videbantur. Mart. in *eod. lib.*

Et latet & lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.

38. *Heliadum.*) i. sororum Phaetontis, quæ in arbores populos fletu nimio mutatæ sunt, ex quibus electrum fluit, & inde calices fiunt. ἥλιος enim Sol appellatur. De *electro* & *succino* multa Plin. *lib.* XXXVII. *cap.* II.

38. *Et inæquales beryllos.*) [*Gr.*] *Inæquales* dixit, quia, ut testatur Plin. *lib.* XXXII. sexangula figura poliebantur, ut color repercussu angulorum excitaretur. Hos autem mittit India.

39. *Tibi non committitur aurum.*) Hinc apparet *electrum* esse ex genere auri.

41. *Qui numeret gemmas.*) *Gemmatos calices* intelligit. Nam poculis aureis gemmæ inserebantur, & præcipue smaragdi, qui *Scythici* dicuntur. Plin. *in proœm. lib.* XXXIII. Nec hoc, *inquit*, fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussa tenere Indiam juvat. [*Gr.*]

41. *Gemmas*) insertas calici.

42. *Da veniam.*) Ironicos. non est mirum, si tam accurate custodiunt pocula, nam illic sunt jaspides preciosi, qui merentur custodiri: sicque immoderatam sui temporis luxuriam taxat, & nimias delicias.

42. *Iaspis.*) Lapis est, qui viret, & sæpe translucet. plurimæ ferunt eam gentes, & in agro nostro Brixiano maxima est varii generis copia, sed quum diversorum sit colorum, optima est illa, quæ *purpuræ* quicquam habet, secunda quæ *rosæ*, tertia quæ *smaragdi*.

43. *Nam multi.*) tanta est lautitiæ affectatio apud Romanos, ut multi lapidibus preciosis, qui in digitis gestandi sunt, calices ornent.

44. *Quas in vaginæ.*) Solebat Æneas Trojanus talibus lapillis non pocula, sed vaginam gladii adornare: ut per *Æneam* intelligas omnem antiquitatem, quam ostendit a deliciis penitus fuisse abhorrentem, ut sic, mollitiem sui seculi damnet. eleganter autem *Æneam* nominavit, ut pote a quo Romani originem traxerunt: ac si dicat eos a vestigiis majorum multum declinasse.

44. *In fronte vaginæ.*) In parte exteriore vaginæ: allusit autem ad illud Virg.

— Stellatus iaspide fulva
Ensis erat. —

45. *Prælatus Hiarbæ.*) quem Dido *Hierbæ* regi Libyæ in amore præposuit. Spreto enim *Hierba*, nupsit Æneæ.

45. *Zelotypo.*) Æmulo. *Zelotypus* enim dici potest æmulator formæ. Nam ζῆλ☉ *æmulatio* est, τύπ☉ *forma.* qui ergo ita amat, ut timeat, ne quis amore suo fruatur, *zelotypus* est. *Zelotypia* definitur a Chrysippo, ægritudo animi ex eo proveniens, quod timeas, ne adsit alteri, quod cum nemine velis habere commune. C. *Zelotypia*, Latine obtrectatio dicitur, auctore Cicerone *Tusc.* IV. S.

46. *Tu Beneventani sutoris.*) Tu quum voles bibere, calices non habebis aureos, sed vitreos & deformes. Nam *Vatinius* quidam Beneventanus sutor vitrearius fuit, cujus calices vitrei & deformes erant. De Vatinio ita scribit Cornelius Tacitus loquens de Nerone: *Apud Beneventum interim consedit, ubi gladiatorum munus a Vatinio celebre edebatur. Vatinius inter fœdissima ejus aulæ ostenta fuit, sutrinæ alumnus, corpore detorto, facetiis similibus: primo inter contumelias assumtus, dehinc optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi inter maximos emineret.* Poeta autem in contemtum Vatinii fœdissimi hominis, *calices* ejus nominat magis, quam alterius opificis.

46. *Nomen sutoris.*) nam *calices Vatiniani* appellabantur a nomine ipsius Vatinii.

50. *Decocta.*) Aqua cocta absolute dicitur decocta. Scribit Plin. *lib.* XXXI. *cap.* III. *Neronis Principis inventum esse decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare*: ita voluptas frigoris contigit sine vitiis. Unde Mart.

Non potare nivem: sed aquam potare rigentem,
De nive commenta est ingeniosa sitis.

Sen. *ad Lucil.* *Quid tu illam æstivam nivem non putas callum interioribus obducere?* appellat autem *nivem æstivam*, quę decocta refrigerabatur. Didicerunt enim luxuria monstrante Romani, ut docet Sen. *ad Lucil.* nives ad tempus æstatis, locis subterraneis custodire.

50. *Pruinis Geticis.*) hoc est Scythicis, ac per hoc frigidissimis: ubi perpetua sunt frigora, nam *Getæ* populi sunt Scythiæ.

52. *Vos aliam potatis aquam.*) Frequens est conquestio apud Martialem, clientes panibus cum domino non excipi dapibus: Ut illud *in* III. *lib.* in Ponticum:

Quum vocor ad cœnam, non tam venalis, ut ante,
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?

52. *Cursor.*) Non delicatus, sed qui inter servos est *cursor*, & qui officium habet eundi, quocunque missus fuerit a Domino: hi etiam a pedibus dicebantur. Mart.

Cursorem sexta tibi, Russe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.

Idem in III.

Sed tuta fœno cursor ova portabat.

nam mira erant pedum pernicitate. [*Gr.*]

53. *Manus ossea.*) i. Æthiops ipse osseus: nam Æthiopi manus & reliqua corporis membra sunt exilia, & sine pulpa.

54. *Nolis occurrere.*) Vereris enim, ne manes essent alicujus, qui ex bustis exisset. C. Apud Veteres formosiori occurrisse, omen censebatur bonum: deformi vero malum & inauspicatum. Nam nec Brutus Maurum sibi occurrisse lætum omen existimavit: & Imperator Adrianus ex Mauri occursu, ingruere sibi extrema concepit. Ad hunc morem Juvenalem spectare hoc versu puto. S.

55. *Monumenta.*) Sepulcra dicta a *monendo*, quod *moneant* nos mortuorum & majorum nostrorum: unde & *monumenta* dicimus, quæcunque nobis memoriam alicujus rei refricant.

56. *Flos Asiæ.*) Formosissimus pocillator ex Asia. Inde enim pulcerrimi habebantur servi.

57. *Quam fuit census.*) Nec mirum tanti servum emi, quum scribat Plin. *lib.* VII. *cap.* XII. M. Antonium duos pueros eximios forma mercatum fuisse ducentis sestertiis.

57. *Census Tulli pugnacis.*) Pluris servantur, quam fuerint opes *Tulli* tertii Romanorum regis, qui Romulo etiam ferocior fuit, unde *pugnacem* appellavit. de eo sic Virgil. *lib.* VI.

— Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina, quem juxta sequitur jactantior Ancus.

Nam *Ancus Marcius* quartus fuit rex a Romulo, nepos Numæ Pompilii ex filia, æquitate & religione avo similis. Hi autem pauperes fuere reges.

58. *Et ne te teneam.*) Ne longo verborum anfractu te remorer. C. quod dixit *Sat.* I. *ad summam*, in III. *quid te moror*. S.

58. *Omnia frivola Regum Romanorum.*) Tantum impendunt in emendis servis, ut omnes regum Romanorum facultates talibus preciis sint inferiores.

58. *Omnia sunt Frivola.*) id est Nullius fere precii in comparatione eorum, quæ impenduntur in comparandis servis. Nam *frivola*, auctore Festo, sunt proprie vasa fictilia quassa, unde dicta *frivola*, quæ minus sunt fide subnixa. Vide quæ diximus III. *Sat.*

59. *Tu Gætulum Ganymedem Respice.*) Non est, quod

quod credas tibi a talibus pocula ministrari, sed respice *Ganymedem Gatulum*, id est ministrum a poculis deformem & nigrum, utpote Sole ustulatum, quem supra *cursorem* dixit. *Ganymedem* autem ironicos dixit. Nam is puer fuit delicatissimus Trois regis & Calliroes filius, quem Jupiter venantem conversus in Aquilam tulit in cœlum, mensæque suæ remota Hebe filia, adhibuit pocillatorem.

61. *Sed forma, sed atas Digna supercilio.*) Non est mirandum, si pauperibus abnuit ministrare, habet enim formam & ætatem dignam fastu & gravitate. nam in *supercilio*, ut auctor est Plin. fastus & superbia sedem habet.

63. *Calda gelidaque minister.*) Nam Romani habebant ministratores, qui domino calidam & gelidam aquam miscebant urceis, quos *ministratorios* appellabant. de quibus Mart. in *ult.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti,
Sed tu morosa ludere parce siti.

Calda autem pro *calida* veteres sunt usi. Unde Quint. *lib.* I. ita scribit: Aug. *inquit*, quoque in Epist. ad C. Cæsarem scriptis emendatius *calidum* dicere, quam *caldum* mavult, non quia id non sit Latinum, sed quia sit odiosum.

67. *Ecce.*) Particula est, qua rem aliquam novam & recentem ostendimus.

67. *Alius*) servus & minister.

69. *Agitent.*) Labefaciant.

69. *Genuinum.*) *Genuini* dentes sunt homini novissimi, qui circiter vigesimum annum giguntur, multis, & LXXX. ut auctor est Plin. dicti, quod a *genis*, ut scribit Festus, pendeant.

70. *Mollique siligine.*) Delicatissimus panis conficiebatur ex siligine, de quo Sen. *Epist.* *Malum panem, inquis, exspecta, bonus fiet, etiam illum tenerum tibi & siligineum fames reddet.* Idem: *Utrum hic panis sit plebejus an siligineus, ad naturam nihil pertinet.* Plin. *lib.* XVIII. *Siliginem dixerim proprie tritici delicias, candor est & sine virtute & sine pondere.* C. Item Corn. Celsus *lib.* II. *cap.* XVIII. *Ex tritico firmissima siligo.* S. Colum. *lib.* II. Nec nos tanquam optabilis agricolis fallat *siligo*. Nam hoc *tritici* vitium est, & quamvis candore præstet, pondere tamen vincitur.

72. *Artocopi.*) Hoc est panis siliginei multo labore confecti, ut docet compositio. ἄρτος enim, *panem* significat, & κόπος *laborem*, & licet Plin. multa genera panum nominet, ut *ostrearios*, *artolaganos*, *speusticos*, *furnaceos*, *parthicos*, multosque alios, non tamen *Artocopus* nomen est proprium panis, sed ipsum intelligit siligineum, qui multo labore confectus sit. Græci tamen ἀρτοκόπον & ἀρτοποιὸν *pistorem* appellant. *artoptam* videtur Plaut. in *Aulul.* pro mensa panaria accipere, quum ait: *Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto a Congrione.* alii vero putant accipi pro testa, ubi panis coqueretur, facta compositione ἀπὸ τοῦ ἄρτου quod est panis & ὀπτᾶν asso. *artoptæ* meminit & Plin. *lib.* XVIII. *cap.* XI. ubi locus est corrigendus, nam pro artopta *artoptesia* scriptum est.

72. *Salva sit reverentia.*) Salva dicitur reverentia, quum non violatur, fac, inquit, in pane illo reverentiam non amittas; non tangas, quasi cui reverentia sit habenda. Verba sunt Poetæ ridentis tam superbas & contumeliosas cœnas divitum.

72. *Finge tamen.*) hoc est, si te finxeris aliquantulum audacem, ut apprehendas panem, statim adest qui te inclamet, cogatque deponere.

73. *Improbulum.*) Audaculum.

74. *Vis tu consuetis.*) Verba sunt servi increpantis, visne panem tuum consuetum cognoscere, eoque impleri? *Vis* legendum est a volo & non *vix*. Est enim verisimile, ut quem cogat panem deponere, eum etiam acerbe reprehendat.

76 *Scilicet hoc fuerat.*) Verba sunt clientis, conquerentis pro laboribus suis æquam mercedem sibi non rependi. Certe, inquit, hæc tam benigna in cœnis tractatio fuerat causa, ut tot incommoda sustinerem, legendumque est cum ironia. Nam hæc particula *scilicet* fere semper ironicos profertur. Ut Pers.

Scilicet hoc populo pexusque togaque recenti.

Terent.

Id populus curat scilicet. —

76. *Sæpe relicta Conjuge.*) Ostendit se sæpe antelucano tempore relicta conjuge ex lecto surrexisse, ut divitum comitaretur euntem salutatum.

78. *Fremeret.*) Hinc maxime emergit querela.

78. *Vernus Juppiter.*) Aer. Nam *Juppiter*, auctore Varr. aer dicitur & cœlum.

79. *Nimbo.*) *Nimbus* proprie appellatur, auctore Sen. pluvia repentina maximo cum impetu.

79. *Pænula.*) Tempore pluvio sumebatur *pænula*. Ælius Spartianus in primo operis sui limine sic scribit de Adriano: *Tribunus plebis factus est, in quo magistratu ad perpetuam tribunitiam potestatem omen sibi factum asseruit, quod pænulas amiserit, quibus uti tribuni plebis tempore pluviæ solebant, imperatores autem nunquam: unde hodie quoque imperatores sine pænulis a togatis videntur.* Hinc est jocus ille apud *Quint.* Quum Galba roganti pænulam amico respondit, si non pluit, non opus est tibi: si pluet, ipse utar. Ulp. Jurisconsf. scribit, *pænulam* communem esse habitum tam virorum, quam mulierum. Tradit Lampridius Alexandrum constituisse, ut Senatores pænulis intra Urbem frigoris causa uterentur, quum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviæ fuisset: Matronas intra

Urbem uti vetuit *pænulis*. Varro. in *Virgula divina* scribit, ut est auctor Marcel. *Non quærenda est pænula homini, qui habet virtutem.* Pænulæ autem repertores Lacedæmonios fuisse scribit Tertull. *in Apolog.*

80. *Aspice.*) Alium luxum ostendit divitis, cum maxima clientis contumelia: Aspice, inquit, quam grandis *squilla* paretur domino, tibi autem *cammarus* tantum. *Squilla* autem genus est piscis ex genere concharum, de qua sic Cic. *de Nat. Deor. Pinna vero, sic enim Græce dicitur, duabus grandibus patula conchis cum parva squilla, quasi societate coit comparandi cibi.* Horat. *Satyr.* VIII.

Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta. —

80. *Distendat.*) Impleat.

82. *Asparagis*) *Asparagi* dicti sunt, quod ex *asperis* virgultis leguntur, & ipsi scapi *asperi* sint, non læves, nisi vox sit Græca: nam ἀσπάραγος dicitur. hæc Varro.

82. *Qua cauda.*) quasi quæ maxime expetitur. Nam in *squilla & locusta* cauda optimi habebatur saporis. Fuisse autem lautæ gulæ docet Suidas, qui scribit Apicium eo sibi genere bona consumsisse, & ejus aviditate in Africam navigasse.

82. *Despiciat.*) Deorsum aspiciat, quum sublimis a ministro feratur: sequitur enim *excelsis manibus sublata ministri.*

84. *Cammarus.*) Est ex genere piscium conchiliatorum, cujus meminit & Mart.

Concolor in rubra cammare lance rubes.

De eo Lampridius *in Heliog. Primus fecit Isitia de piscibus, primus de ostreis & lithostreis, & hujusmodi marinis conchis, & locustis, & cammaris, & scillis.*

84. *Constrictus ovo.*) *Cammari* enim immixti ovis coquebantur.

85. *Cœna feralis.*) cœna, qualis mortuis dabatur, Unde Apul. *in* IIII. *Florid. Exclamavit vivere hominem, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent. Feram* enim Veteres mortem appellavere.

86. *Venafrano*) oleo. Totus enim ager Venafranus bonitate olei commendatur. Martial.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum, quoties sumis, & istud olet.

87. *Pallidus caulis.*) Nam brassicæ pallescentes fastidium movebant. Unde, ut viriditatem custodirent, cum nitro coquebantur. Mart.

Ne pallescentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiet aqua.

88. *Olebit laternam.*) i. oleum, quale *laternis* inde solet, nam in usum lucernarum pessimum paratur. *laternam* autem posuit pro lucerna.

88. *Vestris alveolis.*) Satyrice appellavit patinas pauperis *alveolos*. Nam *alveoli* dicuntur vasa proprie ex ligno excavata, sic etiam in sequentibus *alveolos* appellavit:

Cujus & alveolos & lænam pignerat Atreus.

ubi locus est corrigendus. nam pro alveolis *albiolos* legitur. Ergo vestris *alveolis*. i. vestris patinis vilibus & ligneis.

89. *Canna Mycipsarum.*) Quod ex Numidia Romam vehitur. Nam Mycipsa Masinissæ filius, Numidarum fuit rex: qui mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hyempsali, & Jugurthæ fratris filio, quem in filium adoptaverat.

89. *Canna acuta prora.*) id est navis. Hoc autem dicit, quia, ut scribit Plin. *lib.* VII. *cap.* LVI. naves fiunt utiles in Nilo ex papyro, & scirpo, & arundine, simulque ad id respexit, quod in India arundines sunt tantæ proceritatis, ut ex singulis internodiis naviculæ fiant, quæ alveo navigabili ternos interdum homines ferant. Plin. *lib.* VII. *cap.* II. Solin. Diod. Mela.

90. *Cum Boccare.*) Tantus est fœtor olei, ut nemo Romæ lavetur cum *Boccare*, hoc est cum Numida aliquo. *Boccar* autem, ut scribit Liv. *lib.* XXIX. rex fuit Maurorum, fuitque temporibus Masinissæ regis Numidiæ, per quem nunc Poeta intelligit omnes Numidas & Mauros.

21. *Tutos a serpentibus.*) Tanta est vis tetri odoris olei, ut serpentes ipsi fugentur.

92. *Corsica.*) alio nomine *Cirnus*, unde Virg. in Bucol.

Sic tua Cirneas fugiant examina taxos.

93. *Rupes Taurominitana.*) Hoc est Sicilia ipsa. Nam *Taurominium* oppidum est Siciliæ non longe a Messana, olim *Naxus* vocitatum, auctore Solino.

93. *Quando omne.*) Ratio est, quare tam ex longinquo petantur pisces, quoniam mare nostrum jam piscibus est exhaustum, dum gulæ tantopere inservimus. Unde & Sen. detestans gulam sic scribit *ad Lucil. Vide, quantum rerum per unam gulam transiturum permiserit luxuria, terrarumque, marisque vastatrix.*

95. *Macello scrutante.*) hoc est, piscatore maria quæque vicina explorante. *Macellum* enim posuit pro piscatore. Est autem *macellum* locus, ubi obsonia venduntur. dictum, ut sensit Donat. *in Terent.* a *mactandis* pecoribus: ut alii vero tradunt, a *Macello* quodam, qui exercebat in Urbe latrocinium, quo damnato censores Æmilius & Furius statuerunt, ut in domo ejus obsonia venderent, non autem, qui pecora mactarent, ii enim *lanii & laniones* sunt appellati, & *laniena* locus, ubi mactaretur, de quo plura ante.

97. *Instruit ergo focum.*) Quum mare nostrum piscibus sit exhaustum, ideo ex provinciis & longinquis locis

locis petuntur, sicque Poeta gulam sui temporis notat. *Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittat, ab ultimo petitur Oceano. vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

98. *Lenas.*) pro avaro captatore ponitur, ut *Aurelia* pro orba divite, cui multa mitterentur munera, uterque autem fuit temporibus Juvenal. ut *Gallita & Pactius*.

99. *Virroni.*) diviti.

99. *Muræna.*) Anguillæ similis est, in freto Siculo multæ capiuntur. Macr. *lib.* III. *Arcessebantur murænæ ad piscinas nostræ Urbis abusque freto Siculo.* Lautæ habebantur gulæ adeo, ut Licinii Crassi *Murenæ* sint cognominati, quod hoc pisce effusissime sint delectati. Lege Plinium *lib.* IX. Col. & Macrob. *lib.* III.

100. *Nam dum se continet.*) Non verentur piscatores, quiescentibus ventis in mari Siculo, licet periculoso piscari, ut ostendat nihil intactum relinqui ad indomitam gulam explendam.

101. *In carcere.*) Fabulam miscet. Nam venti in Æolis insulis, in quibus temporibus Iliacus Æolus regnabat, in carcere ab eo coerceri dicebantur. Virg.

Æoliam venit, hinc vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

102. *Charybdim.*) In freto, quod est inter Italiam & Siciliam, scopulus est *Scylla*, item *Charybdis*, mare vorticosum, ambo clara sævitia: *Charybdis* autem Peloro promontorio adjuncta est. de Scylla & Charybdi plura ad XV. *Sat.*

103. *Cognata colubræ.*) quasi ejusdem generis. scribit Plin. *lib.* IX. *cap.* XXIII. Murænas in terram elapsas serpentibus commisceri. sed de anguilla hoc non legitur apud Plin. verum Poeta sequitur opinionem vulgarem, quæ credit serpentes & angues coire cum anguillis.

104. *Aut Tiberinum.*) Lupum piscem intelligit, qui in Tiberis stercore pasceretur, & immunda esca inter cloacas Urbis. Et licet hoc joco Juven. *Tiberinum piscem*, ut vilem pauperi apponi dicat, Varro tamen, ut tradit Macrob. pisci Tiberino palmam tribuit his verbis in *lib. Rerum Humanarum* XI. Ad victum, *inquit*, optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis. Nam omnes ex hoc amne pisces maximum honorem tenuerunt apud prodigos, imprimisque lupus, qui inter duos pontes captus esset, quod etiam Horatius indicare videtur *Sat.* II. *lib.* II.

Quæ virtus; Lupus hic Tiberinus an alto,
Captus hiet pontes inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? —

Columella *lib.* XI. *cap.* XVI. *Doctaque & erudita palata fastidire, docuit fluvialem lupum, nisi quem Tiberis adverso torrente defatigasset*, quibus verbis docet, Lupum Tiberinum in precio fuisse. Verum forte temporibus Juven. talis piscis in precio non erat, temporum longinquitate mores, ut fit, mutante, sicut & ætate nostra anguillæ, quæ temporibus Poetæ in minima erant taxatione, mensis nostris sunt gratissimæ. *Lupos* etiam marinos laudat Plinius *lib.* IX. *Luporum laudatissimi, qui appellantur lanati, candore mollitieque carnis.*

104. *Aspersus maculis.*) Nam *lupi* pisces maculis variegati inveniebantur, iique minoris æstimationis. unde Col. *lib.* IX. *cap.* XVII. *Tum etiam sine macula (nam sunt & varii) lupos includamus.* Eos nos esse putamus, quos vulgo appellant *Lucinos*, dictos *lupos* ab eorum voracitate, nam reliquos pisces insectantur. unde Col. *eod. lib. lupos rapaces* appellat.

104. *Glacie.*) Per hyemem, videntur enim maculis frigore aspergi.

105. *Vernula.*) Alumnus.

105. *Cloaca.*) Nam tota urbs pensilis erat cloacis, corrivatis septem amnibus a M. Agrippa sordes Urbis in Tiberim deferentibus. lege Livium.

106. *Cryptam.*) Cavernam, & loca riparum excavata, quæ piscis depascens perscrutatur. Unde Lucilius, acer & violentus Poeta, eum quasi *Liguritorem catillonem* appellat, scilicet qui proxime ripas & stercus insectaretur. Proprie autem *catillones* dicebantur, qui ad pollinctum Herculis ultimi quum venirent, *catillos* liguriebant.

107. *Ipsi pauca velim.*) ipsum Virronem paucis alloqui, si me velit auscultare.

108. *Nemo petit.*) Nemo petit a te, Virro, ut in pauperes clientes tam munificus sis, quam fuerunt Seneca, Piso & Cotta in amicos suos, quos multis donis prosequebantur, sed ut cœnes civiliter, & communibus epulis cum eis, & non discretis.

109. *A Seneca.*) Senecam divitem fuisse & liberalem in amicos scribit Tac. apud quem lege de vita & nece ejus.

109. *Piso bonus.*) Multi extitere *Pisones*, verum de *C. Pisone* illo intelligit, qui amicus & familiaris fuit Sen. quique auctor fuit conjurationis in Neronem, a quo dicta est conjuratio illa Pisoniana de eo ita scribit Tac. *Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, & ignotos quoque comi sermone & congressu.* Unde a Poeta & liberalis & *bonus* appellatur.

110. *Namque & titulis.*) Ideo liberalis & munifici erant in amicos, quod veteres gloriosius esse in homine putarunt, liberalitatem exercere, quam dignitates adipisci. Unde Sallust. *in Cat.* commendans mores vete-

rum Romanorum, scribit: *Magisque dandis, quam accipiendis beneficiis, amicitias parabant.*

110. *Titulis.*) Honoribus, qui per *titulos* & inscriptiones ostendebantur. Unde Plin. loquens de Pompejo: *Postea ad tota maria, & deinde Solis ortus missus hos retulit patriæ titulos.* Prop. ult. Eleg.

Et domus est titulis utraque fulta suis.

i. honoribus & laudationibus.

110. *Fascibus.*) Consulatu & Prætura, quæ dignitates inter alias præcipuæ habebantur, ut per has dignitates omnes intelligas. Consulem & Prætorem lictores præcedebant cum fascibus virgarum; *Consulem* duodecim; sex vero *Prætorem.*

112. *Cœnes civiliter.*) i. ut bonum civem decet, communibus epulis & indiscretis, eadem est etiam expostulatio Martialis adversus Pont.

Cur sine te cœno, quum tecum, Pontice, cœnem?

112. *Hoc face, & esto.*) Cum indignatione. fac hoc, inquit, & tibi concessero, ut vivas dives tibi, & parcus amicis, ut multi faciunt, sicque sui temporis homines sordidos taxat.

114. *Jecur anseribus.*) Prodigi, & lautæ gulæ homines inter delicata obsonia jecur anseris statuerunt. Domuit Apicius saginare anseres, fico, carica, & satie exstinguere.

115. *Altilis.*) Gallinam intelligit, quæ alebatur ad saginam. Deliaci cœpere gallinas saginare, unde pestis exorta opimas aves & suopte corpore unctas devorandi. Quod postea lege Fannia prohibitum est, qua cautum est, ne quid volucrum proponeretur, præter unam gallinam, quæ non esset altilis. Plin.

115. *Dignus ferro Meleagri.*) i. tam prodigiosa magnitudine, qua fuit is, quem Meleager Calidonius interemit. nota est fabula.

115. *Flavi.*) *Flavus* color, ut scribit Gel. est ex albo, russo, & viridi concretus. unde *flavam* appellamus *Cererem*, alludentes ad frumenta. quæ in agris *flavescere* dicuntur, quum maturescunt. verum hoc loco flavum intelligimus pulcrum & formosum, sicuti Poetæ sæpe in hac significatione usurpant, ut ante:

— *Et flavam, cui det mandata puellam.*

116. *Tubera.*) In genere fungorum numerantur. Mart.

Rumpimus altricem summo de vertice terram:
Tubera boletis poma secunda sumus.

Ea undique terra circumdata nascuntur, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, neque terræ cohærent, cortice etiam includuntur. ut plane nec terram esse possimus dicere, neque aliud, quam terræ callum. Laudatissima Africæ crescunt, quum fuerint imbres autumnales & tonitrua crebra: tunc nasci dicuntur, & maxime tonitribus, nec ultra annum durare. tenerrima autem verno tempore esse. C. vide Plin. *lib. xix. cap.* 11. S.

116. *Raduntur.*) Utrum purgantur abraso cortice, quum apponuntur? an raduntur i. evelluntur ex terra sarculis.

115. *Si ver Tunc erit.*) Nam tunc, ut diximus, auctore Plin. dicuntur nasci, si imbres fuerint autumnales, & tonitrua crebra, tenerrima sunt tempore verno. Unde Poeta dixit: *si ver erit.*

118. *Aledius inquit.*) Aledium aliqui dicunt equitem Romanum fuisse luxuriosum, quem pro homine guloso heic accipit.

119. *Disjunge boves.*) Per me frumentum non seres. Nam ex Libya frumenta mittebantur. Unde Sidonius:

Arma Chalybs, frumenta Lybes, Campanus Iacchum.

Ovidius *in Ponto:*

Cyniphiæ segetis citius numerabis aristas.

Cyniphii enim populi sunt Africæ. Plin. *lib. xv.* ostendit *Africam* frugum fertilem esse: *Oleum ac vinum invidit tantum Africa, satisque gloriæ in messibus fecit.*

120. *Structorem interea.*) Aliam proponit contumeliam. Ut undique habeas, quod doleas, structorem peritissimum incidendorum obsoniorum spectas, qui mira manuum reliquique corporis agilitate ministret Domino. Sicque conviviorum luxuriam sui temporis flagellat. Sen. *de Brev. Vit. Convivia me hercule non posuerim inter vacantia tempora, quum videam quam suspensi sint, quomodo aper a coquo cæsus exeat, quanta celeritate signo dato gladii ad ministeria decurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia, quam curiose infelices pueruli ebriorum sputa detergant. Structor* autem is dicitur, qui curam habet struendi, unde illud est Virg. *Cura penum struere.*

121. *Saltantem.*) ut optime agilem.

121. *Chironomonta.*) Chironomon dicto est Græca. χεὶρ enim *manum* significat, & νόμος *legem.* is dicitur, qui quadam manuum agilitate & veluti lege obsonia incidit.

122. *Donec peragat dictata magistri.*) Donec omnia incidendo exsequatur, quæ didicerit a magistro, ita ut nihil prætermittat, quod ad decoros incidendi gestus pertineat. Nam in Urbe erant, qui artem incidendorum rite obsoniorum docerent per varia animalia formata ex ligno, ut latius in *satyr.* xi.

— *Et tota sonat ulmea cœna Suburra.*

122. *Dictata*) dicuntur, quæcunque in omni genere scientiæ tam liberalis, quam ludicræ traduntur discentibus. Horat. *ad Lollium:*

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Ut puerum sævo credas dictata magistro.

Redde-

Reddere. —

Persius:

Te cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendis? —

Tranq. in Cæs. *Tirones per senatores armorum peritos erudiebat precibus enitens, ut disciplinam singulorum susciperent, ipsique dictata exercentibus darent.*

123. *Nec minimo sane discrimine refert.*) Magnam putant esse differentiam, quo gestu singula obsonia incidantur: decorone an rustico more. Unde illud est Plin. loquentis de gallinis: *Postea culinarum artes invenerunt, ut clunes spectentur: ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatatæ repositoria occupent.* Sic Sen. ad Lucil. *Alius preciosas aves scindit, & per pectus & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum in frusta excutit.*

125. *Duceris planta.*) Alia dissuasio, fugiendas esse tales cœnas. nam illud etiam, inquit, tibi adest periculum, ut si forte velis aliquid inter cœnandum loqui, tanquam & tu sis nobilis, illico foras arripieris per pedes.

125. *Cacus*) Nota est historia apud Liv. Dionys. Eutropium, *Cacum* fuisse pastorem ferocem viribus, qui captus pulcritudine boum, quas Hercules ex Hispania, Geryone interemto Romam abegerat, surripuit eas: cumque avertere eam prædam vellet, veritus ne vestigia quærentem dominum ad speluncam aversas boves caudis in speluncam traxit. Hercules tali furto elusus, quum inde discederet, cum reliquo armento boves quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum ex spelunca boum vox Herculem convertit. *Cacum* in spelunca latitantem magna vi correptum pedibus extraxit. Virg.

— *Abstractæque boves abjurataque rapinæ*
Ostenduntur cœlo pedibusque informe cadaver.
Protrahitur. —

127. *Hiscere.*) Os tantummodo aperire ad loquendum.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) Tanquam & tu sis nobilis. Nam nobiles & cives Romani ostendebantur nomine, prænomine, & cognomine: ut *M. Tul. Cic. C. Julius Cæsar.* Idque multis fuit frequens. Unde Ausonius de Ternario numero:

Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

quod alii exponunt *tria nomina*, id est sis fur, non tria sunt nomina, sed tres tantum literæ, unde bene Plaut. *in Aul.* appellat furem *hominem trium literarum.* Quæ item a Politiano in *Miscel. cap.* XXXI. super hoc loco narrantur, argutius sunt excogitata, quam ut huic loco conveniant. De nomine, prænomine, & cognomine, ex auctoritate Eutropii apud Persium nonnulla commemoravimus, ubi ostendimus, Sabinis a Romanis ad confirmandam conjunctionem nomina illorum suis præponere consuevisse. Et invicem Sabinos Romanorum: ita ut per *tria nomina* intelligendus omnino sit Nobilis Romanus, qui præter prænomen & nomen asciscebat, & cognomen aut a majoribus partum, aut ab aliquo eventu acquisitum.

127. *Quando propinat.*) Dives tam superbus est, ut nunquam tibi poculum suum porrigat ad bibendum, neque tuum accipiat, si porrigas. Nam *propinare* est proprie poculum porrigere, & præbere ad bibendum. Martialis:

Qui nulli calicem tuum propinas,
Humane facis Herme, non superbe.

Tranquillus *in Tiber. Ignotissimum Quæsturæ candidatum nobilissimis antepofuit ob epotam in convivio propinante se vini amphoram, hoc est porrigente, & præbente.* Nec solum propinare ad potionem refertur, sed etiam ad alia: unde Julius Capitolinus in M. Antonio: ut parte cultri veneno lita vulvam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans. Unde & Terent. metaphoricos dixit *in Eun. Hunc ego vobis comedendum & deridendum propino*, hoc est trado & præbeo, sicuti pocula præbentur bibenda. πίνω enim idem est, quod bibo.

130. *Plurima sunt.*) Sententia probatissima, per quam ostendit, quam infelix sit ubique pauper.

132. *Quadringenta.*) Venuste mores humani generis explanat, apud quod homines non pro meritis virtutum, sed fortunæ tantum sint favorabiles. Si tu, qui nunc ob paupertatem divitis es ludibrio, forte aut Deorum, aut alicujus hominis beneficio divitias magnas sortireris, statim diviti esses acceptissimus, te statim ille summa benevolentia complecteretur.

132. *Quadringenta*) sestertia, quæ summa erat equestris ordinis. ut alibi diximus.

33. *Et melior fatis.*) qui melior videretur & tibi magis propitius, si tibi divitiarum largiretur, quam ipsa fata, hoc est ipsi Dii, qui te pauperem fecissent.

135. *Da Trebio.*) Verba sunt divitis ad ministrum, quem Poeta introducit ita locuturum, si cliens ejus ditaretur.

135. *Vis frater.*) Attende, quam benevola sit invitatio.

136. *O nummi.*) Acclamatio Poetæ in pravos sui temporis mores. Blanditur, inquit, nummis, non homini.

137. *Dominus.*) Licet hic dives tam superbus sit in te, facile tamen in omne tibi obsequium flectes, eritque ei dominus & rex. nam te ut cliens colet, si tibi nulli erunt liberi.

39. *Filia dulcior illo*) Filio. Nam parentibus filiæ sexus imbecillitate sunt magis cordi.

140. *Uxor*

140. *Uxor sterilis.*) Uxor, quæ liberos nullos parit, facit tibi Divitem amicum.

141. *Sed tua nunc Michale.*) Sed quamvis Michale uxor tua pariat nunc, scilicet, quum sis locupletatus, non te penitus aspernabitur; sed tecum una gaudebit tuis liberis, munuscula jubebit afferri.

141. *Nunc.*) dum factus es dives. Nam dum pauper est cliens, nullam sentit divitis in se humanitatem, nec in filios.

141. *Et pueros tres.*) id est tergeminos. potest enim mulier uno partu tres parere. Plin. *lib.* VII. *Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo.*

142. *Loquaci nido.*) Loquacibus puerulis, ut sunt aviculæ garrulæ in nido.

143. *Thoraca.*) *Thorax* Græca est dictio, signatque pectus. Plin. *Thoracem purgant, bilem detrahunt.* Plerunque capitur pro veste, quæ pectus tantum muniat, ut hoc loco Poeta accipit. Suetonius in *Aug. Thorace laneo, & fœminalibus, & tibialibus muniebatur.*

144. *Minimasque nuces.*) id est avellanas.

144. *Assemque rogatum.*) Asses variati fuerunt, nam *librales* antea fuerunt, postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore *unciales* facti sunt. In militari stipendio semper denarius pro decem assibus datus est. Plin.

145. *Infans parasitus.*) Similis parasito, qui libenter mensas sectetur. Nam *parasiti* hi dicuntur, qui mensas nobilium sectantur causa gulæ.

146. *Fungi ancipites.*) Periculosi. Sunt enim inventi plerunque lethales, ut docet Plin. Seneca *ad Lucil. Quid tu illos boletos, voluptarium venenum, nihil occulti operis facere judicas, etiam si præsentanei non fuerunt?*

147. *Boletus.*) Ex genere fungorum est, olim Romano palato gratissimus, eo quum Claudius maxime delectaretur, ab Agrippina ejus uxore per hanc occasionem dato veneno necatus est. Unde sequitur:

— *Sed qualem Claudius edit.*

148. *Uxoris*) Agrippinæ. Agrippinas duas exstitisse perspicuum est. Ex quarum altera C. Caligula, ex altera Nero princeps nati sunt, uterque humano generi perniciosissimus. Germanicus ex Agrippina filia Agrippæ suscepit filiam Agrippinam, ex qua & Domitio Nerone, natus est Nero princeps, quem Claudius, ducta in matrimonium Agrippina sibi in filium adoptavit, qui mox sublato opera matris Claudio boleto medicato, imperium occupavit, veritusque Britannicum ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno sustulit.

151. *Qualia perpetuus.*) Nam antiquitas auctore Plinio *lib.* XIX. *cap.* III. *Nihil prius mirata est, quam & Hesperidum hortos, ac regum Adonis & Alcinoi.* Alcinous enim rex fuit Phæacum, qui hortos habuit perpetuis fructibus virentes. Homerus VII. *Odyss.* Nam, ut ille scribit, pirum piro succedebat, & malum malo, & ficus ficui. Unde est illud Papinii:

— *Vosque*

Qui nunquam vacui prodistis ad æthera rami.

151. *Autumnus perpetuus.*) quia perpetuis fructibus virerent, sicuti ceteræ arbores autumno poma sua ferunt.

151. *Phæacum.*) Corcyrensium. Nam antea insulæ appellata est Corcyra, a virgine Corcyra capta a Neptuno. Ex his natus est Phæacus, a quo *Phæaces* sunt denominati. Ex *Phæaco* Alcinous, qui Ulyssem in Ithacam deduxit.

152. *Sororibus Afris.*) In insula Mauritaniæ finxerunt Poetæ hortos esse Hesperidum, mala aurea ferentes, quos custodirent Ægle, Heretusa, Hespertusa, & Draco pervigil. Hesperi autem illæ dicuntur filiæ fuisse, qui Atlantis frater fuit, & Japeti filius: Ea poma Hercules fertur occiso Dracone abstulisse. Fabulosum id totum ostendit Plin. *lib.* V. *cap.* I. *Nec præter oleastros aliud exstat ex narrato illo aurifero nemore. Minus profecto mirentur portentosa Græciæ mendacia de iis prodita.* &c.

153. *Tu scabie frueris mali.*) Pomum tibi datur scabiosum, quale comedit miles in aggere. videtur autem Poeta pomum illud intelligere, quod milites in aggere castrorum serebant, de quo Plin. *lib.* XV. *cap.* XIV. *Peregrina sunt ziziphа & tubera, quæ & ipsa non pridem venere in Italiam, hæc ex Africa, illa ex Syria. Sextus Papinius, quem consulem vidimus, primus utraque attulit Divi Augusti novissimis temporibus in castrorum aggeribus sata, baccis similiora quam malis, sed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta jam sylvæ scandunt.* Aut revera omne aliud pomum modici saporis intelligit, quod milites plerunque, deficiente copia commeatus, coguntur comedere. Unde & Cœl. *lib.* VIII. ad Cicer. *Quid nunc tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis, deterrima hyeme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti videntur.* Ait enim ipsum militem rodere pomum in aggere, non autem illic natum.

154. *Qui tegitur parma.*) Periphrasis est peditis, cujus arma sunt *parma* & *galea*.

155. *Ab hirsuta capella.*) Hunc locum variis exponi modis non ignoro, ut alii dicant *ab hirsuta capella.* i. ab amento Caprino, quod hastæ vibrandæ alligatur. Alii a sago Cilicio, quod ex pilis hircinis texebatur, cujus usus esset & in navibus & castris: Alii a pharetra, quæ

quæ pelle caprina solet integi, ex qua jacula promuntur. Ego vero expono *ab hirsuta capella*. i. ab hirsuto Centurione: quem ideo Capellam appellat, quod Centuriones, ut homines robusti toto fere corpore hirsuti sint, fruticantibusque pilis sub alis, odorem hircinum oleant, quod ex sudore, nimiisque laboribus provenire solet, tales autem ad militiam idonei putabantur, unde & Pers.

Hic aliquis de gente hircosa Centurionum.

Juvenalis:

Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.

Hocque maxime placet, ut referas & *discit* ad magistrum ipsum. Nam Centuriones novos milites erudiebant, neque enim convenit militem discere ab amento, quasi amentum dictata tradat, ut duplici ratione capellam appellet centurionem: & quod odorem hircinum oleat: & hirsutus sit, ut capella.

155. *Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.*) Notat illa veteris disciplinæ rudimenta, quibus Tyro miles in emittendis jaculis apud suum Centurionem instituti solebat. *Hirsutam* vero *capellam* συνεκδοχικῶς arcum Cretensis militis intelligit. *Cydones* enim in Creta fortissimi fuerunt, ut Hom. ait, quorum arcus caprina pelle ornari solitos plerique literis mandarunt. C. S. C.

155. *Jaculum torquere.*) Nam tyrones in castris variis exercebantur modis. Cic. *in* II. *Off. Magnam laudem ab exercitu consequebare equitando, jaculando, omnia militari labore tolerando.*

156. *Forsitan impensæ Virronem.*) Tam contumeliosè te non tractat, quod impensæ parcat, sed ut te urat, nam maximam capit voluptatem ex dolore tuo.

157. *Mimus.*) Genus est fabulæ parum a Comœdia distans: unde mimographi appellantur *mimorum* scriptores. Eorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus. Laberius eques Rom. Mimos scripsit, donatus a Cæsare quingentis sestertiis, & annulo aureo, & sessu in XIIII.

160. *Pressoque molari.*) Nam ex nimia indignatione dentibus frendimus. *molares* autem ultimi sunt dentium, qui contruncatos a prioribus cibos atque confractos subigunt & molunt, unde & *molares* vocati sunt, item & *maxillares*.

161. *Tu tibi liber homo.*) Per sententiam alienam urbane ostendit hominem aliquo vitio laborantem ex dogmate Stoico servum esse, quum in potestate sit vitii & non sua. Tu per modicam prudentiam *putas* te liberum esse & convivam regis, sed ille te servum gulæ agnoscit.

162. *Nidore.*) Odore. Nam *nidor* idem est, quod odor ex quacunque re, præsertim cocta, & ustulata sive assa proveniens. Virgil.

Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.

Idem:

— Illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. —

Cicero *in Pison. Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo.*

163. *Quis enim tam nudus.*) Quis est aut natus liber, aut libertinæ conditionis tam pauper, qui possit ferre tantam hujus mensæ superbiam & contumelias: quasi dicat nemo ferat, nisi idem servus sit.

163. *Illum. Fis ferat.*) Ut, quum semel expertus sit, iterum velit experiri.

164. *Si contingit aurum Hetruscum.*) id est si natus sit liber & ingenuus. Nam *Bulla aurea*, quod insigne erat in speciem cordis dependens a collo, gestabatur a pueris usque ad quartumdecimum ætatis annum. *Hetruscum* autem appellat, quod Tullus Hostilius tertius rex Romanorum, debellatis Hetruscis, sellam curulem, lictoresque, & togam pictam, atque prætextam, quæ insignia magistratuum Hetruscorum erant, primus ut Romæ haberentur, instituit. Sed prætextam illo seculo puerilis non usurpabat ætas, erant enim, ut cetera, quæ enumeravi, honoris habitus. Sed postea Tarquinius Priscus de Sabinis triumphum egit, quo bello filium suum annos XIIII. natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & bulla aurea, prætextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. Nam sicut prætexta erat magistratuum, ita *Bulla* erat gestamen triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant: inclusis in eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima. Hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobilium usurparentur ad omen & vota concilianda virtutis, ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Sed *bulla aurea* cum prætexta ingenuis tantum concessa est pueris, libertinorum vero filiis *lorum* tantum, & prætexta, quæ duo hoc loco Poeta tetigit. de Bulla & Prætexta legito Macrob. in I. *Saturn.* & Asconium Pedian.

168. *Minor.*) Imminuta a Virrone, qui partem ejus comedit.

168. *Inde.*) Ob eam rem, quod speretis aliquid ex iis habituros.

170. *Ille sapit.*) Revera Virro sapiens est, nec eum possum non laudare, qui te ita tractat.

171. *Si potes.*) id est quando potes ferre tot contumelias, & debes, scilicet ferre, dictumque est non sine stomacho, & indignatione a Poeta.

171. *Pulsandum vertice raso.*) Eo propter gulam paulatim pervenies, ut passurus sis etiam more parasi-

torum verbera. Nam *parasiti*, qui mensas nobilium sectabantur, multis verberibus aliisque contumeliis afficiebantur. Unde *parasitus* ille apud Terent. *in Eunucho*:

At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.

173. *Flagra.*) Plagas illatas tibi per flagrum. C. Quum antea multis criminationibus illos, qui mensas potentiorum sectantur, & aliena quadra student vivere, Poeta fuerit insectatus, post multa, quæ sub alieno imperio digna atque indigna pati necesse est, ut tandem se in libertatem vindicent, & jugum, quod imperiosi domini ferendo servitium, sponte subierant, denuum e collo discutiant, suadendo concludat: quodque pulsandum caput vertice raso, probe arbitratur, scilicet modum, quo liber quispiam a Prætore fit, designavit. Fuit enim antiqui moris, ut, qui ex servitute in libertatem vocabatur, raso capite ad Prætorem itaret, apud quem bis terque caput percussus, vel per lictorem percuti jussus virgula, quæ vindicta dicta est, aut festuca in eum jacta, quem cum vertisset dominus, prætoris jussu servitute eximeretur: quique libertatem eo modo nactus fuerat, *manumissus vindicta* dicebatur: quo genere *manumissionis*, libertatem una & civitatem Romanam assequebatur, scilicet a Vindicio Vitelliorum, seu Aquiliorum servo, cujus indicio detecta conjuratione de opprimendis consulibus auctore Liv. primus libertate & civitate donatus est. cautumque fuit, ut qui ita libertatem assecuti essent, vindicta manumissi dicerentur. *Raso* enim *capite*, tam illi, qui liberi fiebant, quasi tempestatem effugissent, quam qui bello capti servitute exemti fuerant, incedere & triumphantis currum prosequi consuevere, observatumque fuit, ut in templo Feroniæ Libertorum deæ, tam servi, quam addicti ex compedibus & ex ergastulo, libertorum munia acciperent. Non ergo inscite, debere eos, qui potentioribus tam serviliter famulantur, caput raso vertice prætori pulsandum præbere, seque in libertatem vindicare, nec dura Virronis flagra patienda esse, Poeta censuit. sc. alludens ad eos, qui ex servitute a prætore manumissi, & libertate donati sunt. Apud Lacedæmonios vero, qui servi mancipio eximuntur, fronte coronati incedunt & templa circumeunt: apud quos hi, qui a tyrannis liberati erant, adscripti vocabantur. S.

IN SATYRAM VI.

CRedo pudicitiam.) Dissuasurus hac Satyra Poeta amico suo Ursidio, ne ducat uxorem, ingenti utitur arte, omnia enim vitia, quibus genus fœmineum laborat, commemorat, nihil omittens, quod ad partes dissuasionis pertineat. Denique monet eum, omnem vitæ potius sortem, quam connubium apprehendendum. Talem igitur nactus occasionem adulteria sui temporis acerbitate satyrica insectatur: irridensque legem Domitiani, qua adulteria prohibuerat, tantam esse mulierum impudicitiam dicit, ut ostendat revoluta seculorum origine, ab ætate usque argentea, mortales adulteriis flagrasse. Hoc autem unum monendum putavi, ut interpretaturus hanc satyram summa utatur reverentia ne adolescentuli, quorum mentes facile ad vitia inclinantur, turpia audiendo aliquo se flagitio contaminent.

1. *Pudicitiam moratam In terris.*) id est Mortales diu inter se bene, pudiceque vixisse.

1. *Saturno rege.*) id est seculo aureo, quo tempore Saturnus regno ab Jove filio pulsus, Latio cum Jano imperavit. Tunc enim ætas aurea fuisse dicitur, quum homines post diluvium cacumina montium tenerent, in speluncisque victitarent pomis, ceterisque fructibus agrestibus contenti. Unde est illud Lucretii:

Et nemora atque cavos montes, sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra.

3. *Laremque.*) Unusquisque Deum domi suæ colebant, quem *Larem familiarem* appellabant, eumque præsidem vocabant, cui canis assistit, & ipse Deus pellibus caninis vestitur, cujus rei rationem reddit Plut. in *Problem.* & Apul. *de Dæmonio Socratis* pleraque dicit. & nos apud Persium:

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

ut autem *Lares* domi colerent, inde ortum docet Serv. quia apud antiquos mortui in domibus suis sepeliebantur, quos ut Deos domesticos colere cœperunt & venerari, *Laresque* appellarunt.

6. *Culmo.*) *Culmus* proprie appellatur ipsa palea, unde *culmina* domuum sunt appellata, quod prius *culmis*, hoc est paleis integerentur.

7. *Pellibus vicinarumque ferarum.*) Nam rudes illi antiquissimi ex ferarum *pellibus* non modo lectos sternebant, sed & vestes sibi conficiebant [*Gr.*]

7. *Non similis tibi.*) Non ea mollitie, nec iis deliciis.

ciis. nam & luxu vestium, & margaritarum oblectabatur, ut sæpe conqueritur Propert.

Quid juvat ornato procedere vitta capillo?

Et alibi:

Matrona incedit census induta nepotum.

sicque Poeta veteres laudando, vituperat mores sui temporis. *Cynthia* Propertii fuit amica, ea Hostia diceba tur, sed Propertius mutato nomine *Cynthiam* vocavit, ut auctor est Apul. in 1. *Apolog.*

10. *Horridior.*) Incultior, minusque mollis marito suo.

10. *Ructante glandem.*) qui glande pascebatur. Nam rudi illa ætate mortales ante usum tritici agrestibus pomis vescebantur.

11. *Orbe novo.*) Ætate illa aurea, quum homines essent novi & recens nati.

12. *Rupto robore.*) [*Gr.*] Virg.

Hæc nemora indigenæ, Fauni nymphæque tenebant,
Gensque virum truncis & duro robore nata:
Queis neque mos, neque cultus erat, nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto.

12. *Robore.*) *Robur* arbor est glandifera, verum a Poetis sæpe capitur pro omni ligno, ut est illud:

— *Cape robora pastor.*

13. *Compositique luto.*) Allusio est ad id, quod *ex luto* Prometheus hominem finxerit. quasi dicat, ex quo homines cœperunt non ex arboribus nasci, neque *ex luto* formari, sed ex parentibus procreari, & connubia sunt instituta, adulteria cœperunt committi.

14. *Multa pudicitiæ.*) Primis temporibus ætatis argenteæ, quum Jupiter regnaret, homines sancte & pudice vixerunt, existente adhuc Jove impubere. Sed jam barbam producente cœperunt paullatim adulteria committi.

14. *Vestigia Pudicitiæ.*) Hoc dictum est ex sententia eorum, qui crediderunt *Pudicitiam* Deam fuisse honestatis, quæ quum inter mortales versaretur, videretque se contemni, stupraque ubique committi, aufugisse fertur cum Justitia in cœlum. *Vestigia* enim dicuntur signa pedum, unde est verbum *investigare*, quasi per vestigia aliquid quærere.

16. *Græcis nondum paratis jurare.*) id est Quum adhuc homines viverent juste; & sine fraude, nec adhuc essent aliqua perjuria, quorum primi videntur fuisse Græci inventores. nam semper per fidos fuisse & habitos indicat Plaut. in *Asinaria*:

Cetera, quæ volumus uti, Græca mercamur fide.

i. statim enumerato precio, quia aliter Græcis non credunt.

ditur. Tul. item *in orat. pro Flacco* loquens de *Græcis* sic ait: *Testimoniorum religionem & fidem nunquam ista natio coluit.*

17. *Per caput alterius.*) Sic enim jurare consueverunt, unde & Ascan. sic jurat apud Virg:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.

18. *Aperto horto.*) Nam tunc fures non timebantur, verum postea, ut scribit Plin. sæva latrocinario cœpit præficere aspectus hortorum.

19. *Astræa.*) Satis urbane ostendit Poeta Justitiam, tanquam hominum sceleribus offensam una cum Pudicitia in cœlum evolasse. C. quod & Hesiodus & Aratus longo carmine decantarunt. *Astræa* autem dicta est Justitia, quod *Astræi* gigantis ex Aurora filia fuit.

20. *Hac comite.*) id est Pudicitia: hoc autem est ut versu Hesiodi, qui scribit Pudorem & Justitiam ætate ænea in cœlum ascendisse.

20. *Duæ sorores.*) Justitia enim & Pudicitia sorores fuerunt.

22. *Genium sacri fulcri.*) i. religionem matrimonii. Nam Genium Deum appellabant, qui vim obtineret rerum omnium gignendarum. *Genius* Deorum est filius & parens hominum, ex quo homines *gignuntur.* In honorem *Genii* lectus nuptialis sternebatur, qui *Genialis* nominabatur. Laberius vero ait: *Genium Deum esse generis nostri parentem.* unde illud est: *indulge Genio, & genialis agatur Iste dies.* Alii dixerunt *Genium* esse uniuscujusque loci Deum; Apul. vero *de Deo Socratis*, animum humanum, dum in corpore nostro situs est, dæmonem ait nuncupari, quem lingua nostra *Genium* vocare possumus: quoniam is Deus, qui est animus sui cujusque, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur. De *Genio* plura diximus ex sententia Censorini ad Pers.

Fundo merum genio. —

22. *Fulcri.*) i. lecti. Nam *fulcra* dicuntur ipsa ligna, quæ lectum *fulciant* & sustineant. Unde & Sidonius sellarum equestrium ligna *fulcra* appellat: *Alii sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant.*

25. *Sponsalia.*) Nuptiarum contractum, qui fit per stipulationem. Nam qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri: Qui daturus erat itidem, *spondebat* se daturum. is contractus stipulationum & sponsionum, *sponsalia* dicebantur. Tum quæ promissa erat, *sponsa* appellabatur, qui spoponderat ducturum *sponsus*.

27. *Pignus.*) Annulum, quo sponsus puellæ digitum induit. de quo more ita scribit Tertull. *Aurum nulla norat, præterquam unico digito, quem sponsus oppigneravit pronubo annulo.*

28. *Certe sanus eras.*) Ac si dicat, nunc sine contro-

troversia desipis, qui de uxore ducenda cogites.

29. *Qua Tisiphone.*) Quo furore, qua vesania agitatis? Nam per Tisiphonem omnes *furias infernales* intelligit, quæ tres a Poetis finguntur ad tormenta sceleste mentis & insaniam movendam destinatæ. Unde & Orestes *Furiis infernalibus* fingitur agitatus.

29. *Quibus colubris.*) Idem dixit, nam Furiis infernalibus dantur serpentes pro crinibus.

30. *Ferre potes.*) Ac si dicat, longe satius esset tradere se morti, quam connubium appetere.

30. *Ullam dominam.*) Facete autem uxorem *dominam* appellat, quasi quæ marito imperet.

32. *Æmilius pons.*) Unde te des præcipitem. Nam pons *Æmilius* est in via Flaminia distans ab Urbe ultra primum lapidem. [Gr.]

33. *Aut si de multis.*) Sed si tibi nullo modo placet oppetere mortem, nonne putes melius puerum habere, qui tecum dormiat, quasi dicat, illud vitæ institutum tibi magis est tenendum, quam ducere uxorem.

34. *Dormit Pusio.*) Illud attendendum est, quod *dormit* dixit, non *dormiat*. Innuit enim Ursidium turpiter pueros adamasse, nec possum hoc loco turpe Poetæ consilium non detestari, qui eo cæcitatis pervenerit, ut ea probet, quæ ab omni honestate sint penitus soluta. Quare illud maxime interpretantibus Poetam servandum esse censeo, ut quum in talia inciderint, aut illa in totum prætereant, aut si quid discendum rati fuerint, talia modeste legant, ut animos a tali turpitudine penitus avertant.

35. *Pusio.*) *Pusum*, ut auctor est Varro, puerum dixerunt, & *pusam* puellam, unde *pusio* pusillus puer id est adolescentulus, videturque vocabulum turpitudinem sapere & in cinædos convenire, unde Apul. *lib.* IX. *Milesi. At vero adulter bellissimus ille pusio inclinatam dolio pronam uxorem fabri superincurvatus secure dedolabat.*

37. *Lateri parcas.*) quod non coeas. *Latera* enim nimio libidinis usu offenduntur, unde Martial.

Rumpis Passe latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quos parasti.

Apul. *lib.* VIII. *Met. Sed diu vivas, & Dominis placeas, & pueris defectis lateribus consulas.*

38. *Sed placet Ursidio lex Julia.*) Ironicos. Non est, inquit, mirum, si Ursidius cogitat de ducenda uxore; nam non vult adulterii damnari; lex enim *Julia* lata erat contra adulteros, qua cautum erat, quo pacto adulterii deprehensi punirendi essent.

38. *Tollere.*) Hoc loco *educare*. Terent.

Quicquid peperisset, decreverunt tollere.

Valer. *lib.* VIII. *Quoniam hæreditatem absumere, quam hæredem maluit tollere.*

39. *Hæredem dulcem.*) Dulcem filium. Virg.

Nec dulces natos Veneris nec præmia noris.

39. *Turture.*) Hoc loco de *ave* magis intelligendum est, quam de pisce, nam *turturem* lautæ gulæ indicat fuisse Mart.

Quum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebit,
Et cochleas tibi habe, perdere nolo famem.

item alibi:

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Idem alibi:

Et concubino turturum nates donat.

nam quem Græci *trigona* piscem appellant, i. *turturem*, Latini *pastinacam* dicunt *martnam*, in cujus cauda præsentissimi veneni radius exstat.

41. *Quid fieri non posse.*) quasi dicat, si Ursidius uxorem ducit, putavero omnia vel præter naturam fieri posse, juxta illud Virgilii:

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

44. *Cista.*) Nam adulteri superveniente marito se solent occultari. unde Horatius:

— *An turpidi clausus in arca,*
Quo te demisit peccatis conscia herilis
Contractum genibus tangas caput? —

44. *Perituri Latini.*) ideo Poeta ait *perituri*, quia semper verebatur, ne delationibus *periret*, ut sit epitheton perpetuum Latini.

46. *Mediam venam.*) hoc est haurire sanguinem ex *vena media*, quod fieri solet in delirio. Physici enim tradunt in brachiis tres esse venas descendentes ab epate; quarum una basilica, altera cephalica appellatur, tertia, quæ in medio harum est, *media* dicitur sive *nigra*, sive *communis*, quæ in furore & delirio feriri solet.

47. *Delicias hominis.*) Acclamatio in derisum Posthumi, qui postulet & quærat mulierem antiqua illa bonitate, quum non inveniatur.

47. *Delicias hominis.*) ac si dicat, Delicatum hominem! qui putet se extra communem fortunam ponendum, ut habeat, quæ alii habere non possunt, ut alibi de Calvino:

Te nunc, delicias! extra communia censes
Ponendum. —

47. *Tarpejum.*) Capitolinum. Nam mons Capitolinus, ubi ædes erat Jovis. mons autem *Tarpejus* dictus est, a virgine Vestali *Tarpeja*, quæ ibi a Sabinis necata armis & sepulta, ejus nominis reliquit monumentum.

48. *Auratam.*) Nam victimæ majores, ut Plin. scribit, cornibus auratis duntaxat immolabantur. bene autem Junoni ait *Juvencam* mactandam. Juno enim nubentibus præesse dicitur. Virg.

Junoni

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ,
& alibi:

— *Pronuba Juno.*

Colebatur item *Juno* jugis in vico jugario. ut est apud Liv. Scribit Festus ita appellatam, quod nubentes *conjungeret.*

50. *Paucæ adeo Cereris.*) Tanta libidine mulieres flagrant, ut paucæ inveniantur matronæ pudicæ, quæ dignæ sint sacra Cereris legiferæ celebrabare. Dionys. *lib.* I. *Et sacrificia faciebant per fœminas, & Nyphalios, hoc est sobrias, & castas fœminas, ut lex est Græcis.* Prima enim Ceres, ut tradunt auctores, inter quos Plin. *lib.* VII. & Diodor. *lib.* VI. leges invenit. De cujus sacris ita Liv. *Sacrum anniversarium Cereris intermissum est, quia nec lugentibus facere id fas est, nec ulla illa tempestate matrona luctus expers fuerat.* Diod. quoque tradit *Cereris mysteria* antiquitate castimoniaque apud omnes homines vulgata fuisse.

51. *Pater oscula.*) Nam ex veteri instituto affines occurrentes osculo excipiebant, unde Plin. *lib.* XIIII. sic scribit: *Cato ideo propinquos fœminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent.* de hoc more, item Plut. in *Problem.* disputat.

53. *Unus Iberinæ.*) Ita loquitur Poeta, quasi Ursidius respondeat *Iberinam* uno viro contentam.

57. *Vivat Fidenis.*) Verba Juven. ad Posthum. quibus colligit non tam facile in urbibus, quam in agris Pudicitiæ locum esse. Sed tamen & in locis agrestibus & montanis multa per libidinem flagitia committi.

57. *Et agello cedo paterno.*) *Et* particula indignationem sæpe exprimit, ut illud Virg.

— *Et quisquam numen Junonis adoret!*

quasi invitus assentiat in agris caste degi, ut sit: concedo quidem ita esse, ut dicis, ut in agro quædam bene vivat. Sed quis tamen affirmet, in agris nihil impudicum agi?

59. *Senuerunt Juppiter & Mars.*) Per *Jovem & Martem* omnes mœchos intelligit. Nam *Juppiter & Mars*, ut ex Poetarum monumentis colligitur, mulierum maximi fuere stupratores.

60. *Porticibusne tibi.*) Percurrit Poeta locos, quibus frequenter mulieres conveniebant, uti erat porticus Livia, porticus Pompeja, theatrum. Unde Ovid. *lib.* I. *de Arte Amandi:*

Tu modo Pompeja lentus spaciare sub umbra,
Quum Sol Herculei terga leonis adit.
Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis,
Porticus: auctoris Livia nomen habet.

Est ergo sensus: Invenies ne in his locis tantopere celebratis a mulieribus aliquam, quæ honesta sit, & digna voto tuo.

61. *Spectacula.*) Theatra, nam & mulieres ad spectandos ludos in theatra confluebant. unde Ovid. in *eod.*

Sic ruit ad celebres cultissima fœmina ludos,
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.

61. *Cuneis.*) Sedilibus theatri. Nam *Cunei* dicuntur sedes theatri. Virg.

Nuncius Anchisæ ad tumulum, cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus. —

Tranq. *in Augusto: Prætextatis cuneum suum, & proximum pædagogis assignavit.*

63. *Cheironomon.*) Ita mulieres seculi nostri in libidinem sunt profusæ, ut vel lascivæ saltationis spectatione pruriant & corrumpantur. Unde Ovid. *de Remedio Amoris:*

Corrumpunt animos citharæ, cantusque, lyraque,
Et vox & numeris brachia mota suis.

63. *Cheironomon Ledam.*) [*Gr.*] Claudianus:

Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax. —

63. *Bathyllo.*) Mimus fuit. de quo & Persius:

Tres tamen ad numeros satyri moveare Bathylli.

64. *Tuccia vesicæ non imperat.*) id est Mulier pudica, qualis fuit *Tuccia* virgo Vestalis, quæ cribro sumta aqua ex Tiberi virginitatem suam probavit.

64. *Non temperat.*) id est Non compescit titillatum libidinis spectando ludos; ac per hoc docet, mores non modo turpia audiendo, sed etiam videndo facile corrumpi. Unde Massilienses debita laude fraudandi non sunt, qui in scenam nullum aditum mimis dederunt, quod eorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus, ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret. unde & Cyprianus *in Epist. Adulterium discitur, dum videtur, & quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo revertitur impudica.*

64. *Appula gannit Sicut in amplexu.*) Appula ad pruritum movetur & vocis murmure libidinem exprimit, ac si esset in amplexu hominis, dum spectat talem saltationem.

66. *Rustica.*) Rudis & imperita, an vere rustica, & & pagana, ut ostendat non modo mulieres urbanas, sed & rusticas spectaculis lascivis corrumpi.

66. *Attendit.*) Diligenter observat, ut discat.

67. *Aulæa recondita.*) id est Vela & ornamenta scenæ, ac per hoc ipsi ludi scenici, in quorum apparatu sunt ipsa aulæa & vela, cum ad ornatum, cum ad Solem arcendum. unde Horat. *in Epist.*

Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas.

68. *Clausoque theatro.*) Finitis ludis, *clauso* igitur *theatro*, quantum ad ludorum celebrationem, non quod ingrederentur, & instrumenta illa scenica pertractarent,

otiosæ, taliumque rerum valde studiosæ.

69. *Megalesia.*) Ludi Circenses, dicati a Junio Bruto. Liv. *Marcus Junius Brutus ædem magnæ Matris Deum in palatio dedicavit, & ludos ob eandem dedicationem factos Megalesia appellavit.* Tales ergo ludi magna cum voluptate totius populi celebrabantur.

70. *Subligar.*) Indumentum, quo histriones ad velandas partes corporis inferiores utebantur. Idem *subligaculum* dicebatur. Cic. *in Off. Scenicorum quidem mos tantam habere vetere disciplina verecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo.* Nam, ut scribit Dionysius, certatores scenici in ludis versabantur, reliqua parte corporis nuda circum pudenda velati.

71. *Thyrsum.*) Hastam involutam pampino, quali utebantur Bacchæ in sacrificiis Liberi patris. Talia enim omnia in theatro conservabantur.

71. *Urbicus.*) Aliud vitium notat in mulieribus: Capiuntur, inquit, amore scenicorum cantantium. Sed quum ii fibulati vocem suam vendant in recitatione fabularum, coguntur accepto precio solvere fibulas suas, ut coeant cum eis. Nam cantores scenici, ut gratiorem conservarent vocem, infibulabantur. Sed quum duplex sit fibulæ genus: Indumentum, quo non solum utebantur ad inguina tegenda, sed ut etiam a coitu comprimerentur, unde est illud Mart.

> *Menophili penem tam grandis fibula vestit,*
> *Ut sit comœdis omnibus una satis.*
> *Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in uno)*
> *Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ;*
> *Dum ludit media populo spectante palæstra,*
> *Delapsa est misero fibula, verpus erat.*

& tenuissimum filum, sive æneum, sive argenteum, quod præputio ab utroque latere super glandem perforato addebatur, id autem fiebat tum vocis conservandæ, tum valetudinis gratia, quod docet Corn. Celsus *lib.* VII. *Ænea fibula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manente sanguine tanquam O literæ ductus appareat.* Placet magis intelligamus de hoc genere fibulæ, quam de indumento, hoc enim modo vox magis servari potest.

72. *Gestibus Autonoes.*) Dum personam *Autonoes* sustinet in agenda ejus fabula. Nam *Autonoe* filia fuit Cadmi Thebarum regis, & mater Actæonis conversi in cervum, & a canibus discerpti. De *Autonoe* ergo scripta erat fabula.

72. *Hunc diligit.*) Hinc est indignatio Poetæ, quod delectata gestu viri scenici, statim in amorem ejus inciderit.

72. *Ælia pauper.*) id est Mulier nobilis, & pauper, ut ostendat non minus pauperes mulieres, quam divites libidinis æstu flagrare. Nam familia *Æliorum* fuit pauperrima. Eodem enim tempore sexdecim fuere *Ælii* Tuberones in unis ædibus, quibus unus tantum fuit fundus in agro Vejente, & in Circo Maximo, & Flaminio spectandi locus, quæ quidem loca ob virtutem publice donata possidebant. Valer. *lib.* IV. *cap.* IV.

74. *Tragœdo.*) Viro scenico, ut ostendat mulieres libentes sequi coitus virorum inhonestorum, unde sequitur

75. *An exspectes Quintilianus ametur.*) quasi dicat: mulieres viros sapientes & doctos non amant, utpote qui a tali turpitudine abhorreant. *Quintilianum* autem posuit pro omni viro sapiente & docto.

76. *Accipis uxorem.*) id est uxorem ducis, de qua liberos suscipient viri citharœdi, nam *Echion & Glaphyrus* nomina sunt citharœdorum. Martialis:

> *Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.*

Glaphyrus autem festivus, & jucundus, astutus, ornatus, politus dicitur.

77. *Fiat pater Choraules.*) Tibicen, qui in *choro* fistula canit, nam χορὸς dicitur tripudium, cœtus, chorus. αὐλὸς *tibia*, *fistula* & αὐλέω *tibia cano*, *Ambrosius* vero divinus & immortalis dicitur.

71. *Longa per angustos.*) Omnia per ironiam. Simus læti, & in signum lætitiæ nuptialis ornemus ædes nostras lauro, ut tibi infantem pariat uxor tua ex gladiatore.

78. *Figamus pulpita.*) In nuptiarum enim celebratione talia fieri solebant per Urbem, ut res ludicras agerent.

79. *Janua lauro.*) nam tota domus in nuptiis ornabatur lauro. Apul. *Miles. lib.* III. *Domus tota lauris obsita, tædis lucida constrepebat Hymenæum.* Statius *in nupt. Stell.*

> *Fronde virent postes, & fervent compita flammis.*

81. *Tibi Lentule.*) Tibi, o Ursidi Posthume, qui lanista videri poteris, quum domus tua repleta erit filiis gladiatoribus. Nam Lentulus Bardiacus lanista fuit, auctore Plut. nobilissimus.

80. *Conopeo.*) Lecto tuo. Nam conopeum velum proprie appellatur, quo maxime Alexandrini utuntur ad arcendos culices. Extendi enim circa lectum quaquaversum consuevit, quia ibi ex nido culices abundant. κώνωψ *culex* dicitur. [*Gr. & Vet. Schol.*]

80. *Testudineo.*) pro conopei forma capi potest. nam *conopeum* in testudinis formam suspenditur. S.

81. *Infans nobilis.*) qui filius tuus putabitur, & *nobilis*, quum tamen ex gladiatore natus erit.

82. *Nupta Senatori.*) Exemplo *Hippiæ* ostendit primarias mulieres intemperantiæ crimine non carere. Nam *Hippia* uxor Fabricii Vejentonis viri senatorii temporibus Domitiani, de quo Plin. meminit *in Epist.* ad Sempronium Ruffum, relicto marito secuta est gladiatorem abeuntem ex Urbe in Ægyptum. De hoc Vejentone

jentone intellexit ante in Satyr. III.

Et cum mortifero prudens Vejento Catullo.

Vir enim fuit senatorius, Nervæ familiarissimus.

82. *Ludum.*) Pro *ludium* posuit: Nam *Ludii* & *Ludiones* dicuntur histriones & viri scenici, a *ludo* nominati, sic etiam *ludiæ* dictæ sunt mulieres, pari modo se in scenis exercentes.

83. *Ad Pharon.*) *Pharos* insula est opposita Alexandriæ, eique ponte juncta, de qua egregie scribit Cæsar in *Comment.* seu Oppius pro eo: *Ejusdem nominis in ea est etiam turris, ex qua faces exferuntur tempore noctis, indicantes ibi portum esse navigantibus.*

83. *Formosaque mœnia Lagi.*) id est Alexandriam, quæ in Ægypto est. ubi & Pharos, & Nilus sunt, ut ostendat mulierem ad Ægyptios navigasse. *Mœnia* autem *Lagi*, Alexandriam intelligit. Nam Ptol. qui Alexandro successit *Lagi* fuit filius, unde & *Lagidarum* imperium cœpit, quod post multos annos morte Cleopatræ eversum fuit.

83. *Famosa.*) Infamia, aut quia, ut testatur Strabo, omnes post tertium Ptolom. male vixerunt deliciis corrupti, omnium vero pessime quartus & septimus & ultimus Auletes, aut quia ibi *Pompejus* perfide occisus fuit a Ptolomæo, aut quia in propinquo Canopi sit fossa nocte dieque cymbarum plena, in quibus mulieres & viri impudenter canunt & lasciviunt. Sic enim & Cæsar apud Lucanum *in v.* I. appellat *regna famosa* ignava & imbellia, quum hortatur milites adversus Pompejanos:

Ite per ignavas gentes, famosaque regna.

84. *Canopo damnante prodigia.*) id est Canopo lasciva non probante mores Urbis, ut sit sensus, licet Canopitani lascive & turpiter viverent, damnabant tamen mores Romanos, & tantam impudicitiam veluti prodigiosam; quasi qui tantum flagitium ipsi non committerent. [*Gr.*]

86. *Nil patriæ indulsit.*) Nihil pensi habuit, quo minus patriæ suæ dedecori esset. Nullum habuit patriæ respectum, quominus id ageret, debuit enim ratione patriæ tanto scelere abstinere.

87. *Utque magis stupeas.*) Magis mireris. publicam autem Romanorum (quod sæpe facit) delidiam taxat, qui tanto tempore ludis scenicis Circensibusque delectarentur: quasi dicat, illud maxime est mirandum, quomodo, etiamsi filios relinqueret, ludos Circenses relinquere potuerit, ex quibus tantam universi caperent voluptatem.

87. *Paridem.*) hoc est Ludos scenicos, Paris enim Pantomimus fuit temporibus Domitiani, ei acceptissimus.

87. *Ludos*) Scenicos & Circenses, quibus tota civitas tenebatur. alibi:

Si potes avelli Circensibus. ——

88. *Sed quanquam in magnis.*) Licet molliter in domo paterna esset educata, contemsit hæc tamen labores, & maritima tædia.

89. *Cunis.*) *Cunæ & incunabula* dicuntur lectuli puerorum, unde & *Cuninam* Deam Veteres colebant, quod præesset *cunis* & infantulis.

89. *Segmentatis.*) Quæ multis ornatæ fuissent segmentis. C. i. vermiculato emblemate pictis, vel prælegminibus, id est tenuissimis ligneis tessserulis, ac varie coloratis & ornatis, quibus etiam hodie uti solent nobiliores. S. *Segmenta* etiam ornamenta sunt muliebria, ut docet Valerius *lib.* v. de Gratis. Ergo *cunæ* talibus ornatæ erant *segmentis.* nomen autem deductum videtur a *secando*, id est dividendo & distinguendo. Vid. ad *Sat.* II.

90. *Contemsit pelagus.*) Neglexit duros labores, & pericula maris.

60. *Famam contemserat olim.*) Non mirum eam mare contemsisse, quæ jam famam flocciseccerat, ut ostendat eas mulieres, quæ pudicitiam suam imminuere, ad omnia esse audaciores, quam honestas, nihilque expavescere, quod bonis esset formidabile.

91. *Minima est jactura.*) id est Cujus minimam putant esse jacturam, & minimum damnum, quum eam amiserint.

61. *Molles cathedras.*) id est Apud fœminas, quæ molliter & ociosæ sedent in cathedris, nihil operis facientes.

92. *Tyrrhenos fluctus.*) Mare inferum, Tyrrhenum dictum, quod littus Tyrrhenum radat. Nam mare a locis, quæ alluit, nomen accipit, ut *Siculum*, quod Siciliam, *Rhodium*, quod Rhodum, *Ionium*, quod Ioniam radit.

94. *Justa pericli.*) Si forte navigandum sit aliqua justa & utili caussa, mulieres statim timent, nequeuntque ferre navigationem.

99. *Tunc.*) quum maritus jubet, & honesta est caussa navigationis.

99. *Sentina.*) Navis fundus, quo tota decurrit aqua, *sentina* dicta, quod maxime puteat & *sentiatur.* Valer. *lib.* II. *cap. de disciplina militari*, videtur accepisse pro ipsa aqua, quæ in fundo navis corrupta teterrimi est odoris, ut facile navigantibus nauseam moveat. sic enim scribit: *Hac turpi & erubescenda sentina vacuefactus exercitus noster.*

99. *Vertitur aer.*) Aeris quædam vertigo oculis oboritur.

100. *Illa.*) quæ maritum sequitur, nauseat & vomit. C. Rationem autem physicam noscere si cupis, cur mare navigantibus nausea moveatur, vide C. Rhod.

Rhod. *lib.* XXVI. *cap.* XIII. S.

102. *Rudentes.*) Funes navium dicuntur *rudentes*, quod flantibus ventis *rudere* videntur.

103. *Qua tamen exarsit forma.*) Hac interrogatione acrius lacerat Hippiam, quod non formam, quæ nulla erat in homine, sed quia arma tractaret, secuta sit gladiatorem.

105. *Nam Sergiolus.*) Ratio, quare in homine nihil esset, quod amaretur, nam omnem formam exuerat. barbam enim totum guttur vestientem radebat, ut ostendat illum grandioris fuisse ætatis, sed quia gladiator erat, placebat admodum. nam tales putant *Hyacinthos*, hoc est formosos & gratiosos, qualis fuit *Hyacinthus* puer dilectus ab Apolline, quem constat ludentem disco a Borea irato, quod magis Apollinem amaret, interemtum, mutatumque ab Apolline in florem nominis sui. *Sergiolus* autem nomen fuit gladiatoris, forma diminutiva per contemtum.

106. *Requiem.*) Missionem, quæ gladiatoribus dabatur, quum aliquo fuissent debili membro. Martialis:

Nuper quum Myrino peteretur missio lasso,

donabantur enim rude. Unde sequitur:

— *Sergius idem*

Accepta rude cœpisset Vejento videri.

107. *Sicut Attritus galea.*) id est contusus multo attritu galeæ & deformatus, ita ut mirum videri possit, quod ab Hippia sit dilectus.

109. *Gibbus.*) Eminentia & tumor. nam *gibbus* nascitur in quacunque parte corporis.

111. *Hoc pueris, patriæque.*) Pluris fecit gladiatorem, quam filios, quam patriam, quam sororem, quam maritum, quos omnes præ gladiatore contemsit, atque reliquit.

112. *Ferrum est, quod amant.*) Amant eos, quod arma pertractent, ut viros ad coitum validos.

113. *Cœpisset Vejento videri.*) Si forte Sergius gladiator rudem accepisset, id est missionem imperrasset, statim ab Hippia derelictus esset, sicut & Vejento maritus, nam illum alterum Vejentonem existimasset, ut ostendat illum tantum placuisse, quia arma tractaret.

113. *Accepta rude.*) *Rudis* virga erat, qua gladiatores impetrata missione donabantur, erat enim signum missionis artis gladiatoriæ. Unde Horat. metaphoricos ait:

Spectatum satis & donatum jam rude quæris

Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.

Cic. *in* II. *Philippica: Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti.*

115. *Respice rivaleis.*) Vult Poeta ostendere non modo privatas mulieres, sed & primarias principumque uxores intemperantes impudicasque esse: hocque probat exemplo Messalinæ uxoris Claudii Cæsaris, de qua ita scribit Plin. *lib.* VII. *Ceteris satietas in coitu, homini prope nulla. Messalina Claudii Cæsaris conjunx regalem existimans palmam, certam elegit nobilissimam ex prostitutis ancillam mercenariæ stipis, eamque die ac nocte superavit quinto & vicesimo concubitu.* Et Tacitus: *Jam Messalina facilitate adulteriorum in fastidium versa ad incognitas libidines profluebat.*

115. *Rivales Deorum.*) Cæsaris intelligit, qui rerum domini æmuli quodammodo Deorum habebantur. Unde exstat illud:

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Rivales autem dicuntur proprie, auctore Ulpiano, qui per eundem *rivum* aquam ducunt: metaphoricos autem illos dicimus *rivales*, qui pari animorum affectu ad aliquid habendum studium suum conferunt.

116. *Cubili palatino.*) Imperatorio, nam Imperatorum sedes & domicilium erat in palatio.

118. *Meretrix Augusta.*) Cæsarea, nam Cæsarum uxores dicebatur Augustæ.

118. *Cucullos.*) *Cucullus* genus est vestis villosæ, de quo abunde ad III. *Sat.*

119. *Comite ancilla.*) Quum ad fornicem meretricium descenderet, nam unam tantum nobilissimam ex prostituris elegerat, quam quinto & vicesimo concubitu die & nocte superavit.

120. *Crinem nigrum.*) Nam matronis capillus flavus non concedebatur, sed *niger* tantum: contra *flava* coma dabatur meretricibus, ideo Virgil. volens ostendere Didonem impudicem, ait:

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem;

Abstulerat. —

ergo Messalina, ne agnosceretur, *galero* vitium texit.

120. *Galero.*) *Galerum* sive *galerus* genus est pilei. Virg.

— *Et temperat astra galero.*

Idem:

— *Nec Arcadii bene protegit umbra galeri.*

Eo peculiariter utebantur pontifices, unde Apul. I. *Apolog. Veruntamen hæc Diogeni & Antigeni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituum Auguribus.* Unde & Gellius de Flamine Diali: *Is solum galerum habet album: Galero* post crepusculum arrepto solitus est Nero popinas inire circumque vicos vagari, auctor Tranquil. a *galero* fit per diminutionem *galericulus* pro parvo pileo, sed accipitur etiam pro coma ex alienis capillis compacta instar *galeri*, qua nonnulli utuntur ad dissimulandam capillorum raritatem, quod fecit Otho. de quo Tranq. *Vulso corpore galeri-*

galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo cognosceret. Eundem ipsum *capillamentum* appellavit Tranquillus *in Calig. Ganeas atque adulteria capillamento celatus, & veste longa noctibus obiret.*

121. *Lupanar.*) Fornicem meretricium, a lupis dictum. meretrices enim dictæ sunt *lupæ*, quod non minus ad quæstum sunt avidæ, quam lupi ad cibum.

121. *Calidum.*) Nimia frequentia celebratum.

121. *Veteri centone.*) id est cum centone veteri, quo cellam sterneret. Nam *Centones* ex pannis laneis diversorum colorum, aut lanis in unum condensatis, atque consutis conficiebantur, in usum etiam castrorum erant, sicut & Ciliciæ. hinc *Centonarii* dicebantur, qui Centones conficerent: unde & in saxis legimus collegium Centonariorum. Strab. *lib.* VII. *Nomades etenim tentoriis utuntur, centonum instar pilo contextis in plaustris vitam degentes.* Cæsar *in Comment. Centonesque injecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis latericium discuterent.* Cato in *Re Rustica*: *Quotiescunque tunicam, aut sagum dabis, prius veterem accipito: unde Centones fiunt.*

122. *Atque suam.*) Quam sibi elegit, ubi prostaret.

123. *Auratis.*) Pulcris vel auro exornatis.

123. *Mentita titulum.*) Nam cellis meretriciis adhibentur inscriptiones, & nomina sua. Mart.

* *Intrasti quotiens inscriptæ limina cellæ.*

Sen. *Deducta & in lupanar, accepisti locum, precium est constitutum, Titulus inscriptus est.*

124. *Britannice.*) Britannicus ex Messalina, & Claudio natus est, quem primo Germanicum, mox Britannicum cognominavit, eum vicesimo imperii die, inque secundo consulatu natum, sibi parvulum etiam tum & militibus, pro concione manibus suis gestans, & plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens assidue commendabat. hunc postea Nero ab Agrippina matre edoctus veneno per Locustam temperato sustulit in cœna. hæc Tranquill.

124. *Ventrem tuum.*) Ubi conceptus fuisti, & editus.

128. *Tristis abit.*) Non expleta libidine sua.

128. *Quod potuit.*) Quod sibi per lenonem licuit, nam ut esset omnium ultima ad egrediendum, non est a lenone denegatum.

129. *Adhuc ardens.*) Adhuc libidine æstuans.

129. *Tentigine.*) Tendore & pruritu libidinis, ab extendendo. quia virilia *extenduntur.* Unde in *Carmine obscœn.*

Turpe quidem dictu, sed ne tentigine rumpar.

129. *Vulvæ.*) Hoc loco abusive posuit *vulvam* pro parte genitali.

129. *Rigidæ.*) Extentæ & erectæ. Virg. in *Buc.*

— *Tum rigidas motare cacumina quercus.*

130. *Nondum satiata.*) Nam *libido* nunquam satiatur, & exstincta reaccenditur. Plin. *Ceteris satietas in coitu, homini nulla.*

131. *Genis.*) Malis, hoc loco. Nam *genæ* proprie dicuntur palpebræ superiores & inferiores, quæ oculos tegunt & tuentur. Extremum ambitum *genæ* superioris antiqui *cilium* vocavere, unde & *supercilia.* Infra oculos *malæ* homini tantum sunt, quas prisci *genas* vocabant. Hæc ex Plin. & Cic. *de Nat. Deor.*

131. *Obscuris.*) Ex fumo lucernæ, & crebris osculis.

132. *Ad pulvinar.*) Ad lectum mariti. *Pulvinaria* proprie sunt lectuli, qui, ut scribit Servius, in templis sterni consueverunt in honorem Deorum, unde *lectisternia* nuncupantur. in illis simulacra Deorum recumbentia collocabantur: dicta autem *pulvinaria*, quasi *pulminaria.* plumis enim, aut tomento replebantur: abusive ergo hoc in loco *pulvinar* posuit pro lecto.

132. *Odorem lupanaris.*) Non expones prostibuli, sed fornicis meretricii. Nam *prostibulum* non pro loco accipimus, sed pro ipso scorto.

133. *Hippomanes carmenque loquar.*) Narrabo nunc veneficia, quæ ab ipsis mulieribus pertractantur, quæ etiam ipsis adulteriis sunt graviora.

133. *Hippomanes.*) Caruncula est, auctore Plinio, quæ magnitudine caricæ nascitur in fronte pulli equini, colore nigro, quod statim edito partu fœta devorat, alioquin partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat. hoc autem est amoris veneficium. *Hippomanes* item ostendit Virg. *in Georg.* esse virus, quod ab inguine equæ defluit, quum amoris agitatur furore:

Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.

Virgilio accedit Tibullus, & Colum. Vide Aristot. *de Nat. Animal. lib.* VI. *cap.* XXII. S.

133. *Carmen.*) Incantamenta, & verba malefica, quæ veneficiis addi solent, ut supra Virgilius ait.

133. *Coctumque venenum.*) Coquitur enim, quum paratur ad necem hominis. Unde Nero coegit (ut scribit Tranquillus) Locustam coram se in cubiculo venenum, quo sustulit Britannicum coquere, quod iterum ac sæpius recoctum porcello objecit.

132. *Privigno.*) Dictus est *privignus*, quod antequam noverca nubat, & in novam familiam eat, *progenitus*

genitus sit: *pri* enim antiqui, auctore Festo, ponebant pro *præ*.

134. *Faciunt graviora.*) quam sint adulteria.

135. *Imperio sexus.*) hoc est Infirmitate sexus fœminei, qua ad omne flagitium facile impelluntur.

135. *Minimumque libidine peccant.*) Si reliqua scelera volueris considerare, minimum est, quod peccant libidine, & re venerea.

136. *Optima sed quare Cesennia.*) ostendit Poeta avaritiam sui temporis, notans mulieres censeri non ex moribus, sed ex dote & divitiis.

137. *Tanti vocat ille pudicam.*) Ob illam dotem, uxorem suam probat, & honestam pudicamque vocat.

138. *Nec pharetris Veneris macer est.*) Si uxorem suam diligit, amor ille non provenit ex aliquo libidinis ardore, sed a dote, quam tulit.

139. *Libertas emitur.*) Juxta illud Plautinum in *Asin.* *Argentum accepi, dote imperium vendidi, dotem accepi, libertatem vendidi.* Nam maritus, qui grandem accepit dotem, est veluti uxoris servus.

139. *Coram.*) Potest uxor dives præsente marito amatoribus suis & innuere & scribere, neque enim is quicquam audet mutire.

140. *Vidua est locuples.*) Mulier, quæ grandem tulit dotem, ex arbitrio omnia in domo mariti agit, ac si maritum non haberet. *Vidua* dicta est, quod a viro sit *divisa* & separata. Nam *iduare* Hetrusca lingua, auctore Macrob. est *dividere*, unde *Vidua* quasi *valde idua*, id est *valde divisa*, aut *vidua* quasi *vere idua*, id est *divisa*.

141. *Cur desiderio.*) Ostendit etiam mulieres diligi, non propter pudicitiam, sed propter formam.

142. *Tres rugæ subeant.*) si in senectutem declinet, & jam rugosa fiat.

143. *Cutis arida.*) Quæ exhausto succo laxior fit & flaccida.

144. *Dentes obscuri.*) i. putridi. nam putrescentes nigrescunt. C. S. C.

144. *Oculique minores.*) Quod fieri solet in senectute, humore deficiente. C. S. C.

148. *Calet.*) Non friget in domo, sed prompta & calens ad omnia tractanda, unde sequitur *regnat*, id est ex arbitrio omnia administrat & imperat.

149. *Ovem Canusinam.*) Appulam. Nam lanam Appulam præcipuæ fuisse nobilitatis indicat Plin. *Lana autem laudatissima Appula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur, alibi Italica.* *Canusium* autem oppidum est Daunorum in Appulia. De *lana* autem *Canusina* ita Plin. *Hispania nigri velleris præcipuas habet, Pollentia juxta Alpes, Canusium rutuli, quas erythras vocant.* ἐρυθρὸς enim *rubrum* significat, hinc est Canusinatus *Canusinam* indutus vestem. Martialis:

Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Et Tranquillus *in Neron. Canusinatos muliones appellat.*

149. *Ulmos Falernas.*) id est Vineta Campana. Nam ager *Falernus* in Campania est dictus ut scribit Silius Italicus, a *Falerno* agricola, qui primus eas vites coluisse dicitur. Secundam nobilitatem *Falerno* vino dedit Augustus, quum Setinum vinum cunctis prætulisset. Martialis:

— *Scelus est jugulare Falernum,*
Et dare Campano toxica sæva mero.

Nigri coloris fuisse indicat Martialis:

Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno.

Austerum fuisse docet Persius:

— *Indomitum quod despumare Falernum*
Sufficiat. —

150. *Quantulum in hoc.*) Poscit minimum in hoc, id est in prædictis, ac si dicat, hoc minimum est præ aliis, quæ petet.

150. *Omnes pueros.*) Magnum servorum gregem, scilicet poscit, quod plus est, quam prædicta.

150. *Ergastula tota.*) Servi ad opus faciendum destinati in compedibus vincti tenebantur, unde alibi:

Squalidus in magna fastidit compede fossor.

Florus: *servitia* (*proh nefas!*) *& ergastula armantur.* Plinius: *Coli rura ergastulis pessimum est, ut quicquid agitur a desperantibus.*

151. *Et habet vicinus.*) Importunitatem, invidiamque mulieris attende, quæ doleat, se non habere, quod habet vicinus.

152. *Mense quidem brumæ.*) Navigabit maritus imperante uxore etiam tempore hyemali, quo ingentia navigantibus pericula imminent, & frigora obstant.

152. *Brumæ.*) Parte, in qua dies sunt breviores, & noctes longissimæ.

153. *Clausus.*) i. domi se continet clausum propter frigora, & ventos sævientes.

154. *Crystallina*) vasa, quæ in magno erant precio. *Crystallum* fit auctore Plin. gelu vehementiore concreto, nec alibi certe, quam ubi maxime hibernæ nives rigent, glaciemque esse certum est, unde nomen Græci dedere; nam & κρύος gelu significat, στέλλω contraho, unde *crystallum* i. e. gelu contractum.

154. *Maxima Myrrhina.*) id est vasa ex myrrha. Lucanus:

— *Non erigit ægros*
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus,
Non auro myrrhaque bibunt. —

Martialis:

Sic calidum potas ardenti myrrha Falerno:
Convenit & melior fit sapor inde mero.

Oriens, ut tradit Plin. *myrrhina* mittit, humorem sub terra putant calore condensari.

155. *Ada-*

155. *Adamas notissimus.*) Adamas maximum in rebus humanis habet precium inter gemmas, diu non nisi regibus, & iis admodum paucis cognitus, & quo carior teneatur, adamanti magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum & iracundias domet. Hæc Plin. qui multa de *adamante* scribit *lib.* XXXVII.

158. *Sabbata.*) Q. Deus per dies sex conditis mundi operibus septima die requievit, ab operibusque cessavit. Idcirco jussit, ut eo die Judæi vacationem haberent, & nihil præter divinum cultum procurarent. unde & *sabbatum* eorum lingua appellatum, quod requiem, vacationemque significat. Sic Moses *Gen.* II. & Josephus *Antiq. Jud. lib.* I. *cap.* I. Ex quo error eorum reprehenditur, qui aliter scribunt. S. Nam Moses Damascena patria antiqua repetita, montem Sinai occuparit, quod septem dierum jejunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, quum tandem venisset, septimum diem more gentis *sabbatum*, id est *diem quietis* appellatum in omne ævum jejunio servavit, quoniam illa dies famem eis, erroremque finierat. De *Mose* autem meminit Strabo, Cornelius Tacitus, Trogus. ergo observant festa sabbata, id est celebrant & jejunio & omnium operum intermissione. quiescunt enim & jejunant. De jejunio Tranquill. *in August. Et rursus ne Judæus quidem, mi Tiberi, diligentius sabbatis jejunium servat, quam hodie ego servavi.* unde dicti sunt *Sabbatarii.*

158. *Mero pede.*) Nam Judæi pedibus nudis sacra sua peragunt, quæ a Tertulliano & Hieronymo *nudipedalia* dicuntur. Josephus *lib.* II. *Bell. Jud. Berenice regina, ut Deo vota solveret pro salute, Hierosolymam venit, & pro more hostiis cæsis, capillisque derasis, nudipes ante tribunal stetit.*

159. *Senibus porcis.*) Senescunt ex lege Mosis *porci* apud Judæos, ut scribit Tacitus, quia Judæi carne *porcina* abstinent. Unde Augustus Cæsar, quum audivisset inter pueros, quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, mira urbanitate fertur dixisse: *Melius est Herodis porcum esse, quam filium.*

160. *Nullane de tantis.*) Alia interrogatio ad Juvenalem, qua omnino respondens Juven. concludit, nullam exstare mulierem, quæ ab omni parte sit perfecta. Nam licet, inquit, omnia adsint mulieri, quæ maxime in muliere perfecta esse debent, uno vitio laborabit, quod omnibus his bonis præponderabit. erit enim superba.

162. *Intactior.*) Continentior, quam fuerint Sabinæ mulieres, quæ, antequam a Romanis imperante Romulo raptæ sint in juta maritorum, pudicissimæ fuit habitæ. [*Gr.*] Liv. I. *lib.* Ovid. *in* III. *Fast.*

Quum raptæ veniunt inter patresque virosque,
Inque sinu natos pignora chara tenent:
Ut medium campi scissis tenuere capillis,
In terram posito procubuere genu.

165. *Quis ferat uxorem, cui constant omnia.*) Quasi dicat eam ex tantis bonis insolentem superbamque fieri.

165. *Quis ferat.*) Quis possit ferre & sustinere mores ejus, quæ postea ita superbiat?

165. *Cui constant.*) Cui suppetunt, & adsunt. Virgilius:

Postquam cuncta videt cælo constare sereno.

165. *Omnia.*) qualia prædiximus.

166. *Malo Venusinam.*) Ostendit Poeta mores mediocris mulieris plerumque esse faciliores, quam potentis & nobilis matronæ. Malo enim uxorem mulierem Appulam, quam Romanam generosam, qualis fuit Cornelia Africani superioris filia, quæ ex Tiberio Graccho duos suscepit Gracchos, Cajum & Tiberium, qui eloquentia & popularitate freti leges Agrarias reip. perniciosas promulgarunt. Hanc autem Poeta in exemplum superbiæ matronarum nominat, quod frequenter, ut scribit Plutarchus, gauderet facta Scipionis primi commemorare, & jactare.

166. *Malo.*) scilicet uxorem.

167. *Si affers supercilium.*) hoc est, si te superbam præstas in tantis virtutibus & bonis tuis. Nam in supercilio hominis gravitas consistit, & sedem habet. unde Poeta ille carmen obscœnum scripturus arcet a se lectorem gravem & severum.

Carminis incomti lusus lecture procaces,
Conveniens Tatio pone supercilium.

Supercilia autem appellamus, quæ supra oculos pilis vestita sunt, quæ natura homini dedisse videtur, ut sudorem a capite & fronte defluentem repellant, in qua opinione est Cic. *de Natura Deorum.*

167. *Cum magnis virtutibus.*) Nam insignis fuisse probitatis declarat Valer. quod matronæ Campanæ, quæ ad eam diverterat, ornamenta sua pulcerrima ostentanti dixerit, quum filios suos a schola redeuntes vidisset, & hæc sunt, inquit, ornamenta mea. Eam etiam magnæ fuisse eruditionis Quintil. ostendit his verbis: *Nam Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accipimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque est epistolis traditus.*

168. *Triumphos*) & paternos & majorum suorum. Scipio enim pater ejus devicta Carthagine, quam tributariam fecit, amplissimum nobilissimumque egit triumphum. Q. Terentius Culeo senator pileatus secutus est.

169. *Tolle tuum, precor, Hannibalem.*) Aufer istas de majoribus tuis jactationes de victoria *Hannibalis & Syphacis.*

phacis. Nam *Hannibal*, quem Carthaginenses multis Scipionis victoriis in desperationem acti, in auxilium publicæ salutis ex Italia revocaverant, Isque ex Italia sexto decimo anno discedens, quum pacem per colloquium cum Scipione componere tentasset, nec de conditionibus pacis convenisset, a Scipone acie victus est, a quo & *Syphax* Numidiæ rex, qui se Afris conjunxerat, captus est, & cum nobilissimis Numidis, & infinitis spoliis Romam missus fuit.

170. *Cum tota Carthagine.*) Discede cum ista tua jactitione Carthaginis victæ a patre tuo. Cujus historiæ series ita se habet: Carthaginienses primum magnam partem maris tenuerunt. Inde Siciliam, Sardiniam, Corsicam, aliasque insulas imperio occuparunt. septingentis deinde annis Romani, ex quo Urbem Romam condiderunt, Siciliam Carthaginensibus abstulerunt, inde Sardiniam, secundo autem Punico bello Iberiam omnem Pœni, Italiam omnem duce Hannibale depopulati sunt. Romani contra Scipione superiore duce Carthaginem ceperunt feceruntque tributariam. post facta sunt fœdera, quæ ad quinquaginta usque annos perduraverunt. Post tertium inchoatum bellum Scipione inferiore duce Carthago subversa est.

171. *Parce, precor, Pæan.*) Niobe Tantali filia uxor Amphionis Thebani XIIII. filiis fœcunda mulieres cœpit Thebanas increpare sacrificantes Latonæ: sibi, non Latonæ facienda esse sacrificia, seque ei sobolis numero & claritate esse anteponendam. Apollo & Diana materna contumelia indignati, filios Niobes ante portam Urbis ludentes ad unum sagittis confixerunt, mater autem in Sypilum saxum conversa est, auctor Ovid. *in Metamorph.* Cicer. III. *Tusc. Niobe fingitur lapidea propter æternum credo in luctu silentium.* Amphion autem pater motus pietate quum filios cerneret sagittis configi, clara voce clamavit: *parce, precor, Pæan filiis*, qui nihil in te commeriti sunt, ipsam autem matrem, quæ vos injuria affecit, occidite. De numero filiorum Niobes, mira propemodum atque ideo ridicula, auctore Gellio, tradita sunt a Græcis. Nam hominis pueros puellasque ejus *bis senos* fuisse tradidit Euripides, *bis septenos* Sappho, *bis novenos* Bacchilides, & Pindarus *bis denos*: quidam alii *tres* solos fuisse tradiderunt, quorum omnium diversas sententias, ne uni magis, quam alii sese addiceret appellatione gregis complexus est Juven. hancque Niobes fabulam commemorat, ut mulierum superbiam notet, quæ multorum sæpe malorum caussa fuit.

171. *Pæan.*) Bene autem *Pæana* appellavit. Nam quum Solis maximi effectus sint, alter quo calore temperato mortalium vitam juvat, alter quo jactu radiorum nonnunquam pestiferum immittit virus, duo eademque cognomina circa singulos effectus propriis enunciationibus signant, appellantes Deum ἰήιον atque παιᾶνα, quæ cognomina utrique effectui sunt apta: ut sit ἰήιος ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id est a *sanando*, & *Pæan* ἀπὸ τοῦ παίειν, i. a *feriendo*: sagittis enim ferire dicitur Deus, tanquam sagittarius, quod ideo fictum est, quia, ut scribit Macrobius, jactu radiorum nonnunquam pestiferum immittit virus. Ideo autem simulacra Apollinis arcu & sagittis decorantur, ut per *sagittas* intelligatur vis emissa radiorum.

172. *Nil pueri faciunt.*) Græca consuetudine *pueros* pro filiis posuit. Horatius:

Dicam & Alcidem, puerosque Ledæ.

173. *Contrahit.*) Tendit. Arcus enim cornua *contrahuntur*, quum sagitta extenso nervo mittitur.

174. *Extulit.*) Occidit. Nam *efferri* proprie dicuntur mortui, quum ad busta feruntur.

174. *Ipsumque parentem*) Amphionem. Hunc tradunt fabulæ Jovis ex Antiopa filium fuisse, quem Plin. *lib.* VII. scribit citharam invenisse, primumque cithara cum voce cecinisse, unde fictum est dulcedine cantus ad muros Thebanos exstruendos saxa traxisse. Horatius:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda,
Ducere quo vellet. —

175. *Gente Latonæ.*) *Apolline & Diana*, qui filii fuerunt Jovis, & Latonæ. vel *gente Latonæ*, id est genere & majoribus *Latonæ*, quæ filia fuit Cæi ex gente Titanum. Ovidius VI. *Metamorph.*

— *Genitam Titanida Cæo.*

176. *Alba scrofa.*) Ad scrofam Æneæ respexit, quæ Lavinii uno partu, ut scribit Virg. triginta edidit porcellos albos, quod portendebat futurum, ut Lavinienses post triginta annos oppidum Albam conderent, quæ ab Ascanio ædificata *Alba* Latina lingua, Græca *Leuca*: discretionis autem caussa distinxit eam ab urbe altera ejusdem nominis, figuram urbis nomini adjungens, & est velut compositum jam nomen ex ambobus

176. *Alba longa.*) id est *Leuca macra.* Hæc Dionysius. hujus suis & porcorum simulacra ab Ænea in publico posita fuerunt, & corpus matris sacerdotibus, quod in salsura fuerat, demonstrabatur.

177. *Quæ tanti gravitas.*) Monet Poeta hominem nulla mulieris gravitate, nec forma adduci debere, ut ducat uxorem, a qua quotidie jurgiis contumeliisque onerandus sit: sicque ostendit nullam mulierem, secundum dictum Terentianum, inveniri, quæ vitio careat.

177. *Quæ gravitas tanti.*) Tantine facies gravitatem, aut formam in muliere, ut velis quotidianis jurgiis contumeliisque esse obnoxius?

177. *Tibi*

177. *Tibi semper imputet.*) Tibi semper insultet.

178. *Hujus enim rari boni.*) Licet mulierem invenias gravem & formosam, quod bonum rarum est & magnum, tamen inde tibi nulla erit voluptas, quia plena erit jurgii, & contentionum, quæ nunquam te sinat esse quietum.

178. *Rari.*) Quod raro invenies, ut in muliere sit *forma* pariter & *pudicitia*. Juven.

— Rara est adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ. —

178. *Summi.*) Neque enim quicquam potest esse majus in muliere, quam ut *formam* pudicitia & honestate venustet.

180. *Plus aloes.*) Plus amaritudinis. Nam *aloe* gustu amara, & gravis odoris est, In India nascitur. Plinius *lib.* XXVI.

181. *Septenis horis.*) Plus etiam quam dimidia parte diei, adeo importuna est & querula mulier semper viro adversatrix.

182. *Sed non toleranda maritis.*) Reprehendit mores mulierum sui temporis, quæ, ut viderentur balbæ, æmulatione Laidis meretricis verba Græca usurpabant, quibus etiam turpia inserebant.

183. *Non toleranda maritis.*) Quæ mariti, ut turpia, pati non debent.

184. *Quid rancidius.*) Quid putidius;

185. *De Tusca.*) De Romana muliere & Latina. contermini enim sunt *Romani* & *Tusci*.

185. *Græcula.*) Ironicos per diminutionem dixit.

186. *De Sulmonensi.*) De Italica. Nam *Sulmo* oppidum est in Pelignis, patria Ovidii a Solemo Æneæ socio dictum. Ovid. *in* IIII. *Fastorum*:

Serus ab Iliacis & post Antenora flammis,
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solemus Phrygia comes unus ab Ida:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Et Silius Italicus:

Nomine Rhetæo Solemus jam Dardana origo,
Et Phrygio genus a proavo, qui sceptra secutus
Æneæ, claram muris fundaverat Urbem
Ex sese dictam Solemon. celebrata colonis,
Mox Italis, paullatim attrito nomine Sulmo.

186. *Cecropis.*) Atheniensis, a Cecrope, qui in Attica regnavit. Et quia Græcorum quinque sunt linguæ, Ionica, Dorica, Æolica, Communis, & *Attica*, quarum omnium Attica elegantissima habetur, ideo meram Atheniensem Satyrice appellavit, deridens etiam inane mulierum studium, quæ etiam in omnibus negotiis affectent sermonem Græcum.

186. *Omnia Græce*) loquuntur: ironicos autem hæc dicuntur, ostenditque turpe esse tantopere linguam peregrinam affectari.

188. *Pavent.*) Affectus omnes exprimunt.

188. *Quid ultra*) dicant.

189. *Concumbunt Græce.*) Non modo Græcos sermone, sed & turpi concubitu æmulantur.

190. *Dones tamen ista puellis.*) Potest quidem hoc tolerari, si puellæ faciunt: verum in vetula muliere turpissimum est: hinc autem est omnis Poetæ indignatio. ostendit enim eam anum intra pudicitiæ terminos non contineri, quæ sermone Græco obscœno utatur, & domi & foris. Nam oratio uniuscujusque interioris sensus indicium est.

191. *Tune etiam.*) Acri reprensione hæc dicuntur a Poeta.

194. *Ζωὴ καὶ ψυχή.*) *Vita & anima.* sunt enim verba blanda & meretricia, quibus impudicæ mulieres utuntur in coitu. [*Gr.*]

194. *Modo relictis sub lodice.*) Indignatur Poeta, quod anus non modo in concubitu domi, sed etiam foris astante multitudine utatur verbis Græcis lascivis.

194. *Relictis modo sub lodice.*) hoc est uteris in propatulo, præsente turba, verbis relictis modo *sub lodice*, id est, quibus paullo ante usa fuisti in cubili. Nam *lodices* opertoria ostendit esse lecti Martialis in *Distichis*:

Nudo stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

conjunctæ enim videtur totum lectum operiri.

195. *Quod enim non excitat inguen Vox blanda.*) Et ne hæc omnia conjunctim legantur, ostendit Poeta hujusmodi verbis obscœnis pruritum maxime excitari: unde est illud apud Pers.

— Quum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.

195. *Et nequam.*) Lasciva. A *nequam*, auctore Gellio, nequitia fit. Antiqui enim *nequam* appellabant hominem nihili, neque frugis bonæ, ut prodigum, libidinosum, inutilem, improbum, scelestum. Est enim nequitia, ut scribit Donatus, proprie libidinosa inertia, dicta, quod *nihil queat*, nullique rei apta sit. Unde & *nugæ*, quod nihil agant, vel a non agendo: unde est illud Terentianum: *Si illum potest, qui alienus rei est, etiam eum ad nequitiam abducere.*

196. *Digitos habet.*) Hoc autem disjunctim a superioribus legendum est. Est autem confirmatio dicti præcedentis, quasi dicat quid opus est verbis? vox ipsa lasciva habet digitos, id est non minus inguina obscœnis verbis & lascivis excitantur, quam digitorum & manuum palpatione.

196. *Ut tamen omnes Subsidant pennæ.*) Licet inguina quiescant, & jaceant, tamen veluti digitis pertractata eriguntur. Est autem metaphora sumta ab avibus, quæ compositis alis & pennis sedent.

197. *Dicas hæc mollius Æmo.*) Licet tu vetula hæc verba dicas lascivius etiam, quam Aemus & Carpophorus comœdi in scenis res lascivas pronunciant, tamen nunquam juvenili videberis ætate. Nam facies tua te vetulam esse ostendit.

197. *Mollius Æmo.*) Mimi in scenis lasciva & mollia plerunque pronunciant, quibus facile spectatores moventur. Unde & Massilienses, auctore Valer. nullum aditum in scenam fabulis, quæ *mimi* dicuntur, dederunt, quod eorum argumenta majore ex parte stuprorum continent actus: Ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumeret. *Æmus & Carpophorus*, nomina sunt comœdorum.

199. *Si tibi legitimus.*) Dissuasurus Poeta Ursidio, ne ducat uxorem, complexione sive disjunctione utitur, qua eum ita vincit & ligat, ut facile possit intelligere uxorem non esse ducendam. Ait enim: aut uxorem amaturus es, aut non. Si non amaturus es, quare vis frustra consumere nuptias? & sumtum facere cum suo maximo dispendio. Si amaturus es, multa patieris incommoda, erisque veluti servus.

199. *Legitimis.*) Nam matrimonium est non modo per *leges* divinas, sed humanas constitutum.

201. *Cœnam.*) Nuptialem scilicet, quæ non sine magno plerunque sumtu paratur.

201. *Et mustacea.*) Juvenalis in genere neutro appellavit *mustacea*, quæ Cato de *Re rustica*, in genere protulit masculino his verbis: *Mustaceos sic facito: farinæ siligneæ modium unum musto conspergito, anisum, cyminum, adipis pondo duo, casei libram, & de virga lauri deradito, eodem addito, & ubi devinxeris, lauri folia subtus addito, dum concoques.* Et Plin. *lib.* xv. scribit, genus esse lauri, quam Lenæus Grammaticus *mustacem* apppellat, quod mustaceis subjiceretur, ad quam alludens dixit Cic. *ad Atticum* de Bibulo: *In eodem Amano cœpit laureolam in mustaceo quærere.* Palladius item ostendit genus esse panis, quum ait: *Panes ex eo brevissimos ad modum facies mustaceorum.* Caper Grammaticus ait *mustacea* & *mustaceos* dici genusque esse panis.

202. *Labente officio*) Nuptiarum; nam in fine nuptiarum & cœnæ nuptialis donabantur mustacea convivis adhuc discumbentibus. Nam ad officium ille dicitur venire, qui venit ad nuptiarum celebrationem. Unde Tranquillus *in Caligula*: *Liviam Horestillam, C. Pisoni nubentem, quum ad officium & ipse venisset, ad se deduci imperavit.*

203. *Dacicus.*) Domitianus a *Dacis*, quos devicit, duce Rutilio Gallico. Statius in *Sylv.* in Epithalamio Stellæ:

> — *Dacos, quæ est gloria major?*
> *Exuvias laurosque dabit celebrare recentes.*

Et alibi:

> — *Depositam Dacis pereuntibus Urbem*
> *Pandere.* —

Daci populi sunt, qui supra Istrum habitant, Germaniæ oppositi.

204. *Germanicus.*) Idem Domitianus, qui Germanos devicit, auctor Tranquil. Frontinus *lib.* I. *Stratagem. Imperator Cæs. Domitianus Augustus Germanicus, eo bello, quo victis hostibus, cognomen Germanici meruit.*

205. *Si tibi Simplicitas uxoria.*) Altera est pars argumenti: Si uxorius es, & simplicitas illa uxoria, id est stolidum illud obsequium uxorium est tibi, id est, si tam simplex es, ut velis in omnibus obsequi uxori tuæ, submitte caput, si tibi est illa muliebrositas, seu cupiditas fœmineæ voluptatis, quam Græci, ut auctor est Cic. *in Tusc.* φιλογυνίαν appellant.

206. *Submitte caput.*) Inclina caput, id est serviendum tibi est, sumta translatione ab armentis, quæ jugum cervicibus excipiant.

207. *Ferre jugum.*) Ferre servitutem.

207. *Amanti*) viro. hoc est, qui eam vehementer amet, quasi dicat; quanto magis a marito amatur, tanto magis ei adversatur & molesta est, & hoc dicit, quia præcessit: *Si tibi simplicitas uxoria*, id est si voles esse uxorius.

208. *Ardeat ipsa licet.*) Hoc cum inferioribus rectius conjungitur, ut si ordo: uxor gaudet tormentis, i. spoliis amantis mariti, licet ipsa ardeat, id est licet & ipsa impatienter amet maritum; tamen gaudet ejus tormentis, nam ei in omnibus est molesta, & gravis & inimica rationibus, neque enim parcit spoliis.

208. *Tormentis*) amantis, ac si dicat omnibus mariti incommodis.

209. *Igitur longe minus utilis.*) Uxor quanto humaniorem habebit maritum, tanto ei damnosior erit & magis importuna.

213. *Hæc dabit affectus.*) Faciet, ut maritus sit ita affectus, id est ita animatus, ut ipsa volet: hoc est, ut præ se ferat lætitiam, aliquando tristitiam, interdum metum, nonnunquam spem. Nam oportet maritum imperio ejus obtemperare. Affectus enim sunt ipsæ animi commotiones.

214 *Cujus barbam.*) id est Quem domus tua vidit, cognovitque a tenera usque ætate, quo tempore cœpit barbam emittere.

215. *Testandi quum sit.*) Aliud incommodum proponit Ursidio, ut deterreat eum, ne ducat uxorem. Lenonibus, inquit, & lanistis, gladiatoribusque, quasi dicat viris criminosis & sordidissimis libertas est, licetque ex arbitrio suo testamentum condere, quod tibi non licebit, quia uxor volet eos tantum testamento scribi,

scribi, quos volueris, & præcipue *rivales tuos* hoc est amatores suos.

215. *Lenonibus.*) Lenones dicuntur non solum, qui quæstuaria mancipia habuerint, sed & qui in liberis quæstum hunc exercent in eadem caussa sunt. Accipimus & illum *Lenonem*, qui alterius nomine hoc vitæ genus exercet, ut si quis cauponam exercens in ea corpora quæstuaria habeat, ut multi assolent sub prætextu instrumenti cauponici mulieres habere, dicendum est huic quoque *Lenonis* appellatione contineri. Hæc Ulp.

215. *Lanistis.*) *Lanistæ* ii dicebantur, qui familias habebant gladiatorum, quos optime ad digladiandum institutos privatis publicisque personis vendebant, dicti quod viris *laniandis* præessent.

217. *Non unus.*) Sed multi hæredes dictabuntur ab uxore. Nam *dictare* est quum unus dicit, & alter scribit: unde *dictata*, omnia, quæ in quacunque arte alicui monstrantur, ut discat.

218. *Pone crucem servo.*) Ostendit Poeta superbam uxoris importunitatem, quæ odiosum imperet occidi servum vel innocentem. Sunt enim verba uxoris ad maritum.

218. *Meruit quo crimine servus.*) Verba mariti, quid, inquit, servus commeruit, ut cruci affigatur?

219. *Quis detulit.*) Quis accusavit? Unde *delatores* accusatores dicimus occultos.

219. *Audi Nulla unquam.*) Nunquam, inquit maritus, mors hominis accelerandá est.

220. *Nulla cunctatio.*) Nulla mora, nulla dilatio est longa de morte hominis. Lento enim gradu ad hominis necem gradiendum est.

221. *O demens.*) Verba uxoris appellantis maritum fatuum, qui putet *servum* esse *hominem*. interrogatio est cum reprehensione, ac si dicat: putasne tu servum hominem?

221. *Ita.*) Hoc modo, ut te reris: nam illum appellavit *hominem*, quum dixit de morte hominis.

221. *Nil fecerit.*) Attende superbiam mulieris, quæ etiam innocentem postulet occidi.

222. *Hoc volo*, &c.) Tyrannica verba, quibus, qui vocantur principes hodie, non solæ mulieres sæpe nimis utuntur. C. S. C.

223. *Sed mox hæc regna relinquit.*) Aliud recitat mulieris vitium, quod aptum est ad dissuadendum, ne ducat uxorem. Nihil pensi habet relicto primo marito, aliis multis nubere.

223. *Relinquit regna.*) Domicilia mariti, ubi veluti Domina regnavit.

224. *Flammea conterit.*) Crebro nubit. [*Gr.*] Plin. *lib.* XXI. *cap.* VIII. *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum.* A *flammeo* flammearii dicuntur a Plauto *in Aulularia*; qui *flammea* conficiunt.

224. *Inde Avolat.*) id est A novo marito discedit, & ad priorem revertitur.

226. *Ornatas*) lauro, ut supra:

Ornentur postes & grandi janua lauro.

227. *Vela.*) Aurea peristromata.

227. *Adhuc virides.*) i. qui adhuc non aruerunt, adeo cito ab eo marito avolavit.

228. *Sic fiunt octo mariti.*) Sic pervenitur ad numerum octo maritorum confessum. Nam ad *octavum* usque *maritum* licebat nubere, supra autem adulterium putabatur. Unde Martial. tanquam adulteram notat *lib.* VI. Thelesinam, quæ decies nupserat:

Aut minus, aut certe non plusquam tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est.

230. *Desperanda tibi.*) Alia dissuasio, nullam fore concordiam in ea domo, ubi sit socrus, sed semper lites & jurgia.

230. *Salva socru.*) Salva matre uxoris, quæ docet eam spoliare maritum.

231. *Nudi mariti.*) Qui ad paupertatem redigitur nequitia uxoris edoctæ a socru.

233. *Rescribere.*) Ad amatores.

233. *Nil rude.*) Nil rusticum, sed politum, & limatum.

233. *Nil simplex.*) Nil stolidum, sed callidum, & artis plenum.

233. *Decipit illa.*) Ambiguum utrum *socrus*, an *uxor* decipiat custodes. Nam mariti sæpe uxoribus suis adhibebant custodes, quos aut simulato languore aliave ratione decipiebant, aut pecunia corrumpebant. Videnturque magis omnia rectius socrui convenire, quasi quæ per eam ægritudinem filiam ad se rationabili caussa possit accire; quum interea ibi adulter lateat exspectans filiam.

234. *Corpore sano.*) Quum sit sana, simulata ægritudine vocat Archigenem, id est medicum. Nam *Archigenes* medicus fuit Græcus celeberrimus, cujus Galenus sæpissime *in libris suis* facit mentionem.

235. *Onerosaque pallia jactat.*) Induitur socrus vestes onerosas, quales induunt ægroti, eaque vestium ostentatione ægritudinem simulat, ut filiam ad se spe officii traductam adulter ibi abditus ineat.

235. *Jactat.*) Ostentat. Horat.

Iliæ dum se nimium querenti
Jactat ultorem. —

238. *Scilicet exspectas.*) Monet Poeta illum vehementer errare, qui speret ex impudica matre nasci posse filiam bene moratam.

239. Utile

239. *Utile porro.*) Matri inhonestæ utile est obscœnis alere filiam moribus.

241. *Nulla fere caussa est.*) Alia dissuasio mulierem non pudere agere caussas forenses, quod ignominiosum erat. *Caussa* autem est, ut definit Apollodorus, auctore Quint. *negotium omnibus suis partibus spectans ad quæstionem*, aut *Caussa est negotium, cujus finis est controversia.*

241. *In qua fœmina litem non Moverit.*) In qua aliquid non inveniat, de quo possit litigari, ac proinde caussam suscipiat agendam.

242. *Manilia.*) *Maniliam* posuit pro quacunque muliere litigiosa, respiciens ad eam *Maniliam* meretricem, quæ Hostilium Mancinum ædilem curulem lapide noctu percussit, qua de re Hostilius ei diem ad populum dixit, vulnusque ex eo lapide ostentabat. *Manilia* vero ad tribunos plebis provocavit, apud eos dixit Mancinum, quum vi irrumperet in ædes suas, lapidibus depulsum. hæc ex Gellio.

242. *Accusat, si rea non est.*) Scimus in judicio *accusatorem* esse, & *reum*, & utrinque litem contestari. Ait ergo Poeta, si Manilia non est rea, id est si ab aliis non est in judicium vocata, ipsa alios vocat. sicque impudentiam ostendit mulieris, cui necesse est, si ab aliis in judicio non infestetur, alios infestare.

253. *Libellos.*) Quibus aliquid aut petunt, aut negant, quos Græci *dicas* appellant. Unde Terent.

Grandem tibi impingam dicam.

id est caussam & libellum.

243. *Per se.*) Nullo adhibito pragmatico. Nam *pragmatici* sunt illi, qui litigantibus libellos dictant.

244. *Atque locos.*) *Loci* dicuntur, ex quibus argumenta eruuntur, ut scribit Cic. *lib.* II. de Oratore; & in *Topic. Quod quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debeamus.* Nam quum omnis quæstio duas habeat partes, affirmationis unam, alteram negationis, ex utraque parte semper est defensio hic enim partes affirmantis, ille vero negantis defendit; uterque argumenta ad partes suas tuendas perquirit: quæ petuntur ex *locis*, & sedibus suis. Sunt enim loci sedes ipsorum argumentorum. Argumentum autem, auctore Quint. *lib.* V. est ratio præstans probationem, qua colligitur aliud, per aliud & quæ, quod est dubium per id, quod dubium non est, confirmat.

244. *Paratæ dictare Celso.*) Quasi dicat optimæ oratrices, quæ etiam possunt ipsi *Corn. Celso* acutissimo rhetori dare documenta. Nam *dictare* est tradere, quod alius aut scribendo, aut alio modo se exercendo excipiat. Plin. *lib.* VII. *Cæsar vero epistolas tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare.* Tranquillus *in Neron. Ut facile appareret, non translatos aut dictante alio exceptos.* Horat.

Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere. —

Celsus enim temporibus Augusti floruit. scripsit *de Re Militari*, *de Medicina*, *de Ratione Dicendi*, cujus rhetoricen multis in locis damnat Quint. & *lib.* XII. scribit eum fuisse mediocri ingenio, & tamen dignum proposito suo. ex omnibus ejus scriptis nihil aliud, quam *de Medicina* nobis relictum est. injuria enim temporum reliqua periere.

245. *Endromidas Tyrias.*) Alia item dissuasio ducendam non esse uxorem. notat enim inpudentiam mulierum, quæ omni prorsus deposita verecundia æmulatæ viros in ludis gymnicis exercentur. Soli enim viri, iique etiam mollissimi in gymnasia descendebant, mulieres vero impudentissimæ eas artes exercebant sumto more a Lacædemoniis, apud quos mulieres nudæ exercebantur cum viris, at nudatio illa virginum apud Lacedæmonios nihil habebat turpe, verecundia enim aderat, petulantia aberat: simplicem quandam consuetudinem, & robustitatis studium efficiebat. Hæc Plut. *in Lycurgo*, cujus exercitationis meminit & Ovid. *in Heroidibus*:

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis fœmina mista viris.

245. *Endromidas.*) *Endromis* vestis erat peregrina crassiore pilo, quæ ex Gallia mittebatur, licet nomen haberet Græcum. ea antiqui ad arcendum frigus pluviasque utebantur, unde Poeta ante:

— *Igniculum brumæ si tempore poscas,*
Accipit endromidem. —

Eam etiam post certamina athletæ induere solebant, ne refrigescerent. Mart. loquens de *endromide*:

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet.
Sordida sed gelido non aspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromidem.
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona,
Sive harpasta manu pulverulenta rapis:
Plumea seu laxi partiris pondera follis,
Sive levem cursu vincere quæris Athan,
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua.
Ridebis ventos hoc munere tectus & imbres,
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

245. *Tyrias.*) Purpureas, molles, & non crassas, quales ab aliis sumebantur, sicque sui temporis luxum notat.

245. *Fœmineum ceroma Quis nescit.*) id est Quis nescit mulieres in gymnasiis exerceri, ubi ceromate perunguntur. Nam *ceroma*, ut ante *ad* III. *Sat.* diximus, genus erat unguenti ex oleo & terra in speciem luti: quo ungebantur in ludis gymnicis.

246. *Aut qui, non vidit.*) Notat aliam in mulieribus

bus impudentiam, quæ more tyronum in campo Martio se exercerent ad Palum ibi defixum. Nam, ut scribit Vegetius de *Re Militari*, tyrones non tantum mane, sed etiam post meridiem exercebantur ad palos, quos singulos singuli defigebant in terram: ita ut nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra adversarium, tyro, nec non & gladiator crate & clava, veluti gladio, se exercebat & scuto, ut nunc quasi caput, aut faciem peteret: nunc ab lateribus minaretur: interdum contenderet poplites & crura succidere, recederet, insultaret, insiliret, & quasi præsentem adversarium sic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret.

247. *Sudibus.*) i. clavis, veluti gladio.

247. *Scuto.*) *Crate*, qua loco scuti utebantur, nam ex vimine scuta texebant.

248. *Implet omnes.*) i. Omnia ad plenum peragit, quæ talis exercitatio poscerct, sic enim dicimus, quum aliquid perfecte factum volumus ostendere. Sen. *de Beneficiis*: *Magnus luctator, non qui omnes numeros, nexusque perdidicit.*

248. *Dignissima.*) Hoc dictum cum ingenti stomacho a Poeta: Hæc, inquit, mulier, quæ hoc agit, dignissima est, quæ inter impudicas mulieres numeretur, quando tam impudenter sese habet. Nam meretrices in ludis Floralibus, qui adhibito sonitu tubæ & magno populi concursu celebrantur, corpora sua nudabant: Flora enim meretrix fuit, quæ cum ingentes opes arte meretricia, comparasset, populum Romanum moriens hæredem reliquit cum magna pecunia, ex cujus annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant *Floralia*. Sed quum Senatui flagitiosum videretur ab ipso nomine argumentum sumi, placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: Deamque finxerunt esse, quæ *floribus* præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prosperéque *florescerent*. Eum colorem secutus in *Fastis* Ovid. non ignobilem nympham fuisse tradidit, quæ *Chloris* sit vocitata, eamque zephyro nuptam, quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. celebrabantur ergo illi ludi cum omni lascivia convenientes memoriæ meretricis. nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam, ut diximus, vestibus, populo flagitante meretrices. Lact. *lib. I. Divin. Institut.*

249. *Tuba.*) Nam adhibita tuba ludi, ut diximus, celebrabantur a meretricibus.

249. *Nisi si quid in illo.*) Est digna, quæ inter meretrices habeatur, nisi forte se præparet ad verum certamen & gladiaturam: nam, ut recitamus ex sententia Vegetii, non modo tyrones, sed etiam gladiatores ad palum se exercebant: ut per simulatam pugnam, veram dimicandi disciplinam condiscerent.

250. *Vera arenæ.*) Veræ gladiaturæ, quæ in arena exhibebatur.

251. *Quem præstare potest.*) Colligit Poeta illam mulierem, quæ quasi contemto sexu fœmineo virilia sibi usurpat officia, pudicam esse non posse.

252. *Quæ fugit a sexu.*) Incerta distinctio, utrum superioribus jungatur, ut si dicas, *mulier galeata, quæ fugit a sexu, quem pudorem potest præstare?* id est quam honestatem potest exhibere? An sic legendum sit: *Quæ fugit a sexu, vires amat*, id est, quæ muliebria officia relinquit, & virilia sectatur, videtur appetere vires & fortitudinem viri, hoc est, ut sit fortitudine virili, ut sit sensus, vellet quidem viro similis esse viribus & fortitudine, sed tamen nollet in sexum virilem transire, quum longe majorem intelligat esse voluptatem suam, quam virilem.

252. *Fugit a sexu.*) Abhorret a sexu fœmineo, id est, repudiat, quæ mulierum sunt, & quæ mulieribus conveniunt.

253. *Quantula.*) Minima.

254. *Qua de re.*) indignatio est in mulierem arma tractantem & in contemtum mariti, ac si dicat, quam decorum apparatum videas rerum, si forte instrumenta stratiotica uxoris publica auctione venundentur, vel si acciderit tibi, ut eum aliquo tibi sit pugnandum. tunc enim eris felix puella, hoc est uxore tua vendente *ocreas*, ac per hoc arma sua. poteris enim iis comparatis armari.

255. *Balteus.*) Cingulum militare ex corio, a quo arma dependebant pugnatoria, dictum ait Varro a *bullis*, quibus erat distinctum.

255. *Manicæ.*) Quæ ad manuum conservationem gestantur adversus pugnantes, *manicæ* sunt dictæ. eas etiam *manicas* appellamus, quibus *manus* adversus vim frigoris muniuntur. unde Plin. *ad Macrum*: *Ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cujus manus hieme manicis muniebantur.*

257. *Ocreas.*) Posuit *ocreas* pro omnibus armis, sunt autem *ocreæ* crurum armaturæ, dictæque *ocreæ*, quasi *ob crus*. Liv. *lib. I. Nec de armis quicquam mutatum, ocreæ tantum ademtæ.* quale, inquit, ornamentum rerum videas, si auctio conjugis fiat, i. si publica auctione balteus & manicæ reliquaque arma uxoris, vendantur. Nam *auctio* appellatur venditio, quæ publice fit: ab *auctu* precii, qui fit a circumstantibus, unde & *auctarium* appellatur additamentum precii. Plaut. in *mercatore*:

Auctarium adjicito, vel mille nummum plusquam posceet,

257. *Dimidium tegmen.*) Hoc autem dictum ex more Ætolorum, qui auctore Macrob. in bellum uno tantummodo pede calceato descendebant. quod institutum Virg. imitatus ait *lib.* VII. de Hernicis:

—— Vestigia nuda sinistri,
Instituere pedis, crudus tegit altera pero.

Dimidium autem dixit, quia a pede usque ad genu crus tantum integebatur, reliqua vero pars nuda erat scuto eam tegente.

257. *Sinistri cruris.*) Bene *sinistrum* ait armari, Nam in pugna crus semper sinistrum protenditur, ideoque munitur.

259. *Hae sunt, quae tenui.*) Risu satyrico subsannat mulieres, quas ait in turpi facinore nullum prorsus sentire laborem, in opere honesto sudare. Quas vides tam fortiter arma tractare, illae sunt, quae vel levium gestamine vestium sudant, ac si dicat, hic est ille sexus mollis & delicatus, cui etiam leves tunicae sunt onerosae, & tamen arma, ut levia, sine ullo labore pertractant.

259. *Cyclade*) vestis est muliebris tenuissima & rotunda: Propertius:

Quae modo per viles inspecta est publica noctes,
Haec nunc aurata cyclade signat humum.

Lampridius *in Alexandro* sic scribit: *Matronas regias contentas esse debere cyclade, quae sex unciis auri plus non haberet.*

260. *Panniculus bombycinus.*) *Pannus* & vestimentum confectum ex *bombyce* Coa. Nam *bombyces* vermes sunt in Assyria, qui telas araneorum modo texunt, ad vestem luxumque foeminarum, quae vocantur *bombycina*, unde Mart.

Foemineum lucet sic per bombycina corpus.

261. *Aspice quo fremitu.*) risu satyrico. Aspice, quam strenue ex disciplina tractandorum armorum feriat adversarium.

261. *Quo fremitu.*) Qua vociferatione. Nam, ut scribit Cic. II. *Tusc.* *In stadio cursores exclamant quam maxime possunt, ut se intendant ad firmitatem. faciunt idem, quum exercentur athletae. Pugiles vero etiam, quum feriunt adversarium, injectis caestibus ingemiscunt, non quod doleant, animove succumbant, sed quia in profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.* hinc igitur Juven. ait etiam in feriendo *fremere*, hoc est voce intonare.

271. *Perferat.*) i. ferat in adversarium.

261. *Ictus monstratos.*) Dictatos a magistro.

262. *Quanto pondere curvetur.*) ac si dicat, non est mirum, si valde incurvatur, quia onerosa est galea.

262. *Quanta.*) Quasi dicat, quam fortis & valida.

263. *Sedeat Poplitibus.*) Expressio ferentis ictum, qui genibus nititur incurvatis.

263. *Quam denso fascia libro.*) i. Aspice, quam denso libro, i. denso volumine vestium fascia adsit ipsi mulieri. nam fascia succinctae mulieres ludebant. Martialis:

Harpasto quoque subligata ludit.

264. *Et ride.*) Aspice & ride, quasi quae diversa faciant. ridiculum enim est eas armas tractare, & mox depositis armis in *scaphium* mingere. Est enim *scaphium*, ut Julius Pollux tradit, vas foeminarum, in quod mingerent. Ulpian. *de aur. & argent. legat.* *Scaphia habita ventris caussa non puto argento legato contineri, quia argenti numero non habentur.*

265. *Dicite vos neptes Lepidi.*) Hi tres *Lepidus*, *Metellus*, & *Fabius Gurges*, fuere viri gravissimi: horum Poeta citat neptes, ut mulieres severas, & ex parentibus severis natas, rogatque, nunquid temporibus suis talia mulierum exstiterint monstra, ut deposito omni pudore in publico ad *palum* exercerentur. Sicque sui temporis vitia flagellat, ostendens omnia in deterius labi.

265. *Lepidi.*) de *M. Æmilio Lepido* intelligit, qui princeps senatus a Censoribus lectus, antequam exspiraret, praecepit filiis lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus, quam aeris denos consumerent. imaginum specie, non sumtibus nobilitari maximorum virorum funera solere. is bis Consul fuit, Pontifex maximus, & Censor collega Fulvii Flacci, qui quum adversus eum graves inimicitias exercuisset, eas, ut simul Censores renunciati sunt, in campo deposuit.

Caecive Metelli.) *Metellum* illum intelligit, qui orbam luminibus exegit senectam amissis incendio, quum ex aede Vestae ardenti Pontifex Palladium raperet, memorabili caussa, sed eventu misero. Plin.

266. *Gurgitis.*) Hic est ille *Fabius Gurges*, qui aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia mulctavit, ex quo mulctatitio aere Veneris aedem, quae prope circum est, faciendam curavit. filius autem fuit illius Q. Fabii Censoris, a quo in quatuor tribus redacta est turba forensis, unde nomen fuit Fabio Max. datum. jure ergo citat neptes *Fabii Gurgitis*, utpote ex eo natas, qui vitia mulierum exosus fuerit domueritque.

266. *Quae ludia.*) Quae mima fecerit id, per tantam impudentiam, quod fit a matronis nostri seculi.

267. *Hos habitus.*) id est tales habitus athleticos, & gladiatorios scilicet.

267. *Quando ad palum gemat uxor Asyli.*) Quasi dicat, majore verecundia vivit mima, & uxor gladiatoris, quam matronae nostri temporis. Neque enim ludia ad palum exercetur, sicuti matronae. *Asylus*, gladiatoris nomen est. Bene autem *gemit*, quia, ut diximus, pugiles

pugiles, quum feriunt adversarium, *ingemiscunt*, ut corpus intendatur.

268. *Semper habet lites.*) Alia dissuasio. Semper lites & jurgia marito sunt sentienda, ut nullus sit, ne in lecto quidem locus quietis. *Lis* proprie appellatur inimicorum concertatio, *jurgium* autem benevolorum & propinquorum. Cic. *de Rep. Jurgare ergo lex putat inter se vicinos, non litigare.*

270. *Tunc gravis illa viro.*) Aliam notat exquisitam in muliere malitiam, quæ cum amatore suo quum fuerit, verita ne male de se sentiat, aut suspicetur maritus, ipsa ultro maritum per fictas lacrymas accusat, totaque est in suspirio & gemitu, ut dissimulata pravitate eum decipiat credentem ex vehementi in se amore id fieri.

270. *Orba Tigride.*) Tigris animal est, quod Indi & Hircani ferunt velocitatis tremendæ, & tum maxime ablatis fœtibus sævit præcipua feritate in littore, quum raptor in naves se contulerit. a celeritate nomen accepit, nam *tigris* lingua Persica *sagittam* significat.

272. *Aut odit pueros.*) Consuetudine Græca *pueros*, pro servis. i. insectatur servos, ut adulterii ministros: ostendit, quam gravis sit viro. Nam quo irata ei videtur, omnia in domo perturbat, ut graviter offensa.

272. *Aut ficta pellice plorat.*) Aut fingit se plorare propter pellicem suam. Nam *pellex* ea appellatur, quæ cum eo cubat, cui uxor sit.

274. *In statione sua.*) Hoc est in sede sua. Nam *statio* appellatur omnis destinatus ad standum, excubandumque locus.

274. *Quo jubeat manare.*) Ostendit Poeta, quam facile sit mulieri lacrymas emittere, quæ ubi libuit, eas fundit, nec minus in re ficta, quam in vera. unde illud est Ovidii:

> *Credidimus lacrymis, an & hæ simulare docentur?*
> *Hæ quoque habent artes, quaque jubentur eunt.*

Terent.

> *Hæc verba una mehercle falsa lacrymula exstinguit.*

275. *Tu credis amorem.*) Insultat inscitiæ mariti nimis creduli. credis hoc fieri, quia te amet.

276. *Curruca.*) Ignominiose *currucam* appellat maritum, quasi qui alienos educet liberos pro suis, uxoremque suam ab aliis possessam amplectatur. Nam *curruca*, ut scribit Arist. *lib.* VI. *de Nat. Animal.* avis est, in cujus nido cuculus parit ova, quæ *Curruca*, ut sua, fovet & excludit, & educat. Parit item interdum in nidis minorum avium, & ova, quæ aliena reperit, edit: maxime vero nidos palumbium petit, quarum ova esu absumens sua relinquit.

278. *Scrinia.*) *Scrinium* proprie appellatur, ubi & scripta, & unguenta reponuntur. Plin. *lib.* XIII. *Castris Darii regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cœpit scrinium unguentorum.* [Gr.]

278. *Zelotypæ.*) Quæ se zelotypam simulat. C. *Zelotypia* definitur a Cic. *Tusc.* IIII. ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupierit. S.

278. *Sed jacet in servi complexibus.*) Ostensurus est mulierem non modo ad omnia vitia esse pronam, sed in flagitio deprehensam mira se etiam audacia defendere. Si, inquit, forte accidat, ut eam invenias in complexibus, aut servi, aut equitis, ita ut ne summus quidem orator eloquentia sua queat rem rueri, Ipsa facile se statim tuebitur.

280. *Dic Quintiliane.*) *Quintilianum* posuit Poeta pro summo rhetore, qui temporibus Domitiani floruit: scripsit libros *de Institutione Oratoria*, qui ad nos pervenerunt: Urbis fuit magister primus, qui mercedem publicam accepit a fisco, ut scribit Eusebius. Docuit etiam nepotes Domitiani. Mart.

> *Quintiliane vagæ moderator summe juventæ,*
> *Gloria Romanæ Quintiliane togæ.*

280. *Aliquem colorem.*) id est dic facti rationem. Nam Græci *chroan* appellant, quod nos *colorem* i. rationem, quæ factum excusat. Sen. III. *Declamat. Manifestus est adolescentis color, ut dicat se auctoritate patris oppressum.* Idem *in* VI. *Controv.* II. *lib. Colore hoc usus est Latro pro patre puellæ, non misericordia motam, sed libidine, & ideo non esse beneficium.* Idem in *seq. Controv. Alio colore usus est, dixit enim non iram illam patris fuisse, sed calliditatem.* Quæstio quæ sine colore est, consistere nequit hoc modo: Varenus sinistræ manus digitos, ne bello Italico militaret, abscidit. reus est læsæ reip. Hic quoniam color facti non invenitur, caussa nequit consistere, sicque defensio subvertitur. Unde jucunde Poeta interrogat *Quintil.* tanquam optimum rhetorem, ut colorem doceat, ut facti rationem afferat.

280. *Dic.*) Verba *Quintiliani*: quasi dicat, quum nos id nesciamus, dic tu ipsa o mulier.

281. *Hæremus.*) Verba Quintiliani. Certe, inquit, *hæremus*, i. ambigimus, quo pacto rem tam evidentem possimus defendere.

281. *Olim convenerat.*) Arguta defensio mulieris.

283. *Mare cœlo.*) Solent enim enim ira perciti ita clamando elementa ciere, ut illud Terentianum:

> *O cœlum, o terra, o maria Neptuni!*

284 *Homo sum.*) Crimen a se removet in sexus imbecillitatem transferens, ut sit, *homo sum* i. mulier sum, & proinde nec mirum, si aliquando a recto

tramite

tramite declino, quando cujusque sit hominis errare.

285. *A crimine sumunt.*) Vide audaciam muliebrem, atque malitiam, unde animo dejici, ac perterrefieri maxime deberent, ex eo iram atque superbiam sumunt, quod quidem perditi & profligati ad omne scelus ingenii certissimum est signum. C. S. C.

286. *Unde hæc monstra tamen tamen.*) Forte requiris, unde hæc tanta mulierum scelera proveniant. ex nimio, inquit, otio nimioque rerum luxu hæc sunt, quod per sequentia indicat. Nam quum Romani paupertate & bellis premebantur, summa in Urbe vigebat pudicitia & probitas, unde est illud Sallustii *in Jug. Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat*, quare eleganter sequitur: *præstabat castas*, *&c.* Verum iis omnibus amoris incommodis luxuria invaluit, mores totius civitatis corrupti sunt. Sic Poeta monet, in deliciis periclitari honestatem. Unde illud est Ovidii:

Quæritur Ægisthus, quare sit factus adulter,
In promtu caussa est, desidiosus erat.

289. *Labor.*) Nam dum variis intenti laboribus paupertatem tuebantur, vitiis carebant. unde sapienter dixit Ovid.

Otia si tollas, periere Cupidinis artes.

289. *Vellere Tusco.*) id est Lanificio. *Tusco* autem, quia in vico *Tusco* lanificium exercebatur. *Tuscus* autem vicus fuit in Urbe, in quo item ad velabrum consistebant unguentarii & lenones, unde est illud Horatii *in Sat.*

Unguentarius ac Tusci turba impia vici.

aut revera, quia ex Hetruria Urbi vicina lanificium habebatur.

290. *Et proximus Urbi Hannibal.*) id est Bella, quæ Hannibal gessit adversus Rom. Hannibal autem post Cannensem cladem ad Anienem fluvium tria millia passuum ab Urbe castrametatus est, quo tempore ploratus, auctore Liv. mulierum non ex privatis solum domibus exaudiebatur, sed undique matronæ in publicum effusæ circa Deum delubra discurrebant, crinibus sparsis aram venerantes, nixæ genibus supinas manus ad cœlum ac Deos tendentes, orantesque, ut urbem Romam a manibus hostium eriperent, matresque Romanas, & liberos parvos inviolatos servarent.

291. *Stantes in turre Collina.*) Nam Senatus censuit, ut Annibale proximo Urbi, Consules ponerent castra inter portam Collinam & Exquilinam. Consules Senatusque in castra venerunt, ubi de summa reipub. consultarum. *Collinam* autem dictam scribit Varro a varietate *collium*, quam Quirinalis habuit collis. ea enim porta ad Quirinalem ducebat.

292. *Nunc patimur.*) Ex nimio otio multa nunc mala patimur. Luxuria enim Urbem invasit, quæ gravius quidem, quam bellum, omnem honestatem expugnavit.

293. *Victumque ulciscitur orbem.*) Sumit vindictam & supplicium de Romanis, qui totum orbem vicerunt; quasi dicat, satius fuisset, si totum orbem non superassent, ne luxuria Urbem occuparet.

264. *Nullum crimen abest.*) Ex quo civitas imperio & opibus aucta est, omne genus sceleris exerceri cœpit. Unde T. Liv. *Quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat, nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere.*

295. *Hinc.*) Non solum mores Urbis per luxum corrupti sunt, sed & aliæ civitates Urbis exemplo luxuriant.

295. *Ad Istros.*) *Istri* ex littore Illyrico in Italia venienti occurrunt. ab iis ait Festus Pomp. appellatos esse *histriones*, quod primum illinc venerint, ut inde appareat eos molliter vixisse. Liv. tamen *lib.* VII. & Tac. & Valer. *lib.* II. qui Tusco verbo *histrio* appellatus est, ex Hetruria Romani primum accitum contendunt.

296. *Sybaris.*) Oppidum est non longe a Crotona, conditum ab Agivis, inter duos amnes *Cratidem & Sybaridem*, a quo cognomen habuit. auctor Strabo *lib.* VI. Bene autem ait *luxuriam* ad *Sybaritas* defluxisse. Nam constat eos luxu, deliciisque notabiles fuisse. Unde Philon Hebræus in vita Mosæ: *Comœdias & Sybariticas nequitias componentes.* Strab. *eodem lib.* scribit, Sybaritas adeo luxuria & deliciis intemperantes defluxisse, ut omni illa felicitate intra LXX. dies a Crotoniatis exuti fuerint & debellati.

296. *Hinc & Miletos.*) Exemplo Urbis *Rhodii & Milesii* luxuriare didicerunt. *Rhodos* autem insula est maris Lycii cognominata a *Rhodo* Neptuni filia ex sorore Telchinum. Bene autem *Rhodon & Mileton* nominavit. Nam omnes fere pop. Orientales, maximeque Asiatici omni rerum luxu affluxerunt. Unde est illud Valerii *lib.* II. *Spartana civitas severissimis Lycurgi legibus obtemperans aliquandiu civium suorum oculos a contemplanda Asia retraxit, ne illecebris ejus capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur.* audierant enim lautitiam inde & immodicos sumtus, & omnia non necessaria voluptatis genera fluxisse, quod & Livius affirmat *lib.* IX.

296. *Miletos.*) Civitas est Ioniæ, patria Thaletis philosophi, in Asia minore.

297. *Tarentum.*) Civitas Calabriæ.

297. *Coronatum & madidum.*) Hoc ideo dicit, quia ibi convivia luxuriosa agitabantur, in quibus sumebantur *coronæ*. Valer. *lib.* II. *Sic finem profecto fruendarum opum, quibus ad invidiam diu abundaveras,*

tas Tarentina civitas quæsivisti. Sidonius:

Ipsaque, quæ periit, trepidaverat uncta Tarentus.

Horat. *in Epist.*

Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

fuerunt enim opulentissimi *Tarentini.*

297. *Petulans.*) Ad id respexit, quod non modo per superbiam res Romanorum in portu suo captas reddere noluerint, sed alterum ex legatis, qui a Senatu missi fuerant ad eas repetendas, urina resperserint.

298. *Prima peregrinos.*) Ostendit nimia divitiarum abundantia Urbis mores corruptos esse, civitas enim jam omni orbe subacto in omnem prorupit luxum: est ergo sensus: Pecunia ipsa, id est ampla patrimonia & divitiæ multæ fuere caussa, ut mores peregrini & luxus in Urbem inveherentur, ut si quid apud nationes peregrinas ad luxum esset, id omne Romani usurparent. unde illud *Satyr.* III.

Jam pridem in Tiberim Syrus defluxit Orontes,
Et linguam & mores & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, & ad circum jussas prostare puellas.

Livius *lib.* IX. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. inde primum lectos æratos, vestem stragulam preciosam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam adduxerunt. Tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis, epulæ quoque ipsæ, & cura & sumtu majore apparari cœptæ. Tunc coquus, vilissimum antiquis mancipium & æstimatione & usu, in precio esse.*

300. *Quid enim Venus ebria curat.*) Nemo locuples divitiisque abundans honestatis rationem habet. omnia enim per summum luxum intemperantiamque agit. ut per *Venerem ebriam* intelligas effusum in omnem luxum otium hominis ebrii, id est divitiis repleti, qui plenis intemperantiæ velis ad omnes & animi & corporis defertur voluptates.

301. *Inguinis & capitis.*) Mulier, quæ delicatis repletur cibis, vinoque multo inebriatur unguentis delibuta preciosis non discernit tanto rerum luxu rationem impediente, quid intersit inter fellationem & coitum, hoc est, turpiusne sit crimen fellationis an coitus: sicque multiplicem mulierum sui temporis impudicitiam flagellat, ac si dicat: omnia hæc indifferenter agunt, nulla turpitudine abstinent. Horat. ostendit per vinolentiam, licitam & illicitam libidinem exerceri:

— *Monet Sithoniis non levis Evius*
Quum fas, atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. ———

302. *Ostrea.*) Pisces sunt concha intecti, Venerem, si comedantur, excitant.

303. *Unguenta perfusa.*) Immixta vino & epota. nam in tantum unguentorum luxuria adoleverat, ut non solum iis linerentur, sed etiam biberent. Plin. *lib.* XXXI. *At Hercules jam quidam etiam in potu addunt, tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur, ex utraque parte corporis, exteriore scilicet & interiore.*

304. *Quum jam vertigine tectum.*) Videntur enim omnia ebrio in vertigine agi, congeminarique lucernæ. Horat.

— *Ut semel isto*
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Sen. *ad Lucil.* loquens de ebrio: *Adjice illum ignorantem sui dubia & inexplanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum.*

306. *I nunc & dubita.*) Honesta est inhibitio per concessionem, ut ostendat minime dubitandum esse. Sic & Martialis *lib.* VIII.

I nunc & dubita vates an diligat ipsos.

Juvenalis alibi:

I nunc, & ventis animam committe. —

Quum hæc mulieribus vitia esse cognoscas, dubitabis quo contemtu, quaque irrisione habeant aram Pudicitiæ, quum juxta illam prætereunt. *I nunc Posthume, & dubita, qua sanna,* id est, qua oris distortione Tullia rideat aram Pudicitiæ. Quasi dicat non debes dubitare Pudicitiam a mulieribus miris modis contemni, quam præcipua veneratione colere deberent. Est enim *sanna* irrisio, quæ fit quadam oris & nasi distortione. Unde *subsannare* irridere, & notat Persius:

——— *Posticæ occurrite sannæ.*

id est irrisioni, quæ fieri solet post terga.

306. *Sorbeat aera.*) id est ore distorto & hianti respirat in contemtum Deæ.

307. *Colla tea.*) Hoc loco non est proprium. Alias *Collactea* illa est, auctore Capro, quæ eodem *lacte* nutrita est. C. *Collacia* hic legendum est, ut emendati codices habent, non *collactea.* S.

307. *Quid dicat.*) Quam multa ignominiosa in ipsam Pudicitiam effutiat.

308. *Quum præterit.*) Hoc autem dicit, quia, quum deberet ex vetere instituto aram prætereundo venerari, subsannat & irridet. Nam apud antiquos hic mos custodiebatur, ut non sine summa veneratione templa præterirent. Unde est illud apud Apul. I. *Apolog. Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.*

309. *Noctibus heic*) ad aram pudicitiæ.

310. *Implent effigiem Deæ.*) Mejentes Deam lotio respergunt, quam contemnunt, ut impudicæ & honestatis adversatrices.

310. *Longis siphonibus.*) Siphones proprie dicuntur fistulæ, & tubi, & cannæ ex quacunque materia, un-

de liquida fluere possunt. Corn. Celsus: *Prodest etiam adversus tardam concoctionem vinum frigidum bibere, & post cibum magnam potionem, sed, ut supra dixi, per siphonem.* Quibus verbis declarat fistulam, & siphonem idem signare, nam paullo ante dixerat, duos cyathos per tenuem fistulam bibant. Plin. *lib.* 11. de aqua in summa juga erumpente. *Quo spiritu acta, & terræ pondere pressa siphonum modo emicat.* Per *siphones* igitur *longos* vesicæ meatus intelligit, ex quibus urina exit.

311. *Inque vices equitant.*) Hinc apparet Deam haberi contemtui, in cujus conspectu turpissima quæque peragant. expressit autem tribades mulieres, seu fricatrices: qualis fuit Sappho, ut ipsa fatetur, & Porphyrio docet; quod genus sceleris primo instituisse dicuntur *Lesbia* mulieres, unde apud Aristotelem λεσβιάζειν id agere est.

311. *Inque vices.*) Ut altera alteram ineat. Plin. *lib.* VII. *Androgynos constat utriusque esse naturæ inter se vicibus coeuntes.* alibi Juvenal. *Ne faciant vicibus.*

313. *Magnos visurus amicos.*) Ex consuetudine Romana amicos salutaturus matutino.

314. *Secreta Bonæ Deæ.*) *Secreta* autem dicit, quia ut auctores sunt Macrob. & Plutarchus *in Cæsare & Cicerone*, horum sacrorum ritus arcani fuerunt, quumque celebrarentur, viris interesse non licebat: ea tantum in domo summi Pontificis noctu a mulieribus celebrabantur.

314. *Quum tibia lumbos.*) Sic illud Persii:

— Cum carmina lumbum
Intrant. —

Nam lascivo cantu & sono libido maxime excitatur. in iis enim sacris ad tibiam, ut ait Plutarchus, saltabant mulieres, multa Bacchanalibus similia peragentes. unde supra:

— Nullo gemit heic tibicina cornu.

315. *Vinoque feruntur.*) Licet in iis sacris vino uterentur, tamen *lactis* nomine nuncupatur, & vas *mellarium*: auctor est Macrob.

316. *Ululante Priapo.*) Vult omnino ostendere Poeta in sacris Bonæ Deæ omnia fere fieri a mulieribus, quæ fieri consueverant in Bacchanalibus, in quibus, ut diximus II. Satyr. auctore Livio, Viri & mulieres non sacrorum gratia, sed concubitus conveniebant, nam ibi stupra erant promiscua ingenuorum & fœminarum, tum inter se, tum cum maribus: ibi aderant sacerdotes & Priapi, & Cybeles, multique ululatus cymbalorum, tympanorum, & id genus instrumentorum musicorum, per quod ait Poeta *ululante Priapo*, id est sacerdote Priapi edente sonos, & ululatus musicis instrumentis, hoc autem faciebant, ne quiritantis vox per vim stuprum patientis exaudiretur. De quibus Bacchanalibus sic meminit D. Augustinus *lib.* XVIII. *de Civit. Dei*: *Et tamen ejus velut de nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta, de quorum rabiosa turpitudine post tam multos annos sic Senatus erubuit, ut in urbe Romana esse prohiberet.*

320. *Lenonum ancillas.*) Carpit mulieres tribades sui temporis, conqueriturque, quod in iisdem sacris Bonæ Deæ, quum corona servantibus virginitatem daretur, nunc proponatur Tribadibus.

321. *Provocat.*) quasi melius libidinatura.

321. *Coxæ pendentis.*) Nam quæ succumbit, sublimi coxa excipit tribadem incumbentem.

322. *Ipsa*) Laufella.

322. *Adorat frictum.*) Hoc autem dicit, quia genibus incurvatur ad frictum.

322. *Medullinæ crissantis.*) Moventis se ad turpitudinem. Nam *crissari* mulierum est, sicuti *cevere* virorum.

323. *Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.*) Quum inter mulieres ceteris in rebus, honestisque officiis nobilitatis ratio habeatur, ut ita semper nobiliores præponantur: in hoc tamen obscœno libidinis flagitio victoria & corona tam ignobili, quam nobili indifferenter datur, prout quæque melius libidinata fuerit, nulla prorsus habita ratione nobilitatis. Ergo, nullum illic habetur discrimen inter mulieres, sed *virtus* scilicet libidinandi & coeundi inter *dominas*, id est quæ exercetur inter ipsas mulieres, *æquat palmam*, id est facit, ut ipsa, quæ victrix sit, æquetur *natalibus*, id est nobilitati, nam per *natales* nobilitatem intelligimus. Tac. *Cornelius Fuscus ingens ætate, clarus natalibus.* Sen. *ad Lucil. Conditor ille juris humani non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit.*

326. *Laomedontiades.*) Per Priamum & Nestora omnes extremæ senectutis viros intelligit.

327. *Tunc.*) Quum omnia aperte peraguntur, omni amota simulatione.

327. *Prurigo.*) Libidinis excitatio omnisque uredo.

327. *Tunc fœmina simplex.*) Tunc simpliciter omnia agit mulier, neque turpitudinem aliquo pudoris velamento tegit.

328. *Repetetur clamor.*) A fœmina expetente adulterum.

328. *A toto antro.*) Ab loco sacrorum occultiore.

329. *Jam fas est.*) Verba mulierum libidinis impatientium, vocantiumque viros intra ædes sacrorum.

329. *Dormiat adulter.*) id est Si adulter dormit, nec venit, illa jubet juvenem ad scalium accessit.

331. *Si nihil est*) amantium.

331. *Servis incurritur.*) id est ad servos recurrunt, ut cum eis libidinentur.

332. *Aquarius.*) Alii tradunt aquarium illum dici, qui

qui aquam coquo ministrat, quod hominis est vilissimi. *Aquarium* etiam accipi pro eo, qui publice aquam vendit, ut Romæ & Venetiis nostris temporibus fit. Unde Cœlius *ad Ciceronem: Nisi ego cum tabernariis, & aquariis pugnarem, civitatem veternus occupasset.* Julius vero Frontinus *de Aquæ Ductibus* ostendit illum dici *aquarium*, qui curam haberet aquarum deducendarum per Urbem: *Cujus rei fraus aquariorum est, quos aquas ex publicis ductibus in privatorum usum derivare deprehendimus.* alibi: *Novus autem Anio vitiabat ceteras aquas, nam quum eruditissimus veniat, & in primis abundans defectioni aliarum succurrit imperitia aquariorum deducentium in alienos specus. Aquarioli* autem dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclæ. Apulejus *lib.* 11. Apol. *Hisce auditis exacerbatus aquariolus iste uxoris suæ ita ira extumuit.*

335. *Atque utinam ritus.*) Dolet Poeta mulieribus tantam esse libidinis uredinem, ut Deorum etiam templa profanent, Pudicitiam contemnant, in sacris *Bonæ Deæ* nulla turpitudine abstineant.

335. *Ritus veteres.*) Solennia vetera sacrorum non violarentur.

335. *Publica saltem.*) quæ pro salute populi Romani celebrabantur. Plutarchus.

337. *Mauri atque Indi.*) Orientales pariter & Occidentales nationes noverunt, quæ Psaltria tulerit penem majorem, quam sint duo Anticatones Cæsaris.

338. *Duo Cæsaris Anticatones.*) Cic. libellum in laudem Catonis Uticensis scripsit. Contra Cæsar indignatus duos libros scripsit, quos appellavit *Anticatones.* De quibus ita Sueton. *in Cæsar. Reliquit & de Analogia duos libros & Anticatones totidem. In quibus complexus est crimina quamplurima in Catonem. de Anticatonibus* etiam Cic. intellexit quadam epistola *ad Atticum* sic scribens: *Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hircius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis.*

339. *Unde fugit mus.*) Tantæ pudicitiæ ferunt *Bonam Deam* fuisse, auctore Macr. ut extra gynæceum nunquam sit egressa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum. nec virum unquam viderit, vel a viro visa sit. Propter quod nec vir templum ejus ingreditur. unde Propertius:

Fœmineæ loca clausa Deæ fontesque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.

Ostendit igitur Poeta in brutis majorem esse pudorem, quam in mulieribus, quas non pudeat veretrum in sacra *Bonæ Deæ* inferre, unde fugiant ipsi mures, tanquam qui sciant ea sacra omni amota virili figura celebrari consuevisse.

342. *Et quis tunc hominum.*) Priscis temporibus tanta veneratione colebantur Dii, ut nemo unquam ausus sit eorum ritum contemnere. Nunc autem ita ludibrio habentur, ut in omnibus templis obscœnissima quæque fiant.

343. *Numæ.*) qui secundus post Romulum rex Romanorum sacra plurima instituit, ædem Vestæ confecit, virgines Vestales elegit: Flamines tres, Dialem, Martialem, Quirinalem, Salios Martis sacerdotes. in sacris, *fictilibus* usus est.

343. *Simpuvium.*) Vas, cujus usus erat in sacris, dictum a *sumendo*, ut scribit Varro.

343. *Catinum.*) Vas a *capiendo* dictum.

344. *Patellas fragiles.*) Fictiles. Nam & *patella* vas erat, quo etiam utebantur in sacris, unde scribit Valerius Fabritium patellam Deorum & salinum habuisse. Æmilium quoque Pappum addit, quum hæreditatis nomine ea accepisset, religionis caussa a se abalienanda non putasse.

344. *Vaticano.*) Collis *Vaticanus* est appellatus, quod eo potitus sit pop. Romanus, *vatum* responso expulsis Hetruscis.

345. *Sed nunc ad quas non Clodius aras*) accedit. per *Clodium* intelligit omnem adulterum: nam Clodius, captus amore Pompejæ uxoris Cæsaris, sumto habitu muliebri, domum Cæsaris summi Pontificis ingressus est: ubi sacra Bonæ Deæ celebrabantur, sicque ausus est nulla habita sacrorum reverentia, ea polluere.

347. *Quis custodiet ipsos Custodes.*) Monet Poeta nec mulierem tutam esse a custodibus, quando ab iis ipsa incipiat. Mart.

— *Sed positis custodibus ingens*
Turba fututorum est, ingeniosus homo es.

349. *Eadem libido.*) Omnes mulieres pauperes juxta & divites in libidinem ruunt.

350. *Atrum.*) hoc loco asperum, aliis nigrum.

351. *Longorum.*) Procerorum: nam *lecticarii* quærebantur magni & proceri.

352. *Ut spectet ludos.*) Aliud vitium notat in mulieribus, quod ambitiosæ sint, quamvis pauperes. volunt enim divites & nobiles videri.

354. *Nutricem.*) Nam inter ancillas Rom. divites & nobiles habebant nutrices liberorum suorum.

354. *Flavam puellam.*) Pulcram. nam, ut diximus ante, Poetæ flavum pulcrum appellant, unde Horat.

Phyllidis flavæ decores parentes.

Alibi:

Si flava excutitur Chloe.

hoc est pulcra.

355. *Hæc tamen argenti.*) Licet mulier modicas possideat divitias: tamen quodcunque *argenti paterni* superest.

superest, i. quodcunque relictum est ex censu majorum suorum donat *athletis*.

356. *Lævibus.*) Politis, & sine pilis, ac per hoc juvenibus. Macrob. *Leve autem est mulierum corpus, quasi frigore naturali densetur.*

356. *Novissima vasa.*) Quæ ei extrema fuerunt ex censu majorum.

357. *Multis res angusta domi.*) Licet mulieres multæ sint pauperes, nullo tamen paupertatis pudore retinentur, quo minus sint prodigæ, modumque fortunarum suarum excedant. nam ille dicitur pudorem paupertatis non habere, qui non timet, ne reprehendatur paupertatis, si quid ultra modum facultatum fecerit.

357. *Ad illum modum.*) Ad illam mensuram rerum, quam dedit ei paupertas; non vivit pro facultatibus.

363. *Recidivus.*) *Recidiva Pergama* appellat Virg. quæ post casum sunt restituta: sic *nummus recidivus*, quasi qui renascatur, postquam jam perierit. In vetustis codicibus legitur *redivivus*: quod ex vetusto renovatum significare ostendit Festus. ergo *nummus redivivus*, quasi qui renovetur & reviviscat.

363. *Pullulet.*) Sumta metaphora a satis, quæ quum e terra sive arbore exeunt, *pullulare* dicuntur deducto vocabulo a *pullo* i. novello. Horat. *pullam* appellat *myrtum*, quæ novella sit.

365. *Non reputant.*) Non considerant, quam magno constent voluptates, quas capiunt ex libidine sua.

366. *Sunt quas.*) Aliam mulierum impudicitiam notat, quod Eunuchis delectentur: ea ratione, ut voluptates sentiant, & non concipiant. unde illud est Martialis:

Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia, quæris,
Pannice, vult futui Gellia, non parere.

365. *Imbelles.*) Sunt enim veluti mulieres.

366. *Mollia.*) quasi muliebria, quum Eunuchi non producunt, ut scribit Macrob. inopia caloris. *Calor enim est, qui pilos creat, unde Eunuchis desunt: quorum naturam nullus negaverit frigidiorem esse, quam viri.*

368. *Et quod abortivo.*) Alia ratio quod spadonibus delectentur, quia non concipient, ac per hoc *abortivos* non facient.

368. *Illa voluptas Summa tamen.*) Est veluti Anthypophora, quasi aliquis dixerit, quam voluptatem possunt capere ex hominibus Eunuchis, nisi qui castrati fuerunt in ætate adultiore, ut matura habuerint genitalia.

370. *Traduntur medicis.*) Ut inde testes excidant.

370. *Ergo crescere.*) Mulieres spadonibus delectantur, sed eos non jubent prius castrari, quam ad ætatem maturam pervenerint. Domitianus tamen mares castrari vetuit, & spadonum, qui residui erant apud mangones, precia moderatus est.

372. *Bilibres.*) Duarum librarum, i. graves & justæ magnitudinis. dicitur etiam *trilibris*, quo usus est Horat. II. *Serm.* & *quadrilibris* Plauto *in Aul.* C. S. C.

373. *Tonsoris damno.*) Quia non lucrabitur, nam eum non tondebit, quum barbam, ut diximus, non producat.

374. *Conspicuus*) penis magnitudine. nam in balneis bene mentulati a cinædis observabantur.

375. *Custodem vitis & horti.*) i. Priapum: qui ut scribit Diodor. *lib.* v. non solum in Urbium templis, sed in agrestibus quoque locis, tanquam vinearum atque hortorum custos colitur, fructuum fures castigans, cui Deo sacra cum risu & ludo fiunt, sicuti etiam Dionysio patri. Nam antiqui fabulantur, eum filium fuisse *Dionysii & Veneris*, ea ratione, quod, qui vino indulgeant, sint natura ad Venerem promtiores. Asserunt nonnulli priscos illos, quum vellent hominum pudenda occultius nominare, *Priapum* dixisse. Omitto multa alia quæ a Diod. diffusius perscribuntur.

378. *Bromium.*) Puerum tuum formosum, qualis fuit Bacchus, qui Bromius est appellatus. Βρόμος enim significat crepitum & sonitum, qui per tonitrua contigit, quum natus est.

379. *Si gaudet cantu.*) Varia mulierum studia percurrit Poeta, earum semper flagellans impudicitiam: si mulier, inquit, citharœdis & cantatoribus delectatur, nullus est, qui durare possit, ita defatigantur continuo cantu.

379. *Nullius fibula durat.*) i. nullus adolescens infibulatus potest tam diutinum canendi laborem perferre. Infibulabantur enim adolescentuli interdum valetudinis, interdum vocis conservandæ gratia: frequens enim coitus facit, ut adolescens raucescat. Ejus infibulationis rationem hanc scribit esse Celsus: *Cutis, quæ supra glandem est, extendatur, notetur que utrinque lateribus atramento, qua perforatur, si glans a notis libera est, si locus idoneus fibulæ est.* Erat enim annulus tenuissimus argenteus sive aureus, sive æneus. Alii interpretantur, quod mulieres precio corrumpant citharœdos & cantores ad coitum, ut sic fibulam solvere cogantur, quod falsum est. nam non amat eos mulier, ut coeat, sed ut voluptatem capiat ex cantu, nam in sequentibus ait:

Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem.

Supra vero taxavit alias mulieres, quæ citharœdos amant ad coitum:

Solvitur his magno comœdi fibula —
Sunt quæ Chrysogonum cantare vetent.

Ergo Poeta notat hic mulierem, quæ studio citharœdorum canentium teneretur.

380. *Vocem*

380. *Vocem vendentis prætoribus.*) Prætores enim, qui ludis præerant, adolescentes emebant, qui cantica peragerent.

380. *Organa.*) Ὄργανον Græce, Latine *instrumentum* dicitur, verum hoc loco pro musico instrumento capitur habente chordas, qualis est cithara. C. S. C.

381. *Densi sardonyches.*) Tota cithara lapidibus preciosis adornata est. [*Gr*]

381. *Testudine.*) i. Cithara, quam Mercurius primus, teste Eratosthene ex *testudine* fecit, quam postea Orpheo, sive, ut alii volunt, Apollini tradidit, quum ab eo dono *Caduceum* accepisset.

382. *Numerantur.*) Percutiuntur: nam *numerari* videntur, quum feriuntur plectro.

382. *Pectine.*) *Pecten* Latine, id est, quod Græce dicitur *plectrum*, quo chordæ feriuntur. Virgilius:

Atque eadem digitis, mox pectine pulsat eburno.

Plectrum autem dictum est a πλήττω, quod est percutio, quod chordæ eo percutiantur.

383. *Hedymeles.*) Nomen fictum citharœdi: nam ἡδὺ significat dulce, & μέλος cantum.

383. *Operam dedit*) cantui.

383. *Hunc tenet*) pectinem, id est, citharam.

385. *Quædam de numero Lamiarum.*) id est, Nobilium, & potentiorum, Qualis fuit familia *Lamia*, quæ nobilissima fuit, deducta origine ab *Lamo*, qui Formianum rex fuit in Campania. De quo Horatius:

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos.)

386. *Quum farre, & vino.*) Docet Cato de Re Rustic. cap. CXXXIII. *Jano struem commoveto sic: Jane pater, in hac strue commovenda bonas preces te precor, ut sies volens propitius mihi liberisque meis, domo familiæque meæ, Mactus hoc ferto. Postea vinum Jano dato sic: Jane pater, uti te strue commovenda bonas preces bene precatus sum, ejusdem rei ergo macte vino inferio esto.* Ovid. 1. Fastor.

Ara mihi posita est parvo conjuncta sacello,
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.

387. *An Capitolinam.*) Rogabat mulier quædam de nobilioribus Janum & Vestam facto sacrificio, an Pollio citharœdus, cujus amore flagrabat, futurus esset victor in certamine Capitolino.

387. *Quercum Capitolinam.*) id est, Coronam quernam, quæ dabatur victori in certamine Capitolino. Martialis:

O cui Tarpejas licuit contingere quercus.

& alibi:

Quid pro Tarpejæ frondis honore potest.

Nam Domitianus, auctore Tranquillo, instituit quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex: musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc est, coronarum. Certabatur etiam & prosa oratione Græce, Latineque, ac, præter citharœdos, Chorocitharistæ quoque, & Psallocitharistæ.

388. *Quid faceret.*) Non plus anxia esset pro salute mariti ægrotantis, aut filiis, quam est pro *cithara*, hoc est pro ipso citharœdo.

391. *Velare caput.*) Nam qui rem divinam faciebant ex veteri instituto caput velabant, unde apud Virgilium, Helenus vates præcipit sic Æneæ:

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Nequa inter sanctos ignes in honore Deorum,
Hostilis facies occurrat & omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in relligione nepotes.

De hoc ritu sacrificandi multa scribit Plutarchus *in Problematis.*

391. *Dictataque verba*) ab haruspice, qui voventi verba dictabat.

392. *Ut mos est.*) ut haruspex dictet verba, quæ postea proferat, qui votum facit.

392. *Aperta agna.*) Ex cujus extis haruspices futura cognoscebant.

393. *Dic mihi nunc, quæso.*) Hac interrogatione ostendit tales preces indignas esse, quæ exaudiantur.

393. *Antiquissime divum.*) Nam habitus est antiquissimus Deorum. [*Gr.*]

394. *Jane pater.*) Hoc verbum est ex ritu. nam in sacris *Janum geminum*, *Janum patrem*, *Janum Junonium* invocabant, *Patrem* autem quasi Deorum Deum. lege Macrob. *lib.* 1. *Saturn.*

396. *Hæc de comœdis.*) *Comœdi & tragœdi* dicuntur, qui comœdias, & tragœdias agunt: *comici & tragici*, qui scribunt.

397. *Varicosus.*) In homine venæ tumescentes in *varices* convertuntur: nec in cruribus solum, sed in toto corpore conspiciuntur. Celsus: *Præter hoc evenis, in quorundam ventribus varices sunt, quarum nulla alia curatio est, quam quæ in cruribus esse consuevit.* *Varices* autem dicuntur ex nimia mora standi provenire. Inde illud est Vatinii in Ciceronem varicosum, glorianterm se humeris Italiæ ab exilio reportatum, Unde ergo tibi *varices*? Haruspex igitur, quum exta consulit: diu stando fit varicosus. Haruspex dicebatur, qui exta pecudum inspiceret, ex quibus futura prænoscebat; ab *haruga* denominatus: nam *haruga* dicitur hostia ab *hara*, in qua concluditur & servatur. *Hara* autem est, in qua pecora includuntur.

398. *Sed cantet potius.*) Hinc ostendit Poeta mulieres cantoribus citharœdisque delectari, ut diximus, non ut cum eis coeant, sed ut ex cantu voluptatem capiant.

piant. Cantet, inquit, potius, & cum cantoribus versetur, quam per Urbem vagetur. sicque notat mulieres ambulatrices, quæ semper impudicæ habitæ sunt. Unde est illud præceptum Catonis *de Re Rustica*: *Mulier ne sit ambulatrix.*

399. *Ferre cœtus virorum.*) Versari magna audacia cum viris.

400. *Cumque paludatis.*) *Paludamentum* vestis militaris imperatoria. Apul. I. Apol. *Veruntamen hoc Diogeni & Antistheni pera & baculus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituum Auguribus.* Tranquillus in Cæs. *Paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis.*

401. *Strictisque mamillis.*) Ita coarctatis, ut in summo natent sinu.

403. *Quid Seres.*) Populi Scythiæ, primi hominum, qui noscantur, lanitio sylvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium caniciem. cœtum reliquorum mortalium fugiunt, quum commercia expetant. Plin. *lib.* VI.

407. *Regi Armenio Parthoque.*) utpote imperii Romani hostibus.

407. *Cometem Instantem.*) Exitium minantem: nam *cometas* Græci vocant, quas nos *cincinnatas*, & *crinitas stellas* appellamus, horrentes crine sanguineo, & comarum modo in vertice hispidas.

409. *Facit Niphatem isse.*) id est, ita rem narrando disponit, ut faciat Niphatem isse in quosdam populos. [*Gr.*]

410. *Teneri Diluvio.*) id est Inundari, & aquis obrui.

411. *Nutare urbes.*) Terræ motu quati.

411. *Subsidere.*) Introrsum ire. Ovidius:

Subsidunt valles. —

413. *Nec tamen id vitium.*) Nec illud vitium vagandi per Urbem, & perscrutandi res novas gravius est, quam quod iracundiæ & sævitiæ vitio laborat.

414. *Vicinos humiles.*) hoc est pauperes, si forte interruptus fuerit ei somnus per canes eorum.

415. *Exorata.*) Etiam exorata.

417. *Illis*) fustibus.

417. *Dominum*) canis.

418. *Gravis.*) Terrifica.

419. *Balnea nocte subit.*) Nam ante cœnam lavabantur.

419. *Conchas.*) Vasa, quibus utebantur in balneis.

419. *Et castra.*) id est multam supellectilem, quam secum ferat.

420. *Gaudet sudare.*) Gaudet in balneis lavari strepitu magno & ambitioso.

421. *Gravi massa.*) Gravi halterum pondere: nam qui balnea ingrediebantur, quo facilius sudorem elicerent, antequam lavarentur, se exercebant, nunc graviora onera manibus ferendo, nunc halteres rotando; Senec. epist. 58. *Quum fortiores exercentur, & manus plumbo graves jactant, quum aut laborant, aut laborantem imitantur, gemitus audio, quotiens retentum spiritum remiserunt, sibilos & acerbissimas respirationes.* Idem alibi: *Cursus, & cum aliquo pondere manus mota.* ergo *gravi massa*, id est, gravi haltere. qui aliud nihil est, quam massa plumbea. Dicti autem *halteres* ab ἅλλομαι, quod est salio, nam saltantes susceptis halteribus exercebantur. Mart.

Halterem facili rotat lacerto.

422. *Aliptes.*) Unctor, ab ἀλείφω quod est *ungo*: ungebantur enim, qui volebant lavari.

422. *Callidus.*) Astutus: nam dum ungit mulierem, genitalia manibus palpat, & percutit: Sen. epist. 56. *Quum in aliquem inertem ac plebeja unctione contentum incidi, audio crepitum illisæ manus humeris; quæ, ut plana provenerit, aut concava, sonum mutat.* Item: *Aliptem cogita, tenuem & stridulam vocem, quo sit notabilior, exprimentem, nec unquam tacentem, nisi dum vellit alas, & alium pro se clamare cogit.*

422. *Cristæ.*) Genitalibus.

423. *Exclamare.*) Strepitum facere ex percussu manus. *Summum femur*, summam partem femoris: nam *femur* totam coxam appellamus, hoc est partem exteriorem uno vocabulo. Apul. *Nam si faciem tuam mediis ejus feminibus immiseris, facile percunctaberis, quam grandem tibi demonstret patientiam.* Plin. *lib.* XXIII. *Femina atteri, adurique equitatu notum est.* Apul. *lib.* X. *Illam titione candenti inter media femina detruso crudelissime necavit.*

424. *Convivæ miseri.*) qui illam domi exspectant cum ea cœnaturi, ut sit tota ipsa familia.

424. *Interea.*) dum lavatur Domina.

425. *Tandem.*) Post longam exspectationem.

426. *Oenophorum.*) Vas ad ferenda vina. οἶνος enim *vinum* significat, φέρω *porto*.

426. *Sitiens.*) Magna cum siti bibens.

426. *Quod tenditur.*) Quod plenum est, unde & *ubera distenta* dicimus, quæ plena sunt.

427. *Admotum a pedibus.*) id est Appositum servis, ut pessimum: nam pessimum erat vinum. qui enim vomere volebant, vinum pessimum bibebant, quale dabatur servis, quod appellabant τρόπην, quod significat *versionem*, quæ scilicet stomachum subvertit & perturbat. Id verbum est apud Mart.

Bibit ergo tropen, ut vomat.

427. *Sextarius alter.*) id est duo sextarii. Est autem *Sextarius* sexta pars congii. C. Capit enim Sextarius uncias

tias viginti, de unciis loquor non ponderum, sed mensurarum. auctor est Priscian. S.

428. *Ducitur.*) Bibitur. Horatius:

Ducere nectareos succos.

428. *Ante cibum.*) id est Jejuno stomacho, contra vinum optimum vomitum coercet. Horatius:

Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis Cæcubum.

428. *Rabidam orexin.*) id est Rabidum comedendi appetitum. orexis enim vox est Græca, quæ appetitum significat. ἐπίσχυμα enim Græce, appeto Latine, pro vomitu etiam ponitur. Plinius *ad Priscum*: *Hoc discrimine implicita est insidens febris, tussis, orexis, summa macies, summa defectio.* Juvenalis alibi in sequentibus:

— Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis. —

nam vinum illud pessimum bibebant, ut vomerent, sicque evacuato per vomitum stomacho major esset edendi appetentia. Unde Seneca: *Vomunt, ut edant; edunt, ut vomant.* Idem Seneca *ad Lucil. Non minus potant, & oleo & mero viros provocant. Æque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remitiunt.*

429. *Dum redit.*) Sextarius alter *ducitur*, id est hauritur, & bibitur ante cibum *facturus rabidam orexin*, id est rabidam appetentiam, dum *redit ex stomacho*, id est dum remittitur, & vomitur. nam sic per vomitum exinanito stomacho appetitus edendi excitatur.

430. *Falerno olet.*) Ovidius:

Non Arabo noster rore capillus olet.

432. *Bibit & vomit.*) Martialis:

Nec cœnat prius, aut recumbit,
Quam septem vomuit deunces.

432. *Maritus nauseat.*) id est Marito stomachus subvertitur, & ad vomitum movetur. Nam *nausea* proprie appellatur ipsa stomachi subversio sine tamen vomitu. Seneca *lib.* VIII. *Nausea enim me segnis hæc sine exitu torquebat, quæ bilem movet, nec effundit.*

434. *Illa tamen gravior.*) Ridendo ait Poeta eam majoris esse gravitatis, quæ etiam in cœnis disputet de Poetis. Sic Pers.

— Ecce inter pocula quærunt,
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

435. *Perituræ ignoscit Elisæ.*) Ita bene historiam ait scriptam a Virgilio de nece Didonis, ut non irascatur ei, quod ipsa sibi mortem attulerit, sed ignoscat laudetque, ut ab ea recte factum, ut totum sit in laudem Virgilii, qui caussas necis optime descripserit. Solemus enim irasci, & nullo modo ignoscere, cum quis se interemerit nulla existente caussa honesta.

435. *Elisæ.*) id est Didoni: nam *Elisa* nomen fuit proprium. *Dido* vero Pœnorum lingua *viraginem* significat, quod in ignem se immiserit.

436. *Committit vates.*) quasi præsentes in certamen deducit, ut alter cum altero concertari possit, nec alter altero sit inferior. Est enim *committere* idem, quod comparare, & in contentionem adducere. Propertius:

Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ.

437. *Trutina.*) id est statere: idem enim significat. Vitruv. *lib.* XI. *Id autem ex trutinis, quæ staterae dicuntur, licet considerare.*

438. *Cedunt grammatici.*) Etsi grammatici, & rhetores clamosi sunt, tamen superantur a muliere strepitu vocis.

439. *Nec caussidicus.*) Hoc vult intelligi: tantum esse mulieris clamorem, ut oporteat omnes silere, dum loquitur, etiam qui soleant esse clamosi, ut caussidici, præcones; & reliquæ mulieres. ac si dicat, si caussidici & præcones loquerentur ea dicente, non exaudirentur: tantus est strepitus vocis muliebris. omnes tacebunt, quando incassum loquerentur, si ea loquetur, quia non audirentur.

442. *Nemo fatiget tubas.*) Nemo ad succurrendum Lunæ utatur tubis, neque alio strepitu, quandoquidem mulier voce sua omnes vincat strepitus.

443. *Lunæ laboranti.*) Nam, ut scribit Plin. *lib.* II? *cap.* XII. viri ingentes, inter quos fuit Stesichorus & Pindarus, crediderunt Lunam eclipsin, & quasi mortem pati excantationibus, unde, ne id Luna pateretur, dissono crepitu succurrebant. Liv. *lib.* XXXVIII. *Præliatum non solito modo clamore ac tumultu est, sed ad aliorum virorum, equorum, armorumque sonum disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, edidit clamorem.* ait ergo Poeta tam clamosam esse mulierem, ut sine tubis aliisque crepitaculis sola facile possit sua voce Lunæ excantationibus laboranti auxiliari, ne excantationes audiat.

444. *Imponit finem.*) Non solum mulier de Poetis judicat, sed etiam more philosophi præcepta dat de ratione recte vivendi. ergo & pro *etiam imponit finem & modum rebus honestis*, id est, etiam præter judicium, quod habet de Poetis, præcipit modum & finem rebus honestis, id est, docet ipsa sapiens, quid sit honestum, quid sit utile, quid pulcrum, risu Satyrico.

445. *Nam quæ docta.*) Ex quo sibi usurpat officium visorum, ut more philosophi de virtute & honesto disputet, judicetque de Poetis: debet etiam habitum sumere viris sapientibus congruum, & omnia facere, quæ faciunt philosophi & viri literati, si cupit videri docta & facunda, ut quemadmodum doctrina viris parem se facit, ita & habitu sit similis: cum risu est

manifesta sciolæ mulieris irrisio.

446. *Crure tenus medio.*) Talem etiam habitum Oratoris fuisse ostendit Quintilianus *lib. XI. Tunicæ prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. nam infra mulierum est, supra centurionum.*

447. *Cædere Sylvano porcum.*) Debet omnia facere, quæ fieri solent a poetis & viris literatis, qui cum loca solitaria quærant & nemora, ubi sine strepitu commodius possunt scribere, *Sylvano* sylvarum Deo sacrificant, mactantes porcum. videturque Poeta ad id respexisse, quum dixit porcum mactandum *Sylvano*: quoniam, ut docet Cato in *Re Rustica*, *Marti Sylvano* in sylva interdum in capita singula boum votum faciebant. Nam *Martem Sylvanum* appellarunt, cui porcum immolabant. Mulieri ad eam rem divinam adesse non licebat, neque videre, quomodo fieret, permittebatur. Unde nunc Poeta videtur per ironiam hortari mulierem etiam ad sacrificia, quæ a viris duntaxat peraguntur. Horatius *in Epistol.*

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

de hoc tamen aliquid certius quærendum est.

547. *Quadrante lavari.*) Exigua mercede, qualem persolvunt pauperes philosophi. [*Cr.*] C. Immo quadrantem balneatori dare mos fuit Romæ. Hinc Seneca, Balneum *rem quadrantariam* appellavit. *Cur*, inquit, *exornaretur res quadrantaria, & in usum, non oblectamentum, reperta?* Cicero item *pro Cœlio*: *Nisi forte mulier potens, quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* S.

448. *Non habeat dicendi genus.*) Non sit ea eruditione, ut ex arte possit dicere, cognoscatque genera dicendi, quæ tria sunt, grande, mediocre & humile. [*Gr.*]

449. *Curtum.*) Breve, nam paucis absolvitur verbis.

450. *Torqueat enthymema.*) Rhetores *enthymemata* appellant sententias conclusas ex contrariis. ut Hunc metuere: Alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil accusas, damnas; Bene quam meritam autumnas, male merere judicas. Id, quod scis, prodest; nihil id, quod nescis, obest. Tales igitur sententiæ, quæ concluduntur ex repugnantibus a rhetoribus *enthymemata* nuncupantur. Alii *enthymema*, ut scribit Quintilianus, Rhetoricum syllogismum; Alii imperfectum syllogismum vocavere, quia nec distinctis, nec totidem partibus concluderetur.

450. *Torqueat.*) Jaculetur in adversarium.

452. *Palæmonis.*) Tantæ, ut testatur Suetonius de Claris Grammaticis, arrogantiæ fuit Rhemnius hic Palæmon Vicentinus, ut de se divinasse diceret Virgilium, quum dicit, *Tantum vicine Palæmon*, ut videlicet Poetarum aliquando arbiter foret. Varronem *porcum literarum* appellabat: literas dicebat secum esse natas & secum morituras.

454. *Antiquaria.*) Qui verba ab usu remota, & pene exauctorata scrutantur, quasi inde eruditionis famam aucupantes, *antiquarii* appellantur. Quintilianus eos irridet, qui sic famam eruditionis affectabant, ut quædam soli scire viderentur. Cacozelos autem & antiquarios, ut diversos genere vitiosos, pari studio sprevit, auctore Tranquillo, Augustus: Nam Cacozeli Latine dici posse videntur mali affectatores æmulatoresque. Quintilianus *lib. VIII.* ait, *Cacozelon malam esse affectationem per omne dicendi genus peccantem.* Nam tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arcessita, & exsultantia sibi idem nomen habent.

455. *Nec curanda viris.*) Illam etiam odi, quæ exquisitæ est diligentiæ circa studia, ut etiam amicæ barbarismos (rem sane minimam) castiget, quod viris etiam negligendum sit, cum ab amicis tale quid committatur.

455. *Opicæ.*) Barbaræ, & veluti incultæ Latinitatis.

456. *Solœcismum.*) *Solœcismus* est, ut docetur *ad Herennium*, quum verbis pluribus consequens verbum superiori non accommodatur. Asinius Capito in *literis*, quas ad *Clodium Tuscum* dedit hisce verbis definit: *Solœcismus est, impar & inconveniens compositura partium orationis.* quum Græcum autem vocabulum sit solœcismus, an Attici homines, qui elegantius locuti sunt, usi eo sint, quæri solet. Sed nos, inquit Aulus Gellius, neque solœcismum apud Græcorum idoneos adhuc invenimus. Nam sicut *barbaron*, ita *Solœcon* dixerunt. Nostri quoque antiquiores *Solœcon* facile, *solœcismum* haud scio, an unquam dixerint. quod si ita est, neque in Græca, neque in Latina lingua *solœcismus* probe dicitur. A vetustioribus autem Latinis *stribiligo* dicebatur, a versura videlicet & pravitate tortuosæ orationis, tanquam *strebiligo* quædam. Nam στριβλέω sive στριβλῶ apud Græcos *torqueo*, ac *depravo* significat, unde & *Stribilita* appellata est, quod in circuitu ad testis modum *torqueretur*, unde a nostris *torta* appellata est. Martialis:

Circumlata diu mensis stribilita secundis,
Urebat nimio sæva calore manus.

456. *Liceat fecisse marito.*) Non sit tam docta, ut intelligat, quum maritus incongrue loquitur.

457. *Nil non permittit sibi.*) Mira est mulierum impudentia, quæ omnia sibi licere putant, quandoquidem nec eas pudet circa collum gemmas gestare, & auribus uniones suspendere.

458. *Virides gemmas.*) Smaragdos intelligit, quibus ait Plinius, nihil comparatum omnino viridius virere.

459. *Commisit auribus.*) id est suspendit. Unde Seneca *lib. VII. de Beneficiis*: *Video uniones non singulos singulis*

singulis comparatos, jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt.

459. *Elenchos.*) Plinius *lib.* IX. *cap.* XXXV. uniones fastigiata longitudine *elenchos* appellat: *Hos*, inquit, *digitis suspendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est.*

461. *Interea fœda aspectu.*) Insurgit Poeta in mulieres cutem curantes, & faciem expolientes, ut adulteris placeant.

461. *Interea.*) Mulier dum sibi omnia permittit indulgetque, totam faciem domi linit medicamentis, & operit, ut tenera & candida cutis fiat, quum vero ad mœchum proficiscitur, deponit linteola & medicamenta, exsentque curatam faciem. Lacte asinino cutem in facie erugari, & tenerescere, candoremque custodiri putant. auctor est Plinius. de *Othone* scribit Tranquillus, quod *pane madido* faciem linere consueverit. ubi intelligendum panem fuisse lacte asinino maceratum. supra:

Et pressum in facie digitis extendere panem.

462. *Pinguia Poppæana Spirat.*) Alii *Poppæana* medicamenta esse intelligunt, id est *offas panis madidi lacte asinino*, ut sit idem bis repetitum, multo pane tumet facies & pinguia Poppæana spirat. Ego vero *unguenta* fuisse interpretor his rationibus, & quod *pinguia* dixit & *spirat*. Nam unguenti est esse *pingue* & *suavis odoris*; ex pane autem macerato lacte asinino, neque *odor* ullus habetur, neque *pingue*: unguentum igitur expone preciosissimum, quod ipsa Poppæa Neronis uxor adinvenerit usaque sit. Nam & unguentorum usus fuit apud mulieres, ut placerent. sequitur enim, *Mœchis foliata parantur.* ut ita appellata sint *Poppæana* a *Poppæa*, quemadmodum *Cosmiana* a *Cosmo*, & *Nicerotiana* a *Nicerote* confectoribus & magistris.

463. *Et hinc miseri viscantur.*) Hinc maxime indignatur Poeta, quod mulier se poliat, non ut marito placeat, sed amatori tantum. Nam medicamenta illa e facie non lavat domi, parum curans, an placeat marito, unde labra mariti viscantur, quum eam osculatur.

464. *Lota cute.*) Elutis e vultu medicamentis.

465. *Foliata.*) *Unguenta nardina*, nam ea preciosissima habebantur, quæ ex foliis & spicis nardi fiebant. Unde Plinius: *De folio nardi plura dicere par est, ut principali in unguentis.* inde addit: *Cacumina nardi in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas, ac folia celebrant.* Idem alibi ait *unguentum regale* appellatum, quod Parthorum regibus ita temperatur: *Constat myrobalano, costo, amomo, cinnamomo, comaco, cardamomo, nardi spica, maro, myrrha* &c. Unde *spicatum unguentum* dicebatur, quod ex *spicis* fieret; de quo in Euangelio, ubi loco depravato legitur *pistici*, quod omnino culpa Interpretum factum est. C. Nam etsi Græce πιστικῆς legatur, Latina tamen consuetudine, *spicatæ*, vertere debuissent. S.

465. *Parantur mœchis.*) Ac si si dicat, non jam marito vult per unguenta placere, sed grata esse amatoribus suis. bene autem ait *parantur*, unguenta enim inventa sunt ad alienam voluptatem, nam qui odorem gerit, ipse non sentit.

466. *Emitur his.*) id est ab his mulieribus.

466. *Indi mittitis.*) Ex *India* enim multi ex hujusmodi odoribus habentur, unde sic Plinius de costo & Nardo loquens: *Radix & folium ex Indis maximo precio.*

466. *Graciles.*) Tenues corpore, & non pulposi: sic etiam appellavit *Mauros*: *Et nigri manus ossea Mauri*, qui ossa tantum habere videntur, quum sint exili & macilento corpore: hocque ratione nimii æstus, qui maciei caussa est, sicut humor pinguedinis.

466. *Aperit vultum*) amotis linteolis & medicamentis.

467. *Tectoria.*) Integumenta illa medicamentorum. sumta metaphora a parietibus, qui *tectoriis* cooperiuntur, ut sint pulcriores. [*Gr.*]

468. *Illo lacte.*) Ad illud respicit, quod ait Plinius, ut ante diximus, cutem in facie erugari, & tenerescere, & candorem custodiri lacte asinino: notumque quasdam quotidie septingentas custodito numero fovere. *Poppæa* uxor Neronis principis id instituit, balneorum quoque sic solio temperato *asinarum* gregibus ob hoc eam comitantibus.

470. *Exsul.*) Tanta est decoris affectatio, ut quocunque etiam migrandum fuerit in ærumnis etiam voluptatibus indulgeat.

470. *Axem Hyperboreum.*) i. Septentrionales regiones. Solinus scribit, Hyperboreos incolere ultra Aquilonem, apud quos mundi cardines esse creduntur. Domus sunt nemora: in diem arbores victum subministrant. Dicti *hyperborei*, id est superaquilonares: vetustas enim *hyperboreos* vocavit incolas locorum, quæ super Scythiam sunt, quasi originem Boreæ introrsum recedendo transissent.

471. *Sed quæ mutatis.*) quasi dicat, ulcus potius dicendum est, quam facies, nam & ulcera eodem modo emplastris & medicamentis foveri solent.

472. *Offas coctæ siliginis.*) id est Frustra panis cocti & macerati lacte asinino: nam appellatione *offæ* intelligimus frustra panis, carnis, casei, & hujusmodi rerum. unde dicimus *offam* porcinam, id est frustum carnis porcinæ. Juvenalis *Sat.* II.

— *Et patruo similes effunderet offas.*

Persius item appellavit globum carnium, *offas*: *Offas ingeris.* Plin. *Amygdalas contusas, & in offam redactas.*

 472. Sili-

472. *Siliginis.*) Genus tritici, ex quo fit panis delicatissimus, de quo plura ante.

476. *Aversus*) ab uxore. si forte maritus nocte cum ea non concubuerit, indignata sævitiam in servos exercet.

476. *Periit libraria.*) Quum enim in maritum animadvertere non possit, in familiam sævit. Libraria autem dicta a *libris*, quos Dominæ exscriberet, sicut librarius domino exscribebat, unde Plinius *lib.* VII. *Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut, si nihil aliud ageret, septenas.* & Cicero filius *ad Tironem* ita scribit; *Peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus. multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis.* nisi forte vocabulum deducatur a *libra*, ut *libraria* ancilla diceretur, quæ dispartiendis pensis præesset.

476. *Ponunt tunicas.*) id est deponunt, ut flagellentur. Plautus *in Persa*: *Ubi captum est flagram, dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria?*

477. *Cosmetæ.*) Ancillæ, quæ Dominam orant. C. Quæ ornatrix a Suetonio & Ovidio dicitur. Quo nomine mundus ab ornatu a Græcis appellatus est; ut a Latinis a perfecta absolutaque elegantia *Mundus*: qua etiam voce muliebrem ornatum appellamus. S.

477. *Tarde venisse.*) Increpatur, quod tarde venerit.

477. *Liburnus.*) Servus: nam ex *Liburnia* mittebantur servi robusto & procero corpore, ut diximus supra:

— *Et ingenti curret super ora Liburno.*

478. *Pœnas alieni somni.*) id est mariti, qui dormivit, nec uxorem ea nocte attigit.

479. *Hic frangit ferulas.*) Ita dictum, sicut alibi de Mario:

— *Nodosam frangebat vertice vitem.*

vitem enim frangebat vertice suo, dum verberabatur.

479. *Flagellis.*) Nam tortores in servos flagellis animadvertebant. Romæ flagella vendebantur in Suburra. Martialis:

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum.

480. *Tortoribus*) lorariis, quos inter servos habebant, & mercede etiam conducebant.

480. *Annua præstant.*) *Annua* absolute appellamus, sive alimenta unius anni. Unde Tranquil. *in Tiberio*: *Sed & peculio concesso a patre, præbitisque annuis, fraudavit per speciem publici juris*: Idem *de Clar. Gram.* loquens de Palæmone Vicentino: *Quanquam ex schola quadringenta annua caperet.* sic etiam accipimus *diurnum* pro victu sive mercede unius diei. Seneca II. *Controvers. Consors modo omnis fortunæ diurnum petam.*

482. *Vestis pictæ.*) Vestem Phrygiam forte intelligit: quam, ut est auctor Plinius, acu facere invenere Phryges. unde & *Phrygiones* appellati, sunt qui acu vestes pingunt. Possumus etiam intelligere vestem Attalicam. Nam Attalus rex Asiæ vestibus aurum intexere invenit, unde Attalicis nomen. Hæc Plinius.

483. *Transversa.*) Consuevisse Romanos rationem quærere ex servis suis ostendit, ut diximus paullo ante, Seneca *ad Lucil. Audio circa horam tertiam noctis flagellorum sonum, quæro, quid faciat; dicitur rationes accipere.* Mulier igitur furibunda, & ita ratione cognoscens, & diligenter trutinans errata longi diurni, verberat servum.

483. *Diurni*) libri, in quo singulorum dierum rationes notantur.

485. *Transversa.*) Ego intelligo errata, & delicta commissa; quum perperam rationes notaverit, unde dicimus fertur *transversus*, quum non recte quispiam incedat, & a recta via declinet. C. Ego vero hoc loco Poetam de adversariis, quæ vocant, loqui arbitror. Sunt autem *Adversaria* libelli, in quibus negotiationes singulis diebus notamus, relaturi postea in accepti & expensi codices sive tabulas: scribebantur autem & adversa parte, & per *transversum*, & omni ex parte, ut hodie quoque facimus. ad hunc igitur morem respiciens Satyricus dicit: *relegit transversa diurni.* De *adversariis* libellis meminit Cicero *pro Q. Roscio Comœdo*: Cœlius Rhodiginus *lib.* XII. *cap. ult.*

485. *Jam cognitione peracta.*) Jam omnibus rationibus diligenter recognitis & excussis.

486. *Profectura domo.*) id est quum jam domo sit profectura, peracta jam cognitione tum demum intonat: Exi, jam fessis cædentibus.

486. *Sicula non mitior aula.*) id est Phalaride Agrigentinorum tyranno, cujus crudelitatem tantam fuisse constat, ut præmia inventoribus novorum tormentorum proponeret. cui ut placeret Perillus optimus artifex, æneum taurum conflavit, ut inclusus reus subjecto igne torqueretur, & vox hominis exclamantis mugitum bovis imitaretur. Ceterum Phalaris Perillum novo instrumento inclusum supplicio mortis affecit. Unde Ovidius:

— *Ut munus munere penses,*
Da, precor, ingenio munera digna meo.
Dixerat hæc, Phalaris, pœnæ mirande repertor
Ipse tuum præsens indue, dixit, opus.

489. *Sacraria.*) Loca, ubi *sacra* reponuntur, & quæ etiam in ædificio privato esse possunt & solent. Locus autem *sacer*, dicitur sacratus. Hæc Ulpianus de Rerum Divisione.

480. *Lenæ Isiacæ.*) *Isis* Ægyptiorum fuit Dea, cujus sacrificia Romam translata fuere. in ejus templo maxima dabatur adulteriorum occasio. Ovidius:

Nec fuge Niliacæ Memphitica templa juvencæ,

Multas

Multa illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Scribit Josephus *lib.* VIII. *Antiquit.* juvenem quendam nomine Mundum, quum impatienter Paullinam quandam, generosam & pudicam alioquin matronam, amaret, sacerdotes Isidis pecunia corrupisse, qui novo religionis commento mulierem in templum vocarent. Ii igitur, quum fingerent se per noctem cum Osiride collocutos, persuasere eam a Deo desiderari. Eam itaque, quum in templum venisset, juvenis tanquam Osiris compressit: mox quum petulantius stuprum ei exprobrasset. mulier marito rem detulit, maritus Tiberio, qui indignatus sacerdotes cum liberta Mundi, quæ totius facinoris fuerat conciliatrix, crucibus affixit, templum Isidis evertit: simulacrum ejus in Tiberim præcipitavit: Juvenem trans mare relegavit, graviore supplicio dignum non judicans, quod amoris impatientia & furore deliquisset.

486. *Lenæ Isiacæ.*) id est Lenæ, quæ in templo Isidis mulierem exspectat. Templum autem *Isidis* proximum fuisse campo Martio, & Tiberi ostendit Juvenalis:

A Meroe portabis aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.

490. *Componit crinem.*) Notat superbam mulierum vecordiam, quæ quum ab ancillis ornarentur, essentque deformes, offensæ ea deformitate, dum in speculo se inspicerent, ancillas ipsas pulsarent. idem notatur a Martiale *lib.* II.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage, speculo quod viderat, ulta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.

490. *Laceratis capillis.*) a domina.

491. *Nuda humeros.*) id est habens humeros nudos, & mammillas discissa veste a Domina, a qua cæditur.

492. *Altior hic quare.*) Verba Dominæ increpantis ancillam. Quod & Sen. notat de *Brevitate Vit. Quomodo excandescunt, si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderunt?*

492. *Taurea.*) Nomen matronæ fictum a feritate tauri. C. Immo *taurea* genus tormenti est, teste Eutropio, qui scribit Tarquinium Superbum excogitasse primum vincula, taureas, fustes, compedes, latumias, metalla. arbitror scuticam fuisse ex taurino corio, qua terga damnatorum cædebantur, ut hodie quoque fit plerisque in locis.

492. *Punit crimen.*) id est quod ipsa putat, & vocat crimen.

494. *Quid Psecas.*) Verba Poetæ subsannantis furentem dominam.

494. *Heic.*) in hac re, id est quum tu tibi displiceas. indignatur enim & irascitur ancillis, quod deformis sit.

495. *Altera lævum.*) Sensus est, altera mulier est, quæ quum se comit, & capillum circa caput digerit, alias de ornatu consulit.

495. *Altera lævum.*) Utrum extendit lævum capillum, an extendit & pectit comas, & volvit in lævum orbem?

496. *Volvit in orbem.*) Circum caput multimodis revolutionibus disponit.

497. *Est in consilio matrona.*) Hoc est quod dicit, quum altera extendit, pectitque comas, statim adhibetur matrona in consilium: Nam matronam & ancillam anum, quasi per ætatem peritiorem, consulit de capitis ornatu.

498. *Emerita acu.*) id est jam finito munere suendi propter ætatem. *emeriti* enim illi dicuntur, qui functi sunt munere suo, & vacationem habent. Tranq. *in Calig. Ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summmam rescidit.* Papin. *in Sylvis:*

Cæsar ab emerito jubeat discedere bello.

Mulier enim vetula omisso munere suendi vitio ætatis, carpendis lanis admovebatur. Horat.

— Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam non citharæ decent.

498. *Sententia prima*) hujus ancillæ vetulæ, ut peritioris.

499. *Minores arte.*) In peritia ornandi.

500. *Discrimen famæ.*) Periculum existimationis & vitæ.

501. *Tanti est quærendi.*) i. tanti faciunt studium ornandi se.

503. *Ædificat.*) Amplificatio est per irrisionem: quasi turrim altam exstruat.

503. *A fronte.*) Incessum mulierum designat, quæ ore elato incedunt, ita ut a fronte videantur proceræ, & a tergo minores. [*Gr.*]

504. *Cedo, si breve parvi.*) Jocatur Poeta in breviculam mulierem: *cedo*, inquit, id est dic mihi, quomodo facit, tam brevi statura, quum maritum vult osculari? erigit se, inquit, in plantas.

506. *Cothurnis.*) Calceamentis, qualia fiunt ex cortice suberis in usum mulierum, ut docet Plinius.

506. *Virgine Pygmæa.*) i. brevis staturæ, quales sunt *pygmæi*, qui & *spithamæi* dicuntur, eo quod *ternas spithamas* longitudine, hoc est ternos dodrantes sive palmos non excedant. ad extremos Indiæ fines habitant, salubri cœlo semperque vernanti, montibus ab Aquilone oppositis, quos a gruibus infestari Hom. quoque prodidit. Fama est insidentes arietum capraumque dorsis armatos sagittis, veris tempore universo agmine ad mare descendere, & ova pullosque earum

altum consumere, aliter futuris gregibus non resisti. Plin.

508. *Nulla viri cura interea.*) Dum hæc curat, quomodo se ornet & comat, nullam rerum domesticarum curam habet, quasi ad eam nihil pertinentium.

510. *Hoc sole propior.*) Satyrice dictum, hac una re videtur rerum mariti curam habere, quod scilicet odit amicos ejus & servos, quum in ceteris rebus, quasi ad se non spectantibus sit negligentissima.

511. *Gravis rationibus*) domesticis, quum plus impendat, quam ratio familiaris tolerat.

511. *Ecce furentis Bellonæ, matrisque Deum.*) Stultam superstitionem mulierum multis carminibus insectatur, quod nimis credulæ timeant, quæ a sacerdotibus Cybeleis, & Isiacis horribiliter prænuncientur.

511. *Furentis Bellonæ.*) id est sacerdotum Bellonæ furentium, nam in ejus sacris sacerdotes suo cruore sacrificabant, gladios enim districtos utraque manu tenentes sectis pariter humeris, & lacertis, & capitis rotatione discurrebant, & veluti numine Deæ afflati agebantur. unde superius:

— Sed ut fanaticus œstro
Percussus Bellona tuo, divinat. —

Tibullus:

Hæc ubi Bellonæ motu est agitata. —

eam turbam Martialis *Entheam* appellat, id est *fanaticam*, & numine afflatam. Lampridius: *Bellonæ servientes vere exsecare brachium præcepit studio crudelitatis.*

512. *Matrisque Deum.*) Cybeles. de qua superius. Huic sacerdotes Galli serviebant eunuchi, qui apud Deam se jactantes faciebant cymbalorum, ferramentorumque jactatorum ac manuum sonitum. *Galli* autem sunt cognominati sacerdotes Deæ, a *Gallo* fluvio Phrygiæ, apud quem Orgia colebant. simulacrum autem illud Deæ facile Romanis concessum fuit, consanguineos se dictantibus, atque oriundos ab Ænea Phryge. ipsum simulacrum cœlitus, ut ajunt, demissum, neque qua sit materia, neque a quo fabricatum artifice, ut scribit Herodianus, satis constat, neque plane hominum manibus creditur factum, hoc igitur decidisse cœlitus ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen *Pessinunti* a casu ejus simulacri factum.

512. *Ingens Semivir.*) id est antistes sacrorum & præfectus Gallorum.

513. *Semivir.*) quia eunuchus.

513. *Facies reverenda.*) quam ceteri sacerdotes minores venerantur.

513. *Minori obsceno.*) id est Gallo fœdo fœminino. Nam D. Augustinus scribit, Gallos molles contra omnem virorum, mulierumque verecundiam consecratos, madidis unguento capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu fœmineo per plateas, vicosque a populis, unde viverent, turpiter quæsitasse.

514. *Secuit genitalia.*) Virilitatem enim sibi, ut scribit Plinius, testa Samia amputabant in memoriam Atys a Dea dilecti. unde Ovidius:

Venit in exemplum furor hic, mollesque ministri
Cædunt jactatis vilia membra comis. [Gr.]

514. *Mollia.*) Proprium est epitheton. Eunuchorum. *molles* enim sunt veluti fœminæ: unde superius:

Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ.

515. *Rauca cohors.*) id est vocis acutæ exilis & muliebris. nam *eunuchi*, auctore Macrobio, ita acutæ sunt vocis, ut sæpe mulier, an eunuchus loquatur, nisi videas, ignores. Id facere superflui humoris abundantiam tradit, qui arteriam, per quam sonus vocis ascendit efficiens crassiorem, angustat vocis meatum: & ideo & fœminis & eunuchis vox acuta est, viris gravis, quibus vocis transitus habet liberum, & ex integro patentem. Quintilianus *lib.* XI. *Ne ad spadonum, & mulierum, & ægrorum exilitatem vox nostra tenuetur.*

515. *Cui*) Antistiti.

515. *Tympana Plebeja.*) id est sacerdotes minores, & Plebeji Nam ministri Cybeles, qui eam comitantur, tympana aliaque instrumenta pulsabant. Ovid. III. Fastor.

Æra Deæ comites, raucaque terga movent;
Cymbala pro galeis; pro scutis, tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

515. *Cedunt.*) venerantur.

515. *Et cui*) Antistiti.

416. *Vestitur bucca.*) id est os, nam redimicula e pileo dependebant, quibus maxillæ, & mentum vestiebantur. Nam *bucca*, pro buccis dixit, & proprie *bucca*, ut alibi diximus, appellatur ea pars oris, quæ infra malas inflari solet. Unde Horat.

— Quin Juppiter ambas
Iratus buccas inflet. —

516. *Tiara.*) Genus pilei, quo peculiariter Persæ utebantur; de quo Herod. *lib.* VII. *Ex quibus, qui militabant, fuerant Persæ, hunc in modum ornati circa capita gestabant pilea impenetrabilia, quas vocant tiaras.* Lunatæ formæ indicat fuisse Sidonius in *Panegyrico*:

Flectit Achemenius lunatam Persa tiaram.

Servius quoque declarans illud Virgilianum: *Sacerque tiaras*, dicit pileum fuisse Phrygium, quo ipsi sacerdotes uterentur, qui in Phrygia primi sunt instituti ipsi matri Deum, unde nunc dixit:

— Et Phrygia vestitur bucca tiara.

D. Hieronymus ad Fabiolam: *Quartum genus est vestimentum*

mentum rotundum pileolum, quasi sphæra media sit divisa, & pars una paratur in capite. hoc Græci & nostri tiaram, nonnulli galerum vocant. non habet acumen in summo, nec totum usque ad comas caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit, atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. est autem byssinum, & sic fabre operatum linteolo, ut nulla acus vestigia forinsecus pateant.

517. *Grande sonat.*) Miranda prædicit, & grandia: ut non ad vocem claram referas, sed ad faciem rei horrendam: nam Galli sacerdotesque Ægypti per Urbes cum insignibus suis vaticinantes, fanatico carmine talia populis ventura minabantur, qualia Sen. *de Beata Vita* sic irridet: *Quum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, quum aliquis secando lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, quum aliqua genibus per viam repens ululat, laurumque linteatus senex & medio lucernam die præferens conclamat iratum aliquem Deorum, concurritis & auditis, ac divinum esse eum invicem mutuum alentes stuporem affirmatis.*

519. *Et xerampelinas.*) Ad usum matronarum scribit fuisse Probus vestes ampelini coloris, qui inter coccinum & muriceum medius est. Ξηρὸς enim *siccum* significat, ἄμπελος *vitem*, itaque xerampelinus color is esse existimatur, quem nunc rosam siccam nominamus. Georgius Merula ita scriptum reliquit: *Has vestes Atrabaticas invenio Latine appellatas his verbis apud Suidam:* Diebus festis, & in victoria, aut astantibus legatis induebantur tunicas & chlamydes auro ac purpura variatas, aut alio quovis modo pretiosas. in quotidianis vero conventibus xerampelinas sic a colore dictas, quas vocabant Atrabaticas *a colore videlicet. atrum enim nigrum significat, unde conjicimus xerampelinas nigras fuisse.* hæc ille. Aut revera intelligit vestes lineas, quales solent gestare sacerdotes Ægypti, nam de sacerdotibus & Cybeleis & Isiacis intelligit. vestes autem conficiebantur ex genere lini, quod *xylon* appellarunt, de quo ita Plinius *lib. xix. cap. 1. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylon, & ideo lina inde facta xylina. parvulus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus in exteriore bombyce lanugo netur. Nec ulla sunt ei candore, mollitieve præferenda. Vestes inde sacerdotibus Ægypti gratissimæ.* ut intelligas vestes lineas coloris ampelini, & legas *xylampelinas*, nisi forte ratio metri reclamet, nam *xylon* primam syllabam habet correptam. quæ tamen ratio plerumque a Poetis confunditur: sensus tamen prior magis placet.

519. *Vestes.*) Alii legunt *veteres.* C. S. C.

519. *Donaverit ipsi*) sacerdoti.

522. *Descendet*) mulier, ita sacerdote jubente. Putabant enim se Tiberis aqua perfundentes expiari. Persius:

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput, bis terque & noctem flumine purgas.

524. *Timidum caput.*) id est ipsa timida.

524. *Totum agrum regis.*) id est campum Martium, qui ejecto Tarquinio Superbo, datus est populo & Marti consecratus.

526. *Io candida.*) id est si Sacerdos ex Isidis imperio jusserit: non enim ipsa Dea jubet: sequitur enim:

Credit enim ipsius Dominæ se voce moneri.

526. *Candida.*) Aut pulcra, aut verius respexit ad id, quod vestibus linteis uterentur Isiaci sacerdotes, ut statim dicemus.

526. *Io.*) Inachi Argivorum regis filia a Phœnicibus rapta est, ut scribit Herodot. *lib.* 1. & abducta in Ægyptum; Osiris eam duxit uxorem, quo mortuo regnum tenuit, dictaque *Isis*, & post mortem habita pro Dea. Ejus sacra Romam translata sunt. Templum juxta campum Martium exstructum fuit, sacerdotes vestibus lineis induti per Urbem lugentes vagabantur: mox ad lætitiam conversi, sacra perficiebant. Id erat monumentum *Isidis*, quæ quum ossa Osiridis a fratre Typhone occisi diu quæsita non invenisset, in maximos prorupit luctus. Unde commoti Ægyptii tam diu ea multo luctu quæsiverunt, quoad juxta Syenem invenerunt, quibus inventis lacrymas in lætitiam verterunt. Ea illic ab Iside mandata sunt sepulturæ. mulieres hæc sacra frequentabant, nefasque iis erat illis diebus conjungi cum viro.

528. *Meroe.*) Multas magnasque insulas ambit Nilus, quarum nobilissima est *Meroe.*

528. *Aquas calidas.*) Pars etiam illa Ægypti zonæ proxima est torridæ.

528. *Portabit.*) Hyberbolicos dixit, id est etiam ex parte extrema orbis.

528. *Ut spargat.*) hoc est ex instituto sacri Isiaci, nam in templo *Isidis* aqua sparsa de Nilo dicebatur, quamvis simulata foret. [*Cr.*]

529. *Proxima antiquo ovili.*) id est loco ita cognominato in campo Martio. nam *ovile* ideo appellatus est locus in campo Martio, quod ibi greges *ovium* a Tarquiniis haberentur. fuit enim eorum ager: hocque magis placet, quam ut intelligas de septis, hoc est tabulatis, in quibus clauderetur populus tempore comitiorum. ait enim *antiquo ovili*, hoc est illo loco, qui in campo Martio antea & priscis temporibus appellatus *ovile*: ubi sc. greges, & *ovilia* habuere Tarquinii: quibus postea, ut diximus, expulsis, campus populo datus est, & Marti consecratus. inde postea septa illa fabricata fuere, quibus populus claudebatur ad danda

suffragia. Spartian. in Adrian. *Romæ instauravit Pantheum, septa, basilicam Neptuni.* Plinius *lib.* XVI. loquens de magnitudine arborum: *Fuit & memoria nostra in porticibus septorum a M. Agrippa relicta.* De *ovili antiquo* in campo Martio intellexit & Lucan. *lib.* I.

— Et miseræ maculavit ovilia Romæ.

id est ipsum campum Martium, qui antea habuerat ovilia Tarquiniorum. Liv. Strab. quoque mentionem facit *lib.* V. *Sylla alios, qui arma projecerunt, ad millia tria, vel, ut alii, quatuor, in campo Martio ad ovilia coactos, immissis militibus, triduo jugulav.t.*

531. *En animam & mentem.*) Ironia est in sacerdotem. o quam sanctus, inquit, est sacerdos, quamque dignus, cum quo loquatur nocte Dea. *Anima* est qua vivimus; *Animus* vero, quo sapimus. nam auctore D. Augustino, substantia quædam rationis particeps regendo corpori accommodata, unde est illud Sallustianum: *Sed dux atque imperator vitæ mortalium est animus*, &c.

532. *Ergo.*) Quum mulieres credant sacerdotes colloquia cum Iside habere, ergo eos præcipue colunt.

533. *Grege linigero.*) Reliquis sacerdotibus indutis vestes, ut diximus, lineas. De quibus ita Ovid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Martialis:

Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba:

Suetonius in Othone: *Sacra enim Isidis sæpe in linea religiosaque veste propalam celebravit.* Apulej. in *ult. Met.* loquens de ceremoniis Isiacis. *Tunc influunt turbæ sacris divinis initiatæ viri fœminæque omnis dignitatis, & omnis ætatis linteæ vestis candore puro luminosi*

533. *Grege calvo.*) Hoc dicit, quia caput deradebant. Lampridius: *Sacra Isidis coluit, ut & caput deraderet, & Anubin portaret.* Apul. *lib. ult. Met. Illæ limpido tegmine crines madidos obvolutæ, hi capillum derasi funditus verticem prænitentes.*

534. *Plangentis populi.*) id est Reliquorum sacerdotum, qui lugentes, & linteа veste amicti vagabantur per Urbem, in memoriam Isidis.

534. *Derisor.*) quasi qui nimis credulum populum derideat.

534. *Anubis.*) Hoc loco *Anubin* appellat sacerdotem Isidis, quando nuncius sit inter mulieres & Isidem. nam *Anubin* Ægyptii colunt, ut nuncium inter Superos & Inferos. *Apul. lib. ult. Metam. Ille superum commeator & inferum, nunc atra, nunc aurea facie sublimis attollens canis cervices arduas Anubis, læva caduceum gerens. lib.* II. *Deum, qui apud Ægyptios Anubis vocatur capite fingunt canino, significantes custodem corporis Osiridis & Isidis fuisse.* Unde a Virgil. appellatur *latrator Anubis.* Sic a Propertio:

Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubin.

filium docet Diodorus fuisse Osiridis.

535. *Ille*) sacerdos, qui se cum Iside colloquium habere simulat.

535. *Veniam*) mulieri & uxori ab Iside.

536. *Concubitu*) mariti sui.

537. *Violato cadurco.*) *Cadurco* legendum est, non *caduceo*, nam & syllaba repugnat, & sensus non procedit. ergo *violato cadurco*, id est non servata castitate lecti matrimonialis per eos dies, quibus sacra Isidis peragebantur. Nam tunc nefas erat conjungi marito, autem novem diebus fiebat. Propert.

Tristia jam redeunt iterum solennia nobis,
Cynthia jam noctes est operata novem.

nam *cadurcum* posuit pro lecto. *Cadurci* enim populi sunt Galliæ, apud quos lini præstantia obtinet palmam in culcitris, ob præcipuum candorem, quod docet Plin. *lib.* XX. *Nullum est candidius linum lanæve similius: sic culcitris præcipuam gloriam Cadurci obtinent Galliarum*, hoc ad tomenta pariter inventum. Unde Poeta in *seq. Sat. Institor hybernæ tegetis, niveique cadurci*, id est culcitræ candidæ.

538. *Et movisse caput.*) ironicos. & profecto, inquit, ipse Osiris precibus sacerdotis annuit. Nam visa est serpens argentea movisse caput, id est assensisse.

538. *Serpens argentea.*) In simulacro enim Serapis, quem *Osiridem* appellant, ut scribit Diodorus *lib.* I. signum erat, ut tradit Macrobius I. *Saturn.* tricipitis animantis, quod exprimit medio eodemque maximo capite leonis effigiem. Dextera parte caput canis exoritur, mansueta specie blandientis. C. pars vero læva cervicis, rapacis lupi capite finitur: easque formas animalium draco connectit volumine suo capite redeunte ad Dei dextram, qua conspicitur monstrum. de quo dracone nunc Poeta videtur intelligere. eundem etiam in imagine Isidis exstitisse docet Valer. Flaccus *lib.* IV. *Argonaut.*

Aspice cincta comas, & ovanti persona sistro. S.

Unde etiam in pompa Isiaca gestabatur serpens in imagine Osiridis, de qua meminit Ovid.

Pigraque labatur circum donaria serpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

539. *Illius lacrymis*) sacerdotis.

539. *Meditataque murmura præstant.*) Ironice. murmura sacerdotis meditata præstant, ut Osiris scilicet corruptus ansere, & popano non abnuat veniam culpæ.

540. *Ansere magno.*) Nam sacerdotes carne *bubula*, & *anserina* maxime vescebantur, auctor Herodotus *lib.* II.

540. *Culpæ.*) Crimini mulieris, quæ cum viro concubuit.

541. *Cor-*

541. *Corruptus.*) Quasi more mortalium muneribus corruptus sententiam mutet, ut illud apud Persium:

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.

541. *Tenui popano.*) Tenui placenta. Nam, ex auctoritate Suidæ, *popanum* est placenta lata, tenuis & rotunda. Auctore Polluce, utebantur in sacrificiis.

542. *Quum dedit ille locum.*) Ubi Isidis & Cybeles sacerdotes abiere, præsto sunt Judæi, quorum superstitiosis monitionibus credunt mulieres. Nam Judæa mendicat in aurem.

542. *Cophino fœnoque relicto.*) id est In sylva relicta suppellectile in Urbem venit. *Cophinum* genus fuisse corbis sive cistæ apertissime docet Martialis *lib.* v.

Dum te posse negas, nisi lato Gellia clavo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero.

hoc est Judæo. nam *lib.* VII. scribit ad eandem Gelliam:

Nec recutitorum fugis inguina Judæorum.

Cophinorum etiam pro canistris sive cistis fit mentio in *Sacra Scriptura* apud D. Joannem. *Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.* Judæi ergo, ut mendici & pauperes *cophinum* gestabant, quo stipem, reliquaque erogata exciperent, eodem modo & *fœnum*, ubi cubitarent: ea enim erat supellex eorum.

544. *Legum Solymarum.*) Legum Judaicarum, quas Judæi a Moyse acceperunt in monte Sinai. *Solymas* autem appellavit, quia, quæ *Hierosolyma* dicitur, antea *Solyma* vocabatur. Civitas enim fuit Judæorum vetustate, divitiis, multaque religionis observatione celebratissima, quam Titus secundo anno principatus Vespasiani, Septembris mensis octava die funditus sustulit. lege Josephum *lib. ult. de Bello Judaico.* alludit ad sacerdotes Dodonæos, de quibus Herodotus *lib.* II.

546. *Implet & illa manum.*) Aut Judæa implet sibi manum prædicendo futura: aut illa, scilicet mulier Romana, implet manum Judææ.

546. *Aere minuto.*) Trientibus, & id genus numismatis.

547. *Qualiacunque voles.*) Hinc Judæorum fallacias ostendit, qui pro mercedis qualitate prænunciant futura. omnia enim ad consulentis votum confingunt, quod etiam docet Apul. II. *Apol.* loquens de Chaldæis.

547. *Somnia vendunt.*) Ut modo bona, modo mala, quæ per noctem fingunt se habuisse. illud autem non placet, ut ad *somnia* referas, quæ captarentur pro se, vel pro aliis in templo Serapidis in Canopo. Neque enim nunc res agitur in Ægypto, nec nunc loquitur de Iside, quæ a Judæis haud quaquam colebatur; sed de Judæis, qui per noctem fingebant se somniare futura pro se, & pro aliis.

548. *Spondet.*) Fidem etiam habent haruspicibus Syriis, & Armeniis: sed majorem Chaldæis, id est astrologis.

548. *Spondet.*) quasi in ejus potestate sit ex vera divinæ mentis cognitione

549. *Ingens testamentum.*) Ingentem hæreditatem.

549. *Calidæ columbæ.*) Recens occisæ.

550. *Armenius.*) Duæ sunt *Armeniæ*, major & minor, de quibus multa Plinius *lib.* VI. & Strabo *lib.* XI. dictam autem *Armeniam* testatur Strabo ab *Armenio* quodam ex *Armenia* Thessaliæ Urbe, quæ inter Pheras & Larissam jacet, qui cum Jasone in *Armenia* militavit. Minorem autem Armeniam majoremque & Commagenam Cappadocia lævo suo latere transit.

552. *Facit, quod deferat ipse.*) id est pueros non verebitur ad talia investiganda occidere. quod alius si faciat, ipse accuset, nam *deferre* est occulte accusare.

553. *Chaldæis major erit fiducia.*) Credunt haruspicibus Armeniis, sed magis Chaldæis. Babylonii & Syrii, *Chaldæos* appellavere, quos *magos* Persæ, *Philosophos* Græci, *Prophetas* Judæi, Ægyptii *sacerdotes*, Indi *gymnosophistas*, Nos *sapientes* vocamus, Galli *Druidas.* auctor Laertius. Astrologiæ peritissimi habebantur multi, quia divinatione quadam futura dicebant, mala auguriis sacrisque, & aliis quibusdam incantationibus avertebant, somnia & prodigia interpretabantur. Unde Tiberius Thrasyllum Chaldæum de futuris maxime consulebat.

554. *De fonte relatum Hammonis.*) Ex oraculo Jovis Hammonis acceptum. Duplici ratione mulier credit, quicquid ab astrologo dicitur, ab oraculo Hammonis proficisci, tum quia Apollinea oracula cessavere, tum etiam, quia humanum genus per seipsum futura noscere non potest. Jure ergo tribuit Jovi, quæ prædicuntur ab astrologo, quando aliunde futuri rationem haberi posse non credit. Oraculum Jovis erat in Lybia Cyrenaica frequentissimum. Quum enim Bacchus per Libyam exercitum ductaret, isque penuria aquarum propemodum siti periret, rogavit Jovem patrem, ut sibi & exercitui subveniret. itaque aries quidam fortuito ad milites ejus errans pervenit, quos quum vidisset in fugam conversus est. milites autem, qui eum conspicati fuerant, etsi pulvere & æstu pressi vix progrediebantur, arietem tamen sequi cœperunt usque ad eum locum, qui *Jovis Hammonis* postea, templo ædificato, appellatus, quo quum pervenissent, arietem, quem consecuti fuerant, nusquam invenire potuerunt. Sed, quod magis fuerat optandum, aquæ magnam copiam eo loco nacti sunt, viribusque recuperatis Libero statim nunciaverunt, qui gavisus exercitum ad eos fines duxit, & *Jovis Hammonis* templum cum arietinis cornibus

nibus simulacro facto constituit. In eo templo centum fuisse aras ostendit Virgil.

Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit. —

De quo templo videtur intellexisse Mart.

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

ut sit *frequens cornibus*, hoc est templum, quod frequentes, id est centum habet aras cum simulacris arietinis, *dissimulet Deum*, id est taceat & nullam de eo mentionem faciat. illic igitur erat Jupiter specie arietis, illicque dabantur responsa. Unde Lysander Lacedæmoniorum dux eo profectus est, ut templi sacerdotes corrumperet. de oraculo lege Corn. Nep. Hygin. Diodorum, Herodotum, Strabonem.

555. *Delphis oracula cessant.*) Scribit Cicero *de Divinatione* ideo evenisse, quod exhausta sit cœlestis cujusdam spiritus vis. Strabo item *lib.* IX. scribit: *Hodie profecto summa in mendicitate Delphicum oraculum.* Lucanus:

Sed siluit, postquam reges timuere futura,
Et Superos vetuere loqui. ———

De Oraculis deficientibus sic recitat Porphyrius:

Ablata est Pythii vox haud revocabilis ulli:
Temporibus longis etenim jam cessat Apollo:
Clavibus occlusus silet, ergo rite peractis
Discedas patria & redeas ad limina sacris.

Adjiciam & illa, quæ Plutarchus *de Deficientibus* conscripsit *Oraculis*: *Quum igitur Hammonius tacuisset, tunc ego ad Cleombrotum dixi: Narra nobis, o amice, si placet, de oraculis, de quibus apud vos præclara dicebantur. nunc autem omnia exstincta esse videntur*, lege Eusebium de Præparatione Euangelica.

555. *Delphis.*) Delphi oppidum est *Phocidis* regionis, propter templum Apollinis Pythii, & oraculum vetustate insigne.

556. *Et genus humanum.*) Quoniam mortalitas hac una re damnatur, quod futura noscere non possit.

557. *Præcipuis tamen.*) Quanto scelestior fuerit astrologus, tanto major ei habebitur fides a muliere.

5557. *Qui sæpius exsul.*) fuit, id est qui sceleratissimus, ac per hoc sæpe missus in exilium. *Seleucum* Astrologum signat, cujus consilio mors Galbæ, ut scribit Tranquillus, dilata fuit ab Othone, qui eum aggredi cœnantem in palatio statuerat. Sed *Seleuci* consilio res dilata est in aliud tempus: apparet autem eum ex verbis Poetæ sæpe exsulasse.

558. *Cujus amicitia.*) Nam Othonis fuit familiaris.

558. *Conducenda tabella.*) Ironicos ait *tabella conducenda*, quasi quæ damnanda sit: sic supra:

Gutturis exemplum conducendusque magister.

In tabellis autem & membranis, quæ ex siderum ratione colliguntur, notantur. Ergo cujus *tabella*, id est cujus astrologia, quæ in *tabella* notatur.

559. *Magnus civis obit.*) Galba Imperator.

559. *Obit.*) Nam jugulatus est ad lacum Curtii in Urbe.

559. *Formidatus Othoni.*) Quem *Otho* formidavit: Hæc fuit caussa, ut *Otho* Galbam occideret. Speraverat enim fore, ut a Galba adoptaretur, idque in dies exspectabat; sed postquam Pisone Frugi prælato spe decidit, ad vim conversus est.

561. *Castrorum.*) Si in castris ab Imperatore detentus est in carcere, aut diu fuit in catenis, quæ castrorum sunt carcer.

562. *Nemo mathematicus.*) nullius scientiæ existimabitur Astrologus; nisi sceleratus exstiterit & sæpe damnatus.

562. *Mathematicus.*) Disciplinarum peritus, quæ sunt geometria, arithmetica, musica, & astrologia. Hæ autem *mathemata* proprie dicuntur, hoc est disciplinæ, quia certiores aliis sunt. Mathematicos vulgus, ut scribit Gellius, appellat, qui & *Chaldæi* nominantur, iidem etiam *genethliaci*, sunt enim sideralis scientiæ peritissimi, de quibus alibi uberius,

562. *Non habebit genium.*) Non existimabitur altæ cognitionis, & scientiæ.

563. *Sed qui pæne perit.*) Sed ille habebitur verus & magnus astrologus, qui tot flagitia commiserit, ut vix capitis supplicium evaserit; sed qui pæne damnatus occisusque est.

563. *Cui vix in Cyclada mitti Contigit.*) Hoc est qui vix impetravit, ut relegaretur potius, quam occideretur. Damnatorum autem multi in *Cyclades*, aliasque insulas relegabantur. alibi:

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.

564. *Caruisse parva Seripho.*) Cui tandem contigit ab exilio revocari, quum in Seriphum insulam esset relegatus, quod sane gravissimum erat exilium, tum in angusto insulæ spacio, tum quod petrosa est & sterilis multum, ut illi objiciatur hoc fuisse passum, quod illic Perseus educatus incolas ostenso capite Medusæ in lapides converterit indignatus, quod his adjutoribus Polydectes rex Persei matrem ad nuptias cogere voluerit. Hæc ex Strabone. Est autem una ex Cycladibus.

565. *Consulit de lento funere.*) Mulierum scelera suis temporibus insectatur, quæ non modo in mortem maritorum, sed etiam parentum & cognatorum inquirerent.

565. *De lento funere.*) Quando moritura sit mater, cujus finis videatur nimium differri.

565. *Ictericæ.*) *Icterus* morbus est, quum per totum corpus bilis suffunditur, quæ interdum nigra, interdum flava est. Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XXXI. *morbum regium* appellat. *Morbum regium in oculis præcipue mirari est tenuitatem densitatemque tunicularum fel-*

le subeunte: *arquatum* etiam appellant a colore *arcus* coelestis. Est autem ab *ictero* ave denominatus. Nam avis, inquit Plin. *icterus* vocatur a colore, quæ si spectetur, sanari morbum regium tradunt: avem vero mori. ea esse putatur, quæ Latine *Galbula* dicitur.

566. *Tua Tanaquil.*) Ironicos uxor tua mulier sane bona & pudica, qualis fertur fuisse *Tanaquil*, uxor Tarquinii Prisci, quæ summæ fuit probitatis. Scribit enim Varro linum cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem *Caja Cæcilia* vocata est, in templo Anci Martii durasse usque ad tempora sua, factamque ab ea togam regiam virgulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullius fuerat usus. Inde factum est, ut nubentes virgines comitaretur colus comta & fusus cum stamine. prima etiam texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tirones induuntur, novæque nuptæ. Tanaquilem igitur pro exemplo pudicæ mulieris & prudentis posuit.

566. *Quando sororem Efferat.*) Quando moritura sit soror. Nam *efferri* proprie est mortuorum.

568. *Quid enim majus dare numina possunt.*) quam ut adulter ei sit superstes.

569. *Hæc tamen ignorat.*) Insultat Poeta mulieri, quæ talia tanto scrutetur studio, nec curet magis, quæ in rem suam sint.

569. *Sidus triste Saturni.*) Sidus Saturni gelidæ & rigentis est naturæ, & quibus in ortu affulserit maleficum, & infelicitatem portendens. Propert.

Et grave Saturni sidus in omne caput.

& Ovid. *in Ibin*:

Te fera nequicquam placidum spondentia Martis
Sidera presserunt, falciferique senis.

hoc est Saturni, qui cum falce figuratur. C. Virg. I. Georg.

Frigida Saturni quo sese stella receptet. S.

570. *Quo astro.*) qua benignitate. nam Veneris sidus, ut docet Cicero *lib.* I. *de Divinat.* conjunctum cum Luna, salutare est pueris in ortu. eos etiam dicunt gratiosos esse, quibus in ortu affulserit.

573. *Pinguia succina.*) Nam succina manibus tractabant matronæ, ut bene olerent. Juven. IX. *Satyr.*

Et cui tu viridem umbellam, cum succina mittas.

Succinum autem humor est, qui ex arboribus effluens densatur rigore vel tempore, unde a succo *succinum* est nominatum.

574. *Ephemeridas.*) Sempronius Asellio, auctore Gellio *lib.* I. ait *Ephemeridas* esse diaria, id est libellos, in quibus singulorum dierum facta continentur. nam ἐφημερὶς *diarium* dicitur, ἐφήμερος *quotidianus*. Sed hoc loco Poeta accepit pro supputatione numerorum in astris, quid quoque die immineat, quam libello descriptam habet matrona, tanquam astrorum peritissima. Plin. *Crinas Massiliensis arte geminata, ut cautior religiosiorque ad siderum motus ex ephemeride mathematica cibos dando horasque observando, eum auctoritate præcessit.*

576. *Non ibit.*) Sive maritus castra, sive patriam petierit, cum uxor non sequetur admonita Thrasylli astrologia. quasi ei periculum immineat, si eat.

576. *Thrasylli.*) Hic enim est *Thrasyllus* ille mathematicus celeberrimus, quem ut sapientiæ professorem contubernio suo admovit Tiberius. Tranquillus.

576. *Numeris.*) Supputationibus & calculationibus, quæ dignissime adhibentur ab astrologis ad habendam perfectam futurorum cognitionem.

577. *Ad primum lapidem.*) etiam si brevissimum iter sit faciendum: nam Romani milliaria per numerum lapidum in viis defixorum colligebant, ut *ad primum ad quintum, ad nonum lapidem* dicerent, i. ad primum, ad quintum, ad nonum milliarium.

577. *Vectari*) aut vehiculo, aut lectica.

578. *Ex libro.*) Ex astrologia.

578. *Frictum ocelli.*) de minima re consulit mathematicum.

579. *Collyria.*) Variis modis Corn. Cels. docet fieri *collyria*, id est medicamenta propria oculorum. Horatius:

— *Oculis collyria lippis.*

Colum. tamen ait *collyria* alvo bovis cruditate laborantis immittenda.

579. *Genesi.*) *Genesis* genituram significat, quam maxime mathematici colligunt ex astrologia.

580. *Ægra licet jaceat.*) Licet adversa valetudine laboret, nullum prorsus putat capiendum esse cibum, nisi præfinita prius hora ab Astrologo.

581. *Nisi quam dederit Petosiris.*) Ratio siderum tradita a Petosiri, qui auctore Plin. *lib.* VII. insignis fuit astrologus, rationem autem dandi ægrotis, & observandi horas maxime instituit Crinas Massiliensis ad siderum motus.

582. *Si mediocris erit.*) Mulier, si mediocris sit conditionis, in circum descendit ad sortilegos consulendos, qui minoris sunt auctoritatis, quam astrologi, & proinde minori mercede futura prædicunt.

582. *Spatium Metarum*) In circo enim metas duas fuisse in sublime erectas ostendit Tranq. *in Cæs.* *Nam quo laxius dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constituta erant.* Idem in *Claud.* *Circo vero maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ utraque & tophina & lignea fuerant, exculto, circum quas pompa*, ut inquit Varro, *Circensis ferebatur, & equi septies currebant.* qui primi cursum peregerant, præmium accipiebant. unde Propertius:

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,

Septima quam metam triverit arte rota.
Illic dabant responsa divinatores. Unde *in seq.*

Plebejum in circo positum est & in aggere fatum. Nam in circo maximo circa *metas* solebant, ut tradit & Acron, sortilegi considere, qui sortes dabant vulgaribus. Nam altioris dignitatis homines erubescebant fere in iis vulgi circulis versari. unde Cic. *de Divinat. Quis enim magistratus, aut quis illustrior utitur sortibus:* Horat. *in Satyris* ostendit, se, ut humili loco natum, non erubuisse divinis assistere:

Fallacem circum vespertinumque pererro
Sæpe forum, assideo divinis. —

eum autem *fallacem* appellat, quod illic sortilatores, divinique homines starent, qui suis sortibus, falsisque divinationibus consultores deciperent.

583. *Sortes ducet.*) Responsa sumet ex sortibus. Nam *sors* capitur pro fortuito cujusque rei eventu, ut quum ex uno aliove vase, aut manibus compressis educuntur, aut scripta, aut lapilli, aut festuca, aut alia id genus: quod probe docet Plaut. *in Casina.* ubi ait: *Situlam huc tecum efferto, & sortes.* nam in *situlam* plenam aquæ *sortes* ligneas pares conjiciebant, isque victor dicebatur, cujus sors ad ima descenderat. Plautus: *Num ima, aut populna sors, aut abiegna est tua? Quid tu curas? quia enim metuo, ne in aqua summa natet.* Inde est *sortiri*, quod est idem quod *sortem ducere.* Plautus: *Conjiciam sortes in sitellam, & sortiar tibi & Chalino.* Plinius *lib.* II. *Sortem* pro fortuna ponit: *Adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.*

584. *Crebrum poppysma.*) Crebram pertractationem, nam ποππύζειν est manu pertractare adhibito sibilo ad mansuefaciendum, ut solemus equos indomitos pertractare, ut significet chiromanta diu suspensam tenere mulierem, ut diu illam manibus pertractet.

585. *Divitibus*) mulieribus.

585. *Phryx augur.*) Nam *Phryges*, Cilices, & Arabes, ut scribit Cic. *lib.* I. de *Divinat.* avium significationibus plurimum obtemperaverunt, quod idem factitatum in Umbria se accepisse inquit.

585. *Et Indus.*) Brachmanas significat, qui auctore Apul. II. *Florid.* sapientes viri sunt. Indiæ gens est, quam Strabo *lib.* XV. scribit Physiologiam, & astronomiam exercere. Eorum princeps fuit Iarcas tempore, quo Apollonius Tyaneus discendi visendique studio ad illos se contulerat. C. alii legunt: *& inde Conductus* &c. S.

587. *Atque aliquis senior*) dabit responsa, id est aliquis sacerdos. nam quem nos *seniorem*, Græci *presbyterum* appellant.

587. *Publica fulgura.*) Nam *privata & publica fulgura* exstitisse credidit Antiquitas. Plinius: *Ceterum existimant non ultra decem annos portendere privata, præterquam in matrimonio primo facta, aut natali die. Publica non ultra trigesimum annum, præterquam in deductione oppidi. Fulgur* autem differt a *fulmine*, quod *fulgur* est ignis late explicitus: *fulmen* vero coactus ignis terrifico impetu jactus.

587. *Fulgura condit*) Seneca *lib.* II. *Natur. Quæst.* scribit priscos Romanos, quum crederent, nisi fato, fulmina non decidere, cæsis hostiis, exstructisque aris, adhibito sacerdote, velut in procurationem malorum illa condere. *Condi* enim dicebantur, quum sacerdos dispersos ignes in unum redigeret, & quadam tacita prece terræ conderet, & consecraret. [*Gr.*] Scribit Festus Pomp. trium generum esse fulgura, *postularia, pestifera, peremtalia. Postularia* votorum, aut sacrificiorum spretam religionem: *Pestifera* mortem, aut exsilium denunciant? *Peremtalia* superiorum fulgurum portentorumque significationem perimunt, vel abolent.

488. *Plebejum fatum.*) Ait responsa, quæ dantur plebejis de fato, i. de iis, quæ imminent, haberi ex divinatoribus, qui in circo versantur. Nam *fatum*, auctore Sen. *in Nat.* est necessitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat.

588. *Et in aggere.*) De aggere Tarquinii Superbi intelligit, de quo ita Plin. in descriptione Urbis Romæ: *Clauditur ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter ipsa opera mirabili: namque eum muris æquavit, qua maxime patebat, aditu plano.*

589. *Quæ nudis longum.*) Mulier infimæ conditionis, cui nullus fere rubor esse consuevit supra vires ornari.

590. *Consuevit.*) Consilium capit a divinatoribus, an fatis sibi datum sit, ut relicto caupone nubat *vendenti saga*, i. sagario: *sagum* enim vestis est militaris: Virgilius:

— *Virgatis lucent sagulis.*

Cic. *in Philipp.* scribit, *saga* sumi solere in bello tumultuque. Tranquillus *in Cæs. Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis, uno quo sagati palliative, altero quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent.* Idem *in Aug. Cornelius centurio rejecto sagulo ostendens gladii capulum.* A *sago* dicuntur *sagarii*, qui saga conficiunt. Alii vero sic exponunt, ut sit periphrasis mulieris prostantis, quæ consulit, id est, consilium dat plebejæ interroganti, an nubat *sagario.* quod autem mulieres prostitutæ darent responsa, locus ille indicat Plinii de Nerone *lib.* XXX. *Utinamque inferos potius quoscunque de suspicionibus suis Deos consuluisset, quam lupanaribus, atque prostitutis mandasset inquisitiones eas.*

590. *Ante*

590. *Ante phalas.*) *Phala*, ut scribit Nonius, turres sunt ligneæ. Enn. *lib. xv.*

Malos diffundunt, fiunt tabulata phalaque.

hæ etiam in Circo apud veteres propter spectatores e lignis erigebantur. Festus autem ait *phalas* dictas ab altitudine a *phalando*, quod apud Etruscos significat *cœlum*.

590. *Delphinorumque columnas.*) Georgius Merula præceptor meus, vir literatissimus credidit ex verbis Joannis Cassiodori *delphinorum columnas* intelligi obeliscos, circa quos luderent *Delphini*: sic enim ait: *In circo Euripus in gyrum agebat, reddebatque imaginem vitrei maris: in quem æquor influebat, ubi item erant obelisci, & in primis ille magnus, quem divus Augustus in circo maximo constituit.* Quidam vero tradunt *Delphinos* duos fuisse fratres nobilissimos, sub quorum titulo *columnæ* erectæ fuerunt. verum illud mihi placet, ut intelligamus delubrum Cn. Domitii, ubi in marmore erant Nereides supra *Delphinos* in circo Flaminio. in Circis enim versabantur divinatores, ut dictum est. Plin. *lib. xxxvi. cap. v. Sed in maxima dignatione Cneji Domitii delubro in circo Flaminio Neptunus ipse, & Thetis, atque Achilles, Nereides supra delphinos & cete & hippocampos, sedentes sunt.*

591. *Caupone.*) id est, qui meritoriam tabernam exercet, quæ *caupona* appellatur, & *stabulum*.

592. *Hæc tamen & partus.*) Invehitur in matronas mulieresque divites, quæ medicamentis abortus faciunt. Est enim sensus: Licet hæ plebejæ mulieres anxiæ sint futurorum, & de nubendo divinatores consulant; tamen concipiunt, & pariunt, fœtusque educant: matronæ vero & potentiores fœminæ, aut non concipiunt, aut ejiciunt conceptum partum medicamentis in utero exstinctum.

592. *Partus discrimen.*) Nam, quæ pariunt, in summo versantur periculo.

593. *Fortuna urgente.*) Rei familiaris angustia cogente, quasi quæ ob inopiam liberos nutricibus alendos tradere non possunt.

594. *Vix jacet.*) Mulier, quæ dives & potens est, vix unquam jacet in lecto, quia aut non concipit; aut si concipit, abortum facit.

594. *Lecto aurato.*) Hoc est, quæ in magnis sit opibus & deliciis.

595. *Tantum artes hujus.*) Epiphonema. Non est mirum, si mulier dives, aut non concipiat, aut abortus faciat. Nam mira sunt, quæ possunt artes mulieris veneficæ, quæ steriles facit matronas, atque conducit pueros necandos in utero matris. præmium enim poscit a matrona, ut in ventre necet partum, sicque *conducit*, id est, mercede sumit id operæ, ad necandos partus. Alibi *conducunt foricas*, id est, mercede sumunt id laboris.

596. *Quæ steriles.*) Quæ suis medicamentis aut mulierem reddit sterilem, aut abortum cogit facere.

597. *Gaude infelix*) marite, quod abortum faciat.

598. *Porrige*) uxori, quicquid erit scilicet datum ab alia venefica. Nam si distendere vellet, id est, si ad legitimum tempus vellet ferre fœtum in utero, revera Æthiopem pareret, proindeque esses pater Æthiopis.

600. *Decolor hæres*) *Decolor* appellatur, qui fit *colore* viciato, & qui declinat a priore *colore*, unde etiam decolorari dicitur id, cujus color vitiatur & inficitur. Horat. *in Odis*:

Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes.

Seneca *in Natur. Fulmen aut colorat, aut decolorat.*

601. *Tabulas*) testamenti.

601. *Nunquam tibi mane videndus.*) id est, cui nolis mane occurrere, ut malo omini. Alibi:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

602. *Transeo suppositos.*) Occupatio est. notat mulieres, quæ aliunde petitos partus supponunt. Sensus est: prætereo nothos, quos mulieres divites ementito partu pro naturalibus & legitimis aluut.

602. *Gaudia.*) id est, Filios, ipsos nothos, quos miro gaudio maritus, ut suos, alit.

602. *Vota.*) id est filios, quos multis votis & summo desiderio concupivit maritus habere Val. Max. *Venite igitur in manus nostras, prospera parentum vota.*

602. *Sæpe.*) ostendit id frequenter a mulieribus factitatum.

603. *Ad spurcos lacus.*) Locum esse ostendit Poeta in Urbe, ubi pueri incertis nati parentibus exponerentur. Ubi autem fuerint, & quare *spurci lacus* appellarentur, nusquam meminimus nos legisse.

604. *Pontifices Salios.*) i. pueros, qui in nobilissimas translati familias, *pontifices Salii* creantur. *Salii* enim sacerdotes fuere Martis, qui in comitiis & sacris ancilia gerentes, eademque gladiolis percutientes circumsiliebant: iique ex nobilioribus creabantur.

605. *Laturos nomina.*) Nam putabuntur filii eorum nobilium, a quibus educabuntur.

605. *Fortuna improba.*) Dicimus *improbum* non solum nota significatione malum, sed nimis avidum, nec modico contentum, ut illud Virgilianum:

— *Lavit improba teter*
Ora cruor. —

Et alibi, *improbum anserem* appellat cibi avidum & insatiabilem. hoc vero loco *fortunam improbam* dicit, id est iniquam. & indignorum fautricem. unde Plinius *lib. 11. de Fortuna: Sola laudatur, sola arguitur & cum conviciis colitur, volubilisque a plerisque vero,*

&

& cœca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia indignorumque fautrix. Ergo *improba*, hoc est, quæ non ex merito, sed libidine hominem amplectitur.

607. *Aliis domibus.*) Nobilibus familiis. *Secretum mimum*, oblectamentum quoddam: nam *mimi* non solum publice in scena, sed & in domibus privatis gesticulationibus suis oblectabant. Unde Livius *lib.* IX. de bello Macedonico: *Tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.*

608. *His*) nothis.

609. *Utque suos.*) Solent enim vulgo *fortunæ* dici *filii.*

610. *Hic magicos affert cantus.*) Nunc invehitur in amatoria, & magicas artes mulierum, quæ viros etiam in furorem compellant.

610. *Magicos.*) hoc est, quibus ipsa *magorum* vanitas gloriatur omnia posse effici, homines in bestias posse mutari. Unde illud Virgilii:

Carminibus Circe socios mutavit Ulissis.

& messes in alios agros traduci, ut illud:

Atque satas alio vidi traducere messes.

Quin etiam elementa quoque concuti, turbarique hominum mentes, & sæpe sine ullo veneni haustu homines interimi, Lunam e cœlo deduci:

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

610. *Thessala.*) Nam in Thessalia, ut docet Apuleji *Metam.* Veneficia plurima exercebantur. Nam Apul. ipse in Thessalia in asinum transformatus est, unde & Plaut. *in Amphitruone*: *Ego pol hodie ulciscar illum Thessalum veneficum, qui perverse vertit familiæ mentem meæ.*

611. *Philtra*) Græce, Latine *amatoria*. φίλτρον enim amor dicitur. Est enim *amatorium*, quicquid ad amatorem conciliandum datur, quamvis & furorem sæpe moveat. unde Ovidius:

Philtra movent animos, vimque furoris habent.

612. *Solea.*) Quicquid pedi subjicitur, *solea* dicitur. Cic *Rhet.* *Et soleæ ligneæ pedibus indutæ sunt.* Tranquil. *in Nerone.* *Soleis mulas argenteis calceavit.*

912. *Pulsare nates.*) Persius:

——— *Solea puer objurgabere rubra.*

Terentius:

Utinam tibi commitigari caput sandalio videam.

613. *Animi caligo.*) Offuscatio, & cœcitas mentis, ac per hoc ignorantia. Sic & Seneca: *O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet.* Est autem *caligo* nebula densissima offuscans. Unde Tranquil. *in Nerone*: *Deinde tanta coorta caligo est, ut despicere non posset.*

614. *Tamen hoc tolerabile.*) si tantum sensum & lumen rationis amittas.

615. *Si non & furere incipias.*) id est, si non incipias & tu vexari eo furore, quo vexatus est Caligula imperator, qui a Cæsonia uxore amatorio medicamento potionatus in furorem versus est, potioni infuso hippomane.

616. *Frondem tremuli equi.*) id est, caruncu lam illam, quæ caricæ magnitudine in fronte pulli equini inhæret, quod *hippomanes* appellatur, veneficiis aptum.

617. *Quæ non faciet.*) Quæ mulier non faciet, quod uxor Principis fecit? quasi diceret, reliquæ mulieres dignioris exemplo commotæ, idem facere non verebuntur.

618. *Ardebunt cuncta.*) Caligula enim, auctore Tranquillo, omne sævitiæ genus vel minima offensa exercuit.

618. *Fracta compage.*) id est, omnia sævissime a Caligula fiebant. sumta translatione a lapsu tectorum.

619. *Non aliter.*) Non aliter totus orbis concussus est furente Caligula, qui eum regebat, quam si Jupiter versus esset in furorem, cujus nutu omnia reguntur: sicque ostendit quanta ex veneficiis mulierum mala eveniant.

620. *Agrippinæ Boletus.*) Nam Agrippina maritum suum Claudium boleto medicato, quo genere cibi plurimum delectabatur, sustulit. fuit enim Agrippina Neronis mater, & Caligulæ soror.

620. *Minus nocens*) Graviora fuere, & perniciosa magis Urbi, quæ Caligula per furorem fecit, quam quæ Claudius. nam statim mortuus est post acceptum boletum, nec illa venena cuiquam fuere perniciosa, sicut illa, quæ data sunt Caligulæ, quæ caussa fuere, ut in omnes sæviret.

621. *Unius senis.*) Non enim fuit caussa boletus, ut multi per furorem Claudii Imperatoris perirent, sed Solus Claudius jam senex periit. nam ad sexagesimum & quartum annum pervenerat.

622. *Tremulumque caput.*) Hoc autem est ex historia, *capite* enim Claudius fuit *tremulo*. Tranquil. *Remisse quid vel serio agentem multa dehonestabant, risus indecens, ira turpior spumante rictu, humentibus naribus, plectra linguæ titubantia, caputque tum semper, tum in quantulocunque actu, vel maxime tremulum.*

622. *Descendere in cœlum.*) Hysterologia per contrarium. sic etiam locutus est Sen. *Postea quam Claudius in cœlum descendit.* Sic & Stat. *in Sylvis*:

Nondum stelligerum senior demissus in axem.

& alibi Juven.

624. *Hæc*

— *Jam quartanam sperantibus ægris.*
id est timentibus, sic & Virg.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

623. *Longam salivam.*) quia, ut dixi, spumante rictu erat, & humentibus naribus.

624. *Hæc poscit ferrum.*) id est, homines in furorem per potionem versi arma & ignes ad hominum perniciem poscunt & exercent. hoc autem dicit specialiter propter Caligulam, qui auctore Tranquil. equestrem ordinem & senatorium furens laceravit, quod factum fuisse videri vult Poeta per potionem amatoriam, ut a superiore dependeat, ut dicat Boletum Agrippinæ tantum nocuisse Claudio: potionem vero Caligulæ perniciosam toti civitati fuisse. ergo hæc potio *poscit ferrum*, id est, hæc potio, quam Cæsonia dedit Caligulæ marito, est caussa, ut ferrum poscat, & exerceat in cædem hominum.

624. *Hæc potio torquet.*) id est, hæc potio est caussa, ut homines variis cruciatibus afficiantur, & torqueantur a Caligula.

626. *Tanti partus equæ.*) Hunc locum, hucusque omnes, quos mihi vidisse contigit, codices ita legerunt: *Tanti partus equæ, quanti una venefica constat*, ut nullus prorsus eliceretur sensus. Ego vero attentiore examine carmen & mentem Poetæ trutinans animadverti locum esse depravatum, & utrobique legendum *tanti*, ut summa Poetæ indignatio acclamatione hac ostendatur, ut idem sit bis repetitum per diversa verba, ut illud:

Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt!
Idem enim est bis repetitum per diversa verba, sic etiam illud:

Tantum admirari, tantum laudare diserto.
ac si dicat, ex his veneficiis & sceleribus mulieris multa mala proveniunt, & hæc veneficia magno constant, quando incendia & cædes hominum miscent.

626. *Una venefica*) Una Cæsonia.

626. *Partus equæ.*) *Hippomanes*, quod ex fronte pulli equini avellitur ad veneficia.

627. *Oderunt natos de pellice.*) Non indignatur Poeta, quod oderint natos ex pellice, neque enim mirandum est id posse accidere, sed quod privignos, quod gravius est, necent. est ergo sensus, quasi monitor dixerit, odio habent natos ex pellice, & ipse veluti assentiens dicat, fateor, oderunt, & nemo, inquit, vetet, quin oderint nothos: verum illud gravius est, quod privignos interimunt.

628. *Jam jam.*) Non est mirandum, ut natos ex concubina viri oderint, sed illud gravius est, quod jam privignos, quasi licitum sit, necant.

628. *Jam jam est fas.*) Jam putant nullum esse nefas occidere privignum. Ironice.

629. *Vos ego, pupilli, moneo.*) Ostendit matres etiam tantæ impietatis inveniri, ut propriis filiis non parcant, sed eos nefarie occidant, ut nubant adulteris, quod fecit Pontia, quæ filios duos veneno sustulit, ut nuberet adultero.

631. *Adipata.*) Pinguia edulia & succulenta, quasi adipe condita. unde Cicero *in Oratore* per translationem *adipatæ dictionis genus* appellat, id est pinguis, & succi multi.

631. *Livida.*) Perniciosa, mortifera, sive pallida, id est pallorem facientia, unde & Ovidius *Lurida aconita* dixit ab effectu, & Horat. *mortem pallidam*, id est, quæ pallorem facit.

632. *Aliquis pappas.*) Significat aliquem natu grandiorem, qui dignus sit hac honorifica appellatione, qua filii ad parentes usi sunt. Nam *pappas* venerationis nomen est, & patrem significat, unde fortasse & summum pontificem *pappam* appellarunt, ut patrem. nam πάππος avum etiam significat & παππάζω invoco avum, ut infantes faciunt. verum licet etiam exponas sic: *Aliquis senior timidus prægustet pocula & pappas*, ut duo dicat & potionem & cibum. nam, ut diximus ad vers. Perii: *Pappare minutum*; Pappa & bua pro cibo & potu usurpata sunt a pueris. unde Cato de *Lib. Educ.* Cum, inquit, cibum ac potionem *buas* atque *pappas* vocent, & matrem *mammam*, & patrem *tatam*. unde & Plaut. in *Epidico* hoc verbo *pappare* usus est: *Novo liberto opus est, quod pappet*, id est, comedat. Bene autem usus vocabulo pueris accommodato, pupillos enim & pueros alloquitur:

Vos ego, pupilli, moneo. —

633. *Prægustet.*) Unde *prægustatorem* appellamus ministrum, qui primitias ciborum, antequam dominus, gustat, quo sine suspicione veneni dominus securius epulis fruatur.

634. *Fingimus hæc.*) Erunt fortasse, qui putabunt nos hæc fingere, & tanquam tragica fabulamenta prosequi, quæ de hujusmodi cædibus loquuntur & tractant. Sed nos, inquit, vera agimus, & utinam non essent, quæ de matribus dicimus, vera!

634. *Satyra sumente.*) Videmur enim tragici officium usurpare, qui talia scelerum figmenta scribere consueverunt, ut de Medea, quæ filios spectante patre Jasone interemit. Et Progne, quæ Ityn filium occisum apposuit marito Tereo.

634. *Cothurnum.*) Calceamentum tragici, sed a Poetis usurpatur sæpe pro sublimi stilo, ut hoc in loco. [Gr.] Martialis:

Grande cothurnati pone Maronis opus.

634. *Altum.*) id est materiam tragicam, res enim grandes, & altas tractant tragœdiæ.

635. *Finem legemque priorem.*) id est, Satyrico-

rum, qui ante me scribentes hunc finem, & hunc terminum tenuere, ut stilum suum non ultra tenderent; quam ad res veras, minimeque fabulosas, quales tragici tractare consueverunt.

636. *Bacchamur.*) Furore poetico scribimus, qui sine furore quodam scribere nequeunt.

636. *Hiatu Sophocleo.*) Eo stilo & sublimitate, qua usus est Sophocles in scribendis tragœdiis: quasi dicat, scribimus res, quæ proprie tractantur a tragicis, qualis fuit Sophocles, quum de cæde filiorum a matribus tractamus.

637. *Montibus Rutulis ignotum.*) id est, quod quidem nemo unquam in Latio ante me cecinit in Satyris suis, id est nunquam fuit auditum in his regionibus tale scelus perpetratum fuisse, quod a poetis celebraretur, ut mater filios proprios necaverit.

637. *Rutulis.*) Populi sunt Latii, quibus Turnus imperavit.

637. *Cœloque Latino.*) Idem fere dixit. Nam Latinus rex regnum habuit finitimum Rutulis. Dionysius *lib.* I. *Latino autem, qui tunc rex erat, cum finitima quadam gente bellum gerenti, qui Rutuli vocantur, nunciatur.*

638. *Sed clamat Pontia, feci.*) Cuperem hæc omnia esse vana, sed Pontia fatetur vera esse, se duos filios veneno necasse. duos enim filios veneno sustulit, ut adultero nuberet. de qua Martialis *lib.* II.

O mater, qua nec Pontia deterior.

642. *Tune duos.*) Insultatio est Poetæ in impiam matrem.

643. *Credamus tragicis.*) Fabulosa omnino sunt, quæ a tragicis scribuntur de matribus, quæ necaverint filios, ut de Medea & Progne. sed jam putemus esse vera, nam in ejusmodi fabulis nulla mater fingitur, quæ filios aliquo corrupta præmio interemerit, sed aut propter iram, aut aliquem duntaxat dolorem.

643. *De Colchide.*) Quicquid de Medea dicitur a Poetis tragicis. Eam enim ferunt Jasonem aureum vellus ope sua auferentem ex Colchis decepto patre suo Æeta rege secutam fuisse usque in Thessaliam, copulatamque matrimonio cum eo decem vixisse annos, susceptis ex eo quatuor liberis, quæ postea cum accepisset Jasonem se spreta Glaucam, sive Creusam filiam Creontis regis Corinthiorum duxisse uxorem, ira percita regiam Creontis cremavit, quo incendio Creon cum Glauca absumti sunt. filios præterea suos omnes uno, qui aufugit, excepto Thessalo, in ultionem Jasonis patris jugulavit. Jason uxore & filiis orbatus, tantæ impatiens cladis necem gladio sibi conscivit.

634. *Progne.*) Pandionis regis Athenarum filia, uxor Terei, qui Dauliam (ut scribit Thucydides *lib.* II. *Hist.*) oppidum Phocidis incoluit, tunc a Thracibus habitatam. Ea Ityn filium suum interemit, apposuitque epulandum Tereo patri, hocque in ultionem Philomelæ sororis a Tereo vitiatæ, unde a multis poetarum in commemoranda Philomela, luscinia avis *Daulias* celebratur. Ovid. *in Sappho:*

Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.

Idem in carmine *ad Liviam:*

Deflet Threicium Daulias ales Ityn.

644. *Nil contra conor.*) Nolo negare id esse verum, quod dicitur de Medea & Progne. Nam etiam illæ ausæ sunt immania facinora.

645. *Grandia monstra.*) i. Indigna scelera, nam *monstrum* appellamus, quicquid est præter naturam, quid enim magis contra naturam, quam filium a matre necari?

646. *Non propter nummos.*) Ut ostendat longe intolerabilius esse facinus, quod lucri cupiditate fit, quam ira & dolore, ut Rhetores docent.

648. *Feruntur Præcipites.*) id est, ad omne facinus stimulante iracundia convertuntur.

650. *Latus recedit.*) Retrocedit: nam latus montis aliqua parte avulsa videtur retrocedere.

651. *Illam ego non tulerim.*) Illa scelestissima est habenda, quæ animo minime perturbato mente cogitat & retractat prius scelus, quam aggreditur. Sicque ostendit scelera illa graviora esse, quæ certa animi deliberatione, quam quæ aliqua mentis perturbatione peraguntur: C. quod etiam Aristoteles *in Ethicis* docet & hunc secutus Cicero *de Offic. lib.* I. *Sed in omni injustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunque brevis est, & ad tempus; an consulto, & cogitato fiat injuria. Leviora sunt enim, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & præparata inferuntur.* S.

652. *Sana.*) Non aliqua animi perturbatione vexata.

652. *Spectant.*) Quotidie spectant in theatris, dum tragœdiæ aguntur, quemadmodum Alcestis in maritum pia fuerit, quæ & pro marito mortem subire non dubitaverit. Sed tamen nulla est, quæ Alcestim imitetur, hoc est, quæ maritum suum servet morte sua, sed potius animam catellæ servaret. Nam Alcestis, cum vir ejus Admetus Thessaliæ rex gravi & conclamata valetudine laboraret, responsumque esset, eum mori oportere, nisi alius pro eo moreretur, ipsa sola, ceteris propinquis & amicis id recusantibus, pro marito mori sustinuit. Statius *in Sylvis:*

Ergo Thessalici conjunx pensare mariti
Funus. —

Hanc fabulam aliter tamen narrat Fulgentius.

655. *Multæ Belides.*) id est, Multæ mulieres, quæ maritos suos, ut *Belides*, & *Clytemnæstra* occiderunt.

655. *Belides*

655. *Belides.*) Quinquaginta *Beli* neptes fuerunt, quæ una nocte totidem maritos, eosdemque patrueles occiderunt. *Belus* enim Ægypti rex duos habuit filios, Danaum & Aegyptum, quorum Danaus quinquaginta habuit filias, & Ægyptus totidem filios. Coactus est Danaus omnes filias dare in matrimonium filiis Ægypti, sed quum vereretur, ne a generis suis regno ejiceretur, mandavit filiabus, ut primitiali nocte maritos suos singulæ necarent, quod quidem omnes fecere, præter Hypermnæstram, quæ *Lyno* sive *Lynceo* pepercit.

655. *Eriphyle.*) Uxor fuit Amphiarai, quæ capta amore monilis olim a Vulcano elaborati, ut illud ab Argia Polynicis conjuge haberet, virum suum, ne in bellum Thebanum prodiret, latentem indicavit, qui postea in bello Thebano hiatu terræ cum curru absumtus est.

656. *Mane Clytemnæstram.*) Nullus erit vicus Urbis, in quo non ostendas mulieres occidentes maritos, sicuti fecit Clytemnæstra Tyndari & Ledæ filia, quæ Agamemnonem maritum suum ex bello Trojano reversum, adjuvante Ægistho adultero interemit. nota est historia.

657. *Hoc tantum refert.*) Hoc tantum interest, quod Clytemnæstra securi maritum suum peremit, sed mulieres Romanæ maritos suos tollunt veneno.

658. *Insulsam & fatuam.*) hoc est ipsa *insulsa & fatua*, quasi quæ minime apta esset ad tractanda arma.

659. *Tenui pulmone rubetæ.*) hoc est veneficiis, qualia fiunt ex *rubeta* rana.

659. *Res.*) Ipsa maritorum cædes.

660. *Sed tamen & ferro.*) Existunt etiam, quæ maritos ferro necent, si forte ille contra venena aliquod sumserit antidotum.

660. *Atrides.*) id est, Ipse maritus, qualis fuit Agamemnon Atrei filius.

660. *Si prægustarit Pontica medicamina.*) id est, antidota, qualia Mithridates rex Ponti sumebat adversus venena, de quorum compositione Plin. *lib. XXIII. cap. IX. In arcanis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompejus invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti e duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano, &, qui hoc jejunus sumat, ei nullum venenum nociturum.* Ceterum Lenæus Pompejus scribit, auctore Gellio, Mithridatem regem Ponti sanguine anatis ponticæ immixto quibusdam medicamentis, remedium adversus venenum solitum sumere, adeo ut, quum nonnunquam sumeret venenum inter epulas, nulla ex parte læderetur. Immo & ejusdem generis remedio nomen dedit, ut appelletur *Mithridaticum.* C. Antidotum Mithridatis quid sit, & quomodo conficiatur, præstat Galenum, & Cornelium Celsum consulere, qui aliquanto melius rem totam explicant, & aliter, quam hic fit. S.

661. *Ter victi.*) Nam primo superatus est a Sylla, mox a Lucullo, deinde a Pompejo, nocturno prælio lucente Luna, a tergo hostibus, a facie Romanis, qua extrema clade accepta, coactus est in regnum confugere, ubi per seditionem popularium a Pharnace filio in turre obsessus venenum sumsit: quod quum parum proficeret ad mortem, quia, ut diximus, adversum venena multis ante medicaminibus corpus firmaverat, a milite Gallo nomine Bitthoco, a quo, ut adjuvaretur, petebat, interfectus est.

IN SATYRAM VII.

ET *spes & ratio studiorum.*) Hac Satyra Thelesinum Poetam sui temporis alloquitur, conqueriturque Poetarum, ceterorumque scriptorum labores inanes esse, quandoquidem pro vigiliis suis a civibus Romanis nihil prorsus consequantur: sicque sui temporis avaritiam exagitat, solam autem spem in Trajano principe ostendit, quem hoc principio astute laudat & extollit, ut subinde eum incendat in omnium scriptorum favorem. Liberalis enim, ut scribit Eutropius, in cunctos fuit, publice privatimque ditans omnes, & honoribus augens ob suam in omnes bonitatem, per orbem terrarum Deo proximus nihil non venerationis meruit, & vivus, & mortuus. Plinius in Panegyr. *Quid vitam? quid mores juventutis, quam principaliter formas? quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem Sapientiæ doctoribus habes? ut sub te spiritum, sanguinem, & patriam receperint studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret. At in easdem artes in complexu, oculis, auribus habes. præstas enim, quæcunque præcipiunt, tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris.* Unde illi nullo modo sunt audiendi, qui de Domitiano intelligunt. Quomodo enim ulla erat spes poetis habenda in Domitiano, quum is Juvenale Satyr. suas scribente exstinctus esset, ut in principio operis

ris docuimus? esséque bonarum artium, ut taxavit Plin. inimicus, quas etiam non odio magis, quam reverentia relegaret.

1. *Spes studiorum.*) Quam Poetæ habent consequendæ mercedis ex studiis suis. est enim spes bonarum rerum exspectatio. ut Cic *in Tusc.* definit.

2. *Ratio.*) Omnis *ratio*, qua moventur ad scribendum in solo Cæsare Trajano est posita, eo enim consilio & animi ratione scribunt, ut a civibus aliquid mercedis & præmii consequantur, sed falluntur, inquit, nam solus Imperator poetis respicit.

3. *Respexit, quum jam.*) Imperator solus nostris temporibus respexit poetas & reliquos scriptores a ceteris civibus neglectos, quum jam ob egestatem cogitarent, & in Urbe & extra Urbem vilissima quæque subire ministeria ad vitam suam sustinendam.

3. *Respexit.*) Terent.

Respice me in secundis rebus tuis.

quasi dicat, & mihi fave meque adjuva. Idem:

Nam Hercle alius nemo respicit nos.

id est, curat.

4. *Balneolum.*) unde victum consequerentur.

4. *Gabiis.*) Oppidum est in via Prænestina centum stadiis distans ab Urbe, auctor Strabo.

4. *Furnos.*) Ut panem alienum coquerent, eoque modo quæstum facerent.

5. *Tentarent.*) At ego proverbium fuisse veteribus censeo in pauperes, qui assidue frigerent tremerentque, tales enim de *balneo cogitare & furno conducendo*, dictitabant. Ad quod etiam respiciens, Horat.

— *Qui*

Frigus collegit, furnos & balnea laudat. C. S. C.

6. *Præcones.*) *Præconem* appellamus, non modo, qui clara voce ad populum edicta magistratuum pronunciat, ut Tranquil. *in Nerone*: *Peregrinatione quidem Græciæ Eleusinis sacris, quorum initiatione impii ac scelerati voce præconis summoverentur, interesse non ausus est*: C. Unde est illud Cic. *de Off.*: *bona civium voci subjicere præconis.* S. & Mart. *lib.* I.

Venderet excultos colles quum præco facetus.

6. *Quum migraret.*) Quum jam Poetæ ob egestatem, relictis propemodum Musis, in ædes nobilium migrarent, quasi illis famulaturi. unde in seqq.

Quem colis & Musarum & Apollinis æde relicta.

Mart. iisdem pæne verbis in miseriam Poetarum sui temporis sic inquit *lib.* III.

Atria magna colam, vix tres aut quatuor ista

Res alit, pallet cætera turba fame.

7. *Desertis Vallibus*) Relictis Musis, & carminibus suis, quæ dicuntur pangere in solitudinibus Musis consecratis.

7. *Clio Jussitur.*) Ipse Poeta extremis famis laboris & mendicus.

8. *Nam, si Pieria.*) Si ex studiis & carminibus ejus nullam mercedem consequeris, suadeo tibi, fias præco, qualis fuit Machæra, ut accipias hoc loco *Machæram* non pro ense, sed pro proprio nomine præconis. Sequentia enim de præcone dicuntur.

8. *Quadrans.*) Ut hoc loco capitur, nummus fuit, qui idem *triuncis*, sive *triunx*, & *teruncius* dicitur, a *tribus unciis*, ut Varro dicit. est enim assis Mediolanensis pars quarta, & idem est, quod Germanis *pfenning*. C. S. C. Horat.

— *Dum tu quadrante lavatum*

Rex ibis. —

Martial.

Invitas centum quadrantibus, & bene cœnas.

8. *In arca Pieria.*) In Musis & carminibus tuis. nam *Pierides* Musæ dicuntur a *Pieria* rupe Macedoniæ, Strabo *lib.* IX. *Eos, qui Helicona, & Pieriam, & Libethrum & Pimpliam eisdem Musis consecrarunt, Thraces exstitisse. Pieres autem vocabantur, quibus exstinctis loca hæc Macedones nunc possident.*

10. *Commissa quod auctio.*) Auctio enim rerum præconi committitur. Ille autem dicitur auctionem facere, qui res aut suas, aut alienas publice vendit. Plaut. *in Sticho*: *Hunc auctionem facere decretum est mihi foras necesse est, quicquid habeo, vendere* C. *Committi* enim *auctio* dicitur, quod licitatores astantes inter se quasi committuntur, ut licitando pugnent & decertent; in qua pugna, qui pluris licetur, quam reliqui omnes, is victor evadit, remque precio auctam reportat. S.

11. *Armaria.*) Utrum librorum repositoria, i. bibliothecas. Ulpianus *de Legatis*: *Bibliotheca legata, utrum armarium solum, vel armaria contineantur: an vero libri quoque contineantur, quæritur, an prominarum armaria?*

11. *Tripodes.*) Mensas hoc loco, quæ tribus pedibus sustentantur.

12. *Alcyonen Pacci.*) i. Tragœdiam scriptam de Alcyone a Baccho Poeta tragico, quæ una ex Pleiadibus ex Neptuno peperit Irieum patrem Orionis, ut scribit Hyginus, a quo *Irea* oppidum agri Thebani. alii *Alcyonem* legunt. i. tragœdiam de Alcyone: quæ quum Ceycis mariti sui cadaver ad litus ejectum vidisset, in mare se dejecit; qui ab Amphitrite in aves conversi, in mari, ut Plin. & Ovid. scribunt, placido fœtificant. faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt, qui dies vocantur *Alcyonides*. Ea avis alio nomine appellatur *Alcedo* Plaut. in *Pœnul.* *Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quam mare est olim, cum ibi Alcedo pullos educant suos.*

11. *Thebas & Terea Fausti.*) id est Fabulas de Thebis & Lajo, quem, ut scribunt Diod. & Papinius, filius Oedipus interemit, mox ducta uxore matre Jocasta, gnarus & conscius flagitii perpetrati, seipsum oculis privavit, nati ex eo Etheocles & Polynices per summam discordiam mutuis se vulneribus confoderunt. de his fabula scripta erat, sive tragœdia a Poetis, præcipue a *Fausto* Poeta.

12. *Terea.*) id est, Tragœdiam de *Tereo* marito Prognes, cui ipsa Progne Ityn filium epulandum apposuit in vindictam Philomelæ sororis stupratæ. nota est fabula.

12. *Fausti.*) Satyrice ostendit Bacchum & Faustum viles fuisse Poetas, utpote quorum opera publica auctione venderentur.

13. *Hoc satius.*) Melius est liberali hoc quæstu vitam sustentare, quam testimonii religionem contemnere, & de re tibi ignota testimonium dicere, quod Asiani faciunt. (nam Cicero *in Orat. pro Flacco*: *Populis Asiæ fidem non habendam* clamat) ut ostendat laudabilius esse vili ministerio vitam degere, quam per inhonestas & malas artes divitias sibi comparare.

15. *Equites Asiani.*) ut civitate donati ad equestrem censum per malas artes pervenerunt in Urbe.

19. *Traducit.*) Præbet ridendos, quum nudo pede ambulent. Martialis:

Desine, si pudor est, miseram traducere calvam.

in eadem significatione est & illud Juvenalis: *In quo se traducebat*, id est, præbebat se ridendum. Et illud:

— *Squallentes traducit avos.*

Propertius:

Nec si per totam infamis traduceret urbem.

Papin. *in Sylv.*

Nempe ego sum, qui traducor. —

& Mart. *lib.* VI.

Rideris, multoque magis traduceris Afer,
Quum nudus medio si spatiere foro.

16. *Nudo talo.*) Nudis pedibus, aut ob paupertatem, aut quia mos sit patrius nudis pedibus incedere. sed postea Romam traducti fiunt malis artibus locupletes.

16. *Aliena Gallia.*) Gallogræcia, *alteram* autem appellat *Galliam*, quæ in Occidente est Hispaniæ & Germaniæ contermina. *Gallogræcia* autem & *Galatia* dicta est Paphlagonibus contermina. eam tenuere *Galatæ*. quorum gentes tres sunt, duæ Trogmi & Tolistobogi a ducibus nominatæ: Tertia a gente, quæ in Celtica est, Tectosages. Transitus in Asiam dux fuisse videtur Leonorius. Strabo auctor *lib.* XII.

17. *Laborem indignum.*) Etsi poetæ jam destinaverant ad ministeria obsequiaque servilia descendere, omni destituti consequendæ mercedis spe ex laboribus & studiis suis, tamen confidant & bono sint animo. nam omnes studiis suis dignam mercedem consequentur. qui mercedem suis studiis dignam non consequitur, is laborem indignum sustinet.

18. *Canoris modis.*) id est, Sonoris versibus, & apta modulatione suavibus. Est enim hic modus, quem Musici τόνον vocant, quo cantus ad suavitatem dirigitur, & ob id Græce dicitur μέλος. C. S. C.

19. *Laurumque momordit.*) Imitatio est Horatiana & Persiana:

Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.

Persius:

— *Nec demorsos sapit ungues.*

Sæpe enim Poetæ in faciendo carmine talia solent facere, *laurum* autem ideo dicit *corrodi*, quod & lauro coronantur, & in cella plurimam habent, utpote Apollini consecratam, in cujus tutela sunt ipsi Poetæ, ea & triumphantes coronabantur. Ovid. in *Metamorph.*

Arbor eris certe, dixit, mea, semper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ:
Tu ducibus lætis aderis, quum læta triumphum
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.

21. *Quærit.*) Quasi dicat: provocat vos & invitat, ut materiam ad scribendum capiatis.

22. *Aliunde.*) Immensam sui temporis avaritiam taxat. Potes ocyus tua carmina comburere, si aliunde tibi, quam a Trajano aliquid sperandum putaveris.

23. *Tabellæ croceæ.*) hoc est quæ tabellis cedrinis coarctatur. Nam tabellæ ex cedro libris adhibebantur: quod cedrus, auctoribus Theophrasto, Vitruvio, & Plinio æternum duret. Itaque & simulacra Deorum ex ea factitaverunt. Horat.

— *Speramus carmina fingi*
Posse linenda cedro. —

& Mart. *lib.* V.

Nunquam grandia, nec molesta poscit.
Quæ cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

26. *Tinea.*) Vermis est, qui vestes & chartas corrodit maxime. Plinius *lib.* XI. *cap.* XXXIII. ait in lanis & veste pulverem creare tineas. Easdem docet *lib.* XVI. *cap.* XVI. rodere & ligna, terrestresque tantum esse. *Teredines* vero gravissimo ad portionem capite rodere dentibus feruntque tantum in mari, nec aliam *teredinem* proprie dici.

26. *Pertunde.*) id est, Sine libros sic reconditos tinea potius perforari & absumi, quam ut mittas ad aliquem, unde nulla sit tibi spes.

29. *Hederis,*) Hedera Poetæ coronabantur. Virgilius:

Pastores hedera crescentem ornate poetam.

De hac lege & Plinium.

29. *Imagine macra.*) Nam non solum poetis, sed & fere omnibus, qui aliquod egregium facinus edidissent, statuæ ab antiquis erigebantur. Hocque a Carthaginiensibus manavit, qui primi omnium Harmodio & Aristogitoni tyrannicidis publice posuerunt statuas eo anno, quo Tarquinius expulsus fuit regno. Excepta deinde est res, auctore Plinio, a toto orbe terrarum humanissima ambitione, unde & Poetis imagines non solum publicitus, sed & privatim a studiosis ponebantur. Unde & Martialis ad Avitum statuam sibi ponentem edit carmen subscribendum;

Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat:
Quam non obscuris jungis Avite viris.

Lucius Attius Poeta in æde Camœnarum, ut scribit Plinius *lib.* XXXIII. maxima forma statuam sibi posuit, quum is breviculus esset. Statuam item Carthaginienses Apulejo, ut ipse testatur III. *Florid.* posuerunt.

32. *Sed defluit ætas.*) Juventus ipsa, quæ laboribus & bellicis, & maritimis, agricolationique sufficere potuit.

34. *Tunc se odit.*) Poeta, quum ad senectutem pervenit, omni ætate in componendis carminibus jam attrita, seipsum odit, & studia damnat sua.

34. *Accipe nunc artes.*) Accipe nunc astutias divitis Romani, quem ut cliens quotidie relicta æde & Musarum & Apollinis sequeris, & colis non sine spe mercedis consequendæ ex carmine. relinquis enim commercium Musarum & Poetarum, qui in ædem Musarum, auctore Porphyrione, conveniebant, ut disputarent recitarentque sua carmina. unde Horat. *in Sat.*

—— Hæc ego ludo,
Quæ neque in æde sonent certantia judice Tarpa.

35. *Ne quid tibi conferat.*) Ne quid tibi præmii det, ipse facit versus, id est, se quoque Poetam esse ostendit præstantissimum, hoc autem astute facit, quasi non conveniat Poetæ Poetam largiri. Nam multi carmina pro carminibus, & libellos pro libellis mittebant. unde Papinius in *Hendecas.* ad *Grippum* cavillando ipsum sic inquit:

Est sane jocus iste, quod libellum
Misisti mihi Grippe pro libello.

35. *Quem colis.*) Nam Poetæ primarios colebant, seque eorum comites præbebant. Nam & Horatius Brutum coluit adolescens, sub quo tribunus militum civili bello militavit. Ovid. *e Ponto* ad Maximum scribens ostendit eum cultum fuisse a Celso.

35. *Musarum & Apollinis æde relicta.*) Templum Apollinis Palatini excitavit Augustus, in cujus aditu porticus erat cum bibliotheca librorum tam Latinorum, quam Græcorum. Tranquil. *in Augusto.*

35. *Musarum.*) Templum Musarum Romæ exstruxit, auctore Tranq. *in Aug.* Martius Philippus, ubi Poetæ opera sua recitabant.

36. *Atque uni cedit Homero.*) Hoc dictum ex persona ipsius divitis, qui *Homero* tantum se putat cedere, nec cuiquam alii.

37. *Propter mille annos.*) Ratio, quare cedat Homero, propter vetustatem inquit. Nam multi, quod extremæ est dementiæ, in libris tantum vetustatem, & non meritum considerare consueverunt, unde ab Horatio damnantur:

Si veteres ita miratur, laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet. ——

38. *Maculonus commodat ædes.*) Si forte motus dulcedine gloriæ, aut famæ aliquid cupias recitare, hoc tantum beneficio te prosequitur dives, ut tibi domum suam commodet, ubi recites, aliud autem nihil dat. nam nobiliores, ædes suas poetis opera sua recitantis, commodabant. vid. ad *Sat.* 1. *Frontonis platani.*

39. *Longe ferrata.*) Valde ferrata. hinc Romanorum potentiam pariter & superbiam ostendit Poeta, qui januas haberent ferratas, instar portarum urbis, quibus venientes non minore cura excipiebantur, quam solent excipi adventus intra portas urbis tempore belli. Prisci, ut scribit Plinius *lib.* XXXIII. limina & valvas in templis ex ære factitavere. unde illud est apud Virgilium I. *Æneid.*

Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Verum etiam privata opulentia eo adscendit. Camillo enim crimini objecit Sp. Carvilius quæstor, quod ærata ostia haberet in domo.

40. *Janua.*) Inter *portam* & *januam* hoc interest, quod *janua* proprie est privatorum; *porta* vero publica, ut urbis, plerunque tamen confunduntur.

41. *Sedentes extrema parte*) theatri. Nam ex arte in theatro collocabantur, qui applauderent. unde Nero, auctore Tranquil. plures ex Alexandria evocavit & adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia e plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi plausuum genera condiscerent.

42. *Ordinis*) subselliorum.

44. *Anabathra.*) id est gradus, vel scalæ, ab ἀναβαίνω ascendo. nam gradus struebantur ad pulpita ascendenda.

45. *Orchestra.*) *Orchestra* locus erat in theatro, ubi honoratiores sedebant. Unde alibi ante:

—— Similemque videbis
Orchestram, & populum. ——

Tradit

Tradit Vitruv. *lib.* v. Scenicos artifices per orchestram suas præstare actiones. C. *Orchestra* proprie est chori, ut Pollux tradit, ut *scena* histrionum. S. Tranquill. *in Cæsare: Decius Laberius eques Romanus mimum suum egit, donatusque est quingentis sestertiis, & annulo aureo, sessum in quatuordecim in scena per orch estram transiit.*

45. *Cathedris reportandis.*) Nam sedilia illic non erant perpetua, sicut in theatro, sed temporaria, quæ a Poeta recitans carminibus solvebantur, ad dominosque reportabantur,

46. *Nos tamen hoc agimus.*) etsi nullum ex nostris laboribus emolumentum consequimur, tamen carmina scribimus, & recitamus.

46. *Tenuique in pulvere sulcos Ducimus.*) Metaphora sumta ab iis, qui sterilem agrum colunt. sic illud Ovidii:

— Quid arena semina mandas?
Non profecturis littora bobus aras.

46. *In tenui pulvere.*) Inter cives auratos & steriles, qui nihil dant.

47. *Ducimus sulcos.*) Versus componimus.

47. *Versamus littus.*) multum scribendo defatigamur.

47. *Aratro tenui.*) Stilo & labore nostro tenui, & sterili, ex quo nullus est fructus laboris nostri.

48. *Nam si discedas.*) Si velis discedere, ne scribas: non potes, dulcedine enim gloriæ teneris, quæ te veluti pedicis apprehendit.

41. *Insanabile.*) Quod ex animo nequeunt avellere ulla ratione.

50. *Cacoethes.*) Metaphoricos inveteratam scribendi libidinem *Cacoethes* appellavit. Est enim vitium corporis curatione difficile, parum absimile a carcinomate, de quo Cornelius Cels. *lib.* v. *Namque pessimum id genus est, fereque id primum fit, quod κακοήθες a Græcis nominatur.* Ergo cacoethes insanabile scribendi, id est inveterata illa scribendi libido, quæ non minus animum scribentium obsidet, & angit, quam cacoethes corpus.

53. *Ægro.*) Agitato cupidine gloriæ.

51. *Sed vatem egregium.*) Multi carmina quidem componunt poetæque nominantur, & hac scribendi consuetudine tenentur, sed excellens & egregius Poeta esse is non poterit, quem rei familiaris angustia premat, cujus mens non careat anxietate: sicque docet mentem Poetæ omnibus curis vacuam esse oportere. Sappho:

Proveniunt vacua carmina mentis opus.

52. *Soleat deducere.*) Scribere, tractum a mulieribus nentibus, quæ pensa *deducere* dicuntur. Nam *deducere* est lanam in fila trahere. Plin. de Aranea: *Subitque pariter, ac fila deducit.* Ovid. & ipse sic metaphoricos:

Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

54. *Nihil expositum.*) Nihil commune & vulgare: nam, quæ *exponuntur*, communia sunt; sed quod sublime sit, & quod alii ob sublimitatem attingere non potuerunt.

55. *Triviale.*) Tenue & vulgare, quale solent rustici *in triviis* cantare. Virg.

— Non tu in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

55. *Moneta.*) Communi nota & stilo vulgariore. Si etiam locutus est Apul. *in* 1. *Apol. Ea tamen nomina labore meo & studio ita de Græcis provenere, ut tamen Latina moneta percussa*, id est, nota & Latino sermone. C. *Notam* appellavit Horatius *in Poetica*:

— Licuit semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen. S.

57. *Animus carens Anxietate.*) Qui paupertate non vexetur.

57. *Omnis acerbi Impatiens.*) Qui nullam acerbitatem patiatur.

58. *Cupidus sylvarum.*) Nam Poetæ solitudinem amant, & secessus, ut ab omni strepitu & rerum actione semoti commodius scribant. Horat.

— Bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.

Alibi:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbem.

58. *Aptusque bibendis Fontibus.*) id est, qui a natura feratur ad carmen, nam poetice, ut sensit Democritus, natura magis, quam arte constat, unde Horat. in *Arte*:

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit. —

59. *Aonidum.*) Musarum: nam *Aonia* dicta est Boeotia ab *Aonibus* gentibus barbaris, quæ loca illa prius inhabitavere, ubi plurima antra, & fontes Musis sunt consecrata. auctor Strab.

59. *Neque enim cantare sub antro.*) Neque enim Poeta potest, urgente paupertate, licet doctus sit, cantare carmina. hocque modo ostendit oportere poetam reliquosque scriptores omnium curarum esse expertes.

60. *Thyrsum contingere.*) Furorem Bacchicum concipere. nam eos solos esse veros Poetas sensit idem Democritus, qui insaniunt: in qua persuasione est Plato. in tutela enim Bacchi sunt Poetæ, nec sine afflatu quodam divino consistere possunt. Horatius:

Et excludit sanos Helicone Poetas
Democritus. —

unde

commoda domestica defuissent ei.

70. *Caderent hydri.*) Non describeret, ut hydri in capite Alectus erigantur, alludens ad id: *Et geminos erexit crinibus angues.* sed *omnes caderent*, quia de iis nihil scriberet.

71. *Nil gemeret.*) Non potuisset scribere, quomodo Alecto sua buccina agricolas Latinos ad arma excitaverit contra Trojanos.

71. *Surda.*) quia nihil cecinisset, nec sonum ullum dedisset, sed *surda* exstitisset. Nam *surdum* non solum ducimus, qui non audit, sed etiam, qui non auditur. unde Juvenalis alibi:

— *Et cædit verbere surdo.*

71. *Buccina.*) Alludit ad carmen Virgilii:

Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ. —

71. *Poscimus, ut sit.*) Exigimus, ut Poetæ nostri temporis non sint inferiores carminis dignitate priscis Poetis, sed non consideramus, id haudquaquam fieri posse, quum egestate laborent, & anxii sint de commodis domesticis, & rebus necessariis.

72. *Rubrenus Lappa.*) Per *Rubrenum* intelligit unumquemque Poetam pauperem: nam & is fuit temporibus Juven. pauperrimus Poeta tragicus.

72. *Cothurno.*) Antiquo stilo, & carminis gravitate antiquorum tragicorum.

73. *Alveolos.*) Dictum miseratione quadam satyrica: legendum est autem *alveolos*, non *albiolos*, ut alibi: *Illud enim vestris datur alveolis.* ut ostendat vilem etiam supellectilem pignerari a Rubreno, id est etiam vasa escaria: ea autem fieri ex ligno docet Columella *lib.* IX. Sed totum ovorum numerum in *alveolum* ligneum conferant, ut intelligas ipsas scutellas ligneas.

73. *Lænam.*) Vestimenti genus habitus duplicis. C. Et auguralis amictus: eam sic appellatam existimant Tusce, quam Græci *Chlamyda*, auctor est Festus: Nonius vero ait vestimentum esse militare, quod super omnia vestimenta sumitur. Cicero vero *de Clar. Orat.* etiam Flaminum sacerdotum esse ostendit. Virgilius:

— *Tyrioque ardebat murice læna.*

Dionysius *lib.* VI. loquens de Castore & Polluce: *Adolescentes dicuntur duo bellicas induti lænas in foro Romano apparuisse.* Varro a *lana* dictam putat. Alii vero ἀπὸ τοῦ χλιαίνειν, quod est calfacere, & fovere detractione primæ literæ, nam χλαῖνα Græce vestimentum est, quod nos *lænam* sive pænulam dicimus. S.

73. *Pignerat Atreus.*) Qui hunc locum hactenus exposuere, omnes uno ore affirmarunt *Atreum* nomen esse fœneratoris, qui res Poetæ pigneraret, quasi *pignerare* sit pignori accipere, & non dare, ita ut nec sensus, nec Latinitas ulla constet. Est enim *pignerare* pignori opponere. Terentius: *Nam potuit filiam meam oppignerare?* Tranquillus *in Vitell. Ut ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impensas.* Martialis *lib.* II.

Oppigneravit ad modo Claudii mensam,
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

Itaque ego sic hunc locum interpretor, ut *Atreus* sit tragœdia de Atreo, ut *Tereus* tragœdia de Tereo, ut *Orestes* tragœdia de Oreste, alibi:

Scriptus & in tergo necdum finitus Orestes.

& *Telephus* tragœdia de Telepho: Quam *Atreum* tragœdiam *Rubrenus Lappa* Poeta tragicus scripsit, ut sit sensus: Rubrenus, dum Atreum tragœdiam scribit, eo pervenit paupertatis, ut coactus sit pignerare, & vestimenta, & vasa escaria, sic ipse *Atreus*, id est ipsa tragœdia fuit in culpa, ut pigneraret reculas suas, ut si diceremus, Thebais fuit caussa, ut Statius pigneraret res suas, dum eam scriberet. hic est verus Poetæ sensus.

73. *Lænam pignerat Atreus.*) Ita dictum sicut & illud, *purpura vendit caussidicum*, id est purpura est caussa ut caussidicus conducatur precio, eoque modo a veste purpurea dicitur *vendi*. Sic etiam illud Valerianum *lib.* I. *Sulpitio apex prolapsus e capite sacerdotium abstulit*, id est apex prolapsus fuit in culpa, ut Sulpitio sacerdotium auferretur.

74. *Non habet infelix Numitor.*) Insultat diviti avaro per ironiam, quem *infelicem* appellat, quod veram munificentiam nesciat, quum nihil habeat, quod donet Poetæ viro honesto, multa autem Quintillæ meretrici.

74. *Numitor.*) Pro quocunque nobili & divite Romano ponitur: de quo forte & infra:

Et Capito & Numitor ruerint damnante Senatu.

76. *Leonem pascendum.*) Nam leones alebantur in deliciis, sequitur enim: *jam domitum*, mansuefactum. Unde temporibus Domitiani leo mansuetus magistrum, a quo fuerat educatus, laceravit in Theatro, Martialis:

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum.

Lampridius *in Heliogab. Habuit leones & leopardos exarmatos in deliciis, quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam & tertiam mensam jubebat accumbere, quod psittacis & phasianis pavit.*

78. *Capiunt plus intestina.*) Ironice. Poeta multo plus comedit, quam Leo.

79. *Contentus fama.*) Tacitæ objectioni respondet. posset enim dici, Poetas sola contentos esse debere gloria & fama, nec aliud sibi quærendum. ait ergo: Ita vero, si divites sint, qualis fuit Lucanus. is enim sola fa-

ma contentus potest jacere in divitiis suis. Sed Sarrano & Salejo Basso pauperibus poetis sit gloria quamvis magna, quid tamen illis proderit: si nihil aliud habeant, quam gloriam? Lucanum enim amplissimas habuisse divitias, docet Cornelius, qui scribit Annæum Melam, Lucani patrem, per procurationes administrandis Principis negotiis adeo locupletatum, ut Nero ejus opibus inhians passus sit eum falso crimine conjurationis Pisonianæ accusatum condemnari.

79. *Hortis Marmoreis.*) Luxum Romanorum ostendit, qui hortos suos etiam marmore ornarent. nam eo deliciarum pervenerant, ut non solum ædificia marmore exornarent, sed pedibus etiam gemmas in pavimentis calcarent. Sen. *Quid quum ad balnea Libertinorum pervenero? quantum statuarum? quantum columnarum est nihil sustinentium? sed in ornamentum positarum, impensæ caussa.*

80. *At Sarrano.*) *Sarranus, & Salejus Bassus* Poetæ fuere pauperes temporibus Juvenalis. Tacitus; *Quis Salejum nostrum egregium Poetam, vel, si hoc honorificentius est, præclarissimum vatem deducit, aut salutat, aut prosequitur.*

82. *Curritur ad vocem jocundam.*) Non ignoro ex suo carmine magnam etiam Statio gloriam exsurgere, qui præcipuo omnium studio, & plausu auditur, quum recitat suam *Thebaida.* Tamen ea gloria parum illi prodesset, nisi *Thebaida* Paridi Pantomimo venderet. fame enim conficeretur: nam sequitur:

Non tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

sicque per exemplum Statii ostendit gloriam omnino non satis esse pauperi Poetæ sine præmiis. Totus autem sensus eo fertur, ut ostendat carmina quidem Statii universis placere, sed nullum exstare, nisi Paridem Pantomimum, qui Poetam remuneret. ita animum omnium invasit avaritia, ut in contemtum nobilium dicat, solum *Paridem* Pantomimum, personam infamem & scenicam inveniri, qui poetas foveat.

82. *Curritur.*) quod omnino gloriosum est, ut ipsum Statium audiant.

82. *Jocundam vocem*) Poetæ recitantis.

82. *Amicæ Thebaidos.*) quæ omnibus grata est.

84. *Promisitque diem*) recitandi.

86. *Sed quum fregit.*) Sed profecto fame conficitur, etsi magna cum laude & gloria carmen suum recitavit, nisi vendat Thebaida Paridi Pantomimo.

86. *Fregit.*) Ita dictum, quemadmodum & illud:

— *Et assiduo ruptæ lectore columnæ.*

86. *Subsellia.*) Sedilia & scamna auditori a Poeta exstructa.

87. *Agaven.*) Utrum tragœdiam de *Agave* filia Cadmi Thebarum conditoris, & matre Penthei, quæ bacchabunda cum in celebratione sacrorum Liberi patris interemit, rata eum esse aprum. Unde Ovidius: *Ille mihi feriendus aper:* quum ab eo talia sacrificia contemnerentur. An, quod magis placet, ipsum opus Thebanum, in quo de Pentheo & *Agave* meminit, ut referatur ad illud:

Curritur ad vocem jocundam, & carmen amicæ
Thebaidos. —

87. *Intactam.*) Expone: quam adhuc non recitaverat, non autem, ab aliis non scriptam: nam Ponticus Poeta clarus carmine Heroico scripsit *Thebanum bellum*: de quo ita Propertius:

Quum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ.

ejusdem *Pontici* meminit & Ovidius *in Tristibus*:

Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis.

Scripserunt ergo & Ponticus, & Statius *bellum Thebanum*, quod inter Etheoclem & Polynicem fratres gestum fuit tanto odio, ut mutuis vulneribus sese confoderint. Unde Statius VI. *Thebaid.*

Ite truces animæ, funestaque tartara leto
Polluite, & cunctas Erebi consumite pœnas.

87. *Paridi.*) Hic est ille *Paris* Pantomimus, de quo apud Martialem exstat Epitaphium:

Quisquis Flaminiam teris viator,
Noli nobile præterire marmor:
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus, & voluptas,
Romani decus & dolor theatri:
Atque omnes Veneres Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Tranquillus *in Domit. Deinde Domitianus uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiavit.* De eo & Poeta in præcedenti *Sat.*

— *Paridem ludosque reliquit.*

Fuit autem non modo Domitiano, sed toti civitati gratissimus, a quo ostendit Poeta Statium salario fuisse sustentatum, quum in ejus gratiam videretur scribere, nec a divitibus quicquam haberet, quod speraret: hocque totum in invidiam tam principis, quam civium divitum: quum Principi cariores essent histriones, quam Poetæ; divitesque tanta tenerentur avaritia, ut non inveniretur, qui præmiis afficeret scriptores. Illud tamen observandum, alium fuisse *Paridem* Pantomimum occisum a Nerone, quasi gravem adversarium.

88. *Ille & militiæ.*) Quasi aliquis dixerit: nunquid Paris potest tantum Poetis præstare? Immo etiam, inquit, potest honores largiri militares, sicque Imperatorem suggillat, qui pro meritis Poetas non ornaret, sed pluris histrionem, quam Poetam faceret.

89. *Semestri auro.*) Hoc dicit, multos etiam vates ad

ad equestrem dignitatem provehi per Paridem. *Semestre* autem *aurum* intelligimus ipsum annulum, quo equites aureo uterentur: ut sit periphrasis annuli, hoc est *formæ rotundæ*. Nam *semestris* non solum sex mensium dicitur, sed medii etiam mensis: unde *Lunam semestrem* dicimus: quum ad medium pervenit mensem & rotunda est. Sic sensus est manifestus Poetæ. Apul. *Stellarumque media semestris Luna flammeos spirabat ignes. Luna* ergo *semestris*, hoc est *rotunda*, qua similitudine Poeta appellavit *aurum semestre*, hoc est *rotundum*, ac per hoc annulum ipsum, quasi qui ferat similitudinem *Lunæ semestris*, in qua opinione est & Probus. Alii per *aurum semestre* exponunt tribunitiam dignitatem, quod tribuni annulum gestarent, ut ostendit Plinius *lib.* XXXIII. [*Gr.*]

90. *Quod non dant proceres.*) Histrio dabit Poetis, quod divites per avaritiam non dant. sicque avaritiam sui temporis sugillat, docetque divites, ut Camerinos & Bareas, non esse colendos: quando ab eis nihil sit sperandum. nam multi Poetæ, ut dictum est ante, nobiles sequebantur, ut ab eis præmium aliquod acciperent ex carminibus suis:

> *Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,*
> *Quem colis & Musarum & Apollinis æde relicta.*

90. *Tu Camerinos.*) Per *Camerinos*, & *Bareas*, intelligit nobiles & potentes. Tu sequeris, & colis nobiles, sed falleris, nihil enim tibi dant. solus Paris Histrio ob opera tua ei dicata te præfectum & tribunum facit. Non tamen dicit hoc, quia Statius unquam scripserit tragœdias, sed ut ostendat poetas per fabulas suas aliquando ad dignitates provehi, sed tamen illis non esse invidendum, quorum vita ex arte musica tantum pendeat.

92. *Pelopea.*) id est tragœdia de *Pelopea* filia Thyestæ, cum qua ipse pater concubuerat, ex qua natus est Ægisthus, qui Agamemnona, & Atreum interemit.

92. *Philomela.*) Tragœdia de *Philomela* & Progne sororibus, quæ Ityn Tereo patri epulandum apposuerunt. nota est fabula.

93. *Haud tamen invideas.*) Licet ex carmine suo Poetæ præmia accipiant ex publico, tamen invidendum non est illis, quum aliunde nihil consequantur, nec peculiare habeant patrimonium.

93. *Quem pulpita pascunt.*) Quem pascunt opera recitata in scenis: ex publico enim *præmia* accipiebant, quum placebant populo, quibus alebantur. Unde Terentius ex *Eunucho* sua, quum esset rursus vendita, & ageretur iterum pro nova, precium accepit octo millium sestertium, ut innuat Poeta miserum esse, vitam scriptorum pendere ex incerto eventu scenæ. *Camerini* autem originem habuerunt a Camerino Sulpitio, qui missus fuit una cum Spurio Posthumo Albo & Aulo Manilio Athenas, ut inde inclytas leges Solonis acciperent, & aliarum civitatum instituta & jura moresque miscerent.

94. *Quis tibi Mæcenas.*) Poetarum studiosissimum fuisse *Mæcenatem*, notius quidem est, quam ut hoc loco oporteat indicari. Horat.

> *O & præsidium & dulce decus meum.* [*Gr.*]

Ergo, inquit, Juvenalis, quem invenies, quum aliquid scripseris, *Mæcenatem*, id est tam munificum, quam fuit Mæcenas?

94. *Proculejus.*) Eques fuit Romanus, ut scribit Porphyrio, Augusto apprime familiaris. in fratres suos Scipionem & Murænam adeo liberalis, ut bona sua cum iis æquis partibus diviserit, quum bello civili spoliati fuissent. Horatius:

> *Vivet extento Proculejus ævo,*
> *Notus in fratres animi paterni.*

de Proculejo meminit & Plutarchus in *Antonio*.

95. *Fabius.*) Forte intelligit de *Fabio* illo, ad quem Ovidius exsulans scribit quatuor *Epistolas* ex Ponto, tanquam ad eum, qui scriptorum esset amicus, & liberalis, unde est illud ipsius Ovidii:

> *Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro;*
> *Sed te, quum donas, ista juvare solent.*

Hocque magis placet, quam ut intelligas de Fabio Maximo, qui vendito fundo suo ab Hannibale captivos Romanos redemit. Ad Cottam scribit Ovidius ex Ponto ter, quem amicum sibi esse ostendit:

> *Quumque labent alii, jactataque vela relinquant,*
> *Tu laceræ remanes anchora sola rati.*
> *Grata tua est igitur pietas. ignoscimus illis,*
> *Qui cum fortuna terga dedere fugæ.*

96. *Tunc par.*) Tempore Mæcenatis, & Proculeji, & ceterorum, qui iisdem fere fuere temporibus munifici & liberales, merces dabatur æqua ingeniis scribentium.

97. *Nescire vinum toto decembri.*) Hoc dicit propter Saturnalia, quæ mense decembri celebrantur. Papinius:

> *Et multo gravidus mero december.*

Sensus igitur est, multis fuisse utile vino abstinuisse, quo tempore alii vino indulgebant, id est toto decembri, ac per hoc totis Saturnalibus, quæ per quinque, ut communior est opinio, dies celebrabantur. Martialis:

> *Omnia misisti mihi Saturnalibus Umber*
> *Munera, contulerant quæ tibi quinque dies.*

De *Saturnalibus* lege Macrobium *lib.* I. *Saturn.* & Gellium.

98. *Vester porro labor.*) Vos autem, qui historias scribitis, plus etiam temporis consumitis, quam Poetæ, plus etiam laboris sustineris, etiam cum impensa olei

olei & jactura papyri. Sed quæ tum inde est merces? quasi dicat nulla.

99. *Plus olei.*) Majorem lucubrationem. alludit ad proverbium illud, quod apud veteres erat frequens in eos, qui longo pervigilio aliquid frustra lucubrassent. Cicero *lib.* VII. *Epistol. Pompejus se profitetur & oleum & operam perdidisse.* Plautus *in Pœnulo*:

Tum pol ego & oleum & operam perdidi.

100. *Pagina*) in libris dicitur a *pangendo*, quod in ea versus *pangantur*, unde & plantæ dicuntur *pangi.* Suetonius *in Galba*: *Pangi malum placuisset.* Plinius *lib.* XVI. *Nascenti & depacto surculo natura incuriosius semen dedit.*

100. *Oblita modi.*) quasi finem non inveniens, quale est opus Titi Livii, quod centum & quadraginta voluminibus vix absolvitur.

102. *Operum lex.*) Ut nihil scilicet de historia omittatur, neque enim oportet historicum, quemadmodum faciunt poetæ, uno aut altero verbo rem retigisse, sed plene omnia narrasse. C. de historiæ scribendæ lege vide Ciceronem *de Orat. lib.* II. & Luciani *Dialogum*, & Pontani *Actium.* S.

103. *Inde.*) Ex laboribus scribendarum historiarum.

103. *Terræ apertæ.*) Historiæ diligenter explicatæ.

104. *Quis dabit historico.*) Historicus non tantum emolumenti ex laboribus suis consequitur, quantum Scribæ & Actuario legenti acta publica datur.

104. *Legenti acta.*) id est Scribæ & sive Actuario, qui verba sive legis, sive actorum Senatus præconi subjiceret, ut ab eo clare enunciarentur. Ergo *Actuarii* videntur dici, qui *acta* lectionesque describerent, eaque descripta recitarent. Tranquill. *Cæs. Orationem non immerito Augustus existimabat magis ab Actuariis exceptam male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam.* Ergo qui *acta* sive privata, sive publica describerent, Actuarii sunt dicti. *Acta* dicuntur, quæcunque publicis monumentis mandantur. II. *Sat.*

— *Cupient & in acta referri.*

ubi multa.

105. *Sed genus ignavum.*) Objectio est, non esse mirum si historicis nullum sit emolumentum, quum in umbra semper versentur, quod est otiosorum & mollium. Unde Horatius:

Poscimur si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum. —

& idem in *Epist.*

— *Somno gaudentis, & umbra.*

106. *Dic igitur.*) Ostendit hac interrogatione neque caussidicos, qui se longe aliter in forensibus exercent, multum lucrari.

106. *Civilia officia.*) Actiones caussarum civilium.

106. *Præstent.*) quid lucri afferant.

107. *Libelli comites.*) quos secum in forum deferunt.

108. *Ipsi.*) Caussidici.

108. *Magna sonant.*) Magno agunt strepitu & clamore, ut videantur clientum suorum acerrimi defensores.

108. *Sed tunc cum creditor audit.*) Caussidicus tunc magna sonat, quum creditor eum agentem audit. & præcipue magna sonat, si debitor latus ejus tetigit, tanquam qui eum magis urgeat ad dicendum, utpote qui neget credita, sicque ostendit Poeta magis a debitoribus, quam creditoribus caussidicum urgeri.

109. *Acrior illo*) Creditore.

110. *Venit ad nomen dubium.*) id est ambiguum debitum refellendum, quod incertum est dubium, quum ipse neget. Nam *nomen* pro debitore ponitur, & sæpe pro debito. Cicero *pro Roscio Com. Non refert parva nomina in codices, imo omnes summas.* Idem in *Epist. ad Attic. Perfeci, ut Salaminii totum nomen persolverent.* id est debitum. Plautus *in Cistellar. Nunc quod reliquum restat, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam*, id est ut debitum deleatur. pro debitore, Horatius:

Nomina sectatur, modo sumta veste virili
Sub patribus duris tyronem. —

110. *Cum codice*) utrum *legum*? an *accepti* & *expensi*? Tunc cavi folles spirant mendacia, quum creditor audit, ut a superiore dependeat, sicque caussidicos taxat, qui lucri cupiditate falsas agunt caussas, in quibus effundunt magnas offas mendaciorum.

111. *Folles.*) Metaphoricos, id est ora ipsorum caussidicorum.

112. *Conspuiturque sinus.*) Sputo nimio conspergitur. C. quo significatur magna dicentis vis & orationis contentio. S.

112. *Veram messem.*) Verum laboris emolumentum. Si voles caussidicorum etiam, qui negotium agunt, lucrum & divitias considerare, invenies solum patrimonium russati *Lacertæ* plus valere, quam patrimonia centum caussidicorum, sicque ostendit longe majus esse lucrum in militia versantium, quam literatorum, & hoc quidem culpa temporum, quibus avaritia cunctis in rebus dominatur, ut bene conveniat solum patrimonium, & non solum rus. præcessit enim centum patrimonia, & non *centum rura.* comparat enim patrimonium patrimonio, ut nullo modo legendum sit *rus Sati*, ut capias *satum* pro proprio nomine, sed *Russati* unica dictione. C. Quasi dicas, purpurati, & veste *rufa*, id est rubra ornati. S.

114. *Russati Lacertæ.*) *Lacerta* nomen militis fictum a Poeta. Nam milites Romani usi sunt in prælio vestibus *russatis*, quas Græci Phœniceas, nos vero coccineas

tinas appellamus. sumta a Lacedæmoniis consuetudine, qui, auctore Valerio, tali genere vestium usi sunt, ut coloris similitudine vulnerum suorum cruorem occultarent, ne hostibus aliquid fiduciæ afferrent, si fuissent vulnerati. De colore *russato* meminit Servius *lib.* VIII. ubi exponit *pilenta. Erant*, inquit, *tunc Veneti coloris, non, ut nunc, russati, quibus nisi caste utebantur.* Romæ etiam & Præneste, ut scribit Hermolaus *lib.* VII. *Annot.* in Plinium, lapidum monumenta comprobant, in quibus sæpe est inveniri *russatos*. Purpureis etiam vestibus usos esse in prælio ostendit Plutarchus in *Eumene*: *Instructa igitur acie incedentibus, ut primum auratis in armis ad Solem splendor enituit, ac bellua cum turribus, & purpureæ vestes inspectæ sunt.* (*is enim vadentibus in prælium ornatus est*) *primi iter cum clamore sistunt.* Trebellius item Pollio in vita D. *Claudii*, *russas vestes* memorat: *De nostro ærario privato dabis huic salarium: Tunicas russas militares annuas.* Flavius Vopiscus *in Aureliano*: *Cape igitur tibi pro rebus gestis tunicas ducales russas quatuor.*

115. *Consedere ducos.*) [*Gr.*] C. Eodem hemistichio usus est Virgilius in septimo Æneid. S. Igitur ostendit Poeta caussidicorum labores omnino graves esse, quos non sine magna anxietate exantlant in agendis caussis, sed eorum præmia perexigua.

115. *Consedere duces.*) id est judicibus sedentibus pro tribunali, tu oras & caussam alienam dicis.

115. *Ajax pallidus.*) id est, tu caussidice non minus palles, quum ad alienam caussam tuendam surgis, quam palluit Ajax in caussa sua agenda: ubi sedentibus Græcorum ducibus, tanquam judicibus, Ajax caussam suam agit, petens arma patruelis Achillis adversum Ulyssem.

116. *Dicturus pro dubia libertate.*) Oraturus pro eo, cujus *libertas* in ambiguo est, quum quæritur, *sitne liber*? Nam Romæ in judiciis plerunque quæsitum est, an is appellandus esset *liber*, qui natus esset ex matre libera, licet ancilla concepisset. Et e contrario si *libera* concepisset, deinde ancilla facta peperisset: placuit eum, qui nascitur, *liberum* nasci. Et an is diceretur *liber*, qui non justis nuptiis, sed vulgo conceptus esset: placuit etiam eum nasci *liberum*, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in utero est. Ex hoc quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta, aut expulsa civitate peperit, liberum an servum pariat, & tamen rectius probatum est, liberum nasci, & sufficere ei, qui in ventre est, *liberam* matrem vel medio tempore habuisse. C. Hæc ex Instit. *lib.* 1. *tit. de Ingenuis.* S. Emergebant igitur sæpe Romæ tales caussæ, ubi de libertate agebatur, quas tanquam magnum aliquid caussidici non sine animi & corporis labore tuendas suscipiebant.

Bubulco judice.) hoc est rustico, sive barbaro, ac per hoc legum imperito. Nam multi indulgentia Imperatorum asciti fuerant in decurias judicum, externi, rudes & barbari. Unde Julio Cæsari objectum est, quod ex Gallis multos in numerum senatorum introduxisset: illa enim in eum vulgo cantabantur: *Gallos Cæsar in triumphum ducit, iidem in curia Galli brachas deposuerunt, latum clavum sumserunt.* quam Senatorum indignitatem ab Augusto Cæsare sublatam scribit Suetonius: *Senatorum affluentem numerum deformi & inconcinna turba (erant enim supra mille & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos abortivos vulgus vocabat) admodum pristinum & splendorem redegit.* Unde nunc cum judicem *bubulcum* nominat, non exponas civem Romanum *bubulcum*, quod agricolationi intentus esset, non enim temporibus Poetæ Romani omnibus affluentes deliciis, omnique luxu corrupti agriculturæ vacabant, licet id priscis temporibus factitatum fuisset: Nam ex agris subinde, ut scribit Plinius, Senatus duces arcessebant, hincque, qui eos vocabant, appellati sunt *viatores*, indito nomine a frequenti *via*: sed, ut dixi, hominem rudem, sive rusticum, & barbarum, qui Principum indulgentia inter judices allectus fuisset. Non ignoro tribus fuisse apud Romanos rusticas & urbanas, de quibus Plinius *lib.* XVIII. *Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent; Urbanæ vero, in quas transire ignominia esset desidiæ probro.* Et Asconius in II. *Verrin. Tribus Urbanæ rusticæque omnes triginta quinque numerantur, ex quarum singulis terni eligebantur ad judicandum, hique centumviri dicebantur. licet centum & quinque essent.* Potuit etiam Poeta posuisse *bubulcum* pro cive Romano gravi & severo, sicut etiam alibi *Creticum* posuit pro viro nobili: *Cretice pelluces.* Nam *Caj. Attilius Bubulcus* consul fuit una cum Tito Manlio Torquato, quo tempore Sardinia insula rebellavit, auctoribus Pœnis. Unde mox Sardi subacti & oppressi. fuit item Junius Rusticus, quem Domitianus interemit, quod Pæti Thraseæ, & Helvidii prisci laudes edidisset, appellaretque eos *sanctissimos viros*, ut sit sensus: Surgis tu pallidus Ajax, dicturus pro dubia libertate Bubulco judice, hoc est gravi & magno viro judice, qualis fuit Attilius, sive Bubulcus, sive Junius. Huic tamen opinioni non ita me addico, ut nolim eam posse, quum libeat, citra reprehensionem discedere.

117. *Rumpe.*) Insultatio Poetæ in vanum caussidici laborem.

118. *Palmæ virides figantur.*) Ut consequatis victoriam

bonos mores oppressit. Et tamen, inquit, hæc falsa opum ostentatio fuit utilis multis, hominum enim ingenia ex cultu maxime censentur. Sicque Poetæ per hos tres caussidicos ostendit aut nullum, aut sane modicum esse in actionibus caussarum emolumentum. de *Mathone* caussidico Martialis:

Parva rogas magnos, sed non dant hæc quoque magni,
Ut levius pudeat, jam Matho magna roga.

129. *Exitus hic est Tongilli.*) id est Finis *Tongilli*, ut deficiat, modicamque capiat mercedem, qui, ut se per opes commendet, in balneis lavatur rhinocerote, comitatus magna hominum multitudine & per forum gestatur lectica purpura amictus, tanquam qui emturus sit servos, aliaque multa preciosa.

129. *Exitum.*) Finis. alibi:

— *Quis enim, te deficiente crumena,*
Et crescente gula, manet exitus? —

Alibi:

—— *Sævus & illum*
Exitus eripuit. ——

De *Tongillo* meminit & Mart.

Uri Tongillus male dicitur hemitritæo,
Novi hominis mores, esurit atque sitit.

130 *Rhinocerote.*) hoc est vase ex cornu rhinocerotis, quo potentiores in balneis utebantur cum oleo, pauperioribus autem in usu erat *guttus* ex cornu tauri, unde supra: *Pleno componit lintea gutto.* Rhinoceros est animal, de quo Plinius *lib.* VIII. Diodorus & Solin. unum in fronte cornu habet, unde nomen. hostis Elephanto, cornuque ad saxa elimato se pugnæ præparat, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem, vulgo nunc appellamus *Alicornum.*

131. *Turba lutulenta.*) id est multitudine comitum, qui eum per lutum sunt comitati.

132. *Premit juvenes.*) id est oneri est juvenibus Medis, hoc est servis Medis, dum lectica per forum gestatur.

132. *Medos.*) ex Persia enim mittebantur servi robusto & valido corpore.

132. *Assere.*) id est ligno, quo lecticarii servi utebantur ad sustinendam lecticam. Tranquill. *in Calig. Ad primum tumultum lecticarii cum asseribus in auxilium accurrerunt.* Martialis:

Ut canusinatus nostro Syrus assere sudet.

Juven. alibi:

— *Ferit hic cubito, ferit assere duro*
Alter. —

133. *Emturus pueros.*) Ut dives videatur, ostentat se velle emere multa preciosa.

133. *Argentum.*) Vasa argentea.

133. *Murrhina.*) Oriens, auctore Plinio *lib.* XXXVII. *Murrhina* mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus Parthiei regni locis. Vocabulum autem deductum est a *myrrha*: quem humorem putant sub terra calore densari, de qua Lucanus:

Non auro myrrhaque bibunt. —

Martialis:

Si calidumque petas ardenti myrrha Falernum,
Convenit & melior fit sapor inde mero.

134. *Spondet*) id est promittit, ostenditque hominem esse divitem, qui possit talia emere.

134. *Stlataria.*) id est ampla & lata. nam, auctore Festo, antiqui *stlatum* pro *latum* dixerunt, *Stlitem* pro litem. unde & *stlatam* genus navigii appellarunt *latum* magis, quam altum. *Latum clavum* videtur designare.

134. *Filo Tyrio.*) id est purpureo. Nam, ut scribit Plinius *lib.* IX. purpuræ usum Romæ semper fuisse constat, sed Romulo in Trabea. Nam toga prætexta, & latiore clavo Tullum Hostilium e regibus primum usum manifestum est, ut liquido appareat de *lato clavo* hoc loco intelligere.

135. *Et tamen hoc ipsis est utile.*) Licet sit ambitiosum hæc ostentare, tamen ipsis aliquam affert utilitatem, quod a clientibus facilius conducuntur.

135. *Purpura.*) id est vestus ipsa purpurea caussa est, ut caussidicus conducatur.

136. *Amethystina.*) Vestimenta coloris violacei. nam *amethysus* lapis est preciosus, de quo Plin. *lib.* XXXVII, *cap.* IX. Cujus fulgor ille emicans violaceus est, a cujus similitudine dicuntur vestes *amethysinæ*. *Amethysi* Indicæ Principatum tenent. illud observandum *amethysum* legendum esse, non *amethystum*, quod vocabuli origo maxime docet, est enim facta compositio nominis ab α privativo, & μέθυσος ebrius. Plinius eod. *Caussam nominis asserunt, quod usque ad vini colorem accedens, prinsquam degustet, in violam desinit, fulgorque quidam in illa purpuræ, non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens.* quibus verbis ostendit dici *amethysum*, quod non penitus colore vini inebrietur. & paullo infra: *Magorum vanitas resistere ebrietati amethysos promittit, & inde appellatas.* ita ut manifesto constet *amethysum*, non *amethystum* dicendum. Et sic *amethysina*, & non *amethystina*, sicut dicimus *byssina* a *bysso*. C. Non male tamen *amethystus* dicitur, siquidem Græce *ebrius* non solum μέθυσος dicitur, verum etiam μεθυστικός, & per circumcisionem, μέθυστος. huic rationi suffragantur omnes Auctores, qui *amethystum*, non *amethysum*, & *amethystina*, non *amethysina* scribunt. Vide post Plinium etiam Georgium Agricolam, qui de omnibus gemmis & lapidibus scripsit. S.

136. *Strepitu.*) Referri potest ad servorum multitudinem.

137. *Facit*

137. *Facie.*) Ostentatione, & specie quadam. Nam licet proprie sit ipsa oris species, qua nobis hominis qualitas ostenditur, ad alia tamen metaphoricos refertur, ut dicamus faciem hujus rei, id est speciem hujus rei. Sallustius *Jugurtha*: *Ceterum facies totius negotii varia erat*, id est species, &, ut ajunt, apparentia.

138. *Sed finem impensæ.*) Ut igitur divites viderentur, & sic conducerentur, ultra modum circa corporis ornatum impendebant, ita moribus Urbis exigentibus. Unde Seneca *ad Lucil.* *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter potest vivere: non ego sumtuosus sum, sed Urbs ipsa magnas impensas exigit.*

138. Prodiga.) Profusa ad sumtum. *prodigere* enim apud Festum consumere est.

139. *Vidimus eloquio.*) Alii *Fidimus*. Temporis sui stultitiam notat, quum in caussidicis divitiæ tantum, & non virtutes considerentur. Si detur, ut veteres oratores reviviscant, qualis fuit Cicero, nemo ei ducentos dabit nummos, nisi in illius manibus inspecti fuerint annuli preciosi, quasi soli divites sint sapientes & diserti, ut ostendat homines non de vestibus, sed de virtutibus esse censendos.

142. *Octo servi.*) qui lecticam ferant, unde *octophorus*, & *hexaphorus*, quæ ab *octo* & *sex* servis fertur, appellatur: Martialis *lib.* VI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Idem *lib.* IIII.

Quum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro:

Tranquillus *Caligulam* adeo delicate incessisse scribit, ut octophoro veheretur.

142. *An sit sella.*) ubi sedeat, an lectica qua gestetur? Nam *sellam* accipi pro lectica manifestum est. Juvenalis *Sat.* I.

Ostendens vacuam & clausam pro conjuge sellam.

142. *Togati Antepedes.*) id est anteambulones togati, qui per ambitionem divitem præcedebant. Mart. *lib.* III.

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi.

Idem:

Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis.

143. *Ideo.*) quia animadverteret istas ostentationes opum esse utiles.

143. *Agebat.*) caussam dicebat.

143. *Conducta.*) Nam vestes & comites conducebantur.

144. *Sardonyche.*) *Onychem* scribit Plin. gemmam esse, cui cum *sarda* nomen sit conjunctum. est etiam alius lapis. Scribit etiam Porphyrio *Onychem* marmoream ampullam significare. *Onychi* enim candor est unguis humani similitudine. Item chrysolithi, & jaspidis, & sardæ, unde nominis societas oritur. *Sardonychen* Ptolomæus a *Sardonyche* monte Indiæ derivari tradit, ergo sardonyche, id est annulo *sardonyche* ornato.

144. *Pluris.*) Majore emolumento conducitur.

144. *Cossus & Basilus.*) Nomina pauperum caussidicorum.

145. *Rara in tenui facundia panno.*) Non mirum est, si Cossus & Basilus raro conducuntur ad agendas caussas, putat enim vulgus sub sordido amictu facundiam non habitare. hoc igitur modo Poeta hominum stultitiam taxat, quum homines ex vestibus non sint censendi. C. Contra hunc Juvenalis versiculum afferri posset Cæcilianum illud, ut est apud Ciceronem *Tusc.* III. *Sæpe est etiam sub palliolo sordido Sapientia.* S.

146. *Quando licet Basilo.*) Vult ostendere graviores caussas non committi caussidicis pauperibus, licet sint diserti. Quando licet Basilo deducere matrem? id est agere caussam difficilem, ubi maxime sit judicum miseratio captanda per multas matris lacrymas, id est mulieris viduæ, cujus filii circumveniantur.

147. *Quis ferat.*) Licet sit caussidicus disertissimus, tamen quia pauper est, non auditur a judicibus, non conducitur a litigantibus.

147. *Accipiat te.*) si vis agendo caussas lucrari, fac petas Galliam, aut Africam, ubi magnis patroni præmiis afficiuntur.

150. *Declamare doces.*) Miseretur Rhetorum, qui adolescentulos per declamationes exerceant summo cum labore, & modico emolumento. Est enim declamatio, ut inquit Quintil. *lib.* X. *forensium actionum meditatio.* Nam in scholis proponebantur certa quædam discipulis, quæ themata dicimus, quibus sic exercebantur, ut domestica illa exercitatione ad veras litium caussas instructiores descenderent. Declamationes ante Ciceronem (ut scribit Seneca) vocabant *theses*, deinde *controversias* nominarunt, & *declamationes*. est autem interposita acclamatio in nimiam patientiam Rhetoris, qui quotidie tot adolescentes & doceat & audiat.

151. *Classis numerosa.*) Puerorum declamantium ordo. *Classis* autem dicebatur, ut ostendit Quintilian. *lib.* I. discipulorum multitudo, quibus in ordinem distributis præceptores secundum ingenii vires ordinem dicendi dabant, & ita superiore loco quisque declamabat, ut præcedere profectu videbatur. illic ingens palmæ contentio, ducere vero *classem* multo pulcerrimum. Nec de hoc semel decretum erat, tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem.

215. *Quum perimit.*) quum audis discipulos se decla-

clamationibus exercentur, quibus tyrannorum cædes continentur.

154. *Crambe repetita.*) Angelus Politianus, vir ætate nostra sine controversia graphice eruditus contendit *Crambe* legendum esse, expressumque esse a Juvenale adagium illud Græcum Δὶς κράμβη θάνατος quo significatur bis positam *cramben* mortem esse: est enim *crambe*, ut ostendit Plinius, genus brassicæ: ut fastidium videlicet sæpius repetitæ controversiæ denotaret, quum vulgo quoque recalefacta brassica jam in proverbium fastidii concesserit. erit ergo dictum per proverbium: Declamatio sæpe repetita fastidio præceptores conficit.

155. *Quis color.*) Volunt discipuli noscere omnia, quæ pertineant ad declamationum exercitationem, & quis sit color, qui in declamationibus quæritur, de quo superius disseruimus: *Dic Quintiliane colorem*, hoc est, quæ sit ratio excusans factum. Nam *color* est ratio, quæ factum excusat, ut Orestes, quum fatetur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, pervertit defensionem. ergo affert rationem, quæ nisi intercederet, ne caussa quidem esset. Illa enim, inquit, patrem meum occiderat. ergo ratio ea est, quæ continet defensionem, sine qua caussa non consisteret. Inventa ratione, firmamentum quærendum est, id est, quod accusationem continet, & quod affertur contra rationem defensionis hoc modo: Quum usus fuerit Orestes ratione hoc pacto: jure occidi, illa enim patrem meum occiderat, utetur firmamento accusator hoc modo: sed non absre occidi, neque indemnatam pœnas oportuit dare. Ex ratione defensionis & ex firmamento accusationis judicii quæstio nascatur oportet, quam *judicationem* appellamus. Quum ergo Poeta ait: *Quis color*, intelligit, quæ ratio sit rei. Quum ait, *quæ veniant diversa parte sagittæ*, firmamentum intelligit, quod affertur contra rationem defensionis, quod ideo appellat *sagittas*, quod eo, quasi acutis *sagittis*, reus urgeatur.

155. *Genus caussæ.*) an demonstrativum, an deliberativum, an judiciale: aut caussæ genus honestum, turpe, dubium, humile, admirabile.

155. *Summa Quæstio.*) In caussa plures possunt esse quæstiones, sed summa illa appellatur, unde summus nascitur status, & in qua res maxime vertitur, quam aliqui, auctore Fabio, generalem quæstionem, vel caput generale appellaverunt.

156. *Quæ sagittæ.*) Sumtum a sagittariis, id est quod sit firmamentum, quod ab accusatore affertur ad evertendam rationem defensionis. aut revera intelligit firmissimas accusationes, ut illud: *Nunc etiam audes in horum conspectum venire proditor patriæ; proditor, inquam, patriæ venire audes in horum conspectum.* Vehementer enim adversarium urget feritque, quasi aliquod telum sæpius perveniat in eandem partem corporis.

158. *Mercedem appellas.*) Verba sunt Poetæ ad rhetorem, id est si laboris tui mercedem petis, discipulus respondet: quid scio?

158. *Culpa docentis.*) Scilicet statim accusatur magister, quum ad discendum tardus sit discipulus.

159. *In læva parte.*) Ubi sedes est cordis, unde omnis est intellectus. nam, ut auctor est Plin. *lib.* XI. *Cor homini est tantum infra lævam papillam, quum in ceteris animalibus in medio pectore sit.*

160. *Nil salit.*) Nihil sapientiæ sit. Nam nonnulli Philosophorum in corde, ut scribit Fulgentius, Sapientiam esse dixerunt. Sed hoc verbo *salit* ad id respexit, quod cordi præcipuus est calor, & palpitatio.

160. *Arcadico juveni.*) i. tardo, & asinino. Nam in *Arcadia* optimi progenerantur, unde Pers. *Ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.* quod alii sentiant *juveni Arcadico*, id est nobili, quod Romani ab Euandro rege Arcadiæ originem duxerint, proindeque in testimonium originis antiquæ in calceis *lunam* gestarent, ut docet Plut. non probo: hinc enim exit indignatio, quod inique præceptor accusetur, quum asinus doceri nequeat, quasi in potestate præceptoris sit etiam tardo & asino virtutis cognitionem ingerere. Sic Poeta ostendit, sterilia nullo labore vinci.

161. *Quicquid.*) Cujus suasoria de Annibale sexta quaque die mihi non sine magna animi molestia & fastidio audienda est. Nam in scholis rhetorum præter declamationes & controversias, *suasoriæ* quoque proponebantur discipulis, in quibus se exercerent. Talis ergo *suasoria* erat de Annibale: *Deliberat Annibal, an post victoriam Cannensem ducat exercitum ad Urbem, Maherbale præfecto equitum suadente pollicenteque ei cœnam in Capitolio die v. Et an relicta Urbe, quam armis premebat, reducat copias in Appuliam, repulsus bis ab imbre, quum esset ad tertium lapidem.*

164. *Circumagat.*) Inde reducat. Silius:

— *Cunctantem, & vana minantem*
Circumagit: castrisque ducem succedere cogit.

164. *A tempestate.*) Nam duplici tempestate, quum jam ad tertium lapidem exercitum duxisset, repulsus est, ut scribit Liv.

165. *Quantumvis stipulare.*) Verba sunt dispensatoris discipulum præceptori tradentis, id est pete & roga. Col. *Fœnoris tui, Sylvine, quod stipulanti spoponderam tibi, reliquam pensiunculam percipe.* unde & *stipulatio* est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve id, quod interrogatus est, respondet, ut *dasne capram sanam? do.*

165. *Protinus accipe, quod.*) id est tantum cape, quan-

quantum tecum paciscor, & quantum teneor dare ex conventione nostra.

166. *Ut totiens illum.*) Accedebant enim patres ad magistros, quum filii in scholis declamarent. Persius:

Atque oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Discere, ab insano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.

Audiebantur autem certis diebus, ut modo dixit Poeta *Quæque die sexta?* unde ita Quint. *lib.* x. *Obstat huic frequens turba discipulorum & consuetudo classium certis diebus audiendarum, non nihil etiam persuasio patrum numerantium potius declamationes, quam æstimantium.*

166. *Ast alii sex Et plures.*) Hæc a Poeta cum indignatione & miseratione quadam proferuntur. Gravis profecto labor est; exigua autem merces docentium declamare: & multi tamen id muneris obeunt. verum multi alii ex iis intelligentes in hujusmodi munere docendi tenuem esse quæstum, relictis declamationibus, quæ in scholis & locis privatis exercebantur, in forum descendunt, ubi agant veras caussas, sed melius sibi consulerent, si alium vivendi tramitem ingrederentur.

167. *Sophistæ.*) *Sophistæ* iidem fuere apud antiquos, qui rhetores dicuntur, verum postea cœpti sunt dici, qui artem deceptoriam, quæ *sophistice* dicitur, exercent, unde & Boethius interpretatur sophisticen *cavillatoriam.*

167. *Uno ore.*) Uno modo, quum omnes idem agunt, ut conferant se ad agendas veras caussas.

168. *Raptore relicto.*) id est declamatione omissa de raptore, i. stupratore. Nam in scholis talis proponebatur declamatio: *Rapta raptoris, aut nuptias indotatas, aut mortem optet una nocte quidam duas rapuit, altera mortem optat, altera nuptias.* Hanc tractat Seneca I. *Declamation.* Item alia est declamatio: *Rapta raptoris mortem aut indotatas nuptias optet. Rapta producta nuptias optavit. Juvenis raptorem se negavit. Convictus est, illa mortem petiit: Raptor contradicit.*

169. *Fusa venena silent.*) id est declamatio omittitur, ubi actio est veneficii, qualis VII. est *Declamatio* apud Sen. quæ sic incipit: *Filio furenti, & sua membra lanianti pater venenum dedit. Accusatur ab uxore malæ tractationis.* Unde sequitur:

— *Malus ingratusque maritus.*

potest etiam *ingratus maritus* ita exponi, ut intelligamus aliam declamationem, quæ est hujusmodi: *Torta a tyranno uxor, nunquid de viri tyrannicidio sciret, perseveravit negare, postea maritus tyrannum occidit. Intra quinquennium non parientem nomine sterilitatis dimisit, agit illa ingrati.*

171. *Dabit sibi rudem.*) Imponet sibi finem agendi caussas in foro. est autem *rudis*, qua donabantur gladiatores, quum missionem impetrabant. Priscianus. Horatius:

Spectatum satis & donatum jam rude quæris
Mæcenas iterum antiquo me includere ludo.

& supra:

— *Accepta rude cœpisset Vejento videri.*

Ovidius:

Et me donari jam rude tempus erat.

Ejusdem fit mentio apud Ciceron. II. *Antonianarum: Tam bonus gladiator, rudem tam cito cepisti.* Inde *rudiarii*, qui missionem artis gladiatoriæ impetrarunt, quo vocabulo utitur Tranq. in *Tiber.*

173. *Ab umbra rhetorica.*) A declamationibus, quæ in scholis aguntur.

173. *Ad pugnam.*) Ad verum certamen, i. ad veras lites, & caussas forenses.

174. *Summula ne pereat.*) Hæc videtur esse ratio, quare in forum descendat ad agendas veras caussas, ne *summa* scilicet & census decrescat, propter quem tesseram habuit frumentariam. apparet *tesseram* dari consuesse pro qualitate census, dabatur autem populo per *tesseram* frumentum. Tranq. *in Augusto*: *Ac ne plebs frumentationum caussa frequentius a negotiis avocaretur, ter in anno quaternorum mensium tesseras destinavit.* Dabantur & pecuniæ per tesseras. Tranquil. *in Eodem*: *Frumentumque in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo precio viritim admissus est, tesserasque nummatis duplicavit.*

175. *Quippe hæc merces lautissima.*) Ironice. id est hæc est merces amplissima, quæ datur Romæ.

175. *Tenta, Chrysogonus quanti doceat.*) Inquire & vestiga, quanti citharœdi filios nobilium doceant fidibus: ut ostendat longe uberius esse citharœdorum lucrum, quam sophistarum, & caussidicorum. Sic igitur Poeta sui temporis cœcitatem, & stultitiam notat, quum studia literarum arti musicæ postponantur, parvoque in precio habeantur, quod & Martialis notat *lib.* v.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac, discat citharœdus, aut choraules.

176. *Chrysogonus.*) de hoc & *Sat.* VI.

Chrysogonum cantare vetent. —

fuit enim citharœdus.

176. *Pollio.*) De eo supra. ostendit igitur citharœdos majorem ex laboribus suis mercedem consequi, quam rhetores.

177. *Pueros lautorum.*) Filios divitum, & primorum.

177. *Scindens.*) Lacerans, & deridens. nam *Pollio* deridet artem rhetoricam, quum plus ipse lucretur in arte sua. *Scindere* enim est contumelia verborum lacerare. Tranquil. *in Augusto*: *Antonio honorifice salutato,*

cato, Augustum sævissimo convicio coram proscide-runt.

177. *Theodori.*) Hic est, de quo Quintil. III. *Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium, quem studiose, quum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius audivisse.* de hoc meminit & Tranq. *in Tiberio: Docuit autem Rhodi præcepta rhetoricis per id tempus, quo Tiberius Rhodum secessit, ubi circa scholas & auditoria professorum assiduus fuit, & inprimis Theodorum audivit.* Gadareus autem dictus est a *Gadaris* civitate Syriæ, quam Judæi sibi vendicarunt. Unde & Strabo, quum de *Gadaris* loqueretur, ait: *Hinc fuit Theodorus orator, qui ætate nostra viguit.* Strabo autem scribit eum temporibus Tiberii floruisse. *Theodori* etiam cujusdam *Gadarei* meminit & Josephus *lib. I. Belli Judaici*, incertum autem, an hunc intelligat.

178. *Balnea sexcentis.*) Non cunctabuntur divites Romani, & balnea, & alia ædificia summis impensis erigere, circa autem filiorum eruditionem erunt parcissimi.

178. *Balnea sexcentis*) sestertiis exstruuntur a divitibus, nec ejusmodi parcunt impensis. Unde Seneca ad Lucil. *At nunc, quis est, qui sic lavari sustineat? pauper sibi videtur & sobrius, nisi parietes magnis & preciosis orbibus refulserunt, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt, nisi illis undique operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, nisi vitro absconditur camera, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exanimata demittimus, nisi aquam argentea epistomia fuderint, & adhuc plebejas fistulas loquor. Quid quum ad balnea libertinorum pervenero? quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensæ caussa? quantum aquarum per gradus cum frigore labentium.*

178. *In qua Gestetur dominus.*) Tanta erat Urbis luxuria, ut porticus haberent & loca, quas *gestationes* appellavere: in quibus æstivo pluvioque tempore ad amœnitatem vel gestarentur a servis, vel veherentur jumentis. Plinius Junior *ad Caninium Rufum*: *Quid agit Euripus viridis & gemmeus? quid subjectus & serviens fluminis? quid illa mollis & tamen frigida gestatio?* Idem *ad Apollinarem*: *Ambit hunc ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa; ab his gestatio in modum circi, quæ buxum multiformem humilesque & recentes manu arbusculas circuit.* Sidonius: *Prædiorum iis jura contermina, domicilia vicina, quibus interjecta gestatio lassat peditem, nec sufficit equitaturo* ...

179. *Anne serenum Exspectet*) Luxuriæ Romanæ perstringit ... debent, inquit, exspectare do- ... nec serenat, quo minus gestetur.

182. *Parte alia.*) Magnificentiam pariter, & luxuriam Urbis ostendit: ubi porticus columnis marmoreis, & iis Numidicis exædificabantur. M. Lepidus Catuli in consulatu collega primus omnium, ut scribit Plinius *lib. XXXVI.* limina ex Numidico marmore imposuit, magna reprehensione, id autem erat variatum maculis purpureis. unde Statius *in Sylvis*:

> *Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis*
> *Purpura.* —

183. *Surgat.*) Surgere videas.

183. *Cœnatio.*) Locus, ubi cœnabant, quod *triclinium* Græci appellant. Plin. Junior: *Junctaque ei quotidiana amicorumque cœnatio: hoc est locus, ubi cœnabant.* Idem etiam *cœnaculum* dicebatur, sed postquam, ut scribit Varro, in superiore parte domus cœnitare cœperunt, superioris domus universa *cœnacula* sunt appellata. unde in sequentibus:

> — *Rarus venit in cœnacula miles.*

183. *Solem algentem*) hoc est: ut habeat lumen a Sole hyberno, ita ut possit eam hyberni totus Solis propemodum cursus hilarare. Nam antiqui pro temporum & regionum qualitate, ædificia, ut docent & Vitruvius, Palladius, & Colum. erigebant, ut fenestræ æstivo tempore ad septentrionem vergerent Solemque aversarentur, hyberno vero Solem raperent. unde Plin. Junior de domo sua Novocomensi: *Incipit porticus ante medium diem hyberna, inclinato die æstiva: hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, ut circuit Sol, aut Sole utuntur, aut umbra.* Colum. *lib. I. Urbana rursus in hybernacula & æstiva sic digeratur, ut spectent hyemalis temporis cubicula brumalem Orientem, cœnationes æquinoctialem Occidentem. Rursus æstiva cubilia spectent meridiem æquinoctialem, sed cœnationes ejusdem temporis prospectent hybernum Orientem.*

184. *Quanticunque domus*) constabit. hoc est magno: quasi dicat in ædificiis exstruendis parandisque coquis, & epulis grandem pecuniæ summam non verebuntur impendere, sed magistris, qualis fuit Quintilianus, exiguam sane mercedem dabunt. Nam, ut scribit Plinius *lib. IX.* coqui triumphorum preciis parabantur, & coquorum pisces, pulsusque prope jam mortalis æstimabatur pluris, quam qui pretiosissime censum domini mergeret. coquos autem in servitiis habebant quum antea eos ex macello, ut docet Plin. conducere consuevissent. Liv. de bello Maced. *Tum coquus vilissimum antiquis mancipium & æstimatione, & usu in precio esse cœpit, &, quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta.*

185. *Pulmentaria.*) Græci vocant ὀψώνια, quæ nos *pulmentaria*, a pulte, ut scribit Plinius, denomina-

 ta,

ta, quibus vice panis multis annis usi fuere Romani.

188. *Unde igitur tot.*) Verba Poetam interrogantis: Si Romani, inquit, tam parci sunt erga præceptores, unde igitur Quintil. est tam locupletatus? Nam Romæ XXIII. annis rhetoricen professus est, ut ipse tradidit: primusque mercedem publicam meruit. Ex Hispania a Galba, auctore Euseb. ductus est. a Mart. laudatur uno epigrammate.

186. *Saltus.*) Tantum soli, unde *Saltuarii*, quos nunc *Camparios* vocant.

189. *Exempla transi.*) Verba sunt Poetæ respondentis: Quintilianum esse prætereundum, tanquam unicum felicitatis exemplum, ac si dicat, nullum alium inventum, qui ex liberalibus studiis sit locupletatus.

189. *Novorum felix.*) Novæ felicitatis, quam ipsa fata tribuere Quintiliano, ut esset dives.

190. *Felix.*) Beneficio Fortunæ factum est, ut in Quint. omnia agnoscerentur, quæ in fortunato homine conveniunt esse.

190. *Felix.*) quasi cui fortuna aspiraverit, quod ter est repetitum, ut latenter innuat tantam felicitatem non tam doctrinæ, quam fortunæ beneficio esse assequutum. unde sequitur:

Si fortuna volet. —

190. *Pulcer.*) Jocundus aspectu.

190. *Acer*) ad dicendum.

191. *Sapiens*) eruditione multa.

191. *Generosus*) est, qui magni & longi est generis.

192. *Subtexit Lunam.*) Nobiles Romani lunatis calceis utebantur. Martialis *lib.* 11.

Lunata nusquam pellis, & nusquam toga.

Statius *in Sylv. ad Crispinum*:

Primaque patricia clausit vestigia luna:

cujus rationem Plut. *in Problem.* longa disputatione ostendit. [*Gr.*]

192. *Nigræ alutæ.*) Nigros fuisse calceos ex eo carmine Horatii datur intelligi, in *Satyr.*

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus. —

192. *Alutæ.*) Calceo. appellatione *alutæ* intelligimus omnem pellem tenuem & mollem.

193. *Orator*) dicendi peritus.

193. *Jaculator.*) qui argumentis suis, tanquam telis, adversarium urgeat.

194. *Et si perfrixit, cantat bene.*) Adeo Fortuna Quintiliano aspiravit, ut etsi raucus esset nimio frigore, tamen bene canere diceretur.

194. *Distat.*) Differt, refert.

194. *Quæ Sidera te excipiant.*) qui siderum aspectus in ortu tibi affulserit. Credimus enim ex astrorum motu futura cognosci, & nascentibus hominibus malitiam, vel bonitatem, felicitatem, vel infelicitatem portendi: unde Mathematici horam partus, id est *horoscopum* maxime observant. Sueton. *in August. Vulgata res est P. Nigidium comperta moræ caussa, ut horam quoque partus acceperit, affirmasse dominum terrarum orbi natum.* Jovis autem & Veneris sidera benigna sunt nascentibus & salutaria. Ovidius:

Natus es infelix (ita Dii voluere) nec ulla
Commoda nascenti stella levisve fuit.
Non Venus affulsit, non ulla Juppiter hora.

Contra stella Saturni malefica est, quibus in ortu irradiaverit: alibi Juven.

Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni? —

Propertius:

Et grave Saturni sidus in omne caput.

195. *Primos vagitus.*) Primos ploratus, est enim vagitus proprie puerorum infantium. Ovidius in *Epist. Canaces ad Macareum*:

Vagitus dedit ille miser, sensisse putares.

196. *Rubentem.*) ob partum recentem.

197. *Si Fortuna volet.*) Quintilianum, ut diximus, latenter innuit non tam doctrina, quam fortunæ beneficio eo divitiarum pervenisse. Est ergo sensus, beneficio Fortunæ fieri posse, ut ex infima conditione aliquis ad supremos honores provehatur, unde est illud Tranquilli *de Rhetoribus*: *Magna professorum atque doctorum profluxit copia, adeoque floruit, ut nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium, atque ad summos honores processerint.* [Gr.]

197. *De consule rhetor.*) id accidit Valerio Liciniano: de quo Plinius *in Epistol. ad* Cornelium Minutianum: *Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? nondum te puto audivisse. Est enim recens. Prætorius hic modo inter eloquentissimos caussarum actores habebatur, nunc eo decidit, ut exul de senatore, rhetor de oratore fieret. itaque ipse in præfatione dixit dolenter & graviter. Quot tibi fortuna ludos facis. Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores.*

199. *Ventidius.*) Probat exemplo Ventidii Bassi, & Servii Tullii Fortunam magnam habere potestatem in homines. [*Gr.*] Ventidius, auctore Plutarcho in *vita Marci Antonii*, Orientalibus provinciis præpositus a M. Antonio Parthos in Syriam erumpentes tribus præliis fudit, primusque de Parthis triumphavit, & morte obita publico funere sepultus est.

200. *Fati occulti.*) Non intellecti a nobis.

202. *Felix ille tamen.*) Cui hoc acciderit, ut ex servo fiat rex; & ex captivo consul, & triumphator.

207. *Pœnituit.*) Exemplo *Thrasymachi*, & *Secundi Carinatis* rhetorum ostendit infelicia esse literatorum studia, quando eorum laboribus justa præmia non reddantur.

dantur, uterque enim coactus est, quum fructum ex studiis non caperent, relinquere artem docendi. *Thrasymachus* autem fuit Carthaginiensis inter sophistas numeratus a Philostrato, qui, quum rhetoricen cœpisset profiteri, destitit ob exiguam mercedem. [Gr.]

204. *Secundi Carinatis*) Tacitus *lib.* XV. *Secundum Carinatem Græca doctrina oretenus exercitum, animum bonis artibus non imbuerat.* Dion vero scribit, Caligulam adeo invidum, & suspiciosum ad omnia, ut Secundum Carinatem rhetora in exilium egerit, quod aliquando orationem quandam per exercitationem in tyrannos dixisset.

206. *Nil præter cicutas gelidas.*) Damnat Athenienses avaritiæ & insipientiæ, qui debitis non afficerent præmiis & honoribus viros bonos & literatos, innuens ab eis Socratem etiam tantum philosophum, qui omni honore honestandus erat, sublatum veneno *cicutæ*. Est autem *cicuta*, ut docet Plinius, publica Atheniensium pœna invisa: Semini & foliis refrigeratoria vis, ut epota statim perimat hominem.

207. *Dii majorum umbris.*) Optat manibus majorum perpetuam tranquillitatem, qui præceptores non minus, quam parentes coluerint.

207. *Dii*) date tenuem terram. Sic Martial.

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.

Tibullus contra:

O tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

208. *Et in urna perpetuum ver.*) Perpetuos flores: nam intra herbas odoratas condebantur.

209. *Loco Parentis.*) qui summa pietate præceptores venerati sunt. Seneca *ad Lucil. Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eandem præceptoribus humani generis, a quibus tanti boni initia fluxerunt.*

210. *Metuens virgæ.*) Exemplo Achillis ostendit præceptores esse miro honore colendos, qui quum in Pelio monte Thessaliæ educaretur sub disciplina Chironis Centauri, summo in honore eum semper habuit & timuit. [Gr.]

211. *Cantabat*) Achilles laudes magistri.

211. *Montibus patriis.*) i. Thessalicis, unde fuit Peleus Achillis pater. Et cui non tunc erat Chiron ejusmodi, ut facile de se risum spectantibus posset movere, tanquam caudatus magister.

212. *Citharœdi*) Chironis, qui docuit Achillem & musicen & medicinam, de eo nonnulla Hyginus. Hic herbam invenit, quæ *Chironeum* appellatur, sed & aliam, quæ *Centaurion* omnium morborum remedium pronuntientem.

213. *Sed Ruffum.*) Nunc autem tam longe abest, ut præceptores colantur, ut multi etiam a discipulis verberentur.

214. *Ruffum, qui totiens.*) Habet emphasin hæc repetitio, quasi diceret, qui contemnendus non erat, utpote rhetor optimus, qui etiam Ciceronem eloquentiæ cujusdam Gallicæ diceret. Nam & alii exstitere, qui Ciceronem, ut redundantem notaverunt. Brutus, ut auctor est *Tac.* de Clar. Orator. eum *elumbem & fractum* nominavit. Rursus idem auctor est Ciceronem a Calvo male audivisse, tanquam *solutum & enervem*, unde Seneca in *Declamat. Calvus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de eloquentiæ principatu habuit.*

214. *Allobroga.*) Gallum & barbarum, nam *Allobroges* populi sunt Galliæ, quorum Vienna civitas est metropolis, auctor est Strab. *lib.* IV.

215. *Enceladi.*) Nomen Grammatici, & fuit etiam Enceladus Gigantum unus, ut Poetæ fabulantur.

215. *Doctique Palæmonis.*) hic est ille *Rhemnius Palæmon Vicentinus*, Grammaticus, de quo Tranq. *in Clar. Gramm.* Ejus meminit & Plinius *lib.* XXIII. *cap.* 4.

216. *Et tamen ex hoc.*) licet id modicum sit, quod datur Grammatico, tamen ex eo ipse pædagogus aliquid sibi intercipit.

218. *Acœnitus.*) Nomen videtur esse fictum, quod propriam nimium spectet utilitatem.

219. *Franget sibi.*) Ex solida mercede magistri aliquid sibi præcidet.

219. *Cede Palæmon.*) Verba sunt Juvenal. quadam miseratione subsannantis defraudantium avaritiam, ut sit: cede Palæmon de jure tuo, & patere æquo animo, si quid tibi intercipitur, non aliter, quam patitur sibi detrahi institor vilis supellectilis, ut accipias tegetis pro tegumento lecti ad arcendum frigus hibernum. nam institor, auctore Ulpiano, appellatur ex eo, quod negotio gerendo instat, nec multum facit, tabernæ sit præpositus, an cuilibet alii negotiationi. nam quicunque ad emendum vendendumve præponitur, *institor* appellatur: eos etiam dicendos placuit *institores*, quibus vestiarii, vel lintearii dant vestem circumferendam, & distrahendam, quos vulgo *circitores* appellamus: stabularii quoque *institorum* loco habendi sunt; sed & si tabernarius servum suum peregre mitteret ad merces comparandas sibi, & mittendas loco *institoris* habendum scribit Labeo. hinc *institoriæ operæ* dicuntur Tranquil. *in Nerone*: *Parabantur insignes ganeæ, & matronarum institorias operas imitantium*: Ovid.

Institor ad dominam veniat discinctus emacem.

221. *Cadurci.*) utrum straguli, an tegumenti lecti. Solent enim lecti superne veluti tentoriis cooperiri velis ejusmodi candidis, supra:

— *Violato pœna cadurco.*

 aid

id est lecto, qui aut stragulo niveo sternitur, aut superne velis candidis integitur.

222. *Dummodo ne pereat.*) Verba Juven. deridentis tam extremam hominum avaritiam, i. dummodo non pereat labor tuus docendi post mediam noctem, quo tempore multæ tibi olfaciendæ sunt lucernæ, quod pro maximo fastidio intelligit.

222. *Mediæ noctis.*) Eo enim tempore pueri ludum literarium petebant. Mart. *lib.* IX.

Nil tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
Infelix pueris virginibusque caput.
Nondum cristati rupere silentia galli,
Murmure quum sævo verberibusque tonas.

226. *Decolor.*) Qui nimia attrectatione & fumo lucernarum colorem amittit.

227. *Flaccus.*) Bene autem *Horatium & Virgilium* nominavit, nam Grammaticorum proprium est poetas interpretari.

227. *Fuligo.*) Nigrities ea dicitur, quæ provenit ex fumo, dicta *fuligo*, quasi fumigo. lucernarum *fuligo* a Plin. dicitur.

228. *Rara tamen merces.*) Licet aliqua tibi merces detur, eam tamen non habebis, nisi per litem & strepitum forensem.

228. *Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni Non egeat.*) In hanc sententiam exponit Britannicus, ut dicat, apud tribunos plebis agi necesse fore, & post immensos labores erudiendis pueris ludimagistrum in judicio experiri oportere, ut mercedem laboris & impensæ doctrinæ assequatur, idque Juvenalem in fine Satyræ apertius sentire, dum inquit:

— *Et cum se verterit annus,*
Accipe, victori populus quod postulat, aurum.

tanquam post lites judicio a tribuno pleb. definitas, tandem populus aurum, quod petebatur, victori magistro & mercedem tradi postularet. Qui sensus etsi a multis mira persuasione receptus, quam absonus sit, nemo mediocris solertiæ vir ignorarit. Ubi enim, quæso, apud Auctores compertum fuit, tribunum plebis juris cognitionem aut in jus vocationem apud suum tribunal Romæ habuisse, ita ut an stipendium magistro debeatur, suæ cognitionis & arbitrii fuerit. Non enim, ut de controverso jure cognosceret, aut super eo dijudicaret, sed ut a majorum magistratuum injuria tenuem plebem defenderet, in repræsenti, tribunitiam potestatem inventam veteres voluere. Prehendere enim licebat tribuno, & in carcerem mittere, non autem super controverso jure dijudicare, quod omnes annales, & omnia monumenta vetustatis percalluere. Præterea quid imperitius dici potuit, quam in exactione vilis stipendii populus, tanquam si plebs, aut plebiscitum aliquod rogaretur, interesse deceat: ita ut rogatione promulgata, an stipendium magistro debeatur, decernat? Sed quod est vero propius, quodque ab Auctoris sensu non absonum putamus, profecto sic est, ut Poeta non de tribuno plebis, qui juris non habet cognitionem, sed de tribuno ærario, apud quem leviores expenduntur caussæ, credatur. Etenim liquere arbitror, leves & nummarios judices tribunos fuisse ærarios, caussarumque cognitionem habuisse in minimis, quippe ab Aurelio tribuno plebis rogatione prorogata, judicia in tres ordines divisa fuere, senatores equestrem ordinem & tribunos ærarios, quorum cognitio in minoribus fuit caussis, ideo in subselliis, non pro tribunali jus dicebant. Raram dicit ergo mercedem, quæ cognitione non egeat *tribuni*, non plebis, apud quem nulla erat juris cognitio, sed *ærarii*, qui de minoribus caussis jus reddebat, intellexisse probabile est. Rursus quod dicitur in fine Satyræ:

Accipe, victori populus quod postulat, aurum:

neque de rogatione populi aut scito plebis, quod ille asseverat, intelligi arbitramur, sed vetustum potius morem præsignari, quod apud Romanos in sacris certaminibus inolevit frequens. Fuit enim antiqui moris, ut qui in theatro præstabant munera, multitudini effusæ ad spectaculum stipem spargerent, victoresque certaminum & multarum palmarum gladiatores ære collatitio & stipe donarent. *Anno* igitur *vertente*, quod Poeta dicit, *& cum se verterit annus*, & post erudiendis pueris labores impensos: Accipe, inquit, mercedem, qualem populus victori in ludis postulare solet, ac si dicat, vilem assem & nimis tenuem mercedem, qualis est stips exigua, quæ a populo in ludis postulatur cum ære collato victor a plebe donatur, consequeris. C. S. C.

229. *Sed vos sævas.*) Cum indignatione & quadam miseratione hæc dicit in magistros, qui multis laboribus & incommodis onerantur. ex quo, inquit, ipsi non possunt his tot incommodis deterreri, quo minus vestros filios doceant, vos eis asperas leges imponite.

230. *Regula verborum.*) Ut intelligat regulam omnium verborum, quem casum unumquodque verbum regat, quod inter rudimenta Grammatices minimum est. Grammatici officium breviter describit, & verborum nomine, non syntaxin modo intelligit, quæ maxima est & Grammatici finis (est enim Grammatico propositus finis emendatus, purus & dilucidus sermo) verumetiam reliqua, quæ antecedunt, verborum præcepta, id est, omnium orationis partium cognitionem, & verborum interpretationem. Cicero quidem a Grammaticis exigit poetarum pertractationem, historiarum cognitionem, verborum interpretationem,

& pronunciandi quendam sonum. idem facit Quintil. & alii. C. S. C.

233. *Dum petit thermas.*) Loca calida ad hoc parata, ut sudor e toto corpore ejiceretur. θερμὸς enim significat calidum.

234. *Nutricem Anchisæ*) Sæpe enim ejusmodi quæstiones obscuræ exigebantur a Grammaticis, unde & Tiberius, auctore Tranquillo, solitus est fatigare Grammaticos quærendo: *quæ fuerit mater Hecubæ? quod Achilli nomen, quum inter filias Lycomedis latuit habitu muliebri?*

234. *Novercæ.*) [*Gr.*] *Anchemoli*, sive *Anchemori* cujusdam ab Hypsipyle educati, mox serpentis morsu necati, meminit Stat. in *Thebaide*.

235. *Acestes.*) Crimnisii Siculi fluvii filius fuit ex Segesta Trojana. Virg.

Troia Crimnisio conceptum flumine mater
Quem genuit. — [*Gr.*]

240. *Ne faciant vicibus.*) Rem pudendam verbis honestis expressit.

241. *In fine*) perpetratæ veneris, in qua oculi ad angulos torqueri solent. Virg.

Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis.

242. *Hæc, inquit, curas.*) Hæc sunt, inquit pater, quæ tibi curanda sunt, o magister.

242. *Et quum se verterit annus.*) Ego hunc locum simpliciter accipiendum arbitror, id est, cum annus cursum suum perfecerit, nam proprium anni est in seipsum reverti. Papinius *in Sylvis*:

— *Versumque domus sibi temperat annum.*

Tranquillus *in Caligula*: *Vicies ac septies milies sestertium non toto vertente anno absumsit.* Virgil.

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Horat. *Inversum annum* appellavit perpetuo, ut est auctor Porph. epitheto, quia in se semper *vertitur*. Ut sit sensus: Difficilia quidem sunt, quæ tibi, o magister, imponuntur a parentibus discentium, sed finito anno præmium tuum promeritum non accipies, nisi per litem, & quod populus, id est, ipse tribunus magistratus populi jusserit tibi victori dari. ut sic referas ad illud: *Rara tamen merces, quæ cognitione Tribuni Non egeat.* risu Satyrico in contemtum avaritiæ sui temporis. verba enim sunt Juven. dicentis, post labores tuos finito anno accipe mercedem, quam tibi daturus non est, nisi per litem.

IN SATYRAM VIII.

S*Temmata quid.*) Hac Sat. eos insectatur, qui aut majorum gloria, aut falsis Fortunæ bonis efferuntur, existimantes veram inde hominis nobilitatem pendere, docens eam hæreditariam non esse, nec a parentibus testamento relinqui, sed unumquemque virtutum meritis fieri nobilem, unde illud est Senecæ *ad Lucil. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit.* Hicque nactus occasionem monet Ponticum, ad quem scribit Satyram, multos exstitisse, qui humili loco nati ad summam dignitatem consurrexerunt, seque virtutis splendore claros nobilesque fecerunt: contra nonnullos, qui ex claris parentibus orti in aliquod dedecus revoluti sunt, lucem, quam a majoribus suis acceperant, in tenebras convertisse: ut sic demum ostendat, veram nobilitatem ex propria virtute pendere.

1. *Stemmata.*) In atriis Romani imagines majorum cereas habebant singulis armariis dispositas, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera; semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. [*Gr.*] Tranquill. in *Nerone*: objectum est Cassio Longino, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii percussoris Cæsaris imagines retinuisset. Idem *in Galba*: *Imperator vero etiam Stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen Minois uxorem referret.* Martialis:

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter veneranda domus.

Seneca *lib.* III. *Benef. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine, ac multis illigata flexuris in parte prima ædium collocant, non noti magis, quam nobiles sunt. Stemmata* vero pro statuis accipi non probo. Nam quum Tranquil. scribat in veteri stemmate imagines retinuisse, idem est ac si diceret, statuam in statua retinuisse. Sed, ut dixi, ordo ille nobilitatis designabatur per eas statuas in atriis dispositas in armariis, & illigatas multis lineis. Paullus Jurisconsultus: *Stemmata cognationum directo limite in duas lineas separantur, quarum altera superior, altera inferior. E superiore autem primo & secundo gradu transversæ lineæ pendent.* Stemmata item a scriptoribus frequentissime pro generositate usurpatur. Martialis:

Argenti furiosa sui quum stemmata narrat.

Papin. *in Sylvis*:

Exse-

Exspectatur equus, cujus de stemmate longo,
Felix emeritos habet admissura parentes. [Gr.]

1. *Longo Sanguine.*) Longo majorum genere, ut ostendat ex genere majorum veram nobilitatem non pendere.

3. *Æmilianos stantes in curribus.*) id est, statuas triumphales *Æmilianorum.* Nam Paulus Æmilius filius ejus, qui apud Cannas trucidatus est, de Liguribus & Persa rege Macedonum triumphavit, ex quo natus est filius, quem Scipionem filio Africani superioris tradidit in adoptionem, qui *Æmilianus* est cognominatus. is fuit, qui Carthaginem delevit, Numantiam in Hispania vicit, unde & *Africani inferioris* & *Numantini* cognomen reportavit.

4. *Et Curios.*) *M. Curium* abstinentissimum fuisse illud declarat, quod quum Samnitum legati, ut scribunt Valer. Plut. & Livius, ad eum in scamno sedentem magnum auri pondus attulissent publice missum, invitarentque, ut id acciperet, respondit, se malle locupletibus imperare, quam locupletem fieri, & qui acie vinci non potuit, eum pecunia corrumpi non posse.

4. *Dimidios.*) Vetustate exesos, & mutilatos.

5. *Corvini.*) *Corvinorum* familia fuit antiquissima, quæ a *Corvo* propugnatore Valerii adversus ferocem Gallum accepit cognomen. ex ea familia fuit Messala *Corvinus* orator, qui primus præfectus Urbis sexto die magistratu se abdicavit, non civilem potestatem esse contestans. Eum inter oratores laudat Quintilianus *lib.* x. *At Messala nitidus, & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor.*

5. *Galbam.*) Sulpitiorum familiam antiquissimam docet Tranquillus *in Galba.* Qui autem primus cognomen *Galbæ* tulerit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Familiam illustravit *Sergius Galba* consularis, & eloquentissimus, quem tradunt Hispaniam ex prætura obtinentem, triginta Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatini belli caussam exstitisse.

6. *Quis fructus generis.*) quid prodest ad nobilitatem, quæ hoc modo non paratur.

6. *Tabula capaci.*) Amplo armario, erant enim, ut diximus, imagines ceréæ in armariis.

8. *Magistros fumosos.*) id est, imagines fumosas & veteres suorum majorum, qui fuerint *magistri equitum*, quæ dignitas in populo Romano fuit amplissima. Nam *Dictatoribus* semper jungebantur eo modo, quo regibus *Tribuni celerum*, i. equitum, nec unquam *dictatores* creabantur, nisi ingruente maxima necessitate. Tunc ceteri magistratus in urbe cessabant, ab iis jus provocandi non erat, quibus & capitis animadversio data est. Et quia hic magistratus maximæ esset potestatis, non erat fas ultra sex menses retineri. Quum ergo Dictator sine *magistro equitum* non crearetur, bene dixit *cum dictatore magistros.* dictus est a dicendo *dictator*, quod a consule diceretur. Tranquillus *in Tiberio*: *Quum dictatorem dicere a senatu juberetur. Fumosos* autem legendum esse, non *famosos* illud me monet Cic. *in Pisonem*: *Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil, præter colorem.* Seneca *ad Lucilium*: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus* Boeth. prof. 1. *de Cons. Phil. Quarum speciem, sicut fumosas solet imagines, caligo quædam obduxerat.* Nam in atriis ignis fiebat, de quo & Lucas in *Divinis Scripturis.* Non ignoro tamen *famosum* capi etiam in laudem.

9. *Coram Lepidis.*) i. clarissimis imaginibus majorum tuorum, qualis fuit Æmilius Lepidus, qui bis consul fuit. pontifex maximus, & censor.

9. *Effigies quo Tot bellatorum.*) Quid necesse est ostentare effigies tot bellatorum, si tota nocte in alea versaris *ante Numantinos*, i. ante imagines tuorum majorum, qualis fuit Scipio Numantinus. Nam Scipio Æmilianus Macedonici filius, ut a deleta Carthagine cognominatus est *Africanus*, sic & a Numantia devicta *Numantinus*: quæ civitas in Hispania olim memoratissima, quamvis sine muris, & turribus populi Romani per multos annos bella sustinuit, demumque longa obsidione & fame victa, seipsam ferro, veneno, & igne subjecto absumsit. Deletæ Numantiæ solum titulum in triumphum tulit Scipio, nullo Numantino invento, qui catenatus in triumphum duceretur. Cujus cognominis meminit & Propertius:

Aera Numantinos prisca loquuntur avos.

Et Apul. *Apolog.* 11. *At hoc ego Æmiliano, non huic Afro, sed illi Africano, & Numantino, & præterea censorio vix credidissem.*

9. *Effigies quo.*) ad quid. Virgil.

Quo molem hanc immanis equi statuere? —

10. *Pernox alea.*) ita dictum, ut illud *vigiles fenestræ*: nam quod hominis est, rei applicuit. *Pernox* enim appellatur, qui *per noctem* vigilat.

11. *Ortu luciferi.*) id est ipso ortu, id est, si tota nocte in alea versatus quieti tandem te ad auroram tradis, quo tempore majores illi tui clarissimi Imperatores in expeditionem exercitum ducebant. Nam & C. Sul. dictator, ut docet Livius *lib.* VII. ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit adversus Gallos.

11. *Ortu Luciferi.*) *Lucifer* stella est, quæ quum ante Solem currit, & oritur ante lucem, *lucifer* appellatur; eadem, quum Solem sequitur post occasum ejus apparens in cœlo, clarissimeque lucens *Vesperugo* sive *Vesper* vocitatur, lege Vitruv. *lib.* IX. & Plin. *lib.* II. *cap.*

II. *cap.* VII.

13. *Cur Allobrogicis.*) Cur Fabius majorum gloria efferatur, eorumque titulos sibi adsciscat, si avaritia & libidine flagrat? ut ostendat nobilitatem non pendere ex genere, neque ex gloria majorum. hoc dicit propter Q. Fabium Maximum filium Q. *Fabii Maximi Allobrogici* civis & Imperatoris clarissimi, qui vitam luxu perditam egit, & majoribus indignam, adeo, ut Pompejus prætor urbanus paternis bonis interdixerit. lege Valerium *lib.* III. *cap.* V. Per hunc autem intelligit omnes, qui moribus nequaquam majoribus suis similes, eorum tantum gloria efferuntur.

14. *Allobrogicis.*) Cognomine majorum, quod familiæ pepererunt. Is Fabius, qui apud flumen Isaram adversus *Allobroges* & Bituitum Arvernorum regem feliciter pugnavit. Nam ex Bituiti exercitu, cæsa millia hominum centum viginti, Bituitus Albæ custodiendus datus est, quum ad satisfaciendum Senatui Romam profectus esset, *Allobroges* in deditionem accepti. Lege Livium. *Allobroges* autem populi sunt Galliæ Narbonensis, quorum metropolis est Vienna. Strab. *lib.* III.

13. *Et magna gaudeat ara.*) Cur sibi placeat Fabius, quod sacra Herculis ministret, Nam familia Fabiorum sacra Herculis hæreditaria habebat, quæ peculiari colebant veneratione. originem enim ducebat ab Hercule. Eam *aram magnam* dixit pro maxima, idque ratione carminis. Eam aram Evander Herculi dedicavit in foro boario Ovid. *Fast.*

Instituitque tibi quæ maxima dicitur aram.

lege Livium *lib.* I. Dionysius: *Est enim foro boario proxima, veneratione apud incolas inter ceteras præcipua.* Solinus: *Hercules instituit aram, quæ maxima apud pontifices habetur, quum se ex Nicostrata Euandri matre, quæ a vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperisset.*

14. *Fabius Natus in Lare Herculeo.*) Hoc dicit, quia gens *Fabia* originem duxit ab Hercule. Ovid. in *Fast. lib.* II.

Ut tamen Herculeæ superessent nomina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse Deos.

Idem de *Pont.* ad Fabium Maximum:

Conveniens animo genus est tibi, nobile namque
Pectus & Herculeæ simplicitatis habet.

Ferunt enim, auctore Plutarch. ex una nympharum *Fabium Maximum* genitum esse. Quidam vero Herculem apud fluvium Tiberim cum muliere indigena congressum habuisse asserunt, & *Fabium* virum optimum, a quo *Fabiorum* familia Romæ initium habuit, genuisse. unde etiam tanquam Deum sibi propinquum, & familiarem invocabant Fabii. Plut. in *Vita Fabii*: *Ut animadvertit dissipatas Rom. copias, & undique ab hoste circumventas, clamorque fugientium ad aures ejus pervasit, percusso femore, suspiriisque ac gemitu omnibus præsentibus: Hercules, inquit, citius quidem, quam sperabam; tardius vero, quam ipse maturabat Minutius, seipsum perdidit.* Fabius item, ut scribit Plin. recepto Tarento ab hostibus signum Herculis inde translatum in Capitolio dedicavit.

14. *Si cupidus.*) Si avarus sit, quod turpissimum homini est. Tale est illud Persii:

— *Egregium quum me vicinia dicat,*
Non credam? viso si palles improbe nummo,
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.

15. *Vanus.*) Stultus, imprudens. ut illud:

Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

aut *vanum* mendacem intelligit & nequam. Terentius:

Nonne pudet vanitatis.

hoc est mendacii. Virgil.

— *Nec si miserum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

15. *Euganea.*) Patavina. ad oves autem Altinates respexit, quæ lanarum mollitie, auctore Columella, commendabantur. Martial.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.

Sunt autem *Euganei* Venetiæ populi. Sidonius Apollinaris:

— *Vel quicquid in ævum*
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Mart. *lib.* IV.

Quaque Antenoreo Dryadum pulcerrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus.

Ceterum de *Euganeis* leges Plinium *lib.* III. *cap.* XX. & XXI.

15. *Mollior.*) Delicatior & mininime aptus laboribus, ut ostendat corporis mollitiem haudquaquam viris convenire.

16. *Attritus lumbum.*) Mollitiem sui temporis notat, quo multi sibi draucos appetebant, cutem sibi polientes. *Lumbum* autem posuit pro podice, quem ut teneri & veluti mulieres viderentur, depilem, glabrumque sibi reddebant.

16. *Pumice Catinensi.*) id est, Siculo. Nam *Catana* civitas est Siciliæ non longe a monte Aetna, qui perpetuo flagrans incendio lapides pumices eructat in littus *Catinense*. Est autem pumex lapis levis, spongiosus atque aridus incendio excoctus. de quo sic Virgilius *in Ætna*:

Congeries saxi angusto de vertice surgunt,
Sic veluti in fornace lapis torretur, & omnis
Exuitur penitus venis, subit altius humor
Amissis opibus, levis, sine pondere pumex
Excoquitur. —

Plinius *lib.* XXXVI. Sed, *inquit*, & hi pumices, qui sunt in usu corporum lævigandorum fœminis, jam quidem & viris.

17. *Traductis avos squallentes.*) id est dedecorat, & ridendos præbet, quum eis similis non sit. *Traducere* enim est dedecorare, & veluti infamia afficere, ut est illud Martialis:

Rideris multoque magis traduceris Afer.

& in sequentibus:

—— *In qua se traducebat Ulysses,*

id est dedecorabat, seque ridendum præbebat. Sic & illud in *Sacra Scriptura*: *Joseph autem, quum esset vir bonus, & nollet eam traducere* hoc est nota & infamia afficere, & ridendam præbere.

18. *Imagine frangenda.*) Si in stemmate suorum majorum habet statuam, quæ ceteris est dedecori, & ideo frangenda.

19. *Veteres ceræ.*) Imagines cereæ collocatæ in armariis & in atriis, ut dictum est.

20. *Atria.*) *Atrium* prima erat pars ædium. Horatius:

— *Et rebus omissis*
Atria servantem postico falle clientem.

Seneca *de Brev. Vitæ*: *Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabant.* illic ignis fiebat: ideo Juvenalis superius imagines *fumosas* appellat; dictaque sunt *atria*, vel ab *Atriatibus* Tuscis, quod illinc exemplum sumtum sit, auctore Varr. vel quod *a terra* oriantur, quasi *aterraria*, vel quod *atra* essent *ex fumo*. Vitruv. *lib.* VI. *Earum autem rerum non solum erunt in urbe ædificiorum rationes, sed etiam ruri, præterquam quod in urbe atria proxima januis solent esse.*

20. *Nobilitas sola Virtus.*) Concludit nobilitatem non in gloria majorum, neque in falsis Fortunæ bonis, sed in propria veraque animi virtute consistere. unde Marius apud Sal. ait, *fortissimum quemque generosum esse.* Ostendit autem Poeta nobilitatem hæreditariam non esse, quandoquidem virtus, in qua ipsa consistit nobilitas, neque dono detur, neque accipiatur: quum divitiæ, & imagines, & alia Fortunæ bona a majoribus relinqui possint. *Virtus*, auctore Cicer. *in Rhetor.* animi habitus est naturæ, modo, rationi consentaneus; habitus vero est animi corporisque constans & absoluta aliqua in re perfectio.

21. *Paullus moribus esto.*) Facito sis similis moribus *Paullo*, *& Cosso*, *& Druso*, qui multis officiis de republica benemeriti sunt. *Paullum* intelligere possumus Paullum Æmilium, qui Persen Macedoniæ regem cum liberis ejus in triumphum duxit, quique frugalitatis & modestiæ amator, filiarum majorem M. Catonis filio, uxorem dedit, minorem Helio Tuberoni pauperi, sed optimo. virtutem enim est admiratus, per quam erat pauper.

21. *Vel Cossus.*) De Cosso intelligendum est, qui, ut scribit Florus, Mussulanos & Gætulos, jubente Augusto Cæsare domuit, unde cognomentum *Gætulici* assecutus est, unde sequitur, *Salve Gætulice.* meminit & Tranquillus *in Augusto.* fuit & ante, ut scribit Livius *lib.* IV. *Cornelius Cossus* tribunus militum, qui occiso Volumnio rege Vejentium, opima spolia secunda retulit.

21. *Drusus.*) De Claudio *Druso* potest intelligi, qui, auctore Tranq. in *Tiber.* hostium duce Druso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam proprætor ex provincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec, ut fama est, extortum a Camillo. posses etiam intelligere de Druso Nerone, qui Asdrubalem juxta Metaurum cecidit, aut Druso fratre Tiberii Neronis, qui ab Augusto in Germaniam missus parta illic victoria Germanici cognomen est assecutus. hos ergo tres commemorat, ut de rep. optime meritos.

22. *Hos*) mores. Fac, ut imagines tuorum majorum videant vitam bene compositam in te esse.

23. *Illi*) mores.

23. *Præcedant.*) Si vis vera nobilitate censeri, fac dignitates & honores, quos in repub. adeptus es, virtutibus & moribus ornes, eos semper tecum præferas.

23. *Ipsas virgas.*) Ipsas dignitates.

24. *Animi bona.*) Bonorum tria sunt genera: Alia sunt *Corporis*, ut *valetudo*, *velocitas*, *vires*, *dignitas*. Alia *Fortunæ*, quæ *externa* dicuntur, quod penitus sint extra omnem hominis potestatem, & Fortunæ imperio subjecta, ut *genus*, *educatio*, *opes*, *clientelæ*, *amicitiæ*, *affinitates*, *gloria majorum*, quæ incerta infirmaque sunt, quæque homines ignavos plerunque reddunt, & ab omni virtute alienos: hinc ergo vera nobilitas non pendet: Alia sunt *Animi* bona, quæ consilio & cognatione nostra constant, *justitia* videlicet, *fortitudo*, *prudentia*, *& modestia*, quæ virtutes sunt immortales, quibus Diis similes efficimur. hinc ergo vera habetur Nobilitas, inquit igitur Poeta, *prima mihi debes animi bona*, i. e. Si vis nobilis haberi, ex bonis externis & corporis, fac primum *bona animi*, id est, virtutem amplexus sis, quæ maximæ æternitati hominis memoriam consecrat, & sine qua vera nobilitas non habetur, ut ostendat & illis bonis hominem etiam posse clarescere. sed bona Animi ea esse, quæ veram homini nobilitatem tribuant.

24. *San-*

24. *Sanctus haberi.*) Ego te agnosco procerem, id est nobilem, si mereris haberi & dictis & factis sanctus, i. e. ab omni labe purus & justitiæ tenax. Bene autem Juvenal. virum bonum definivit, qui & opere, & verbo unicuique, si possit, prodest, & nemini injuriam facit.

26. *Salve Gætulice.*) Te enim salutabo, quocunque vis cognomine, ut nobilissimum, qualis fuit *Cossus Gætulicus*, tanquam & *tu Gætulos* deviceris. Nam a victoriis cognomenta duces reportabant, ut *Numidicus, Macedonicus, Creticus, Isauricus, Dacicus, Britannicus.* Martialis:

> *Creta dedit magnum, magnum dedit Africa nomen,*
> *Scipio quod victor, quodque Metellus habet.*
> *Nobilius domito tribuit Germania Rheno:*
> *Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.*

27. *Seu tu Syllanus.*) Et libet mihi exclamare præ lætitia, quod populus Ægyptius clamat invento Osiri, si tu contingis patriæ ovanti *Syllanus*, rarus & egregius civis de quocunque alio sanguine. id est, præ lætitia clamabo, si tu de quocunque alio sanguine, ac si dicat etiam vilissimo, natus, similis fueris *Syllano* raro & egregio civi, ut præclara pro republica facias, sicut *Syllanus.* Is enim, auctore Livio *lib.* VIII. Scipionis legatus Magonem ducem Carthaginiensium in Hispania superavit, Hannonem alterum Imperatorem vivum cepit. Sicque Poeta semper docet, illos nobiles esse, undecunque nati fuerint, qui præclaris facinoribus vitam suam illustraverint.

28. *Patriæ ovanti.*) Nam patria læta est, quum de republ. benemerentes habet cives.

29. *Osiri invento.*) Invento Api bove, quem Ægyptii colunt veluti Osiridem. Nam tradiderunt animam Osiridis in bovem transmigrasse. non est fas eum certos, ut scribit Plin. vitæ annos excedere. Mersum igitur in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant. donec inveniant, mœrent derasis etiam capitibus, quo invento populus luctum finit. Strabo *lib.* XVII. *Memphis Ægyptiorum est regia, ea Apidis templum habet, qui idem est, quod Osiris.* Hic autem est ille Osiris, quem alii Saturni ex Rhea filium fuisse tradunt, Alii Jovis ex Niobe, virum magni ingenii, gloriæ cupidum, qui relictis Argis patria sua ad Ægyptios transfretavit, quos ditioni suæ subegit. Isidem Inachi filiam, quæ Io ante vocabatur, duxit uxorem, quorum uterque ob varias virtutes divinos honores meruit. Isis enim leges statuisse fertur, unde *Thesmophora* a Græcis, hoc est *legifera* dicta est. Eam etiam frugum inventricem dicunt. Osirim vero varias artes Ægyptios docuisse. Tibullus:

> *Primus aratra manu solerti fecit Osiris,*
> *Et teneram ferro sollicitavit humum:*
> *Primus inexpertæ commisit semina terræ,*
> *Pomaque non notis legit ab arboribus.*
> *Hic docuit teneram palis adjungere vitem,*
> *Hic viridem dura cædere falce comam.*

Osirim ferunt a Typhone fratre per fraudem occisum fuisse, ac dilaniatum, ejusque membra ab uxore diu quæsita, quæ quum non inveniret, in maximos fletus prorumpere solitam, qua re commotos Ægyptios tamdiu ea quæsivisse, quoad juxta Syenem invenerint, quæ illic Isis sepulturæ mandavit.

30. *Quis enim.*) Rationem affert: illum nobilem nequaquam censendum, in quo solum præclarum genus, & non virtus spectatur, ut ostendat solam virtutem dare homini nobilitatem. Sen. *Quis est generosus? ad virtutem bene a natura compositus.* Quintil. *Quis generosissimus? nonne qui optimus, non qui celebritate nascendi, sed qui virtute maxime excellit.*

32. *Nanum cujusdam.*) Ostendit illum sæpe derisui haberi, qui nobilis & generosus appellatur. Nam quemadmodum per risum & jocum appellamus nanum *Atlanta*, & Æthiopem *album & cygnum*, ita etiam ironicos appellamus aliquos Creticos, & Camerinos, quum tamen non sint veri *Cretici* nec *Camerini*. Hoc est, quum in iis nulla majorum virtutis ornamenta spectentur. Ut sit sensus, non si te Creticum, aut Camerinum aliquis appellat, propterea es Creticus aut Camerinus: Nam id cognomen posset tibi esse impositum in derisum, sicuti etiam per jocum *Atlanta* nanum appellamus.

34. *Europen.*) quam ob pulcritudinem Jupiter in taurum conversus ex Phœnicia in Cretam advexit. fuit autem filia Agenoris Phœniciæ regis.

35. *Lævibus.*) Sine pilis, qui propter ætatem longam & scabiem decidunt.

39. *Tecum est mihi sermo, Rubelli Plance.*) A Pontico, ad quem scribit Satyram, discedit, & *Rubellium Plancum* alloquitur: mox ad Ponticum redibit, quum dicet paullo post:

> *Hæc satis ad juvenem.*

De *Rubellio Planco* ita scribit *Tacitus in Nerone*: *Igitur, quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur, perquirebant, & omnium ore Rubellius Plancus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. ipse placita majorum colebat habitu severo, casta & secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus.*

40. *Alto Drusorum sanguine.*) Supra dixit *longo sanguine*, id est illustri & antiquo genere gloriaris, tanquam aliquid egregium feceris, unde nobilis sis censendus.

42. *Ut te conciperet.*) Et ut te conciperet mater ex familia Julia, non autem ignobilis mulier, quæ urgente

gente paupertate texit telam conducta mercede.

43. *Sub aere.*) Sub dio, sicque pauperum mansiones designavit. Horatius:

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, an infami
De gente, sub dio moreris,

46. *Vivas.*) Non sine indignatione dictum a Poeta, & irrisione vanæ nobilitatis. imitatio est Persii:

Dinomaches ego sum. suffla. sum candidus. esto.

47. *Tamen ima.*) ut ostendat nobilitatem pendere ex virtute & bonis animi, non autem ex bonis externis, quibus insulsi homines inflantur.

49. *De plebe togata.*) i. vili. *Toga* enim, ut diximus ex Asconii testimonio, erat viliorum.

50. *Ænigmata.*) *Ænigma* sermo est obscurus interpretamento indigens, ab αἰνίττω, quod est *innuo. innuit* enim quiddam. quod postea est pluribus explicandum. vel ab αἰνίττομαι, quod est obscure loquor, ut illud: *Vidi mare concretum in Creta, ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludebat.* signat enim salinum cum sale in mensa, ubi manus humana talos jactabat. Ergo ænigmata dubios & obscuros legum sensus appellat. hoc genus quidam e nostris veteribus *scirpos* appellant. Gellius.

51. *Hic alius.*) Alius juvenis, quem vos ignobilem appellatis, nulli prorsus pro repub. parcens labori, longinquas regiones petit, mille pericula adit. At tu nihil horum facis: *Cecropidem* te tantum vocas, hoc est nobilem, quumque desidiæ consulas, una hac re gloriaris, quod nobilis sis? cum autem non appellat *Cecropidem*, quod sit Atheniensis, sed quia Athenis, quum familiæ de nobilitate contenderent, aliæ dicebant se a *Cecrope* oriundas, unde *Cecropidæ* dicebantur, aliæ ab *Alcmæone*, unde *Alcmæonii*, aliæ ab *Ericthebo*, unde *Ericthbidæ*. sed *Cecropidæ* nobiliores habebantur a *Cecrope*, qui etiam ante Deucalionis tempora regnavit Athenis.

51. *Euphratem.*) Partes orientales: nam *Euphrates* fluvius est, quem fundit major Armenia, Babylonem interfluens. auctores Strabo *lib.* 11. & *lib.* x1. item Solinus & Mela. hunc Assyrii *Regium flumen* appellant.

51. *Batavi domiti.*) de Batavis meminit Tacitus *de Germanis.* Sunt enim Germaniæ populi ad Rhenum incolentes. hos Domitianus adhuc puer domuit, ut scribit Tacitus & Silius:

At puer auricomo jam formidate Batavo.

52. *Custodes aquilas.*) Vexilla: nam *aquila* Romanorum erat insigne. Juven. in *seq.*

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,

eo loco de aquila plura. Vegetius: *Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat.*

52. *Aquilas custodes domiti Batavi.*) i. Præsidia posita ad tenendos Batavos nuper domitos a Domitiano.

53. *Truncoque simillimus Hermæ.*) i. statuæ Mercurii. *Hermes* enim appellatus est Mercurius, ut auctor est Fulgentius, ab ἑρμηνεύω, quod est interpretor, & dissero, illa videlicet caussa, aut quod negotiatori linguarum sit cognitio necessaria (utraque enim regna permeare dicitur superna atque inferna.) quod modo ventis in altum navigans currat, modo demersus inferna tempestatibus appetat: vel, ut auctor est Diodor. *lib.* 1. quod sermonis inventor fuerit. Horatius:

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus. —

vel quia verborum interpretationem invenerit, unde & ipsum *Hermen*, hoc est interpretem appellarunt: Latini vero *Mercurium* dici voluere, quasi *mercium curam.* negociis enim, ut scrib. Fulgentius, præfuisse dicitur, eumque Deum lucri putaverunt. Persius:

— *Mercuriumque*
Arcessit fibra, da fortunare Penates.

Horatius:

— *Mercarier unus*
Cum lucro noram: unde frequentia Mercurialem
Imposuere mihi cognomen compita. —

Hermæ lapidei Athenis ex domestica consuetudine opus quadratum plurimi erant, tam in privatarum ædium vestibulis, quam in sacrarum, qui, ut scribit Thucydides *lib.* vi. *Histor.* una nocte, cum Athenienses expeditionem adversus Syracusanos pararent, ex maxima parte circa ora circumcisi fuerunt incerto auctore, quæ res infelicitatem portendit Syracusanis: nam Syracusani superati, cæsique pæne fuerunt omnes. Macrob. *lib.* 1. *Saturn. Pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita.* Plutarchus *in Nicia & Alcibiade*: *Adjiciebant præterea Mercurii statuas, quarum Athenis magna copia erat, ex omnibus locis civitatis una nocte fuisse dejectas, capitibusque perfractis ad terram prostratas jacere.* meminit & Corn. Nepos *in Alcibiade.* bene igitur comparat Poeta illum, qui se Cecropidem dixit, quum patriæ inutilis sit, statuæ truncæ Mercurii.

56. *Dic mihi, Teucrorum proles.*) id est Tu Rubelli, qui te jactas oriundum ex sanguine Julii, & Trojanorum. nam ex familia Julia ducebat originem.

59. *Rauco.*) Sonoro propter clamorem faventium & excitantium currentes illic aurigas. Nam *Raucus* vocabulum est medium. nam modo sonorum, modo obtusæ vocis, *raucum* appellamus.

60. *Nobi-*

60. *Nobilis hic.*) Nobilis ille habetur equus, ubicunque nutritus sit, qui in certamine ceteros cursu superat, ut innuat ita & illos nobiles vocandos, qui egregio aliquo facto ceteris præstant: non qui opibus, aut majorum gloria nitantur, quum nobilitas tota ab animi probitatibus pendeat.

62. *Et Corithæ.*) Ait Poeta eorum sobolem a dominis, quibus cari esse deberent respectu parentum, venditioni exponi, quia parum cursu valeant.

63. *Si rara.*) Ratio quare vendatur.

63. *Jugo.*) id est, si raram consecutus fuerit victoriam, dum currum in circo trahit.

64. *Nil ibi majorum.*) Nullo enim majorum respectu moventur, quin illos ut inutiles vendant. Sicque Poeta docet illos contemni, qui a majoribus suis degeneravere.

64. *Ibi.*) In equo optimis parentibus progenito.

65. *Umbrarum.*) Majorum mortuorum.

67. *Molam Nepotis.*) *Nepos* nomen est proprium viri, qui Romæ habebat pistrinum, de quo Martialis. — *Bis vicine Nepos.*

67. *Segnipedes.*) Pigri. facta est compositio ex *segnis & pes*; contra *sonipedes* acres appellamus.

68. *Ergo ut miremur.*) Quandoquidem is nobilis duntaxat est, cujus vita pendet ex virtute, & non ex majorum gloria, aliquid primum effice, unde te, & non tua, id est, majorum tuorum genus & facta miremur.

68. *Non tua.*) Genus & gloriam majorum tuorum.

68. *Aliquid da.*) Aliquid præclarum ede.

69. *Præter honores.*) Præter famam & gloriam tuorum majorum, quos tanquam viros probos laudavimus.

70. *Quibus omnia debes.*) Ex quibus totus pendes. omnia enim, quæ habes, videlicet gloriam & famam illis debes, id est, eorum beneficio omnia habes, ita dictum, ut illud: *criminibus debent hortos*, id est, obligati sunt criminibus, quod hortos habeant, quia eorum beneficio sunt assequuti.

71. *Hæc satis.*) Absoluta, quam fecit, digressione ad Rubellium, redit ad Ponticum.

71. *Fama.*) Aut quem gloria majorum tradit, & reddit superbum: aut quem *fama*, id est, rumor tradit esse superbum, id est dicit.

72. *Nerone propinquo.*) Hinc enim inflatur, quod ex familia Julia oriundum se prædicabat, ex qua & Nero Cæsarum ultimus originem ducebat.

73. *Rarus enim.*) Non est mirum, Rubellium ita inflari gloria, quia raro fit, ut sensus communis in magnis opibus inveniatur. sicque taxat Rubellium meræ inscitiæ, ut qui inde veram nobilitatem pendere existimet.

73. *Sensus communis.*) Intelligentia quædam omnium communis. Dicimus enim hominem *a communi sensu* remotum, qui aliquid turpiter, & citra rationem facit, quasi qui minime, quod ab omnibus communiter fieri solet, faciat. Imitatio est Horatii: *Communi sensu plane caret.* Quintilianus *lib.* 1. *Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet? quum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregaret?* C. *Sensus communis*, est interior animi facultas & vis, qua exteriores sensus omnes suis funguntur officiis, & in qua vis est, de iis, quæ sensibus exterioribus objiciuntur, cognoscendi & judicandi. S.

74. *Laude tuorum.*) Nolim te totum ex rebus gestis majorum pendere, sic ut nihil ipse facias, unde laudem merearis.

77. *Ne tecta collapsa.*) Metaphoricos *columnas* vocat laudes majorum, i. ne, si laudes majorum subtrahantur, quibus sustentaris, & tu corruas, quum te propria virtute non fulcias. ergo ne tecta, id est ne tu ipse pereas, amotis laudibus majorum.

78. *Stratus humi palmes.*) Alia translatione ostendit oportere hominem propria virtute niti, ut stet; sic ut palmes ulmis sustentandus est, si humi jaceat; sic & homo est propria virtute fulciendus: exponitque, quibus virtutibus sit innitendum ad veram nobilitatem consequendam.

79. *Esto bonus miles.*) Ostendit quemadmodum vera nobilitas comparetur.

79. *Tutor*) is est, qui vim & potestatem habet in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se nequit defendere. itaque *tutor* appellatur, quasi *tuitor*, atque defensor. unde *tutela* ipsa vis & potestas. Ulpianus.

79. *Arbiter idem.*) Is proprie *arbiter* dicitur, qui voluntarie assumitur caussæ cognitor ab utroque litigante, finemque sententia sua controversiis imponit. Cicero *pro Roscio*: *Quum ad judicem caussam labefactari animadvertunt, ad arbitrum confugiunt.* Tranquillus *in Othone*: *Cuidam etiam de parte finium litiganti cum vicino, adhibitus arbiter totum agrum redemit.* unde *Arbitrarium* dicitur, quum adhuc res apud *arbitrium* geritur, & adhuc est incerta.

80. *Integer.*) qui minime corrumpatur.

80. *Ambiguæ.*) crede esse summum nefas pluris facere vitam, quam pudorem & honestatem. laudabilius enim est mori, quam aliquid flagitiosum propter vitam committere.

84. *Perdere caussas vivendi.*) Dupliciter ducimus hominem vivere, videlicet quum anima est conjuncta corpori, & quum post hanc, quam mortem dicimus, hominis memoria bonorum operum meritis ad poste-

ros extenditur. Qui igitur pro conservatione hujus vitæ turpia & nefanda committit, *amittit caussas vivendi*, i. bonos mores, bonum nomen, honestatem, quæ omnia sunt caussa, ut hominis fama immortalitatem sortiatur. bene enim agendo fit, quod scribit Salust. ut memoriam nostri quam maxime longam efficiamus. Ergo bona opera sunt caussa æternæ memoriæ, & ut hominis nomen semper vivat. Unde illud Martialis:

Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
Incipient, cineri gloria sera venit

85. *Dignus morte perit.*) ille omnino perit, nomen & fama ejus omnino exstinguitur, & in obscuro est, de quo nulla unquam fiat mentio, tanquam de scelerato, qui relicta honestate voluptatibus se immergit. Plin. Junior: *Nam quicunque voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt. qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est.* Merito igitur illos periisse judicamus, qui vitam a virtutibus alienam duxere, unde & Plin. exprobans nimium unguentorum luxum Romanis inquit: *Quis non merito judicet periisse tales?*

85. *Licet cœnet.*) Lautitiæ istæ divitiarum & luxus non ea sunt, quæ hominis memoriam ad posteros propagent.

86. *Mergatur.*) Perfundatur, ungatur. hinc illud est Plinianum: *Linique jam non solum, sed & perfundi unguentis gaudent.*

86. *Aheno Cosmi.*) Unguento Cosmiano. Martialis:

Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

Nam unguentis cognomina dedere, aliis patriæ, aliis succi, aliis arbores, aliis caussæ, aliis confectores.

86. *Aheno.*) Vas est coquinarium ex ære. Paullus Jurisconsultus scribit inter *cacabos & ahenum*, quod supra focum pendet, omnino multum interesse, ut in hoc aqua ad potandum calefiat, in illis pulmentaria coquantur.

87. *Exspectata diu.*) Docet Ponticum in provinciæ administratione, quid sit agendum, notans avaritiam præfectorum, qui ad omnes rapinas conversi, socios & provinciales spoliabant.

89. *Pone frena iræ.*) Ne quid per iram violentum cuiquam facias.

89. *Pone & avaritiæ.*) Sis ab rebus alienis abstinens.

90. *Ossa vides regum.*) id est Vides reges ipsos exhaustos, & exinanitos usque ad sanguinem & medullas, unde Plutarchus *in Antonio*: *Multi & reges ab eodem spoliati sunt, & fortunis omnibus exuti.*

61. *Respice.*) Legibus fac pareas, quæ monent nihil esse faciendum, quod ab honestate sit solutum.

91. *Quid curia mandet.*) hoc est Senatus, qui Magistratibus in provincias euntibus mandat, ut juste recteque omnia administrent.

91. *Curia.*) Duorum autem generum *curiæ* in Urbe fuerunt, & ubi curarent res divinas sacerdotes, ut *curiæ veteres*; & ubi senatus humanas, ut *curia Hostilia*, quam primus ædificavit Hostilius rex. auctor Varro.

93. *Et Capito.*) Hic est ille Cossutianus Capito, qui, ut scribit Tacitus *in Nerone*, fuit Tigillini gener, cujus precibus ascitus in ordinem senatorum, repetundarum damnatus fuit, quod Ciliciam, cui præfuerat, spoliasset.

93. *Numitor.*) Placet, ut legatur *Numitor*: Nam & ante *Numitorem* posuit pro nobili & divite:

Non habet infelix Numitor, quod mittat amico.

Sunt etiam codices, qui legunt *& Tutor*. Nam fuit temporibus Vitellii *Julius Tutor*, quem ripæ Rheni præfecit Vitellius, lege Corn. Tacitum.

94. *Piratæ Cilicum.*) Ac si dicat spoliatores spoliatorum. Nam & Cilices piraticam exercuerunt, Tryphonis & regum, qui successerunt, ut auctor est Strabo, ignavia, eos Pompejus Magnus intra quadraginta dies captis octingentis quadraginta sex navibus confecit. auctor Plutarchus.

94. *Sed quid damnatio confert.*) Sed quid prodest tibi illos esse damnatos, quando ærarium id capiat, quod ipsi præfecti tibi reliquerunt, id est, quod tu extorsisti ex ipsis damnatis. Nam per judicium coacti erant bona illa rapta relinquere sociis & provincialibus: verum avaritia principum ea in ærarium deferebantur.

95. *Quum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit.*) id est quum publicum ærarium tibi eripiat, quicquid tibi reliquit præfectus spoliator, ut per *Pansam* intelligas publicum ærarium, per *Nattam* omnem præfectum spoliatorem sociorum. legendumque est conjunctim cum superiore, ut sic se habeant versus:

— Sed quid damnatio confert?
Quum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta relinquit?

95. *Præconem Chærippe.*) Cum miseratione. O Chærippe, o Cilix circumspice præconem vendentem pannos tuos, hoc est pannos præfecti damnati, qui tui esse deberent, sed in ærarium deferentur. Et jam tace, noli ullo modo conqueri, ne quid tibi ab Imperatore gravius contingat. aspice, ut injuste omnia Romæ agantur, & tace. supprimenda tibi est injuria, quum jam mortis etiam immineat periculum, si loqui & conqueri volueris.

97. *Furor est perdere naulum.*) Summa insania est, velle perdere vitam post omnia Fortunæ bona. Metaphora autem est a domino navis sumta, qui post jacturam factam in mari, naulum tamen ab his, qui in navi secum mansere, studet exigere, ne perdat.

98. Non

98. *Non idem gemitus.*) Non erat tantus dolor olim spoliatis, quantus nunc, erant enim tunc locupletes.

98. *Vulnus Damnorum.*) dolor, qui ex damnis proveniebat.

98. *Non erat par.*) id est similis, quia tanto dolore non afficiebantur, quum omnino pluribus ablatis multa etiam superessent.

99. *Sociis florentibus.*) id est, omni rerum copia & bonorum affluentibus.

99. *Modo victis.*) Recenter superatis: nam tunc, quum primo victi fuerant, erant divites.

100. *Plena domus tunc omnis.*) ita ut, quamvis spoliarentur, multa tamen eis relinquerentur.

101. *Spartana chlamys.*) hoc est vestis purpura Laconica infecta. Nam succus ille purpuræ non modo apud Tyrios invenitur, sed & in Menynge Africæ, & Gætulo littore Oceani, & in Laconica Europæ, lege Plinium *lib.* IX. *cap.* XXXVI.

101. *Conchylia.*) Vestes conchyliatæ, hoc est purpura infectæ. Nam *conchylia* sunt ex genere purpurarum, auctore Plin. *lib.* IX. ex cujus faucibus habetur ros sive liquor aptus ad tingendas vestes.

101. *Coa.*) vestis Coa tenuissima, quam bombycinam appellamus tanta tenuitate, & corpus pelluceret. Plin. *lib.* XI. *Nec puduit has vestes etiam viros levitate usurpare, propter onera æstiva. in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* & Solinus: *Hoc est illud sericum in usum publicum damno severitatis admissum, & quo ostentare potius corpora, quam vestire primo fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* Horatius:

Altera nil obstat, Cois tibi pæne videre est,
Ut nudam. —

hæc fiebant in Co insula, quas prima texisse fertur Pamphyla Platis filia, ut scribit Plin. & tradit Aristot. in v. Propertius:

Quid juvat ornato procedere vita capillo?
Aut tenues Coa veste movere sinus?

102. *Parrhasii.*) Hic est ille nobilissimus pictor, qui olim cum Zeuxide contendit, eumque lintei pictura elusit. natus est Ephesi. [*Gr.*]

102. *Myronis.*) Egregius hic statuarius, quod indicat Plin. *lib.* XXXIII. [*Gr.*]

103. *Phidiacum ebur.*) id est statuæ eburnæ sculptæ a Phidia tanto successu, ut *vivere* viderentur. [*Gr.*] In ebore effingendo, ut scribit Quintil. longe citra æmulum viguit. de hoc Strabo *lib.* VIII. Plin. *lib.* VII. & XXXIIII. Seneca, Plutarchus, Propertius:

Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno.

103. *Nec non Polycleti.*) Sicyonius statuarius fuit, de quo Plin. qui diligens supra ceteros fuit, formamque humanam supra verum expressit, sed Deorum auctoritatem non explevit. ergo ubique exstabant opera Polycleti statuarii egregia, quæ multo cum labore ab eo fuerant peracta.

104. *Mentore.*) Hic celeberrimus fuit poculorum cælator, ut scribit Plinius *lib.* XXXVII. Martialis:

Accipe Mentorea pocula facta manu.

Idem alibi:

Solus Mentoreos habes labores.

Propertius:

Lesbia Mentoreo vina bibas opere.

105. *Inde Dolabella est.*) Ob eas divitias multi ad latrocinia convertebantur: quales fuerunt *Dolabella, Antonius, & Verres*, qui provinciarum præfecti eas spoliaverunt. Duos Dolabellas fuisse eodem nomine, & tempore scribit Pedianus, quorum alterum Cæsar accusavit ex Sicilia reum, nec damnavit, quin absolutus Rhodum, ut scribit Tranquillus, secessit. Alterum Dolabellam, qui Asiæ præfuerat proconsul, accusavit Scaurus repetundarum, damnavitque.

105. *Atque hinc Antonius.*) Hic est ille C. *Antonius*, de quo Pedianus. Hunc Antonium Censores sexennio, quam hæc dicerentur, senatu moverunt, caussasque subscripserunt, quod socios diripuerat, multos enim in Achaia spoliaverat.

106. *Sacrilegus*) Verres, per triennium Siciliam tenuit: atque in ea libidinose, avare crudeliterque versatus est: succedente tandem Metello, repetundarum reus a Siculis postulatus est. *Sacrilegum* autem ob id appellat, quod non solum Deos Siculis sustulit, sed & Athenis Minervam, Deli Apollinem, Junonem Sami, Dianam Pergami, Deosque tota Asia Græciaque violavit. Unde illud est Cicer. in ipsum oxymoron: *Siculos jam ne Deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris sanctissimis sustulisset.*

107. *Occulta spolia.*) In Urbem referebant plura spolia provincialium, veluti de rebus bellicis parta, quum omnino essent de pace sublata.

107. *Occulta.*) id est furtiva, nam ea palam non referebant, ut conspicerentur, quo more solent Imperatores in triumphis spolia hostium referre. Placet, ut legatur:

Occulta & spolia, & plures de pace triumphos:

sicque & sententia, & versus optime stabit.

107. *Et plures triumphos de pace.*) Ex provinciis finitis magistratibus domum cum multis spoliis sumtis de pace, ut faciunt triumphantes ex hostibus: unde est etiam illa Sallustii conquestio in *in Jugurtha*: *Pars ex pacatis prædas agebant.* Et alibi *in eodem*: *Non peculatus ærarii factus est, neque per vim sociis erepta*

pecuniæ, quæ quanquam gravia sint, tamen pro consuetudine jam pro nihilo habentur.

108. *Juga pauca boum*) eripientur. indomitam enim sui temporis avaritiam notat, quum etiam res viles raperent.

109. *Capto eripietur agello.*) Ex quo provincialibus agelli erepti sunt, nunc rapiunt pauca juga boum, id est omnem reliquam vilem supellectilem. unde Sallustius *in Catilina*: At, inquit, hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant.

110. *Ipsi deinde Lares.*) *Ipsi*: quasi qui minime sint violandi.

112. *Despicias tu forsitan.*) Possis forsitan secure Rhodios imbelles, & Corinthios spoliare, a quibus tibi nihil sit metuendum, quando effœminati mollesque sint. sed cave Hispaniæ injuriam facias, quæ scelus inultum non sinet.

113. *Imbelles Rhodios.*) Luxuria, & deliciis affluentes. Nam ex Asia; ut docet Valerius, lautitia & immodici sumtus & omnia non necessaria voluptatis genera fluxerunt. Sic & Livius *lib.* xx. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in Urbem invecta est.*

113. *Unctamque Corinthum.*) Pinguem & locupletissimam, ac proinde voluptatibus, & luxuriæ obsequentem. Nam pecunia, ut docet Thucydides *lib.* I. præpotens fuit, ut etiam ab antiquis Poetis demonstratur, *locuples oppidum* cognominantibus. scribit Strabo *lib.* VII. locupletissimam fuisse, ibique emporium fuisse mercatoribus illuc undique mercimonia convehentibus, unde vectigalia pendi ingentia contingebat: Veneris etiam templum adeo locupletatum exstitit, ut supra mille Deæ prostitutas puellas caperet, quas Veneri viri mulieresque addixerunt. propter has igitur frequens in Urbem multitudo, turbaque conveniebat, unde civitas mirum in modum ditabatur. Nautæ etiam leviter sumtus factitantes absumebantur. Hinc vulgatum est veteri sermone proverbium: *Non omnium est virorum Corinthum navigatio*: sita autem est in medio Isthmi.

114. *Resinata.*) Expilata. Arborum, ut scribit Plin. *lib.* XIV. ex quibus manat succus, aliæ picem, aliæ *resinam* mittunt. *Resina* autem pilos e corpore hominum evellebant. quod ut turpissimum notat Plinius *eodem lib. Pudet confiteri maximum jam honorem ejus esse in evellendis e virorum corporibus pilis.* Ergo *resinata*, glabrata, cujus crura sunt depilia, & mollia.

116. *Horrida vitanda est Hispania.*) Nulla injuria lacessenda est Hispania. Nam Romanos impetus sæpe sustinuit.

116. *Horrida.*) Inculta, & deliciarum aspernatrix.

116. *Vitanda est.*) quia se ulciscetur.

116. *Gallicus axis*) id est Gallia, quæ in continuo armorum tumultu versatur, & in qua subjuganda Cæsar decem consumsit annos, & nunc imperii Romani fræna recusat: nam temporibus Vitellii & Vespasiani tumultum excitavit armorum.

117. *Illyricumque latus.*) Illyrii, auctore Floro, sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam gentem Liburnorum, Titiumque flumen longissime per totum Adriatici maris littus effusi. Plin. *lib.* III. ostendit Illyricum Macedonia, Pannonia, & Noricis terminari.

117. *Parce & messoribus illis.*) Afros intelligit, unde Romam frumenta multa mittebantur. Plinius *lib.* V. scribit in Africa regionem esse CCLM. passuum fertilitatis eximiæ cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra.

119. *Quanta autem inde feres.*) minima erunt Afris, quæ abstuleris, quum jam a Mario Prisco sint spoliati.

120. *Marius*) Priscus, de quo *Satyr.* I.

Exul ab octava Marius bibit. —

120. *Discinxerit.*) Spoliaverit, tractum ab his, qui vestimenta alicui ablaturi zonam dissolvunt.

121. *Curandum in primis.*) Curandum est, ne cuiquam magna fiat injuria, sed præcipue fortibus, & pauperibus, quia tales facile ad vindictam accenduntur.

122. *Fortibus & miseris.*) Utrique enim ad vindictam validi sunt. nam ubi fortes se ab alio sentiunt injuste opprimi, injuriam æquo animo ferre nequeunt.

122. *Tollas licet omne.*) i. facere non poteris, quin arma relinquantur, quibus se vindicent, licet reliquis bonis fuerint spoliati.

125. *Quod modo proposui.*) quod ego dixi de provincialium vindicta.

125. *Non est sententia.*) Non est, quod tantummodo ego ita sentiam; sed est Sibyllæ vaticinium, ut ab auctoritate sit suasio, ut dicat credendum esse, ex illatis injuriis provincialibus & sociis eos ab Romanorum imperio defecturos. *Sententiam*, inquit Quint. vocaverunt, quod animo sensissent.

126. *Sibyllæ.*) Nomen est non proprium mulieris, sed officii. σιὺς enim deos Æoles appellant, & βυλὴ consilium, quasi *Dei consilium*, hoc est quæ mentem & consilium Dei scire viderentur, futura enim prædicebant. fuere autem auctore Varrone, ut scribit Lactantius, decem. C. de *Sibylla* si præclara & scitu digna cupis nosse, lege quæ Lud. Vives in Augustinum de *Civitate Dei* scripsit. Item *Sibyllina oracula*, e Græco in Latinum conversa a Sebastiano Castalione. S.

127. *Si tibi sancta cohors.*) Patiar te ostentes generosum origine deducta vel a Pico Martio, si nullus libertus tuus vendit judicia & sententias.

128. *Acersecomes.*) i. e. intonsus comam, quales pueros

pueros Romani, ut scribit Seneca, in deliciis habuere. Appellatus est etiam Apollo *Acersecomes*, quod intonsus semper esset, estque peculiare Apollinis epithetum, quod nunquam radii possunt a fronte lucis avelli.

128. *Crimen conjuge.*) Nam sæpe præfecti uxoribus obsequentes iniquas sententias ferunt.

129. *Conventus.*) hoc intelligit loco Juvenalis de locis, ubi a magistratibus judicii caussa populi provinciæ congregabantur. In Hispania autem erant *conventus* quatuor, statuti per rectores provinciæ ad judicia facienda: Gaditanus, Cordubensis, Actysitanus, & Hispalensis. unde Suet. *in Cæsare*: *Quæstori ulterior Hispania obvenit, ubi eum mandato reip. jure dicendo conventus circumiret.*

130. *Celæno.*) id est si avaritia tua tanquam altera Celæno harpya non parat ire per conventus. Nam Harpyæ finguntur a poetis rapaces & sordidæ fuisse & tres sorores. κελαινὸς autem apud nos significatur obscurum & nigrum.

131. *A Pico.*) Qui primus rex Aboriginum fuit, & Fauni pater, Saturni vero filius [Gr.] ergo *a Pico*, tanquam ab antiqua & nobili progenie. de *Pico* Ovidius *lib.* XIV. *Metam.* & *in Fastis* item Dionysius *lib.* I. *Antiquit. Italiæ* meminerunt.

131. *Alta Nomina*) fortium virorum. Sic Statius *in Thebaide*, *nomina ingentia* dicit, id est nomina virorum magnorum & fortium:

— Quorumque ingentia tellus
Aonis & Tyriæ suspirant nomina matres.

132. *Omnem pugnam Titanida.*) id est ipsos Titanas, qui adversus Deos pugnaverunt. lege Ovidium, & Hyginum.

133. *Ipsumque Promethea.*) quasi qui antiquissimus fuerit. Deucalionis enim Thessaliæ regis fuit pater, quo regnante fuit diluvium illud cantatissimum. Hunc Prometheum antiquitas commenta est primum fuisse, qui ex limo hominem finxerit, quem infuso igne cœlesti ex Solis rotis subrepto animaverit. unde Fulgentius Prometheum dicit esse appellatum προμήθειαν, quasi *providentem* virum. Hujus meminit & Hyginus.

134. *Proavum.*) Majores tuos. Ovidius:

Et genus, & proavos, & regia nomina jactas.

143. *De quocunque libro.*) id est de omnibus iis, de quibus Scriptores tradiderunt. neque enim nobis scire liceret, qui egregii, fortesque fuissent, nisi Scriptorum monumenta exstarent, ergo bene ait *de quocunque libro*.

135. *Quod si præcipitem.*) Si male vixeris, nobilitas tuorum majorum tibi obest, quia efficitur, ut eorum splendore ab omnibus cognoscaris, quod si humili loco natus esses, non ita omnibus esses notus.

135. *Ambitus.*) *Ambitum* pro *ambitione* posuit. Est enim *ambitio* honoris cupiditas. Sallustius: *Sed a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat.*

135. *Atque libido.*) usus Veneris, quo nihil turpius est homini. quo enim id vitii penetravit, injuria ibi dominatur, infamia flagrat.

136. *Frangis virgas.*) Si crudelis es in socios, quibus præes. Nam sex lictores præcedentes prætorem, sex virgarum fasces cum securibus colligatos gestabant. duodecim autem consules. Eæ autem erant ex *Betula*, unde Plinius: *Betula terribilis magistratuum virgis.*

138. *Incipit ipsorum contra te stare.*) Nobilitas tua tibi nocet. facit enim, ut scelera tua omnibus nota sint. videtur autem hoc sumtum e Sallustio in *Jugurth. Majorum gloria posteris lumen est, neque mala eorum in occulto patitur.*

139 *Præferre claram facem pudendis.*) Et scelera tua omnibus nota facere. nam eorum fama, & splendore, tanquam face præcedente, facta tua illustrantur, & nota fiunt.

140. *Omne animi vitium.*) Omne hominis vitium tanto omnibus notius est, quanto ipse, qui committit, est illustrior, ut sit præcedentis sententiæ confirmatio.

140. *Tanto conspectius.*) Tanto evidentius, & quod conspici possit.

142. *Quo mihi te solitum.*) quid opus est, te ut jactes, & nobilem prædices, si falsa testamenta solitus es signare, quod hominis est sceleratissimi, ut doceat nobilitatem ex bonis moribus censeri.

142. *Signare.*) Obsignare annulo, unde alibi:

Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis & gemma fecerat uda.

Tranq. *in Cæs. Quum quid per jocum testandi gratia signarent.*

142. *Falsas tabellas.*) Falsa testamenta. Ulpianus *de Testamentis*: *Signatas tabulas accipi oportet, & si tabulæ linteo, quo involutæ sunt, signa impressa fuerint.* Tranquillus *in Nerone*: *Tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.*

143. *In templis quæ fecit avus.*) Ibi enim sæpe signabant, ut ostenderent fidem religione maxime constringi.

143. *Avus.*) Majores tui, quasi dicat, quæ illi per virtutem, nec sine ingenti gloria fecerunt, tu tuis flagitiis dedecoras.

144. *Statuamque parentis Ante triumphalem.*) Ita dictum, sicut & ante:

Ante Numantinos si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces & castra movebant.

143. *Si nocturnus adulter.*) Si tempore nocturno

 scor-

scortaris contecto capite cucullo Santonico. Est autem *cucullus* genus vestimenti Gallici, quod etiam a *Bardis* gente Gallica dicitur *bardocucullus*, *& bardiacus cucullus*.

145. *Santonico.*) Gallico. Martialis:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Santones enim populi sunt Aquitaniæ ad Oceanum versi, quæ est tertia pars Galliæ, Strabo *lib.* IV. Tibullus:

— Et Oceani littora Santonici.

147. *Damasippus.*) *Equorum domitor.* per *Damasippum* autem quemcunque nobilem taxat. Nam temporibus Neronis multi a claris majoribus oriundi aurigare in gratiam Principis didicerunt, qui, ut est apud Tranquillum, eodem studio tenebatur. Hos igitur, ut turpi studio fœdatos, sugillat, ostendens tales haudquaquam esse nobiles: nam Poeta non modo sui, sed & superiorum temporum vitia insectatur. latenter Neronem tangere videtur.

148. *Sufflamen.*) *Sufflamen* id est, quod rotæ in descensu, vel nimio procursu opponitur, ne aut recurrat, aut nimium procurrat.

149. *Nocte quidem.*) Verba *Damasippum* excusantis, cui respondet Poeta, sed Luna videt, & sidera testes oculos intendunt.

150. *Finitum tempus honoris Quum fuerit.*) Eo Damasippus impudentiæ devenit, ut non dubitaverit finito consulatus sui tempore, palam & media luce aurigare.

150. *Tempus honoris.*) Consulatus.

151. *Flagellum*) ad agitandos equos.

153. *Maniplos solvet.*) Fasciculos fœni. sic & Ovidius III. *Fast.*

Pertica suspensos portabat longa maniplos,

Inde maniplaris nomina miles habet.

155. *Interea, dum lanatas.*) Dum sacrificia peraguntur, in quibus oves & juvenci mactantur ante aras Jovis, more Numæ, qui plurima, ut scribunt Livius, Plutarchus, Dionysius & Victor *de Vir. Illust.* sacra instituit, jurat interea solam Hippo, tanquam stabulariorum Deam, quæ equis præsit, & agasonibus.

156. *Jurat Solam Hippo.*) Tanto studio tenetur aurigandi, agendique jumenta, ut etiam per *Hippo*, quasi per numen peculiare agasonum, sibique maxime colendum juret. In multis legitur codicibus: *Hipponam, & facies olida ad præsepia pictas*, tolliturque illud *solam.*

157. *Hippo.*) Deam, quam Stabularii colebant, ut ostendit Apul. *lib.* III. *Metam. Respicio pilæ medio, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso meditullio Hipponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis recentibus fuerat ornatum.* quin & florentissimus Tertullianus *in Apologetico: Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & cunctos canterios cum sua Hippona coli a vobis.*

157. *Et facies pictas.*) scilicet ipsius Deæ Hipponæ, ut intelligas plures imagines Deæ, quæ in stabulis pingebantur, tanquam Deæ jumentorum agasonumque præsidis.

158. *Sed quum pervigiles.*) Aliud in nobilitate insectatur flagitium, quod scilicet absque ullo pudore, intermissa aurigatione, popinas frequentent. Est ergo sensus: Quum nobilis Damasippus in popinas descendit, statim adsunt unguentarii, qui eum venientem blande excipiant atque salutent.

158. *Instaurare.*) Repetere, ac per hoc ostendit frequenter ab eo fieri.

158. *Pervigiles.*) Noctu dieque patentes propter multitudinem confluentem.

158. *Popinas.*) Loca sunt desidiæ luxuriæque apparata, ibi enim commessabantur, ceteraque faciebant, quæ intemperantiæ sunt.

159. *Syrophœnix.*) Unguentarius, fictum est nomen ex *Syria & Phœnicia.* nam illinc unguenta preciosa mittebantur, optimique unguentorum compositores.

159. *Udus.*) id est profluens undique ex nimia unguentorum attrectatione.

159. *Amomo.*) id est unguento ex amomo. Est enim *amomum* genus fruticis proveniens in parte Armeniæ, quæ vocatur Otene, & in Media, & in Ponto, ex quo unguentum optimum fit.

160. *Incola portæ Idumææ.*) hoc est, qui domi suæ incolit portas Syrias. Nam *Idumæa* pars est Syriæ, ut scribit Joseph. *lib.* I. & Strabo *lib.* XVI. Plin. *lib.* V. *Qui subtilius Syriam dividunt circum Euphratem Syriam Phœnicem volunt, & esse oram maritimam Syriæ, cujus pars sit Idumæa & Judæa.* Poeta igitur *portam Idumæam* intelligit portam Syriam. Bene ergo ait *incola portæ Idumææ*, quum *Idumæa* pars sit Phœnices, unguentariusque sit ex Syria Phœnice.

161. *Hospitis affectu.*) id est salutat & appellat *dominum & regem* blandiendo ex affectu ipsius hospitis, qui ita gaudet salutari. hoc autem est ex vetere consuetudine, ut docet Sen. qui scribit priscos solitos fuisse, quotiens homini ignoto occurrerent, eum *dominum & regem* appellare, idque genus blandimenti quoddam erat, & honorifica appellatio. Mart. *lib.* I.

Quum te non novi dominum regemque vocabam:

Quum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Idem *lib.* II.

Quod te nomine jam tuo saluto,

Quem regem & dominum prius vocabam,

Ne

Ne me dixeris esse contumacem.

162. *Et cum venali.*) Adest non solum unguentarius, sed & mulier, quæ vinum vendit, quæ iisdem blanditiis venientem nobilem excipit. *Cyane* autem est nomen mulieris versant.s in popinis.

162. *Venali lagena.*) Vino venali. ostendit igitur Poeta homines illic & ungi, & potare.

163. *Defensor culpæ.*) Occurrit his, quæ possent objici a criminis defensore, & ipsos aliquando in iisdem erroribus versatos; ut dicat verum quidem esse, quod ipsi in adolescentia sua peccaverint, sed erroribus suis non nimium immoratos, ut moneat, & si plerunque per ætatis imbecillitatem, aut fragilitatem humanam in aliquod quis vitium prolapsus fuerit, ab eo celeriter recedendum.

165. *Breve sit.*) Innuit Poeta cujusvis hominis esse, ut erret, sed nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.

167. *Indulge veniam.*) Debes pueris, & adolescentibus talia propter ætatem perpetrantibus ignoscere. Sed *Damasippo* ignoscendum nequaquam est, qui jam est ætate provectior, & jam gravioribus negotiis aptus.

167. *Damasippus ad illos Thermarum calices.*) *Damasippus* i. nobiles non erubescunt se in popinas & thermas ad potandum demittere, ubi homines tantum flagitiosi, vilissimique versabantur. unde cum emphasi ait, *ad illos calices thermarum*, quasi ad illas potationes, quibus fœdissimi homines inebriantur.

169. *Maturus bello Armeniæ.*) ea ætate, ut aptus sit ad tractanda bella.

169. *Armeniæ.*) Bene autem *Armeniam* nominat. Nam imperante Nerone Armenia novos excitavit tumultus. Vide Tacit. *Armenia* finitima est Cappadociæ, dicta est ab *Armeno* Jasonis comite. C. Joseph. *Antiq. lib.* 1. scribit, ab *Aramo* Semis filio, Noæ nepote *Arameos*, qui postea *Armeni* dicti sunt, fuisse nominatos. *S.*

169. *Syriæque tuendis Amnibus.*) Quales sunt Euphrates, Tigris & Orontes... sunt amnes Syriæ.

171. *Ostia Cæsar Mitte.*) Locus hic duobus modis potest explicari, ut sit sensus: O Cæsar, si Damasippum ad bella gerenda es missurus, *mitte ostia ejus*, i. noli quærere Damasippum in sua domo, quia illic non invenies, sed quære illum in popinis, ubi quotidie versatur: item sic: O Cæsar, Damasippum potes mittere ad ostia Istri, & Rheni, quia jam ætate est gravi; sed si vis eum invenire, accede ad popinas, nam ibi est frequens, ut sit manifesta irrisio nobilitatis.

171. *Legatum.*) *Legatus* pro oratore ponitur. *Legatus* item dicitur, quia in exercitu secundam post Imperatorem obtinet dignitatem, ut hoc loco.

175. *Sandapilarum.*) Tranquillus de *Domitiano* interfecto: *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.*

176. *Tympana cessantia.*) id est inter Gallos sacerdotes Cybeles, quia a suis per Urbem bacchationibus, & discursibus cessant, & in popinas secedunt.

176. *Galli.*) Sacerdotis Cybelæi. Tradunt Scriptores hos spiritibus afflatos, & in armorum agitatione tumultuosa, & cum strepitu, & fragore, cymbalisque ac *tympanis*, & armis, item etiam tibiis, vociferationibus inter sacrificandum exsultantes, inque ministrorum habitu publica modo quodam sacra factitantes.

176. *Resupinati.*) ut otiosi, & ebrii.

177. *Æqua ibi libertas.*) Indifferenter omnia illic aguntur, omnes pari modo habentur.

179. *Quid facias.*) si talem nactus sis servum, hoc est, tam flagitiosum, quam est nobilis ille vitiosus, quid facias de illo, ut sit sensus: illum statim a te rejicias, mittasque, ut nequam hominem, in ergastula. Sed vos nobiles vobis ignoscitis, neque quicquam vobis turpe putatis, quod non recte facitis. quasi dicat: deberetis in vitia animadvertere, taliaque delicta non pati.

180. *In Lucanos.*) Nam frequentia erant ergastula in Lucania, & Hetruria. Martial. *lib.* VIII.

Et sonet innumera compede Tuscus ager.

181. *At vos Trojugenæ.*) Satyrica irrisio, id est nobiles, qui ex sanguine Trojano jactatis originem vestram duci.

181. *Vobis ignoscitis.*) Si quid turpiter facitis, vobis ignoscitis, putatisque vobis id licere, quod in cerdone & paupere damnaretis, si admitterent.

182. *Cerdoni.*) Ignobili, & infimæ conditionis. Nam cerdones dicuntur, qui artificio, & lucro victum quærunt.

182. *Volesos, Brutosque.*) Per hos omnes nobiles intelligit. fuerunt enim Romani cives antiquissimi. *Volesii* originem ex Sabinis duxerunt, temporibus Romuli in Urbem recepti: Nam Tatius rex Sabinorum post pactiones factas cum Romulo, ut æqua potestate, paribusque honoribus in Urbe Roma maneret, ipse & cum eo tres viri ex illustribus familiis Romæ permanserunt *Valerius Volesus*, & Tallus cognomine Tyrannus & ultimus Metius Curtius, is qui armatus lacum nando transmisit, & cognati & clientes haud pauciores indigenis, Dionysius Halicarn. *lib.* II.

183. *Quid si nusquam adeo.*) Nobilitas Romana adeo est flagitiis contaminata nostris temporibus, ut etiamsi fœda sunt, quæ commemoravi, spurciora tamen etiam supersunt: sicque probat per exemplum ejusdem Damasippi, per quem unumquemque nobilem intelligit, etiam turpiora fieri, quam quæ supra etiam sunt commemorata.

183. *Quid*

183. *Quid*) dicas.

185. *Consumtis opibus.*) In eos enim invehitur nobiles, qui opibus per luxum consumtis; ad artem scenicam descenderunt, ut pro histrionibus in scena fabulas agerent, quod erat hominum vilissimorum, & infamium, multi etiam ad gladiaturam, quod extremæ erat infamiæ, se conferebant, quod notat Poeta *Sat.* XI.

— Nam dum valida & juvenilia membra
Sufficiunt galeæ. —

186. *Suppario.*) Arti scenicæ. Donatus *in Terent. Pro aulæis siparia posterior ætas accepit.* Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutatur. Apul. 1. *Met. Oro te, inquam, aulæum tragicum dimoveto, & siparium scenicum complicato.* & item: *Aulæo subducto & complicat, & complicitis sipariis scena disponitur.* Sen. *de Tranq. vitæ: Publius Tragicis comicisque vehementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, & verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario, fortiora.* Cic. *de Provinciis Consularibus: Itaque ille alter, ut ipse est homo doctus, & a suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum jam in orchestra belluatur, ante post siparium solebat.*

186. *Phasma*) Græce: *visio* Latine: [Gr.] in ea fabula, aut visio alicujus rei, aut monstra forte repræsentabantur, in quibus magno esset opus clamore, unde *clamosum* dixit Poeta.

187. *Laureolum velox.*) risu satyrico, ut ostendat non modo unum nobilem, sed multos ludis scenicis contaminari. optimeque fabulas, tanquam peritos mimos, agere, unde mira urbanitate ait: etiam *Lentulus bene egit*, i. repræsentavit fabulam.

187. *Lentulus.*) Nomen proprium nobilis, qui & ipse fabulam *Laureolum* egit in scena. Nam *Laureolus* tragœdia fuit, quam Nævius scripsit, auctore Gellio, in carcere; dicta a *Laureolo*, qui in ea introducebatur, sublatus ob scelus in crucem. hanc fabulam, ut alias multas Domitianus repræsentavit, ita, ut qui ageret, vera, non falsa cruce pendeteret. Mart. *lib.* 1.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Lentulus igitur nobilis Romanus eam egit pro histrione, ita ut non vera tamen cruce pependerit, quemadmodum debuit, ut ait Juv. quando non erubuit pro histrione in scenam descendere.

187. *Velox*) mira strenuitate.

188. *Dignus vera cruce.*) Ex stomacho dixit Poeta: dignus erat, qui vera cruce & non ficta penderet, quandoquidem histrionem faceret.

189. *Nec tamen ipsi populo.*) Non solum hæc in nobilibus non sunt ferenda, quæ faciunt: sed ne populo quidem ignoscendum, qui hæc sine pudore spectat.

189. *Durior frons.*) quia nullo afficitur pudore, in *fronte* enim est sedes pudoris, unde exstat proverbium, ut, quum quis pudorem amiserit, dicatur *frontem perfricuisse.* Quintilian. *Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Catonem.*

189. *Hujus populi.*) quasi, qui altiora curare deberet.

190. *Qui sedet & spectat.*) qui sustinet sedere & spectare.

190. *Triscurria.*) Nova vocabuli compositio, per quam signat nimiam patriciorum *scurrilitatem.* Nam *tris* & *ter* pro superlativo Græci & Latini usi sunt. Plautus *in Rudente: Tune trifurcifer mihi audes inclementer dicere?* Idem *in Bacchidibus: Ut pergræcetur tecum, trivenefice,* id est maxime venefice, & maxime furcifer, unde dicimus & *Trismegistum Mercurium.* Mart. *lib.* v.

Hermes omnia solus & ter unus.

id est trismegistus.

192. *Mamercorum alapas.*) id est qui potest ridere & spectare Mamercos nobiles, qui in scena alapas, & alia flagra patiebantur in agendis fabulis, sicuti & Latinus Mimus, qui, ut risum spectatoribus moveret, Panniculum alium mimum percutiebat. Martial.

Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Idem *lib.* v.

O quam dignus eras alapis Mariane Latini,
Te successurum credo ego Panniculo.

Mamercorum autem *alapas* possumus intelligere, aut quas ipsi aliis incuterent, aut quas ipsi paterentur. *Mamercorum* familia antiquissima fuit, quæ nobilitatis principium accepit ab eo *Mamerco Æmilio*, qui dictator Fidenas, quum defecissent, debellavit.

192. *Quanti sua funera.*) Nobilium impudentiam insectatur, quod non modo artibus scenicis operam suam præstent, sed & in gladiatoriam sponte sua descendant. Nam antea Nero quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ut Tranquillus & Tacitus scribunt, ad ferrum exhibuit. Ait igitur Juvenal. nobiles cogente Nerone ad ferrum se tunc exibuisse, nunc autem nullo jubente ad id muneris descendere. Turpissimum enim est eis, quia sponte tali se offerunt muneri, quod si coacti essent, inquit Poeta; excusandi essent.

193. *Vendunt nullo cogente Nerone.*) Hinc tota indignatio Poetæ est, quod non coacti id faciant.

194. *Ludis Celsi Prætoris.*) Nam prætores ludis præerant, unde alibi:

Quid? si vidisset prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere circi?

194. Cel-

194. *Celsi.*) *Celsus* non est proprium hoc loco, ut quidam putaverunt, sed *celsum* expone sublimem, & sedentem in curru, quum ludis habitu triumphali præsit.

195. *Finge tamen gladios.*) Duplici modo exponi posse videtur, ut sit sensus: Esto, inquit, mortis supplicium tibi paratum sit, nisi in theatrum descendas ad artes scenicas: nonne satius est mori, quam ludis scenicis fœdari? Hincque maxime ostendit artem illam scenicam vilissimorum tantum hominum fuisse & infamium, unde & apud Jurisconsultos *lib.* III. *Digestorum* legimus eos, qui in scena ob præmium versarentur, & omnes, qui operas suas locarent arti ludicræ, infames esse. Quod & in II *Sat.* docet:

Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

nam profligatissimus quisque ex juventute utriusque ordinis tenebatur senatusconsulto in opera scenæ arenæque edenda, multique & sponte sua famosam illam judicii notam subibant. auctor Tranquillus *in Tiberio*. Alius sensus est: Finge gladios inde, atque hinc pone pulpita, id est ponamus tibi ludos gladiatorios & scenicos proponi, quibus exercearis, utrum horum potius eligas. quasi dicat munus gladiatorium magis eligendum, ut minus turpe. sicque ostendit, quum uterque ludus sit inhonestus, turpiorem tamen esse scenicum, unde bene ait: an quisquam sic mortem exhorruit, ut sit zelotypus Thymeles? id est an quisquam ita expavit ludos gladiatorios, ubi homines cæduntur, ut malit artibus scenicis contaminari? hocque magis placet. Nam histrioniam & gladiatoriam comparat, de utraque etiam fecit mentionem, ut ostendat jam nobilitatem Romanam sine aliquo pudore in utroque munere versari gravi cum ignominia.

195. *Finge gladios.*) Puta gladios esse, qui te confodiant, aut gladiatoriam tibi proponi.

195. *Hinc pulpita.*) id est scenam ipsam multis pulpitis exstructam, in qua tibi, ut histrioni, sint agendæ fabulæ. ac per hoc ostendit mortem esse potius oppetendam, quam pudorem amittendum: aut gladiatoriam potius, quam histrioniam eligendam.

196. *Mortem sic quisquam.*) Itane mortem quisquam timuit, ut omni prorsus pudore calcato malit in scena versari pro histrione? ac si dicat, repetatque, quod dictum est potius mortem eligendam, quam honestatem deserendam.

196. *Ut sit Zelotypus Thymeles.*) Ut velit in scena versari, ubi repræsentet pro histrione Latinum Mimum *zelotypum Thymeles* uxoris suæ. Nam Latinus Mimus, de quo *Sat.* I. temporibus Domitiani, tanquam Thymeles uxoris zelotypus, Panniculum alterum Mimum alapis cædebat, ut risum spectatoribus moveret.

198. *Res haud mira tamen.*) Non est tamen mirum nobilem Romanum hoc facere, quia sub Nerone principe natus est, qui artibus scenicis multum delectatus est: nam ut scribunt Tacitus, Tranquillus, & Eusebius, adeo cytharœdicæ arti deditus fuit, ut in Achaia instituerit civitates, apud quas Musici agones edi solent, citharœdorum coronas ad ipsum mitti. Eas adeo grate accipiebat, ut legatos, qui pertulissent non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. Cantante eo, ne necessaria quidem caussa excedere theatro licitum fuit, itaque enixæ quædam in spectaculis feruntur. Nunc Poeta demonstrat philosophice, quantam perniciem moribus hominum & civitatibus afferant corrupti mores Principum; eorumque, quorum vita omnibus tanquam speculum esse debet, unde illud etiam dixit:

— *Sed quæ non faciet, quod Principis uxor?*

199. *Natus nobilis.*) Alii legunt: *mimus*.

199. *Hæc ultra.*) Posthac quid videbimus in Urbe, nisi omnes nobiles scenicis artibus vacare.

199. *Et illud Dedecus.*) C. Alia exemplaria habent *illic*, id est, in arena, ubi pugnatur. S. Habes hoc etiam, quod in dedecus Urbis maxime redundat. Gracchum pugnantem non armis mirmillonis, non clypeo, non galea rectum, sed habitu retiarii tunicati. dedecus autem appellat, tum quod artem gladiatoriam exerceat, quæ infamis habetur, tum quod *mirmillo* esse non vult, qui tecta facie pugnat, sed retiarius, qui galerum tantum sumit vultu aperto, ut cognoscatur. Tota est hinc Poetæ indignatio, quod gaudeat operam suam sponte arenæ præstare, & cognosci, quasi qui omnem pudoris rationem amiserit, per Gracchum nobilissimum quemque intelligit. Nam Gracchorum familia nobilissima fuit, & potens.

200. *Mirmillonis.*) Gladiatorum alter sequutor & mirmillo, alter retiarius dicebatur. Mirmillo scutum & falcem sumebat & galeam, in cujus vertice erat effigies piscis: adversus quem retiarius pugnans, quum eum insequeretur, hæc cantabat: Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle? retiarius autem fuscinam, & rete gestabat tunicatus. ait igitur Poeta nobiles eo insolentiæ & impudentiæ devenisse: ut non modo non erubescant tecti armis in arena decertare more mirmillonis, qui tectus galea & scuto pugnat, sed ultro omnia facie aperta peragant habitu retiarii tunicati, qui tunica tectus dimicabat fuscinam & rete gestans. nam gaudent cognosci.

201. *Aut falce supina.*) id est erecta, quæ a mirmillone sumebatur.

202. *Damnat.*) quia non pudet, immo gaudet cognosci.

203. *Tridentem.*) id est fuscinam, quam habebat retiarius.

204. Tre-

204. *Dextra vibrata.*) Dextra commota, & concussa, ejiciendo rete.

205. *Vultum Erigit.*) ut cognoscatur.

205. *Ad spectacula.*) Ad ipsos spectatores theatri.

205. *Nequicquam.*) Frustra, quum mirmillonem capere non potuerit.

207. *Cedamus.*) Alii, legunt, *credamus*, sed parum refert, utrum legas. C. S.

207. *Cedamus tunicæ.*) id est retiario homini tunicato, quum præsertim sit civis, & nobilis Romanus, quod facile agnoscas ex habitu divite & magnifico. Nam funiculus ipse, quo sibi galerum capiti alligavit, aureus est, qui ornatus non est pauperum gladiatorum. hocque totum ironicos. Debemus, inquit, cedere, & locum dare nobili Romano fugienti tota arena, ut evadat, ne scilicet a mirmillone insequente feriatur: hocque quasi quadam cum miseratione nobilitatis. Sic etiam constat, ut tradit Herodianus, Commodo Imperatori, qui in amphitheatro cum gladiatoribus dimicavit, habitum fuisse honorem a ceteris gladiatoribus. Sic enim scribit: *Facile autem dimicans suos compares superabat, neque tum ultra vulnera procedebat, dante unoquoque manus, atque Imperatorem potius, quam gladiatorem agnoscente.* Sicque legendum est, *cedamus* & non *credamus*, aliter sensus non procedit. Ergo mirmillo, quum passus non sit retiarium virum nobilem fugere, quasi cujus misereri deberet, graviorem adeptus est ignominiam, quam si grave vulnus accepisset. nam a spectatoribus derisus est, quasi qui peritus imperitum superaverit. hocque totum ironicos in contemtum ipsius nobilis, qui fœdam in arena operam navaverit.

207. *Tunicæ.*) Tunicato retiario. Nam *retiarii* tunicati erant. unde *Sat.* 11.

— *Tunicati fuscina Gracchi.*

Tranq. *in Caligula*: *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine ullo, totidem secutoribus succubuerant.*

207. *Aurea spira.*) Funiculus ipse aureus, qui circa galerum discurrens ad ornatum porrigebatur ad fauces, ut galerus sub mento vinciretur. *Spira* autem proprie appellatur involucrum funis in orbem collecti.

210. *Secutor.*) hoc est mirmillo, qui retiarium, postquam ab eo captus non est, insequitur.

210. *Jussus*) a prætore, qui præest ludis, & cui operam suam vendidit.

210. *Gracho.*) Nobili viro retiario, de quo sæpe & paullo ante dictum.

211. *Libera si dentur.*) Si posset, quod sentit populus, libere dicere, indubitanter Senecam, quamvis humili loco natum, propter ejus virtutes Neroni præferret, qui nobilitatis suæ splendorem vitiis obscuravit, ut ostendat in virtute, non in majorum gloria veram nobilitatem consistere. Fuit autem Seneca præceptor Neronis, Lucani Poetæ patruus, qui incisione venarum, & veneni haustu periit. Tranquillus, Tacitus & Eusebius auctores. Sed quum dicit: *libera si dentur populo suffragia*, temporum suorum conditionem suspirat, quibus ab Imperatoribus occupata libertate omnia eorum nutu administrabantur, quum antea magistratus suffragiis populi crearentur.

212. *Quis tam Perditus.*) Quis adeo rationis egens est.

213. *Non una Simia.*) Qui parricidium commisissent, virgis cæsi, & culeo insuti cum simia, gallo gallinaceo, serpente & cane, in mare, vel in propinquum flumen projiciebantur, auctor est Modestinus Jurisconsultus. Plautus: *Jube hunc insui culeo, atque in altum deportari, si vis bonam annonam.*

213. *Non una.*) sed multæ, ut qui multa commiserit parricidia, ac per hoc multas meruit mortes. *Parricidium* enim proprie dicitur *committere*, quicunque manus cognatorum sanguine commaculat. Nero enim, ut Tacitus & Tranquillus scribunt, conscius fuit necis Claudii, matrem Agrippinam & sororem patris interfecit, auctor Eusebius. Octaviam uxorem prius relegatam sub crimine adulterii occidit, Poppæam duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, ictu calcis gravidam interemit; Antoniam quoque filiam Claudii recusantem post mortem Poppææ nuptias suas, quasi novarum rerum molitricem interfecit: Aulum Plancium juvenem sibi propinquitate conjunctum, jactans eum a matre dilectum, & ad spem imperii impulsum. Item privignum Ruffinum Crispinum Poppæa natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit, Britannicum fratrem suum per adoptionem veneno sustulit.

214. *Culeus.*) saccus est ex corio, quo insuebantur parricidæ.

215. *Par Agamemnonidæ.*) Crimen, quod commisit Orestes, quum matrem interemit, par fuit crimini Neronis, qui eodem modo Agrippinam matrem suam occidit.

215. *Sed caussa facit rem dissimilem.*) Sed cædes Orestis multum a cæde, quam fecit Nero, differt. Orestes enim caussam videtur habuisse honestam necis maternæ, quia ea Agamemnonem maritum suum & patrem ipsius Orestis occidisset adjuta ab Ægistho adultero. nam cum, ut alii tradiderunt, in convivio secum percussit, unde ait *cæsi media inter pocula*, ut alii vero, quum vestem indueretur sine capitio. Neroni vero nulla fuit honesta caussa, cur matrem suam interficeret.

220. *Nunquam cantavit Orestes.*) quod fecit Nero, qui

qui non modo Romæ in agone citharistarum contendens omnes superavit, sed & Olympia, Isthmia, Pithia, & Actia celebrans inter Cerycas tragœdos, & citharistas coronatus est. auctor Euseb. Tranquil. scribit coronam etiam citharæ a judicibus sibi allatam adoravisse, ferrique ad Augusti statuam jussisse.

221. *Troica non scripsit.*) Non damnat Neronem, quod *Troica* sua scripserit, quibus excidium Trojanorum continebatur, sed quod Urbem incenderit, cujus conflagrationem e turri Mæcenatica prospectans lætusque flammæ, ut ajebat, pulcritudine ἁλώσεως illius cantavit in habitu scenico, id est captivitatem Trojæ, quam suis *Troicis* complexus fuerat, quasi dicat, non incendit Urbem Orestes, ut Nero, quem constat ipso tempore Urbis flagrantis iniisse domesticam scenam, & Trojanum incendium cecinisse, præsentia mala casibus vetustis assimilantem. Urbem autem incenderat, quasi offensus veterum ædificiorum deformitate, & angustiis flexurisque vicorum. Tranquil. Tacitus, & Eusebius auctores. Eutropius tradit Neronem Urbem incendisse, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, qualis olim Troja capta arserat. *Troica* scripta a Nerone fuisse Servius docet, illud exponens:

Et Trojæ Cynthius auctor. —

Cynthium esse regem Trojæ, quem in *Troicis* suis Nero commemoravit: Idem illud enarrans in v. *Æneidos*:

Solus qui Paridem. —

Paris, inquit, *secundum Troica Neronis fortissimus fuit.* *Troica* autem appellavit Nero, quam Homerus *Iliada*. *Troica* etiam scripsit Macer quidam affinis Ovidii, de quo ipse *in Ponto*:

Tu canis, æterno quicquid restabat Homero:
Ne careant summa Troica bella manu.

221. *Quid enim Virginius armis.*) Nero, quem jam XIV. annos tanquam immanem belluam, & terrificum monstrum terrarum orbis perpessus fuerat, destitutus fuit initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam proprætor obtinebat. Descivit & Galba in Hispania cum exercitu. Item *Verginius Ruffus* Germanici exercitus ductor, qui cum Galbæ assensurus non foret, nec alii, nisi quem Senatus delegisset ad imperium, Julius Vindex indignatus, quum Galbæ faveret, congressus est cum Virginio, a quo superatus est, & ad mortem compulsus cæsis in eo conflictu viginti millibus Gallorum. Recusavit tamen Virginius imperium oblatum a militibus, conscius se non ex equestri familia ortum, ignoto patre, imparemque si recusasset. unde exstat apud Plinium Juniorem tale distichon:

Hic situs est Ruffus, pulso qui Vindice quondam,
Imperium asseruit, non sibi, sed patriæ.

Demum enim secutus est partes Galbæ, qui Neroni imperium ademit. Ait ergo Poeta, recte factum a Verginio Vindice & Galba, qui a Nerone desciverint, ejus scelera ulciscentes.

223. *Quid Nero tam sæva.*) ac si dicat, præter tam crudelia facta, hoc est cædes suorum, & Urbis incendium, quid aliud fecit? sicque interrogationi respondendo, ostendit illum etiam contra omnem Imperatoris majestatem versatum esse in certaminibus citharœdorum.

224. *Hæc opera.*) Verba respondentis. Hæc, inquit, quando me interogas, sunt opera & artes Neronis.

224. *Generosi.*) Ironice.

225. *Ad pulpita peregrina.*) id est in scena, ubi multa pulpita sunt exstructa, ut docet Vitruvius, hoc damnat, quod non solum Romæ, sed Neapoli in theatro complures cantaverit dies, idemque etiam in Achaia pro citharœdo versatus sit in certaminibus. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit, ibique etiam plurifariam aurigavit, sed excussus curru, ac rursus repositus, quum perdurare non posset, destitit ante decursum, nec eo secius coronatus est. Denique certamina obiit omnia. Quatuor autem certamina erant celebratissima in Græcia, Olympica in honorem Jovis, donabanturque victores corona ex oleastro. Pythia in honorem Apollinis, victoribus corona dabatur ex lauro. Isthmia in honorem Palæmonis, victores coronam accipiebant pineam. Nemea Archemoro dicata, victorum corona erat ex apio, unde sequitur:

226. *Grajæque apium meruisse coronæ.*) Ex Græcia reversus Romam, tanquam ingentem reportans victoriam, eo curru rediit, quo Augustus olim triumphaverat, & in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam. sequentibus currum ovantium ritu plausoribus Augustanos militesque se triumphi ejus clamantibus. insectatur ergo ipsum Poeta, quem non puduerit, non modo Romæ & in Italia, sed etiam in Græciæ locis que peregrinis artibus scenicis se fœdare.

226. *Prostitui.*) id est gaudentis statui & poni.

227. *Majorum effigies.*) In irrisionem Neronis hæc dicit. Quum alii hostium spolia, aliaque victoriarum præmia soleant ante statuas majorum collocare cum ipsis rerum titulis: tu potes o Nero ante effigies majorum tuorum collocare ornamenta scenica, quæ in recitatione tragœdiarum sumsisti, & insignia vocis tuæ, id est ornamenta & præmia, quæ ex cantu tuo scenico consequutus es. ut per *insignia vocis*, intelligat præmia, quæ accepit ex cantu suo, hoc est coronas & citharam, quam ab judicibus ad se allatam adoravit, sicque aperte ejus impudentiam sigillat. Nam *insignia* dicuntur omnia, quæ sunt homini ornamento. unde dicimus insignia consulis virgarum

rum fasces tum lictoribus; Annulum, insigne ordinis equestris, eo quod homines insigniat, ornet, & decoret. Horat.

Tu quum projectis insignibus annulo equestri
Romanoque habitu prodis. —

228. *Ante pedes Domiti.*) aut patris tui, aut atavi. Nam uterque, ut docet Tranquil. Domitius est appellatus.

228. *Syrma.*) Tragœdorum fuit vestis, quam *pallam* Latini dixere: de qua Horat. in *Poetica*:

Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus. [*Gr.*] —

228. *Longum Syrma.*) Pone ornamenta habitusque scenicos, quibus usus es in agendis fabulis ante pedes patris tui. dictum autem est Syrma a *trahendo*, trahebatur enim per pulpita. Horat.

— *Traxitque vagus per pulpita vestem.*

Nero autem recitavit tragœdias Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum. Tranq.

229. *Antigones.*) Hujus nominis fuit filia Laomedontis regis Trojanorum, quæ quum ausa esset Junoni se pulcritudine præferre, ab ea in ciconiam est conversa. Fuit etiam Antigone filia Oedipi, quæ patrem cœcum ductitavit, de hac frequens scripta fuerat tragœdia, de ea & Statius *in Thebaide*.

229. *Menalippes.*) Dionysius Halicarnasseus scribit Euripidem comœdiam fecisse τῆς σοφῆς Μελανίππης, id est de *sapiente Menalippe*, in qua comœdia Menalippes filios in patris stabulis exposuit; quam rem pater prodigium esse existimans, eos deliberavit adurere. Sed Menalippe dum vellet filios servare, philosophorum rationibus non esse monstrum ostendit. De hac fortasse intellexit, & Varro *lib.* II. *de Re Rust.*

230. *Colosso marmoreo.*) Respexit ad Colossum, quem, ut scribit Tranq. centum & xx. pedum æreum erexit Nero in vestibulo domus aureæ, quæ statua eo mortuo, dicata fuit Soli mutato nomine: eam fabricavit Zenodotus accitus e Gallia. Plin. scribit *lib.* XXIV. *cap.* VII. statuarum moles turribus pares *Colossos* vocitatas. [*Gr.*] C. Hoc autem loco non de Neronis Colosso intelligit, qui non mormoreus, sed æreus (ut diximus) fuit, sed de statua Augusti. Tranquillus *de Nerone*: *Citharam autem ab judicibus ad se allatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit*: hoc nunc Poeta Neroni objicit.

231. *Quis Catilina tuis.*) Exemplo *Catilinæ* & *Cethegi* ostendit illos non appellandos esse nobiles, qui ex nobili orti genere, impie atque turpiter vivunt. Nam Catilina cum Cethego viro senatorio, & aliis nobilibus opprimendæ reip. consilium inierunt.

231. *Tuis natalibus.*) Tuo genere, Seneca *ad Lucil*. *Conditor ille juris humani non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit.*

234. *Ut Bracchatorum pueri*) paraverunt. *pueri Bracchatorum*, id est posteri Gallorum, qui duce Brenno relictis ob sterilitatem agris suis, Italiam invaserant. Dicti a genere vestium, quas ad terrorem intonsas, & varii coloris ferunt. Græci, auctore Diod. *anxyridas* vocant. Corn. Tacitus: *At Cæcinna, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod diversi coloris sagulo braccas barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur.*

235. *Quod liceat.*) Id facinoris commisistis, quod gravissimo supplicio mereatur puniri.

235. *Tunica molesta.*) Id est igne, & supplicio ignis. Seneca *ad Lucil. Cogita illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, & quicquid aliud commenta est sævitia. hoc enim genus supplicii excogitatum est, ut facinorosi homines igne, & tunica obvoluti cremarentur vivi.*

236. *Sed vigilat consul.*) Vos patriam quæritis perdere, qui nobiles vos esse dicitis; Consul vero, quem ignobilem putatis, ipsam tuetur, ac servat. sicque Poeta ostendit, non ex natalibus, sed ex recte factis virtuteque nobilitatem pendere, censendamque esse.

236. *Vigilat.*) Operam dat, ne Catilina & reliqui conjurati rempublicam perdant.

236. *Vexilla vestra.*) Conatus, & furores vestros.

237. *Hic novus Arpinas.*) Ignobilis, id est Cicero, quem vos *novum*, & *ignobilem* per contemtum appellatis, quum tamen constet, ut Plutarch & Euseb. scribunt, eum ex regio Volscorum genere esse ortum, matre Helvia, & patre equestris ordinis. Nam Romani eos, qui nulla majorum dignitate claruissent, *novos* soliti sunt appellare: unde Catilina invectus in Ciceronem, eum *novum* hominem nuncupat.

237. *Arpinas.*) *Arpinum* oppidum est Volscorum, patria Ciceronis.

237. *Modo Romæ.*) Quem modo & nuper in equestri ordine dicitis esse Romæ, non vetere & nobili genere. unde Sal. ita ignobilitatem objicit: *Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit.* Et paulo post: *Verum, ut opinor, homo novus Arpinas ex M. Crassi familia, illius virtutem imitatur.* Nam illos, ut diximus, Romani, qui sine majorum splendore per sçipsos claruissent, in contemtum *novos* appellabant, & *inquilinos*, quasi qui alienas ædes incolerent.

238. *Eques municipalis.*) i. natus in municipio Arpino, sed Romæ in ordine equestri.

241. *Tituli*) honorum, qui non sine titulo & inscriptione vocantur in fastis, statuisque subscribuntur.

243.

243. *Sed Roma.*) Roma non habuit, unde Augustum Cæsarem, licet diversa bella tractasset, appellaret Patrem patriæ; sed habuit, unde Ciceronem appellaret: sic igitur commendat, quem Romani, ut ignobilem, vituperabant.

244. *Patrem patriæ.*) Primus fuit Cicero, qui tale cognomen meruit conservata patria in conjuratione Catilinaria, id postea cognominis ad Imperatores adulatione magis, quam merito delatum.

246. *Lassus aratro alieno.*) Ostendit Juvenalis non solum Marium aratorem fuisse, sed etiam agricolam mercenarium.

274. *Post hæc.*) Post agricolationem rebus bellicis se accommodavit. Sequutus enim est Romanorum castra, ut miles gregarius, quod indicat, quum ait illum versatum inter fabros ad dolanda ligna. Milites enim operibus fabrilibus exercebantur. Unde Martian. Jurisconsultus, titulo: *de re militari*: *Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum.* Fabri enim tignarii, carpentarii, ferrarii, idque genus artifices, ut docet Vegetius, castra sequebantur, nullius rei participes, nisi operis castrorum muniendorum. Marius, ut scribit Plutarch. obscuro genere ortus patrem Marium, matrem Fulcinam pauperes homines atque mechanicos habuit, vitam ab urbanis, lautisque vivendi moribus alienam, sed modestam, & priscis vivendi institutis egit in villa Civernate, quæ erat in agro Arpinati. militavit primo sub Scipione Africano Numantiam obsidente, ubi quum aliquando post cœnam de Imperatoribus sermo fieret, & quidam ex præsentibus sive serio, sive joco Scipionem interrogaret, quem talem ducem post illum pop. Rom. habiturus esset, Scipio percusso leviter Marii humero: *Hunc*, inquit, *hic præstanti virtute erit.*

247. *Frangebat vertice vitem.*) i. Vite pulsabatur a centurione in castris. Nam centuriones vitem gestabant ad milites in officio continendos. [*Gr.*] Livius *lib.* VII. loquens de Scipione inferiore: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit.*

248. *Pigra dolabra.*) *Dolabra* ferramentum est fabrorum ad *dolanda* ligna, unde & nomen deductum.

249. *Hic tamen Cimbros.*) Hic tamen Marius, quem vos ignobilem dicitis, vicit & Cimbros: Nam eos in Gallia apud aquas Sextias junctis Catuli proconsulis cum exercitu suo copiis delevit.

250. *Et solus.*) Non autem solus hostem superavit, sed una cum collega Catulo. Ceterum hoc ex historia. Nam, ut scribit Plutarchus, famam & gloriam hujus rei totam Mario propter primam victoriam adversus Teutonas, & Ambronas, & nomen imperii tribuebant, unde, auctore Livio, primores civitatis, qui aliquantulum, ut novo homini ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur, quasi ab eo *solo*, & non etiam a collega.

251. *Atque ideo.*) Ob talem victoriam factum est, ut collega nobilis Catulus Luctatius habuerit, unde triumpharet. quasi dicat, ex sudore hominis novi & ignobilis invenit nobilis, unde triumpharet. sicque nobilitatem cavillando virtutem extollit Marii. nam quum duo ei triumphi, primus scilicet ex Teutonis, secundus ex Cimbris offerrentur, ambos agere noluit. Et, ut in hujusmodi secundis rebus mansuetum se præberet, cum Catulo triumphare omnino instituit, formidabat enim milites, qui in ea dimicatione convenerant, ut si Catulus honore excluderetur, ipse quoque triumpho privaretur. Ea caussa fuit, ut Catulus secundum habuerit triumphum, sc. Cimbricum, quum uterque ei esset ab universo populo oblatus.

252. *Majora cadavera.*) Magno enim corpore, horrendisque oculis erant, & apud Germanos prædones appellabantur, auctor Plut. Cadaver autem dictum est a *cadendo*, non autem, ut quidam exposuerunt, quasi *caro data vermibus*, diciturque cadaver non solum hominum, sed omnium animalium atque etiam rerum inanimatarum.

254. *Plebejæ Deciorum animæ.*) Licet Decii ignobiles haberentur, quum in domum suam Decius pater primus consulatum detulerit, tamen opem patriæ tulerunt. [*Gr.*]

255. *Pro totis legionibus.*) Pro totius exercitus Romani salute.

257. *Sufficiunt.*) *Sufficere* dicimus ei, cui desiderium implemus.

257. *Terræ parenti.*) In cujus visceribus dicuntur ipsi esse inferi.

258. *Pluris enim Decii.*) Exemplo ergo Deciorum ostendit hominem sola animi virtute nobilem fieri; quod item exemplo Servii Tullii probat, qui in domo Tarquinii uxoris industria & consilio, tanta gratia apud populum Rom. vixit, ut quum interdum jactari voces ab juvene Tarquinio audiret, se injussu populi regnare, ausus sit ferre ad populum, vellent juberentve se regnare, unde tanto consensu, quanto haud quisquam alius ante, rex est declaratus.

259. *Ancilla.*) *Cornicularia*, fuerat enim ex *Corniculo* oppido Latii.

259. *Trabeam.*) Vestis fuit regum. Livius: *Servius cum trabea, & lictoribus prodiit.* Plin. *Trabeis usos accipio reges.* Eam scribit Dionysius Hal. *lib.* II. circumdistinctam fuisse purpura, sub tegmine puniceo, vestemque fuisse gentilem Romanis honorificam.

259. *Diadema.*) Erat autem pannus, quo, veluti fascia, reges caput sibi vinciebant. Seneca *ad Lucilium*

 Vide

Congeries saxi angusto de vertice surgunt,
Sic veluti in fornace lapis torretur, & omnis
Exuitur penitus venis, subit altius humor
Amissis opibus, levis, sine pondere pumex
Excoquitur. —

Plinius *lib.* XXXVI. Sed, *inquit*, & hi pumices, qui sunt in usu corporum lævigandorum fœminis, jam quidem & viris.

17. *Traducis avos squallentes.*) id est dedecorat, & ridendos præbet, quum eis similis non sit. *Traducere* enim est dedecorare, & veluti infamia afficere, ut est illud Martialis:

Rideris multoque magis traduceris Afer.

& in sequentibus:

——— *In qua se traducebat Ulysses,*

id est dedecorabat, seque ridendum præbebat. Sic & illud in *Sacra Scriptura*: *Joseph autem, quum esset vir bonus, & nollet eam traducere* hoc est nota & infamia afficere, & ridendam præbere.

18. *Imagine frangenda.*) Si in stemmate suorum majorum habet statuam, quæ ceteris est dedecori, & ideo frangenda.

19. *Vetres cera.*) Imagines cereæ collocatæ in armariis & in atriis, ut dictum est.

20. *Atria.*) *Atrium* prima erat pars ædium. Horatius:

— *Et rebus omissis*
Atria servantem postico falle clientem.

Seneca *de Brev. Vitæ*: *Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabant.* illic ignis fiebat: ideo Juvenalis superius imagines *fumosas* appellat; dictaque sunt *atria*, vel ab *Atriatibus* Tuscis, quod illinc exemplum sumtum sit, auctore Varr. vel quod *a terra* oriantur, quasi *aterraria*, vel quod *atra* essent ex *fumo.* Vitruv. *lib.* VI. *Earum autem rerum non solum erunt in urbe ædificiorum rationes, sed etiam ruri, præterquam quod in urbe atria proxima januis solent esse.*

20. *Nobilitas sola Virtus.*) Concludit nobilitatem non in gloria majorum, neque in falsis Fortunæ bonis, sed in propria veraque animi virtute consistere. unde Marius apud Sal. ait, *fortissimum quemque generosum esse.* Ostendit autem Poeta nobilitatem hæreditariam non esse, quandoquidem virtus, in qua ipsa consistit nobilitas, neque dono detur, neque accipiatur: quum divitiæ, & imagines, & alia Fortunæ bona a majoribus relinqui possint. *Virtus*, auctore Cicer. *in Rhetor.* animi habitus est naturæ, modo, rationi consentaneus; habitus vero est animi corporisque constans & absoluta aliqua in re perfectio.

21. *Paullus moribus esto.*) Facito sis similis moribus *Paullo*, & *Cosso*, & *Druso*, qui multis officiis de republica benemeriti sunt. *Paullum* intelligere possumus Paullum Æmilium, qui Persen Macedoniæ regem cum liberis ejus in triumphum duxit, quique frugalitatis & modestiæ amator, filiarum majorem M. Catonis filio, uxorem dedit, minorem Helio Tuberoni pauperi, sed optimo. virtutem enim est admiratus, per quam erat pauper.

21. *Vel Cossus.*) De Cosso intelligendum est, qui, ut scribit Florus, Mussulanos & Gætulos, jubente Augusto Cæsare domuit, unde cognomentum *Gætulici* assecutus est, unde sequitur, *Salve Gætulice.* meminit & Tranquillus *in Augusto.* fuit & ante, ut scribit Livius *lib.* IV. *Cornelius Cossus* tribunus militum, qui occiso Volumnio rege Vejentium, opima spolia secunda retulit.

21. *Drusus.*) De *Claudio Druso* potest intelligi, qui, auctore Tranq. in *Tiber.* hostium duce Druso cominus trucidato, sibi posterisque suis cognomen invenit. Traditur etiam proprætor ex provincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum, nec, ut fama est, extortum a Camillo. potes etiam intelligere de Druso Nerone, qui Asdrubalem juxta Metaurum cecidit, aut Druso fratre Tiberii Neronis, qui ab Augusto in Germaniam missus parta illic victoria Germanici cognomen est assecutus. hos ergo tres commemorat, ut de rep. optime meritos.

22. *Hos*) mores. Fac, ut imagines tuorum majorum videant vitam bene compositam in te esse.

23. *Illi*) mores.

23. *Præcedant.*) Si vis vera nobilitate censeri, fac dignitates & honores, quos in repub. adeptus es, virtutibus & moribus ornes, eos semper tecum præferas.

23. *Ipsas virgas.*) Ipsas dignitates.

24. *Animi bona.*) Bonorum tria sunt genera: Alia sunt *Corporis*, ut *valetudo*, *velocitas*, *vires*, *dignitas.* Alia *Fortunæ*, quæ *externa* dicuntur, quod penitus sint extra omnem hominis potestatem, & Fortunæ imperio subjecta, ut *genus*, *educatio*, *opes*, *clientelæ*, *amicitiæ*, *affinitates*, *gloria majorum*, quæ incerta imfirmaque sunt, quæque homines ignavos plerunque reddunt, & ab omni virtute alienos: hinc ergo vera nobilitas non pendet: Alia sunt *Animi* bona, quæ consilio & cognatione nostra constant, *justitia* videlicet, *fortitudo*, *prudentia*, & *modestia*, quæ virtutes sunt immortales, quibus Diis similes efficimur. hinc ergo vera habetur Nobilitas, inquit igitur Poeta, *prima mihi debes animi bona*, i. e. Si vis nobilis haberi, ex bonis externis & corporis, fac primum *bona animi*, id est, virtutem amplexus sis, quæ maximæ æternitati hominis memoriam consecrat, & sine qua vera nobilitas non habetur, ut ostendat & illis bonis hominem etiam posse clarescere. sed bona Animi ea esse, quæ veram homini nobilitatem tribuant.

24. *San-*

24. *Sanctus haberi.*) Ego te agnosco procerem, id est nobilem, si mereris haberi & dictis & factis sanctus, i. e. ab omni labe purus & justitiæ tenax. Bene autem Juvenal. virum bonum definivit, qui & opere, & verbo unicuique, si possit, prodest, & nemini injuriam facit.

26. *Salve Gætulice.*) Te enim salutabo, quocunque vis cognomine, ut nobilissimum, qualis fuit *Cossus Gætulicus*, tanquam & *in Gætulos* deviceris. Nam a victoriis cognomenta duces reportabant, ut *Numidicus*, *Macedonicus*, *Creticus*, *Isauricus*, *Dacicus*, *Britannicus.* Martialis:

Creta dedit magnum, magnum dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno:
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.

27. *Seu tu Syllanus.*) Et libet mihi exclamare præ lætitia, quod populus Ægyptius, clamat invento Osiri, si tu contingis patriæ ovanti *Syllanus*, rarus & egregius civis de quocunque alio sanguine. id est, præ lætitia clamabo, si tu de quocunque alio sanguine, ac si dicat etiam vilissimo, natus, similis fueris *Syllano* raro & egregio civi, ut præclara pro republica facias, sicut *Syllanus*. Is enim, auctore Livio *lib.* VIII. Scipionis legatus Magonem ducem Carthaginiensium in Hispania superavit, Hannonem alterum Imperatorem vivum cepit. Sicque Poeta semper docet, illos nobiles esse, undecunque nati fuerint, qui præclaris facinoribus vitam suam illustraverint.

28. *Patriæ ovanti.*) Nam patria læta est, quum de republ. benemerentes habet cives.

29. *Osiri invento.*) Invento Api bove, quem Ægyptii colunt veluti Osiridem. Nam tradiderunt animam Osiridis in bovem transmigrasse. non est fas eum certos, ut scribit Plin. vitæ annos excedere. Mersum igitur in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant. donec inveniant, mœrent derasis etiam capitibus, quo invento populus luctum finit. Strabo *lib.* XVII. *Memphis Ægyptiorum est regia, ea Apidis templum habet, qui idem est, quod Osiris.* Hic autem est ille Osiris, quem alii Saturni ex Rhea filium fuisse tradunt, Alii Jovis ex Niobe, virum magni ingenii, gloriæ cupidum, qui relictis Argis patria sua ad Ægyptios transfretavit, quos ditioni suæ subegit. Isidem Inachi filiam, quæ Io ante vocabatur, duxit uxorem, quorum uterque ob varias virtutes divinos honores meruit. Isis enim leges statuisse fertur, unde *Thesmophora* a Græcis, hoc est *legifera* dicta est. Eam etiam frugum inventricem dicunt. Osirim vero varias artes Ægyptios docuisse. Tibullus:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum:
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.

Osirim ferunt a Typhone fratre per fraudem occisum fuisse, ac dilaniatum, ejusque membra ab uxore diu quæsita, quæ quum non inveniret, in maximos fletus prorumpere solitam, qua re commotos Ægyptios tamdiu ea quæsivisse, quoad juxta Syenem invenerint, quæ illic Isis sepulturæ mandavit.

30. *Quis enim.*) Rationem affert: illum nobilem nequaquam censendum, in quo solum præclarum genus, & non virtus spectatur, ut ostendat solam virtutem dare homini nobilitatem. Sen. *Quis est generosus? ad virtutem bene a natura compositus.* Quintil. *Quis generosissimus? nonne qui optimus, non qui celebritate nascendi, sed qui virtute maxime excellit.*

32. *Nanum cujusdam.*) Ostendit illum sæpe derisui haberi, qui nobilis & generosus appellatur. Nam quemadmodum per risum & jocum appellamus nanum *Atlanta*, & Æthiopem *album & cygnum*, ita etiam ironicos appellamus aliquos Creticos, & Camerinos, quum tamen non sint veri *Cretici* nec *Camerini*. Hoc est, quum in iis nulla majorum virtutis ornamenta spectentur. Ut sit sensus, non si te Creticum, aut Camerinum aliquis appellat, propterea es Creticus aut Camerinus: Nam id cognomen posset tibi esse impositum in derisum, sicuti etiam per jocum *Atlanta* nanum appellamus.

34. *Europen.*) quam ob pulcritudinem Jupiter in taurum conversus ex Phœnicia in Cretam advexit. fuit autem filia Agenoris Phœniciæ regis.

35. *Lævibus.*) Sine pilis, qui propter ætatem longam & scabiem decidunt.

39. *Tecum est mihi sermo, Rubelli Plance.*) A Pontico, ad quem scribit Satyram, discedit, & *Rubellium Plancum* alloquitur: mox ad Ponticum redibit, quum dicet paullo post:

Hæc satis ad juvenem.

De *Rubellio Planco* ita scribit *Tacitus in Nerone*: *Igitur, quasi jam depulso Nerone, quisnam deligeretur, perquirebant, & omnium ore Rubellius Plancus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. ipse placita majorum colebat habitu severo, casta & secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus.*

40. *Alto Drusorum sanguine.*) Supra dixit *longo sanguine*, id est, illustri & antiquo genere glorianis, tanquam aliquid egregium feceris, unde nobilis sis censendus.

41. *Ut te conciperet.*) Et ut te conciperet mater ex familia Julia, non autem ignobilis mulier, quæ urgente

gente

gente paupertate texit telam conducta mercede.

45. *Sub aere.*) Sub dio, sicque pauperum mansiones designavit. Horatius:

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, an infami
De gente, sub dio moreris,

46. *Vivas.*) Non sine indignatione dictum a Poeta, & irrisione vanæ nobilitatis. imitatio est Persii:

Dinomaches ego sum. suffla. sum candidus. esto.

47. *Tamen ima.*) ut ostendat nobilitatem pendere ex virtute & bonis animi, non autem ex bonis externis, quibus insulsi homines inflantur.

49. *De plebe togata.*) i. vili. *Toga* enim, ut diximus ex Asconii testimonio, erat viliorum.

50. *Ænigmata.*) *Ænigma* sermo est obscurus interpretamento indigens, ab *αἰνίττω*, quod est *innuo. innuit* enim quiddam. quod postea est pluribus explicandum. vel ab *αἰνίττομαι*, quod est obscure loquor, ut illud: *Vidi mare concretum in Creta, ligneo in campo, ubi caro humana ossibus ludebat.* signat enim salinum cum sale in mensa, ubi manus humana talos jactabat. Ergo ænigmata dubios & obscuros legum sensus appellat. hoc genus quidam e nostris veteribus *scirpos* appellant. Gellius.

51. *Hic alius.*) Alius juvenis, quem vos ignobilem appellatis, nulli prorsus pro repub. parcens labori, longinquas regiones petit, mille pericula adit. At tu nihil horum facis: *Cecropidem* te tantum vocas, hoc est nobilem, quumque desidiæ consulas, una hac re gloriatis, quod nobilis sis? cum autem non appellat *Cecropidem*, quod sit Atheniensis, sed quia Athenis, quum familiæ de nobilitate contenderent, aliæ dicebant se a *Cecrope* oriundas, unde *Cecropidæ* dicebantur, aliæ ab *Alcmæone*, unde *Alcmæonii*, aliæ ab *Erictheo*, unde *Ericthidæ*. sed *Cecropidæ* nobiliores habebantur a *Cecrope*, qui etiam ante Deucalionis tempora regnavit Athenis.

51. *Euphratem.*) Partes orientales: nam *Euphrates* fluvius est, quem fundit major Armenia, Babylonem interluens. auctores Strabo *lib.* 11. & *lib.* 11. item Solinus & Mela. hunc Assyrii *Regium flumen* appellant.

51. *Batavi domiti.*) de Batavis meminit Tacitus *de Germanis.* Sunt enim Germaniæ populi ad Rhenum incolentes. hos Domitianus adhuc puer domuit, ut scribit Tacitus & Silius:

At puer auricomo jam formidate Batavo.

52. *Custodes aquilas.*) Vexilla: nam *aquila* Romanorum erat insigne. Juven. in *seq.*

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,

eo loco de aquila plura. Vegetius: *Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat.*

52. *Aquilas custodes domiti Batavi.*) i. Præsidia posita ad tenendos Batavos nuper domitos a Domitiano.

53. *Truncoque simillimus Hermæ.*) i. statuæ Mercurii. *Hermes* enim appellatus est Mercurius, ut auctor est Fulgentius, ab *ἑρμηνεύω*, quod est interpretor, & dissero, illa videlicet caussa, aut quod negotiatori linguarum sit cognitio necessaria (utraque enim regna permeare dicitur superna atque inferna.) quod modo ventis in altum navigans currat, modo demersus inferna tempestatibus appetat: vel, ut auctor est Diodor. *lib.* 1. quod sermonis inventor fuerit. Horatius:

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus. —

vel quia verborum interpretationem invenerit, unde & ipsum *Hermen*, hoc est interpretem appellarunt: Latini vero *Mercurium* dici voluere, quasi *mercium curam.* negociis enim, ut scrib. Fulgentius, præfuisse dicitur, cumque Deum lucri putaverunt. Persius:

— *Mercuriumque*
Arcessis fibra, da fortunare Penates.

Horatius:

— *Mercarier unus*
Cum lucro noram: unde frequentia Mercurialē
Imposuere mihi cognomen compita. —

Hermæ lapidei Athenis ex domestica consuetudine opus quadratum plurimi erant, tam in privatarum ædium vestibulis, quam in sacrarum, qui, ut scribit Thucydides *lib.* VI. *Histor.* una nocte, cum Athenienses expeditionem adversus Syracusanos pararent, ex maxima parte circa ora circumcisi fuerunt incerto auctore, quæ res infelicitatem portendit Syracusanis: nam Syracusani superati, cæsique pæne fuerunt omnes. Macrob. *lib.* 1. *Saturn. Pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita.* Plutarchus *in Nicia & Alcibiade*: *Adjiciebant præterea Mercurii statuas, quarum Athenis magna copia erat, ex omnibus locis civitatis una nocte fuisse dejectas, capitibusque perfractis ad terram prostratas jacere.* meminit & Corn. Nepos *in Alcibiade.* bene igitur comparat Poeta illum, qui se Cecropidem dixit, quum patriæ inutilis sit, statuæ truncæ Mercurii.

56. *Dic mihi, Teucrorum proles.*) id est Tu Rubelli, qui te jactas oriundum ex sanguine Juli, & Trojanorum. nam ex familia Julia ducebat originem.

59. *Rauco.*) Sonoro propter clamorem faventium & excitantium currentes illic aurigas. Nam *Raucus* vocabulum est medium. nam modo sonorum, modo obtusæ vocis, *raucum* appellamus.

60. *Nobi-*

60. *Nobilis hic.*) Nobilis ille habetur equus, ubicunque nutritus sit, qui in certamine ceteros cursu superat, ut innuat ita & illos nobiles vocandos, qui egregio aliquo facto ceteris præstant: non qui opibus, aut majorum gloria nitantur, quum nobilitas tota ab animi probitatibus pendeat.

62. *Et Corithæ.*) Ait Poeta eorum sobolem a dominis, quibus cari esse deberent respectu parentum, venditioni exponi, quia parum cursu valeant.

63. *Si rara.*) Ratio quare vendatur.

63. *Jugo.*) id est, si raram consecutus fuerit victoriam, dum currum in circo trahit.

64. *Nil ibi majorum.*) Nullo enim majorum respectu moventur, quin illos ut inutiles vendant. Sicque Poeta docet illos contemni, qui a majoribus suis degeneravere.

64. *Ibi.*) In equo optimis parentibus progenito.

65. *Umbrarum.*) Majorum mortuorum.

67. *Molam Nepotis.*) *Nepos* nomen est proprium viri, qui Romæ habebat pistrinum, de quo Martialis.

— *Bis vicine Nepos.*

67. *Segnipedes.*) Pigri. facta est compositio ex *segnis & pes*; contra *sonipedes* acres appellamus.

68. *Ergo ut miremur.*) Quandoquidem is nobilis duntaxat est, cujus vita pendet ex virtute, & non ex majorum gloria, aliquid primum effice, unde te, & non tua, id est, majorum tuorum genus & facta miremur.

68. *Non tua.*) Genus & gloriam majorum tuorum.

68. *Aliquid da.*) Aliquid præclarum ede.

69. *Præter honores.*) Præter famam & gloriam tuorum majorum, quos tanquam viros probos laudavimus.

70. *Quibus omnia debes.*) Ex quibus totus pendes. omnia enim, quæ habes, videlicet gloriam & famam illis debes, id est, eorum beneficio omnia habes, ita dictum, ut illud: *criminibus debent hortos*, id est, obligati sunt criminibus, quod hortos habeant, quia eorum beneficio sunt assequuti.

71. *Hæc satis.*) Absoluta, quam fecit, digressione ad Rubellium, redit ad Ponticum.

71. *Fama.*) Aut quem gloria majorum tradit, & reddit superbum: aut quem *fama*, id est, rumor tradit esse superbum, id est dicit.

72. *Nerone propinquo.*) Hinc enim inflatur, quod ex familia Julia oriundum se prædicabat, ex qua & Nero Cæsarum ultimus originem ducebat.

73. *Rarus enim.*) Non est mirum, Rubellium ita inflari gloria, quia raro fit, ut sensus communis in magnis opibus inveniatur. sicque taxat Rubellium meræ inscitiæ, ut qui inde veram nobilitatem pendere existimet.

73. *Sensus communis.*) Intelligentia quædam omnium communis. Dicimus enim hominem *a communi sensu* remotum, qui aliquid turpiter, & citra rationem facit, quasi qui minime, quod ab omnibus communiter fieri solet, faciat. Imitatio est Horatii: *Communi sensu plane caret.* Quintilianus *lib.* 1. *Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi discet? quum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregaret?* C. *Sensus communis*, est interior animi facultas & vis, qua exteriores sensus omnes suis funguntur officiis, & in qua vis est, de iis, quæ sensibus exterioribus objiciuntur, cognoscendi & judicandi. S.

74. *Laude tuorum.*) Nolim te totum ex rebus gestis majorum pendere, sic ut nihil ipse facias, unde laudem merearis.

77. *Ne tecta collapsa.*) Metaphoricos *columnas* vocat laudes majorum, i. ne, si laudes majorum subtrahantur, quibus sustentaris, & tu corruas, quum te propria virtute non fulcias. ergo ne tecta, id est ne tu ipse pereas, amotis laudibus majorum.

78. *Stratus humi palmes.*) Alia translatione ostendit oportere hominem propria virtute niti, ut stet; sicut palmes ulmis sustentandus est, si humi jaceat; sic & homo est propria virtute fulciendus: exponitque, quibus virtutibus sit innitendum ad veram nobilitatem consequendam.

79. *Esto bonus miles.*) Ostendit quemadmodum vera nobilitas comparetur.

79. *Tutor*) is est, qui vim & potestatem habet in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se nequit defendere. itaque *tutor* appellatur, quasi *tuitor*, atque defensor. unde *tutela* ipsa vis & potestas. Ulpianus.

79. *Arbiter idem.*) Is proprie *arbiter* dicitur, qui voluntarie assumitur caussæ cognitor ab utroque litigante, finemque sententia sua controversiis imponit. Cicero *pro Roscio*: *Quum ad judicem caussam labefactari animadvertunt, ad arbitrum confugiunt.* Tranquillus *in Othone*: *Cuidam etiam de parte finium litiganti cum vicino, adhibitus arbiter totum agrum redemit.* unde *Arbitrarium* dicitur, quum adhuc res apud *arbitrium* geritur, & adhuc est incerta.

80. *Integer.*) qui minime corrumpatur.

80. *Ambiguæ.*) crede esse summum nefas pluris facere vitam, quam pudorem & honestatem. laudabilius enim est mori, quam aliquid flagitiosum propter vitam committere.

84. *Perdere caussas vivendi.*) Dupliciter dicimus hominem vivere, videlicet quum anima est conjuncta corpori, & quum post hanc, quam mortem dicimus, hominis memoria bonorum operum meritis ad poste-

ros extenditur. Qui igitur pro conservatione hujus vitæ turpia & nefanda committit, *amittit caussas vivendi*, i. bonos mores, bonum nomen, honestatem, quæ omnia sunt caussa, ut hominis fama immortalitatem sortiatur. bene enim agendo fit, quod scribit Sallust. ut memoriam nostri quam maxime longam efficiamus. Ergo bona opera sunt caussa æternæ memoriæ, & ut hominis nomen semper vivat. Unde illud Martialis:

Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
Incipient, cineri gloria sera venit

85. *Dignus morte perit.*) ille omnino perit, nomen & fama ejus omnino exstinguitur, & in obscuro est, de quo nulla unquam fiat mentio, tanquam de scelerato, qui relicta honestate voluptatibus se immergit. Plin. Junior: *Nam quicunque voluptatibus dediti, quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt. qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est.* Merito igitur illos periisse judicamus, qui vitam a virtutibus alienam duxere, unde & Plin. exprobans nimium unguentorum luxum Romanis inquit: *Quis non merito judicet periisse tales?*

85. *Licet cænet.*) Lautitiæ istæ divitiarum & luxus non ea sunt, quæ hominis memoriam ad posteros propagent.

86. *Mergatur.*) Perfundatur, ungatur. hinc illud est Plinianum: *Linique jam non solum, sed & perfundi unguentis gaudent.*

86. *Abeno Cosmi.*) Unguento Cosmiano. Martialis:

Pastillos Cosmi luxuriosa voras.

Nam unguentis cognomina dedere, aliis patriæ, aliis succi, aliis arbores, aliis caussæ, aliis confectores.

86. *Abeno.*) Vas est coquinarium ex ære. Paullus Jurisconsultus scribit inter *cacabos & abenum*, quod supra focum pendet, omnino multum interesse, ut in hoc aqua ad potandum calefiat, in illis pulmentaria coquantur.

87. *Exspectata diu.*) Docet Ponticum in provinciæ administratione, quid sit agendum, notans avaritiam præfectorum, qui ad omnes rapinas conversi, socios & provinciales spoliabant.

89. *Pone frena iræ.*) Ne quid per iram violentum cuiquam facias.

89. *Pone & avaritiæ.*) Sis ab rebus alienis abstinens.

90. *Ossa vides regum.*) id est Vides reges ipsos exhaustos, & exinanitos usque ad sanguinem & medullas, unde Plutarchus *in Antonio*: *Multi & reges ab eodem spoliati sunt, & fortunis omnibus exuti.*

61. *Respice.*) Legibus fac pareas, quæ monent nihil esse faciendum, quod ab honestate sit solutum.

91. *Quid curia mandet.*) hoc est Senatus, qui Magistratibus in provincias euntibus mandat, ut juste recteque omnia administrent.

91. *Curia.*) Duorum autem generum *curiæ* in Urbe fuerunt, & ubi curarent res divinas sacerdotes, ut *curiæ veteres*; & ubi senatus humanas, ut *curia Hostilia*, quam primus ædificavit Hostilius rex. auctor Varro.

93. *Et Capito.*) Hic est ille Cossutianus Capito, qui, ut scribit Tacitus *in Nerone*, fuit Tigillini gener, cujus precibus ascitus in ordinem senatorum, repetundarum damnatus fuit, quod Ciliciam, cui præfuerat, spoliasset.

93. *Numitor.*) Placet, ut legatur *Numitor*: Nam & ante *Numitorem* posuit pro nobili & divite:

Non habet infelix Numitor, quod mittat amico.

Sunt etiam codices, qui legunt *& Tutor.* Nam fuit temporibus Vitellii *Julius Tutor*, quem ripæ Rheni præfecit Vitellius, lege Corn. Tacitum.

94. *Piratæ Cilicum.*) Ac si dicat spoliatores spoliatorum. Nam & Cilices piraticam exercuerunt, Tryphonis & regum, qui successerunt, ut auctor est Strabo, ignavia, eos Pompejus Magnus intra quadraginta dies captis octingentis quadraginta sex navibus confecit. auctor Plutarchus.

94. *Sed quid damnatio confert.*) Sed quid prodest tibi illos esse damnatos, quando ærarium id capiat, quod ipsi præfecti tibi reliquerunt, id est, quod tu extorsisti ex ipsis damnatis. Nam per judicium coacti erant bona illa rapta relinquere sociis & provincialibus: verum avaritia principum ea in ærarium deferebantur.

95. *Quum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit.*) id est quum publicum ærarium tibi eripiat, quicquid tibi reliquit præfectus spoliator, ut per *Pansam* intelligas publicum ærarium, per *Nattam* omnem præfectum spoliatorem sociorum. legendumque est conjunctim cum superiore, ut sic se habeant versus:

— Sed quid damnatio confert?
Quum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta relinquit?

95. *Præconem Chærippe.*) Cum miseratione. O Chærippe, o Cilix circumspice præconem vendentem pannos tuos, hoc est pannos præfecti damnati, qui tui esse deberent, sed in ærarium deferentur. Et jam tace, noli ullo modo conqueri, ne quid tibi ab Imperatore gravius contingat. aspice, ut injuste omnia Romæ agantur, & tace. supprimenda tibi est injuria, quum jam mortis etiam immineat periculum, si loqui & conqueri volueris.

97. *Furor est perdere naulum.*) Summa insania est, velle perdere vitam post omnia Fortunæ bona. Metaphora autem est a domino navis sumta, qui post jacturam factam in mari, naulum tamen ab his, qui in navi secum mansere, studet exigere, ne perdat.

98. Non

98. *Non idem gemitus.*) Non erat tantus dolor olim spoliatis; quantus nunc, erant enim tunc locupletes.

98. *Vulnus Damnorum.*) dolor, qui ex damnis proveniebat.

98. *Non erat par.*) id est similis, quia tanto dolore non afficiebantur, quum omnino pluribus ablatis multa etiam superessent.

99. *Sociis florentibus.*) id est, omni rerum copia & bonorum affluentibus.

99. *Modo victis.*) Recenter superatis: nam tunc, quum primo victi fuerant, erant divites.

100. *Plena domus tunc omnis.*) ita ut, quamvis spoliarentur, multa tamen eis relinquerentur.

101. *Spartana chlamys.*) hoc est vestis purpura Laconica infecta. Nam succus ille purpuræ non modo apud Tyrios invenitur, sed & in Menynge Africæ, & Gætulo littore Oceani, & in Laconica Europæ, lege Plinium *lib.* IX. *cap.* XXXVI.

101. *Conchylia.*) Vestes conchyliatæ, hoc est purpura infectæ. Nam *conchylia* sunt ex genere purpurarum, auctore Plin. *lib.* IX. ex cujus faucibus habetur ros sive liquor aptus ad tingendas vestes.

101. *Coa.*) vestis Coa tenuissima, quam bombycinam appellamus tanta tenuitate, & corpus pelluceret. Plin. *lib.* XI. *Nec puduit has vestes etiam viros levitate usurpare, propter onera æstiva. in tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sint etiam vestes.* & Solinus: *Hoc est illud sericum in usum publicum damno severitatis admissum, & quo ostentare potius corpora, quam vestire primo fœminis, nunc etiam viris persuasit luxuriæ libido.* Horatius:

Altera nil obstat, Cois tibi pæne videre est,
Ut nudam. —

hæ fiebant in Co insula, quas prima texisse fertur Pamphyla Platis filia, ut scribit Plin. & tradit Aristot. in v. Propertius:

Quid juvat ornato procedere vitta capillo?
Aut tenues Coa veste movere sinus?

102. *Parrhasii.*) Hic est ille nobilissimus pictor, qui olim cum Zeuxide contendit, eumque lintei pictura elusit. natus est Ephesi. [Gr.]

102. *Myronis.*) Egregius hic statuarius, quod indicat Plin. *lib.* XXXIII. [Gr.]

103. *Phidiacum ebur.*) id est statuæ eburnæ sculptæ a Phidia tanto successu, ut *vivere* viderentur. [Gr.] In ebore effingendo, ut scribit Quintil. longe citra æmulum viguit. de hoc Strabo *lib.* VIII. Plin. *lib.* VII. & XXXIIII. Seneca, Plutarchus, Propertius:

Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno.

103. *Nec non Polycleti.*) Sicyonius statuarius fuit, de quo Plin. qui diligens supra ceteros fuit, formamque humanam supra verum expressit, sed Deorum auctoritatem non explevit. ergo ubique exstabant opera Polycleti statuarii egregia, quæ multo cum labore ab eo fuerant peracta.

104. *Mentore.*) Hic celeberrimus fuit poculorum caelator, ut scribit Plinius *lib.* XXXVII. Martialis:

Accipe Mentorea pocula facta manu.

Idem alibi:

Solus Mentoreos habes labores.

Propertius:

Lesbia Mentoreo vina bibas opere.

105. *Inde Dolabella est.*) Ob eas divitias multi ad latrocinia convertebantur: quales fuerunt *Dolabella*, *Antonius*, & *Verres*, qui provinciarum præfecti eas spoliaverunt. Duos Dolabellas fuisse eodem nomine, & tempore scribit Pedianus, quorum alterum Cæsar accusavit ex Sicilia reum, nec damnavit, quin absolutus Rhodum, ut scribit Tranquillus, secessit. Alterum Dolabellam, qui Asiæ præfuerat proconsul, accusavit Scaurus repetundarum, damnavitque.

105. *Atque hinc Antonius.*) Hic est ille C. *Antonius*, de quo Pedianus. Hunc Antonium Censores sexennio, quam hæc dicerentur, senatu moverunt, caussasque subscripserunt, quod socios diripuerat, multos enim in Achaia spoliaverat.

106. *Sacrilegus*) Verres, per triennium Siciliam tenuit: atque in ea libidinose, avare crudeliterque versatus est: succedente tandem Metello, repetundarum reus a Siculis postulatus est. *Sacrilegum* autem ob id appellat, quod non solum Deos Siculis sustulit, sed & Athenis Minervam, Deli Apollinem, Junonem Sami, Dianam Pergami, Deosque tota Asia Græciaque violavit. Unde illud est Cicer. in ipsum oxymoron: *Siculos jam ne Deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris sanctissimis sustulisset.*

107. *Occulta spolia.*) In Urbem referebant plura spolia provincialium, veluti de rebus bellicis parta, quum omnino essent de pace sublata.

107. *Occulta.*) id est furtiva, nam ea palam non referebant, ut conspicerentur, quo more solent Imperatores in triumphis spolia hostium referre. Placet, ut legatur:

Occulta & spolia, & plures de pace triumphos:

sicque & sententia, & versus optime stabit.

107. *Et plures triumphos de pace.*) Ex provinciis finitis magistratibus domum cum multis spoliis sumtis de pace, ut faciunt triumphantes ex hostibus: unde est etiam illa Sallustii conquestio in *in Jugurtha*: *Pars ex pacatis prædas agebant.* Et alibi *in eodem*: *Non peculatus ærarii factus* est, *neque per vim sociis erepta*

pau-

pecuniæ, quæ quanquam gravia sint, tamen pro consuetudine jam pro nihilo habentur.

108. *Juga pauca boum*) eripientur. indomitam enim sui temporis avaritiam notat, quum etiam res viles raperent.

109. *Capto eripietur agello.*) Ex quo provincialibus agelli erepti sunt, nunc rapiunt pauca juga boum, id est omnem reliquam vilem supellectilem. unde Sallustius *in Catilina*: At, inquit, hi contra ignavissimi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant.

110. *Ipsi deinde Lares.*) *Ipsi*: quasi qui minime sint violandi.

112. *Despicias tu forsitan.*) Possis forsitan secure Rhodios imbelles, & Corinthios spoliare, a quibus tibi nihil sit metuendum, quando effœminati mollesque sint. sed cave Hispaniæ injuriam facias, quæ scelus inultum non sinet.

113. *Imbelles Rhodios.*) Luxuria, & deliciis affluentes. Nam ex Asia; ut docet Valerius, lautitia & immodici sumtus & omnia non necessaria voluptatis genera fluxerunt. Sic & Livius *lib.* IX. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico in Urbem invecta est.*

113. *Unctamque Corinthum.*) Pinguem & locupletissimam, ac proinde voluptatibus, & luxuriæ obsequentem. Nam pecunia, ut docet Thucydides *lib.* I. præpotens fuit, ut etiam ab antiquis Poetis demonstratur, *locuples oppidum* cognominantibus. scribit Strabo *lib.* VII. locupletissimam fuisse, ibique emporium fuisse mercatoribus illuc undique mercimonia convehentibus, unde vectigalia pendi ingentia contingebat: Veneris etiam templum adeo locupletatum exstitit, ut supra mille Deæ prostitutas puellas caperet, quas Veneri viri mulieresque addixerunt. propter has igitur frequens in Urbem multitudo, turbaque conveniebat, unde civitas mirum in modum ditabatur. Nautæ etiam leviter sumtus factitantes absumebantur. Hinc vulgatum est veteri sermone proverbium: *Non omnium est virorum Corinthum navigatio*: sita autem est in medio Isthmi.

114. *Resinata.*) Expilata. Arborum, ut scribit Plin. *lib.* XIV. ex quibus manat succus, aliæ picem, aliæ *resinam* mittunt. *Resina* autem pilos e corpore hominum evellebant. quod ut turpissimum notat Plinius *eodem lib. Pudet confiteri maximum jam honorem ejus esse in evellendis e virorum corporibus pilis.* Ergo *resinata*, glabrata, cujus crura sunt depilia, & mollia.

116. *Horrida vitanda est Hispania.*) Nulla injuria lacessenda est Hispania. Nam Romanos impetus sæpe sustinuit.

116. *Horrida.*) Inculta, & deliciarum aspernatrix.

116. *Vitanda est.*) quia se ulciscetur.

116. *Gallicus axis*) id est Gallia, quæ in continuo armorum tumultu versatur, & in qua subjuganda Cæsar decem consumsit annos, & nunc imperii Romani fræna recusat: nam temporibus Vitellii & Vespasiani tumultum exercitavit armorum.

117. *Illyricumque latus.*) Illyrii, auctore Floro, sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam gentem Liburnorum, Titiumque flumen longissime per totum Adriatici maris littus effusi. Plin. *lib.* III. ostendit Illyricum Macedonia, Pannonia, & Noricis terminari.

117. *Parce & messoribus illis.*) Afros intelligit, unde Romam frumenta multa mittebantur. Plinius *lib.* V. scribit in Africa regionem esse CCLM. passuum fertilitatis eximiæ cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra.

119. *Quanta autem inde feres.*) minima erunt Afris, quæ abstuleris, quum jam a Mario Prisco sint spoliati.

120. *Marius*) Priscus, de quo *Satyr.* I.

Exul ab octava Marius bibit. —

120. *Discinxerit.*) Spoliaverit, tractum ab his, qui vestimenta alicui ablaturi zonam dissolvunt.

121. *Curandum in primis.*) Curandum est, ne cuiquam magna fiat injuria, sed præcipue fortibus, & pauperibus, quia tales facile ad vindictam accenduntur.

122. *Fortibus & miseris.*) Utrique enim ad vindictam validi sunt. nam ubi fortes se ab alio sentiunt injuste opprimi, injuriam æquo animo ferre nequeunt.

122. *Tollas licet omne.*) i. facere non poteris, quin arma relinquantur, quibus se vindicent, licet reliquis bonis fuerint spoliati.

125. *Quod modo proposui.*) quod ego dixi de provincialium vindicta.

125. *Non est sententia.*) Non est, quod tantummodo ego ita sentiam; sed est Sibyllæ vaticinium, ut ab auctoritate sit suasio, ut dicat credendum esse, ex illatis injuriis provincialibus & sociis eos ab Romanorum imperio defecturos. *Sententiam*, inquit Quint. vocaverunt, quod animo sensissent.

126. *Sibyllæ.*) Nomen est non proprium mulieris, sed officii. σιὸς enim *deos* Æoles appellant, & βουλὴ consilium, quasi *Dei consilium*, hoc est quæ mentem & consilium Dei scire viderentur, futura enim prædicebant. fuere autem auctore Varrone, ut scribit Lactantius, decem. C. de *Sibylla* si præclara & scitu digna cupis nosse, lege quæ Lud. Vives in Augustinum de *Civitate Dei* scripsit. Item *Sibyllina oracula*, e Græco in Latinum conversa a Sebastiano Castalione. S.

127. *Si tibi sancta cohors.*) Patiar te ostentes generosum origine deducta vel a Pico Martio, si nullus libertus tuus vendit judicia & sententias.

128. *Acersecomes.*) i. e. intonsus comam, quales pueros

pueros Romani, ut scribit Seneca, in deliciis habuere. Appellatus est etiam Apollo *Acersecomes*, quod intonsus semper esset, estque peculiare Apollinis epithetum, quod nunquam radii possunt a fronte lucis avelli.

128. *Crimen conjuge.*) Nam sæpe præfecti uxoribus obsequentes iniquas sententias ferunt.

129. *Conventus.*) hoc intelligit loco Juvenalis de locis, ubi a magistratibus judicii caussa populi provinciæ congregabantur. In Hispania autem erant *conventus* quatuor, statuti per rectores provinciæ ad judicia facienda: Gaditanus, Cordubensis, Astyfitanus, & Hispalensis. unde Suet. *in Cæsare*: *Quæstori ulterior Hispania obvenit, ubi eum mandato reip. jure dicendo conventus circumiret.*

130. *Celæno.*) id est si avaritia tua tanquam altera Celæno harpya non parat ire per conventus. Nam Harpyæ finguntur a poetis rapaces & sordidæ fuisse & tres sorores. κελαινὸς autem apud nos significatur obscurum & nigrum.

131. *A Pico.*) Qui primus rex Aboriginum fuit, & Fauni pater, Saturni vero filius [Gr.] ergo *a Pico*, tanquam ab antiqua & nobili progenie. de *Pico* Ovidius *lib.* XIV. *Metam.* & *in Fastis* item Dionysius *lib.* I. *Antiquit. Italiæ* meminerunt.

131. *Alta Nomina*) fortium virorum. Sic Statius *in Thebaide*, *nomina ingentia* dicit, id est nomina virorum magnorum & fortium:

— *Quorumque ingentia tellus*
Aonis & Tyriæ suspirant nomina matres.

132. *Omnem pugnam Titanida.*) id est ipsos Titanas, qui adversus Deos pugnaverunt. lege Ovidium, & Hyginum.

133. *Ipsumque Promethea.*) quasi qui antiquissimus fuerit. Deucalionis enim Thessaliæ regis fuit pater, quo regnante fuit diluvium illud cantatissimum. Hunc Prometheum antiquitas commenta est primum fuisse, qui ex limo hominem finxerit, quem infuso igne cœlesti ex Solis rotis subrepto animaverit. unde Fulgentius Prometheum dicit esse appellatum προμηθῆν, quasi *providentem* virum. Hujus meminit & Hyginus.

134. *Proavum.*) Majores tuos. Ovidius:

Et genus, & proavos, & regia nomina jactas.

143. *De quocunque libro.*) id est de omnibus iis, de quibus Scriptores tradiderunt. neque enim nobis scire liceret, qui egregii, fortesque fuissent, nisi Scriptorum monumenta exstarent, ergo bene ait *de quocunque libro.*

135. *Quod si præcipitem.*) Si male vixeris, nobilitas tuorum majorum tibi obest, quia efficitur, ut eorum splendore ab omnibus cognoscaris, quod si humili loco natus esses, non ita omnibus esses notus.

135. *Ambitus.*) *Ambitum* pro *ambitione* posuit. Est enim *ambitio* honoris cupiditas. Sallustius: *Sed a quo incepto studio me ambitio mala detinuerat.*

135. *Atque libido.*) usus Veneris, quo nihil turpius est homini. quo enim id vitii penetravit, injuria ibi dominatur, infamia flagrat.

136. *Frangis virgas.*) Si crudelis es in socios, quibus præes. Nam sex lictores præcedentes prætorem, sex virgarum fasces cum securibus colligatos gestabant, duodecim autem consules. Ex autem erant ex *Betula*, unde Plinius: *Betula terribilis magistratuum virgis.*

138. *Incipit ipsorum contra te stare.*) Nobilitas tua tibi nocet. facit enim, ut scelera tua omnibus nota sint. videtur autem hoc sumtum e Sallustio in *Jugurth. Majorum gloria posteris lumen est, neque mala eorum in occulto patitur.*

139 *Præferre claram facem pudendis.*) Et scelera tua omnibus nota facere. nam eorum fama, & splendore, tanquam face præcedente, facta tua illustrantur, & nota fiunt.

140. *Omne animi vitium.*) Omne hominis vitium tanto omnibus notius est, quanto ipse, qui committit, est illustrior, ut sit præcedentis sententiæ confirmatio.

140. *Tanto conspectius.*) Tanto evidentius, & quod conspici possit.

142. *Quo mihi te solitum.*) quid opus est, te ut jactes, & nobilem prædices, si falsa testamenta solitus es signare, quod hominis est sceleratissimi, ut doceat nobilitatem ex bonis moribus censeri.

142. *Signare.*) Obsignare annulo, unde alibi:

Signator falso, qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis & gemma fecerat uda.

Tranq. *in Cæs. Quum quid per jocum testandi gratia signarent.*

142. *Falsas tabellas.*) Falsa testamenta. Ulpianus *de Testamentis*: *Signatas tabulas accipi oportet, & si tabulæ linteo, quo involutæ sunt, signa impressa fuerint.* Tranquillus *in Nerone*: *Tunc primum repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur.*

143. *In templis quæ fecit avus.*) Ibi enim sæpe signabant, ut ostenderent fidem religione maxime constringi.

143. *Avus.*) Majores tui, quasi dicat, quæ illi per virtutem, nec sine ingenti gloria fecerunt, tu tuis flagitiis dedecoras.

144. *Statuamque parentis Ante triumphalem.*) Ita dictum, sicut & ante:

Ante Numantinos si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces & castra movebant.

143. *Si nocturnus adulter.*) Si tempore nocturno

 scor-

scortaris contecto capite cucullo Santonico. Est autem *cucullus* genus vestimenti Gallici, quod etiam a *Bardis* gente Gallica dicitur *bardocucullus*, *& bardiacus cucullus*.

145. *Santonico.*) Gallico. Martialis:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo.

Santones enim populi sunt Aquitaniæ ad Oceanum versi, quæ est tertia pars Galliæ, Strabo *lib.* IV. Tibullus:

— *Et Oceani littora Santonici.*

147. *Damasippus.*) *Equorum domitor.* per *Damasippum* autem quemcunque nobilem taxat. Nam temporibus Neronis multi a claris majoribus oriundi aurigare in gratiam Principis didicerunt, qui, ut est apud Tranquillum, eodem studio tenebatur. Hos igitur, ut turpi studio fœdatos, sugillat, ostendens tales haudquaquam esse nobiles: nam Poeta non modo sui, sed & superiorum temporum vitia insectatur. latenter Neronem tangere videtur.

148. *Sufflamen.*) *Sufflamen* id est, quod rotæ in descensu, vel nimio procursu opponitur, ne aut recurrat, aut nimium procurrat.

149. *Nocte quidem.*) Verba *Damasippum* excusantis, cui respondet Poeta, sed Luna videt, & sidera testes oculos intendunt.

150. *Finitum tempus honoris Quum fuerit.*) Eo Damasippus impudentiæ devenit, ut non dubitaverit finito consulatus sui tempore, palam & media luce aurigare.

150. *Tempus honoris.*) Consulatus.

151. *Flagellum*) ad agitandos equos.

153. *Maniplos solvet.*) Fasciculos fœni. sic & Ovidius III. *Fast.*

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Inde maniplaris nomina miles habet.

155. *Interea, dum lanatas.*) Dum sacrificia peraguntur, in quibus oves & juvenci mactantur ante aras Jovis, more Numæ, qui plurima, ut scribunt Livius, Plutarchus, Dionysius & Victor *de Vir. Illust.* sacra instituit, jurat interea solam Hippo, tanquam stabulariorum Deam, quæ equis præsit, & agasonibus.

156. *Jurat Solam Hippo.*) Tanto studio tenetur aurigandi, agendique jumenta, ut etiam per *Hippo*, quasi per numen peculiare agasonum, sibique maxime colendum juret. In multis legitur codicibus: *Hipponam, & facies olida ad præsepia pictas*, tolliturque illud *solam*.

157. *Hippo.*) Deam, quam Stabularii colebant, ut ostendit Apul. *lib.* III. *Metam. Respicio pilæ medio: quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso meditullio Hipponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accurate corollis roseis recentibus fuerat ornatum.* quin & floren-tissimus Tertullianus *in Apologetico*: *Vos tamen non negabitis, & jumenta omnia, & cunctos canterios cum sua Hippona coli a vobis.*

157. *Et facies pictas.*) scilicet ipsius Deæ Hipponæ, ut intelligas plures imagines Deæ, quæ in stabulis pingebantur, tanquam Deæ jumentorum agasonumque præsidis.

158. *Sed quum pervigiles.*) Aliud in nobilitate insectatur flagitium, quod scilicet absque ullo pudore, intermissa aurigatione, popinas frequentent. Est ergo sensus: Quum nobilis Damasippus in popinas descendit, statim adsunt unguentarii, qui eum venientem blande excipiant atque salutent.

158. *Instaurare.*) Repetere, ac per hoc ostendit frequenter ab eo fieri.

158. *Pervigiles.*) Noctu dieque patentes propter multitudinem confluentem.

158. *Popinas.*) Loca sunt desidiæ luxuriæque apparata, ibi enim commessabantur, ceteraque faciebant, quæ intemperantiæ sunt.

159. *Syrophœnix.*) Unguentarius, fictum est nomen ex *Syria & Phœnicia.* nam illinc unguenta preciosa mittebantur, optimique unguentorum compositores.

159. *Udus.*) id est profluens undique ex nimia unguentorum attrectatione.

159. *Amomo.*) id est unguento ex amomo. Est enim *amomum* genus fruticis proveniens in parte Armeniæ, quæ vocatur Otene, & in Media, & in Ponto, ex quo unguentum optimum fit.

160. *Incola portæ Idumææ.*) hoc est, qui domi suæ incolit portas Syrias. Nam *Idumæa* pars est Syriæ, ut scribit Joseph. *lib.* I. & Strabo *lib.* XVI. Plin. *lib.* V. *Qui subtilius Syriam dividunt circum Euphratem Syriam Phœnicem volunt, & esse oram maritimam Syriæ, cujus pars sit Idumæa & Judæa.* Poeta igitur *portam Idumæam* intelligit portam Syriam. Bene ergo ait *incola portæ Idumeæ*, quum *Idumea* pars sit Phœnices, unguentariusque sit ex Syria Phœnice.

161. *Hospitis affectu.*) id est salutat & appellat *dominum & regem* blandiendo ex affectu ipsius hospitis, qui ita gaudet salutari. hoc autem est ex vetere consuetudine, ut docet Sen. qui scribit priscos solitos fuisse, quotiens homini ignoto occurrerent, cum *dominum & regem* appellare, idque genus blandimenti quoddam erat, & honorifica appellatio. Mart. *lib.* I.

Quum te non novi dominum regemque vocabam:
Quum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Idem *lib.* II.

Quod te nomine jam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam,

Ne

Ne me dixeris esse contumacem.

162. *Et cum venali.*) Adest non solum unguentarius, sed & mulier, quæ vinum vendit, quæ iisdem blanditiis venientem nobilem excipit. *Cyane* autem est nomen mulieris versantis in popinis.

162. *Venali lagena.*) Vino venali. ostendit igitur Poeta homines illic & ungi, & potare.

163. *Defensor culpæ.*) Occurrit his, quæ possent objici a criminis defensore, & ipsos aliquando in iisdem erroribus versatos; ut dicat verum quidem esse, quod ipsi in adolescentia sua peccaverint, sed erroribus suis non nimium immoratos, ut moneat, & si plerunque per ætatis imbecillitatem, aut fragilitatem humanam in aliquod quis vitium prolapsus fuerit, ab eo celeriter recedendum.

165. *Breve sit.*) Innuit Poeta cujusvis hominis esse, ut erret, sed nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.

167. *Indulge veniam.*) Debes pueris, & adolescentibus talia propter ætatem perpetrantibus ignoscere. Sed *Damasippo* ignoscendum nequaquam est, qui jam est ætate provectior, & jam gravioribus negotiis aptus.

167. *Damasippus ad illos Thermarum calices.*) *Damasippus* i. nobiles non erubescunt se in popinas & thermas ad potandum demittere, ubi homines tantum flagitiosi, vilissimique versabantur. unde cum emphasi ait, *ad illos calices thermarum*, quasi ad illas potationes, quibus fœdissimi homines inebriantur.

169. *Maturus bello Armeniæ.*) ea ætate, ut aptus sit ad tractanda bella.

169. *Armeniæ.*) Bene autem *Armeniam* nominat. Nam imperante Nerone Armenia novos excitavit tumultus. Vide Tacit. *Armenia* finitima est Cappadociæ, dicta est ab *Armeno* Jasonis comite. C. Joseph. *Antiq. lib.* 1. scribit, ab *Aramo* Semis filio, Noæ nepote *Aramæos*, qui postea *Armeni* dicti sunt, fuisse nominatos. *S.*

169. *Syriæque tuendis Amnibus.*) Quales sunt Euphrates, Tigris & Orontes, sunt amnes Syriæ.

171. *Ostia Cæsar Mitte.*) Locus hic duobus modis potest explicari, ut sit sensus: O Cæsar, si Damasippum ad bella gerenda es missurus, *mitte ostia ejus*, i. noli quærere Damasippum in sua domo, quia illic non invenies, sed quære illum in popinis, ubi quotidie versatur: item sic: O Cæsar, Damasippum potes mittere ad ostia Istri, & Rheni, quia jam ætate est gravis; sed si vis eum invenire, accede ad popinas, nam ibi est frequens, ut sit manifesta irrisio nobilitatis.

171. *Legatum.*) *Legatus* pro oratore ponitur. *Legatus* item dicitur, quia in exercitu secundam post Imperatorem obtinet dignitatem, ut hoc loco.

175. *Sandapilarum.*) Tranquillus de Domitiano interfecto: *Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum.*

176. *Tympana cessantia.*) id est inter Gallos sacerdotes Cybeles, quia a suis per Urbem bacchationibus, & discursibus cessant, & in popinas secedunt.

176. *Galli.*) Sacerdotis Cybelæi. Tradunt Scriptores hos spiritibus afflatos, & in armorum agitatione tumultuosa, & cum strepitu, & fragore, cymbalisque ac *tympanis*, & armis, item etiam tibiis, vociferationibus inter sacrificandum exsultantes, inque ministrorum habitu publica, modo quodam sacra factitantes.

176. *Resupinati.*) ut otiosi, & ebrii.

177. *Æqua ibi libertas.*) Indifferenter omnia illic aguntur, omnes pari modo habentur.

179. *Quid facias.*) si talem nactus sis servum, hoc est, tam flagitiosum, quam est nobilis ille vitiosus, quid facias de illo, ut sit sensus: illum statim a te rejicias, mittasque, ut nequam hominem, in ergastula. Sed vos nobiles vobis ignoscitis, neque quicquam vobis turpe putatis, quod non recte facitis. quasi dicat: deberetis in vitia animadvertere, taliaque delicta non pati.

180. *In Lucanos.*) Nam frequentia erant ergastula in Lucania, & Hetruria. Martial. *lib.* VIII.

Et sonet innumera compede Tuscus ager.

181. *At vos Trojugenæ.*) Satyrica irrisio, id est nobiles, qui ex sanguine Trojano jactatis originem vestram duci.

181. *Vobis ignoscitis.*) Si quid turpiter facitis, vobis ignoscitis, putatisque vobis id licere, quod in cerdone & paupere damnaretis, si admitterent.

182. *Cerdoni.*) Ignobili, & infimæ conditionis. Nam cerdones dicuntur, qui artificio, & lucro victum quærunt.

182. *Volesos, Brutosque.*) Per hos omnes nobiles intelligit. fuerunt enim Romani cives antiquissimi. *Volesii* originem ex Sabinis duxerunt, temporibus Romuli in Urbem recepti: Nam Tatius rex Sabinorum post pactiones factas cum Romulo, ut æqua potestate, paribusque honoribus in Urbe Roma maneret, ipse & cum eo tres viri ex illustribus familiis Romæ permanserunt *Valerius Volesus*, & Tallus cognomine Tyrannus & ultimus Metius Curtius, is qui armatus lacum nando transmisit, & cognati & clientes haud pauciores indigenis, Dionysius Halicarn. *lib.* II.

183. *Quid si nusquam adeo.*) Nobilitas Romana adeo est flagitiis contaminata nostris temporibus, ut etiamsi fœda sunt, quæ commemoravi, spurciora tamen etiam supersint: sicque probat per exemplum ejusdem Damasippi, per quem unumquemque nobilem intelligit, etiam turpiora fieri, quam quæ supra etiam sunt commemorata.

183. *Quid*) dicas.

185. *Consumtis opibus.*) In eos enim invehitur nobiles, qui opibus per luxum consumtis; ad artem scenicam descenderunt, ut pro histrionibus in scena fabulas agerent, quod erat hominum vilissimorum, & infamium, multi etiam ad gladiaturam, quod extremæ erat infamiæ, se conferebant, quod notat Poeta *Sat.* XI.

— Nam dum valida & juvenilia membra
Sufficiunt galeæ. —

186. *Suppario.*) Arti scenicæ. Donatus *in Terent. Pro aulæis siparia posterior ætas accepit.* Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutatur. Apul. I. *Met. Oro te, inquam, aulæum tragicum dimoveto, & siparium scenicum complicato.* & item: *Aulæo subducto & complicat, & complicitis sipariis scena disponitur.* Sen. de Tranq. vitæ: *Publius Tragicis comicisque ve'ementior ingeniis, quotiens mimicas ineptias, & verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario, fortiora.* Cic. de Provinciis Consularibus: *Itaque ille alter, ut ipse est homo doctus, & a suis Græcis subtilius eruditus, quibuscum jam in orchestra belluatur, ante post siparium solebat.*

186. *Phasma*) Græce: visio Latine: [*Gr.*] in ea fabula, aut visio alicujus rei, aut monstra forte repræsentabantur, in quibus magno esset opus clamore, unde *clamosum* dixit Poeta.

187. *Laureolum velox.*) risu satyrico, ut ostendat non modo unum nobilem, sed multos ludis scenicis contaminari. optimeque fabulas, tanquam peritos mimos, agere, unde mira urbanitate ait: etiam *Lentulus bene egit*, i. repræsentavit fabulam.

187. *Lentulus.*) Nomen proprium nobilis, qui & ipse fabulam *Laureolum* egit in scena. Nam *Laureolus* tragœdia fuit. quam Nævius scripsit, auctore Gellio, in carcere; dicta a *Laureolo*, qui in ea introducebatur, sublatus ob scelus in crucem. hanc fabulam, ut alias multas Domitianus repræsentavit, ita, ut qui ageret, vera, non falsa cruce penderet. Mart. *lib.* I.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Lentulus igitur nobilis Romanus eam egit pro histrione, ita ut non vera tamen cruce pependerit, quemadmodum debuit, ut ait Juv. quando non erubuit pro histrione in scenam descendere.

187. *Velox*) mira strenuitate.

188. *Dignus vera cruce.*) Ex stomacho dicit Poeta: dignus erat, qui vera cruce & non ficta penderet, quandoquidem histrionem faceret.

189. *Nec tamen ipsi populo.*) Non solum hæc in nobilibus non sunt ferenda, quæ faciunt: sed ne populo quidem ignoscendum, qui hæc sine pudore spectat.

189. *Durior frons.*) quia nullo afficitur pudore, in *fronte* enim est sedes pudoris, unde exstat proverbium, ut, quum quis pudorem amiserit, dicatur *frontem perfricuisse.* Quintilian. *Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prætor fieres, quam Catonem.*

189. *Hujus populi.*) quasi, qui altiora curare deberet.

190. *Qui sedet & spectat.*) qui sustinet sedere & spectare.

290. *Triscurria.*) Nova vocabuli compositio, per quam signat nimiam patriciorum *scurrilitatem.* Nam *tris & ter* pro superlativo Græci & Latini usi sunt. Plautus *in Rudente*: *Tune trifurcifer mihi audes inclementer dicere?* Idem *in Bacchidibus*: *Ut pergræcetur tecum, trivenefice,* id est maxime venefice, & maxime furcifer, unde dicimus & *Trismegistum Mercurium.* Mart. *lib.* V.

Hermes omnia solus & ter unus.

id est trismegistus.

192. *Mamercorum alapas.*) id est qui potest ridere & & spectare Mamercos nobiles, qui in scena alapas, & alia flagra patiebantur in agendis fabulis, sicuti & Latinus Mimus, qui, ut risum spectatoribus moveret, Panniculum alium mimum percutiebat. Martial.

Os tibi præcisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Idem *lib.* V.

O quam dignus eras alapis Mariane Latini,
Te successurum credo ego Panniculo.

Mamercorum autem *alapas* possumus intelligere, aut quas ipsi aliis incuterent, aut quas ipsi paterentur. *Mamercorum* familia antiquissima fuit, quæ nobilitatis principium accepit ab eo *Mamerco Æmilio*, qui dictator Fidenas, quum defecissent, debellavit.

192. *Quanti sua funera.*) Nobilium impudentiam insectatur, quod non modo artibus scenicis operam suam præstent, sed & in gladiatoriam sponte sua descendant. Nam antea Nero quadringentos senatores, sexcentosque equites Romanos, & quosdam fortunæ atque existimationis integræ, ut Tranquillus & Tacitus scribunt, ad ferrum exhibuit. Ait igitur Juvenal. nobiles cogente Nerone ad ferrum se tunc exibuisse, nunc autem nullo jubente ad id muneris descendere. Turpissimum enim est eis, quia sponte tali se offerunt muneri, quod si coacti essent, inquit Poeta; excusandi essent.

193. *Vendunt nullo cogente Nerone.*) Hinc tota indignatio Poetæ est, quod non coacti id faciant.

194. *Ludis Celsi Prætoris*) Nam prætores ludis præerant, unde alibi:

Quid? si vidisses prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere circi?

194. Cel-

194. *Celsi.*) *Celsus* non est proprium hoc loco, ut quidam putaverunt, sed *celsum* expone sublimem, & sedentem in curru, quum ludis habitu triumphali præsit.

195. *Finge tamen gladios.*) Duplici modo exponi posse videtur, ut sit sensus: Esto, inquit, mortis supplicium tibi paratum sit, nisi in theatrum descendas ad artes scenicas: nonne satius est mori, quam ludis scenicis fœdari? Hincque maxime ostendit artem illam scenicam vilissimorum tantum hominum fuisse & infamium, unde & apud Jurisconsultos *lib.* 111. *Digestorum* legimus eos, qui in scena ob præmium versarentur, & omnes, qui operas suas locarent arti ludicræ, infames esse. Quod & in 11 *Sat.* docet:

Vitit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

nam profligatissimus quisque ex juventute utriusque ordinis tenebatur senatusconsulto in opera scenæ arenæque edenda, multique & sponte sua famosam illam judicii notam subibant. auctor Tranquillus *in Tiberio.* Alius sensus est: Finge gladios inde, atque hinc pone pulpita, id est ponamus tibi ludos gladiatorios & scenicos proponi, quibus exerceáris, utrum horum potius eligas. quasi dicat munus gladiatorium magis eligendum, ut minus turpe. sicque ostendit, quum uterque ludus sit inhonestus, turpiorem tamen esse scenicum, unde bene ait: an quisquam sic mortem exhorruit, ut sit zelotypus Thymeles? id est an quisquam ita expavit ludos gladiatorios, ubi homines cæduntur, ut malit artibus scenicis contaminari? hocque magis placet. Nam histrioniam & gladiatoriam comparat, de utraque etiam fecit mentionem, ut ostendat jam nobilitatem Romanam sine aliquo pudore in utroque munere versari gravi cum ignominia.

195. *Finge gladios.*) Puta gladios esse, qui te confodiant, aut gladiatoriam tibi proponi.

195. *Hinc pulpita.*) id est scenam ipsam multis pulpitis exstructam, in qua tibi, ut histrioni, sint agendæ fabulæ. ac per hoc ostendit mortem esse potius oppetendam, quam pudorem amittendum: aut gladiatoriam potius, quam histrioniam eligendam.

196. *Mortem sic quisquam.*) Itane mortem quisquam timuit, ut omni prorsus pudore calcato malit in scena versari pro histrione? ac si dicat, repetatque, quod dictum est potius mortem eligendam, quam honestatem deserendam.

196. *Ut sit Zelotypus Thymeles.*) Ut velit in scena versari, ubi repræsentet pro histrione Latinum Mimum zelotypum *Thymeles* uxoris suæ. Nam Latinus Mimus, de quo *Sat.* 1. temporibus Domitiani, tanquam Thymeles uxoris zelotypus, Panniculum alterum Mimum alapis cædebat, ut risum spectatoribus moveret.

198. *Res haud mira tamen.*) Non est tamen mirum nobilem Romanum hoc facere, quia sub Nerone principe natus est, qui artibus scenicis multum delectatus est: nam ut scribunt Tacitus, Tranquillus, & Eusebius, adeo cytharœdicæ arti deditus fuit, ut in Achaia instituerit civitates, apud quas Musici agones edi solent, citharœdorum coronas ad ipsum mitti. Eas adeo grate accipiebat, ut legatos, qui pertulissent non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. Cantante eo, ne necessaria quidem caussa excedere theatro licitum fuit, itaque enixæ quædam in spectaculis feruntur. Nunc Poeta demonstrat philosophice, quantam perniciem moribus hominum & civitatibus afferant corrupti mores Principum; eorumque, quorum vita omnibus tanquam speculum esse debet, unde illud etiam dixit:

— *Sed quæ non faciet, quod Principis uxor?*

199. *Natus nobilis.*) Alii legunt: *mimus.*

199. *Hæc ultra.*) Posthac quid videbimus in Urbe, nisi omnes nobiles scenicis artibus vacare.

199. *Et illud Dedecus.*) C. Alia exemplaria habent *illic*, id est, in arena, ubi pugnatur. S. Habes hoc etiam, quod in dedecus Urbis maxime redundat. Gracchum pugnantem non armis mirmillonis, non clypeo, non galea tectum, sed habitu retiarii tunicati. dedecus autem appellat, tum quod artem gladiatoriam exercent, quæ infamis habetur, tum quod *mirmillo* esse non vult, qui tecta facie pugnat, sed retiarius, qui galerum tantum sumit vultu aperto, ut cognoscatur. Tota est hinc Poetæ indignatio, quod gaudeat operam suam sponte arenæ præstare, & cognosci, quasi qui omnem pudoris rationem amiserit, per Gracchum nobilissimum quemque intelligit. Nam Gracchorum familia nobilissima fuit, & potens.

200. *Mirmillonis.*) Gladiatorum alter sequutor & mirmillo, alter retiarius dicebatur. Mirmillo scutum & falcem sumebat & galeam, in cujus vertice erat effigies piscis: adversus quem retiarius pugnans, quum eum insequeretur, hæc cantabat: Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle? retiarius autem fuscinam, & rete gestabat tunicatus. ait igitur Poeta nobiles eo insolentiæ & impudentiæ devenisse: ut non modo non erubescant tecti armis in arena decertare more mirmillonis, qui tectus galea & scuto pugnat, sed ultro omnia facie aperta peragant habitu retiarii tunicati, qui tunica tectus dimicabat fuscinam & rete gestans. nam gaudent cognosci.

201. *Aut falce supina.*) id est erecta, quæ a mirmillone sumebatur.

202. *Damnat.*) quia non pudet, immo gaudet cognosci.

203. *Tridentem.*) id est fuscinam, quam habebat retiarius.

 204. *Ros-*

204. *Dextra vibrata.*) Dextra commota, & concussa, ejiciendo rete.

205. *Vultum Erigit.*) ut cognoscatur.

205. *Ad spectacula.*) Ad ipsos spectatores theatri.

205. *Nequicquam.*) Frustra, quum mirmillonem capere non potuerit.

207. *Cedamus.*) Alii, legunt, *credamus*, sed parum refert, utrum legas. C. S.

207. *Cedamus tunicæ.*) id est retiario homini tunicato, quum præsertim sit civis, & nobilis Romanus, quod facile agnoscas ex habitu divite & magnifico. Nam funiculus ipse, quo sibi galerum capiti alligavit, aureus est, qui ornatus non est pauperum gladiatorum. hocque totum ironicos. Debemus, inquit, cedere, & locum dare nobili Romano fugienti tota arena, ut evadat, ne scilicet a mirmillone insequente feriatur: hocque quasi quadam cum miseratione nobilitatis. Sic etiam constat, ut tradit Herodianus, Commodo Imperatori, qui in amphitheatro cum gladiatoribus dimicavit, habitum fuisse honorem a ceteris gladiatoribus. Sic enim scribit: *Facile autem dimicans suos compares superabat, neque tum ultra vulnera procedebat, dante unoquoque manus, atque Imperatorem potius, quam gladiatorem agnoscente.* Sicque legendum est, *cedamus* & non *credamus*, aliter sensus non procedit. Ergo mirmillo, quum passus non sit retiarium virum nobilem fugere, quasi cujus misereri deberet, graviorem adeptus est ignominiam, quam si grave vulnus accepisset. nam a spectatoribus derisus est, quasi qui peritus imperitum superaverit. hocque totum ironicos in contemtum ipsius nobilis, qui fœdam in arena operam navaverit.

207. *Tunicæ.*) Tunicato retiario. Nam *retiarii* tunicati erant. unde *Sat.* 11.

— *Tunicati fuscina Gracchi.*

Tranq. *in Caligula*: *Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes sine certamine ullo, totidem secutoribus succubuerant.*

207. *Aurea spira.*) Funiculus ipse aureus, qui circa galerum discurrens ad ornatum porrigebatur ad fauces, ut galerus sub mento vinciretur. *Spira* autem proprie appellatur involucrum funis in orbem collecti.

210. *Secutor.*) hoc est mirmillo, qui retiarium, postquam ab eo captus non est, insequitur.

210. *Jussus*) a prætore, qui præest ludis, & cui operam suam vendidit.

210. *Graccho.*) Nobili viro retiario, de quo sæpe & paullo ante dictum.

211. *Libera si dentur.*) Si posset, quod sentit populus, libere dicere, indubitanter Senecam, quamvis humili loco natum, propter ejus virtutes Neroni præferret, qui nobilitatis suæ splendorem vitiis obscuravit, ut osten-dat in virtute, non in majorum gloria veram nobilitatem consistere. Fuit autem Seneca præceptor Neronis, Lucani Poetæ patruus, qui incisione venarum, & veneni haustu periit. Tranquillus, Tacitus & Eusebius auctores. Sed quum dicit: *libera si dentur populo suffragia*, temporum suorum conditionem suspirat, quibus ab Imperatoribus occupata libertate omnia eorum nutu administrabantur, quum antea magistratus suffragiis populi crearentur.

212. *Quis tam Perditus.*) Quis adeo rationis egens est.

213. *Non una Simia.*) Qui parricidium commisissent, virgis cæsi, & culeo insuti cum simia, gallo gallinaceo, serpente & cane, in mare, vel in propinquum flumen projiciebantur, auctor est Modestinus Jurisconsultus. Plautus: *Jube hunc insui culeo, atque in altum deportari, si vis bonam annonam.*

213. *Non una.*) sed multæ, ut qui multa commiserit parricidia, ac per hoc multas meruit mortes. *Parricidium* enim proprie dicitur *committere*, quicunque manus cognatorum sanguine commaculat. Nero enim, ut Tacitus & Tranquillus scribunt, conscius fuit necis Claudii, matrem Agrippinam & sororem patris interfecit, auctor Eusebius. Octaviam uxorem prius relegatam sub crimine adulterii occidit, Poppæam duodecimo die post divortium Octaviæ in matrimonium acceptam, ictu calcis gravidam interemit; Antoniam quoque filiam Claudii recusantem post mortem Poppeæ nuptias suas, quasi novarum rerum molitricem interfecit: Aulum Plancium juvenem sibi propinquitate conjunctum, jactans eum a matre dilectum, & ad spem imperii impulsum. Item privignum Ruffinum Crispinum Poppea natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit, Britannicum fratrem suum per adoptionem veneno sustulit.

214. *Culeus.*) saccus est ex corio, quo insuebantur parricidæ.

215. *Par Agamemnonidæ.*) Crimen, quod commisit Orestes, quum matrem interemit, par fuit crimini Neronis, qui eodem modo Agrippinam matrem suam occidit.

215. *Sed caussa facit rem dissimilem.*) Sed cædes Orestis multum a cæde, quam fecit Nero, differt. Orestes enim caussam videtur habuisse honestam necis maternæ, quia ea Agamemnonem maritum suum & patrem ipsius Orestis occidisset adjuta ab Ægistho adultero. nam eum, ut alii tradiderunt, in convivio secum percussit, unde ait *cæsi media inter pocula*, ut alii vero, quum vestem indueretur sine capitio. Neroni vero nulla fuit honesta caussa, cur matrem suam interficeret.

220. *Nunquam cantavit Orestes.*) quod fecit Nero, qui

qui non modo Romæ in agone citharistarum contendens omnes superavit, sed & Olympia, Isthmia, Pithia, & Actia celebrans inter Cerycas tragœdos, & citharistas coronatus est. auctor Euseb. Tranquil. scribit coronam etiam citharæ a judicibus sibi allatam adoravisse, ferrique ad Augusti statuam jussisse.

221. *Troica non scripsit.*) Non damnat Neronem, quod *Troica* sua scripserit, quibus excidium Trojanorum continebatur, sed quod Urbem incenderit, cujus conflagrationem e turri Mæcenatica prospectans lætusque flammæ, ut ajebat, pulcritudine ἁλώσεως illius cantavit in habitu scenico, id est captivitatem Trojæ, quam suis *Troicis* complexus fuerat, quasi dicat, non incendit Urbem Orestes, ut Nero, quem constat ipso tempore Urbis flagrantis inisse domesticam scenam, & Trojanum incendium cecinisse, præsentia mala casibus vetustis assimilantem. Urbem autem incenderat, quasi offensus veterum ædificiorum deformitate, & angustiis flexurisque vicorum. Tranquil. Tacitus, & Eusebius auctores. Eutropius tradit Neronem Urbem incendisse, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, qualis olim Troja capta arserat. *Troica* scripta a Nerone fuisse Servius docet, illud exponens:

Et Trojæ Cynthius auctor. —

Cynthium esse regem Trojæ, quem in *Troicis* suis Nero commemoravit: Idem illud enarrans in v. *Æneidos*:

Solus qui Paridem. —

Paris, inquit, *secundum Troica Neronis fortissimus fuit.* *Troica* autem appellavit Nero, quam Homerus *Iliada*. *Troica* etiam scripsit Macer quidam affinis Ovidii, de quo ipse *in Ponto*:

Tu canis, æterno quicquid restabat Homero:
Ne careant summa Troica bella manu.

221. *Quid enim Virginius armis.*) Nero, quem jam XIV. annos tanquam immanem belluam, & terrificum monstrum terrarum orbis perpessus fuerat, destitutus fuit initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam proprætor obtinebat. Descivit & Galba in Hispania cum exercitu. Item *Verginius Ruffus* Germanici exercitus ductor, qui cum Galbæ assensurus non foret, nec alii, nisi quem Senatus delegisset ad imperium, Julius Vindex indignatus, quum Galbæ faveret, congressus est cum Virginio, a quo superatus est, & ad mortem compulsus cæsis in eo conflictu viginti millibus Gallorum. Recusavit tamen Virginius imperium oblatum a militibus, conscius se non ex equestri familia ortum, ignoto patre, imparemque si recusasset. unde exstat apud Plinium Juniorem tale distichon:

Hic situs est Ruffus, pulso qui Vindice quondam,
Imperium asseruit, non sibi, sed patriæ.

Demum enim secutus est partes Galbæ, qui Neroni imperium ademit. Ait ergo Poeta, recte factum a Verginio Vindice & Galba, qui a Nerone descivérint, ejus scelera ulciscentes.

223. *Quid Nero tam sæva.*) ac si dicat, præter tam crudelia facta, hoc est cædes suorum, & Urbis incendium, quid aliud fecit? sicque interrogationi respondendo, ostendit illum etiam contra omnem Imperatoris majestatem versatum esse in certaminibus citharœdorum.

224. *Hæc opera.*) Verba respondentis. Hæc, inquit, quando me interogas, sunt opera & artes Neronis.

224. *Generosi.*) Ironice.

225. *Ad pulpita peregrina.*) id est in scena, ubi multa pulpita sunt exstructa, ut docet Vitruvius, hoc damnat, quod non solum Romæ, sed Neapoli in theatro complures cantaverit dies, idemque etiam in Achaia pro citharœdo versatus sit in certaminibus. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit, ibique etiam plurifariam aurigavit, sed excussus curru, ac rursus repositus, quum perdurare non posset, destitit ante decursum, nec eo secius coronatus est. Denique certamina obiit omnia. Quatuor autem certamina erant celebratissima in Græcia, Olympica in honorem Jovis, donabanturque victores corona ex oleastro. Pythia in honorem Apollinis, victoribus corona dabatur ex lauro. Isthmia in honorem Palæmonis, victores coronam accipiebant pineam. Nemea Archemoro dicata, victorum corona erat ex apio, unde sequitur:

226. *Grajæque apium meruisse coronæ.*) Ex Græcia reversus Romam, tanquam ingentem reportans victoriam, eo curru rediit, quo Augustus olim triumphaverat, & in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam. sequentibus curtum ovantium ritu plausoribus Augustanos militesque se triumphi ejus clamantibus. insectatur ergo ipsum Poeta, quem non puduerit, non modo Romæ & in Italia, sed etiam in Græcia locis que peregrinis artibus scenicis se fœdare.

226. *Prostitui.*) id est gaudentis statui & poni.

227. *Majorum effigies.*) In irrisionem Neronis hæc dicit. Quum alii hostium spolia, aliaque victoriarum præmia soleant ante statuas majorum collocare cum ipsis rerum titulis: tu potes o Nero ante effigies majorum tuorum collocare ornamenta scenica, quæ in recitatione tragœdiarum sumsisti, & insignia vocis tuæ, id est ornamenta & præmia, quæ ex cantu tuo scenico consequutus es. ut per *insignia vocis*, intelligat præmia, quæ accepit ex cantu suo, hoc est coronas & citharam, quam ab judicibus ad se allatam adoravit, sicque aperte ejus impudentiam sigillat. Nam *insignia* dicuntur omnia, quæ sunt homini ornamento. unde dicimus insignia consulis virga-

rum

rum fasces cum lictoribus; Annulum, insigne ordinis equestris, eo quod homines insigniat, ornet, & decoret. Horat.

Tu quum projectis insignibus annulo equestri
Romanoque habitu prodis. —

228. *Ante pedes DomitI.*) aut patris tui, aut atavi. Nam uterque, ut docet Tranquil. Domitius est appellatus.

228. *Syrma.*) Tragœdorum fuit vestis, quam *pallam* Latini dixere: de qua Horat. *in Poetica*:

Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus. [*Gr.*] —

228. *Longum Syrma.*) Pone ornamenta habitusque scenicos, quibus usus es in agendis fabulis ante pedes patris tui. dictum autem est Syrma a *trahendo*, trahebatur enim per pulpita. Horat.

— *Traxitque vagus per pulpita vestem.*

Nero autem recitavit tragœdias Canacen parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excœcatum, Herculem insanum. Tranq.

229. *Antigones.*) Hujus nominis fuit filia Laomedontis regis Trojanorum, quæ quum ausa esset Junoni se pulcritudine præferre, ab ea in ciconiam est conversa. Fuit etiam Antigone filia Oedipi, quæ patrem cœcum ductitavit, de hac frequens scripta fuerat tragœdia, de ea & Statius *in Thebaide*.

229. *Menalippes.*) Dionysius Halicarnasseus scribit Euripidem comœdiam fecisse τῆς σοφῆς Μελανίππης, id est de *sapiente Menalippe*, in qua comœdia Menalippes filios in patris stabulis exposuit; quam rem pater prodigium esse existimans, eos deliberavit adurere. Sed Menalippe dum vellet filios servare, philosophorum rationibus non esse monstrum ostendit. De hac fortasse intellexit, & Varro *lib.* 11. *de Re Rust.*

230. *Colosso marmoreo.*) Respexit ad Colossum, quem, ut scribit Tranq. centum & xx. pedum æreum erexit Nero in vestibulo domus aureæ, quæ statua eo mortuo, dicata fuit Soli mutato nomine: eam fabricavit Zenodotus accitus e Gallia. Plin. scribit *lib.* XXIV. *cap.* VII. statuarum moles turribus pares *Colossos* vocitatas. [*Gr.*] C. Hoc autem loco non de Neronis Colosso intelligit, qui non mormoreus, sed æreus (ut diximus) fuit, sed de statua Augusti. Tranquillus *de Nerone*: *Citharam autem ab judicibus ad se allatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit*: hoc nunc Poeta Neroni objicit.

231. *Quis Catilina tuis.*) Exemplo *Catilinæ* & *Cethegi* ostendit illos non appellandos esse nobiles, qui ex nobili orti genere, impie atque turpiter vivunt. Nam Catilina cum Cethego viro senatorio, & aliis nobilibus opprimendæ reip. consilium inierunt.

231. *Tuis natalibus.*) Tuo genere, Seneca *ad Lucil*: *Conditor ille juris humani non natalibus nos, nec nominum claritate distinxit.*

234. *Ut Braccatorum pueri*) paraverunt. *pueri Braccatorum*, id est posteri Gallorum, qui duce Brenno relictis ob sterilitatem agris suis, Italiam invaserant. Dicti a genere vestium, quas ad terrorem intonsas, & varii coloris ferunt. Græci, auctore Diod. *anaxyridas* vocant. Corn. Tacitus: *At Cæcinna, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod diversi coloris sagulo braccas barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur.*

235. *Quod liceat.*) Id facinoris commisistis, quod gravissimo supplicio mereretur puniri.

235. *Tunica molesta.*) Id est igne, & supplicio ignis. Seneca *ad Lucil. Cogita illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, & quicquid aliud commenta est sævitia. hoc enim genus supplicii excogitatum est, ut facinorosi homines igne, & tunica obvoluti cremarentur vivi.*

236. *Sed vigilat consul.*) Vos patriam quæritis perdere, qui nobiles vos esse dicitis; Consul vero, quem ignobilem putatis, ipsam tuetur, ac servat. sicque Poeta ostendit, non ex natalibus, sed ex recte factis virtuteque nobilitatem pendere, censendamque esse.

236. *Vigilat.*) Operam dat, ne Catilina & reliqui conjurati rempublicam perdant.

236. *Vexilla vestra.*) Conatus, & furores vestros.

237. *Hic novus Arpinas.*) Ignobilis, id est Cicero, quem vos *novum*, & *ignobilem* per contemtum appellatis, quum tamen constet, ut Plutarch & Euseb. scribunt, eum ex regio Volscorum genere esse ortum, matre Helvia, & patre equestris ordinis. Nam Romani eos, qui nulla majorum dignitate claruissent, *novos* soliti sunt appellare: unde Catilina invectus in Ciceronem, eum *novum* hominem nuncupat.

237. *Arpinas.*) *Arpinum* oppidum est Volscorum, patria Ciceronis.

237. *Modo Romæ.*) Quem modo & nuper in equestri ordine dicitis esse Romæ, non vetere & nobili genere. unde Sall. ita ignobilitatem objicit: *Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit.* Et paullo post: *Verum, ut opinor, homo novus Arpinas ex M. Crassi familia, illius virtutem imitatur.* Nam illos, ut diximus, Romani, qui sine majorum splendore per sese ipsos claruissent, in contemtum *novos* appellabant, & *inquilinos*, quasi qui alienas ædes incolerent.

238. *Eques municipalis.*) i. natus in municipio Arpino, sed Romæ in ordine equestri.

241. *Tituli*) honorum, qui non sine titulo & inscriptione vocantur in fastis, statuisque subscribuntur.

243.

245. *Sed Roma.*) Roma non habuit, unde Augustum Cæsarem, licet diversa bella tractasset, appellaret Patrem patriæ; sed habuit, unde Ciceronem appellaret: sic igitur commendat, quem Romani, ut ignobilem, vituperabant.

244. *Patrem patriæ.*) Primus fuit Cicero, qui tale cognomen meruit conservata patria in conjuratione Catilinaria, id postea cognominis ad Imperatores adulatione magis, quam merito delatum.

246. *Lassus aratro alieno.*) Ostendit Juvenalis non solum Marium aratorem fuisse, sed etiam agricolam mercenarium.

274. *Post hæc.*) Post agricolationem rebus bellicis se accommodavit. Sequutus enim est Romanorum castra, ut miles gregarius, quod indicat, quum ait illum versatum inter fabros ad dolanda ligna. Milites enim operibus fabrilibus exercebantur. Unde Martian. Jurisconsultus, titulo: *de re militari: Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum.* Fabri enim tignarii, carpentarii, ferrarii, idque genus artifices, ut docet Vegetius, castra sequebantur, nullius rei participes, nisi operis castrorum muniendorum. Marius, ut scribit Plutarch. obscuro genere ortus patrem Marium, matrem Fulcinam pauperes homines atque mechanicos habuit, vitam ab urbanis, lautisque vivendi moribus alienam, sed modestam, & priscis vivendi institutis egit in villa Civernate, quæ erat in agro Arpinati. militavit primo sub Scipione Africano Numantiam obsidente, ubi quum aliquando post cœnam de Imperatoribus sermo fieret, & quidam ex præsentibus sive serio, sive joco Scipionem interrogaret, quem talem ducem post illum pop. Rom. habiturus esset, Scipio percusso leviter Marii humero: *Hunc, inquit, hic præstanti virtute erit.*

247. *Frangebat vertice vitem.*) i. Vite pulsabatur a centurione in castris. Nam centuriones vitem gestabant ad milites in officio continendos. [*Gr.*] Livius *lib.* VII. loquens de Scipione inferiore: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit.*

248. *Pigra dolabra.*) *Dolabra* ferramentum est fabrorum ad *dolanda* ligna, unde & nomen deductum.

249. *Hic tamen Cimbros.*) Hic tamen Marius, quem vos ignobilem dicitis, vicit & Cimbros: Nam eos in Gallia apud aquas Sextias junctis Catuli proconsulis cum exercitu suo copiis delevit.

250. *Et solus.*) Non autem solus hostem superavit, sed una cum collega Catulo. Ceterum hoc ex historia. Nam, ut scribit Plutarchus, famam & gloriam hujus rei totam Mario propter primam victoriam adversus Teutonas, & Ambronas, & nomen imperii tribuebant, unde, auctore Livio, primores civitatis, qui aliquantulum, ut novo homini ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur, quasi ab eo *solo*, & non etiam a collega.

251. *Atque ideo.*) Ob talem victoriam factum est, ut collega nobilis Catulus Luctatius habuerit, unde triumpharet. quasi dicat, ex sudore hominis novi & ignobilis invenit nobilis, unde triumpharet. sicque nobilitatem cavillando virtutem extollit Marii. nam quum duo ei triumphi, primus scilicet ex Teutonis, secundus ex Cimbris offerrentur, ambos agere noluit. Et, ut in hujusmodi secundis rebus mansuetum se præberet, cum Catulo triumphare omnino instituit, formidabat enim milites, qui in ea dimicatione convenerant, ut si Catulus honore excluderetur, ipse quoque triumpho privaretur. Ea caussa fuit, ut Catulus secundum habuerit triumphum, sc. Cimbricum, quum uterque ei esset ab universo populo oblatus.

252. *Majora cadavera.*) Magno enim corpore, horrendisque oculis erant, & apud Germanos prædones appellabantur, auctor Plut. Cadaver autem dictum est a *cadendo*, non autem, ut quidam exposuerunt, quasi *caro data vermibus*, diciturque cadaver non solum hominum, sed omnium animalium atque etiam rerum inanimatarum.

254. *Plebejæ Deciorum animæ.*) Licet Decii ignobiles haberentur, quum in domum suam Decius pater primus consulatum detulerit, tamen opem patriæ tulerunt. [*Gr.*]

255. *Pro totis legionibus.*) Pro totius exercitus Romani salute.

257. *Sufficiunt.*) *Sufficere* dicimus ei, cui desiderium implemus.

257. *Terræ parenti.*) In cujus visceribus dicuntur ipsi esse inferi.

258. *Pluris enim Decii.*) Exemplo ergo Deciorum ostendit hominem sola animi virtute nobilem fieri: quod item exemplo Servii Tullii probat, qui in domo Tarquinii uxoris industria & consilio, tanta gratia apud populum Rom. vixit, ut quum interdum jactari voces ab juvene Tarquinio audiret, se injussu populi regnare, ausus sit ferre ad populum, vellent juberentve se regnare, unde tanto consensu, quanto haud quisquam alius ante, rex est declaratus.

259. *Ancilla.*) *Cornicularia*, fuerat enim ex *Corniculo* oppido Latii.

259. *Trabeam.*) Vestis fuit regum. Livius: *Servius cum trabea, & lictoribus prodiit.* Plin. *Trabeis usos accipio reges.* Eam scribit Dionysius Hal. *lib.* II. circumdistinctam fuisse purpura, sub tegmine puniceo, vestemque fuisse gentilem Romanis honorificam.

259. *Diadema.*) Erat autem pannus, quo, veluti fascia, reges caput sibi vinciebant. Seneca *ad Lucilium*

Vides illum Scythia Sarmatiæque regem insigni capitis decore: si vis illum æstimare, totumque scire, qualis sit, fasciam solve, multum mali sub illa latet. Valerius de Pompejo: *Cui candida fascia habenti crus alligatum, Favonius, Non, inquit, refert, qua in parte corporis sit diadema, exigua panni cavillatione, regias ejus vires exprobrans.* idem Valer. alibi: *Rex etiam ille subtilis judicii, quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, retentum diu consideraſſe, ac dixiſſe: O nobilem magis, quam felicem pannum.* Hæc ideo copiosius dixi, ut eorum opinio explodatur, qui diadema coronam regiam interpretantur.

259. *Quirini.*) hoc est insigne regium, quo Romulus, qui Quirinus dictus est, primus rex apud Romanos est usus.

260. *Fasces.*) Nam & his reges utebantur. Livius, Dionysius, Plutarchus, & Macrobius auctores.

260. *Juvenes ipsius Consulis.*) Exemplo filiorum Bruti, & Aquilii, aliorumque conjuratorum, qui nobili genere fuerunt, ostendit, ut supra exemplo Catilinæ & Cethegi, eos appellandos non esse nobiles, qui citra virtutem vivunt: pulsis enim Tarquiniis regibus, patricii juvenes, inter quos fuere filii duo Junii Bruti consulis, Marcus & Manlius Gelii, uxoris Bruti fratres, Livius & Marcus Aquilii, memores ejus licentiæ, quam sub regibus habuerant, conspirarunt in domo Aquiliorum de reducendis regibus. Conjurationem detexit Vindex Cæcinensis Aquiliorum servus: deprehensi juvenes pœnas dederunt, Bruto filiis suis non parcente: nam supplicium eorum constantiſſime juſſit, & spectavit. auctores Livius, Dionysius, Plutarchus, Plinius, & Florus.

263. *Deceret.*) Conveniret facere pro libertate, id est, pro libertatis conservatione, quam pater eorum ejectis regibus patriæ tradiderat.

263. *Dubia libertate.*) hoc est, quum libertas in ambiguo est, quum alii in oppugnanda, alii in tuenda laborent.

264. *Mutius*) Scævola, qui adolescens nobilis indigne ferens civitatem Romanam ab Hetruscis obsideri, quorum sæpe exercitus fudiſſet, abdito intra vestem ferro in castra hostium venit.

264. *Cum Coclite.*) Horatius Cocles eodem bello positus forte in statione pontis, quum Porsena irrueret, solus hostium impetum in primo pontis aditu sustinuit, donec a tergo pons interrumperetur. Tunc in Tiberim armatus desiliit, multisque super incidentibus telis incolumis ad suos tranavit. *Cocles* autem ob id est cognominatus, quod in alio prælio oculum amiserat. scribit Plin. *lib.* XI. eos *Coclites* appellari, qui altero lumine orbi nascerentur: unde & *Cyclopes* antiquus appellatos in Sicilia, quod solum oculum in fronte haberent, C. quos Romani errore forsitan linguæ Græcæ, *Coclites* appellarunt. S.

265. *Virgo*) Cloelia, quæ eodem bello inter pacis conditiones data Porsenæ inter obsides dux agminis virginum, deceptis custodibus, noctu castris egressa equum, quem sors dederat, arripuit & Tiberim trajecit.

265. *Imperii fineis Tiberinum.*) hoc est quæ natavit Tiberim, qui tunc imperii Romani finis erat, non enim tunc temporis Romani ulterius imperabant.

266. *Servus.*) Vindex Cæcinensis unus ex servis Aquiliorum. unde ille primum dicitur *vindicta* liberatus, *vindicta* ab eo denominata. Post illum observatum est, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.

267. *Matronis lugendus.*) Aut quem matronæ lugerent, ut filiorum suorum accusatorem, aut, quod magis placet, cujus obitum matronæ merito lugere deberent, tanquam qui conjurationem prodendo libertatem patriæ servaſſet, quo more Brutum, annum, ut scribit Livius, fleverunt, ut acrem violatæ pudicitiæ vindicem.

267. *Verbere.*) Nam nudatos nobiliſſimos juvenes virgis ceciderunt, securique percuſſerunt.

268. *Et legum prima securis.*) i. consulatus primus, qui fuit inter leges expulsis regibus. Nam antea reges sine legibus omnia arbitrio suo moderabantur. Ac per hoc Brutum intellige, qui primus regibus exactis creatus consul supplicium sumsit de filiis, reliquisque conjuratis.

269. *Malo pater tibi sit.*) Malo te ex humili genere ortum, modo virtutem amplexus sis, quæ veram homini nobilitatem largitur, quam ex claris majoribus & nihil facias dignum memoria & laude, unde nobilitas comparatur.

269. *Thersites.*) in castris Græcorum Thersites fuit, ut *in Iliade* scribit Homer. vir loquaciſſimus, qui nihil curæ haberet, quam recte, aut quam aperte, sed ut quam primum, & quam maxime ridicule loqueretur. Idem fœdiſſimus omnium, qui ad Trojam navigaverant, altero oculo strabone, altero pede claudo, anguſtiſſimis humeris & ad pectus contractis, vertice acuminato, raro capillo, & eo impetigine astricto: idem cum regibus contentionem agere solitus est aſſidue, eosque objurgare non honestatis utilitatisve gratia, sed ut scurram ageret.

270. *Æacida.*) Achilli Nepoti Æaci. Nam Æacus genuit Peleum, Peleus Achillem.

270. *Vulcania.*) Vulcanus Thetidis precibus, ut scribit Homerus, arma Achilli filio fabricavit.

271. *Et tamen ut longe.*) Non sine summa indignatione

tione hæc a Poeta dicuntur, ut sit sensus: Licet intumescas longo genere majorum, illud tamen scies originem tuam duci ab ignobilibus, ostendens omnes pariter Romanos humili loco ortos esse; quum aut a Pastoribus genus suum duxerint, aut ab hominibus sceleratissimis, qui ad asylum Romuli confugerant. Varro *de Re Rustica*: *Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quis non dicit? Quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum & Remum educavit, non ipsos fuisse pastores obtinebit, quod Palilibus potissimum condiderunt Urbem?*

273. *Infami asylo.*) hoc est infami genere hominum. Nam, ut docet Livius *lib.* 1. Romulus, ne vana esset urbis magnitudo, adjiciendæ multitudinis caussa, locum, qui tunc septus erat densis sentibus inter duos lucos asylum aperuit, in honorem Dei referens: sacrum enim esse voluit & inviolabilem. eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit, idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. Sicque per speciem religionis erga Deos sponsor factus est, eos, qui illuc confugissent, nihil detrimenti ab inimicis accepturos; & si apud se permanere vellent, civitatis etiam participes faciebat, tradebatque agri portionem, quem bello quæsierat, lege Dionysium. Asylum autem dixerunt ab α privativo & συλάω, quod est diripio. nullus enim illinc vi aliqua diripi poterat. hoc autem non fuit in omnibus templis, nisi quibus consecrationis lege concessum fuit. primo autem, ut docet Servius, apud Athenienses statutum fuit ab Herculis filiis, quos insequebantur hi, qui erant a patre oppressi, sicut docet Statius VII. *Thebaid.*

Fama est defensos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundasse nepotes.

Templum etiam Junonis in Urbe Troja appellatum fuisse Asylum ostendit Virgil. *Aen.* II.

Et jam porticibus vacuis Junonis Asylo,
Custodes lecti Phœnix & dirus Ulysses
Prædam asservabant. —

275. *Aut pastor fuit.*) Ut fuit Romulus & Remus, eorumque altor Faustulus.

275. *Quod dicere nolo.*) Tacet enim illum fuisse latronem, & latronum ducem, deinde etiam parricidam, Amulio avo & Remo fratre trucidatis. Livius *lib.* I. Lucanus:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri. C. S.

IN SATYRAM IX.

Scire velim, quare totiens.) Hac Satyra detestandum sui temporis flagitium insectatur. Multi enim abjecta omni honestate, quum jam barbati essent, uxoremque haberent, draucorum commercio utebantur pro se & uxore sua. Tale igitur genus hominum tota Satyra exagitat, pari modo notans & molles cinædos, & draucos ipsos. Sed quum Poeta liberiore stilo talem turpitudinem flagellet, illud omnino hanc Satyram interpretanti observandum est, ut quum turpia offenderit, summam adhibeat verborum modestiam, vitium in contemtum trahat, doceat talia, ut nefandissima, esse fugienda, nihil esse omnipotenti Deo nostro detestabilius. Sic enim legendo adolescentium mentes a vitiis resiliunt, virtutibus inhærent, & prava declinantes recta sequuntur. Introductum igitur Nævolum, qui in tali turpitudine cinædis operam præstabat, quasi per dialogum interrogat, cur tristis sit, & is respondens avaritiam sui temporis accusat, conqueriturque pro laboribus suis præmia non rependi a cinædis, nec ab iis, quorum uxoribus operam præstitit. Sicque Poeta Satyrico veluti dialogo nefanda sui temporis vitia insectatur.

2. *Fronte obducta.*) Caperata, & in rugas contracta.

5. *Nos calaphum.*) Legendum est, quasi per acclamationem Poetæ, ex quo rei turpitudinem ostendit, quasi diceret: Tam turpia fiunt per totam Urbem, & sine ulla peccantis castigatione: verum si servus crustula comedit, statim eum verberamus, & acriter castigamus. Sicque Poeta docet miram esse mortalium cæcitatem, qui leviora crimina notent & puniant, graviora vero impunita relinquant.

5. *Crustula.*) Servius differentiam facit inter *crustam* & *crustum*, ut *crusta* sit eorum, quæ non comeduntur, ut crusta marmoris. Virgilius:

— *Currenti in flumine crustæ.*

Crustum, vero eorum, quæ comeduntur. Virgil.

— *Patulis nec parcere quadris*
Fatalis crusti. —

Horat. in *Satyris*:

— *Dant crustula blandi*
Doctores, elementa velint ut discere prima.

7. *Pollio Crepereius.*) Pollionem, ut luxuriosum, & nepotem sugillat, qui, absumtis opibus, mutuo & in fœnus cogebatur pecuniam quærere, quod non faciebat sine magno pudore, & frontis contractione: ob pristinam

nam fortunam, a qua ob gulam dejectus erat.

8. *Non invenit fatuos.*) hoe eft, qui revera fatui fuiſſent, ſi dediſſent mutuo, quod ad ſe non eſſet rediturum.

9. *Tot rugæ.*) Tanta vultus triſtitia, quæ per rugas oſtenditur.

9. *Certe modico.*) Occurrit tacitæ reſponſioni: poſſet enim dicere, paupertas mihi moleſta eſt, & proinde triſtis ſum. ait ergo: Certe ita contentus modico vitam per ſummam hilaritatem agebas, ut *vernas* prorſus hilaritate vitæ referres: nam *vernæ* utpote in domibus potentiorum nati & nutriti, miræ dicacitatis erant. Differt autem *verna* a ſervo, quod ſervus is ſit, qui aut bello captus, aut ære paratus in poteſtatem noſtram venit. *Vernæ* vero, qui ex ancillis naſcuntur domi. nam & ii in ſervitute ſunt.

10. *Vernam equitem.*) Ita hilare vivebas, iiſque jocis, ut *verna eques* videreris. Sic enim Romani *vernas equites* per jocum nominavere. Martial.

Quirinalis futuit ancillas,
Domumque & agros implet equitibus vernis.

Idem alibi:

Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis eques cataſtis.

10. *Facetus.*) Scribit Quintilianus *facetum* non tantum circa ridicula conſiſtere, ſed etiam eſſe appellationem exculte cujuſdam elegantiæ, unde Horat.

— *Molle atque facetum.*

10. *Mordente.*) Per *jocum mordentem* intellexit dicacitatem, quæ proprie ſignificat ſermonem cum riſu aliquos inceſſentem.

11. *Vehemens.*) Valde promtus.

11. *Intra pomœria.*) Eos *ſales* intelligit, qui auctore Fabio *urbanitas* dicuntur, qua ait ſignificari ſermonem præferentem in verbis, & ſono, & uſu proprium quendam guſtum Urbis, & ſumtam ex converſatione doctorum tacitam eruditionem, cui contraria ſit ruſticitas.

11. *Pomœria*) dicunt, quaſi *poſt mœnia.* Nam, ut ſcribit Liv. ſpatium, quod neque arari fas erat, non magis quam quod murum poſt id eſſet, *pomœrium* Romani appellavere.

12. *Siccæ.*) Non unguentatæ: nam & capilli, totumque caput unguento fovebantur. Martialis:

Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea ſerta caput.

Plaut. in Caſina: *Unde hic amabo unguenta olent, oh perii! Ceſſo caput pallio detergere.*

14. *Calidi viſci.*) Hoc dicit, quia, ut ſcribit Plinius *lib.* XXIV. *Viſcum cum reſina, & cera, panos in ante mitigat omnis generis.* tali igitur remedio facies reddebatur nitidior.

15. *Sed fruticante.*) Notat molliciem, turpitudinemque ſui temporis. Nam cinædi, ut molliores viderentur, crura & brachia ſibi depilabant.

16. *Ægri veteris.*) Valetudinarii hominis, qui morbo diutino laboraverit.

18. *Deprehendas animi tormenta.*) Sentio perfecto te gravi cura vexari. Nam facile unusquiſque deprehendat animi perturbationes ex habitu corporis, & curas & gaudia.

19. *Utrumque habitum*) & mœroris, & gaudii.

20. *Inde.*) ex animo, i. ex affectibus latentibus in animo, gaudio & mœrore.

21. *Flexiſſe.*) In aliam partem vertiſſe, & mutaſſe.

21. *Vitæ priori.*) Quam agebas multis jocis & ſalibus.

22. *Nuper enim.*) Dum oſtendit Nævolum fuiſſe mœchum & pædicouem notiſſimum, notat adulteria aliaque flagitia ſui temporis, quæ in tantum adoleverant, ut tota fere civitas corrupta contaminataque foret.

22. *Fanum Iſidis.*) In templis, & in primis Iſidis, frequentia committebantur adulteria. *Sat.* VIII.

— *Iſiacæ ſacraria lenæ.*

23. *Palatia.*) id eſt templum exſtructum in palatio. Livius *lib.* XXXIX. *Et ædem magnæ Matris in palatio faciendam locaverunt.*

23. *Secreta.*) quæ tantum a ſacerdotibus curentur: ſunt enim omnia Deorum ſacra myſtica.

24. *Cererem.*) Templum Cereris, quod erat ad circum maximum, ut docet Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XI.

24. *Nam quo non proſtat.*) Hæc leguntur per parentheſin, & ſummam indignationem, oſtendit autem pudicitiam non modo in locis profanis, ſed ne ſacris quidem eſſe tutam, hocque maxime dicit, quia Cererem nominavit, in cujus templo ſolebant eſſe tantum caſtæ matronæ, in quo nunc adulteria committuntur. Ovidius *lib.* IV. *Faſtor.*

Sed ſi thura aberunt, udas accendite tædas:
Parva bonæ Cereri, ſint modo caſta, placent.

25. *Aufidio.*) Aufidius taxatur, ut nobilis adulteriis, matronarum corruptor.

26. *Quod taceo.*) Occupatio.

28. *Pinguis.*) Craſſioris lanæ, & fili.

26. *Munimenta.*) quæ ſuperinduuntur togæ. Mart. in *Diſtich.*

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Quum tegit albentes noſtra lacerna togas.

Toga autem communis fuit veſtis Romanorum, nulla inter eos diſcretione, unde Virgil. eos appellavit gentem

tem togatam, sed postea remansit in pauperibus & clientibus.

30. *Pectine.*) *Pecten* instrumentum est, quo stamen calcatur in texendis pannis, & linteis.

30. *Textoris Galli.*) Nam Galli viliores crassioresque vestes conficiebant. Mart.

— *Me pinguis Gallia vestit.*

31. *Tenue argentum.*) Tenuem laminam, aut aliquid ex tenui exiguoque argento, ut ligula.

31. *Venaque secundæ.*) Ita dictum, sicut dicimus panem secundarium, quem alio vocabulo *cibarium* appellamus, qui bonitate sit inferior, quam qui sit ex prima farina.

32. *Fata regunt homines.*) Hoc dictum a Nævolo cum suspirio & querela, ut dicat Deos, qui rerum omnium moderatores sunt, sibi adversos existere: nec quenquam in opere suo optatum exitum sortiturum, cui Dii propitii non fuerint.

32. *Fatum est & partibus illis.*) Necesse est & illum fata sibi propitia habere, qui inhonestæ voluptati inservit. nam & res illa ex fato, & sideribus pendet.

35. *Spumanti labello.*) Quum enim appetunt, labra movent, titillatu pruriginis.

35. *Virro.*) Nomen divitis adamantis sibi draucos, alibi pro divite tantum ponitur:

Virroni muræna datur. —

35. *Te nudum.*) ac per hoc etiam bene mentulatum. Nam in balneis dabatur occasio inspiciundi, qualis quisque esset.

38. *Ulterius monstrum.*) i. pejus. Unde dicimus *ultima vitia*, i. extrema & pessima, quasi ultra quæ non possis progredi. C. Et *postremos homines* appellavit Cicero, i. nequissimos. S. verba sunt adhuc Nævoli conquerentis de avaritia cinædi.

39. *Hæc tribui.*) Verba Virronis recitata a Nævolo ponentis calculum rationibus suis cum Nævolo.

40. *Cavet.*) Aliqui legunt, *& cevet.* ut sit, Cinædus in draucum avaritia utitur, & tamen in re turpi perseverat. Nam *cevere* est in obscœnis:

— *Ego te ceventem, Sexte, verebor*

quod si legas: *atque cavet*, erit sensus *computat*, *atque cavet* sibi, ne in computatione decipiatur.

40. *Ponatur calculus.*) id est, subducatur ratio expensi & accepti. *calculus* autem brevis est lapillus, quo ratiocinatores utuntur in rationum computatione. possunt esse verba Nævoli indignantis, munera quæque sibi numerari & proinde prorumpentis, *ponatur calculus.*

42. *Omnibus in rebus.*) Ex omnibus, quæ mihi tribuisti non plusquam quinque sestertia fuerunt, sed numerentur labores mei, quos invenies longe majores, quam munera tua.

44. *Legitimum.*) convenienti magnitudine.

46. *Sed tu sane.*) Ironicos hoc dicit, ut ostendat nullam sibi fuisse voluptatem, quum esset jam grandi ætate, & totus hirsutus.

48. *Vos.*) O divites cinædi. Est enim interrogatio ad divites cinædos, & argumentum a minori ad majus. i. si draucis nihil datis, qui voluptati vestræ cum maximo suo labore inserviunt, nihil est, quod pauperes clientes à vobis sperare possint.

48. *Assecla.*) ii sunt, qui spe alicujus emolumenti divites sequuntur.

49. *Cultori.*) Clienti. C. nam *clientes*, a colendo dicti sunt, quasi *colentes*. S.

48. *Morbo.*) Hoc est prurigini vestræ, id est, ipsis draucis, qui morbo vestræ libidinis succurrunt. utrum sint verba drauci, an Poetæ ignoro.

50. *En, cui tu viridem umbellam.*) Verba possunt esse tam drauci, quam Poetæ subsannantis per irrisionem ipsum cinædum, cui tanquam muliereculæ mittebantur munera a draucis, quum contra ipse nimia ingratitudine nihil referret. Ut sit sensus, & dissuasio: nihil cinædo tam ingrato esse donandum.

50. *Umbellam.*) Velum erat, quo præsertim mulieres utebantur ad arcendum Solem. Martialis:

Accipe, quæ nimios vincant umbracula soles,
Sit licet & ventus, te tua vela teget.

50. *Succina*) Electra dicuntur, a *succo* arborum, unde desudant. *Succinis* mulieres delectabantur. Plin. *lib.* XXXVII. *Proximum locum in deliciis fœminarum tamen adhuc tantum succina obtinent, eandemque omnia hac, quam gemmæ auctoritatem.*

51. *Madidum ver incipit.*) i. quotiens venere Kalendæ Martiæ, quo tempore incipit ver & frequentes sunt pluviæ. Kalendis igitur Martiis munera mulieribus mittebantur ab amicis, sicuti mense Decembri quinque diebus viris, quo tempore *Saturnalia* celebrabantur. Et quemadmodum mulieres Kal. Martiis servos cœna excipiebant, tanquam exhortantes eos ad insequentis anni operam, sic & viri in *Saturnalibus* servos in cœnam admittebant, tanquam eis gratias agentes operæ toto anno navatæ. unde Tibul. in primo limine *lib. ad Nearam*:

Martis Romani festæ venere Kalendæ,
Exoriens nostris hic fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa,
Perque vias Urbis munera perque domos.

& Martial. *lib.* v. ad Gallam:

Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

Mulieres autem kalend. Martias colebant in memoriam belli cum Sabinis compositi: nam tali die Sabinæ mulieres bella sedarunt. Horat.

Martiis cælebs quid agam Kalendis?

52. *Et tractas.*) Legendum est *tractat*, & non *tractas*, ut sit sensus. En cui tu mittas umbellam, quoties natalis redit. Et ipse potius in cathedra strata tractat munera secreta fœmineis kalendis. *Tractat* ergo, i. manibus pertractat, tanquam fœmella.

52. *Cathedra strata.*) id est, sella tapetibus ornata, quasi sede mulieres sedentes munera exspectabant ab amicis, & amatoribus.

53. *Secreta.*) quæ non vult ab aliis videri, ut pudenda muliebriaque. Nam & ipse cinædus tanquam fœmina sedet, exspectans dona ab amatoribus.

53. *Fœmineis Kalendis.*) Martiis, quæ, ut dictum est, a mulieribus tantum colebantur.

54. *Dic passer.*) Insultat ejus mollitiei pariter & avaritiæ.

55. *Tot milvos.*) Tot tua pascua, in quibus ambiendis *milvi* volando defatigantur. Imitatio est Persii:

Dives aras Curibus, quantum non milvus oberret.

56. *Te Trifolinus ager*) in Campania. Plinius *lib.* XIV. *cap.* VI. *Vina Trebellica appellarunt ad quartum a Neapoli laqidem, & juxta Capuam Caulina, mox Trifolina.*

57. *Suspectum.*) quod imminet Cumis, & quod a Cumis *suspicitur*. de Miseno videtur intelligere. nam vicinum est Cumis. Strabo: *Proximum est Cumis Messeuum promontorium.*

57. *Gaurus.*) Mons Campaniæ non longe a Bajis prope lacum Avernum. de quo Lucan.

— *Vel si convulso vertice Gaurus*
Decidat in fundum. —

Plin. *lib.* XIIII. *cap.* VI. *Certant Massica æque ex monte Gaurano Puteolos Bajasque prospectantia.*

57. *Inanis.*) Concavus, ut est natura montium.

58. *Plura linit.*) Plura recondit in cella vinaria. *Linit* autem, i. gypsat. Nam vasa vino repleta consuevere pice aut gypso obturari, ne vina exhalarent. Unde est illud Persii:

Seriolæ veteris metuens deradere limum.

i. *gypsum*, aut *picem*. Colum. *lib.* XII. *Nam oportebit post hunc numerum dierum confestim vinum emundare. & si quid faecis, aut labris vasorum, aut lateribus hæsit, eradi, ac suffricari, & protinus operculis impositis oblini.* Horat.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum levi. —

hoc est gypsavi. Huic contrarium est Terentianum illud: *Relevi dolia omnia, atque omnes feras*, quod significat: aperui, & quasi regypsavi.

60 *Meliusne hic rusticus infans.*) Majus profecto erit lucrum, quod faciet puerulus rusticus, qui pauperimus est, & aliud nihil habet, quam matrem & casulam & catellum, qui deferat nuncios sacerdoti Cybeleio, quam ego facio. *Heic*; Romæ, *melius*, cum majori emolumento: *legatus*, id est, internuncius, & veluti leno *amici pulsantis cymbala*, id est, sacerdotis Cybelei, qui sacerdotes rebus spurcis, & venereis deditі erant. nam patiebantur muliebria, ut molles, & eunuchi possit etiam legi *næ*, pro certe, & valde.

63. *Improbus.*) Verba cinædi. id est, insatiabilis es. Virg. *Improbum anserem* appellat insatiabilem.

63. *Sed pensio clamat.*) Verba sunt Nævoli. *Pensio*, id est, æs alienum, quod mihi pro domicilio meritorio pendendum est, *clamat* & urget, ut poscam a te. *pensio* a *pendendo* dicitur: nam apud antiquos omnis pecunia pendebatur. appellat autem *pensionem*, quæ pro locis conductis solvitur. Martialis *lib.* III. ad Gargilianum:

Unde tibi toga est, & fuscæ pensio cellæ.

Capitur etiam pro ipsa in omni re solutione, ut illud apud Liv. *lib.* XXXIX. *Decreverunt consules, ut tribus pensionibus ea pecunia solveretur*, hoc est tribus enumerationibus, sive solutionibus.

64. *Sed appellat puer unicus.*) Puer ita unicus est, ut fuit acies unica Polyphemi. quasi diceret, qui solus mihi satis non est, sicuti acies unica non satis fuit Polyphemo. nam si duas habuisset, Ulyxes non evasisset.

65. *Acies lata.*) Latus oculus. *acies* autem, proprie, ut docet Cic. *de Natura Deorum* dicitur ipsa pupilla.

68. *Scapulis.*) Terent. *Dum studeo esse fidelis, amisi scapulas.*

68. *Mense Decembri.*) Illud observandum est dici *mense Decembri*, & mense Januario, & non, mense Decembris & Januarii.

69. *Durate.*) Verba sunt Nævoli, & non avari, C. sic Virg. *Æneid.* I. *Durate, & vosmet rebus servate secundis.* nam quæ *dura* sunt, difficile franguntur, idcirco durant, & vim melius ferunt. S.

70. *Verum, ut dissimules.*) Esto, ut fingas te ignorare reliqua, quæ in te contuli, beneficia, quanto precio metitis, i. quanti facis, quod ego feci tibi gravidam uxorem.

72. *Virgo maneret.*) Sed eam tibi implevi, & ut mulier esset, effeci.

75. *Tabulas.*) quibus inter se convenerant in matrimonium.

76. *Signabat.*) i. alias tabulas jam erat signatura, cum alio viro.

81. *Quæ prima.*) Tam multa in te contuli beneficia, ut non possis dicere, ego volo hoc esse ultimum præmium laboribus Nævoli, quum nunquam possis satisfacere.

81. *Nul-*

81. *Nullum ergo meritum.*) Occurrit tacitæ objectioni. posset enim dicere avarus, merita ejus nulla esse. An non, inquit, hoc est meritum maximum, quod quum ipse non posses ex uxore suscipere liberos, ego vicem tuam suppleverim, ut inde tibi nati sint liberi?

84. *Tollis.*) Educas tanquam tuos. Terent. *Quicquid peperisses, decreverunt tollere.*

85. *Argumenta viri.*) i. filios, qui fidem faciunt & indicium. Plin. *Cibi nulla argumenta*, i. nulla indicia.

85. *Libri Actorum.*) Nomina liberorum in publicis civitatis monumentis describebantur. Apul. 11 *Apologia*: *Pater ejus natam sibi filiam more ceterorum professus est.* Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domi asservabantur, quam consuetudinem servant adhuc Veneti. possumus etiam intelligere privatos libros, in quibus parentes acta sua perscriberent, inter quæ & nomina liberorum, unde Servius *in* 11. *Georg.* exponens illud: *Populi tabularia vidit*; scribit in templo Saturni, ubi erat ærarium, solita fuisse reponi acta, quæ susceptis liberis faciebant parentes.

85. *Suspende coronas.*) in signum lætitiæ. ornabantur enim fores domus coronamentis frondibusque. Alibi: *Pone domi lauros.*

85. *Dedimus quod famæ.*) i. dedimus tibi filios, quibus potes ostendere te esse & virum & maritum, ac per hoc detractorum famam exstinguere, qui te muliebrem & cinædum dicebant.

87. *Propter me scriberis hæres.*) lege Papia [*Gr.*] Quam legem postea abrogarunt Arcadius & Honorius Imperatores, titulo *de infirmandis pœnis cœlibatus.* C. S.

88. *Legatum omne capis.*) Beneficio meo factum est, ut possis scribi hæres omnium legatorum, quum antea obstantibus legibus tibi non liceret. *Legatum* appellatur, ut definit Modestus, quædam donatio testamento relicta.

88. *Et dulce caducum.*) Testamentum caducum, ut legitur apud Jurisconsultos codice de *Testamentis* dicitur, quod sub *conditione* fit, a *condendo*, quod ea deficiente, vel vivo, vel mortuo testatore id cadat, perveniatque vel ad testatorem, vel ad substitutum eo mortuo, vel quod ab uno cadit in alterum per hæreditatem. C. Justinianus Imper. postea & nomen & materiam *caducorum* sustulit, Cod. *lib.* VI. *Titul. De Caducis tollendis.* S. Capis & caducum legatum, id quod sine liberis capere non poteras, id enim in te cadet, quod non exspectabas: *Dulce* autem appellat, quod ex insperato contingit.

90. *Si numerum, si tres implevero.*) Si tres ex uxore tua suscepero filios. Nam qui in urbe tres filios, quinque in Italia, septem in provinciis habuisset, immunitate donabatur, quam plerique etiam sine uxore & liberis ab Imperatoribus impetraverunt. Quod & Martialis, quum esset sine liberis, petiit, impetravitque a Domitiano, ut docet carmine suo:

> *Quod fortuna vetat fieri, permitte videri:*
> *Natorum genitor dicar ut esse trium.*

Et alibi ad uxorem:

> *Natorum mihi jus trium roganti*
> *Musarum precium dedit mearum,*
> *Solus qui poterat, valebis uxor:*
> *Non debet domini perire munus.*

Idem alibi:

> *Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque,*
> *Natorumque dedit jura paterna trium.*

Qui ergo *jus trium liberorum* habuissent, multa consequebantur præter ceteros commoda. unde Appianus & Tranquillus scribunt in divisione agri Campani Julium Cæsarem jussisse agros, qui circa Capuam ceteris fuissent cultiores, & feraciores, patribus dividendos esse, quibus *trium liberorum jus* adesset: quo facto concurrisse ad XX. hominum millia, qui trium liberorum alimenta deposcerent. Idem tradit, tesseram frumenti triplicem solitos accipere. & in petitione magistratuum non habentibus filios eo numero anteponebantur.

90. *Justa doloris Caussa tui.*) Possunt esse verba Poetæ, quasi dolentis casum Nævoli: possunt etiam referri ad ipsum Nævolum sui ipsius miserescentem. *Dolor* est motus asper in corpore a sensibus alienus. Cicer. II. *Tusculan.*

91. *Ille*) dives avarus.

92. *Negligit.*) nihil dat.

93. *Hæc soli.*) Verba Nævoli ad Poetam, ut taceat.

96. *Qui modo secretum.*) Cinædus, qui secreto opera mea usus est, timens, ne publicetur, odio me prosequitur, & cædem mihi omnibus modis machinatur.

96. *Ardet.*) Indignatione & ira accenditur.

97. *Sumere ferrum*) ad occidendum.

98. *Candelam opponere valvis.*) id est, domum accendere adhibita candela. hoc magis placet, quam ut intelligas candelam per inferiora immissam: illud enim minime letale esset supplicium.

99. *Nec contemnas.*) quod dico.

100. *Annona veneni.*) id est ipsa veneni merces & copia nunquam est cara hujusmodi divitibus & cinædis, quia impensæ non parcunt.

101. *Ut curia Martis Athenis.*) fac, non minore silentio hæc tegas, quam consilia sua tegit senatus Atticus.

101. *Curia martis.*) id est Areopagus, ubi teste Polluce, judicia cædis, vulnerum & veneficiorum per populum exerceri solita sunt. Plinius *lib.* VII. *Judicium capitis in Areopago primum actum est.* Ibi enim Mars, ut docet Divus Augustinus *lib.* XVIII. *cap.* X. quum homicidii crimine reus fieret judicantibus duodecim

Diis

blematis & Festus post Apulejum, qui putat ex temuribus eum, qui posteriorum suorum curam sortitus pacato & quieto numine domum possidet, *Larem* dici. Eum vero, qui propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus in terra, vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, *larvam* dici. lemurem autem volebant esse animum, quum ex corpore nostro migrasset. Hinc autem ortam esse originem colend Lares in domo ostendit Servius, quia homines apud majores in suis domibus sepeliebantur, quos pro Diis colere, & venerari cœperunt.

143. *De grege Mœsorum.*) id est, de grege servorum, quales habebantur ex *Mœsia*. Est autem *Mœsia*, ut Plinius docet *lib.* III. provincia Pannoniæ finitima, ad Pontum usque cum Danubio decurrens. Ex qua venerunt, qui in Asia, ut tradit Artemidorus, habitant juxta Bithyniam supraque fontes Cayci. De quibus Strabo *lib.* XII.

143. *Locata.*) Supposita ad ferendam lecticam, aut revera, qui eum in circo succollantes ferrent, neque enim lectica a duobus tantum servis gestari potuisset, sed a sex vel octo, unde *hexaphorum*, & *octophorum* appellata est lectica.

144. *Circo clamoso.*) Propter populi clamorem, & plausum faventis aurigis.

145. *Cælator.*) qui mihi vasa preciosa cælet.

147. *Votum miserabile.*) Verba Nævoli votum suum damnantis, estque veluti acclamatio, quasi qui errorem suum jam cognoscat.

149. *Affigit ceras.*) Sirenes tres filiæ Acheloi ex Calliope musa finguntur a Poetis, quæ in litore Campano habitantes, nautas propter ea loca navigantes, suavitate cantus in somnum & scopulos inducebant, cogebantque facere naufragium. unde Ulysses, ut scribit Homerus *lib.* XII. *Odyssee*, quum juxta ea littora esset navigaturus, a Circe admonitus, aures sociis suis cera obturavit, se autem malo manibus & pedibus alligari jussit apertis auribus, imperans, etiamsi innuerit, ne solveretur.

IN SATYRAM X.

Omnibus in terris.) Hæc Satyra Juvenalis insectatur stulta hominum vota, qui mentis affectibus inservientes a Diis multa petunt tanquam bona, quæ eis maxime sunt perniciosa. Ait ergo Poeta, homines adeo ignorantiæ profundo immersos, ut pauci existant, qui vera bona, malaque cognoscant, & proinde fieri, ut pro bonis mala sibi optent: colligitque a Diis, aut nihil omnino petendum, quum ipsi multo melius, quam nos sciant, quid nobis expediat: aut id tantum petendum, ut mens sana sit in corpore sano.

2. *Gangem.*) id est Orientem. *Ganges* Indiæ fluvius est, quem alii incertis fontibus, ut Nilum, rigantemque vicina eodem modo, alii in Scythicis montibus nasci dixerunt. in eum decem & novem amnes influunt. Plin. *lib.* VI.

3. *Vera bona.*) Quia multa sunt, quæ bona videntur, quum tamen non sunt.

3. *Diversa.*) Contraria, id est, mala.

3. *Illis*) bonis.

3. *Remota nebula Erroris.*) i. remota animi nostri cœcitate, qui mala devinctus cupiditate transversus fertur. Unde Valerius: *Etenim densissimis involuta tenebris mortalium mens, in quam late patentem errorem cæca precationes tuas spargis.*

3. *Timemus.*) ut malum.

5. *Cupimus.*) ut bonum.

5. *Dextro pede.*) Secundo & prospero conatu. Nam *pede dextro* id dicimur facere, quod nobis prospere cedit, contra *sinistro*. unde Apulejus in *Met. Sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est.*

5. *Concipis.*) Verbum est votis conveniens, dicimus enim *vota concepta*, quæ mente *concipimus* & agitamus. *quod concipis*, id est animo tuo optas.

8. *Nocitura toga.*) Adeo homines longe sunt a cognitione veri boni, ut plerunque petant, quæ omnino eis sunt nocitura, & domi, & militiæ. alii enim reipub. administrationem, alii rei militaris imperia expetunt, & multa id genus, quæ ipsis exitium afferunt.

8. *Toga.*) Nam per *togam* intelligimus res urbanas, unde Cic.

> *Cedant arma togæ.* —

& Juvenalis:

> *Tantum igitur muros intra toga contulit illi*
> *Nominis & tituli.* —

9. *Et torrens dicendi copia*) petitur, id est eloquentia, periphrasticos.

9. *Multis.*) Multi eloquentiam optant, sed multis mortifera est, & perniciosa, ut fuit Demostheni & Ciceroni, de quibus inferius.

9. *Torrens.*) Ingens, & abundans: unde inferius de Demosthene:

Torrentem & pleni moderantem frana theatri. sumta translatione a *torrente*, hoc est fluvio, qui magno rapitur impetu.

10. *Viribus ille.*) id est alius. Ostendit enim & vires homini quandoque esse perniciosas. Respexit autem ad Milonem Crotoniensem, quem ferunt egisse omnia, supra quam homo valet: de quo & hoc proditur, quod ictu nudæ manus, taurum fecit victimam: eum solidum, ea, qua mactaverat, die humeris solus gestavit, non gravatim. Exitum autem habuit vitæ miserandum. quum enim jam natu grandis athleticam desiisset, iterque solus per loca faceret silvestria, quercum vidit patulis ramis in media parte hiantem. tunc volens experiri an vires sibi adhuc superessent, immissis in arboris scissuram digitis, quercum deducere ac rescindere conatus, mediam discidit. moxque viribus cessantibus, & in naturam suam arbore redeunte, retentus & captus, se feris præbuit lacerandum. de hoc Gellius, Valerius, Solinus: Plinius, & Strabo. Ovidius *in Ibin:*

Utque Milo robur deducere fissile tentes,
Nec possis captas inde referre manus.

11. *Sed plures nimia.*) Multa exitiosa petuntur, sed divitiæ maxime, quæ inter alia petuntur, plures occidunt, & quanto quis plura possidet, tanto magis exitio est obnoxius.

14. *Balæna Britanica.*) Bene autem *Britannicam* nominavit, quia in Oceano Britannico, ut *lib.* IX. testatur Plinius, tales belluæ majores spectantur, Græci *phalenam* appellant. Festus autem Pompejus eandem *pistricem*, & *cetum* putat.

15. *Temporibus diris.*) Ostendit Poeta exemplo Cassii Longini, & Senecæ, divitias homini sæpe perniciosas esse. nam quo tempore Nero imperabat, Cassium Longinum jussit interfici, hac una ex caussa, quod in vetere gentili stemmate, Cassii Cæsaris percussoris imaginem retinuisset. Sed Juvenalis innuit, Longinum interfectum, quod ejus opibus Nero inhiaret. eadem etiam caussa Seneca coactus est mori.

16. *Senecæ prædivitis.*) Nam Seneca opes vel invidiosas possedit, de quibus Corn. Tacitus: *Festus Ruffus, & Tigillinus variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes, & ultra privatum modum evectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentia, quasi principem supergrederetur.* Seneca quoque apud eundem Tacitum, alloquens Neronem: *At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti, adeo ut plerunque intra me ipse volvam, egone equestri & provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror? Ubi est animus ille modicis contentus, tales hortos exstruis? & per hæc suburbana incedit? & tantis agrorum spatiis tam lato fœnore exuberas? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui.* C. Seneca quarto Imperii Neronis anno sestertium millies possedit, ut Tacitus refert *lib.* XIII. id est coronatorum sive scutorum aureorum septuagies quinquies centum millia. quid putamus quatuor reliquis annis accessisse? nam octavo Neronis anno periit vir sapiens & moderatus. S. Demum finis vitæ ejus fuit. quum enim ex Campania remeans in agro suburbano apud quartum lapidem substitisset, illuc jussu Neronis propinqua vespera Sylvanus tribunus prætoriæ cohortis venit, & villam globis militum sepsit, intromisitque unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. quo accepto brachia primum ferro percussit, mox crurum, & poplitum venas abrupit, illatusque balneo, & vapore ejus exanimatus sine ullo funeris solenni crematur.

17. *Aedes Lateranorum.*) Nam & *Plantium Lateranum* consulem designatum Nero adeo propere interfici jussit, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret, manu autem Thurii tribuni trucidatus est.

18. *In cœnacula.*) Raro fit, ut pauperibus & inquilinis, qui conductis cœnaculis habitare consueverunt, cædes paretur. *Cœnacula* autem antiqui & *cœnationes* loca appellaverunt, ubi *cœnabant*, sed postquam, ut scribit Varro *de L. L.* in superiori parte cœnitare cœperunt, superioris domus universa ædificia *cœnacula* dicta sunt. Nec mirum. nam & *pistrinum* veteri vocabulo adhuc nominamus, in quo grana molis versatilibus teruntur, quum antea tantum ante usum molarum in pilis *pinserentur*, unde & nomen. simili modo dicimus veteri nomine *loricam*, quæ ferro modo constat, quum antea e *loris* conficeretur, a quibus & nomen. unde Fest. scribit *cœnacula* dici, ad quæ scalas ascenditur, cui astipulatur Apul. *lib.* IX. *Metamorphos. Meque per scalas complicitis pedibus in superius cœnaculum attracto.* Plaut. *in Amphitryone: In superiore qui habito cœnaculo.* Tranquillus *in Augusto: Ipse Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat.* Livius *lib.* IX. *Cœnaculum super ædes datum est scalis ferentibus in publicum obseratis.* Ea autem cœnacula, utpote divitibus incommoda, inquilinis locabantur., de quibus alibi ante sensit:

Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.

20. *Contum.*) Lignum cuspidatum, quo nautæ utuntur ad explorandam fluminum altitudinem. Juvenalis supra:

Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras.

22. *Latrone.*) *Latrones* antiqui, auctore Festo, eos dicebant, qui conducti militabant, quasi λατρεύοντες, id est *servientes.* aut nunc viarum obsessores dicuntur,

quod

quod a *latere* adoriuntur, vel quod insidiantur *latenter*.

25. *Sed nulla aconita.*) Attende periculum, quod divitibus imminet, sæpenumero enim venenis tolluntur.

26. *Fictilibus.*) A pauperibus, qui *fictilibus* utuntur.

26. *Gemmata.*) Quum in maximis eris divitiis, ita ut poculis gemmatis utaris, aureis enim calicibus gemmas, & præcipue smaragdos inserebant. Martial.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Aspice, quot digitos exuit iste calix.

& Juvenalis ante:

Nam Virro, ut multi, gemma ad pocula transfert
A digitis. —

26. *Setinum.*) Vinum est Campanum, a *Setia* denominatum. Martialis:

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab Urbe cados.

28. *Jamne igitur laudas.*) Quum homines ferantur tam præcipites, & tam multis agitentur incommodis, propter stulta vota & cupiditates; nonne igitur existimabis Heracliti & Democriti sanum fuisse judicium, qui contrariis animi affectibus, eorum cæcitatem & vitia damnavere? Seneca de *Tranq. Vitæ*: *Democritum potius imitemur, quam Heraclitum. Hic enim, quotiens in publicum processerat, flebat, at ille ridebat. Huic omnia, quæ agimus, miseriæ: Illi ineptiæ videbantur.* hinc Democrito, ut tradit Suidas, inditum fuit nomen Gelasini.

34. *Quanquam non esset*) Multo magis risisset, si tantæ tunc vanitates exstitissent.

35. *Prætexta & trabeæ.*) id est talia magistratuum insignia, qualia habent Romani. prætextam enim & sellam curulem, lictoresque, & togam pictam, quæ insignia Hetruscorum magistratuum erant, Tullus Hostilius Romanorum rex tertius, debellatis Hetruscis, primus, ut Romæ haberentur, instituit

35. *Trabeæ.*) *Trabeam* gestamen fuisse consulum, & ducum, Dionys. *lib.* vi. ait: *Nec ornatur trabea, qui peculiaris est consulum ducumque amictus*: quod sensit etiam Pap. *in Sylvis* in carmine Eucharistico:

Hic quum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina, mille simul jussit discumbere mensis.

sed & augurum fuisse, interprete Servio docet Virg.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea —

ea reges usi sunt, auctore Plin. *lib.* VII.

35. *Fasces.*) Lictores præcedentes cum fascibus virgarum, in quibus secures erant alligatæ.

35. *Lectica.*) qua gestabantur a servis.

35. *Tribunal.*) In sellis curulibus & tribunalibus considebant, qui majora judicia exercebant: *subsellia* erant tribunorum, triumvirorum, quæstorum, & hujusmodi minora officia exercentium. Asconius.

36. *Quid si vidisset.*) Describit prætorem præsidentem ludis Circensibus habitu triumphali, deridetque. nam insignia triumphalia Prætori in Circensibus ludis concedebant, & etiam aliquando privatis: Unde L. Æmilio, qui Persen regem Macedonum devicit, concessum fuit a populo, & a Senatu, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur. Plin. *de Viris Illustr.*

36. *In curribus altis.*) In curru triumphali, qui auratus erat, & quatuor equis albis trahebatur.

38. *In tunica Jovis.*) Habitu triumphali. Liv. *lib.* x. *Qui Jovis optimi maximi ornatu decoratus curru aurato per Urbem vectus in Capitolium ascenderit.* Nam, qui triumphabant, tunicam sibi induebant sumtam ex templo Jovis: Lamprid. *in Alexandro Severo*: *Prætextam, & pictam togam, nunquam nisi consul accepit, & eam quidem, quam de Jovis templo sumtam alii quoque accipiebant, aut prætores, aut consules.* quod etiam videtur innuere Julius Capitolinus in gestis *Gordianorum*: *Palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit, quum ante Imperatores eam de Capitolio acciperent.* Item Flavius Vopisc. in *Vita Probi Imp.* *Te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Ea purpurea erat & auro intexta. ut scribit Plin. *lib.* IX. & palmata, sive palmaris dicta; quod ea, ut sensit Servius, utebantur, qui palmam meruissent. Martial.

Palmataque ducem te cito redde togæ.

Alii dicunt *palmatam* dictam esse, quod in ea pars *palmæ*, hoc est victoriæ intexeretur, ut ab Helena pictis vestibus apud Homerum acu certamina inseruntur, quod & Plin. *lib.* VIII. *cap.* LVI, indicat: *Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde triumphales natæ.* Alii dicunt prætextam triumphantis appellatam esse *tunicam Jovis*, quod ad similitudinem *tunicæ Jovis* esset facta.

39. *Aulæa Sarrana pictæ togæ.*) id est togam pictam & purpura distinctam, ut sit periphrasis ipsius togæ triumphalis. Apul. I. *Apolog.* *Denique triumphantibus quadrigas albas, & togam palmatam exprobares.* Palmatam autem togam purpuream fuisse indicat Sidonius. *Et illam Sarranis ebriam succis, inter crepitantia segmenta palmatam convenustavit.*

38. *Sarranæ.*) [Gr.] Juxta Tyrum purpura piscis capiebatur, ex cujus faucibus liquor eliciebatur aptus ad tingendas vestes, quæ modo purpureæ ab ipso pisce, modo *Sidoniæ* a *Sidone* civitate Tyri, modo *Sarranæ* ab insula dicebantur.

39. *Aulæa.*) Latitudinem vestis expressit. nam *Aulæa* proprie dicuntur vela & ornamenta, quibus parietes & aulæ teguntur, quæ Græce *peristromata*, & *peripetasmata* appellantur.

39. *Ex humeris*) dependentia.

40. *Tan-*

40. *Quippe tenet sudans.*) adjuvat eum ad coronam sustinendam. Nam a tergo triumphantis servus erat, qui coronam sustentabat. Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Et cum corona ex auro Hetrusco sustineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æqua fortuna triumphantis, & servi coronam sustinentis.*

41. *Hanc publicus.*) Non solum *servi* erant privati, qui dominis propriis servirent, sed & *publici*, qui ad publica civitatis ministeria adhibebantur. Unde Valer. *de Majestate: Missus enim ad eum occidendum privata domo Minturnis clausum servus publicus natione Cimber.* Idem *de Fortitudine: Ridensque servo publico, qui potionem tradiderat, Critiæ, inquit, propino.*

41. *Ne sibi placeat.*) Ne nimis insolescat. nam *placere sibi*, est se efferre. Martialis *lib.* V.

Quum voco te dominum, noli tibi Cinna placere.

Majores enim instituerunt, ut a tergo triumphantis adsisteret servus, qui pari fortuna triumpharet, moneretque triumphantem, ut seipsum cognosceret: ne tanta gloria nimium superbiret. Tertul. *Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur.* [*Gr.*]

43. *Da nunc & volucrem.*) Adde etiam & aliud triumphantis insigne, id est aquilam. Nam aquila Romanorum insigne erat militare. Ea, ut scribit Josephus *lib.* II. *de Bello Judaico*, reliqua signa præcedebat, quod & universarum avium regnum habeat, & sit validissima: itaque illam & principatus insigne putat, omenque victoriæ, quodcunque bello petierint. erat & antea prima cum quatuor aliis, lupis, minotauris, equis, apris, quæ singulos ordines anteibant. paucis ante annis sola in aciem portari cœperat, reliqua in castris relinquebantur. Marius in totum ea abdicavit. Ex eo notatum, non fere apud legiones unquam hibernatum esse in castris, ubi aquilarum non sit jugum. auctor est Plinius *lib.* VIII. Qui in acie aquilam ferebat, *aquilifer* appellabatur. Tranquillus in *Augusto*: *Constat aquilifero legionis suæ graviter saucio, Aquilam humeris subisse, diuque portasse.*

43. *Sceptro quæ surgit eburno.*) Nam inter alia triumphantis insignia, erat & scipio eburneus habens aquilam in summitate, quem manibus triumphans gestabat. Dionys. *lib.* III.

44. *Hinc cornicines.*) Nam cornicines sequebantur castra, præcedebantque triumphantis currum canentes, iique erant & buccinatores ornamentum totius legionis. in ingressu conflictus, & ejus reditu, quoties pugnabatur, cornicines & tubicines canebant. Unde est illud in *Sat.* VIII.

——— *Aut longos castrorum ferre labores*

Si piget, & trepido solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita. ———

de iis lege Vegetium.

45. *Agminis officia.*) hoc est clientes, & amicos triumphantem præcedentes, & ministrantes. nam clientes ex instituto Romuli, ut tradit Dionys. tenebantur patronis suis in magistratibus, & deductionibus, & aliis in reipub. sumtibus impendiorum participes tanquam genere proximi adesse, tanta erat inter eos benevolentia, ut clientes dignum censerent omnia patronis pro viribus subministrare.

45. *Niveos Quirites.*) Nam ministri & clientes ad habenas triumphantis aderant vestibus induti candidis, ut scribit Plutarchus. Paulo Æmilio eunti cum prætura ad Hiberos, concessos lictores a senatu: & equo vectum albo, albaque indutum trabea, & ministros omnes albis vestibus fuisse indutos. Domitianus, auctore Tranquillo, generum fratris indigne ferens albatos & ipsum ministros habere, proclamavit.

46. *Tunc.*) Suis temporibus incultis, & agrestibus.

48. *Cujus prudentia.*) Democritus exemplo est viros prudentes ubique nasci posse, hocque dictum est ex stomacho in superbiam eorum, qui orti sanguine Romano ceteros contemnebant. sicque docet Poeta, secundum illud Apul. I. *Apolog.* non ut prognatus, sed ut moratus quisquam sit, spectandum, nec qua regione, sed qua ratione vitam vivere inierit, considerandum, quando in omnibus gentibus varia ingenia proveniant, quanquam videantur quædam stultitia, vel solertia insigniores: Apud socordissimos, *inquit*, Scythas Anacharsis sapiens natus est, apud Athenienses catos, Meletides fatuus. non ergo mirum est, si & in Thracia, ubi aer crassissimus est, Democritus tantæ vir prudentiæ natus est. *Prudentia* in bonorum & malorum delectu consistit.

50. *In patria vervecum.*) In Thracia, ubi patriam Abderam habuit, ut scribit Laert. Diog. quam condidit soror Dionysii & nomine suo sic vocavit.

50. *Crassoque sub aere nasci.*) Hoc dictum esse videtur ex Heracliti sententia, qui affirmat animam ibi esse prudentiorem, ubi aer sit siccior. unde Thebani pingues hebetesque sunt existimati, quia Thebis aer sit crassissimus, contra Athenis sit siccus, & ideo Athenienses prudentiores habentur. traxit autem colorem Juvenal. ab illo Horatii *in Epist.*

Bœotum in crasso jurares aere natum.

Illud non est omittendum, quod scribit Corn. Nep. *in Alcibiade*: Bœotios magis corporis firmitati, quam ingenii acumini inservire.

51. *Ridebat curas.*) Negotia hominum & diversos animi affectus.

52. *Quum*

52. *Quum fortunæ ipse minaci.*) Ostendebat Democritus has res humanas, pro quibus mortales tanto tempore anxii sunt, parvi faciendas, quum illæ non sint, quæ hominum mentibus tranquillitatem largiri queant: Fortunamque, quam ceteri mortales colunt, tanquam Deam cunctis in rebus dominantem, ita contemnebat, ut ei mandaret laqueum, a quo suspenderetur, intelligens eam homini virtutibus stipato nullo modo nocere posse.*

53. *Medium unguem.*) Medium digitum. [*Gr.*] nam eum digitum ceteris contractis in aliquem protendere contumeliosum est. est autem inter digitos tertius. unde Martialis:

Rideto multum, qui te Sextille, cinædum,
Dixerit, & digitum porrigito medium.

54. *Ergo.*) quum pauci cognoscant verum bonum, & verum malum.

55. *Fas est.*) Licet apud Deos. nam *fas* dicitur, quod, quum fit, Deus non irascitur. Jus autem ad homines pertinet, unde illud apud Virgil.

Sæpe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & Jura sinunt. —

hoc est & Dii, & homines permittunt. ergo Dii permittunt se rogari, & concedunt, quæ nocitura sunt.

56. *Quosdam præcipitat.*) Exemplo Sejani ostendit nimios honores, quos putamus verum bonum, quandoque perdere homines.

57. *Longa atque insignis honorum Pagina.*) id est invidia, quam contraxerat ex summis honoribus, qui in libris & actis publicis describuntur.

58. *Descendunt statuæ.*) i. disjiciuntur per totam Urbem. Nam in gratiam Sejani statuæ passim per Urbem positæ erant a multis, quæ nunc in ejus contemptum, gratiamque Imperatoris dejiciuntur. Sic enim fieri consuevit ad odium damnati testandum. Cicero in *C. Pisonem*: *Pyrrhachini autem statuam illius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerant, ne suavissima hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant.*

58. *Restemque sequuntur.*) Utrum dum ex sublimi avelluntur, an dum per Urbem in ejus dedecus raptantur humi?

59. *Rotas bigarum.*) Biga appellatur currus, quum a duobus equis junctis trahitur.

61. *Jam strident ignes*) quibus statuæ funduntur.

61. *Atque caminis.*) id est fornacibus, κάμινος enim fornacem significat, a quo etiam formamus caminatus. Plin. *lib.* XVI. *Caminata fossura, ore compressiore sint.* loquitur enim de scrobibus.

62. *Ardet adoratum populo caput.*) Sejanus quem in tanto honore tota civitas habuit, ut pro Deo etiam coleret, igni absumitur.

63. *Facie secunda*) id est ex Sejani facie, quem totus orbis secundum post principem Tiberium agnoscebat. Nam interdum per ejus Fortunam, interdum per Tiberii simul, atque Sejani Fortunam omnes jurabant, quippe significantes ipsum simul cum Tiberio imperare ita dixit *secundam faciem*, sicut & Papin. Rutilium Gallicum, appellavit *proximam cervicem* Domitiano:

— *Stat proxima cervix*
Ponderis immensi. —

64. *Sartago.*) Vas est coquinarium ad res frigendas comparatum.

65. *Pone domi lauros.*) Verba sunt populi insultantis Sejano in gratiam principis: lætitiam, inquit, ostende, captus est Sejanus hostis Imperatoris, & jam unco ducitur in scalas Gemonias. nam in signum lætitiæ frondibus, & sertis fores ornabantur, unde & superius:

— *Per limina tende corymbos.*

66. *Ducitur unco.*) Nam damnati unco trahebantur in scalas Gemonias, interdum & in Tiberim. Lamprid. *in vita Commodi*: *Corpus ejus ut unco traheretur atque in Tiberim mitteretur, Senatus & populus postulavit.*

67. *Quæ labra.*) Verba populi Sejanum mortuum insectantis.

70. *Delator.*) Occultus accusator. *Deferre* enim est clandestino accusare. Martial.

Ecce reum Carus te detulit, adsit agellus.

70. *Indiciis.*) Et *indicibus* legitur. Nam *index* significat eum, qui conjurationem, crimen aut aliam rem secretam detegit. Unde & *indicium*, id est ipsa detectio.

71. *Epistola venit.*) Ad Senatum enim scripsit per Nævium Sertorium Macronem, oportere Sejanum in custodia haberi; aperte autem interfici non imperabat, non quia id nollet, sed quia timebat, ne ex hoc tumultus oriretur.

72. *A Capreis.*) Insula est Campaniæ, ubi frequens erat Tiberius ad vacationem urbanarum rerum. Olim a continenti avulsæ fuerunt. Strabo *lib.* VI *Prochyta & Pithecusæ avulsæ de terra partes sunt, eodem modo & Capreæ.*

72. *Bene habet.*) Invaluit prava consuetudo, ut dicatur *bene se habet*. Sed profecto ita dicendum est *bene habet*: quo genere locutionis veteres usi sunt. Terentius, *bene habet.* Propertius:

Et bene habet, nunquam mater lugubria sumsit.

Horatius:

— *Magnum narras vix credibile, atqui*
Sic habet. —

Sic & Græci locuti sunt: καλῶς ἔχει.

72. *Sed quid.*) Verba Poetæ. quid, inquit, turba facit?

73. *Sequitur Fortunam.*) Nam vulgares homines in amicitiis colendis fortunam maxime sequuntur, ut quo se illa, eodem quoque se inclinent. Unde est illud Horatii:

— Diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici.

Sic etiam Ovid. scribens ex *Ponto* ad Maximum:

Affuit ille mihi, quum me pars magna reliquit,
Maxime, fortunæ nec fuit ille comes.

Idem in eodem:

Et cum fortuna statque caditque fides.

Idem:

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quæ, simul intonuit, proxima quæque fugat.

Poeta ostendit turpe esse amicum in adversis deseri. Unde & Ovid. *in Ponto*:

Turpe sequi casum, & Fortunæ cedere amicum:
Et nisi sit felix, esse negare suum.

74. *Ut semper*) fecit in aliis, nam quo se Fortuna, eodem & favor hominum inclinat. modo enim summo honore in Senatum deduxerunt, modo lecta Tiberii epistola omnes uno ore conviciati sunt ei, in carceremque traxerunt.

74. *Idem populus.*) Vulgi levitatem ostendit, & taxat. Si enim accidisset, ut ei Nortia propitia fuisset, & Tiberius naturæ per senectam concessisset, certe Sejanus imperator creatus fuisset.

74. *Si Nortia.*) hoc est Dea Hetruscorum. Nam, ut ex Tertulliano didicimus, Volsinensium Dea peculiaris fuit *Nortia*, & Sutrinorum. sic enim scribit: *Unicuique etiam provinciæ & civitati suus Deus est.* & paullò infra: *Crustuminensium Deluentinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancharia, Volsiniensium Nortia, Oriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia* &c. Livius *lib.* VII. *Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nortiæ Hetruscæ Deæ comparere, diligens talium monumentorum auctor Cinthius affirmat.* sub ejus nomine fortem Fortunamque significari Martianus Capella in libro *de Nuptiis Philologiæ* scribit.

75. *Si senectus secura principis foret oppressa.*) Si Tiberius in senecta quieta mortuus esset, non sollicita, ac si dicat, si in tranquillo reip. statu, & civitatis benevolentia mortuus esset. hoc autem dicit, quia non sine magno animi cruciatu oppetiit. Tranquillus recitans initium epistolæ ejus: *Quid scribam, P. C. aut quamodo scribam, aut quid omnino non scribam, hoc tempore, Dii me Deæque perdant, quem quotidie perire sentio, si scio.*

75. *Oppressa*) morte, non autem a Sejano, ut quidam inepte scripserunt.

76. *Hac ipsa hora.*) qua scilicet damnatus est, & ductus unco.

77. *Jampridem ex quo.*) Non fuisset mirum, si forte populus Romanus mortuo Tiberio, Imperatorem Sejanum creasset, & non potius ipse sumeret curam reipub. administrandæ per libertatem. Is enim, ex quo fuit sub jugo & imperio Cæsarum pristinæ libertatis jam oblitus, nec nunc aliud in precio habet, quam ludos Circenses.

78. *Suffragia nulli vendimus.*) Ostendit in creandis magistratibus, quos ad arbitrium suum populus per suffragia creare solebat, nunc nullam ei esse creandorum potestatem, sed omnia tantum Imperatoris nutu geri. Quod ab Sylla primum factum constat, quum se dictatorem dixisset. Nam ei senatusconsulto data fuit potestas necis, confiscationis, sortitionum possessionis, populationis, auferendi regni, conferendi cuicunque collibuisset, publicatarum venditionis ædium. omnia enim arbitrio suo administrabat. Quod postea factitarunt Imperatores, qui secuti sunt, oppressa libertate. Tranquillus *in Caligula*: *Tentavit & comitiorum more revocato, suffragia populo reddere.*

78. *Vendimus Suffragia.*). Consueverant enim competitores magistratuum in comitiis tribuum suffragia sibi coemere muneribus, & largitionibus. Plutarchus in *vita Coriolani*: *Diu siquidem post emtio & venditio sera prorupit, & inter concionis suffragia sese argentum miscuit.* Seneca *ad Lucilium*: *Quam putas jucundum esse tribubus vocatis, quum candidati in templis suis pendeant, & alius nummos pronunciet, alius per sequestrum agat, alius eorum manus osculis conterat?* Petronius:

Nec minor in campo furor est, emtique Quirites
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertunt,
Venalis populus, venalis curia patrum.

78. *Effugit curas.*) Populus jam omisit curas pristinas gubernandæ reip. & eas ipsis reliquit Imperatoribus, qui omnium jam rerum habenas ad nutum moderantur.

79. *Imperium*) aut merum est, aut mistum. *Merum imperium* habet gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas dicitur. *Mistum imperium* est, quum etiam jurisditio inest, quod in danda possessione consistit. Ulpianus. *Imperium* ergo possumus accipere, aut dictaturam, nam ut scribit Pomponius *de Juris Origine*, proditi sunt Dictatores, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadversio data est: aut simpliciter quamcunque dignitatem.

79. *Fasces.*) Consulatus, & præturas.

79. *Legiones.*) Præfecturas stratioticas.

79. *Continet nunc se.*) Et hæc omnia permittit ab Imperatoribus, qui populi libertatem oppressere, disponi.

80. *Pannum & Circenses.*) Videtur potius legendum esse, *Pana*, quam *pannum*; duas enim res dicit popu-

populum curare, ut sit sensus: Lupercales ludos in honorem *Panos* & Circenses curat, si enim dicas *pannum & Circenses*; una tantum res erit.

80. *Perituros.*) Verba sunt populi.

81. *Magna est fornacula.*) Magnum est incendium, hoc est res maximi excidii, & furoris moventur.

81. *Mi.*) pro mihi. Virgil.

— Et mi genus ab Jove summo.

84. *Quam timeo.*) Quam timeo, ne multi imitati Ajacem manu sua sibi mortem consciscant, utpote, qui male defensi fuerint; quod multi fecerunt Tiberii temporibus. unde Tranquil. *Citati ad caussam dicendam partim se domi vulneraverunt, certi damnationis; sed ad vexationem ignominiamque vitandam, partim in media curia venenum hauserunt.*

84. *Ajax.*) Civis citatus. Nam Ajax quum in judicio armorum Achillis ab Ulysse esset superatus, dolore in insaniam versus, in caprum quendam, quem Ulyssem esse crediderat, crudeliter sævivit, qui simul ac cognovit, quæ per insaniam perpetrasset, gladio sibi pectus transverberavit.

85. *Calcemus Cæsaris hostem.*) Pedibus Sejanum hostem Cæsaris proteramus. Et videant nos servi, ne nos accusent, quod eum, ut amici, non calcaverimus. Illudque respexit Poeta, quod nulli delatorum, auctore Tranq. fides fuit apud Tiberium abrogata.

88. *Cervice astricta.*) Obtorto collo. Qui enim vi in judicium, aut ad aliquod supplicium ducebantur, aut obtorto collo, aut injecto laqueo trahebantur. Plaut. *Pœnulo*: *Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem, prinsquam obtorto collo ad prætorem trahor?* Cic. *pro A. Cluentio*: *Nec quicquam proprius est factum, quam ut illum persequeretur, & collo obtorto ad subsellia reduceretur, ut reliqua posset perorare.* Hieronymus in *Epist. ad matrem & filiam*, in Gallia commorantes: *Obtorto collo me in jus trahis, ut aut probem, quod nolo; aut multorum invidiam subeam.* Tranquill. *in Vitellio*: *Religatis post terga manibus injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est.* Apul. *lib.* VIII. *Metam.* *Collo constrictum reducunt eum pastores molesti.* Idem, *lib.* IX. *Colloque constricto, & sacrilegos impurosque compellantes interdum pugnis obverberant.*

88. *Hi sermones*) erant, qui sequuntur.

90. *Visne salutari.*) Visne esse ea potentia & auctoritate, qua Sejanus exstitit apud principem?

91. *Habere tantundem*) divitiarum.

92. *Sellas donare curules.*) id est creare tuo arbitrio magistratus. nam sella curulis magistratuum erat, & triumphantium. Aliqui dictam putant, quod in *curru* ponebatur, quo in *curiam* soliti erant vehi honoris gratia, qui magistratum gessissent, auctor Gellius *lib.* III. *cap.* XVIII. Livius vero innuit dici *curulem* a *Curibus* civitate Sabinorum.

93. *Tutor Principis.*) Sejanus enim, principe Capreis commorante, omnia gubernabat, tanquam tutor principis, & defensor.

94. *Chaldæo.*) Propter Thrasyllum mathematicum Chaldæum, quem de futuris maxime consulebat. Chaldæi autem, Diodoro auctore, Babyloniorum antiquissimi fuerunt, qui eum locum in sua rep. quem Ægyptii sacerdotes obtinuere. Ad cultum enim Deorum destinati, per omnem vitam philosophabantur, peritissimi astrologiæ habiti, multi divinatione quadam futura prædicebant, ac tum auguriis, tum sacris, tum aliis quibusdam incantationibus, & mala avertere ab hominibus, & bona afferre, auguria insuper, somniaque, & prodigia interpretari consuevere.

24. *Vis certe pila*) Non interrogantis est, sed affirmantis. Scio te velle imperia militaria, ut scilicet præsis cohortibus prætorianis, quibus Sejanus præfuit.

94. *Pila.*) Tela sunt Romanorum. Lucan.

— Et pila minantia pilis.

sicut *sarissæ* Macedonum, & *gessa* Gallorum.

95. *Cohortis.*) Cohors pars decima est legionis. Nam in legione decem erant cohortes, constabantque peditibus, & equitibus, sed majore semper peditum numero.

95. *Egregios equites.*) Castra enim domestica erant ipsi equites, qui ad Imperatoris custodiam excubabant: etiam *prætoriani* dicebantur.

95. *Quid ni Hæc cupias.*) Non est mirum, si tales honores cupias, nam & qui nolunt occidere quenquam, velint tamen posse occidere, ac proinde esse potentes, & principes.

97. *Sed quæ præclara.*) Apul. *Nihil quicquam homini tam prosperum divinitus datum, quin & tamen admistum sit aliquid difficultatis, ac etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis.* Plin. *lib.* VII. *Quid quod bona malis paria non sunt etiam pari numero? nec lætitia ullo minimo dolore pensanda?* Plaut. *in Amphitryone*: *Ita Diis placitum, voluptati ut mœror comes consequatur, quin incommodi plus malique illico adsit, boni si obtigit quid.*

99. *Prætextam*) Prætextam etiam solitos gestare senatores constat. unde Asconius ait, prætextam nobiliorum esse, togam vero viliorum.

99. *Sumere mavis.*) Hæc interrogatio eo tendit, ut ostendat longe tutius esse in mediocri humilique fortuna versari, quam in summa opulentia.

100. *Potestas.*) Nomen est officii. nam *Potestas* appellabatur merum imperium, quando potestatem gladii haberet ad animadvertendum in cives delinquentes.

Tranq.

Tranq. *in Claudio*: *Atque etiam per provincias potestatibus demandavit.* Ergo potestas *Gabiorum*, id est esse magistratus, & habere imperium Gabiis ad animadvertendum in cives facinorosos.

102. *Vasa minora frangere.*) id est, esse ædilis, qui ponderibus, & mensuris præerat. Pers.

Sese aliquid credens, Italo quod honore supinus
Fregeris heminas Areti ædilis iniquas.

Erant autem ædiles minimi magistratus, adolescentesque prima commendatione creabantur. Cic. *Legum* II. *Suntoque ædiles curatores Urbis, annonæ, ludorumque solennium, illisque ad honoris amplioris gradum primus accessus esto.*

102. *Ulubris.*) Oppidum est Latii desertum, unde ait *vacuis*, hoc est parum habitatis. Nam oppida etiam, præter Urbem ipsam, ædiles habebant.

102. *Pannosus.*) Vestibus crassioribus, hoc autem dicit contra prætextam, quæ purpurea erat, & preciosa.

103. *Ergo quid optandum*) Peroratio est, qua ostendit Sejanum ignoravisse verum bonum, quum illud in dignitatibus, & honoribus reponeret, quum Sejanus tanta mala propter nimios honores sit passus: Ergo ignoravit, quid verum bonum esset, & proinde optandum.

105. *Numerosa parabat.*) Sejanus, qui summos sibi honores quærebat, proceram turrem struebat, unde caderet. Nam quanto quis altiore ex loco cadit, tanto graviorem ruinam sentit. Claud. *in Ruffinum*:

— *Tolluntur in altum,*
Ut lapsu graviore ruant. —

107. *Præceps immane.*) pro præcipitio. sic & Pap. *in Soteriis Rutilii Gallici*:

— *Et subiti præceps juvenile pericli.*

108. *Quid Pompejum*) Nam Magnus, dum primum sibi in rep. locum quærit, a Cæsare in campis Philippicis profligatus, a Ptolemæo rege Ægypti interficitur. lege Appianum.

108. *Et illum.*) Julium Cæs. qui postea in Senatu tribus & viginti vulneribus confossus fuit, Bruto & Cassio conjurationis principibus, primoque ejus percussore Cassio, qui eum juxta collum ense percussit.

112. *Ad generum Cereris.*) Non est mirum, hos omnes tam crudeliter cæsos, pauci enim sunt tyranni, qui ferro non pereant.

114. *Eloquium.*) Confutat & votum eorum, qui sibi optant eloquentiam, ostendens & illic vitæ periculum esse. Id autem exemplo Ciceronis & Demosthenis probat, quorum uterque periit ob eloquentiam.

114. *Demosthenis & Ciceronis.*) Bene autem hos nominavit, alter enim apud Græcos, alter vero apud Latinos Eloquentiæ principatum obtinuit. Ciceronem appellat Plin. *lib.* XVII. Lucem doctrinarum alteram. Quintil. *lib.* X. utrumque tanquam optimum oratorem, miris laudibus celebrat.

115. *Et totis Quinquatribus.*) Pueri, qui adhuc primis insistunt rudimentis, gloriæ cupidi, quum venere Quinquatria, multis optant sibi votis eloquentiam, idque maxime faciunt, quod putant se iis diebus magis exaudiri. Nam Minerva ingeniis puerorum, pariter & puellarum favet. Ovid. III. *Fast.*

Pallada tunc pueri teneræque ornate puellæ,
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.

Quinquatria dicta sunt a numero quinario, de quibus sic Ovidius *eod. lib.*

Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,
Nomina quæ junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Caussa, quod est illa nata Minerva die.
Altera tresque super strata celebratur arena,
Ensibus exertis bellica læta Dea est.

Ego hunc locum ita accipiendum esse censeo, aperto, ita ut est, sensu, non ut alii alioquin literati, qui de Minervali nescio quid intelligunt.

116. *Colis Minervam.*) Qui in his studiis adhuc puer primis rudimentis inhæret.

116. *Partam.*) id est, qui rudimenta sibi acquisivit.

116. *Uno asse.*) Exigua mercede: hocque ex affectu Poetæ subsannantis avaritiam suorum temporum, quibus exigua præceptoribus præmia exhibebantur, quemadmodum & temporibus nostris, re in deterius semper labente.

117. *Quem sequitur custos capsæ.*) Puerum ingenuum ad præceptorem euntem non solum prosequebatur pædagogus, sed & capsarius, quem Ulpianus, titulo *de Manumissis Vindicta*, scribit eum esse, qui pueri portet libros. Sueton. tradit Neronem damnatorum liberos quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter jussisse necari.

118. *Eloquio sed uterque perit.*) Sed per eloquentiam suam uterque ad necem compulsus est. Cic. enim persequente eum M. Antonio, interfectus est a Pompilio Lænate, quem parricidii olim accusatum defenderat, caputque cum manu dextera relatum est Antonio, quæ, quum diu summa aspexisset lætitia exsultans, ubi oculi satiati sunt illo spectaculo, jussit in rostris per contumeliam deponi.

120. *Nec unquam Sanguine caussidici.*) Ostendit Poeta gravius magno, quam mediocri periculum imminere oratori, neque enim inquit rostra, in quibus concionantes consident, respersa sunt sanguine pusilli caussidici.

121. *Rostra maduerunt.*) Hoc autem dicit, & quia Cic. sæpe pro *rostris* concionatus est, & quia Antonius manum & caput Ciceronis jussit in rostris infigi. *Rostra* autem ædificium, sive templum erat ante curiam Hostiliam

stiam in foro, adornatum antea rostris navium Antiatium, unde & nomen sortitum, auctor est Liv. *lib.* VIII. & Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* V. *Rostra*, qui erant concionaturi, conscendebant. Cæsar quæstor Juliam amitam uxoremque Corneliam defunctas o atione laudavit e more pro *rostris*. auctor Plut.

122. *O fortunatam.*) Cic. Catilinæ conjuratione oppressa, hoc carmen in suam laudem cecinit, quod carmen derisum est.

124. *Ridenda poemata.*) Hinc ostendit illud vehemens Antonii odium in Cic. emersisse, quod in eum Philippicas scripsisset, in quibus miris Antonium afficit contumeliis. Licet illinc odii initium traxisse videatur, quod, quum post mortem patris, Julia mater Antonii, nupta esset P. Lentulo, quem cum L. Catilina conspirantem Cic. consul supplicio affecit, diceret corpus vitrici sui non prius ad sepulturam datum, quam id mater supplex impetrasset a Ciceronis uxore. In qua quidem re, ut scribit Plut. mentitur, quod nullus ex his, qui tunc supplicio fuerunt affecti, sepultura prohibitus est.

125. *Quam te conspicuæ &c.*) Mallem, O Cicero, talia carmina ridicula scripsisse, quam secundam Philippicam, nam etsi omnibus orationibus suis graviter Antonium accusat, secunda tamen illum acerrime insectatur. Philippicas autem orationes suas in Antonium appellavit, ut ipse ad Atticum scribit, quod libertate dicendi & eloquentia maxime imitatus sit Demosthenem, qui in Philippum multas scribens actiones eas *Philippicas* appellavit.

126. *Sævus exitus eripuit illum.*) Demosthenem nam Demostenes quum nunciatum esset Antipatrum & Craterum Macedones adventare, ex Urbe profugit in Calabriam ad templum Neptuni: quo cognito Antipater Archiam Tyrium illuc eum satellitibus misit, qui templum ingressus suadere cœpit Demostheni, ut una secum ad Antipatrum pergeret, nihil omnino molestum ab illo perpessurus. Cui respondens dixit, parum exspecta, dum nonnulla domesticis scribo. Hæc fatus in interiorem templi partem concessit, caproque libro, quasi scribere vellet, calamum ori admovit, e quo inclusum venenum sumpsit. Eratosthenes autem ait in circulo quodam concavo, quem circa brachium ferebat, venenum servasse.

129. *Diis adversis genitus.*) quia multis agitatus est adversitatibus.

130. *Quem pater ardentis massæ.*) Non jam ad rhetora a patre est missus, nam annorum septem tantum fuit, quum patrem amisit. Sed ad Isæum se contulit, quanquam tum temporis floreret Isocrates. pater autem Demosthenis fuit, ut Theopompus & Plut. tradunt, inprimis honestus ac probus vir, Machæropœus ab officina gladiorum est cognominatus, quam Athenis egregiam, multisque artificibus servis instructam habebat. Matre barbara muliere natum scribit Æschines. [Gr.] Valer. *Quam matrem Euripides, aut quem patrem Demosthenes habuerit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit. Alterius autem matrem olera, alterius patrem cultellos venditasse omnium doctorum literæ loquuntur.*

130. *Lippus*) is appellatur, cui oculi jugiter stillant. Unde *lippitudo* morbus, quo oculi infestantur. Horat.

— Oculis collyria lippis.

132. *Et luteo Vulcano.*) *Luto Vulcano* pro *luteo* legendum est. nam prima longa est. Ovid.

Lutea mane videt pulsis aurora tenebris.

Virg.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha,

pro *luteo croco.* quando autem est a *Luto* derivatum primam haberet brevem. Horat. *in Serm.*

Defingit Rheni luteum caput. —

133. *Bellorum exuviæ.*) Ostendit & votum eorum damnandum esse, qui ad res bellicas optaverunt descendere, tanquam reportaturi, quod fere ab omnibus expeti solet famam & gloriam: docens & id multis pariter Imperatoribus, & patriæ fuisse exitiosum, ut patebit Alexandri, & Hannibalis exemplo.

133. *Trophæis.*) erat monumentum hostium devictorum. a Græcis consuetudo manavit, qui ubi hostes in fugam convertissent, arborem truncatis ramis erigebant, quibus hostium suspendebant exuvias. Unde Nonius: *Spolia hostium stipitibus affixa trophæa vocantur.* Tranquillus *in Caligula*: *Truncatisque arboribus, & in modum trophæorum adornatis.* Eam consuetudinem Romani usurparunt, unde Marii trophæa a Sylla disjecta sunt, quæ a Cæsare, ut Tranquil. & Plutarch. scribunt, fuerunt reposita. scribit Serv. Trophæa in locis eminentioribus collocari solita, & ideo Romæ in arcubus incidebantur, ad id exædificatis. Sed ea postea non solum in marmore, sed & in ære incidi cœpere. Unde Plutarch. conqueritur imprudenter simul & aspere nimis egisse primos ex Græcis, qui trophæa, aut marmore incisa, aut ære sculpta facientes, odium simul & bellum a conservata victi ignominia, perpetuum reddidissent. De *trophæis* mentionem sæpissime fieri apud Thucydidem invenies: illud denique tenebis trophæum fuisse aut saxum, aut arborem decisis ramis, aut columnam erectam, aut arcus cum inscriptione hujusmodi: *Athenienses heic vicerunt Lacedæmonios*, vel si mili.

135. *Curtum jugum.*) Mutilatum, ut Martial.

Et curtus Chiones Antiopesve calix.

Et Propert. *lib.* IV.

Læsit & objectum regula curta caput.

aut *curtum temone*, i. a temone curtatum, & avulsum.

135. *Temone.*) A *tenendo* est dictus, quod plaustrum *teneat*, & gubernet.

136. *Aplustre.*) Auctor est Festus *aplustria* esse navium ornamenta, quæ, quia plus erant, quam essent necessaria, etiam *apiustria* appellabantur. Cic. *in Arato*:

Navibus assumtis fluitantia quærere aplustria.

Sil. *lib.* x.

— Sic jamque per undas,
Et transtra & mali lateroque aplustria velo,
Ac miseri fluitant revomentes æquora nautæ.

136. *Et captivus tristis in summo arcu.*) Nam in arcubus lapideis incidebatur totus ordo victoriæ.

137. *Majora bonis humanis.*) Nihil esse in bonis humanis excellentius hac gloria bellica.

137. *Ad hæc se.*) Ad hanc gloriam & famam comparandam ex spoliis, & victoriis hostium.

138. *Romanus.*) Romani Imperatores, Græci & Barbari erexerunt sese ad hæc, & animum suum intenderunt ad famam & gloriam, quam dum omni studio sequuntur, & sibi, & patriæ peperere exitium. Atque hoc modo dignitates petentium damnat stultum votum. per *Romanum* autem possumus intelligere non modo Julium Cæsarem, sed & M. Antonium, multosque alios, qui dum gloriam bellicam sequuntur, & sibi exitium & patriæ calamitates multas attulerunt.

138 *Grajasque.*) ut Themistocles, & Miltiades duces Atheniensium, qui dum famam, & gloriam rebus bellicis aucupantur, miserabili exitu vitam finivere.

138. *Barbarus.*) ut Annibal, qui dum Romanos bellis assiduis vexat, caussa fuit, ut patria a Romanis sit eversa; ipse etiam ad venenum sit compulsus.

139. *Erexit se.*) id est animum ad hæc intendit.

140. *Inde habuit causas discriminis.*) Cupiditas illa gloriæ fuit caussa, ut adiverint tot pericula, & tot labores.

140. *Tanto major famæ sitis est.*) Non sunt ad hæc pericula, & labores tam moti virtutis, quam gloriæ cupiditate. Nec enim hæc, quia per se pulcra essent, fecerunt, & quod sola contenti esse vellent rei bene actæ conscientia, sed ut immortalem gloriam consequerentur, quod omnes fere mortales faciunt. quis enim aliquid cum virtute faciat, nisi sibi magnam proventuram inde sciat gloriam, quæ boni operis est tanquam merces & præmium: unde hoc loco Poeta horum Imperatorum exemplo eos denotat, qui virtutem non amplectantur, nisi famam inde consequuturam arbitrentur, quod est contra Philosophiam, qua ut Cicero ait, sufficere deberet ad gloriam benefacti conscientia.

142. *Præmia si tollas.*) ipsam gloriam, quam operis bene navati habent pro præmio.

142. *Si tollas.*) Si auferas, quasi dicat, isti Imperatores hæc tam egregia non fecissent, nisi æternam gloriam adepturos sperassent. C. Idem tamen Cicero *de Offic. lib.* I. dicit: Vix, *inquit*, invenitur, qui laboribus susceptus, periculisque aditis, non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam. Idem scribit Arist. *Eth.* IV. S.

142. *Patriam tamen.*) Summo quidem studio multi gloriam, tanquam summum bonum, appetiverunt, sed tamen ipsa gloria obruit patriam eorum. Hoc autem videtur Poeta sumsisse ex III. *Tusc.* Ciceronis: *Qua cæcitate homines cum, quædam præclara etiam cuperent, eaque nescirent, nec ubi, nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi se occiderunt.*

143. *Titulique cupido.*) Inscriptionis, qualis solet fieri in saxis tumulorum.

145. *Discutienda.*) Monet Poeta rebus humanis minime confidendum, quum omnia sint caduca & vana, secundum illud Salomonis: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

145. *Robora fici.*) Caprifici, ea enim ex muris erumpit, scinditque sepulcra. Mart.

Marmora Messalæ findit caprificus. —

C. alii legunt *ficus* generandi casu per quartam. S.

146. *Quandoquidem.*) Stulti sunt mortales, qui sempiternam se putant adepturos gloriam ex titulis sepulcrorum, ac per hoc variis se patriamque laboribus, ac periculis objiciunt, ut in sepulcris rerum gestarum titulos relinquant, non intelligentes ipsos etiam titulos cum sepulcris vel erumpente caprifico, posse deleri, & discuti. quod & Plin. *proœm. lib.* VII. complorat: *Uni homini sepulturæ cura, atque etiam post se defutura.* ubi locum emendavimus. Nam ubi scriptum erat mendose *defutura*, & Hermolaus Barbarus corrigeret *defuturo*, nos correximus *defutura*, ut sit sensus: homo curam habet sepulturæ, quæ etiam post se defutura est, hoc est, quæ cito delebitur, nec diu durabit, quandoquidem etiam fata data sunt ipsis sepulcris, ut aut vetustate, aut alia calamitate intercidant. Sicque vanam stultamque hominum ambitionem & gloriam sugillat. Sic & Mart.

Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor.

Ausonius:

Mors etiam saxis nominibusque venit.

147. *Expende Annibalem.*) Exemplo Annibalis monet Poeta opibus humanis neutiquam confidendum, cæcamque istam gloriæ cupiditatem omnino fugiendam. quandoquidem per mortem omnia prorsus destruuntur. nam si Annibalis cineres volueris expendere, docebit te mors hominem, cujus animus immensus erat, nihil omnino esse, proindeque tam multa non fuisse quærenda, quæ cito interventu mortis essent perdenda.

147. *Quot libras.*) quasi dicat: minimi ponderis invenies eum, cujus animus tantus erat, ut regnum

Africæ

Africæ ei fatis non esset. Nam Africa non contentus, exercitum in Hispaniam, Italiamque trajecit: ubi Romanos per XVI. annos assiduis, crebrisque victoriis defatigavit.

148. *Quem non capit.*) quasi Africa ejus capax non esset, quum esset tanta animi magnitudine, postea que minimo sepulcro contentus fuerit.

148. *Africa Mauro percussa Oceano.*) Descriptio est situs Africæ, quæ cum sit tertia pars orbis, ab Asia separatur Nilo, ab Occidente alluitur Oceano Atlantico, ubi Æthiopes sunt in Libya, ab Europa nostro mari.

149. *Nilo tepenti.*) propter intemperiem æstus, est enim zonæ torridæ subjectus. Plin. *Nilus incertis ortus fontibus, ut per deserta, & ardentia, & immenso longitudinis spacio ambulans*, &c.

150. *Rursus ad Æthiopum populos.*) ut per hoc intelligas non solum Africam ad Æthiopes Atlanticos ad Occidentem, sed etiam Æthiopes Troglodytas ad Orientem in Arabia extendi. est enim duplex Æthiopia, altera in Occidente ad Atlanticum Oceanum, altera vero in Arabia Orientem versus. Statius X. *Theb.*

Æthiopesque alios, &c. —

151. *Additur imperiis Hispania.*) Nam in Hispaniam contra fœdus transiverat.

152. *Opposuit natura.*) Nam Alpes, ut scribit Plinius, Italiæ pro muris adversus impetum barbarorum dedit, &, ut idem scribit, prodigii loco habitum est, quum Annibal eas superavit.

153. *Et montem rupit.*) Nam, ut scribunt Livius & Plutarchus, montem facto incendio, infusoque insuper aceto disrupit.

154. *Tamen ultra pergere tendit.*) Non contentus in Italiam descendisse, quam per annos sexdecim, vastavit, voluit & Romam ipsam capere.

155. *Actum, inquit.*) Nihil adhuc fecimus, nisi Romam capiamus, & vexilla nostra in media Suburra figamus.

156. *Media Suburra.*) regione Romæ celebratissima.

157. *O qualis facies.*) Deformitatem Annibalis notat per acclamationem.

157. *Et quali digna tabella.*) Nam deformes sæpe in derisum a pictoribus in tabellis pinguntur.

158. *Quum bellua Getula.*) id est elephantus Maurus. Nam Gætuli populi sunt Libyæ, contermini Mauritaniæ, ubi elephantes inveniuntur, sed majores in India, hoc autem dicit ex historia. Nam Annibale in Etruriam descendente, Arnus vehementer excreverat. Quare tantum exercitum secum trahens vitare non potuit, quin ingentem hominum ac jumentorum jacturam faciens ipse quoque, etsi elephanto, qui unus ex multis superfuerat, eminens veheretur, plurium dierum ac noctium intemperie vigiliis confectus alterum oculorum amitteret. auctores Plutarchus & Livius.

159. *Exitus ergo quis est?*) Hoc totum est in derisum Annibalis, qui dum inanem sequitur gloriam, superatus est a Romanis. Quis, inquit, fuit finis Annibalis? superatur, & in exilium abiit. [*Cr.*]

159. *O gloria.*) Exclamatio est in vanam gloriæ cupiditatem. ostendit enim Annibalem, dum gloriam quærit, & superatum a Romanis, & ex patria fugatum in exilio vitam finivisse. Gloriam autem scimus esse duplicem, ut altera dicatur gloria adumbrata, quæ veram gloriam imitetur; multi enim famam popularem, tanquam veram gloriam sequentes, seque & civitates suas perdidere. Altera vero quædam solida res sit, & expressa, non adumbrata. Ea est, ut scribit Cicer. *in* III. *Tuscul.* consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute. Quintil. laudem bonorum, *gloriam* appellat. Senec. ait, gloriam vanum & volatile quiddam esse, auraque mobilius.

159. *Vincitur.*) Idem, qui Romanas vires toties conquassavit, superatur tandem.

161. *Sedet ad prætoria.*) Miseriam ostendit Annibalis, qui tanquam cliens prætorio assidens Prusiam regem exspectaret.

162. *Libeat vigilare.*) Melius est legere *vigilare*, quam *jugulare*. ut sit sensus: ad prætoria Prusiæ regis Bithyniæ assidebat, tanquam cliens, donec rex e lecto mane surgeret, ut vel eum salutaret, aut, ut præsto esset, siquid imperaret.

162. *Tyranno Bithyno.*) Illud observandum est primam & secundam syllabam *Bithyni* poni ad placitum, unde alibi:

— *Equitesque Bithyni.*

163. *Finem animæ.*) *animæ*, Annibalis qui res humanas perturbavit. *venenum*, quod sumsit ex annulo. Nam ubi sensit se per Flaminium reposci a Romanis, hausto, quod sub annuli gemma habebat, veneno, absumtus est.

163. *Miscuit.*) Conturbavit, & tremefecit. Virg.

— *Et omnem*

Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

167. *Ut pueris placeas.*) Ut pueri habeant materiam ad declamandum, quæ sumebatur nonnunquam ex historiis.

167. *Declamatio.*) Ita enim pueri exercebantur, ut ad veras caussas agendas in foro essent instructi.

168. *Unus orbis.*) Alexander Magnus, qui gloriæ studio animum adeo insatiabilem gessit, ut uno orbe contentus non esset, cognoscet in fine vitæ cupiditates suas inanes vanasque fuisse, contentusque erit solo tumulo. quum aliud secum ferre non licebit, per quod

Poeta docet homines per mortem moneri rebus humanis, & caducis minime inhiandum, inanemque gloriam omnino fugiendam, Quod autem Poeta dicat, *unum orbem non sufficere* Alexandro, hoc est ex historia. Nam, ut scribunt Plutarchus & Curtius, quum ab Anaxarcho, ex persuasione, audivisset plures esse mundos, flevisse fertur, amicisque percunctantibus: quidnam fleret, respondisse, an non, inquit, dignum est flere, si, quum infiniti sint mundi, domini unius vix facti fuerimus.

168. *Pellæo juveni.*) Pella, auctore Plin. & Strabone, colonia fuit in Macedonia, ubi milites recensebantur, & alebantur equi. unde & Philippum *Pellæum* appellavit Lucan.

— Pellæi proles vesana Philippi.

169. *Æstuat.*) veluti æstuant, qui loco augusto inclusi sunt, unde nulla dentur spiracula.

169 *Æstuat infelix.*) *Infelicem* eum appellat, qui in toto terrarum orbe non minus se arctum putat, quam si clausus sit parva insula: unde & Seneca *ad Lucilium* sic *infelicem* dicit: *Alexander Macedonum rex discere Geometriam infelix cœperat, sciturus, quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat, ita infelix dico ob hoc, quod intelligere debebat, falsum se cognomen gerere. Quis enim esse tam magnus in pusillo potest?*

169. *Limite.*) Augusto spacio mundi. nam totum mundum putabat sibi modicum & pusillum, ac si modica clauderetur insula.

160. *Ut Gyari.*) Gyarus & Seriphus insulæ sunt exiguæ, in quas relegabantur sontes, quarum Seriphus una est ex Cycladibus, Gyarus autem una ex Sporadibus.

171. *Urbem munitam a figulis.*) Babylonem. Illic Alexander sublatus fertur veneno, quod dedit Antipater per Iolam, ministrum, conscio, ut nonnulli tradiderunt, Aristotele. Venenum fuit aqua frigidissima, quæ manat ex Nonacrina rupe Arcadiæ, nec contineri potest alio vase, quam muli ungula. auctores Plutarchus & Vitruvius. C. Plin. *lib.* xxx. aquam *Stygiam* vocat: *Ungulas tantum mularum repertas, neque aliam ullam materiam, quæ non perroderetur a veneno Stygis aquæ, cum id dandum Alexandro Magno Antipater mitteret, memoria dignum est, magna Aristotelis infamia, excogitatum.* S.

172. *Sarcophago contentus erit.*) Sarcophagum pro sepulcro posuit. Nam *sarcophagus* lapis est, ut scribit Plinius *lib.* 1., qui circa Asson Troadis nascitur, in quo mortuorum corpora recondita constat consumi præter dentes, omniaque, quæ illata sunt, una cum cadavere fieri lapidea. Scribit Strabo cadaver Alexandri ereptum fuisse Perdiccæ a Ptolemæo. Alexandriamque delatum, atque monumentum illic exstructum fictile, quod, ut scribit Tranquillus, jussit aperiri Augustus, quum Alexandriam venisset, superatis Antonio & Cleopatra.

172. *Mors sola fatetur.*) Sola mors docet hominem, qui tantopere intumescit, inanemque hanc mortalem gloriam quærit, esse quiddam minimum, quando mortuus vel parvula urna recondatur: hocque maxime dictum est ob Alexandrum, cujus animus tantus erat, ut vix eum totus orbis caperet: qui mox exiguo captus est tumulo.

173. *Creditus olim.*) Damnat & Xerxem stultitiæ, qui cupiditate gloriæ incensus inenarrabili belli apparatu Græciam aggressus est, ubi tandem superatus, summo cum dedecore in Asiam refugit. Cujus rei historiam, luculenter docent, Justin. *lib.* 11. Herodot. *lib.* vii. Plutarch. *in vita Themistoc.* & Corn. Nepos.

174. *Velificatus.*) Perfossus, & transnavigatus, ut Mela loquitur. C. S. C.

164. *Athos.*) Mons est altissimus Macedoniæ, qui ad mare Ægeum usque porrigitur, & in æstate umbram extendit ad Lemnon insulam maris Ægei, quem ut scribit Herod. *lib.* vii. & Justinus, Xerxes, quum in Græciam venisset, classemque haberet ad Eleuntem Cherronesi stationem, jussit abscindi a continenti: fossa autem facta est longitudine mille & quingentorum passuum: ea latitudine, ut duas naves contrarias exciperet, quod quidem factum est, cum ad ostentandam potentiam, tum ad relinquendam memoriam, magis quam ad ullam expeditionem necessariam: ergo *velificatus*, id est, per quem naves suis velis navigavere. Catullus:

Per medium classis barbara navit Athon.

174. *Et quicquid Græcia mendax.*) Innuit Juvenalis ea, quæ de Xerxe dicuntur, esse fabulosa. Nam Græci historici fabulas plerumque historiis infarciunt, mendaciisque gaudent. Plin. *lib.* v. *cap.* 1. loquens de nemore Hesperidum: *Nec præter oleastros alius exstat ex narrato illo aurifero nemore: Minus profecto mirentur portentosa Græciæ mendacia de iis prodita.* Idem *lib.* viii. *Mirum est, quam procedat Græcis credulitas, nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Sic etiam a Valerio, in capite *de amicitia* taxantur, ut mendaces: *Illa gentis ad fingendum paratæ monstro similia mendacia.*

175. *Constratum classibus.*) Nam naves decies centum mille habuisse dicitur.

177. *Suppositumque rotis.*) Nam, ut ex Asia in Europam trajiceret copias, pontem fecit, quo Abydum Sesto conjunxit. Inter quas urbes Hellespontus non majore est spacio, quam septem stadiorum. [Gr.] Virg. *Culice:*

Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam.
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia quum timuit venientes undique Persas.

176. *Rotis.*) hoc est curribus, qui per pontem fabrica-

bricatum in Europam traducti sunt. Quod tamen minus admirabile facit, quod Caligula, auctore Tranquillo, contabulavit medium intervallum Bajarum usque Puteolos trium millium & sexcentorum fere passuum.

178. *Sostratus.*) Quum de eo alibi nos legisse non meminerimus, rem ut adhuc indagandam relinquimus, eosque miramur, qui falso tradiderunt Sostratum ex testimonio Herodoti, vatem fuisse, qui de adventu Xerxis prædixerit, quum ab Herodoto non Sostratus, sed Onomacritus quidam sortilegus nominetur *lib.* VII. cujus suasu Xerxes ad inferendum Græciæ bellum est inductus.

178. *Alis madidis.*) hoc est furore Poetico plenis & ebriis. nam *madidus* ponitur pro ebrio. Plautus in *Amph.*

Faciam, ut sit madidus sobrius.

179. *Ille tamen qualis rediit.*) Irridet Poeta fatuum Regem, cujus introitus in Græciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. [*Gr.*]

181. *Barbarus.*) Ignominiose *Barbarum* appellat, hocque ex historia: nam Græci volentes Xerxem significare, *Barbarum* dicunt, quasi vesanum hominem.

181. *Carcere Æolio.*) In antro Æoli, qui Jovis ex Acesta Hippotæ Trojani filius, temporibus Iliacis, Æolus insulis imperavit, & quum incolis ventorum flatus prædiceret, existimatus est in potestate sua ventos habere, unde Virgilius:

Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

& Ovid. *lib.* XIII. *Metamorph.*

— Hippotaden cohibentem carcere ventos.

182. *Ennosigæum.*) Gellius. *Terræmotus ventorumne vi accidat specus hiatusque terræ subeuntium? an aquarum subter in terrarum cavis undantium fluctibus pulsibusve, ita ut videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum Ennosigæum appellaverunt? an cujus aliæ rei caussa, nondum etiam pro certo habitum.*

183. *Mitius id sane*) fuit. Ironice. quasi diceret adeo fatuus & vesanus fuit, ut etiam dignum stigmate existimaverit.

184. *Huic*) tam fatuo & vesano.

184. *Quisquam vellet Deorum.*) quasi diceret: ne Dii quidem ab injuriis ejus tuti essent, si his contingeret ei ministrare. sicque ejus persequitur fatuitatem.

185. *Sed qualis rediit*) hic, qui tam terribili apparatu Græciam invasit. Estque facta repetitio in irrisionem tam fatui conatus.

185. *Nempe una nave.*) Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ sortis varietate miranda, in exiguo latentem videre navigio, quem paullo ante vix æquor omne capiebat, carentem etiam omni servorum ministerio. Justin. *lib.* II.

187. *Exegit gloria.*) *Gloria*, & honorum cupiditas caussa fuit, ut multi in tales prolaberentur pœnas.

187. *Exegit.*) Sumsit has pœnas & hæc supplicia. Valerius: *Papirius in pœna exigenda perseveravit.*

188. *Da spatium vitæ.*) Confutat & vota illorum, qui longam sibi exoptant vitam, ostendens multis argumentis, nihil homini posse melius contingere brevitate vitæ. Plin. *Natura nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torquentur, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta, nulla demum genitis quies unquam est.* quæ omnia incommoda a Poeta commemorantur.

192. *Pro cute pellem*) Distinguit Poeta *pellem* a *cute* ut *pellis* dicatur in sene, *cutis* in juvene, licet apud Auctores hæc confundantur.

193. *Pendentesque genas.*) quæ etiam palpebræ appellantur. Plinius *lib.* XI. *cap.* XXXVII. quæ senescentibus solent flaccescere. prisci tamen & *genas*, auctore Plin. appellavere infra oculos malas, ut possemus intelligere pelliculas pendentes ex malis.

194. *Tabraca.*) [*Gr.*] Strabo *lib.* XVII. *Refert Possidonius, se, quum ex Gadibus in Italiam navigaret, in Libyæ oram delatum esse, ac sylvam quandam juxta mare vidisse simiis plenam, quarum aliæ super arboribus, aliæ in terra sederent, nonnullæ catulos haberent, & ubera dependentia: risisse itaque, quum eas uberibus graves cerneret, nonnullas etiam calvas, nonnullas herniosas.*

199. *Infantia.*) More infantis semper senibus nares stillant.

205. *Cum ramice.*) *Ramex* morbus est, qui integris testiculorum tunicis innascitur, κιρσοκήλην Græci appellant, venæ intumescunt, hæ quoque intortæ glomerat æque ad superiorem partem; vel ipsum scrotum impletur, vel mediam tunicam, vel imam: interdum etiam sub ima tunica circa ipsum testiculum nervumque ejus increscunt.

208. *Suspecta libido.*) Quid dices, quod ii, qui in coitu operam præstare non possunt, suspecti sunt, ne sint fellatores, ita enim facilius arrigunt. unde Martialis: *Summa petas*, id est os, *illic mentula vivet anus.*

211. *Sitve Seleucus.*) Nulla suavitate modulationis demulcetur, licet optimus citharœdus canat, & ipse Seleucus, quem pro optimo sui temporis citharœdo intelligit: & licet adsint illi, quibus est mos decurrere palla aurata, hoc est tibicines, quorum cantus est multo clarior. *Tibicines* enim induti veste longa, vagabantur per theatrum canendo. Horatius *in Poetica*:

— Sic priscæ motumque & luxuriam addidit arti. [Tibicen]

Auratam traxitque vagus per pulpita vestem.
C. Alii legunt, *Et quibus aurata mos est fulgere lacerna.* nam lacernis in theatro utebantur. *Auratam* vocat, hoc est auro pictam & ornatam: sive *auratam*, i. pulcram, ut in illo Virgil. *Georg.* 1.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus. — S.

213. *Quid refert.*) Refellit eos, qui possent dicere, senem non audire, quia a canentibus longe sedeat. sensus est: sedeat, qua parte velit theatri, non tamen audiet citharœdos, qui vix exaudiat cornicines & tubicines, quorum sonitus sunt acerrimi.

216. *Quot nunciat horas.*) Nam pueri nunciabant horas dominis. [*Gr.*] Plinius *lib.* VII. *Cn. Bæbius Pamphilus præfectura & ipse functus obiit, quum a puero quæsisset horas.*

220. *Hippia.*) Mulier adultera suis temporibus, de qua supra:

Hippia quid vidit? —

221. *Themison.*) a Plin. & Cor. Celso commendatur, ut optimus medicus; licet hoc loco a Juvenale notetur.

222. *Quod Basilus socios.*) Temporibus Cæsaris Basilus viguit, de quo Lucanus:

Ut primum adversæ socios in littore terræ,
Et Basilum videre ducem, nova furta per æquor,
Exquisita fuga. —

an de eo heic intelligat incertum.

222. *Circumscripseris.*) Cicumvenerit, & fraudaverit: verbum autem formatum a longa scriptura, qua homines circumligantur, & illaqueantur, unde *circumscriptorem* dicimus defraudatorem, & deceptorem. Juvenal. *Satyr.* XV.

— *Pupillum ad jura vocantem*
Circumscriptorem. —

222. *Hirrus*) Irus, ut est apud Hom. *in* XVIII. *Odyssea*, Ithacensis fuit, mendicus stultus magno corpore, sed nullis viribus, quem Ulysses domum reversus sub mendici habitu pugnis occidit. Mart.

Quum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus.

Ovid.

Irus egens. —

binominem appellat Ovid. *in Ibin*: nam & Arneus dictus est. hic vero ficto nomine a Juvenale ponitur pro paupere tūtore, ἶρος enim ut scribit Gellius. Attici aspirant, interpretaturque *pauper.* vocant eum Attici ἰχθυ ἶρος, quod significat *piscem pauperem.*

224. *Inclinet*) ad obscœna.

224. *Amillus.*) hunc etiam Mart. notat, ut pædiconem *lib.* VII.

Reclusis foribus grandes pracidis Amille,
Et te deprehendi, cum facis ista, cupis.

226. *Quo tondente.*) de Cinnamo tonsore intelligit, de quo 1. *Sat.*

227. *Coxa debilis.*) *Debilem* appellamus, qui corpore non sit integro, sed aliqua parte manco. Sen. *Ut magis deligas integrum omnibus membris atque illæsum, quam debilem, aut luscum.* Idem in *Controversiis*: *Quidam expositos debilitabat, & debilitatos mendicare cogebat, ac mercedem exigebat ab eis.*

228. *Luscis.*) *Luscus* appellatur, qui & hebeti est visu, & qui altero oculo caret. Mart.

Oculo Philænis semper altero plorat,
Quo fiat istud modo quæritis, lusca est.

230. *Rictum.*) id est os, estque apud Auctores invenire & in homine, & animali bruto. Horatius *in Satyris*:

Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris. —

Martialis:

Rictibus his tauros non eripuere magistri.

Rictus etiam in avibus dicitur. Plin. *lib.* X. *cap.* IX. loquens de coccyce ave: *Nec alio, quam colore ac rictu, columbi potius.*

232. *Sed omni Membrorum damno.*) Ostendit inter alia senectutis incommoda hominem etiam, quod omnium est gravissimum, desipere.

238. *Ad Phialen.*) Mulierem fellatricem sui temporis notat, cui senex irrumator bona sua reliquit.

238. *Oris artificis*) ad fellandum.

239. *In carcere fornicis.*) In lupanari, in quo meretrices, non aliter quam noxii in carcere, continentur.

240. *Ut vigeant.*) Quanquam animi sensus vigeant, multa tamen incommoda patienda sunt.

246. *Rex Pylius.*) Nestor Nelei filius. [*Gr.*] Cicer. *in Catone majore*: *Videtis, ut apud Homerum sæpissime Nestor de virtutibus prædicet. Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat.* Horat.

At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos. —

249. *Dextra computat.*) Consuetudinem tangit veterum, qui annos digitorum gestu computabant, cujus rei meminit Apul. II. *Apologia*: *Si* XXX. *annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos, aperuisse. Quum vero quadraginta, quæ facilius ceteris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Prudentillam ratus, binos cujusque anni consules numerasti.* Ejusdem rei meminit & Plin. *lib.* XXXIV. *cap.* VI. *Præterea Janus geminus a Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratur, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota per significatio-*

cationem anni, temporis, & avi se Deum indicaret. Divus Hieronymus *in Jovinianum* scribens in exponenda Domini parabola, quæ est de fructu agri trigesimo, sexagesimo atque centesimo: xxx. tradit digitorum mollii conjunctione, sexaginta vero superiore digito depressó signari, mox addit: *Porro centesimus numerus*, diligenter quæso lector attende, *de sinistra transfertur ad dextram, & iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur & viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* C. Ergo infra centum sinistra, supra centum, dextra numerabant. Quod si Nestor suos *annos* jam *dextra numerabat*, supra centum annos vixerat, quod Juvenalis per *dextram* voluit innuere. S. [Gr.]

250. *Oro, parumper Attendas.*) Postulat attentionem, nam mira exemplorum copia vult ostendere, in longa vita non esse hominis felicitatem. C.S.C.

251. *De legibus fatorum.*) i. Parcarum, quæ in tam longum tempus vitam suam produxerint.

252. *Nimio stamine.*) Longa vita, quæ per filum ostenditur. Tres enim Parcæ esse dicuntur: Clotho, Lachesis, & Atropos, quæ summa concordia nendo vitam hominis disponere dicuntur, unde a Poetis dicuntur Parcæ concordes. C. Virg. *in Buc.*

Concordes stabili fatorum numine Parcæ. S.

252. *Acris.*) Strenui & fortis in bello.

253. *Antilochi barbam.*) Filium suum jam barbatum, & ætate jam adulta.

253. *Quærit*) cum multis querelis.

255. *Dignum tam longo ævo.*) Hoc loco eorum opinionem probat, qui in longinquitate vitæ, infelicitatem esse putant, unde Seneca *in Proverbiis*: *Heu quam pœnitenda incurrunt vivendo diu!* in brevitate autem felicitatem: unde illud est Plin. *lib.* VII. *Natura vero nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius.*

255. *Tam longo ævo.*) Quod tam diu esset vivendum, ut spectandum sibi foret funus filii, cujus mortem indignanter tulisse docet ipse Nestor apud Homerum *in* XI. *Odyssea.*

256. *Hæc eadem Peleus*) conqueritur. Achilles Thetidis & Pelei filius fuit, quem ad Trojam profectum in templo Apollinis Thymbræi occisum ferunt insidiis Paridis post simulacrum latentis, quum illuc accessisset, ut amatam Polyxenam uxorem duceret, unde fingitur tenente Apolline arcum, Paridem tela in Achillem direxisse. Virgil.

Dardana qui Paridis direxit tela manusque
Corpus in Æacidæ. —

Hunc ergo pater Peleus, ut immatura morte præventum, miserabiliter flevit.

257. *Atque alius.*) Laertes Ulysses pater conqueritur: nam exulante Ulysse, & per tot maria errante, Laertes Pater, ut scribit Homerus *in ultimo Odyssea*, in agro quotidie opere rustico se macerabat, ancilla vetula panem & vinum ei ministrante, rogabatque assidue Jovem, ut animam ex membris solveret.

257. *Cui fas.*) Cui par est, & quem decet.

257. *Ithacum.*) Ulyssem. pro *Ithacensem*, ab Ithaca ejus patria. Est autem *Ithaca* insula ante sinum Corinthiacum, non longe a Cephalena insula.

257. *Natantem.*) Per maria jam decem annos errantem.

258. *Incolumi Troja.*) Priamus, inquit, non vidisset obsidionem decennalem patriæ suæ, nec mortem tot liberorum, totque propinquorum, si ei prius contigisset obire mortem, quam Paris rapuisset Helenam. Sicque ostendit in longitudine vitæ multas existere miserias.

259. *Hectore funus Portante.*) Apud antiquos a filiis funera patrum efferebantur. Plinius *lib.* VII. *cap.* XLIV. *Quintus Metellus Macedonicus a quatuor filiis illatus est rogo.*

260. *Reliqui fratrum.*) Quinquaginta enim, auctore Homero, habuit filios, & filias duodecim.

261. *Ut inciperet.*) Nam in funeribus conducebantur mulieres, quæ ad lamentandum mortuum plangendi modum ceteris darent: eæ dictæ sunt *præficæ*, quasi quæ aliis ad id muneris præficerentur. Nævius: *Hæc quidem me hercle, opinor, præfica est, quæ sic mortuum collaudat.* Festus.

262. *Polyxena.*) Priami filia.

262. *Scissa palla.*) Vestis est honestæ mulieris. Virgilius:

— *Pallam signis, auroque rigentem.*

Plautus in *Menæchmis*: *Pallam & Phrygionem fer confecto prandio* in luctibus autem funerum præ dolore vestes scindebantur.

267. *Diverso tempore*) ab eo, quo eversa fuit patria, & quo Paris parabat navigare in Græciam, ut raperet Helenam.

264. *Carinas audaces.*) Ipse audax, qui in Græciam cum Ænea, delectaque Trojana juventute navigare non est veritus, *rapturus (quod fecit) Helenam marito. Nam cum Priamus ægre ferret Hesionem sororem suam ab Hercule jure belli sublatam & traditam Telamoni, misit Paridem in Græciam edoctum, ut Hesionem repeteret; quod si non impetraret, aliam raperet. Postulata Hesione, nec reddita, regionem vastavit, & Sparta vi expugnata, Helenam abduxit. Alii scribunt Paridem a Menelao hospitio honorifice susceptum, pulcritudine mulieris captum, hospitii jure calcato cum omni regia supellectile eam abduxisse volentem. Alii diversa sentiunt. Diffusius hanc historiam in commentariis nostris *in Achilleida* recitavimus.

265. *Longa dies igitur.*) Quum ergo Priamus tam multa adversa, diu vivendo sit perpessus, quid ei profuit longa vita? ac si dicat, longe melius fuisset, si in viridiore vita mortuus esset.

266. *Asiam.*) Hyperbole. non enim tota Asia, sed multæ *Asiæ* civitates una cum Troja eversæ sunt.

276. *Miles tremulus.*) Priamus, qui ætate confectus capta jam Troja arma induit, ut patriæ opem ferret. [*Gr.*]

268. *Ruit ante aram.*) Cicer. *Tuscul.* 1. *Priamum tanta progenie orbatum, quum ad aram confugisset, manus hostilis interemit. hic si vivis filiis incolumi regno occidisset, adstante ope barbarica, tectis cælatis, laqueatis, utrum tandem a bonis, an a malis discessisset?*

269. *Summi Jovis*) Hercei, de quo Lucan.

Herceas monstrator, ait, non respicis aras.

Ovidius *in Ibin*:

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Herceus autem *Jupiter* est dictus, quod intra vallum coleretur: nam ἕρκος *septum* significat.

270. *Sed torva.*) [*Gr.*] de qua sic Plaut. *in Menæchmis*: *Non tu scis mulier Hecubam quapropter canem Graii esse prædicabant? omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat, itaque adeo jure cœpta appellari canis.* De ea item sic Cic. in III. *Tuscul. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam & rabiem, fingi in canem esse conversam*

273. *Regem Ponti*) Mithridatem, qui ad sexagesimum & octavum ætatis suæ annum per multas ærumnas & clades pervenit. [*Gr.*]

275. *Respicere* &c.) Neminem ex viventibus appellandum esse felicem, ad quod respexit. Ovid.

— *Ultima semper.*
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet,

[*Gr.*]

276. *Exilium & carcer.*) Incommoda, quæ plurima perpessus est C. Marius, habuere caussas ex longa vita. [*Gr.*]

276. *Minturnarum paludes.*) Inter Formias, & Sinuessam *Minturnæ* sunt, utrinque ad stad. LXXX. distantes]. interfluit autem *Liris* amnis, quem olim *clanim* vocavere, qui ibi paludes efficit Lucanus:

Quum post Teutonicos victor Libycosque triumphos,
Exul limosa Marius caput abdidit ulva,
Stagna avidi texere soli laxæque paludes.

278. *Hinc.*) ex longa vita.

278. *Quid illo cive tulisset.*) Procreasset. Virgil.

Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit. —

id est procreavit, & in lucem produxit. Quid enim beatius in terra exstitisset ipso Mario, si ei post triumphum Teutonicum contigisset mori?

280. *Circumducto captivorum agmine.*) Nam captivi manibus revincti post terga, vel catenis collo injectis, Imperatorem triumphantem præcedebant, usque in Capitolium. Papinius *in Sylvis*:

Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.

Propert.

Aut regum auratis circumdata colla catenis.

281. *Animam opimam.*) Allusio est ad spolia opima, quæ dux duci detrahebat.

283. *Provida Pompejo.*) Pompejo rectius consultum fuisset, si mortuus esset eo tempore, quo Neapoli ægrotavit, multis enim miseriis caruisset. [*Gr.*] Videturque Juvenalis sumsisse hoc ex Cicerone *in Tuscul.* I. *Pompejo nostro familiari, quum graviter ægrotaret, Neapoli melius est factum: coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum sane negotium, & Græculum, sed tamen fortunatum. Utrum igitur, si tum esset exstinctus, a bonis rebus, an a malis discessisset? certe a miseris, non enim cum socero bellum gessisset: non imparatus arma sumsisset: non domum reliquisset: non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum ferrum & manus incidisset, non liberi defleti, non fortunæ omnes a victoribus possiderentur. Quod si mortem tum obiisset, in amplissimis fortunis occidisset. Is propagatione vitæ, quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates?*

284. *Optandas febres.*) quæ ei optandæ fuissent, ne in tanta mala recideret.

285. *Vicerant.*) impetrarunt salutem Pompejo.

285. *Fortuna ipsius & Urbis.*) id est, infelicitas ipsius, quia interfectus est, & Urbis, propter civile bellum.

286. *Caput servatum.*) quod tam multis votis incolume diu servaverant.

287. *Lentulus.*) P. Lentulus in conjuratione Catilinaria una cum Cethego comprehensus a Cicerone Consule in carcere strangulatus fuit.

287. *Cecidit que Cethegus Integer.*) Sine aliqua membrorum diminutione, quum vitam tantum laqueo amiserit, ut scribit Sallust.

288. *Toto cadavere.*) integro. nam Catilina acriter pugnans cum hostibus confossus est, longeque a suis inter hostium cadavera repertus. Juvenal. ergo colligit nihil hominibus brevitate vitæ posse melius præstari.

289. *Formam optat.*) Confutat & eorum votum, qui liberis suis optant pulcritudinem, ostendens exemplis, quam & forma res homini perniciosa sit.

289. *Majore puellis Murmure.*) Nemo enim est parentum, qui nolit filias pulcriores esse, quam filios, mu-

multisque id rationibus, sed maxime, ut facilius ducantur.

290. *Mater Anxia.*) Sollicita de natorum formositate usque ad delicias votorum optat formam pueris modico murmure, & puellis majore, quum videt fanum Veneris, quasi quæ sit Dea, per quam genus humanum crescat, & progignatur, unde sic Venus apud Papinium loquitur:

Nil ego, nil, fateor, toto jam dulce sub orbe
Aut vidi, aut genui. —

291. *Usque ad delicias.*) Usque ad delicata nimis vota, qualia expressit Persius:

Hunc optent generum rex & regina: puellæ
Hunc rapiant, quicquid calcaverit hic rosa fiat:

quasi diceret optat, ut tam formosa sit, ut eam juvenes in suos amplexus optent.

291. *Delicias.*) Appellatione *deliciarum* accipimus omnia, quæ loco festivitatis habentur.

291. *Cur tamen corripias.*) Cur, inquit, o Poeta damnas hoc votum. verba sunt defensoris.

292. *Gaudet Latona.*) Exemplo defendit votum esse honestum. [Gr.]

293. *Vetat Lucretia.*) Docet te, respondet, Lucretia uxor Tarquinii Collatini, quæ fuit formosa, pulcritudinem non esse appetendam, quum ipsa ob eam occiderit.

294. *Virginia.*) L. Virginii centurionis filia fuit, virgo plebeja, cujus stuprandæ consilium quum Appius decemvir cœpisset, eamque corrumpere nequiret, clientem subornavit, qui eam in servitium deposceret, facile victurus, quum ipse esset accusator & judex. Pater qui tunc in Algido militabat, re cognita, quum ipse judicii die supervenisset, & filiam ante tribunal locatam, quum defendere adversus iniquum judicem nequiret, ultimo colloquio cum ea impetrato, in secretum adductam, cultro de taberna lanionis abrepto occidit, hoc tamen, quum adhuc viveret, dicto: *Liberam te & honestam, filia, ad manes progenitorum mitto. Nam viventi neutro horum per tyrannum tibi potiundum erat.*

294. *Gibbum.*) Tumorem appellamus, & eminentiam in quacunque parte corporis. Tranquillus *in Othone: Excreverat etiam in dexteriore latere ejus gibbus vel caro, propendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur.* & Juvenal.

— *Mediisque in naribus ingens*
Gibbus. —

295. *Rutilæ.*) Aut notat mulierem deformem temporibus suis, aut eam designat, de qua Plin. *lib.* VII. quæ vixit per nonaginta & septem annos.

295. *Suam*) faciem.

296. *Trepidos parentes.*) ne corrumpatur.

298. *Horrida.*) Inculta, & omnium deliciarum expers.

299. *Veteres Sabinas.*) Nam mulieres Sabinæ, pro exemplo pudicitiæ habentur. Horatius:

Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum, atque dulces liberos
Sabina, qualis. —

Mart. *lib.* I.

Casta nec antiquis cedens Lævina Sabinis.

300. *Præterea castum.*) Licet benignitate naturæ fiat, ut aliquis sit castus, & verecundus per se nullo custode adhibito, nec cura alicujus, qui cogat esse pudicum & bonum, quando ipsa natura sit optima custos: tamen non licet esse virum, cum maxime velit. cogitur enim tanquam fœmina pati muliebria, & cinædus fieri.

301. *Natura larga*) ad conferendum. Ostendit autem naturam difficulter superari.

304. *Non licet esse viros.*) quia, ut dixi, stuprantur.

304. *Corruptoris.*) quia muneribus etiam ipsos parentes expugnat, ut vendant filios ad obscœna.

306. *Nullus ephebum.*) Aliud periculum indicat imminere formosis. Nam a potentioribus castrabantur, & Principibus adhibebantur custodiendis lectis matronatum.

306. *Ephebum.*) id est, puerum, qui jam pervenit ad pubertatem. Nam *ephebi* dicuntur, qui ad pubertatem pervenere, ea omnino ætas est ab anno decimoquarto ad decimumseptimum. Ephebia est prima ætas adolescentiæ. Censorinus *lib. de Die Natali*, & Donatus.

307. *Arce.*) *Arx*, auctore Asconio, vel sedes tyranni dicitur, vel editior in civitate & munitior ad salutem civium locus. Virgilius:

Quo res summa loco, Panthu, quam prendimus arcem!

308. *Rapuit.*) Stupravit.

309. *Strumosum.*) *Struma* est tumor, ut scribit Celsus *lib.* V. in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, & quasi glandulæ oriuntur. nascuntur etiam & in inguinibus & lateribus, sed maxime in cervice.

302. *Tumentem utero.*) Qui sit ventre tumenti, & inflato.

319. *Nunc lætare.*) Inhibitio per ironicam permissionem. Quum filius tuus formosus tam multis obnoxius sit periculis, debes sane pulcritudine ejus delectari, quasi dicat: nihil habes, quod læteris.

311. *Majora discrimina.*) Proponit aliud incommodum & periculum formosorum, adulteri enim fiunt publici.

313. *Felicior astro Martis.*) id est ipso Marte, quem cum Venere concumbentem Vulcanus clam retibus adamantinis involutum omnibus Diis videndum præbuit.

314. *Exigit.*) Poscit, & tanquam debitum repetit,

 nia-

maritus, inquit, iratus dolore uxoris adulteratæ, graviores sumit pœnas, quam leges tolerant.

314. *Exigere.*) Sustinere, alibi:

Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax.

315. *Iste dolor.*) Quem mariti ex muliere adulterata concipiunt.

316. *Necat hic ferro.*) Aemulatio est Horatii II. *Serm.*

Hic se præcipitem tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam, dedit hic pro corpore nummos.

317. *Mugilis intrat.*) *Mugilis*, vel *mugil*, utroque enim modo dicitur, piscis est, cujus natura, teste Plinio *lib.* IX. ridetur, in metu capite abscondito totum se occultari credentis, per inferiora mœchis immittebatur. Catullus:

Ah tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta,
Percurrent raphanique mugilesque.

318. *Sed tuus Endymion.*) id est, Filius tuus formosus, qualis fuit Endymion venator, quem Luna ob speciem dilexit, dormientemque est osculata. Propertius:

Nudus & Endymion Phœbi cœpisse sororem
Dicitur, & nudæ concubuisse Deæ.

Papinius *in Sylvis*:

— Cedat tibi Latmius ultro.

id est Endymion. *Endymion* ergo pro specioso amatore ponitur. sic etiam apud Apul. *lib.* I. ubi quum ipsum auctorem tertio abhinc anno interpretaremur, omnesque codices haberent, *charus Endosmion*, correximus *Endymion*.

318. *Fiet adulter.*) Sponte formosas, turpes autem conductus precio amabit, earumque libidini inserviet.

319. *Servilia.*) Heic ponitur pro vulgari muliere & adultera. alludit autem ad Serviliam Bruti matrem, Catonisque sororem, cum qua Cæsar libidinis commercium habuit. auctor Plut.

320. *Exuet omnem.*) id est deponet. est autem ratio, quare matronam, quam non amat, ineat, quia illa suo ornatu se spoliat, & adulterum ditat. C. Nescio quomodo elegantius aliquanto legatur in altero codice, *eruet*, non *exuet*. S.

321. *Quid enim.*) Nihil mulier habet, quod mœchis non donet.

322. *Inguinibus.*) Voluptatibus suis Venereis.

322. *Sive Hippia.*) Sive prodiga est, ut Hippia, sive avara, ut Catulla, omnino in adulterum est liberalis. potest etiam esse hic sensus: sive nobilis est, ut Hippia, sive humili loco nata, ut Catulla, ac per hoc omnes pariter mulieres, quum impudicæ sunt, in amatores suos sunt liberales. Aliter etiam exponi potest, ut sic dicas: sive pauper est, sive dives, in amatores suos liberalis est, quum est impudica.

323. *Deterior fœmina.*) Mulier impudica, quæ aliis in rebus honestatem calcat, in adulterum se benignam præbet & liberalem, ne sibi objici possit, quod sit rustica, & male morata, quum amatori defatigato nihil deneget ergo in *eo habet totos mores*, id est nihil omittit, ut non possit dici bonis esse moribus, quum se benignam, facilem liberalemque præbeat.

324. *Sed casto quid forma nocet.*) Anthypophora est, quasi Juvenalis dixerit omnem formam esse noxiam. Adversarius contra neget, inquiens, formam non nocere casto, id est, qui in castitate vivere proposuerit. Poeta ergo exemplum subdit Hippolyti & Bellorophontis, probans formam eis nocuisse, quum maxime pudicitiam tueri constituissent. Hippolytum enim, quum ob egregiam formam Phædra noverca deperiret, isque eam aversaretur, dolore percita, Theseo patri eum adulterii falso accusavit, ob quam rem pater iratus a Neptuno petiit, vel si mavis Ægeo, ut phocas immitteret, quum juxta littus quadrigis veheretur; quo facto, equi consternati in fugam per sylvas conversi Hippolytum discerpserunt.

325. *Grave propositum*) conservandæ castitatis.

325. *Quid Bellerophonti.*) Bellorophon filius Glauci regis Corinthiorum, quum ad Prœtum Abantis filium Argivorum regem pervenisset, a Sthenobœa, vel, ut scribit Homerus, Antea uxore Prœti dilectus fuit impatienter, ea ab eo petit, uti sui copiam faceret, promittens ei conjugis regnum: quæ quum impetrare nequiret, verita, ne se apud regem criminaretur occupavit eum, asserens Bellorophontem sibi vim inferre voluisse. Prœtus, quod eum dilexerat, noluit de eo supplicium sumere: sed eum ad Lobaten patrem Sthenobœæ misit, ut illum Chimæræ lacerandum objiceret, quæ eo tempore Lyciorum agros vastabat, unde bellua occisa victor profugiens, quum ad cœlum evolare contenderet, neque jam longe abesset, tertius altitudine decidit, periitque. Ostendit igitur Poeta, hæc mala ei ob nimiam pulcritudinem obtigisse. Nota est fabula apud Hyginum *de Sideribus*. & apud Homerum *lib.* VI. *Iliados*.

328. *Concussere ambæ.*) Commovere se, & erexere ad vindictam. tractumque est a luctatoribus, qui certaturi manus concutiunt.

329. *Pudor.*) quo afficitur, quum ausa sit rem pudendam tentare. C. Est autem *pudor*, ut definit *Ethic.* IIII. Aristoteles, metus quidam dedecoris, & infamiæ. *Pudore* accenditur *odium* & crescit, ut jam nihil cupiat, quam calamitatem, & perniciem ejus, in quem fertur. Nam *odium* ira est inveterata. S.

329. *Odio,*) quo fertur in eum, a quo repudiata est.

329. *Elige quidnam.*) Ostensurus est Poeta formam obesse ex historia, quam a Tacito perscriptam breviterque a Tranquillo tactam in exemplum affert: nam Messalina Claudii Imperatoris uxor novo furore, inusitatoque amore in C. Silium juventutis Romanæ formosissimum ita exarserat, ut Juliam Syllanam nobilem matrimonio ejus exturbaret, vacuoque adultero poti retur. neque Silius flagitii aut periculi nescius erat, sed certo, si abnueret, exitio, & nonnulla fallendi spe, simul magnis præmiis operiri futura, & parentibus frui pro solatio habebat. illa non furtim, sed multo comitatu ventitare domum, & congressibus adhærescere, largiri opes, honores. Itaque profecto Claudio Hostiam, nuptiarum solennia celebrata sunt, adhibitus, qui tabulas obsignaret, verba auspicum audita, sacrificatum apud Deos, discubitum inter convivas, nox denique acta licentia conjugali. Cæsar re cognita, in præteritum Silio veniam dari jubet, redderet uxorem, rumperetque tabulas, quum interea Narcissus libertus a Claudio Hostiam accitus dixit: matrimonium Silii videt Populus, & Senatus, & Miles, & ni propere agis, tenet urbem maritus. Timens igitur Messalina in Lucullianos hortos digressa est, tentavitque postea marito occurrere, ut veniam impetraret. Silius tribunali admotus non defensionem, non moras tentavit, precatus, ut mors acceleraretur. Occiso igitur Silio Messalina in hortis Lucullianis Narcisso instante ictu tribuni transfixa est.

329. *Elige quidnam suadendum.*) Hac interrogatione ostendit Silii utramque conditionem fuisse difficilem, sive Valeriam Messalinam uxorem duceret, sive abnueret. ait ergo Poeta, elige, quid putes suadendum Silio, ducatne uxorem, an abnuat. quasi diceret, utrumque omnino durum est. nam si duxerit, periculum necis imminere a marito, si abnuerit, ab ea. verba autem sunt Juvenal. ad monitorem.

332. *Rapitur miser*) ad nuptias.

332. *Exstinguendus.*) quia postea interfectus est imperante Cæsare.

333. *Messalinæ oculis.*) id est, ante oculos Messalinæ adducitur Silius, & eam sibi matrimonio conjungit.

334. *Flammeolo.*) velo coloris lutei, quo novæ nuptæ caput obtegebant.

334. *Genialis*) Lectus. *Genialis* proprie, auctore Festo, dicitur, qui nuptiis sternitur in honorem *Genii*, unde & appellatur. de *Genio* multa alibi, & præcipue apud Persium ex auctoritate Censorini.

334. *Tyrius.*) Purpureus. Nam ex *Tyro* insula purpura piscis habetur, qui liquorem in faucibus habet, aptum ad tingendas vestes. auctor Plinius.

335. *Decies centena.*) id est, ut plenam locutionem faciam, Sestertium decies centena millia. hanc summam vulgus millionem vocat: ea continet scutatorum sive coronatorum viginti quinque millia, qui aliquando fuit Senatorius census Romæ. Poetæ interdum, solo utuntur adverbio. dicunt enim, decies, pro decies centena millia sestertium, ut in illo Mart. *ad Calenum*:

Optarent tibi centies amici.

id est centies centena millia. C. S. C.

335. *Ritu antiquo.*) id est, quamvis ante Augustum census senatorius fuerat. Varius enim fuit census senatorius Romæ, aliquando minor, aliquando major, verum nunquam major, quam sub Augusto. fuit enim decies sestertium, hoc est ad triginta millia coronatorum.

336. *Cum signatoribus auspex.*) Nuptiis enim auspices interponebantur. Valerius *lib. II.* *Apud antiquos non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumto, quo ex more nuptiis etiam nunc auspices interponuntur.*

337. *Hæc tu secreta.*) Forsan, tu existimabis, o Sili, has nuptias secreto celebratum iri.

338. *Non nisi legitime.*) Hinc furiosam Messalinæ libidinem ostendit, quæ omnia secure fecerit, & inter convivas in amplexibus Silii steterit.

338. *Nisi legitime.*) Nisi secundum rationes conjugales, & leges.

338. *Quid placeat, dic.*) O Sili.

339. *Pereundum est ante lucernas.*) id est in medio convivio nocturno, quo tempore cœnatur ad lucernas.

340. *Si scelus.*) id est si Messalinæ conjungeris.

340. *Mora parvula.*) Brevissimum tempus

343. *Imperio*) Messalinæ.

344. *Quicquid levius.*) Utcunque feceris, omnino tibi erit moriendum, aut per Cæsarem, aut per Messalinam.

346. *Nil ergo optabunt homines.*) Verba monitoris ad Juvenalem: ergo, inquit, quum undique, ut declarasti, immineant pericula, homines nihil petere a Diis debebunt.

346. *Si consilium vis.*) Verba Juvenalis respondentis monitori.

347. *Expendere quid Conveniat.*) Sines, ut ipsi Dii expendant, & quasi rem ponderando id dent, quod nobis sit utile & commodum. Secundum dictum illud Socratis, qui ajebat, a Diis nihil ultra petendum esse, quam ut tribuerent bona, quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile, nos autem plerunque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret.

349. *Nam pro jucundis.*) Loco eorum, quæ nos jucunda ducimus.

350. *Illis*) Diis.

353. *Qui pueri.*) quales pueri.

354. *Ut tamen & poscas.*) Ut concedamus, ut ab ipsis Diis etiam aliqud poscas, id tantummodo petendum est, ut sit mens sana in corpore sano: hæc enim sunt, quæ Cic. *de finibus Bon, & Mal. prima naturæ* appellat, hoc est, quæ in homine sunt præstantissima: sensuum videlicet & membrorum integritas. Unde est illud *Apul. in Dogmate Platonis*, tunc hominem esse perfectum, quum anima & corpus æqualiter copulantur, & inter se conveniunt, sibique respondent, ut firmitas mentis prævalentibus corporis viribus non sit inferior: Idem sensit Horat. *in Odis*:

Frui paratis, & valido mihi
Latoe dones, at præter integra
Cum mente, nec turpem senectam.
Degere, nec cithara carentem.

355. *Tomacula.*) Edulia sic dicta, quod Græci τέμνειν *sectionem* dicunt, hoc esse puto, quod Macrob. appellat *insitium*, ab eo quod in secta cato reticulo circurcundatur. Mart.

Quod fumantia qui tomacla raucis
Circumfert tepidis coquus popinis.

fiebant enim ut plurimum ex jecore, & pulmone porcino: eratque genus cibi servilis: in luxu autem erant abdomina, testiculi, vulvæ, sincipitia, quæ Censoriis legibus quandoque fuerunt interdicta.

357. *Fortem animum.*) Laudabile est votum & ad animi tranquillitatem accommodatum, in qua tranquillitate beata vita consistit. Sic Virgil. *Georg.* II. eum felicem appellat, qui

— Metus omneis & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari. C. S. C.

357. *Et mortis terrore carentem.*) Cic. *de Off. lib.* I. *Magnitudinis animi & fortitudinis proprium est, nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare.* C. S. C.

357. *Spatium vitæ.*) i. finem vitæ, mortem ipsam, est enim sapientis id non timere, quod vitari non potest

360. *Nesciat irasci.*) Animi perturbatione non agatur. in sapientem enim ira non cadit, mortem non timet, sed eam inter munera naturæ connumerat.

360. *Et potiores Herculis ærumnas.*) qui potius ad virtutes, quam ad voluptates erigatur.

361. *Ærumnas.*) *Ærumna* est, ut scribit Cicero, ægritudo quædam animi laboriosa.

361. *Sævosque labores.*) aut quos satis crudeliter imperavit Eurystheus, aut magnos, & vix superabiles.

362. *Et Venere & plumis Sardanapali.*) id est, quam sint deliciæ & voluptates, quales sequutus est Sardanapalus, qui ultimus Assyriorum rex, in omnem libidinem ita se demisit, ut nunc viri, nunc mulieris vice abuteretur, omni prorsus calcata & sexus & pudoris cura. Stola enim muliebri faciem, totumque corpus in modum pellicis fuco componens, ultra sexum muliebrem lasciviebat, vocem fœmineam imitatus, cibum potumque, qui voluptatem præberent, continuo appetebat. Adeo vero deliciæ, turpis volupras, incontinentia in eo viguere, ut successoribus post obitum in sepulcro inscribi barbarica verba mandaverit: *Hæc habeo, quæ comedi, & quæ cum amore & voluptate percepi.* De Sardanapalo multa Strabo *lib.* III. Justinus, Diodorus *lib.* III. Cic. *lib.* V. Tusc.

363. *Monstro, quod ipse tibi*) Docet Poeta bene beateque vivere volenti, omnes animi cupiditates esse superandas, Virtutemque voluptatibus anteferendam, quod omnino est sapientis. unica enim via est virtutis, quæ ad quietam tranquillamque vitam nos ducit, tutos vel ab omnibus fortunæ telis. neque enim Fortuna ullam habere potest potestatem in illum, qui se virtutis armatura induerit, nam fortunæ fortiter resistit, minas ejus haud timet, omnes impetus facillime sustinet.

363. *Ipse tibi possis dare.*) id est quod tu per te ipsum sine difficultate potes arripere, unicuique enim licet rectum vivendi iter ingredi, vitamque beatam apprehendere.

365. *Nullum numen habes.*) Est veluti contra fortunam responsio, tanquam insidias & incommoda minitantem, ut sit sensus: Non est, o fortuna, quod homini, quem in sinu virtutis residentem invenis, minitteris. *nullam* enim *habet* potestatem in nos, *si sit prudentia*, hoc est si cum virtute omnia agimus. Sed tamen *nos* veluti cœci, & parum perspicaces, *te facimus Deam*, tanquam quæ res humanas ex libidine moderetis, quod in homine Sapiente facere non potes, quum ipse Virtutis umbone omnes tuos impetus facile sustineat & superet. prudentis enim est agere recta, veraque cum ratione. Nam *prudentia* stat in delectu bonorum & malorum, ut Cic. ait. Qui ergo ea bona sequuntur, quæ dicuntur esse fortunæ subjecta & externa, ut sunt divitiæ, honores, & dignitates, quæ homini auferri possunt, dicunt naturam humanam fortunæ esse subjectam. Sed si bona animi sequerentur, id est virtutes, quæ ab eis auferri nequeunt, tunc intelligerent id, quod est verum, naturam humanam casibus non esse subjectam. quia ipsa sibi cunctis in rebus prospiceret. C. Sunt, qui legant. *nullum numen abest*: ut sit sensus, Deos adesse iis, qui prudenter rem gerunt: quod si sine consilio prudentiaque temere rem gesseris, nihil esse, quod fortunam, ut vulgus facit, incuses, sed te ipsum, tuamque temeritatem, & socordiam. S.

IN

IN SATYRAM XI.

A*Tticus eximie.*) Hac satyra Poeta alloquitur Persicum amicum suum, quem invitaverat in cœnam, pollicetúrque se ei frugalem cœnam daturum. Hincque nactus occasionem eos insectatur, qui cœnas lautiores parant, quam modus facultatum ferat: ostendens omnibus in rebus luxum fugiendum esse, mediocritatemque colendam, & unumquemque secundum Chilonis sententiam, seipsum noscere debere, nequid omnino supra vires suas efficiat.

1. *Atticus eximie.*) *Atticus* (quem pro nobili & potenti viro ponit) si laute & splendide parat cœnas, laudatur ab omnibus, & merito, quia dives est: si vero Rutilus idem facit, omnibus est ludibrio, quia tenui est divitiarum censu: ut ostendat unicuique pro qualitate divitiarum colendam esse vitam. [*Gr.*]

2. *Lautus habetur.*) i. magnificus & splendidus. Nam *lautitia* est hominis splendidi & divitis. Eos enim *lautos* dicimus, qui nitido, magnificoque epularum apparatu vivunt, quasi qui velint omnia delicata, & lauta.

2. *Si Rutilus, demens.*) *Rutilum* sui temporis hominem mediocrium opum notat, qui sumtuosas, opiparasque cœnas parabat, nulla habita facultatum suarum ratione, ita ut omnes sentirent & dicerent, eum ad summam miseriam perventurum, & absumtis omnibus bonis ad armorum tractandorum meditationem descensurum, ex quo quæstu viveret.

3. *Quam pauper Apicius.*) Quam pauper gulosus.

4. *Convictus.*) Convivium, ac per hoc omnes convivæ.

4. *Thermæ.*) Loca calida, ubi desudabant, qui loturi erant in balneis. qui enim in balneis lavabantur, loco prius calido, aut ad ignem aut ad Solem desudabant postea lavabantur, postremo perungebantur oleo. Apul. *lib.* IV. *Met. Nudatique & flammæ largissimæ vapore recreati, aqua calidaque perfusi, & oleo peruncti ad mensas dapibus largiter instructas accumbunt.*

4. *Stationes.*) Statio dicitur quicunque locus in Urbe, ubi frequenter consistitur, veluti porticus publica, aut quadrivia, aut officina, quam & nostris temporibus *stationem* appellamus, in qua considerent. [*Gr.*]

5. *De Rutilo*) loquuntur, quæ sequuntur.

5. *Nam dum valida.*) Verba sunt vulgi prævidentis miseriam Rutili gulosi. ut sit sensus: Profecto brevi futurum est, ut ad summam inopiam redigatur, & recta quidem ad eam festinat. Nam dum est juvenis, facilius poterit arma tractare, sicque est ironice dictum. Ex juventute enim utriusque ordines profligatissimus quisque in opera scenæ arenæque edendi senatusconsulto tenebatur, multi etiam famosam judicii notam sponte subibant. Quod, ut turpissimum, hoc loco insectatur Poeta. Itaque non exponas ipsum, futurum lanistam, qui alios doceat, sed futurum gladiatorem, descensurumque in arenam ad digladiandum, quemadmodum multi nobiles sponte sua fecerunt temporibus Domitiani. *Sat.* VIII.

— *Quanti sua funera vendant,*
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone.

unde & Tranq. *in Cæsare* scribit munere gladiatorio Furium Leptinum stirpe prætoria, & A. Calpenum senatorem quondam auctoremque caussarum in foro depugnasse.

7. *Non cogente quidem.*) Faciet hoc sponte, ut discat rationem tractandorum armorum, non autem cogente tribuno. Nam tribuni plebis, quum Consules habebant delectum populi ad militiam, aut cogebant Quirites dare nomina, aut prohibebant ob seditionem, & odium in patres. Auctor Liv. unde dies L. Manlio dicta fuit a M. Pompejo tribuno pleb. propter delectum acerbe factum. lege Liv. *lib.* VII. & III. *At ex parte altera consules in conspectu eorum positis sellis delectum habebant, eo decurrunt tribuni concionemque secum trahunt.* Et paullo post: *Quemadmodum tribuni gessissent in prohibendo delectu, sic Patres in lege impedienda gerebant.* Poeta ergo ostendere vult tale genus hominum, quum a fortunis suis per luxum deciderint, quasi ibi præclusa omnia honestatis semita ad armorum tractandorum meditationem descendere solere, ut ex eo quæstu tanquam gladiatores vivant.

8. *Scripturus leges*) tractandorum armorum, quas dabit ei lanista. rationes enim inferendi & vitandi ictus docebant *lanistæ*, non modo gladiatores, sed etiam tyrones. ipsos Tranq. *in Cæs. Tyrones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos ac etiam per senatores armorum peritos erudiebat.* Videtur alludere ad illum P. Rutilum, a quo, ut scribit Valer. *lib.* II. armorum tractandorum meditatio tradita est militibus. Is ex ludo C. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit.

8. *Verba regia lanistæ.*) Dictata ipsius lanistæ, qui inter gladiatores est tanquam Regulus & magister.

8. *Lanistæ.*) Ii erant, qui familias habebant gladiatorias, quas mercede locabant edentibus munera, dicti a

laniando, quod præessent gladiatoribus, qui invicem dimicando se dilaniarent. unde & *lanii* dicuntur, qui *laniant* pecora & carnes venditant.

6. *Multos porro vides.*) Multi insuper existunt ex gulosis, qui pecuniam fœnore acceptam gulæ obsequentes atterunt, decipiuntque ipsos creditores, quos sæpe eluserunt, qui quum promiserint se soluturos, tergiversantur, & gulæ tantum memores, debiti obliviscuntur.

11. *Et quibus.*) Et vides multos, qui nullam aliam ob caussam videntur vivere, quam ut comedant. [*Gr.*]

11. *Solo palato.*) Nam intellectus saporum, quum ceteris sit in prima lingua, homini etiam est in palato.

12. *Egregius.*) Adverbium comparativum est hoc loco. i. *magis egregie*, quod quidem rarum est.

13. *Et cito casurus.*) In paupertatem lapsurus.

13. *Ruina perlucente.*) i. egestate jam apparente.

14. *Interea.*) dum adhuc sunt divites.

14. *Omnia elementa.*) Aut ad illam consuetudinem respexit, quam Antoninus Geta, ut scribit Spartianus, habebat, ut prandia per singulas literas juberet scientibus servis, velut in quo erat *anser*, *aprunа*, *anas*. Item *pullus*, *perdix*, *pavus*, *porcellus*, *piscis*, *perna*, & quæ in eam literam genera eduliorum caderent. [*Gr.*] Aut (quod omnino placet) hyperbolicos dictum est. neque enim per omnia elementa, quæ quatuor sunt, sed per tria duntaxat: *aerem*, *aquam*, & *terram*, ut dicat volatilia aquatilia, & terrestria animantia quæri ad epulandum.

15. *Nunquam animo preciis obstantibus.*) Nunquam magnitudine precii terrentur, quo minus lautas cœnas sibi parent.

15. *Interius si Attendas.*) Ratio, quare sumtibus non parcant. illa enim suaviora videntur, quæ majore comparantur precio.

16. *Attendas interius.*) Si rem diligentius consideres, & intrinsecus inspicias.

17. *Ergo.*) quum preciosis epulis delectentur, ut suavioribus.

17. *Haud difficile est.*) Facile est iis gulosis.

17. *Arcessere summam.*) Evocare, & contrahere grandem æris alieni summam, datis pignoribus. Apul. *lib.* x. *Veste ipsa mea, quamvis parvula, distracta sufficientem corrasi summulam*, id est contraxi.

17. *Periturum.*) quæ gulæ gratia intereat.

18. *Lancibus oppositis*) pignori. intellige aureis, vel argenteis.

18. *Vel matris imagine fracta.*) Tanta gula est, ut non solum lances opponant pignori, sed etiam mediam statuam matris, quod maxime ignominiosum erat.

19. *Et quadringentis.*) Facile existunt, qui condiant, & parent largas, & uberes cœnas, vel quadringentis nummis, id est integro censu equestri, etiam in fictilibus, id est in mediocri etiam rerum facultate. C. Continet ea summa ad decem millia coronatorum. *nummis*, nimirum sestertiis. S.

19. *Condire.*) Proprium est ciborum, quos adhibito multo pingui dicimus bene conditos. ergo *condire*, magna sumtu & delicato parare.

20. *Fictile gulosum.*) Epulas lautas & opiparas, etiam in paupertate, quæ fictilibus utitur.

20. *Sic veniunt ad miscellanea ludI.*) Hoc modo ludii fiunt absumtis per gulam opibus. & sic ad *miscellanea veniunt*, hoc est ad ludos, & artes ludicras. [*Gr.*] Nam *miscellanea*, sive. *miscellos* ludos appellabant. Suetonius *in Caligula*: *Edidit & peregre spectacula, in Sicilia Syracusis hasticos ludos, & in Gallia Lugduni miscellos*. Videntur dici a *miscendo*, quod aut ibi varia hominum ludentium multitudo commisceretur, aut varia ludicra peragerentur. unde & Apul. *lib.* III. *Metam. turbam miscellaneam* appellavit, quæ confusanea est, atque commixta ex variarum aggregatione gentium.

20. *LudI.*) Pro *ludii*, sicut peculI, pro peculii, palatI pro palatii. *Ludii* autem & ludiones dicti sunt pari modo histriones. Livius *lib.* VI. *Ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant.* Ovidius:

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Unde Ludiæ etiam fœminæ sunt appellatæ, quæ artes ludicras exercerent. Martianus Capella: *Ludicram quandam Gaditanam saltantem vidimus semicinctam.*

21. *Refert ergo.*) Quum ergo omnes pari luxu vivant, multum interest, divesne sit, an pauper, qui ita vivat. Nam virtuti datur diviti luxus, pauperi vero vitio.

21. *In Rutilo*) vivere splendide & magno apparatu, appellatur luxuria in Rutilo, id est in paupere.

22. *In Ventidio autem.*) id est divite, & potente viro non censetur luxuria, sed honestius accipitur nomen, quasi, qui nihil superfluum faciat, quum dives sit. Ventidium autem divitem fuisse docet & Persius:

— Nostin VentidI prædia? cujus
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.

Fuit autem temporibus Claudii Neronis, quem Corn. Tacitus *in Claudio* scribit nationi Galilæorum, & Felicem fratrem Pallantis Samaritis præfuisse.

23. *Illum ego jure.*) Ille omnino extremæ dementiæ est censendus qui facile cognoscat, quanto Atlas sit sublimior aliis montibus, & non quantum exiguum patrimonium distet a magno, ut minuat, unicuique secundum modum divitiarum esse vivendum.

24. *Atlas in Libya.*) Atlas mons est Mauritaniæ juxta fines Oceani ad occidentem, citro arbore nobilitatus,

tatus, miræ altitudinis, ut, auctore Herodoto, ejus cacumen nequeat cerni, quod a nubibus nunquam relinquitur, neque hyeme neque æstate: Columnam cœli illum esse indigenæ ajunt.

26. *Dites.*) ab amplis divitiis. solent enim arcæ potentiorum adversus rapinas furum armari ferro.

27. *Sacculus*) modicæ opes.

27. *E cælo descendit γνῶθι σεαυτόν.*) id est Cognosce te ipsum. Hoc de cœlo non descendit, sed a Chilone Lacedæmonio inventum ostendit Plinius *lib.* VII. *cujus responsa pro oraculis habebantur.* ea fuere tria: *Cognosce te ipsum, Nihil nimis, Comes æris alieni atque litis est miseria.* Hæc quum in templo Delphici Apollinis essent consecrata, & literis aureis inscripta, e cœlo descendisse creditum est: per quod monet unicuique non jam corporis sui membra, aut staturam, figuramve, ut scribit Cicero I. *Tuscul. Quæst.* esse noscendam, sed, quid cunctis in rebus valeamus, considerandum, nequid in tota vita agamus, quod supra nostri sit, aut ingenii, aut corporis, aut fortunæ vires, quod per sequentia docet. C. Alium quoque usum hujus dicti docet Cicero *Epist. ad Q. Fr. lib.* III. *Cessator esse noli, & illud γνῶθι σεαυτόν, noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam, ut bona nostra norimus.*

29. *In parte sacri senatus.*) Sive studeas esse senator. debes enim te ipsum noscere, an tali muneri sis idoneus, quum nihil sit reip. perniciosius imperito moderatore.

30. *Nec enim loricam.*) Exemplo docet homini nihil esse quærendum, quod viribus, aut ingenii, aut corporis sui sit majus. Est enim sensus: Thersites, qui vilissimus fuit in castris Græcorum, quum seipsum nosceret, nunquam arma Achillis poposcit, quasi qui præclaris rebus minime esset idoneus, quum de iis in medium prolatis a Theride post mortem filii certarent Ulysses & Ajax Telamonius.

31. *Se traducebat*) Præbebat se ridendum. Nam *traducere* est præbere se ridendum, & ignominia afficere. nam non minori erat dedecori Ulyssi gestare arma Achillis, quam corvo pennas pavonis. Aut revera *traducebat*, id est ostendebat se armatum, tanquam Achillem: quo significatu videtur & Martialis accepisse:

Una est in nostris tua, Fidentine, libellis,
Pagina, sed certa domini signata figura,
Quæ tua traducit manifesto carmina furto.

32. *Ancipitem.*) Dubium intuentibus, num Achilles esset, utpote qui revixisset, præberetque se videndum, ut facile posset hostes decipere, ne alter esset Achilles quum arma ejus conspicerent. Nam *anceps* dicitur, quod in ambas partes capi posse videtur. ac per hoc Poeta notat ipsum Ulyssem, qui viribus longe impar Achilli, ejus tamen arma sibi induerer.

32. *Seu tu magno.*) Sive gravem amici caussam es defensurus, te ipsum debes metiri, & diligenter considerare, an rei tractandæ sis aptus. Unde illud Martial.

Qui sua metitur pondera, ferre potest.

C. Item Horat. *in Poetica*, jubet.

— versare diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri? — S.

33. *Qui sis.*) Quid possis efficere,

34. *Orator vehemens.*] id est Consule, & teipsum interroga, an iis orator vehemens, an quales fuere Curtius Montanus & Matho viles caussidici. Sicque utrumque, ut vilem caussidicum flagellat.

35. *Buccæ.*) melius, si cum inferioribus conjungatur, ui sit sensus: Unusquisque considerare debet eloquentiæ suæ vires tam in summis, quam in minimis rebus, si ei sit orandum, ut perstet in actione caussarum.

36. *Etiam cum piscis emetur, Nec mullum.*) Quum pauper sis, diviti homini noli te æquiparare, sed ad divitiarum tuarum modum fac te metiaris.

37. *Gobio.*) id est precium Gobionis piscis, qui exiguo paratur precio. de quo Plinius *lib.* IX. & Martialis:

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse soles.

39. *Manet exitus.*) quasi dicat, Magna te exspectat miseria, quum per luxum epularum bona tua atriveris.

42. *Talibus a Dominis.*) Ex quo per ingluviem bona sua absumserunt, coguntur *annulos* deponere, i. insigne equestre, & plerunque mendicare. Nam annulus aureus insigne erat equestris dignitatis, nec eum gestare poterant, nisi cui erat quadringentorum sestertium summa, qua imminuta eum deponere cogebatur. Apul. II. *Apolog. Negat posse dissolvere annulos aureos, & omnia insignia dignitatis abjicit, cum creditoribus depaciscitur.* Martial.

Dum donas Macer annulos puellis,
Desisti, Macer, annulos habere.

id est habere censum equestrem.

41. *Talibus a dominis.*) ironicos, a luxuriosis.

42. *Exis.*) Deponitur, quia eum amplius gestari non licet, Imminuto censu equestri. Plinius XXXIII. *Annuli medium ordinem, tertiumque plebi & patribus inseruere.*

43. *Pollio.*) qui eques fuerat & dives? puto Juvenalem intellexisse de *Cajo Arvilio Pollione*, qui, ut scribit Plinius, prodigi & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii, primus temporibus Neronis docuit secare putamina testudinum in lamnas, & lectos discubitorios

xiosoperiri, qui forte per nimiam rerum luxuriam bona sua absumsit.

33. *Non prematuri cineres.*) Non est homini luxurioso timendum, ne eum ante tempus occupet mors, sed ne diu vivat & in miseram senectutem perveniat.

45. *Luxuriæ.*) Homini luxurioso.

46. *Hi plerunque gradus.*) Malum vivendi ordinem Romæ videbis, ut multi pecuniam sibi creditam consumant, deinde sine aliquo pudore fugiant ex Urbe.

47. *Et coram dominis.*) Emphasin habet hæc particula.

47. *Dominis.*) hoc est Fœneratoribus ipsis videntibus.

47. *Inde ubi paullum.*) Ubi paullum sibi ex bonis suis superesse vident, & jam fœnerator maxime timet, ne perdat pecuniam creditam, patriam deserunt fugientes.

42. *Qui vertere solum.*) Vertere solum dicitur, qui patriam suam deserit, & in aliena exsulat. Liv. *lib.* III. *Collegæ eorum exilii causa solum verterunt.*

49. *Ad ostia.*) Tiberina, ut inde navigent. *Ostia* enim dicuntur fluminum exitus in mare. unde dicimus *Nili septem esse ostia.*

50. *Cedere namque foro.*) Non pluris faciunt deserere civitatem, quam si a celebri loco ad minus celebrem migrent: *forum* autem pro Urbe sæpe ab Auctoribus ponitur, quia locus est civitatis frequentior. *Valer. lib.* II. *Jam hæc censura ex foro in castra transcendit* hoc est, ex correctione morum Urbis contulit se etiam ad notandos mores militantium.

51. *Aesquilias.*) Unum ex septum collibus Urbis.

51. *Suburra ferventi.*) hoc est celebri. Nam *Suburra* vicus fuit celebratissimus in Urbe.

52. *Ille dolor.*) Hinc notat populi Romani desidiam, cui nihil magis curæ esset, quam spectare ludos Circenses, unde & supra:

Si potes avelli Circensibus. —

& alibi ante:

— *Atque duas tantum rex anxius optat*
Pana & Circenses. —

54. *Sanguinis in facie.*) i. nullo prorsus afficiuntur pudore, quum fugiunt ex Urbe.

54. *Gutta sanguinis.*) id est ruboris. Nam perfundi rubore probitatis est iudicium, unde illud Terentianum:

Erubuit, salva res est.

Diogenes, auctore Laertio, quum videret adolescentulum erubuisse, *Confide*, ait, *fili, hujusmodi est virtutis color.*

55. *Pauci morantur.*) Pauci retinent pudorem, qui propemodum nullus jam in Urbe invenitur, nec habitare potest, quum omnes eum abjiciant. Apul. II. *Apolog. Pater ejus plurimis creditoribus defœneratus, maluit retinere pecuniam, quam pudorem.*

56. *Experiere hodie.*) Hodie Persice intelliges, num ego tantum verbis frugalitatem soleam extollere, & non te ipsa amplecti. quasi dicat: invenies me & vita & moribus, id etiam præstare, quod verbis profiteor.

56. *Pulcerrima dictu.*) frugalitatem & modestiam, quæ inter alias virtutes sunt pulcerrimæ memoratu.

57. *Vita nec moribus & re.*) Potest enim aliquis frugalitatem verbis mirabiliter extollere; vita autem aut moribus nequaquam. multi enim virtutem laudant, & tamen vitia sequuntur.

58. *Sed laudem siliquas.*) victum tenuem. Nam per *siliquam* legumen intelligit.

58. *Occultus.*) qui gulæ meæ luxum dissimulem.

58. *Ganeo.*) Gulosus & ganearum sectator. Nam *ganeæ* loca erant potationibus & libidinibus apta. Tranquil. *in Tiberio: Popinas ganeasque usque eo inhibuit, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sineret.* Plin. *lib.* VIII. *cap.* XV. *Neque ex alio animali* (quam porco) *numerosior materia ganeæ, quinquaginta prope sapores, quum cæteris singuli.* Festus ait ganeum locum esse subterraneum & abditum, unde nominati *ganeones*, qui illic versarentur cum scortis, unde & illud apud Terent. *in Adelph.*

Credo abductum in ganeum aliquo.

ubi Donatus ait veteres *ganeum* meretricum tabernam dixisse, quod ipsa sit in terra, non, ut cœnaculum, superius.

58. *Pultes.*) Cibos viles & vulgares, nam ex farina in ollas coquinarias infusa fiunt. Plin. *lib.* VIII. *Milio Campania gaudet præcipue, pultemque candidam ex eo facit, fit & panis prædulcis.* Mart.

Imbue plebejas clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

[*Gr.*]

59. *Dictem.*) Mandem, præcipiam.

59. *In aure.*) Sunt, qui legant, *ore*, sed *aure* rectius, ut apponatur ei, quod dixi *coram*, & *in aure*, id est clam. C. S. C.

59. *Placentas.*) Lautæ enim gulæ sunt placentæ, quarum Cato *in Re Rustica* confecturam, docet: *Focum ubi coquas, calefacito bene, & textum, inde facito solum tenue casei ovilli, pondo* XIV. *ne acidum, sed bene recens, in aquam ter indito, postea indito mellis boni, pondo quattuor. Id bene una commisceto cum caseo, tunc placentam foco imponito, texto calido operito, videto, ut bene & otiose percoquas, aperito, dum inspicias bis aut ter: ubi cocta erit, eximito & melle ungito.* Liquidam fuisse, & dulcem ostendit Horat. *in Epistolis*:

Ridiculis totas simul absorbere placentas.

Idem

Idem alibi:

Pane ego mellitis potiore placentis.

Et Martialis *lib.* VII.

Dulci placenta sordidam linit mappam.

Seneca *ad Lucilium*: *Amicos incolumes cogitari, melle ac placenta frui est.* *Placenta* videtur esse ex genere earum, quas nos *tortas* appellamus.

60. *Habebis Euandrum.*) Deliciarum expertem cœnam pollicetur Persico, ut sit sensus: Ego te lautiore convivio non sum excepturus, quam Euander excepit Herculem, & Æneam Trojanum, quos frugalibus epulis constat exceptos. Virgilius *de Ænea*:

Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul, & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis & lustralibus extis.

61. *Euandrum.*) *Euander* filius fuit Carmentæ, qui profugis ex Peloponneso auctoritate magis, quam imperio ea loco regebat, ubi nunc est Roma. is Herculem ex Hispania interemto Geryone redeuntem cum bobus mira specie, ut filium Jovis humanissime excepit, dicata ei ara; quæ *maxima* est appellata. auctores Livius, Ovidius, Solinus, Dionysius, Justinus.

61. *Tirynthius.*) Hercules, a *Tirynthe* oppido, quod in eo gesta ejus maxime claruerunt. *Tiryns* autem oppidum clarissimum fuit Græciæ. Homerus:

Qui tenuere Argos, Tirynthaque mœnibus altam.

Sensus est autem: Venies, inquit, Hercules, aut Æneas, id est tam frugali excipieris a me cœna, quam Hercules & Æneas excepti fuerunt ab Euandro.

61. *Minor illo*) Hercule Æneas, cui rerum gestarum magnitudine haud quaquam fuit par.

62. *Sanguine.*) Nam ex Venere natus est, ut Hercules ex Jove.

63. *Alter aquis.*) Æneas, ut scribit Dionysius, quum regnasset tres annos post obitum Latini, quarto & ipse anno bello exstinctus est, quum in eum Mezentius Hetruscorum rex cum Rutulis omnibus impetum fecisset. Inito igitur prælio non procul a Lavinio, quum multi utrinque forent cæsi, ejus corpus nusquam apparuit, unde nonnullorum fuit opinio, eum statim relatum fuisse inter Deos. Alii vero tradiderunt Numico submersum esse, quum adversus Turnum pugnaret, Jovemque Indigetem esse appellatum, ubi templum ei ædificatum est hac inscriptione: *Patri Indigiti, qui fluvii Numici undas gubernat.* unde & Tibullus:

Illic sanctus eris, quum te veneranda, Numici
Unda Deum cœlo miserit indigetem.

63. *Alter flammis.*) Hercules, qui in monte Oeta post indutam tunicam a Dejanira sanguine Nessi infectam, igni absumtus est, & in cœlum translatus.

64. *Nullis ornata macellis.*) Epulæ meæ, quas tibi sum appositurus, ex publico macello non sunt comparatæ, sed vernaculæ sunt.

65. *Tiburtino.*) *Tibur* non longe ab Urbe situm in colle, ubi Hercules colebatur. Martialis:

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris.

Catillus Amphiarai filius post interitum Patris, jussu Oicloi avi in Italiam venit cum tribus filiis Corace, vel, ut alii scribunt, Cora, Catillo, *Tiburte*, condiditque oppidum. Silius:

Hinc Tibur, Catille, tuum. —

Plinius *Tiburtem* conditorem fuisse scribit, quem tradit cepisse auguria juxta tres salices, quæ sua ætate adhuc virebant.

67. *Salicti.*) *Salicta* loca sunt multis *salicibus* consita, sicut *ficeta* multis ficis, *querceta* multis quercubus: *spineta* multis spinis.

68. *Montani.*) ad differentiam asparagorum altilium, qui sapidiores sunt, & ideo lautæ gulæ. Plinius: *Silvestres fecerat natura corrudas, ut quisque demeteret passim. Ecce altiles spectantur asparagi.* Martialis:

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Silvestrem igitur & *montanum asparagum* intelligit, quem aliqui *corrudam*, aliqui *Libycum* vocant. Attici horminium. Plinius *lib.* XX. *cap.* X.

69. *Asparagi*) venient. *Asparagi* a caulis asperitate sunt denominati, ut docet Varro.

69. *Villica.*) Villici uxor. *Villicus* autem inter mancipia is erat, qui totius villæ curam habebat.

70. *Calentia.*) recentia.

70. *Torto fœno.*) in quo gestantur. Martialis:

Sed tuta fœno cursor ova portabat.

71. *Servatæ uvæ.*) Duplici modo veteres toto anno servavere uvas, quas & *ollares* & *pensiles* nominavere. In *ollis* enim, auctore Columella, sine noxa servabat, unde Horatius:

—*Venucula convenit ollis.*

aut in sublimi suspendebantur. unde Horat.

— *Quum pensilis uva secundas*
Ornabat mensas.—

73. *Signinum pirum*) adest. a *Signia* patria dictum, ut scribit Plin. *lib.* XV. *cap.* XV. Corn. Celsus *lib.* II. *cap.* XXIIII. Inter pira, quæ reponuntur, in primis commendat Tarentina atque Signina.

73. *Syriumque.*) Colum. *lib.* V. *cap.* X. ostendit pirum Syrium id esse, quod Tarentinum: *Curandum est autem, ut quam generosissimis piris pomaria conseramus. Ea sunt Crustumina, regia, Signina, Tarentina, quæ Syria dicuntur, purpurea, superba, hordeacea, Aniciana, Neviana, Favoniana, Lateriana,* &

& alia multa, quorum enumeratio longa est. C. Plinius non eadem facit *Syria pira*, & *Tarentina*. Vide locum Plinii proxime citatum, S.

73. *De corbibus iisdem)* mala æmula Picenis pomis, & odoris recentis adsunt, ex quibus & pira.

73. *Æmula Picenis.)* Videntur designari poma Tiburtia. Horat.

— Picenis cedunt pomis Tiburtia succo,
Nam facie præstant. —

75. *Nec metuenda tibi.)* Ne musto suo tibi officiant. nam id quidem per frigus ventosque hyemales exhaustum est.

76. *Autumnum.)* Succum illum autumnalem, quem per hyemem amittunt. Nec placet intelligas *poma siccata*, ut aliqui alioqum docti senserunt.

77. *Hæc olim.)* Talis cœna, qualem tibi appono, apud nobiliores priscis temporibus luxuriosa fuisset.

78. *Curius.)* Curius Dentatus non dedignabatur vesci oleribus, ac vilibus dapibus: hocque est ex historia. Nam inventus est a legatis Samnitum aurum ei afferentibus, cum rapa in igne versaret, in fictilibusque, vel ut alii tradunt, Catino ligneo comederet. Sicque ostendit tanta priscos frugalitate, & parsimonia vixisse, ut nobilissimi, vel oleribus contenti essent.

80. *Fossor Squalidus in compede.)* servus in ergastulis, ac per hoc ostendit gulæ luxum tantum invaluisse suis temporibus, ut ne vilissimus quidem deliciis abstineret. Nam servi in compedibus tenebantur, vel ad metalla fodienda, vel agros colendos, vel excidendos lapides. Plin. *lib.* XVIII. loquens de agricultura: *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Ovid. *in Ponto* ad Græcinum loquens de spe:

Hæc facit, ut vivat fossor quoque compede vinctus:
Liberaque a ferro crura futura putet.

Plaut. in Captivis: *Jubete huic crassas compedes impingier: inde extra portam ad meum libertum Cordalum in lapidicinas facite deductus siet.*

81. *Vulva.)* Plin. *lib.* XVIII. *cap.* XXX. *Quod alio nomine locos appellant, hoc in reliquis animalibus vulvam.* & paullo post: *Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejectitia vocatur illa, hæc porcaria, primiparæ suis optima. Nec novellarum suum, præterquam primipararum, probantur, potiusque veterum, necdum effœtarum, & biduo ante partum, aut post partum, aut quo ejecerint die.* Grata ergo erat vulva in cibis. Martialis *in Distichis*:

Te fortasse magis capiet de virgine porca,
Me materna magis de sue vulva capit.

81. *Popinæ)* diversoria erant gulosorum, ubi obsonia cocta parabantur, & vendebantur. Nero, ut Tranquillus scribit, interdixit, ne quid in popinis cocti, præter legumina, aut olera veniret, quum antea nullum non obsonii genus proponeretur. Horat.

— Quin omnia malit,
Quæcunque immundis fervent allata popinis.

a popina, *popinones* sunt denominati, qui in iis versabantur.

81. *Quid sapiat.)* Quam boni sit saporis.

82. *Rara crate.)* Ostendit priscos Romanos, nullo non modo cibi, sed ne ædificii quidem luxu vixisse, qui coquinas cratibus instructas habuerunt, unde carnes salsæ penderent.

84. *Natalitium.)* id est die natali, qui delicatiori apparatu celebrari solebat.

84. *Lardum.)* Carnem suillam salitam, unde Macrob. *lib.* VII. *Saturn. Sæpe apposita salita carne, quam laridum vocamus, ut opinor, quasi large aridum.* Eam appellat Cicero *de Senect. Succidiam*: *Jam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant.* Sic etiam Varro *lib.* II. *Rer. Rusticar. Et quis non audierit patres nostros dicere, ignavum & sumtuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit.* Martialis *lib.* V.

Et pallens faba cum rubente lardo.

85. *Si quam dabat hostia.)* Si forte accideret, ut hostiam Diis mactarent. nam carnes victimarum vendebantur, & plerunque duplo, sicut in feriis Latinis. unde Valer. *lib.* II. *Immolatarum a magistratibus hostiarum, exta ad quæstores ærarii delata venibant: sacrificiisque populi Romani tum Deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat, imperatoribus nostris, quam sacras manus habere deberent, apud ista altaria discentibus.*

87. *Castrorum imperiis.)* Qui Imperator fuisset, & dux exercitus.

88. *Solito maturius ibat.)* tanquam ad lautius convivium.

89. *A monte domito.)* Per multum laborem culto. Gloriosum enim apud priscos Romanos fuit agriculturæ vacare, unde scribit Plin. multas familias a studio rerum rusticarum cognomina adinvenisse. Nam *Cicerones* sunt cognominati, quod bonum cicer sererent. *Fabii* quod bonam fabam; *Lentuli* quod bonam lentem. *Serranus* quod agrum sereret, quum creatus est Dictator. Denique, ut scribit Cato *in Re Rustica*, & Plin. meminit, quum bonum agricolam, bonumque colonum dixissent, se amplissime laudasse existimabant. Scribit præterea Plin. *lib.* XVI. in Linterno agro durare suis temporibus oleas, Africani prioris manibus satas. Item myrtum eodem loco conspicuæ magnitudinis.

90. *Quum tremerent Fabios.)* Prisci Romani tam longe abfuerunt ab omnibus deliciis, quum maxime severam Censorum disciplinam timerent, qui civitatis

mores

mores corrigebant, ut lectos suos triclinares nulla testudine ornaverint: sicque notat luxum sui temporis in lectis discubitoriis.

90. *Fabios, Catonem, Scauros, & Fabricios.*) Ubique a Poeta hi omnes nominantur, ut graves, & severi cives. sic & Apul. priscorum austeritatem commendat in 1. *Apologia*: *Verum longe austerior, ut putat, Seranis, & Curiis, & Fabriciis.*

92. *Censoris.*) *Censorem* scribit Varro *de Lingua Latina* denominatum *a censendo*, quod ad ejus *censionem* i. arbitrium *censeretur* populus.

92. *Etiam collega timeret.*) Allusit Poeta ad censuram Claudii Neronis & Livii Salinatoris, qui se invicem severiter notaverunt. Nam quum forte utrique equitum centurias recognoscerent, in quarum numero & ipsi essent propter robur ætatis, ventumque esset ad tribum Salinatoris, præcoque lecto nomine Salinatoris hæsitaret; citandum necne sibi esset: Claudius collegam citari, & equum vendi jussit, quod populi judicio damnatus fuisset. Salinatorque Censor cum eodem collega omnes tribus, excepta Metia, ærarias fecit, stipendio privavit, eo crimine, quod aut prius se injuste condemnassent (nam eum ex invidia peculatus reum condemnaverant.) aut postea tantos honores non recte tribuissent.

94. *Qualis testudo.*) id est quanta inveniretur. Nam testudines in mari Indico tantæ magnitudinis inveniuntur, ut singularum superficie habitabiles casæ integantur, atque inter insulas rubri præcipue maris earum testis, veluti cymbis, navigetur. auctores Plin. & Diod.

95. *Clarum.*) Conspicuum. lecti non modo discubitorii, sed & cubiculares, testudinum putaminibus operiebantur. Apul. *lib.* x. *Met. Lectus Indica testudine perlucidus, plumea congerie tumidus, veste serica floridus.* Martial. *lib.* xi. *ad Amœnum:*

Gemmantes prima fulgent testudine lecti.

Magnis preciis comparabantur, unde est illa Senecæ indignatio in *lib. de Beneficiis. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum, pigerrimorumque animalium testas ingentibus preciis emtas.* Nam testudinum putamina secabantur in laminas, iisque lectos, & repositoria vestiebant, atque etiam lacunaria. lege Plin. *lib.* ix. & xvi. *cap.* LXIII.

95. *Trojugenis.*) Nobilibus Romanis. Satyrice dictum, quasi dicat, qui gloriarentur se originem ducere a Trojanis.

96. *Sed nudo latere.*) Ostendit Poeta in reprehensionem morum sui temporis, priscos illos adeo severos exstitisse, ut contemto omni luxu sæpe etiam in limitibus agrorum collocatis lectis discubitoriis cœnarent, unde facile videri poterant.

96. *Nudo.*) Nuda sponda, sine ullo ornatu, aut testudinum, aut auri, aut argenti. Sic enim lecti ornabantur, sumto exemplo ab Asia. Liv. *lib.* ix. *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est, inde primum lectos æratos, vestem stragulam preciosam, plagulas & alia textilia Romam adduxerunt.*

96. *Frons ærea.*) id est pars anterior fulcri ære tantum ornata. Nam, ut scribit Plin. *lib.* xxxiv. tricliniorum pedes, fulcra item, *ære* ornabant. *frontem* autem poni pro parte anteriore lecti docet Val. *Si quis cognoscat lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse ornatam.*

97. *Caput aselli.*) Nudatum cute, suspensum in agro. quod ideo fieri consuevit, quia putabatur Hetrusca disciplina incommoda agrorum arceri posse. unde Col. *de Cultu Hortorum:*

Nunc caput Arcadici nudum cute fertur aselli,
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

97. *Ostendebat.*) Qui in lecto discumbebant, spectare & sibi invicem ostendere poterant caput aselli.

97. *Coronati.*) Ornati sertis.

100. *Tunc rudis.*) Milites illis temporibus contemto omni domus ornatu, id tantum quærebant, ut equi, & arma essent ornamentis insignia.

100. *Artes Grajas.*) In poculis, & statuis fabberrime sculptis. mira enim Græcorum ad omnes artes fuere ingenia.

103. *Phaleris.*) Ornamenta equorum sunt phaleræ, Apul. 1. *Apol. Peram & baculum tu philosophis exprobrares? igitur & equitibus phaleras, & peditibus clypeos, & signiferis vexilla.* Valerius *lib.* IX. *Offensi annulos aureos sibimet ipsos, & phaleras equis suis detractas abjecerunt.*

104. *Jusse mansuescere.*) Quæ ita jubentibus Diis mansuefacta est, ut non modo infantes non læserit, sed lacte suo nutricis vice etiam aluerit.

105. *Imperii fato.*) Ad fatum, & fortunam imperii.

105. *Geminos Quirinos.*) Romulum & Remum, licet Romulus tantum *Quirinus* sit cognominatus.

106. *Nudam effigiem Dei fulgentis.*) Martis, qui pater & auctor fuit nominis Romani.

106. *Fulgentis clypeo & hasta.*) id est resplendentis cælatura clypei & hastæ.

107. *Pendentis.*) Quum sit in vertice cassidis, unde & *Pensilia* appellamus ædificia in aere exstructa, ut hortos *pensiles*, in aere, non in terra positos, unde Papinius *in Sylvis* de aqua ducta per ædificia sublimia:

— *Et innumero pendens transmittitur arcu.*

109. *Farrata.*) Cibaria ex farre.

109. *Tusco.*) Fictili. nam in Hetruria, Aretina vasa celebrata sunt. Martial.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

111. *Præsentior*) [*Gr.*] Dum quamvis fictiles colerentur, Romanis tamen erant magis propitii, quam nunc. unde Sen. *ad Lucil. Cogita Deos, quum propitii essent, fictiles fuisse.*

111. *Et vox.*) Probat per exempla benigniores fuisse Deos priscis illis temporibus. Nam quum Galli in Italiam venturi essent, eodem anno, ut tradit Liv. *lib.* v. M. Cæditius de plebe nunciavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ noctis silentio audivisse vocem clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare. Cicero *lib.* II. *de Divin.* appellat *Ajum* Deum loquentem, cui in nova via consecrata fuit ara, ex eo, quod monuerat, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur. Livius *lib.* v. *Justumque templum in nova via Ajo Locutio fieri.*

113. *Gallis venientibus.*) quum Galli adventarent. Nam Galli Senones duce Brenno in Italiam venerunt, Clusiumque obsederunt, ad quos quum tres legati a Senatu missi fuissent, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent, ex iis unus contra jus gentium processit, & ducem Senonum interfecit, quo facto indignati Galli Urbem petierunt, & fuso exercitu Romano apud Haliam fluvium Urbem intraverunt, primo ut Deos venerari, deinde ut homines despicati interfecerunt, Capitolium, quo reliqua juventus confugerat, obsederunt, quod Camillus creatus dictator liberavit.

113. *Et Diis peragentibus officium vatis.*) Omnia prædicentibus more vatum, qui mortalibus ventura prædicunt.

114. *His monuit nos.*) Jupiter fictilis monuit nos his rebus, & hoc modo.

116. *Jupiter violatus nullo auro.*) Nondum auro effigiatus. ea enim violari dicuntur, quibus aliquid contra voluntatem fit, quasi Jupiter auro illo non delectaretur. [*Gr.*]

117. *Illa Tempora*) prisca.

117. *Mensas natas domi.*) Ex arboribus vernaculis non autem ex longinquo petitas, quales erant mensæ citreæ. Ex Mauritania enim *citrus* arbor mittebatur ex Atlante monte, tanti pretii, ut mensæ pari rependerentur auro, unde Mart.

Accipe felices Atlantica munera sylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

118. *In hos usus*) mensarum.

120. *At nunc divitibus.*) Nostris autem temporibus Romani eo deliciarum pervenerunt, ut nulla pulmentaria jucunda suaviave esse putent, nisi adsint mensæ citreæ, quæ pede eburneo fulciantur. [*Gr.*]

122. *Unguenta.*) quibus ungebantur, quum exibant e balneis.

122. *Atque rosæ.*) Coronæ ex *rosis*, quibus in solenni conviviorum celebratione utebantur.

122. *Latos orbes.*) Mensas citreas. Mart.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Et alibi:

Et Marusiacis sustentem dentibus orbes.

123. *Pardus*) ex ebore effigiatus. est autem *pardus* parum differens a panthera. quidam eum solo candore ab ea discernunt. In Africa Syriaque nascitur. Solinus & Plin. *lib.* VIII.

124. *Porta Syenes.*) *Syene*, auctore Strabone, insula est in finibus Æthiopiæ centum millibus passuum ambitu. Plin. *Ditionis Ægypti esse incipis a fine Æthiopiæ Syene. ita vocatur insula supra Syenem* XV. *millibus passuum, Elephantis insula habitatur navigationis Ægyptiæ finis.* dicta ab elephantorum multitudine. Strabo & Herod. *Elephantinam* appellant. Plin. vero *Elephantidem.* hinc autem mittebantur Elephanti. *Portam* autem appellavit *Elephantidem* insulam, quia ex ea per Syenem, tanquam portam, in Ægyptum fit transitus: ita dictum, ut illud *Sat.* III.

Janua Bajarum est. —

quia necesse sit euntibus Bajas transire per Urbem Cumas.

125. *Et Mauri celeres.*) designat Poeta, quibus in locis elephantes inveniantur. Nam eos fert Africa ultra Syrias solitudines, & Mauritania, Ferunt Aethiopes Troglodytæ, sed maximos India. Hæc Plin. Per *Mauros* ergo *celeres* intelligit Aethiopes Troglodytas, qui mira pedum celeritate sunt. Herod. *lib.* IV. *Troglodytæ Æthiopes, omnium, quot fando cognovimus, pernicissimi pedibus sunt, serpentibus, lacertisque & aliis id genus reptilibus vescentes.* Solin. *Troglodytæ tanta pernicitate pollent, ut feras, quas agitant, cursu pedum assequantur. Mauri* autem pro *Æthiopibus*, & *Æthiopes* pro *Mauris* a Poetis indifferenter nominantur, nec mirum, quum *Æthiopes* ad Occidentem versi Mauritaniam attingant.

125. *Indus.*) populi ad Orientem siti prope Oceani refluxus, & Solis exortus, de iis lege Apul. I. *Floridorum.*

125. *Obscurior.*) Nigrior, quam Mauri sint. Apul. I. *Flor. Indis ad nascentem diem sitis, tamen in corpore color noctis est.*

126. *Deposuit.*) Nam elephanti, aut casu, aut senecta deciduos dentes deponunt, qui prægrandes sunt: aut eos obsessi a venatoribus arbori illisos frangunt, hi, autem sunt minores.

126. *Nabathæo.*) Arabico. Dicti, ut sacræ testantur literæ, a *Nabath* primogenito Ismaelis. In Arabia

bia autem apud Troglodytas nascuntur elephantes.

128. *Hinc surgit orexis.*) Hinc maxime indignor, quod Romani jam tanti cœperunt facere ebur, ut jam pes argenteus in mensis sustinendis non pluris æstimetur, quam annulus ferreus in digito; ut ostendat vile censeri argentum præ ebore. Lectos autem mulierum totos operiri argento, & triclinia quædam, docet Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* XI. quibus argentum addidisse primus traditur Carvilius Pollio eques Romanus; idem aureos fecit.

128. *Hinc.*) ex tanto eboris studio & æstimatione.

128. *Nam pes argenteus.*) non pluris faciunt nunc pedes argenteos in mensis, quam annulos ferreos in digitis, ut jam Romanis vilius sit argentum, quam ebur.

129. *Annulus ferreus.*) Nam apud Romanos varius fuit eorum annulorum usus, triumphantibus enim annulus in digito ferreus erat; Ii quoque, qui ob legationem acceperant aureos, in publico tantum utebantur, intra domos vero ferreis, quo argumento etiam temporibus Plinii, ut ipse est auctor, sponsæ annulus ferreus mittebatur, isque sine gemma. promiscuus autem usus cœpit secundo bello Punico. neque enim aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ad Annibalem mitti. Divo Augusto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo annulo fuit. lege *Plin. lib.* XXXIII. *cap.* I.

129. *Ergo.*] quum tanto luxu vivatur.

130. *Qui me sibi comparat.*) Qui me putat non minorem cœnam paraturum, quam ipse solet.

130. *Res exiguas.*) nudum apparatum.

131. *Nulla uncia eboris.*) quod tanti faciunt ipsi.

132. *Nec calculus.*) Calculum intelligit, quem nunc dicimus *scachum*, Antiqui *latronem*, & per diminutionem *latrunculum* dixere. Mart. de tabula lusoria:

Hic mihi bisseno numeratur tessera puncto
Calculus: hic gemino discolor hoste perit.

Idem alibi:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Iste tibi geminus miles & hostis erit.

Gellius: *Cur tandem non de alea quoque, ac de calculis, & alveolo audent dicere, quisnam ibi ludentium vincat?* Plin. *ad Geminium: Audivi ipsam solere sæpe, ut fœminam, in illo otio sexus, laxare animum lusu calculorum.*

134. *Non tamen.*) Licet manubria cultellorum sint ossea, & non eburnea, non tamen ob id insipidiora sunt obsonia, quæ conciduntur per illos.

137. *Structor.*) qui perite obsonia incidit, fercula-que componit. nam & id ad gulam pertinere ostendit Sen. *de Brevitate Vitæ*: *Quum videam, quam suspensi sint, quomodo aper a coquo cæsus exeat, quanta celeritate signo dato gladii ad ministeria decurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia.* Plin. item *lib.* X. *Postea culinarum artes, ut clunes spectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatata repositoria occupent.* adeo, ut doctores essent, qui ludum structorium aperirent, ut Trypherus temporibus Poetæ, qui ludum juxta Suburram habebat, ubi tradens discentibus præcepta scindendi obsonia, quæ ex ligno habebat formata, hebeti cultello docebat, quo gestu hæc vel illa secarent: & inde *cœnam ulmeam* nominat, quoniam ex ligno obsonia essent formata.

136. *Cui cedere debeat omnis Pergula.*) omnes, qui in pergulis sunt instituti. Nam *pergula* etiam capi videtur pro brevi ambulacro & fornicato, quasi a *pergendo*, ubi doctores discipulos suos erudirent, & opifices opera sua, quasi a transeuntibus conspicienda, collocarent. Vopiscus *in vita Saturn. Nam in Africa rhetoricæ operam dederat, Romæ frequentaverat pergulas magistrales.* Suetonius *de Clar. Gramm.* de Crassitio Tarentino: *Deinde in pergula docuit.* Plin. *de Apelle*: *Idem perfecta opera proponebat in pergula.* Plaut. *in Pseudol.*

Cras faciam deportare in pergulam.

137. *Discipulus Trypheri.*) Emphasin habet, quasi qui inter alios sit longe melius institutus.

138. *Sumine cum magno.*) *Sumen* lautæ est gulæ, & ex papillis lactantis porcæ fit, ideoque optimum, ut scribit Plin. *lib.* XI. si modo lac non hauserit. Mart.

Esse putes nondum sumen, sic ubere largo,
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

138. *Pygargus*) ex genere est capreatum. Nam, ut scribit Plin. *lib.* VIII. *Capreæ in plurimas figuras transfigurantur. Sunt enim capreæ, sunt ibices pernicitatis mirandæ, sunt & oryges contrario pilo vestiti, & ad caput verso; sunt & damæ, & pygargi. Pygargus* item est ex genere aquilarum. Plin. *lib.* XI. *Secundi generis pygargus in oppidis, & in campis, albicante cauda.*

139. *Scythicæ volucres.*) [*Gr.*] Inter delicias enim ganeæ, & luxuriolas dapes connumerantur. unde *D. Hieron. ad Salvinam*: *Procul sint a conviviis tuis phasides aves, Crassi turtures, attagen Ionicus.*

139. *Phœnicopterus.*] Avis est, cujus linguam Apicius nepotum omnium altissimus gurges, auctore Plinio, præcipui saporis esse docuit unde Mart.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit. —

Avem esse palustrem docet Aristophanes.

140. *Oryx.*) ex genere capreatum, quæ contrario pilo vestiuntur ad caput verso. Arist. vero in *lib.* III. *de Part. Anim.* orygem scribit esse unicornem, & bisidæ ungu-

læ: Huic Plin. adstipulans ait *lib.* XI. Unicorne bisulcum, *oryx* Gætulus, nam cum Africa, ut scribit Plin. generat perpetuo sitientem.

142. *Capreæ.*) Silvestris captæ, Mart.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres, decipit illa canes.

143. *Avis Afra.*) Gallinæ Numidicæ. Horatius:

Non Afra avis, non attagen Ionicus.

Varro *de Re Rustica lib.* III. *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas Meleagrides appellant Græci.*

143. *Tirunculus.*) Minister novus. Nam *tirones* proprie appellantur rudes & novi milites.

144. *Imbutus frustis ofellæ.*) Non assuetus delicatis cibis, sed pastus *ofellis* tantum, quæ omnino vulgarium sunt.

144. *Ofellas.*) Columella mentionem faciens de salsura carnis suillæ ait: *T. in ofullæ carnis spissæ componuntur, & alternis sal ingeritur.*

145. *Plebejos calices.*) Martialis hos appellat *audaces*, qui falsa specie imitabantur crystallina, quum essent vitrea:

Non sumus audaces plebeja toreumata vitri,
Nostra neque ardenti gemma feritur aqua.

146. *Porriget.*) Ministrabit & pocillator noster erit.

146. *A frigore tutus.*) Vilibus involutus vestibus.

147. *Non Phryx aut Lycius.*) Non dabo tibi structorem elegantem, quales venditant mangones, Phrygios, & Lycios: ex oriente enim venusti habebantur servi: sed dabo tibi rusticanum, & incultum.

147. *Mangone.*) *Mangones* proprie venditores dicuntur hominum. Martialis:

Millia pro puero centum me mango poposcit.

Suetonius *in Domit. Castrari mares vetuit, spadonum, qui residui apud mangones erant, precia moderatus est.* Et quum mercis appellatione homines, ut sensit Mela jurisconsultus, non contineantur, propterea *mangones* non mercatores, sed *venalitiarii* appellandi sunt. Dicti autem sunt a *manu & ago*, quod mancipia *manibus agant* & poliant. inde verbum est *mangonizare*, id est polire & ornare, ut emtores facilius alliciantur ad emendum. unde Seneca *ad Lucilium*: *Mangones, quicquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt.* Nam hi, ut testatur Quintilianus *lib.* II. *cap.* XVI. in servis venalitiis, colorem fuco & verum robur inani sagina mentiuntur: ut scilicet mancipia majore precio vendant: præterea, ut pueri teneriore viderentur ætate, eorum pubertatem medicamentis coercebant, unde Plinius *lib.* XXI. *cap.* XXVI. *Radix hyacinthi bulbacea est mangonicis venalitiis pulcre nota, quæ in vino dulci illita pubertatem coercet, & non patitur erumpere.* sic Plinius in fine operis sui, *mangones gemmarum* appellat eos, qui gemmas expoliunt, & interpolant, ut carius vendant. *agros* etiam *mangonizatos* dicimus, qui diligentiore cultu poliuntur, ut sint vendibiliores. Plinius *lib.* IX. *cap.* LIV. *Sergius Orata primus pensiles invenit balneas, ita mangonizatas villas subinde vendendo.* Et quoniam mentionem fecimus de *venalitiis*, & illud sciendum est *venalitium* capi pro loco, ubi novitii venderentur. unde *Apul.* I. *Apol. Cujus* (gagatis) *odore etiam in venalitiis vulgo sanitatem, aut morbum venalium experiuntur.* Paull. *Nam quicunque ex venalitio novitiorum emtus alicui ministerio præpositus sit, statim eum e numero veteratorum esse. Familias* etiam *venalitias* dicimus servorum, qui venales proponuntur.

147. *Petitus.*) Emtus.

148. *Et magnus.*) precio, sc. non petitus erit. alibi:

Magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres. —

Aut revera ita legi potest:

—— *Non a mangone petitus*
Quisquis erit magno. ——

quicunque puer erit, non erit acceptus & emtus a mangone divite & magnum numerum servorum habente. Servos autem venales habebant in *catastis*: eræntque *catastæ* loca, in quibus continebantur servi venalitii, a *καθιστάω*, quod est constituo, quod illic constituti tenerentur. Tib.

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Illic autem magnus erat ex servorum garritu strepitus. Mart.

Heu quæ lingua silet? non illam mille catastæ
Vincebant. —

148. *Quum posces.*) Latini sunt servi mei, non exotici, ita ut quum aliquid ab eis velis poscere, poscas Latine, non autem Græce, aut Barbare.

149. *Idem habitus cunctis.*) Pari sunt corporis habitu & ornatu. [*Gr.*]

149. *Tonsi rectique capilli.*) Vid. Sen. *Ep.* XCV. ita intelligimus, ut capilli illi tonsi sint sursum erecti, & non pectine complanati, quod & hodie juvenes nostri elegantiores, factitant.

165. *Nec pugillares.*) Manifeste ostendit puerum esse simplicem, & purum. Nec habet genitalia grandiora, quæ assiduo libidinis usu excreverunt, testiculis in magnitudinem pugni prægrandibus.

156. *In balnea.*) Nam illic potissimum a cinædis spectabantur. Martialis:

— *Oculis devorantibus drancos.*

156. *Raucus.*) propter coitum, vox enim in adolescentibus post usum Veneris mutatur, fiuntque *rauci.* Aristoteles in *Problem. Homo, quum incipit coire, pubescit,*

bescit, et in gravem vocem exilem permutat. Aliqui etiam legunt *Draucus* i. bene mentulatus.

155. *Gutto.*) Vasculo oleario, quo utebantur in balneis, ubi post lavacrum oleo perungebantur. Apul. 1. *Flor. ampullam oleariam* appellat.

159. *Hic tibi vina dabit.*) Talis puer poculum tibi ministrabit.

160. *Diffusa.*) Expressa, & in series suas recondita.

162. *Forsitan exspectes.*) Neque illud tibi est exspectandum, ut exhibeam puellas Gaditanas, quæ te in cœna lasciva saltatione oblectent. Majores enim domus, his nugis tantum delectantur: quæ omnia sunt quædam Veneris irritamenta: sicque Poeta lascivos sui temporis mores damnat, quibus tota tunc civitas corrupta erat. Quintilianus: *Omne convivium obscœnis canticis strepit: pudenda dictu spectantur.* Liv. *lib.* IX. *Tunc psaltriæ sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis: epulæ quoque ipsæ, & cura, & sumtu majore apparari cœpere.* luxuria sc. ab exercitu Asiatico in Urbem invecta.

162. *Gaditana.*) Nam cantiones Gaditanæ, Aegyptiæque ex omnibus mollissimæ habebantur ad saltationes, & motus impudicos puellarum. Martialis *lib.* 11.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat. [Gr.]

Papinius *in Sylvis*:

Illic cymbala, tinnulæque Gades,

id est, puellæ Gaditanæ peritæ saltationis ad tinnitum æris. Martialis:

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus.

163. *Prurire.*) Lascivo corporis gestu moveri.

163. *Choro.*) Cœtu.

163. *Probatæ plausu.*) Favore discumbentium: nam super cœnam hæc fiebant.

164. *Clune tremulo.*) Impudico corporis motu. Martialis *de puella Gaditana*:

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum,
Masturbatorem redderet Hippolytum.

166. *Urtica.*) Stimuli, qui maxime pungant & irritent ad Venerem.

166. *Major tamen.*) Licet viri hisce lascivis gestibus maxime moveantur ad obscœna, mulieres tamen eæ sunt, quæ majorem sentiant voluptatem, ac per hoc ostendit libidine magis mulierem flagrare, quam virum.

167. *Alterius sexus.*) muliebris

167. *Extenditur.*) Erigitur, & movetur ad turpitudinem.

168. *Auribus atque oculis.*) per auditum & aspectum rerum turpium, ut alterum referatur ad *cantica* lasciva, alterum ad indecoros *impudicosque* corporis *motus*.

168. *Movetur.*) Irritatur semen genitale collectum.

169. *Has nugas.*) In contemtum divitum dictum. i. tales voluptates, talemque lasciviam.

170. *Testarum crepitus.*) Apparet apud antiquos instrumenta quædam fuisse, quæ *testæ* vocarentur, quæ pulsata amœnum redderent sonum. Unde est illud apud Tranquillum *in Nerone*: *Qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, bombos, & imbrices, & testas vocabant.* nisi forte placet intelligere tinnitus cymbalorum.

170. *Quibus abstinet mancipium nudum*) id est, quibus vocibus obscœnis ipsa meretrix non utitur, quasi majore afficiatur verecundia.

170. *Nudum.*) utrum per inopiam, an per impudicitiam, & lasciviam ?

170. *Mancipium.*) Meretrix, quæ lenoni servit.

173. *Qui Lacedæmonium pedemate lubricat orbem.*) Hoc loco describit saltationem illam, quam Lucianus commemorat *de Saltatione*, ait enim Laconicos in choreis & tripudiis præcipuos omnium Græcorum exstitisse, utpote qui a Castore & Polluce didicissent: eos autem in orbem saltasse, ita docet: Καὶ αὐλητὴς μὲν ἐν τῷ μέσῳ κάθηται ἐπαυλῶν καὶ κτυπῶν τῷ ποδὶ, οἱ δὲ ἑξῆς στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι, σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται, πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνοντες, ἄρτι μὲν πολεμικὰ, καὶ μετ' ὀλίγον δὲ χορευτικὰ, ἃ Διονύσῳ καὶ Ἀφροδίτῃ φίλα. *Et tibicen quidem in medio sedet tibia canens, & pede pulsans terram. Illi autem per ordinem se invicem sequentes figuras varias repræsentant, modo quidem bellicas & paullo post saltatorias, quæ Dionysio & Veneri amica sunt.* Pollux quoque, qui enumerat saltationum genera scribit, πίδημα *Lacedæmonium*, hoc est saltationem Laconicam: Erit ergo sensus: Divites & potentes, qui saltationem Laconicam *lubricant*, i. e. celeri pedum mobilitate in *orbem* i. e. gyros & ambages circum tibicinem in medio sedentem & canentem exercent, & his nugis delectantur, fruantur vocibus obscœnis, & omni arte libidinis. Lascivis enim multa saltatio celebrabatur, & ideo grata erat Dionysio & Veneri.

173. *Pedemate.*) Saltu. Nam πίδημα *saltum* significat. non ignoro a Commentatoribus hunc locum diversis modis expositum, ut alii dixerint per *orbem Lacedæmonium* designari annulum, cujus usus manaverit a Lacedæmoniis, ac per hoc *annulatos senatores & equites Romanos* intelligi, qui annulum *pytismate*, hoc est levi irroratione sputi lubricum faciant. Alii vero legendum contenderunt *pytilismate* non *pytismate*, idque esse genus exercitationis, cum quispiam summis pedibus ingrediens manus protendit, ocissimeque movet, alteram retrorsum scilicet, alteram prorsum, &c. Alii item *trochum* intelligi de arbore pinu fabricatum, quod *pytis* dicatur *pinus*, unde fit *pytisma*. Ego autem ex sententia Luciani contendo intelligi, ut dixi saltationem Lacedæmoniam: legendumque esse *pedemate*, id est,

id est, saltu, & non *pytismate*, neque *pytilismate*. De omnibus tamen his opinetur, ut cuique libitum erit.

174. *Namque ibi Fortunæ.*) Ostendit Poeta non sine risu Satyrico, inique cum pauperibus esse comparatum, ut multa non liceat iis facere, quæ si faciant, videantur inhonesta, sin a divite, fiant laudabilia. supra:

Nam quod turpe bonis Titio Sejoque, decebat
Crispinum. —

175. *Fortunæ veniam damus.*) Ignoscimus, & multa in divite toleramus, quasi illi turpe non sit, quum turpia facit. Sicque Poeta stultitiam hominum ridet, qui ex censu mores hominum ponderent, ostendens non leviore censura taxanda esse divitis vitia, quam pauperis.

177. *Alios ludos.*) Alias voluptates. Terent.

Nescis, quos ludos hodie præbuerit intus.

178. *Conditor Iliados.*) Homerus, qui bellum Iliense carmine suo cecinit. sicque docet summam semper dicti & facti verecundiam super cœna custodiendam, resque serias ibi tractandas. Pers.

Atque verecunda laxamus seria mensa.

179. *Dubiam laudem.*) hoc dicit, qui quæsitum est & sæpe dubitatum, utrius carmen esset elegantius, Virgil. an Homeri? unde Propertius:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji,
Nescio quid majus nascitur Iliade.

180. *Qua voce.*) quasi dicat, quoquomodo legeris, gravia, & sonora videbuntur.

181. *Sed nunc dilatis.*) Volo nunc animo sis omnium curarum vacuo & tranquillo, dum cœnamus: illa demum vita est jucunda, quæ animi tranquillitati servit.

186. *Humida.*) propter coitum, unde fit suspicio adulterii.

187. *Auremque calentem.*) *Aures* enim *calentes* indices sunt adulterii recenter admissi, quod Suetonius notavit *in Octavio*: *Fœminam consularem e triclinio, viro coram, in cubiculum abductam, rursus in convivium rubentibus auriculis, incomtiore capillo reductam.*

191. *Interea.*) dum cœnamus.

191. *Megalesiaca.*) Iterum Pop. Romani desidiam notat, qui impenso studio ludos Circenses spectaret. unde supra:

Si potes avelli Circensibus: —

& alibi:

— *Atque duas tantum res anxius optat,*
Panem & Circenses. —

Nam in Circo maximo ludi celebrabantur in honorem Cybeles magnæ Deorum Matris, qui *Megalenses* dicebantur ἀπὸ τῆς μεγάλης μητρὸς, hoc est *magna matre.*

191. *Mappæ.*) *Mappa* erat signum, quod a Prætore, qui ludis præerat, ostendi solebat non sine magno aurigarum gaudio ludorum celebrationem esse futuram: de quo sensisse videtur Varro *de Lingua Latina*: *In circo primo, unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres, a coercendo, ne inde exeant, antequam magistratus signum misit.* Tranquillus *in Nerone*: *Universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam.* Martialis:

Cretatam Prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.

G. Et si hæc, quæ Britannicus dicit, sunt verisimilia, tamen quod emendata exemplaria habent, non mihi displicet, ut *Palmæ* legamus. S.

192. *Idæum solenne.*) Quod solemne celebrant in honorem Cybeles *Idææ*, id est, Phrygiæ: nam *Ida* mons est Phrygiæ. Ex Phrygia enim, quo tempore Hannibal Italiam vastabat, adducta est, libris Sibyllinis docentibus, hostem alienigenam, qui terræ Italiæ bellum intulisset, pelli Italia vincique posse, si Matris Idææ Pessinunte numen Romam advectum foret. Legati igitur Pergamum missi ad Attalum regem, lapidem, quem *Matrem Deum* incolæ esse dicebant, ab eo acceperunt, Romamque deportarunt. excepit eam P. Scipio Nasica, Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat, vir optimus a Senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius: quoniam ita responsum habebatur, ut Numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturque. Unde Ovid. *in Fastis*:

Mater abest, matrem, jubeo, Romane requiras,
Quum veniet, casta est accipienda manu.

193. *Prætor sedet.*) Prætores omnibus ludis præerant. Alibi Juv.

Quid si vidisset prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere circi?

[*Gr.*]

193. *Prædo caballorum.*) vel injustus, & iniquus occupator caballorum, id est, ornamentorum & insignium triumphalium, vel *prædo caballorum*, id est, fraudator, & spoliator ipsorum equorum merentium præmia: nam plerunque ludorum præfecti palma & præmio defraudant equos victores, brabiumque aliis non recte judicantes tradunt, quod & Plautus innuit in Amphytruone: *Sive qui ambissent palmam histrionibus, sive adeo ædiles perfidiose cui dicunt.*

193. *Sedet*) in curru.

193. *Ac mihi pace.*) Venuste plebem flagellat, ostendens totum ejus studium esse in spectaculis, ludorumque celebratione.

163. *Pace.*) Bona venia, ut non irascatur, quod in ejus contumeliam videat hæc dicere.

197. *Percutit aurem.*) Nam in theatris & circis magni

gul tollebantur clamores ob studium diversè faventium. Horat. *in Epistolis:*

—Nam quæ pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum,
Tanto cum strepitu ludi spectantur, & artes.

sic & Seneca: *Ecce Circensium obstrepit clamor, subita aliqua & immensa voce feriuntur aures meæ.*

196. *Eventum.*) Intelligo futurum, ut auriga panni viridis, id est, prasinus, sit victor.

197. *Nam si deficeret.*) Si is auriga vinceretur, cui factio prasina favet, videres totam civitatem non minus attonitam, quam olim fuit accepta clade Cannensi. Caligula enim & Nero ita prasinæ factioni addicti fuere, ut Caligula cœnaret in stabulo assidue & maneret, agitatori Cythico vicies sestertium contulerit. Neroni vero plurimus sermo, quanquam vetaretur, de Circensibus esset. Et quondam tractum prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante eum magistro, de Hectore tracto se loqui ementitus sit.

198. *Victis consulibus.*) Sicuti fuit, quum Paullus Æmilius, & Terentius Varro Consules superati sunt apud Cannas, quorum Paullus Æmilius etiam occisus fuit. Liv. *lib.* XXII.

199. *Quos clamor decet.*) Quibus in Circo turpe non est clamare, quum applaudunt & favent.

199. *Audax.*) quia in discrimine res versatur, quum rei eventus sit incertus.

200. *Sponsio*) dicitur contentio, & altercatio, quæ fit depositis pignoribus. Spectatores igitur invicem contendentes sponsione, id est deposito pignore alii alium fore victorem asseverabant. Plin. *lib.* XXXIII. *Ad sponsiones etiamnum annulo exiliente.* solent enim annuli in sponsionibus sæpe deponi.

200. *Assedisse.*) juxta sedisse, sic enim viri & mulieres in theatris promiscue sedebant. Ovid.

Proximus ad Dominam nullo prohibente sedeto.

203. *Nostra bibat vernum.*) Consueverunt Antiqui, teste Celso, ante cibum exerceri: eam exercitationem sequebatur modo unctio vel in Sole, vel ad ignem, modo balneum. Descendebant enim in solium, ubi lavabantur, cum multo oleo ungebantur, leviterque perfricabantur. Persius alibi:

At si unctus cesses, & figas in cute Solem.

203. *Contracta.*) Per ætatem rugosa.

204. *Effugiat togam.*) Exuat & deponat togam mansura ad Solem. hoc magis placet, quam ut intelligas per togam labores comitum togatorum: nam viliores *togam* sumebant, quum divites sequebantur, qui potentiores salutabant matutino. eorum ergo comites errabant per Urbem; dictique sunt *togati*, & anteambulones. Martial.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
At trita venies sportula sæpe toga.

Nisi forte velimus intelligere Juvenalem interrogatos ambulasse sequentes divitem salutantes, in quo officio se ostendit Mart.

Cur absim, quæret, breviter tu multa fatere:
Non poterat vana sedia ferre togæ.

sed prior sensus magis placet. Nam quum *toga* antea communis omnium Romanorum habitus fuisset, secundum quod Virg. appellavit Romanos *Gentem togatam*, ad viliores postea tantum transivit.

205. *Salva fronte.*) Sine aliquo pudore, hoc autem dicit, quia hora quinta negotiis maxime districti erant, Martialis:

In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit.

Salva autem *fronte* dicit, quia ibi omnis posita est majestas hominis, unde dicimus *iste frontem perfricuit* id est omnem pudorem deposuit. Quintilianus *lib.* IX. *Perfrica frontem, & dic, te digniorem, qui prætor fieres.*

206. *Hoc.*) scilicet frequentare convivia, & otio indulgere.

207. *Talis vitæ.*) Otiosæ scilicet & voluptuariæ.

209. *Voluptates commendat rarior usus.*) Sententia est generalis, per quam (licet Poeta eam ad mediocrem usum epularum tenendum accommodet.) monet omne nimium ex sententia Chilonis cunctis in rebus esse fugiendum: nullamque voluptatem esse tantam, quæ non assiduitate sui fastidium pariat.

IN SATYRAM XII.

N*atali Corvine die:*) Ad Corvinum hanc Satyram scribit, qua ostendit se pro salute amici sui Catulli, qui facto naufragio enataverat, vota Diis esse persoluturum. Verum Satyræ non immemor eos flagellat, qui cupiditate adducti non pro amico, qui habeat filios, ut Catullus habebat, sed pro orbis tantum, quorum hæreditatem captent, vota suscipiunt. nominatim autem insectatur Nævium & Histrum Pacuvium, qui temporibus suis testamentorum captatione locupletati erant.

1. *Natali die.*) Summa enim hilaritate Antiqui diem nata-

nati erant, quotannis celebrabant, gratias Diis agentes pro hac luce, ad quam vehebant. Amici vero & clientes natalem celebrantibus munera mittebant. unde multi avaritia adducti non solum diem natalem semel, sed sæpius in anno, quo plura ab amicis munera acciperent, celebrabant, quare a Mart. sic taxatur Clytus:

Ut poscas Clyte munus exigasque,
Uno nasceris octies in anno.

Virgil.

Munera mitte mihi, meus est natalis Iola.

Terent.

Porro autem alio munere ferietur; ubi erit puero natalis dies.

4. *Par vellus.*) *Vellus* sæpe pro ove ponitur a Poetis. Ovidius *lib.* VII. *Metam.*

—Cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit. —

4. *Pugnanti.*) Periphrasis Minervæ, quæ pugnat ægide, in qua est caput Medusæ collocatum. Virgilius:

Ægidaque horriferam turbatæ Palladis arma.

Hyginus tamen tradit caput Medusæ fuisse collocatum in pectore ejus. unde & Claudianus *in Gigantomachia*:

— *Tritonia virgo*
Prosilit ostendens rutila cum Gorgone pectus.

4. *Gorgone Maura.*) Gorgones tres fuisse tradunt fabulæ filias Phorci ex Ceto conjuge, quarum prima *Stenno*, secunda *Euriale*, tertia *Medusa*: eas scribit Mela habitasse insulas *Gorgones* in oceano Atlantico, unde & *Gorgones* dictæ existimantur. fingunt Poetæ unum tantum oculum iis fuisse, quem sibi invicem commodarent. addunt Medusam per littora vagantem a Neptuno amatam, fugientemque compressam fuisse in templo Palladis. Ob eamque rem Deam ingratam, capillos ejus, per quos Neptuno placuerat, in serpentes convertisse, fecisseque, ut, qui eam aspicerent, in lapides verterentur, hanc dormientem Perseus Jovis & Danaes filius, acceptis Mercurii talaribus, ejusque falcato ense, & scuto Palladis crystallino, per quod illam impune aspicere posset, interemit, abstulitque ejus caput, quod ipsi scuto apposuisse dicitur: ex cervice igitur recisa equus Pegasus alatus fertur esse procreatus, qui inde usque ad Heliconem collem pervolans, & pede humum fodiens, frontem excitavit Hippocrenen Musis consecratum. Hyginus tradit non a Perseo, sed a Minerva Medusam interemtam fuisse. Diodor. *lib.* IV. refert de *Gorgonibus* mulieribus validis & pugnacibus, adversus quas dicit Perseum haud parvo certamine bellum gessisse.

4. *Maura.*) Nam in mari Atlantico habitavere. est autem Atlas mons Mauritaniæ.

5. *Funem extensum.*) Ferociam ostendit vituli, qui ducentes etiam anteiret. Nam vitulus funibus ducebatur, humeris autem hominis ad aras allatus non bene litabat, sicut nec claudicans, nec aliena hostia Deos placat, nec fugiens ab aris.

6. *Tarpejo Jovi.*) Capitolino, cujus templum erat in Capitolio: mons Capitolinus *Tarpejus* a *Tarpeja* virgine Vestali, quæ Sabinorum scutis esse obruta dicebatur. hunc prius Saturnium appellatum scribit Cato & Fabius Pictor *in Originibus*.

6. *Frontemque coruscat*) Hoc loco *coruscat* posuit pro *crispat*, quod signum est ferocitatis.

7. *Templis maturus.*) Nam *maturi* tunc dicebantur ad sacrificium, quum cauda articulum suffragis contingebat, breviorem autem non litabant. Plinius auctor.

8. *Spargendusque mero.*) Nam in sacrificiis inter cornua victimarum merum fundebatur. Virg. *Aen.* IV.

Ipsa tenens dextra pateram pulcerrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

10. *Si res ampla domi.*) si mihi divitiæ essent, quales opto, mactarem sane victimam pinguiorem Hispulla: sicque se amico commendat ab ingenua voluntate.

13. *Sanguis.*) Taurus sanguinis & succi plenus.

13. *Clitumni.*) in agro Falisco Clitumni amnis aqua potata candidos boves facit. Plinius *lib.* II. *cap.* VII. [*Gr.*]

13. *Grandi ministro.*) i. victimario, qui ante aras victimam cædebat.

16. *Mirantis se incolumem.*) qui tantam tempestatem evadere potuisset.

17. *Cum præter pelagi casus.*) Præter æstum maris, & ictum fulminis, quasi tenebræ veluti nocturnæ obortæ sunt: sicque atrocem tempestatem designat. qualis est illa Virgiliana 1. *Æneid.*

Eripiunt subito nubes cœlumque, diemque
Teucrorum ex oculis, Ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem. C.S.C.

17. *Fulguris evasi.*) Quod forte evaserat: *Fulgur* autem posuit pro *fulmine*. Est enim *fulgur* ignis late explicitus: fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit.

19. *Subitus ignis.*) Periphrasis est *fulminis*, est enim *ignis* coactus ventorum impetu jactus: lege Sen. *Natur. Quæst.*

19. *Impulit antennas.*) percussit.

22. *Velis ardentibus*) Fulminis incendio conflagrantibus.

22. *Omnia fiunt Talia.*) Tales solent esse tempestates, quæ a Poetis describuntur, qualis fuit tempestas Catulli. Nam Poetæ, si quando describunt tempestates, eas exaggerando fingunt gravissimas, & sic ostendit tempestatem Catulli non cedere periculi atrocitate, Poeticis tempestatibus, quanquam gravissimis.

 23. Si

23. *Si quando poetica surgit.*) id est a Poetis describitur: bene autem dixit *surgit*, nam proprie tempestas in mari *surgere* dicitur.

24. *Genus ecce aliud.*) Attentum facit auditorem, est enim dicturus, quomodo in mare omnia preciosa projecerit Catullus, urgente tempestate.

25. *Miserere iterum.*) Quia jam misertus est propter tenebras, & fulminis ictum, quo vela sunt percussa.

25. *Ejusdem sortis.*) Ejusdem tempestatis, nam potuisset aliud discrimen narrare extra tempestatem maris.

26. *Pars dira quidem.*) Arduum enim est ex navi preciosam supellectilem abjicere in mare.

26. *Cognita multis.*) quia calamitatem multi navigantium sunt experti.

27. *Tabella votiva.*) Qui ex valetudine servati fuissent, in templo Æsculapii in tabella genus morbi pictum suspendebant. Sicque qui naufragium evaserant, tabella casum pictum in templo Neptuni figebant; verum postea recepta superstitione Ægyptia in templo quoque Isidis, cujus sacra præcipua veneratione in Urbe colebantur tabellas ponebant, tanquam quæ mari periclitantibus opitularetur. quare non immerito Ægyptius navigium Isidis colit, quia Europa in tauro rapta fertur, id est, in navi tauri picturam habente. auctor Fulgentius.

27. *Votiva.*) *Votivæ tabellæ* dicuntur, quæ vota hominum depicta continent: *votivas* vero *preces* appellamus, quibus aliquid cum voto poscimus; *votivam* item dicimus *victimam*, quæ per votum sacrificio est destinata. unde Horatius:

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

Vitruvius *lib.* VII. *Hiero, rebus bene gestis, quum auream coronam votivam Diis immortalibus quodam in fano constituisset.*

30. *Quum plenus fluctu.*) quum forte navis esset semiplena fluctu undisque, & incertis agitaretur motibus, neque gubernator sua posset arte subvenire, Catullus partem rerum suarum, quibus navis onerabatur in pelagus projecit, quo navis facta levior tempestatem superaret.

32. *Arboris incertæ.*) id est navis. Nam Poetæ navem plerunque & *arborem*, & trabem & orbem appellant. Pers.

— Trabe rupta, Bruttia saxa
Prendit amicus inops —

Ovid.

Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas.

33. *Decidere jactu Cœpit.*) Catullus cœpit decidere, & pacisci cum ventis, *jactu*, id est rerum suarum ejectione, quasi ita ejectis rebus suis, ventis satisfaceret: nam sequitur, *imitatus castora*: & *fundite*, *quæ mea sunt*. illud enim absurdum est, exponere *decidere* pro *concidere navim*. *Decidere* enim dicuntur debitores, quum aliquibus rebus datis, cum creditore paciscuntur.

34. *Imitatus castora.*) *Castor* animal est Ponticum terrestre, & aquaticum, cauda piscium, cetera specie lutræ, qui morsu testiculos sibi amputat, periculo urgente, ob hoc se peti gnarus.

36. *Medicatum.*) Ad multa medicamenta aptum.

39. *Teneris Mæcenatibus.*) id est mollibus & delicatis, qualis fuit Mæcenas. Nam cum constat delicatum fuisse.

40. *Atque alias*) vestes. Hoc loco Poeta describit intelligitque vestes coloris nativi, ex lana Bætica. nam in pecudibus Bæticis, hoc est, Hispanis, vellera sunt rutila, ex quibus nullo alio adhibito colore vestes texebantur. eas ostendit Poeta talem colorem habere ex pascuis potuque aquarum, & aeris temperie. Inde *lacerna Bætica* apud Martialem sic loquitur:

Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno;
Si placeant Tyriæ: me mea tinxit ovis.

Idem *lib.* IX.

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat.
Vellera nativo pallent ubi flava metallo;
Et linit Hesperium bractea viva pecus.

Idem in *lib.* XII.

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

40. *Generosi graminis.*) Herbæ generosæ, & nobilis.

41. *Inficit.*) id est tingit. unde *infector* tinctor appellatur. Cicero: *Dibaphum cogitat, sed infector eum remoratur.*

41. *Sed & egregius fons.*) Non solum lanæ illæ in ovibus sunt rutilæ ex pascuis, sed etiam ex potu Bætis amnis, & ex aeris temperie. neque enim ad illud est referendum, quod aliqui ex auctoritate Plinii senserunt, qui sic *lib.* II. *cap.* 103. scribit: *In Bœotia amnis Melas nigras oves reddit. Cephisus ex eodem lacu profluens, albas, rursus nigras Peneus, rufasque juxta Ilium Xanthus.* unde & nomen illi: nam ξανθὸς flavum significat: sed ad aquas tantum Bæticas, quum sequatur, *& Bæticus adjuvat aer.*

42. *Viribus occultis.*) non intellectis.

44. *Parthenio factas.*) Commendatio est ab artifice, Sic Virgilius:

— Divini opus Alcimedontis.

45. *Et dignum sitiente Pholo.*) id est, Qui optime posset Pholo satis facere sitienti, & sitim explere. Nam Pholus Centaurus fuit, a quo propinquus mons Pholus est appellatus, qui quum Herculem hospitio suscepisset, dolium vini antea depositum extulit. hoc tradunt cuidam Centauro olim a Dionysio datum imperatumque, ut tunc

tunc vinum proferet, quum adesset Hercules. eo igitur facto ferunt reliquos Centauros vini odore & virtute factos ebrios fuisse. quumque impetum una omnes in Pholum facerent, ab Hercule partim cæsi sunt, partim in fugam conversi. Lege Diodor. *lib.* v.

45. *Vel conjuge Fusci.*) Mulierem bibacem sui temporis flagellat.

46. *Bascaudas.*) Vasa erant Britannica. Martialis:

Barbara depictis venis bascauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

46. *Escaria*) vasa, ab *esca* denominata.

47. *Multum Cælati.*) auri.

47. *Quo biberet.*) Designat poculum aureum, quod, ut scribit Plin. *lib.* xxxiii. *cap.* iv. pulvino Philippus rex Macedonum subjiciebat, quum vellet dormire.

47. *Emtor Olynthi.*) Olynthus civitas est Thraciæ, edito in loco sita, ut *lib.* I. *Hist.* scribit Thucydides, quam, ut testatur Demosthenes contra Æschinem, Philippus Amyntæ filius Alexandri pater emit a Lasthene amico suo, quem pecunia corruperat, quem intellexisse Virgilium, vi. *Aen.*

Vendidit hic auro patriam. —

tradit Servius.

47. *Callidus.*) Nam, ut scribit Justinus, blandus pariter fuit, & insidiosus, ut qui plura promitteret, quam præstaret. *Callidos* appellat Cicero *de Natur. Deor.* quorum tanquam manus, sic animus usu *concalluit.*

48. *Sed quis nunc alius.*) Hæc ad laudem dicuntur Catulli, qui (quod alii non facerent,) pluris fecit salutem, quam opes suas, sicque sui temporis avaritiam notat.

50. *Non propter vitam.*) Docet Poeta philosophice ita homini parandas esse opes, ut eas habeat tanquam ancillas, non dominas.

51. *Sed vitio cæci.*) Si licet aliquo modo conjecturam humanam sequi, videntur mihi hi duo versus omnino non esse Juvenalis, quia Poetæ gravitatem non redolent, neque Satyricam dignitatem.

51. *Cæci vitio*) immensæ cupiditatis, & avaritiæ.

52. *Jactatur*) in mari adversis ventis, & fluctibus.

53. *Illuc Decidit.*) Eo necessitatis devenit, ut etiam arborem navis succideret.

55. *Explicat angustum.*) Succisa arbore & navem reddidit spatiosam, quæ antea angusta erat, atque implicita.

55. *Quando.*) Quandoquidem solemus in periculis afferre ultima, & extrema præsidia, ut truncemus scilicet arborem, quo navis fiat levior, legendumque cum suspirio.

57. *I nunc.*) Honesta inhibitio est per permissionem. Sic Ovidius:

I nunc, & cupidi nomen amantis habe.

monet enim, quantum navigantibus immineant pericula.

60. *Mox cum reticulis.*) Tu, qui navigaturus es, memento una cum pane & vino sumendas esse tecum secures ad navis arborem incidendam, si tempestas urgeat. quasi diceret: scito mortis periculum semper naviganti imminere. legendumque est *accipe*, non *aspice*. *reticulum* enim est genus sacci aptum ad panem ferendum, a *reti* denominatum. Horatius:

— *Ut si*
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero. —

63. *Euro & pelago.*) ipsa tempestate.

65. *Albi staminis.*) id est felicitatem portendentis. nam Parcæ dicuntur *fila nigra* ducere, quum mortem, infelicitatemque minantur, contra vero *fila alba*, quum felicitatem portendunt. Martialis:

Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos.

66. *Lanificæ.*) lanam lucubrantes.

67. *Ventus abest*) fortior: nam *ventus* est, qui vehementiori *venit* impetu. unde nomen, aura vero levior est.

68. *Superaverat.*) Superfuerat. Virgilius:

Amissa solus palma superabat Acestes.

id est, supererat. Plinius de Elephantis: *Namque unum, qui superaverat.*

72. *Sublimis apex.*) Mons Albanus, ubi Ascanius condidit Albam.

72. *Candida scrofa.*) Nam a nomine porcæ albæ, quæ triginta, ut scribit Varro *lib.* II. *de Re Rust.* porcellos pepetit in portentum *albos*, denominata est *Alba*. *Scrofa* autem appellatur sus non castrata, sed quæ ad fœturam habetur.

74. *Latiis Phrygibus.*) quod sedem invenissent, ubi Urbem conderent a *scrofa* illa nominandam.

76. *Tyrrhenamque Pharon.*) id est turrim, quæ in portu Hostiensi erecta erat a Claudio, in æmulationem *Phari Alexandrinæ*, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent. Nam id sciendum, *Pharum* insulam esse, quæ objecta Alexandriæ portum efficit; ubi turris est ejusdem nominis, quam Ptolomæus erexit: cujus usus erat nocturno nautarum cursui ignes ostendere ad prænuncianda vada, portusque introitum: a cujus nomine omnes reliquæ turres, quæ compluribus locis flagrant noctu, *Phari* sunt appellatæ.

76. *Tyrrhenam.*) Tuscam: mare enim id *Tyrrhenum* dicitur, hoc est Etruscum, in cujus littore sita est *Hostia*.

79. *Brachia porrecta.*) Moles protentas in mare.

77. *Relinquunt Italiam.*) Magnitudinem portus ostendit,

ostendit, qui ita in mare extendebatur, ut videretur longe ab Italia recedere, & longe eam relinquere.

78. *Non sic mirabere.*) quum videas portus structiles ea esse operis magnitudine.

80. *Interiora.*) Partem interiorem ipsius portus.

80. *Pervia.*) Navigabilia etiam parvæ cymbæ, quãlibus in lacu Lucrino utuntur, qui in Campania est juxta Bajas: sicque ostendit navem Catulli ita mutilatam & tempestate confractam, ut per brevia etiam ferretur.

81. *Tunc stagnante sinu.*) Portu tranquillos habente fluctus, tempestate jam sedata.

81. *Tunc.*) scilicet ubi in portum venere.

81. *Vertice raso.*) Nautæ quasi in libertatem vendicati, quam per tempestatem amiserant, ad ejus rei memoriam caput sibi radebant.

82. *Garrula pericula.*) quæ nautas garrulos reddebant.

83. *Ite igitur pueri.*) Verba sunt Juvenalis imperantis servis, ut pareat, quæ ad sacrificia & vota exsolvenda pro Catullo pertineant. Nam Romani instituto rebus divinis operam dabant, quum aliquid commendandum esset, precatione; cum solvendum, gratulatione; cum exposcendum, voto. Valerius auctor in primo limine.

83. *Linguis animisque faventes.*) Nam in rebus divinis, ut scribit Cicero *de Divin.* quæ publice fierent, ut faverent linguis imperabatur, quod significabat, ut taciturnitatem præstarent. Nam in ludis favor, in sacris taciturnitas est necessaria, ut sancta rite peragi possint, nulla mala voce obstrepente. Tibullus:

Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

& alibi:

Ore favete omnes. —

84. *Sertaque delubris.*) Templa enim Deorum frondibus, & sertis ornabantur. Virgilius:

— *Et festa velamus fronde per urbem.*

84. *Farra imponite cultris.*) Cultros mola, quæ ex tosto farre & sale constabat, inspergite: nam mola tria inspargebantur, culter, ignis, & caput victimæ.

85. *Molles focos.*) *Molles* appellavit, aut quod iis odores, & tura cremabantur, quæ *Arabes molles* mittunt. Tibullus.

Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

Virgilius:

Molles sua tura Sabæi. —

aut quod magis placet, *molles focos*, recentes & novos, ut illud apud Statium in Sylvis:

Sertis mollibus expleatur umbra.

id est novis, recentibus. unde *Plinius ad Appollinarem: Prata florida & gemmea, trifolium, aliasque herbas teneras semperque molles, & quasi novas alunt.* Sic & *Castanea molles*, id est novæ & recentes: nam nuperrime parati erant foci; sequitur enim, *glebamque virentem.*

85. *Glebamque virentem.*) Aram ex glebis erectam, super quam foci parabantur.

86. *Quod præstat.*) Quod melius est, & excellentius, tanquam publice factum.

87. *Inde.*) Ex publico sacrificio jam peracto.

87. *Domum repetam.*) ut privatim sacrificem Laribus: qui & privatim in domibus, & publice in compitis colebantur. nam *Lares* Antiquitas præsides vocavit, quibus canis assistit, & ipsi pellibus *caninis* vestiuntur, ut inquit Macrobius. A *Laribus* fit *Lararium*, quod capitur pro loco, ubi *Lares* colebant, quod *capellam* vulgus appellat. Lampridius *in Alexandro Severo: Virgilii imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo Larario habuit, ubi & Achillis, & magnorum virorum: Alexandrum vero magnum inter optimos, & Divos in Larario majore consecravit.*

87. *Graciles coronas.*) Hoc dicit, quia Romani, ut scribit Plinius *lib.* XXI. cum terra flores negaret, coronas ex ramento e cornibus tincto sibi conficiebant, quas *hibernas* appellabant, paullatimque subrepsit appellatio corollis inter initia propter *gracilitatem* nominatis, hinc ergo Poeta *graciles coronas* appellavit. Lares autem coronari solitos docet Plinius: *Et jam tunc coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum privatorumque, & sepulcrorum, & Manium.* unde Plautus in *Aulularia* introducit Larem dicentem: *thure, vino, coronis, sibi quotidie sacrificatum fuisse.*

89. *Heic.*) domi.

89. *Laribus paternis.*) hoc est domesticis, & majorum nostrorum.

89. *Nostrum Jovem.*) aut quem peculiari cultu domi veneramur, aut *nostrum*, id est Romanum.

90. *Jactabo.*) Spargam.

90. *Omnes colores violæ.*) violas omnis generis: nam tria sunt genera violarum, purpureæ, luteæ, albæ.

91. *Cuncta nitent.*) ita a Poeta inferuntur, quasi illic omnia a servis & ministris essent parata ad sacrificium.

91. *Longos erexit janua ramos.*) ornata est ramis lauri: nam in Festorum solennitate domus lauro coronabantur. Alibi:

Ornentur postes, & grandi janua lauro.

92. *Festa.*) Conjunge cum janua: ut sit janua festa, & domus festa.

92. *Operatur.*) Rem sacram facit. Virgilius:

— *Lætis operatus in herbis.*

Propertius:

Cynthia jam noctes est operata decem.

93. *Nec suspecta tibi.*) Noli suspicari, Corvine,

vine, me ideo hæc vota tam solenniter exsolvere, quia velim captare Catullum. non enim est orbus, sed tres habet liberos, quibus bona sua relinquat.

95. *Libet exspectare.*) an aliquis appareat, qui pro amico Catullo tam sterili vel gallinam moribundam mactet, quasi dicat, nemo erit, qui sacrificet. Nam *gallinæ*, ut scribit Plinius *lib.* x. ad rem divinam luteo rostro pedibusque puræ non videbantur: ad opertanea sacra, nigræ.

97. *Tam sterili.*) quam est Catullus, qui quum filios habeat, nihil daturus est captatori, sed omnia filiis relicturus: nam *sterilis amicus* captatori dicitur, unde nullus exit fructus, quum omnia liberis relinquat.

97. *Verum hæc nimia est impensa.*) Ironicos, quasi diceret, non esse mirandum, si quis non inveniatur, qui pro amico *gallinam* sacrificet, quia nimia sit impensa.

97. *Coturnix.*) Avis, quam vulgus vocat *qualeam*, Græce *ortyx* dicitur, unde *Ortygometram* ipsarum coturnicum regem vocamus. *Coturnicem* autem posuit pro vilissima ave: nam apud mensas Romanorum damnabatur, quod morbo comitiali laborare dicitur. Plinius auctor.

98. *Pro patre.*) Pro eo, qui pater sit, id est, qui filios habeat, quia inde nihil sit capturus.

98. *Sentire calorem Si cœpit.*) Avaritiam sui temporis notat. Moventur, inquit, spe consequendæ hæreditatis ad facienda vota & sacrificia pro orbo, si forte vel minima valetudine corripiatur. hinc exit illa Plinii *lib.* XIV. conquestio: *Postquam cœpere orbi in auctoritate summa, & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum iere vitæ precia.*

98. *Calorem.*) Æstum febris,

99. *Gallita & Pactius.*) Nomina sunt divitum orborum, quos pro omnibus divitibus orbis ponit. *Pacti* meminit Martialis:

Munera quæ cuperet Pactius esse sua.

100. *Legitime.*) Ironicos, quasi jure quodam, & lege.

100. *Tota porticus.*) Nam in porticibus templorum suspendebantur tabellæ suscipientium vota.

101. *Hecatomben.*) Sacrificium centum boum, a numero victimarum: ad quod sacrificii genus respexit Pers.

— *Centum paria ob res*
Egregie gestas induco.—

Id est duplicem hecatomben. Quod genus sacrificii primum institutum fuisse a Laconibus videtur ostendere Strabo *lib.* VIII. *Laconiam, quum trisceis annis centenis præesset urbibus, Hecatompolum vocitatam memoriæ proditum est. inde quotannis per eos boves centenos immolari consuetum fuerat, quod sacrum hecatombas appellabant, ut totidem numero mactarentur boves, quot essent civitates.* Quum ergo tale sacrificium perageretur, centum aræ extruebantur, ut totidem essent, quot & victimæ. unde illud dictum est a Statio in Genethliaco Lucani:

Centum Thespiacis odora lucis,
Stent altaria, victimæque centum.

Et licet aliæ etiam victimæ, quam boves immolarentur, sacrificium tamen veteri vocabulo appellatum est *hecatombe.* Julius Capitolinus: *Hecatombe autem tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ extruuntur, & ad eas centum sues, centum oves mactantur. Nam si Imperatorium sacrificium fit, centum Leones, centum aquilæ, aut hujusmodi animalia centena feriunt, quod quondam Græci fecisse dicuntur, quum pestilentia laborarent.*

102. *Quatinus heic non sunt*) Quandoquidem heic non sunt venales elephantes, nec talis in Latio bellua progeneratur, sed tantummodo ex locis longinquis petitur, ut Imperatoribus serviat, qui eam tantum in voluptatem alunt. nulla igitur mora erit, quin per Pacuvium & Novium captatores, elephanti inveniantur, quos pro orborum salute sacrificent. [Gr.]

102. *Heic*) Romæ.

104. *Bellua concipitur.*) Scribit tamen Columel. in Urbe Roma elephantes progeneratos fuisse.

104. *Furva gente.*) aut ab *Indis*, quorum in corpore color noctis est, aut ab Æthiopibus, qui sunt in extrema parte Africæ ad montem Atlantem. nam utrinque elephanti mittuntur, aut a Troglodytis Æthiopibus, qui Arabiæ sunt contermini, omnesque colore fusco, apud quos etiam *elephantes* progenerantur.

104. *Furva.*) Nigra, unde illud Martial.

Nigro bellua nil negat magistro.

C. Item Horat.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima Barris?

nam *Barri* etiam elephantes appellantur. hinc *Barrire*, quod proprie faciunt elephantes, cum clamant. S.

106. *Cæsaris*) Domitiani.

106. *Armentum.*) Videtur hoc dici a Poeta in segnitiem suorum temporum. ut sit sensus: elephanti, quorum usus erat in bellis olim, nunc ab Imperatoribus seculi nostri ad voluptatem & spectacula exhibentur, pugnavere Romæ in circo, Claudii pulcri ædilitate, & Cæsari dictatori tertio ejus consulatu xx. contra pedites quingentos, itidemque totidem turriti, cum sexagenis propugnatoribus. Germanici Cæsaris munere gladiatorio quosdam inconditos motus edidere saltantium modo.

108. *Hannibali Tyrio.*) *Tyrium* appellat, quod ex Tyro venerit Dido, quæ Carthaginem condidit in Africa. Nam Hannibal secundo bello Punico, cum in Ita-

Eam per Alpes descendisset, *elephantes* secum duxit, ut Livius, Plutarch. & Silius scribunt.

108. *Regique Molosso.*) Nam Pyrrhus eo bello, quo Tarentinos juvit adversus Romanos, primus in Italia usus est elephantis, quos *boves Lucas* appellatas constat, quod in Lucanis primum visi sint. unde Ausonius:

Ut Lucas boves olim resumito,
Praeferoces juvit juventus Romulea.

101. *Nostris ducibus.*) Romanis. Nam & Scipio socer Pompeji in exercitu suo adversus Caesarem habuit elephantes in Africa. Appian. *lib.* 11. *de Bello Civ. Quum Scipio octo peditum legionibus instructus, equitum viginti millibus, quorum major pars Libycorum fuit, adhaec scutatis plurimis, & elephantis circa triginta adventare diceretur.*

108. *Horum majores.*) Segnitiem sui temporis carpit, quo elephanti ad spectacula alebantur, qui antea ad bella duntaxat parabantur.

110. *Euntem in praelia.*) Invidiose dixit *in praelia*, quasi dicat non progredientem, ut nunc fit, in theatra.

111. *Nulla igitur mora.*) Quum igitur Gallita & Pactius orbi vexentur vel minima valetudine, nulla mora est per Novium aut Histrum captatores, quin elephas, qui in Italia non progeneratur, & si quis est, deservit Imperatoribus, quoquo modo inveniatur, ducaturque ad aras mactandus. sicqve ostendit attentam captatorum diligentiam, qui nulli parcentes nec impensae, nec labori, elephantes peregrinam belluam inveniant, tantus est amor habendi.

111. *Per Novium.*) *Novius & Hister* Pacuvius captatores temporibus Poetae.

112. *Illud ebur.*) *Ebur* posuit pro elephanto. contra Virg. *lib.* v. elephantum pro ebore:

Altera candenti perfecta nitens elephanto.

114. *Tantis digna Deis & captatoribus horum.*) Ironicos legendum est, quasi diceret: nec *elephantem*, licet omnium animalium maximum, victimam satis dignam esse, quae Diis sacrificetur, nec dignam, quam captatores mactent, quando alia victima nobilior existat. ait enim, alter erit qui filiam & nubilem vovebit mactare pro salute divitis.

114. *Tantis Deis.*) Laribus, qui rogantur pro salute divitis.

114. *Captatoribus horum*) divitum.

115. *Alter.*) scilicet Pacuvius non deerit, qui & servos, & filiam nubilem, si habuerit, non dubitabit mactare, ut solus haereditatem omnem consequatur, ut sequentia docent.

115. *Si concedas.*) Si ei per leges concedatur, ut mactet servum, vel si tu concedas, id est, si toleres.

118. *Et si qua est Iphigenia domi.*) Et si quam filiam nubilem habebit, eam exemplo Agamemnonis mactabit pro salute amici orbi, quamvis ei nulla sit spes filiae conservandae, quomodo Agamemnoni servata est filia per Dianam, quae ei paranti puellam immolare, cervam ablata puella supposuit.

120. *Furtiva piacula.*) Furtivas expiationes, quales subjectae sunt Agamemnoni ab ipsa Diana, quae omnem exercitum Graecorum pestilentia vexabat ob cervam ibi consecratam in venatione ab Agamemnone occisam. Cerva enim, quae fuit piaculum, & expiatio, supposita fuit.

129. *Cervae tragicae.*) de qua tragoedi scripserunt, ut Sophoces, & Euripides.

111. *Laudo meum civem.*) Ironicos, quasi diceret sapiens nimirum est civis meus Pacuvius, qui filiam pro salute amici mactare est paratus: nam pluris facit testamentum, quod captat, quam salutem mille navium, pro qua Agamemnon Iphigeniam filiam suam immolavit: nam si dives convaluerit, testamentum mutabit, & omnia, quae utrique relinquebat, soli relinquet Pacuvio: ergo laudandum est ejus consilium: ac per hoc ostendit, ipsum improbius facere, quam fecit Agamemnon. Is enim immolatione Iphigeniae mille naves servavit. Pacuvius vero caede filiae unum tantum hominem. sed testamentum, inquit ironice, pluris faciendum est, quam mille naves: sicque improbam & caecam hominis cupiditatem damnat, qui etiam spe incerta testamenti paratus sit filiam mactare: nam si tunc moreretur orbus, haereditas pari modo ad utrumque captatorem rediret.

121. *Testamento.*) ad quod inhiat.

122. *Libitinam evaserit.*) mortem & funestam valetudinem. nam *Libitina* Dea fuit, in cujus aede, quae ad sepulturam pertinebant, vendere consueverant, qui Libitinarii sunt appellati, auctor Plut. in *Problem.*

123. *Inclusus carcere nassae.*) i. Munere captatoris ligatus, & captus.

124. *Post meritum mirandum.*) Ironicos, quasi dicat mirum non esse, si omnia bona relinquat Pacuvio, quando ipse pro salute ejus filiam etiam suam sacrificare paratus fuerit.

125. *Forsan.*) Hinc est maxima pars indignationis.

125. *Breviter dabit.*) i. illum haeredem faciet ex asse, id est ex toto: nam qui omnia uni relinquit, brevibus, & paucis verbis condit testamentum. dicit enim: *Pacuvium relinquo haeredem ex asse*, id est toto patrimonio: sicque *breviter* testamentum condit.

126. *Victis rivalibus.*) Aliis captatoribus. *Rivales* proprie, auctore Ulpiano, dicuntur ii, qui per eundem rivum aquam ducunt. per translationem autem appellantur, qui eadem cupiditate laborant, & ad eandem

rem

rem habendam intentum habent animum, quasi eodem affectus *rivo* concurrentes, unde *rivales*, qui eandem etiam mulierem amant, appellantur.

126. *Ergo vides.*) Insultatio est Poetæ per risum in captatores.

127. *Quam Grande operæ precium.*) Quam grandem & magnam utilitatem afferat immolatio filiæ, sumta a mercenariis, quibus suave est post laborem mercedem accipere.

128. *Vivat Pacuvius.*) Hæc omnia cum summa indignatione dicuntur a Poeta in reprehensionem avaritiæ sui temporis.

128. *Nestora totum.*) qui trecentos annos vixisse fertur.

129. *Quantum rapuit Nero.*) Nam ad omnes rapinas conversus fuit, ut templis etiam pluribus dona detraxerit, nullique delegaverit officium, cui non adjiceret: *Scis, quid mihi opus sit, & hoc agamus, ne quis quicquam habeat.*

130. *Nec amet quenquam, nec ametur ab ullo.*) Dira sane imprecatio est. nihil enim potest homini infelicius accidere, quam ut neminem habeat amicum.

IN SATYRAM XIII.

EXemplo quodcunque malo.) Hac Satyra Calvinum consolatur, qui ob negatam sibi pecuniam vehementer cruciabatur. Sed Satyræ non oblitus, notat tempora sua, quibus nimio avaritiæ studio id frequenter accidebat. Prima inter alias consolatio est, eum qui abnegaverit, nunquam cruciatu carere, licet judicia evaserit, quum eum semper conscientia exagitet.

1. *Malo exemplo.*) Quodcunque turpe facinus committitur, statim ipsi auctori displicet, ac per hoc stimulis conscientiæ flagellatur.

1. *Exemplo.*) Exemplum est alicujus facti aut dicti præteriti, cum certi Auctoris nomine proposito, quod nos monet, quid faciendum fugiendumve sit. Festus Pomp. *Exemplum est, quod sequamur, aut vitemus.* Id autem *malo exemplo* dicitur *committi*, quod male docet, quodque omnino fugiendum est, quodque, si quis sequatur, malum exemplum sequutus esse dicatur.

2. *Prima est hæc ultio.*) Inter alia animi tormenta, hæc prima est pœna. nam *ultio* & vindicta pœnam sive supplicium significant. Val. *lib.* I. *Pari vindicta parentum ac Deorum violatio expianda est.*

3. *Quod nemo nocens absolvitur.*) Conscientiæ enim flagello semper punitur, qui deliquit. unde & Virg. *Aen.* VI. appellavit *curas ultrices*, i. conscientias ipsas, quæ puniunt semper nocentes. Plaut. *Most.*

Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

nam, ut scribit Apul. etsi a ceteris silentium est, tamen ipse sibimet conscius est, posse se merito increpari. C. Huc facit, quod scribit Paulus *ad Rom. cap.* II. de lege Naturæ sive conscientia, accusante unumquemque, & excusante, cujus nemo possit judicium effugere, etiam si scriptæ leges omnes furaque sileant. S.

3. *Improba quamvis.*) Licet per gratiam evaserit judicium & damnationem prætoris, hocque dicit ex consuetudine Romana. Nam, ut scribit Serv. exponens illud Virgilii:

Quæsitor Minos urnam movet. —

non audiebantur caussæ, nisi per sortem ordinatæ. nam tempore eo, quo caussæ agebantur, conveniebant omnes, unde & concilium vocatur, & ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem trigesimam suas caussas exequerentur. unde ait *urnam movet. urnam* ergo *Prætoris*, id est judicium prætoris, qui per fraudem, & non recte duxit sortem ex *urna*, unde *improbam gratiam* appellat, quæ apud improbum judicem valuit.

5. *Quid sentire putas.*) Hæc omnia ad consolationem dicuntur Calvini. Est enim sensus: Omnes quidem hoc scelus damnant, & ingens flagitium esse prædicant. Sed tu non es tam tenui censu, ut omnino hac jactura obruaris, & in desperationem venias.

6. *Scelere.*) Perfidia.

6. *Fidei violatæ.*) Solutionis non servatæ, non præstitæ.

7. *Mediocris Fortunæ.*) Consolatio a qualitate incommodi.

8. *Te mergat.*) in conclamatam te immergat miseriam.

8. *Nec rara videmus.*) Consolatio a communi miseria.

9. *Casus hic cognitus.*) ut depositum denegetur.

10. *Tritus.*) Frequentatus.

10. *E medio acervo Fortunæ.*) E medio acervo incommodorum, quibus Fortuna homines vexare solet.

11. *Ponamus.*) deponamus.

12. *Flagrantior æquo.*) Vehementior, quam res poscat. Seneca *de Tranquill. Vitæ*: *In tuis quoque malis id agere te oportet, ut dolori tantum des, quantum poscitur.*

15. *Spumantibus visceribus.*) Ferventibus ira.

15. *Sacrum.*) quod debet esse tanquam res sacra, ac per hoc minime violandum.

15. *Stupet hæc.*) Familiaris reprehensio in Calvinum; quasi non conveniat eum, qui jam grandi sit ætate, & qui sæpe id multis accidere cognoverit, admirari. nam ut ait Cic. *Tusc.* v. *Sapientis est nihil, cum acciderit, admirari, ut inopinatum, ac novum accidisse videatur.*

17. *Stupet hæc.*) admiratur, eaque interrogatione legendum, qua solemus rem aliquam improbare. *Stupet* autem is, in quo sensus animi non vigent, quod aut metu, aut fulmine putavit accidere Cornel. Cels. Pers.

Sed stupet hic vitio. —

Ter.

Animus lassus cura confectus stupet.

17. *Fontejo Consule natus.*) Fonteji meminit Plin. *lib.* VII. *cap.* XXI. *Nuperque Fontejo, & Vipsano consulibus annos novem genitum puerum a meridie ad vesperum* LXXV. *millia passuum cucurrisse.* de hoc meminit & Solin. *cap.* III.

18. *Nil proficis.*) Non discis longo rerum usu hæc multis accidere.

19. *Magna quidem sacris.*) Sapiens vir omnibus Fortunæ telis, & casibus resistit, invictumque se præbet, animi magnitudine omnia inferiora putat. sic idem Calvino faciendum latenter ostendit.

19. *Magna præcepta.*) Salubria, & ad bene beateque vivendum pertinentia.

19. *Sacris libellis.*) quasi qui rem sacram contineant: est enim Philosophia, ut ait Cic. *Tuscul.* v. *vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum.* C. *Sacros* Sapientiæ *libros* appellat, quod Philosophia sit donum atque inventum Deorum, quodque sit rerum divinarum & humanarum scientia. Cic. *Tusc.* I. S.

20. *Sapientia.*) Ipsa Philosophia moralis, quæ quum antea *Sapientia* nominaretur, a Pythagora primum Philosophia est appellata, cum se apud Leontem Phliasiorum principem, non Sapientem, sed philosophum nominasset, i. sapientiæ studiosum.

20. *Sapientia.*) Qui ex Sapientiæ præceptis, & philosophiæ vivunt, casibus fortunæ adversis non franguntur, sed Fortunæ ludibria contemnunt.

21. *Incommoda vitæ.*) Res adversas.

22. *Nec jactare jugum.*) Non infringi, non abjici urgente fortuna, sumta translatione a bobus, qui urgente labore jugum renuunt & excutiunt, quasi succumbentes: ut ostendat hominem in adversis animo debere esse forti & erecto, talemque virum fortem appellamus, cujus proprium est dolorem mortemque contemnere.

22. *Vita magistra.*) Longa enim vita est nobis magistra, monetque multa homini incommoda omnino ferenda.

23. *Quæ tam festa dies.*) Quia in die festo non licebat de scelere agi, hocque totum est ad consolationem Calvini ex frequentioribus sceleribus.

23. *Prodere.*) Accusare, & manifestare.

25. *Gladio.*) Cæde hominis.

25. *Pyxide.*) Venenis, quæ pyxide servantur.

26. *Rari quippe boni.*) Adeo pauci boni existunt, ut vix septem reperias. sicque alludit ad septem illos Græciæ *Sapientes*, qui vere videntur dici potuisse boni. fuerunt autem hi: Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus.

27. *Ostia Nili.*) Septem Nilus hostiis in mare funditur, Virg. *Georg.*

Et diversa ruens septem discurrit in ora.

Ovid. I. *Met.* Nilum ideo *septemfluum* vocat.

27. *Divitis.*) totam Ægyptum divitem reddentis. inundatione enim Nili tota Ægyptus, ut auctor est Diodorus, fit fertilis.

28. *Nona ætas agitur.*) Ostendit tam multiplicata esse humani generis scelera, ut jam tempora duplo pejora sint, quam fuerint ferrea: & ita pejora, ut eorum sceleribus nomen non inveniatur a metallis, & sic est rei exaggeratio. Hoc magis placet, quam ut numeres ætates octo a metallis. non enim nominatur ætas electri, aut stanni, aut plumbi, sicut ætas auri, argenti, æris, & ferri.

29. *Quorum*) seculorum.

30. *Metallum*) dicitur vena auri, argenti, ferri, æris, plumbi, marmoris. μεταλλᾶν enim idem est, quod scrutor, & inquiro. Talia enim per venas terræ quærunt.

31. *Nos hominum.*) Scimus humani generis scelera esse, & maxima, & infinita; tamen Deorum, & hominum fidem imploramus, quasi in rem novam, & atrocem.

32. *Laudat.*) Notat morem sui temporis. Nam ambitiosi, & Poetæ, & caussidici, cœnis & muneribus laudatores sibi parabant. Persius:

— *Calidum scis ponere sumen:*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.
Et verum, inquis, amo: verum mihi discite de me.

Horat.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Mart.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

32. *Vocalis.*) Clamosa. nam is dicitur vocalis, qui magnam habet vocem, unde Stentora fuisse *vocalissimum*

mum dicimus, qui quinquaginta homines clamantes voce sua superaret.

33. *Sportula.*) Clientes, qui sportulam accipientes a Fessidio caussidico, eum adulando laudant.

33. *Dignissime bulla.*) Quamvis ætate sis senex, dignus tamen videris bulla, quum sis sensu puerili. ac si dicat, nimium simplex es, & parum peritus, qui exigas, ut inter mortales sit quædam vitæ sinceritas, nulli inter eos sint doli. Nam *bulla* aurea erat insigne puerorum prætextatorum, quæ a pectore dependebat, ut significaretur eam ætatem alterius consilio regendam: dicta a βουλὴ, quod est consilium. aut quod eam partem corporis *bulla* contingat, i. pectus: in quo naturale manet consilium. aut auctore Asconio, quasi *bullientis* aquæ sinus communiens. ea etiam utebantur triumphantes in speciem cordis, quibusdam, ut scribit Macr. remediis inclusis adversus invidiam. de hac non pauca Plutarch. *Problem.*

35. *Quas habeat Veneres.*) Quam grata sit & jucunda pecunia aliena. Nam hominibus, quos indomitus avaritiæ furor agit, nihil est suavius rebus alienis: ac per hoc docet, non esse mirandum, si depositum sit ei denegatum.

35. *Quem risum moveat.*) Quantopere omnes rideant simplicitatem tuam, quum poscis, ut nemo Deos perjurio offendat, quasi nemo jam fere existeret, qui fallax & perjurus non sit, quum jam etiam credant Deos non esse.

37. *Araque rubenti.*) aut propter ignem ibi ad sacrificia accensum: aut, quod magis placet, propter sanguinem victimarum.

38. *Hoc more.*) Hac vitæ sanctitate, ut non pejerarent.

38. *Indigenas.*) *Inde geniti*, nec aliunde venientes. hos Græci αὐτόχθονας appellant.

38. *Priusquam Saturnus fugiens.*) i. ætate aurea, qua *Saturnus* regnavit, qui a Jove filio ejectus regno Cretæ in Latium venit, & a Jano in regnum benigne exceptus fuit, quod eum ruris cultum docuisset. *Saturniam* Italiam Janus appellavit, aramque cum sacris condidit, quæ Saturnalia dixit: eo quod Saturnus apparere desiisset. dicitur autem ab Jove filio pulsus, quia semus tempora senescentia ab his, quæ sunt nata, depelli. Macrob. Plin. & Lactant. *Falcifer* etiam est appellatus, aut quia surculorum insitiones, pomorumque eductiones, & omnes hujusmodi fertilium Saturno tribuant disciplinas, quæ omnia sine usu *falcis* fieri non posse videntur, aut quia tempus omnia metat, exsecet, & incidat. Saturnum enim tempus interpretantur.

41. *Adhuc privatus.*) Quum nondum regnum patri rapuisset, sed in antris Idæis adhuc a nymphis aleretur, capra Amalthæa lac præbente, Nam Rhea uxor Saturni verita, ne pater Jovem infantem devoraret, quum reliquos alios absumsisset, Nymphis sub Ida furtim alendum misit. Hoc autem fictum est, quia revera Saturnus, quem Græci κρόνον vocant, *tempus* significat, a quo vicibus cuncta gignuntur & absumuntur, & eo denuo renascuntur. aut revera legendum est *primævus* Juppiter, ut conveniat cum eo, *tunc quum virguncula Juno*: ut ostendat miram fuisse simplicitatem *cum Juno adhuc* esset *virguncula*, & *Juppiter primævus*. Claudian.

Talis ab Idæis primævus Juppiter antris
Possessi stetit arce poli. —

42. *Nulla super nubes.*) Tunc homines sine aliquo flagitio vivebant, quum Dii nulla adhuc celebrarent convivia in cœlo, ac per hoc pauci in cœlo morarentur, nullusque adhuc Deus esset, qui maria, aut inferna diviso imperio teneret. *Super nubes*, id est in cœlo, ut ostendat miram in cœlo fuisse Deorum paucitatem.

43. *Puer Iliacus.*) Ganymedes, quem in aquilam transfiguratus Jupiter in cœlum tulit, suorumque poculorum ministratorem fecit, remota *Hebe* communi ipsius Jovis & Junonis filia, quam sibi Hercules in cœlum translatus matrimonio copulavit.

45. *Taberna Liparæa.*) Valer. Flacc.

Lemnos cara Deo, nec fama notior Ætna,
Aut Liparæa domus. —

46. *Prandebat sibi.*) Quisque Deus sibi ministrabat, & serviebat. aut quod non minus placet, hoc dicit, quia qui ad alienum accedit convivium, videtur prandere in gratiam alterius. *Quisque* ergo *Deus prandebat sibi*, id est domi suæ, & in gratiam suam, & non alterius: videturque respicere ad id, quod Antiqui in gratiam amicorum bibebant, & propinabant, unde est illud ante:

— *Quando propinat*
Virro tibi, sumitque tuis cunctata labellis.
Pocula. —

& ita dictum *prandebat sibi*, sicut illud *bibit sibi*.

46. *Nec turba Deorum Talis*) erat, quæ sibi posceret tantam lautitiam, quum unusquisque sibi ministraret: aut revera posuit *talis* pro tanta. nam sequitur:

— *Contentaque sidera paucis*
Numinibus. —

nam Diodor. ostendit *lib.* 1. paucos fuisse Deos.

48. *Atlanta.*) Ferunt Atlantem Libyæ filium fratrem Hesperi tanta magnitudine fuisse, ut humeris suis cœlum sustineret, sed eum a Perseo, quum ad eum occisa Medusa divertisset, conversum fuisse in montem sui nominis, quum ipse a se Perseum repelleret. Sed, quod cœlum humeris sustinuisse dicitur, est ex historia: nam is, ut scribit Plinius, *lib.* VII. Astrologiam invenit. Ovidius *Epist. Dejan.*

Hercule

Hercule supposito, sidera fulsit Atlas.

49. *Sortitus*) Mentio apud Homerum *in* xv. *Iliados.*

50. *Sicula cum conjuge Pluton.*) Nondum erat Pluto dominus inferorum constitutus, cum Proserpina Ceteris filia, quam postea in Sicilia flores colligentem rapuit secum ad inferos. de Cujus raptu eleganter cum Claudianus, tum Ovidius v. *Fast.*

51. *Nec rota.*) Nondum erant apud inferos statuta supplicia. per *rotam* autem intelligit cruciatum Ixionis, qui intextus totæ torquetur; id enim supplicii pati dicitur, quod quum Jovis & Junonis esset secretarius, ausus est Junonem de stupro interpellare, quæ ei, suadente Jove, nubem in sui formam objecit: cum qua concubuit, gravidamque fecit, ex qua Centauri nati sunt, qui a Poetis *nubigenæ* vocantur. Quum postea gloriaretur, se rem cum Junone habuisse, eum Juppiter rota serpentibus circumfusa intexuit. Tibullus:

Illic Junonem tentare Ixionis ausi,
Versantur celeri noxia membra rota.

51. *Nec Furiæ.*) Alecto, Tisiphone, & Megæra, quæ filiæ dicuntur fuisse Noctis & Acherontis. Virgil.

Dicuntur geminæ pestes cognomine diræ,
Quas & tartaream nox intempesta Megæram,
Uno eodemque tulit partu. —

51. *Nec saxum*) Quo Sisyphus punitur. is enim quum Isthmum latrociniis infestaret, cogebat transeuntes pedes sibi lavare, quos officio occupatos, calcibus in mare projiciebat. a Theseo interemtus, hac apud Inferos jugi afficitur pœna, ut grande saxum adversum montem ferat, quod quum ad montis verticem truserit, lapsum ad ima redit. Ovid.

Aut petis, aut urges rediturum Sisyphe saxum.

51. *Aut vulturis atri.*) Pœna, qua Tityus afficitur, qui cum Latonæ vim inferre vellet, ab Apolline sagittis confossus, fuit ad Inferos trusus, vultur ejus cor renascens assidue depascitur. unde Tibullus:

Porrectusque novem Tityus per jugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aves.

Is enim filius fuit Jovis ex Thiara filia Orchomeni, quam quum Juppiter gravidam fecisset Junonisque iram timeret, in spelunca sub terra abdidit, unde natus Tityus filius terræ existimatus, ea corporis magnitudine fuit, ut *novem terræ jugera* occuparet.

53. *Improbitas illo ævo fuit admirabilis.*) rara, nova, & inusitata. Nam quæ hujusmodi sunt, excitant admirationem. Mirabantur omnes, si vel minima improbitas in aliquo existeret. At nunc contra in tanta ingentium vitiorum & corruptelarum multitudine admiramur, si quis paullo modestior sit aut justior. Nam ut aquila muscas non cernit, verveces, & vitulos cernit: sic nos, vix maxima scelera miramur. C. S. C.

55. *Si juvenis vetulo non assurrexerat.*) At hodie tantum abest, ut assurgant juniores senioribus, ut ne cedere quidem eis de via velint, tanta est juventutis improbitas. Communi tamen omnium gentium more comprobatum est, ut Cicero *de Invent. lib.* 1. testatur, ut majoribus natu a natu minoribus assurgatur. Id quod idem cum alibi, tum *de Offic. lib.* 1. confirmat: *Est igitur adolescentis, majores natu vereri ex hisque diligere optimos & probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur.* vide item, quæ Valer. Max. scribit *lib.* 11. de honore impenso senibus a juvenibus. C. S. C.

57. *Glandis acervos.*) Homines enim ætate aurea arborum fœtibus vescebantur. Tibullus:

Rura cano, rurisque Deos, his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.

Claudianus i. *de Raptu*:

Unde datæ fruges populis, & glande relicta,
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.

57. *Plura farra.*) Quia antiqui, ut Verrius tradidit, trecentis annis farre vixerunt.

59. *Primaque par adeo.*) Legendum est *par*, non autem *pars*, ut sit sensus, *prima lanugo*, & primum barbitium erat *par sacræ senectæ*, id est pueri barbatum juvenem, qui ætate fuisset major, venerabantur, ut senem.

61. *Veterem follem.*) rem vilissimam, id est marsupium ipsum vetus. Nam *follis* pro repositorio nummorum ponitur. unde Apul. *lib.* iv. *Metam. Nummularius pannosus alioquin & sordidus aureos folles incubabat.*

61. *Cum tota ærugine.*) Cum tota moneta rubiginosa, quæ ex longo in arca situ rubiginem contraxerit. *ærugo* enim idem est, quod rubigo. Plin. *lib.* xv. *Arcas decocta amurca ungi atque æramenta contra æruginem.*

62. *Prodigiosa fides.*) Loco prodigii habetur, si tantam fidem invenias, ut depositum non negetur.

62. *Tuscis digna tabellis.*) quæ ex instituto Hetruscæ disciplinæ procuretur. nam haruspicina inventa fuit ab Hetruscis.

63. *Agna coronata.*) aut vittis, aut corona ornata; nam ita ad sacrificium ducebatur victima.

64. *Egregium, sanctumque virum.*) Iniquitatem temporum suorum notat, quibus mira bonorum virorum paucitas erat. Si virum bonum conspexero, illum comparavero *puero bimembri*, ut innuat prodigiosam rem esse, si vir bonus inveniatur.

65. *Et miranti sub aratro.*) Comparo piscibus inventis sub aratro miranti, ut rei inanimatæ dederit sensum, quasi aratrum miretur novitatem monstri.

66. *Et fœtæ mulæ.*) quæ peperit. nam *mulæ* non pariunt, licet Plin. testetur annales tradidisse mulam peperisse, sed in portentum. scribit Appianus *lib.* I. mulam

mulam ante Syllæ adventum in Urbem peperisse.

67. *Imber effuderit lapides.*) Portentosum enim est lapidibus pluisse, quod tamen accidisse scribit Livius, & Val. Max. *lib.* I. *In Piceno lapides pluisse.* Tibullus:

Multus ut in terras deplueritque lapis.

Ceterum Appianus *lib.* III. *Bellor. Civil. Circa solem porro insolita apparuere signa, & imbres lapidei e cœlo missi, continuaque fulmina in templis, statuisque Deorum deciderunt.*

70. *Miris gurgitibus.*) Inusitatis vadis.

70. *Vortice.*) Liquore. C. seu potius unda & fluctu copioso, & contorto. nam *vortex* proprie appellatur aqua in gyrum se agens a, *vertendo*, unde Virgil.

—*Et rapidus vorat æquora vortex.* S.

72. *Quid si bis centum.*) Consolatio ab aliena calamitate & graviore. quasi dicat, æquo animo tibi ferenda est Fortuna tua, quando aliiis longe graviora acciderunt, & tamen omnia patienter tulere.

72. *Quid*) dicas, quam miserabile censeas?

73. *Arcana.*) deposito sine ullis testibus.

73. *Hec modo.*) quo tu perdidisti per fraudem.

75. *Tam facile.*) Tam impii sunt homines, ut Deos ipsos, qui omnium humanarum operationum sunt cognitores, facile contemnant, nec metuant, ne puniantur.

77. *Ficti vultus.*) Hominis est scelerati vultum fingere, unde Terent.

Vultus quoque hominum fingit scelus.

nam differentiam faciunt inter vultum & faciem, ut *facies* sit ipsa oris species; *vultus* vero a *volo* dictus, voluntatem ipsam significet hominis: quæ pro motu animi in facie ostenditur.

78. *Per radios Solis.*) Persæ, ut scribit Justinus *lib.* I. Solem equosque eidem sacratos colebant. Herodotus autem scribit *lib.* I. *Persas Soli, Lunæque sacrificare & Telluri, & Igni & Aquæ, & Ventis, quibus solis gubernantur.*

79. *Spicula.*) Sagittas. Virgilius:

Non pudet auratas Phœbum portare sagittas.

Spiculum proprie appellatur cuspis illa, quæ sagittis præfigitur.

79. *Vatis Cyrrhæi.*) *Apollinis*, qui Delphis oracula dabat ex spelunca: apud quos vicina est *Cyrrha.* nam ab ea ad Delphos incipit ascensio stadiorum fere LXXX. hinc ergo dicebatur Apollo *Cyrrhæus*. Delphi autem & *Cyrrha* oppida sunt Phocidis regionis.

80. *Per calamos.*) Sagittas, quæ ex calamis fiebant. Virgilius:

— *Quum Daphnidis arcum*
Fregisti & calamos. —

Calamis Orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt irrevocabili hamo noxia. Plin.

80. *Puellæ venatricis.*) Dianæ.

81. *Tuum tridentem.*) Fuscinam tuam. Poeta in *Carm. Obscœn.*

Fulmen habet mundi Dominus, tenet illud aperte,
Nec datur æquoreo fuscina tecta Deo.

82. *Herculeos arcus.*) Legendum est *arcus*, non *artus.* de telis enim intelligit, sequitur namque:

Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

85. *Sinciput.*) Aliqui dicunt appellatum esse, quasi *semicaput*, prioremque capitis partem esse, cui opinioni haudquaquam adstipulor. nam *occipitio* opponitur frons, non *sinciput*. Apul. I. *Apol.* de quodam Thallo morbo comitiali laborante: *Facie ulcerosus, fronte & occipitio conquassatus.* aliud igitur significat *sinciput*, quod forte adhuc pauci intellexere. Pers.

— *Fumosum sinciput aure.*

pro toto capite poni videtur apud Plautum in Menæchmis:

Non est tibi sanum sinciput adolescens.

84. *Flebile.*) deflendum mihi. Acetum autem Ægyptiacum optimum fuisse ostendit Martialis:

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti:
Esset, si vini vilior illa foret.

86. *Sunt, qui in Fortunæ.*) Inter philosophos triplex fuit de Diis opinio. Alii enim, inter quos fuit Diagoras, negaverunt Deos esse: alii Deos esse censuerunt, sed res humanas non curare, iique fuere Epicurei: alii esse & curare, ut Stoici. Ait igitur Juvenalis, multos existere, qui Diagoræ opinionem secuti, existiment *Deum* non esse, qui res humanas curet: sed tantummodo omnia nutu Naturæ, Fortunæve agi, atque ideo sine aliquo metu scelera perpetrent. Alios vero esse, qui Deos esse putent, timeantque eos, & tamen pejerent, pluris pecuniam facientes, quam iram Deorum.

88. *Natura volvente vices.*) Opinionem eorum sequitur, qui Naturam falso a Deo separantes quæsivere, quid prius fuerit, Natura, an Deus? Si Natura prior est, ergo Deus natus est. Atqui Deus nasci non potuit. Rursus, si Deus prior est Natura, quod si nasci potuit Natura, incipit non esse Natura. Hinc illud pendet Ovidii I. *Metam.*

Hanc Deus & melior litem natura diremit.

ubi ostendit Naturam esse Deo potentiorem, quasi quæ ante Deum fuerit, & a qua omnia sint orta, quam sententiam tetigit & Claudianus *in laude quarti Consulatus Honorii*:

Talis ab Idæis primævus Juppiter antris
Possessi stetit arce poli, famulosque recepit
Natura tradente Deos. —

Et

& idem alibi:

Juppiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros utrinque Deos æqualibus alis
Misit ab Eois, occiduisque plagis.

unde falluntur illi, qui apud Ovidium exponunt *&* pro *id est*; ut stet expositive, quum secutus sit Poeta eos philosophos, qui Naturam separarunt a Deo, volueruntque eam esse potentiorem Deo, quod & Cicero secutus est *in Paradoxis*: *Tu quum tibi sive Deus, sive mater, ut ita dicam, rerum omnium Natura dederit animum.* ubi aperte docet *Deum*, & *Naturam* non esse idem. Rerum autem Naturæ patronos fuisse docet *Apul. 1. Apol.* Anaxagoram, Leucippum, Democritum, & Epicurum. nam Deos abnuere existimabantur, solam autem Naturam dicebant esse, a qua omnia nascerentur. Sed, ut tradit Lactantius Firmianus, melius Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit nil aliud esse Naturam, quam Deum: *Ergo Deum non laudabimus? cui naturalis est virtus, nec illam didicit ex ullo, immo laudabimus. quamvis naturalis illa ei sit, sibi illam dedit, quoniam Deus ipsa Natura est. Cur igitur ortum rerum tribuis Naturæ ac detrahis Deo.*

88. *Volvente vices*) cursus, & vertigines diei & anni, ac per hoc omne temporum curriculum.

90. *Est alius metuens.*) Alii sunt, qui omnino Deos esse credunt, & Deorum iram metuunt, ne puniantur, quum malefecerint, tamen pejerant aviditate pecuniæ obcæcati.

91. *Pejerat.*) Is *pejerare* dicitur, qui datam fidem non præstat.

92. *Decernat.*) Statuat, &, quodcunque volet, supplicium sumat.

93. *Sistro.*) Isis putabantur ferire perjuros, quotiens per eam jurantes fidem non servassent, unde Ovid. *in Ponto*:

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.
Alter ob huic similem privatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.

ubi locus corrigendus est. nam pro *linigeræ* scriptum est *linigenæ*.

95. *Vomicæ putres.*) *Vomica* ulcus est malignum latens, & tumens cum sanie. a *vomenda* sanie dicta. unamquamque partem corporis infestat.

96. *Sunt tanti.*) Suntne adeo mihi timenda & æstimanda hæc mala, ut negem nummos? quasi dicat, minimi mihi sunt facienda præ pecunia.

96. *Pauper locupletem optare podagram Ne dubitet Ladas.*) verba perjuri. Ladas dubitet illam velocitatis gloriam contemnere, & optare sibi podagram, qua una maxime velocitas impeditur, modo ad divitias transeat. Itaque locus est corrigendus, ut non *laudas*, sed *Ladas* legatur. is enim, ut scribit Solinus, primam palmam pernicitatis est adeptus, qui ita sub canum pulverem cursitavit, ut in arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum. per *Ladam* autem omnem intelligit pauperem expediti corporis.

96. *Locupletem.*) Non exponas, qualem patiuntur maxime locupletes, sed *locupetem podagram*, id est morbum ipsum in summa opulentia. quid enim prosit Ladæ pauperi, si in paupertate manendum sit, optare sibi podagram, qua vexantur locupletes. sic ergo exponendum est: Ladas pauper, modo divitiis cumuletur, non dubitet optare vel podagram velocitati suæ adversatricem, modo habeat, unde largiter & delicate vivat.

97. *Si non eget Anticyra.*) si insanus non est. nam Anticyra insula est, quæ olim Cyparissus nominata est, ut scribit Pausanias, sed mutato nomine Anticyra est appellata, ab Anticyro Herculis socio. ut vero scribit Strabo, civitas est ad sinum jacens Maliacum, & Oetam montem. Ibi *helleborus*, sive *veratrum* nascebatur, quo, ut scribit Plinius, hominis insania & mali humores emendantur, & ad ingenium acuendum plurimum valet. unde Carneades responsurus libris Zenonis Stoici, helleborum candidum sumsit.

98. *Archigene.*) Medico, qui veluti in delirio feriat venam in media fronte, sicuti ante dictum est:

O medici, medici mediam pertundite venam!

98. *Quid enim veloci.*) Quid prodest Ladæ pauperi firma corporis valetudo, & quod pedum sit summa pernicitate, ita etiam, ut in Olympicis ludis sæpe palmam reportet, si in paupertate sit vivendum? quasi dicat, longe utilius est homini morbis vel gravissimis vexari, dummodo sit in summa rerum opulentia, quam sanitatem corporis habere, & in paupertate vivere.

99. *Ramus olivæ.*) Ut sit victor in ludis Olympicis, ubi victores oleastro coronabantur, auctor Plinius *lib. xv.* Interque alia certamina cursu, seu *veloci gloria plantæ* potissimum contenditur.

99. *Pisææ.*) Pisa, & Elis civitates sunt Peloponnesi, inter quas jacet campus vastissimus, qui *Olympia* nominatur, ubi ludi celebrabantur, qui a locorum propinquitate dicuntur, & Pisæi, & Elæi, & Olympici, sive Olympii, non autem, ut falso quidam putaverunt, ab *Olympo* monte.

99. *Esuriens.*) Quod sit victor, & esuriat, id est, ut sit pauper.

100. *Ut sit magna.*) Concedo Deos esse, & graviter delinquentibus irasci, tamen ad puniendum lenti sunt. præterea si omnes puniendi sunt, longum erit, ut me puniant.

100. *Lenta.*) Non festinata, tarda. Valer. *Lento enim gradu ad vindictam sui Divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.*

102. *Sed & exorabile numen.*) Talia solent sibi comminisci, qui turpiter volunt vivere.

102. *Ad me*) puniendum.

103. *His.*) talibus delictis.

103. *Multi.*) Verba sunt peccantis, quibus occurrit his, qui possent dicere, sibi cavendum esse a suppliciis legum humanarum, ait ergo: Non ignoro hoc quidem, sed tamen multos constat eadem committere crimina, sed diverso fato: alii puniuntur, alii non modo non puniuntur, sed honoribus etiam decorantur. quasi colligat, sibi etiam accidere posse, ut pro malefactis beneficia accipiat.

140. *Fato.*) eventu.

105. *Diadema.*) Evectus est ad regiam dignitatem.

106. *Trepidum formidine diræ culpæ.*) Qui tremit conscientia diri sceleris.

107. *Te vocantem.*) Te, qui petis depositum.

108. *Præcedit*) ipse perjurus, tanquam innocentiæ suæ confidat..

109. *Nam creditur fiducia.*) Confirmatio rationis, quare tantæ audaciæ sit. quia multi, inquit, malitia hominum decepti, putant eum esse innocentem, qui magna cum audacia caussam suam tuetur, idcirco audax est. putant enim ex tecta conscientia, & fiducia tantam audaciam proficisci.

110. *Mimum agit ille.*) Non minore strepitu movetur, & clamore, quam si mimum agat, id est fabulam, qualem egit scurra fugitivus Catulli Urbani, nam in fabula Catulli introductus est servus, qui mirum in modum clamaret.

112. *Exclamas.*) Ingenti voce clamas. C. Tali querela usus est Iarbas apud Virgilium, *Aeneid.* IV.

> *Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis*
> *Gens epulata thoris lenæum libat honorem,*
> *Aspicis hæc?*——— S.

112. *Tu*) ex altera parte.

113. *Audis hæc.*) quæ fiunt a perjuris & sceleratis.

114. *Nec labra moves.*) Nec irasceris. nam ferunt Jovem, quum hominibus irascitur, prorumpere in maximos clamores, & buccas inflando mittere fulmina. Horat.

> — *Quin Juppiter ambas*
> *Iratus buccas inflet.*—

Persius:

> ——— *Ad sese non clamet Juppiter ipse.*

115. *Vel marmoreus.*) etiam ex marmore effigiatus.

116. *Tura ponimus.*) Cur te, ut Deum, & omnium scelerum vindicem colimus. quasi dicat, ob eam rem te colimus, ut humana negotia severe modereris, scelera ulciscaris.

117. *Jecur vituli.*) Nam jecur in extis principatum obtinet.

118. *Omenta.*) intestinum est exteriore parte lene, & strictum, ex superiore mollius, cui adeps quoque innascitur, quæ sensu, sicut cerebrum quoque & medulla caret. Plin. *omentum* membranam etiam esse docet: *Ventriculi atque intestina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam ova gignentibus.*

118. *Ut video.*) Tam negligenter Dii res humanas curatis, ut nullum putem esse habendum discrimen inter statuas vestras & Bathylli.

119. *Bathylli.*) Intelligit de statua *Bathylli* Samii. ait Apul. II. Flor. *in Samo, quæ modica est insula in mari Icario templum Junonis antiquitus famigeratum conspici, cujus ante aram statua erat Bathylli a Polycrate tyranno dicata, qua nihil unquam affectatius fuit.* hic non modo dilectus fuit a Polycrate, sed etiam ab Anacreonte Teio. Apul. *Qui Polycrati tyranno dilectus Anacreonta Teium amicitiæ gratia cantillat.* Horat.

> *Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo*
> *Anacreonta Teium.*

Bathyllus item fuit pantomimus. Juven. alibi:

> — *Molli saltante Bathyllo.*

Sunt qui Bathylli statuam cytharœdico habitu in illius memoriam erectam, Pythagoræ esse existimant, sed philosophus nequaquam a Tyranno dilectus est, quippe eo jam dominari orso, profugit ex insula clanculum.

120. *Accipe, quæ contra.*) Audi etiam, quæ solatia tibi afferre possint, qui nullis sunt instructi Philosophiæ præceptis, nec Stoicorum, nec Cynicorum, nec Epicureorum, qui omnes opes contemserunt: quasi dicat, unusquisque vel rudis potest te in ista pecuniæ amissione optime consolari. per quod docet æquo animo omnia esse ferenda, quæ amiserit, & bona Fortunæ contemnenda.

121. *Cynicos.*) Cynicorum sectæ princeps fuit, auctore Laertio, Antisthenes Atheniensis, qui cum dissereret in gymnasio, quod *Cynosargen* appellabant, non longe a januis, *Cynicum* cognomen secta suæ dedit. Lactant. vero a *canibus* cognomen accepisse scribit: *Quid loquar de Cynicis, quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit: mirum si a canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum & nomen traxerunt?* Quod sane ita fuisse Apul. II. *Florid.* ostendit: *Duxit Crates Cynicus puellam in porticum, ibidem loco celebri coram luce clarissima accubuit, coramque virginem imminuisset paratam pari constantia, ni Zeno procinctu palliastri circumstantis coronæ obtutu magistrum in secreto defendisset.* ubi mendum correximus, nam ubi legimus *duxit Cynicus*, scriptum erat *dux Cynicus.* Aliqui vero *Cynicos* dictos esse putant, quod essent mordaces, ut *canes.* nam Diogenes, ut scribit Laertius, interrogatus, quare *canis* diceretur, respondit, quia eis, qui dant,

dant, blandior; iis, qui non dant, oblatro, malos autem mordeo. Ii autem nobilitatem, & divitias abjiciebant, dicentes solam Virtutem sufficere ad beatam vitam, unde Crates Cynicus, omnem rem familiarem abjecit; existimans tunc demum se manumissum. sola pera & baculo contenti cibos mendicabant. Apul 1. *Apol. Non sunt quidem ista Platonicæ sectæ gestamina, sed Cynicæ insignia familiæ; veruntamen hæc Diogeni & Antistheni pera & baculus, quod regibus diadema. Diogenes quidem cum Alexandro magno de veritate regni certabundus, baculo vice sceptri gloriabatur.* Plautus in *Persa*:

Cynicum esse egentem oportet, parasitum probe.

Martialis. *lib.* IV.

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati,
Cui dat latratos obvia turba cibos.
Esse putas Cynicum deceptus imagine falsa,
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

121. *Dogmata.*) Sententias, & opiniones Stoicorum. Quæ Græci *dogmata* dicunt, Latini *decreta* appellant, Sen. *Epistol. Nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quæ Græci vocant dogmata, nobis vel decreta licet appellare, vel scita, vel placita.* Hoc autem interest inter *decreta* philosophiæ, & *præcepta*, quod inter elementa & membra, hæc ex illis dependent, illa horum caussæ sunt omnium, *præcepta* enim pendent ex *decretis*. Sunt igitur *dogmata* sectæ uniuscujusque decreta, *quæ*, ut Ciceronis est sententia, *prodere, scelus est non minus, quam patriam.* unde scribit Laertius, eam minime *sectam* appellari, quæ *dogma* non habet.

121. *Stoica.*) sectæ Stoicæ princeps fuit Zeno, a quo primo *Zenonii* sunt appellati, mox vero *Stoici* a *Stoa*, id est porticu, nam Athenis Porticus erat, quæ *Pysianactia* vocabatur, referta varia & multæ scientiæ pictura Polygnoti Thasii, in qua quum diversis temporibus jam mille quadrigenti triginta cives interfecti fuissent, voluit Zeno locum illum stabilem atque inviolabilem reddere, quare cœpit in illa docere. ad quem illic audiendum discipuli confluentes, qui antea *Zenonii* dicebantur, postea ab ipsa porticu *Stoici* sunt vocati, auctor Laertius. hi autem ita divitias, & reliqua Fortunæ bona abnuebant, ut nihil præter Virtutem bonum appellarent, dicentes divitem, quicunque cœlo tegeretur.

122. *Tunica distantia.*) Nam, ut scribit Augustinus *de Civ. Dei*, dogmata philosophorum solo habitu fuerunt diversa: nam quum omnes Virtutem, sive summum, sive solum bonum, dicerent, divitias universi contemnebant. *Tunica* igitur tantum distabant *Stoici a Cynicis*, quod *Cynici* duplici pallio uterentur. Horat. *in Epistol.* de Cynico:

Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor. —

eam vestem duplicem, ut scribit Porphyrius, *diploidem* appellavere, eandem & abollam. Matt. *l. l.* Laertius: *Primus Antisthenes pallium duplicavit, ipsoque solo utebatur, baculumque sumsit, & peram.* Zeno vero Stoicorum princeps patientissimus fuit, & victus simplicissimi, crudisque tantum cibis utebatur, & tenui pallio, ita ut de illo diceretur, quod eum neque sæva hyems, nec gelidus imber, non dura vis morbi domuerit, neque torridus Sol.

122. *Epicurum.*) *Epicurus* contentus fuit exiguo horto, primusque, ut scribit Plinius *lib.* XIX. instituit Athenis habere hortos in Urbe, unde *hortorum magister* est appellatus, ad quod allusit Papinius *lib.* 1. *Sylv.*

Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.

auctor est Laertius Epicurum ad Herodotum scripsisse, summum bonum esse in voluptate, scilicet non dolere corpore, animoque tranquillum esse & perturbatione vacare. aqua & cibario pane se contentum fuisse testatus est.

122. *Non Suspicit.*) Non veneratur, ac per hoc non legit.

123. *Lætum.*) Contentum.

123. *Plantaribus.*) Oleribus.

124. *Curentur dubii ægri.*) Calamitas tua minima est, & quæ non indiget gravi consolatore, sed unusquisque est aptus ad te consolandum & dolorem tuum leniendum. metaphora sumta est ab ægrotantibus, quibus pro morbi qualitate adhibentur medici.

123. *Vel discipulo Philippi.*) qui imperitus erat, sicque ostendit & Philippum, & discipulum fuisse parum peritos.

125. *Venam feriendam.*) hoc est te ipsum trade consolandum, etiam homini mediocris eruditionis, quum jactura tua sit talis, ut unusquisque facile possit te consolari.

126. *Si nullum in terris.*) Ego non prohibeo, quin doleas, si potes mihi ostendere nullum tale facinus perpetrari inter mortales. talia & graviora solent mortalibus accidere; ut sit consolatio a communi miseria.

129. *Quandoquidem accepto.*) Non veto te dolere, quandoquidem nulla tibi amplius est habenda spes, illud domum rediturum, quod amisisti. videturque sumtum ex vulgato proverbio, quod solet dici in eos, qui pecoris sui diligentes non fuere custodes, quibus per derisum imperatur, ut accepto damno, stabulum claudant, ac per hoc sciant sibi ereptam esse spem recuperandi, quod amiserunt.

130. *Et majore domus.*) Nec veto, inquam, quin doleas

doles, quandoquidem nummi planguntur majore gemitu, & lamentatione, quam domestici alicujus interitus. C. S. C.

131. *Nemo dolorem Fingit in hoc casu.*) Amissa pecunia nemo dolorem fingit, nemo contentus est lacrymas simulare: verum omnes habenas laxant mœrori, totamque discindunt vestem, non contenti diducere & aperire. C. S. C.

133. *Humore coacto.*) Non enim lacrymis fictis plorat, unde bene sequitur: *ploratur lacrimis veris.*

135. *Sed si cuncta vides.*) Sed censes te nunc, quasi delicias, ponendum extra communia, si vides cuncta fora plena simili querela. Quum videas in judiciis quotidie talia scelera deferri cum acerbis deceptorum querelis, non debes putare te, ut delicatum, telis Fortunæ non esse subjectum.

135. *Cuncta fora.*) Tria enim erant Romæ.

137. *Lectis tabellis.*) Lectis ipsis pugillaribus.

136. *Diversa in parte.*) id est, adversus ipsum debitorem.

137. *Dicunt*) debitores & perjuri.

137. *Chirographa.*) tabella manu propria scripta. ergo *vana chirographa*, id est vanos, adulterinos, & mendaces pugillares ligneos, in quibus propria manu scripsit. Alibi Juvenal.

Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni.

137. *Supervacui.*) Nihil proficientis. supervacuum enim est in judicium proferre tabellas, debitore omnia negante.

138. *Arguit ipsorum.*) quos sua ipsorum scriptura & signum revincit & ostendit esse veros debitores, ea ipsa chirographa dicunt esse vana:

139. *Sardonychus.*) Signum cælatum in Sardonyche, quæ est in annulo signatorio. C. Sarda est, quam *Corniolam* vulgo vocant; & onyx, quam *Calcedoniam* dicunt; & Chrysolithus, quam *Jacintum.* S.

139. *Loculis eburnis.*) Nam *loculi eburnei* repositoria erant, & monetæ aureæ, & annulorum. Martial.

Hos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet, argentum vilia ligna ferant.

140. *Extra communia.*) quasi qui communibus omnium malis non sis obnoxius.

141. *Quia tu gallinæ filius albæ.*) Apparet hoc fuisse Romanis proverbium Juvenalis ætate, quod etiam apud nostrates usurpatur, sed fere per ironiam, cum volunt significare aliquem ab aliquo malo, aut onere, aut munere laborioso, immunem non esse, quod forte ipse putabat. Significat adagium hoc, hominem feliciter natum, & fortunatum. Quæ autem fuerit adagii origo, difficile inventu est. Erasmus duplicem rationem refert, sive quod læta atque auspicata Latini *alba* & *candida* vocavere. hinc *albi dies*, & *albo lapillo notati*, pro felicibus: hinc *candidi Deorum filii* appellati, ut Plato scripsit & retulit Plutarchus. Unde Virgilius Cæsarem *candidum*, quasi Deorum filium, & jam inter cœlites relatum, & felicem vocat:

Candidus insuetum miratur lumen Olympi:

quod an viderint prolixi Virgilii interpretes perspicuum est. Alteram rationem affert Erasmus, ex historia Galbæ Imperatoris, de *alba gallina illa fatali*, quam aquila in Liviæ gremium demisit, quam mirandæ fœcunditatis fuisse Suetonius scribit. Columella tamen *albas gallinas* minime fœcundas esse docet: idcirco fœcunditatis caussa non emendas: *lib.* VII. *de Re Rust. cap.* II. Ex quo permirum est, cur proverbium de *alba Gallina*, auspicatum & felix esse putetur. C. S. C.

142. *Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.*) Hoc proverbium contrarium est ei, quod dixi, *gallinæ filius albæ.* Quæ vero *infelicia* dicantur *ova*, conjecturam meam afferam, quam heic interpres silet. Plin. *Natur. Histor. lib.* X. *cap.* XII. inter inauspicatas aves, *corvos* recenset: cujus item ovum si gravida ederit, per os partum reddere, existimatum sit. Itaque *infelicia ova* aut cornicis, aut corvi, aut bubonis appellari censeo, sed corvi maxime, alludit enim ad alterum adagium illud: *Mali corvi, malum ovum.*

143. *Rem pateris modicam.*) Consolatio a minimo detrimento.

144. *Confer.*) Compara tuo damno.

145. *Conductum latronem.*) Sicarium mercede conductum ad cædem alicujus.

146. *Quum janua prima.*) Incendii gravitatem ostendit, quo primæ partes sunt occupatæ, ut non facile sit subvenire flagrantibus inferioribus.

148. *Pocula templi.*) qui sacrilegia committunt.

148. *Adorandæ rubiginis.*) Quæ habenda sunt in maxima veneratione propter religiosam vetustatem.

148. *Et populorum Dona.*) Nam in templis dona missa vel a Regibus, vel a populis, pie & religiose servabantur. & ubi dona reponebantur, *donaria* sunt appellata.

149. *Coronas positas antiquo Rege.*) utpote a Romulo cæterisque Regibus, quorum coronæ in eorum memoriam templis Deorum affigebantur.

150. *Hæc ibi.*) Si in templis non sunt dona & pocula, quæ surripiantur, non desunt, qui minutiora sequantur furta, ut qui breves & leves auri bracteolas ex statuis Deorum eradant.

153. *An dubites*) tam tenues bracteas deradere, quum ausus sit totum ipsum Jovem fundere. quasi dicat, verebitur tam frivola furta sectari, & sacrilegia, qui assueverit grandiora committere.

154. Ar-

154. *Artifices veneni.*) Compara tuis incommodis & eos, qui veneficia exercent.

155. *Et deducendum.*) id est parricidam, quem per supplicii genus describit. Qui enim parentibus manum intulisset, is vivus culeo insutus una cum gallo gallinaceo, simia, cane & vipera in mare, aut vicinum aliquem amnem projiciebatur: quo genere supplicii primus damnatus fuit M. Tul. duumvir, quod librum secreta civilium sacrorum continentem custodiæ suæ commissum, corruptus, Petronio Sabino scribendum dedisset. Nam culeo insutus in mare projectus est. Inde id genus supplicii multo post parricidis lege irrogatum est, ut pari vindicta parentum ac Deorum violatio expiaretur. Nam Publius Malleolus matre interemta primus omnium insutus culeo in mare præcipitatus est, auctor Liv. *lib.* LXVIII. Cicero *ad Herenn. Lex est, qui parentem necasse judicatus erit, ut is obvolutus, & obligatus corio devehatur in fluentem.*

156. *Adversis fatis.*) Infestis Numinibus, quia ipsa id supplicii innoxia patitur.

157. *Hæc quota pars scelerum.*) Hæc est minima pars scelerum eorum, quæ quotidie audit Gallicus præfectus Urbis. quasi dicat, multo plura committuntur scelera, quæ audit quotidie *Gallicus*, quam quæ tibi narravi. Fuit enim *Rutilius Gallicus* Urbis præfectus temporibus Domitiani: apud quem secundas dignitatis partes obtinuit, ad eumque omnia Urbis jura ab aliis magistratibus deferebantur, unde *custos urbis* est appellatus. Pap. *in Sylv.*

— Dubitataque sidera cernit
Gallicus, et cœlo, DIs et Germanice cordi,
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro
Imperium Fortuna tuum. —

paullo post:

Quippe manet, longumque ævo remanente manebit,
Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.

Custodem igitur intellige ipsum *Gallicum*, non *anserem*. Quare enim *anserem* magis nominasset, quam *Gallum* aut aliam avem, quæ audiat illa scelera? & postea, quando audiat; quum scelera fiunt, an quum accusantur? si quando fiunt, possunt & nocturno fieri tempore, immo & frequentius. si quando accusantur, nunquid adest *anser* in judicio? ita ut omnino absurdum sit de *ansere* intelligi.

197. *Custos.*) Quem *præfectum Urbis* Tranq. *in Tib.* appellat, Josephus *custodem* nominat.

157. *Quota.*) Minima. alibi:

— Quota portio facis Achææ.

Sen. *ad Lucil. Et nos, inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars omnium sumus?* Martial.

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
Est quota Carpophori portio fusus aper.

159. *Humani generis.*) Longa tibi non erit opus indagatione, si voles hominum mores noscere, una enim domus tibi satis erit ad id cognoscendum. Nam plerunque una domus tot malis agitatur, ut facile possis cognoscere malum tuum, præ illis minimum esse.

159. *Mores.*) vocabulum medium, ut & bonos & malos mores dicamus.

161. *Aude Dicere te miserum.*) Non audebis te miserum dicere, quum alii longe sint te calamitosiores.

162. *Quis tumidum.*) Hac interrogatione, & variarum rerum similitudine ostendit, minime ei esse mirandum, si id passus sit, quod alii patiuntur: *in Alpibus nemo miratur guttur tumidum*, quia scit id vitium esse propemodum omnibus Alpium incolis. quasi diceret, & tu debes non ignorare ubique locorum talia scelera committi, ac per hoc minime mirandum, si & tu deceptus es. [*Gr.*] Vitruv. *Æquicolis autem in Italia, & Alpibus in natione Medullorum est genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus.*

163. *In Meroe.*) Insula est Ægypti distans a Syene quinque millibus stadiorum: illic fœminæ mammillas habent infantibus pares. auctor Pomponius Mela.

64. *Lumina Cærula.*) [*Gr.*] Horatius.

Nec fera cærulea domuit Germania pube.

165. *Torquentem*) Germanum, qui calamistro sibi capillos cincinnatos reddit, & annulatos. Martial.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

165. *Cirro.*) Capillo. Persius:

Ten cirratorum centum dictata fuisse.

166. *Nempe quod hæc illis.*) Nemo Germanorum stupuit, quia a Natura omnes idem habent; per quod colligit, non esse mirandum Calvino, si id sibi acciderit semel, quod quotidie accidit aliis.

168. *Pygmæus.*) *Pygmæi*, auctore Plin. *lib.* VII. in extrema parte montium, Indiæ sunt, longitudine ternas spithamas non excedunt, a gruibus infestantur, adversus quas expeditionem sumentes caprarum arietumque dorsis insidene armati sagittis, tempore veris cum agmine ad mare descendunt, ova, pullosque earum consumunt, ternis mensibus eam conficiunt expeditionem, aliter gregibus futuris resistere non possent. De his non pauca item Gellius & Solinus scripserunt.

174. *Nullane perjuri.*) Verba sunt Calvini: nonne aliquando perjuri punientur?

174. *Abreptum*) *iri*. verba Juvenalis.

176. *Quid plus velit ira*) nostra, quam ut puniatur ita, ut volumus?

177. *Manet illa tamen.*) Verba omnino sunt Juvenalis, quasi respondentis Calvino queribundo, jacturam suam tamen manere, nec alterius damno sarciri.

178. *Sed dabit solatia minimus sanguis.*) Sed hoc

magno tibi erit solatio, quod necabitur.

179. *Invidiosa.*) Quæ tibi invidiam, & odium contrahent.

180. *At vindicta.*) Verba Calvini querentis.

181. *Nempe hoc indocti.*) Verba Juvenalis reprehendentis stultum affectum Calvini, id est, vulgus imperitum dicit vindictam esse bonam, & ea gaudet plurimum, quia nulla ratione movetur, sed solo, ut reliquæ bestiæ, appetitu. At vir sapiens, & magnanimus, quum inimicum suum in potestate sua, ut docet Seneca, viderit, vindictam putabit vindicare potuisse.

182. *Flagrantia.*) Æstuantia.

183. *Adeo.*) i. tandem, vel tamen; non, in tantum, ut quidam putarunt hoc loco. C. S. C.

183. *Quantulacunque.*) vel minima.

183. *Occasio.*) Opportunitas temporis dicitur, *casu* proveniens.

184 *Chrysippus non dicet idem.*) Vir sapiens non dicet vindictam bonam esse, nec ullo modo laudabit. Chrysippus Stoicæ disciplinæ fuit philosophus. Subtilitate disputandi adeo acer, ut illud jactatum sit, Deos, si dialectica uti vellent, non alia usuros, quam Chrysippea.

184. *Mite Thaletis ingenium.*) ipse Thales mitis ingenii & naturæ. Hic Milesius fuit, unus ex septem Sapientibus, qui, ut scribit Laertius, gratias triplici caussa Fortunæ se agere dicebat; primo quod homo, non bellua, deinde quod vir, non mulier, tertio quod Græcus natus esset, non barbarus.

185. *Senex.*) Socrates Atheniensis philosophus clarissimus, filius Sophronisci marmorarii, & Phanaretæ obstetricis, primus fuit, qui, ut est auctor Cic. *in Tuscul.* philosophiam e cœlo devocavit, coegitque de vita, & moribus rebusque bonis, & malis quærere, quum ante illum Philosophi omnes rebus physicis perscrutandis operam tantummodo impenderent. Sed hic cum aliquando Anytum Atheniensem virum locupletem & factiosum rideret ob ejus ineptias, Aristophanes Comicus doctus quidem, sed homo parum probatus, accepta grandi pecunia ab Anyto, contra Socratem comœdiam scripsit, cujus inscriptio est *Nephela*, id est. *nebula*, qua quidem inter ceteras criminationes illud confinxit, ab eo *nebulas* coli, & Atheniensium religiones obtrectari, & præter hæc juvenum mentes sic imbuere, ut parentibus manus inferri pie & officiose posse crederent, quæ res accusantibus Anyto, Lycone, & Melito, ut Plato in *Apol. pro Socr.* scribit, cum universum populum in Socratem concitassent, furore quodam & ira, morte damnatus est, qui pateram cicutæ publicitus datam intrepide hausit, tantumque abfuit, ut ultionem quæreret, ut contenderet semper miseriorem esse, qui faciat, quam qui afficiatur injuria. Laertius auctor.

185. *Hymetto dulci.*) Patriam designat, mons est terræ Atticæ, ubi optimum provenit *mel*, unde *dulcem* appellavit. sic & Val. Flacc. *lib.* 1.

— Et in dulcem reget dimittit Hymettum.

186. *Cicuta.*) Ait Plin. ut *cicutam* venenum publica esse Atheniensium pœna, invisam. est enim herba semen habens noxium, ei & foliis refrigeratoria vis est. vino epota hominem perimit sine ullo remedio.

186. *Inter vincla.*) in carcere: nam illic data est ei cicuta.

187. *Accusatori.*) pro *accusatoribus suis*: nam tres, ut diximus, fuerunt, Anytus, Lycon, & Melitus.

186. *Plurima.*) Non est mirum, si tales Philosophi consentiunt vindictam non esse quærendam, quia Philosophia ea est, quæ rectam vivendi viam docet: nam, ut scribit Cic. *in Tuscul.* vitiorum omnium est expultrix, virtutum indagatrix.

189. *Sapientia.*) Philosophia moralis, quæ cum antea *Sapientia* nominaretur, a Pythagora, ut scribit Cic. *in Tuscul.* Philosophia est appellata: nam docet vitia esse exterminanda. *rectum* autem, hoc est virtutem sequendam: nam rectum dicitur, auctore Cic. quod cum virtute fit. Sen. *Epist.* *Antiqua Sapientia nihil aliud, quam facienda & vitanda, præcepit.*

189. *Minuti animi.*) Animi pusilli. Cic. *de Or.* III. *Magni enim est animi injurias oblivisci.*

191. *Continuo.*) breviter, summa, statim, ergo. C. S. C.

191. *Sic collige.*) Sic conclude. Pers.

— Mendose colligis. —

i. concludis.

192. *Magis quam fœmina.*) Nam sexus fœmineus quanto minus habet roboris & firmitatis, tanto facilius ab affectibus superatur.

192. *Hos*) perjuros.

193. *Evasisse*) culpæ supplicium. non est, quod putes eos non torqueri: nam semper auctor sceleris flagello conscientiæ castigatur. unde supra:

— Prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur. —

Senec. *ad Lucil.* *Tuta scelera esse non possunt, quia prima illa & maxima peccantium est pœna, peccasse.*

194. *Surdo verbere.*) Occulto nec ab aliis intellecto, cum interius a Conscientia flagellatur.

195. *Animo tortore.*) id est animo præstante officium tortoris: nam eum punit conscientia.

196. *Pœna autem vehemens.*) Gravis. ostendit Poeta longe graviores esse animi, quam corporis cruciatus, Ovid.

— Mens est, quæ sentiat ictus.

Gestare enim conscientiam, quæ testis est sceleris perpe-

perpetrati, est pœna vehemens.

196. *Et multo sævior)* pœnis, quas *Caditius* gravis invenit. *Caditius* enim nomen est judicis temporibus Poetæ, de quo scribit etiam *Sat. ult.*

197. *Rhadamanthus.)* Filius fuit Jovis ex Asia, constitutus judex a Patre apud Inferos.

198. *Spartano cuidam.)* Ostendit Poeta fieri non posse, ut is, qui pecuniam abnegaverit, careat supplicio, quum Glaucus Lacedæmonius tota cum prole interierit, non solum, quia depositum non reddiderit, sed quod cogitaverit aliquando de eo non reddendo. [Gr.]

199. *Pythia vates.)* Apollinis vates: nam per puellam instinctu Numinis furiosam Apollo dabat responsa, unde D. Hieronymus *contra Jovinian. Furiosas Apollinis vates legimus.* Stat. *lib.* III. *Theban.*

— Dum pallida virgo tremendas
Nunciat ambages. —

Nam constat; ut docet Strab. divinum illud domicilium, unde oracula dabantur, profundam & curvam fuisse speluncam, non admodum lato ore patentem, unde spiritus sacro efflante Numine referretur. Excelsum autem ostio imminere tripodem, quem cum Pythia vates inscenderit, hausto Divinationis spiritu, Dei responsa referre & metro & soluta oratione. Phemonoen Apollinis filiam primam divinantem Pythiam ferunt. *Pythia* dicta est, quia, ut Græci fabulantur, Apollo *Pythius* est nominatus a serpente *Pythione*, quem Ipse in prima infantia sagittis confecit.

204. *Non moribus.)* Non bonitate Naturæ & voluntate.

208. *Sola voluntas peccandi.)* ut ostendat non modo Deo displicere nefaria hominum opera, sed etiam turpes cogitationes.

210. *Facti crimen habet.)* Qui aliquid turpe meditatur, nihilo secius peccat, quam qui turpiter aliquid perpetrat. C. Certum est leges tam divinas, quam humanas, non facta modo, sed etiam voluntates cohibere. Et qui scelus patrare voluit, si nihil defuit, quam facultas, tam in vitio est, quam si scelus perfecisset. hinc illud est Mosæ & Christi: *Ne concupiscito.* Vide Jurisconsultos *ad L. Cornel. de Sic.* S.

210. *Cedo, si conata peregit.)* Quantum supplicii credis esse delinquenti, quum turpi opere se commaculavit? quasi diceret, illum esse in assiduo animi cruciatu; unde sequitur *perpetua anxietas.*

214. *Albani veteris.)* Albanum vinum inter optima vina est celebratum.

215. *Ostendas melius.)* Si etiam melius Albano ostendere volueris.

216. *Cogitur in frontem velut.)* Frons crispatur, ac si biberit Falernum austerum.

217. *Noctem brevem.)* si forte quieti nocturnæ se tradidit, continuo per somnium se videre existimat, & templum, ubi pejeravit, & te ipsum, quem decepit.]

220. *Et quod præcipuis.)* & videt te in somnis, quæ res mentem cruciat præcipuis sudoribus provenientibus ex conscientia sceleris.

221. *Tua sacra.)* Nam existimat se videre imaginem amici circumventi, sacra quadam & venerabili specie, & majore humana effigie, qualia sæpe solent videri. Tranquil. *in Claudio: Hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum non prius destitit insequi, quam species barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere ultra sermone Latino prohibuisset.*

222. *Fateri.)* Se peccasse.

224. *Exanimes.)* Exanimes sunt, quasi ignis cadat non fortuitus, nec rabie ventorum, sed cadat iratus, ut vindicet. Dicendo autem *fortuitus*, sequitur Epicureos, qui Divinam providentiam tollentes, omnia casu moveri putabant.

225. *Rabie ventorum.)* Rem physicam persequitur. nam *fulmen*, ut auctores sunt Plin. & Sen. ignis est coactus, impulsu ventorum jactus.

226. *Ignis.)* Fulmen, quod vis quædam est ignea.

22. *Illa nihil nocuit.)* Si prima illa tempestas nihil nocuit, proxima majore angore timetur, veluti a Diis dilata in ejus gravius exitium.

229. *Dolorem lateris.)* Morbum videtur intelligere, quem Græci *pleuritida* vocant, id est dolorem laterum.

233. *Cristam galli.)* Plin. *lib.* x. *Ex iis gallis etiam fibræ sunt, quæ non aliter, quam opimæ victimæ Diis sunt gratæ.*

235. *Non est dignior vita.)* quam ipsi nocentes.

236. *Mobilis & varia est.)* Hoc potissimum est ad consolationem Calvini. Ait enim malorum variam & mobilem esse naturam, ut ad peccandum constantes sint, moxque peracto scelere sua cognoscant malefacta, sed tamen Natura impellente ad pristina vitia se redire; ut per hoc colligat, improbum hominem toties peccaturum, ut aliquando deprehendatur solvatque pœnas.

237. *Superest constantia.)* Magna adest constantia in scelere committendo.

248. *Peractis Criminibus.)* Commisso scelere incipiunt cognoscere errorem suum.

239. *Natura recurrit.)* Ipsi scelerati, quasi Naturæ imperio, redeunt ad vitia & scelera. C. Horat. *lib.* I. *Epist.* ad Fuscum:

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit. S.

240. *Nescia mutari.)* Tex. *Ubi animus mala se cupiditate semel devinxit, necesse est eadem consilia consequi consimilia.*

240. *Nam quis Peccandi.*) Quis unquam cœpit peccare, ut postea sua sponte desisteret.

242. *Attrita fronte.*) Perfricata. nam perfricare frontem est pudorem deponere. Quint. *Perfrica frontem, & dic, te erubescere non posse.* Mart.

Et si perfricuit frontem posuitque pudorem.

Hoc autem dicit Poeta, ut spem injiciat Calvino, perjurum illum daturum pœnas, quia committit alia scelera, in quibus deprehendatur.

244. *Dabit in laqueum.*) Scelera committet, & sic capietur laqueo.

245. *Uncum.*) Trahetur enim *unco* in scalas Gemonias. alibi :

— Sejanus ducitur unco.

247. *Aut rupem maris.*) Aut in insulas relegabitur, supra :

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum:

247. *Magnis exsulibus.*) Magnis civibus exsulantibus, notat tempora sua, quibus multi ob sua scelera relegabantur.

248. *Nominis invisi.*) Amici tui perjuri.

249. *Surdum.*) ut non audiat perjuria.

249. *Teiresiam.*) cœcum, qualis fuit Tiresias Thebanus, cui oculos eruisse Junonem tradunt fabulæ, quia orta contentione inter Jovem & Junonem, quænam esset major voluptas, viri an mulieris in coitu, electus judex affirmaverit, mulieris esse majorem; ob quam calamitatem Jupiter ei concessit, ut futura vaticinaretur. Ovid. *lib.* III. *Metam.*

IN SATYRAM XIV.

P*Lurima sunt, Fuscine.*) Ostendit hac Satyra, nec sine summa indignatione, Parentes esse in culpa, ut filii existant scelerati, & ad plurima vitia proni, quia eorum exemplis & præceptis teneræ mentes ad vitia facile formentur. Sed avarum maxime insectatur, qui ad avaritiam exercendam, & præceptis, & exemplis filium instituit. Itaque monet Poeta oportere Parentes esse optimis moribus, & summa cum sinceritate vitæ alendos filios, ut boni habeantur. unde Plutarchus recte scripsit illud *de Liberis Educandis*: *Ante omnia opus est, ut patres non solum nihil peccandr, verum etiam honeste singula peragendo manifestum sese filiis exemplar exhibeant, ut eorum vitam quasi quoddam speculum intuentes, ab operum similiter & sermonum turpitudine se penitus avertant.*

1. *Digna fama sinistra.*) digna, quæ convicciis reprehendantur.

2. *Maculam & rebus.*) quæ afferant turpitudinem vitæ nitidæ,

3. *Quæ monstrant ipsi pueris.*) Hinc est illa Quintiliani indignatio *lib.* I. *Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus, infantiam statim deliciis solvimus, mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis & corporis frangit. quid non adultus concupisceret, qui in purpuris repserit? Jam coccum intelligit, jam conchylium poscit, gaudemus, si quid licentius dixerit, verba, nec Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus, nec mirum. nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident: omne convivium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur, fit ex iis consuetudo, deinde Natura. discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse, inde soluti ac fluentes, non accipiunt ex scholis mala ista, sed in scholas afferunt.*

3. *Monstrant*) flagitiose vitam agendo.

3. *Tradunt.*) Docent perverse instituendo.

4. *Si damnosa senem.*) Ostendit Poeta exemplo paterno facile tenerum filium ad omnia excitari: nam si pater alea delectatur, eodem statim filius capitur studio.

4. *Alea damnosa.*) Bene *damnosa*: nam grandi cum acervo pecuniæ ad ludum descendebatur. unde *Sat.* I.

— Neque enim loculis comitantibus itur
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca.

5. *Bullatus.*) Adhuc in prætexta: nam pueri usque ad quartum decimum ætatis suæ annum prætextam & bullam gestabant, de qua multa Macr. *lib.* I. *Saturn.* Titus Liv. *lib.* I.

5. *Eadem arma*) Eadem ludi instrumenta.

5. *Fritillo.*) Exponunt nonnulli *fritillum* esse alveolum, hoc est tabulam lusoriam, in qua discurrunt tesseræ: Porphyr. vero enarrans illud apud Horat. II. *Sermon.*

Mitteret in pyrgum talos. —

non *alveolum* interpretatur, sed *pyrgum*, i. vasculum, quo conjecti tali agitatique mittuntur in alveolum, cujus effigies instar turriculæ est; unde & nomen accepit, *Pyrgos* enim turrim significat. Sidonius Apollinaris: *Altera ex parte frater meus Domitius homo gratiæ summæ, summi leporis tesseras ceperat, quatiebatque: quo velut classico ad pyrgum vocabat aleatores.* Idem alibi:

Hic

Hic promens teretes pilas trochosque
Hic talos crepitantibus fritillis.

Est igitur *fritillus* idem quod pyrgus.

5. *Parvo.*) Ætati congruo. Nullam de se spem relinquit propinquis.

6. *Nec de se.*) quod sit futurus melioribus moribus, quam fuit pater.

6. *Melius de se.*) quam de patre suo.

7. *Radere.*) Detrahere corticem ex tuberibus, cultello enim *raduntur*, cum in cœna apponuntur.

7. *Tubera terræ.*) Tubera in genere fungorum numerantur.

8. *Boletum*) lautæ gulæ fuisse ostendit alibi Juven.

Boletus domino, sed qualem Claudius edit.

in genere fungorum est. Ejus cibi avidissimum fuisse Claudium docet Tranquil. *Alii tradunt domestico convivio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat.*

8. *Eodem jure.*) Eodem genere condimenti, quo pater mergebat.

8. *Natantes.*) Jure conditas. Nam obsonia triplici apud Veteres modo condiebantur, ut essent aut assa, aut frixa, aut elixa, i. jurulenta. unde & Celsus ait *lib.* II. *cap.* XIX. *Tum res eadem magis alit jurulenta, quam assa: magis assa, quam frixa.* Ergo *jure natantes*, non assas, non frixas, sed jurulentas, i. jure conditas, ut in patina cum jure apponerentur. Apulejus *jusculentum* appellat, quod dicimus *jurulentum*.

9. *Ficedulas.*) Avis est, quæ nomen accepit a *fico*. Mart.

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Optimi est saporis. Martial.

— Tatulo ficedula lumbo
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper,

Hæc autem per autumnum, auctore Plin. mutat colorem & formam, vocaturque Melancoriphus. Lautæ gulæ inter alias aves esse ostendit Gellius *lib.* XIV. scribit enim fuisse, qui negarent ullam avem, præter ficedulam, totam comesse oportere, superiorem partem avium atque altilium qui edunt, eos palatum non habere. [*Gr.*]

9. *Nebulone.*) Nullius precii. Nam *nebulones & tenebriones* dicti sunt, qui mendaciis & astutiis suis nebulam quandam & tenebras objiciunt. aut *nebulones*, qui non pluris sunt, quam *nebula*.

10. *Parente Et cana monstrante gula.*) patre cano guloso monstrante.

10. *Monstrante.*) quum de se malum præbeat exemplum.

10. *Quum septimus annus.*) Ubi puer septimum ætatis annum transierit, a consuetudine paterna bene cœnandi non discedet. quum fuerit jam ea ætate instructus, licet adsint mille magistri, qui studeant salutaribus præceptis ad modestiam & frugalitatem revocare.

11. *Nondum renato dente.*) Nam, ut scribit Macrob. *lib.* I. *de Somnio Scipionis*, post septem menses dentes incipiunt mandibulis emergere, & post annos septem, dentes, qui primi emerserant, aliis aptioribus ad cibum solidum nascentibus cedunt: eodemque anno, id est septimo plene absolvitur integritas loquendi. Plinius idem fere dicit *lib.* VII. eodem decidere anno, aliosque sufici.

12. *Magistros barbatos.*) Philosophos, qui barbati incedebant. Persius:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat. [*Gr.*]

14. *Non degenerare.*) Non esse absimilis a moribus paternis, ut habeat culinam multijugis preciosisque obsoniis instructam.

15. *Mitem animum.*) Cum interrogatione & indignatione hæc dicit: Docetne pater filium suum, ut animo sit miti, & benigno, & moribus æquis *modicis erroribus*, id est, ut sit æquus, & clemens modicis servorum erroribus, & servos constare eadem materia, qua nos? an potius docet eum crudelitate? Sicque parentum barbaram & truculentam disciplinam in servos suos insectatur, qui eos potius sævitiam docent, quam clementiam.

15. *Mitem animum Præcipit.*) quasi dicat, non præcipit: nam *præcipere animum mitem*, est præcipiendo docere, ut habeat animum mitem.

15. *Mores æquos erroribus modicis.*) Ne gravius puniat servos, quam eorum exigant errata: ergo *mores æquos*, id est æquales delictis, ut sit, tales mores habeat ad puniendos servos, ut pro criminis qualitate adhibeatur castigatio, ne major sit pœna, quam culpa, ut si errata modica sunt, modica etiam sit castigatio, ut magis ad clementiam, quam ad sævitiam inclinetur.

16. *Eadem materia.*) Plerique enim adeo inhumani sunt, ut putent servos a bestiis non distare, & proinde in eos sunt crudeles, unde alibi Juven.

Ita servus homo est? —

19. *Nostra materia.*) Carne, & ossibus, quibus & nos constamus.

17. *Constare.*) Composita esse. Lucilius: *Principio Physici omnes homines, ex anima & corpore constare dicunt.*

17 *Paribusque elementis.*) notis illis quatuor naturis, terra, aqua, aere, & igni, sed mixtis, concretis, & temperatis, ut Hippocrates, & Galenus senserunt. C. S. C.

18. *An sævire docet Rutilus.*) Ponit *Rutilum* pro quocunque parente crudeli. Nam quidam Rutilus fuit temporibus Poetæ, qui absumtis per luxum divitiis ad gladiaturam se contulit.

19, *Plagarum.*) Verberum: nam *plagæ* pro verberibus.

beribus dicimus. unde apud Plautum frequens est: *plagipati*. i. plagas & verbera patientes.

20. *Antiphates.*) Ipse pater sævus, ut *Antiphates* fuit. Nam *Antiphates* Læstrygonum fuit rex, qui in Campania Formiis, ut scribit Plin. juxta Cajetam sedem suam habuere. Silius:

— Et regnata Lamo Cajeta, domusque
Antiphatæ compressa freto —

carnibus vescebantur humanis. [*Gr.*] Thucydides tamen *lib.* VI. *Hist.* ubi de Sicilia loquitur, Læstrygones fabulosos esse arbitratur. scribit Hom. *in Odyss.* Ulyssem pervenisse domum Antiphatæ Regis Lęstrygonum, quem uxor e foro arcessivit, & unum ex sociis missis ab Ulysse ab ea fuisse absumtum, reliquis terrore diffugientibus.

20. *Comparat nullam Seirena.*) i. Ita crudelitate gaudet, ut auribus suis, ne cantus quidem Sirenum sit jucundior, quam flagellorum strepitus, & sonora mancipiorum verbera.

20. *Trepidi Laris.*) Trepidæ domus, quæ omnibus esset formidabilis.

20. *Ac Polyphemus.*) Pater sævus, qualis Polyphemus *Cyclops* fuit, qui itidem duos ex sociis Ulyssis dentibus absumsit.

21. *Tum felix.*) Ita immanitate gaudet, ut tum sibi felix videatur, quum contigerit aliquem ex servis candenti ferro aduri. Nam servi commisso furto candenti ferro notabantur in fronte, unde Apul. IX. *Milesf. Frontes literati, & capillum semirasi, & pedes annulati.*

21. *Tortore vocato.*) Servo lorario, qui alios jussu Domini cædebat.

22. *Propter lintea*) surrepta.

23. *Quid suadet juveni.*) Pater, qui lætus est tormentis alienis, quid suadet juveni, id est, quam viam vivendi ostendit tenendam, nisi quam ipse tenet?

23. *Stridore catenæ*) Compedum, quibus servus continetur in ergastulis.

24. *Afficiunt.*) Delectant. Est enim *afficere* verbum medium, ut ad bonam malamque partem trahatur, ut *Afficior summa lætitia, & summo dolore.*

24. *Ergastula.*) hoc loco sunt Mancipia.

24. *Inscripta.*) Signata in fronte cauterio.

24. *Carcer rusticus.*) Ipsi servi, qui in compedibus habentur ad opus rusticum faciendum: unde *carcerem rusticum* appellat.

25. *Exspectes, ut non sit adultera Largæ Filia.*) Hæc interrogatio ostendit liberos fere ex necessario mores parentum sequi. ut filia sit *adultera*, si mater ejusdem fuit studii.

25. *Largæ.*) Nomen est mulieris notæ temporibus Juvenalis infamia adulteriorum. more Satyrico per transitum eam flagellat, ut alibi Poeta:

— Quales ego, vel Cluvienus.

sic etiam *Largus* nomen proprium est viri, Cicero *lib.* VI. *Epist. Quum esset mecum Largus, homo tui studiosissimus.* C. Item *Scribonius Largus*, qui scripsit *de Ponderibus Medicorum.* S.

27. *Tanto cursu.*) verborum celeritate.

28. *Ut non ter decies.*) Tam multos quidem habuit adulteros mater, ut filiæ tricies spiritus sit ante reciprocandus, quam possit eos commemorare.

29. *Hac dictante.*) matre, quæ literas dictat filiæ mittendas amatoribus.

30. *Ferre.*) ferendas. Virg.

— Magnum dat ferre talentum.

30. *Eisdem cinædis.*) Quibus ipsa mater literas suas tradidit ferendas.

30. *Cinædis.*) Spadonibus mollibus. Nam servi eunuchi matronis serviebant.

31. *Sic Natura jubet.*) Sic a Natura comparatum est, ut facilius ad vitia, quam ad virtutem formemur, quum exempla magnorum Auctorum nobis proposita sunt, sicque conjunctim legendum est cum inferioribus.

32. *Exempla.*) i. ipsa vitia, quibus parentes studere videmus. C. S. C.

33. *Quum subeunt animos*) ipsa exempla vitiorum.

33. *Magnis auctoribus.*) i. magnis viris auctoribus vitiorum. Nam quæ exemplo magni alicujus auctoris fiunt, ea jure quodammodo fieri putantur. Inde Chærea ille Terentianus, quum Jovem in imbrem aureum versum in sinum Danaes decidisse animadverteret per impluvium, tali confirmatus exemplo ait: *Hæc ego non facerem, quæ Jupiter fecerit?* sicque puellæ vitium intulit, ductus exemplo magni auctoris.

33. *Unus & alter.*) Invenies forte unum aut duos ea Naturæ bonitate instructos, ut vitia parentum non sequantur, per quod ostendit paucos inveniri degenerantes a vestigiis paternis.

35. *Finxit.*) Formavit.

35. *Titan.*) Prometheus nepos Titanis. Nam ex Asia & Japeto filio Titanis & Terræ natus est.

36. *Sed reliquos.*) Fieri potest benignitate Naturæ, ut unum aut alterum invenias, qui a vestigiis paternis declinantes recte vivant, sed reliqui per omnia mores sequuntur paternos.

36. *Ducunt.*) Trahunt.

37. *Orbita monstrata.*) iter monstratum, metaphora sumta a rota, cujus signum *orbita* dicitur, ab *orbe* ipsius rotæ; unde eleganter formatum vocabulum est a Tertulliano *exorbitare*, quod signat *extra orbitam ire*, & quasi a recto tramite discedere.

38. *Abstineas igitur damnis hujusce.*) Quum videas fieri, ut filii exemplo tuo corrumpantur, debes abstinere

tinere vitiis & damnis hujusce culpæ, per quam tot damna eveniunt. damnum enim est maximum, filios malo parentum exemplo corrumpi.

38. *Hujus enim vel.*) Hac una etiam ratione debemus a vitiis abstinere, ne filii nostro exemplo fiant deteriores.

40. *Quoniam.*) Ratio est, quare honeste vivendum sit, quia omnes ad discenda turpia sumus valde dociles: unde est illud Senecæ *ad Lucil. Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse.*

41. *Et Catilinam.*) Probat per exempla homines magis ad vitia, quam ad virtutem esse pronos. nam ubique gentium pessimos homines, qualis fuit Catilina, facile est inveniri, bonos autem, quales fuerunt Brutus & Cato, nusquam. sicque ostendit malos viros ubique, quasi sponte sua nasci, & fieri: bonos autem non facile reperiri. unde est illud Senecæ *ad Lucil. Omne tempus Clodios, non omne Catones fert*: Ergo per *Catilinam* quemcunque civem malum intelligit.

42. *Sub axe.*) Sub quacunque cœli parte.

44. *Brutus.*) Hoc loco de Bruto intelligit, qui in Senatu Julium Cæsarem interemit, ut patriam in libertatem assereret. hic ex Servilia Catonis Uticensis sorore genitus fuit. In Pharsalia, Augusto & Antonio urgentibus, occubuit.

44. *Avunculus Bruti.*) Cato Uticensis, frater Serviliæ matris Bruti.

44. *Nil dictu fœdum.*) Attende salubertimum consilium, per quod monet liberos usque ab infantia sanctissimis esse moribus instituendos.

45. *Puellæ Lenonum.*) scorta & infames mulieres, quæ sæpe in convivia admittebantur, ut gestibus & saltationibus indecoris convivas delectarent. Alibi:

— *Ut Gaditana canoro*
Incipiat prurire choro. —

46. *Parasiti.*) Nam parasiti, qui gulæ caussa mensas potentiorum sequebantur, canticis obscœnis, & ludibriis, quibus ipsi afficiebantur, delectabant convivas. Quint. *lib.* I. *Omne convivium obscœnis canticis strepit, pudenda dictu spectantur.*

46. *Pernoctantis.*) *Pernoctare* est noctem extra domum suam agere.

47. *Maxima reverentia.*) Maximus respectus. Tranquil. *in Calig. Nihilominus reverentior in Sena tum.*

48. *Contemseris annos pueri.*) Refellit eos, qui possent dicere, pueros per ætatem non posse obscœna cognoscere.

49. *Infans filius.*) etiam vitiis abstinendum est, ubi sit filius infans.

49. *Obsistat.*) Sit tibi impedimento, ne pecces, ne ei sis malo exemplo. unde legitur apud Plutarchum, Catonem Seniorem a verborum turpitudine, præsente puero filio, sic temperasse, quasi Vestalibus virginibus arbitris locututus esset, nec eum eo unquam lavit.

50. *Nam si quid dignum.*) Quomodo filium tuum audeas corripere & castigare, si quid fecerit, quod dignum sit pœna, quandoquidem is non modo corpore, & vultu, sed & moribus sit tibi similis, & jam peccet exemplo tuo longe etiam deterius te.

50. *Ira Censoris.*) Nam Censores præerant moribus civitatis.

52. *Per tua vestigia.*) Imitando tanquam vestigia, mores tuos.

53. *Corripies nimirum.*) Ironice. quasi diceret, non corripies, nec castigabis, quia non audebis conscius vitiorum tuorum.

55. *Mutare tabulas.*) Testamentum. solent enim patres irati minitari filiis, se mutaturos testamenta, & scripturos alios hæredes.

56. *Unde tibi frontem.*) Unde tibi sumes audaciam castigandi, cujus audaciæ sedes est in supercilio & fronte.

56. *Libertatemque parentis.*) qua libere parentes solent filios corripere: quasi diceret, non audebis libertate paterna filium castigare, quum tu longe deteriora facias jam senex.

57. *Vacuum cerebro.*) Viduum ea re, quæ mentis humanæ est gubernaculum, unde illud est Plin. *lib.* XI. *cap.* XXXVII. *Cerebrum uni homini in infantia palpitare, nec roborari ante primum sermonis exordium, hoc esse viscerum excelsissimum proximumque cœlo capitis, hanc habere sensus arcem, huc venarum omnem a corde vim tendere, heic culmen altissimum, heic mentis esse regimen.*

58. *Cucurbita ventosa.*) Et cum ea obscœna facias, quæ te omnis rationis expertem esse doceant, ut merito tibi e capite sanguis sit educendus, ut fieri solet in delirio.

58. *Cucurbita ventosa.*) Vasculum est vitreum: apud Veteres vero, ut ostendit Corn. Celsus. æreum fuit, & corneum, quo sanguis educitur, facta prius leni scarificatione a Medico. *ventosam* dixit, quoniam concepto *vento* ex flamma stupæ intus accensæ, cuti adherescat, unde Corn. Cels. *lib.* XVIII. scribit phreneticis neque alienum esse, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat, neque somnus accedit; occipitio inciso cucurbitulam admovere, quæ quia levat morbum, potest etiam somnum facere.

59. *Hospite venturo.*) Tam a recta vivendi via aberras, ut venturo hospite scrupulosa diligentia insistes, ut tota domus sit speciosa. illud autem non curas, ut filius illam aspiciat carentem omnibus, quod primum esse debet, vitiis. Illud enim est boni patris, curare, ut filius non pulcram suppellectilem, non ornatam domum; sed ut sanctos mores, tanquam speculum, intueatur. [*Gr.*]

59. Ven-

59. *Verre.*) i. magno fremitu inclamat: *Verre pavimentum.* sic illud apud Plautum *in Asinaria*: *Jussin sceleste hac janua hoc stercus hinc auferri? Jussin columnis dejici operas aranearum?*

60. *Pavimentum.*) Solum ipsius domus stratum, quod alio vocabulo appellamus *Ostracum.* Græci enim *ostracon* testam appellant, unde pavimentum testaceum *ostraceum* nuncupamus. fit enim ex testis contritis. dictum autem *pavimentum*, quod *paviatur*, id est, crebriter feriatur *paviculis.* de Pavimentis multa Plin. Vitruvius, & Palladius.

62. *Vasa aspera.*) Quæ Græci anaglypta, vel anaglypha vocant, i. insculpta. *Aspera* ergo propter cælaturam, unde Persius:

— *Quid fas optare, quid asper*
Utile nummus habet. —

i. cælatus. Plinius: *Ea pocula excisa erant in asperitate.*

63. *Virgamque tenentis.*) qua & minetur, & verberet.

64. *Ergo.*) Hinc tota est indignatio Poetæ.

66. *Perfusa.*) Perlita & polluta.

67. *Emendat hæc.*) Nitida hæc facit.

67. *Semodio.*) quasi *semis modium.* Mart.
Hos fastus animosque dat Sabello,
Farris semodius, fabæque fressæ:
Et thuris piperisque tres selibræ.

67. *Scobis.*) Scobs est id, quod ab aliqua materia minutissimum decidit, dum aut per serram secatur, aut per terebram perforatur, nec non ex attritione laterum *scobs* habetur. Plin. *lib.* XVI. *cap.* LXIII. *Arida enim latius, quam viridia serris cedunt, præter robur & buxum, quæ pertinacius resistunt, serrarumque dentes replent æqualitate inerti, qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem.*

69. *Aspiciat domum sine labe.*) Quod ante omnia maxime est quærendum.

70. *Gratum est.*) Placet, ut gignas liberos patriæ, modo cures, ut bonis instituantur artibus.

74. *Serpente ciconia.*) Exemplis ostendit, quæ a teneris annis discuntur, firmiter mentibus inhærere, nec inde facile avelli, unde illud est Horatii:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. —

Pulli enim ciconiæ, quia a matre educati sunt, & assuefacti serpentibus, eundem vivendi morem per totum vitæ suæ cursum tenent. C. ex qua re, quantum valeat educatio, perspicuum est. unde Virgilius *Georg.* II.
— *Adeo a teneris consuescere, multum est.* S.

75. *Devia.*) Longe a via. Ovidius:
Et cecinit mæstum devia carmen avis.

77. *Vultur.*) [Gr.] lege Plutarchum in *Vita Romuli.*

78. *Ad fœtus.*) Ad pullos suos.

77. *Jumento*) relicto. Nam jumentum, & canes relinquit; & cruces, ex quibus aliquid tantum aufert, non totum. Appellatione *jumenti* ea communiter intelligimus animalia, quæ hominem *juvant* dorso, ut equum, asinum, mulum. Lactantius tamen Firmianus ait, *jumenta* dicta esse magnarum virium animalia a *juvando*, quod in excolenda terra *juvent.*

79. *Magni quoque vulturis.*) Cum factus est magnus eodem se nutrit cibo, quo a parentibus est educatus pullus.

80. *Propria arbore.*) Atqui in arboribus non nidificant *vultures*, sed in altissimis rupibus, ut scribit Plin. C. Quid si in illis rupibus sit arbor, ubi nidum ponant: nam Plinius significat tantum eos in loco accessu difficili nidificare, quales sunt rupes, in quibus etiam densas arbores esse vidimus. Nam & aquilas idem Plinius nidificare in petris & arboribus scribit. Aut Poeta nihil sollicitus, ubi nidificent, *arborem* posuit, pro quovis loco, ubi nidos faciant. S.

81. *Famulæ Jovis.*) Aquilæ, quæ *Jovis armigeræ* dicuntur secundum fabulas, quod in bello Giganteo Jovi adversus Gigantes fulmina ministrasse feruntur. Plin. vero ait, ideo *Jovis* appellari *famulas*, quia fulmine non tanguntur.

83. *Quum se matura levabit.*) id est, ex cubili, ex nido.

83. *Ponitur cubili.*) i. pullis existentibus in nido.

85. *Gustaverit ovo rupto.*) Quum nata est rupto putamine ovi, quod rostello a pullo perforatur, quum excluditur.

86. *Ædificator.*) Variis exemplis ostendit liberos vestigia paterna sequi solere.

86. *Centronius.*) Hic erigendo ædificia ingens patrimonium absumsit, filius secutus vestigia patris, quodcunque ab eo relictum fuerat ædificando totum attrivit.

87. *Cajetæ.*) Oppidum littorale Campaniæ.

87. *Curvo littore.*) Verbi etymologiam epitheto expressit. Nam, ut Strabo inquit, *Cajetam* nominaverunt Veteres, quoniam curva omnia *Cajetas* Lacones appellavere. Virgilius tamen a nutrice Æneæ *Cajetam* nominatam esse cecinit:

Tu quoque littoribus nostris Aeneia nutrix
Æternam moriens famam, Cajeta dedisti.

Diod. vero ait ab Argonautis ædificatam fuisse.

87. *Tiburis arce.*) In montibus enim situm est Tibur, non longe ab Urbe Roma.

88. *Prænestinis.*) Præneste enim civitas est, non longe ab Urbe Roma, quondam *Stephane* & *Polystephanos* a copia coronarum appellata. Strabo: *In Romæ vero conspectu sunt Tibur, Præneste, Tusculum.*

89. Græ-

89. *Grecis marmoribus.*) Ex Laconia petebatur marmor viride & preciosum cunctisque hilarius. auctor Plin.

89. *Longeque.*) Nam & ex Ægypto, Armenia, & Numidia marmora petebantur.

90. *Ædem Fortunæ.*) Docet Plin. *lib.* XXXVI. ædem Fortunæ Romæ preciosissimo marmore exstructam fuisse, sed hoc loco Poeta intelligit de templo Fortunæ Prænestinæ, ut ædificia, quæ in agro Prænestino, Tiburtinoque erigebantur a Centronio, recte comparentur templo Fortunæ Prænestinæ, & templo Herculis Tiburtini. Silius:

— Sacrisque dicatam
Fortunæ Præneste jugis. —

inde etiam dari certa responsa ostendit Papinius *in Sylv.*

Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

De quibus & Propertius *lib.* II.

Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes,
Quid petis Æacidæ mœnia Telegoni?

Strabo *lib.* V. *Habet Præneste Fortunæ templum illustre, unde certa eduntur oracula.* Tranquill. *in Tiber. Vicina vero oracula disjicere conatus est: sed majestate Prænestinarum sortium territus, destitit.*

90. *Herculis.*) Intelligit de templo Herculis, quod Tiburi fuit cum bibliotheca varia librorum supellectile referta, de qua Gel. *lib.* XVIII. *cap.* V. unde & *Tibur Herculeum* appellatum est, quod Herculi dicatum fuit. Martialis:

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris.

Strabo *lib.* V. *Tibur Herculeum est.*

91. *Posides.*) Claudii Cæsaris libertus. Tranquill. *in Claud. Libertorum præcipue suspexit Posidem spadonem, quem & Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.* Hic in tantas evectus est opes, ut luxu insanas ædificiorum exstructiones superaret. in littore Bajano, ut tradit Plin. balneas exstruxit, quæ *Posidianæ* vocatæ fuerunt, accepto nomine ab eodem Claudii Cæsaris liberto.

91. *Capitolia nostra.*) aut Romana, aut nostri temporis, quæ antea incensa quum fuissent, magnificentius fuerunt restituta a Domitiano. aut revera *nostra* dixit, hoc est Romana, quia & Capuæ alia fuere Capitolia. Silius *lib.* XI.

— Monstrant Capitolia celsa,
Stellantesque docent campos. —

Tranquill. in *Calig. Capitolium Capuæ idibus Martiis de cælo tactum est.* fuit & Capitolium Beneventi, Sueton. de Clar. *Gramm. Statua Orbilii Beneventi ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea, habitu sedentis ac palliati, appositis duobus scriniis.*

92. *Dum sic habitat.*) Dum ædificia tam luxuriosa sibi ædificat habitanda.

92. *Rem.*) Patrimonium.

93. *Parvis relictæ*) opum.

94. *Turbavit.*) Dissipavit.

96. *Quidam sortiti.*) Alio exemplo ostendit, quod dictum est, tales esse filios, quales a parentibus instruuntur. Nonnulli sunt, qui Romæ sacra Judæorum colunt, & illorum servant ritus exemplo parentum, qui idem ante fecerunt. Sicque Poeta per transitum, religionem Judæorum, & ejus cultores irridet, atque subsannat. Tria autem percurrit, in quibus Judaicæ religionis sacramenta consistunt, quæ omnia a Mose tradita sunt Judæis, sed alio sensu, quam ipsi accepere. hæc autem fuere, ut Sabbatis quiescerent vacui ab omni opere, circumciderentur, & carne suilla abstinerent.

96. *Sabbata.*) Judæorum festa. Nam *sabbatum* lingua Judæorum quies dicitur. Moses enim Damascena patria antiqua repetita, montem Sinai occupavit, quo septem dierum jejunio per deserta Arabiæ cum populo suo fatigatus, cum venisset, septimum diem more gentis sabbatum, i. diem quietis appellatum, in omne ævum jejunio servavit & quiete quoniam illa dies famem eis erroremque finierat. C. Sic Justinus, sive potius Trogus, & Tacitus homines impii, & veræ antiquitatis ignari putaverunt: verum de hac re, non illi, sed Moses ipse in *Originibus & Lege*, itemque Flav. Josephus erant consulendi, qui de origine Judæorum, deque eorum mysteriis, atque decretis, certius scribere potuerunt S. Lactant. Firmianus *lib.* IV. *cap.* XVII. scribit a Judæis iræ, atque invidiæ plenis Christum accusari, quod legem Dei per Mosen datam solveret, i. quod sabbatis non vacaret operans salutem hominum, quod circumcisionem vacuefaceret, quod abstinentiam suillæ carnis auferret. a *sabbato* igitur *sabbatarii* sunt appellati, unde Mart. *Jejunia sabbatariorum.*

97. *Nil præter nubes.*) Videtur hoc dictum in æmulationem Aristophanis, qui in *Nub.* inducit Socratem, colere *Nubes*, ut sit manifesta irrisio Judæorum. Non quod omnino *nubes* colant, sed ut ostendat eos longe errare a ceterorum cultu divino, quasi diceret: adorant Deos, quos non vident. aut revera, quod maxime placet, ad id respexit, quod Deus apparuit Mosi in nebula totum montem Sinai tegente per sex dies, qui septimo die vocavit Mosen ex medio caliginis: ingressusque Moses medium nebulæ ascendit in montem, fuitque ibi XL. diebus & XL. noctibus: ubi a Deo accepit tabulas lapideas, legem, & mandata, quæ scripsit deus, ut doceret filios Israel. unde & David in *Psalm. Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, & in columna nubis loquebatur ad eos.* Et idem alibi: *Inclinavit cælos & descendit, & caligo sub pedibus ejus, & posuit tenebras latibulum suum in circuitu ejus,*

tenebrosa aqua in nubibus aeris. Judæi ergo *nubes adorare* dicuntur, quia Deus in nubibus semper eis apparebat, unde illud Mosis in Numeris: *Nubes tua proteget illos, & in columna nubis præcedes eos per diem, & in columna ignis per noctem.*

97. *Numen cœli.*) [*Gr.*] ideo nulla simulacra in urbibus eorum, nedum templis sunt. non regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Poeta igitur eos irridet, quasi non recte sentientes, qui *unum* tantum *Deum* agnoscant, quum Romani ceteræque nationes, plurimos, quasi altiore consilio colant Deos. unde est illud *Plin. lib.* XII. *cap.* IV. *Judæa gens contumelia Numinum insignis.* Nam Judæi *unum* tantum *Deum* colunt. unde est illud in *Divinis Scripturis*:

Unus Deus Hebræorum, qui creavit omnia,
Atque terram stabilivit, & fundavit maria.

98. *Nec distare putant humana carne.*) Carne enim suilla abstinent Judæi. Est enim lutulentum hoc animal, & immundum, nec unquam cœlum aspicit, sed in terra toto corpore projectum, & ore ventri semper & pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, præstare usum potest, sicut ceteræ fere animantes. Interdixit ergo, ne porcina carne uterentur, i. ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur, ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam justitiam mutiles essent, ac morte afficerentur, item ne fœdis libidinibus immergerentur, sicut sus, quæ se cœno sordidat: vel ne terrenis serviant simulacris, ac se luto inquinent.

99. *Pater abstinuit.*) cujus vestigia per omnia sequitur.

99. *Præputia ponunt.*) Circumciduntur more Judæorum ex Mosis sacerdotis instituto, de quo sic Strab. *A successoribus Mosis ex superstitione institutam carnium abstinentiam, a quibus abstinent, & circumcisiones, & excisiones, & si qua sunt hujusmodi alia.* Tacitus: *Circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur.* [*Gr.*] Ceterum, ut auctor est Lactantius, figura circumcisionis erat, ut significaretur, nudandum esse pectus, i. aperto, & simplici corde oportere nos vivere: quoniam pars illa corporis, quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Et ob hanc caussam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, i. ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velaremus. Deus ergo circumcisionem a carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Præputium ea pellicula appellatur, quæ glandem in colle tegit, & reduci potest.

102. *Arcano volumine.*) Pentateuchum intelligit, i. quinque volumina veteris Fœderis a Mose conscripta, videlicet Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium. Dictum autem Pentateuchum a πέντε quinque, & τεῦχος volumen, in quo Deus leges dedit Mosi, quæ servabantur in arcanis. eas Moses tradit Judæis.

103. *Non monstrare vias,*) Voluit Moses Judæos adeo ab omni alia religione esse aversos, ut ne commercium quidem ullum haberent, nisi cum eo, qui eadem sacra coleret, nec viam erranti, nec aquam quærenti monstrarent, quod contra omnem est humanitatem. putavit tamen Moses non indignum videri adversus eos, qui sacra sua non colerent. Quod quidem apud omnes vel Ethnicos inhumanum & barbarum habitum semper fuit. Nam apud Athenienses piaculum erat non monstrare viam erranti. Carmen erat apud Ipsos, quod in publicis cantabatur sacris pronunciabaturque, eos esse impios, & exsecrabiles, qui viam non monstrarent. unde Cic. *lib.* III. *Offic. Quid enim est aliud erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sancitum est?*

104. *Verpos.*) Judæos, qui a *versa* pellicula, quæ in circumcisione mutilatur, sunt denominati, unde etiam *verpa* capitur pro membro virili. Poet. *in Priap.*

Tot verpas tibi dedicat salignas.

Mart.

Incipit in medios mejere verpa pedes.

unde etiam *apellæ* nominantur, quasi sine pelle. Horat.

— *Credat Judæus apella.*

Idem etiam dicuntur *recutiti* a restituta cute post circumcisionem. Pers.

— *Recutitaque sabbata palles.*

i. sabbata Judæorum recutitorum. Mart.

Nec recutitorum fugis inguina Judæorum.

105. *Sed pater in caussa est.*) ut filius hæc Judæorum instituta servet.

105. *Septima lux.*) Sabbatum ipsum, quod adeo superstitiose Judæi servabant, ut irruente Tito per sabbatum arma noluerint attingere: cum diem Latini Saturni diem nominant. Frontinus *in Stratagem. Divus Augustus Vespasianus Judæos Saturni die, quo nefas eis est quicquam seriæ rei agere, adortus superavit.*

106. *Ignava.*) Feriata, & otiosa sine aliquo opere.

106. *Ullam partem vitæ.*) Nihil fecit, quo vita humana indigeat. Judæi Christum Dominum nostrum accusabant: quod in die festo cæcum sanasset.

107. *Sponte tamen juvenes.*) Per reliqua omnia parentes sponte sua imitantur; avaritiam autem, quum per ætatem oderint, coguntur etiam inviti exercere. sicque immensam patrum cupiditatem, & perniciosam humano generi disciplinam norat.

107. *Cetera*) vivendi vestigia, & instituta & ceteros mores.

109. *Fallit enim vitium specie virtutis.*) Filius & avaritiam inscius exercet, quia pater, quæ avaritia est, *parsimoniam* appellat, sicque filius fallitur: quia vitium non cognoscit, ut vitium, sed avaritiam exercet, putans non esse avaritiam, sed diligentiam quandam, & virtutem acquirendi. Nam vitia cum virtutibus sunt adeo finitima, ut ipsa propinquitate plerunque fallant, & pro virtutibus habeantur: nam *avarum* pro *parco*, *prodigum* pro *liberali* vocamus. Erramus, inquit, & dum conamur veram virtutem sequi, in vitia virtuti vicina incurrimus. nam *avaritiam* amplectimur, putantes eam esse parsimoniam. Horat.

Decipimur specie recti. —

Seneca *in Proverb. Timidus cautum se vocat, sordidus parcum.*

109. *Specie.*) Colore & imagine quadam, quæ rem ipsam ementitur. Translatio sumta a corporibus, quæ umbra sequitur, res inanis, quæ corpori opponitur, Vel a picturis, in quibus umbræ faciunt, ut species, quæ non exstant, neque eminent, eminere videantur. C. S. C.

110. *Quum sit triste habitu*) ipsum vitium avaritiæ. Nam habitus, & vultus hominis severus decipit plerunque te, quia putas eum talem esse intrinsecus, qualis apparet extrinsecus. Nam & diligentia illa acquirendi extrinsecus videtur laudabilis, sed si attendas interaneam cupiditatem, invenies nihil detestabilius.

111. *Avarus.*) Licet avarus nefanda sit cupiditate, tamen quia ad acquirendum videtur esse vigilantis & solertissimæ industriæ, laudatur, ut homo utilis, quia per summam virtutem & industriam videtur acquirere: nam *acquirere*, secundum mortalium concupiscentiam, magnæ est virtutis. Ovid.

— *Atque apibus quanta experientia parcis.*

Est enim *parsimonia* scientia vitandi sumtus supervacuos, vel ars re familiari moderate utendi. Sen.

113. *Certa magis.*) Hoc a Poeta dictum ridente tam sordidam diligentiam.

114. *Serpens Hesperidum.*) Nam Hesperides, Ægle, Heretusa, & Hesperusa, filiæ Hesperi, fratris Atlantis hortos habuere in Oceano Atlantico ferentes mala aurea, quæ a serpente pervigili custodiebantur: illuc Hercules, cum imperio Eurysthei pervenisset, occiso serpente, poma abstulit.

114. *Aut Ponticus.*) Nam apud Colchos in Ponto, ubi Æta rex pater Medeæ regnavit, in templo Martis pellis velleris aurei suspensa olim fuit a Phryxo, quam tauri ignem spirantes, una cum dracone dicuntur custodisse. Eam Jason occiso opera Medeæ dracone, sustulit.

114. *Adde quod hunc.*) Hoc etiam summa cum indignatione infertur, quod malus, ut bonus, laudetur.

115. *Verendum.*) In honore habendum, ut hominem solertissimum.

116. *Quippe his.*) Nec mirum est, si in precio sunt tales, & laudantur, ut optimi artifices, nam hi quidem sunt, qui patrimonia norunt ampliare, & proinde in sunt precio Ovid.

In precio precium nunc est, dat census honores,
Census amicitias; pauper ubique jacet.

117. *Quocunque.*) Per fas & nefas.

118. *Incude assidua.*) Metaphora sumta a fabris ferrariis, qui assidue cudendo ferrum extendunt. ergo *incude*, i. labore & solertia.

118. *Ardente camino.*) Animi cupidine flagrante.

119. *Et pater ergo.*) Quum ergo patrimonia solertia & diligentia amplientur, pater appellat creditque avaros felices, utpote divites, & qui amplectantur opes, & qui nullum pauperem inter felices numerent: & proinde hortatur filios, ut eandem vitæ sequantur viam. legendum enim est *hortatur* numero singulari, ut sic exponas: pater hortatur juvenes, ut imitentur vestigia avari.

120. *Mirantur.*) suspiciunt.

121. *Juvenes.*) Filios adolescentes.

122. *Sectæ.*) quam tenent avari a *sequendo* dicta est *secta*; quæ proprie est Philosophorum. qui enim Platonis dogma tenebant, Platonicam sectam tenere dicebantur, qui Socratis, Socraticam. Seneca *ad Lucil.*

123. *Sunt quædam vitiorum elementa.*) Avari non statim filios ad extremas sordes producunt, sed quædam habent principia avaritiæ, quæ paullatim teneris puerorum mentibus insinuant.

123. *Elementa.*) Principia. bene autem *elementa* principia appellamus, ex quatuor enim elementis omnia principium suum habere vulgo persuasum habetur.

124. *Sordes.*) proprie dicuntur maculæ in vestibus, sed metaphoricos ad animum transfertur vocabulum, ut pro avaritia ponatur, quæ non minus hominis animum polluit, quam sordes vestimenta. Horatius:

Sordidus a tenui multum distabit. —

126. *Servorum ventres modio castigat iniquo.*) Defraudat servos cibariis suis. Nam servis quaterni modii dabantur frumenti in mensem, & id *dimensum* dicebatur. unde Terentius:

De dimenso suo, suum defraudans Genium, comparsit miser.

Hæc Donatus.

127. *Ipse quoque.*) qui dominus est.

127. *Neque enim sustinet.*) Tanta avaritia premitur, ut ne frusta quidem mucida panis sustineat comesse, ac si dicat: non magis iis abstinet, quam rebus delicatis.

129. *Mitutal.*) genus condimenti est, quod ex re-

 bus

bus *minutim* concisis fiebat: ut docet Apicius, variis generibus, & nominibus. inter cetera fiebat unum minutal ex marino pisce, liquamine, oleo, vino, porris capitatis, coriandro. Dicebatur *Tarentinum, Marianum, dulce ex citreis*: minutal item ex jecinoribus, & pulmonibus leporis. a varietate rerum *varium* dicitur a Martiale.

130. *Septembri.*) Tempore autumnali. quo obsonia maxime corrumpuntur, & hominum corpora morbis sunt obnoxia.

131. *Conchem.*) est fabam viridem. Martialis:

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Alii sentiunt genus esse leguminis non absimile lenti. C. Alii legunt *concham*, ut sit piscis de genere testaceorum, cujusmodi sunt multæ & variæ species, quarum aliæ lautarum sunt mensarum, aliæ tenuium. unde etiam *lacertum* piscem conjungit Poeta. S.

131. *Lacerti*) pauperibus cum conche, ut vilissimus cibus apponebantur. [*Cr.*]

131. *Æstivi.*) quo tempore obsonia putrescunt.

132. *Signatam.*) Custoditam impresso signo adversus fraudes servorum. Cujus consuetudinis meminit Cicero *in Epistol. Sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ.* Sic & Plautus *in Persa*: *Nam id demum lepidum est, triparcos homines vetulos, avidos, aridos, bene admordere, qui allium servo obsignant cum sale.*

132. *Siluro.*) Silurum eum fuisse piscem vocatum, quem hodie *Sturionem* appellamus, multis argumentis in libro *de Piscib. Roman.* contendit Paullus Jovius Novocomensis, vir & doctus inprimis & disertus. a quo si dissensero, nihil fecero a Scriptorum libertate alienum. nam & ipse a multis dissentit. Mihi enim probabilior eorum sententia videtur, qui, quem *Sturionem* vocamus, eum esse ajunt, qui *Attilus* a Plinio vocatur. is enim *lib.* IX *cap.* XV. *Sunt & in quibusdam amnibus, thynnis haud minores: Silurus in Nilo, Esox in Rheno, Attilus in Pado inertia pinguescens ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec nisi boum jugis extractus.* Hæc Plinius. ex cujus verbis nemo est, quin videat eum de *Sturione* Padi incola loqui. Nam quod ipse de *Attilo* scribit, ego de *Sturione* fieri, magno cum piscatorum plausu, spectavi. & est piscis sapore laudatissimus. C. S. C.

133. *Includere.*) Custodire inclusa.

133. *Filaque numerata.*) Ipsum porrum numeratum ne furtum imminuatur. *Filum* autem appellat, quod porrum sectivum tenue sit, & exile, ad differentiam capitati, quod crassius est. Colum. *lib.* XII. Plin. *lib.* XIX.

134. *Invitatus ad hæc.*) Adeo sordide vivit, ut hujusmodi epulis mendicus abstineret, si invitaretur. Sicque hominis avaritiam exaggerando detestatur.

134. *De ponte.*) Aliquis mendicus. Nam in pontibus pauperes solent mendicare.

135. *Sed quo divitias.*) Ad quid divitias coactas per tot labores vis habere, si iis uti non vis? C. sic Horatius:

Quo mihi divitias, si non conceditur uti? S.

icque hominis stultitiam insectatur, qui duriter ac parce vivit, ut hæredibus relinquat divitias. C. de quibus Horat.

Absumet hæres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus. — S.

135. *Per hæc tormenta.*) Per tot sudores, & labores congestas.

136. *Phrenesis.*) morbus est, quum continua dementia esse incipit, aut quum æger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines concipit.

137. *Vivere egentis fato.*) Egenti sorte, & paupere statu. nihil profecto est absurdius divite avaro, qui vult in paupertate vivere, ut moriatur dives. Cicer. *in Caton. Major. Avaritia vero senilis, quid sibi velit, non intelligo. potest enim esse quicquam absurdius, quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?*

139. *Crescit amor.*) Imitatio est Horatiana:

Crescentem sequitur cura pecuniam.

140. *Et minus hanc optat.*) Ostendit moraliter Poeta pauperem ad opes parandas minus anxium esse, quam divitem, nec sine ratione. Nam qui in opibus nutritus est, semper veretur, ne ab iis decidat, proindeque semper cogitat, non solum, quæ parta sunt, conservare, sed augere; pauper vero, qui delicias non cognovit, desiderio habendi minus excitatur.

143. *Seges*) proprie dicitur eorum seminum ex quibus conficitur panis, accipiturque pro ipsis frugibus, dum adhuc in agris stant. Livius *lib.* II. *Forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi.* Ovid.

Jam seges est, ubi Troja fuit. —

Virg.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

144. *Arbusta.*) *Arbustum* non solum apud Auctores plerunque capitur pro loco arboribus consito, sed maxime pro loco consito vitibus, unde Columella: *Arbustum inter quadragenos pedes dispositum esse convenit. Sic enim & ipsæ arbores, & appositæ vites melius coalescent, fructumque meliorem dabunt.*

144. *Canet.*) Albicat.

145. *Quorum si precio.*) Ostendit Poeta periculosum esse habentibus prædia juxta potentem virum, quod importunitate & subdolis artibus coguntur ea vendere.

145. *Si non vincitur.*) Si non potest induci ullo precio, ut vendat ea.

146.

146. *Lasso collo.*) Ratio est, quare famelica sint. Jugo enim colla subjecta diu habuerunt, ut inde per laborem contracta sit fames.

147. *Aristas hujus*). domini vicini.

148. *Domum)* abeunt. nam *abeant* legendum est sine aspiratione, ut *novalia* nominativi sit casus.

148. *Novalia.*) Totæ ipsæ segetes, hyperbole est. *Novalia* autem sunt agri, qui, ut docet Plin. *lib.* XVIII. alternis annis seruntur.

148. *Savos.*) Fame exasperatos.

152. *Sed qui sermones.*) Insultatio est Poetæ in avarum. Sed quum tot divitias per multas injurias paraveris, qui sermones sunt de te? ac si dicat, ubique male audis, ubique, ut improbissimus, lacerraris.

153. *Quid nocet hoc, inquit.*) Verba avari respondentis. Nam infamiam avarus contemnit. Horatius:

Sordidus, ac dives populi contemnere voces
Sit solitus: populus me sibilat, at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

Et alibi Juvenalis:

— *Quid enim salvis infamia nummis?*

153. *Tunicam mihi malo lupini.*) Avarus tanti facit divitias, ut pluris æstimet rem vilissimam, quam laudem & bonum nomen, rem nullius momenti pluris facit, quam laudari, ut vir bonus in paupertate.

153. *Tunicam.*) Folliculum.

154. *Laudet me.*) ut virum bonum.

155. *Paucissima farra exigui ruris.*) Paupertatem summam his verbis expressit.

156. *Scilicet & morbis.*) Ironicos avaro respondet Poeta. Licet divitias tibi multas paraveris, ita ut solus tantum possideas, quantum universus populus Rom. sub Tatio possidebat, non tamen poteris carere aliis incommodis, & calamitatibus. sicque philosophice ostendit divitias non esse eas, quæ hominem a corporis & mentis ægritudine queant vindicare. neque longiora, felicioraque tempora vitæ largiri, quum divitem majores etiam curæ comitentur.

155. *Debilitate.*) *Debiles* appellamus, quibus aliqua membra sunt vel diminuta, vel obtrita, ut alibi:

—*Hic coxa debilis, ambos*
Perdidit ille oculos. —

160. *Quantum sub Tatio.*) Ex modestia antiquorum ostendit mores & avaritiam sui temporis acriter damnando. nam sub Romulo & Tito Tatio duce Sabinorum, qui fœdere percusso in Urbem cum Sabinis receptus fuit a Romulo, tanta rerum modestia & parsimonia vivebant, ut auctore Plinio *lib.* VIII. *cap.* 11. bina tunc jugera Pop. Romano satis essent, nulli que majorem modum attribuerit. Dona etiam putavit amplissima, Imperatorum, ac fortium civium, quantum quis uno die plurimum circumaravisset. Colum. tamen scribit in primo limine operis sui *de Agricolatione*, Fabricium, & Curium Dentatum, alterum Pyrrho finibus Italiæ pulso, domitis alterum Sabinis, accepta, quæ tunc dividebantur, captivi agri septem jugera non minus industrie coluisse, quam fortiter armis quæsierant. Plin. vero tradit Curium Dentatum quaterna agri jugera viritim populo divisisse, sibi deinde eondem constituisse, dicentem neminem esse debere, cui non tantum sufficeret.

116. *Mox etiam fractis ætatis.*) Ostendit quanta fuerint frugalitate Veteres, qui etiam ætate & bello confecti, acceptis binis jugeribus in præmium contenti erant, tanquam maximis donati divitiis.

161. *Passis prælia Punica.*) qui arma adversus Pœnos gessissent.

162. *Pyrrhum.*) Epirotarum regem, qui, quum in auxilio Tarentinorum adversus Romanos arma sumsisset, demum post varia prælia a Curio & Fabricio superatus in Græciam reversus est, ubi dum Argos oppugnaret, ictu tegulæ interemtus est.

162. *Molossos.*) Epiroticos, nam Molossia pars est Epiri.

163. *Tandem.*) Hæc particula desiderii significationem habet: ut sit, post longum tempus, & diutinos labores, refertur que ad affectum exspectantis. Cic. *Vix tandem legi literas dignas Appio Clodio.*

167. *Bina jugera.*) Nam bina tunc jugera singulis Rom. satis erant.

164. *Merces sanguinis*) in præliis effusi.

165. *Nullis visa minor.*) Tanta erant moderatione, ut pauco contentis ea merces, licet exigua, nunquam visa sit inferior meritis, quæ in Remp. contulissent.

165. *Aut ingratæ Curta fides patriæ.*) Ea fuerunt veteres illi Romanæ Urbis administratores, exercituumque ductores, animi modestia, ut post tam egregie navatam Reipub. operam, fusosque fortiter hostes, æqui bonique consulerent, quicquid sibi pro tot rebus bene gestis decerneret Patria; licet aut admodum parce, aut nullo prorsus modo gratiam referret. *ingratæ* ergo, id est quæ pro meritis & laboribus nulla, aut non satis magna rependeret præmia. Vel *ingratæ*, quæ multos, qui tam pii erga Rempub. fuerant, tamque strenue pro salute patriæ se gesserant, postea præmii loco, per summam invidiam aut exilio, aut morte, aut gravibus pœnis affecerit: ut Satyrico more laudans antiquorum modestiam, tacite mores sui notet temporis. *Ingratum* vero cum dicimus, qui acceptorum beneficiorum immemor, non recognoscit beneficium, immo, quod omnino est a ratione alienum, non raro pro bono accepto malum reddit.

166. *Curta fides.*) Quæ tam diu duravit, quandiu eodem

eorum opera, industria, prudentia & vigilantia opus fuit, vel ad Rempub. domi bene sapienterque administrandam, vel militiæ ad hostium impetus sustinendos, & a patria procul repellendos.

166. *Saturabat.*) hoc dicit in detestationem deliciarum sui temporis.

166. *Talis glebula.*) Tam exiguum solum.

168. *Unus vernula.*) Servulus duntaxat unus, qui omnibus ministraret. Nam *vernæ* dicuntur nati domi ex ancillis.

169. *Horum*) trium dominorum.

171. *Amplior*) propter exantlatum laborem.

171. *Et.*) pro, *id est.* nam expositio est amplioris cœnæ.

171. *Pultibus.*) Bene inquit *pultibus*, ut ostendat lauta obsonia non solita parari. Nam pulte trecentis annis ante usum panis vixerunt Romani, ut scribunt Verrius & Plinius.

172. *Nostro non sufficit horto.*) Ampliores nunc habemus hortos, quam antiqui habuerunt agros, unde est conquestio illa Plinii: *Quum bina tunc jugera Pop. Rom. satis essent, nec ulli major modus attribueretur, eo servos paullo ante principis Neronis, contemtis hujus spatii viridariis, & piscinas habuisse majores, gratumque esse, si non aliquis & culinas.*

173. *Inde.*) Ex tanta rerum cupiditate.

173. *Caussæ scelerum*) sunt. Nam homines ad omnia *scelera* cupiditate habendi facile impelluntur. Virgil.

> — *Quid non mortalia pectora cogis*
> *Auri sacri fames?* —

172. *Nec plura venena.*) Nec ullum vitium humanæ mentis miscuit plura venena, quam ipsa avaritia, & immoderata habendi cupiditas.

174. *Grassatur.*) Sævit. Est enim *grassari* supra modum sævire. Tranquil. *in Calig. His diverso vitiorum genere grassantibus*, id est valde sævientibus.

177. *Et cito fieri vult.*) Ostendit multa scelera illi perpetranda esse, qui modico temporis spatio magnas aggregat divitias.

179. *Vivite contenti casulis.*) Introducit verba Marsi senis, & Hernici Vestinique ad filios, ut contenti sint modicis rebus. Sicque ex frugalitate Antiquorum vituperat sui temporis luxum, & cupiditatem.

180. *O pueri.*) O filii. *pueros* enim Græca consuetudine pro filiis posuit. Sic Horat.

> *Dicam & Alciden puerosque Ledæ:*

180. *Marsus.*) Marsi populi sunt Sabinis contermini.

180. *Hernicus.*) Hernici Lavinio & Albæ vicini erant: dicti, auctore Macrobio, ab *Hernico* duce.

181. *Vestinus.*) Vestini Sabinis & Marsis vicini sunt.

182. *Laudant hæc Numina ruris.*) Agricolæ duodecim habebant Deos, quos præcipue colebant: Jovem & Tellurem, Solem & Lunam, Cererem & Liberum, Robigum & Floram, Minervam & Venerem, Lympham & bonum Eventum. De iis Varro. Sed nunc *Liberum* & *Cererem* intelligit, quorum beneficio mortalibus usus panis & vini datus est, quum ante glandibus vescerentur. Virgil.

> *Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus,*
> *Chaoniam pingui glandem mutavit arista,*
> *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.*

Bacchus enim vini usum primus docuit, *Ceres* vero frumenta invenit, eadem molere, & conficere in Attica, Italia, & Sicilia, & ob id Dea judicata. hæc Plinius & Diod.

185. *Nil vetitum fecisse volet.*) Ostendit Poeta hominem, qui mediocritatem sequatur, nulla turpi cupiditate devinciri.

184. *Perone tegi.*) Ac si dicat, qui in vili habitu ambulet. Est enim *pero* genus calceamenti ex crudo corio, quo & in bellis utebantur. Virg.

> — *Crudus tegit altera pero.*

Persius:

> *Navim si poscat sibi peronatus arator.*

186. *Summovet euros.*) Arcet frigus.

187. *Pellibus inversis.*) Pellibus habentibus pilum in parte exteriore. Ovidius III. *Trist.*

> *Pellibus hirsutis arcent mala frigora braccis.*

187. *Peregrina purpura.*) Sapienter Poeta ostendit iis, qui ambitione vivant, sumtus magnos esse faciendos, & proinde animum ad varias rapinas convertendum.

188. *Purpura.*) Vestis purpurea, quæ ex longinquo venit. Homo delectatus luxu vestium, ut magnificus videre possit, non dubitat, ut egregias vestes habeat, omnia miscere scelera, & bonis alienis manum injicere, omnesque rapinas exercere.

189. *Minoribus.*) Filiis, & nepotibus.

190. *Post finem autumni.*) Jam incipiente hyeme, quo tempore homines incipiunt lucubrare, & vacare studiis.

191. *Ceras.*) Tabellas ceratas, in quibus antiqui stilo scribebant.

192. *Caussas age.*) Suscipe caussas defendendas in foro, ut lucrum facias, nam ut ait Mart.

> *Illic æra sonant.* —

192. *Rubras leges*) Miniatas: nam capita legum *minio* solent notari. Pers.

> *Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit.*

193. *Vitem*) Centurionatum. Nam *vitis* centurionum erat gestamen, qua percutiebantur milites.

193. *Posce*) ab Imperatore.

193. *Libello*) supplici, quem porrigas Imperatori.

194. *Sed caput intactum buxo.*) Fac, ut Lælius, a quo scribendus es in militiam, videat te negligentem circa cultum corporis. nam ita te idoneum putabit militem.

194. *Intactum buxo.*) id est pectine, qui ex buxo fieri solet. Martialis:

Multifido buxus qua tibi dente datur.

195. *Alas grandes.*) Grandibus pilis hirsutas. Id enim indicium est virilitatis, quibus autem hirsutæ sunt alæ, *hircosi* dicuntur ob fœtorem hircinum. Persius:

Hic aliquis de gente hircosa Centurionum.

196. *Dirue Maurorum attegias.*) mapalia, & casas, quas Mauri, qui Numidæ a Romanis appellantur, sibi exstruunt.

196. *Castella.*) Differt *castellum* ob oppido. Est enim oppidum idem, quod urbs. *Castellum* vero inferius, ut neque urbs sit, neque pagus, sed medium inter utrumque. Pomponius Mela *lib.* I. *Carenna & Arsennaria sunt oppida, & Ampsa castellum.* C. *Castellum* vicus est, sive rusticanæ domus clausæ mœnibus. S.

196. *Brigantum.*) Brigantes populi sunt in Britannia, ut scribit Strabo, Corn. Tacitus: *Jam ventum haud procul mari ad Hiberniam insulam, quum ortæ apud Brigantes discordiæ retraxere ducem.*

197. *Sexagesimus annus.*) Nam tunc missio dabatur militi, quæ *honesta* dicebatur. Nam tres generales, ut tradit Marcellus *de Re Militari*, fuerunt missionum caussæ, *honesta*, *caussaria*, & *ignominiosa*. *Honesta* est, quæ tempore militiæ impleto & emeritis stipendiis datur; *caussaria* est, quum quis vitio animi, vel corporis minus idoneus militiæ renunciatur; *ignominiosa* caussa est, quum quis propter delictum, sacramento solvitur.

197. *Aquilam locupletem.*) Militiam ipsam opulentam. Aquila enim insigne fuit Romanorum. Valerius Flacc. *lib.* VI.

Romanas veluti sævissima quum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
Atque aquilis utrinque micant. —

198. *Aut longos.*) Aut si forte labor militaris est tibi molestus, nec potes ferre strepitum tubarum, potes negotiationem exercere, unde lucrum tibi emergat: sicque filium instruit ad rem quamque vilissimam, ut lucrum faciat.

199. *Solvunt ventrem.*) Naturale enim est, ut ex timore solvatur venter. Cujus rei rationem adfert Aristot. *in Problem. Calor insitus nobis, quasi animans est, hic ergo rem, quamcunque timuerit, diffugit, sic ut, quum extrinsecus ratio conturbandi, atque metuendi invehatur, atque in ima de superis defluat, & e summis ad intima penetret, efficitur, ut alvi, & vesicæ fundantur, facilesque reddantur.*

199. *Cornua cum lituis audita.*) Hoc autem dixit ex vetere consuetudine militiæ. nam in castris legio habebat *tubicines*, *cornicines* & *buccinatores*. *tubicines* ad bellum vocabant milites, & rursum receptui canentes revocabant. *Cornicines & buccinatores* erant ornamentum totius legionis in ingressu conflictus, & ejus reditu, quoties pugnabatur. *Cornicines & tubicines* canebant: hinc ergo Poeta ait, *Cornua cum lituis*, i. cornicines cum tibicinibus. nam *litum* genus erat tubæ, ad similitudinem litui virgæ auguralis. Est enim virga brevis, in parte, quæ robustior est, incurva, qua augures utuntur. *Lituo* pro tuba usus est Virgilius:

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

201. *Nec te fastidia.*) Nec te pudeat contrectare merces etiam dedecorosas, & quæ mitti solent trans Tiberim: intelligit autem negotiationem coriorum. [*Gr.*]

204. *Corium*) appellamus omnem pellem, non modo perfectam, sed etiam recens detractam animali.

204. *Bonus est odor.*) Hoc potest videri dictum in avaritiam Vespasiani. [*Gr.*]

206. *Illa sententia Poetæ.*) Ennii. nam versus, qui sequitur, Ennianus est.

208. *Hoc monstrat vetulæ.*) Tanta est mortalium cupiditas, ut non solum patres, sed etiam vetulæ doceant puerulos has sordes, tunc præcipue, quum stipem aliquam poscunt ad emenda poma. tunc enim monent versus Enniani, ut sint parci. Solent enim pueri assem a parentibus & familiaribus poscere.

209. *Ante alpha & vita.*) Antequam attingant prima literarum rudimenta: legendumque est *vita*, & non *Beta*, quum nomina sint literarum Græcarum.

211. *Quis te Festinare jubet.*) Quis cogit te tam cito urgere filium ad avaritiam, quum ad id vitium sponte sua sit proclivis? Unde sequitur:

— *Meliorem præsto magistro*
Discipulum. —

213. *Securus abi.*) Non est, quod dubites, quin avaritiæ studium facile sequatur.

213. *Vinceris ut Ajax Præteriit Telamonem.*) Ironia est. Ita quidem vinceris virtute a filio tuo, ut Ajax & Achilles parentes suos vicerunt, ut sit sensus: ut illi virtute, & præclaris operibus parentes suos vicere, ita vitio avaritiæ filius tuus te superabit.

215. *Parcendum est teneris.*) Est veluti responsio parentibus conquerentibus puerulos non statim esse avaros. Ignoscendum est, o pater, puerulis, si forte ea ætate avaritia te non vincunt, quia mala, inquit, hujusce cupiditatis nondum implevere medullas, nondum penitus infusa est extrema cupiditas. Sed quum facti erunt gran-

grandiores, tunc te avaritia superabunt, tunc extrema laborabunt cupiditate, falsi enim erunt testes. &c.

215. *Parcendum est teneris.*) Imitatio est Virgiliana, qua ille monet agricolam, teneras vites acie falcis non esse stringendas. C. S. C.

215. *Nondum implevere medullas.*) Rationem affert, non esse mirandum, si statim in pueritia avaritiam non exerceant, nondum enim sunt maturi, ut perfecte avaritiam possint exercere: nam *mala nativæ nequitiæ*, id est naturalis avaritiæ, quæ a natura homini insita esse videtur, nondum impleverunt medullas: nondum perfecte puerum invaserunt: quasi dicat, sata quidem sunt a natura avaritiæ semina in puero, sed nondum ad maturitatem pervenerunt.

216. *Quum pectere.*) Tunc, quum barbitium produxerit, extremæ dabit signa avaritiæ.

217. *Longi cultri.*) Periphrasis est novaculæ. id est quum cœperit radere barbam.

218. *Vendet perjuria.*) Mercede pejerabit.

219. *Summa exigua.*) Parva mercede & lucro.

219. *Aram Cereris.*) Illic enim sacratissimum habebatur jusjurandum.

220. *Elatam jam crede nurum.*) Ita jam unusquisque avaritia flagrat, ut in periculo novæ nuptæ sint, ne a sponsis tollantur, si dotem grandem tulerint.

220. *Elatam.*) Extinctam.

221. *Dote mortifera.*) Dote grandi, ex qua ei mors acceleretur.

221. *Quibus illa premetur.*) Cum quadam miseratione hæc scribit, quasi dicat, aconito infectis digitis per somnum premetur. Veneficium enim intelligit, quod per aconitum paratur. Plin. *Constat omnium venenorum ocyssimum esse aconitum, & tactis quoque genitalibus fœminei sexus animalium, eodem die inferre mortem. hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes a Calphurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit.*

222. *Nam quæ terraque marique.*) Irrisio est Poetæ, non mirum est, si adolescens sponsam aconito necat dormientem, nam, sic facilius & breviore itinere sibi comparabit divitias; quæ terra, & mari, & longinquis locis acquirendæ forent: sicque mores sui temporis Poeta subsannat.

224. *Nullus labor.*) Sententia est catholica, quam præsenti negotio apte Poeta accommodat, ut sit sensus: Ingens scelus sine ullo labore perfici solet, ut puta, hominem veneno aut ferro tollere, aut domum incendere.

227. *Nam quisquis.*) Rationem affert, quare filius per avaritiam tot scelera exerceat. Quicunque, inquit, præcepit, & imperavit cupiditatem magni census filiis, & producit pueros avaros, i. erudit & docet lævo monitu, i. sinistra & prava doctrina, & qui monet patrimonia conduplicare per fraudes, dat libertatem, & totas habenas effundit curriculo, id est dat potestatem adolescenti, ut rapiat, i. in culpa est sic instruendo, ut adolescens animum suum per summam libertatem ad avaritiam applicet.

227. *Præcepit amorem.*) Præcipiendo insudit cupiditatem habendi census. sic alibi:

Mitem animum & mores modicis erroribus æquos
Præcipit. —

C. Mihi vero, *præcipere*, significare hoc loco videtur ante capere, ut in illo Virg.

— *Si lac præceperit æstus.*

Item illud *Aen.* XI.

Et spe jam præcipit hostem.

potest etiam exponi hoc loco, *præcipit*, concepit amorem &c. ut sit hujus loci sententia: Nam quisquis cupiditate magni census tenetur, quique animo magnas opes ante cepit, & proposuit; Et qui pueros efficit avaros sinistro & præpostero monitu, is, etsi verbo non mandat filiis, ut malis artibus magnos census faciant, re tamen & facto exemplo malo, perversaque disciplina, dat licentiam peccandi, & ad malas assuefacit artes: ita, ut si velit eum revocare, demum non possit. Postquam enim multa scelera enumerasset, quæ filii malo patrum exemplo & disciplina designant, inducit Poeta malum patrem ita excusantem: Hæc ego nunquam mandavi, dices olim: nec talia suasi: cui Poeta respondet, nihil referre, cum ipse sit avarus, & quoque jure, quaque injuria, censum augere satagat. ea re illum esse caussam mentis pravæ & cupiditatis filiorum, qui in ejusmodi exemplis educati, patris mores imitantur, ut supra:

Quid suadet juveni lætus stridore catenæ?

quasi diceret, crudelitatem si minus verbo, at facto tamen & exemplo. Duo igitur requirit a parentibus, recta exempla, rectamque disciplinam. S.

229. *Et qui per fraudes.*) Aliqui putant hoc carmen non esse Juven. nec omnino inserendum, quibus ego facile subscripserim.

230. *Totas effundit habenas Curriculo.*) Pater remittit habenas filio, id est omnem potestatem facit, ut per omnes avaritiæ campos currat, & vagetur.

231. *Curriculo.*) Adolescenti per extremas sordes currenti. sic Virgil.

Infrænant alii currus. —

i. equos. Et alibi:

— *Nec audit currus habenas.*

231. *Quem*) adolescentem filium tuum.

231. *Si revoces.*) Si velis revocare a cursu acquirendi, i. ne tanta avaritia laboret.

231. *Subsistere nescit.*) Nescit finem facere.

152. *Rapitur.*) Fertur præceps in profundam avaritiam,

tiam Persiat Poeta in translatione aurigæ currentis in circo.

232. *Te contemto, metisque relictis.*) Te contemto, qui revoces. nam te contemnit, si eum dimoveas a cursu suo.

232. *Metis relictis.*) Tanto avaritiæ impetu fertur, ut nullum sibi terminum aut finem faciat, sed omnes prætereat more aurigæ, qui in circo metas, ut debet, non lustrat, sed cursu præterit. nam in *Circo* duæ erant metæ. supra:

— Spatium lustrabit utrumque
Metarum. —

circum quas ferebantur aurigæ. qui eas septies celerius circuisset, victor designabatur. Propert.

Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triverit arte rota.

235. *Quum dicis juveni stultum.*) Pater caussa est, ut filius nullum opus liberalitatis exerceat, sed potius, ut spoliet, & decipiat, quum dicit illum stultum, esse qui donet amico suo, & propinquo pauperi subveniat.

237. *Circumscribere.*) Decipere: tractum est vocabulum ab iis, qui longo scripturæ anfractu hominem circumligant.

238. *Quarum amor.*) Quarum divitiarum studium est in te patre tantum, quantum fuit Deciorum in patriam.

239. *Deciorum.*) Hoc est patris & filii, quorum uterque pro patria se devovit.

240. *Menœceus.*) Thebanus fuit Creontis filius, qui cum cognovisset per Teiresiam vatem Thebas semper liberas fore, & nunquam capi posse, si se voluntariæ morti exponeret, libens e mœnibus transfixo pectore super hostes sese jecit inscio patre. Papin. *lib. x. Thebaid.*

Sanguine nunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Jecit, & in sævos cadere est conatus Achivos.

Cicero etiam *Tuscul. Menœceus vero non prætermittitur, qui oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem.*

240. *Si Græcia est vera.*) Hoc tanquam fabulosum commemorat. Nam Græci innumerabiles habent fabulas. Unde illud est:

— Et quicquid Græcia mendax
Audet in historia. —

Plin. *lib.* VIII. *cap.* XXII. *Mirum est, quo procedat Græca credulitas: nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.*

241. *In quarum sulcis.*) Fabulosam illam Cadmi historiam tangit, ut Thebas patriam Menœcei designet. Cadmus enim, Agenoris filius, quum post raptum Europæ sororis in Bœotia desedisset, ædificatisque Thebis, quosdam ex sociis misisset, qui ad rem divinam aquam offerrent, nec ii redirent, ipse profectus conspexit eos a serpente juxta fontem stabulante devoratos; quem quum mirabundus spectaret, audivit vocem, fore ut ipse quoque serpens spectaretur, quod postea accidit in extrema senectute: nam ipse una cum uxore in serpentem conversus est. occiso igitur eo serpente ejus dentes accepto oraculo sevit, ex quibus homines armati orti sunt: qui omnes statim se mutuis vulneribus confoderunt, præter eos, qui Cadmo se junxerunt. C. De hac fabula vide Ovid. *Metam. lib.* III. & Fulgentium, qui ad literarum inventionem fabulam refert. nam Cadmus literas ex Phœnice intulit in Græciam, ut quidam autumant. S.

243. *Tanquam & tubicen surrexerit una.*) Tanto quidem impetu armati inter se distinxerunt, ut putes ad id certamen tubicine excitatos fuisse.

241. *Ergo ignem.*) Filius tuus, cui principia & semina avaritiæ ostendisti, in tantam cupiditatis rabiem missus est, ut omnes, quoscunque possit, spoliaturus sit, sed nec tu ipse tutus eris, te enim interficiet, quasi qui cupiditati ejus obstes.

242. *Ignem.*) Rabiem illam, & ardorem acquirendi, id est ipsum filium tuum ferventi cupiditate accensum.

244. *Cujus scintillas.*) Cujus tu semina & principia dedisti.

246. *Trepidumque magistrum.*) Alludit ad historiam sui temporis. nam leo mansuetus temporibus Domitiani, in theatro magistrum, a quo fuerat educatus, laceravit. Martialis:

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum.

246. *Leo alumnus.*) filius tuus, quem hoc modo aluisti, te magno fremitu occidet.

247. *In caveam.*) Septa, quibus feræ coercentur. Horat.

— Ac velut ursus
Objectos caveæ valuit si frangere clathros.

Cicero *ad Herenn. Statim sicut e cavea leo missus, aut aliqua teterrima bellua soluta ex catenis volitabit, & vagabitur.* Quæ cavea item appellatur ipsum theatrum. Apul. *Venus ecce cum magno auro caveæ in ipso medilullio scenæ circumfuso populo constitit.* Valer. Flaccus IV. *Argonaut.*

Nam nec ad Ægei pugnam videt ora parentis,
Nec sonat Oebaliæ caveæ favor. —

248. *Nota Mathematicis.*) Est veluti responsio Poetæ ad Patrem dicentem, nondum mortis suæ tempus advenisse, ut mathematici affirmaverunt, ut dicat: Scio genesin tuam notam esse mathematicis, scio longam tibi a mathematicis vitam promitti, sed molestum est

filio exspectare tantum mortis tuæ dilationem. te enim interficiet ante tempus tibi a fatis statutum.

248. *Mathematicis.*) Mathematici non solum astrorum periti dicuntur, sed & qui arithmeticæ, musicæ, & geometriæ rationem callent. Nam siderali scientia freti multis futura prædicebant.

248. *Genesis tua.*) quid de te futurum sit. nam hi hominum nativitates, & horoscopum contemplantes, multa futura prædicebant. Tranquillus *in Tit. Dicitur etiam cognita utriusque genitura imminere ambobus periculum affirmasse.* Idem in *Calig. Consulenti quoque de genitura sua Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmavit.*

248. *Tardas colos.*) Tardam mortem. nam nimis diu vivere ei videris, & cupit te ante tempus mori. unde & Ovidius:

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

249. *Colos.*) Stamina Parcarum, quibus vita hominis disponitur.

250. *Jam nunc obstat.*) Impedimento es filio tuo, quippe qui videaris diu vivendo bona domestica atterere: & sic ostendit adolescentem instructum avaritia in omne scelus ruere.

251. *Senectus cervina.*) Longa, quanta cervis attribuitur. Plin. *Vita cervis in confesso longa, post centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magna obesitate.*

252. *Archigenem Ocyus quære.*) Medicum cito fac convenias, ut tibi adversus filii venena tradat aliquod antidotum.

252. *Mithridates composuit.*) Antidotum, quale sibi Mithridates rex Ponti conficiebat adversus venena efficacissimum. ejus compositionem in commentario ipsius manu scripto, invenit Pompejus in ejus arcanis, ut docet Plin. *lib.* XXIII. *cap.* IX. ex duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis XX. simul tritis, addito salis grano. & qui hoc jejunus sumat, nullum venenum nociturum illo die.

253. *Aliam ficum.*) Alium autumnum. ac per hoc alium annum vivere.

255. *Aut pater aut rex.*) Nam eadem ferme ratio est, patrisfamilias in gubernatione domus suæ, quæ regis in regni administratione, nisi quod hic plures, ille regit pauciores: ideoque utrumque posuit, ac si diceret, non esse patri minus metuendum a liberis male institutis aut servis, quam regi a civibus, aut domesticis, aliisque, qui ejus invident potentiæ.

255. *Ante cibum.*) ut remedium adversus venenum.

256. *Monstro voluptatem egregiam.*) Ait Poeta in contemtum avari, majorem voluptatem capi ex laboribus, & anxietate ejus, dum se multis periculis exponit lucri caussa, quam ex ludis theatralibus, & scenicis.

256. *Nulla theatra.*) Nullos ludos theatrales, qui ad hominum voluptatem parantur.

257. *Nulla pulpita.*) Nullos ludos scenicos. Nam in scena pulpita exstruebantur. unde alibi:

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

lege Vitruvium.

257. *Lauti prætoris.*) Ad ornatum triumphalem respicit. Nam Prætor ludis theatralibus habitu triumphantis præerat, unde superius:

Qui prævidisset prætorem in curribus altis,
In tunica Jovis? ——

258. *Quanto discrimine.*) Si consideras pericula, quibus se objicit, dum studet rem domesticam augere.

259. *Multus fiscus.*) *Fiscum* pecuniæ privatæ esse ostendit Plin. *in Panegyr. At fortasse non eadem severitate fiscum, qua ærarium cohibes, immo tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.*

260. *Nummi ponendi ad Castora vigilem.*) Cæcitatem avari ostendit, qui multis sudoribus periculis & vitæ, pecunias requirat, quas sæpe solet amittere depositas apud trapezitas irruentibus furibus.

260. *Vigilem.*) Propter custodes, qui tempore noctis excubarent metu furum.

260. *Ad Castora.*) Apud mensarios, qui erant in foro, ubi erat ædes Castoris. ibi enim apud nummularios deponebant pecunias suas, quo tutiores essent, quod nostris etiam temporibus fieri videmus Venetiis. hocque etiam apud priscos factitatum docet multis in locis Plautus, tum illic in Captivis: *Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.* Ædem autem Castoris & Pollucis fuisse in foro ostendit Dionys. *Hujus autem inopinatæ, admirabilisque apparitionis, cum signa adhuc Romæ multa, tum vero est ædes Pollucis, & Castoris, quam super foro exstruxit civitas, ubi visa sunt illorum simulacra.*

261. *Ex quo Mars.*) Scribit Tranquil. Augustum publica opera plurima exstruxisse, ex quibus præcipua forum cum æde Martis ultoris. fori exstruendi caussa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Ædem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat. Temporibus igitur Poetæ nummularii, qui in foro residebant spoliati, omnem pecuniam apud se depositam amiserunt, adeo ut dicat Poeta, jam ex quo forum Martis spoliatum est, pecunias ad alterum forum Castoris esse deponendas.

261. *Galeam quoque perdidit.*) Nam fures, quum nummularios diriperent, ne ipsi quidem Marti pepercerunt. nam ei insignia sua abstulerunt.

262. *Ergo omnia Floræ.*) Quum ergo tam variis laborum & periculorum fluctibus avari vita agitetur,

potes relinquere ludos Florales, Cereris, & Megalesiacos, ex quibus tantam spectandi voluptatem non capies, quantam ex negotiis, & incommodis avari.

262. *Omnia aulæa.*) Omnes ludos theatrales, in quibus *aulæa* tenduntur, & alia vela, cum ad arcendum Solem, tum ad decorandos ludorum apparatus.

262. *Floræ.*) Flora quum opes immensas quæstu meretricio acquisivisset, populum Romanum moriens hæredem reliquit cum magna pecunia, ex cujus annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant *Floralia*. de iis multa Lactantius. Ludi autem voluptuarii erant, & jocosi, & cum omni lascivia celebrabantur convenienter memoriæ meretricis. nam præter licentiam verborum, quibus omnis obscœnitas effundebatur, exuebantur etiam vestibus, populo flagitante, meretrices. De quibus meminit & Valerius *lib.* II. *Catone ludos Florales spectante, populus, ut mimæ nudarentur, postulare erubuit.* Martialis:

Nosses jocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Cur in theatrum Cato severe venisti?

263. *Et Cereris.*) ludos Cereris, quæ Cerealia dicuntur, in circo currentibus equis celebrabantur. Cornelius Tacit. *Utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equitum curribus celebraretur.* Ovid. IV. *Fast.*

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum,
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, non est opus indice caussæ.

263. *Aulæa Cybeles.*) Ludos in honorem Cybeles Magnæ Matris.

264. *Tanto majores.*) ἐπιφώνημα, seu acclamatio, quæ addi solet quibusdam dictis, ad augendam, vel excitandam admirationem, ut illa Virg. *Æneid.*

Tantæ molis erat Romanam condere gentem. C. S.C.

265. *An magis oblectant.*) Comparatione ostendit minorem capi delectationem ex artibus ludicris, quam ex vita avari. nam quum ejus negotia contemplaris, habes, quod multum rideas, quodque te plurimum delectet. hæc enim interrogatio, quæ affirmat, vim habet negandi. An majorem affert voluptatem petaurus in theatro, quum corpus suum jacit per circulos, vel funambulus, qui graditur per funem, quam tu, o avare, qui navigas propter opes majore periculo vitæ, quam petaurus, & funambulus ludunt in theatris.

265. *Jactata.*) Immissa per circulos, quod videtur significare Martial.

Quid si per graciles vias petauri
Invitum jubeas subire Ladam?

Et alibi:

Quam rota transmisso toties impacta petauro.

nam *petaurum* ludum esse volunt, quum aliquis per circulum admodum angustum agiliter transvolat, præcedentibus manibus cum reliqua corporis parte, ita ut circulum non tangat, & in pedes prosiliat, tanta est corporis agilitas, quod aliquando me vidisse memini: unde *petauristæ* sunt denominati, qui ludum talem exercerent. Nonius ait veteribus appellatos *petauristas*, qui saltibus vel scenis levioribus moverentur. Varr. *De Vita Patrum lib.* II. *Galli & Germani petauristæ.*

266. *Descendere funem.*) Periphrasis funambuli, qui *funerepus* Apulejo, Græce schœnobates dicitur.

267. *Puppe Corycia.*) In nave errabunda, & propemodum prædatoria; quum omni contemto periculo lucra hinc & illinc navigando sectaris, quo more errant piratæ Cilices. sicque avarum lucri studio, tanquam piratam vult intelligi. Cilices enim piratæ fuerunt sævissimi. Coryceos autem appellavit a Coryco oppido Ciliciæ. {Gr.}

268. *Coro.*) Vento ut docet Plin. *lib.* II. *cap.* XLVII. flante ab occasu solstitiali.

269. *Perditus.*) Omni ratione destitutus.

269. *Mercator Siculus.*) qui a Siculis mercatis.

269. *Olentis sacci.*) Mercium olentium, quæ saccis inferciuntur, crocum autem intelligit. nam Sicilia, ut auctor est Strabo, frumentum, crocum, mel, pecora, pelles, lanas, in Urbem mittebat. Et *Sicanium crocum* appellat Papinius *in Sylvis*:

Et tenues Arabum respirant gramine plumæ,
Sicanisque croci. —

270. *Cretæ antiquæ.*) aut nobilis, aut longi temporis, quum ibi natus sit ipse Jupiter, qui totius mundi Moderator habebatur. Insula est in mari Ægeo centum Urbium, ut tradit Plin. clarissima fama. unde Virgil.

Creta Jovis magni, centum digesta per Urbes.

nam illic in Ida Jupiter natus est, & nutritus a nymphis, & capta Amalthæa, adlubitis Curetibus.

270. *Municipes Jovis.*) Ex ea patria, ex qua fuit & Jupiter: nam municipes appellant tam Poetæ quam oratores ejusdem loci cultores, quasi qui idem munus capiant. unde Ulpian. *scriptor municipes* dici suos cujusque civitatis cives, ut puta Campanos, Puteolanos.

271. *Passum pingue.*) Est genus vini, quod olim ex Creta mittebatur, ex uva, quam nos apiam & sirpulam appellamus. fit pluribus modis, sed diligentiores uvas siccant Sole, donec paullo amplius dimidium pondus supersit: sicque a *patiendo Sole passum* denominatur lege Plin. & Colum. Varronem, & Palladium.

272. *Hic tamen.*) Ostendit avarum infeliciorem esse, quam funambulum. hic enim solo labore ambulandi per funem parat sibi victum & vestitum, nec aliud amplius quærit: ille vero insatiabilis per omnia maria discurrit inhonesto divitiarum studio.

273. *Illa mercede.*) Quam consequitur a spectatoribus.

274. *Cavet.*) Vitat.

274. *Talenta.*) Quod nos talentum, Græci τάλαντον vocant a pondere & trutina: pondus vero varium fuit: nam *talentum magnum Atticum* octoginta tres habebat libras, *parvum* vero sexaginta. auctor Prisc. Apud Romanos vero, talentum, auctore Servio, septuaginta fuit librarum. Plinius ex auctoritate Varr. scribit *lib.* XXXIII. *cap.* III. *talentum Ægyptium* pondo octoginta pendere. Erat præterea *talentum Rhodium* quingentorum denarium, erat *talentum Euboicum* quatuor millium denariorum Romanorum, *Neapolitanum* sex denarium, *Syracusanum* trium denarium. C. Loquitur de Attico talento, eoque minore Poeta hoc loco, quod ad nostri temporis rationem expensum, I Ͻ C. coronatis æstimatur. mille igitur talenta I Ͻ C. millia coronatorum efficiunt. Sed de talentorum diversitate, & preciis, ut rem certe teneas, tibi Budæus & Georgius Agricola inprimis legendus est. S.

275. *Aspice portus.*) cum indignatione dictum satyrica.

276. *Magnis trabibus.*) Magnis navibus compactis ex trabibus. Persius:

— *Quin trabe fracta.*

Item Horat.

— *Et trabe Cypria.*

276. *Plus hominum in pelago*) est, quam in terris. Dictum est in detestationem avaritiæ, cujus impulsu homines in pericula se demittunt manifestissima.

277. *Veniet classis.*) Nemo timet eo navigare, unde aliqua sit sibi spes lucri.

278. *Carpathium mare.*) Quod est inter Rhodum, & Ægyptum, a Carpatho insula denominatum, quæ una est ex Sporadibus.

278. *Gætula.*) Lybica, nam Gætulia pars est Africæ, Mauritaniæ contermina, dicta a Gætulia Vulcani filia.

279. *Sed longe Calpe relicta.*) Etiam in Oceanum exibit ex Gaditano freto. Nam Calpe mons est Hispaniæ, qui occurrit navigantibus in Oceanum alto cacumine, ad radices habet oppidum Calpen, quod Demosthenes scribit conditum fuisse ab Hercule, & olim appellatum *Heracleam*. illud autem observandum, quod & Priscianus miratus est *lib.* VI. Juvenalem, *Calpe* ablativum corripuisse, quum sit simile hoc nomen *Penelope*, *Arachne*, *Calliope*, quæ nomina nunquam corripiuntur, quum litera Græca, semper in e longam vertatur. C. Non solus Juvenalis corripuit: nam Ruffus Festus Arati interpres, corripuit illo versu:

Lucis ab exortu procul in vada Calpe Titana.

Id autem idcirco fieri putant docti, quod *Calpe* hic sit tertiæ declinationis, ut dicamus non solum *Calpe Calpes*, sed etiam *Calpes*, *Calpis*. S.

280. *Solem stridentem.*) Hoc est ex sententia Possidonii, qui, auctore Strabone, ait Solem in finitimis Oceani littoribus majorem occidere, ingenti strepitu, ac si in illo restinguendo pelagus effervescat. unde Statius in *Genethliaco Lucani*:

Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis.

C. Hæc esse ex Epicuri deliramentis scribit Cœl. Rhodiginus *lib.* XXIV. *cap.* XIII. S.

280. *Gurgite Herculeo.*) Oceano Atlantico, qui est extra columnas Herculis. *columnas* autem appellant Abylum & Calpen montes, quibus scissis Oceanus ab occasu Solis irrumpens lævo latere Europam radit, Africam dextra, atque inter Mauros funditur, & Hispaniam.

281. *Grande operæ precium est.*) Insultat avaro per ironiam.

282. *Tumida aluta.*) plena crumena ex aluta facta. *Aluta* enim pro omni pelle molli accipitur.

283. *Oceani monstra & juvenes vidisse marinos.*) Scribit Plin. *lib.* IX. in Oceano Gaditano marinum hominem toto corpore, absoluta similitudine, ascendere navigia nocturnis temporibus, statimque degravari, quas insederit partes. Item circa littus Lugdunensis provinciæ trecentas amplius belluas miræ varietatis, & magnitudinis a reciprocante destitutas Oceano; præterea legatos Ulyssiponensium nunciasse Tiberio Cæsari visum auditumque quodam in specu concha canentem Tritonem, & in littore Santonum elephantes & arietes candore tantum cornibus assimilatis, ac Nereidas multas visas fuisse, item multa alia monstruosa.

284. *Non unus mentes agitat.*) Plurima sunt stultorum genera, alii enim aliis modis insaniunt, sed avarus quoque insania vexatur, quum studio acquirendi tot se exponat periculis. C. Tria sunt insaniæ genera prima, de quibus vide Cels. *lib.* III. *cap.* XVIII. S.

284. *Ille sororis.*) Orestem intelligit, qui post necem maternam tanto furore correptus est, ut Eumenides expavesceret. Nam sibi videbatur videre furias armatas serpentibus faces intentare ardentes, mox a Pylade in Tauricam regionem perductus ab Iphigenia sorore, sacerdote Dianæ purificatus est.

286. *Hic bove.*) Ajax Telamonius, qui superatus in armorum judicio ab Ulysse in furorem est conversus, ita ut sumto flagro in boves sæviret, quos per insaniam putabat esse modo Ulyssem, modo Agamemnonem, cujus judicio offensus erat.

287. *Ithacum.*) Ulyssem ab Ithaca patria dictum.

287. *Parcat.*) Qui mare navigat, demens omnino est, licet vestimenta sibi non scindat more furiosi.

288. *Curatoris eget.*) Ac si dicat, & ille quidem furiosus

riosus est, qui navigat, & proinde *curatoris eget*. Nam *curatores* dantur non solum pupillis, sed & furiosis & prodigis, sed differentia magna. Nam pupilli curatori rerum administratio, duobus reliquis sola custodia, & rerum, quæ deteriores futuræ sunt, venditio committitur: hæc Ulpianus. unde est illud Horatianum de insano:

— Interdicto huic omne adimat jus
Prætor, & ad sanos redeat tutela propinquos.

289. *Et tabula distinguitur una.*) Quamvis quidam hoc loco legant *tabula distinguitur unda*: ut sit sensus: *Unda* subaudi maris, *distinguitur tabula*: longe tamen melius legi videtur *uda* vel *una*, ut subaudiatur a mari, & sit sensus; *Distinguitur tabula una* vel *uda tabula*, id est madida ab ipso mari. id est adeo est stultus, ut *uni tabula*, id est *navi udæ* & se & sua committat.

290. *Caussa tanti mali.*) Nam a nummo prima, ut docet Plinius, est origo avaritiæ excogitata foenore, quæstuosaque segnitia.

291. *Concisum argentum in titulos.*) Pecuniæ, quæ tota variis est signata imaginibus & titulis, ut *pecude*, unde *pecunia* nominata, *Jano*, *navi*, *victoria*, *bigis*, *quadrigis*, & inde *bigati*, *quadrigati*, & *victoriati* nummi dicti: hi autem erant ex argento. Nota æris fuit ex altera parte *Janus geminus*, ex altera *rostrum navis*. Lege Plinium *lib.* XXXIII. *cap.* III.

292. *Occurrunt nubes.*) Tanta est avari cupiditas, ut licet cuncta tempestatem minentur, tamen imperet, ut navigetur, posset forte absterreri occurrentibus nubibus, & fulguribus, imo vero inquit nautis:

292. *Solvite funem.*) id est portu exire soluta navi.

294. *Fascia nigra.*) nubes, quæ instar fasciæ cœlum obnubilat.

295. *Æstivum tonat.*) Non minantur hæc tempestatem, sed tonitrua sunt, qualia æstate fieri solent.

295. *Infelix.*) cum miseratione dictum.

297. *Zonamque tenebit.*) id est cingulum. Græca est dictio ζώνη. Nec sine ratione ait *zonam teneri*, nam priscis temporibus auro monetali *zona* ornabantur, ita ut magni essent precii. unde est illud apud Matth. *in Euangel. cap.* X. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Gracchus *in Oratione*, quam habuit *de Parsimonia & Pudicitia sua* reversus ex Sardinia: *Itaque*, inquit, *Quirites, quum Roma profectus sum, zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Tranquillus *in Vitell. Zona se aureorum plena circumdedit.* Apulej VII. *Metam. Et auro monetali zonis refertis incincta.* Ælius Lampridius *in vita Alexandri*: *Miles non timet, nisi vestitus, armatus, calceatus, & habens aliquid in zonula.* C. Zona quidem cingulum est, sed tamen, sive quod ad zonam crumenam adligabant, sive quod latiore in latere dextro zona uterentur, cui assuta & claviculis affixa erat scortea crumena, factum est, ut *zona* pro crumena, fuerit usurpata. Hinc Plautus *in Trinum. zonarios sectores* appellavit, quos Aristophanes comicus βαλαντιοτόμους, id est *crumenisecas*, vocat. S.

297. *Leva.*) Zonam enim tenebit sinistra, dextra vero sola natabit.

298. *Sed cujus votis.*) Avarum, cui omne aurum, quod usquam est, non sufficit, oportebit facto naufragio contentum esse exiguis pannis velantibus inguina.

299. *Tagus.*) Amnis Hispaniæ, qui, ut tradit Solinus, ob arenas auriferas ceteris amnibus præfertur.

299. *Pactolus.*) Lydiæ fluvius est, & ipse arenas ferens aureas.

302. *Picta tempestate.*) Nam moris erat, ut naufragi in tabella ab humeris dependente ferrent pictum naufragium suum mendicantes. unde Persius:

— Cantas, quum te fracta in trabe pictum
Ex humero portes. —

303. *Tantis parta malis.*) Res partæ tantis incommodis. miseram ostendit avari sollicitudinem circa res partas, dum timet, ne sibi surripiantur.

304. *Misera est.*) Miseriarum plena est, & sollicitudinum.

305. *Dispositis prædives armis.*) Mendosi codices habent *hamis*, nos vero correximus *armis*: avarus enim *dispositis armis* res suas custodit, non *hamis*, quod alii inepte exponunt, quibus fures caperentur, & per Synalœphen excluditur *S* sicut apud Lucretium, ubi de odore disserit:

Verum aliis alius & magis est animantibus aptus.

Martial.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno.

Virg. *in Georgic.*

Aut ovium fœtus, aut urenteis culta capellas.

C. Si simpliciter legatur *dives*, nulla neque Poetæ, neque carmini fiet injuria, & sine ullo scrupulo constabit versus. S. [Vide Gr.]

305. *Cohortem servorum.*) Luxuriam Romanorum ostendit, qui, ut scribit Plinius, tantum servorum numerum alebant, ut justum exercitum diceres. Præterea dicet non alibi graviores esse curas, quam ubi majores opes sunt.

306. *Licinus.*) Pro quocunque divite ponitur. Nam Licinum divitem fuisse alibi diximus. Martialis:

Altaque cum Licini marmora pulvis erunt.

Ejusdem meminit Seneca *in Epist. Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mæcenatem deliciis provocat.*

307. *Flectro.*) vasis suis suis ex electro. Est autem *electrum* aurum habens quintam portionem argenti. *Electrum* etiam, id est quod alio nomine succinum vocamus, quod ex arboribus manat, hæc Plinius.

307. *Phrygiaque columna.*) ex marmore Synadico, quod Phrygium est, ut scribit Strabo & preciosum. De quo Tibullus:

Quid ve domus prodest Phrygiis innixa columnis?

308. *Atque ebore.*) Pro suppellectile ebore ornata. Usurpabatur enim *ebur*, cum ad lacunaria ornanda, tum valvas, & ad domus ornamenta. Propertius:

Et valvæ Libyci nobile dentis opus.

308. *Lata testudine.*) lectis discubitoriis, qui putaminibus testudinum integebantur.

308. *Dolia nudi.*) Ostendit Poeta exemplo Diogenis Cynici paupertatem, hoc est eum, qui pauca possideat, & qui nihil cupiat, feliciorem esse divite avaro.

308. *Dolia.*) vasa sunt *argillacea* non tam vinaria, & aquaria, quam olearia. Plin. *lib. xv. Dolia olearia cadosque imbui amurca, ne bibant oleum.* Ter. *Dolia omnia relevi.*

308. *Nudi Cynici.*) Diogenis, qui ita divitias contemsit, nullam in his prorsus felicitatem reponens, ut ne ad bibendum quidem poculum voluerit, quum Natura id ei præstitisset, manibus concavis aquam suggerentibus, & quum datis literis ad artificem, ut scribit Laertius, posceret sibi cellulam, isque serius id efficeret, dolium pro domo habuerit. unde illud est in laudem Diogenis apud Senecam: *Quomodo oro te convenit, ut & Diogenem mireris, & Dædalum? uter ex his sapiens tibi videtur, qui serram commentus est; an ille, qui quum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemtum e perula calicem? hac objurgatione subjecta, quamdiu homo stultus supervacuas sarcinulas habui? qui se complicuit in dolio & in eo cubitavit.* Auson.

Diogenes, cui parva penus, cui dolia sedes,
Ad manes abiit, Cerberus inde vetat.

309. *Non ut ardent.*) Erant enim terrea, unde sequitur, *in illa testa.*

310. *Commissa.*) Conjuncta, unde *commissuras* appellamus juncturas lapidum.

311. *Sensit Alexander.*) Alexander facile animadvertit, quanto felicior esse Diogenes in illa paupertate, qui nihil cuperet, quam ipse esset, qui multa appeteret, & unius mundi non contentus imperio, innumeros alios a Philosophis excogitatos affectabat. Ferunt enim eum, quum Corinthum venisset, illicque offendisset Diogenem, & ab eo non salutaretur, ad ipsum accessisse: rogantique, ut si qua sibi præstari vellet, indicaret, nunc quidem paullulum, inquit, velim a Sole absis: offecerat videlicet apricanti, quibus verbis docuit continentiam suam nullis divitiis superari posse.

311. *In illa testa.*) In illo dolio argillaceo.

312. *Magnum habitatorem.*) Ipsum Diogenem tam excellentis animi, utpote qui omnes divitias prorsus contemneret.

313. *Posceret sibi totum orbem.*) Nam Alexander tanta gloriæ cupidine flagravit, ut Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos referenti: *Heu me miserum*, dixerit, *quod nec dum unum sum potitus!* unde superius:

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

314. *Passurus.*) Cui adhuc non minora præteritis subeunda essent pericula.

315. *Nullum numen habes.*) Diogenes, quum in tanta versabatur inopia, poterat videri sævissimis Fortunæ fluctibus agitari, sed revera, inquit, Diogenes tanta fuit animi prudentia, ut Fortuna, quam nos parum prudentes *Deam* facimus, vires suas in eum nunquam exercere potuerit, quominus esset & felix, & fortunatissimus. Nam prudentia sua Fortunam superavit. Is enim *Fortunam superare* dicitur, cujus vita rationis ductu gubernatur. unde ostendit Juvenalis, fortunam nullam habere potestatem in hominem, si ratione, ut Diogenes regatur. Idem superius iisdem omnino verbis dixit, nisi quod ultimus versus sic habuit:

Nos facimus Fortuna Deam, cœloque locamus.

quæ quidem omnia eo tendunt, ut ostendat magnum esse mortalium errorem, qui, quicquid sive bene, sive male contingit, Fortunæ, tanquam Deæ cuidam omnium auctori, tribuunt. hinc apud Veteres & *Bonæ Fortunæ* & *Malæ* templa dicata fuerunt.

315. *Nullum numen habes.*) Nullam potentiam. Nam *numen* dicitur proprie Dei potentia, ut legendum sit *habes*, & non *abest*. Nam sermo est ad Fortunam.

315. *Si sit prudentia.*) Si homo usu rationis gubernetur. Nam *prudentia* virtus est, quæ in delectu consistit bonorum & malorum: ut ostendat felicioris vitæ viam invenisse Diogenem per prudentiam.

316. *Fortuna.*) Magnæ vero temeritatis & insipientiæ est, ea, quæ nobis nostra culpa contingunt, Fortunæ, quæ apud cordatos nihil est, tanquam auctori, sine qua nihil fiat, tribuere. Quod aperte nobis demonstrarunt multi apud veteres Ethnicos, & quotidie, qui vere sunt Christiani. C. Recte *Fortunam* opponit prudentiæ, quod quæ casu, & fortuito eveniunt, consilio facta dici non possunt, & contra. Nam *Fortuna* ab Aristotele dicitur, cum quid nullo nostro consilio, accidit: cujus quod ignoratur caussa (cum tamen nihil fiat sine caussa) *Fortunam* tum caussam appellamus. *Fortuna*, inquit Cic. *in Acad.* efficit multa improvisa in nobis, propter obscuritatem, ignorationemque caussarum. Sed de hoc errore mortalium in *Fortuna* colenda, operæ precium est Plinii verba subjicere: *Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis*

to, a plerisque vero & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit: Adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probetur incertus. Hæc ille *lib.* 11. *cap.* VII. S.

316. *Nos facimus te Deam*) Adeo nos cœci sumus, ut si quid nobis vel bene, vel secus cesserit, *Fortunæ* numini assignemus, nec id putemus accidisse, aut imprudentia, aut ignorantia nostra.

316. *Mensura tamen.*) verba sunt ad avarum: Si tamen vult scire avarus, quantum sibi sit appetendum, id appetat, quod necessarium tantum sit. ut ostendat illum, qui rebus necessariis contentus non sit, nullo modo beatum esse posse, quum assiduo cupiditatis fluctu agitetur.

317. *Edam.*) Dicam.

318. *In quantum.*) Tantum sufficit, quantum sitis, & fames, & frigora poscunt, id est victus, & vestitus. C. Sic etiam Paulus 1 *Tim.* 6. *Victu & vestitu contenti simus.* S.

319. *Epicure tibi.*) Epicurus, licet summum bonum poneret in voluptate, tamen tenui victu contentus fuit. Nam, ut scribit Laertius, aqua tantum & cibario pane contentum se esse testatur.

319. *Parvis hortis.*) Nam Athenis, ut docet Plin. *lib.* XIX. hortos habuit, quos primus instituit. unde & *hortorum magister* est appellatus. Nam usque ad eum moris non fuerat in oppidis haberi rura.

320. *Penates Socratici.*) ipse Socrates, & deinceps secta Socratica, qui rebus Naturæ necessariis vixerunt contenti.

320. *Cœperunt.*) Apprehenderunt.

320. *Ante.*) Nam Socrates ante Epicurum fuit.

321. *Nunquam aliud Natura.*) Diluit ea, quæ sibi objici poterant ab avaro: ea scilicet, quæ proposuerit ad suadendam frugalitatem esse ex præceptis philosophicis, quæ doceant mediocritatem omnibus in rebus esse tenendam. Ait ergo Poeta, id etiam *Naturam* dicere, quod Philosophia dicit, nec unquam *Naturam* a Philosophia discrepare. Quæ enim Philosophi dicunt, a *Natura* omnia depromta sunt. ea enim nobis omnium virtutum veluti igniculos & semina dedit, ut qui *Naturam*, hoc est prima illa *Naturæ* semina secutus fuerit, nunquam aberraverit. Est enim *Natura*, ut docet Cicero *de Natur. Deor. Vis quadam, sive ratio ciens motus in corporibus necessarios.*

322. *Videor te claudere.*) Fortasse, videor efficacibus exemplis ad nimiam te cogere frugalitatem, idque tibi minime esse gratum.

322. *Acribus exemplis.*) Efficacibus, quæ tibi proculi, & Epicuri, & Socratis, ad bene honesteque vivendum. homines enim melius exemplis instituuntur.

322. *Claudere.*) Cogere.

322. *Misce ergo.*) Cum indignatione dicuntur hæc a Poeta. si præcepta mea & exempla tibi grata non sunt; sequere ergo affectus & mores humanos, qui in eo sunt, ut hæc bona temporalia omni studio sequamur & divitias comparemus Sic. & Persius indignatus in avarum, quem insatiabilem videt, exclamat:

Tende animam lucro, mercare, atque excute solers
Omne latus mundi, ne sit te ditior alter.

323. *De moribus nostris*) Secundum mores nostros, & affectus humanos, qui illuc omnino tendere videntur, ut opes comparentur.

323. *Effice summam.*) Compara tibi quadringenta sestertia, quam summam qui habebat, eques erat Romanus & in quatuordecim gradibus theatri poterat sedere. de qua te plura diversis locis.

324. *Bis septem ordinibus.*) in quatuordecim gradibus theatri.

324. *Lex Othonis.*) Legem enim tulerat Roscius Otho, ne quis in quatuordecim gradibus sederet, nisi qui summam quadringentorum sestertium haberet.

325. *Hæc quoque.*) Si hæc summa adhuc tibi satis non est, sume tibi summam duorum equitum, & id si parum tibi videtur, sume trium. Sed hoc te volo scire, illum nulla divitiarum magnitudine expleri posse, qui rebus necessariis sit contentus. Claudian. *lib. in Ruffin.*

Semper inops, quicunque cupit. —

325. *Et rugam trahit.*) Metaphora sumta a sacco, qui quum plenus non sit, rugam trahit. Imitatio est Persii:

— *Jam decies & jam mihi quarto,*
Jam redit in rugam. —

325. *Extenditque labellum.*) Sumtum ab iis, qui tanquam famelici labra oris extendunt ad cibum capiendum.

326. *Duos equites.*) Censum duorum equitum, id est octingenta sestertia.

326. *Fac tertia.*) Si adhuc octingentis sestertiis non es contentus, sume mille & ducenta, ut sit summa trium equitum. Sed hæc cum stomacho scripsit Poeta.

327. *Si non implevi gremium.*) Si adhuc non potui te his divitiis satiare, ut adhuc alias velis, nec fortuna unquam Crœsi, nec regna Persica, nec divitiæ Narcissi sufficient animo tuo, i. nulla opum magnitudo poterit animum tuum explere. bene autem *animum* dixit, *animus* enim homines divites, non arca facit, & ita ostendit avarum insatiabilem penitus esse.

327. *Gremium.*) Perstat in metaphora vestis.

327. *Si panditur*) gremium.

327. *Ultra.*) i. si adhuc plura quæris.

328. *Fortuna Crœsi.*) ditissimi illius Lydorum regis.

328. *Regna Persica.*) Divitiæ Persicæ: reges enim *Persarum*, quales fuere Xerxes & Cyrus, mira exstitere potentia, opibusque amplissimis.

329. *Divitiæ Narcissi.*) Libertorum duos præcipue suspexit Claudius Cæsar, Narcissum, & Pallantem, decreto quoque Senatus non præmiis modo ingentibus, sed & quæstoriis, prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est, tantum præterea acquirere, & rapere, ut quærente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. De iis vide Tranquil. & Tacit.

330. *Indulsit omnia.*) Concessit, & permisit omnia. Nam multis rapinis locupletati sunt.

330. *Cujus Imperiis.*) ut ostendat tanta auctoritate Narcissum fuisse apud Imperatorem, ut quodammodo videretur ipsi principi imperare. Nam ei auctor fuit, ut uxorem interficeret deprehensam in adulterio cum Silio, cui daturus erat veniam, nisi Narcissus cædem ei maturavisset, immissis centurionibus, & tribuno, cujus ictu transfixa est in hortis Lucullianis.

IN SATYRAM XV.

QUis nescit Volusi.) Hac Satyra Volusium Bithynicum amicum suum alloquitur, detestans non sine quadam miseratione odium mutuum & feritatem Ægyptiorum, quos ait tanta animorum dissensione inter sese sævire, ut calcata omni humanitate in mutuam perniciem ruant, unguibusque & dentibus se lacerent & absumant, caussamque odii ostendit esse ex diversa superstitione, & multiplici Deorum cultu, simulque ridet eorum superstitionem, qui animalia bruta colant, & homines necent, & comedant. Satyra inscribitur *de Feritate Ægyptiorum.*

1. *Qualia Portenta.*) Nam Ægyptii universi colunt quædam animalia, quemadmodum ex terrestribus tria, bovem, canem, felem: Ex volatilibus accipitrem atque Ibin. Ex aquatilibus duo, lepidotum piscem, & oxyrynchum. sunt alia, quæ quisque seorsim colit: ut Saitæ & Thebani ovem; Latum vero, qui piscis quidam est in Nilo Latopolitani, Cepum Babylonii, qui sunt juxta Memphim; Capram & Hircum Mendesii, Murem araneum Athribitæ, Aquilam Thebani. Item alii aliud. Itaque Ægyptiorum mentibus adeo superstitio hæc inhæsit, ut premente aliquando Ægyptios fame, plures ab humana carne ob inopiam cibi non abstinerent, animalia sacra intacta relinquerent. [Gr.]

1. *Demens.*) Bene *demens*, ut quæ bruta, tanquam Deos, adoret, in homines impie sæviat: & ita auget invidiam feritatis eorum, quod vilissimis animalibus summam religionem & cultum divinum exhibeant, homines vero crudelissime necent.

2. *Ægyptus.*) Prima pars Asiæ Ægyptus est inter Catabathmon & Arabas, Aethiopiam contingit ad meridiem, terra expers imbrium, mire tamen fertilis.

2. *Crocodilon.*) Animal est quadrupes specie lacertæ, & in terra & in flumine pariter valet, linguam non habet, maxillam movet superiorem, ova similia anserinis edit, ad sexdecim cubitorum longitudinem crescit, ut alii tradunt, quamdiu vivit. Crocodilos primus Romam M. Scaurus invexit. De his multa scribunt Plin. Strab. Dion. Sol. Herod. & Apul.

3. *Pars hæc.*) i. illi, qui apud Mœridem lacum habitant. Nam ab iis, auctore Diodoro, colitur *Crocodilus.* Sed quum Crocodilus hominem interimat edatque, mirantur multi, quare colatur. Sed hæc videtur ratio, quia toti patriæ securitatem non solum Nilus afferre videtur, sed & qui in eo sunt Crocodili, quos Arabiæ, Libyæque latrones veriti, non audent flumen transire populatum.

3. *Ibem saturam serpentibus.*) *Ibis* avis est peculiaris Ægypti circa ripas Nili: ea serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert. Sicque proventus fœtuum noxiorum rarescunt. Serpentes devorant, quo merito sacræ sunt, & illæsæ.

4. *Cercopitheci.*) *Cercopithecus* simia caudata est, Nam, ut scribit Plinius, simiæ inter se caudis distinguuntur. *Cercopithecos* ait esse nigris capitibus, piloque asini. juxta Nilum scribit Solin. multos simios nasci, & Cercopithecos adorari in Arabia ad Memnonium.

5. *Ubi resonant dimidio Memnone.*) Thebas intelligit urbem Ægypti, quæ postea Diospolis appellata est, centum portarum fuit. Ad quam commercia Arabes undique gentium subvehunt. hinc regio Thebaica dicta. Strabonis tempore vicatim habitabatur, ita ut pars altera in Arabia esset, altera pars in ulteriore ripa, ubi *Memnonium* erat, i. sepultura Memnonis. illic duo erant colossi ex integris lapidibus inter se propinqui. quorum alter mutilatus erat, & dimidiatus ruina superioris partis: in cujus basi exaudiebatur quotidie sonitus quidam ignota caussa. Strabo ait *lib.* VII. se illic affuisse cum Aelio Gallo, & sonitum esse factum, sed se ignorare caussam, & auctorem, nec posse credere id ex compositione lapidum nullo impulsore fieri. Plin. *lib.* XXXVI.

Non

Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis, ut pro ut Memnonis statua dicatur, quem quotidiano Solis ortu contactum radiis crepare dicunt. i. crepitum facere. C. Sed de Memnone, ejusque sepulcro, & statua, & aliis scitu dignis, vide Coel. Rhod. *lib.* XXII. *cap.* V. S.

5. *Chordæ magicæ.*) Sonitus, qui putatur fieri arte magica, nulla alia exstante caussa.

6. *Vetus Thebe.*) Contra usum more Poetico numero singulari dixit. Thebas in Ægypto condidit Busiris. quarum mœnia complexa erant centum quadraginta stadia: centum portas: sive, ut alii ajunt, centum aulas, habuisse ajunt totidem olim principum domos, solitasque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere. De quibus Plinius, Strabo, Diodorus, Solinus, Homerus, & Mela.

6. *Centum obruta portis.*) Nam eversa erat, ut scribit Strabo. *Centum portis*, pro centum portarum, quas, ut diximus, habuit. quæ in Boeotia fuerunt, septem tantum habuerunt, unde Homerus:

Queis centum portæ, portarum quamque ducenti
Sublimes in equis homines, & curribus errant.

7. *Illic cæruleos.*) In alia parte Ægypti tota oppida venerantur pisces marinos, ut lepidotum, & oxyrynchum.

7. *Heic piscem fluminis.*) i. apud Latopolitanos, qui Latum piscem Nilo colunt, aut Babylonios, qui cepum piscem adorant.

8. *Oppida tota.*) Universa Ægyptus canem, bovem, & felem colit, sed tanto cultu *canem*, ut, auctore Herodoto, tota domus, in q canis exstinguatur, acta lamentatione, toto corpore radatur: quod indicium est maximi apud illos luctus. Hocque ideo facere videntur, quod canis cum venatibus, tum custodiæ domesticæ aptus est: propterea Deum, qui apud eos Anubis vocatur, capite fingunt canino, significantes custodem corporis Osiridis atque Isidis fuisse. unde Ovid. *lib.* IX. *Metam.* loquens de comitibus Isidis inquit:

— Cum qua latrator Anubis,

De eo multa Diodor. & Herod.

8. *Nemo Dianam.*) Hoc dictum ex stomacho: colunt, inquit, canem, qua utitur Diana in venationibus, ipsam vero Deam negligunt. Scribit tamen Herod. *lib.* II. Bubastin coli ab Ægyptiis, quæ apud Græcos Diana appellatur, in urbe Bubasti templo omnium maxime memorabili & aspectu jucundissimo. [*Cr.*]

9. *Porrum & cape.*) Tradit Diod. Ægyptios utilitatis caussa abstinere alios faba, lente alios, nonnullos caseo, alios cæpis & porris. Gellius autem ait eam caussam ab sacerdotibus Ægyptiis affirmari, cur Pelusiotæ cæpe non edant, quia solum olerum omnium contra Lunæ auctus atque damna vices minuendi & augendi habeat contrarias. [*Cr.*]

10. *O sanctas genteis.*) Acclamatio per derisum in stultam superstitionem Ægyptiorum, qui olera, & bruta, ut Numina colant, & non edant, carnibus vero humanis vescantur.

11. *Animalibus lanatis.*) Ovem enim Saitæ & Thebani colunt, hac ratione, quod bis pariat, & lanitio velamenta corpori, lacte vero & caseo alimenta præstet.

12. *Fœtum capellæ.*) Capra & hircus apud Mendesios coluntur.

13. *Carnibus humanis.*) Hinc exit omnis Poetæ indignatio: comedunt, inquit, carnes humanas, tanquam vero hoc fas sit.

17. *Attonito.*) Quum Ulysses, post eversum Ilion, in patriam rediret, septem annis per mare agitatus, naufragium fecit in littore Corcyræo, nudum invenit frondibus opertum Nausicaa filia Alcinoi regis, quem veste donatum ad patrem produxit. is super cœnam Alcinoo, & ceteris convivis narrabat cursum, & errores suos, & ut primum pervenisset ad Ciconas populos Thraciæ, deinde ad Lotophagos in Africam, ad Læstrygonas, ubi socium absumsit Antiphates, ad Cyclopas in Siciliam, e quibus unus fuisset Polyphemus Neptuni filius. Sensus ergo est: Ulysses quum Alcinoo regi super cœnam narraret tale scelus, i. homines fuisse absumtos ab Antiphate & Polyphemo, qui aderant, partim ut rem fabulosam ridebant, quasi qui ridiculam censerent, partim indignabantur: nam Ulyssem, ut mendacem aretalogum habebant.

13. *Attonito.*) Mirabundo novitate rei.

16. *Aretalogus*) is dicitur, qui fingendis mendaciis auditores movet ab arte verborum. Nam ἀρετὴ significat virtutem, & λόγος verba. Tranquil. scribit Augustum post cœnam *aretalogis* delectatum: & Porphyrio in *Serm.* Crispinum philosophum quendam loquacissimum, *aretalogum* appellatum fuisse, quoniam carmina garrula scripserit.

16. *In mare nemo.*) Sic aliquis nondum ebrius, & qui minimum temetum duxerat ex urna Corcyræa, dixit. Nemo abjicit hunc in mare, quasi diceret eum dignum esse, qui abjiciatur, ut mendacissimus, estque dictum cum indignatione.

17. *Dignum sæva Charybdi.*) Ac si dicat dignum, qui immergatur atrocissimo pelago, quale est inter Scyllam, & Charybdim.

17. *Veraque.*) hoc est non fabulosa, a qua omnino devoraretur. Nam fabulæ tradunt Charybdim mulierem fuisse voracissimam, quæ quum boves Herculi furata fuisset, ab eo in mare fuerit projecta, ubi nunc etiam veteres exercet rapinas, unde nomen mari datum est. Poeta ergo quum sciat illud fabulosum esse, quod de Charybdi narratur, ait Ulyssem dignum esse vera non ficta, Charybdi, a qua absumatur, & devoretur

 quando

quando tam mendax sit. Constat autem Charybdim & Scyllam scopulos esse inter Siciliam & Italiam, ubi mare periculosum est nautis, quod contrarius fluctuum cursus, collisionem facit, & rapta quæque absorbet, & rejicit. Virgil.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis Obsidet. —

Scopulos & saxa fuisse docet Idem III. *Aen.*

Et pater Anchises, nimirum hæc illa Charybdis,
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.

Mela: *Scylla saxum est, Charybdis mare, utrúmque noxium appulsis.*

18. *Fingentem.*) Hinc ostendit mendacem esse Ulyssem, & quæ de Læstrygonibus narrant, & Cyclopibus, esse ficta, quod homines scilicet comederent.

18. *Læstrygonas.*) Formiæ in agro Campano juxta Cajetam sedes fuisse Læstrygonum, auctor est Plinius.

18. *Cyclopes.*) Cyclopes sedes suas habuere in Sicilia.

19. *Nam citius Scyllam.*) Tam illud a veritate resilit, quod Læstrygones, & Cyclopes comedant homines, ut citius credam illud esse verum, quod de Scylla nobis narrat, & de Symplegadibus, & ventis utre inclusis. Sicque ostendit, tam hæc, quam illa fabulosa esse, atque hæc omnia præstat, ut fabulosa, ut ostendat, quæ ipse dicturus est, esse verissima.

19. *Scyllam.*) Fingunt Scyllam nympham filiam Phorci & Cretheidos dilectam fuisse a Glauco, quem Circe deperibat, & quum is in Scyllam promtior esset, irata Circe, fontem, in quo nympha lavari solebat, venenis infecit; in quem, quum illa descendisset, pubetenus in varias mutata est formas, quæ horrens deformitatem suam, in mare se præcipitavit: Canes vero & lupi ob hoc ex ea nati finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis, & saxorum asperitas illic imitatur latratus canum. Virgilius:

— *Cæruleis canibus resonantia saxa.*

19. *Concurrentia saxa.*) id est quod Symplegades inter se concurrant, & collidantur. Finxerunt enim insulas duas esse in Bosporo Thracico instabiles, quæ non sine periculo transeuntium concurrerent. Cujus rei hæc est ratio, quod hæ parvo discretæ intervallo, ex adverso intrantibus geminæ cernebantur, paulliumque deflexa acie coeuntium speciem præbebant. Dictæ autem Græce *Symplegades*, quod Latine concurrentes signat. dictæ etiam *Cyaneæ*, id est cæruleæ, κύανον enim cæruleum significat.

20. *Utres.*) Scribit Homerus Æolum regem ventorum Ulyssi tradidisse utrem, in quo inclusi erant omnes venti adversi, liberum autem reliquisse Zephyrum, qui naviganti secundus erat, sociosque suos ratos inesse thesaurum, dormiente Ulysse solvisse utrem, & orta tempestate relatum ad Æolum, quo tempore, ut narrat Alcinoo, apud Homerum, cogitavit de nece sibi consciscenda.

22. *Helpenora.*) Narrat Ulysses apud Homerum, Helpenora una & quosdam alios socios a Circe conversos fuisse in sues, sumtis quibusdam poculis, ita tamen, ut mentem retinuerint humanam, & humi comedentes casus suos deflentes jacuerint. Sed omnes tamen restituti fuerunt in pristinam formam a Circe percussu tenuis virgæ, imperante Ulysse. Ceterum Helpenor, postquam impetratus fuit, dum properanter sequitur Ulyssem, e scalis longis decidens, collum sibi fregit. quod ipse apud inferos percunctanti Ulysses refert, rogatque, ne se insepultum relinquat. [*Gr.*] Et licet Homerus tradat socios Ulyssis mutatos in sues, Papinius tamen *in Sylvis* dissentiens ait in lupos conversos fuisse:

— *Cedant vitreæ juga perfida Circes*
Dulichiis ululata lupis. —

23. *Tam vacui capitis.*) Existimavit Phæacas esse tam modici cerebri, quibus facile omnia persuaderet. Estque dictum cum summa indignatione, ut sint verba ipsius Corcyræi indignantis se tam apertis figmentis deludi. potest hoc etiam tribui Poetæ damnanti tam aperta mendacia.

27. *Phæaca.*) Corcyrensem. Nam insula appellata est *Corcyra* e virgine *Corcyra* rapta a Neptuno. ex iis natus est *Phæax*, a quo *Phæaces* sunt denominati: ex *Phæaco* Alcinous, qui Ulyssem in Ithacam duxit.

25. *Temetum duxerat.*) Parum biberat. emendandus est versus, ut legas *Temetum* duxerat, non autem *deduxerat*, quum prima & secunda syllaba producatur in *temeto*, quod docet & Donatus in *And.* Terentii:

Sane pol temulenta est mulier.

Et Plaut. *in Aulul.*

Qui quia temeti nihil allatum intelligo.

versus est enim senarius. Et Horat. *in Epistol.*

Pullos, ova, cadum temeti, nempe modo isto.

ubi Porphyrio docet, primam syllabam longam esse. *Temetum* veteres, auctore Plinio, appellavere vinum, ideo, quia *tentat mentem*, unde & *temulentia* nominata. Non. Marcellus.

26. *Sub nullo teste.*) Verba sunt Poetæ. Poterat narrare Ulysses, quæ vellet, quia nullum adhibebat testem, qui diceret se monstrum vidisse, utpote qui solus amissis sociis naufragium evaserat. sicque cum sequentibus conjungit, ut sit sensus: Quæ ab Ulysse dicta fuerunt, testibus carent, sed quæ nos narraturi sumus, vera sunt & gesta consule Vinco, ut quæ sciri possint, falsane sint an vera.

27. *Consule Vinco.*) Ut vera videretur historia, posuit nomen consulis *Vinci*. De Vinco Tranquillus *in Neron.*

Neron. *Duabus conjurationibus promulgatis, quarum prior majorque Pisoniana Romæ, posterior Vinciana Beneventi conflata, atque directa est.* Et ita dicimus *Vinciana* a *Vinco*, quemadmodum Brutiana a Bruto, & Luculliana a Lucullo. de hoc absurdum non est intelligi, ait enim *Nuper gesta.* nam *nuper* de longo tempore dicitur, ut id etiam temporibus Neronis accidere potuerit, quod modo narrat factum in Ægypto. legendum igitur est *Vinco*, non *Junco*, quod in aliis codicibus legitur. [*Errat.* vide *Gr.*]

28. *Super mœnia.*) Ultra Urbem Copton. nam erant in extrema parte Ægypti.

28. *Copti.*) Coptus communis est civitas Arabum & Ægyptiorum, quo omne tributum Indicum, Arabicum, & Æthiopicum, quod Arabico sinu advehebatur, deferebant, velut in commune emporium. auctor est Strabo,

28. *Calida.*) Propter situm regionis calidum.

29. *Scelus vulgi.*) Quod a vulgo & plebe Ægyptia commissum est.

29. *Et graviora*) referemus.

29. *Cunctis cothurnis.*) Quam sint ea, quæ in tragœdiis tractantur, in quibus non constat ab ullo populo hominem fuisse comesum, quemadmodum factum est ab hoc, de quo narraturus sum.

29. *Cothurnis.*) Calceamenta sunt tragœdorum.

30. *Nam scelus a Pyrrha.*) Post humanum genus reparatum a Deucalione, & Pyrrha, nullum apud tragicos invenies populum, qui scelus hoc commiserit, ut hominem scilicet comederit, quemadmodum fecit populus Ægyptius: Nam in tragœdiis unum tantum leges aut paucos hoc scelus commisisse, ut scilicet hominem occiderint, apposuerintque in cœnis.

30. *Omnia syrmata.*) Omnes tragœdias legas & percurras. sic enim codices *volvi* dicuntur, quum assidua lectione pertractantur. *Syrma* genus vestis est tragicæ.

32. *Produxerit.*) Protulerit, quasi imitandum, ut sit aperta sceleris vituperatio.

33. *Inter finitimos.*) Heic incipit narratio facinoris.

33. *Simultas.*) Odium occultum est.

35. *Vulnus.*) metaphoricos quod corporis est, ad animum transfert. id est, indignatio & ira, quæ nullo remedio potest exstingui.

35. *Ardet adhuc.*) Etiam tempore nostro odio flagrat, adhuc antiqua illa animorum dissensio remansit, nec adhuc exstincta est. *Combos* civitas Ægypti, in qua Crocodilus colitur, ut tradit Ælianus. timent enim mirum in modum *Combitæ* hanc feram, quam Tentyritæ maxime pervestigant & occidunt, colentes ipsi accipitrem, unde in eorum odium *Combitæ* accipitrem crucifigunt. Hinc ait Poeta utrique vulgo tanti furoris & odii caussam existere cultum diversorum Numinum.

35. *Tentyra.*) Civitas inferioris Ægypti, ut scribit Strab. Plinius vero ait insulam esse Nilo circumdatam, ex qua homines sint, qui Crocodilos non timeant, immo soli adversum ire audeant, & inscendentes equitum modo, in terram agant captivos. in Africa eandem vim adversus serpentes habent Psylli. lege & Strab. *lib.* XVII. Ovid. secundam syllabam produxit:

— *Saltus Tentyra petenti.*

39. *Occasio.*) Opportunitas. est enim *occasio*, auctore Cicerone I. *Rhet.* pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendæ, aut non faciendæ opportunitatem.

40. *Visa.*) Primores & Duces inimicorum putaverunt occasionem dimicandi rapiendam tempore festo alterius populi, quum ad templa paratis epulis convivantur.

43. *Pervigilique toro.*) Nam antiqui in lectis epulabantur. Virg.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Horat.

Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos.

43. *Pervigili.*) In quo pervigilant.

44. *Septimus Sol.*) septimus dies. Nam hilaritatem illam convivii septem diebus perpetuis celebrant.

44. *Horrida sane Ægyptus.*) Hæc pars Ægypti, in qua Combos est & Tentyra, nimirum est incultis moribus, & incomta. sed tamen non minus in lasciviam profusa, quam quæ est ad Canopum. nam Canopi Serapidis est templum, quo navigatur per fossam, quæ die ac nocte plena est naviculis mulierum & virorum impudenter canentium ac saltantium cum omni dissolutione. Ovid. I. *Trist.*

Non ut Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocose, tuas.

Statius *in Sylv.*

Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi.

46. *Barbara turba.*) Alii codices habent *Barbara ripa*, id est, immitis & aspera.

46. *Famoso.*) Infami, propter impudicas virorum & mulierum saltationes & cantus.

47. *Madidis.*) Ebriis. unde superius:

— *Madidis cantat quæ Sostratus alis.*

48. *Blæsis.*) Balbutientibus, & in sermone titubantibus. Hoc enim efficit temulentia, ut lingua oberret, & vacillet. quod multis de caussis accidere docet Aristoteles *in Problem.*

48. *Inde.*) Ab altera parte dissidentium. sequitur enim: *Hinc jejunum odium*, id est, ex altera parte. Aut quod magis placet, *Inde* hoc est ex ebrietate est saltatus,

tus, ut sit sensus: Saltant, quia ebrii sunt. unde est illud Ciceronis: *Nemo saltat sobrius, nisi idem insanus.*

49. *Qualiacunque.*) Innuit unguenta Ægyptiorum non esse ea bonitate, qua esse debent, quia rudes & agrestes sint Ægyptii.

51. *Hinc.*) Ex ista lætitia & saltatione: aut ex altera parte.

51. *Jejunum odium.*) Rabidum, atrox, & insatiabile, quasi quod nullo modo possit expleri. sumtum a jejunantibus, qui quodammodo sunt insatiabiles contracta nimia fame.

51. *Jurgia prima*) verborum contentiones. Sensus est: antequam mutuo se adoriantur, jurgiis se lacessunt, sicque exasperati pugnam ineunt, ut exponas, *prima* pro *primum*, ut sit nomen positum pro adverbio.

52. *Animis ardentibus.*) Animis ira æstuantibus.

52. *Hæc tuba.*) Hæc jurgia sunt tuba & tanquam excitamentum.

52. *Rixæ.*) Rixa tantum est in factis, altercatio in verbis.

57. *Alias facies*) a pristinis.

57. *Hiantia.*) Detecta, aperta.

59. *Ludere se credunt ipsi.*) Licet acerrime inter se sæviant, nisi tamen aliquem interimunt, putant rem jocularem agi.

61. *Et sane quod tot rixantium illis turbæ Sic vivant.*) quod nullus rixantium interficiatur, sed omnes sint sani.

64. *Tela domestica.*) Contorquet saxa, quæ domi solent esse in promtu agentibus seditionem.

64. *Turnus.*) nam *Turnus*, ut scribit Virgilius *Æn.* XII. in Aeneam singulari certamine secum pugnantem, ingens saxum jecit. [Gr.]

65. *Et Ajax.*) Nam & Ajax, auctore Homero, ingens saxum contorsit in Hectorem. [Gr.]

66. *Quo*) id est quali.

66. *Tydides.*) i. Diomedes filius Tydei & Argiæ Adrasti; qui, ut auctor est idem, in Aeneam misit saxum, quantum septem homines tollerent. eo, nisi Venus mater affuisset, interemtus fuisset.

67. *Sed quem.*) qualem.

68. *Dissimiles illis*) dextris Turni, Ajacis, & Diomedis.

68. *Nostro tempore.*) Quasi quo jam sunt omnia deteriora & imbecilliora.

69. *Nam genus.*) Non est mirum homines in dies fieri imbecilliores. Nam usque ab ætate Homeri genus humanum decrescebat. Hoc autem ait, quia, Homerus sæpe *in Iliade* conqueritur, corpora mortalium fieri minora. Cujus auctoritatem secutus Plin. *lib.* VII. ait: *Cuncto mortalium generi minorem staturam in dies fieri, rarosque esse parentibus proceriores.*

71. *Aspexit*) tam malos, & pusillos.

71. *Ridet.*) quod pusilli sint.

71. *Odit.*) quod mali.

72. *A diverticulo.*) A digressione, quam feci commemorando hæc de Turno, Ajace, & Diomede. i. digressionem omittamus, & fabulam cœptam repetamus, ut mutuum inter Ægyptios odium narremus. C. Formula est redeundi ad propositum, quam Cic. *reditum ad rem* vocat *lib.* III. *de Or.* S. Est autem *diverticulum*, ubi iter de via flectitur. Terent. *in Eunuch.*

Ubi ad ipsum veni diverticulum.

73. *Altera pars.*) Combitæ. Uni a Combitis prælium instauratum est, Tentyritæ insequuntur omnes conversos in fugam, in qua trepidatione quidam lapsus interficitur.

76. *Palmæ.*) Nam illic plurima palma provenit, unde Plin. loquens de palma ita scribit: *Quadam in Syria, & Ægypto in binos dividunt se truncos.*

84. *Heic gaudere libet.*) Scelus Poeta his verbis aggravat. Tam crudele, inquit, fuit hominem crudum comedere, ut mihi etiam lætari libeat, quod sceleri scelus non addiderunt, id est, quod ignem rem tam sacram coquendo mortuum non polluerunt.

85. *Prometheus*) filius fuit Japeti ex Asia nympha, quem miræ prudentiæ fuisse constat, unde & *Prometheus* dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας id est a providentia. cum antiquitas finxit, quum Jupiter mortalibus ignem eripuisset, indigne ferens se deceptum a *Prometheo* in portione carnis immolatæ, consuetudine divisæ, & sua caussa ereptum mortalibus ignem restituere cogitasse. Itaque ceteris remotis devenisse ad Jovis ignem, eoque subrepto, & in ferulam conjecto, currentem jactantemque ferulam, ne spiritus interclusus vaporis exstingueretur, ad homines detulisse. Quare Deorum indignatione Pandoram immissam terris pœnæ caussa. Nam per eam mulierem patefacto dolio erupisse omnium pestium genera, quibus homines laborarent.

86. *Elemento.*) Igni, quem *elementum* appellat, quod ex cælesti elemento raptus fuerit, seu igne illo cælesti.

86. *Et te.*) o Volusi.

87. *Qui sustinuit.*) Rationem reddit, quare tam libenter comederit. Nam ille, qui stetit ultimus, absumto jam toto corpore, gustat aliquid de sanguine ductis digitis per terram. hoc dico, ne quæras, & ne dubites in tanto scelere, an prima gula senserit voluptatem. sicque ostendit talem cibum suavem omnibus illic fuisse.

93. *Vascones.*) Vascones populi sunt ulterioris Hispaniæ, quæ in Gallicum & Britannicum vergit oceanum, qui olim a Sertorio obsessi, ceteris deficientibus alimentis, morsus in cadavera suorum injecerunt, ne scilicet fidem suam in *Populum* Romanum violarent, quo tempore Pompejus & Qu. Metellus adversus Serto-

-rium

rium bella gerebant. De his Appianus, Florus & Plutarchus.

93. *Fama est.*) Omnes codices, quos viderim, habent, *ut fama est*, sed τὸ *ut* tollendum est, versus enim aliter non staret.

24. *Sed res diversa.*) Nam Vascones id urgente necessitate fecerunt, quod omnino veniam meretur: at Ægyptii solo quodam detestabili odio, & feritate.

94. *Sed illic Fortunæ invidia est.*) Id totum, quod Vascones crudele fecerunt, fortunæ omnino est imputandum, quæ piis invidere consuevit, unde Statius:

Invida fata piis, & fors ingentibus ausis.

95 *Bellorumque ultima.*) id est extrema necessitas, qualis sæpe est in rebus bellicis.

95. *Casus extremi.*) Extrema & insuperabilis calamitas, quæ omnia factum excusant.

96. *Dira.*) Magna. Virg.

— An sua cuique Deus fit dira cupido?

96. *Longæ obsidionis.*) qua oppressi sunt a Sertorio.

97. *Hujus enim.*) Rationem affert, Vascones omnino excusandos esse. exemplum hujus cibi, quod nunc agitur, i. de quo loquimur, dignum est miseratione, quando impellente necessitate aliter non potuit fieri, i. si accideret, ut aliqui urgente necessitate comedant carnes humanas, ut fecerunt Vascones, digni omnino sunt venia & miseratione.

97. *Miserabilis.*) Dignum, cujus misereamur.

98. *Sicut modo.*) quemadmodum. Vascones lacerabant, quicquid cogebat furor vacui ventris, post omnes herbas, & post cuncta animalia, i. post absumtionem herbarum & animalium lacerabant membra aliena, i. carnes humanas, fame, i. impulsu famis, hostibus ipsis miserantibus pallorem.

102. *Esse parati et sua.*) Parati etiam in carnes suas morsus injicere. *Esse* enim est ab *edo*, non a *sum*.

103. *Quisnam hominum.*) Nemo est nec hominum, nec Deorum, qui in hujusmodi delicto Vasconibus non ignoscat, quibus etiam manes cadaverum absumtorum possent ignoscere.

104. *Immania passis.*) Prudenter excusat tale factum, quando omnia extrema passi sunt.

104. *Viribus.*) Viris tam fortibus.

105. *Manes.*) Antiqui animas, quæ e corporibus discessissent, *Manes* vocavere, de quibus alibi. Sed, ait, melius nos Zenonis præcepta philosophi Stoici docent, pro tuenda vita non omnia esse agenda, sed ea duntaxat, quæ ab honesto non resiliant, ut ostendat id a Vasconibus non fuisse faciendum vel in extrema fortuna. Ait ergo Poeta præcepta Zenonis Stoici, nam Stoicæ sectæ fuit princeps, monere, humano generi non id faciendum pro conservatione vitæ, quod fecerunt Vascones, quum omnino pugnet cum honesto.

107. *Omnia.*) Non putat omnia facienda pro vita, sed quædam tantum, hoc est quæ inhonesti nihil habeant.

108. *Pro vita.*) Pro conservatione vitæ.

109. *Sed Cantaber Stoicus.*) Cantabri, populi sunt Hispaniæ, in quorum regionibus sunt Vascones. Præcepta Stoica optima sunt, sed unde Stoicus Vasco fuit, id est, unde Vascones haberent præcepta philosophiæ? quasi diceret talia præcepta, ut barbari ignoraverunt, & propterea comederunt carnes humanas.

109. *Antiqui Metelli.*) Nam quo tempore Vascones, a Sertorio obsidebantur, Quint. Metellus, auctore Appiano, bella adversus Sertorium gerebat. *Antiqui* ergo, ad differentiam recentiorum. multi enim ab eo fuere Metelli. est enim hic ille Q. Metellus, qui adversus Jugurtham bellum gessit, de quo multa Sallustius.

140. *Nunc totus Grajas.*) Nostra ætate omnes scimus disciplinas philosophicas & Græcas, & Latinas, ita ut nulla exstet excusatio, si hominem comedamus.

100. *Athenas.*) Disciplinas philosophicas Atticas, & *nostras*, id est, Latinas & Romanas. Athenis autem omnium disciplinarum floruere studia, unde Cicero *pro L. Flacc. Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omnes terras distributæ putantur.*

111. *Gallia causidicos.*) In Gallia præclari fuere rhetores, Statius Tholosanus, de quo Eusebius *de Tempor.* præterea Lugduni, *Lugdunensem ad aram* exercebatur ars oratoria, edito certamine a Caligula Græcæ Latinæque facundiæ non sine magno amittentium dedecore. Studia, inquit, liberalium artium ad gentes Barbaras & remotissimas pervenere: nam filii Britannorum sub Gallica disciplina rhetoricen discunt.

112. *Thule.*) Virgil.

— Tibi serviat ultima Thule.

est enim insula in ultima parte Septentrionis. Strab. *lib.* II. *De Thule item obscura est historia propter ejus in ultima loca remotionem.* Plinius ex adverso Hiberniæ & Britanniæ in mari Germanico locat ultimam omnium, quæ memorantur. In qua solstitio nullas esse noctes indicat, cancri signum Sole transeunte, nullosque contra per brumam dies. C. *Thyle* sive *Thule* insula supra Scotiam, supraque Orcadas ad Septentrionem est, ea nunc Islandia dicitur, pertinetque ad Daniæ regnum. S.

113. *Nobilis ille populus.*) Populus ille nobilis Vasconum, & urbs Saguntus, licet impii videri possint; alter, quod comederit carnes humanas, altera, quod se suaque omnia igni & ferro absumere, quam hosti tradere maluerit habent tamen, unde illud excusent, scilicet extremam necessitatem: sed Ægyptii nullam ho-

honestam habent excusationem, quum per summam crudelitatem ultro id faciant. Saguntus autem civitas est Hispaniæ, quæ quasi media inter Romanorum & Carthaginiensium fines jure fœderis in libertate relicta, postea Romanis addicta, initaque societate, Romanum imperium adversus Annibalem concitavit, a quo obsessa octavo demum mense capta est.

114. *Major clade.*) Aequiparat Saguntinos Vasconibus fide & virtute. sed ait clade majores fuisse Saguntinos, quippe qui & se, & omnia sua penitus igni absumserint, quod non fecerunt Vascones. major ergo clades fuit Saguntinorum.

115. *Ara Mæotide.*) Mæotis palus est Scythiæ, quam efficit Tanais amnis, qui Europam ab Asia disterminat. Illic in Cherroneso Taurica, quæ ostio Mæotidis adhæret, templum fuit Dianæ, ad cujus aram vivi homines immolabantur, de qua intellexit Valer. Flacc. *lib.* II.

Taurorumque locos delubraque sæva Dianæ
Advenit, heic illum tristi Dea præficit ara.
Ense dato. —

de hac multa etiam Ovidius *in Pont.* commemorat. Qui Cherronesum ipsam incolunt, *Taurescythæ* sunt appellati a monte Tauro, qui illic est, licet & in Sicilia alius sit ejusdem nominis. *Ara* autem *Mæotide* dixit pro *Mæotica*, necessitate metri.

116. *Quippe illa Taurica.*) Potes jam credere & ea, quæ a Poetis referuntur hujusmodi, vera esse, quando & apud Ægyptios tam sæva agantur.

118. *Ulterius nil timet.*) Ac si dicat, non timet, ut comedatur.

119. *Quis modo casus.*) Acclamatio in detestationem tantæ crudelitatis, quum nulla impellente caussa tantum scelus perpetrent.

121. *Monstrum.*) Facinus tam crudele, atque immane, ut homines comedant.

122. *Anne Invidiam facerent.*) Si Nilus iratus Ægyptum inundare nollet; nunquid Ægyptii ad ejus indignationem possent aliquid crudelius facere? ac si dicat, possentne eum graviore contumelia irritare? hoc autem iccirco dicit, quod solebant accolæ fluminis aliqua immani crudelitate incrementa, & inundationem irritare, sumto exemplo a Busiride, qui primus immolato homine id instituit a Thrasilo edoctus, quem primum suo invento immolavit. Ovid. *de Art. Am.*

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem.
Quum Thrasilus Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris: fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

Idem *in Ibin:*

Ut qui post annos sacri monstrator iniqui,
Elicuit pluvias victima cæsus aquas.

122. *Memphitide terra.*) Memphis civitas Ægypti, quam sæpe Poetæ pro Ægypto ponunt. eam condidit Ogdous, qui Uchoreus cognominatus est, ambitus stadiorum centum & quinquaginta, Urbem omnium Ægypti præclarissimam, opportuniore totius ejus oræ loco, ubi Nilus in plures scissus partes efficit formam Deltæ. Ægyptiorum autem regia est, ubi templum est *Apidis*, qui apud eos pro Deo habetur.

123. *Nolenti surgere Nilo.*) Nolenti crescere & inundare Ægyptum, quæ quotannis crescente fluvio solet inundari. Nam Nilus solus inter reliqua flumina adeo, ut scribit Diodorus, æstate crescit, quum decrescant cetera, ut totam inundet Ægyptum: hyeme minuitur, quum reliqua augeantur.

124. *Quæ nec terribiles.*) Per comparationem Ægyptios crudelitate omnibus præfert barbaris & immanibus. vulgus imbelle & inutile Ægyptiorum sævit tali rabie, quali terribiles Cymbri non sævierunt. ii enim sunt Germaniæ populi proximi Oceano, qui animo & audacia præstantissimi, & manuum virtute ac celeritate & impetu egregii in bello fulguri similes videbantur. Itaque ipsorum impetum nemo sustinere poterat. Nam multos magnosque exercitus Romanos penitus deleverunt. Unde nunc a Poeta *terribiles* nominantur. Eos demum, quum Italiam tenuissent, Marius profligavit.

124. *Britones.*) Populi sunt Germaniæ denominati a Britone filio terræ.

125. *Sauromatæ.*) Populi Scythiæ circa Mæotim paludem.

125. *Agathyrsi.*) Populi sunt Scythiæ Gelonis conterminii, dicti ab *Agathyrso* filio Herculis, ora artusque pingunt, ut quique majoribus præstant, ita magis vel minus, ut Mela scribit. unde Poeta appellavit, *pictos Agathyrsos.*

126. *Hac rabie.*) tali, qualem ostendimus supra.

127. *Solitum dare vela.*) Hinc maxime emergit indignatio, quod quum in reliquo vitæ genere sint mollissimi & effœminati, carnibus humanis vescantur, quod populi barbari & feri non faciunt. Tradit enim Strabo, ad Canopica quædam solennia ingentem turbam per fossam ex Alexandria descendere, quæ die ac nocte naviculis plena est virorum ac mulierum impudenter canentium ac saltantium cum omni dissolutione. ubi ait tanta facilitate navigari, ut scaphis etiam testaceis utantur, id est, fictilibus.

129. *Nec pœnam.*) Licet hoc ad Ægyptios pertineat, potest tamen & generale in omnes dictum videri: ut sit sensus: illis populis quorum mens ita pariter, atque prava

prava voluntate ad scelus movetur, paria supplicia & digna non inveniuntur, ut ostendat, eos omnino dignissimos esse omni cruciatu. Ille enim, qui impulsu iræ aliquid crudele facit, levius peccasse videtur, quam qui & impulsu iræ & consensu animi accedente turpitudinem committit. primi enim illi mentis impetus in potestate nostra non sunt, ex quo digni videmur venia. Sed quum iram sequitur deliberata voluntas, tunc demum scelerati censemur, & omni supplicio dignissimi.

129. *Pœnam sceleri invenies*) dignam & convenientem.

131. *Ira atque fames.*) Qui per iram, & animi consensum, id est, *famem* quandam, & sævam cupiditatem animum suum ad perficiendum scelus applicant, ut per *famem*, rabidam quandam sæviendi cupiditatem intelligas, simulque respicit ad id, quod quidam per *famem* comederunt carnes humanas.

131. *Mollissima corda.*) Hypophora est, quasi aliquis dixerit, non esse mirum, si tam crudelia committantur, quando ita Natura hominem ad crudelitatem formaverit. Et ipse respondeat: Naturam fateri non crudelitatem, sed pietatem homini ingenerasse, quando lacrimas dedit, quibus indicat incommodis se dolere alienis.

133. *Hæc nostri pars optima sensus.*) Alii sunt, qui *pars optima* legunt, alii *pars ultima*. Ego autem legendum esse puto:

—*Hæc nostri est pars intima sensus.*

id est, ipsæ lacrimæ sunt, quæ interiorem partem nostri sensus patefaciunt. nam per lacrimas interiorem pietatem ostendimus. Ergo, inquit, Natura nobis dedit pietatem, quæ per lacrimas cognoscitur. jubet enim nos aliena incommoda plorare.

134. *Caussam lugentis.*) lego *casum*. Ut illud Virgilii:

Et casum insontis mecum indignabar amici. C.S.C.

135. *Squalorem rei.*) incommoda & adversa rei squallentis & mœsti. Est enim *squallor* alta illa congeries sordium; quæ in corporibus humanis, incultis squamosisque apparet, deductumque videtur vocabulum a *squamis*, quas situs ille inquinamentorum in corpore imitatur. lege Macrobium & Gellium.

135. *Pupillum.*) Ploramus etiam pupillum, qui in jus deceptorem, & bonorum suorum raptorem vocat.

136. *Circumscriptorem.*) Deceptorem: supra:

Quot Pasilum socios, quot circumscripserit Hirrus.

135. *Fletus.*) Alii legunt *fletu*. C.S.C.

137. *Capilli puellares.*) crines longi, quales sunt puellis.

137. *Ora incerta.*) Ut non facile discernas, mas an femina sit.

137. *Naturæ imperio.*) quæ nobis pietatem indidit.

138. *Virginis adultæ.*) Tunc enim maxima miseratione movemur, quum jam adulta ætate virgo moritur.

140. *Et minor igne rogi*) Hoc dicit ex more Veterum, qui, ut ait Plin. *lib.* VII. infantem nisi prius genito dente, non cremabant. Infantem autem dentire tradit Plin. septimo mense postquam natus est. *Minor ergo igne*, id est, quam ut conveniat cremari. terra enim infantes condebantur, quod Poeta his verbis innuit:

— *Vel terra clauditur infans.*

140. *Quis enim bonus.*) Qui est bonus & a natura bene informatus, qui aliena mala communia esse non putet? Terent.

Homo sum, nihil humani a me alienum puto.

est enim hominis bene instituti, ut docet Cic. *in Cat. Maj.* & lætari bonis rebus, & dolere contrariis.

140. *Et face dignus arcana.*) Periphrasis est hominis pii, qualem oportebat sacris Cereris interesse & ministrare, a quibus sacris impii etiam voce præconis submovebantur. Sueton. *in Neron. Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submoventur, interesse non ausus est.* Marcus Antonius, ut refert Julius Capitolinus, ut se innocentem probaret, Cereris templum adiit, sacrariumque solus ingressus est.

140. *Face arcana.*) hoc est mystica & secreta. nam prisci appellavere sacra ea *arcana*, quæ *mystica* Græci, hoc est secreta, quasi quæ ob sanctitatem aliquam debeant esse separata a nobis: qualia fuere sacra Cereris, quæ accensis facibus nocte celebrabantur a matronis in memoriam Cereris, quæ Proserpinam filiam ardentibus faculis quæsivit. Claudianus:

—*Templumque remugit*

Cecropidum, sanctasque faces extollit Eleusis.

Ovid. *in Fastis*:

Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.

quod autem nocte celebrarentur, docet Justin. *lib.* II. *Megarenses Matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris nocte oppressuri naves conscendunt.* Ea summo agebantur silentio, unde *Apul.* VI. *Metam. Et cetera, quæ silentio tegit Eleusis Atticæ sacrarium.*

142. *Separat hæc nos.*) Natura, quæ nobis tantam humanitatem dedit, ut alienis incommodis doleamus, separat nos a brutis, id est, ea est, quæ nos dissimiles esse facit a brutis, quum nobis rationem, & intelligentiam tradidit, quibus malum & bonum cognoscimus. Bruta autem nullam habentia nec rerum, nec temporum discretionem, sensu tantum moventur, & ad id solum, quod adest, quodque præsens est, accommodantur, paullum admodum sentientes præteritum, aut futurum. quæ omnia illuc tendunt, Ægyptios a brutis non differre, qui rationis terminos obliti in tantam rabi-em

biem ſerûntur, ut ea faciant, quæ ab omni humanitate ſint penitus averſa.

143. *Atque ideo.*) ob eam rem ſcilicet, ut a beſtiis differremus.

144. *Sortiti ingenium.*) Quo ſcilicet omnino bruta carent. eſt enim *ingenium* vis quædam animæ, qua ſe anima explicat, atque exercet ad omnium rerum intelligentiam, ut per *ingenium* intelligas ipſum intellectum & rationem, quæ principales ſunt animi partes.

144. *Capaces divinorum.*) Hoc vult ſignificare, intellectum & rationem, quæ principales ſunt partes animi, quaſi communes cum ipſis Diis nos habere, ac per hoc dixit, nos eſſe capaces divinorum. Nam recte intelligentia eſt ipſorum Deorum, quibus nos pares eſſe vult communione rationis & intellectus, quo ſenſu animalia bruta carent. unde eſt illud Cicer. *in Caton. Major. Eſt enim animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium.* Pythagoras etiam affirmavit nos ex univerſa mente divina delibatos habere animos, eoſque immortales credidit Cicero, quum tanta ſit celeritas eorum, tanta memoria præteritorum futurorumque providentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inventa, unde ait Poeta:

> *Atque exercendis, capiendiſque artibus apti.*

quod homini non accidit, niſi beneficio animi, qui, ut divinus & cœleſtis, nos ad omnes artes facit aptos.

147. *Cujus egent prona.*) Imitatio eſt Ovidiana ex 1. *Metam.*

> *Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram,*
> *Os homini ſublime dedit, cœlumque videre*
> *Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.* C. S.C.

148. *Illis*) brutis.

149. *Animas.*) Quibus tantum vivunt, nam *animam* dicimus eſſe, qua vivimus; *animum* vero, quo ſapimus, quo *animo* ipſa bruta carent, quum nihil cognoſcant neque diſcernant.

149. *Nobis animum.*) Hoc dicit: animas tantum brutis eſſe datas; nobis etiam *animos*.

149. *Mutuus affectus.*) Mutua caritas. *mutuum affectum* dicimus, quum par voluntas accipitur & redditur. C. ut Cicero dixit *in Lælio. S.*

150. *Juberet.*) vellet nos ab aliis auxilium petere, & aliis nos ſubvenire. ob id enim civitates conditæ ſunt, ut mutuis homines officiis ſanctam tuerentur ſocietatem.

151. *Diſperſos trahere in populum.*) Nam homines ab initio in agris paſſim more beſtiarum vagabantur, victumque ſibi pomis ſilveſtribus quærebant. verum Natura monſtrante intellexerunt ſibi conducibile eſſe, ſi in unum congregarentur locum, itaque cœperunt oppida ædificare, quo ſe relictis ſylvis, receperunt. Horat.

> *Oppida cœperunt munire, & ponere leges:*
> *Ne quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.*

155. *Collata.*) Conjuncta.

155. *Protegere armis.*) In bellis civem ab hoſtibus conſervare, quum aut lapſus, aut vulneratus fuiſſet.

157. *Communa tuba.*) Communi claſſico, quum in expeditionem eundum eſt.

159. *Sed jam ſerpentum.*) Majore concordia omnia *in* ſuo genere animalia ferme vivunt, quam homines. [*Gr.*]

164. *Sævis urſis inter ſe convenit.*) inter urſos concordia eſt. Ter. *Hecyr.*

> *Neque conventurum inter nos poſthac eſſe arbitror.*

163. *Indica tigris.*) Tigrin non ſolum Indi, ſed & Hyrcani ferunt, animal velocitatis tremendæ. Martialis:

> *Tigris ab Hyrcano gloria rara jugo.*

165. *Aſt homini.*) Per comparationem priſcæ ætatis, ſcelera ſui temporis amplificat. Eſt enim ſenſus: Tanta inter ſe homines hoc tempore impietate ruunt ad crudelitatem exercendam, ut parum habeant gladios ſibi fabricaſſe, quos antea fabri aſſueti tantum inſtrumentis ruſticis excudere neſciverunt, ut aſpiciamus etiam populos, qui non contenti hominum cæde, in eorum etiam corpora morſus injiciant. ac ſi diceret, ſatis impium videri poterat, gladiis rem agi, niſi etiam homines cæſi comederentur.

166. *Produxiſſe.*) Cudendo extendiſſe.

166. *Sarcula & Marræ.*) Inſtrumenta ſunt ruſtica ad effodiendam terram, & purgandas fruges.

169. *Populos.*) Ægytios.

171. *Genus eſſe cibi.*) Tanta eſt impietas, & rabies.

171. *Quid diceret.*) Per amplificationem deteſtatur rem tam nefandam. Si Pythagoras talia fieri videret, quid non diceret? aut quo ſibi fugiendum non putaret in tanta rei atrocitate? *Pythagoram* autem nominat, quod is, quum ſentiret animas hominum poſt mortem in brutorum vel hominum corpora tranſire, carnibus abſtinuit, ne ſcilicet edendo in animas humanas ſæviret. fabis etiam abſtinuit, unde ſequitur:

> — *Et ventri indulſit non omne legumen.*

Tradit Gellius ex auctoritate Cicer. *de Divinat.* Pythagoræis fabam interdictam, quod inflationem afferat magnam, eamque cibum tranquillitatem mentis quærentibus, eſſe contrarium. quare Pythagoras ſpiritualem eſſe aſſeverans, velut a cognata abſtinuit, unde eſt illud apud Horat. *in Satyr.*

> *O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulque*
> *Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo.*

Sed Ariſtoxenus, auctore Gellio, ſcribit nullo Pythagoram legumine ſæpius eſſe uſum, quam *faba*; quod ſen-

ſim

fim alvum subduceret, porculis quoque minusculis & hœdis tenerioribus solitum vesci scribit. Cicero tamen & Laertius testantur, iis eum abstinuisse. Tradit Plinius *fabam* existimatam esse hebetare sensus, insomnia quoque facere, ob hoc Pythagorica sententia damnatam.

172. *Hæc monstra.*) Rem tam nefandam, ut carnibus humanis vescantur.

173. *Cunctis animalibus.*) Nam eorum Poeta sequitur opinionem, qui dixerunt Pythagoram cunctis animalibus abstinuisse.

IN SATYRAM XVI.

QUis numerare queat.) Hac Satyra, quam nonnulli suspicantur non esse Juvenalis, referuntur commoda, quæ multa honorificaque, cum leges, tum Imperatores, ut legitur apud Jurisconsultos, militantibus ampliter indulserunt. illud autem non placet, quod aliqui tradiderunt, eum scripsisse hanc Satyram in Ægypto, cum a Paride pantomimo illuc fuisset missus in exsilium, quum constet Paridem gratia & auctoritate duntaxat valuisse apud Domitianum. Et Juvenalem opus suum sub Trajano scripsisse. Est ergo sensus: Tanta esse militiæ præmia & commoda, quanta numerari non facile queant. C. Mihi vero in hac Satyra Juvenalis totus *iron* esse videtur, totaque Satyra ipsa perpetua *ironia* constare, id quod Satyrographis valde proprium est, & familiare. Non quod militiam prorsus vituperet, si patriæ propugnationem æquitatisque suscipiat, sed quod nimiam militum licentiam, & insolentiam, quam videntur privilegiis militaribus nimis multis sibi sumsisse, reprehendendam existimet. Quod cum aperte facere non auderet, ne in calceos & clavos militares incurreret, per speciem laudationis taxavit, id quod cum alia multa, tum primum illud commodum declarat, cum ait:

—— Nec te pulsare togatus
Audeat, imo etsi pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes.

hoc enim quis laudandum esse dixerit? S.

1. *Felicis.*) aut quæ a bellis civilibus longe absit: nam militia illa nullo modo potest esse felix, quæ belli civilis sanguine respersa fuerit.

2. *Nam etsi subeuntur.*) Si detur, ut eamus in castra prospera, i. quæ a sanguine civili sint penitus remota, illud optaverim, ut mihi prima militiæ stipendia auspicanti benignitas siderum affulgeat. hoc autem dicit ex disciplina Ægyptia, in qua plurimum Petosiris, & Necepsos laboravere. Nam persuasum est, ex astrorum motu non modo futura cognosci, sed felicitatem infelicitatemque portendi, unde est illud Juven.

—— Distat enim, quæ
Sidera te excipiant, modo primos incipientem
Edere vagitus. ——

sicque docet Poeta, omnem in rebus humanis felicitatem ab astris ipsis & fatis pendere, nec iis adversantibus quicquam prosperum esse posse, unde sequitur:

— Plus etenim fati valet hora benigni.

3. *Poeta:*) Nam in castris duæ erant portæ, quarum altera prætoria dicitur, quæ ad orientem spectare debet, aut illum locum, qui ad hostes respiciet. Altera vero Decumana appellatur, quæ post prætorium est, per quam delinquentes milites educantur ad pœnam. Veget. *de Re Milit.*

3. *Secundo sidere.*) Benigno Deorum nutu.

4. *Plus etenim.*) Reddit rationem, quare siderum benignitas sit optanda ingredienti militiam: quia momentum ipsum sideris benigni plus valet ad felicitatem præstandam, quam si Venus per epistolam commendet nos ipsi Marti, qui Deus est ipsius militiæ, & qui in gratiam Veneris multa faceret. Nam ei cum Venere consuetudo stupri fuit.

6. *Genitrix, quæ delectatur.*) Periphrasis est Junonis, quæ colitur in Samo. mater enim fuit Martis, quem, ut scribit Ovid. v. *Fast.* concepit contactis genitalibus Floræ, quæ Zephyrus ostenderat Chloridi uxori, quam Latini Floram vocitant, vim generandi habere.

6. *Samia arena.*) Samo arenosa, & parum fœcuncunda. Apul. *Rutatio omnis est in sarculo & surculo, quorum proventu magis fructuosa est insula* (Samos) *quam frugifera.* insula enim est Icarii maris, antea *Parthenia* nominata, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit. illic enim est templum nobilissimum, atque vetustissimum, & simulacrum habitu nubentis figuratum, & sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur. Eandem Dea valde dilexit, unde est illud Virgil.

Posthabita coluisse Samo. —

7. *Commoda communia.*) quæ omnibus sunt communiter militibus.

8. *Togatus.*) Militiæ non ascriptus: nam toga semper armis opponitur. unde Cic.

Cedant arma togæ. ——

fuit enim *toga* Romanorum, qua omnis sexus & conditio utebatur, unde Virgilius appellavit

Romanos rerum dominos gentemque togatam.

11. *Offam nigram.*) Tumorem nigrum ex percussione. Nam *offa* appellatur omnis res in tumorem crescens, unde frusta carnis dicimus *offas*. Varro de *Re Rust. L. Volumnio senatori missa est offula cum duabus costis.* Plin. item res contusas, & in unum convolutas appellat *offas. lib.* XIII. *Pomum purgatum tundunt, servantque ejus offas.* Et alibi: *Amygdalinum oleum, quod aliqui vocant neopum, arefactis, & in offam contusis, exprimitur.*

11. *Livoribus.*) *Livor* proprie appellatur nigrum illud, quod apparet in corpore flagellato: metaphoricos autem pro invidia sumitur.

13. *Bardiacus datur.*) Ut attendas militantium commoda, si volueris accusare militem, a quo fueris verberatus, miles de milite erit judex: quasi dicat, militi favebit, & tibi adversabitur. ut per bardocucullum, caligas, & grandes suras de?c?bat ipsum centurionem, qui gestare solet in castris cucullum bardiacum, & calceum clavatum, & qui magnus procerusque est. Nam ex Gallia mittebatur vestis, quæ *Bardocucullus* sive *cucullus Bardiacus* appellatur. Eratque vestis vilis, & apta militibus: in qua etiam cubarent in castris, quasi quæ & simiis ob brevitatem & crassitudinem conveniret. unde Martialis *in Distich.*

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum penula nuper erat.

Et *lib.* I,

Urbica Lingonicus tyrianthina Bardocucullus.

Alibi Noster:

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Jul. Capitolin. in *P. Helvio Pertinac. Auctio sane rerum Commodi, in his insignior fuit vestis sub tegmine serico aureis filis, insignior per tunicas, penulasque lacernas, & chiroditas Dalmatarum, & cuculli Bardiaci.* Ergo per *Bardiacum* intelliges cucullum crassioris lanæ, quo maxime Galli utuntur. Nam *Bardi* natio est Gallorum, quæ maxime, ut docet Strabo *lib.* III. laudationibus, rebusque Poeticis studet. De quibus Luc.

Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Absolute quandoque ponitur *bardiacus*, ut hoc loco. sicut etiam apud Mart. *lib.* IV.

Lassi Bardiacos quod evocati.

13. *Volenti punire.*) Togato volenti & cupienti militem castigari per judicem.

14. *Calceus.*) Calceum militarem intelligit, quem alio nomine *caligam* dixere. hic multis clavis suffigebantur. Joseph. *de Bell. Jud. lib.* VII. de cæde Juliani centurionis: *Calceos namque habens creberrimis atque acutis (ut ceteri solent milites) clavis fixos, dum strato saxeis crustis solo occurreret, labitur.*

14. *Grandes suræ.*) magnæ staturæ centurio. nam Centuriones eligebantur, qui & proceri, & magnis viribus essent, unde supra XII. *Sat.*

——— *Magna mox undique planta*
Calcor. ———

hoc est plantis magnorum militum.

14. *Ad magna subsellia.*) Bene dixit *subsellia*, nam *tribunalia* majorum sunt magistratuum, ut consulis & oratoris; *subsellia* vero minorum, ut ædilium, quæstorum, judicum.

15. *Legibus antiquis*) servatis. ut sit sensus, non est mirum si miles militi datur judex, quia volunt leges castrorum antiquas servari, quæ non permittebant militem vocari ad judicia extra vallum, neque ad alium judicem, quam ad centurionem.

15. *More Camilli.*) Nam Camillus instituit, ne miles extra castra in jus vocaretur, ut mandatu Imperatoris contra hostes dimicaturi præsto esset. hocque inter alia militantium erat commoda, de quibus multa apud Jurisconsultos commemorantur in ff. *lib.* XLIX. titulo *de re militari*, & sequentibus.

17. *Procul a signis.*) a vexillis & castris Imperatoris.

17. *Justissima centurionum.*) Ergo juste & merito datur judex centurio, quandoquidem ita & legibus, & prudentia Camilli cautum est ad commodum reip. ne miles aliqua judicii necessitate evocetur ex castris. ut sit veluti responsio, iniquum non esse, si miles de milite judicet.

18. *Nec mihi deerit Ultio.*) licet miles judex nobis detur, tamen & ego puniar, si peccavero. sed tamen hoc unum erit illico accusatori incommodi, quod tota cohors ei adversabitur, & strepitu terrebit, ne gravius in militem statuat, quam fuit injuria ipsius accusatoris percussi.

20. *Cohors.*) Decem cohortes erant in unaquaque legione.

20. *Manipuli.*) *Manipulum* Varro exercitus minimam manum esse tradit, quæ unum sequitur signum. Ovid. *in Fast.*

Illa quidem fœno (sed erat reverentia fœno:)
Quantam tunc aquilas cernis habere tuas,
Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Inde maniplaris nomina miles habet.

21. *Officiunt*) conquerenti.

21. *Curabitis.*) Ut sint verba cohortis, & ceterorum militum cum reprehensione, volentis, ne gravius de milite sumatur supplicium, quam sit ejus delictum. Poeta Philosophice ostendit ad mensuram delicti, modum etiam adhibendum plagarum. unde Cic. *in Offic.*

Caven-

Cavendum est etiam, ne major pœna, quam culpa sit.

22. *Vindicta gravior.*) Illud observandum, 'ô *vindicta* esse nominativum, & ultimam produci positione sequentis dictionis.

22. *Dignum erit ergo.*) *Vagellus* Mutinensis fuit temporibus Poetæ caussidicus audacissimus, qui caussas vel periculosas suscipiebat defendendas. Ait ergo Poeta: Poteris profecto dijudicari non minus temerarius, quam Vagellus, si ausus fueris tu togatus offendere accusando tot milites, unde tantum tibi immineat periculum.

23. *Declamatoris.*) Caussidici. *Declamare* autem est forenses actiones meditari.

24. *Quum duo habeas crura.*) Quum possit aliqua corporis tui pars violari. solent enim multi ulciscendo, crura succidere adversariis suis. C. Unde Cicer. *pro Roscio Amer.* de Erucio calumniatore, & similibus, sub canum allegoria inquit: *Quod si luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor, bis crura suffringantur. S.*

24. *Tot caligatos.*) Tot milites. Nam a *caliga* calceamento militari *caligati* milites dicuntur. Tranq. *in August. Coronas vallares ne murales; quæ honore præcellerent, sæpe etiam caligatis tribuit.* unde *Caligula*, auctore Tranquillo, cognomen a castrensi joco traxit, quia manipulatio habitu inter milites educabatur. Ausonius:

Cajus, cognomen Caligæ cui castra dederunt.

25. *Millia clavorum.*) Nam caligæ *clavis* suffigebantur, qui ob hoc *caligares* nuncupantur, unde alibi Poeta:

—— Clavus mihi militis hæret
In digito. ——

25. *Quis tam procul absit ab Urbe? Præterea quis tam Pylades?*) Quis est ille tam rudis tamque rusticus, aut tam amicus, qui velit caussam agere adversus militem? ille vere imprudens & parum peritus dici potest, qui imminente sibi tanto periculo audet hoc agere.

26. *Tam Pylades.*) Tam amicus, ut velit subire periculum pro amico, ut Pylades fecit pro Oreste, qui eum insanientem in Tauricam usque regionem comitatus est, multa adiens pericula, ut amicus furore liberaretur. nota est fabula.

26. *Molem aggeris ultra Ut veniat.*) intra castra ad centurionem.

27. *Lacrimæ siccentur.*) Judices solent aut lacrimis, aut amicorum potissimum intercessionibus placari. Ait ergo Poeta, hæc non esse paranda, quando nec amici queant inveniri. amove ergo statim lacrimas, quia tibi non proderunt.

28. *Nec sollicitemus amicos.*) qui, ne veniant, se excusabunt: Sicque Poeta ostendit, paganum & togatum omni genere favoris esse destitutum, qui adversus militem agat.

29. *Da testem.*) Esto, sit tibi dandus testis tuorum verberum, quem judex dixerit se accepturum, neminem invenias, qui audeat testificari, & aperte dicere se vidisse, quod vidit.

22. *Audeat ille.*) Non cum interrogatione, sed per permissionem est legendum: quasi dicat, si audeat testificari, credam illum dignum, qui inter avos & majores nostros numeretur, qui summa fuere severitate & animi constantia.

31. *Barba & capillis.*) Priscis enim temporibus intonsi & demissa barba incedebant.

32. *Citius.*) Facilius invenias, qui falsum dicat testimonium adversus hominem non adscriptum militiæ, i. non militantem, quam qui verum dicat adversus militem, ita & dignitatem & potentiam suspiciunt milites. *Paganum* autem opposuit homini militanti, ut sint vocabula contraria, quod colligas ex Jurisconsultis. Justinianus *in Institut. lib. 11. de Milit. Testam. Sed testari quidem, & si filii familias sint, propter militiam conceditur, jure tamen communi eadem observatione & in eorum testamentis adhibenda, quæ in testamentis paganorum proxime exposuimus.* Corn. Tac. *Unde & seditiosa colloquia, & inter paganos corruptior miles.* Quibus exemplis liquido apparet *paganum* militi opponi: videturque inde origo vocabuli orta, quod Roma, ut scribit Dionys. Halicarn. *lib.* IV. divisa erat in tribus quatuor, quas *pagos* vocitabant, in quibus habitantes *pagani* dicebantur, qui in nullam aliam habitationem transferri poterant.

34. *Fortunam.*) Potentiam.

34. *Pudorem.*) Dignitatem. contra id, quod possit esse pudori & dedecori ipsi militi.

34. *Sacramentorum.*) Militum, qui jurejurando in militiam sunt adscripti, hi autem erant justi milites, qui singuli jurabant pro rep. se esse facturos, nec a militia recedebant, nisi completis stipendiis. Tale genus militiæ *sacramentum* appellabant. lege Vegetium. Valer. *lib.* II. *Pop. Rom. operam dabat, ne Imperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse.* multi autem ne sacramento militari astringerentur, fugiebant ex Urbe, & tanquam servi in ergastulis delitescebant. Tranq. *in Tiber. Supprimebant non solum viatores, sed & quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset.*

36. *Convallem ruris aviti.*) Si forte acciderit, ut mihi togato, & non scripto in militiam litigandum sit de fundo, sive finibus perturbatis, aut aliqua alia re, annus mihi exspectandus erit, qui inchoet lites totius populi, si vicinus improbus ademit mihi convallem ruris aviti, &c.

36. *Convallem.*) *Convallem* appellamus planitiem quaqua-

quaquaversum montibus circumseptam; *vallem* vero, quæ a duobus lateribus sit montibus præcincta.

38. *Aut saxum effodit.*) Si terminum e confinio evulsit. Nam lapis, aut stipes ad finium discretionem defodiebatur, ita ut supra terram exstaret, quem Terminum, ut Deum & coronis, & victimis venerabantur. unde Tibullus:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agro,
Seu vetus in triviis florida serta lapis.

Agnus huic immolabatur. Ovid. *in Fast.*

Spargitur & caeso communis Terminus agno.

Dionys. tamen scribit *lib.* II. ex instituto Pompilii Termino quotannis pultibus & libis, atque quibusdam fructuum primitiis sacrificari, ex qua consuetudine ait Poeta: *Mea puls annua.*

38. *Limite.*) Semita, quæ est in confinio agri.

39. *Quod*) saxum,

39. *Puls.*) Pulte longo tempore Romani usi sunt vice panis, ut Plin. *lib.* VIII. *cap.* VIII. testatur. ea conficiebatur ex farina cocta cum aqua.

40. *Debitor aut sumtor.*) aut fœnore, aut mutuo.

41. *Vana esse.*) mendacia. Virg.

Ni frustra augurium vani docuere parentes.

Sallustius *in Jugurth. Mauri genus vanum.*

41. *Ligni.*) Nam in tabellis ligneis antiqui scribebant.

41. *Supervacui.*) Supervacanei, & nihil proficientis, quum scripta denegentur & debita, hocque ex persona Poetæ ridentis mores sui temporis. *supervacuum* enim est tabellas in judicium producere debitore scripta inficiante.

42. *Lites totius populi.*) Hoc videtur dicere ex consuetudine antiquorum, apud quos in ordinem, ut docet Servius, dicebantur caussæ propter multitudinem, vel tumultum festinantium, cum erat annus litium. caussæ enim audiebantur per sortem. ordinatæ. conveniebant enim omnes, & ex sorte dierum ordinem accipiebant. Alii vero, sententiam Servii ut falsam, improbantes, talem afferunt sensum: diutissime tibi exspectandum erit, antequam conveniant ad judicandum centumviri. Nam centumviri ex triginta quinque tribubus, in quas totus pop. Rom. erat divisus eligebantur terni ex singulis tribubus, centum dicti, ut scribit Pompejus, quamvis essent centum & quinque. Hi judicabant de tutelis, agnationibus, deposito, finibus, aliisque civilibus caussis, quales heic commemorantur a Juven. sed longis intervallis ad judicandum conveniebant. nec perpetuo jus dicebant. Idcirco lites, quæ apud eos agebantur, in multam differebantur diem.

43. *Sed tunc quoque mille ferenda.*) quum tempus etiam agendæ venerit caussæ.

44. *Mille moræ.*) Mille cunctationes, quum difficile sit 105 judices congregari.

44. *Toties tantum sternuntur.*) Sternuntur sæpe subsellia tantummodo, nam judices non sedent, quod major pars absit.

45. *Jam facundo ponente lacernas, Cæditio.*) Rari veniunt judices, & qui veniunt, sedent otiosi, nec nos audiunt, ita ut jam nos parati ad dicendum discedamus, non audita caussa.

45. *Ponente lacernas.*) Deponente lacernas, dum alios exspectat judices, veluti vestium onere gravatus.

46. *Cæditio.*) Nomen est judicis.

46. *Fusco micturiente.*) quasi longa sedendi, & exspectandi mora urinam contractam emittente. Id enim fieri solitum docet Titius *in Orat.* qua legem Fanniam suasit, notans mores sui temporis, ut tradit Macrob. *lib.* III. *Judex*, ait Titius, *testes poscit, postea it mictum, ubi redit, ait se omnia audivisse, tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras.*

47. *Pugnamus.*) Descendimus ad certamen & caussam agendam, sed res in longum producitur. potest etiam ad illud referri, quod, qui litigant, mutuis multiplicibusque contumeliis se verberant, sed prior sensus magis placet.

47. *Arena.*) Theatrum appellatur *arena*, quia arena spargebatur, quo facilius ludi celebrarentur.

47. *Lenta.*) Quia lento judicio caussæ peraguntur.

48. *Ast illis.*) Sed milites illico, ubi volunt, audiuntur a judicibus.

48. *Quos arma tegunt.*) milites.

48. *Balteus*) cingulum proprie est militare ex corio, ab Apul. capitur pro quocunque *cingulo*, etiam muliebri. inde militis dependebant arma.

50. *Nec res atteritur.*) Nec caussa prorogatur, nec in longum ducitur, sed statim expeditur, aut *res*, id est patrimonium, non absumitur longa litis mora.

50. *Longo sufflamine.*) Longa mora. nam *Sufflamen* appellatur, quod rotæ objicitur, ne currus retro currat, sed sistatur.

51. *Solis præterea.*) Aliud militis affert commodum. Licet militi vivo patre testari, quum ceteris filiis familiæ hoc non liceat. Nam lege provisum est, ut, quæ in militia essent per filium acquisita, in arbitrio essent, & potestate filii, idque peculium castrense dicebatur. unde ita legitur apud Justin. *de Militar. Testam. Sed testari quidem, etsi filii familias sint, propter militiam conceditur.* Quod quidem jus ab initio tantum militantibus datum est, tam ex auctoritate Augusti, quam Nervæ, nec non optimi Imperatoris Trajani.

53. *Non esse in corpore census.*) Non connumerari inter bona patris.

56. *Ergo.*) Quum ergo pater cognoscat in arbitrio filii

filii sui Corani esse, quod per labores militares acquisivit, blanditiis tentat eum captare, ut ab eo scribatur hæres, alluditque ad illum Coranum, de quo Horat. *in Serm.*

Captatorque dabit risus Nasica Corano.

55. *Merentem æra.*) stipendia faciente.

56. *Qualis jam tremulus.*) Avaritiam sui temporis notat. Licet etiam in extrema sit senectute, tamen captat filium.

56. *Hunc labor æquus Provehit.*) Non est mirum, tanto honore militem decorari: æquum enim est patria labori præmia reddi, ergo labor justus hunc militem extollit, & decorat. *æquum* autem appellat *laborem*, quia æquum est unicuique pro patria laborare.

57. *Et pulcro reddit sua dona laberi.*) Hunc ego locum emendandum sic puto, ut dicatur *reddi*, & non *reddit*. & hoc ait: videtur referre ipsius ducis sua dona reddi pulcro labori, id est, ut præmia sua habeat pulcer ipse militiæ labor, ea ratione, ut idem sit felicissimus, qui erit fortis, i. qui fortiter fecerit: ut omnes læti sint phaleris & torquibus. nisi velimus ita dicere: *labor reddit sua præmia labori*, quod mihi satis inscitum videtur, ut dicas *labor labori reddit præmia*. sensus prior magis placet.

57. *Sua dona.*) Propria præmia.

58. *Ipsius certe ducis hoc referre videtur.*) Dux in rem suam putat esse, ut sui milites, qui fortes sint, iidem sint & felicissimi, & ornatissimi. quasi dicat, & Imperator ipse gaudet commodis militum, quos & phaleris, & torquibus studet, vultque ornari.

59. *Qui fortis erit.*) miles validus & strenuus.

59. *Idem sit felicissimus.*) Paribus remuneretur præmiis, quod justitiæ munus est proprium.

60. *Ut omnes*) milites.

60. *Phaleris.*) *Phaleræ* ornamenta sunt equorum, declinanturque numero tantum plurali. Græce τὰ φάλαρα dicuntur genere neutro: Latinis mutatur *a* in *e*, sicut τάλαντον, Latine *talentum* dicitur. Virgil.

Primus equum phaleris insignem victor habeto.

Et Juven.

Ut phaleris gauderet equus. ——

Ea etiam fuisse ornamenta militum docet Gellius *lib.* II. *cap.* II. quum ait, *Sicinium Dentatum donatum fuisse quadraginta hastis, duodeviginti phaleris.* Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. scribit ab ordine equestri *phaleras* positas fuisse ex indignatione, quum Cn. Flavius creatus esset ædilis curulis.

60. *Torquibus.*) *Torques* ornamenta erant militum aurea, quæ circa collum gestabant, sumto more a Gallis, Ovid. *de Ponto.*

Nec torquem collo, nec habens crinale capillis.

C. Et de his hactenus. quæ in bonam partem accipiant juvenes Satyrarum studiosi, & si minus satisfactum, saltem voluntatem & studium nostrum habeant gratum. S.

FINIS COMMENTARII, QUEM JOANNES BRITANNICUS ET SCHOLIORUM, QUÆ COELIUS SECUNDUS CURIO IN JUVENALIS SATYRAS CONSCRIPSERUNT.

THEO-

THEODORI PULMANNI
IN
D. JUNII JUVENALIS
SATYRARUM LIBROS V.
ANNOTATIONES.

THEODORUS PULMANNUS
JOANNI FLEMINGO
S. D.

CUM ante menseis aliquot, Fleminge ornatissime, Q. Horatium tibi propter singularem virtutem, atque raras ingenii tui dotes dicavissem, nunc JUVENALEM me tibi donare debere judicavi: qui fere propter argumenti, & rerum, quas tractat, similitudinem Persio conjungi solet. quorum hic in corruptis hominum moribus, & vitiis taxandis castior: ille autem liberior, atque lascivior, ut non nulli, quos nec laudo, nec damno, ipso Catone severiores sese ab ejus lectione prorsus abstineant, eumque ab aliis legi vetent: quia in vagas libidines, adulteria, aliaque pejora facinora, quæ heic nominare nefas est, satyrico more nimis acre despuat. Sed enim si scelerum, & flagitiorum turpitudinem, quam nefarii homines vulgo, proh pudor! inhoneste designabant, expendamus: illum modestioribus verbis obscœnissima quæque crimina detestari, & ad castitatem, modestiam, vitæ integritatem, temperantiam, ceterasque præclaras virtutes, quæ vera animi bona sunt, omneis hortari, atque incitare fatebimur. Nihil igitur mihi in hoc Poeta esse videtur, si modo eum dextere interpretemur, & explicemus, quod tantopere culpari, vel damnari possit: nihil fœdum, nihil turpe, nihil pudicis auribus indignum, immo sancta omnia esse nemo mihi verum dicenti non assentietur. Voluit porro Deus apud Ethnicos vates hujusmodi testimonia exstare, ut mortales, quantis in tenebris versarentur, agnoscerent: & ad honestam, beatamque vitam peragendam ipsa animi pravitate deterriti tandem allicerentur, & impellente conscientia ducerentur. His itaque adductus hunc satyrographum ex manuscriptorum codicum fide restitui, auxi, & ANNOTATIONIBUS ex commentariis clarorum virorum collectis illustravi.

Usus

Usus autem sum in *Juvenale* emendando tribus exemplaribus : uno, *meo:* altero, quod *Jacobus Miggrodius*, omni liberali doctrina, & summa humanitate vir præstans mihi dono dedit: tertio, cujus *Canonici collegii B. Catharinæ Noviomagi*, rogatu Henrici Coracolithii, trium linguarum periti, & maxime Joannis Falkenburgii sororis meæ mariti, hominis Romanarum Antiquitatum perquam studiosi, cum illic non ita pridem cum eo aliquamdiu conjunctissime, & amantissime viverem, mihi copiam fecerunt. Neque sane, quod primo loco dicendum erat, *Hadr. Junius*, homo & eruditione, & in communicando sua alacritate prope singulari præditus; parum heic mihi adjumenti attulit. Nam ex *manuscripto codice suo*, quem cum vulgata editione contulerat, lectionis varietates comprobavit, & loca paullo impeditiora *Brevibus Scholiis* enodate explicuit, quæ omnia, qua fide accepi, eadem in lucem dedi. Idem, cum in apographo, quod inter mea postremum nominavi, *Juvenalis* opus non *in Satyras*, sed in *libros* divisum esset, dubitanti, quod potissimum sequi vellem, facile libri sui fide persuasit, ut vulgarem Operis partitionem immutarem, & in *quinque libros* distinguerem: præsertim cum & loca a Prisciano adducta idem præ se ferre, & hoc etiam, licet quidam improbarint, in Auctoris vita Crinitum annotare viderem. Satyrarum vero receptum, & usitatum numerum, cui testimonia, quæ recentiores hinc produxerunt, pleraque respondent, in margine adjeci, ut longum, & molestum inquirendi laborem lectori adimerem. Si quid cessatum, aut minus, quam oportuit, accurate præstitum fuerit, vir humanissime, id tarditati mei ingenii adscribas velim: si par voluntati facultas fuisset, perfectiora, & meliora dedissem. Vale IV. Idus Januarii. Anno CIↃ. IↃ. LXV. Antuerpiæ.

[*Retinuimus, benevole Lector, hanc* Pulmanni *præfationem, eamque ex editione* Juvenalis & Persii Plantiniana Anno CIↃ. IↃ. LXVI. *minoris formæ, qua in duodecim folia singulas chartas complicat, exhibemus, præter quatuor vel quinque voculas, quia* Persium *spectabant, omissas; ut erudito lectori constet, quibus auxiliis instructus* Pulmannus *ad* Juvenalem *recensendum accesserit. Integras ejus* Annotationes *dare placuit, cum breviores sint, & exhibeant fere, præter ea, quæ Turnebus V. Cl. in Adversariis annotavit ad nostrum Poetam, nonnullas ex tribus quatuorve* mss. *& ex nonnullis Viris doctis excerptas Varias Lectiones; quamvis* V. C. Nicolaus Heinsius, Dan. F. *in præfatione ad Claudianum* Pulmanno *dicam scribat negligentiæ, in conferendis ejusmodi* mss. *Ejus itaque* Pulmanni *fide repræsentabimus, quas ille publici juris fieri voluit ad* Juvenalem *Varias Lectiones.* Scholia Had. Junii, *quorum* Pulmannus *injicit mentionem, nulli dubitamus, quin sint illa, quæ Pulmannus ad marginem Editionis Plantinianæ adjecit, quum in vita* Hadriani Junii, *quæ ejus* Epistolis *præfigitur, dicatur* scripsisse in Juvenalem, *quod inter publico data ab eo recenseiur. Cum vero nusquam meminerimus visa nobis ea in* Juvenalem *a* Junio *conscripta, quamvis diligenter inquisiverimus, facile credimus illa ipsa* Junii Scholia *esse, quæ* Pulmannus *ad marginem* Juvenalis *adjecit, id quod ipse* Pulmannus *in hac præfatione innuere videtur, & probant præterea* Scholia *in* Pulmanni Annotationibus *repetita præposito nomine* Junii, *quæ ex marginalibus esse desumta collatio docet, verbi gratia ad* Sat. VI. vers. 158. *quod ipsis verbis exstat ad marginem* paginæ 43. *Item* pagina 55. *laudatæ Editionis Plantinianæ occurrit* Scholium, *quod iisdem verbis* Junio *disertissime adscribit* Pulmannus *in* Annotationibus *ad* vers. 559. Sat. VI. *sed satis de hisce.* Hadriani *ergo* Junii Scholia ad Juvenalem *benevolus Lector inter Selectas Virorum Doctorum Notas, qui ad Juvenalem scripserunt, videbit excerpta ita, ut nihil superflui, quod in præmissis & jam sub prælo recensitis Virorum Doctorum notis sit occupatum monitumve, simus repetituri; attamen nihil memoratu dignum, quod ad* Juvenalem *illustrandum faciat, ex illis* Scholiis *simus prætermissuri.* HENNINIUS.]

THEOD. PULMANNI IN D. JUNII JUVENALIS SATYRAS, ANNOTATIONIS, QUIBUS ET CASTIGATIONUM

suarum rationem reddit, & loca difficiliora e scriptis doctissimorum hominum explicat.

[Ne *Lector dubius hæreat, quid* Pulmannus *in* Annotationibus *sibi velit per compendia illa literarum N. P. M. I. quæ nusquam, supina profecto negligentia, explicavit; videntur nobis illa signare* codices mss. Noviomagensem, Pulmanni Miggrodii, Junii; *quibus se usum in* Præfatione *est testatus.*]

AD LIBRUM I.

Ad Satyram. I.

NUnquamne reponam?) L. Joannes Scoppa *Collectaneorum cap.* XXVII. Ego, *inquit*, Juvenalis ero semper auditor aliorum carminum, & nunquam consuetudinem audiendi aliena rejiciam, ut scribam? Turneb. *Adversarior. lib.* XX. *cap.* VIII. Significat, *inquit*, se vicem illis Poetis referre velle, quorum recitationibus crebris toties vexatus sit, ne eis sit impune. *Reponam* igitur valet, ulciscar eos, vicissimque eis gratiam referam recitando poema meum, quorum toties auditor fui. Theseidem *autem* Codri, *longum poema de Theseo interpretatur multis diebus recitatum, cum instar esset Æneidis Virgilianæ.*

7. *Nota magis nulli domus est sua, quam mihi lucus Martis.*) Ita libri antiqui. *Lucum Martis.* qui & in Ponto erat, & Albæ, pro quocunque luco dixit, ad ambitiosas Poetarum descriptiones alludens. Vide Turneb. *lib.* XX. *cap.* VIII. Ptol. Flavius *Conjectaneorum* Centuria I. *luctus* legit, ut per id intelligatur bellum Trojanum, quod scripsit Nero, & obiter lancinat sævissimum Imperatorem, qui non dubitavit Urbem incendere, ut scriberet *Troica.*

28. *Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.*) Veterum quibusdam, qui lautiores & elegantiores erant (tantus eorum luxus fuit) annuli duorum generum fuere: *æstivi* & *hiberni*: *hiberni* fuerunt majoris ponderis, *æstivi* autem levioris. Vide Turneb. *lib.* XX. *cap.* II.

36. *Thymele summissa Latino.*) *Latinus* mimus erat, & *Thymele* mima, quæ cum Latino sæpe gestum agebat. *Mimi* igitur argumentum egit cum ea Latinus, in quo cum ea, ut aliena uxore, mœchus pæne deprehendebatur, vel marito de adulterio aliquorum delatione suspectus erat: sed dolosam & astutam mœcham ad maritum allegavit, quæ ei os sublineret, & periculo *Latinum* & crimine eximeret. Id igitur facete Juvenalis ad extremum jacit ex argumento notissimi illa tempestate mimi: quemadmodum Latinus deprecatrice mœcha usus est, sic pro te quosdam ad delatorem placandum deprecatores mitte. Turneb. *lib.* XX. *cap.* VIII.

73. *Aude aliquid brevibus Gyaris.*) Ita libri antiqui. Junius: *Brevibus, Gyaris*: quem vide in Adag. *Cent.* V.

94. *Quis fercula septem Secreto cœnavit avus?*) Conqueritur de superbia & luxu Romanorum, qui clientes ad convivia non adhibebant, nec jam rectam cœnam dabant, sed *sportulam*, quæ ex eo nomen habuisse videtur, quod pecunia in *sportula* divideretur in atrio domus divitum. scribit enim:

——— Nunc sportula primo
Limine parva sedet. ———

vel quod dari aliquando esset solita cœna in *sportula*, quod *δεῖπνον ἐν σπυρίδι* dicebatur: cœnæ autem vice daba-

batur pecuniaria sportula. Turneb. *lib.* xx. *cap.* VIII.

105. *Sed quinque tabernæ Quadringenta parant.*) Quinque, quas habeo in foro, tabernæ parant mihi censum equestrem. Turneb. *lib.* xx. *cap.* VIII.

111. *Pedibus qui venerat albis.*) id est, cretatis. cretaceis namque, gypsatisve calceis venalitii servi induti prostituebantur. Plin. *lib.* XXXV. *cap. ult.* ubi de hoc ipso Claudii liberto sit mentio, ut & apud Plin. Juniorem *lib.* VII. & VIII. *Epist.* Hæc Junius. Vide Brodæi *Miscell. lib.* I. *cap.* XVII.

113. *Et si funesta Pecunia templo Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.*) Constat tamen Pecuniam in Deorum numero repositam fuisse, vel Arnobio auctore. Vide Turneb. *lib.* XI. *cap.* XX.

116. *Quæque salutato crepitat Concordia nido.*) Vide Polit. *Miscell. cap.* LXVII. Gyraldi *Syntagma* I. *De Deis ex humanis actionibus*, & Adriani Turn. *lib.* VIII. *cap.* XVIII. In lib. collegii Catharinæ Noviomag. emendatissimo *ciconia* scriptum fuit, eandemque lectionem Jacobus Susius vir clarissimus in tribus vetustissimis exemplaribus se reperisse Hadr. Junio testatus est.

130. *Atque Alabarches.*) Hanc veram esse lectionem Jacob. Cujacius Jurisconsultorum nostri temporis facile princeps in publicis lectionibus primum admonuit, quod mihi amice nuper suis litteris indicavit Gerardus Falkeburgius, homo summa eruditione & fide. est enim ἄλαβα, teste Hesychio, μέλαν, ᾧ γράφομεν, id est, atramentum, quo scribimus. *Alabarches* scripturæ magister. Cic. *ad Atticum lib.* II. *Epist.* XVII. *Velim e Theophane expiscere, quonam in me animo sit Alabarches.* Vide Brod. *Miscell. lib.* IV. *cap.* II.

153. *Non audeo dicere nomen.*) Ptol. Flavius *Conjectaneorum* centuria I. *nunc* legit.

154. *Ignoscat Mucius.*) Mucius fortissimus, & patientissimus fuit, qui patienter ferebat, quidquid de se dicebatur.

155. *Pone Tigillinum.*) De Ophonio Tigillino Tacit. *lib.* XIV. & XVIII.

157. *Et latum media sulcum deducit arena.*) Ita libri antiqui. Britannicus nonnullos legere scribit, *deducis*: alios, *qui ducit.* Flavius *Conject. cent.* I. legit hoc modo:

> ——— *fumant.*
> *Qui dedit ergo tribus patruis aconita: vehatur*
> *Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos,*
> *Et latum media sulcum deducat arena.*

169. *Hæc, anime, ante tubas.*) Ita Cœlius Secundus, ut Poeta se ipse adhortetur ad cogitandum periculum, antequam pugnam ineat. id est antequam stylum in Romanos principes stringat. Liber collegii Cathar. *Hæc animante tuba.*

Ad Satyram II.

C*Leanthas.* verf. 7.) Accusativus pluralis primæ declinationis est, Attico more: ut, Socratas, Diogenas: Vide Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

8. *Frontis.*) Ita N. P. M. Vulgati aliquot: *Fronti.* Vide Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

15. *Atque supercilio brevior coma.*) In Stoicos dicit, qui præ se ferebant magnam in vultu severitatem, cum tamen interea clam fœdis libidinibus dediti essent. hi, quod alere comam delicatum putarent & parum virile, capillum raserant, & ἐν χρῷ κουρίαι erant. Vide Turn. *lib.* XV. *cap.* XVII.

16. *Peribomius.*) Sic N. P. & Turn. *lib.* XV. *cap.* XVII. non *Peribonius.*

34. *Qualis erat tragico nuper pollutus adulter Concubitu.*) De Caligula sentit, opinor, de cujus incestu vide Suidam in Γαΐῳ: nisi de Augusto dicamus, de quo ita *in Calig.* Suetonius: *Prædicabat matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia admisisset, procreatam.* Hæc Junius.

36. *Laronia.*) *N. P. M. Lauronia*, Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII. ex priscis codicibus etiam *Latronia* legit.

43. *Quod si vexantur leges.*) Si negotium est legibus exhibendum, & si advocandæ sunt, sunt contra vitia, qui enim vocantur, ut veniant, eis labor injungitur, & vexari videntur. Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

53. *Comedunt coliphia pauca.*) *Coliphia*, panes in similitudinem virilis membri. Annot. Junii ex manuscript.

81. *Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.*) Hoc ego de livescentibus sub vindemiam acinis uvarum accipio ex populi opinione dictum, censentis, ubi livere & nigrescere cœperit unus uvæ acinus, protinus propinquum eo conspecto, velut invidia quadam, similem colorem ducere solitum esse: dum denique tota uva maturesceret & nigra esset. quod autem in acino dixi, idem in uvis fieri censebant. ubi enim uvam viderat uva maturescentem & lividam, eundem colorem ab ea trahi. Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

92. *Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.*) Polit. *Miscell. cap.* X. & Hadr. Junii *Adag. cent.* I.

93. *Tactum.*) Sic N. P. M. & Turneb. *lib.* XV. *cap.*

17. non *tinctum.* *Tangere* autem Veteres pro tingere, imbuere, linere, aspergere etiam dixerunt.

98. *Et, per Junonem, domini jurante ministro.*) De viro molli, quique pro muliere possit haberi. Sed & mulieres jurabant, ut ait Petronius, Junonem suam. Vide Turneb. *lib.* III. *cap.* XX. Polit. *Miscell. cap.* LXXXIX. & Joannis Baptistæ Pii *Comment. in Cistell. Plauti.*

104. *Nimirum summi Ducis* &c.) Sensus est, parum consentaneum esse Galbam interficere, & cutem curare, alterum enim viri fortis est, alterum mollis & fracti: nec constanter facit, qui in acie palatium & imperium affectat, & tueri atque retinere conatur, & de statione sua dimicat & capite: & qui faciem mangonio & lenocinio fucat & expolit. Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

118. *Cantaverat ære.*) Ita N. P. M. & Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII. non *cantaverit*: quod est, sive esset tibicen.

119. *Dictum feliciter.*) Id ex eo scriptum est, quod omina in nuptiis faustæque acclamationes adhibebantur. Vide Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

139. *In corpora.*) Sic Junii liber, & melius, ut inquit Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII. N. P. M. *corpore.*

141. *Turgida non prodest condita pyxide Lyde.*) Ita liber collegii Catharinæ, & Junii vet. cod. non *in pyxide.* Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII. Quidquid, *inquit*, digladientur grammatici, legendum *condita pyxide* e juraris libris existimo: ac de unguentaria intelligo, quæ medicamenta promittebat sterilitatem curantia, qualia a medicis referuntur. *Lydiæ* autem mulieris turgidæ erant. Vide Polit. *Miscell. cap.* XLVI. Junius ex manusc. Ferunt Physici, quod mulier sterilis possit concipere, si pyxide inclusam araneam gestet in sinu. Lyda autem fuit Arachne.

156. *Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos Umbra venit?*) Non putant, inquit Juvenalis, esse ullos inferos hodie, nisi qui perpusilli pueri sunt; tu tamen inferos esse putato, & illic manes esse Curii & Fabricii juventutisque Cannensis. Cum igitur ad eos tales descendunt, nonne cupiunt se lustrari & expiari, ut contaminatos impudicissimorum adspectu? legendum igitur hac interpunctione. Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII.

159. *Arma quid ultra Litora Juvernæ*, &c.) Sic N. P. M. Junius & Turneb. *lib.* XV. *cap.* XVII. *Arma quidem ultra Litora Juvernæ promovimus*, e scriptis libris sine interrogatione legunt.

Ad Satyram III.

Subsistit ad veteres arcus. vers. II.) De arcubus aquæductuum, qui illic erant, interpretandum putamus. Turneb. *lib.* X. cap. XXVII.

12. *Heic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.*) Ubi ad constitutum illi denuntiabat: unde &, venire ad constitutum dicimus. Turneb. *lib.* X. *cap.* XXVII.

33. *Et præbere caput domina venale sub hasta.*) Qui se etiam vendi sub hasta in auctione pati possunt. *Municipalem* autem *arenam* dixit ad contemtum, quod in muneribus gladiatoriis municipiorum, non Urbis, operam locarint. Turneb. *lib.* X. *cap.* XXVII.

35. *Notæque per oppida buccæ.*) id est, homines sæpius per vulgi ora traducti. Junius.

36. *Et verso pollice vulgi.*) Ita libri antiqui P. N. M. & Polit. Miscell. cap. XLII. Junii liber, *vulgus*, quod & N. in interstitio habebat. Erasmus *Adag.* XLVI. *Chil.* I. Cent. VIII. *converso pollice vulgi legit.*

67. *Rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine, Et ceromatico fert niceteria collo.*) Interpretes *vesteis parasiticas* accipiunt; quæ notio non convenit vel *niceteriis*, vel *ceromatico collo.* Ego *gymnasticas* intelligo *vesteis*, quæ a cursu nomen habent & cœna, ut perstringat rusticos Romanos acriter, qui tam deditii fuerint gymnasticis, & Græcanicis exercitationibus, ut iis prope vitam & spiritum ducere viderentur, ad eaque tanquam ad cœnam currerent: qua veste etiam esuritores fortasse Græculi ad cœnam cursitantes uti solebant. quare *trechedipna* heic jocoso vocabulo endromidem appellari reor. Turneb. *lib.* III. *cap.* XVII.

81. *Horum ego non fugiam conchylia?*) id est: Non profugiam Roma, cum videam in ea Græculos iam locupletes & divites esse, ut conchyliata veste abundent? Vide Turneb. *lib.* IX. *cap.* V. In Junii libro *Horum non.*

83. *Advectus Romam, quo pruna & coctona vento?*) Junius: Proverbium probrosum in advenas. Coctona, ficus parvæ genus, & varie apud Auctores scribitur. alii *cottona*, & *Cotona*, a *Cotone* urbe N. & M. *cottana*: P. *cottana*; alii *cotana.*

108. *Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.*) id est, Si trullam vini ebibit ita, ut & fundum inverterit, & epoto toto vino labris sugens crepuerit, & strepitum dederit. Turneb. *lib.* X. *cap.* XXVII.

116. *Stoicus occidit Boream delator amicum.*) Junius

ex

ex manuſc. Heliodorum notat Stoicum, alii de Egnatio exponunt, qui tamen an Græcus fuerit, ignoro.

142. *Magnaque paropſide cœnat.*) Ita & libri antiqui N. P. M. & Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii.

158. *Pinnirapi cultos juvenes.*) Retiarios intelligit.

161. *Quando in conſilio eſt Ædilibus.*) Magiſtratus de re aliqua cogniturі, aut conſultaturi ſibi advocabant, quos in conſilio haberent. Cic. *de Amicit. Cum ad me, qui aderam Lænati & Rutilio Coſſ. in conſilio, deprecatum veniſſet.* Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii.

174. *Tandemque redit ad pulpita notum Exodium.*) *Exodia* in Atellanis fabulis diverbia vocabantur, quod tragœdiis ſcena egreſſis, ad recreandum ſpectatorem e priſtina mœſtitia ſubjiciebantur. Vide Turn. *lib.* x. *cap.* xxvii.

188. *Præſtare tributa clientes Cogimur.*) Ita liber Collegii Catharinæ; non: *præſtant.*

212. *Si magna Aſturici.*) Sic lib. coll. Cath. & Jun. P. *Arturi.* M. *Arcturi.* forte *Oſtori.* P. Oſtorii Scapulæ Conſulis ſub Claudio meminit liber Digeſt. *lib.* xxxix. *cap.* iv. & Tacit. *lib.* xii.

218. *Phecaſianorum vetera ornamenta Deorum.*) Ut *minianus* Jupiter, pro *miniato* a M. Tull. dicitur *in Epiſtolis*: item heic *phecaſianus*, pro *phecaſiato*, id eſt, *phecaſiis* calceato. *Phecaſium* interpretatur calceamentum ruſticum Heſychius: apud Plutarch. calceus eſt Græcanicus. Deorum igitur Græciæ, & templorum ornamenta Juvenalis ſignificat. nam in templis erant tabulæ pictæ, atque ſigna. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii.

239. *Si vocat officium.*) Si ad officium nuptiarum dives vocatus eſt, aut ad aliam celebritatem, pompam, deductionem: in his enim perſæpe nomen officii poni ſolet. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii.

249. *Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?*) Heic ſportulam non intelligo, centum quadrantes: ſed cœnam, quæ, quod initio in ſportula dabatur, inde nomen meruit: unde & a Græcis δεῖπνον ἐν σπυρίδι vocatur, id eſt, cœna in calatho. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii.

255. *Serraco*) lib. collegii Cathar. *Serracum* vehiculi genus: infra:

— *Serraca Bootæ.*

263. *Strigilibus, & pleno.*) Sic libri antiqui, N. P. M. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii. in archetypis libris & *Strigilibus* & *Striglibus* ſe reperiſſe teſtatur.

277. *Patulas defundere pelves.*) Quod eſt deorſum fundere: in excuſis *effundere* eſt, ſed illud exemplarium eſt antiquorum. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii. Miggrodii liber etiam *effundere.* N. & P. *diffundere.* male.

285. *Ænea lamp.u.*) Sic vet. lib. P. Turneb. *lib.* x, cap. xxvii. *ahenea.* N. & M. *enea*, perperam.

296. *In qua te quæro proſeucha.*) Vide Polit. *Miſcell.* *cap.* xxi. Proſeucha, pro templo, & ſynagoga Judæorum, ut Philon Judæus accipit in *Legatione ad Cajum.* Junius. Vide Turneb. *lib.* i. *cap.* xxiii.

320. *Helvinam Cererem.*) id eſt, flavam. Scoppa *Collectaneorum* appendice, *cap.* i. Brodæus Miſcell. *lib.* iv. *cap.* xxv.

322. *Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.*) id eſt, velut audax miles adjutor Satyrarum veniam, niſi illas mei pudet auxilii. Turneb. *lib.* x. *cap.* xxvii. Lib. colleg. Cath. *Auditor.*

Ad Satyram IV.

MUllum ſex millibus emit. verſ. 15.) Budæus de Aſſe *lib.* i. *ſex millibus*, ſc. nummum. Cœl. Secundus, *ſex millibus*, ſc. nummum, ſive ſeſtertiis ſex, hoc eſt, ut hodie loquimur, CL. aureis ſcutatis, ſive coronatis.

29. *Endoperatorem.*) Ita ſcripſi ex recta, & vetere conſuetudine, quam mediæ ætatis librarii ignorarunt, item *Sat.* x.

— *Barbarus Endoperator.*

Vide Feſtum.

60. *Usque lacus ſuberant.*) Sic libri veteres, N. P. M. Hypallage, id eſt poſtquam piſcator lacubus ſuberat, qui Albani vocantur. *Britannicus.*

98. *Fraterculus eſſe Gigantum.*) Lege Polit. *Miſcell.* *cap.* xviii. P. M. I. *Gigantis.*

Ad Satyram V.

Culcita lecto. vers. 17.) Vide Festum.

30. *Ipse capillato diffusum Consule potat.*) id est, antiquo Consule. Veteres enim intonsi erant, & promissos crines & comam prolixiorem nutriebant. Vide Turneb. *lib.* I. *cap.* XXI.

34. *Cujus patriam, titulumque senectus Delevit multa veteris fuligine testæ.*) Pendebat e vasis vinariis tabella, in qua, Galeno teste, vini ætas scripta erat. id est, quo tempore, quibusve Consulibus conditum esset. Brodæus *Miscell. lib.* I. *cap.* III.

88. *Alveoli.*) Alveoli dicuntur lances, paropsides: ut *Sat.* VII. *Cujus & alveolos.* — Vide Turneb. *lib.* XXIV. *cap.* IV.

115. *Post hunc raduntur tubera.*) N. P. *raduntur.* Cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc tubera nascuntur & maxime e tonitribus. Vide Brodæi *Miscell. lib.* IV. *cap.* II.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) Lege Polit. *Miscell, cap.* XXXI. & Gyraldum *Annotationum Dialogism.* IV. Prol. Flavius *Conjectaneorum cent.* I. inquit: *Ad tria Corneliorum nomina refertur: scilicet, Sulla, Cinna, Lentulus: qui pessimi, perniciosissimique fuerunt.*

AD LIBRUM II.

Ad Satyram VI.

Quem toties texit perituri cista Latini. vers. 44.) Nam in quodam mimo Latinus adulterum egerat in cistam conditum, subito mariti adventu, ne deprehenderetur & interficeretur. Turneb. *lib.* XX. *cap.* VIII.

53. *Unus Iberinæ*) sponsæ Ursidii.

64. *Tuccia vesicæ non imperat.*) *Tucciæ* meminit Val. Maximus *lib.* VIII. *cap.* I. Plin. *lib.* XXVIII. *cap.* II.

71. *Urbicus exodio.*) Vide Turneb. *lib.* I. *cap.* XVII. & *lib.* X. *cap.* XXVII.

126. *Ac resupina jacens multorum absorbuit ictus.*) Hunc versum, antea nunquam impressum, ex antiquo libro heic primum reposui.

136. *Optima sed quare Cesennia teste marito? Bis quingenta dedit.*) id est: decies centena milia. Vide Turneb. *lib.* XVIII. *cap.* XXX. Rob. Steph. *Cæsonia.* N. *Cyesenia*, & in interstitio *Censonia.* P. *Censennia*: M. *Censoria.* In hoc nomine heic libri, ut plerunque alibi in propriis nominibus, mire variant, & librariorum vitiosa descriptione plurimum sunt corrupti.

153. *Mense quidem brumæ.*) Liber Junii, *Numæ*, annotatur ibidem: Ita *Februarium* dictum, quem *Februo*, id est, Plutoni consecrarit *Numa*.

158. *Dedit hunc Agrippa sorori.*) Junius: Agrippa Judæorum Rex post mortem Herodis, cui nupserat Berenice soror, suspectus fuit de incestu cum ea admissio.

159. *Observant ubi festa mero pede sabbata Reges.*) Hebræi sacra, & sancta non ingrediebantur loca, nisi nudis pedibus. Gyraldus *Annot. Dialog.* X.

246. *Endromidas Tyrias, & fœmineum ceroma.*) Ecce heic *endromidem* & *ceroma* conjunxit, ut modo *trechedipna*, & *ceromaticum collum* copulabat, ut utrobique eandem sententiam non iisdem verbis expresserit. Turneb. *lib.* III. *cap.* XVII.

259. *Hæc sunt, quæ tenui.*) *Hæc*, pro *hæ*: enallage. Infra:

Hæc tamen & partus subeunt discrimen. —

Terent. *And. Act.* IV. *Scen.* I.

Hæc nuptiæ non apparabantur mihi.

Eun. *Act.* III. *Scen.* V.

Continuo hæc adornant, ut lavet:

Heaut. *Act.* IV. *Scen.* VII.

Porro hæc talenta dotis apposcent duo.

Phorm. *Act* V. *Scen.* VII.

Hæccine erant itiones crebræ.

274. *Ipsis exspectantibus.*) Sic scripsi ex veteri meo codice. M. & vulgati, *atque*, N. *semper spectantibus.*

276. *Tu tibi tunc curruca.*) Ita Miggrodii. N. *Tu tibi tum curruca.* P. *Tunc tibi tu curruca*: non, *eruca. Curruca*, vel, ut in aliquot antiquis libris est, *caruca* avis est, metaphoricos is dicitur, qui alienos liberos pro suis educat.

301. *Inguinis & capitis quæ sint discrimina, nescit.*) Brodæus *Miscell. lib.* II. *cap.* XXI.

303. *Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno.*)

Quidam

Quidam olim unguentum in potu addiderunt, ut odore prodigo fruerentur ex utraque corporis parte, Brodæus *Miscell. lib.* IV. *cap.* IV.

306. *Et dubita, qua sorbeat aera sanna.*) Junius: *Sannam* heic vocat ronchum, a stertente temulenta editum.

307. *Tullia quid dicat notæ Collacia Mauræ.*) lib. antiqui, N. P. M. I. *collactea*, pro *collactanea*, quæ eodem *lacte* nutrita est. Hic versus deest in multis codicibus.

312. *Tu calcas luce reversa Conjugis urinam, magnos visurus amicos*) id est, Dum salutatum is homines potentes. Veteribus *magni* erant *amici* homines potentes, qui ab inferioribus, ut clientibus patroni, observantia omni & officio necessitudinis & obsequii colebantur. Vide Turneb. *lib.* II. *cap.* XXIV.

343. *Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum.*) Liber Collegii Cathar. & meus, *nigrumve.* Hadr. Jun. Animadvers. *lib.* II. *cap.* I. legit *Priscumque. Sympuvium* autem vas est ligneum, quo in sacris utebantur.

366. *Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper Oscula delectent, & desperatio barbæ, Et quod abortivo non est opus.*) Brodæus *Miscell. lib.* IV. *cap.* XXI.

429. *Luteo feris intestino.*) Synizesis: sic Sat. X.

Incude, & luteo Vulcano. ——

441. *Tot tintinnabula.*) Ita scripsi ex libro collegii Cathar. P. *ac tintinnabula*: M. & vulgati: *& tintinnabula.*

448. *Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit, Dicendi genus, aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema, nec historias sciat omneis.*) Heic *sermonem rotatum* esse arbitror, orationem conversione conclusam, atque comprehensam ambitu: quod genus dicendi a Cicerone versum, ob Aristotele συνηχημένον appellatur: quo genere loquendi contorta oratio est, ideoque brevior, quam sponte Naturæ fusa. Turneb. *lib.* III. *cap.* XVII. Muretus *Variar. Lect. lib.* VIII. *cap.* XXI. Libri antiqui, N. P. *curvum.*

459. *Magnos commisit elenchos.*) Vide Massarium in IX. *Plin.*

502. *Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum Ædificat caput.*) Vide Junii *Comment. de Coma cap.* VII.

518. *Nisi se centum lustraverit ovis.*) Ova expiationibus, lustrationibusque adhibebantur, ac præcipue in sacris Isidis. Vide Brodæi *Miscell. lib.* I. *cap.* XXV. & Cœl. Rhodigini *lib.* XXVII. *cap.* XVII.

519. *Donaverit ipsi.*) Gul. Canterus *Novarum Lect. lib.* III. *cap.* VI. legit *igni.*

528. *A Meroe portabit aquas, ut spargat in æde Isidis.*) Vide Brodæi *Miscell. lib.* IV. *cap.* II.

537. *Magnaque debetur violato pœna cadurco.*) Sic *Satyr.* VII.

Institor hibernæ tegetis, niveique cadurci,

Libri antiqui: *caduceo*, male.

559. *Formidatus Othoni.*) Junius: Seleucus astrologus, cujus consilio Galba Imperator ab Othone jugulatus est. Junius ex libro Susii: *formidandus.*

578. *Frictus ocelli.*) Junius: Huc spectat Melampodis liber περὶ παλμῶν. & illud: *Oculus mihi dexter salit.*

584. *Præbebit vati crebrum poppysma roganti.*) id est, Metoposcopo & chiromanti roganti sibi manum ostendi & frontem, ut facere solent, *præbebit crebrum poppysma*, quod est, adulabitur & adsentabitur, captans ejus benevolentiam, ut sibi fata sua canat, & eum prope adorabit. Vide Turneb. *lib.* IV. *cap.* XV. & *lib.* V. *cap.* XXIII.

590. *Consulit ante falas, delphinorumque columnas.*) id est Consilium capit a divinatoribus & astrologis, qui in Circo ante falas & delphinorum columnas versabantur. *Falæ* turres sunt ligneæ. Vide Nonium, & Festum. item Turneb. *lib.* V. *cap.* XXIII. & *lib.* XVIII. *cap.* XXXIII.

661. *Medicamina Regis.*) Mithridatiam antidotum.

AD LIBRUM III.

Ad Satyram VII.

H*Alcyonem Bacchi.* vers. 12.) Liber Junii: *Alcinoum Bacchi.*

52. *Scribendi cacoethes.*) Polit. *Miscell. cap.* XLVI.

62. *Cum dicit Horatius, ohe.*) Junii liber: *euæ*, ὅθι Horat. *Carm.* XIX. *lib.* II.

Euoe recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. euoe parce Liber,
Parce gravi metuende thyrso!

73. *Cujus & alveolos, & lænam pignerat Atreus.*) De Poeta intelligitur, qui dum *Atreum* tragœdiam

 scribit

scribit, oppressus paupertate cogitur *alveolos*, id est, lances suas & paropsides, & *lanam pignerare*, id est pignori opponere & oppignerare. Vide Turneb. *lib.* XXXIV. *cap.* IV. N. *albeolos* P. M. *albiolos*, male librariorum vitio: qui *b.* pro *v.* familiari quadam commutatione scribebant, quod si animadvertisset Georg. Merula, non fuisset tam misere deceptus.

80. *At Sarrano, tenuique Saleio.*) ita Britannicus. Domitius Calderinus, ex duobus codicibus certissimæ fidei, & summæ vetustatis legit:

——— *Et Sarrano, tenuique Salcio.*

pro quo alii habent, *salino*, inepte.

89. *Semestri vatum digitos circumligat auro.*) Annuli enim æstivi & hiberni semestres sunt. Paris, inquit, histrio, qui multis militiæ honorem largitur, vatibus dat annulos aureos, eosque locupletat, Turneb. *lib.* XX. *cap.* II.

120. *Pelamydum: aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi.*) Ita libri antiqui, sed in Miggrodii libro, *aut.* in N. P. & scriptum erat. Georg. Merula, *epimendia*: al. *epimenidia*, ut sit proceleusmaticus. Had. Junius ex manuscriptis:

Pelamydum Afrorum, & veteres epimenia bulbi.

Nescio, *inquit*, quid de *epimenidio* tertio scillæ genere, ad *Epimenidem* nomen suum referente, in hunc locum nugantur commentatores: ego manuscripti codicis fidem secutus, & Grammatici pervetusti non omnino mali annotationem, *ἐπιμήνια* intelligo exilia munuscula, ac veluti xenia sordida, quæ in singulos menseis pro navata opera conferebant, cujusmodi nominat rancidos illos, & veteres bulbos.

129. *Sic Pedo conturbat.*) *Conturbo*, verbum Juris antiquum est, & significat decoquo, dilapido, fortunas consumo. Vide Budæi *Annot. Priores in Pandectas.* Sic *Sat.* XIV.

——— *Totam hanc turbavit filius amens.*

142. *Post te an sit sella, togati Ante pedes.*—) Sic Miggrodii liber: N. P. I. *an post te sella.* Circum pedes, sunt obsequia servorum: Ante pedes, amicorum, ut ait Agrætius. Vide Turneb. *lib.* III. *cap.* XXIII.

154. *Occidit miseros crambe repetita magistros.*) Ita Polit. *Miscell. cap.* XXXIII Lib. antiqui, N. P. M. *Cambre.* Fuit autem *Cambre* vicus ad radicem Gauri montis, in quo Capuani a Cumanis dicuntur esse conflictu memoriam est historia composita *Cambre* dicta, quæ a magistris in scholis frequentissime repetebatur. Vide Scoppæ *Collect. appendice cap.* II.

160. *Arcadico juveni.*) id est, ignavo, pingui, tardo, hebeti.

192. *Appositam nigræ Lunam subduxit alutæ.*) Vide Had. Junii *Adag. Cent.* III. *In astragalis nobilitas.*

204. *Sicut Trasymachi probat exitus, atque Secundi.*) Trasymachi, & Secundi Atheniensium meminit Philostratus *lib.* I. & Suidas.

Ad Satyram VIII.

Fumosos Equitum cum Dictatore magistros. vers. 8.) id est, Fumo, situque obsitos, cujusmodi esse solent veteres imagines. Cic. *in Pisonem*: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum.* Brodæus *Miscell. lib.* I. *cap.* XIII. Sigonius *de Antiquo Jure civium Romanorum lib.* II. *cap.* XX. Lib. antiqui, N. P. M. I. *Famosos.*

16. *Attritus Catinensi pumice lumbum.*) *Catinenses* a Catina urbe Siciliæ appellantur homines molles, quod se pumice læves & glabros redderent. Vide Turneb. *lib.* VII. *cap.* XX.

50. *Qui juris nodos, & legum ænigmata solvunt.*) *Λυταὶ* solutores sunt, qui jam tantos progressus habent in jure, ut de eo respondere prope possint, & quæstiones solvere. atque ii erant, qui responsis prudentum, & quæstionibus operam dabant eos prope expressisse Juvenalis hoc versu videtur. Vide Turneb. *lib.* VIII. *cap.* XIX.

114. *Quid resinata juventus.*) Ita liber collegii Catharinæ: non, *quid enim resinata.* Martialis:

Quid facient ungues? nam certe non potes illos
Resina, Veneto nec resecare luto.

Vide Turneb *lib.* XIII. *cap.* XIX.

157. *Solam Hippo.*) Sic liber collegii Cathatinæ, non, ut alii, *Hipponam.* Turneb. *lib.* XXIV. *cap.* IV. *Solam Eponam* scribi oportere confirmat.

210. *Cum Graeco jussus pugnare secutor.*) id est, Retiarius.

235. *Ausi, quod liceat tunica punire molesta.*) Poetæ tunicam alimentis ignium & illitam, & intextam, *molestam* appellant. Brodæus *Miscell. lib.* II. *cap.* IX. & X. Junius *in Nomenclatore.*

Ad

Ad Satyram IX.

ET *canet.* verf. 40.) Georg. Valla ex vetustiſſimo codice legit, & *cevet.* ut ſit ſenſus: computat, quæ dedit, ac iterum ad libidinis devolvitur intemperantiam.

141. *Pigneribus poſitis.*) ita Priſcianus *lib.* VI.

AD LIBRUM IV.

Ad Satyram X.

PRopter quæ fas eſt genua incerare Deorum. verſ. 55.) Incerabat Deorum genua, qui votum ſuſceptum ſignabat, & ſe voti reum conſtituebat. Vide Turneb. *lib.* I. *cap.* XXI.

74. *Nortia.*) Gyraldus Syntagmate XVI. *de Diis Gentium*, *de Fortuna.* liber N. I. *Nurſia.* P. *Nurſina.* M. *Murſia.*

81. *Pana & Circenſes.*) Junius ex Suſii lib. legit *Panem*, ut intelligat frumentarias teſſeras, quas auhelabat plebs. Vide Alciat. *Parerg. Juris lib.* VIII. *cap.* V.

116. *Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.*) Polit. *Miſcell. cap.* XXI.

249. *Atque ſuos jam dextra computat annos.*) Gyrald. *Annotat. Dialog.* II. Junius ex Suſii lib. *in dextram.*

313. *Exigere irati.*) pro exigebant. Ita liber Miggrodii. Liber collegii Catharinæ, *Exigere ira poteſt.* quam lectionem Gul. Canterum *Lect. Nov. lib.* III. *cap.* VI. in manuſcript. altero exſtare annotavit: in altero vero, *Irati faciunt*, in meo, *Irati debent.* in Junii, *Exigere irati*, *debent*, *nec.* male: eſt enim redundantia verſus.

335. *Ritu decies centena dabuntur Antiquo.*) pro immenſa dote dixit Juvenalis. Certe poſteaquam crevit pecunia & abundavit Romæ, nihilominus permanſit antiqua loquendi ratio, ut decies centena infinitam pecuniam ſignificarent. Turn. *lib.* XVIII. *cap.* XXX.

Ad Satyram XI.

STationes, *omne theatrum De Rutilo.* verſ. 4.) In foro Romano fuere municipiorum ſtationes, quas heic ſignificari ſuſpicor a Poeta ſatyrico: hujus rei auctor eſt Victor, in deſcribendi fori Romani regione. Sed & Plinius *lib.* XVI. *Radices*, ait, *ejus in forum uſque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetrant.* Turneb. *lib.* I. *cap.* XXI.

59. *Sed in aure placentas.*) Ita ſcripſi ex N. P. M. I. id eſt, clam. non: *ore.*

97. *Vile coronati caput oſtendebat aſelli.*) Scoppa *Collect.* cap. XXVII. *coronatæ aſellæ* heic legendum eſſe contendit. & apud Columellam:

Nunc caput Arcadicæ nudum cute fertur aſellæ.

Nam cum veteri ſuperſtitione hujus animalis calvaria ex agris incommoda arceri poſſe putarentur, uti ex Etruſca conſtabat diſciplina, id fœminæ, non maris calvaria fieri conſuevit: quod aperte Palladius *lib.* I. ſic indicat: *Omnia femina horti, vel agri feruntur ab omnibus malis, ac monſtris tuta ſervari, ſi agreſtis cucumeris tritis radicibus ante macerentur: item equæ calvaria, ſed non virginis intra hortum ponenda eſt, vel potius aſinæ, creduntur enim ſua præſentia fœcundare, quæ ſpectant.* Ex quibus Palladii verbis colligitur, id fœcunditatis gratia fieri conſueviſſe, quæ in fœminis maxime conſiſtit.

148. *Quiſquis erit, magno.*) Ita liber collegii Cathar. non:

Quiſquam erit & magno. —

173. *Qui Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.*) Ita libri antiqui. & ſic Turneb. *lib.* XXIV. *cap.* XXVIII. legit hoc ſenſu: Qui ſputo & ſaliva trochum, quem jacturus eſt, lubricum & volubilem magis reddit. Conſtat enim genus illud ludi Græcanicum fuiſſe, ut & nomen *trochi* oſtendit, & quod apud Auctores reperimus, *Græco trocho ludere. Lacedæmonii* autem omnium Græcorum maxime exercitationes celebrabant & colebant. unde & *Lacedæmonium orbem*, ut mihi videtur, appellavit. Brodæus *Miſcell. lib.* V. *cap.* XXVI. *pedemate*: quod eſſe putat tripudii genus, in quo diu ſe

se in gyrum versantes, hodie quoque mimi subinde emicant, & subsiliunt. Polit. *Miscell.* cap. XXXVIII. *pitylismate*, id est, exercitationis genere, quod fit micatione, & gesticulatione manuum, vel pedum. Sic & Jul. Scaliger *Poetices lib.* I. *cap* XXII. Flavius *Conject.* cent. I. *poppysmate*, id est, sibilo, qui in re obscœna fieri consuevit. Mart. *lib.* VII. *Epigr.* XVII. in Gallam:

Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?

Lacedæmonium orbem, id est, præposteram Venerem. *orbem*, metaphorice, pro podice, accipit. Τὸ *lubricat* rem certe obscœnam ostendit. Alciatus *Parerg. Juris lib.* VI. *cap.* III. Alia quoque, *inquit*, Laconum exercitatio, cum nudi, oleoque uncti in sudatorio exercebantur, quod Laconicum πυρίνμα, seu, quod idem est, πυριατήριον dicitur, ab Agrippa fabricatum, ut Dion *lib.* LII. auctor est, unde & ego arbitror scripsisse Juvenalem:

Qui Lacedæmonium pyreismate lubricat orbem.

licet alii *pitylismate*, alii *pedemate* legant: qua in re sua cuique stet sententia.

201. *Spectant hoc nuptæ juxta recubante marito, Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis.*) Hos duos versus in libro collegii Catharinæ heic scriptos reperi: qui in manuscript. libris, quos Gul. Canterus habuit, post hunc versum:

Ad terram tremulo descendant clune puellæ.

legebantur, ut ipse *Novarum Lect. lib.* III. *cap.* VI. testatur. Hadr. Junius ex codice Hæc mundano, in quo additi erant, legit hoc modo:

Namque una, atque eadem vini patria atque ministri;
Quod pudeat, narras aliquid præsentibus ipsis
Spectant hoc nuptæ juxta recubante marito.

Ad Satyram XII.

SEd *læta ostendens Clitumni pascua sanguis Iret, & a grandi cervix ferienda ministro.* vers. 13.) Hostias ante solitas feriri clavis aut securibus a ministris, indicat Juvenalis. Turneb. *lib.* XV. *cap.* IXI.

44. *Urnæ cratera capacem.*) Vide Junii *Animadvers. lib.* IV. *cap.* V.

123. *Inclusus carcere Nassæ.*) id est, Physici, qui infirmos in suis domiciliis curabat, ut habet liber collegii B. Catharinæ. Junii manuscr. *Nattæ* habet: in quo & annotatum erat; *Nattam* fuisse medicum, qui domunculis suis inclusos ægrotos curabat. rectene illi Commentatores divinarint, judica.

AD LIBRUM V.

Ad Satyram XIII.

NE *dubitet Ladas.* vers. 97.) De *Lada* Pausanias in Corinth. & Lacon. Solinus *cap.* III. Lib. collegii Catharinæ, *Ne dubitet. laudas*: & P. M. *nec dubitat. laudas.* non recte.

199. *Spartano cuidam.*) Glauco, de quo vide Herodotum *lib.* VI.

Ad Satyram XIV.

ET *quod majorum vitio, sequiturque minores.*) Ex libro collegii Catharinæ hunc versum adscripsi: quem & Junii manuscr. habebat, & in utroque libro Gul. Canteri subnectebatur, ut ipsemet *Novarum Lect. lib.* III. *cap.* VI. fatetur. [*Versus spurius, quem Pulmannus ex Cantero proximum primo in sua editione jussit esse. Vide Grangæum.* HENNINIUS.]

97. *Et cœli numen adorant.*) Gul. Canterus *Novarum Lect. lib.* IV. *cap.* II. ex Aurato *lumen* legendum esse didicit.

115. *Verendum.*) Al. *verendi*, id est, verecundæ actionis.

131. *Concham æstivi cum parte lacerti Signatam.*) Ita libri antiqui, N. P. M. Hieron. Magius *Miscell. lib.* II. *cap.* X. legit:

Alterius concham æstivi cum parte lacerti.

&

& partem, inquit, pro *cauda* accipe. sola enim in precio *cauda* fuisse videtur. Martial.

Cum Sexitani fertur tibi cauda lacerti.

192. *Perlege rubras.*) Hinc Cicero: *Ad rubricas se transfert.* Junius.

229. *Et qui per fraudes patrimonia conduplicare.*) Hunc versum, quem quidam nothum putant, liber collegii Catharinæ non habebat.

260. *Et ad vigilem ponendi Castora nummi.*) Divites olim in templo pecunias suas deponere soliti erant, eas quasi Diis committere & credere se existimantes. Brodæus *Miscell. lib.* IV. *cap.* XVII.

263. *Et Cereris licet.*) Polit. *Miscell. cap.* LXXXV.

269 *Perditus, ac vilis.*) Ita liber collegii Catharinæ, non ut P. M. & vulgati: *Perditus a Siculis.*

287. *Lacernis.*) Ita lego ex antiquis libris, non *lacertis.*

305. *Dispositis prædives hamis.*) Sic Libri Veteres, N. P. M. non, *armis*, ut correxit Britannicus, qui per synalœphen *es* excludit: non, ut quidam, *dives armis.* Sunt enim *hamæ*, vasa aquaria rotundioris formæ, & ventris globosioris: quibus ad exstinguenda incendia solebant uti. Vide Turneb. *lib.* XIX. *cap.* XXIII.

Ad Satyram XV.

ILLic *cæruleos, heic piscem fluminis, illic.* vers. 7.) Junii liber: *Illi cæruleos, hi piscem fluminis, illi.* Cæruleos vermes memorat Solinus *cap.* LXV. Brodæus *æluros* legendum censebat, non *cæruleos.* *Ælurum* autem Ægyptiis Deum fuisse ex Herodoto licet cognoscere. Vide Turneb. *lib.* VII. *cap.* VIII.

16. *Mendax aretalogus.*) *Aretalogus*, non tam videtur a virtute dici, quæ ἀρετὴ vocatur, quam ab ἀρεστὸς, id est, gratus & placens, qui narrationes & fabellas, acroamataque auribus auditorum grata loquitur. proinde & nugatores eo etiam nomine & garruli censentur, cum usu veniat persæpe, ut scurræ illi nugentur & garriant. Vide Turneb. *lib.* X. *cap.* XII.

25. *De Corcyræa temetum duxerat urna.*) Horat. *Epistolarum lib.* II. ad Florum:

Pullos, ova, cadum temeti, nempe modo isto.

In vet. lib. N. P. M. I. *deduxerat* male.

93. *Vascones, ut fama est.*) Ita scripsi ex antiquis libris, N. P. M. I. non, ut Britannicus, *Vascones fama.* Paullinus:

Vasconiæ saltus. —

Item eadem Epist.

— *Sic Vascone saltu.*

139. *Parcit Cognatis maculis similis fera.*) Brodæus *Miscell. lib.* III. *cap.* XXVIII.

Ad Satyram XVI.

BArdaicus. vers. 13.) Sic lib. collegii Cathar. & Junii, id est: Gallicus & militaris, Barbarusque. P. M. & vulgati *Bardiacus.* male. Vide Turneb. *lib.* XXIII. *cap.* XXIV.

24. *Offendere tot caligatos, Millia clavorum.*) nam militum caligæ clavis suffixæ erant. Turneb. *lib.* I. *cap.* VII.

FINIS

ANNOTATIONUM

THEOD. PULMANNI.

PETRI PITHOEI, JC.

IN

D. JUNIUM JUVENALEM

Variæ Lectiones.

P. PITHOEUS JC.

Lectori.

IN hac editione, Lector, illud potissimum nobis propositum fuit, ut inter plura variaque, nec contemnendæ vetustatis exemplaria, unius omnium sane optimi atque antiquissimi scripturam curaremus exprimi, quod de *Budensis* cladis reliquis in Thassillonis quondam ducis cœnobium relatum fuisse, ex *Matthiæ* adscripto nomine facile adductus sum, ut crederem. Id ad nos tandem pervenit Francisci fratris carissimi dono, cui plura longe ac meliora, ut spero, posteritas debitura est. Atque utinam veteris librarii manum omnibus omnino locis adsequi licuisset. verum, nescio quo, malo genio factum est, ut exemplar illud nulla parte melius esset, quam qua imperiti lectoris impio & infelici stilo erasum, infeliciori etiam calamo emendatum, aut mendatum potius & contaminatum fuit: adeo ut mihi recentioris scripturæ vestigia quasi notæ indicesque fuerint ad veterem indagandam atque eruendam, quam adjectæ passim ad utrumque marginem interpretationes interdum suppeditarunt, sæpe nos & ipsæ deseruerunt. Earum porro quem Auctorem nominatim laudem, non habeo, cum nullum præferat codex ille, quo hac parte usi sumus unico: quanquam non ignoro a plerisque non postremæ notæ scriptoribus *Probo* tribui commentaria non in *Juvenalem* modo, sed & in A. Persii Satyras illa, quorum heic quoque bonam partem emendatiorem damus, usi etiam hac in re consilio judicioque amicorum, atque in primis Jos. Scaligeri viri incomparabilis, de quo quidquid prætera dixero, minus erit. Id vero illi an ex veterum librorum fide, an ex conjectura potius faciant, non satis scio. Illud dissimulare non possum, quod *Berytium* nonnulli vocant, frustra eos, & parum critice facere, si ad *Valerium Probum* referre velint, cujus hæc ætatem ferre nullo privilegio possunt. Sed nec *Probo* quidem illi tribuam, quem Lupus noster sub Karolo Calvo Imp. in Germaniæ saltu liberales disciplinas tractasse, *Satyram* etiam *tentasse* ait. Nam & illa literatioris sunt sæculi, & quod ex Taciti historia *Moysen* repetunt, vereor, ne sit hominis Christiana religione nondum imbuti. At illa sane de *crucis supplicio*, & *Alamanniæ* nomen, aliaque ejus generis nonnulla, post Constantinum

num Magnum ſcripta nemo, niſi hiſtoriæ ignarus, negaverit. Ego vero, quod ceteris fere Veterum Grammaticorum Gloſſis & Commentariis, idem & huic noſtro accidiſſe video, ut ex Variorum diverſæ, & ætatis, ſic eruditionis Interpretum notis conflatum, inſtar & ipſum Satyræ eſſet. quin & in antiquo exemplari ſæpe me ab initio ex marginum diverſitate, interpretationum etiam diverſitatem notaſſe memini: quam tamen in hac editione repræſentare neque potui, neque, opinor, debui. *Valla* & ipſe vir diligentiſſimus ſui nobis *Probi* fragmenta ad Satyras tantum aliquo pro captu atque arbitratu ſuo exhibuit, quæ tamen adjumento non levi plerisque locis fuerunt, quos ex illis vel emendavimus, vel ſupplevimus, adjecta etiam ſua cuique nota, quod heic ab operis prætermiſſum video. Cetera omnia ex noſtro illo unico exemplari, non ſine magno labore ac tædio, expreſſa ſunt, ea plane fide & religione, ut quodammodo verendum nobis videam, ne ſuperſtitioni plerique aut negligentiæ, nonnulli etiam imperitiæ adſcribant, quod veteris ſcripturæ vitia interdum retinere maluimus, quam conjecturis ex ingenio emendare. quod nobis quidem non difficile fuiſſe, locis ſaltem aliquot haud negaverim: at erit illis fortaſſis perfacile omnibus, quibus ad ſpicilegium plura ſupereſſe reliquæ meſſis intereſſe putavi. Ne tamen omnes omnia ſibi quoque in hac temere licere arbitrarentur, paſſi ſumus quædam ex illis adjici, quæ inter legendum ad oras libri adnotaveramus memoriæ magis cauſſa, quam ut in publicum exirent: verum ea lege, ut cui uſui non forent, poſſent illa ſine fraude ſua, pace etiam noſtra a corpore reliquo disjungere, &, ſi videretur, abjicere. Vale.

[*Reſpicit Clariſſimus* Pithœus *in hac Præfatione,* Satyrarum A. Perſii, D. JUNII JUVENALIS, & Sulpiciæ *Editionem*, *quam* Mamertus Patiſſonius *ex officina* Roberti Stephani *anno ſuperioris ſeculi quinto ſupra octogeſimum primus omnium cum* Veterum Commentariis *ex bibliotheca* P. Pithœi Jc. *cujus &* Notæ quædam *ſunt adjecta, typis deſcriptam Eruditis procuravit in ea forma, quam librarii* in octavo *appellare conſueverunt. Præfert illa editio itidem diſtinctionem* Satyrarum Juvenalis *in* Quinque Libros *Pauciſſimas vero illas, at doctas* Pithœi Notas *heic integras poſtliminio reſtituimus; quas miramur adeo faſtiditas a* Variorum conſarcinatoribus, *cum nihilominus textum* Juvenalis, *de quo emendando* Pithœus *unus omnium præclariſſime meritus, tantum non fideliſſime exſcripſerint. Certe olim ita placuere doctis, ut bis terve brevi temporis intervallo fuerint recuſa.* Notas *Clariſſimi* Pithœi *in* Scholia Veterum, *ad calcem* Notarum in Juvenalis Satyras *ſubjecimus, ubi illa conjungere, ordine quaque ſuo, viſum fuit, quæ ad* Scholia Veterum *a Doctis ſunt annotata.* HENNINIUS.]

PETRI PITHOEI JC.

VARIAE LECTIONES IN JUVENALEM.

LIBRO I.

In Satyram I.

RAnci Theseide Cordi. verſ. 2.) Apud Servium *in* 1. *Æneid.* eſt Codri.

155. *Teda lucebis in illa.*) Scriptum fuit in Opt. Ex. *lucebit*, & ſecundo ab hoc verſu, *ſulcum deducit arena.* Sed emendatum *lucebis*, & *deducis.* nec ullus eſt in his Satyris locus, quem ego ex Grammaticorum Gloſſis minus grammatice intelligam.

In Satyram II.

COEna ſedet. verſ. 120.) An potius ſic diſtinguendum fuit:

— Ingens
Cœna, ſedet: gremio jacuit nova nupta mariti.

Apul. *Accumbit ad ſummum thorum maritus, Pſychen gremio ſuo complexus.*

In Satyram III.

SUmit trechedipna. verſ. 67.) Sic olim L. ſed repoſitum *rahedipna.* Vet. Gloſſ. *Cupedicinus*, τρεχέδειπνος. Et apud Plutarch. VIII. *Symp.*

80. *Qui ſumſit pinnas mediis, ſed natus Athenis.*) ſic videtur fuiſſe ſcriptum in Opt. Ex. nunc *Achivis.* Sane Dædalum Athenienſem fuiſſe conſtat.

187. *Plena domus libris venalibus,*) Sic L. additumque Gloſſæ loco, id eſt *panibus.*

208. *Nil habuit Cordus.*) Opt. Liber hoc loco aperte habuit *Codrus.* Nam prior quidem hujus nominis ſcriptura recentioris eſt manus; ut jam dubitem, an non & Sat. 1. *Codri* potius legendum, quam *Cordi*: quando & Vetus Interpres de eodem Poeta utrumque dictum adnotat.

218. *Hæc Aſianorum.*) Hæc fuit Vetuſtiſſ. Ex. ſcriptura, quam interpretationes huc uſque retinuerunt. Hodie in textu emendatum legas, *Fecaſianorum.*

255. *Serraco veniente.*) Apud Serv. in. 1. *Æn.* Sarraco.

In Satyram IV.

AVitiis æger verſ. 3.) In Optimo Exemplari ſcriptum fuit:

A vitiis ægra ſolaque libidine fortes
Deliciæ, viduas tantum ſpernatur adulter.
Qui refert igitur. —

13. *Titio-Sejoque.*) L. & alii veteres Libri, *Serioque*: quod temere rejiciendum non eſt.

33. *Facta de merce.*) Sic L. Interpres tamen legit, *fracta*, quod etiam plerique codices habent: at nullus, quem quidem viderim, *Farta*, quod tamen ingenioſum eſſe diffiteri nolim.

67. *Stomachum laxare ſaginis.*) L. habuit aliquando: *ſaginam.* ſed emendatum, *ſaginis.*

In

In Satyram V.

Vilis Gabba. verſ. 4.) Sic L. emendatum. *Galba*, ut & apud Valer. Martialem ſcriptum eſt *libris* I. & X. *Epigr.*

90. *Propter quod.*) Verſus ille, qui in editionibus quibuſdam ſequitur:

Quod tutos etiam facit a ſerpentibus atris.

etſi Satyrico ſale non caret, non fuit tamen in Vetuſtiſſ. Ex. nec adjectus quidem: ob idque in hac editione, quam ejus exemplaris loco eſſe cupimus, non inſeri facile paſſi ſumus.

LIBRO II.

In Satyram VI.

Credo Pudicitiam.) In uno Vet. Cod. Cadurc. hæc Satyra inſcripta eſt L. FURSEDIO POSTUMO.

19. *Aſtræa receſſit.*) Vet. gloſſ. Latinogræc. *Aſtræa*, παρθένος δικαιοσύνη, ἡ Ἰουστιτία. quod ad hunc locum referendum eſt.

130. *Nec dum ſatiata.*) Eædem ſch. Cad. *ſed non.*

271. *Aut ficta pellice.*) L. *ficta paelice.* Sic & in eodem Exemplari ſcriptum fuit Satyr. II. *paelex.*

295. *Hinc fluxit ad Indos.*) Sic L. alii codices, *ad Iſtros*, quidam etiam, *Iſthmos*, quæ diverſitas facit, ut jam non diſpliceat illa ex conjectura lectio:

— *Hinc fluxit ad iſtos*

Et Sybaris colles, hinc & Rhodos & Miletos.

Qua ſignificatur, ex quo paupertas Romana deſiit, ab eo tempore Romam confluxiſſe Sybariticas, Rhodias Tarentinaſque delicias. Niſi cui potius placet Jac. Aug. Thuani v. c. ſummaque ut dignitate, ſic eruditione acrique judicio præditi ſententia, qui *Rhodon & Mileton* aliquando legendum ſibi videri admonuit, hoc ſenſu, Paupertatem Roma excedentem fluxiſſe ad illas civitates, quæ ante deliciis & voluptatibus inſignes erant.

306. *I nunc.*) In Opt. Ex. verſus inter hunc & ſequentem recentiori manu adſcriptus fuit:

Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ.

Quem tamen lubenter in hac etiam editione retinuerim.

326. *Neſtoris hirnea.*) Sic L. ut in carmine Virgilii *in Noctuinum.*

329. *Jam dormit.*) L. *Si jam dormit.* & illud, *jam*, deletum ſtilo.

410. *Cuncta arva teneri.*) L. *arma.*

429. *Et loto terram ferit.*) Sic L. al. *terramque luto.* Salv. IV. *ad Eccl. Cath.* *Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino Falerno nobili lutum faciunt, menſæ eorum ac toreumata mero jugiter madent.*

497. *Admotaque lanis.*) Sch. Cadurc. *amotaque.*

504. *Credas aliam cedo.*) L. *credo.*

533. *Qui grege linigero.*) L. & alii duo cod. *lanigero*, quod hîc reponi velim.

558. *Cujus amicitia.*) Hic verſus cum ſequenti additus eſt in Opt. Ex. alia, quam veteris librarii manu.

561. *Lævaque ſi longo.*) L. *longa.*

579. *Collyria poſcit.*) L. *poſcunt.*

632. *Mordeat ante aliquis.*) Et hi duo verſus addititi ſunt in Vetuſtiſſ. Ex. Et vero deeſſe in quibuſdam Vetus Interpres notavit.

648. *Rabie jecur incendente.*) L. *rabiem jecur incendere.*

LIBRO III.

In Satyram VII.

Cuboe. verſ. 61.) Sic L. ſic & apud Sidon. *lib.* VIII. *Epiſt.* vet. lib.

165. *Quid do.*) Apud Priſc. *lib.* VIII. *quod do.*

204. *Sicut Traſymachi.*) Sic habuit Opt. Ex. ſed repoſitum, *Lyſimachi.*

240. *Ne faciant vicibus.*) Sunt, qui putent non eſſe hos verſus Juvenalis. Exſtant tamen in Opt. Ex. & referuntur a Servio in illud *Eclog.* III.

— *Tranſverſa tuentibus hirci s.*

In Satyram VIII.

G*Orvinum posthac.* vers. 7.) Et hunc versum habuit Opt. Ex. habuerunt & alia duo.

61. *In aequore pulvis.*) L. *cujus.*

105. *Inde Dolabella est.*) L. *Inde Dolabella, atque hinc.* Doctiss. tamen Scaliger legendum censet. *Dolabellas.*

133. *Ipsumque Promethea ponas.*) Al. *pingas.*

155. *Torvumque juvencum.*) Quidam Codices, *probumque*, alii *rursumque*, Et heic quoque optimus noster stilum passus est, ut dubitare quis non abs re de vera lectione possit, tum vero propter illud *More Numae*, quod ego ad legem de opimis spoliis referendum putarem, nisi prohiberet Servii auctoritas in *lib.* III. *Aeneid.* & ad illos versus IX.

Et statuam ante aras aurata fronte juvencum,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

Quos & hoc loco Juvenalis imitatus videtur, & illo *Sat.* XII.

Sed procul extentum petulans quatit hostia funem.

Furvam hostiam Jovi caedi non memini, nisi Stygio aut Infero.

In Satyram IX.

B*Ruscia praestabat.* vers. 14.) Opt. Ex. sic habet:

Brustia praestabat calidi circum fascia visci.

Aliud secundae notae Latiniac.

Eruccida praestabat calidi tibi fascia visci
Fructificante pilo. —

subdita mendi nota *d* literae, quasi *Eruccia* scribi debuerit. An *brustia* sive *fascia* sive *ascia* ex brusco, de quo Plin. *lib.* XVI. *cap.* XVI. ego nihil dum pro comperto affirmare ausim. locum, ut est in illis exemplaribus, deposuisse, satis pro tempore fuerit.

51. *Cum matre & casulis.*) Sic quoque scriptum fuit in utroque Exemplari: sed in Opt. postea emendatum, *casulis*, credo ex *Satyrae* XI. *vers.* 153. & XIV. 179. Sed & Tibul. *lib.* II. *Eleg.*

Turbaque vernarum, saturi bona signi coloni,
Ludit, & ex virgis exstruit arte casas.

Nos veterem scripturam integram conservare maluimus.

84. *Et libris actorum spargere.*) Apud Serv. II. *Georg.* *Et titulis actorum aspergere.*

118. *Tumque his.*) Opt. Ex. scriptura haec est:

— *Tunc est*
Id circo ut possis linguam contemnere servi;
Praecipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nec lingua mali pars pessima servi,
Deterior tamen hic, qui liber noverit illos,
Quorum animas, & farre suo custodit, & ere.
Utile consilium modo, sed commune dedisti:
Nunc mihi quid suades? —

Quam si quis attentius expendat, aut ego valde fallor, aut is mihi tandem assensurus est existimanti versum illum:

Idcirco ut possis linguam contemnere servi.

qui in omnibus aliis exemplaribus aliotranslatus est, plane tollendum de medio, ut suppositium, aut potius ut ita dixerim, duplicem: quales & alios plerosque in veteribus *Juvenalis* exemplaribus video, ut hac ipsa pagina in Opt. Cod.

Spes superest. tu tantum erucis imprime dentem.
Gratus eris. tu tantum fucis imprime dentem.

139. *Quando ego figam aliquid.*) L. *fiam aliquid, quod sit mihi tuta senectus.*

146. *Qui multa facies pingit cito.*) Opt. Ex. habuit; *Qui multa facies*, ut non sine ratione quis putet scriptum fuisse prius: *Qui maltha facies pingit cito*: quod & Scaligero nostro visum est.

LIBRO IV.

In Satyram X.

S*I Nyrtia.* vers. 74.) Lat. Ex. *Nursia*, ut & apud Livium & Tertul.

81. *Panem & Circenses.*) Sic olim habuit Opt. Ex. hodie *Panin.*

111. *Citharoedo sive Seleuco.*) Al. *citharoedus sive choraules.*

274. *Vox justi-facunda Solonis.*) In Vetustiss. Ex. primum scriptum fuit, *justificanda*; ut facile, cui vox illa modo non displicuerit, ferat reponentem; *Vox mox justificanda Solonis.* Quod ego temere nolim, licet analogia defendi posse non negem.

365. *Nos te, Nos facimus.*) Sic L. Apud Lactant. *lib.* III. *Inst.* ex Vulgatis Libris *sed te* legitur.

In

In Satyram XI.

N*On præstem vita*. verf. 57.) L. *vitæ*.

3. *Duxit habendum.*) L. *habendam*, *Qualis in Oceano fluctu testudo nataret.*

132. *Nec calculus.*) L. *cauculus.*

164. *Ad terram tremulo.*) Post hunc versum in Opt. Ex. sequebantur hi:

Spectant hoc nuptæ juxta recubante marito,
Quod pudeat narrare aliquem præsentibus ipsis.

Qui in aliis quibusdam positi sunt post illum superiorem: *Hic tibi vina dabat.* At melius videntur collocati suo infra loco, ut in Vulgatis Codicibus.

In Satyram XII.

C*Ædimus agnam*. verf. 3.) Repone ex L. *ducimus*.

14. *Et a grandi.*) Apud Serv. Æn. VIII. *& a magno*, vitio scripturæ, aut potius memoriæ.

17. *Et fulguris ictum.*) Scribe ex L. *Et fulminis ictus Evasit.*

36. *Testiculorum.*) L. *Testiculi*, ut & apud Serv. I. Georg.

59. *Quatuor ac septem.*) L. *Quattuor aut septem*, *si sit lautissima.*

73. *Mirabile sumen.*) L. *miserabile*.

86. *Quod præstat.*) Sic L. deleta postea *p* litera.

92. *Et matutinis operatur.*) Repone ex Opt. Ex. *operantur*.

110. *Partem aliquam belli.*) Additum postea in L. *que*.

LIBRO V.

In Satyram XIII.

E*Xemplo quodcunque.*) Hæc Satyra in Vet. Cod. Latin. hunc titulum habet: DE FRAUDIBUS, AD CABINIUM, CUJUS AMICUS ABNEGAVERAT DEPOSITUM.

65. *Hoc monstrum puero.*) Sic L. sed quod sequitur, ita stilo corruptum est, ut satis assequi non potuerimus, quomodo primum scriptum fuerit. In duobus aliis codicibus est; *ut monstrum puero admiranti; & vel miranti sub aratro.*

140. *Te nunc delicias.*) L. *Teno*, corrupte. Sed & hic versus in cod. Ex. perturbatus est.

In Satyram XIV.

P*Lurima sunt.*) In Lat. Ex. huic Satyræ titulus Græcis literis inscriptus est: ΠΕΡΙ ΑΝΑΓΩΓΩΝ ΠΡΟΣ ΦΟΙΣΚΙΝΟΝ. Cæterum qui sequitur primum versus:

[*Et quod majorum vitio sequiturque minores.*]

in plerisque Exemplaribus, in illo Opt. & Vetustiss. recentiori manu adjectus est loco eodem, sane non suo. Si cui retinere placet, per me quidem licet, dum reponat post tertium versum, non adeo inepta sede.

13. *Cupies.*) L. *cupient.*

30. *Implet & ad mæchum.*) Prisc. *lib.* VII. & XIII. *ad mæchos.*

78. *Ad fetus.*) L. habuit: *Adfectus.*

86. *Cetronius.*) Opt. Ex. uno loco habuit *Cretonius*, alio, *Cetonius*, & utroque emendatum recentiore manu, *Cetronius.*

190. *Romanas autem.*) Hic est horum versuum ordo in Opt. Ex. idemque in aliis omnibus, quæ quidem mihi videre contigit, contigit autem numero plura. Scaligero tamen nostro visum aliquando scio sic potius collocandos:

Romanas autem soliti contemnere leges,
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos,
Judaicum ediscunt, &c.

quod etsi nondum mihi ipse persuadere potui, aliis tamen heic adnotare ingenui animi esse duxi.

112. *Ire viam pergant.*) L. *peragant.*

206. *Ipso Jove digna Poeta.*) Scribe, ut est in Opt. Ex. *Poeta.*

232. *Metisque relictis.*) L. *meritis*, sed emendatum recte.

NICOLAI RIGALTII

AD

D. JUNII JUVENALIS

SATIRARUM

LIBROS V.

NOTÆ.

HENRIC. CHRISTIANUS HENNINIUS

Lectoribus S.

NICOLAI RIGALTII V. C. ad JUVENALEM *Notas*, doctas, Jupiter, & elegantes heic *integras* vestro, benevoli Lectores, usui exhibemus; & quandoquidem raritate sua gratiam novitatis receperunt, nulli dubitamus, quin iis recudendis gratificaturi simus Viris Eruditis. Expressimus illas ex editione *Roberti Stephani*, in qua, Cura NICOLAI RIGALTII, D. JUNII JUVENALIS *Satirarum Libri* V. & *SULPITIAE Satira*, *nova editione*, &, ut loquimur secundum bibliopolas, in octavo, Eruditis denuo exhibebantur anno CIↃ. IↃC. XVI. Eleganti & nitidæ huic Editioni præfigitur doctissima NIC. RIGALTII *de Satira* JUVENALIS *ad Illustrissimum* JAC. AUG. THUANUM *Dissertatio*, quam & Nostræ huic Editioni in limine præfigendam curavimus. Subjiciuntur ad calcem ejusdem *Viri Clarissimi* in JUVENALEM *Notæ*, hasque excipiunt *Notæ aliquot repetitæ Lectionis*, quas junctim sub quasque loco & adscriptis versuum numeris ad reperiundi facilitatem fidelissimis typis exscribendas dedimus. Pauculæ sunt Notæ, & breviores, sed quæ *Prisciani*, *Servii*, *Acronis*, & similium ex Juvenale citationes, nec non nonnullas MSS. *Codicum* Variantes Lectiones repræsentent. Vale, Lector, & hisce fruere.

NICO-

NICOLAI RIGALTII AD *JUVENALEM* NOTÆ.

LIBRO I.

Ad Satiram I.

RAuci Theseide Codri.) *In quibusdam Exempl. legitur* : Cordi. *sed a Prisciano & Servio citatur* Codrus: *& est Græcum nomen Κόδρος.* *Charisius* lib. I. Duo hæc nomina in suo statu permanent, Codrus & Congrus. non enim dicitur Coder, nec Conger.

6. Necdum finitus Orestes.) *Lucilius*:

Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

10. Aurum Pelliculæ.) *χρυσόμαλλον δέρας.*

13. Assiduo ruptæ lectore columnæ.) *Citatur a Servio ad illud* Georg.

Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ.

28. Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum.) Ventilare, *ventulum facere. Terent.* in Eunucho. *Sic Martialis*:

Et æstuanti tenue ventilat frigus.

38. Optima summi Nunc via processus.) *Licinius Rufinus* lib. XLI. ff. De donat. int. vir. & ux. Imperator Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit. *Et in Vet. Inscript.*

OB SPEM PROCESSUS EIUS.

Item in alia:

VOTUM. AESCULAPIO. SANCTO.
OB. PROCESSUS SUOS.
CUM VALERIA. NICE. CONIUGE.

51. Venusina digna lucerna.) *Horatiana lucubratione.*

55. Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi Jus nullum uxori.) *Nimirum per fideicommissa legibus illudebant: & maritus ipse leno suæ uxoris succedebat adultero hæres, ut sic adulteri bona ad adulteram pervenirent.*

57. Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.) *Citatur ab Acrone ad illud Horatii* Carm. lib. III. od. VI.

Seu jussa coram non sine conscio
Surgit marito.

Parmenion:

Αὐτῷ τις γήμας πλουσίαν τῇ γείτονι ἐρίσχει,
Καὶ τρέφεται, τοῦτ' ἦν εὔκολος ἐργασία.
Μὴ πλεῖν, μὴ σκάπτειν, ἀλλ' εὐστομάχως ἀποῤῥέγχειν,
Ἀλλοτρίῳ δαπάνῃ πλούσια βοσκόμενον.

57. Vigilanti stertere naso.) *Ut Cipius ille παρεγρέγχων.*

66. De Mæcenate supino.) *Sic Sat. XII.*

——— Teneris quoque Mæcenatibus.

84. Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas.) *De Pyrrha loquitur, ut de lena quadam.*

90. Ad casum tabulæ.) *Ad aleam. Sic Plautus* Casinam *dixit, quam Græci κληρουμένην.* Tabulam *autem* lusoriam *dixit Martialis* lib. XIV. Epig. VII. *& Græci recentiores, ταβλίζειν.*

94. Quis fercula septem secreto cœnavit avus?) *Tangit sui seculi luxum. Nam, ut notavit Cato, in atrio & duobus ferculis epulabantur antiqui. Servius ad illud* I. Æneid.

——— Regali splendida luxu.

97. Ne Suppositus venias, ac falso nomine poscas.) *id est, ne suppetas, ut loquitur Ulpianus, l.* Si quis ux. §. Apud Lab. ff. De Furtis.

111. Pedibus qui venerat albis.) *Plinius* lib. XXXV. cap. XVIII. Tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde cretatis pedibus advenissent.

114. Etsi funesta Pecunia templo Nondum habitas.) *Sed postmodum habitavit. Arnob.* lib. III. Quis ad extremum Deam Pecuniam esse credat, quam velut maximum numen vestræ indicant literæ?

115. Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus.) *Cicero* II. de Legib. OLLA, PROPTER QUAE DATUR HOMINI ASCENSUS IN COELUM, MENTEM, VIRTUTEM, PIETATEM, FIDEM, EARUMQUE LAUDUM DELUBRA SUNTO. NEC ULLA VITIORUM SACRA SOLENNIA OBEUNTO. *vide Plin.* lib. II. cap. III.

116. Quæque salutato crepitat Concordia nido.) *Ovid.* VI. Metam.

— Crepitante ciconia rostro.

Petron.

— Ciconia crotalistria.

133. Quandam longissima.) *Legendum:*

Votaque deponunt. quanquam longissima cœnæ
Spes homini. —

Hadriano interroganti, Quid est longissimum? *Epictetus re, ondit*: Spes.

136. Rex horum.) *Sat.* V.

Fructus amicitiæ magnæ, cibus: imput t hunc rex.

Columella, in Præf. An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendicissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somnumque regis sui rumoribus aucupantis.

148. Eadem cupient facientque minores.) μετηξοί-ει ζι, *ut supra tritavum*, majores: *sic infra trinepotem* minores. *Sic autem ipse Juven.* Sat. II.

— Et Catuli Paullique minoribus.

Et Sat. VIII.

— Senonumque minores.

149. Omne in præcipiti vitium stetit.) *Vellejus* lib. II. Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in præcipitia pervenitur.

155. Tæda lucebis in illa, &c.) *id est, Ardebis in tunica molesta, & jam ecce raptaris per mediam arenam, ut pice oblitus & impactus unco flammeris.*

157. Et latum media sulcum deducis arena.) Sic *Sat.* VII.

— Tenuique in pulvere sulcos
Ducimus. —

168. Tecum prius ergo voluta Hæc, anime, ante tubas.) *Sic Pindarus* Olymp. Od. II. ἄγε θυμέ *Sic Gallio apud Quintilianum*, lib. IX. cap. II. Dura, anime, hodie, dura: heri fortior fuisti. *Priscianus* lib. XVIII. Nemo sibi ipsi potest imperare, nisi figurate, quasi ad alium loquens, in secunda persona seipsum proferat, ut Juvenalis in I.

Tecum prius ergo voluta, Hæc, anime.

Alii legunt:

Tecum prius ergo voluta Hæc animo.

quomodo etiam fortasse legit Priscianus. Livius Erotopæg. IV. Meminens varo corde volutat. *Gratianus Imp.* Epist. ad Auson. Quum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem.

Ad Satyram II.

QUi Curios simulant.) *Quintilianus* lib. I. Ac veterum quidem Sapientiæ professorum multos & honesta præcepisse, &, ut præceperunt, etiam vixisse facile concesserim. nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum & tristitiam, & dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendebant.

10. Inter Socraticos notissima fossa cinædos.) *Eodem sensu Martialis* dogma Socraticum *innuit* lib. IX. Epig. XLVIII. *Et Julius Firmicus* lib. VII. cap. XIV.

32. Ubi nunc lex Julia? dormis?) *Appianus* in Libycis: Οἱ Λακεδαιμόνιοι λύοντες ἐν χρείᾳ τὴν ἀτιμίαν τῶν ἁλόντων περὶ Πύλον, ἔφασαν, Κοιμάσθω οἱ νόμοι σήμερον.

53 Comedunt coliphia paucæ.) *Nimirum apud Martialem Philænis*

—— Coliphia sedecim comedit.

κωλίφια, *pernæ*: *Atticis*, κωλῆνες *Phrynich. Vide Athen.* lib. IX.

60. Magno quæ dormit tertia lecto.) *Ipsa scilicet, & maritus, & pathicus aliquis, aut idem etiam draucus.*

69. Damnetur, si vis, etiam Carfania) *Carfania improbissima mulier inverecunde postulans & magistratum inquietans. Ulpian.* l. I. π. de Postul.

69. Talem non sumet damnata togam.) *Toga virorum fuit & mulierum, quæ corpore quæstum faciebant, & est hac de re insignis locus* Philipp. II. *si recte legatur,* Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem reddidisti: primo vulgare scortum: certa flagitii merces; nec ea parva.

83. Nemo repente fuit turpissimus.) *Quintil.* lib. VII. Accusator autem ad præsentem quæstionem, de qua sola judicium sit, cognitionem allegabit, dicens, neminem non aliquando cœpisse peccare, nec per *issylum* ducendum scelus primum.

83. Fuit turpissimus.) *Vet. Exempl.* Nemo repente venit turpissimus.

92. Lassare Cotytto.) *Crebris invocationibus fatigare. Sic*

Sic Horatius:

— Prece qua fatigent
Virgines lectæ minus audientem
Carmina Vestam.

95. Vitreo bibit ille Priapo.) *Plin. initio* lib. XXXIII. In poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere.

97. Galbana.) *Vet. Gl.* Galbæ, *κόσμια. Γαλβάνη*, Galba.

111. Et fracta voce loquendi Libertas.) *Sic* Sat. I.

— Et magna libido tacendi.

123. Si mulier vitulum.) *Phædrus* lib. III.

131. Nec quereris patri.) Intelligitur Romanos quemi apud Patrem, *inquit Priscianus*, lib. VIII.

147. Omnibus ad podium spectantibus.) *Servius ad illud*. V. Æneid.

Mox totum caveæ consessum ingentis, & ora
Prima patrum. —

Hoc est, *inquit*, quod Juvenalis ait:

Omnibus ad podium spectantibus. —

Ad Satyram III.

Ego vel Prochytam præpono Suburræ *vers.* 5.) *Martialis*:

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Suburra.

6. Nam quid tam miserum, tam solum vidimus.) *Sallust. eodem sensu dixit* loca sola & nuda gignentium.

12. Ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.) *Sic* Sat. VI.

Nam si constituit, solitoque decentius optat.

20. Ingenuum tophum ?) *ἰθαγενῆ, indigenam, nativum. Vid. Glos. Agrimens.*

36. Et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter.) *Prudentius* ad Sym. II.

— Pectusque jacentis
Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.

67. Trechedipna.) *Hieronicæ de publico cœnabant ἐν τῷ πρυτανείῳ. quique ad eas epulas currebant, τρεχέδειπνοι vocabantur. Glossæ*: Cupedicinus, *τρεχέδειπνος. Sumebant autem isti τρεχέδειπνοι gallicuias parasiticas, quæ τρεχάδες & τρεχέδειπνα dicebantur. Vide Joseph. Scalig.* lib. V. De Emend. Temp. *Vide de primo agone Actiaco. In Vetere Inscriptione legitur*: FILIO. BENE. MERENTI FECIT. PATER. TRECEDIPNUS. ET MATER. ATTICE.

79. Ad summam non Maurus erat.) *In summa. Serv. ad illud*. IV. Æn.

— Hæc summa est, hic nostri nuntius esto.

96. Plana omnia dicas Infra ventriculum.) Plana, *ἴσα. Anthol.* Epigr. 11. *εἰς ἀσπλαγχνοῦς.* Epigr. in Chilonem.

97. Tenui distantia rima.) *Glossæ Veteres*: Rima, *ῥωγμὴ, σχίσις. Macrob.* lib. VII. cap. XVI. Lucina a parturientibus invocatur, quia proprium ejus munus est, distendere rimas.

107. Si bene ructavit, si rectum minxit amicus.) *Satirici stili nasus displicuit Joanni Sarisberiensi. Sic enim legit* lib. III. Polier. cap. IV.

Si bene ructavit, aut si quid fecit amicus,
Quod proferre palam non possit lingua modeste

112. Aviam resupinat amici.) *Alii legunt*, aulam, *hoc est thesaurum, sicut in Plautina* Aulularia.

113. Scire volunt secreta domus.) *Hic versus collocandus mihi videtur post duos proxime sequentes, in hunc modum*:

Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
Stoicus occidit, *&c.*

131. Claudit latus ingenuorum.) *Tegit latus. Horatius*:

Visne tegam spurco Damæ latus? —

159. Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.) *Citatur ab Acrone ad illud Hor.*

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contenito, sedet.

175. Personæ hiatum.) *Significat manducum, clare dentibus crepitantem.*

175 Personæ pallentis hiatum.) *Lucianus περὶ Ὀρχήσ. Στόμα κεχηνὸς παμμέγα, ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατάς.*

182. Hic vivimus ambitiosa Paupertate.) *Seneca*: cap. I. Non ego ambitiosus sum: sed nemo aliter Romæ potest vivere. Non ego sumtuosus: sed Urbs ipsa magnas impensas exigit.

198. Jam frivola transfert Ucalegon.) *Glossæ Veteres*: *Σκευάρια εὐτελῆ πάνυ*, Frivola.

254. Modo longa coruscat Serraco veniente abies.) Coruscat, *id est*, crispat, *inquit Servius ad illud* I. Æneid.

——— Tum silvis scena coruscis.

255. Serraco veniente abies) *Curius Fortunatianus, ubi de Verbis Vulgaribus*: Marcus Tullius serracum & ficem & scalas dicere non turpe duxit.

290. Stat contra, starique jubet.) *Priscianus* lib. XIV. Contra, *τὸ ἐξ ἐναντίας.* Juvenalis in I.

Stat contra, starique jubet. —

293. Cujus conche tumes) *Martialis*:

Et bene si cenes, conchis inuncta tibi est.

In Satiram IV.

Et est mihi sæpe vocandus Ad partes.) *Varro* lib. II. de Re Rust. Hoc silentium vocat alium ad partes.

27. Sed majores Apulia vendit.) *Seneca* Ep. LXXXVII. Tantum suburbani agri possidet, quantum invidiose in desertis Apuliæ possideret.

38. Calvo serviret Roma Neroni.) *Citatur a Servio ad illud* IV. Æn.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu.

56. Jam letifero cedente pruinis Autumno.) *Autumnum desinentem significat. Sic Virg.* VI. Aen.

Quam multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia. ——

Servius: Autumni extremitatem vult ostendere, quod ait Juvenalis:

—Jam letifero cedente pruinis
Autumno. —

nam ejus prima pars fervet. *Hic autem Juvenalis versus notatur etiam ab Acrone ad illa Horatii*: Carm. lib. II. Od. XIV.

Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

77. Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.) Pegasus *præfectus Urbi Vespasiani temporibus. Pomp.* l. 2. de orig. Jur. ff.

119. Nam plurima dixit in lævum conversus, at illi dextra jacebat Bellua.) *Ulpianus ex Labeone refert Publium Cæcum Asprenatis Nonii patrem aversa sella a Bruto destitutum, cum postulare vellet.* l. I. ff. De postulando.

123. Sed ut fanaticus œstro Percussus, Bellona, tuo divinat.) *Glossæ Veteres*: Bellonarii, οἱ θεοφορούμενοι.

149. Anxia præcipiti venisset epistola pinna.) *Hesych.* πτερυγοφόροι, τιλ... *Notavit doctiss. Casaubonus ad Suet.* Aug.

154. Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.) *Observat Acro ad Horatii* Carm. lib. III. od. XVII.

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos. ——

Ad Satiram V.

Calicem nasorum quatuor. *vers.* 47.) *Nasiternam, cui de tribus nasis unus rupius congeminaverat.* Vatinium fractum, *Martiali.*

84. Dimidio constrictus cammarus ovo.) *Sic Martialis* lib. V. Epig. LXXIX.

Divisis cybium latebit ovis.

84. Cammarus.) *Glossæ Veteres*: Καρὶς, Squilla, Galbacus. *in Cod. ms. biblioth. Reg.* Gabarrus. *Legendum*: Gammarus; *vel*, Cammarus. *Apicius in Sarcopte*: Isicia de cammaris & astacis.

89. Canna Micipsarum prora subvexit acuta.) *Plin.* lib VII. cap. LVI. Naves in Nilo ex arundine. *Cæterum duos versus, qui proxime sequuntur, hoc ordine scripserat Juvenalis*:

—Illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta,
Quod tutos etiam facit a serpentibus atris;
Propter quod Romæ cum Boccare nemo lavatur.

98. Quod captator emat Lenas.) *Prisc. lib.* V. Lenas differentiæ causa in fine circumflectitur. Juvenalis in I.

Quod captator emat Lenas. ——

109. Piso bonus.) *Piso frugi.*

127. Tanquam habeas tria nomina.) *Juvenalis scripserat*:

Quanquam habeas tria nomina. —

135. Vis frater ab ipsis Ilibus?) *Citatur a Servio ad* VII. Æn.

144. Assemque rogatum) *Sic Sat.* XIV.

Hoc monstrant pueris veculæ poscentibus assem.

146. Ancipites fungi) *Quibus male creditur.*

155. Discit ab hirsuto jaculum torquere Capella.) *In Veteri Inscriptione reperitur nomen C. Albutii Capellæ.*

LIBRO II.

Ad Satiram VI.

ANtiquum & vetus est, alienum, Postume, lectum Concutere.) *Horatius*:

Nam fuit ante Helenam cunnus tristissima belli
Causa. ———

53. Unus Iberinæ vir sufficit: ocyus illud Extorquebis, ut hæc oculo, &c.) *Martialis*:

Ut pariar mœchum rogat uxor, Galle, sed unum:
Huic ego non oculos eruo, Galle, duos?

120. Et nigrum flavo crinem abscondente galero.) *Corn. Severus apud Charis.*

———Flavo prætexerat ora galero.

123. Titulum mentita Lycifcæ.) *Duo versus proximi hoc ordine legendi videntur*:

——— Titulum mentita Lycifcæ,
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit,
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.

137. Bis quingenta dedit.) *Decies centena.*

153. Cum jam mercator Iason Clausus.) *Plin.* lib. II. cap. XLVII. Ver aperit navigantibus maria. *Ibidem*: Sævitia tempestatum concludit mare. *Vegetius* lib. IV. cap. XXXIX. Ex die III. Eid. Novemb. usque in diem VI. Eid. Mart maria clauduntur.

154. Casa candida) *Nivibus conspersa.*

166. Cui constant omnia.) *Servius ad illud* III. Æneid.

——— Cœlo constare sereno.

Constare, *inquit*, suppetere, ut Juvenalis:

Quis ferat uxorem, cui constant omnia. ———

183. Inque dies septenis oderit horis.) *Paulus l.* II. De verb. signif. ═. Cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.

254. Nam quantula nostra voluptas.) *Hippocrates περὶ Γονῆς*· Ἥσσον δὲ πολλῷ ἥδεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ μίξει πλείονα δὲ χρόνον.

256. Balteus & manicæ.) *Citatur a Servio* X. Æneid.

295. Hinc fluxit ad istos Et Sybaris colles.) *Sic ipse Juvenalis* Sat. X.

Stantibus & salvis his collibus. ———

301. Inguinis & capitis, quæ sint discrimina nescit.) *Horatius*: Carm. lib. I. od. XVIII.

Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. ———

Acro ibi: Qui per ebrietatem etiam illicitos concubitus audent. unde Juvenalis:

Inguinis & capitis, quæ sint discrimina, nescit.

307. Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ.) *In Antiquis Inscriptionibus legitur* collactea & collactia σύντροφος, ὁμογάλακτος.

310. Effigiemque Deæ longis siphonibus implent, Inque vices equitant.) *Omnino heic usurpandum illud Leænæ Lucianicæ*: Μὴ ἀνάκρινε ἀκριβῶς, αἰσχρὰ γάρ· ἐπεὶ μὰ τὴν Οὐρανίαν οὐκ ἂν εἴποιμι. *etenim consimile flagitium innuit Juven.*

321. Tollit pendentis præmia coxæ.) *Pernæ scilicet pendentis in carnario. Sic* Sat. XI.

Sicci terga suis rara pendentia crate.

340. Ubi velari pictura jubetur.) *Seneca* Ep. XCVII. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo judicio, in quo Clodius ob adulterium, quod cum Cæsaris uxore in operto commiserat, violatis religionibus sacrificii, quod pro populo fieri dicitur: sic submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur?

388. Fidibus promittere.) *Citatur a Prisciano* lib. XVIII.

412. Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe.) *Martialis* lib. IX.

Scit quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.

422. Callidus & cristæ digitos impressit aliptes.) Cristæ, μεσομηρίῳ, *interfeminio.*

471. Sed quæ mutatis inducitur, *&c.*) *Hic versus & duo sequentes citantur ab Augustino* lib. de Gramm.

475. Si nocte maritus Aversus jacuit.) *Lucianus* Dial. Mer. ἐπειδὴ δὲ τις ἀποστραφεὶς καθεύδοι, πεντε δραχμὰς τὸ μίσθωμα δοὺς ἀπῆλθεν ἀποστραφείς.

529. Antiquo quæ proxima surgit ovili.) *Intelligit septa in campo Martio. Servius ad illud* Ecl. I.

——— Multa meis exiret victima septis.

577. Vectari cum placet, hora Sumitur ex libro.) *Ammianus Marcel.* lib. XXVIII. Multi apud eos negant esse superas potestates in cœlo: nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lavari arbitrantur se cautius posse, antequam ephemeride scrupulose sciscitata didicerint, ubi sit, verbi gratia, signum Mercurii *&c.*

590. Consulit ante falas.) *hoc est, De circo astrologos. Festus*: Falæ dictæ ab altitudine, a falando, quod apud Etruscos significat cœlum. *Servius* IX. Æneid. Falæ turres, divisiones in circo, inter euripum & metas.

590. Delfinorumque columnas.) *In Descriptione Urbis Rom. regione* XII. *recensetur* Signum Delfini.

616. Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli.) *Cita-*

Citatur a Servio ad illud IV. Aeneid.

——— Et matri praereptus amor.

626. Tanti partus equae, quanti.) *Legendum:*

Tanti partus equae, tanti una venefica constat?

Sic supra, eadem satira:

Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt!

633. Praegustet pocula papas.) *Papas, paedagogus, papilli custos; qui &* Sat. VII. Discipuli custos.

LIBRO III.

Ad Satyram VII.

Gallica. *vers.* 16.) *Glossae Veteres*: Galliculae, γαλλικαί.

38. Atque uni cedit Homero Propter mille annos.) *Velleius*: Hic longius a temporibus belli, quod composuit, Troici, quam quidam rentur, fuit. nam ferme ante annos IↃ CCCCL. floruit, intra mille natus est.

50. Laqueo tenet ambitiosi Consuetudo mali.) *B. Aug.* Confess. VIII. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

83. Laetam fecit cum Statius Urbem, Promisitque diem.) *De Statio loquitur, ut de lenone. Sic paullo post:*

Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agauen.

84. Promisitque diem.) *Et lenonum puellae promittunt noctem.*

89. Semestri vatum digitos circumligat auro.) *Annulis hybernis & aestivis. Turn.* lib. XX. Advers. cap. 11.

117. Ut tibi lasso Figantur virides, scalarum gloria, palmae.) *Lucianus in* Rhet. praec. Οἱ θεατικοὶ δ' ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροῖς ἐστεφανωμένοι πάντες γὰρ ἐπὶ τὰς δουρικὰς χρείας τοὺς διάκονα.

119. Quod vocis pretium? siccus petasunculus.) *Sic* Sat. VI.

——— Tollit pendentis praemia coxae.

129. Matho deficit.) *Martialis*:

Non tu propterea, sed Matho pauper erit.

Priscianus lib. VIII. Deficio, quando accipitur pro Defetiscor, neutrum est. Juven. in III. Matho deficit.

132. Longo premit assere Medos.) *Glossae Veteres*: Asseres, δοκίδες, ὡς ἰδιωτικῶς. *Item*: Asseres, κοντοί, δοκοί, σφῆνες.

133. Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.) V. C. Emturus puero crystallina, murrhina, villas.

134. Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.) *Glossae Veteres*: Stlatarius, ἱερόσυλος. *Item*: Stlatarius πλάνος. *Item* Stlata, πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. *Festus*: Stlata, genus navigii latum magis, quam altum. *Velius Longus*: Stlataris, a Stlata, rate piratica. *Itaque purpuram stlatariam dixit Juven. ut Petron. margarita*, phaleras pelagias.

139. Ut redeant veteres, Ciceroni nemo ducentos.) *Apud Prisc. sic legitur:*

Fidimus eloquio: Ciceroni nemo ducentos?

142. Post te an sit sella, togati Antepedes.) *Agroetius* lib. de Orthogr. Circumpedes sunt obsequia servorum; Antepedes, amicorum.

154. Occidit miseros Crambe repetita magistros.) *Vetus Interpres proverbium esse ait*, de Crambe & Anetho. *Legendum*: Δὶς κράμβη θάνατος.

168. Raptore relicto, Fusa venena silent.) *Haec sunt themata, quae in scholis & auditoriis tractari solebant.*

149. Et si perfrixit, cantat bene.) *Vetus Interpres* Si infrigidatus fuit. *Martialis*:

Perfrixisse tuas questa est praefatio fauces.

Frontinus. lib. I. Strateg. Timotheus cum ex remigibus quendam sternutantem audisset, Miraris, inquit, ex tot millibus unum perfrixisse.

210. Jam grandis Achilles Cantabat patriis in montibus.) *Horatius*, Epod. XIII.

218. Discipuli custos praemordet Acoenonoetus.) *In quibusdam Exemplaribus legitur*: Acoenonoetus, *quo vocabulo usus est Tullius* lib. VI. ad Att. Nullas unquam ad me litteras misit Brutus, ne proxime quidem de Appio, in quibus non inesset arrogans, ἀκοινονόητον aliquid. *& in Veteribus Glossis, ἀκοινώνητος exponitur*, Insociabilis, sine societate. *Tamen Juvenalis scripsisse videtur* Acoenonoetus, *ut sit ἀκοινονόητος, inditum paedagogo nomen, quia communi sensu careret. Eaque significatione Marcus* Cicero *apud Gellium* lib. XII. Ἀκοινονόητοι homines estis, *inquit*, cum ignoratis prudentis & cauti patris familias esse, quod emere velit, emturum se negare, propter competitores emtionis.

234. Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae Archemori.) *Suetonius* in Tiberio. Grammaticos ejusmodi fere quaestionibus experiebatur, Quae mater Hecubae, Quod Achilli nomen inter virgines fuisset, Quid Sirenes cantare sint solitae?

240. Ne faciant vicibus.) *Plinius* lib. VII. Androgynos esse utriusque naturae, inter se vicibus coeuntes.

241. Oculosque in fine trementes.) *Citatur a Servio ad illud* Eclog. III.

——— Transversa tuentibus hircis.

241. In fine.) *Martialis*:

Cum futuis Polycharme, soles in fine cacare.

Ad

In Satiram VIII.

PArvam extortamque puellam. *verſ.* 33.) *Sic Tranquillus in Aug. dixit* Pumilos atque diſtortos.

61. Clara fuga ante alios.) *Silius* lib. X.

Sic ubi proſiluit Piſæo carcere præceps,
Ante ſuos it victor equus. —

125. Quod modo propoſui, non eſt ſententia.) *Petron.* Sententiarum vaniſſimo ſtrepitu. *Idem*: An videlicet audirem ſententias, id eſt, vitrea fracta, & ſomniorum interpretamenta? *Idem*: Controverſiam ſententiolis vibrantibus pictam.

129. Nec per conventus.) *Intelligit conventus juridicos, quales recenſet Plinius* lib. III.

190. Spectat triſcuria patriciorum.) *Ait Scaliger* lib. v. de Emend. Temp. *Juvenalem tranſcurria vocare ludos, ad quos ex Senatu tranſibant Senatores: quando ſcilicet ex Senatoribus fiebant Scurræ. Novi, qui malit ſcribere*:

— Spectat triſcuria patriciorum.

Triſcurium, *ingens cura, ut eſt Reipublicæ, quæ ſane cura digna fuerat patriciis. Priſcianus*: Compoſita a verbo Curo, Securus, Obſcurus, Tricurium. *Feſtus ex Livio*: Solicuria in omni re curioſa.

191. Planipedes.) *Mimos.* Planipes, *quarta ſpecies togatarum fabularum, apud Diomedem* lib. III. *quum actores planis pedibus, id eſt nudis, proſcenium introirent.*

225. Fœdo peregrina ad pulpita ſaltu.) *Citatur a Priſciano, lib.* VIII.

232. Arma tamen vos Nocturna, & flammas domibus, templiſque paraſtis: Ut Braccatorum pueri.) *Seneca* in Apocoloc. Itaque, quod Gallum facere oportebat, Romam cepit.

239. Et in omni monte laborat.) *Intelligit ſeptem colles Rom. de quib.* Sat. VI. *dixit*:

— Hinc fluxit ad iſtos
Et Sybaris colles. —

& Sat. X.

Stantibus & ſalvis his collibus. —

244. Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.) *Servius* VI. Æn. Patres patriæ dicebantur, non domini. Juvenalis:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

252. Qui nunquam attigerant majora cadavera corvi.) *Erant enim Cimbri δυσπρόσωποι τὰ εἴδη, ut tradit Plutarch. & Regem ipſorum Teutobocchum tam eximiæ proceritatis fuiſſe narrat Florus, ut ſuper tropæa ipſa emineret.*

272. Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas.) *Servius* Æn. XII.

— Ut longe repetam longeque revolvam.

Ad Satiram IX.

AΥ'τὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος. verſ. 37.) *Parodia ex illo Homeri*:

— Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Sic in Veteri Epigrammate nondum edito, fortaſſe Meleagri:

Μάγνης Ἡράκλειτος ἐμοὶ πόθος, οὔτι σίδηρον
Πέτρῳ, πνεῦμα δ' ἐμοὶ κάλλει ἐφελκόμενος.

63 Sed penſio clamat, Poſce) *Martialis*:

— Puerique diaria poſcunt.

84. Et libris actorum ſpargere gaudes.) *Servius ad illud* II. Georg.

— Aut populi tabularia vidit.

legiſſe videtur:

— Et tabulis actorum ſpargere gaudes.

86. Jam pater es: dedimus, quod famæ opponere poſſis.) *Ovidius*:

Ut vitio factus ſit pater ille meo.

88. Candelam apponere valvis.) *Curius Fortunatianus* lib. I. Luxurioſus adoleſcens nocte a meretricis domo expulſus, extremum ardentem ante meretricis fores abjecit: domus arſit.

105. Vela tegant rimas.) *Martialis*:

At meretrix abigit teſtem veloque ſeraque,
Raraque Summœni fornice rima patet.

Idem:

Contentus non es foribus, veloque ſeraque,
Oblinitur, minimæ, ſi qua eſt ſuſpicio, rimæ.

117. Pro populo faciens quantum Saufeia bibebat.) *Cicero* lib. II. de Legib. NOCTURNA MULIERUM SACRIFICIA NE SUNTO, PRAETER OLLA, QUAE PRO POPULO RITE FIENT.

LIBRO IV.

Ad Satiram X.

PAuci dignoſcere poſſunt Vera bona. *verſ.2.) Servius* II. Georg. Multum intereſt, *inquit*, inter vetum & opinatum malum, ſeu bonum. unde Juvenalis:

— Pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona —

38. Et pictæ Sarrana ferentem.) *Citatur a Servio ad illud* II. Georg.

— Sarrano dormiat oſtro.

39. Aulæa togæ.) *Sic Tullius*: Velis amictos, non togis.

63. Ex facie toto orbe ſecunda.) *Sic Statius Rutilium Gallicum* P R. V. *proximam Germanico cervicem eſſe ait*:

— Stat proxima cervix
Ponderis immenſi. —

100. Gabiorumque eſſe poteſtas.) *Poteſtas, magiſtratus. Plinius* lib. IX. cap. VIII. Injuriæ poteſtatum inhoſpitales. *Gracchanus Junius librum ſcripſit*, de Poteſtatibus. *Vide* l. un. De offic. Quæſt.

122. O fortunatam natam me Conſule Romam.) *Quintilianus*. lib IX. cap. IV. Videndum, ne ſyllabæ verbi prioris ultimæ, ſint primæ ſequentis. Id, ne quis præcipi miretur; Ciceroni in epiſtolis excidit. Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute. Et in carmine:

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Diomedes lib. II. Illa quoque compoſitio fugienda, ubi ſyllabæ duæ plureſque, quæ priorem ſenſum terminant, in prima poſterioris ſenſus parte ponuntur, ut

O fortunatam natam me conſule Romam.

123. Antoni gladios potuit contemnere.) *Perſtringit illa Ciceronis* II. Philip. Contempſi Catilinæ gladios, non pertimeſcam tuos.

144. Saxis cinerum cuſtodibus.) Raro hoc cuſtos niſi figurate invenias, *inquit Priſcianus* lib. VII. *Sic Virgilius* IX. *Æneid. dixit*:

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

145. Sterilis mala robora ficus.) *Martialis*:
Marmora Meſſalæ findit caprificus.

150. Alioſque elephantos.) *Statius* Theb. X.
Stat ſuper occiduæ nebuloſa cubilia noctis,
Æthiopaſque alios, nulli penetrabilis aſtro
Lucus iners. —

Placidus Lactantius: *Æthiopas alios*, Mauros dicit Occidentales. *Servius ad* I. Georg. Et in Africa fuerunt elephanti, ſed majores in India. hoc eſt, quod ait Terentius, Elephantis quem Indicis præfecerat. *Polyb.* lib. V. *Plin.* lib. VIII. cap. XI.

177. Epotaque flumina Medo Prandente.) *Dion Chryſoſt.* Or. III. de Regno: Ὧι γῆ ἴσα καὶ τὰ ἄβατα ὁδευτὰ ποιῆσαι δυνατά. εἰ βούλοιτο μὲν ποιῆσαι πεζεύεσθαι θάλασσαν, πλεῖσθαι δὲ τὰ ὄρη, τοὺς δὲ ποταμοὺς ἐκλείπειν ὑπὸ ἀνθρώπων πινομένους, &c.

178. Madidis cantat quæ Soſtratus alis.) *Sudantibus axillis*.

193. Pendenteſque genas.) *Maxillarum theſauros Plin.*

206. Et quamvis tota palpetur nocte, jacebit.) *Martialis*:

Molli pollice nec rogata ſurgit.

Idem:

Nec levat exſtinctum ſollicitata caput.

224. Quot diſcipulos inclinet Hamillus.) *Martialis*: lib. VII. Epig. LXI.

Reclunis foribus grandes præcidis Amille,
Et te deprendi, cum facis iſta cupis.

231. Hiat tantum, ceu pullus hirundinis.) *Lucianus* in Timone: Ἐν τῷ ἀγρῷ περιμένουσι κεχηνότες, ὥσπερ τὴν χελιδόνα προσπετομένην τετριγότες οἱ νεοττοί.

255. Quod facinus longo tam dignum admiſerit ævo.) *Servius ad illud* IX. Æneid.

Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.

Hinc traxit illum colorem Juvenalis:

Quod facinus longo tam dignum admiſerit ævo.

287 Ceciditque Cethegus Integer.) *Apulejus* Metam. VII. Moriturus quidem nihilominus, ſed moriturus integer.

317. Quoſdam mœchos & mugilis intrat.) *Phocas* in Arte. Hic pugil, hic mugil: ſed Juven. hic mugilis dixit.

323. Deterior totos habet illic femina mores.) *Sic* libro ad Herennium IV. Viros ad unumquodque maleficium ſingulæ cupiditates impellunt; mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit.

335. Et ritu decies centena dabuntur Antiquo.) *Non ait, antiquas, ſive ritus antiqui, dotes fuiſſe* decies centena: *ſed notat invidioſam illo ævo Romanorum opulentiam, quæ tantum ab antiqua tenuitate receſſerat, ut quaſi legitima & ſolennis dotium ſumma eſſet decies centena millia. Seneca*: Pantomimæ decies ſeſtertio nubunt.

339. Lucernas.) Λυχναψίας.

Ad

Ad Satiram XI.

STationes. *verſ.* 4.) *συνόδους*, circuli.

6. Dumque ardent ſanguine, fertur.) *Antea legebatur*: Dumque ardens ſanguine fertur. *nullo ſenſu.*

8. Regia verba.) *Ure, Seca.*

12. Egregius cenat.) Pro Egregiius. *Priſcianus* lib. III.

20. Sic veniunt ad miſcellania ludi.) *Sic iſti luxu conturbatore pereunt, ut in miſcella conſummatione gladiatores.*

27. *Γνῶθι σεαυτόν.*) *Macrobius* lib. I. in Som. Scip. cap. IX. Hinc illud a quodam inter alia, ſeu feſtiva, ſeu mordacia, ſerio tamen uſurpatum eſt:

— De cœlo deſcendit Γνῶθι σεαυτόν.

31. In qua ſe traducebat Ulyſſes.) *Seneca*: Aſpectu fœdus & ornamenta ſua traducturus.

107. Pendentisque Dei.) *Vetus Interpres ms.* quaſi ad ictum ſe inclinantis. *Virgilius* x. Aen.

— Pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos. —

173. Pitiſmate lubricat orbem.) *Chremes Terentianus*:

— Pitiſſando modo mihi
Quid vini abſumſit? —

Donatus: *Pitiſſando*, id eſt exſpuendo, dum ſaporem vini probat.

197. Nam ſi deficeret.) *id eſt, ſi vinceretur. Priſc.* lib. VIII.

Ad Satiram XII.

EXtenſum petulans quatit hoſtia funem. *verſ.* 5.) *Citatur a Servio ad illud* II. Æneid.

— Et vincula rupi.

34. Imitatus caſtora, qui ſe Eunuchum ipſe facit.) *Servius ad illud* I. Georg.

— Viroſaque pontus
Caſtorea. —

72. Cui candida nomen Scrofa dedit.) *Meſſala Corvinus*: Troja namque vulgo Italice, Latineque *Scrofa* vel *Sus* dicitur.

LIBRO V.

Ad Satiram XIII.

FLagrantior æquo Non debet dolor eſſe viri. *verſ.* 11.) *Citatur ab Acrone ad illud Hor.* Epod. x.

Et illa non virilis ejulatio.

78. Per Solis radios, Tarpejaque fulmina jurat.) *Fas eſt omnem mundi majeſtatem in ſacramento vocare, ut ait Acro ad illa Horatii* Carm. lib. II. od. VIII.

Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cœlo. —

155. Et deducendum corio bovis in mare.) *Alludit ad colonias, quas maritimas appellaverunt, quod his in mare deduceretur, ut eſt apud Siculum Flaccum.*

157. Cuſtos Gallicus Urbis.) *Rutilius Gallicus præfectus Urbi, cujus officio tutela Urbis continebatur. Statius* in Soteriis, *quæ ſcripſit pro ipſo* Rutilio Gallico:

Quem penes intrepidæ mitis cuſtodia Romæ.

199. Reſpondit Pythia vates.) *Rhetores Græci inter exempla τῆ ἀδυνάτου cenſent, τὴν Πυθίαν ψεύδεσθαι.*

Ad Satiram XIV.

MAculam hæſuram.) *Alii*: Maculam & rugam, *σπίλον ἢ ῥυτίδα.*

3. Quæ monſtrant ipſi pueris traduntque parentes.) *Quintilianus* lib. I. Utinam liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus! infantiam ſtatim deliciis ſolvimus.

30. Ad mœchum dat eisdem ferre cinædis.) *Priſcianus legit*: Ad mœchos.

101. Judaicum ediſcunt, & ſervant ac metuunt jus.) *Sic Supra*:

Quidam ſortiti metuentem ſabbata patrem.

Vetus Inſcriptio: AVR. SOTER. ET. AVR. STEPHANVS. AVR. SOTERIAE. MATR. PIENTISS. RELIGIONIS. IVD. METVENTI. F.

129. Heſternum ſolitus medio ſervare minutal Septembri.) *Apicius*, Pand. Minutal de piſcibus vel iſiciis.

163. Tandem pro multis vix jugera bina dabantur Vulneribus.) *Hyginus*: Erat tunc præmium terra, & pro merito habebantur.

196. Dirue Maurorum attegias.) *Vetus Inſcriptio in monte Vogeſo*: DEO. MERCVRIO. ATTEGIAM. TEGVLITIAM. COMPOSITAM. SEVERINVS. SATVLLINVS. C. F. EX. VOTO. POSVIT. L. L. M.

197. Ut locupletem aquilam tibi ſexageſimus annus

Adferat.) *Plin.* lib. XIV. Centurionum in manu vitis, & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas.

201. Nec te fastidia mercis Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra.) *Martialis* :

Hoc quod Transtiberinus ambulator.

Idem :

Et detracta cani Transtiberina cutis.

208. Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ.) *Hæc lectio plerisque Viris Doctissimis valde placet. atque in Veteribus quidem Glossis* Assæ *dicuntur*, *adsestrices*, *διαγίτριαι, ταῖς πατρώναις ὑπηρετοῦσαι. aliquando etiam, πρόσφοι. Reperio tamen in Vetustissimis Membranis disertissime scriptum* :

Hoc monstrant pueris vetulæ poscentibus assem.

quod, cur sperni debeat, non video : cum ipse Juvenalis Sat. V. *dixerit*:

Sed tua nunc Migale pariat licet, & pueros tres
In gremium patris fundat simul, ipse loquaci
Gaudebit nido, & viridem thoraca jubebit
Adferri, minimasque nuces, assemque rogatum.

261. Et quo Mars ultor galeam quoque perdidit.) *Quasi diceret : Martem perdidisse non solum hastam, qua ulcisci & invadere solebat, sed etiam galeam, qua tegebatur.*

271. Municipes Jovis advexisse lagenas.) *Priscianus* lib. V. Municeps, *ὁ συμπολίτης καὶ ἡ συμπολίτισσα· ὁ πολίτης καὶ ἡ πολῖτις.*

279. Sed longe Calpe relicta.) Miror, *inquit Priscianus*, quod Juvenalis *Calpe* ablativum corripuerit, cum sit simile hoc nomen Penelope, Arachne, Calliope; quorum ablativus nunquam in *e* correptam terminatur.

305. Dispositis prædives hamis vigilare cohortem.) *Præfectus vigilum per totam noctem vigilabat, & coerrabat calceatus hamis & dolabris. l.* 3. De offic. Pr. Vigil.

318. In quantum sitis atque fames, & frigora poscunt.) *Horatius*:

— Quibus doleat Natura negatis.

Ad Satiram XV.

QUalia demens Aegyptius portenta colat.) *Lucianus* de Sacrif. Ἢν δὲ ἐς τὴν Αἴγυπτον ἔλθῃς, τότε δὴ τότε ὄψει πολλὰ τὰ σεμνὰ, καὶ ὡς ἀληθῶς ἄξια τοῦ οὐρανοῦ· κριοπρόσωπον μὲν τὸν Δία· κυνοπρόσωπον δὲ τὸν βέλτιστον Ἑρμῆν, καὶ τὸν Πᾶνα ὅλον τράγον, καὶ ἶβίν τινα, καὶ κροκόδειλον ἕτερον, καὶ πίθηκον, &c.

9. Porrum, & cepe nefas violare.) *Plinius* lib. I I cap. VII. Gentes vero quædam animalia, & aliqua etiam obscena pro Diis habent, & multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos jurantes. *Et* lib. XIX. cap. VI. Allium cepasque inter Deos jurejurando habet Ægyptus.

Ad Satiram XVI.

EXspectandus erit, qui lites inchoet, annus. *vers.* 42.) *Servius ad illud* 11. Æneid.

— Si omnes uno ordine habetis Achivos.

Uno ordine, *inquit*, uno reatu; & est de annuqua tractum scientia: quia in ordine dicebantur caussæ, propter multitudinem vel tumultum festinantium, quum erat annus litium. Juvenalis:

Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus.

FINIS
NOTARUM
NICOLAI RIGALTII
AD
SATIRAS JUVENALIS.

DO-

DOMITII CALDERINI,
Veronensis, Secretarii Apostolici,
COMMENTARIA
IN
D. JUNII JUVENALIS
AQUINATIS
SATYRAS:
Recensita & Recognita
CURA
HENRICI CHRISTIANI HENNINII.

HENRIC. CHRISTIANUS HENNINIUS

Erudito Lectori S.

MAgnum & celebre fuit Proavorum nostrorum memoria nomen DOMITII CALDERINI, qui felici illo floruit seculo, quo Familiæ Mediceæ auspiciis Græcæ & Latinæ Literæ, omnisque adeo Eruditio apud Italos, cum per immanissimam barbariem aliquot seculis antea conticuissent, vindicabantur atque reviviscebant. Felicissimo illo tempore, inquam, inter tot illustres animas non minori dignitate, quam ingenio clarescebat noster hic Auctor, cujus in JUVENALEM *Commentaria* heic exhibemus. Elogium doctissimi Viri non possum, quin adscribam eo carmine, quod præfigitur repetitæ Editioni JUVENALIS, quæ Parisiis apud *Robertum Fouet* anno hujus seculi quarto decimo recusas quaternionibus exhibuit, quam & nostræ operæ sunt secutæ, *CALDERINI* in *JUVENALEM Notas:*

DOMITII VIXDUM AETATIS MEDIAE VIRI ELOGIUM.

NAm quis te, Juvenum Flos delibate, per altas
Compulit ire vias, & odoribus avia cæli
Spargere, dum seclis referas ignota futuris?
Ipsa Tibi Pallas mentem inspiravit, & ora
Solvit in electas claro sub acumine voces.
Læta Venus Tibi junxit opem, lenisque Thalia
Egit, ut Aonii legeris violaria luci.
Te Verona tulit, vidit Te Roma docentem,
Te docti stupuere senes, Te lingua virorum
Aequavit Superis, coluit Te blandior ætas.
Aldus adhuc puer, & nulli non utilis arti
Audiit e celsa jaculantem verba cathedra.
Hinc gentes petiere, fovet quas humidus Auster,
Aut premit ursa rigens, aut temperat aura Favoni;
Grajugenumque manus, patriis quæ sedibus exul
Se tulit in Latios, mala post Byzantia, tractus.
Tantus honor studiis & consolatio damni;
Tale fuit Musis jam tunc redeuntibus omen!
Quid loquar explicitos, Te divinante, Poetas?
Vel totos, vel parte sui? quippe omnia solus
Nemo valet, non centum oculos si commodet Argus.
STATIUS ergo tuis debet sua nomina chartis
Ut multum: latitaret enim sub luce maligna
ITALICUS, velo nisi te sensisset aperto:

Atque

Atque alii plures, in queis Epigrammatis Auctor
Emicat, ac radios quamvis per nubila vibrat.
At JUVENALIS *habet viridis super addita palma*
Præmia, commentisque vicem non invidet ullis.
Quod pauci tetigere duces, tua gloria pridem
Attigit, & fortes non expavere lacerti.
O si tale decus nostris fulsisset in annis!
Si tibi librorum series immensa fuisset,
Qualis ubique micat, procerumque per atria surgit,
Sol novus audires, vel cinctus imagine Lunæ
Exsereres lumen, prope deficientibus astris.

S. C.

Et ut benevolus Lector CALDERINUM propius norit, non gravabor heic addere, quæ de hoc ipso occurrunt in dialogis *de Linguæ Latinæ Reparatione*, qui, ni fallor, *M. Antonium Coccium*, Virum dissertissimum, qui familiari illius ætatis more *Sabellici* cognomen adsciverat, Auctorem habent; & recusæ conspici possunt ad calcem *Observationum Linguæ Latinæ*, quas dedit *Obertus Gifanius* anno CIↃ. IↃC. XXIV. Cujus, ut puto, *Coccii* verba ex ea dissertatione, qua inquirit, *Fueritne operæ precium id facere, ut in Veteres Poetas Commentarios ullos haberemus?* [pagina 409.] excerpta sic habent, ita tamen, ut uncinulis inclusa intelligantur nostra: *Verum* [ita loquentem inducit Baptistam Guarinum Filium.] *quum multi sint, quibus hoc nomine* [Commentationum in Poetas] *debere velimus, cui plus oporteat, quam* DOMITIO CALDERINO, Veronensi, *meo municipi, haud facile reperio: quippe cui, quemadmodum* Prunulus *modo Laurentianis* [Laur. Vallæ] *studiis emendatissimam hanc loquendi rationem, ita præcipuam Poetarum Veterumque Scriptorum enarrationem audeo adscribere. Nam præterquam, quod multiplices & varios edidit* Commentarios, *in* Valerium Martialem, Papinii Sylvas, JUVENALEM, Sappho, Propertium, *ibi jam & in* Silium Italicum, *& in* Ciceronis ad Atticum Epistolas, *utpote jam paratas, ut ipse in quadam testatur Epistola, edere maturabat: Cœperat ad hæc* Pausaniam *in Latinum vertere, quam immatura est morte præventus: &, quod omnium maxime nostris studiis calamitosum fuit,* quartum Observationum librum *habebat jam in manibus; quod opus ejus interceptum in oculto adhuc est. Vidimus earum* Observationum *quasdam illius scriptis, quasi flosculos inspersas, quas ille ideo indice nobiles fecerat, ut in majorem suscepti operis exspectationem studiosos erigeret: sed, quo major fuit exspectatio illa, eo certe lugubrior frustratio, desideriumque defuncti majus.* Multum *sane in eo homine amisimus: nihil erat tam arduum & difficile, quod de se Natura illa non sponte polliceri posset: sed est certe, ni fallor, tacita quadam fatorum invidia, quæ potiora semper ex humanis decerpat. Periit ille admodum juvenis, cui si longior vita contigisset, multo emendatiorem hodie* [scripta sunt hæc renascentium Literarum ætate.] *Latinam Linguam haberemus: nec eo inficias, habuisse eum ab initio, quorum vestigiis insisteret. Nam quod ad ipsos in* Valerium Martialem Commentarios *attinet, multum diuque* Sipontinus Antistes, *&* Pomponius [id est *Julius Sanseverinus*, qui *Pomponii Læti* cognomen assumserat in illo bonarum Literarum sodalitio, quod ea tempestate Viri per Italiam doctissimi Romæ instituerant.] *qui omnium primus id opus Romæ interpretatus dicitur in ea lectione, ut audio, evigilarunt dictitarantque non pauca: Conscripserat &* Angelus Sabinus, *quem ille* Fidentinum [in *Commentariis ad Juvenalem*; ex falsissimo illo *Martialis Epigrammate*, quo quendam suorum versuum plagiarium hoc nomine traduxit.] *appellat, aliquot annos ante in* JUVENALEM Quæstiones *quasdam accuratissime; sed hic Noster, ut natura erat facili, promtoque ad comminiscendum ingenio*

genio, non solum, quæ ex illis accepisse videri potuit, est secutus; verum per se multa etiam addidit; eaque ipsa cognitu utilissima. Nec me fugit omnino esse aliqua in ejus scriptis, quæ præcipitata potius videri possint, quam edita: sed simultas & æmulatio, duo acres stimuli, illum ad eorum, quæ scribebantur, immaturam compulerunt editionem. Hæc ille de CALDERINO felicissimi ingenii & acerrimi judicii juvene, quæ heic recitasse, cum non sint ubivis obvia, & a multis etiam doctissimis ignorentur, operæ precium duximus. Licet autem invida mors CALDERINI industriæ in medio cursu obvia doctissimam indolem sufflaminarit; exstant tamen hodieque ingenii illius non tralatitia documenta, quæ, quia Genium habuere, ætatem tulerunt, & aliquot editionibus repetita in Eruditorum manibus nunquam non sunt versata. Inter Illius autem labores facile palmam consequentur hæc ipsa in JUVENALEM *Commentaria*; quæ illa tempestate Eruditæ Italiæ summum meruere applausum. Tantis enim eo tempore JUVENALIS erat in deliciis, ut ille fere doctior haberetur, qui quam plurima Acutissimi Poetæ memoria complecteretur; & doctissimi credebantur, qui illum Poetam vel accuratius explicare possent, vel Commentariis eum illustrassent. Hinc *Merulæ, Sabini, Calderini, Politiani,* & qui non? illam provinciam sibi sumserunt. Inscripsit CALDERINUS suos hosce *Commentarios* JULIANO MEDICI, PETRI COSMI F. in qua dedicatione se JUVENALIS Satyras *nova Commentatione explicare conatum* profitetur, *licet in iis interpretandis multi bonarum artium studiosi operam posuerint, qui tamen ingenue fuerint professi, se multa non assecutos, vel carminis obscuritate, vel temporum ignoratione. sine arrogantia dictum* vult, *multa in Satyris hisce Latinorum Græcorumque auctoritate confirmata se explicasse, quæ alii gravioribus studiis occupati neglexerint, & multi literarum studiosi scire magnopere exspectarint. neque id in iis tantum, quæ quotidianis disputationibus quæri solerent; sed & pleraque, quæ vel historiæ involucro adhuc laterent, vel figurata elocutione remotiora essent, quæ tamen pro apertis & expositis in hominum opinionem recepta fuissent. se subinde non sine ratione ab aliorum interpretatione discessisse* ait; *& denique de iis locis, qui adhuc in disceptatione versantur, se ita disputasse, ut labor ipsius & ignorantibus utilis sit futurus, & iis, qui eadem habent cognita, probari possit.* Hæc Ille in limine pro igneo ingenio satis magnifice. Certum tamen est, Illum plura præstitisse in JUVENALE, quam reliquos ejus ætatis Eruditos, qui in *Satyras* hasce sunt commentati, quæ etiam caussa nos induxit, ut illum præmitteremus separatim NOTIS SELECTIS, cum plurima bonæ frugis habeat, quæ mendis expurgata, additis versuum numeris, suo quæque ordine typis exscribi jussimus. Atque utinam sibi temperasset ab insana bile, qua *Sabinum* toties acerbissime exagitavit, subinde etiam invectus acerrime in illius *Sabini* præceptorem, quem *Brotheum* Grammaticum appellat. Verum livor hic post horum fata quiescat; quæ nos jusserunt easdem invidiæ maculas pulcro corpori abstergere. Omisimus itidem illa, quæ viri Docti in præmissis INTEGRIS NOTIS vel suo Marte occuparunt, vel CALDERINO sublegerunt; quod utrumque sanequam sæpissime observo. Omissæ sunt *Paraphrases*, *Argumenta Satyrarum, Errores,* quos illi tempestate condonare liceat, quæ eousque in Antiquitatis ritus non penetrarat, prævt sequiora tempora. v. gr. ad *vers.* 249. *Sat.* x. adnotaverat Noster, nescio quid, ex Homero de robore juvenili Nestoris; cum nesciret morem Antiquorum per *digitos* computandi. Omnia ejusmodi errata delevimus; præterquam, ubi aliter in textu legit, & ex diversa lectione pro suo ingenio argutatur. Nec enim Orbilios aut Palæmones agimus. Litura denique induximus, si quid adferat οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, ut proverbio dici solet; si extra metas aberret, & a JUVENALE in diversa excurrat, quæ nihil ad rhombum faciunt. Atque hac ratione in CALDERINI *Commentario* recognoscendo & recensendo processimus, quam Eruditis Lectoribus gratam fore speramus.

DOMI-

DOMITII CALDERINI
Commentaria in Satyras
JUVENALIS.

IN SATYRAM I.

S*Emper.*) Opus totum in *sedecim Satyras* dividitur: neque assentior iis, qui in *libros* distribuunt.

1. *Semper ego auditor.*) Erone semper auditor alienorum carminum: de qua molestia & temporis jactura conqueritur Martial.

Auditur toto sæpe Poeta die.

Poeta ex diuturno erumpens silentio suam accusat patientiam, qua recitantes Poetas audiverat, cum & ipse quoque possit scribere, & nihil magis scribendum sit, quam Satyra, caussasque demonstrat ardore quodam, &, rebus congestis potius, quam dispositis, in obscuritatem pæne confunditur. Non libet confutare illorum opinionem, qui Poetam se indoctum fateri putant, nam risu potius hoc est explodendum, quam refellendum rationibus, quibus res apertissima non indiget. Heic inquam, primum se audiendis Poetis jam fessum esse ostendit: & cum tantum temporis audiendis alienis carminibus consumserit, se quoque reponere oportere ait, hoc est scribendo temporis jacturam reparare & resarcire.

1. *Nunquamne reponam.*) Nonne aliquando scribendo resarciam hoc tempus, quod aliis audiendis consumsi. *Reponere*, reficere & resarcire est, quod fuit detractum. Juvenalis:

— *Meliora ac plura reponit*
Persicus orborum lautissimus. —

Virgil.

— *Hæc rapta pro virginitate reponit.*

Papinius:

— *Qui damna dolens aliena repono*
Infelix lacrimas. —

scilicet, meas, quas reparo & renovo. Martialis: qui amissum somnum in Urbe, in provincia reparabat:

Ingenti fruor improboque somno:
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Terdenos vigilaveram per annos:
Surgentem focus excipit. —

Inde *reponere* Poetæ dicuntur, cum auditas fabulas scribunt, nam ita tempus audiendo consumtum *reponunt*. id est reparant & resarciunt. Horatius:

Scriptor honoratum si forte reponis Achillem.

i. e. scriptum jam ab Homero, alibi:

Fabula quæ posci vult & spectata reponi.

3. *Impune.*) *Impune* sine pœna dicitur: quæ autem sine pœna fiunt, *passim* aguntur, qua ratione Horatius *impune* pro *passim* usurpavit in *Arte Poet.*

Ne spissæ risum tollant impune coronæ:

alibi: — *Sed mente recepta*,
Obturem patulas impune legentibus aures.

Cum scribo, inquit, habeo eorum rationem & timeo, ne offendam

— *Genus irritabile vatum.*

possumne fugere, cum volo relaxare animum, quo minus audiam recitantes, cum & aures meæ patulæ sint, & illi *impune*, id est, ubique occurrentes velint audiri. Quis vero probare possit, quod Tortellius, & eum secuti tradiderunt? *Impune*, sine effectu esse exponendum, quid commune habent hæc verba? Apulejum afferunt, non tam antiquorum imitatorem, quam suorum verborum opificem: apud quem, si de eo esset disceptatio, *Impune* aliter intelligi facile demonstrari posset. Sed Apulejum omittimus, non enim quod ipse, sed quid Juvenalis dicat, audiendum.

6 *Scriptus in tergo.*) Antiqui in pugillaribus membranis scribebant, ita ut scripta possent deleri, tanquam ex tabulis. Qui autem interiore pagina non contenti in tergo scribebant, damnabantur tanquam loquaces & nimii. Martial.

Scribit in adversa Picens epigrammata charta,
Et dolet, adverso quod facit illa Deo.

7. *Nota magis.*) Dum hæc verba parum recte accipiuntur a nonnullis, totius pæne Satyræ sensus depravatus est: nam ita accipiunt, quasi Juven. dicat, se operam dedisse his fabulis cognoscendis. Inde illa deli-

ramenta adstruunt,quod scilicet fateatur ætatem consumsisse in fabulis & inani disciplina. Ego vero hæc verba accipio referenda ad multitudinem recitantium, quos audiverat de his fabulis, quæ subsequuntur, ac si diceret: Nulli sæpius, aut a pluribus Poetis hæ fabulæ recitatæ fuerunt, quam mihi.

15. *Subduximus manum ferulæ.*) Nam pædagogi triviales ferula castigabant pueros. Martial.

Tristesque ferulæ, sceptra pædagogorum.

Ingenui tamen vapulabant pellibus anguillarum, teste Plinio.

22. *Uxorem ducat spado.*) His nubebant mulieres, quos illæ habebant adulteros. Martialis:

— Nubit Lictoria Ligdo,
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

22. *Nævia.*] Nomen meretricium est apud Martialem; heic pro impudenti muliere ponitur: quæ in venationem pugnamque descendit theatralem, temporibus Domitiani. Ille enim non virorum modo, sed mulierum pugnas edidit, & venationes in theatro, in quibus illustres quoque mulieres operam scenicam præstiterunt. Martial. de feris occisis a mulieribus:

Hæc jam fœminea vidimus acta manu.

24. *Patricios omnes.*) Non in *Antiochum* imperitum tonsorem, cujus meminit Martialis: is enim dives non fuit; non in *Licinum*, non in tonsorem Neronis, sed in *Cinnamum*, qui muneribus mulieris ad equestrem censum pervenerat. is tandem in Sicilia exsulavit. Inde illud Martialis:

Qui tonsor fueras tota notissimus Urbe,
Et post hoc dominæ munere factus eques,
Sicanias urbes Ætnæaque regna petisti.

multi enim per uxores locupletabantur, & fiebant equites, sic Gabinia Achillem fecit ex pugile equitem. Martial.

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillem.

26. *Pars Niliacæ plebis.*) servus ex plebe: nam in Ægypto ex plebe tantum erant servi. Martialis:

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ.

Crispinus fuit Alexandrinus, ut tradit Tacitus.

27. *Crispinus.*) Quatuor Crispinos fuisse historia tradit: Primum, qui eques dignitate Senatoria, Claudio imperante, præfectus prætorii, consularibus insignibus donatus, sub Nerone crimine conjurationis exactus in Sardiniam, accepto jussæ mortis nuncio semet interfecit; Tacitus auctor. Alterum Neronis privignum, qui puer adhuc patris imperio submersus est; ut Tranquillus scribit. Tertium, qui temporibus Othonis cum duobus centurionibus tumultu militari necatus est. Quartum, qui ex servili conditione Ægyptius Domitiani indulgentia ad equestrem censum pervenit.

27. *Lacernas Tyrias.*) Purpureis vestibus oblectatum esse Crispinum tradit Martialis:

Nescit, cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus induiturque novos.

Ea superinduebatur togæ: Tranquillus: *Dedit negotium Ædilibus, ne paterentur in foro circove quenquam consistere, nisi positis lacernis, togatum.*

28. *Ventilet.*) Hoc ad mollitiem Crispini retulit, qui manus incedendo ita languentes pendere sinebat & moveri, ut quasi ei labor esse videretur, & sudor gestare annulum & propterea ventilare.

32. *Caussidici nova.*) Hinc graviorem scribendæ Satyræ caussam orditur, ob delatores scilicet, quos Domitianus tantopere fovebat, ut ne hi quidem, qui ei amicissimi videbantur, tuti a criminationibus essent. Cum autem in eo & quæstus esset, & gratia Imperatoris pararetur, multi pauperes caussidici a forensibus caussis ad delationes se conferebant.

33. *Post hunc.*) Ex Historia suorum temporum hoc ait. nam Domitianus Aretinum Clementem cum levi delatione servi, quamvis prius amicum intimum, capitis esset condemnaturus, nihil prius dixit, quam conspecto delatore juxta lecticam, nam una gestabatur: Ita ait, vis hunc nequissimum servum cras audiamus? atque ita damnavit.

33. *Delator magni amici.*)Nonne ergo, *inquit Poeta*, scribenda est Satyra, cum caussidici delationibus locupletentur, & tot sint delatores, ut, si alii defuerint, juxta lecticam servus sit delator, qui vel amicissimum Imperatori levi delatione potest tollere, ut ille Aretinum Clementem.

35. *Quod superest.*) Nam multos jam Patricios & Senatores nobiles in exilium ejecerat & trucidaverat Domitianus. Euseb. Tranquil.

35. *Quem.*) Delatores etiam ipsi delatorem timent apud Domitianum, ut Bæbius Massa. Hunc delatorem fuisse temporibus Domitiani scribit Tacitus in nece Pisonis: *Aderat Bæbius Massa, qui nosceret.* is temporibus Vespasiani optimo cuique exitiosus erat suis delationibus.

35. *Munere palpat.*) Muneribus conciliat. nam *palpare* tractare est & lenire. Absoluta jam est a Juvenale causs. Satyræ scribendæ, quæ erat propter favorem Principis in delatores: eos repressit Titus, eosdem in initio imperii Domitianus, sed postea eosdem ita excitavit, ut hæc de eo Tranquillus scribat: *Bona vivorum & mortuorum usquequaque, quolibet, & accusatore & crimine, corripiebantur. Satis erat objici qualecunque factum dictumque adversus majestatem Principis.*

36. *Carus.*) Temporibus Domitiani hunc delatorem fuisse ostendit Plin. *Nisi,* inquit, *forte, quod non fui reus, fuissem, si Domitianus, sub quo hæc acciderunt, diutius*

diutius vixisset: nam in scrinio ejus datus a Caro in me libellus inventus est. mendose *acer* pro *a Caro* in aliis codicibus reperio. de eodem *Caro* Mart.

O cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic, ubi Palladium sit tibi, Care, decus?

36. *Thymele.*) Prima fuit, quæ saltationem scenicam instituit. Plutarchi vero interpres verbo Græco *Thymelen Neronis* pro *saltatione* reddidit. A Latino autem ait timeri delatorem, ut ostendat, ne minum quidem Imperatoris, quamvis ei jucundissimus sit, a delationibus tutum esse, sed oportere eum clam mittere Thymelen uxorem ad eum placandum.

36. *Summissa.*) Ego non intelligo suppositam ad libidinem; quæ enim forma erat in Thymele mima, ut expeteretur? sed *summissa*, id est clam missa ad delatorem placandum jocis. nolebat enim videri Latinus timere apud Imperatorem.

39. *Nunc.*) ætate nostra.

46. *Spoliator pupilli.*) Hoc etiam commode possit videri dictum in eos adulteros, qui viduas, quibus erant liberi, blanditiis suis emungebant & spoliabant, in quo carpitur Galla a Martiale:

Cum placeat Phileros tota tibi dote redemtus:
Tres pateris natos Galla perire fame.

atque hoc cum superioribus convenit, quæ de *vetulis* dixit.

46. *Spoliator.*) dum matrem scilicet viduam exhaurit bonis.

47. *Prostantis.*) Nam paupertate cogitur turpitudine corporis quæstum facere.

47. *Inani judicio.*) quod nihil Afris profuit: nam in ærarium derivata est pecunia.

51. *Lucerna Venusina.*) Nam Horatius Lucillio tersior & magis purus ad notandos hominum mores præcipuus, ut scribit Fabius.

52. *Sed quid magis Herculeias.*) Ex sensu, quo orsus est Satyram, quod scilicet docti & indocti fabulosa quotidie scriberent, quasi respirans: Nonne, *inquit*, Satyra scribenda est potius, cum tot sint caussæ, quam fabulosa?

55. *Si capiendi Jus nullum uxori.*) *Si* legitur in codicibus antiquis, non *Sit*. hoc est: quoniam sublatum est jus uxoribus capiendi hæreditates & legata mortuorum per legem Domitiani, maritus tanquam leno excogitavit, quo pacto viventes spoliet adulteros: nam corruptus pecunia & muneribus se conscium esse dissimulat.

58. *Cum fas esse putet.*) Eum notat, qui puer educatus inter aurigas, & ipse auriga aliquando, tandem ad tantam pervenerat dignitatem, ut cohorti Prætoriæ præficeretur. *Tigillinum* intelligere non placet, quamvis non ignorem illum Neroni fuisse gratissimum, non enim Poetæ temporibus vivebat, quod ex Plutarcho & Tacito scimus, ut ejus caussa ad Satyras scribendas impelli posse videatur: nam de homine sui temporis loquitur, cum dicat: *Cum fas esse putet*, scilicet nunc. Præterea vivos tantum notat obscurioribus quidem verbis & ambagibus, quod exitu Satyræ ultimis versibus plane fatetur; ubi mutato consilio de mortuis se scripturum pollicetur. nec *Othonem* intelliges, qua dixi de caussa. *Cornelium* vero *Fuscum* mea quidem sententia notat: nam is temporibus Domitiani, & Poetæ præfectus cohortis prætoriæ fuit, quod scribit Tranquillus. Idem olim flagitiosissimus, & susceptis Vespasiani partibus ardentem bello civili facem prætulit, ut scribit Tacitus: Idem temporibus Neronis aurigavit, ut principi, qui eodem studio tenebatur, placeret. nam Nero, ut Tacitus scribit, suæ aurigationis infamiam leviorem videri posse putavit, si plures fœdasset: itaque nobilium familiarum posteros egestate venales in scenam deduxit. Clarus est Fuscus epitaphio Martial.

Ille sacri lateris custos Martisque togati.

eodem fœdæ aurigationis crimine alibi Damasippum ficto nomine notat.

59. *Caret sensu majorum.*) nam egestate venalis quis olim nobilis Neroni se aurigam præstitisset?

61. *Puer.*) cum esset olim puer Fuscus, jam tenebat lora, tractabat habenas equorum auriga Neronis.

62. *Cum se jactaret amicæ.*) quasi dicat: Non in certaminibus sacris, sed in molli & obscœno vitæ genere Fuscus Neroni aurigandi operam præstitit.

64. *Jam sexta cervice.*) Eum notat, qui temporibus suis signatis falso testamentis factus erat dives, hunc alii Interpretes modo incognitum fatentur, modo *Tigillinum* affirmant, a quibus omnibus, ut dissentiam, Plinii auctoritate adducor, qui Juvenalis temporibus Regulum hoc crimine taxavit. [Vide *Britannicum.*]

65. *Nuda.*) *Nudum littus* dicimus, quod habitatoribus non occupatur, & *nudam cathedram* hoc loco, in qua solus gestabatur ille, quod erat luxuriosi, ut ante dixit *Plena ipso*.

66. *Supino*) delicato. Qui *supino* pro superbo exponunt & elato, nullum habent auctorem, licet quidam Persii versum male interpretati,

— *Latio quod honore supinus.*

superbum exposuerint, cum plane illic luxuriosum significet & mollem. Mæcenatem superbum appellatum nusquam legimus.

69. *Matrona potens.*) Veneficia accusat, quæ ita passim fiebant, ut jam viri ab uxoribus & uxores a viris tollerentur. Galla septem necavit: teste Mart.

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentina, sequi vult, puto, Galla viros.

Venenum vino misceri temporibus Juvenalis maxime in usu erat. Martialis:

Diceris hac cælebs factus quater esse lagena:

Veneficia olim coercuit Senatus multis mulieribus damnatis, ut est apud Livium; rursus eruperunt fraude Agrippinæ, quæ Claudium virum venenato boleto sustulit, vel certe veneno cibo delectabili infuso, ut Tacitus tradit, docente Locusta, quæ jam veneficii convicta fuerat.

77. *Corruptor.*) Senex, qui corrumpit nurum: nam, cum ea junior sit, facilius potest allicere pueros, quam uxor.

78. *Adulter prætextatus.*) Suorum temporum turpitudinem ex hoc notat, quod uxores a viris coactæ pueros molles in adulteria allicebant, ut his deprehensis viri abuterentur. Martialis:

Subdola famosæ moneo fuge retia mœchæ,
Lævior o conchis Galle Cytheriacis.

alibi:

Uxorem nolo Telesinam ducere, quare?
Mœcha est. sed pueris dat Telesina: volo.

78. *Et adulter prætextatus.*) Puer, qui in adulterium allicitur, ut prædicetur. Non enim movetur Juven. quod puer in prætexta adulter sit, sed quod fraus illi sit excogitata.

80. *Cluvienus.*) Nomen mali Poetæ eorum temporum. Solent enim Satyri sui temporis homines breviter & urbaniter notare, ut Martial. *Vicentem, Tappum, Ligurinum*, Juvenalis *Hispullam*: & alios, quod etiam Comici veteres stilo prope Satyri faciebant: ut legere est apud Aristophanem.

81. *Ex quo Deucalion.*) Non promittit se deducturum Satyram a temporibus Deucalionis, de hominum vitiis, ad ætatem usque suam, ut nonnulli suspicati sunt: id enim esset infiniti prope operis præstare, & polliceri arrogantis Poetæ. non enim movetur Juvenal. antiquorum vitiis, sed suorum temporum. sed hic sensus est Cum vitia omnia, quæ invaluerunt inter mortales a tempore Deucalionis, ex quo reparatum est humanum genus, quorum, scilicet, timor, ira & reliqui affectus sint farrago & argumentum nostri libelli, id est Satyrici stili, in quo volumus versari, quando ulterius argumentum datum est? ac si dicat, quando plura vitia fuerunt carpenda, nunquam tanta Satyræ facultas & argumentum oblatum est.

86. *Discursus.*) Verbum est temporum Juvenalis, quo Martialis usus est, pro concursatione eorum, qui discurrendo aliquid captabant. Martialis:

Discursus varios, vagumque mane.

86. *Nostri libelli.*) Non exponas, hujus Satyræ, quam nunc scribimus: nam vitia omnia ab initio orbis non insectatur, sed *nostri libelli*, id est generis & poematis satyrici, in quo nos Poetæ Satyri versari solemus.

87. *Et quando uberior vitiorum copia.*) id est quando fuit majus argumentum Satyræ, quando fuerunt plura vitia, quorum reprehensione Satyræ argumentum constat.

88. *Alea.*) Tempora sua notat, quibus & Domitian. & alii effuse *alea* oblectati sunt. vid. Tranquillus. Claudius ita amavit, ut de ea librum composuerit.

91. *Dispensatore.*) *Dispensator* servus erat, qui curam habebat rei domesticæ. Plinius: *Servus ejus nomine Rotundus dispensator.* Tacitus: *Dispensator Argius e prioribus servis.*

94. *Erexit villas.*) Non villarum ædificationem reprehendit, vel a severissimis Censoribus concessam, sed quod plus spatii occupabant villæ & ædes rusticanæ, quam ager: lege Censoria jubente, ne plus verrerent, quam ararent, ut est a Plinio scriptum.

94. *Septem Fercula.*) Alludit ad *Septemviros Epulones*, quorum cœna lautissima erat, teste Macrobio: et *Additiciis* vel *adipalis* dicebatur, quasi dicat: Quis luxum Septemvirum Epulonum intra privatas ædes paravit, ut nunc videmus?

95. *Secreto.*) Non conqueritur, quod in publico non epulentur temporibus suis: qui mos, etsi olim fuit, ut scribit Valer. tamen jam desiverat, sed hoc insectatur, quod cum epularum luxus Pontificalibus tantum cœnis sit concessus, ut est apud Macrob. Et septemviris epulantibus in Capitolio publice, eadem luxuria inter privatas ædes mensa pareter .. quod etiam conqueritur Varro: Sed propter luxuriam epulum est quodammodo quotidianum Romæ intra privatas ædes. ut exponas *secreto*, id est, intra ædes privatas.

95. *Nunc sportula*) Excandescit ex hoc, quod cum pauperes tantum olim salutarent, & inde captarent sportulam ad victum; jam & nobiles & divites & magistratus eundem faciant quæstum, ut Mart. Paullum consulem carpit salutantem, & alibi ad nobiles ita conqueritur:

Quid faciam Romæ, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

id est Vos nobiles jussistis nos togatos abire a salutationibus, quas occupastis. Videntur hæc esse scripta, cum Domitianus *sportulas* necdum ad *rectam cœnam* vocasset.

97. *Ille.*) Custos balneorum. nam ab eo erogabatur sportula, hoc est centum quadrantes. Mart.

Quos balneator dividebat elixus.

102. *Sed libertinus.*) Notat tempora sua, quibus Domitianus communicaverat quædam ex maximis officiis inter libertinos & nobiles: auctore Tranquil. Libertini olim in quatuor tribus distributi fuerunt, Exquilinam

linam, Palatinam, Suburranam, Collinam, ornati temporibus Claudii: nam Claudius, sive Bareas Soranus consul, Claudio permittente, prætoria insignia Pallanti illius liberto decrevit: quod etiam Plin. in *Nat. Hist.* se vidisse referi. tunc vero libertini prætoria insignia non habebant, sed tantum cum tribunis id est militibus communia quædam officia: Inde Juvenalis eos disceptantes introducit, cum Prætor & Tribunus, id est milites ante vocarentur, & indignantes, quod non sint æquati, non solum Tribunis ac militibus, sed & Prætoribus, ut temporibus Claudii fuerunt.

103. *Defendere locum*) datum nobis ab Imperatore, & communem ordinem inire cum Tribunis ac militibus.

105. *Quinque tabernæ.*) Non de numero tabernarum loquitur, quod tantum *quinque* essent: sed Romæ ita quædam *tabernæ* appellabantur juxta forum, eædem *septem* dictæ sunt. Livius: *Arserunt tabernæ circa forum, quæ olim septem, nunc quinque dicuntur.* Eas heic posuit pro omnibus prædiis viciuis foro, quæ preciosiora sunt.

109. *Exspectent ergo tribuni.*) id est cedant nobis milites, quibus Imperator nos æquavit officiis communicatis: nam parem Prætoribus locum volumus, quem habuit Pallas.

127. *Ipse dies.*) Juvenalis divitum Romanorum & nobilium avaritiam carpit, qui, ut sportulam captarent, non modo mane salutabant domi quoscunque prima & secunda hora poterant adire: nam prima & secunda hora salutationibus dabantur, sed etiam tertiam in eo consumerent, venirentque in forum ad equites salutandos, qui judices in triplici foro sedebant, nam tertia hora litibus forensibus erat destinata. Mart.

Exercet raucos tertia caussidicos.

Eodem argumento idem in avarum salutatorem:

— *Et mane sudatis urbis osculis udus*
Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis. —

128. *Sportula*) petitur, hoc est mane duabus horis salutant, & comitantur sportulæ caussa.

128. *Deinde.*) tertia hora.

128. *Forum*) Latinum petitur.

128. *Apollo jurisperitus.*) Alterum forum, ubi erat colossus Apollinis, de quo Plin. *Videmus certe Apollinem in bibliotheca templi Augusti Tuscani cum quinquaginta pedum a pollice, dubium ære mirabiliorem, an pulcritudine.* & Tranq. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo Aruspices pronunciarunt.* & paullo post: *Quo loco jam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasque judicum recognovit.*

128. *Jurisperitus.*) quod ab eo Lycurgus leges se accepisse dicebat, auctore Dionysio.

129. *Atque triumphales.*) Tertium forum notat, quo ibant ad salutandos equites, qui illic judicabant: nam hi erant in tertio foro.

129. *Inter quas.*) Hoc in tempora sua dicit, quibus Domitianus insignia triumphalium statuarum per urbem sibi erexerat, cujus rei dignitatem deprimit, cum dicat servis quoque triumphalem statuam datam esse, &, ut scribit Tacitus, *Tigillino & Cocco statuæ datæ sunt inter triumphales.*

130. *Ægyptius aut Arabarches.*) Libertinæ conditionis homines notat, quem *Ægyptium* etiam dixit in Crispini exprobatione.

131. *Mejere.*) Nam, quæ contemnebantur simulacra, spargebantur urina, ut Nero in statuam Deæ Syriæ urinam projici jussit, teste Tranquill.

133. *Deponunt vota cœnæ.*) Nam Domitianus nondum sustulerat sportulas, & rectam cœnam dari jusserat clientibus, quod postea fecit, ut est apud Tranquillum, & Mart. eo alludens

Centum miselli jam valete quadrantes.

136. *Rex horum.*) *Regem* Horatius, Columella, Martialis, Juvenalis eum appellant, qui multos habet clientes, ut hoc loco.

142. *Deponit amictus.*) Nam ante cœnam Romani lavabantur, quod multis in locis indicat Martialis. ait igitur, qui tota vorant patrimonia, & epulis replentur, insequenti die cœnaturi, cum se lavant, adhuc sunt crudi, hoc est nondum concoxerunt pridianum cibum. id est ex satyra Horatii eo versu:

——— *Crudi timidique lavamur,*
Quid deceat, quid non, obliti. ———

143. *Pavonem.*) M. Lucco, ut Varro est auctor, supra sexagena millia nummum ex pavonum proventu accipiebat.

144. *Intestata.*) Sine testamento, quia nihil habent, quod relinquant consumtis patrimoniis, ut illud Mart.

Nil dedit uxori, cui dedit ergo? sibi.

151. *Unde illa priorum.*) Veteribus Comicis olim quoque lex præscripta est, ne Principes civitatis nominatim notarent. Horatius:

——— *Quin etiam lex,*
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi. ———

& Poetæ temporibus Domitianus, auctore Tranquillo, scripta famosa non sine auctorum ignominia delevit: sed Lucilius, qui ante occupatam Rempub. ab Imperatoribus Satyram scripsit, mira libertate & acerbitate Mucium Scævolam & alios est insectatus. nihil enim timebat ab Imperatoribus, cum nulli essent.

153. *Simplicitas.*) Simpliciter loquitur, qui aperte dicit, sine ullis verborum ambagibus: unde *simplici-*

tas verborum, cum nulla adhibetur figura ad sensus velandos.

155. *Pone Tigillinum.*) Tacitus: *M. Offonius Tigillinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, præfecturam vigilum & prætorii, & præmia virtutum, quam velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam & virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone quædam ignaro ausu, postremo ejusdem desertor.* Plutarchus & Tranquillus scribunt eundem carum fuisse Galbæ, quem populi invidiam timens donis corruperat, temporibus Othonis mortuus est imperante populo Sinuessæ exsectis faucibus, cum mortis nuncium accepisset, quem muneribus corrumpere non valuit.

155. *In illa tæda.*) Ad palum duo genera supplicii erant apud antiquos; quidam enim puniebantur more majorum, hoc est pendentes e furca nudis corporibus & cæsi virgis usque ad mortem, ut Tranquillus interpretatur, unco producebantur in harenam, ubi postea pendentium crura frangebantur & injecto igne ardebant, hoc genus supplicii in Claudio commemoratum est a Tranquillo, & Nero exercuit in Christianos, quibus ardentibus in usum luminis usus est. Novum excogitavit Domitianus, qui faces per obscœna immitti jubebat.

157. *Media arena*) theatri. casus primi est, nec syllaba repugnat, quæ pentememeri defenditur.

158. *Qui dedit aconita tribus patruis.*) Tigillinum notat. nullum tamen exstat testimonium, nisi quod circumfertur ex libello Probi Grammatici: *Marcus Offonius Tigillinus homo omnium nequissimus tres patruos habuit, quos omnes, ut eorum hæreditatibus potiretur, veneno absumsit, subtractisque annulis & falso tabulis signatis, hæreditates summo scelere consecutus est.*

167. *Tacita culpa.*) Conscientia scelerum.

IN SATYRAM II.

ULtra *Sauromatas*) Domitianum oblique notat, qui Martiali adulanti appellatur

Censor maxime, principumque princeps.

Hinc igitur Poeta excandescit, hinc exclamat, & ne in Principem tantum ferri videatur, Satyræ initium detorquet in omnes, qui, cum turpissime vivant, morum sanctitatem aliis præscribunt: mox aperte Principem designat, cum de lege Julia verba facit.

3. *Curios.*) Qui simulant se esse tanta continentia, quanta fuit Curius, qui de Sabinis, Samnitibus, Lucanis triumphavit, & accusatus prædæ subreptæ cadum protulit ligneum, quem sibi ex præda solum restare juravit. Martialis in hoc genus hominum:

Qui loquitur Curios assertoresque Camillos.

Et alibi:

Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquentem.

4. *Gypso.*) Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus Sicyonius frater Lysippi.

9. *Tristibus.*) hominibus severis, qui tristi supercilio graves & censorii videri volunt. Martialis:

— *Sed habet tristis quoque turba cinædos.*

10. *Socraticos cinædos.*) Socratici dicuntur, qui de moribus disputant: nam Socrates primus de moribus disputare cœpit, dictusque Philosophiam de cœlo in terram traduxisse: hi ergo erant *Socratici*, cum de moribus loquerentur, sed tamen erant *cinædi*: nam draucos sibi adoptabant, unde in Pannicum Martialis, qui cum barbas & supercilio philosopharetur, erat cinædus:

Dic mihi, præcidi, Pannice, dogma quod est?

16. *Peribonius.*) Fictum nomen est & ad scurram potest referri; nam Græci βωμολόχον appellant scurram.

19. *Verbis Herculis.*) Vide Sil. Ital. *lib. XIV.*

21. *Sexte.*) non is, qui apud Domitianum fuit, notatur, sed qui gravis erat supercilii temporibus Juvenalis & turpissimæ vitæ.

22. *Varillus infamis.*) Notissimæ infamiæ temporibus Juvenalis, ut olim fuit Cippus, quod scribit Plutarchus.

27. *Clodius.*) Non modo mœchus Pompejæ, sed etiam duarum sororum, quarum altera Lucullo, altera Metello nupserat. auctores Livius, Cicero, Plutarchus, Sueton.

35. *Scauros.*) Lege Plinium *de Viris Illustribus* & Valerium Maximum.

50. *Hispo.*) nomen fictum ab Hispo infami, cujus meminit Plutarchus.

50. *Subit*) ore, ad fellandum.

57. *Residens in codice pellex.*) Aliena est, ut puto, eorum interpretatio, qui per *pellicem* intelligunt aut Arachnen, aut Philomelam, cum loquatur vel de ancilla textrice vel de scorto: nam scorta ad Summœnium habitantia texebant. Juven. alibi:

Quam quæ ventoso conducta sub aggere texit.

Meretrices autem sunt uxorum pellices, cum ad eas viri

viri accedere possint. Si de ancilla intelligis, sume auctoritatem ex Martiale, qui scribit: Quirinalem cum ancillis rem habuisse. hac autem dicuntur a Laronia, ut ita designet viros tanquam mulieres a Draucis subagitari, quod aperte ex persona sua objecit Juvenalis. Sed verecundius Laronia, atque ut tandem exprimat, quid reprehendat, addit:

58. *Notum est, cur Hister.*) Hister Pacuvius captatione testamentorum locupletatus libertum Draucum suum hæredem reliquit: quasi dicat: eo utebatur Drauco puellæ, ut illa conscia sceleris sileret.

61. *Cylindros.*) Cylindri lapilli omnes sunt fastigiata longitudine in speciem cylindri, id est columellæ formati. Solinus: *Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos cylindros amant fingere, eosque perforatos.* Nam cylindrus columella est ad æquandam aream, ut scribit Virgilius. Quidam tamen putavit, cylindrum esse genus gemmæ, quod non placet. Cum autem elenchi, qui sunt ex genere unionum, fastigiata & oblonga figura sint, & hi gratissimi mulieribus, nam eos digitis suspendere, & binos ac ternos auribus gloria mulierum erat, ut scribit Plinius. Juvenalis: mihi designare videtur *Elenchos* & per *cylindros* a figura elenchos intelligere, cum munera mulieribus gratissima exprimere videatur, qualia elenchi erant.

62. *Tristis sententia.*) Lex Julia.

66. *Multitia.*) *Molitia*, & *mollicinæ* vestes apud Nævium sunt muliebres, a *mollitie* dictæ. Nævius: *mollicinam crotatam chirodotam.* inde multitiæ manarunt, ut puto litteris vel mutatis vel inversis. Nam apud Nævium lego *molticinæ vestes.*

67. *Cretice.*) Critici dicuntur acuti Poetarum interpretes, & censores alienorum scriptorum. Cicero: *Ego tanquam criticus antiquos judicaturus sum.* Cum igitur hoc nomen de censore tantum scriptorum antiqui usurpaverint, & codices omnes *Cretice* habeant Legamus *Cretice* a Creta, ut dicat; Tu, qui tanquam Rhadamanthus alter & Mino Creticus, leges promulgas, pelluces, nam a Creta legum latores Minos & Rhadamanthus, & inde doctus Lycurgus Lacedæmoniis dedit.

68. *Labulla.*) Sore Cliuici medici filia; cujus Martialis meminit.

70. *Non sumet damnata.*) Morem fuisse, ut mulieres adulterii convictæ virili toga indutæ in publicum procedere cogerentur, Porphyrio & Acron prodiderunt. Martialis indicat:

Coccina famosæ donas & ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit munera, mitte togam.

70. *Julius ardet.*) Hoc dicit, quoniam viri Coam vestem æstate gestabant luxuriosi & molles.

84. *Paullatim accipient te.*) Sexaginta versus, qui sequuntur ad versum 143. una sunt & perpetua indignatio adversus sacerdotes, quorum collegium Minervæ, in Albano, Domitianus instituerat, ex quo forte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes & ludos scenicos.

84. *Qui sumunt redimicula domi.*) Ostendit eos esse, tanquam mulieres, quæ, cum colunt Bonam Deam, multa peragunt Bacchanalibus similia, potu, lascivia, scurrilitate.

84. *Redimicula.*) Tæniæ sunt, sive vittæ pendentes a posteriore parte mitræ, quod primi Phryges mollissimi homines invenerunt.

86. *Placant Bonam Deam.*) Non quod Bonam Deam illi sacerdotes colant, sed quod illorum ritus & ludi scenici nihil pæne differant a sacris Bonæ Deæ, quæ mulieres operantur.

89. *Ite prophanæ! clamatur.*) Idem mos in sacris Cereris erat. Tranquillus: *Eleusinis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis submoventur, interesse ausus non est.*

91. *Talia.*) Eorundem sacerdotum mollitiem, & scenicam illam agitationem comparat sacerdotibus Cereris, nam Ceres olim habuit conjuncta sacra cum Baccho, Ovidius:

Ipse suos ludos uvæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ille Dea.

Et Claudianus Bacchum ex adytis Cereris egredientem introducit. Ejus Deæ sacerdotes facibus discurrentes, quibus usa dicebatur ad filiam indagandam, ad extremam usque lassationem debacchabantur. Papinius:

Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo
Votivam taciti lassamus lampada mystæ.

Hi dicebantur *Mystæ*, *Daduchi*, id est gestantes facem, *Hierophantæ* id est sacrorum interpres, Strabo auctor. Idem *Baptæ* a βάπτω, quod significat tingo & lavo, nam tingere madefacere est, quoniam, qui initiabantur, lavabantur aqua calida primum.

92. *Cocyton.*) Ceres ita dicta est a verbo Attico, quod *lugeo* significat, quamvis alterum c elidatur, ut corripiatur syllaba: nam Cererem raptu Proserpinæ mœstam, qualis apud Arcades lugubri habitu colitur, ut scribit Pausanias, lacrimis & gemitu placasse dicitur: inde reddita agris fertilitate, instituta sunt illius sacra a *Cocyto*. Aviam & antiquissimam familiæ auctorem attici *Cocyam* appellarunt, auctore Suida: nam & *Cocyto*, hoc est Ceres, Deorum sacrorumque antiquissima & prima dicitur. Ovidius:

Prima Ceres avida gavisa est sanguine porcæ.

Et ut ex Varrone de Re Rustic. discitur, *Initia* dicuntur sacra Cereris, quoniam prima fuerunt, & inde *Initia* principia sunt appellata.

93. Se-

91. *Secreta teda.*) Nam taciti discurrebant. Papinius:

Votivam taciti lassamus lampada mystæ.

92. *Lassare.*) Nam ad extremam lassationem discurrebant. Papinius l. l.

— *Cursu cui semper anhelo.*

93. *Madida fuligine.*) Medicamentum intelligit, quod ex sanguine vel felle hirundinum & ovis formicarum & muscis tritis fiebat ad denigranda supercilia, auctore Plinio. *Fuliginem* appellavit a colore.

99. *Tenet speculum.*) Hoc in effœminatos dicitur. Martialis in filium cinædi:

Et patris speculum tonsi matrisque togata
Filius. —

99. *Gestamen Othonis.*) Ab incepta reprehensione, in Othonem deflectit, ut, cum damnat polientes cutem suo tempore, liberius in illum invehendo omni ex parte eos insectetur.

104. *Nimirum*) Sub Othonis persona mollitiem sacerdotum insectatur in expolienda cute. Otho tamen superatus constantia mortis anteactæ vitæ mollitiem emendavit: nam damnatis bellis civilibus, cum ei superessei exercitus & de victoria sperare posset, elegantissima oratione habita se interfecit, in quo a Martiale ita est laudatus:

Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major:
Dum moritur, nunquid major Othone fuit?

108. *Semiramis.*) Non est exemplum ab his mulieribus ad libidinem Othonis coarguendam, quod scilicet his impudicis Otho fuerit magis impudicus: Sed ut ostendat, ne mulieres quidem, cum in castris essent, curare solitas cutem, quod Otho non prætermisit.

108. *Pharetrata.*) cum esset in bello.

113. *Magni Gutturis exemplum.*) In luxum mensæ Albanæ hoc dicitur: nam illic lautissime epulabantur Imperatoris prodigalitate: inde *Albanas dapes*, & *Albanam mensam* legimus apud Martialem.

117. *Gracchus.*) Per Gracchum Juven. ubique potentem & divitem intelligit. infra:

— *Tunicati fuscina Gracchi:*

& alibi:

— *Cum Graccho jussus pugnare secutor.*

nam *Gracchorum* domus nobilitate præstabat & potentia, populari seditione comparata. hoc loco per *Gracchum* intelligit antistitem vel sacerdotem ejus collegii in Albano, quod plane indicat, cum ait eum nupsisse cornicini, cujus scilicet opera in ludis scenicis utebantur.

121. *Dictum Feliciter.*) Nihil omissum ex ritu Hymenæi, ut ostendat eos jam impudenter nubere, legitimo prope nuptiarum more, quod de Nerone scribunt Tranq. & Tacit.

120. *Segmenta.*) Muliebria ornamenta, quo verbo usus est Valer. Maximus: *Datum est mulieribus, ut segmenta aurea gestarent.*

133. *Valle Quirini.*) Ad porticum Quirini intelligit, ad quam otiosi homines conveniebant. Mart.

Vicinam pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem
Pompeji vel Agenoris puella.

145. *Capitolinis.*) a M. Manlio servatore Capitolii oriundis, qui cum affectasset Imperium, decreto Senatus statutum est, ne quis M. Manlius præterea in ea familia nuncuparetur.

147. *In his licet ipsum Admoneas.*) Sabinus legit *Admoveas.* debes addere Neronem aliis: i.e. quos diximus. Verum *admoneas* legendum est, ut codices antiquissimi habent, & sensus expostulat, & non *admoveas*, ut sint verba Juvenalis dicentis, *licet admoneas ipsum*, id est, potes hæc verba referre ipsi Imperatori, quæ scilicet sequuntur.

148. *Cujus munere.*) In cujus ludis gladiatoriis Gracchus nobilis civis misit retia, id est fuit retiarius, ut alibi ait.

152. *Qui nondum lavantur ære.*) impuberes: qui nondum sapiunt.

153. *Quod sentit Curius & Scipiada & Camilli.*) Hi enim virtutem coluerunt, & pro dignitate Imperii obierunt mortem.

160. *Modo captas.*) Hoc ex historia: nam Vespasianus, Claudio imperante, ut Tranquillus scribit, insulam Vectem Britanniæ proximam in ditionem redegit. quamvis arma Romana non videantur ultra silvam Calydoniam penetrasse.

164. *Zalates.*) Male Sabinus *Zelotes* populos esse ait Armeniæ, cum sit nomen nomen proprium obsidis.

IN SATYRAM III.

Vacuis vers. 2.) Ad Urbis differentiam, ubi multitudine sceleratorum & peregrinorum locus bonis viris non erat.

5. *Prochytam præpono Suburræ.*) Prochyta ita dicta vel ab effusione, vel a Prochyta muliere Trojana, ut Dionysio Halicarnasseo placet.

5. *Suburræ*) dicta est, quod *sub muro* terreo carinarum esset, ut scribit Varro. In ea erat sextum sacellum Argeorum, regio frequentissima rebus venalibus illic expositis: inde Martialis clamosam appellat:

Clamosa Juvenalis in Suburra.

Hæc igitur duo loca opponit, Suburram scilicet frequen-

quentiffimam & Prochytam defertam.

9. *Et Augusto recitantes mense Poetas.*) ut dicat: cogimur præter cetera Urbis incommoda audire Poetas recitantes etiam Augusto mense, qui nobis occurrentes audiri volunt. *Augusto mense* dixit, quoniam Calendis Julii migrabant Romani. sed nunquam exhauritur Urbs Poetis, qui te recitationibus suis vexent.

11. *Capena madida.*) Nam illic celebrabantur Fontinalia coronatis puteis & sparsis floribus in fontes, eodem loco lapis Manalis, quem in urbem inferebant, quotiens volebant allicere pluvias. Fest.

12. *Nocturnæ Amicæ.*) Egeriæ. Ædem Camœnarum constructam fuisse a Numa scribit Plutarchus, cum Ancile de cœlo lapsum esset, nam vetus opinio est *Egeriam* unam ex novem Musis fuisse, cum qua se habere congressium Numa ita populo persuasit. nam cum multos invitasset ad cœnam, hisque ante horam ductis nihil paratum esse ostenderet, eosdem vesperi cum duxisset, apparatum ostendit magnificentissimum. *Dionys.* de Hac vide *Ovid.*

14. *Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex.*) Judæorum paupertatem ostendit, notans tempora sua, quibus ab his tributum exactum est acerbissime, ut scribit Tranquillus *in Domitian.* Migrantes etiam & errantes Judæos designat qui semper *fanus* fasciculum gestant & cofinum. alibi de Judæa:

— Cophino fœnoque relicto.

21. *Umbritius.*) aruspex temporibus Juvenalis, cujus meminit Plinius, cum de vulturibus scribit: *Umbritius aruspex nostro ævo peritissimus.* Tacitus cum scribit Imperatori Galbæ cædem imminentem prædixisse: Plutarchus idem tradidit in Galba.

30. *Qui nigrum in candida vertunt.*) qui ex humili fortuna, quæ per nigrum lapillum designatur, ad felicitatem, quæ lapillo notatur candido, pervenerunt.

34. *Quondam hi cornicines.*) Umbritius conqueritur eos, qui cornicines, tibicines, citharœdi, nec Romæ quidem, sed in municipiis fuerunt, adeo locupletatos esse temporibus suis, ut jam tanquam magnifici & potentes munera gladiatoria exhibeant in Urbe. ejus enim generis hominibus, cornicinibus scilicet & citharœdis adeo facile erat ditescere temporibus Domitiani, ut Martialis has *artes pecuniosas* vocarit. Alibi de invidendis hujusmodi hominum opibus:

Plus habuit Didymus, plus Philomelus habet.

35. *Per oppida.*) Nam in municipiis theatra erant, ut Atellæ, ut Antii, ut Beneventi, ubi edebantur munera etiam gladiatoria, a liberto Neronis Antii, Vatinio Beneventi.

37. *Occidunt.*) Nam, qui gladiatorum munus dedit, eos dicitur occidere: nam eo auctore pereunt. Martialis:

——— Cur ludere nobis
Non liceat, licuit si jugulare tibi?

42. *Et poscere*) librum transcribendum, in adulationem.

56. *Ut somno careas.*) Nam qui divitis secreta novit scelera, semper anxius est, timens, ne aliquando objiciat & puniat, tanquam prodiderit ea in vulgus, quorum erat conscius.

61. *Græcam Urbem.*) Tempora sua notat, quod tota Urbs mimis, histrionibus, ludis sit occupata, quod alibi plerunque indignando Juven. carpit, nam Domitianus id genus hominum indulgentissime fovebat, psaltriasque, psallocitharistas, & chorocitharistas aliquando exhibuit, non contentus citharœdis, ut scribit Tranquillus. Idem Circensibus ludis addidit duas Græcorum factiones, quibus erat pannus purpureus & auratus.

63. *Chordas obliquas cum tibicine.*) Genus tibiæ notat, quæ obliqua dicebatur, quam primus Marsyas invenit in Phrygia, ut scribit Plinius.

65. *Jussas prostare puellas.*) In circo erat ædificium, quod *Menianum* dicebatur a *Meniano* conditore, ut scribunt Festus & Marcel. inde ludi spectabantur Circenses: Tranquil. *Pauci ex proximis Menianis.* In proximo prostabant meretrices, quæ ex eo appellatæ sunt *submenianæ.* Ex hoc Juvenal. amare jocatur in scenicos homines, dicens puellas, quæ prodibant in circum, videri accedere ad submenianum, ubi prostent.

66. *Mitra.*) Ite, qui oblectamini ludis, in quibus puellæ meretriciæ saltant picta mitra. Notat Principem, qui his oblectatus est. Papin. de ejus ludis:

Huc intrant faciles Hæmi puellæ.

67. *Recidimna.*) Peregrinas vestes quibus in gymnasio utebantur. nam gymnasium a peregrinis invectum est in Urbem, ubi juvenes se exercendo & ungendo vires animi amittebant. *Recidimna* autem vestes sunt, quibus in gymnasio utebantur. neque his assentior, qui parasiticas vestes putant. Sabinus legit *Chirodita* depravato sensu & versu, affertque ex Gellio expositionem non necessariam.

68. *Collo ceromatico.*) Palæstræ mollitiem notat, in qua ceromate ungebantur, id erat unguentum ex oleo & terra in speciem luti. Martialis:

Vara nec in lecto ceromate brachia tendis.

alibi:

Quod ceromata face de Sabina.

Palæstræ mollitiem carpit Plinius: *Plura de hac parte non jam dicturus, non Hercule magis, quam de terræ usu in ceromatis, quibus exercendo juventus nostra corpora vires animorum perdidit.*

70. *Samo.*) Insula est tanta feracitate, ut Menander scribat lac gallinæ inde accipi posse.

74. *Torrentior.*) Plinius de Asclepiade rhetore: *Meditata*

ditata & torrenti oratione blandiebatur.

76. *Alipies.*) *Clinicus* medicus male valentibus & jacentibus in lecto medetur: Sed *aliptes* sanos Palæstritas curabat.

79. *Ad summam.*) Denique hominem volasse per cœlum, de Dæda'o Græco fictum est: ut verisimilis fabula videretur: nam hi in cœlum se volaturos promittent, si voles, adeo vani sunt, & impudentes.

88. *Longum collum.*) Hæc assentatio erat in gymnasio in Palæstritam amicum: nam procera cervix in Palæstrita laudatur, & obstipa. Martial. de tyrone Palæstræ:

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

87. *Amici.*) a quo vel cœnam, vel aliquid aliud captat, ut Selius cœnipeta in Paullino, apud Martial. cujus pedes, comas, & singula membra laudat.

103. *Endromidem.*) *Endromis* vestis villosa, qua potissimum in Gymnasiis utebantur, sed adulator hoc loco accipiebat ad fovendum corpus, ut ostenderet se algere.

114. *Facinus majoris aballæ.*) Ingenti testimonio ostendit malas artes Græcorum & perniciosas: nam temporibus Neronis Torius Sevinus, ut scribit Tacitus, per calumnias accusavit Baream Soranum, addiditque, quod pro eo Servilia filia magicas artes in principem tractasset.

116. *Stoicus delator.*) Sorani amicus Græcus Stoicæ philosophiæ professor, pecunia corruptus, testimonium falsum in Baream dixit, Tacitus: *Egnatius emtus ad opprimendum amicum auctoritatem Stoicæ sectæ præ se ferebat habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti. Cæterum animo perfidiosus & subdolus avaritiam ac libidinem occultans, quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, ut fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos sic specie bonorum falsos & amicitia fallaces.* Alibi: *Corruptor amicitiæ, cujus se magistrum ferebat.*

122. *Solus habet.*) Solus vult possidere, non vult dare aliis. Mart.

Solus habet nummos. —

127. *Currere togatus nocte.*) summo mane, Mart.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniat sportula multa toga.

128. *Cum prætor.*) Imo & coss. Mart. in Paullum cos. quem non pudebat salutare divites more togati:

Dum tu laurigeris intras qui fascibus annum,
Mane salutator limina mille teras.

130. *Albinam & Modiam.*) Vetulas orbas & divites. Mart.

Ad vetulas tecum plus minus ire decem.

135. *Scorti vestiti.*) id est Meretricis togatæ & publicæ: nam convictæ adulterii togatæ in publicum procedere cogebantur, vel certe ad differentiam ancillæ, quæ pro veste palliolum habet.

162. *Quando in consilio est ædilibus.*) Ædiles Urbis luxus auxerunt ludis apparatissimis, quos edebant. Hæc reprehensio est in tempora Poetæ, quibus Domitianus theatralem sumtum mirum in modum auxerat, ut scribit Tranquillus: adeo ut ipse aliquando præsederit ludis coronatus, purpura amictus cum collegio Flavialium sacerdotum. Ait igitur Umbricius pauperem non admitti in consilium ab ædilibus, notans Principis studia & ludorum luxum ad superbiam.

163. *Olim.*) Quando secesserunt a Patribus, quo tempore reducti sunt ab Agrippa creatis Tribunis plebis.

168. *Quod turpe negavit.*) Romani pauperes non audent cœnare in fictilibus, ne sint ludibrio. Sed Curius Dentatus, qui ab aratro evocatus, creatusque subito Imperator triumphum duxit de Samnitibus, satis docuit id turpe non esse: nam *Samnitibus aurum afferentibus* respondit, *se malle in suis fictilibus cœnare.*

169. *Translatus subito.*) transductus subito ab aratro.

169. *Ad Marsos.*) Ad triumphalem dignitatem, quam de Marsis & Sabellis devictis reportavit.

171. *Pars magna Italiæ.*) Suadet Umbricius Juvenali, ut vivat in municipiis, ubi toga non erit sumenda ad colendos divites, nec ludorum superbia ferenda.

171. *Pars magna.*) quasi dicat: qui in municipiis sunt, pars magna Italiæ, ut & nos quoque illic possimus agere.

173. *Si quando colitur festorum Majestas.*) Veluti in luco juxta Fregellas, in agro non procul ab Aquino, quo finitimi populi conveniebant singuli. ludos, & sacrificia illic peragebant, ut scribit Strabo. Vid. & Silium.

174. *Notum exodium.*) Nota ridicula, non enim nova his componuntur in Urbe.

198. *Jam poscit aquam Ucalegon.*) Ucalegon carmine Homeri notus, & Virgiliano versu,

— *Jam proximus ardet*
Ucalegon. —

Habuit enim ædes conjunctas Æneæ: Inde Interpretes nostri decepti, hunc acceperunt pro cive vicino; ego vero pro eo tantum, cujus domus arderet, in cujus cœnaculis & tabulatis inquilini habitarent pauperes, nam superiora domus inquilinis locabantur. Martialis, se inquilinum designans:

Et tribus habito scalis, sed altis.

quæ Juvenali sunt *tabulata tertia.* Hoc igitur incommodum est in Urbe pauperibus, quod cum sint inquilini, & habitant superiora domus divitis, si domus ardet, non monentur a domino, qui vel frivola & minima quæque ex domo transfert illis neglectis.

203. *Lectus*) triclinaris. idem conjungit Plinius: *Lecti triclinares & vasa novem abacorum.*

207. *Opici.*) Populi fuerunt ex testimonio Antiochi, Polybii Strabonisque, qui primis temporibus Campaniam tenuerunt, rudes & inculti, unde cum Latini *barbari* dicuntur in contumeliam, *opici* appellantur. Cato ad filium de Graecis: *Nos quoque dictitant barbaros & spurios, nosque magis quam alios opicos appellatione fœdant.* *Opici* ergo *mures* dicuntur mea sententia heic, quasi barbari, qui doctis carminibus infesti. alibi Juvenal.

— Opicæ castigat amicæ
Verba. —

217. *Euphranoris.*) Euphranor pictor fuit, cujus Paris, Minerva Caroliana a Q. Catulo dicata ad Capitolium, bonus Eventus, dextera pateram, sinistra papaver & spicam ferens, Latona cum Apolline & Diana infantibus, in æde Concordiæ inter præclara opera numerantur. idem scyphos & marmora sculpsit.

217. *Polycletus.*) In levioribus personis exprimendis magnam obtinuit laudem, ut Plin. est auctor; ætatem graviorem refugiebat, quam non exprimebat commode.

234. *Somnum Admittunt.*) Mart. *Nec requiescendi in Urbe locus est pauperi: negant vitam magistri, manu pistores, ærariorum marculi die toto, & ad cubile est Roma; tædio fessis dormire quotiens libuit, imus in villam.*

236. *Arcto inflexu.*) Nam vici ita Romæ erant conjuncti, & obliqui, ut difficilem vehiculorum transitum præberent. Tacitus: *Arctis itineribus hucque & illuc & enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.*

237. *Mandra.*) inter cætera significat mulorum multitudinem. mulis autem vehicula olim trahebantur, unde muliones dicti, Festus auctor. Martialis:

Vixque datur longas mulorum standere mandras.

Heic pro mulionibus accipitur.

238. *Druso.*) *Drusus*, quem nonnulli belli Marsici auctorem putaverunt, morbo comitiali laboravit, quo curatus est in Anticyra, sumto elleboro, ut scribit Plinius: Drusus ergo, qui comitiali morbo exanimabatur, posset tanto strepitu excitari: sed non placet, ut scilicet comitialem morbum somnum appellaverit: magis convenit hominem sui temporis somno deditum ab eo notari, ut a Martiale Levinum:

In Pompejano dormis Levine theatro.

245. *Assere.*) Ut nonnulli sentiunt, tabulam significat, sed mea sententia a Juvenale & Martiale accipitur pro ligno eminenti, quo lectica sustinetur. Martialis:

Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet.

263. *Lintea.*) His madidum corpus ex balneis siccabant, dicebanturque *lintea teritoria*, quoniam a fullonibus sæpe terebantur, dum purgarentur. Martialis:

Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

267. *Trientem quem porrigat.*) Ægyptii, auctore Diodoro, putabant mortuorum cadavera nova repræsentatione apud inferos transvehi in ulteriorem ripam, aderat magister cymbæ, quem lingua sua *Charontem* appellabant, & cymba, quam *varin*, Græce ἰριβαντα, putabant mortuos dare obolum, quem ipsi Charonti repræsentabant, ut per Acherusiam paludem trajiceret in ulteriorem ripam. Sed Juvenalis suorum temporum avaritiam notat, cum ostendit pauperi mortuo, ne obolum quidem esse.

278. *Ebrius.*) Insolentiam juvenum Romanorum notat, quæ a Tranquillo in Nerone perscribitur. nam per Urbem incedentes pauperes sago impositos jaculabantur, ex quo Mart.

Ibis ab excusso missus in astra sago.

aut alio aliquo vexationis genera vexabant. Tranquillus *de Nerone*: *Redeuntes a cœna repugnantes verberare, cloacisque demergere assuerat. tacitus pererrabat comitantibus, qui raperent ad venditionem exposita, & obviis vulnera inferrent.*

283. *Hunc.*) Tribunum, cui tuendæ a grassatoribus Urbis custodia data est.

285. *Atque ænea lamp.is.*) Nam Tribuni incedebant prælato candelabro, quod magno luxu ex ære Corinthio fiebat. Plinius in luxum candelabrorum invectus hæc addit: *Nec pudet Tribunum militum ea salariis emere, cum id nomen a candelis impositum sit.* candelabra enim a candelis, quibus pauperes utuntur, auctore Festo dicta sunt.

287. *Candelæ.*) Nam candelis, auctore Festo, pauperes utebantur.

293. *Sectile porrum.*) apte nominat *porrum*: nam in frugali & pauperis mensa id erat. Martialis, invitans amicum:

Viles Cappadocæ gravesque porri.

alibi:

In quibus est lactuca sedens & sectile porrum.

307. *Pinus Gallinaria.*) Falluntur, qui putant hanc silvam esse, quæ ad Gallinas dicebatur: nam ea erat ad nonum lapidem in villa, quæ dicebatur Cæsarum, juxta Tiberim loco celebri, ut grassatores tuto heic esse non possent, vid. Tranq. *in Galb.* & *Plin.* Intelligo potius silvam Gallinariam, quæ, auctore Strabone, in sinu Cumano erat, multis arboribus densa & portenta in multa stadia, aquarum indiga & sabulosa: in ea præfecti classis Sexti Pompeji piratica navigia struxerunt, cum Sicilia ab imperio Romano defecit, hæc & vastita-

te erat apta grassatoribus, & eodem tractu, quo palus Pomptina, cujus ante meminit.

320. *Cererem Elvinam.*) Nonnulli dixerunt appellatam a loco juxta Aquinum, quem nusquam reperi. ego potius *Eluinam* intelligo dictam ab *eluendo*, id est *lavando*: nam qui sacris initiabantur Cereris, lavabantur. Plinius *Elvinum* quidem oppidum nominat, sed non his locis. potest & hoc referre ad celebritatem, quæ fiebat ab Aquinatibus & populis finitimis in luco Minturnensi, loco irriguo aquis, ut scribunt Strabo & Silius, ut propter eas aquas Ceres, quæ illic colebatur, dicatur *Eluina*.

320. *Vestramque Dianam.*) quam colitis in luco Minturnensi.

IN SATYRAM IV.

ECce iterum.] Accusaturus Domitianum crudelitatis, gulæ, avaritiæ, a Crispino orditur, in quo & Principem notat. Nam Domitianus cum incesta virginum Vestalium severe coerceret, tamen Crispino adultero notissimo & virginis Vestalis stupratori ignoscebat.

4. *Delicias viduæ tantum.*) Nullo adulterii genere abstinet Crispinus præterquam viduæ, ex quo ostendit eum sectari jucundiora adulteria. nam qui ad viduas & anus accedebant, paupertate cogebantur, ut scilicet pararent divitias. ante:

——— *Vetulæ vesica beatæ.*

Martialis:

Nunc sectaris anus, o quantum cogit egestas!

alibi:

Munera quod senibus viduisque ingentia mittis.

Nullum igitur committit adulterium Crispinus, nisi per voluptatem & libidinem animi, cum egestate non cogatur viduas adire.

15. *Mullum sex millibus emit.*) Asinius Celer vir consularis, ut Sammonicus refert, mullum septem millibus nummum mercatus est, in quo, teste Macrobio, luxuria seculi illius eo magis æstimari potest, quod Plinius negat mullum repertum, qui duas pondo libras excederet, at nunc majoris ponderis passim videntur, ut scribit Macrobius, eodem Plinio auctore. Mutianus refert mullum octoginta librarum captum fuisse in mari rubro.

16. *Quæ vehitur clauso antro latis specularibus.*) Speculares lapides perlucidi, quibus horti operiebantur, & nonnunquam construebantur alvearia, tales hortos habuit Tiberius Imperator, & Martialis carmine celebrat. Sub his gestabantur divites in voluptatem. *Plin.* Juvenalis divitem mulierem designans scribit eam gestari in ejusmodi hortis. Carpensque suorum temporum luxum eos appellat *antrum*. nam, cum ita recti essent, speluncæ videbantur.

23. *Apitius*) hic multa millia nummum gula consumsit, tam delicati appetitus, ut, cum audisset in Libya majores locustas nasci, pro quibus multa in Gallia impenderat, illuc navigaverit, & cum, quod falsum audiverat, deprehendisset, jussit navis gubernatorem ita vertere cursum, ut Libya amplius inspici non possit, provinciam detestatus & incolas, plura Suidas & Dion. a Plin. *altissimus nepotum gurges* dicitur, & *majus ad omnem luxum ingenium*.

28. *Quales.*) Transit ad vituperium Albanarum epularum, quicquid enim sequitur de rhombo, etsi fictum est, tamen ita narratur, ut apertissime notetur luxus Albanus.

30. *Purpureus.*) Invidiose eum appellavit *purpureum* propter multitudinem purpurearum vestium, quas habebat. vid. *Sat.* 1.

37. *Flavius ultimus.*) Domitianus, qui ex gente Flavia tertius fuit & ultimus. nam Vespasianus primus, Titus secundus, postremo Domitianus, qui templum quoque Flaviæ genti erexit, collegium Flavialium instituit; ut scribit Tranquillus.

38. *Calvo Neroni.*) Calvaster enim fuit Domitianus, teste Sueton. Papinius:

Qui genti patriæ futura semper
Sanxit limina Flaviumque Calvum.

Idem appellatur *Nero* a crudelitate, qua scilicet Nero in primis notus est.

46. *Pontifici summo.*) Satyrice appellat Domitianum summum Pontificem, cum ei velit exprobrare luxum sacerdotum, quos in Albano instituerat. Plinius de Domitiano: *Pontificis, maximi jure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini.*

51. *Vivaria Cæsaris.*) Nam piscinas habuit Domitianus, in quibus teste etiam Plinio nominatim vocati pisces a magistro ad escam enatabant.

52. *Ad veterem dominum.*) Hactenus damnavit Domitianum a multitudine delatorum: quod sequitur, ostendit multos fuisse eodem tempore, qui iniqua juris interpretatione multa vendicabant fisco publico: hos quidem habuit, sed prius repressit. Tranquillus: *Fiscales, calumnias magna calumniantium pœna repressit: ferebaturque vox ejus, Delatores, qui non castigat, irritat*, postea eosdem fovit, ut idem est auctor.

53. *Palfurio & Armillato.*) Hi fuerunt oratores. de Palfurio Tranquillus *in Domitiano* scribit, quod scilicet pulsus olim fuerit ex Senatu & tunc coronatus de oratoribus in certamine Capitolino. ponuntur illic a Juvenale pro omnibus, qui fisci caussas agebant per calumnias.

60. *Quanquam diruta.*) Strabo scribit Alba eversa templum tantum Vestæ remansisse.

61. *Minorem.*) hoc est deteriore templo cultam.

87. *Crispi*) meminit Tacitus, quem inter potentes potius fuisse scribit, quam inter bonos.

87. *Cum quo de pluviis.*) Idem scribit Tranquillus de hoc Imperatore: nam cum scripsisset Cerealem, Cotianum aliosque Senatores & Consulares, fuisse partim exilio, partim morte damnatos, addit alios prætereа idem fuisse passos levissima quemque de caussa, levissimam igitur Juvenal. mortis caussam esse osten lit.

94. *Acilius.*) Duo Acilii uterque affectus supplicio a Domitiano, Acilius Glabrio, quem Plinius in epistolis prudentia & fide singulari fuisse scribit. Alter Acilius Lamia, quamvis nonnulli codices habeant *Ælius*, quia parum prudenter jocatus esset in Imperatorem: quis autem sit *Juvenis*, qui cum eo veniebat, historiam fingunt multi, sed nullam proferunt Domitiani temporibus accomodatam.

100. *Arena Albana.*) debebat huic ignoscere, cum eo fortitudinis genere oblectaretur: unde *Carpophorus* in assentationem laudatur a Martiale.

107. *Artes patritias.*) Nam nobiles nobilitatis nulla ratione habita ad vitandam Imperatoris sævitiam, in arenam & scenicas operas descendebant? se stultos simulantes, Brutum imitati, qui Tarquinii crudelitatem ita declinaverat. Quis miretur tuum acumen? quis laudet jam consilium tuum, o Brute? nihil enim prodest.

103. *Barbato.*) *Barbati*, antiqui dicuntur: nam quadringentis & quadraginta quatuor annis Romani intonsi fuerunt, carentes tonsoribus.

105. *Rubrius.*) Hic temporibus Domitiani fuit: sed ex hujus nomine alludit ab antiquum *Rubrium*, qui temporibus Neronis deprehensus in conjuratione Pisoniana, magno animo dixit Neroni, se illum odisse, quod histrio esset, auriga, incendiarius: & tamen hic, quamvis ita audax, erat tamen improbior, ut ait Juvenalis ipso Nerone, qui *Satyram* scripsit in *Quintianum*, appellavitque eum mollem & effœminatum ipse cinædus: nam nupserat Pythagoræ. hæc scribit Cornelius Tacitus. *Reus ergo Rubrius veteris offensæ*, ad Rubrium antiquum alludit: nam *Rubrium Veterem* accipi pro proprio nomine, ut Tacitus meminit, nec loco convenit, nec historia patitur. Fuit item *Rubrius* Gallus minister Flavii Sabini, ut Tacitus scribit, de quo non potes intelligere.

107. *Montani.*) Trium Montanorum meminit Tacitus, Curtii, Alpini, Julii fuit item Montanus Atacinus de quo scribit Plinius ad Tyronem: de eo Juvenalis intelligit; nam fuit Domitiani temporibus.

109. *Duo funera.*) Hoc invidiose & satyrice: nam cadavera ungebantur, & illum vult intelligi tanquam mortuum, ut Mart.

Non debet ferri mortuus hexaphoro.

112. *Fuscus.*) Cornelius Fuscus Præfectus Prætoriæ cohortis, post necem Sabini missus in Dacos a Domitiano: ille interfectus est ab hostibus, quos domuerat: prima ætate deposuerat dignitatem Senatoriam, secesseratque ad quietem: mox per ambitionem ad Domitianum est reversus.

112. *Villa marmorea.*) Mollitiem Cornelii Fusci notat, quasi dicat, qui putabat ita bella geri, ut per ignaviam meditaretur in secessu molli & umbra ac villis suis marmoreis.

114. *Nunquam visæ.*) Et Mart. in Cordum cœcum:

Cum sit tam pauper, quomodo? Cœcus amat.

116. *A ponte*) Nam cœci & mutilato corpore ad pontem mendicant.

117. *Axes Aricinos.*) Ut illud Mart.

Debet Aricino conviva recumbere clivo.

121. *Sic*) Pari adulatione.

121. *Pugnas Cilicis*) Ex hoc notat Domitiani tempora, quibus ille spectaculis intentus intermissa munera gladiatoris revocavit, duoque paria dabat ex suo ludo, quæ populus petiisset. *Cilix* apud Martialem nomen proprium furis, heic gladiatoris, ut Buria & Eridanus temporibus Pompeji.

122. *Pegma.*) Machina erat lignea, quæ pueris insidentibus, aut ludicro alio aliquo ornatu in scenam producebatur. Gajus princeps incrustatum argenteis laminis pegma primus in ludis populo exibuit, & Claudius eos quoque puniebat, qui parum prospere pegma producerent. dicitur a πηγνυμι, quod est *compingo*: nam est moles compacta, unde a spectatoribus formosiores pueri rapiebantur, quod Cornelius Tacitus in theatro notavit: *Ibi, inquit, quod cuique collibuit, in tenebras rapitur.*

132. *Tenui.*) Subtile: nam laus est figulorum, ut scribit Plinius, ut tenuem cretam in conficiendis patinis ducant.

137. *Noctes Medias.*). Hoc non videtur in Domitianum convenire posse, quem scribit Tranquillus, non produxisse dapes ultra Solis occasum: sed, ut idem est auctor, convivabatur frequenter & laute. de Nerone tamen nullo pacto intelligendum est, sed de Domitiano, quem satyrica hyperbole Juvenalis ait ad *mediam* usque *noctem* ingurgitasse.

141. *Lucrinum Saxum*) intelligit eam viam, quam stravit Hercules VII. stadiorum, vel, ut Diodorus scribit, V. eandem struxit melius Agrippa in exteriore parte ad arcendum pelagus, ita ut postea *sinus* efficeretur *Lucrinus*, ostreis capiendis uberrimus, ut scribit Strabo.

142. *Ostrea.*) Ostrearum luxus magnæ exprobrationis apud antiquos erat. maximæ æstimationis erant

Lucrino lacu saturata. *Lucrinum* autem *lacum* olim *Avernum* dixerunt, ut Artemidorus & Diodorus dixerunt; ut Silius: *Cocyton.*

143. *Echini.*) Miseni nascebantur meliore sapore. Horatius:

Ostrea circeis, Miseni oriuntur echini.

Ii sunt in speciem *castaneae*: *Echinus* vero, quam Latini Remoram dixerunt, cujus meminit Oppianus; naves plenis velis euntes retinere dicitur; si carinae haeserint, quod Plinius credidit, cecinit Lucanus: de his vero Martialis:

Cortice deposito mollis echinus erit.

147. *De Getis.*) Nam Daci & Getae bis defecerant ab eo.

147. *Sicambri.*) hos nominat, quoniam Domitianus Germaniam domuerat: inde etiam accepto cognomine, ut horum seditionem & tumultum possent timere.

149. *Anxia.*) Caecinna Volaterranus hirundinibus ad epistolas usus est, & Fabius *Annalium* scriptor hirundine usum testatur, cujus pedibus lino alligato & factis nodis significavit suis, quoto die eruptio fieri deberet.

150. *His nugis.*) His rebus ridendis, ut fuit consultatio de rhombo.

152. *Impune.*) id est nullo ex nobilibus existente; qui principis crudelitatem ulcisceretur, in quo ignaviam nobilitatis eorum temporum notat: sed tandem periit, inquit, Cerdonum, hoc est villissimorum hominum beneficio, qui eum illius saevitia offenderentur, ulti sunt publicam vicem. ii fuerunt Clodianus, Cornicularius, Maximus Parthenii libertus, Saturius decurio cubiculariorum, & alii praeterea ejus conditionis homines, ut scribit Tranquillus.

153. *Cerdonibus esse timendus.*) Nescio quid figuratum & celatum putet hoc loco Tortelius, quem Sabinus sequitur, qui de Nerone intelligit.

153. *Cerdonibus.*) pro plebejis & vilibus accipiuntur a Juvenale. Alibi:

——— *Et quae*
Turpia cerdoni, Volesos Brutosque decebunt.

154. *Hoc.*) quod scilicet tandem etiam a vilissimis timeretur.

IN SATYRAM V.

SI *te propositi.*) Temporum iniquitate & avaritia multi divites colebant passimque captabant coenas vilissimis quibusque officiis. ii multis epigrammatis a Martiale notantur, Selius in primis & Aper. Trebium amicum in eodem vitae instituto versantem modoque praestantem anteambulonem, modo comitem ita monet & deterret, ut per occasionem suorum temporum conditionem notet, invehaturque in superbas & contumeliosas mensas divitum, qui olim centum quadrantum sportulam comitibus dabant & clientibus, postea rectam coenam dare coeperunt edicto Domitiani, quod scribit Tranquillus. Mart.

Cum vocor ad coenam non jam venalis, ut ante.

Hoc conqueritur Juvenalis, heic fremit, quod ea coena divitum plena esset contumeliis & injuriae in pauperem clientem.

3. *Sarmentus.*) Scurra servus Caesaris, cujus meminit Plutarch. *in Anton. Geminius dixit amicis Antonii, vinum acidum infundi, Sarmentum Romae Falernum potare.*

8. *Nusquam pons.*) ubi scilicet mendices. Mart.

Errat per Urbis pontes exsul & clivos.

8. *Tegetis pars.*) teges mutilata. Mart. de paupere:

Et teges & cimex & nudi sponda grabati.

11. *Sordes farris canini.*) non tam puto ad sordes referri, quam ad duritiem: Duritie enim cibi canes malas firmant: & paullo post dicet:

Quae genuinum agitent, non admittentia morsum.

12. *Discumbere Jussus.*) acceptus a divite ad rectam coenam.

15. *Post duos menses.*) Mart.

Rectam vocatus cum currit ad coenam,
Quam tot diebus noctibusque captavit.

17. *Cessaret culcitra lecto.*) Invitat, non ut tibi prosit, sed ut triclinium impleat: nam triclinia certum numerum convivarum capiebant. Mart.

Septem signa capit, sex sumus, adde Lupum.

20. *Ligulas.*) Ligulam partem quandem in calceis scribit esse, Festus ad similitudinem *linguae* exsertae. Pollux apud Graecos scribit glossam, id est linguam esse partem in calceo. hanc festinantes dimittebant.

21. *Turba salutatrix.*) intelligo Trebium timuisse, ne togati jam salutassent, quos volebant, ita ut nullus restaret, cui aut comes esset, aut anteambulo. a quo posset coenam captare. Mart.

Denariis tribus invitas & mane togatum,
Observare jubes atria Basse tua.
Deinde haerere tuo lateri, praecedere sellam.
Ad vetulas tecum plus minus ire decem.

30. *Capillato consule.*) antiquissimo consule, nam antiqui *intonsi* dicebantur. Ovidius:

Et caput intonsum nomen habebat avos.

31. *Uvam calcatam bellis socialibus.*) Vinum Opimianum intelligit, nam Lucio Opimio consule, cum Gracchus tribunus plebes interemtus est, temperies quaedam fuit, quae coctura dicitur, tanta vini fertilitate & praestantia, ut, quae eo anno diffusa sunt, in du-

centesimum fuerint servata, redacta in speciem mellis, ut Plinius scribit, id vinum a Veteribus multum celebratur, anno autem Opimii Livius Drusus auctor fuit *belli Socialis*, quo socii Italici nominis Romani a Patribus defecerunt. idem bellum dictum *Marsicum*, quoniam defectionis initium a *Marsis* sumtum est.

32. *Cardiaco amico.*) his enim optimum vinum medetur, teste Plin. propterea dicebat Cajus Censius prætor, Chium vinum in domum suam illatum fuisse tum primum, cum sibi cardiaco medicus dedisset.

33. *De Setinis.*) Nam Setinum primam laudem obtinuit inter vina, judicio Augusti, ut scribit Plinius. Silius:

— Ipsius mensis seposta Lyæi
Setia. —

Meminit item Strabo.

39. *Virro tenet phialas.*) Erant autem Phialæ propter emblema tantæ æstimationis, ut una duarum unciarum venierit viginti, quam Pytheas fecit, in cujus emblemate erant Ulyxes & Diomedes Palladium surripientes. inserebatur autem *berillus* potissimum, qui crystallini coloris est, sed crassioris. de hoc Martialis:

Et felix niveum pustula vincit ebur.

Hoc genus lapilli inseri poculis scribit Strabo in Indiis maxime.

55. *Clivosæ Latinæ.*) Nam in Latina sepeliebantur mortui, quorum hunc umbram esse timeres.

70. *Siligine.*) Plinius: *Ex siligine laudatissimus panis: pistrinarum quoque opera laudatissima præcellit in Italia, si Campana Pisis nata misceatur.*

72. *Artocopi.*) Artocopus ab ἄρτος dicitur, quod significat panem, & κόπος laborem: inde omnes artocopum pro pistore acceperunt: ego vero pro genere panis intelligo: nam cum Plinius *ostreatios, artolaganos, speusticos, furnaceos, parthicos*, multosque præterea nominasset, addit multa esse præterea eorum nomina. hæc sententia mihi probatur, ut Juvenalis scilicet, derideat, & delicias, & excogitatas panis appellationes.

11. *Squilla.*) Inter pisces testatos numeratur, estque ex genere locustarum, quod Plinius ostendit. Cicero *Squillam parvam* dixit, ad hujus differentiam, quam magnam designat Juvenalis.

81. *Cauda.*) Nam in squilla & locusta *cauda* potissimum expetitur, Græce καραβίδας, *squillas*, Plinius interpretatur ex Aristotele accipiens, nam ubi Aristoteles scribit genera Piscium crusta operta, ut: locustæ & carides more quadrupedum retro mingentium coeunt. Plinius ita ait: *Reliqua, ut canes coeunt: item locustæ & squillæ.*

82. *Asparagis*) altilibus. nam duplex est, ut Plinius scribit, *silvestris* scilicet, qui sponte nascitur, & *altilis*, qui cultu excrescit. Plinius: *Silvestres fecerat, ut quisque demeteret passim: Ecce altiles spectantur asparagi.* paullo post: *Heu prodigia gulæ!*

84. *Gammarus.*) Inter locustas vilis saporis, propterea opponitur *squillæ* ejusdem generis, ad Hellespontum & circa Taxum magna copia provenit, ut scribit Aristoteles.

84. *Dimidio ovo.*) Nam dimidiatis ovis & salsamenta, & quidam pisces condiebantur in cœna pauperis. Mart.

Divisis cybium latebit ovis.

alibi:

Secta coronabunt rutatas ova lacertas.

89. *Canna.*) nam in India, si Melæ & Plinio auctoribus credimus, *cannæ* sunt arboreæ magnitudinis, quarum internodia lembi & naviculæ vicem præstant: *Sissaminum*, ut puto, oleum designat, quod, ut scribit Plinius, cibis fœdum, & lucernis exile est, meminit Strabo. in usu Ægypti, Indiæ, Africæ illud erat.

90. *Cum Bocchore.*) Numidis & Mauris. qui scilicet more patrio sissamino oleo fœtido in balneis utebantur.

92. *Quem misit Corsica.*) Nam pisces quibusdam in locis palmam obtinent, ut *coracinus* in Ægypto, *faber* Gadibus, *helops* Rhodi, *salmo* in Aquitania, *mullus* ad Corsicam insulam. *Plin. Strab.*

93. *Taurominitanæ rupes.*) Taurominium colonia in Sicilia ad promontorium Drepanum, antea Naxos dicebatur. *Plin.* acutissimis *rupibus*, ut refert Appianus, hinc addit Juvenalis *rupes.*

95. *Macello.*) Foro piscario, cujus rationem quære a Varrone. Hortensius quidam & Lucius Philippus piscinarum studio tenebatur, ut est apud Varronem, Plinium, Macrobium.

97. *Provincia.*) Mare provinciæ externæ, ut Siciliæ & Africæ & Britanniæ.

99. *Muræna.*) Lautæ enim gulæ habebantur, a freto Siculo missæ, illic enim adeo saginantur, ut in summum pelagus emergant, & fluitent: inde *plotæ* dictæ a Græcis, a πλώω quod est navigo: *flutæ* a Latinis a *fluendo*: nam torrefacta pelle Sole mergi iterum non possunt, capiunturque manu: auctores Varro & Macrobius, cujus eadem est ejus objurgatio in gulam. *Quis neget, indomitam, ut ait Cæcilius, & vallatam gulam apud illos fuisse, qui ex tam longinquo mari instrumenta luxuriæ comparent.* murænarum vivaria, ut Plinius auctor est, privata excogitavit Curius, qui ex triumphalibus cœnis Cæsaris Dictatoris septem millia murænarum appendit: & Hortensius murænam in piscina mortuam flevisse dicitur. Antonia Drusi murænæ, quam diligebat, inaures addidit Baulis, quo nul-

li

ti conveniebant ejus rei fama. excogitatum quoque est damnatos homines inter murænas projici, ut eorum morsu perirent.

100. *Siculo.*) Nam illic capiebatur, ubi Rhegium a Messana oppido Siciliæ despicitur.

109. *Cotta.*) Hujus meminit Horat. fuit autem Aurelius Cotta temporibus Neronis, cui princeps annuam pecuniam constituit, quamvis avitas opes per luxum dissipasset.

113. *Pauper amicis.*) Mart.

Pauper amicitiæ cum sis, Lupe, non es amicæ.

114. *Jecur anseris.*) Familibus in magnam amplitudinem crescit, lacte mulso, cum exemtum est, augetur. docuit Apitius saginare anseres: fico, carica, & satie exstinguere: *Incertum Scipione an Metellus fuerit, an M. Seffejus eadem ætate, qui jecur anseris optimi saporis esse docuerit.* Verba sunt Varronis, & a Plinio recitata.

115. *Ferro Meleagri*) par sui Ætolo Mart.

——— *Ætolo de sue dives edat.*

Alibi:

Qui Diomedeis metuendus setiger alis
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

118. *Atilius.*) Sic ex antiqui codicis fide legamus, pro guloso heic ponitur, cujus etiam meminit Mart.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) si velles loqui, quasi tu quoque unus esses ex nobilibus, quasi innuat, quod tantum his, qui nobiles sunt, loqui liceat.

135. *Da Trebio.*) Alius Trebius fuit comes Luculli proconsulis in Bætica.

137. *Vos esses Fratres.*) Tempora notat, quibus divites etiam erant captatores alienæ hæreditatis: ut Mart. in Gargilianum:

Munera quod senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem.

137. *Fieri dominus & rex.*) si vis, ut hic te colat.

143. *Thoraca*) Thorax indumentum pectoris: id erat viride in puero. Papinius *de Glaucia*:

——— *Semper ad annos*
Texta legens, modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu. ———

146. *Ancipites.*) Inter fungos tutissimi sunt, qui rubent. tertium genus, de quo heic loquitur, *Suilli* dicuntur, veneris accommodati, familiasque interemerunt, & tota convivia aliquando.

150. *Poma.*) Citria, ut puto, intelligit, quæ Massyla & Medica dicuntur: nam Martialis de his idem scribit:

Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Massyli poma draconis erant.

Hæc sunt poma, ut docet Macrobius, quæ nunc in deliciis habemus, *melangola* appellantes.

153. *Scabie mali.*) de pomo militari loquitur Juvenalis: nam poma ferebantur in aggeribus castrorum, quod Plinius ostendit: *Sextus,* inquit, *Papinius, quem consulem vidimus novissimis Augusti temporibus, utraque attulit in castrorum aggeribus sata,* tum idem reprehendens mollitiem militum, qui poma in aggeribus fererent, ex stomacho addit: *Sed aggeribus præcipue decora, quoniam & in tecta silvæ jam scandunt.* ita & eum morem notavit, & clientem Trebium tironi laborioso comparat.

155. *A capella hirsuta.*) id est: ex sago cilicio: nam saga militum viliora ex pilis hircinis texebantur. Virgilius:

Necminus interea barbas incanaque menta
Cyniphii tondent hirci setasque comantis,
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Columella de capro ita scribit: *Sit nitido atque longissimo pilo: nam & ipse tondetur, usum in castrorum, & miseriorum.* Plinius: *In Cilicia & Syria capræ villo tonsili vestiuntur.* Quintus Poeta, qui Homero successit in operis consummationem, ludos in funere Achillis describens jaculationem appellat, *αἰγανέην ἀπὸ τῆς αἰγός.*

Αἰγανέην δ᾽ ἐρρὶ πολλὸν ὑπείροχα λᾶς δ᾽ ἐρείδοντας
Εὐρύαλος, λαοὶ δὲ μέγ᾽ ἴαχον. οὐ γάρ τι φαῖνε
Αὐτὴν ὑπερβαλέειν. ———

171 *Altilis minor.*) mutilata a Virrone.

IN SATYRAM VI.

CRedo pudicitiam.) Repetita seculorum origine ostendit nullum vitium apperüisse prius mortales, quam adulteria.

1. *Saturno.*) Homerus vero, si Platoni credimus, seculum aureum designavit in Cyclopibus, quos scribit post diluvium montium cacumina tenuisse, in speluncisque victitasse fructibus sponte nascentibus.

3. *Præberet spelunca domos.*) Homerus de ætate aurea:

— *In celsis habitantes montibus antra.*

4. *Et pecus & dominos.*) ut de Polyphemo scribit Homerus Cyclope, quem aurea ætate fuisse designat.

8. *Turbavit.*) Alludit ad verba Catulli conquerentis de passere mortuo:

Tua nunc opera meæ puellæ,
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Mart.

Non quales teneri ploravit amica Catulli.

13. *Nullos parentes.*) quasi dicat, ex quo homines ex parentibus nati & conjugia sunt, adulteria committunt.

18. Can-

18. *Caulibus ac pomis.*) Exponit victum argenteæ ætatis, quæ initio aureæ conjuncta hortis pro macello utebatur.

18. *Aperto horto.*) Nam, ut Plinius scribit, *sæva latrocinatio coegit præfigere aspectus hortorum.*

23. *Ferrea.*) Hesiodus scribit ætatem heroicam, qua scilicet Heroes claruerunt, ante ferream fuisse, quod prætermiserunt nostri.

46. *Mediam venam.*) Media fronte prominentem: nam furentes emisso inde sanguine levantur.

48. *Juvencam auratam.*) Cornibus auratis, quod primus Homerus docuit in *Odyssea*, accessito Fabro a Nestore, qui aurum cornibus victimæ infunderet. idem servatum fuisse testatur Plinius.

48. *Junoni.*) Colebatur Juno Jugis in vico Jugario ut est apud Livium, quod scribit Festus, ita appellatam, quod nubentes conjugaret: hinc suspicatus est Servius ex Varronis testimonio, nubentes sub Jugum mitti solitos fuisse.

50. *Cereris vittas.*) Alii de virginibus intellexerunt & sacerdotibus Cereris, sed non placet: poterant enim nominare virgines Vestales, quarum pudicitia est notior: de matronis mea sententia intelligit, quæ anniversarium Cereris celebrabant. nam solis matronis id licebat, ait ergo Juvenalis inter matronas nullam esse pudicam.

53. *Iberinæ.*) Pro muliere, quæ in urbe agat, accipitur hoc loco.

56. *Gabiis.*) ubi eruditi sunt Romulus & Remus, si Dionysio credimus.

60. *Porticibus.*) De porticu Pompeji & Isidis intelligit, quo mulieres conveniebant: Martialis:

Cur nec Pompeja lentus spatiatus in umbra,
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.

idem apud Ovidium de porticu Livia.

61. *Cuneis.*) Nam spectatores suis ordinibus spectabant, qui appellabantur cunei. Tranquillus: *Quinquagenas sestertias in singulos cuneos equestres, ac senatorii ordinis pronunciavit.*

63. *Chironomon Ledam.*) Chironomia significat manuum gesticulationem seu motus quosdam præscriptos, quibus saltantes manibus utuntur, quod præsertim in Græcorum usu fuit: hoc eruditionis genus laudatur apud illos, quod scribit Fabius. Juvenalis vero allaturus caussas, quare mulieres sint impudicæ: id fieri ait spectaculis lascivissimorum ludorum, quos scilicet edebat Domitianus: primum omnium mollem saltationem exhiberi solitam ostendit; nam olim Pyrrhica & saltatio armata sola in theatro exercebatur, integris Urbis moribus: Sed postea Gaditani modi & mollissimæ Græcorum saltationes receptæ fuerunt per luxum temporum: illi autem eas in plura distinguunt genera, ut ἰξωπλαδίας & χειρονομίας, quæ manuum gestu fit: θερμαστρίδας quæ pedum; λακτίσματα quæ calcibus ad humerum jactis a mulieribus fiebat: in chironomia autem alii gestus dicebantur *subiti*: alii *miserabiles*: alii *longi*, veluti in dithyrambicis, alius χεὶρ καταπρηνής: alius ξύλου παράληψις: alius σιμὴ χείρ. Vid. Pollucem.

64. *Tuscia.*) Virgo Vestalis, quæ hausta aqua cribro ex Tiberi suspectam pudicitiam probavit. *Tuscia* igitur est mulier, quæ etiam sit altera Tuscia, non abstinet pruritu libidinis.

70. *Subligar.*) Indumentum athletæ ad virilia tegenda & compescendam libidinem, quod in Olympico certamine olim sumtum est, ut scribit Thucydides. Athenienses vero, eodem auctore, nudis corporibus uncti oleo primi in gymnasio se exercuerunt.

70. *Urbicus.*) mimus exodiarius: nam exodia, ut ante dictum est, Attellanis fabulis etiam inserta ridicula continentia.

71. *Ælia.*) Ex eadem familia Ælia fuit, quæ favente Narcisso studuit præferri Agrippinæ & Juliæ Paullinæ in Claudii Imperatoris matrimonium, auctores sunt Valerius, Porphyrio, Cornelius Tacitus.

73. *Fibula.*) Ictebantur comœdi & citharœdi; non tam ut velarent pudenda, quam ut a coitu temperarent, ne eo raucescerent: sed mulieres in veterum nitentes hos ad coitum magno precio conducebant. Martialis;

Dic mihi simpliciter, comœdis & citharœdis
Fibula quid præstat? carius ut futuant.

74. *Hispula.*) Epistola Plinii nota mulier: nam ejus fratris filia Plinio nupserat integris moribus & pudicitia fœmina. Plinius: *Nec aliud decet maxibus. tuis educatam, tuis preceptis institutam, quæ nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque* Ponitur igitur Hispula, ut supra *Tuscia*, pro muliere, quæ Pudica venerit in spectacula, sed illic corrumpebatur; quod autem amarent comœdos, Martialis:

Comœdi tres sunt, sed amat tua Paulla, Luperce,
Quatuor. —

76. *Echion.*) Citharœdus Thebanus, unde Thebæ Echioniæ, is fuit socius Cadmi: ut scribit Ovidius, heic pro citharœdo tantum.

77. *Glaphirus.*) Citharœdus etiam apud Martialem:

Plus habuit Glaphirus, plus Philomelus habet.

77. *Ambrosius choraules*) tibicen magna olim æstimatione, & mensis principum gratus. Tranquillus de Galba: *Cano*, inquit, *Choraulæ mire placenti super cœnam denarios quinque donavit. Ambrosiæ* autem dapes principum dicebantur, quibus exhilarandis quoniam adhibebatur Choraules *Ambrosius* appellatur a Juvenale.

80. *Lentulus*) Bardiacus, lanista fuit Plutarchi testimonio nobilissimus. heic pro quocunque lanista acci-

cipitur, tu, inquit, o Posthume, Lentulus eris Bardiacus: paullo post & habebis familiam gladiatorum: nam tibi nascentur retiarii & mirmillones.

87. *Ludos*) Circenses, quibus tota Urbs tenetur. hoc autem dicit in invidiam Domitiani, ut etiam Paridem taxet.

105. *Sergiolus jam radere guttur.*) Ego ita intelligo, Sergiolum exuisse omnem formam, cum barba ad guttur jam pervenisset, atque illic raderetur: tunc enim os plane erat virile, attamen quia sunt gladiatores, Narcissi & Hyacinthi adulteris videntur.

112. *Ferrum.*) gladiaturam. Tranquillus *de Neron. Exhibuit ad ferrum.* quasi dicat, hos amant, non quia formosi sunt, aut divites, aut nobiles; sed tantum quoniam sunt gladiatores: perdite enim nonnullæ hoc genus diligunt.

112. *Sergius*) dictus in Sergii ejus monumentum, qui & ipse, teste Valerio, matronam promissis pecuniis corrumpere tentaverat damnatus a Metello.

119. *Una ancilla*) quam elegerat in certamine libidinis.

124. *Generose Britannice.*) Britannicum nominat in Claudii derisionem, qui eum filium in deliciis habebat, sæpeque suis gestabat manibus, & plebi inter spectacula frequenter commendabat.

132. *Fœda.*) Mart. de Leda meretrice:

Quod spurca moriens lucerna Ledæ.

154. *Et casa candida.*) Inepti multi hoc loco ambages fingunt & congerunt, cum simpliciter dicat hyeme impediente navigationem negotiatoris, maritum ab uxore cogi navigare in externas nationes, ut emat ornamenta.

156. *Adamas notissimus.*) Adamas diu non nisi regibus, & iis admodum paucis cognitus fuit: in Æthiopibus tantum nasci putabatur inter delubrum Mercurii & insulam Meroen, ut scribit Plin. idem tanti precii, ut gaudium divitiarum diceretur. Cum igitur Juven. velit ostendere adamantem regibus tantum in usu fuisse, ut scribit Plin. & locum designare, unde mittebatur, ait Adamantem peti, qui notissimus est, hoc est quod genus lapidis notissimum est gestatione reginarum, quarum utraque fratri nupsit: nam Ptolemæus Beronicem Ptolemæi & Aristonis filiam duxit, cujus crines in cœlum relati putantur, persuasione etiam Cononis mathematici. id Callimachus scripsit carmine elegiaco, quod ad verbum interpretatus est Catul. Altera Beronicæ Herodis filia nupsit Agrippæ fratri.

158. *Barbarus.*) Ptolemæus dedit sorori incestæ, quæ ei nupserat. Catullus ex Callimacho:

At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium.

163. *Porticibus disponat avos.*) esto Nobilis. Nam imagines majorum in atriis disponebantur, quæ ad funus alicujus gentilis proferebantur.

164. *Sabina.*) hæ laudantur a castitate, ut Patavinæ a frugalitate. Plin.

167. *Malo Venusinam.*) Alludit ad carmen Horatii, quo collaudat Apulas & Sabinas.

177. *Scropha alba.*) quæ peperit triginta porcos Æneæ, quorum simulacra posita sunt in publico ab Ænea juxta Albam, in loco, qui Tugurium dicebatur, & mater scropha singulis annis ostendebatur a sacerdotibus ex adyto. Varr. Dionys.

236. *Advocat archigenem.*) Hæc est una via fallendi oculos custodum. Archigenem pro quocunque medico. Mart.

Uxorem Charideme tuam scis ipse sinisque
A medico futui? ——

257. *Vera Arena.*) Irridet. fortasse exercentur ad palum, ut ita gladiaturam discant, quam aliquando exhibebunt in arena vero certamine.

267. *Asili.*) Ne uxorem quidem gladiatoris arma aliquando gladiatoria in gymnasio tractasse innuit.

291. *Collina.*) Nam proximo Hannibale placuit Senatui, ut scribit Livius, consules inter Collinam & Exquilinam portam ponere castra. Silius de Romana re in eadem trepidatione:

Hæc tunc Roma fuit: post te cui vertere mores,
Si stabat fatis potius Carthago maneres.

296. *Hinc Rhodos atque Miletos.*) quasi dicat, aliæ gentes Urbis exemplo luxuriant. luxuria Rhodia ex Urbe Romana est nata. Rhodios felices fuisse scribit Homer. Pindarus ex fabula ait auro pluisse in eam insulam: quo tempore nata est Pallas ex capite Jovis, auctor Strab.

296. *Miletos*) Urbs Ioniæ condita a Neleo, nobilitate cum Epheso certat.

297. *Tarentum*) Tarentini, ut Strab. & Plut *in Pyrrho* docent, omnibus deliciis affluentes intra paucos annos factum imperium amiserunt. Nam illic convivia celebrabantur, & soluti potus, in quibus sumebantur coronæ.

300. *Venus ebria.*) i. mulier ebria Venerem exercens.

301. *Inguinis & capitis.*) Reprehendit in mulieribus, quod in Philæni notat Mart.

Undenas vorat in die puellas.

præterea quod fiunt tribades.

306. *Qua sanna sorbeat.*) quo pacto possit exspirare, dum occupata est in tam turpi officio, nam dum illud exercet, naso tantum respirat, ore occupato.

312. *Implent.*) Non intelligo lotium in os Pudicitiæ Deæ jactum fuisse a mulieribus: sed mulieres juxta aram minxisse: ut postea vicissim coirent: Poeta autem allu-

alludit ad veterem morem: quod cum simulacrum Dei contaminabatur, perfundebatur urina: ut Tranquillus *in Neron.* docet. cavillando ait mulieres id egisse Deam contemnentes.

311. *Inque vices.*) Lesbiæ mulieres id primo instituerunt: unde apud Aristoph. λεσβίζειν id agere est.

314. *Lumbos.*) Nam, ut Plutarchus scribit *in Cæsare* ad tibiam saltabant in his sacris mulieres, multa Bacchanalibus similia peragentes.

316. *Ululante Priapo.*) In Bacchanalibus porcum mactant, insequenti die Baccho sacrificant: sed pro veretris ficulneis e collo pendentibus statuas cubitales e nervis compactas fœminæ per pagos circumferunt, mi .... pari magnitudine cum reliquo corpore, quam fœminæ sequuntur Bacchum canentes, quem ritum tradidit Melampus Amphitryonis filius.

320. *Laufeja.*) Impudicam apud Martialem fuisse legimus: nam sumto nomine eandem tribadem accusat, conqueriturque, quod cum corona olim daretur his, quæ servassent virginitatem, & quæ semel nupsissent: nunc proponatur tribadibus.

354. *Flavam puellam.*) Impudicam flavis crinibus.

361. *Formica.*) Ad æmulationem Horatii:

— *Exemplo magni est formica laboris*

375. *Palma.*) Nam illic bene vasati deligebantur Mart. *Oculis devorantibus dracos.*

378. *Tondendum.*) Nam, qui jam viri erant, deponebant crines: ut est apud Mart. sæpe.

379. *Si gaudet cantu.*) Hoc notat in mulieribus quod citharœdos perdite ament: quorum certamina instituit Domitianus ut scribit Tranquil.

382. *Sardonyches.*) In usu Africani olim fuerunt, & Claudii Cæsaris. Tibicines autem & citharœdos gemmis uti primus docuit Ismenias choraules & Dionysiodorus æqualis ejus & æmulus & Nicomachius eodem tempore. Plin.

386. *Cum farre & vino.*) Mulier pro adultero raro farre sacrificat: nam legitima matrimonia *farratea* dicebantur: ut scribit Dionys. Jano autem & Vestæ sacra facit: quoniam hæc duo numina generationi præsidere putantur.

397. *Varicosus*) stando cum consulit extra diu.

409. *Niphatem.*) Niphates mons est in Armenia inter eos, qui Gordiei appellantur: ut scribit Strabo, ejusdem nominis fluvius. Lucanus eum vocat

—— *Volventem saxa Niphatem.*

410. *Populos.*) Ut Circios, Tapiros, Amardos.

420. *Magno tumultu.*) tumultuosis exercitationibus, quæ magno fiunt strepitu & robore.

422. *Callidus.*) Vafer & astutus: nam dum ungit mulierem, fœmora præsertim tractat, & illic digitos imprimit: denique cum pulsat unctam, fœmur præsertim & nates cædit. Ita turpitudinem mulierum notat, dum unguntur.

436. *Maronem.*) Virgilium, quod nomen sumtum est a *Marone* Apollinis sacerdote, Hismarii Euanthei filio, cujus meminit Homerus.

441. *Aera fatiget.*) Tibul.

Cantus & e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

443. *Lunæ.*) Menander fabulam composuit, quæ *Thessala* inscribitur, quæ hunc morem retulit.

444. *Imponit finem.*) Ego hunc locum ita interpretor, quod mulieres, quæ sapientes videri volebant, novam quoque instituebant sectam & habitum, & sacra sua habebant peculiaria: nam, quæ volunt sapientes & doctæ videri, tunicam succinctam ad medium crus sument, scilicet habitum peculiaris sectæ.

447. *Sylvano.*) ut videatur sequi Sylvas, ut philosophi & Poetæ solent.

447. *Lavari quadrante.*) Ut delicias aspernari videatur intenta literis: nam pauperes & inculti publicis balneis quadrante lavabantur.

450. *Enthymema.*) quod maxime urget adversarium, nunquam sermo, nisi per interrogationem, ex pugnantibus constat: ut illud *Antonium privatum non ferre potuistis, hunc Imperatorem feretis?*

451. *Quædam ex Libris.*) Martialis:

—— *Sit non doctissima conjunx.*

452. *Artem Palæmonis.*) Apte insolentem mulierem dicit dare operam *Palæmoni.* nam Rhemmius Palæmon grammaticus tantæ superbiæ fuit, ut literas secum natas diceret; & secum morituras, appellaretque Marcum Varronem *porcum literatum*, is Vicentinus fuit temporibus Tiberii & Claudii Imperatoris, tantæ prodigalitatis, ut demum coactus sit colere vitem, ut scribit Tranquillus. Nomentanum fertile reddidit, ut tradit Plinius.

462. *Poppæana.*) Poppæana dicebantur panis offæ oblitæ lacte asinarum, a Poppæa uxore Neronis, quæ id primum docuit, quemadmodum Cosmiana unguenta a Cosmio dicimus, & Nicerotiana a Nicerote magistro. Plin. *Cutem in facie erugari & tenerescere, & candorem custodiri lacte asinino putant.* paullo post: *Poppæa hoc uxor Neronis principis instituit, balnearum quoque sic solio temperato, asinarum gregibus ob hoc etiam comitantibus.*

465. *Foliata parantur mœchis.*) se ungit foliato, cum accedit ad mœchos, ut placeat. *foliatum* unguentum pretiosissimum.

467. *Tectoria.*) *Tectoriam calcem* antiqui dixerunt, qua

qua parietes exteriori parte oblinuntur, & *opus tectorium*, quod extra speciosum est & lævigatum.

486. *Sicula aula.*) id est Phalaride, qui primus in Sicilia tyrannidem instituit, ut scribit Plinius. reprehendit autem insolentiam mulierum, quæ cum sibi dis pliceant, verberant ancillas: quod Martialis notavit in Lalage, cum vidisset se in speculo.

488. *In hortis.*) Duobus in locis adulteriorum erat occasio: in hortis, & in templo Isidis Deæ. de hortis historia apud Tacitum: de templo Isidis carmen extat Ovid. in lib. *de Arte*.

521. *Eat in tunicas.*) Hoc tractum est ex ritu compitalitio, nam pilæ, id est effigies hominum veteribus vestibus indutæ suspendebantur in compitis, ut manes contenti illis imaginibus & simulacris abstinerent vivis. *Fest.*

522. *Hibernum fracta glacie.*) Hæc de sacerdotibus Isiacis, qui idem faciebant.

528. *Descendat in amnem.*) Ex ritu Ægyptio hoc fit: nam sacra Isidis in Ægyptio igne & aqua in primis celebrabantur in monumentum pristinæ navigationis Isidis: quæ in Ægyptum est delata. *Euseb.*

533. *Linigero.*) Ovidius:

Ne fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ.

Linigeri, sacerdotes Isidis quoniam veste linea utebantur, ut Herodotus scribit, præsertim xylina: ut auctor est Plinius, nec aliam induere fas erat; calceis item papyraceis.

533. *Calvo.*) Calvi dicuntur, quoniam eodem auctore, cum alibi sacerdotes promittant comam in Ægypto, eorum capita raduntur, imo & tertio quoque die totum corpus raditur, ne tinea vel aliquid sordidum inter sacra offendat.

534. *Anubis.*) Lingua Ægyptia *Mercurius* dicitur: idem significat *canem*, nam Mercurius capite canino una cum Iside colebatur: quoniam, Diodoro teste, Isis canibus usa est ad maritum inveniendum: canes propterea in ejus sacrorum pompa præcedebant: addit Diodorus Anubim fuisse filium Osiridis, fratrem Macedonis, qui quoniam *cane* insigni armorum usus est, ea imagine colebatur: hoc loco *Anubim* appellat sacerdotem Isidis, quando tanquam Anubis, id est, Mercurius nuntius erat inter mulieres & Isidem.

538. *Argentea serpens.*) Intelligit de serpente, quæ in imagine Osiridis in ara Isidis complectebatur canem & lupum, producto capite ad dexteram Osiridis. *Macrob.* de hoc magis placet intelligas, quam de dracone, qui est in virga Mercurii geminus.

540. *Ansere magno.*) Nam & carnibus anserinis vescebantur sacerdotes Ægyptii.

541. *Pepono tenui.*) Suidas apud Græcos scribit *peponum* esse placentam latam tenuem rotundam, de qua nunc intelligit.

544. *Sacerdos arboris.*) Alludit ad sacerdotes Dodonæas, inter quas ætate præstabant Promenea, Tindarete, Nicandra: nam ad fagum arborem responsa dabant, ut Herodotus & Silius scribunt.

547. *Qualiacunque.*) Nam somnia in templo Osiridis, de quo loquitur, captabant, ut Strabo scribit, vel pro se vel pro aliis.

550. *Comagenus.*) Ex Syria tamen aruspices excelluerunt in Telmesso Urbe Cariæ. *Comagene* vero pars est Syriæ, unde *comagenum* dixerunt jecur anseris maceratum nivibus, quod medicamentum est, quod Comageni invenerunt. cum eo convenit, quod dixit *aruspicem Comagenum*, id est Syrum: nam Syrii sacras columbas autumant, putantes reginam suam in columbam conversam fuisse, quasi dicat, ne avibus quidem suis sacris parcunt.

552. *Quod deferat ipse.*) quod accuset ipse, & objiciat aliis, ex historia est: nam qui filiam Bareæ ad magicam hortati sunt, eam postea sunt insectati accusationibus.

555. *Ammonis*) oraculum instituit puella a Phœnicibus divendita, ut Ægyptii tradunt. Pausanias *Hammonem* pastorem auctorem fuisse scribit, Diodorus *Ammonem* regem Herodotus *Amum* lingua Ægyptia Jovem significari scribit, unde Jupiter Ammon.

555. *Quoniam Delphis oracula cessant.*) In irrisionem omnium oraculorum: nam Delphica oracula amplius non dabantur, quia scilicet nunquam fuerant. Cicero: *Cur isto modo Delphis jam oracula non eduntur, non modo nostra ætate, sed jam diu, ut nihil possit esse contemtius.*

559. *Magnus civis.*) Damnat astrologorum scelera, sumto exemplo a Seleuco astrologo, cujus consilio mors Galbæ dilata est ab Othone, ut scribat Tranquillus: *Hanc operam præstant astrologi, ut rebus nefariis consulant.*

565. *Icterica.*) Ictericum *morbum regium* Celsus & Plinius appellant, quoniam, ut ait Celsus, regio cubiculi apparatu curatur.

583. *Sortes*) invenit Numerius Suffusius Prænestinus eædem pendebant Romæ, hoc genere divinationis humiliores utebantur. Cicero: *Quis enim magistratus, aut quis illustrior utitur sortibus?*

584 *Popysma.*) Chiromantes diu differt sententiam suam, ut mulierem consulentem diu palpitet, & tractet: nam ποππύζειν, est manu tractare, adhibito etiam leviore sono vocis ad mansuefaciendum, ut solemus equos indomitos: a quo sono Mart. dixit sensu nequiori:

—Fatui poppysmata cunni.

589. Qua

589. *Quæ ostendit longum aurum.*) Periphrasis est mulieris prostantis.

590. *Consulit.*) Dat consilium plebejæ interroganti, quod autem mulieres prostitutæ darent responsa, locus ille indicat Plinii de Nerone: *Utinamque inferos potius & quoscunque de suspicionibus suis Deos consuluisset, quam lupanaribus atque prostitutis mandasset inquisitiones eas.*

590. *Delphinorumque columnas.*) In circo Flaminio Gnei Domitii delubro Scopæ manu sculptæ erant Nereides, super delphines, & alia præterea, magnum ac præclarum opus, etiam si totius vitæ fuisset, ut scribit Pliu. id appellatur *ad columnas delphinorum.*

592. *Hæ.*) nunc invehitur in divites, quæ medicamentis abortiva faciebant.

603. *Ad spurcos lacus.*) Ad paludem Velabrensem: nam illic pueri exponebantur, eosdem *lacus gelidos* dixit Mart.

619. *Juno maritum.*) Nam Juno, ut scribit Homerus, accepto a Venere cesto in tantum amorem succendit Jovem, ut fassus sit se nunquam adeo arsisse, sed hic intelligit totum orbem non aliter mutasse insano Caligula, qui eum gubernabat, quam si Jupiter versus esset in furorem, cujus nutu omnia reguntur, ut ita detrimentum veneficii muliebris amplificet.

622. *Descendere.*) Seneca scribit Claudium primum ascendisse in cœlum: sed eundem communi Deorum decreto dejectum ad Inferos.

625. *Mixtos.*) Papinus *de Caligula*:

— Nec proximus hæres
Immitis quamquam & furiis agitatus abegit.

626. *Quantum*) Hoc referatur ad insequentia: nam heic orditur reprehensionem in matres, quæ exigua mercede conductæ filios veneficiis necat, ut vacuæ nubant adulteris. *Quantum constat una venefica?* interrogative: quasi dicat, minima mercede invenitur etiam mater, quæ venenet filium.

631. *Adipata.*) macteæ: nam *macteæ* erant partes carnium adipe conditæ, aptæ veneficiis, inde scribit Tranquillus missas fuisse macteas venenatas ab Imperatore.

661. *Pontica medicamina.*) antidotum, quam Mithridates rex Ponti contra venena quotidie sumebat.

IN SATYRAM VII.

Et *spes & ratio.*) Hæc satyra civium avaritiam notat, qui Poetis nihil dabant, cum tamem princeps contigisset, qui studiis favebat, Nerva; ex cujus principatu Poetis, Mart. quoque congratulatur:

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva, licet toto nunc Helicone frui.

2. *Solus.*) nullus civis, sed solus Imperator.

4. *Balneolum aut Gabiis.*) Dicit, ut ostendat in conduci propter frigus. nam Gabii, ut scribit Horatius inter loca frigida numerabantur.

9. *Ames victum & nomen*) non te pudeat quærere victum & appellari præconem.

10. *Vendas commissa.*) quæ data tibi sunt a dominis, ut vendas.

11. *Tripodas.*) Mensas, postea inventa sunt monopodia luxu Asiatico: ut scribit Livius.

16. *Nudo Talo.*) Cum equites dixisset, qui in bello operam solent præstare, statim addit eos etiam mutiles esse bello, quod notat ex more illorum: quibusdam enim Græcorum institutum fuit olim, prodire in bellum altero crure seminudo; quod Macrobius docet Euripidis & antiquorum testimoniis: & Virgilius in Hernicos transtulit:

— Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis. —

23. *Croceæ tabellæ.*) Nam libri citro, cujus color croceus est, servabantur.

26. *Tinea.*) Ovidius:

Roditur, & tinea carpitur ore liber.

29. *Macra imagine.*) Nam vatibus dabatur statua macra coronata hedera in æde Camœnarum post mortem.

37. *Relicta æde.*) contemto judicio aliorum, quod solebat fieri in æde Musarum, ut scribit Porphyrio.

42. *Solicitas.*) Admittunt unumquemque ea cura, qua solent admitti homines in urbem tempore belli.

46. *Pendent.*) Cornelius: *Ii enim Basso domi nascuntur pulcri quidem & jucundi, quorum tamen hic exitus est; ut cum toto anno per omnes dies magna noctium parte unum librum excludit & elucubravit, rogare ultro & ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire, & ne id quidem gratis: nam & domum mutuatur, & auditorium exstruit & subsellia conducit: & libellos dispergit.*

50. *Ambitiosi Mali.*) Malum ambitiosum appellat Poeticen, qua homines versantur cupidi laudis tantum.

52. *In ægro.*) Multos suorum temporum notat, & in primis Papinium, qui per ambitionem in Poetarum certamine concertaverat in quinquatriis Minervæ.

60. *Contingere thyrsum.*) Bacchari Poetæ dicuntur, quando in furore concepto scribunt. Papinius:

Hæc ego nascenti; lætus Bacchatus ad aras

64. *Dominis Cyrrhæ Nysæque.*) *Cyrrha* urbs vetusta erat, ante quam erat Chrysea planities: unde erat ascensus in Delphos: ut Strabo scribit, inde Cyrrhæum Apollinem dicimus Delphicum: *Nysa* in Parnasso &

Arabia felici, ut scribit Diodorus, ubi educatus est Bacchus.

77. *Domitum.*) Hanno Pœnus primus docuit leonem domari, ut scribit Plinius.

79. *Lucanus.*) Pro quocunque Poeta divite ponitur, qui tantum scribat carmen ad laudem.

80. *Sarano tenuique Saleio.*) *Saranus* nomen est poetæ temporum Juvenalis, ut Umber Bassus Clunius, apud Martialem: *Saleius* Bassus floruit temporibus Vespasiani, ut docet Cornelius *de Rhetoribus*, *Securus sit, inquit Aper, & Saleius & quisque alius studium Poetices & carminum gloriam fovet.* Ejusdem meminit Quintilianus: *Vehemens & Poeticum ingenium & Saleii Bassi præfuit, nec ipsum senectus maturavit.* Claruit in primis gratia Imperatoris: Codex meus & Manilii auditoris mei certissime fidei & summæ vetustatis *Saleio* habent, ut multis hactenus ostendi, pro quo alii habent *Salino*: in quo ineptissimus sensus est. Nam *Salinum* nunquam nominatur a Poetis, nisi in tenui mensa: quomodo autem convenit hortis marmoreis & tenui *Salino*?

82. *Curritur.*) Statius Papinius Neapolitanus ex certamine Poetarum a Domitiano instituto coronatus est in quinquatriis Minervæ: inde ita scribit ad Domitianum:

—— Qualis sub collibus Albæ,
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

Idem *ad Septimium*:

—— Hinc mea carmina
Regina bellorum Virago
Cæsareo peraravit auro.
Cum te sodalis dulce periculum
Connixus omni pectore coleres.

Et *ad uxorem*:

—— Ter me nidiis Albana ferentem
Dona comis, sancto quæ Cæsaris induit auro,
Visceribus complexa tuis. ——

Eum honorem cum insolenter jactaret, aliis Poetis erat invisus: Juvenalisque per indignationem eum notat & Paridem pantomimum; cujus gratia, non carminis merito Papinium coronatum fuisse innuit. his versibus totum satyricum opus inchoavit, sed occultavit diu, mox cum magno successu audiretur, eos huic Satyræ inseruit. Dici autem hæc in Papinium ex stomacho, vel ille versus satis indicat:

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

87. *Nisi vendat Agauen.*) Carmen Thebanum Paridi pantomimo: non quod ille alieno carmine vellet videri doctus: sed hoc ait, ut ostendat eum Paridis gratiæ servire, cui spe mercedis dat carmen & omnem tribuit operam, hujus Paridis apud Mart. est ephitaphium:

Urbis deliciæ salesque Nili. &c.

Alter Paris temporibus Neronis fuit, quem ille interfecit, tanquam ejusdem artis æmulum, erat enim histrio.

89. *Semestri auro.*) Nam tribuni quoque annulum gestabant, ut ostendit Plutarchus. Et Nepos in *Epistolis* pro Calvisio ita rogat: *Hunc rogo semestri tribunatu splendidiorem & sibi & avunculo suo facias.* hinc Juvenalis annulum tribunicium *semestrem* dixit.

90. *Camerinos.*) Nobiles, sed non gratos Principi, quales fuit Supplicius Camerinus, qui de proconsulatu Africæ accusatus est apud Neronem, sed tamen absolutus, ut Cornelius scribit.

93. *Haud tamen invideas vati.*) Hoc ex stomacho ait in Papinium, qui canens & recitans carmina victum quærebat, in quo ait, non esse ei invidendum, notans illius impudentiam & turpem quæstum.

93. *Pascunt.*) Nam Papinius accepit prædium a Domitiano in Albano, quod jactat:

Ast ego Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Unda domi. ——

97. *Vinum toto decembri.*) Saturnalia decembri celebrabantur, magna licentia poculorum. Papinius in *Saturnalibus*:

Et multo gravidus mero december.

99. *Olei plus.*) longiorem lucubrationem. unde orationes Demosthenis dictæ sunt *lucernam olere*, quoniam noctu erant lucubratæ.

110. *Qui venit ad dubium nomen.*) In foro erant caussidici, qui ad subsellia vocem tantum clientibus accommodabant; & pragmatici, qui his suppeditabant jura, ut Cicero & Fabius scribunt, quorum erat major dignitas & famæ discrimen. de pragmatico igitur nunc loquitur, submonente & incitante caussidicum ad clamorem suppeditata lege.

114. *Pone solum rus Sati lacertæ.*) quasi dicat, non conferas omnes villas, sed unum tantum rus, atque id breve: nam *lacerta* est brevis mensura terræ. ante:

—— Unius sese dominum fecisse lacertæ.

Sati id est *Attici Sati* equitis Romani, qui eloquentiam nunquam exercuit in foro. in mei Juvenalis margine scriptum est, τὸ *Sati* esse nomen proprium aurigæ: sine ulla auctoritate, ut multa alia in ejusmodi codicibus mss. reperiuntur.

118. *Scalarum.*) Putant scalas fuisse foculos & armaria caussidicorum, quæ palmarum foliis ornabantur, quum illi vicissent caussam: Cicero: *Correpsimus scalas.* hæc legi in margine mei Juvenalis antiqui.

120. *Epimenia.*) Placet magis legas *epimenida*, nam *epimenidum* scillæ genus est proximum bulbis, quod

quod Plin. scribit esse gratum cibis; & Theophrastus angustiore folio, ac minus aspero, ab usu ita appellatum. in Africa præstabant. Columella:

Et quæ sica legit Gætulis obruta glebis.

Mittebantur autem bulbi caussidicis. Mart.

Cum bulbis cochleisque caseoque.

122. *Si quater egisti*) Si apud quatuor decurias judicum, caussam egeris, & tum demum datus sit unus aureus.

133. *Empturus pueros.*) qui in septis vendebantur, quo qui se divites jactabant, accedebant, tanquam omnia empturi, quod in Mamurra deridet Mart.

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Heic ubi Roma suas aurea vexat opes.

134. *Stlataria purpura.*) Antiqui *stlatum* pro latum dixerunt, ut Pompejus scribit, & *stlitem* pro litem ut Fabius tradit, unde *stlata* latum navigium dictum est. *purpura stlataria* est periphrasis lati clavi, quem gestat.

138. *Sed finem.*) eos carpit, qui, ut divites viderentur & ita conducerentur, fœnore vestes & comites conducebant, in quo Mart. Saufellum deridet:

Cinctum togatis & post & ante
Saufellum. ———

143. *Paullus.*) Caussidicus, cujus meminit Mart.

Gratus sic tibi, Paulle, sit december.

150. *Vecti.*) *Vectius* pro præceptore quocunque declamationum heic ponitur: nam, ut scribit Plinius: *Vectius Valens adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ affectator fuit.*

151. *Classis.*) numerus discipulorum, qui in *classem* distriburi, ut scribit Quintilianus, ordinem dicendi secundum ingenii vires servabant: *Ea nobis ingens palmæ contentio; ducere vero classem, multo pulcerrimum.*

154. *Occidit miseros Cambre.*) Cornelius *de Declamat.* ita scribit: *Declamationes aut ex historiis trahebantur, sicut sane nonnullæ usque adhuc, aut ex veritate ac re, si qua forte recens accidisset: itaque locorum etiam appellationibus additis proponi solebant, & sic certe collectæ editæque se habent.* *Cambre* igitur inscriptio est declamationis a loco: nam *Cambre* oppidum est in Theutrania Troadis, ut scribit Plinius, & e proxima regione est Lesbos, in qua Mitylenem occuparunt tyranni, ut auctor est Strabo, Nigesilus & Magarogilus; Alceus Poeta eos carmine est insectatus, unde aureum plectrum habuisse dicitur, auctore Fabio. de tyrannis ejectis Cambre declamatio sæpe erat repetenda a magistris. Quod alii a *Cambro* Scytharum rege, cujus meminit Diodorus, *Cambrem* declamationem deducunt, nulla ex parte accomodatum est.

163. *A Cannis.*) Deliberavit enim Hannibal, an duceret exercitum ad Urbem victis Romanis ad Cannas, Moarbale præfecto equitum suadente & hortante, pollicenteque ei cœnam in Capitolio die quinto: Læta, respondit Hannibal, res est, sed via major, quam ut capere animo possim.

164. *A tempestate.*) bis tempestate prohibitum & volentem tertio progredi reduxit Juno, ut Silius cecinit.

166. *Ast alii sex.*) Ex hoc autem ostendit, non esse subeundum munus docendi, quoniam sophistæ, qui se rhetoribus præstare contendunt: jam magis audiuntur, quam rhetores: nam falsis argumentationibus malas caussas docent defendere.

167. *Sophistæ*) erant, qui falsis argumentis, malas caussas tueri docebant, in eos scripsit Isocrates perpetuam orationem, quæ inscribitur κατὰ τῶν σοφιστῶν. jam ergo, inquit, vero rhetori non est locus; sed sophistæ tantum sunt in precio.

183. *Solem algentem.*) Aut algentem Solem dicit intrare in cœnationem, propter lapides speculares oppositos, quorum luxum insectatur Plinius: nam his Sol ita arcetur, ut quamvis intus luceat non admodum caleat, aut certe situm cœnationis describit, quæ Columellæ præcepto ita ædificatur, ut æstate hibernum orientem spectet, & hoc placet, ut exponas *algentem* id est hibernum.

186. *Quintiliano.*) Si ita parci sunt Romani erga præceptores, quo pacto Quintilianus est locupletatus: nam Romæ rhetoricen professus est xx. annis, ut ipse scribit, primusque mercedem publicam eo nomine meruit, ut tradit Eusebius, estque ex Hispania a Galba ductus.

192. *Nigræ Lunam subtexit alutæ.*) Nobiles lunatis calceis utebantur more Arcadum, Euandro duce: quasi ipsi hi essent, qui genus recta linea soli ab illis deducerent. *Plutarch.* in *Quæst.* Nigros fuisse calceos in nobilibus scribit Horatius:

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus. —

203. *Pœnituit multos.*) Ab exemplo ostendit, quamvis aliquis instituerit munus docendi, tamen eum debere desistere, quod & Thrasymachus & Secundus rhetores fecerunt, cum parvam assequerentur mercedem.

204. *Thrasymachi.*) Thrasymachus Carthaginensis rhetor in Bithynia fuit: qui primus periodon, quam Cicero ambitum & comprehensionem interpretatur & membrum reperit, discipulus Platonis & Isocratis rhetoris, artem generis deliberativi perscripsit: cum cœpisset rhetoricen profiteri destitit ob mercedem exiguam.

204. *Secundi Carinatis.*) Athenis eruditi: rhetoricen cœpit illic profiteri. Sed ob paupertatem deseruit munus, par-

perveniique Romam, & attia Neronis, moxque Othonis coluit. Plutarchus item meminit: *Secundus rhetor, qui Othonis epistolas legerat, hac narrabat.*

204. *Exitus.*) Finis consiliorum: nam tandem destitit. Alibi: *Exitus hic est Tongilii.*

208. *In urna perpetuum ver.*) Nam intra herbas odoratas condebantur more Pythagoræorum, foliis oleæ nigræ, populi & myrthi: qualem urnam voluit habere Varro: ut est apud Plinium.

213. *Rufum.*) Multi hoc nomine, apud Tacitum leguntur: sed de *Virginio Rufo* videtur intelligere: de quo hæc Tacitus: *Virginium Rufum claritudo nominis expulit.* Et paullo post: *Nam Virginius studia juvenum eloquentia, Musonius præceptis sapientia fovebat.* Posses suspicari dictum de Satrio Rufo, cum in nonnullis codicibus Plinianis ita legatur: *Satrius Rufus, cui est cum Cicerone æmulatio, & qui non contentus est eloquentia seculi nostri.* Rufus, inquit Juvenalis, qui tantum sibi in eloquentia tribuit: ut Ciceronem audeat, tanquam superfluentem & loquacem accusare, a discipulis suis contemnitur.

214. *Allobroga.*) Galliciæ loquacitatis & tumoris. Sed potissimum dixit *Allobrogem*, cum Gallum vellet dicere: notans historiam consulatus Ciceroniani, in quo Allobrogum populorum Galliæ legati de Catilinaria conjuratione nonnihil egerunt.

221. *Tegetis hibernæ niveique Cadurci.*) *Cadurci* populi Galliæ sunt, apud quos lini præstantia palmam obtinet in culcitris ob præcipuum candorem. *Plin.* inde Juven. *cadurcum* culcitam appellat.

233. *Phœbi balnea.*) quæ erant in Urbe. Phœbus libertus, cujus meminit Cornelius.: *Ferebant Vespasianum, tanquam somno conniveret, a Phœbo liberto increpitum:* vel *balnea Phœbi* Cumas intelligit, ubi Phœbus colebatur. Martial. *Phœbi vada* appellat.

241. *Trementes oculos.*) Nam cum ad virilitatem perveniunt, hirquitalli dicuntur pueri, ut scribit Pompejus, quoniam θηλάζοι, germinant hirquis, id est, extremis oculorum angulis, *trementibus*, scilicet in libidine.

IN SATYRAM VIII.

STemmata.) Libertini locupletis alumnus incertum, an filius Juvenalis, cum male audiisset de ignobilitate sua, Satyram orsus est in eos, qui sola majorum auctoritate efferuntur. & hic nactus occasionem, eorum notat scelera.

9. *Coram lepidis.*) Lepidus tantæ indolis fuit, ut ei ex Senatusconsulto posita sit statua bullata cum prætexta: quoniam puer progressus in aciem, hostem interemisset. *Valer. Max.*

13. *Magna ara.*) cur habeat hoc decus familiæ. *Magna* autem dicit, vel propter aram Herculis maximam, cujus meminit Plinius, & Virgilius, & Ovidius; vel certe, quoniam, auctore Plutarch. *in Quæst.* duæ erant in templo Herculis aræ; major, ex qua viri gustabant; minor, ex qua fœminæ.

15. *Agna.*) Alludit ad cognomen avitum. nam Fabius dictus est *ovicula* ab ove, quia haberet levitatem & gravitatem ovis, ut scribit Plutarch. quasi dicat, si non *ovicula* est, alludens ad cognomen; certe plane agna mollior.

16. *Catinensi.*) Pumices tamen, qui in usu erant corporum lævigandorum, laudatiores erant in Melo & Cisiro, & Aeolus insulis, ut scribit Plin.

27. *Syllanus.*) Ad historiam suorum temporum alludit. nam ut scribit Tacitus: *Syllanus super claritudinem Juliæ familiæ suæ, Octavium quoque inter avos nominabat*, & alibi: *Syllanus eximia nobilitate.*

29. *Quod clamat Osiri.*) Apta similitudo. nam cum inciderit in bonum civem, ait se ita lætari ut sacerdotes solent eum Osiridem invenerint, quem manantibus lacrimis paullo ante quærebant; quasi & ipse dicat, si optimum civem invenerit, se tandem incidisse in eum, quem lugens jamdudum requirebat.

40. *Rubelli Plance.*) Codices mendosi habent *Blande* pro *Plance*, de hoc Tacitus: *Omnium ore Rubellius Plancus celebratur, cujus nobilitas per matrem erat ex Julia familia, ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta & secreta domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus.* non magis autem in hunc, qui temporibus Neronis fuerat: quam sub ejus persona in omnes, qui efferuntur nobilitate, invehitur.

46. *Cecropides.*) Non dixit hoc, quia sit Atheniensis Rubellius, sed quoniam cum Athenis familiæ de nobilitate certarent, aliæ dicebant se a *Cecrope* oriundas, & ex his *Cecropidæ* dicebantur, aliæ ab *Alcmæone*, unde *Alcmæonii*, alia ab *Erechtheo*, unde *Erechthidæ*. Sed *Cecropidæ* genere præstabant. *Ego Cecropides*, id est præsto genere, ut Cecropidæ Athenis præstabant.

53. *Hermæ trunco.*) Mos Athenis erat, ut Thucydides & Demosthenes docent, ut his, qui vel triumphum duxissent, vel præclarum aliquod opus gessissent: modo bini, modo terni, modo plures pro meritorum dignitate *Mercurii* darentur, expressi marmore, ubi solum caput eminebat, reliquo corpore non effecto, sed rudi: atque ea supra fores disponebantur. Apte igitur Juvenalis, eum qui se *Cecropidem* dixit, cum inutilis sit civis patriæ, statuæ Mercurii truncæ & sine membris comparat. Sabinus *Ornum* legit pro liberto Cæsaris, depravato versu, ut nullum sensum afferat.

64. *Majorum.*) Et Martial. Hirpini equi meminit: *Hirpini*

Hirpini veteres qui bene novit avos.

Nomen habet ab *Hirpinis* populo Samnitum, unde venerat. *Hirpus* illorum lingua lupum significat, ut Strab. docet: & *Corita* a *Corito* oppido Hetruriæ. Silius:

Hos patriæ favor, hos accendit nobile nomen
Antiqui stabuli. ——

81. *Phalaris.*) Sævissimus tyrannus, qui in Sicilia primus tyrannidem exercuit; Paurolam filium sæpe commonefaciens, ne eundem principatum optaret; ad sævitiam natus, quam matri somnium portendit; nam visa est facem parere, cum prægnans esset.

82. *Tauro.*) *Taurum* a Perillo æneum fabricatum habuit in voluptatem, cum illic inclusi homines, qui puniebantur, ingemiscendo per machinæ meatus delimita voce canere viderentur.

86. *Gaurana.*) Bajana, a *Gauro* monte proximo Bajis, & insula ejusdem nominis. Papinius:

——*Gaurus navalibus apta.*

93. *Capito.*) Capitonis meminit Horatius in *Sermonib.* de nostro vero Tacitus: *Quæ oblitterari non sinebat Capito Cossutianus, præter animum ad flagitium præcipitem, iniquus Thraseæ, quod auctoritate ejus concidisset, juvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant.*

93. *Tutor.*) Item Gallus ordinem in exercitu Romano gessit, de quo hæc Tacitus: *Cerealis postero die Coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis, hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam.* & alibi sæpe ejusdem meminit.

94. *Piratæ Cilicum.*) Cilices piratæ facti sunt, ut scribit Strab. Tryphonis & regum, qui successerunt, ignavia: sed spe potissimum lucri, cum captos homines pro mancipiis ad Delon venderent: inde enim multi Romam servi advehebantur. Pompejus Cilicas victos ex parte reduxit Solos, Urbem Ciliciæ, quam Pompejopolin appellavit.

94. *Quid damnatio.*) His tribus versibus publicorum judiciorum carpit avaritiam; velata tamen reprehensione: nam provincialibus accusantibus præsidem suum repetundarum, sæpenumero præside damnato, pecuniæ restituendæ provincialibus, Principum avaritia in publicum ærarium inferebantur: quod scribit Plin. factum esse in damnatione Marii Prisci, de quo antea *damnatus inani judicio.* & paullo post: *victrix provincia ploras.*

95. *Nacta.*) Fur notissimus versu Horatiano. Horatius:

Non quo fraudatis immundus Nacta lucernis.

Sed heic accipit pro præfecto, qui spoliavit provinciam.

97. *Jam tace.*) scilicet postea quam res pervenit ad ærarium: quasi dicat non potes accusare judices, ne lacessas Principem.

97. *Naulum.*) Methaphora est a mercatoribus, qui, cum navigant, si minus, quantum cupiunt, lucrari possunt, student, ut saltem recuperent ex mercibus divenditis, quantum pro vectura navali solverunt. idem est proverbium in eum, qui, cum multa amiserit, reliqua etiam velit perdere.

105. *Antonius.*) Nec de Antonio, cujus meminit Tacitus, nec de Marco Antonio triumviro loquitur, neuter enim provinciam spoliavit: sed de Cajo Antonio loquitur, cujus exsulis meminit Strabo.

107. *Occulta spolia.*) Opes, quæ revera erant spolia bellica, occultata sub nomine magistratuum.

113. *Corinthum unctam.*) Corinthus *uncta* i. e. mollissima dicitur ob multas opes, & emporium Asiaticorum, quod illic erat, ibi, ut inquit Strabo, mercatores bona sensim consumebant.

117. *Messoribus istis.*) Afros intelligit, unde annona in Urbem mittebatur.

118. *Vacantem scenæ.*) Non sunt irritandi Afri, ne arma adversus nos moveant, qui imbelles sumus, & in ludis desidemus, eorum laboribus victum percipientes. alii de Sabinis intellexerunt, sed ridiculum id esse ostendit, quod statim addit:

Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros.

123. *Relinques Jacula & galeam.*) quibus poterunt se ulcisci.

126. *Credite me vobis.*) Ex injuriis illatis sociis vaticinatur eorum defectionem ab Imperio Romano.

128. *Acersecomes.*) Acersecomes nomen a Juven. fictum, ita ut barbarum intelligatur: nam libertum intelligit Syrum, Cappadocem, Armenium, liberti enim apud provinciarum præfectos tantum gratia valebant aliquando, ut res æquas & iniquas precio venderent, ut Statius apud Qu. Ciceronis fratrem.

128. *In conjuge crimen.*) Nam uxores præfectorum avaritia sæpe notatæ sunt. Martialis:

Gentibus in Lybicis uxor tua, Galle, male audit,
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.

146. *Præter majorum cineres.*) Reprehensio est eorum, qui a claris majoribus oriundi ad turpia aliquando ministeria descenderunt, ut multi temporibus Neronis, qui aurigare didicerunt in Principis gratiam, qui eodem tenebatur studio, & quamvis in Neronis tempora extandescere videatur; tamen per hæc ostendit omnem nobilitatem scenicis artibus & ministeriis contaminatam esse.

149. *Sed Luna videt.*) non debebat id minus vereri in occulto, quam in publico.

154. *Hordea jumentis lassis.*) Hordea primum data sunt jumentis, ut scribit Plinius, postea ex his factus panis, denique excogitata ptisana,

156. *More Numæ.*) qui docuit molam infundi, ut scri-

scribit Dionys.

158. *Sed dum pervigiles.*) Popinæ loca erant desidiæ & luxuriæ apparata: nam ungebantur illic Genio indulgentes, multorumque opes absumebantur. Salust. in *Histor.* objicit juventuti Romanæ, quod popinas frequentet. Lucillius idem insectatur. Martialis Siriscum deridet, qui multa sestertia in sellariolis popinis consumserit. idem carpit nunc in hominibus suorum temporum Juven.

160. *Idumææ portæ.*) Eam appellat, per quam triumpharunt Vespasianus & Titus de Judæis: & fortasse arcum triumphalem Titi intelligit, juxta quem erant popinæ.

162. *Succincta.*) nam ministrat advenientibus.

168. *Inscripta lintea.*) sudaria thermarum: nam erant ita appellata, varia textura, qua inscripta videbantur. Catullus:

Sudariumque setabum catagraphonque linon.

id est *inscriptum linteum.*

184. *Pejora supersunt.*) Longe majora dicenda sunt de nobilibus, & ita in his histrionicam damnat.

186. *Sisario.*) *Sisarium* nonnulli ex nostris mercedem dixerunt esse, quæ detur histrioni: sed id nulla probatur auctoritate. *Sisur* Homerus senectutem appellavit, & Græci alii rugosam cutem: Festus scribit *sisarium* esse genus veli minutum: ego vero accipio pro nomine proprio pantomimi, qui scenæ præesset.

186. *Phasma.*) In margine codicis mei antiquissimi ita est: *Catullum intelligit, qui mimos scripsit. ut Laberius. Laureolum fabulam & Leontem scripsit Nevius Poeta in carcere, in qua introducebatur Laureolus, qui ob scelus cruce pendebat.* Domitianus voluit hanc fabulam agi aliquando, ut alias, ut, qui ageret, vera cruce penderet, non fabulosa.

190. *Triscurria.*) Nec ignoscendum est populo, qui potest spectare scurrilitatem patriciorum. *Triscurria* verbum antiquum est & scurrilitatem significat ingentem: nam *tris* pro superlativo Græci & Latini utebantur, quod Strab. affirmat de Græcis, cum exponat apud Homer. *O terque quaterque beati*, id est, maxime, quod & Virg. est imitatus, nec ignoro Macrob. aliter sentire.

191. *Planipedes.*) comœdias, quæ vilissimæ erant, ut scribit Donat. argumento & actione.

192. *Alapas Mamercorum.*) qui potest ridere & spectare Mamercos nobiles imitantes Latinum mimum, qui, ut risum provocaret Paniculum, alterum mimum alapis cædebat, tanquam suspectum sibi, quod rem haberet cum Thymele uxore.

193. *Nullo cogente Nerone.*) Nam Nero equites & Senatores in gladiaturam jussit descendere, ut Tacitus & Tranquillus scribunt.

195. *Finge tamen gladios.*) Esto, quod Nero cogat, proposito supplicio mortis, nisi descendant in pulpita & in theatrum.

196. *Quid satius.*) Nonne præstat mori, quam conscendere pulpita.

197. *Zelotypus Thymeles.*) ut simulans se Zelotypum Thymeles more Latini cædat alterum alapis, ut ante est dictum, & hoc refertur ad id, quod ait *Mamercorum alapas.*

197. *Collega Corinthi stupidi.*) aut socius Corinthi hebetis mimi planepedarii in agendis fabulis, & hoc refertur ad id, quod dixerat *planipedes audit Fabios.*

199. *Illud Dedecus Urbis.*) Hinc omnes aculei Satyræ exserti sunt, quod nobiles turpes & sordidas artes aliquando exercuerint. insectatur igitur eos, qui volunt sibi videri nobiles, & tamen ita subeunt histrionicam, & artem scenicam, ut illic agnosci & spectari lætentur. cum itaque descendunt in gladiaturam nobiles, ut ait, & in gladiatoribus alter sit Mirmillo, qui galea utitur tecto ore, alter retiarius, qui galerum habet nudo vultu, nolunt esse Mirmillones, ne tegant faciem: sed retiarii, ut agnoscantur.

205. *Effudit.*) emisit adversus Mirmillonem, ut eum caperet.

207. *Credamus tunicæ.*) Nam retiarii tunicati erant, & induebant galerum, ita tamen, ut vultus non tegeretur.

209. *Ignominiam graviorem.*) Secutor explosus est & derisus a spectatoribus, qui nobilem retiarium per totam arenam frustra insequeretur.

211. *Libera si dentur.*) Exit in apertam Imperatoris reprehensionem, cum dicat Senecam, qui jussu Neronis interemtus est, quamvis ignobilibus parentibus esset natus, anteponendum Neroni, qui nobilitatem vitiis perdidit.

216. *Dis auctoribus.*) Deis ita volentibus, quos ita voluisse ostendit Homerus, qui introducit in principio *Odyss.* Jovem dicentem, se monuisse Ægisthum per Mercurium nuncium, ut nece Agamemnonis abstineret, & Clytemnæstra uxore aliena: quoniam si id committeret, Orestes filius aliquando ulcisceretur, & ita accidisse.

225. *Fœdo saltu.*) Sordida & turpi histrionica saltatione.

225. *Peregrina ad pulpita.*) Hoc damnat, quod Nero non tantum Romæ, sed etiam in Peloponneso & externis nationibus, pro citharœdo in certaminibus palmæ & victoriæ gloriabatur: nam, ut scribit Tranquillus, in Achaia, cum sacra ad Nemeam Argivi celebrarent, civitates omnes citharœdorum coronas ad ipsum misere, quæ erant ex Apio. Plinius de Apio: *Honos ipsi in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeæ.*

234. *Senonum.*) *Senones* finitimi Remis inter Tre-

viros vel suavitate vini allecti, quod illic Arontem Thyrenum primum detulisse scribit Plut. vel suadente Lycone Helvetio, qui ob artem fabrilem Romæ commoratus, ficum siccam, olei & vini primitias in patriam rediens attulerat, ut tradit Plin. in Italiam allecti, Urbe incensa Capitolium obsederunt.

234. *Tunica.*) Periphrasis est supplicii, quo afficiebantur proditores.

236. *Novus Arpinas.*) Ipse vero & Eusebius testantur, eum ortum regio genere, quod & Silius canit de auctore ejus gentis:

Regia progenies. ———

Pater fuit equestris ordinis, quod & sæpe ipse jactat, & Eusebius fatetur, vetustas tamen, qua splendor generis deciderat, obtinuit, ut ignobilis diceretur.

241. *Leucade.*) Leucadem ante Ambracium sinum in continente olim fuisse scribunt Ovidius & Strabo, sed Corinthii eam in insulæ formam redegerunt, appellaruntque *Leucadem* a petra albicante, quæ in pelagus illic protenditur. Alcmæonides vero scribit Alizeum & Leucadium fuisse filios Icari, & a *Leucadio* dictam *Leucadem*.

244. *Patrem patriæ*) Quamvis Octavius *pater patriæ* dictus sit, post bella civilia & cædem multorum, tamen id Roma dedit ei in assentationem, tanquam tyranno, non sponte & certo judicio, ut Ciceroni, quem *patrem patriæ* dixit ob patriam liberatam.

246. *Arpinas alius.*) Marius obscuro genere natus, patre Manlio & matre Fulcinia, quem fuisse aratorem Annales quidem non tradiderunt; sed hoc dixit Juven. quoniam Marius, auctore Plutarch. vitam egit municipalem in villa agri Arpinatis prima ætate. militavit autem primum sub Scipione in Hispania ad Numantiam nullis ordinibus, quod indicat, dum ait eum fuisse inter *fabros*: nam *fabri* castra sequebantur, nullius rei participes, nisi operis castrorum muniendorum.

245. *Volscorum.*) Volsci metropolim habent, Suessam, oppidum Arpinum, Aquinum, Frabaterium, Frusinonem, & alia.

240. *Cimbros Excipit.*) Cimbri fabulosi ferme sunt, longa Plutarchi disputatione. eosdem dictos fuisse *Cimmerios* scribit Diodor. qui ad tercentum millia in Italiam irruperunt: qua in trepidatione populus Rom. Marium secundo consulem elegit: quamvis paullo ante primum gessisset, nec lege creari posset, ut venientibus Barbaris occurreret: quartumque consul creatus, cum Lutatio Catulo magna strage illos delevit: & cum orta esset contentio, utri consuli victoria deberetur, legatorum Parmensium judicio Mario decreta est cum triumpho.

250. *Solus.*) quasi dicat, aliis cessantibus, & exclusa Catulo Luctatio.

268. *Prima securis.*) primum supplicium, quod in consulatu primo post exactos reges fuit in filios, vel consulatus primus, qui fuit inter leges exactis regibus.

271. *Thersites.*) quem pugno Achilles interemit, ut scribit Quintus.

272. *Tamen ut repetas.*) Quod sequitur, ex stomacho dictum est a Poeta in consolationem suæ ignobilitatis. affirmat enim Romanos omnes esse pari conditione ignobiles, cum aut a Romulo pastore duxerint genus, aut a sceleratissimis hominibus, qui ad Asylum Romuli confugerant.

273. *Asylo.*) *Asylum*, non tantum locum significat quemcunque: sed templum solum, cui jus datum erat, ne quis inde divelli posset ullo crimine: id Cadmum ferunt instituisse, cum ad Thebas condendas multitudinem desideraret: inde fabula est nata homines e terra genitos. in Græcia templum Dianæ Ephesiæ id juris habuit, quod Alexander ad stadium protulit, Antonius amplificavit, Augustus sustulit, cum sceleratorum multitudo propterea augeri videretur. Virgilius Romulum ait *retulisse Asylum*, id est ad Græcorum imitationem fecisse. a particula negativa *ἀ* & *συλάω* *diripio* dictum est: *Asylum* quia nemo inde poterat divelli.

IN SATYRAM IX.

SCire velim.) Sui temporis homines cinædos insectatur, & Nævolo dat omnes partes in cinædis barbatis exagitandis & deridendis.

2. *Marsya*) signum erat in foro, ad quod litigantes vadimonia faciebant, ut Porphyrio in Horatio suspicatur. *Marsyæ* item meminit Plinius: quem ait coronari solitum a filia Augusti. Fuit item Marsya fabula notus, qui Nysseis hominibus judicibus, ut scribit Diodorus, cum Apolline certavit, & superatus est: quoniam cum Apollo in certamine deficeret, addidit vocem oris & cantum, id cum objiceret Marsyas; quod scilicet arte musicæ, non cantu esset contendendum: respondit ipsum quoque utriore, quo scilicet tibiam inflabat. victus excoriatus est & conversus in Marsyam flumen: quamvis Strab. ad historiam hoc referens scribat, id factum esse; quoniam ad Marsyæ ripas arundines nascantur aptæ tibiis.

4. *Rhodopes.*) Rhodope Thracia meretricula: conserva Æsopi: quæ tantum quæstum fecit in Ægypto, ut tumulo suo Pyramidem extruxerit, eam Sappho *Doricam* appellat in carminibus, cujus amore captum fuisse scribit Carassem fratrem, cum Lesbium vinum negotiator ad Naucratem compararet:

Arsit inops frater meretricis victus amore.
ab hac Juvenalis nomen mutuatur.

5. *Nos colaphum incutimus*, &c.) Crustulum opus dulciarium est, ut Porphyrio in Horatium interpretatur, hoc ait ex stomacho: Nos cædimus servos, si lambunt crustula nostra; nam sunt mellita, & tamen videmus Rabulam λείχειν & alios,& id ferimus temporibus nostris.

14. *Calidi visci.*) Psilotri, & dropacis: nam ea media sunt ad pilos evellendos tenacia, ut viscus; variis fiunt generibus, ut docet Plin. *Meges mango psilotri usum excoluit, quo pueros venales lævigabat.*

22. *Ganymedem Pacis.*) Pacis templum Vespasian. exstruxit juxta forum, in quo Syllam pictum a Nicomacho cum admiratione spectabant, & Venerem incerti auctoris, & Ganymedem mira veritate expressum.

25. *Aufidio.*) Aufidius Chius. multi Aufidii fuerunt, sed hic adulteriis nobilis, & matronarum omnium corruptor. Notatus est etiam a Martial.

Procuratorem vultu qui praeferat ipso,
Acrior hoc Chius non erit Aufidius.

35. *Labello spumanti.*) Nam, qui appetit, labra movet spumantia, & Martialis de appetente draucum: *Oculis devorantibus draucos.*

37. Ἥδεα τῷ γλυκὺ ἄνδρα κίναιδον.) id est, *suavem moribus hominem cinædum*, & dum hæc verba Græce inserit, ostendit eorum hominum mollitiem. effœminati enim erat Græcis verbis blandiri.

50. *En cui.*) Per irrisionem exagitat barbatum cinædum, alloquitur enim draucum, tanquam ejus amicum: cum nihil det cinædus tuus, o drauce, nec tu debes ei mittere munera mulebria, tanquam amicæ. nam mos erat, ut die natali umbella, electra, & hujusmodi dona ab amicis, fœminis mitterentur.

50. *Succina.*) mulierum deliciæ. Ovidius ea a nuribus Latinis gestari dicit, & Plin. de succinis: *In his inquit, usus est aliquis in medicina, sed ob hoc fœminis placent.* quæ Falerni vini colorem habebant, præstabant aliis.

54. *Dic passer.*) Passer loci proprium est. Martialis:

Non mollis Sinuessa fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur.

Potes & referre ad divitem,quem appellet *passerem* ob salacitatem.

57. *Cumis.*) De Miseno potes intelligere, quod Cumis proximum est promontorium, vel de Gauro monte,quod placet, nam colles in Campania Massici,Gaurani,Surrentini vini præstantia & copia sunt nobilitati.

60. *Meliusne.*) Possetne viliore precio Cybelejus Sacerdos scortum alere, cum puero lenone?

61. *Collusore catello.*) Plane designat meretricem, nam *catellus* in deliciis scortorum erat. Mart

Os & labra tibi lingit, Nanneja, catellus.

64. *Ut Polyphemi lata acies.*) Arguta metaphora, non magis unicus puer mihi satis est, quam fuit unicus oculus Polyphemo. duo *Polyphemi* fuerunt; alter qui cum Argonautis navigavit, Ilori filius, teste Apollonio,conjunx sororis Herculis: alter in Sicilia filius Neptuni; cui post quinque socios absumtos, effossus est oculus ab Ulyxe adusto stipite. evasit autem, ut apud Homerum narrat,pendens sub utero arietis, quem postremum exeuntem retinuit Polyphemus, & est allocutus in consolationem cœcitatis.

70. *Verum ut dissimules.*) Alteram operam exprobrat diviti, qui cum mollis operam uxori præstare nequeat, draucum submittit loco suo. de ea imbecillitate eorum hominum Mart. ad Gallam:

Difficile est vero nubere Galla viro.

70. *Dissimules.*) simules te non intelligere, quantum debeas mihi pro opera drauci.

90. *Si tres implevero.*)Nam qui jus habebant trium liberorum,ut scribit Appianus,tesseram frumenti triplicem accipiebant. Iidem in petitione magistratuum non habentibus filios eo numero anteponebantur, ut innuit Plin. *in Epist.* horum habuit rationem lex Julia, ut refert Gellius.

98. *Apponere candelam valvis.*) id est produci, hoc supplicii genus notavit Catullus:

Ah tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent raphanique mugilesque!

Patentem portam dixit Catullus, ut *valvam* Juvenalis.

101. *Ut curia Martis.*) Tanquam agerem tecum de re capitali, quemadmodum agitur in curia Martis Athenis: nam judicium capitis, auctore Plinio, primum constitutum est Athenis in Areopago.

117. *Pro populo faciens.*) *Laufejam* suorum temporum ebriam notat.alii aliter sunt interpretati. ego vero intelligo *pro populo*, id est, *in sacris Bonæ Deæ*, in quibus, teste Plutarcho, multa Bacchanalibus similia inter se peragebant mulieres. ea appellat Tranquillus *ceremonias publicas*, & Cicero: *Clodium Appii filium credo te audisse, cum veste muliebri deprehensum domi Caji Cæsaris, cum sacrificium pro populo fieret*, id est in sacris Bonæ Deæ.

142. *Quæ Fabricius.*) supra decem pondo: nam Fabricius Lucinus Censor senatu movit Rufinum, qui bis consul fuerat & dictator; quoniam decem pondo argenti facti habebant, scribunt Livius & Gellius. addit Plinius eum statuisse, ut ne bellici quidem Imperatores plus, quam pateram & salinum argenteum haberent.

143. *De grege Mysorum.*) duplex est Mysia, altera Troadi Phrygiæ finitima; ducta origine ex Europa

pa, ut scribit Plinius. nam inde Mysi Phryges & Thyni profecti Mysiam Phrygiam & Bithyniam tenuerunt; altera Europæ, cujus meminit Ptolemæus juxta Panno-niam.

146. *Pingat cito.*) Velocitate pingendi nemo antecivit Nicomachum Aristogeni filium discipulum.

IN SATYRAM X.

OMnibus.) Ignorantiam hominum accusat, qui per imprudentiam ea sæpe a Diis optant, quæ perniciosa sunt, docetque, quid hominem in vita expetere o-porteat.

1. *A Gadibus.*) ab Occidente *Gades* Pherecydes *Erythram* dixit. Insula est extra columnas Herculeas ad ostium Bætis erumpentis in Oceanum, stadiis centum longa, opibus insignis: nam supra quingentos ætate Strabonis, ut ille refert, illic inventi sunt equestris census; pascuorum fertilitate præstat, idcirco Geryonis armenta illic fuisse finxerunt.

14. *Balæna major Delphinis.*) Apte comparat magnitudinem census duabus immanibus belluis, ut ostendat in his esse temeritatem & impetum Fortunæ.

16. *Longinum.*) Cassius Longinus Jurisconsultus, cui Drusillam collocatam Imperator Caligula abduxit, interfectus est a Nerone, quoniam Cassii percussoris Cæsaris imaginem in stemmate suo haberet: sed per *Longinum* divites omnes sublatos a Nerone intelligit: Plantius item Lateranus in conjuratione Neroniana deprehensus a Nerone jussus est mori: ut Tacitus scribit: *Proximam necem Plantii Laterani consulis designati Nero adjungit*, &c. *Idem Senecam præceptorem, quem Fenius Rufus & Tigilinus post mortem Burrhi variis criminationibus adorti sunt, quasi augentem opes evectas ultra privatum modum, & hortorum amœnitate ac villarum magnificentia Principem subgradientem ad necem compulit.*

28. *Alter.*) Democritus Argistrati incertum, an Damasippi, an Athenodori filius, Thrax ex Abdera urbe, ut Laertius scribit.

30. *Flebat alter.*) Receptum est, ut Diogenem intelligamus: sed nulla exstat historia. Græci ad Heraclitum hoc referunt, quem flevisse constat. Plin. *lib.* VII. *Exit hic animi tenor in rigorem quendam, torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectusque humanos adimit, quales ἀπαθεῖς Græci vocant, & multos ejus generis experti: quodque mirum sit, auctorem maximæ Sapientiæ Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum.*

43. *Da nunc & volucrem.*) Triumphalia hæc erant ornamenta, aurea corona, sella curulis eburnea, scipio eburneus exstante aquila in capite, toga picta & palmata tunica. *Liv.*

44. *Cornicines*) præibant triumphantes; quod Polybius & Plutarchus *in Æmilio* scribunt.

49. *Magna exempla.*) Et hoc pendet ex stomacho superioris Satyræ, qua ignobilitatem suam est ultus. Si Democritus fuit tanta prudentia natus in Thracia inter lactiphagos & agrestes, possunt alii, quamvis obscura patria, magni viri esse.

56. *Quosdam præcipitat.*) Nimii etiam honores homines aliquando perdiderunt, quod exemplo Sejani probat, hic enim præfectus prætorii, ut scribit Philo, & tradit Eusebius temporibus Tiberii tantum valuit auctoritate apud Principem, ut ejus imagines aureæ passim colerentur, ut scribit Tranquillus, natalisque ejus dies publice celebraretur, & collega fuerit Principi in quinto consulatu, sed cum res novas in eum moliretur, per conjurationem oppressus est, tractus unco, & abjectus in Gemonias, statuisque disjectis, id egit Tiberius senex datis ex Capreis ad Senatum literis.

65. *Pone domi.*) Introducit populum insultantem Sejano damnato, quoniam timebat, nam, ut refert Tranquillus: Tiberius notos omnes & familiares Sejani persequebatur.

68. *Nunquam amavi.*) Hoc dicit, ne videretur familiaris Sejani,

70. *Indicibus.*) *Indices* sunt, qui conscii sceleris accusant socios.

87. *Pannum & Circenses.*) Codex meus antiquissimus habet *Pannum*, & ita est legendum. est autem irrisio populi, qui ludis Circensibus occupabatur, quorum spectacula auxerat Domitianus, & Juvenalis alibi, Pliniusque ad Calvisium deridet, propositus erat Pannus, quem aurigæ victores tollebant. auratus & purpureus erat Græcorum illic certantium, viridis aliorum, qui ergo favorem & plausum captabant, solebant donare tunicam, propterea ita scribit Plinius de spectatoribus: *Panno pannum emunt*, hoc est, applaudunt alicui, ut ille assequatur pannum, & sibi detur tunica: paullo post: *Tanta auctoritas in una vilissima tunica.*

87. *Ne quis neget.*) Ne quis ex servis accuset nos: hoc autem dicit, quod nulli delatori apud Tiberium fides est abrogata, ut scribit Tranquillus.

94. *Cum grege Chaldæo.*) cujus monitis & auctoritate Tiberius multa vel egit vel neglexit: multorum autem distulit supplicia, cum idem ei longiorem vitam polliceretur, sperans sibi liberum fore aliquando eos punire.

108. *Quid Crassos.*) Marcum Crassum & omnes similes Crasso, non autem patrem & filium. Hos tres Crassum, Pompejum & Cæsarem nominat, quoniam olim reipublicæ Imperium inter se diviserant.

115. *Quinquatribus.*) ea celebrabat Domitianus quotannis in Albano, ubi erat Oratorum & Poetarum certamen: de Oratoribus Palphurius Sura coronatus est: tradebantur autem præcepta eloquentiæ tunc Romæ exigua mercede & vix ternis denariis: nam tanti constabat, ut scribit Plinius, ut esses disertissimus, utrumque designat hoc loco Juvenalis.

126. *Sævus Exitus.*) Nam Demosthenes, cum ob suspicionem corruptionis ab Areopagitis damnatus esset, effracto carcere aufugit, pertulitque exilium in Ægina: deinde cum bene de patria sentiret & loqueretur, publico decreto reductus est navi longa: sed cum audiret Antipatrum & Craterum adventare diversæ factionis principes, una cum Hyperide Oratore & aliis fugit qui omnes a populo damnati sunt, missoque Archia Tyrio tragœdo, & Hyperidis lingua est abscissa, & Demosthenes venenum e calamo hausit.

136. *Summo in arcu.*) Nam arcus dabantur triumphalibus viris, &, ut puto, notat tempora Domitiani, qui gloriam arcuum, supra quam decebat, affectavit. nam habuit quindecim, ut scribit Tranquillus.

150. *Æthiopum populos.*) qui sunt in Libya. Sunt item Æthiopes Hesperii, Æthiopes Peroti, Æthiopes Darithitæ.

150. *Alios elephantos.*) Nam in Mauritaniæ saltibus sunt elephanti, ut scribit Plin. hos autem nominat, quoniam Hannibal elephantibus in bello usus est.

153. *Montem rupit aceto.*) Hoc Polybius tanquam fabulosum omittit.

157. *Quali tabella.*) Notat deformitatem: nam deformes in risum aliquando pingebantur, ut Bupalus & Arctemus. Hipponactem Poetam Ephesium effinxerunt, ob deformitatem oris, ut derideretur.

162. *Jugulare.*) Assentiendo Romanis, qui Hannibalem reposcebant per Flaminium legatum, quod cum Hannibal audivisset, hausto veneno sibi mortem conscivit.

171. *Urbem munitam a figulis.*) Scribit Diodorus *lib.* III. secutus Ctesiam & Clitarchum scriptores Alexandri, ex omni regno convenisse homines ad urbem condendam, de cujus magnitudine idem est auctor.

172. *Sarcophago.*) An hoc genere lapidis conditus sit Alexander, viderint alii. Strabo certe *lib. ult.* scribit in aurea urna cum prius fuisse conditum, ut sarcophagum hoc loco accipias pro simplici urna.

176. *Suppositumque rotis.*) Trogus Herodotum secutus: *Montes in planum deducebat, convexa vallium æquabat, quædam maria pontibus sternebat.*

177. *Defecisse amnes.*) Exhaustos fuisse: Herodotus tradit lacum scilicet XXX. stadiorum fuisse exhaustum, & Chidorum, Onochorum & Appidanum Thessaliæ fluvios. Trogus: *Ut non immerito proditum sit flumina ab exercitu ejus siccata.*

178. *Sostratus.*) Hoc nomine sacerdos Veneris apud Tacitum, & Sostratus Gnidius, qui Pharum erexit, ut scribunt Plinius & Strabo; & Sostratus, teste Plinio, qui signa ex ære & alia materia faciebat; & Sostratus vates est, qui per furorem multa prædixit Græcis. nam Bacchis, Museus, Sostratus Atheniensis Xerxis adventum prædixerunt carminibus, prodigia canentes, quæ apparerent, antequam venirent, horum testimonio sæpe utitur Herodotus, eorumque versus tanquam responsa Apollinea recitat.

178. *Madidis Sostratus alis.*) Non modo, quæ traduntur in historiis, sed etiam prodigia, quæ prædixit Sostratus furore concitus & madidus credimus.

179. *Salamine relicta.*) Salamin ante Athenas insula est dubiorum finium: nam & Megarici & Athenienses de ejus possessione sæpe disceptarunt. victi autem sunt Megarici versu Homerico, quo Athenienses docuerunt Ajacem, cum Atheniensibus naves misisse ad bellum Trojanum ex Salamine, quamvis versus non exstet in omnibus codicibus Homericis, ut scribit Fabius: illic superatus est Xerxes a Themistocle, postquam pugnam suadente Mardonio duce diffugit, venitque ad pontem quadragesimo quinto die, quem ad Abydon struxerat, ut scribit Herodotus, & inde in Asiam trajecit exercitum.

180. *Solitus sævire.*) inde hæc Themistocles apud Herodot. *lib.* VIII. *Dii voluerint hominem insanum imperare toti Asiæ & Europæ, qui tanti sacra facit, quanti profana, Deorum simulacra incendit & dejecit, mare* ἐμαστίγωσε, id est, *flagellis diverberavit,*

181. *Barbarus.*) Non ad ignominiam hoc dicitur: sed est perpetuum cognomen apud Græcos, qui volentes Xerxem significare *Barbarum* dicunt, sæpe hoc apud Thucydidem & Herodotum.

187. *Has pœnas.*) quibus docuimus affectos fuisse Hannibalem, Alexandrum, & Xerxem.

195. *Simiæ.*) Ennius:

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

199. *Læve caput.*) Expilatum propter calvitiem & canitiem. Studiosius autem senectutem describit Juvenalis suæ ætatis tædio: nam erat prope octogenarius.

205. *Ramice.*) *Ramicem* Marcellus putat esse pulmonem, adductus verbis Plauti, qui *Ramicem* inquit *rupi, dum tussim exspuo.* diligentius scribit Celsus, ramices esse partes intestinorum, quibus diffractis herniosi senes fiunt, quod & verba Plauti indicant.

208. *Suspecta libido*) Nam eos, qui nequibant præstare operam in coeundo, irrumatores esse suspicabantur. Mart.

Summa petas, illic mentula vivet anus.

211. *Sitve Seleucus.*) Seleucus grammaticus fuit ætate Tiberii, de quo scribit Tranquillus, hoc loco nomen proprium est tibicinis, quod insequens quoque versus apertius indicat: nam tibicines variata veste induti & ornati gemmis, quod instituit Hismenias tibicen, per theatrum vagabantur.

212. *Decurrere aurata palla.*) Ita Codex Antiquus habet. *Palla* vestis propriæ dicebatur arte Phrygionum distincta. Plautus:

Pallam ad Phrygionem fert confecto prandio.

ita appellari putat Varro, quoniam *palam* gestaretur.

212. *Decurrere.*) nam tibicen vagabatur per theatrum, & Horat. ideo *Vagum* dixit.

221. *Basilus.*) inter percussores Cæsaris ab Appiano recensetur. *Basilus* item latrociniis infamis, a cujus nomine spoliatorem provinciæ Basilum appellat. Basili item ante meminit: *Quando licet Basilo.*

222. *Irus.*) Pauper tutor. Sabinus male *Irum* ait fuisse inter procos Penelopes & voratorem.

246. *Rex Pilius.*) Nestor Nelei filius Pilon Urbem Laconiæ tenuit imperio, a patre conditam, eam appellat Strabo *Pilon Triphyliacam*; hic tertiam hominum vixit ætatem, quod nostri fabulose accipientes, trecentum annos eum egisse dicunt: sed Plin. *lib.* VII. & Eustath. I. *Iliad.* dicunt eum pervenisse ad nonagesimum annum. hic in bello Trojano Antilochum filium amisit interfectum ab Hectore, ut nostri dixerunt, vel a Memnone ut cecinit Quintus, sepultumque juxta Patroclum ad Sigeum: hujus mortem eum ægerrime tulisse scribit Propertius:

Non ille Antilochi vidisset corpus humari,
Diceret aut: o mors, cur mihi sera venis?

Et Nestor apud Homerum II. *Odyss. Illic jacet meus charus filius fortis, & clarus Antilochus*, ut mirer Quintum Poetam testari Nestorem filii obitum patienter tulisse.

257. *Alius.*) Laertes conqueritur absentem filium, & Anticlia mater ad Ulyssem in XII. de Laerte:

Perpetuusque dolor circum præcordia sævit,
Cui tua dant lacrimas incommoda. —

257. *Cui fas.*) Imitatio Græcorum est, nam nos dicimus *nobis esse fas*, quod, si commiserimus, Dii non irascantur; Græci vero θέμις, hoc est fas est, accipiunt pro eo, quod & decet & par est. Homerus, *Penelope*, inquit, *luget*, θέμις ἐστί, hoc est, fas est, & decet, *virum absentem.*

261. *Palla*) Nam prætexta palla utebantur, ut scribit Pompejus, qui funus curabant.

274. *Solonis.*) Solon Tarquinio Prisco Romæ regnante Athenis claruit legibus promulgatis: cum ex Ægypto reverteretur, ad Crœsum Lydorum regem divertit, quem omnium ditissimum fuisse fabulata est antiquitas. hic cum Soloni per ministros thesauros suos ostendisset, interrogavit, an unquam vidisset beatiorem, respondit Solon se *Tellum* vidisse, qui & liberos susceperit, & viderit ex his nepotes mortuos honestissime in bello pro patria dimicantes: Interrogatus an alterum, respondit *Cleobim & Bithonem*: quorum pietas in matrem spectata fuerit, & mors honestissima. Rursus quid de eo sentiret: Te, inquit, multorum hominum regem arbitror, quod vero interrogas, primum non affirmavero, quam audivero te vita bene defunctum esse. Postremo captus Crœsus a Cyro, cum in rogum conjiceretur ea in calamitate sententiæ Solonis meminit. Herodot. *lib.* I.

276 *Exilium.*) Marius victus a Sylla cum ad Minturnas confugisset, a sene in locis palustribus occultatus est, unde mox in Libyam navigavit ad opem implorandam ab Iempsale rege Numidarum. cum autem in Carthaginensi littore esset, fretus veteri familiaritate ad Sextilium, quem audivit illic Prætorem esse, accessit: ille per lictorem monuit, ut statim abiret, quoniam erat hostis populi Romani, interrogantique, quid vellet renunciari Sextilio, respondit Marius: *Nuntia te vidisse Cajum Marium in ruinis Carthaginis exsulem.*

276. *Carcer.*) Carcerem dixit quoniam Minturnenses cives eum captum in custodiam Famæ mulieris dederunt, unde postea eorum judicio est dimissus.

276. *Minturnarumque.*) Minturnas olim scribit Strabo amplam urbem fuisse, sed postea redactam ad vicum.

284. *Urbes.*) quæ susceperunt vota pro ejus salute, Praxagoræ suasu, ut scribit Plutarchus.

285. *Vicerunt*) adversus fatorum seriem, qua immissus ei erat morbus.

307. *In arce.*) In prætorio: nam ad voluptatem & libidinem Principis fiunt spadones; id tamen Domitianus prohibuit, ut scribit Tranquillus.

316. *Cruentis verberibus.*) Loris cædit mœchum usque ad sanguinem, ut cæsus est Sallustius ab Annio Milone, quod scribunt Varro & Gellius.

318. *Endymion.*) Nomen convenit adultero nocturno: nam hic dormiens amatus est a Luna.

334. *Hortis.*) vel Lucullianis: nam illic interfecta est Messalina, vel Messalinæ hortis.

335. *Antiquo ritu.*) Nam antiquo ritu instituta est dos: quasi mulier ita videatur emere virum: ut scribit Varro.

336. *Auspex.*) Auspices solent præesse legitimis nuptiis.

339. *Ante lucernas.*) *Ante lucernas* dixerunt antiqui, pro in mediis conviviis & ludis nocturnis, id est in medio convivio nocturno. Plin. Lolliam Paulli-

nam

nam se tanti apparasse scribit, ut spectaretur ad lucernas.

342. *Ultimus sciet.*) referente ei Calphurnio. Hostiæ etiam hoc dictum est ei: *Matrimonium Sillii vidit populus, Senatus & miles, ac ni propere agis, tenet urbem Maritus.*

343. *Imperio*) Messalinæ: cujus jussu multæ cædes perpetratæ fuerunt: ut scribit Tacitus.

350. *Animorum.*) affectuum & elationis.

355. *Tomacula.*) Sunt farcimina porcinis carnibus cæsis & obvolutis pinguia: Martial. *Tomacula* figura te protulit, meminit autem hujus victimæ Juvenal. potius, quam aliarum: quoniam in nuptiis & re uxoria, cujus paullo ante fecit mentionem; porcus mactabatur: ut Varro in *Re Rust.* scribit.

365. *Nullum numen habes, si sit prudentia.*) Fortuna ex imprudentia hominum nata est & censetur.

IN SATYRAM XI.

ATticus.) Ex secta Epicuri frugalem cœnam & tranquilli otii mensam Persico, quem invitaverat, pollicetur: sed Satyræ non oblitus excandescit in gulam eorum, qui mensas lautius parant, quam divitiarum modus ferat: hanc mensæ frugalitatem & otium Mart. Horatius & Poetæ, qui ex Epicuri sententia agebant, ubique laudant & amplectuntur: nam Epicurus, qui veram vitam in mentis tranquillitate & virtutis exercitatione ponebat, talem laudabat mensam, ei vitæ scilicet convenientem, non igitur invehitur in sectam Epicuri Juvenal. quod Sabinus putavit.

2. *Si Rutilus.*) In Rutilum ex Rutilorum familia hominem invehitur, qui, cum tenuem haberet rem familiarem, lautissimas parabat mensas: ut omnes jam palam & sentirent & dicerent eum in extremam paupertatem delapsurum, & consumtis rebus omnibus fore lanistam & gladiatorem, ut inde scilicet sibi pararet victum; in quo alludit ad historiam: nam Publius Rutilius unus ex majoribus hujus Rutili, collega Cnei Manlii in consulatu, eruditionem gladiatorum & lanistarum tradidit: quod Maximus ita scribit: *Armorum tractandorum meditatio a Publio Rutilio consule Cnei Manlii collega, militibus est tradita, is enim nullius ante se Imperatoris exemplum secutus, ex ludo Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum arcessitis, vitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legibus ingeneravit.*

8. *Scripturus leges.*) ipse erit lanista, & regulus inter gladiatores, quibus imperabit.

5. *Dum juvenilia membra.*) Irridendo hoc dicit, quasi dicat, properat ad paupertatem, ut, cum sit futurus lanista ob inopiam, sit saltem juvenis.

7. *Non cogente quidem.*) Suspirans satyrice Juven. ait Rutilum lanistam habiturum multos juvenes ad gladiaturam, qui dabunt nomina, Tribuno plebis non intercedente, nec cogente, ut scilicet ostendat omnem publicæ militiæ disciplinam esse exstinctam, & meditationem armorum resedisse tantum in gladiatoribus.

18. *Matris imagine fracta.*) Hoc est ex historia, ut ego quidem sentio. notat enim hominem sui temporis gulosum, qui partem statuæ maternæ vendiderat, ut cibos emeret delicatos.

29. *Miscellanea.*) Miscellus Crotonem condidit ex oraculo, ut scribit Strabo. Miscelli item ludi erant, quos in Gallia edidit Cajus princeps, ut scribit Tranquill. unde *miscellanea* præmia, quæ in Miscellis ludis dabantur, dicta sunt: sensus Juvenalis est, qui pendet ex eo quod dixerat de Rutilo, quod scilicet propter paupertatem aliquando cogeretur erudire gladiatores. *Sic*, id est, cum homines pauperes fiant ex gula, *ludi veniunt ad miscellanea*, id est ludi gladiatorii ab his aperiuntur ad præmia ludorum accipienda, ut inde vivant.

34. *An Curtius.*) Curtius Montanus caussidicus, de quo Cornelius Tacitus: *Occurrit truci oratione Curtius Montanus*, & alibi: *Censuit Curtius Montanus.*

37. *Gobio.*) Precium pro Gobione pisce, qui, ut scribit Theophrastus, in regione Ponti captus ex glacie non ostendit motum vitalem, nisi calore patinæ. in venetas mensas mensas accipitur licet exiguo precio.

49. *Vertere solum.*) est mutare patriam ob æs alienum.

58. *Siliquas.*) *Siliqua* ab Ionibus ceratia dicta est, eandem nonnulli per errorem *ficum Ægyptiam* dixerunt: de hac Rutilius:

Assuescunt siliqua viridi mollescere succo,
Et gremio pascunt cætera poma suo.

58. *Ganeo.*) *ganeones* proprie dicti sunt, qui popinas gulæ caussa sectantur.

58. *Pultes.*) *Pultem* inconditum panem fuisse scribit Plin. quo Romani ante panis usum diu vixerunt, testimonio etiam Ennii, ea ignota fuit Græciæ veteri, tamen instituto post panis usum servatum est, ut dies natalis pulte fritilla celebraretur, in pristini victus monimentum. *pultes* prætetea excogitatæ sunt multis condimentis. Cato *Punicam pultem* conditi docet caseo, ovo uno: Apitius *pultes Julianas* conficit, & *pultes tractogalas*, nunc Juvenal. intelligit de rudi illa pulte, non de hac condita.

59. *Placentas*) luxuriosæ gulæ esse Cato docet, qui pluribus verbis & magna cura confecturam placentæ, quam appellat *placentam Semodialem*, scribit.

64. *Ornata nullis macellis.*) nullis obsoniis, quæ in

macellis venduntur condita.

68. *Montani asparagi.*) Corrudam appellat Plin. Cato asparagos seri & coli docet, eo loco, qui novissimus est ejus libri, ut scribit Plin. ut ex hoc intelligamus Catonis opus, quod in manibus est, perfectum esse: nam præcepta de asparagis eo loco leguntur, quo Plin. scribit.

73. *Signinum pirum.*) a patria dictum est, ut scribit Plin. quod alii *testaceum* appellarunt a colore.

73. *Syrium.*) eadem *lactea* dixerunt nonnulli, colore autem sunt nigro.

74. *Mala æmula Picenis.*) Hæc poma sunt rugosa, ut olivæ Picenæ, quæ conditæ mensis apponuntur, non ita sunt salubriora. Picenæ olivæ maxime comeduntur cibis, & sunt rugosæ. Mart.

Nec rugosarum vimen breve Picenarum.

75. *Siccatum frigore.*) Ex ratione naturali ostendit ea esse salubria.

81. *Vulva.*) Ex carnibus porcinis fiebat: optimi saporis judicabatur. Horatius:

Nil melius turdo, vulva nil dulcius ampla.

90. *Cumm tremerent Fabios.*) Luxum nunc carpit lecti discubitorii: nam Cajus Arvilius Pollio prodigii & sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii, primus temporibus Neronis docuit secare putamina testudinum, ut scribit Plin. in laminas, & lectos discubitorios ita operiri. Idem M. Arvilius, lectos operiri docuit argento, mox auro: nemo, inquit Juven. curabat operire lectos discubitorios laminis testudinum, cum Censores timebant, ut ostendat luxuriam irrepsisse corruptis & depravatis jam moribus publica negligentia.

97. *Vile caput aselli.*) Hoc dicitur, ut ostendat priscos illos severos ruri sæpe cœnasse: ubi in limitibus agrorum spectabatur caput aselli veteri superstitione. Et apte ait patres pro putaminibus testudinum, potuisse ostendere *caput aselli*, quod erat in limite ruris: id enim candore testudinum putaminibus simile est.

109. *Farrata.*) Cibaria ex farre dicta sunt, quorum mentionem facit, ut ostendat, quod Verrius scribit tercentum annis Romanos farre victitasse.

116. *Fictilis Jupiter.*) Jovem primum in Urbe fictilem fuisse testatur Plin. Confecta statua a Thurio, qui & Herculem fictilem formavit. *Hæ enim*, ut ille scribit, *effigies Deum erant laudatissimæ, nec pœnitet nos illorum, qui tales coluere: aurum enim & argentum, ne Diis quidem conficiebant.*

123. *Grande ebur.*) Nunc invehitur in luxum mensarum citrearum, quas Mauri Romanis dederunt ex citro arbore, quæ plurima apud eos nascitur, tanto precio ut duarum altera quindecim libris, altera paulo minus divendita sit a Juba: earum tamen latitudo non excedebat quatuor pedes & semipedem a venis intercurrentibus & maculis: aliæ *tricinæ* dicebantur, aliæ *pantherinæ*: rotundæ erant, & elephantinis dentibus sustinebantur; tanquam a Diis nato jure, ut scribit Plinius, ut eodem ebore & numinum ora spectentur, & mensarum pedes.

124. *Syenes.*) Ego *Porta Syenes* dici existimo, quoniam illic stes erant cohortes Romanorum ad præsidium adversus Æthiopes: qui finitimi sunt, quod scribit Strabo.

127. *Jam nimios.*) Ostendit luxuriari Romanos, exquisitis maximis quibusque dentibus ad pedes mensarum, nam elephanti aut senecta & casu deciduos dentes deponunt, qui prægrandes sunt: aut obsessi a venatoribus eos arbori impactos frangunt, hi autem sunt minores.

132. *Nec tessellæ.*) Nam tali & tesseræ eburneæ erant.

133. *Manubria cultellorum.*) Hæc eburnea solita fieri, illa Plinii indignatio ostendit: *Quid attinet hæc colligere? cum capuli militum ebore, etiam fastidito colentur argento.*

136. *Omnis Pergula.*) *Pergula* pro loco heic accipitur, ubi Tripherus magister structorum habebat discipulos, ut legimus in Augusto apud Sueton. qui scribit eum venisse in pergulam Theogenis Mathematici, & Sueton. de Crassitio Grammatico: *deinde in pergula docuit Tinga.* Placentinus hanc dictionem perperam enuntiabat *pertulam* pro *pergulam.* quod scribit Cicer. repetit Fabius, Plinius eodem verbo de Apelle scribens: *Usus est comite Agrippa, cui omnis pergula debeat cedere*, id est, peritior omnibus aliis discipulis.

138. *Pygargus.*) de genere caprearum est, ut scribit Plin. *libro VIII.* ejusdem generis rupicapreæ, ibices, strepsicerotes.

140. *Hebeti ferro.*) Nam si veræ erant & incidebantur, non oportuit ferrum hebes esse.

142. *Avis Afra.*) Porphyrio ad Horat. recte interpretatur *Afram avem* Gallinam Numidicam, quæ magnitudine alias superat, guttis & maculis distincta.

144. *Ofellæ.*) *Ofella* fiebat ex carnibus suillis, pulmentum pauperiorum, ut docet Varro. Nec egebat arte structoria.

145. *Calices plebejos.*) Vitrei erant, ad Circumque maximum vendebantur.

147. *Non Phryx aut Lycius aut a mangone petitus.*) Non dabo tibi ministrum elegantem, quales emuntur a mangonibus, aut Phrygiis, aut Lyciis: nam ex oriente formosissimi ministri coemebantur, aut Delphici, aut Mutylenæi, aut Phrygii, aut Lycii, atque id genus: sed rusticum & natum in agro.

156. *Raucus*) propter coitum. quid si legas: *Draucus*: nam *drauci* in balneis potissimum spectabantur.

157. *Nec præbuit alas vellendas*) pilosas. Non ei ante ætatem orti sunt pili sub alis, qui solent fruticari his,

qui ante legitimam ætatem per libidinem viri fiunt. Mart.

Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.

158. *Gutto.*) vase oleario, quo in balneis utebantur. Gell. *Guttum Samium ore tenens imprudens inanem, tanquam inesset oleum, affert.*

173. *Orbem Lacedæmonium.*) Alii nescio quid finxerunt hoc loco de ludo & saltatione: ego vero sentio, hoc dictum esse invidiose in annulatos, senatores scilicet & equites, qui annulis utebantur: nam πυτίζω Græce, Latine est sputo levi & crebro irrorare. & πυτισμὸς e levi sputo irroratio dicitur, qui autem gestant annulos, ut ostendant, crebro induunt & educunt, quod, ut facilius agant, sputo & pytismate reddunt lubricos digitos. Mart.

Per cujus digitos currit levis annulus.

173. *Orbem Lacedæmonium.*) id est annulum: nam a Lacedæmoniis annulorum usus manavit, quod indicat Plinius: *Hoc in Tarquiniis maxime miror, quorum e Græcia fuit origo, unde hic annulorum usus manavit, quanquam etiam nunc Lacedæmone ferreo utuntur.*

173. *Lubricat.*) apto verbo usus est cum pytismate. nam *lubricare* est lubricum facere humectatione. sensus est: Senatores & equites, qui annulos ostentant, habeant istos ludos.

174. *Fortunæ.*) divitibus, qui possunt frui hac voluptate.

176. *Omnia cum faciant.*) Cum dent operam adulteriis & aleæ etiam ipsi.

180. *Contrahat uxor.*) Notat adulteria suorum temporum.

204. *Jam nunc in balnea.*) Quamvis non sit sexta hora, potes tamen sine pudore accedere ad balnea, ut postea cœnemus: hoc autem ait, quoniam sexta tantum hora lavabantur, ante lavare luxuriosi aut dissoluti habebatur. Mart.

— In modico sexta Nerone calet.

IN SATYRAM XII.

NAtali.) Pro Catullo, qui facto naufragio enataverat, vota se persoluturum Diis pollicetur: mox in Satyram exit, reprehendens captatores, qui vota solent nuncupare, non pro amico, qui haberet liberos, ut Catullus, sed pro orbo aliquo, cujus hæreditatem captant.

4. *Gorgone Maura.*) Obtinuit depravatus usus, ut Hesperides & Gorgones eædem censeantur, cum tamen Gorgones aliæ sint, duæ scilicet, quæ insulas Gorgonas habitarunt, bidui navigatione distantes a continenti contra Atlantem montem ad fines Mauritaniæ, ut Xenophon scribit.

11. *Hispulla.*) Hispullam mulierem pinguem suorum temporum notat, ut Martialis Spathalen Mammosam, hujus ante meminit: *Hispulla tragœdo Gaudet.*

13. *Clitumni.*) Inde eligebantur victimæ mactandæ Jovi Capitolino, Silius ad Mevaniam fluvium esse scribit in Umbria:

Et sedet ingentem pascens Mevania taurum
Dona Jovi. —

Virgilius:

Hinc albos, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima. —

26. *Pars dira quidem, sed cognita multis.*) In quam calamitatem multi navigantes inciderunt, ut scilicet abjicerent bona.

34. *Imitatus castora.*) Castor idem *fiber ponticus* dicitur, tanti morsus, ut dentibus arbores non secus ac ferro incidat.

42. *Et Bæticus aer.*) Male Sabinus hæc ad Boeotios quosdam fontes refert, cum loquatur de veste ex lana Hispana.

43. *Lances.*) grandiora vasa erant escalia, quæ centenis libris argenti aliquando factæ sunt. Drusillanus Rotundus lancem habuit quinquagenariam, cum servus esset Claudii Imperatoris, factæ præsertim sunt temporibus etiam Domitiani magno impendio, quod supra notavit: *cum lance beata.* &c.

44. *Parthenio.*) vel ab artifice sculptore, quem tamen Plinius non nominat inter alios, vel certe cubicularium Domitiani intelligit, cui tantæ erant lances.

46. *Bascaudas.*) Sabinus inepte ait lapides esse preciosos.

47. *Callidus emtor Olynthi.*) Designat poculum aureum: nam Philippus rex nunquam dormivit, nisi poculo aureo pulvinari subdito, ut scribit Plinius.

47. *Emtor Olynthi.*) *Emisse Olynthum* dicitur a Juvenale: nam Olynthum civitatem Thraciæ allexit in societatem, ut est apud Demosthenem, adversus Athenienses, datis duobus oppidis Atemonte scilicet & Potidea.

62. *Sed postquam jacuit planum mare.*) Exitum tempestatis, in qua extremo periculo laboraverat Catullus, scribit: Sedata tempestate Catullus vestem extendit, pro velo, & alterum minus velum, quod superfuerat, in prora extendit: atque ita flante aura ad portum delatus est.

69. *Velo suo.*) quod in ea servatur ad differentiam veli majoris: quod solet esse in medio navis & amissum erat.

71. *Lavino novercali.*) Post trigesimum annum: ex quo Æneas tenuerat Lavinum, Ascanius mortuo patre reli-

reliquit Lavinum matri vel novercæ, nam id quoque ambigit Livius, *Albam* que condidit ab alba porca.

76. *Pharum Tyrrhenam.*) Fuit item *Pharus* ad Capreas: cujus meminit Papinius:

Teleboumque domos trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ.

87. *Coronas graciles.*) Lares, & publice in compitis colebantur, tradito ritu a Servio Tullio, quoniam ex Lare conceptus ipse putabatur: nam cum Ocresta mater sederet ad focum Tanaquilis, genitale apparuit in cineribus: unde ea surrexit gravida: & cum postea flammam capite servi conspecta esset; confirmata est opinio eum Laris esse filium: & privatim inde erant in honore, coronisque ornabantur.

100. *Fixis.*) Nam, qui nuncupabat vota pro alicujus rei eventu, ea libellis scripta templorum porticibus affigebat, quod *in Octav.* scribit Tranquillus: ait enim eum *noluisse nuncupare vota in proximum lustrum, quamvis paratis jam & scriptis tabellis.*

108. *Regi Molosso.*) Pyrrho, cujus adventu Italia primum vidit elephantos, ut Varro & Plinius scribunt, CCCLXXII. anno Urbis conditæ.

110. *In prælia turbam.*) Quod, ut verisimile videatur, Plin. scribit XX. elephantos turritos cum sexagenis propugnatoribus certasse in theatro.

110. *Novium & Istrum Pacuvium.*) Duo captatores erant, quos notat.

113. *Deis & captatoribus horum.*) qui scilicet rogantur pro salute Galliṫæ. elephas victima digna est, quæ mactetur ab his, qui volunt esse captatores Gallitæ, quæ est ditissima.

121. *Nec comparo testamento Mille rates.*) quasi dicat, censeo pluris faciendum testamentum, quod captat amicus meus: quam classem mille ratium, pro qua mactata est Iphigenia.

123. *Inclusus carcere nassæ.*) Nassa instrumentum est piscatorium, quo pisces egressu prohibentur. Silius:

Haud secus ad vitreas solers piscator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine nassam,
Cautius interiora ligat. ———

Vota hæc nuncupat captator, ut cum orbus convaluerit, eo merito captus, & tanquam piscis in nassa conclusus nequeat evadere, quin scribat eum hæredem aliis repudiatis.

129. *Quantum rapuit Nero.*) habebat enim infinitas opes: nam Nero publicas & privatas opes rapuit. Vid. Sueton.

IN SATYRAM XIII.

E*Xemplo.*) Calvinum, qui abnegata sibi pecunia vehementer angebatur, ita consolando lenit, ut tempora sua notet, quibus frequenter id accidebat.

8. *Te mergat.*) obruat, & cogat in desperationem.

16. *Sexaginta annos.*) Redarguit levitatem Calvini, qui, cum sit natus sexagesimum annum, non didicerit usu rerum ferre tam exiguam calamitatem.

17. *Fontejo.*) Fontejus Capito consul, de quo Tacit. *Avaritiam Fonteji Capitonis adimendis assignandisque suæ militiæ ordinibus integre mutaverat, nec consularis legati mensura.* Plinius: *Nuper Vipsano & Fontejo Coss.* Tranquillus: *Natus est C. Cæsar patre suo & Fontejo Capitone consulibus.* [V. Grangæum.]

20. *Victrix Fortunæ Sapientia.*) Eos laudamus, qui in adversis sua prudentia victores fortunæ casum & temeritatem contemnunt.

23. *Prodere furem.*) Ut illi ea non audiatur aliquid de fure.

26. *Vix sunt totidem quot Thebarum portæ.*) portæ Thebarum in Boeotia septem fuerunt. Homerus:

Et Thebana simul nostris cecidere sub armis,
Mœnia, queis septem fuerant portæ. ——

28. *Nona ætas.*) Non numerum secutus est nostrorum de ætatibus, qui quatuor tantum esse dixerunt: sed Græcorum, qui ad octavam perveniunt, *Heroicam* & *Deorum* & alias ætates interponentes.

31. *Nos hominum Divumque fidem.*) Hoc est desperati hominis, quasi dicat, tu clamas quottidie desperato animo: *Proh Deum & hominum fidem!*

32. *Fessidium.*) Malum caussidicum, & ambitiosum suorum temporum notat. alterius meminit Fessidii Horatius, de quo heic intelligere ineptissimi hominis est.

43. *Puer Iliacus.*) i. Ganymedes raptus ad locum, quem *Harpagum* appellarunt, ab ἁρπάζω, quod est *rapio* inter Cyzicenos & Priapenos fines: alii tamen, ut scribit Strabo, ad Dardanum raptum fuisse tradunt.

47. *Paucis Numinibus.*) Homines putabant Deos esse in cœlo, cum pauci esse dicebantur: sed postea quam turbam Deorum in cœlo esse traditum est, nullos putarunt.

59. *Prima pars.*) Primus locus dignitatis. Ovidius:

Magna fuit quondam capitis reverentia cani.

Et Gellius item scribit a Lacedæmoniis acceptum.

66. *Mulæ fœtæ.*) Plinius: *Mulam peperisse in nostris est annalibus, sed in portentum, quamvis Theophrastus scribat eam parere in Arcadia.* peperit, ut scribit Herodotus, sub expugnatione Babylonis.

68. *Longa consederit uva.*) Apes ostentum & prodigium faciunt, ut scribit Plinius, una dependentes vel domibus vel templis. consederunt tamen in castris Drusi contrario eventu: nam prospere pugnavit ad Athelonem.

86. *Sunt qui Fortunæ jam lapsibus.*) Ita Codex Antiquus habet. alii putant Deos non esse, sed mundum

fortuna & casu gubernari: & hi Deos non timentes pejerant. Alii item, qui putant Deos esse, pejerant, timentes quidem iram deorum, sed tamen ei pecuniam anteponentes.

89. *Quæcunque altaria.*) Jurant per quæcunque numina, etiamsi falso jurant.

93. *Isis.*) Præsenti numine ferire putabatur perjuros, quotiens per eam jurantes fidam non servabant. Mart.

Juro per Syrios tibi timores.

97. *Si non eget Anticyra.*) Si non est omnino insanus, verba sunt perjuri. duplex est *Anticyra*: altera ad sinum Malliacum & Oetam montem, altera juxta Chryssam non procul a Delphis: ad superiorem nascitur helleborum purgandæ insaniæ remedium, de qua intelligit. Ovidius:

Quicquid & in magna nascitur Anticyra.

In altera helleborum præparatur, ita ut illic tuto sumi possit: ut scribit Plinius, propterea Drusus tribunus eo descendit, cum purgatus est.

99. *Olivæ Pisææ.*) oleastri. nam ad Pisam in Olympo athletæ victores oleastro coronabantur, quam arborem sevit Hercules primus, non tam ad coronamenta, ut scribit Pindarus, quam ad arcendos radios Solares.

110. *Mimum agit.*) Non exponas *facit te mimum*, ut nonnulli, sed ille clamat, quasi mimus recitaret phasma Catulli, in quo clamore opus est, ut ante diximus.

120. *Accipe quæ contra.*) Hunc locum male accepit Sabinus. Sensus est: Audi quas rationes possit tibi afferre ad consolandum in amissa pecunia, etiam is, qui non disputat ex sententia aut Cynicorum, aut Stoicorum, aut Epicuri, qui scilicet omnes opes contemserunt.

121. *Qui nec Cynicos.*) Qui etiam non utatur auctoritate Cynicorum in te consolando, ut scilicet doceat, opes esse contemnendas Cynicorum sententia, qui eas adeo neglexerunt, ut ne vestem quidem habere voluerint.

121. *Stoica dogmata Distantia a Cynicis sola tunica.*) Qui non afferat tibi sententiam Stoicorum, qui dixerunt opes esse contemnendas, appellantes divitem, quicunque cœlo tegeretur, ut scribit Cicero: hi solum tunica distabant a Cynicis, quoniam ejusdem erant sententiæ in opibus contemnendis, ii que earum videbantur magis avidi, nisi hac una re, quod ipsi habebant vestem, quam Cynici parvi pendebant.

123. *Lætum plantaribus horti.*) Id est ex sententia Epicuri, qui vixit contentus exiguo horto. nam Epicurus primus in urbe habere hortos docuit, unde *hortorum magister* est appellatus, quod scribit Plinius.

124. *Curentur medicis.*) non afferam tibi rationem philosophicam in tam exigua jactura, sed si afficereris graviore dolore, indigeres & esses curandus etiam doctiore consolatore.

151. *Radat inaurati.*) Nam solebant fures laminas vel aureas vel argenteas ex statuis vel lectis discubitoriis unguibus eradere. Martialis:

An magis astuti derasa est ungue ministri
Brattea, de fulcro quam reor esse tuo.

157. *Custos Gallicus.*) Alii, inter quos olim Sabinus, anserem exposuerunt. ego vero Rutilium Gallicum intelligo, pro quo Soteria scripsit Papinius.

163. *In Meroe.*) Insula Ægypti est distans a Syene quinque millibus stadiorum. Timosthenes, auctore Plinio, scribit id esse iter sexaginta dierum, insula ipsa, ut scribit Diodorus, ambit tria millia stadiorum, patet in latitudinem mille, incolæ dimidio plus aliis vivunt: illic urbem condidit Cambyses a nomine matris ita appellatam.

183. *Hymeto.*) Hymetus mons melle & marmoribus nobilis juxta Athenas.

196. *Animo tortore.*) Animo ipso præstante officium tortoris: nam conscientia punit eum.

233. *Cristam galli.*) *Gallorum*, inquit Plinius, *fibræ gratissimæ sunt Diis: Lares præcipue & Pinates his placabantur.*

249. *Tiresiam.*) Thebanus, in alia parte fabulæ notus, in morte non satis. Pausanias vero scribit, eum fuisse captivum Græcorum cum filiis Polynicis, & cum duceretur Delphos, bibisse ex fonte Thilsusa, unde periit.

IN SATYRAM XIV.

PLurima.) Caussam affert hac Satyra, quare tot existant quotidie scelerati, & invehitur in patres ipsos, quorum exemplo ait teneras liberorum mentes ad vitia formari. inscribatur igitur Satyra: *De prava liberorum institutione.* ad Fuscinum scribit amicum.

2. *Et quod majorum vitio, sequiturque minores.*) Non in omnibus Codicibus hic versus exstat, nec puto esse inserendum: nam argumentum hoc versu & altero, qui non apparet, comprehendebatur: sed temere insertus est Satyræ: quod series elocutionis indicat: bene enim sequitur:

——— *Et fama digna sinistra,*
Et nitidis maculam atque rugam figentia rebus.

4. *Damnosa alea.*) Nam grandis pecuniæ acervus aleæ committebatur temporibus Juvenalis. supra: *Posita sed luditur area*, & hoc carpit eo etiam invidiosius, quoniam Domitianus, quem sæpe notat usque ad reprehensionem, ea oblectabatur.

9. *Ficedulas.*) Ficedula avis inter ganeata obsonia, ab Apicio jure conditur ingenti patina.

13. *Modi is erroribus.*) 1. Pater paullatim ducit filium per errores, quibus sit idoneus & aptus propter teneram ætatem.

20. *Antiphates.*) Antiphatem solitum vesci carnibus humanis

humanis tradiderunt Nostri, & in Scythia multa eorum genera fuisse scribunt, & in Sicilia Cyclopes idem factitasse. in quo miror gravis historiæ auctores dissentire: nam Thucydides VII. *Histor.* Cyclopes fabulosos fuisse scribit: Plinius autem *lib.* VII. pro vera historia tradit eos, & fuisse aliquando, & comedisse homines. In Italia Læstrigones, queis imperabat Amiphates, ad Cajetam idem fecisse perhibentur, teste Homero.

25. *Largæ.*) Mulieris mœchæ, & adulteriorum infamia notæ nomen est temporibus Juvenalis. Fuit item Largorum familia, quamvis nonnulli Codices habeant *Titus Largius*, non *Largus:* sed heic *Largæ*, ut dixi, nomen proprium est mœchæ. Sabinus inepte *large* contendit legendum pro adverbio.

29. *Hac dictante.*) Ego non intelligo, quod mater dictaret quotidie: sed quod ipsa exemplo materno jam didicerit scribere ad adulteros, & jam scribat, tanquam mater dictaret.

77. *Vultur*) cadavera ita sectatur, ut triduo ante dicatur volare eo, ubi futura sint. auctor est Plinius.

90. *Ædem Fortunæ.*) Nam Fortunam ornavit templo Nero princeps ex marmore phengite, is est lapis repertus in Cappadocia duritia marmoris, ut scribit Plinius, candidus & translucens, adeo ut foribus apertis claritas diurna in templo existeret, id est complexus domo sua aurea.

92. *Posides.*) libertus Claudii Imperatoris: Et notat tempora sua, invehiturque in opes libertorum.

96. *Quidam sortiti.*) Judæos sæpe tumultuantes Romæ religionis cultu coercuerunt supplicio in primis Claudius & Nero: Invisi quoque fuerunt Domitiano & ad tributum acerbe coacti, nec tamen deerant, qui eorum sacris initiarentur, & illorum servarent ritus. Juvenal. in hos invehitur publico odio adductus, & eorum religionem subsannat ac deridet.

97. *Præter nubes & numen cæli.*) Nam Judæi, ut Tacitus scribit, *mente sola, unum tantum numen intelligunt, profanum, qui Deorum imagines mortalibus materiis in species hominum effingat. solum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. igitur simulacra urbibus suis nedum templis habent.* Sabinus *nubes* exponit legem obscuram Judæorum.

99. *Præputia ponunt.*) circumciduntur ritu Judæorum & more Ægyptio. nam Ægyptii soli, ut scribit Herodotus, & qui ab iis didicerunt, circumcidebantur, ut puriores essent in Deorum cultu.

102. *Moses.*) ut scribit adversarius Josephi, *Orsephus* prius dicebatur, Osiridisque fuit sacerdos in Heliopoli dux Judæis exeuntibus ex Ægypto, leges his promulgavit, ne Deos colerent Ægyptios, ne animalibus abstinerent, quæ in Ægypto sacra erant, & ne cum aliquo versarentur, nisi qui eadem sacra coleret.

104. *Quæsitum fontem.*) hoc dicit ex historiâ. nam, ut scribit Tacitus, septimo die Judæorum multitudo, quæ Mosem sequebatur, penuria aquarum in primis laborabat: sed Moses secutus gregem asinorum agrestium, qui e pastu in rupem nemore opacam concessit, conjectura herbidi soli largas aquarum venas aperuit: Sensus est: Legibus Judaicis adeo prohibentur a Mose versari cum aliis, ut ne via quidem monstretur ab iis etiam ad fontem illum, quo sedarunt sitim, nisi eadem sacra colentibus, id est, Judæis.

114. *Serpens.*) Historia habet fuisse flexuosum sinum maris, qui ambibat hortos Hesperidum, ut scribit Plin.

129. *Minutal.*) Genus condimenti est, quod autumno intempestivum erat & sub exitu æstatis. Sabinus *minutal* partem & frustum cœnæ exponit, sed præter rem.

132. *Signatam.*) Custoditam etiam signo impresso, Martialis.

Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

id est servabantur.

140. *Qui non habet.*) Hoc est, quod scribit Plin. *Sed a nummo prima est avaritiæ origo excogitata fœnore, quæstuosaque segnitia. hæc paullatim exarsit rabie quadam. non jam avaritia, sed fames auri.*

144. *Arbusta*) Arbusta scribit Cato prædia esse, in quibus arbores tantum consitæ sint. Columella ex novem generibus prædiorum octavo loco ponit arbustum, nono silvam glandariam.

146. *Nocte boves macri.*) Ex veteri injuria loquitur de malo vicino, nam, ut scribit Hesiodus & repetit Columella: Ne, si bos quidem amittendus esset, vicinus malus est habendus, adeo, ut eodem auctore multi prætulerint carere Penatibus, & propter injurias vicinorum sedes suas fugerint.

160. *Quantum sub Tatio.*) In tantum enim agrorum possessio accreverat penes ditiores, ut lata demum sit lex, ne plus quingentis agri jugeribus cui possidere liceret.

162. *Vel Pyrrhum immanem.*) qui passi essent vulnera adversus Pyrrhum regem Epirotarum, qui ad Asculum in agro Piceno cum Dentato consule bis prælium conseruit, in quo ceciderunt sex Romanorum millia, ut Hieronymus tradit. Dionysius vero auctor, est semel tantum pugnatum fuisse, cessasseque prælium vulnere Pyrrhi brachio hasta transfixo, utrinque cecidisse supra quindecim hominum millia.

163. *Bina jugera.*) Imo septem jugera accepit Dentatus consul, ut scribit Columella, Pyrrho Italiæ finibus pulso.

169. *Tres domini.*) Alludit ad communem habitationem, & jus trium natorum.

172. *Nostro non sufficit horto.*) habemus ampliores hortos nunc, quam antiqui agros. Plinius: *Viridaria & piscinas juvat habere majores. Hortus* in legibus duodecim tabularum prisca dictione *hæredium* dicitur, unde *hærediolum* apud Columellam.

180. *Marsus.*) Sabiuus Marsum Poetam intelligit & Vestinum, cujus in Nerone meminit Tacitus. Nos de *Marso* seu ex Marsis populis & *Vestino* ex Vestinis intelligimus, nam Marsi, Vestini, Hernici colendis agris præter cæteros olim intenti fuerunt. Ex frugalitate igitur antiquorum, & honesto divitiarum studio sui temporis luxum vituperat & cupiditatem, introducitque verba Marsi senis & Vestini ad filios.

83. *Quorum ope & auxilio.*) quasi dicat, quum Liber & Ceres dederint nobis panem & vinum, ægre ferrent, si hæc non coleremus.

194. *Nates pilosas.*) Nam pilosi homines majoris roboris existimantur.

195. *Lælius.*) *Lælium* posuit pro eo, qui militiæ curam suis temporibus habebat. Fac, inquit, ut Lælius, a quo es scribendus centurio, & in militiam, te negligentem cultum corporis videat: nam ita putabit idoneum militem. suspicatur Sabinus Lælium accipi hoc loco pro eo, cujus meminit Mart. sed ille *Lectius* dicebatur; & theatri, non militiæ curam habebat.

196. *Dirue Maurorum attegias.*) in Mauritaniam extremam, aut ad caput Rheni, ubi sunt Brigantes populi, & illic eversis oppidis age ingentem prædam, quia scilicet in his locis tunc arma erant Romana.

196. *Attegias.*) alii accipiunt tigna Maurorum *attegias* mapalia significare. ego potius intelligo hoc significare Mauritaniam ad extremam partem Libyæ. Dionysius:

Ad summam Libyen habitant Atteios undas,
Alcide qua sunt statuæ, Maurusia plebes.

196. *Castella Brigantum.*) Brigantes populi juxta caput Rheni. Ptolemæus: *Ad caput Rheni Lagetiam Brigantium.*

200. *Quod vendere possis.*) Nunc docet filium exercere vilissimam etiam negotiationem, modo faciat lucrum.

232. *Relictis metis.*) hoc est ultra metas. nam aurigarum indomiti equi ad metam non subsistebant. Filius, inquit, non solum ad metam perveniet, sed prætteribit suo impetu elatus.

248. *Nota mathematicis.*) Quamvis ex astrorum ratione, quam mathematici noverunt, vita tua pendeat: tamen filius astrorum cursum interpellabit. nam te interficiet ante destinatum tibi diem a fatis.

260. *Nummi ponendi ad Castora vigilem*) Ostendit imprudentiam avarorum, qui periculo vitæ pecunias acquirunt, quas sæpe solent amittere depositas apud nummularios. nam paullo ante, inquit, mensarii, qui erant in tertio foro, ad ædem Martis ultoris, spoliati omnem depositam apud se pecuniam amiserunt: adeo ut jam ad alterum forum sint deponendæ, ubi est ædes Castoris. quod nonnulli dicunt de ærario publico, quod prius fuerit in æde Martis, & postea translatum ad ædem Castoris, plane falsum est. nam ærarium publicum in æde semper fuit Saturni, nec heic de pecunia loquitur publica, sed de privata.

278. *Carpathium*) tempestate & naufragiis insigne.

278. *Æquora Gætula.*) id est mare Libycum, quod syrtibus prætenditur, ut scribit Strabo, & Ægyptio finitur.

317. *Sufficiat.*) Ii omnes versus, qui sequuntur, ostendunt eum, qui non sit contentus rebus necessariis, non posse expleri ulla divitiarum magnitudine. Epicurus & Socrates rebus necessariis vixerunt contenti, ut est apud Laertium.

323. *De moribus nostris.*) id est secundum cupiditatem nostrorum temporum.

IN SATYRAM XV.

QUis nescit.) Ex Ægypto, quo missus fuerat sub specie honoris militaris, duas Satyras scripsit, & hanc, quæ ultima est in antiquis codicibus, & alteram de *commodis militiæ*. Invehitur autem nunc in mutua hominum odia & feritatem: notans scilicet Paridem cujus odio fuerat ejectus, sumta occasione ex re gesta, quam in Ægypto viderat: nam Ægyptii, inquit, cum pro numinibus bruta & res vilissimas colant, tanto inter se laborant odio, ut hostem finitimum captum & discerptum membratim me spectante ederint. Inscribatur igitur Satyra non *De vana superstitione Ægyptiorum*: nam inde non sumitur argumentum, sed *de feritate Ægyptiorum.* Hæc enim prima pars Satyræ, quæ est de superstitione Ægyptia sumitur a Juvenale, ut augeat invidiam feritatis eorum, quod quum vilissima animalia colant, in hominem morsu sæviant, nec, ut dixi, superstitionem illorum insectatur, sed mutuum odium in humanum & feritatem.

3. *Ibin.*) Diodori interpres male transtulit *ciconiam*: nam *ibis* Ægypti tantum avis est, duplici genere, ut scribit Herodotus, & diversa a ciconia: colitur, quia serpentes necat, hanc occidere illic est capitale, ut tradit Eusebius, ut etiam in Thessalia ciconiam.

6. *Vetus Thebe.*) De cujus magnitudine scribunt Strabo & Plinius & Homerus divitem appellat:

Nec quot divitias Ægyptia Theba recondit.

9. *Porrum & cæpe.*) Idem tradit Diodorus, qui ait Ægyptios id instituisse valetudinis caussa, ut scilicet lente, faba, porris, cæpis abstinerent. colunt etiam scarabæum, ut tradit Plinius.

11. *Lanatis anamalibus.*) In deliciis vero habent vitulum & anserem, ut ait Herodotus.

13. *Car-*

13. *Carnibus humanis vesci libet.*) Hoc refert ad rem gestam, quam est narraturus, ubi scilicet Ægyptii hostem comederunt. dicit autem ex stomacho: nefas putant vesci his animalibus, & tamen carnibus humanis vescuntur, tanquam fas sit. Sabinus ait Ægyptios vesci parentibus, & hoc affirmando legit, sed aberrat.

28. *Copti.*) Erat enim Juvenalis ad fines Arabiæ cum cohortibus.

31. *Nullus populus.*) In tragœdiis unius tantum, aut certe paucorum scelus refertur, quod scilicet hominem apposuerint in epulas: sed ego ostendam populum uno consensu hominem comedisse.

35. *Combos.*) Mendosa dictio apud Ptolemæum, *Ombos pro Combos.* [imo versa vice.]

36. *Numina vicinorum Odit.*) Nam, ut Diodorus scribit, diversorum finium homines invicem dissentiunt, mutuo sibi impietatem objicientes.

49. *Nigro tibicine.*) Æthiope scilicet vel Arabe: nam ad eos fines sunt Tentyritæ.

64. *Domestica tela seditione.*) Saxa contorquent, quæ sunt tela familiaria & in promtu agentibus seditionem. Virg.

Jamque faces & saxa volant. ——

Sabinus exponit, *domestica*, *quæ habentur domi*, quasi vero alibi non reperiantur saxa.

65. *Turnus & Ajax.*) Hic locus est partim ex Virg. nota historia de saxo Turni adversus Æneam, partim ex Homer. usque ad æmulationem.

66. *Percussit coxam.*) Idem scribit Homerus ἰσχίον, *coxendicem.*

67. *Quem valeant.*) Hoc dicit in æmulationem Homeri. nam ille ait: *Quantum duo homines mea ætate non tollerent.*

115. *Ara Mæotide.*) Mæotis palus Scythiæ, quam accolæ *Temerradam* appellant, quod significat *matrem maris.* auctor Plinius: in ea regione mactabantur hospites ad aram Dianæ. notissima historia. & Albani, ut auctor est Strabo, supra Pontum servum saginatum per annum Lunæ mactant.

125. *Anne aliam.*) Si Dii, irati Ægyptiis, nollent Nilum inundare Ægyptum, Ægyptii non possent ulla majore ac magis impia ultione trahere eos in invidiam, quam vescendo carnibus humanis.

125. *Agathyrsi.*) Populi Scythiæ ab Agathyrso, Herculis filio, auro & opibus luxuriantur, ut scribit Herodot.

127. *Phaselis fictilibus.*) Strabo scribit fossas esse in Ægypto, quæ tanta facilitate navigantur, ut nonnullæ scaphas fictiles habeant, alibi præterea idem est auctor *Pactonem* esse in Ægypto naviculæ genus textæ ex viminibus. hæc autem ait, ut ostendat tanto minus his ignoscendum est, cum molles & effœminati vescantur carnibus humanis, quod non faciunt feri populi.

140. *Dignus face arcana Cereris.*) Sabinus ineptit solens hoc loco, cum ait: *Quod debemus existimare mala aliena nostra esse, quemadmodum mala Cereris fuerunt mala Atheniensium, qui laborarunt sterilitate, rapta Proserpina.*

160. *Maculis cognatis.*) feris, quæ habeant easdem maculas.

IN SATYRAM XVI.

QUis.) Penultimo loco hæc Satyra edita est a Juvenale, sed librariorum culpa in finem translata: quem errorem ex Codicibus antiquis facile dignoscas. hanc scripsit, cum primum venit in Ægyptum in Paridis Pantomimi invidiam, a quo legatus fuerat falsa honoris specie cohortis præfectus. primum subobscure calamitatem suam designat, tum laudat commoda militiæ, ne Paris miserum eum putet & infelicem, quod maxime optabat.

1. *Felicis militiæ.*) Non calamitosæ, qualis est mea.

6. *Quæ delectatur arena.*) Alii aliter exposuerunt. ego intelligo esse allusionem nominis ad Samum; ut dicat Juno Samia, quæ delectatur Samo: nam ἄμμος significat *arenam*, unde *Samos*: Strabo tamen *Samum* putat appellatam a summitate, quia inde spectatur Ida & regia Priami, vel a *Sais* priscis Thraciæ cultoribus, quorum etiam meminit Archilochus.

13. *Bardiacus.*) Hunc locum depravatum emendavimus. Codices enim fere omnes habent: *Bardaicus*, ut etiam Sabinus legit, affirmans esse proprium nomen judicis, & nescio quas fabulas affectens. nos *Bardiacum* legimus ex versu Mart. *lassi Bardiacos quod evocati.* *Bardiacus* enim est sagulum militare ex pilis caprorum, ut ex Varrone & Virgil. alibi docuimus. Hic vero accipio *bardiacum* epitheton calcei, ut ex habitu designet centurionem, qui & calceis ciliceis utatur, & grandioribus tibialibus, tales calcei *udones* apud Mart. inscribuntur.

15. *More Camilli.*) Nam Camillus post septimum annum Vejentanæ obsidionis, cum illuc missus esset, ut acrius obsessos urgeret, quos decimo tandem anno redegit in ditionem, milites in castris diligentissime continuit, non patiens eos evocari ulla, vel aliarum rerum necessitate.

17. *Justissima centurionum Cognitio.*) i. Merito igitur centurio eligitur judex. quibus verbis ostendit se eo loco designasse centurionem, ubi ait, *bardiacus datur hæc, &c.* ut exposuimus: nam hoc ad illud refertur.

23. Cor-

23. *Corde Vagelli.*) Vagellum sui temporis audacissimum notat caussidicum, qui malas caussas audebat suscipere, inquiens, persuasio ista & defensio, ut, cum sis togatus & inermis, audeas offendere accusando militem, boni oratoris non est: sed temerarii, qualis est Vagellus Mutinensis.

25. *Tot millia clavorum.*) Tot milites, qui tibialibus utuntur, multis clavis fabricatis: quod in armis Achillis scribit Homer.

27 *Lacrimae siccentur.*) Ostendit nullum genus favoris in judicio esse togato adversus militem: Esto, inquit, omittamus, quod non possis flere & lacrimis tuam caussam facere miserabilem, esto, quod non possis adducere amicum, quia nemo audet venire, si etiam jure agere velis, es destitutus omni ope. nam esto, quod quod judex etiam velit admittere testem tuum, qui viderit te pulsari, nullus erit testis, qui audeat illud testificari. hunc totum sensum ignoravit Sabinus.

42. *Exspectandus erit.*) Hunc versum male, ut puto, a Servio acceptum alii Interpretes illum sequuti non vere exposuerunt: morem enim fuisse ajunt, ut initio anni perscriberentur, qui essent litigaturi toto anno: quorum caussae nisi essent definitae, alii non possent novas lites inchoare. hoc & nusquam reperi & perabsurdum videtur: sed & decepti sunt, quod ait Poeta *Totius populi*, non intelligentes hoc referri ad centumviros judices. apud quos lites in multam differebantur diem; inde ita Tranquillus *in Vespas. Elegit, qui judicia centumviralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum aetas videbatur extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.* & in Domitiano: *Ambitiosas Centumvirorum sententias rescidit.*

42. *Lites Totius populi.*) quae aguntur apud judices electos ex tribubus & toto populo.

42. *Annus.*) Non duodecim menses hoc loco significat, sed longissimam moram & intervallum judiciorum centumviralium, ut illud apud Terentium: *Dum comuntur, dum ornantur, annus est.* Si voles agere caussam aliquam civilem, ut de finibus, de deposito, & id genus, necesse est, exspectem diutissime, antequam conveniant ad judicandum Centumviri, apud quos scilicet litigandum est.

45. *Lacernas.*) *Lacernas* lege, non *lucernas*; raro, inquit, judicant Centumviri, & tum quoque, cum conveniunt judicaturi, sedent otiosi, donec *Cadicius*; hic autem fuit judex temporibus Juvenalis, de quo ante, qui ostentat lacernas suas, taedio morae affectus, eas deponere cupit: & Aurelius *Fuscus* alter judex & potu oblectatus post longam moram cupit mejere. hujus judicis ebrietatem notat, ut Martialis Sextiliani:

Sextiliane bibis, quantum subsellia quinque.

Et *Cadicii* ostentationem in *lacernis* carpit. *Fusci* meminit Plinius: aitque eum fuisse motum equestri ordine.

55. *Merentem aera Castrorum.*) Qui locupletatur stipendiis. Laudat legem, quod scilicet bona castrensia sint tantum filiorum.

COMMENTARIORUM
DOMITII CALDERINI
IN
JUVENALEM
FINIS.

NO-

AD JUVENALIS SATYRAS

NOTAE SELECTAE

ex

GEORGII VALLAE Placentini; ANTONII MANCINELLI Veliterni; JODOCI BADII ASCENSII *Commentariis* : HADRIANI JUNII *Scholiis*: EILHARDI LUBINI; BERNARDI AUTUMNI Nitiobrigis *Commentationibus*: & denique THOMAE FARNABII *Annotationibus*.

Item

SYLLOGE NOTARUM VARIARUM

ISAACI VOSSII : OCTAVII FERRARII : CLAUDII SALMASII : JOANNIS GEORGII GRAEVII; necnon *Casp. Barthii, Sam. Bocharti, Steph. Claverii, Lud. Dorleans, Jos. Ant. Gonsalii de Salas, Joh. Fred. Gronovii, Nic. Heinsii, Jac. Ouzelii, Phil. Rubenii, Jan. Rutgersii, Jos. Scaligeri, Gasp. Scioppii, Ez. Spanhemii, Joh. Ger. Vossii*, aliorumque quamplurimorum celeberrimæ Eruditionis Virorum.

Sequuntur

THEODORI JANSSONII ab ALMELOVEEN Animadversa & HENR. CHRIST. HENNINII Spicilegia.

Denique

PEPLUM NOTARUM AD SCHOLIA VETERUM

Contextum ex Notis partim Variorum *Oct.* FERRARII, J. G. GRAEVII, nec non *Casp. Barthii, Sam. Bocharti, Lud. Dorleans, Thom. Munckeri, Phil. Rubenii, G. J. Vossii* aliorumque VV. CLL. partim Integris *Petri* PITHOEI Notis, JANI RUTGERSII Emendationibus, THEOD. JANSS. *ab* ALMELOVEEN Animadversis, & tandem HENR. CHR. HENNINII Spicilegiis.

Finit

INDEX omnium in XVI. Satyris VOCABULORUM.

Omnia sigillatim excerpsit, recognovit, digessit & ad hanc Editionem concinnavit

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.

PAucis mihi, Benevole Lector, ante es monendus, quam Te ad sequentia conferas. Vides hic primum *Notas Selectas*, sed tamen ita selectas, ut jure *Integra* dici queant. Nihil enim eorum putamus prætermissum, quæ Præcedentibus intacta facerent ad illustrandum Juvenalem. Eodem fere modo versati sumus in hac recensione, quo *Calderini* & *Britannici* Commentaria recognovimus: videlicet occupata prætermisimus, non necessarias paraphrases domi reliquimus, verbosiores summa fide & religione quandoque breviori verborum gyro circumscripsimus, errores crassiores expunximus: Omnia denique, habita ad sensus & versuum seriem ratione, suis locis, quantum fieri potuit, commodissime disposuimus. Sed de singulis speciatim loquamur.

Primus se offert GEORGIUS VALLA *Placentinus*, qui post *Sabinum, Calderinum, Merulam*, in Juvenalem quartus scripsit. Inscripsit sua Commentario *Joanni Tucci*, *Pannonico*; ad quem ita sub finem dedicationis loquitur: *Qui & justi & æqui abservantissimus es custos, jam Virtutis ipsius rigidissimum satellitem* (Juvenalem) *lege, quo deinceps liberis tuis, discipulis nostris, quos innocentissima esse vita cupis, legendum atque adeo ediscendum exhibeas.* unde patet, quanta in dignatione tum temporis fuerit Poeta noster, ut quasi quidam Morum Censor vitæque Magister haberetur. Usus est Valla Cod. ms. qui præ vetustate cariosus *Probi* cujusdam *Grammatici* Interpretamenta habebat ad Satyram usque *lib.* iii. alteram, seu *Sat.* viii. Ea ipse religiosissime se addidisse profitetur; quæ postea a Scaligero seu Pithœo (vide ad *Schol. Vett.* in initio.) Veterum Scholiis adjecta, τῷ κειμένῳ seu Textui nostræ Editionis subjiciuntur. Usus sum in excerpendo, Editione, quæ cum *Mancinelli*, *Calderini*, *Vallæ* Notis dedit Juvenalem *in folio Nurnbergæ* CIↃ. CCCC. XCVII. *per Antonium Koberger* impressum, suppeditante eam mihi amicissimo *ALMELOVENIO*. Luxuriat Valla sæpissime in Etymis vocabulorum, quæ cum nihil ad rem faciant, jussimus omitti.

Excepit Vallam in explicando Juvenale *ANTONIUS MANCINELLUS Veliternus*, cujus *Familiare Commentum* publicari cœpit anno Salutis CIↃ.CCCC. XCII. cum has *alma Virtutis perpetuas opes & bona Verba*, ita Satyras has appellat, *Nicolao Rubeo*, Patricio Veneto, Aedis Geminianæ Antistiti & D. Marci canonico dedicavit. nihil non magnificum ibi pollicetur; verum ut, quod res est, dicam, intra fabularum prolixam enarrationem, si quando Juvenalis eas attingit, & paraphrases fere subsistit, & rarius in interiora & recondita se penetrat. Verum Tempori isti ea condonemus. Editione in excerpendo eadem sum usus, cujus paulo ante feci mentionem.

JODOCUS BADIUS ASCENSIUS in suis Commentariis infimum trivii pulverem & exspirantem barbariem olet, verum quia subinde Lectionis varietatem, &, quamvis rarissime, forte fortuna mentem Juvenalis quandoque deprehendit, excerpendi tædium devoravi, usus Editione, quæ *in ædibus Ascensianis apud Parisios, in quarto anno* CIↃ. IↃ. V. est impressa, ac inscripta *Henrico Valuphino*, Artium bonarum Professori & disertissimo apud Lugdunenses Grammatico, nec non D. Nicesii Canonico.

De HADRIAN JUNII *Scholiis* diximus supra (*pag. 679.*) quæ, ne cramben repetamus, ibi videantur.

EILHARDUS LUBINUS inter Interpretes nostri Poetæ vulgo celeberrimus est: Sed enim loquacissimæ illæ paraphrases cui bono, nisi terendo apud cirratos otio? Indulgendum tamen fuit Bibliopolæ, affirmanti avidissime expeti *Lubini* Commentaria, quare vides me sæpissime *Lubinum* adduxisse. Videtur *Lubinus* suas *Ecphrases* in Rostochiensi Academia, ubi pro-

professus est Humaniores Literas, Studiosis in Scholis Privatis primum prælegisse; unde adeo turgescere καὶ ταυτολογεῖν didicere; ibi namque istud fieri amat. Inscripsit *Justo Bredovio*, Equiti Marchico, suum laborem, seque fatetur usum *duobus* optimæ notæ *mss.* exemplaribus, in quorum altero in membrana adscriptus erat *Commentarius Vetustissimus*, quem in Notis suis subinde his Siglis: V. C. indicat: ex his Codd. ait Satyras sibi locis plus minus *centum*, (at in fronte libri sui *ducentos* jactat) correctas; seque operam dedisse, *ne Juvenalis amplius, tanquam Sphinges aliquod ænigma legeretur.* Editione usus sum, quæ in patria mea *Hanoviæ typis Wechelianis anno* CIↃ.IↃC.XIX. prodiit *in octavo.*

BERNARDUS AUTUMNUS *Niciobrix, in Senatu Burdigalensi patronus* summa cum pompa promittat *Commentationes, Observationes, Paralipomena* in has Satyras a se ex mss. (si Diis placet) restitutas, omnesque ante eum Interpretes nominatim mox ab initio jactat castigatos: Verum, sine invidia verum mihi liceat dicere, si singuli sua repetitum venirent, nudus remaneret procul dubio ineptissimus rhapsodus, ut Barth. *Adv.* XXVII. 17. aliisque non sine ingenti merito suo dicitur. Usus sum Editione, quæ *anno* CIↃ. IↃC. XIV. *Parisiis apud Robertum Fouet in quarto* prodiit, inscripta *Nicol. Brularto*, Domino Sillerienſi, Vice comiti Puisiensi, summo Galliarum Procancellario, & Quæstori sacri palatii.

Claudit agmen THOMAS FARNABIUS *Anglus*, qui breves ad difficiliora *Annotationes* dedit in has Satyras, cum fastidiret luxuriantis illos & supini otii magistellos, qui ad tædium & nauseam usque toties repetunt, *Ordo est, Sensus est*; quibusque verbalis ista, quæ conceptis quasi literis & syllabis præit, constructio pro cerebro Jovis est. Sed enim cum & ipse sæpius sæpiusque alienis araret bobus, factum est, ut rarius a me sit laudatus. Inserviebat mihi nupera *Boomiorum Editio* anni CIↃ. IↃC. LXX. *in duodecimo Amsteladami* publicata. Inscripsit is sua Scholia HENRICO Magnæ Britanniæ Principi.

Fuerunt hactenus NOTAE SELECTAE, sequitur SYLLOGE VARIARUM, ex Variis Eruditorum libris, in quibus hinc inde erant dispersæ a me concinnatæ. Cl. GRAEVII Notas tam ad Satyras, quam ad Scholia Veterum bona cum Ipsius venia ex *Editione* nupera *Variorum* huc transtulimus. *Stephani Claverii Periphrases* quorundam locorum Juvenalis difficiliorum cum diu quæsivissem, tandem reperi inter Viri elegantissimi, ALMELOVENII mei, libros, qui pro ea, quæ cum illo mihi intercedit, amicitia, obvia humanitate easdem mihi concessit; unde eas integras suis locis exscripsimus, editas olim *in octavo Paris. anni* CIↃ. IↃC. VII. *apud Robertum Fouet*: Idem V. Cl. meo rogatu *Phil. Rubenii*, & sua sponte *Pontani, Schotti*, J. G. *Vossii, Chimentelli* loca Juvenalem explicantia submisit. *Gentilis, Ravardi, Sagittarii, Casauboni* loca debeo SAM. PITISCO V. Cl. & mihi amicissimo, qui lubens ea mecum communicavit: Reliqua, ut & selecta paucula ex *Editione Variorum J. H. Wetstenii*, (quorum nota est E. V.) nec non omnium dispositio, recensio, & concinnatio, nostræ diligentiæ fuerunt.

De ALMELOVENII nostri *Animadversis*, meisque *Spicilegiis* tam in *Juvenale*, quam *Scholiis Veterum*, aliorum esto judicium: ne aut amori aliquid dedisse, aut de nobis ipsimet putiduli verba fecisse videamur.

In PEPLO NOTARUM ad SCHOLIA VETERUM, *Rubenii* & nonnulla *J. G. Vossii* loca laudato sæpius Amico nostro, reliqua ut & Pepli contextus nobis debentur.

Excipiuntur NOTAE ab INDICE *omnium Vocabulorum* in hisce Satyris, qui, nisi fallor, *Josephum Langium* habet auctorem. Secutæ sunt nostræ Operæ in eo *Editionem Parisinam Claudii Morelli in quarto, anno* CIↃ. IↃC. II. Recognovimus eum, Versuum numeros ad no-

 stram

ſtram Editionem accommodavimus, deficientia ſupplevimus, tranſpoſita ſuis locis reddidimus. Quod ſi forte numerorum tot minutiæ aliquando obtuderint intentionis aciem, neque enim Argi ſumus, in promtu erit, ex uno verſu aut illi proximis, aliam vocem in Indice inquirere, quæ certam ſedem commonſtret. Inſerviet tibi etiam hic Index, ut Poetæ, ſi vocum quantitates, Satyricorum phraſes, epitheta etſſ. penitus noſſe volueris. Idem indicabit Notarum contenta, v. gr. vis ſcire *Pityſma* quid ſit, quære in Indice, reperies xi. 173. jam ad iſtum locum conſule Commentatores, & fiet tibi ſatis.

Vides Benevole Lector, quantum laboris tulerim, quantum tædii devorarim, quot moleſtiis tua cauſſa ſim defunctus: Tu meis ſudoribus & vigiliis fruere & rem tuam bene gere.

Literæ ſingulares in hisce SELECTIS NOTIS ita ſunt intelligendæ:

V.	*Valla.*
M.	*Mancinellus.*
A.	*Aſcenſius.*
J.	*Junius.*
L.	*Lubinus.*
Au.	*Autumnus.*
F.	*Farnabius.*

V. C. in notis LUBINI, notat *Veterem* Ejus *Commentatorem*, quem in altero ſuorum mss. reperit.

E. V. in *Notis* VARIORUM eſt *Editio Variorum*, Amſtelodamenſis, anni CIↃ. IↃC. LXXXIV.

NOTAE SELECTAE ex Commentatoribus IN *SATYRAS* D. JUNII JUVENALIS.

Ad Satyram I.

S*Emper ego auditor tantum ? nunquamne reponam.*) Latini quidem Poetæ, ubi tractanda proposuere, invocare; postremo narrare solent. Satyrici vero nec invocant, nec breviter, quicquid primitus dicendum, proponunt; sed ex abrupto cum indignatione fere incipiunt; & de quibus locuturi sint, longiori processu indicant. *A.* Cum vero invocant, quod ab Horatio in ὁδοιπορικῷ & Juvenale *Sat.* iv. factum, faciunt illud narraturi ridicula, & non sine scommate & amara irrisione. *L.* Familiari vero stilo de rebus humilibus, utpote hominum vitiis, loquuntur. Hinc ab indignatione fere incipiunt, qua significant se hominum vitia ferre non posse, ne odio cujuspiam, aut petulantia animi scripsisse censeantur, quamobrem Horatius maluit suas satyras inscribere *sermones*, quod illæ audirent *carmina maledica*, quamvis ipse non diffiteatur, *fuisse, quibus in satyra visus sit asperior.* Eam ob caussam interrogat suum Mæcenatem, in limine, sed cum quodam stomacho, ut satyricum decebat, *Qui fieret, ut nemo sua sorte sit contentus*: Persius vero *petulanti splene cachinno*, acerbissimus irrisor & vehementissimus vitiorum explosor præfationem a scommate ironico incipit, *se non proluisse labra fonte caballino, ut sic repente poeta prodiret.* Satyram vero ab acerrima exclamatione orditur:

> *O Curas hominum! O quantum est in rebus inane!*

Juvenalis vero, quamvis oratione satis superque, si dicere audeo, fluat: animo tamen vehementissime in vitia excandescens ab *aposiopesi* incipit, quæ Cic. *reticentia*, Celso *obticentia*, Fabio *interruptio* est, quæ utique figura est vehementissime irati: singula præterea primi versus verba suam emphasin habent; & signantissime, ut in reliquo opere sunt posita. *A. Semper*, mediam enim ætatem declamando & audiendo fere consumserat, & matura demum ætate se ad satyram contulit. *Ego*, κατ' ἐξοχὴν, cum omnes docti & indocti passim scribant, *Ego* peritus fabularum per auditos toties Poetas & artis dicendi; solus iners tacebo? eroque *tantum auditor* aliorum? & indignanter demum semet ipse interrogat *Nunquamne reponam*? subjectis rationibus, quas σκωπτικῶς recenset. *L.* Quatuor itaque in hac satyra persequitur Poeta: I. Primum ægre fert toties sibi auditos cum tædio poetas, & sibi quoque scribendum innuit, ut vicem illis reponat *vers.* 1-7. II. Dein, animadvertens etiam se Poetices & Oratoriæ artis peritum, infert se quoque posse scribere. *vs.* 7-19. III. Tum considerans fabulas fere omnes conscriptas esse: & nihil ad bonos mores conducibilius, quam vitia reprehendere, quorum sua ætate maximus proventus esset, adeo ut nihil iis superaddi posset, sed in *præcipiti starent*, M. (qualia erant: quod (1.) *Spadones uxorem ducerent*, vs. 22. (2) *Mulieres* sine ullo pudore in amphitheatro feras occiderent vs. 21. 22. (3) Tonsores & vetulæ homines e sterquilinio effossi, *Patricios opibus provocarent.* vs. 24 30. (4) *Caussidici* delatores fierent, & hinc delicata luxuria Sardanapalos vincerent, vs. 30-33. (5) *Delatores* nobilissimum quemque opprimerent. vs. 33-36. (6.) *Adulteri* heredes fierent mœcharum, vs. 37-45. (7.) *Pupilli* a Tutoribus circumvenirentur, vs. 46. 47. (8) Inania essent in malos & potentes *judicia*, ut damnati repetundarum pudorem omnem exuerent vs. 47-50. (9.) *Mariti* ipsi uxores

suas prostituerent, & mœchorum bona lenocinio acciperent. vs. 55-58. (10.) Prætorianæ cohorti etiam *infames* præponerentur. vs. 58 63. (11.) Testamentorum signatores falsi ditescerent. vs. 63-69. (12.) Uxores, & quidem *matronæ potentes*, maritos veneficio e medio tollerent. vs. 69-73. (13.) Sceleratissimi quique dono lautissima consequerentur. vs. 75. 76. (14.) Incestus, cum soceri *nurus* corrumperent. vs. 77. (15.) Venus mascula, eaque plane prodigiosa, qua Viris pueri nuberent. vs. 78. (16.) *Avaritia* maxima. vs. 87. 88. (17.) *Alea* frequens & immanis. vs. 88-94. (18.) Profusio & impensæ in villas plurimas prodigæ. vs. 94. (19.) Gula & vorax luxuria. vs. 94. 95. (20.) Sordes divitum, inter quos ipsi etiam Prætores & Tribuni, qui petebant sportulam pauperibus constitutam. vs. 95-127. (21.) *Libertini* ad insanas divitias perveniant, unde superbia eorum. vs. 102-116. (22.) Ditiores erga clientes essent foris sordidi, & domi immense gulosi. vs. 127-147. *M.* & *L.*] Hinc concludit sibi satiram esse scribendam. vs. 146-150. IV. Postremo denique loco complectens animo, quam utilitatem bonis moribus attulerit prisca illa, qua Lucilius gaudebat, libertas; dolet sibi præscriptam esse legem, cui tamen obtemperaturus in mortuos se styli aciem stricturum promittit. vs. 150-171. *A.*

2. *Codri.*) *Codridarum* genus apud Athenienses in proverbium venit, ut, cum nobilissimum vellent dicere, *Codro generosiorem* vocarent: qua consuetudine potest etiam heic Juvenalis videri locutus: ut quo lautiores essent Romæ, eo ineptiores versus scriberent: quos etiam Persius per irrisionem subsannat, cum ait *crudos Proceres dictasse elegidia*: & quoniam studiose Noster cavet, ne quem sui temporis nomine proprio infamaret, ut ex sequentibus patet, quod & Martialis fecit: hinc nominum similitudine usus lautiores Romanos oblique taxat, quod acutius intuenti cuivis erit manifestum. *V.* Non placet. Fuit enim *Codrus* pauper & obscurus Poeta Romæ tempore Juvenalis, quem & *Sat.* III. notavit, & Martialis eum alibi ceu pauperem traducit. *L.*

3. *Impune ergo.*) His verbis Poeta se ad vindictam adhortatur; ubi Poetæ modestia est notanda, quasi quicunque sua poemata recitantem audituri sint, pœna afficiantur, tanquam malum poema cum tædio audituri. *L.* τὸ *Ergo* illationem habet summæ amaritudinis. *A.*

5. *Aut summi* & seqq.] Nota mirificam Poetæ exaggerationem in perstringenda prolixitate. *L.*

7. *Nota magis* & seqq.) Ostendit Noster & se posse scribere: cum enim duo sint ad Poeticen necessaria, res & verba: *res* novisse se ait ex historiis & fabulis: *verba* ex declamationibus Rhetoricis. *A.* Putant quidam sic sentire Poetam: *Non frustra tanto tempore alios Poetas se audivisse, & ita fabulis cognoscendis operam dedisse, ut vix ullus parem cognitionem consecutus sit.* Siculæ profecto gerræ. dicit se tantam Romæ recitantium Poetarum multitudinem audivisse, ut vix ulli notior sit domus sua, (*hyperbole Satyrica*) quam sibi quotidianæ illorum fabulæ. Scholiastis sententia non placet ob sequentia. *L.*

7. *Lucus Martis.*) *Lucus*, sylva religionis ergo propter sepulturam aut visiones numinum incædua: hinc nullus lucus sine Numine credebatur. *A.*

9. *Quid agant venti.*) Strabo *lib.* VI. ubi de insula Hiera meminit: *E longa vero observatione creditum est, flammas ipsas flatibus concitari tum in Aeoliis, tum in Aetna, quibus cessantibus cessant & flammæ. si spiraturus est Auster, nebulosam circum Insulam effundi caliginem dicunt: adeo ut longe Sicilia cerni nequeat: flante vero Borea, puras flammas altius extolli, ac majores emitti strepitus: Zephyrum autem medium quendam tenere ordinem.* M.

10. *Quas torqueat umbras Aeacus.*) Quas animas torquendas judicet Aeacus judex infernalis. *F.* Alii ut Virgilius, Rhadamanto *inquisitionem*; Minoi, *Judicium*, ut Horatius; Aeaco *exsecutionem*, ut Noster & Statius tribuunt. Virg.

> *Gnosius hæc Rhadamantus habet durissima regna,*
> *Castigatque auditque dolos, subigitque fateri &c.*

Horatius:

> *Cum semel occideris, & de te splendida Minos*
> *Fecerit arbitria.* L.

Alibi tamen canit:

> *Et judicantem vidimus Aeacum.* A.

10. *Furtive.*) clam enim a Medea Argonautæ in templum deducti, custodibus aliis cæsis, aliis fugatis aureum vellus abstulerunt. *L.*

12. *Platani.*) Porticus cum platanone. Petron. *Rogavi, ut in platanona produceret Dominam.* Mart. lib. III.

> *Proxima centenis ostenditur ursa columnis,*
> *Exornant fictæ qua platanona feræ.*

In Frontonis domo, non *Horatiana*, ut vult Vet. Schol. recitabant Poetæ. *Au.* Sed dicebatur Frontonis domus *Horatiana.* L.

12. *Convulsaque marmora clamant.*) Marmorea podia in ædibus marmoreis, & ipsa (*hyperbole pathetica & acerrime satyrica*) assidua recitatione labefactata declamare didicerunt, *quid agant venti*, &c. F. & L.

13. *Assiduo ruptæ lectore columnæ.*) imitatus hunc est locum Martian. Capella: *Non absque iis, qui perturbantes pectora sensusque cunctorum cognoscentium, quoque perfregere subsellia.* L.

14. *Exspectes eadem* &c.) Tangit Poeta breviter, quæ a Poetis fere describi solent, ut maris tempestates, quas agunt venti: aut navigationes, v. gr. Argonautica,

tia; aut Infernorum fabulas & pœnas; aut bella, v. gr. gigantomachias; aut mirabiles rerum ortus, v. gr. Romæ &cc. *A.* quæ omnia a Virgilio in opere æterno sunt observata. *L.*

16, *Privatus ut altum dormiret.*) Profundior enim in paupere somnus. Statius:

Invitat tenues ad dura cubilia somnos.

Lucanus:

— In quorum pectora somno
Dat vires Fortuna minor — V.

Vita enim privata jucunda est & quieta; quod Seneca multus docet in Tragœdiis: *Herc. Oet.*

Cesses Tyrio mollior ostro
Soles impavidos ducere somnos,
Aurea rumpunt tecta quietem.

Vide & *Agamemn.* L.

18. *Perituræ parcere chartæ.*) Per modestiam vires ingenii sui Noster extenuat, quasi sit periturum, quod scribat. *Perdunt* enim *chartas*, qui perituris versibus eam illinunt. Martialis *lib.* vi.

Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras & perdere chartas. L.

19. *Cur tamen hoc potius.* &c.) quæ Merula heic attulit, nihil ad rhombum faciunt. Utitur vero elegantissima metaphora, in qua ad finem sensus continet versum. *decurrere campo* est in Curuli certamine incipientium de carceribus suis currere: *flectere equos* est ejus, qui ad metam pervenit. hinc modeste priores dat Lucilio, sibi posteriores & sequendi gloriam reservat. *A.*

20. *Auruncæ alumnus.*) ejusdem alumnus fuit Turnus satyrographus, Martiali *lib.* vii. *Ep. 96.* & xi. 11. ut & Sidon. *carm. 9.* & Veteri Scholiastæ *Probo* memoratus. *F.*

22. *Cum tener uxorem* &c.) Sane non vanum est, quod de ejusmodi spadonibus & Eunuchis Terentiana Ancilla audisse se testatur, Amatores esse mulierum maximos. Neque enim quibuscunque amputantur testes, in iis etiam libidinis ardor extinguitur, imo vero crescit & extenditur in iis, qui exsecti sunt jam puberes: ita ut tum temporis Romæ libidinosæ mulieres, quæ tamen parere volebant, cupide iis, ut in illa clinopale indefessis, ad libidinem suam explendam abuterentur. Idque hoc etiam tempore metuens immanis & barbara Turcarum gens, quibus Eunuchis uti ad mulierum suarum custodiam volunt, eis non testes modo, sed & *caudam*, ut Horatius ait, *salacem ferro demetere* plerumque solent. Multæ enim alioqui facerent idem, quod Gelliam fecisse alicubi narrat Martialis. Verum enim id esse, Favorini declarat exemplum, qui Eunuchus in adulterio dicitur deprehensus. Et Basilii auctoritate confirmatur, qui in Ἀσκητικοῖς sic ait. *Τοὺς γὰρ μετὰ τὸ ἀνδρωθῆναι πρὸς συνουσίαν τὰ παιδογόνα μόρια τοὺς διδύμους ἀποτμηθέντας φασὶ θερμοτέρως καὶ ἀχέτους πρὸς τὴν συνουσίαν οἰστρᾶν, καὶ οὐκ οἰστρᾶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτοῖς δοκεῖ, ἀκινδύνως φθείρειν τὰς περιτυχούσας.*

22. *Mævia Tuscum Figat aprum.*) Et ne hoc mireris, legimus apud Tacitum *Annal.* 15. & Suetonium *Ner.* c. 12. non virorum modo, sed & fœminarum pugnas: *Et Athenæus γυναῖκας ἐνεργεστάτας μονομαχῆσαι, pulcherrimas mulieres pugnam gladiatoriam edidisse ait*: adeo ut illud Severo principe vetandum senatusconsulto fuerit. Sane mulieres Amazonidum imitatæ ferociam. Xiphilin. in *Neron.* & *Tito.* F.

23. *Et nuda teneat venabula mamma.*) Impudicæ pariter & crudelis & in vulnera pronæ mulieris habitum ostendit. *L.*

23. *Nuda.*) forte ad spectatorum libidinem irritandam.

24. *Patritios omnes.*) Cum unus Cinnamus, qui me puero vilis tonsor erat, cum omnibus patritiis, divitiis certare possit. Opponuntur hoc loco *Unus, omnes*; *Tonsor, patritius.* L

25. *Sonabat.*) Habitum tonsorum intellige, qui forfice tondentes resonant. *L.*

25. *Canopi.*) celebris ea erat urbs fano Serapidis, omniumque libidinum ac impuritatum domicilium. Vid. Strabon. *lib.* 17. *F.*

27. *Crispinus.*) indignatur Juvenalis, quod hic servus & verna vilissimus eques evaserit. Nam quæ sequuntur de vestibus purpureis & annulo, equestria signa denotant; simul reprehendit ornatum nimium & supinam mollitiem.

27 *Tyrias humero revocante.*) Mollitiem nimiam in ignobilissimo nebulone notat, qui mollitie adeo fractus sit, ut pænulam in humero propter pondus non retinuerit, sed deorsum vergere passus sit, ita ut humerus ipsum crebro revocaret. Possumus & hoc de nimia, nimisque ponderosa lacerna intelligere, quod, ut dictum, ornatum nimium reprehendat, id est, dum propter nimium pondus lacernæ deorsum ab humero tenderent, superius ad humerum assidue quasi revocarentur. Ammianus: *Sudant sub ponderibus lacernarum.* L. Plaut. *Epid. Suam qui undantem chlamydem quassando facit.* F.

28. *Ventilet æstivum.*) Inter eundum manus ad latera agitet, & vibret, & in aera jactet, ostentationis gratia, ut scilicet annuli conspiciantur. *L.*

30. *Tam patiens.*) quis tam stupidus, tam ab omnibus adfectibus alienus, ut ferendo sit his tam sceleratis moribus?

30. *Ferreus.*) Durus sine adfectibus, ad nullam iram provocabilis.

32. *Nova.*) vel Novi hominis, vel nuper ex quadru-

druplatorio lucro coemta, vel simpliciter *nova*; namque & hinc splendor: sic Martiali *Epigr.* 57 *lib.* ii. *sella recens. F.*

35. *Quem Massa timet.*) Hunc præcipuum delatorem Vetus Commentator Heliodorum fuisse ait, quem quidem Massa & Carus & ipsi delatores timuerint. Ait enim: Massa morio fuit, & Carus mimus, Latinus vero actor mimicus, Hi omnes fuere Neronis Liberti, & deliciæ Augustis, sed & nequissimi delatores. Latinus autem mimus quasi conscius adulterii Messalinæ uxoris Neronis ab ipso occisus est. Massa enim & Carus Heliodoro deferente occisi sunt. Cujus futuram delationem ita metuebant, ut ei munera darent. Nam & Latinus mimus Thymelen mimam Heliodoro prostituebat, & submittebat ad mitigandum, ne ipsum deferret apud Neronem. Magnus profecto fuit delator, quem alii delatores timuerint. *L.*

36. *Et a trepido Thymele submissa Latino.*) Acres profecto delationes, a quibus ne mimus quidem Imperatoris, licet ei jucundissimus, tutus fuerit. Negat Angelus Politianus *lib.* x. *Epist.* II. Thymelem fuisse uxorem Latini. *F.*

38. *In cœlum.*) Ad summas opes & divitias, & honores, ad domum Imperatoriam, ad quam divites admittebantur. Quia enim naturæ illud monstrum Domitianus Deum se appellari voluit. per amaram Ironicam Hyperbolen domum ejus *cœlum* vocat. *A.* Vel ex more vulgi, qui opes cœlum & beatitudinem esse esse censent. *L.*

39. *Vetulæ beatæ.*) nam propter divitias, non ob formam amabatur. Generaliter hæc intellige de quavis libidinosa anicula, non de illa Neroni amicissima, ut quidam volunt, ob quam Otho amore ficto, summum imperium dicitur adeptus. Quia enim *nunc* dicit, præsens tempus Domitiano imperante, non præteritum Nerone, indicat. *V.*

40. *Proculeius.*) An fuerit hic ille C. Proculejus frater Varronis Murenæ illius, qui in Augustum conspiravit, cujus etiam soror Mæcenatis uxor, teste Dione lib. 52. nihil affirmo. *L.* De hoc Horatius *lib.* 2. *Od.* 2.

Vivet extento Proculejus ævo,
Notus in fratres animi paterni.

Sane qui eques Romanus tantæ pietatis in fratres fuit, ut bona cum his æqua portione rerum diviserit, cum bellis civilibus eorum opes attritæ essent. Si ita est, hoc loco pro optimo viro, & minime mentulato ponitur hoc sensu: Profecto qui tanta virtute præditus est, si ad nequitiam libidinemque peculiatus non sit, vix unciolam merebitur. *A.*

42. *Possideat sane mercedem sanguinis.*) Satyrice & acerbe hanc turpitudinem irridet. Ego sane talem illis hæreditatem non invideo, quam sudore, sanguine & pallore sibi compararunt. Germani diceremus: *Lasz sie doch den lohn ihres schweisz und bluts davon bringen.* Est quasi concessio acerba & satyrica. Usitatum enim Auctori nostro, ut, cum quæ indigna sunt, serio prolocutus est, illa postea sceptica & amara irrisione exagitet & explodat. Sic *Satyr.* 3.

— Exeat, inquit
Si pudor est, & de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit.

Ibi Auctor noster acerbe & sceptice subjicit postea, & inquit:

— Et sedeant heic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati.

Sic inferius:

Cur timeam dubitemve locum defendere?

Ibi subjungit Auctor:

Quamvis natus ad Euphratem.

Et postea, cum dixit:

— Exspectent ergo tribuni.

Subjungit Auctor:

Vincant divitiæ.

Et Sat. 7. Cum dixit pater discipuli:

Hæc inquit curas.

Subjungit Auctor:

— & cum se verterit annus,
Accipe victori populus quod postulat aurum.

42. *Mercedem sanguinis.*) Concessio, quasi si dicat: habeat & possideat illas hæreditans partes, mercedem sanguinis, misere & turpiter partas. Nimio enim coitu, quem decrepitæ illæ, & prurientes vetulæ exigebant, sanguis eminitur. *M.* Nam cum sperma, nimio coitu amplius emitti nequeat, ejus loco sanguis vel imperfectum semen emittitur, quod cum assidue fiat, & optimo & purissimo sanguine homo privetur, deteriore, & imperfecto relicto, hinc ille pallor, de quo versu sequenti. *L.*

45. *Ira.*) Hæc in Irum quendam dici putant, ad illumque allusum nomine *Iræ*: Nam & *Iri* meminit Sat. 10.

Quot Basilus socios, quot circumscripserit Irus
Pupillos. L.

46. *Gregibus comitum.*) Multitudine clientum & servorum se comitantium. Contemtim dixit *gregibus.* L.

49. *Et fruitur.*) Auctor noster plurimis in locis contraria conjungit, quæ heic colligam. Ita heic dicit, DIs iratis frui & felicem esse, victorem contra plorare.

Et post: *Luxuriæ sordes.*
Et mox: *Iratis plaudendum funus.*
Sat. 2. *Tristibus obscœnis.*
Et paulo post: *Socraticos Cinædos.*
Fictos Scauros.

Trepi-

	Trepidos Stoicidas.
	Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.
Eadem Sat.	*Cretice perluces.*
Et post:	*Nimirum summi ducis est.*
Sat. 3.	*Ambitiosa paupertas.*
Sat. 7.	*Asiani equites.*
Sat. 8.	*Plures de pace triumphos.*
Sat. 10.	*Magna est fornacula.*
Indidem:	*Magnus mirandusque cliens.*
Sat. 13.	*Adversis fatis innoxia.*

54. *Fabrumque volantem.*) Patrem Dædalum intelligit, qui cum medium teneret non nimis alte, nec nimis humiliter volando, incolumis in Siciliam evasit. Mythologici hæc ad vitæ mediocritatem transferunt. Seneca *Hercule Furente*:

Medium cœli dum sulcat iter,
Tenuit Latias Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto:
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriasque puer
Despicit alas, Phœboque volat
Proximus ipsi dedit ignoto
Nomina ponto.

Alii per lapsum Icari intelligunt temerarios alogorum Astrologorum conatus, qui dum cœli plagas scrutantur indeque futura conjiciunt, in mare mendaciorum se præcipitant, omnibus cordatis hominibus risui ac ludibrio. *L.*

27. *Doctus ad calicem vigilanti stertere naso.*) Hoc exponunt, quasi maritus simulet se dormire, cum vigilet, ut impunitius mœchetur uxor. Verum *Beroaldus* aliter: *Homo* inquit *quanto altiore somno dormit, tanto sonantius stertit.* Sonus autem ille stertentis, & ronchus fit naso, unde festive hoc loco dormientis nasum *Vigilantem* vocat, cum fit clamosus, & obstreperus. Plautus in Milite:

—An dormit Sceledrus intus. Non naso quidem,
Nam eo magno magnum clamat, tetigit calicem.

Evidenter docet Plautus *nasum vigilantem* dici, & esse in homine dormiente. Nam cum dormiens quietus taceat, nasus ipse non dormit, sed clamat, & qui clamat, *Vigilare* dicitur & non dormire. Hanc Plautinam elegantiam Satyrographus expressit, quanto enim magis maritus uxoris mœchæ stertebat vel se stertere simulabat, tanto magis clamabat naso, ut fidem somni faceret, & eo confidentius mœchus pro libitu omnia agere posset. Sive autem vere dormierit, sive vigilaverit, utrumque non absurdum. Tales enim nebulones ultro haud dubie potu se invitarunt. Ut jam multi curtucæ faciunt, quos mœchi inebriant, & dormitum mittunt, ut postea faciendi occasionem habeant, quidquid velint. L.

57. *Ad calicem.*) juxta poculum, qui se potum simulabat dormire. Sic Ovid. *in Arte.* de marito:

Si bene compositus somno vinoque jacebit,
Consilium nobis resque locusque dabunt. L.

58. *Cum fas esse putet.*) Per indignationem satyricam ita dicit. *F.*

62. *Ipse.*) Emphatice. Vehementer Auctor noster exagitat, quod nobiles Romam gladiatoria, & aurigandi studio se pollucrent. Sic Satyra VIII.

Ipse rotam stringit multo sufflamine consul.
—Et infundet jumentis hordea lassis. L.

63. *Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ.*) Cum ipse Nero blanda gesticulatione se ingereret & commendaret lacernatæ amicæ. Tacit. Sueton. Dio, Zonaras, Suidas. Neque enim, quod nonnullis placere audio, *Actem* hic dici puto; neque in sententiam Baifii c. 16. *de Re Vest.* ire lubet, ex hoc loco probatum euntis, fœminas lacernis usas. Erant enim lacernæ *Munimenta togæ*, ut Noster habet, *Sat.* 9. quibus usi spectaculis potissimum operam sedentariam præstabant, Martial. *Epig.* 2. l. 4. & 137. *Epig.* l. 14. Ubi autem Festus Pompejus *lacernam* dicit *capitio minorem*, dissentio ab iis, qui *breviorem, quam capitium est* intelligunt, *cucullionemque* fuisse putant; atque arbitror fuisse penulam capitio carentem, penulam vero & lacernam confundi ab Auctoribus video. *F.*

64. *Cum jam sexta cervice feratur.*) Cum jam ille lectica, quam sex portabant, feratur, qui olim pauper & abjectus erat, jam per scelera dives, & pollens. Ferebant autem servi plurimum sex, unde frequens illa Hexaphori mentio. Martialis:

Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?

Interdum octo, quod genus lecticæ octophoros. Rarissime viris usurpata, nisi in supinis deliciis, ut hoc loco, aut morbo: Qui ferebant, servi *lecticarii* vocabantur. *L.*

65. *Hinc atque inde patens.*) ab omni parte apertus, & ejus cathedra discooperta, ut ab omnibus conspici possit ob jactantiam, vel in qua solus portabatur, ob luxuriam. *L.*

69. *Matrona potens.*) Rationem addit inferius cum ait Sat. 10.

— Sed nulla aconita bibuntur.
Fictilibus — L.

70. *Calenum.*) a καλὸς & οἶνος. Vel a *Cale* oppido Campaniæ ubi optimum nascebatur vinum. *M*

71. *Instituitque rudes.*) Melior hoc tempore & peritior Locusta, quam illa prior, quæ fuit tempore Neronis, instituit rudes, & hujus præclaræ artis & Veneficii ignaras propinquas & vicinas efferre, & exportare ad rogum, manifeste, & impune maritos nigros, veneno infecta & lurida cadavera. Locusta κατ' ἐξοχὴν,

pro peritissima venefica, ex Galliis ad Neronem vocata Imperatori carissima, quem veneficia edocuit. *A.*

72. *Nigros.*) Veneno luridos, lividos, ut in cadaveribus lurida adhuc & liventia appareant vestigia. Veneno enim exstincti contrahunt sibi colorem lividum, luridum, plumbeum, nigrum, qualis color ex contusione, vel plaga in corpore relinquitur. *L.*

73. *Aude aliquid brevibus, Gyaris, & carcere dignum.*) Sarcastice cum ira ac summa indignatione. Res eo rediit, ut si Romæ velis ad opes, & divitias, ad splendoris, honoris, ac dignitatis cacumina evehi, nulla faciliore ratione eo pervenias, quam si audacter magnum aliquod, & pessimum facinus, exilio & carcere dignum perpetres. Frustra enim virtute, ac probitate, ut nunc Romæ sunt mores, ad opes, & honores te perventurum speras. *L.*

74. *Si vis esse aliquid*) alicujus magnæ existimationis, haberi in aliquo precio. Non absurde legitur in quibusdam codicibus *Aliquis.* Sic Persius *Sat.* I.

Sese aliquem credens — *L.*

74. *Probitas laudatur.*) Valerius lib. 4. *Magno aliquo precio virtus æstimatur, virtus enim tam pulcra est, ut a malis laudetur.* L.

75. *Criminibus debent hortos.*) Amplificatio. quasi dicat: idque adeo verum est, ut illi divites & potentes, quidquid habent, criminibus debeant, iisque acceptum merito referant. Nam sceleribus bona assecuti sunt. *L.* Sic Manilius *lib.* 4.

Et male consultis precium est.

Salustius Jugurtha: *Quam quisque pessime facit, tam maxime tutus est.* Plinius lib. 6. Epist. ad Servium: *Recordabar etiam plures honores pessimo cuique delatos.* Et Alius: *Iis nunc precium est, qui recta prava faciunt.* M.

77. *Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ.*) Quidam Sillanum senatorem intelligunt, qui Juniam Calvinam Vitellii nurum vitiarit. *L.*

77. *Avaræ.*) Apud tales enim omnia argento expugnari possunt. *L.*

80. *Quales ego.*) se & sua carmina per modestiam extenuat. *L.*

81. *Ex quo Deucalion.* &c.) i. Argumentum Satyræ nostræ sunt vitiorum genera, quæ ab orbe condito cœperunt ad hæc tempora magis ac magis invalescere. *J.*

85. *Quidquid agunt homines, votum.*) Archimedes ut ait Cicero, velut Deus terrenus mechanico artificio sphæram vitream fecit, in qua mira arte dissimiles motus cœlorum visebantur, sic Juvenalis mirabili doctrina affectus, & perturbationes animi in hoc opere describit. *Au.*

86. *Discursus.*) Intelligo inconstantiam hominum, quæ modo hoc, modo illud adfectat, & desiderat. De hoc multa apud Senecam. vel etiam varios vitæ humanæ cursus, casus. *L.*

88. *Alea quando Hos animos.*) Sane non immerito alea legibus olim prohibita. Nam in illa fraus, injuria, damna, odia, cædes. Semper profecto aleator malus, aut enim sui prodigus, aut alienorum cupidus & avarus. & aleator quanto melior, tanto nequior. *L.*

90. *Ad casum tabulæ.*) Ad ludum fortuitum in tabula, ubi alea, vel talo luditur. Tempora sua notat, quibus Domitianus, & alii effusissime alea ludebant. Tranquillus: *Aleam Claudius ita amavit, ut de ea librum conscripserit.*

90. *Posita sed luditur arca.*) Universa re familiari, cujus naufragium faciunt περὶ ἐν τῷ μικρῷ ἕρματι τῶν κύβων, ut facete Lucianus: τοῖς περὶ χρόνοι. Non ad Maleam, sed ad Aleam συντρίβειν ἐν τοῖς τοῦ ἐχόμενοις. F.

91. *Prælia quanta illic dispensatore videbis Armigero.*) ibi cum ludunt, quanta jurgia, rixas, concertationes, & contentiones videas, & audias. Mordet obiter Romanos, qui strenui quasi milites sint in talibus armis, quibus opes & fama atteruntur.

92. *Simplexne furor.* &c.) Verba dispensatoris, vel Oeconomi irati, quod dominus pecuniam alea perdiderit, vel etiam Poetæ. Inaudita & incredibilis dementia, ac profecto insania, uno tempore centum sestertia alea perdere, pecuniam amplissimam; & misero tuo servo vestium inopia frigore trementi ac horrenti tunicam nolle dare. Alii *reddere* capiunt pro restituere, quasi servus Domino suo tunicam suam commodarit, cum Dominus suam alea perdiderit. Sed hæc interpretatio frigida nimis & inepta.

95. *Nunc sportula primo* &c.) i. Sportula, quæ olim in usum pauperum clientium divites salutantium reperta erat, jam dispensatur in ditissimos quosque. *J.*

95. *Nunc sportula primo*) Conqueritur de superbia & luxu Romanorum, qui soli septem fercula cœnarent, clientes, & togatos ad cœnam non adhiberent, & cum illi laute epularentur, suis clientibus rectam cœnam non darent, sed loco cœnæ sportulam dividerent. Id est: Cum divites illi una cœna septem fercula privatim consumant, suis contra clientibus, loco rectæ cœnæ, sportulam in introitu domus collocant. Sportula dicebatur, quia interdum cibum in sportula accipiebant, ut Satyr. 111. videre est. *L.*

96. *Parva.*) ut puto dicit, quod minoris, iis sportula constiterit, quam cœna recta. Erant enim centum miselli quadrantes. *L.*

96. *Turba rapienda togatæ.*) Violenter quasi occupanda, ut apud nos mendici, quorum uni alter præripit. Porro clientes mane patronos suos salutabant, & officii gratia in forum deducebant, pro hoc officio vespere ad cœnam vocabantur, quæ dicebatur recta.

97. *Ille tamen faciem prius inspicit.*) hoc est ille

custos

custos scilicet balneorum (nam ab illo sportula, vel 100. quadrantes dividebantur) accurate prius inspicit, & considerat faciem tuam, antequam sportulam porrigat, ex prætorene, an ex quocunque alio honorato venias; & timet ne suppositus, vel clam loco alterius venias & falso & simulato, non tuo nomine poscas tibi non debita, vel destinata. *A.*

97.) Scilicet balneator, qui erogat vel dividit sportulam clientibus. Martialis:

Quos balneator dividebat elixus.

Potuit etiam alius quisquam fuisse distributor.

98. *Agnitus accipies.*) Si cognoscat te non suppositum, aut adulterinum, sportulam, vel 100. quadrantes accipis. *L.*

99. *Jubet a præcone vocari ipsos Trojugenas.*) Exagitat Romanos, qui a Trojanis se oriundos jactabant nobilissimos, quod per extremas sordes sportulam cum reliquis pauperibus peterent, nec ipsos puderet ab elixo balneatore inspici, examinari & cognosci; quin & a publico præcone vel proclamatore ad stipem quasi accipiendam vocari. *L.*

99. *Jubet.*) Scilicet balneator mandato domini sui, dum sportulam vult distribuere, jubet per præconem, vocari ipsos Trojugenas, nobilissimos ut ordine, & prius recitati, sportulam accipiant, ne scilicet quis pro alio se supponere, & sibi non destinatam sportulam arripere & occupare possit. *L.*

101. *Da prætori, da deinde tribuno.*) Verba nobilium manus porrigentium & clamantium. prætor clamat: *da prætori*, tribunus: *da tribuno.*

101. *Da prætori.*) magistratui, qui jus dicit. *L.*

101. *Da deinde tribuno*) plebis vel militum. *L:*

102. *Sed libertinus prior est.*) Verior est hæc lectio, quam illa: *Sed libertus* (*enim prior est*) *prior inquit* &c. *A.* Describit satis ridicule contentiones nobilium horum mendicantium, de primatu. *L:*

102. *Libertinus.*) Servus cum manumittitur fit libertinus. nam, ut ait *l. 6. de statu hominum. D. libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt.* olim vero Appii Cæci temporibus, & deinceps aliquandiu libertini dicebantur, non ipsi, qui manumittebantur. sed ingenui & ex his procreati, ut scribit Suetonius *in Claudio.* quam differentiam observare Modestinus videtur in *l. 1. de excus. tutor. ff.* Au.

102. *Prior*) Prætore & tribuno. *L. Loco vel opibus* & hoc falso Poeta sub persona libertini. *L.*

18. *Cur timeam dubitemve locum defendere.*) Verba Crispini vel alius libertini, quæ cum indignatione profert, quasi ab adstante aliquo increpatus, quod prætori & tribuno ratione dignitatis non cederet. *L.*

103. *Quamvis natus ad Euphratem.*) Verba hæc Satyrico morsu Poeta suo more verbis Libertini adjungit, quibus singularem impudentiam talium nebulonum Satyrice perstringit, qui, cum paulo ante vilissimi nequam servi fuissent, jam malis artibus divites & potentes volebant se prætoribus & tribunis præferri. Sic paulo post, cum ille Libertinus dicit: *Exspectent ergo tribuni,* Auctor noster adjungit, *Sacro nec cedet honori.*

104. *Fenestræ.*) Arguit illos, qui cum propter malas artes libertatem meruissent, & in libertinorum tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non poterant. Nam Cappadoces more patrio, aperturas, vel fissuras & foramina in auribus gestabant. *L.* potest etiam auriculæ fissuras ad gloriam laudasse, quasi illis probaverit, se. antequam captus esset, inaures seu aurum in auriculis gestasse, quod ingenuitatis signum apud Euphratis accolas erat. *A.*

105. *Sed quinque tabernæ.*) Quinque tabernæ, quas in foro Romano habeo, ab inquilinis inhabitatæ mihi cccc. H. S. vel censum equestrem comparant, ob quem recipior in xiv. gradus theatri. Quia ergo ab genere se extollere non potuit, a pecunia & divitiis se jactat, & censu equestri: licet sum ignobilis, sum tamen dives. *L.*

105. *Quid confert purpura majus.*) Quid majus equestris dignitas & nobilitas, quæ purpura & annulo designatur, conferre potest, quam censum equestrem. *L.*

106. *Si Laurenti custodit in agro.*) quasi dicat, quid juvat majoribus nobilissimis progenitum esse, si divitiæ non accedant. Nobilissimi pauperes sunt, ego ignobilis dives. probat hoc. Siquidem Corvinus nobilissimus, & Corvina domo natus, in agro Laurenti conductas per inopiam non proprias, sed alienas, oves custodit, & pascit. Erat autem Laurentum oppidum prope Lavinium in antiquo latio, ubi magni campi & pascua Strabo *lib.* iv. *M.* & *L.*

109. *Exspectent ergo tribuni.*) Verba Poetæ irrisorie, ironice, & scoptice ipsi Libertino attributa, qui bus Auctor noster scoptice illud dicit, quod negandum erat. quasi dicat, ergo cum divitiis affluam, exspectent tribuni & priorem locum occupet ille, qui ditissimus; & superent divitiæ generis nobilitatem. Horat. *lib.* 2. *Sat.* 2.

— Omnes enim res
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam rex. L.

112. *Quandoquidem.*) Æquissimum est, ut divites omnium sint optimi, quia divitias omnium maxime supra omnes Deos colimus. *L.*

112. *Quandoquidem inter nos.*) Ironice non sine Sarcastica indignatione. Et cur divitiæ non vincerent, siquidem illæ in tam sancta majestate, amplitudine, & digita-

dignitate jam Romæ. *L.*

113. *Funesta pecunia.*) Quia per fas, nefas, per sacrilegia, parricidia, latrocinia, furta congeritur. Socrates teste Laertio dixit. Opes atque nobilitatem non solum, nihil in se habere honestatis, verum etiam omne malum ex ipsis oriri. *M.*

113. *Templo nondum habitas.*) Etsi templo nondum habitat, tamen pro Dea colitur, nam aram & delubra habet, quasi in hominum cordibus & animis. Nondum in Dearum numerum recepta. Constat tamen Pecuniam in numero Dearum repositam fuisse, vel Arnobio teste *lib.* 4. *adversus Gentes*: *Quis ad extremam Deam Pecuniam esse credit? quam velut maximum numen vestræ indicant literæ, donare aureos annulos, loca in ludis, & spectaculis priora, honorum suggestus summos.* L.

116. *Quæque salutato crepitat Concordia nido.*) Ciconia intelligitur, cujus nidus in fastigio templi Concordiæ, id quod valide confirmat, verbum illud *crepitat*, quod ciconiarum est, qui concussione rostri crepitum cient. Probat hoc etiam Vetus Commentator: *Templum Concordiæ vetus, in quo ciconia multa est.* Erat autem Concordiæ templum in foro a Senatu erectum, teste App. *lib.* 1. Alludit ergo ad ciconiam. Ciconiæ, nidos multos habentes in templo veteri concordiæ crepitant. Signatum pro signo positum. *L.* Ego omnino intelligi ciconiam credo, imo respexisse Juvenalem ad Ovidii vers. in Metam.

Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia nido.

Porro ciconias in auspiciis Concordiam polliceri scribit Jan. Dus. ad Arbitr. l. 1. Flavius Conjectan. c. 53. *Ædem Concordiæ* simpliciter intelligi vult, in qua Senatus aliquando haberi solitus, testibus Varrone & Lampridio, & quo cum strepitu confluxere Patres. *F.*

116. *Salutato nido.*) Nam dum ex pascuis redeuntes, in nido resident, rostris crepitum faciunt, quasi nidum salutantes. *A.*

117. *Sed cum summus honor.*) Cum summus magistratus, summi prætores (quorum quidem summus honor) & tribuni, computent, & numerent, quantum addat sportula rationibus suis, ac annuis reditibus, adeoque sportulam suis divitiis, & annuis proventibus annumerent: quæso quid comites clientes, parasiti, & asseclæ facient, qui, quidquid habent, sportulæ acceptum referunt, qui hinc nempe ex sportula victum habent, & amictum, vestes, togam, calceos, panem, & ignem, vel ligna; Potest autem hoc dupliciter intelligi. Quid miseri clientes & pauperes habebunt, cum sportula a ditioribus illis præripiatur? Vel quod magis probatur: Cum divites & summi senatores, sportulam petere non erubescant, multo minus pauperes, qui nihil habent, & quicquid habent, hinc habent. *L.*

117. *Summus honos.*) Senatorum vel prætorum, quorum summus honor & auctoritas maxima, quæ tanta erat, ut quod prætor dixisset, *jus honorarium* diceretur. Ovid.

Verbaque honoratus libera prætor habet. M.

120. *Centum quadrantes.*) Centum quadrantes valent 25. asses vel albos minoris monetæ Gallicanæ. *L.*

120. *Densissima.*) Vel multis Eunuchis stipata, vel potius plena hero, uxore densa, quia gravida; multis liberis, ob singularem avaritiam, nam & illis petebant, ut sequitur, vel denique potius divitum prætorum & tribunorum densissima multitudo lecticis vectorum. A. & *L.*

122. *Languida.*) Hic magnæ sordes exprimuntur, cum etiam languidas & partui vicinas secum duxerint. *C.*

128. *Sportula*) petitur prima & secunda horis. Hinc constat quod, qui suis clientibus sportulam dabant, ipsi petierint ab aliis. *L.*

129. *Inter quas ausus habere.*) Notat tempora Domitiani, quibus etiam servis triumphales statuæ donabantur. Tacitus: *Tigillino, & Coccejo statuæ datæ sunt inter triumphales. L.*

130. *Ægyptius atque Arabarches.*) Arabarchem vocat Crispinum Aegyptium, quasi Arabum principem, invidiose, mordaciter & satyrice. Vel omnium vernarum ex Canopo, vel Arabia summum & maximum, id est pessimum. Ob id *Arabarchen. L.* Cujacius Tolosas Jurisconsultorum nostri temporis facile princeps, in aliena castra migrans, non ut transfuga, sed ut explorator legit hic Alabarches *Observ. lib.* 8. *cap.* 37. his verbis: *Lex* 9. *Cod. de vect. & com.* loquitur de vectigali Alabarchiæ per Ægyptum, & Augustanicam constituto, quæ duæ sunt provinciæ diœceseos Ægypti: Lego *Alabarchiæ* non *Arabarchiæ*, qui error etiam est in Cic. 2. *ad Atticum* & Juven. *Sat.* 1. aut sane utrumque rectum est, ut ἀργάλεον, ἐλγάλεον· φραγγίλιον, φλαγγίλιον. lego *Alabarchiæ*, ut Justinian. edicto τὸ κτ̃ κοινὸν ἀλαβάρχη. & paullo post: προσβῦτις ἀλαβαρχῶν. & Josephus 18. Ἀρχαιολογίας meminit Alexandri cujusdam Alabarchæ, & 20 τοῦ ἀλαβαρχήσαντος in Alexandria. Legendum etiam in *d l.*9. præbitione *pro* prohibitione ait, ne animalia transducantur sine *præbitione* solita. i. sine vectigali Alabarchiæ, ex quo apparet vectigal Alabarchiæ, esse id, quod pro transductione pecorum infertur. ἄλαβα est scriptura, sive atramentum, quo scribimus, ut Phavorinus ait. Sic Latine vectigalium ratio scriptura dicta est. Et vectigalibus præpositis

positus magister scripturæ, sive Alabarches: qua ratione Cicero Marcum Antonium Alabarchen vocat, quod multa vectigalia exegisset ex Ægypto, non Arabarchen, quod domuisset Arabiæ partem. Memorat & Eusebius Cæsariensis *lib.* 11. sacræ historiæ Alexandrum Arabarchen, & etiam Josephus *lib.* ult. de Antiquit. Jud. apud quem Ruffinus, præfectum salis interpretatur, quasi ἀλαβάρχης legisset, qua in te dubito, ne, sicut in aliis plerisque, in eo quoque fallater Ruffinus: quem lacessere numquam desinit Hieronymus. Alciatus *Prætermiss. lib.* 1. in verbo *Arabarches.* Turneb. Adv. XXVII. 25. Alabarches erat Alexandriæ magistratus, qui Judæis præerat Alexandrinis. Fere enim urbis dimidium a Judæis, jam inde a conditore Alexandro possidebatur, ut a Philone cognosci potest, itaque per contemptum quoque Arabarches, vel Alabarches dici videtur, e Judæorum despicientia & despicatione, qui omnibus invisi contemptique erant, Josephus *lib.* 22. *cap* 5. *belli Judaici*, meminit primi inter Alexandrinos Judæos tam opibus quam genere, & tum Alabarchiæ magistratum gerentis. ergo vel Alexander, vel Demetrius, iidemque Alabarchæ statuas inter triumphales habuerant, & Crispinus Ægyptius, Brodæus *lib* 4. *cap.* 2. Quidam Arabarchen mollem & enervem exponunt, aut Arabum Regem, alii salis præfectum Alabarchen, neutri recte. ego tamen magistratus apud Alexandrinos cujusdam nomen fuisse certo scio. hinc Cic. lib. 2. epist 17. ad. Att. *Velim ex Theophane, expiscere, quonam animo sit in me Arabarches.* Merula vero; Arbarchen inquit potius, quam Ægyptium Crispinum appellat, quem non insulse Arabum principem dixit. Lego apud Josephum & Eusebium Cæsariensem *Halabarchen* dictum salis præfectum, & fuisse honoris appellationem apud eos: hæc Gyraldus *dialogismo* 29. Ego vero fretus quam plurimis manuscriptis, censeo legendum *Arabarches*, non autem *Alabarches.* Poeta loquitur de Crispino Ægyptio, quem Ægyptium, aut Arabarchem in contemptum dicit, & publicanum per Arabarchem potius intelligit, quam magistratum. Nam Arabarches, ut ex *l.* 9. C. *d. vectigal.* apparet, præerat exigendo vectigali de pecuariis, quæ ex Arabia in Ægyptum devehebantur. Ideo Arabarches neque fuit scriba, nec magistratus, nec salis præfectus, nec honoris appellatio. præterea, Tiberius ille Alexander statuam non habuit in foro Augusti, nec Demetrius, ut somniarunt Alciatus & Turnebus, uti ille, quem innuit Poeta Ægyptius, aut Arabarches, id est, undecumque fuerit patria barbara, & ipse barbarus & ignotus. *Au.* Crispinus, uti volunt interpretes. Cum vero neque constet de regimine nec statua Crispini, magis propendeo in sententiam Alciati, ut sit Tib. Alexander, qui regebat Ægyptum ipse ejusdem nationis, teste Tacito *in* 1. *Hist.* cui astipulatur Euseb. *lib.* 2. Hieronymus tamen Josephum a Judæis creatum ducem intelligi vult, cui postea propter ingenium, virtutem & vaticinium de imperio Vespasianus statuam dedit triumphalem. *F.*

132. *Vestibulis abeunt.*) postquam scilicet diu multumque exspectarunt ante fores domini, sperantes fore, ut ad cœnam vocarentur, tandem cœnam desperantes, miseri & famelici abeunt, vel ubi veteres clientes, & asseclæ longa observantia & fide cognitis hunc suum patronum multum diuque deduxerunt, in forum, ad judicia, ad statuas & rursus domum ibique diu frustra exspectarunt: sperantes fore, ut a patrono suo ad cœnam vocentur, ubi se frustrari vident, tandem eundo, stando, & exspectatione lassi, a vestibulis patronorum suorum discedunt, & tristes domum abeunt. vel & ditiores per sordes meras non conferebant se domum ea hora, qua sportula clientibus erat distribuenda, unde sine ea familiei cogebantur abire. *A.* & *L.*

133. *Votaque deponunt.*) Et contenti esse coacti sportula, vel centum misellis quadrantibus, de cœna recta desperant, & vota sua ac desideria (quanquam diu illa animo conceperunt) de cœna jam deponunt, & abjiciunt. *L.*

133. *Votaque longissima.*) Diu enim dominum deduxerunt, a summo mane ad decimam, quæ cœnæ hora erat, & tam diu speraverant, se, quamvis sportulam mane accepissent etiam cœnæ adhibendos, ob deductionem diuturnam. *L.*

134. *Spes homini.*) Unica spes miseris illis hominibus, cœna illa erat, quæ, quia fefellit, caules, vel olera, & ligna quibus coquant olera, quadrantibus illis sportulæ sibi emunt, & cœnam miserrimam sibi conficiunt. *M.*

135. *Optima sylvarum.*) optimas feras in sylva venatione, & optimos pisces pelagi piscatu captos. *V.*

137. *Nam de tot pulchris.*) Sensus horum duorum versuum, mihi, quod ingenue fateor, obscurior, quem tamen hunc esse reor: Licet multos preciosissimos orbes vel mensas antiquissimi artificii habeant, in quibus multis clientibus locus esse possit: Plures enim clientes habebant, quibus una mensa non sufficeisset, Tamen super una tantum mensa comedunt, & patrimonia absumunt soli, sine ullo conviva. *L.*

139. *Sed quis feret istas Luxuriæ sordes.*) Dum foris erga asseclas & clientes sordidi sunt, ipsi interim sibi domi luxuriosi sunt & prodigi, & incurrunt in sordidam luxuriam, vel luxuriosas sordes, dum tanquam illiberales, & sordidissimi miseros clientes, cœna excludunt, & tanquam luxuriosissimi nepotes, una mensa soli universum patrimonium absumunt. pulcherrime duo

illa contraria conjungit, quæ revera in uno subjecto concurrebant, sed diverso respectu. Sic Sat. 2. dici eadem figura Socraticos Cinædos, ut ibi dicetur. *A.*

140. *Quanta est gula, quæ Sibi totos, &c.*) Exclamatione Satyrica, plena indignationis, id quod de luxuria dixit, probat. Immensa profecto gula, quæ sibi uni ac soli totum aprum apponit, illud inquam animal, quod ob convivia natum est, in quo plures simul vivunt, & se oblectant, non unus quidam, & solus. *L.*

141. *Ponis apros.*) Romæ munificentia videbatur apparatior, si in convivio integer vel totus aper fuisset exhibitus. Primus autem solidum aprum convivio apposuit Servilius Tullus, ut auctor est Plinius. *L.*

143. *Turgidus.*) Ut qui totum aprum devoraveris. Sic Horatius:

— *Crudi tumidique lavamur.*

Et Persius:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.

Nihil autem sanitati contrarium magis, quam ubi cruditate, vel alia imbecillitate labores, crebra balnea adhibere. *L.*

143. *Pavonem.*) Ille Romæ in deliciis habitus, omnium difficillimæ concoctionis, vel digestionis est, cujus mortui caro nunquam putrescit, quod experientia sæpius probatum, & Augustini auctoritate *lib.* 21. *cap.* 4. de civitate Dei confirmatur: *Quis enim nisi* Deus *creator omnium dedit carni pavonis mortui ne putresceret?* A.

144. *Hinc subitæ mortes.*) Scilicet ex balneis, & nimia stomachi repletione, & cruditate. Hæc causa est, cur lurcones illi repentina, & subitanea morte opprimuntur. *A.*

144. *Atque intestata senectus.*) moriuntur sine testamento, vel quia in universo patrimonio absumpto, unde faceret, non habuit, vel (quod magis placet) subita scilicet morte præoccupatus, ac præventus facere nullum potuit testamentum. *M.*

145. *Et nova nec tristis per cunctas fabula cœnas.*) & nova confabulatio, & læta illa quidem, de subitanea tua morte, divulgatur passim per omnes cœnas. Unusquisque morte tua lætatur. quis enim non lætaretur, adeo sordidum Euclionem foris, & luxuriosum nepotem domi, tandem subita morte præreptum? Nam:

Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.

quia amici & clientes, cum ipsis sordide, tibi luxuriose vixeris, non usque adeo tuam mortem lugent, sed lætantur potius ejusmodi helluonem, & luxuriosum Euclionem, jam semel tandem morte occupatum: & tuum funus ab iratis amicis, quibus nihil unquam profueris, cum plausu, & jubilo educitur & exportatur, Porro legunt alii libri: *Is nova.* L.

146. *Iratis plaudendum funus amicis.*) Iterum utitur Antitheris, non enim facile cum *lætitia plaudunt irati. Iratis*, quod ejus mortem tamdiu exspectaverint, vel quod iis nihil profueris, quod non prius mortuus sis. *Plaudendum*, quod mortuus fortasse sis, antequam omnia consumpseris, vel aliis de causis, quod avari & pessimi hominis casu lætantur. *L.*

147. *Nil erit ulterius*) vitiorum, flagitiorum, facinorum, scelerum. *L.*

147. *Nostris moribus*) perditis usque adeo, & depravatis. *L.*

148. *Eadem cupient.*) Verissime. Eadem fiunt hodie scelera & flagitia. Nam & hoc nostro tempore eadem agitur Fabula, tantum personæ mutantur. *L.*

149. *Utere velis.*) Poeta se ad scribendum incitat. *Immitte rudentes, pande vela, ac si quando alias, toto ingenio vehere.* Plin. *F.*

150. *Dicas heic forsitan.*) Admonitorem vel objectorem hoc loco introducit. rem arduam, & difficilem quin & periculosam suscipis primum cum exacto judicio, & ingenio sit oportet, qui in aliorum vitam ac mores vult inquirere. Unde autem tibi illud ingenium, illæ ingenii vires, & facultates, quibus par sis arduæ illi, ac materiæ difficili pro dignitate tractandæ? Deinde ut maxime ingenium adsit, unde illa priorum Eupolidis, Cratini, Aristophanis, & Lucilii aliorumque simplicitas, παῤῥησία, ac libertas dicendi & scribendi, quodcunque animo flagranti unicuique collibitum fuerat, in unumquemque, tibi erit, vel ad te perveniet? quæ usque adeo hoc tempore sublata est, ut ejus nomen amplius dicere non audeam, & cujus nomen vix amplius restat, nedum ipsa. Ad prius autem objectum non respondit, forte quia superius dixit:

Si natura negat, facit indignatio versum. L.

153. *Cujus non audeo dicere nomen.*) Domitianus enim ipsam libertatem oppresserat. Vetus Commentator hic addit: Cum in Senatu Cæsarem occidissent, dies qua interfectus, libertati consecrabatur, & dies libertatis dicebatur, postea Augustus occisis percussoribus Cæsaris, sub pœna prohibuit, ne quis amplius nomen libertatis illi diei attribueret, quasi dicat: Illis libertatis nomen vix ausim dicere, nedum, ut ipsum mihi ausim usurpare. *L.*

154. *Quid refert.*) Tempore Lucilii, illo antiquo seculo, nihil referebat, an Mutius a Lucilio versibus ita proscissus, aut laceratus Lucilio ignosceret, an non: Hoc

Hoc vero seculo si Tigillinum, vel alium quendam Imperatori amicum carpas, vivus ardebis. Cicer. *lib.* 4. Tusc. *Ne liceat carmen fieri ad alterius injuriam, leges sanxerant*: Et Horat.

— Quin etiam lex
Pœnaque nata, malo quæ nollet carmine quemquam
Describi. L.

155. *Tæda lucebis in illa.*) tæda & lino circumdatus, incensus lucebis & cremaberis, quo Christiani stantes & alligati in usum nocturni luminis ardebant, *ubi defecisset dies*, ut loquitur Tacitus. *L.* Indutus ex sparto, pice, & bitumine illito, ardebis. vid. tunica molesta Sat. VIII. 235. Brodæum *Miscellan. l.* 2. *c.* 9. & Sigonium *de Judiciis l.* 3. *c.* 18. *F.*

156. *Fixo gutture.*) ne se curvarent. Sic Plin. *in Panegyrico*: *Contigit desuper intueri delatorum supina ora, retortasque cervices.* & Sueton. *de Vitellio c.* 19. *Reducto coma capite, ceu noxii solent atque etiam mento mucrone gladii subjecto, ut visendam præberet faciem, neve submitteret.* vel unco impacto. Senec. 3. *de Ira*: *Circumdati defixis corporibus ignis.* ubi alii legunt: *defossis corp.* & ita sulcus est ipsa fossa. vide Lipsium ibi.

156. *Qui fixo gutture fumant.*) mihi videtur legendum *Fumat*, ut cum sequenti versu conjungi possit. *A.*

157. *Et latum media solium deducit arena.*) Lipsius in loc. cit. legit ex ver. cod.

Et latus mediam sulcus diducit arenam,

ut sulcus sit fossa in media arena, qua defossi & ad palum defixi cremabantur vivi, sicut proxime denotatum est. Verum ad necis adactæ vel spontaneæ necessitatem redactis scrobes vel ab aliis vel ab ipsis præparari solitæ, forte ad evitandum casum ἀσχήμονα in ipsa morte. Ejusmodi scrobem Niger tribunus Flavio Vejano effodi in proximo agro jussit. Tacit. 15. *Annal.* Carnifices Alexandri duxerunt latrones ἐπὶ τὸ ὄρυγμα Philostrat. *in Vita Apollonii lib.* 5. *c.* 8. Labeo apud Appianum *l.* 4. *bel. Civil.* βόθρον ὤρυξε, &c. Sic Nero sibi scrobem coram fieri dimensus ad corporis sui modulum imperavit Sueton. *c.* 49. *Ner.* F.

158. *Qui dedit ergo tribus patruis.*) Respondet Poeta cum indignatione. Ergo quia nam omnis libertas sublata est, unicuique impune peccare licebit, & ne verbis quidem quisquam, reprehendendus fuerit? Et Tigillinus igitur hominum ille sceleratissimus, qui tribus suis patruis Aconitum, & venenum dedit, ut illorum hereditatibus potiretur, pensilibus plumis in lectica veheretur, & inde ex alto despiciet nos atque contemnet, a nullo unquam ob atrocia ejusmodi malefacta reprehensus?

160. *Aconita.*) Venena. Solinus scribit in Ponticis oris Aconem portum esse, qui proventu malorum graminum usque adeo celebris est, ut noxias herbas illinc *aconita* nominemus. *V.*

160. *Cum veniet contra.*) Respondet Admonitor Immo vero mi Juvenalis, cum talis similis Tigillino veniet contra, vel obviam tibi fiet, digito os comprime, & etiam atque etiam cave, ne verbis ipsum lædas, nam qui verbum *hic* tantum dixerit, vel submurmuret, statim aderit accusator. Sunt autem hæc varie interpretati. Ovidius:

Perfer erit lucro lingua retenta tuo. M. & *A.*

161. *Accusator erit, qui verbum dixerit.*) hæc est vera, sicut in antiquissimis codicibus legitur, lectio; ut *verbum*, non *verum* dicatur. dicitur siquidem multis modis verum, ubi non lædas quenquam, at si verbum submurmures prætereunte malo aliquo, de se statim dici iste arbitrabitur, teque Accusatorem sui male mulcabit. *V.*

161. *Accusator erit.*) si quis tantum vel verbum dixerit. Statim accusator vel delator aderit, qui illum Imperatori prodat. Lego autem hoc loco: *Hic st.* Ideo quod *compesce labellum* auctor noster dixerit. hæ literæ, *st*, silentii nota, ut & alias apud Romanos, ut ex Terentii Phormione videmus.

162. *Securus licet* &c.) Verba monitoris, indicantis periculum, ne Coryceus aliquis deferat: tutius esse historias aut fabulas scribere, quemadmodum Virgilius & Homerus. *J.* aut securus de mortuis loqueris, quia propter legem Juliam non licebat viventium vitia lacerare. *V.*

162. *Æneam Rutulumque.*) Duos mortuos sibi infensissimos, sine tuo periculo in Satyra conjungere potes, quod in viventes tibi non licuerit. *L. Rutulum* lege, ut in antiquis manuscriptis. Turnum intelligit regem Rutulorum, de quo vide Virgilium. *An.*

164. *Multum quæsitus Hylas.*) Vide Apollonium 1. *Argon.* Solinum, Erasmum, & Vinetum *in Auson.* in Bithynia quædam festa celebrabantur, in quibus per montes vagi ac saltantes, *Hylam* vocabant. ideo dicitur *multum quæsitus.* Au.

163. *Committas.*) Allusum ad ἐπιδείξεις vel ἀγῶνας; ubi committebantur paria in μονομαχίᾳ aut arena, veluti committebantur artes expendendæ in odeo, theatro locove alio publico: sub præmio indice, spectaculo judice, voluptate sententia. *F.*

164. *Urnamque secutus.*) Herculem intellige. Alii de Hyla intelligunt, qui una cum urna submersus sit in aquam urnam secutus. *L.*

165. *Ense velut stricto.*) Verba Monitoris: Quoties Lucilius egregius ille Satyricus ardens ira, & indignatione contra flagitiosos, velut ense stricto & evagi-

nato sonitum, & exclamando fremitum dedit, ore indignabundo infremuit, auditor male sibi conscius, cui mens friget criminibus, vel tremore. & timore, ob crimina commissa percellitur, & tacita, & latente culpa pectus illi, & præcordia propter languorem & anxietatem culpæ sudant: Hinc adeo, quia ægre ferunt sua vitia manifesta reddi, ira, indignatio, furor, lachrymæ adversus Poetam oboriuntur. *A.* & *L.*

166. *Rubet.*) Vel ira ardet, vel pudore. Natura cum pudore aliquid dignum ei occurrit, penetrat sanguinem, quo commoto, & diffuso cutis tingitur, inde rubor, quem natura ante pudore tacta, quasi velamentum protendit. *M.* & *L.*

166. *Frigida*) criminibus. Contra virtus dicitur ardens. *A.*

167. *Sudant.*) Mira malæ conscientiæ descriptio, qua rei ac conscii modo frigore, modo calore alternis vicibus torquentur. illud fit propter metum, hoc ob pudorem, nam utrumque malæ conscientiæ inest. Mire autem metum sceleratorum exprimit. *L.*

168. *Tecum prius ergo voluta.*) Rectius lege cum doctissimo Turnebo: *Hæc animo ante tubas.* voluta animo tuo hæc, ante tubas, antequam tubam infles, classicum canas, & manum cum hoste conferas, id est, antequam scribas, & viventem ad iram commoveas. *L.* *Anime ante tubas* in antiquissimis codicibus legi ajunt. *M.* Alii habent *Anima* vel *Anima ante tubam* vel *animante tuba.* A.

169. *Galeatum sero duelli Pœnitet.*) ubi quis Satyram scripsit & recitavit, & facta infecta fieri, & vox missa referri nequit. Sic Horatius:

Nescit vox missa reverti. L.

170. *Experiar quid concedatur in istos.*) Responsio Poetæ promittentis, morem se fideliter monitori gesturum, nempe se tantum mortuos reprehensurum. *L.* subtilissime hoc Poeta facit: in mortuorum vitia scribendo non est dubium, quin multa scripserit in Domitianum ejusque adulatores, sed ita, ut ea insectat, quæ ad alios referri queant, ne sibi periculum delatorum arcesseret. *A.*

171. *Cinis.*) Nam illo tempore cadavera cremabantur. *L.*

Ad Satyram II.

ULtra.) V. C. ita indignor, inquit, quoties audio falsos Philosophos disputare de moribus, ut libeat potius esse inter barbaras gentes, quam inter tales. Vel quoties illi Philosophi, qui verbis, & sermone Curios, viros castissimos, maxime sobrios, & continentes simulant, & præ se ferunt, & præterea in vita & moribus vivunt omni scelere contaminati, bacchanalia exercent, incontinenter, turpiter, & flagitiose vivunt, & aliquid audent, de moribus virtutem instituendis, & conformandis docere, dicere, scribere, & disputare: libet, delectat, & placet mihi præ indignatione, ne hypocritas tales videam, & audiam, ubivis potius terrarum, quam apud illos esse, & aufugere, quin celerrima fuga abripi ultra Sauromatas, populos illos longissimo terrarum tractu a nobis dissitos, & ultra Oceanum, mare illud perpetuo frigore induratum. *L.*

1. *Glacialem Oceanum.*) est mare illud versus Boream glaciale. Ubi jam nova Zembla detecta est a vicinis Hollandis. Mare Septentrionale frigore & glacie horrens, in zona frigida inhabitabili, quod Sol ibi tarde luceat, ob ejus a cursu solis distantiam, induratum, jam a Finnis ac Pylappiis, Moscovitis, Tartaris, & vicinis frequentatum. *L.*

2. *Aliquid audent.*) Nota ingenium Poetæ, in fusa omnia auxit, hic omnia diminuit. *A.*

3. *Qui Curios simulant.*) Curio similes, qui ut Valerius Maximus inquit, exactissima norma Romanæ frugalitatis fuit. *V.*

3. *Bacchanalia.*) nocturna festa, quæ clam in urbibus a maritis & fœminis fiebant, in quibus inter vina & epulas promiscua stupra, ingenuorum & fœminarum; quanquam virorum, quam fœminarum frequentiora. Ubi si qui minus dedecoris patientes, & ad facinus adeo præter naturale pigriores, illos immolare victimam Baccho nullum putabant nefas. Ut jam alia fœdiora taceam, quorum Livius & Augustinus meminit, quod in Bacchi honorem pudenda virilia colerent, quibus matrem familias honestissimam palam necesse erat coronam imponere. In quibus cum omnium scelerum & libidinum lerna esset, postea a Consule interdicta fuerunt *V.* Vide *Comm. ad Sat. 6.* in verbis: *Ululantque Priapi Mænades.* L. De talibus Philosophis vide præclarissimum illum Agellii locum *lib. 8. cap. 2.* ubi tales libitinæ suis vivis coloribus depinguntur *A.*

5. *Nam perfectissimus horum.*) Respondet quæstioni. Quare Imagines illas Philosophorum in tanto pretio habent, scilicet ut docti & egregii videantur. Nam si quis ex illis picturam & statuam, Aristotelem referentem, habet, mox se ipsum Aristotelem vincere & superare putat. Late patet etiam hoc sæculo vana illa superstitio dicam, an persuasio. Lucianus de aliquo scribit, in libro

bro, quem in hujusmodi scripsit, cui titulus πρὸς τὸν ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον; In indoctum, & multos coementem libros: *Et nostra*, inquit, *aetate fuit quis, & adhuc superest, opinor, qui Stoici Epicteti fictilem Lucernam ter mille drachmis emit: Sperabat enim, opinor, & ille, si noctu ad illam lucernam legeret, continuo & Epicteti sapientiam in somnis se adepturum, & similem se fore admirandi illius senis.* Sed valeant hujusmodi Enthusiastae. *L.*

7. *Et jubet Archetypos pluteum servare Cleanthas.*) Ille perfectissimus Philosophorum inter illos habetur, quisquis Cleanthem continentissimum illum Philosophum, quasi suorum librorum custodem adhibuerit. Pulchre dixit illos *jubere* & mandare, ut appositae figurae vel statuae musaeum conservent: nam plerumque indoctissimi illi ociantur, & aliud agunt, & pulchros tantum & egregios libros possident, sibi nec lectos nec intellectos. Accidit in Germania nostro tempore, ut Doctor quidam juris, ex hac familia oriundus, & in horum Philosophorum ludo edoctus, indoctus, & ignavus, multos itidem & egregios libros, & amplissimam bibliothecam possideret. Ille cum forte ex negotio alium Doctorem juris, virum doctum, & vere literatum inviseret, ejusque Musaeum non ambitiose egregiis picturis & multa librorum copia ornatum videret, superbe ipsum (ut nunquam non indocti) compellavit: Salve Doctor sine libris. Ille vero aequo animo superbiam illius pertulit. Non diu factum, ut rursus alterum conveniret, qui cum ejus Musaeum omnium optimorum auctorum copia refertissimum introiret, & plerosque libros videret, situ & pulvere obsitos, pari mordacitate, sed jure magis, scomma in ipsum regessit, &, Salvete, inquit, libri sine Doctore. *Non autem refert*, inquit Seneca, *quam multos libros habeas, sed quam bonos*, & pulchre in tales illud Luciani in Philomusum se habet:

Emptis quod libris tibi Bibliotheca referta est,
Doctum & Grammaticum te, Philomuse, putas?
Hoc genere, & chordas & plectra & barbyta conde:
Omnia mercatus cras citharoedus eris. L.

7. *Cleanthas.*) Hic Ingenium obtusius diligentia superavit. Et cum ob inopiam chartam emere non posset, in testa boumque ossibus scribebat, quae a Zenone audierat, cui & mortuo successit. *L.*

8. *Frontis nulla fides.*) Quam enim multi severam & castam vitam, & omni ex parte sanctam barba prolixa, pallio oblongo, capillo brevi, silentio alto, supercilio severo, pilosis brachiis, promittunt: quorum pectus, mores, & vitam si penitus aliquantulum introspicias, Deum immortalem! quot monstra, quanta flagitia, qualia scelera deprehendas, etiam quae cum ipsa natura pugnent, & a quibus vel bruta abstineant, & ita simulatores illi hypocritae longe gravius in se crimen admittunt, quam qui ex simplicitate, ignorantia, infirmitate peccant. *L.* Notum est illud: *si non caste, tamen caute.* Difficilius vero est simulare bonum virum, quam esse, & hi tamen malunt simulare, quam esse, & plus laboris insumunt, ut videantur boni, adeoque ex deliberatione mali sunt. *A.*

8. *Quis enim non vicus abundat Tristibus obscoenis.*) Quis locus, angulus & habitatio in civitate non abundat & plena est, *tristibus* illis, rigidis, *severis*, & censoriis, in verbis & vultu; & *obscoenis*, turpibus, & deformibus in vita & moribus? *L.*

9. *Castigas turpia.*) Iterum utitur anthithetis, & idque mira elegantia. *L.* Cic. *Tusc.* III. ait proprium esse stultitiae, aliorum cernere vitia, oblivisci suorum. *M.*

10. *Inter Socraticos.*) Cinaedos & Draucos, qui tamen Socratis sanctimoniam & disciplinam prae se ferunt, & ipse Socrates male audiebat nomine masculi amoris. Lucian. βίων πρᾶσις & ἀληθοῦς ἱστορίας λόγος β & εὐνοῦχος. Firmicus lib. 7. c. 14 Sunt tamen, qui legi volunt *Sotadicos* a Sotade Poeta Maronensi, qui primus scripsit cynaedica de quo Suidas & Strabo. *F.* malo *Socraticos*, quia illi illi profitebantur moralem Philosophiam. V.

10. *Fossa.*) Sentina Pathica. *F*

11. *Hispida membra quidem.*) Eo dicit, nam qui in externo habitu neglectiores, illi non facile libidinis turpitudine se polluunt. Unde Auctor noster inferius Sat. 14.

Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Adnotet & grandes miretur Laelius alas.

Si quis externam tuam faciem contempletur, judicet te esse hominem quantivis precii; nam hispida, hirta, & pilosa tua membra & durae setae, per brachia, & corpus tuum, promittunt Polyphemum aliquem, & Herculem melampygum, atrocem, rigidum, fortem, severum, virilem, robustum, magnanimum, & a vitiis alienum animum, non mollem. *L.* Sic Polyphemus apud Ovidium:

Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae. M.

12. *Podice laevi.*) λείῳ δρωπακιζομένῳ. Vid. Pers. *Satyr.* 4. *vers.* 40. F.

13. *Caeduntur.*) Secantur. Itali nostro tempore talia non secant, sed urunt argentea quadam lamina candenti. *L*

5. *Atque supercilio brevior coma.*) Pili capitis breviores supercilio: Et capillus non demissus usque ad supercilium. Nam Philosophi Stoici detondebantur ad cutem usque, unde illorum discipuli Persio dicti —*detonsa juventus.* Et Lucianus de tali περὶ κουρᾶς, inquit: Comam enim alere, parum virile existimabant. *L.*

15. *Verius ergo.*) juſtius, rectius. Sic Horatius:

Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede verum eſt.

16. *Hunc ego fatis.*) V. C. ait: Antiqui omnia licet male fatis imputabant. Unde, quia Peribomius mala ſua non abſcondebat, dicit illa ſibi fataliter contigiſſe. Philoſophis vero, quia occultabant ſua ſcelera, non fataliter ea accidiſſe. Et ob id mala Peribomii dicit eſſe tolerabiliora, quia ei non imputantur, neque illius vitio, ſed fato. Philoſophorum mala ſua eſſe, & ipſis imputanda eſſe, non fato. *L.* Hujus vitia non malitiæ ſuæ, ſed fatis imputo vel craſi, ſeu potius ἀκρατείᾳ, imo ἀναλγησίᾳ ut Perſ. 3. de Natta, *Sed ſtupet hic vitio.* F.

17. *Morbum.*) Morbum animi. i. e. vitia & levitatem, *vel* etiam corporis morbos ſc. mariſcas, ut ſupra, vſ. 13. *F.*

17. *Fatetur.*) Ariſtoteles *Virtutem vitii velamen*, ait *longe propiorem juſto futuram, ſi aperiat potius & detegat vitia, quam ſi tegat & occultet.* L.

18. *Horum ſimplicitas miſerabilis.*) Horum inſcitia & ignorantia veniam meretur, dum nihil ſimulare & diſſimulare norunt. *L.*

18. *His furor ipſe.*) Cæcitas mentis, & violentus impetus, cui moderari neſciunt, ut furere videantur, veniam hujuſmodi dat. Tales ſunt, qui vitio quaſi ſtupent, & apud quos vitia tam alias radices egerunt, ut aliter agere nequeant. Adeo ut vitiorum habitum ſibi aquiſierint, qualis Natta ille diſcinctus Perſii. Nam cum vitiorum habitum ſibi contraxerint, aliter agere non poſſunt, & venia potius & commiſeratione, quam reprehenſione digni ſunt. *L.*

19. *Sed pejores qui talia verbis, &c.*) ſed illi pejores, imo longe omnium peſſimi, qui tales ex ſimplicitate peccantes invadunt, increpant & verbis objurgant: graviſſimis & ſeveris: interea flagitioſam vitam agentes. *L.* Tolerabilior aperte malus, quam hypocrita & ſeverus. *J.*

22. *Quo deterior te.*) Sic Horatius:

Tu cum ſis quod ego, & fortaſſis nequior, ultro
Inſectare velut melior, verbiſque decoris
Obvolvens vitium, quid ſi me ſtultior ipſe? M.

Plautus:

Qui alterum accuſat probri, ipſummet ſe intueri oportet. L

29. *Qualis erat nuper.*) Aliorum rigidus cenſor. *Noſtine illos* (inquit Plin. Ep. 22. l. 8.) *qui omnium libidinum ſervi, ſic aliorum vitiis iraſcuntur, quaſi invideant, & graviſſime puniunt, quos maxime imitantur.* F.

29. *Nuper.*) Hoc verbum indicat, de Domitiano hæc eſſe intelligenda. *L.*

29. *Tragico.*) Quid enim Tragœdia dignius, quam fratris filiam conſtuprare, ipſamque ſpontaneis abortionibus occidere? *L.*

30. *Amaras.*) adeo acerbas & rigidas, ut non homines ſolum omnes eas timerent, verum etiam Dii & Deæ, Mars & Venus olim in adulterio deprehenſi. *L.*

33. *Solveret.*) Clauſtra illa & repagula, quibus Embryo in utero materno circumvolvitur. Cum illa ſolveret & aperiret, ut extruderetur conceptus partus. *L.*

34. *Et patruo ſimiles effunderet offas.*) Acutiſſime & nimis ſatyrice & mordaciter. Et cum Julia patruo ſuo Claudio ſimiles offas, & fruſta carnium ſanguinolenta, unde infans coagmentandus erat, dum abortum facit, effunderet, & foras ejiceret, & egereret. Claudius enim adeo deformis erat, ut Antonii mater cum *portentum hominis* diceret, nec abſolutum a natura, ſed tantum inchoatum. Offas dicit fruſtra carnis, id eſt oſſa, carnem, & ſanguinem, quo Embryo coagmentari debebat. Erat autem Germanicus, cujus filia Agrippina, Claudii frater: poſſunt tamen de Domitiano hæc intelligi. *V.* & *L.*

34. *Nonne igitur jure, ac merito.*) Quare cum illi, qui vitia reprehendunt, mores docent, leges ſanciunt, & revocant, contra ſuam doctrinam ac leges turpiſſime faciunt, ipſi reprehenſione omnium digniſſimi: Nonne jure & merito illi homines vitioſiſſimos, qui toti extreme vitioſi, & quanti quanti extrema vitia ſunt, contemnunt, & flacci faciunt, fictos illos hypocritas, Scauros, homines nobiles & factioſos, qui alios reprehendunt, & ipſi interea peſſime vivunt. Fuit autem M. Æmilius Scaurus, teſte Saluſtio, homo nobilis, impiger, factioſus, avidus potentiæ & divitiarum, Cæterum callide vitia ſua occultans; ob id ait *fictos Scauros.* Porro de M. Scauri continentia, vide Valerium Maximum & alios. V. C. dicit quod fuerit graviſſimus vir, & bis cenſor, ter princeps ſenatus electus. *L.*

36. *Non tulit ex illis torvum.*) Inducitur nobilis quædam matrona Laronia, virorum vitia acerbiſſime inſectans, vel potius introducit mulierem quandam meretricem, cui ſuas partes in vitiis virorum inſectandis adſignat, quæ primo mira & falſa ironia, & ſimulatione talem ſimulatorem & hypocritam perſtringit. Poſtea ſumma acerbitate, & aperto quaſi Marte, in illum invehitur. *L.*

36. *Laronia.*) *alii* Lauronia, *alii* Latronia. Artificioſe introducitur mulier dives reprehendere fictos Scauros. *Sat.* vi.

Intolerabilius nihil eſt, quam fœmina dives.

melius vero quadrat Virorum vitia exprobrare mulieri. *A.*

36. *Ex illis.*) Hypocritis Curiis, Bacchanalia viventibus: Triſtibus obſcœnis, Socraticis Cinædis, fictis Scauris, trepidis Stoicidis.

36. *Torvum.*) Severum, tetricum, gravem, moroſum,

rosum, vultu & verbis sanctissimum, immiti fronte. *L.*

38. *Felicia tempora.*) Acris & amara Ironia: quasi dicat tempora hæc nostra, alias infelicia futura vel uno te sunt longe felicia, exactum adeo & accuratum morum censorem sortita. *L.*

40. *Tertius e cælo.*) Sapientum octavus, aut Cato tertius, severissimus morum censor, ad mores castigandos singulari Deum beneficio & munere cœlitus nobis est datus. *L.* & *A.* Moris est, numerum notum augere, si quis eorum reperiantur similis. sic Horatio Stertinius dicitur *sapientum Octavus*? Sappho *decima Musarum*, quod a satyricis vulgo fit ironice. *A.*

41. *Opobalsama.*) Opobalsamum succus balsami, e plaga manat eximiæ suavitatis & odoris. Martial.

Lasse quod externi spirant opobalsama Drauci.

Balsamum propriam eam arborem Judææ esse plerique tradiderunt, nec alibi gigni. Just. lib. 36. opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. *Au.* ab ὀπὸς succus & *balsamon* a בעל שמן i. e. *princeps olei.* F. Videtur Laronia torvum illum accusare turpissimi coitus. *V.*

41. *Hirsuto spirant opobalsama collo Quæ tibi.*) Hic rursus quasi contraria conjungit, quid enim a balsamo vel unguentis alienius, quam hirsutum collum, quod teneri, molles & delicati adhibere tantum solent? *L.*

42. *Ne pudeat dominum monstrare tabernæ.*) Exprimitur procax meretrix, q. d. dic ubi emisti hæc exotica unguenta, quibus redoles, ut & nos emamus. *L.*

43. *Scantinia.*) Lex hæc erat in pædicones, & pullipremones lata propter Cajum Scantinium stupratorem masculorum, qui C. Marcelli filio vim adferre conatus, est a patre accusatus. Porro vel capite plectebantur, vel 10000. H. S. dabant. *L.* Vid. Valer. Max. lib. 6. c. 1. quamvis autem leges plerumque habent nomen ab eis, qui tulerunt, non raro item a damnatis, ut Laja a Lajo, qui primus omnium intulit stuprum Chrysippo Pelopis filio. *F.*

45. *Sed illos defendit numerus.*) Tacitus *lib. 1. Annalium: Illi quoties oculos ad multitudinem retulerant, truculentis vocibus strepere.* Au. Et Lucanus:

—Quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos, quidquid multis peccatur inultum est. M.

47. *Magna inter molles concordia.*) Germanorum proverbio: *Ein Raabe hakket dem andern kein auge ausz.* L.

50. *Utroque morbo.*) Agit & patitur alternis vicibus, agendo & patiendo pallet, vel etiam fellat & pædicatur. *A.*

53. *Colliphia.*) Athletarum cibi. Plautus: *Colliphia ne mihi incocta detis*, erant panes in similitudinem membri virilis. Ante Pythagoram ficis utebantur. Post illum azymo pane asso, & carnibus taurorum. *L.*

54. *Calathis.*) Calathus est qualus vel quasillus, in quem netrices pensum vel susum componunt, in quo vase vimineo glomi & fila ponuntur. *L.*

55. *Prægnantem.*) Egregie dictum, ut per illud tenue filum quo circumvolvitur, intumescentem paullatim & quasi gravidum susum.

56. *Penelope.*) Ulyssis uxor, absente viro procos tela decipiebat, pollicebatur absoluta tela eis obsequuturam, noctu retexebat, Homerus & Claud.

Penelope trahat arte procos, fallatque furentes,
Stamine nocturnæ retegens solertia telæ. Au.

57. *Horrida quale facit residens in codice pellex.*) Horrida dicit, quia inculta propter vestes, & miserrimum victum. In maximis enim numerabant malis, colo vitam misere, tenuiterque tolerare. Est autem hoc loco codex, ex arborum truncis coagmentatum, vinculi genus, robusta quernave sedes in privatis ædibus adversus servos nequam & improbos, quale in publicis carceribus robur, vel numella. Porro in adulterio eum domino servas deprehensas, Dominæ ad lanam quasi damnabant, ut ita continuo labore ærumnosam vitam agerent. Plautus: *Ego eam detrudam ad molas. Inde porro ad puteum atque robustum codicem.* Est ergo codex ligneus stipes. Propertius *lib. 4. Eleg. 7.*

Codicis immundi vincula sentit anus.

Meretrix sedens in trunco ante fores horrida & inculta, ne habeatur uxor. intelligit ancillam casillariam, ut ait Josephus Scaliger. *Au.* Ligneo stipite, quem alligatum servi, qui deliquerant, trahebant, cuique insidebant, Angl. *a elog.* F.

58. *Dederit vivus cur multa puella.*) consciæ, inquit Probus, quæ Dominum suum novit prædidi. sequentem versum Probus ita legit:

Dives eris magno, quæ dormis tertia lecto. V.

58. *Notum est cur solo.*) Antiquus textus *soli* habet. *M.*

59. *Vivus dederit cur multa puellæ.*) cur uxori suæ vivus multa donaverit, ob hanc scilicet causam, ut simul dormiret is, qui sibi sibi misceretur, puellæ ergo dicit, i. *uxori consciæ*, quæ noverat ipsum corrumpi. *L.*

59. *Puellæ.*) uxori, quam ne semel quidem attigit, cum ipse muliebria pateretur. Hi adhibebant Draucos, qui & se & uxores suas subagitarent. *L.*

60. *Dives erit.*) Satyrice dicit, quasi hoc probet? multa enim a marito accipiet, ne scelus revelet. *L.*

90. *Dives erit talis.*) scilicet mulier quæ tacere potest, & dormit in magno divitis lecto tertia, ut inter illam & Draucum intermedius sit vir vel maritus infamis, & Pathicus, ut tres sint, videlicet maritus, uxor,

xor, draucus. *L.*

63. *Dat veniam corvis.*) Censura, & morum castigatio dat veniam & ignoscit corvis illis & pessimis, quales viri; & vexat, exagitat, damnat, & molestia adficit columbas, nos ex infirmitate & simplicitate forte peccantes mulierculas. Discrevit enim sexum per aves. Corvi dicuntur per os coire, ut turpissimi tidem fellatores illi: Martialis ex ambiguitate vocabuli corvi ludens:

Corve salutator quare fellator haberis,
In caput intravit mentula nulla tuum?

Tacite ergo eos, qui oris, & omnium membrorum amissa pudicitia, in omnem libidinem proni erant, hoc loco *corvos* appellat. *V.* columbis,quæ salaciores & simplices sunt in tutela Veneris, recte mulieres sumes. q. d. si mulieres fiant adulteræ, simplicitate quadam & ex prona sexus sui salacitate peccant: at potius illis ignoscendum,quam viris, qui philosophantur & contra Naturam peccant. *A.* Castigatio morum ignoscit virorum malorum nequitiæ, vexat mulierum simplicitatem.alii polyposi magis,quam naluti percorvos intelligi *fel...* volunt. *L.*

65. *Stoicidæ.*) Contumeliose tanquam fœminæ. Videtur enim fœmineum esse. Stoici dicebant omnia peccata esse æqualia, & æqualiter punienda, Sic Virgilius:

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges. —

Et Persius: *Troiades.*— M.

Vel qui Stoici videri volunt, & sunt fœminæ. Porro Stoici vel trepidi Stoicidæ, cum ait, conjungit iterum contraria. Nam veri Stoici, utpote *[illegible]*, nihil trepidabant. *L.* Vid. Gell. *lib.* i. *cap.* 5. A.

65. *Sed quid Non facient alii, &c.*) Major est honestratis ratio in adultera,si in publicum procederet,quam in te, qui ejus rei censuram tibi assumis, cum sis ipse perditissimus. J.

66. *Cum tu multitia sumas.*) Vestes molli intextas substamine, quibus utebantur, qui de pulcritudine membrorum gloriabantur; nam tenuissimæ, & pellucidæ erant, adeo ut singula membra perspici possent, & ut Budæus ait, multitia sunt vestes sericæ tenuissimæ æstivæ. Mart. lib. 8. ad Entellum:

Fœmineum lucet sic per bombycina corpus,
Calculus in nitida sic numeratur aqua.

Et Flavius Vopiscus in Aureliano: *Dabis ad editionem Circensium tunicas multitias viriles decem, lineas Ægyptias viginti.* Vestes (*si modo vestes vocandæ sunt,* inquit Senec. 7. de Benef. *in quibus nihil est, quo defendi corpus aut denique pudor possit, &c.*) sericas vel bombycinas molli intextas substamine & in tantum tenues, ut per eas singula membra perspici possint. *Ut denudat fœminas vestis.* Plin. 11. 22. *F.*

67. *Cretice.*) Quemvis judicem intellige. Alludit autem affinitate vocabuli ad judicem, quasi dicat Critice. Nisi mavis judices acerbos ita vocari a Creta insula, unde Æacus, Minos, Rhadamanthus illi judices infernales oriundi, vel Julium Creticum intellige, qui sub Cæs. illustres causas egit vel quendam ex Metello Cretico a Creta devicta ita dicto oriundum nobilissimum. *L.* *Cretice* legunt omnes Codices. *M.*

77. *Perores.*) Sententiam fers & concludis, qua pœna Procula & Pollinea meretrices afficiendæ sint. Tu debacchatis in impudicas, ipse impudentissimo habitu indutus. *L.*

69. *Talem non sumet.*) Ita dicit. Nam teste Porphyrio & Acrone & V.C. *fœminæ adulterii convictæ vili toga in publicum prodire cogebantur.* M.

71. *En habitum.*) En præclarum tuum, & viro dignum habitum (est acris & amara Ironia) quo habitu merito te audiret jura & leges ferentem, & promulgantem antiquus Romanus populus, victor modo, paulo ante, vulneribus adhuc crudis, hiantibus, cruentis, nondum consolidatis, & recenti hostium cæde rediens; & quo habitu te audiret merito montanum illud vulgus, rustici in montibus Agriculturam exercentes jam positis aratris post multos & longos labores, id est, si tu iu tam molli & effeminato habitu, homo mollis & mulierosus legem ferres antiquis Romanis, viris bello, & laboribus militaribus, & agriculturæ assuetis, strenuibus, & fortibus, & ab omni mollitia alienis, illi tuam turpitudinem detestarentur, teque non audirent, tuasque leges non reciperent. *L.*

73. *Vulneribus crudis populus modo.*) Est Exprobratio sævissima. q. d. En turpissimum habitum, in quo habitu merito te leges, & jura ferentem audirent milites parta victoria hostium cæde deformes & squalidi, & antiqui Latini in montibus laborem rusticum exercentes,qui in sudore & labore deformes sunt, & qui hanc vestium elegantiam parum curant. Qui nimirum turpitudinem & mollitiem tuam, utrinque exsecraturi erant. intelligenda hæc de antiquis Romanis,qui aut militabant aut agriculturam exercebant, alieni ab omni mollitia. Nam ob laborem assiduum, omnem mollitiem & vitium repellebant. *L.*

78. *Pelluces.*) Transluces, vel valde luces: nam lineamenta corporis apparent, pellucebant enim tenerrima subtilitate, ut Ammianus dicit, ideoque quoties pellucidam vestem, & pellucentem togam legis, capito de serica. Mart. lib. 12. in Candidum:

Crine nitens,niger unguento, pellucidus ostro. Au.

80. *Prurigine.*) Legunt alii *porrigine*, quæ capitis morbus, furfuribus & farina quadam obsiti. Similitudo a porcis, quorum unius scabies totum gregem inficit, & ab ovibus. *L.*

Morbida

Morbida namque pecus totum corrumpit ovile.
& ab uvis. Nam experientia demonstrat uvam, quæ in umbra alterius uvæ lividæ & corruptæ sita est, li vorem etiam contrahere, & corrumpi. *L.*

81. *Uvaque.*) de livescentibus sub vindemiam uvarum acinis accipe; nam censent ubique livescere, ubi incipit unius uvæ acinus, protinus propinquum eo conspecto velut invidia quadam similem colorem contrahere, nec de acinis solum hoc verum, sed & de integris uvis opinio est. Sic Virgil.

Ne mala vicini pecoris contagia lædant.

Multum profecto commercium & consuetudo valet, qua sane, ut ait Seneca: *Alter alterum in vitia trudimus.* Et alibi, *Malignus comes, quamvis candido & simplici, rubiginem suam affricuit.* L.

82. *Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.*) Possumus heic legere: *Fœdius hoc aliud.* Pergit autem ad reprehendendos illos, qui fœminæ esse volebant, earumque sacra, vitam & mores imitabantur, ostenditque turpissima illorum scelera, ad quæ illi, qui tam molliter amiciuntur, aliquando progressuri sint. L.

83. *Quandoque.*) Apud Persium & Horatium significat quando, vel quandocunque. Persius:

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit.

Et Horatius:

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Si hanc significationem retinebimus, ita hic locus explicandus est. Quando hoc tuo molli amictu fœdius & pejus aliud quiddam aliquando designabis, tum paullatim recipieris, in consortium infamium illorum & turpium, qui jam mulieres & Sacra Bonæ Deæ imitantur. *L.*

83. *Paullatim.*) Velut enim per quosdam gradus paullatim pervenitur ad summam virtutem, ita sensim descendit quis & præcipitatur ad ima vitiorum. *L.*

83. *Accipient te paullatim.*) Hæc de Sacerdotibus Cereris Albanis commode intelligi non possunt. Loquitur enim tantum de infamibus & effœminatis illis, qui clandestina sacra peragebant imitantes mulieres Bonam Deam colentes. *L.*

89. *Ite profanæ.*) Nam ut in cœtu mulierum clamatur, per præficam: ite prophani viri: sic hic per præconem: o vos profanæ mulieres, tanquam indecentes fano excludendæ, ite procul & discedite hinc. *A.* De hac solemni formula vide Brissonium statim in initio. *L.*

90. *Cornu.*) Tibia, cornu, & tuba ad sacra vocabant apud Ethnicos, & in sacris nocturnis faculæ adhibebantur. *L.*

91. *Orgia.*) Apollonii interpres ait Orgia dicta ἀπὸ τῦ εἴργειν, quod profani arceantur a sacris, utcunque alii deducunt ἀπὸ τῆς ὀργῆς, seu furore Bacchico, alii ἀπὸ τῶν ὀρῶν, montibus, in quibus celebrantur. *F.* Orgia apud Græcos teste Servio dicta fuerunt quævis sacra, dein de propria Liberi patris esse cœperunt, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, hoc est a furore, quod hæc sacra a mulieribus furore correptis celebrentur. Virgil. lib. 4. Æneid.

— totamque incensa per urbem,
Bacchatur, qualis commotis excita sacris
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia. Au.

92. *Baptæ.*) molles, quos Eupolis Comœdia hac inscripta *Baptæ*, vehementer exagitarat, ab illis Baptis & Alcibiade, quem præcipue perstrinxerat, in mare submersus. Inde Horatius in Epodis:

Inultus ut tu riseris Cotyttia. L.

Alcibiades enim, cum eum mergeret, dixit: *Tu me in theatro madefecisti, ego te in mari madefaciam.* V. Athenis erant Cotyttia, Impudicitiæ Deæ, sacerdotes cui nocturna sacra peragebant saltationibus, & omni voluptatum generi indulgentes. Vide Suidam & Adrianum Junium Adagiorum *centur.* 1. & Politianum *Miscellan.* cap. 10. *Au.*

92. *Lassare Cotyto.*) Ad lassitudinem saltare, vel fictam Deæ personam delassare: e psaltria seu saltatrice Deam impudentiæ. Politian. *Miscel.* cap. 10. *F.* Erat autem Cotytto Dea fœminarum apud Athenienses, ut apud Romanos fœminarum erat Dea Bona. *L.*

93. *Ille supercilium madida fuligine tactum.*) Alius supercilia denigrat. *Tanta est decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque,* inquit Plin. *lib.* 11. c. 37. Oculos ejusmodi Hieronymus vocat, *orbes stibio fuliginatos.* Alii legunt *tinctum.* F. Ursinus adeps raritatem superciliorum emendat, mixtus cum fungis lucernarum ac fuligine, quæ est in rostris earum. Plinius *lib.* 38. *cap.* 8. Pingit in Ovid. *in Arte.*

Nec pudor est oculos tenui signasse favilla. Au.

93. *Tinctum.*) Alii libri legunt *tactum.* *Tangere* autem veteribus pro tinge, imbuere, illinere frequenter usurpatum. Lucret. *lib.* 1. *Croci contracta colore.* L.

93. *Ille.*) Solebant mulieres de superciliis pilos evellere, & altius in fronte supercilium depingere. Idem etiam quidam viri faciebant. *L.*

94. *Trementes.*) vel quod læduntur fuco, vel *trementes*, putros, lubricos, palpitantes, lascivos, ut scortorum. sic alibi dicit:

— Oculosque in fine trementes.

Julius Pollux: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς χρίει *i. Oculos pingit, supercilia denigrat.* L.

95. *Vitreo bibit ille Priapo.*) Notat libidinosissimos viros effœminatos. Nam efferatæ mulieres hujusmodi instrumentis bibebant. Alius bibit ex vitreo Priapo non secus,

secus, ac si, ut mulier, membro virili delectetur. Hos dillopotas etiam *Plinius* notavit: *In poculis*, inquit, *libidines cælare juvit & per obscœnitates bibere*. L.

97. *Cærulea indutus scutulata, aut Galbana rasa.*) Et induit vestimenta muliebria cœrulea & scutulata, & galbanei coloris tenuiter rasa & subtilia. Galbaneus est sublucidus, & subalbus cum pallore. Hæ vestes, hi colores mulierum tantum erant. Erat autem Galbus, vel galbeus, aut galbanus color ille, qui Græcis χλωρὸς herbacei coloris, & is sane color fœmineus. Alii galbineum hunc colorem cœruleum putant, dilutiorem & pallescentem. Color autem galbinus dedecere viros censebatur, ut mollior & effœminatior. Hinc apud Martialem, *Galbanos mores habet*, pro molli, & effœminato parumque virili positum. *L.* Vestimenta plurimas scutulorum formas habentia, quales cernuntur in aranearum telis. Subalba, a flore galbani ferulæ in Syria, cujus succus notus. vel galbinea. i. e. cœrulea vestimenta rasa, quæ pilis & villis carent. *F.*

100. *Actoris Arunci spolium.*) Quod speculum sacerdos ille occiso Othone ablatum non secus jactabat, ac Turnus apud Virgilium hastam illam: qua Actora Aruncum spoliaverat. *L.*

101. *Cum jam tolli.*) Magna hic latet acrimonia, & petulans insultatio. quasi dicat, cum in signum committendæ pugnæ vexilla tolli mandaret Otho, ut jam cum Galba integro exercitu congrederetur: se armatum contemplabatur in speculo. Quid autem ab animo fortis militis alienius, quam elegantiam corporis curare illo ipso tempore, cum ancipiti prælio de vita & salute certitur. *L.*

102. *Res memoranda novis annalibus.*) Sic nos Germani scoptice: *Man solte das in die Chronica schreiben*, Nempe illud speculum sarcina, & pars utensilium civilis belli inter Vitellium & Othonem gesti, est res memoriæ commendanda, per novos annales, & recentem historiam. Civilis, inquit, belli, quod gestum inter Veronam & Cremonam, vel ad Bebriacum vicum, ubi duabus cladibus Otho est superatus. Et qui tamen constantia mortis more Sardanapali, anteactæ vitæ mollitiem emendavit: nam damnatis bellis civilibus, cum ei superesset exercitus, ac de victoria sperare posset, elegantissima oratione habita se interfecit: Melius ratus unum mori, quam tot egregios milites: quibus sane adeo carus fuit, ut multi viso ejus cadavere se interemerint. *L.*

103. *Civilis belli.*) Inter Othonem & Vitellium, *Nec deerant* (inquit Tacitus de hoc ipso bello) *qui ambitione stolida luxuriosos apparatus conviviorum, & irritamenta libidinum, ut instrumenta belli, mercarentur.* L.

104. *Summi ducis est occidere galbam.*) Galba Imperator septimus Neroni successit, quem Otho occidi jussit: milites Othonis Galbam a suis desertum contruci darunt ut ait Suetonius in Galba. hinc Eusebius in Chronicis: Galba septimo mense imperii sui mense, apud Bebriacum propria manu occubuit. Vitellius vero octavo imperii sui mense a Vespasiani ducibus occisus in Tiberim projicitur. historia horum Imperatorum est plena tenebrarum, ut inquit doctissimus & piissimus Arnaldus Pontacui Episcopus Bazatensis in Annotationibus suis in Eusebii Chronicon, ideo suadet non esse discedendum a mente Euseb. *Au.*

104. *Nimirum summi ducis est.*) Amara ironia scoptica. Parum conveniunt inter se hæc Othonis, qui veluti fortis ac summus civis curavit Galbam interficiendum, simul cum Vitellio de palatio & imperio Rom. dimicavit: idemque mollis se quotidie rasit, & pane lacte asinino madido faciem perpolivit. Sueton. Othon. 12. *cap.* Sed *non erat Othonis mollis & corpori similis animus*, inquit Tacitus. 1. *Hist.* F.

105. *Bebryaci in campo,*) pro Bebryaco, ad evitandum ἰσχνότητα. V. *Bebriaci in campo:* Oppidi inter Veronam & Cremonam. *F.*

105. *Bebriaci in campo.*) Hujus vici verum nomen ignoramus, quidam *Bedriacum*, alii *Bebriacum*, alii *Betriacum* scribunt, alii *Metriacum*, Turnebus *Betriacum*, Casaubonus *Betricum*, Lipsius *Bedriacum*, sed de vico *Bebriaco*, sive *Bedriaco*, dicam quod Livius de Futiis dicit. Furios, Fusios scripsere quidam, id admoneo, neque immutationem virorum ipsorum esse, quæ nominum est, Livius 1. *lib.* 13. Tacitus *lib.* 2. *hist.* *Ubi pulsum Cæcinnam Cremonam pergere accepit, ægre coercitam legionem, & pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. inter Veronam Cremonamque situs est vicus ille, duabus jam Romanis cladibus notus, infaustusque.* Au.

106. *Bebriaci.*) Priora de bello Othonis cum Sergio Galba intelligenda sunt, ubi vicit Otho; hæc jam de bello cum Vitellio, in quo Otho victus. *L.*

107. *Extendere.*) Dilatare. *ausbreiten, allerwegen hinstreichen. extendere digitis* in faciem, panem asinino lacte madidum, ut cutis candida, nitida & firma sit, vel faciem mangonio & lenocinio fucare, & polire. mirum quantas præstigias excogitarint hic interpretes: hæc autem Poetæ sententia, teste doctissimo illo Turnebo. *L.*

109. *Cleopatra.*) quæ, ut ait Horatius:

——Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus & imperio parabat.
Contaminato cum grege turpium
Morbo Virorum, quidlibet impotens
Sperare. V.

111.

111. *Fracta voce.*) Lasciva, enervata, effœminata, ut virgines quædam supine molles & delicatæ, quæ singularem elegantiam putant, si blæsa vel balbutiente voce loquantur. Heic est talis libertas voce fracta & effœminata, & viro indigna loquendi, & dicendi turpissima, qualis erat apud Archigallos Cybeles sacerdotes turpissimos. Ludi Romæ turpissimi fiebant Cybelæ, eo die, quo lavabatur in Almone fluvio: *ante cujus lecticam*, ut Augustinus scribit, *spurcissima quæque audiente multitudine utriusque sexus cantabantur, quæ vel obscœnissimo cuique pudorem incuterent.* M. A. & L.

113. *Magni gutturis.*) Insatiabilis ingluviei. Porro hi Galli sacerdotes erant voracissimi, qui ob solam voracitatem se evirabant, ut gulæ eo magis vacare possint. *L.* forte impuritatem oris obscœni tangit. *V.*

115. *Quid tamen exspectant.*) Carnem supervacuam, qua non utuntur, cum muliebria patiantur, cultris *abscindere* & violenter amputare. Alii legunt *abrumpere*, fiebat enim castratio illa cultello lapideo, ut & apud Judæos circumcisio. *L.*

120. *Cœna sedet.*) Cœnam pro convivis sedentibus accipe, vel cœna posita & parata est. Cum Lipsio distinguendum olim putavi, *Ingens cœna*, (scilicet paratur) *sed & gremio*, quod est: quin & gremio. sed lectio proba & genuina est: *Cœna sedet*, i. posita est, vel parata nuptialis scilicet. Sic Sat. I. dixit Auctor noster sibi peculiari modo loquendi:

— *Nunc sportula primo*
Limine parva sedet. L.

121. *O Proceres, censore opus est, an haruspice nobis?*) O optimates populi, qui onera Reip. sustinetis, & qui prospicere debetis, ne quid Respublica detrimenti capiat: opusne nobis est censore, qui adeo deploratos mores populi Romani corrigat & emendet; an haruspice, qui portenta hæc & prodigia scelerum expiet. Haruspicem adhibebant, quoties monstra aut portenta evenerant. *A. M.* & *L.*

125. *Arcano loro.*) Retinaculum enim & lorum e corio intrinsecus statuis oppositum erat, & latebat. *L.* Mart. *lib. 6.* de Hianthide, & Stella:

Dixit, & arcano percussit pectora loro,
Plaga juvat. Au.

126. *Ancilibus.*) Indignatur autem eum nubere, & in mulierem degenerare, qui & nobilissimus & Salius Martis esset Dei bellicosi, virilis, & generosi. *L.*

128. *Urtica.*) Libidinis, & obscœnitatis pruritus. Herbam vivacis, mordacis, & ardentis pruritus, ad libidinis molestiam & pruriginem transtulit. Sic inferius dicet Auctor:

Irritamentum Veneris languentis & acres
Divitis urtica. L.

130. *Nec terram cuspide pulsat.*) Alii legunt *nec tempora cuspide pulsat.* Nam in more militari est hastis scuta & galeam concutiendi in ira. *L.*

135. *Nec multos adhibet.*) Ad hæc sponsalia vel ad hasce nuptias, ut scilicet res secreta maneret, aperte enim non licebat per legem Scantiniam. *L.*

135. *Liceat.*) Noli anxie peccunctari, quis ille sit: Si vixeris, illa rescisces, nam haud dubie palam fient istæ nuptiæ, & in acta publica referentur. vel etiam q. d. quis ille sit, brevi sciero, modo vivam. Possunt & esse Poetæ indignantis, quasi dicat nihil esse quod paucos adhibuerit, & tales ἀνδρόγυνοι scelera sua cælare studeant: Fore enim, ut tam prodigiosa scelera, non solum palam fiant, sed in acta etiam referantur. Sic Satyra IX. dicit:

Quod tamen ad Galli cantum facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet. L.

138. *Partu retinere.*) Multæ enim mulieres a maritis domo ejiciebantur, quod essent steriles. *L.* liberi enim pignora & vincula conjugii:

Fœmina, cum senuit, retinet connubia partu,
Uxorisque decus matris reverentia pensat.
Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo, &c.

Claudian. in Eutropium 1. *F.* hinc apud Laert. Socrates Alcibiadi ajebat, se ideo Xanthippen tolerare, quia sibi filios gigneret, licet morosam. *M.*

139. *In corpora juris.*) *in corpore* legit *V.* & *A.*

140. *Condita pixide Lyde.*) Alii legunt *in corpore*, & male Politianus *Miscell. cap.* 46. ut anum intelligas illiusmodi medicamenta venditantem, crassam & densiorem. de Lyde capella, de unguentaria intelligo, inquit Turnebus, quæ medicamina promittebat curantia sterilitatem, qualia a Medicis referuntur. Lydiæ autem mulieres turgidæ erant. Papinius lib. I. Sylv.

Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes. Au.

condita in pixide lego in antiquo textu. *M.*

143. *Fuscina.*) Dente minax, ut Martialis ait. *L.*

147. *His licet ipsum Admoneas.*) Si crederet esse inferos is, cujus jussu tot millia trucidantur, non exhiberet gladiatores cum tanta carnificina, sed certe crederet, si saperet. *J.*

148. *Cujus tunc munere retia misit.*) Prætorem, qui munera gladiatoria exhibet, Munerarium. Alii intelligunt Neronem, alii Domitianum. *F.*

149. *Esse aliquos Maneis.*) Jam tecte quærit horum scelerum caussam, quam ait esse impietatem hominum, qui non credant impiis apud inferos pœnas esse præparatas, quasi dicat: Unde autem hæc scelerum prodigia, hæc crudelitas & sanguinis sitis in genere humano, nisi quod nemo infernales pœnas olim secuturas timeat, aut credat; nam esse aliquos Manes, aut ullos inferos, hodie ne pueri quidem credunt, nisi qui admodum in-

fantes ſint, aut puſilli, ut nondum dent balneaticum. At tu vera eſſe ſtatue, quæ tot viri egregii credidere, qui ſpe alterius vitæ pro aris & focis pugnantes per virtutem interierunt. *L.*

149. *Eſſe aliquos maneis.*) Sic Propertius:

Sunt aliquid manes, letbum non omnia finit. L.

152. *Nec pueri credunt.*) niſi ſint pueri admodum, qui ut multas fabulas aniles nutricum ſuarum, ita etiam hoc forte credunt. i. Omnium animis inferorum metus ſublatus eſt, etiam puerorum, niſi admodum infantes ſint. *L.*

153. *Curius quid ſentit.*) Non *quod.* Hic enim ſenſus eſt: Quid ſanctorum virorum animæ ſentiunt apud inferos, cum tantis ſceleribus polluta anima ad illos venit, tale monſtrum. Nimirum illæ, tanquam ejus ſceleris contagio vel conſpectu pollutæ purgari rurſus cuperent, & mundari, ſi poſſent. Polluti autem purgabantur ſulphure, aqua, igni. *L.*

155. *Cannis conſumta juventus.*) Multitudo juvenum Romanorum ad Cannas in Apulia ab Annibale occiſa. De hac quarta Hannibalis omnium maxima victoria vide Livium. Ubi 40000. Romanorum, duo integri exercitus cæſi ad hoſtis ſatietatem, donec Annibal exclamaret: O miles, parce ferro. *L.*

156. *Tot bellorum animæ.*) Virorum ſanctiſſimorum & integerrimorum, qui tot bellis pro patria pugnantes interempti ad campum Elyſium a corporibus exutæ migrarunt. Hieronymus alicubi ſimili fere argumento probat, ea, quæ de pœnis inferni, & ſalute æterna a Sanctis dicta ſunt, non eſſe ſtivola, nec ad terrorem tantummodo dicta: quia ſi ſenſiſſent ſe per delicias vitam æternam poſſe ingredi, nunquam tam aſpere & tam caſte vixiſſent, nec pro fidei veritate mori voluiſſent. nota ſunt, quæ Epicuri de grege porci harum rerum credant. *A.*

157. *Cuperent luſtrari.*) Pœnarum octo genera inventa corpori fuiſſe ſcribunt: *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, ſervitutem, mortem:* In ſacris vero tres, quas purgationes ſeu purgatorias appellabant, quas ſolas poſt vitam eſſe credidit vetuſtas, nimirum purgationem ſeu luſtrationem factam vel ab *igne*, vel *aqua*, vel *aere.* Virgil.

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

His enim elementis terra ſuperioribus putabant expiari pœnas, mundarique, ſi quid e terrena contagione eſſet contractum. *V.*

157. *Si qua darentur.*) Apud inferos, ubi talia forte non ſunt. *L.*

159. *Illuc heu miſeri traducimur.*) Arguit jam obiter Romanorum imperandi cupiditatem, oſtendens nihil prodeſſe multis imperare, cum omnibus moriendum, & ad inferos eundum ſit. *L.*

159. *Arma quidem ultra.*) Sine interrogatione ex libro manuſcripto legit Turnebus. Imperii cupiditatem damnat, innuens omnibus moriendum eſſe. Vel potius notat Romanos alias nationes armis viciſſe, ſed ipſos vitiis propriis & a ſemetipſis vinci. *L.*

161. *Sed quæ nunc fiunt.*) illi, quos nos vicimus & noſtris armis ſubegimus, non faciunt illa ſcelerum portenta, oſtenta, monſtra, prodigia, quæ nunc fiunt in urbe populi victoris Romani. Sic de Alexandro Seneca: *Armis vicit, vitiis victus eſt.* L.

164. *Zalates.*) Nomen obſidis proprium, dicuntur autem obſides teſte Feſto, quaſi obſides, qui dantur ob fidem patriæ præſtandam, cujuſmodi multos fuiſſe, ab Armeniis Clodio & Corbluoni datos, teſtis eſt Tacitus. Porro obſides in ſummo honore cuſtodiebantur, nec unquam ligabantur. *L.*

164. *Cunctis Ephebis mollior.*) Illam enim ætatem in deliciis habeant ſcarabæi illi. *L.*

166. *Adſpice quid faciant.*) Certe converſationes malæ etiam integerrimos corrumpunt: & veriſſimum illud Menandri a D. Paulo citatum:

Φθείρουσιν ἤθη χρηστ᾽ ὁμιλίαι κακαί.

Perdit bonos mores malum commercium. L.

167. *Nam ſi mora longior urbem.*) ſi pueri illi exterorum diutius aliquantulum in urbe commorati fuerint, & non alio ad parentes remittuntur, ſtatim aderit amator, vel concubitor maſculorum, qui illos corrumpat. *L.* Si diutius heic morentur, omittent & exuent cum patriis armis, cultellis, frænis & flagellis, quibus uſi fuerant domi in ſtudiis venationum, & exercendorum equorum, & veſtitu, braccis, (quæ Phrygibus, Lydis, Perſis, in uſu non ſecus ac Gallis, vide quæ Joſ. Scal. ad Propert. *lib.* 4. & quæ Caſaub. ad Suetonii *Auguſt.*) mores etiam patrios ſimplices & honeſtos, atque una cum Romano cultu mores effœminatos (qui prætextam parum decent) domum referent. F.

170. *Sic prætextatos referunt Artaxata mores.*) Mores, quos filii Senatorum intra urbem præ ſe ferunt, obſides redeuntes ad ſuos reportant. *Ax.*

Ad Satyram III.

DOnare Sibyllæ. verf. 4) Sibyllæ enim facellum Cumis erat, teste Virgilio & Solino, unde & ipsa Cumæa dicta. *M.* Sibyllæ fuere numero decem a consiliis Deorum annunciandis hoc nomen sortitæ. σιὸς, βουλὴ enim Dei consilium significat. σιὸς, i. Διὸς Æolice. *V.*

5. *Suburæ.*) Per *r* unicum scribe & lege. Erat vicus Romæ sub muro terreo longe celeberrimus. Ita dicta, quod fuerit sub antiqua urbe, ut Junio placet, vel sub muro terreo, ut Varroni. Opponit hæc: *Subura* enim frequentissima erat; *Prochyta* deserta. *M.* & *A.*

8. *Mille pericula.*) Idem Cicer. conquestus. *lib. 6. Epist. Equidem nos quod Romæ sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in omnibus malis acerbius est videre, quam audire. Sed etiam, quod omnibus casibus subitorum periculorum, magis objecti sumus, quam si abessemus.* L.

11. *Veteres arcus.*) Lateritios ab Romulo constructos intellige, vel arcus Horatiorum Tergeminorum, qui ad portam Capenam. *V.*

13. *Nunc sacri fontis nemus.*) Hujus meminit Livius *lib. 1. Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua. Quo quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum Deæ, inferebat, Camœnis eum lucum sacravit, quod earum sibi consilia cum conjuge sua Egeria essent.* Plutarchus scribit fontem istum sacris Vestalibus virginibus constitutum. Delubra Camœnarum ibi a Numa exædificata. Interest inter templum & delubrum, quod templa singulorum Deorum, ut Jovis, Martis, Apollinis. Delubra vero sunt multarum ædium sub uno tecto. Arguit autem Romanorum avaritiam, qui loca Musis consecrata & religiosa Judæis locabant. q. d. Hoc tempore religiosa illa sylva, in qua sacer fons erat, & delubra vel templa ibi constructa, Judæis locantur, quorum post excidium urbis Hierusalem tota utensilium collectio & supellex erat cophinus, in quo victum & cibum gerebant, & fœnum ad jumenti alimentum.

14. *Judæis.*) vel Christianis, qui edicto Domitiani urbe pulsi sylvas illas inhabitare cogebantur.

15. *Omnis enim populo.* &c.) Romanorum avaritia qui etiam a mendicis Judæis tributum exigebant, & quidem cum in silvis agerent, taxatur. *L.*

14. *Cophinus.*) Vas ex virgultis, corbem alii interpretantur, ut Priscianus, & Columella *lib. 2. cap. 3. confecta bruma stercoratam terra inditam Cophinis obseras.* Judæi adeo pauperes sunt, ut nihil habeant præter cophinum. *Au.*

16. *Et ejectis mendicat sylva Camœnis.*) Ejectis Camœnis, quibus sacrum erat nemus: Nam templa Camœnarum locantur Judæis. *Au.*

17. *Speluncas.*) Antra Dearum intellige, vel locum illum, ubi fontes erant. Descendimus in speluncas Nymphæ Egeriæ, & Camœnis sacras, quæ jam non naturales amplius sunt, ut ante, sed arte factæ, & ita corruptæ. *L.*

19. *Dissimileis veris.*) Longe distantes ab illis naturalibus & priscis, a natura excavatis. Quas posteri expolire arte volentes profanarunt. Indignatur Auctor, quod naturales illas speluncas artificioso ornatu profanaverint, dictitans, illas speluncas Diis gratiores fuisse futuras, si nullo artificio adhibito naturales mansissent. *A.* & *L.*

19. *Viridi si margine clauderet undas, Herba.*) Si artificio naturalis fons & spelunca polluta & profanata non esset, & si herba istic naleceus circumdaret & circumsepiret aquas fontales, virenti & herbosa extremitate. *L.* rum enim credebatur Numen Fonti adesse. *Au.*

23. *Here.*) Pro heri, Martialis *lib. 4.*

Here qui puer, Hyla, fuisti,
Dic nobis, hodie qua ratione vir es? V.

30. *Nigrum.*) Vitia, falsa, mala intellige. Roma enim veteres albo, vel candido lapillo, mala nigro notabant. Persius:

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

Et idem:

—Per me equidem sint omnia protinus alba.

Et Horatius de malo:

Hic niger est, hunc tu Romane caveto. V.

33. *Et præbere caput domina venale sub hasta.*) Varie a Variis explicantur hæc. Aut quia tam avidi lucri sunt, ut se venales exhibeant: Sic Plautus Mostellaria: *Ubi isti, qui trium nummorum causa subeunt sub hasta*: (Plaut. in *Gurg. In Tusco vico. ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.* Au.) Aut quia solvendo non sunt, se etiam vendi sub hasta in auctione pati possunt. Sic Turnebus. Aut denique, quibus facile est præbere caput servorum venale sub hasta, vel qui publicis venditionibus præsunt, qui facile præfecturam publicæ venditionis possunt acquirere, & caput servi venalis sub hasta domina præbere, venum expositum. Quod ultimum magis probatur, nam superius de hujusmodi officiis locutus est, *L.*

34. *Quondam hi.*) Indignatur, quod Artorius & Catulus, olim vilissimi tibicines & cornicines, non in urbibus, sed in vilibus extra Romam municipiis, jam adeo

divites facti sunt, ut in theatro jam munera gladiatoria edant. Opponitur hoc loco *Cornicinem theatri* in municipio fuisse, & Romæ in theatro munus gladiatorum edere. *L*

34. *Quondam hi cornicines.*) In antiquo textu glossa superscribitur: *sc. Arcturius & Catulus*, nec alii sunt intelligendi. *M.*

34. *Municipalis harenæ.*) Nam in municipiis vel oppidis, ut Fundani, Formiani, Cumani, Tusculani etiam theatra erant. *L.*

36. *Munera nunc edunt.*) Ipsi ad opes provecti & præfecti nunc edunt gladiatoria. Neque enim citra census adeoque personæ rationem datum est jus edendi publice munera. Exstat apud Tacitum 4. *Annal.* S.C. quo cautum, ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res esset. *L.* & *F.*

36. *Verso pollice.*) Poeta Vetus ἀνώνυμος·

Sperat & in sæva victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.

Alii legunt: *vulgus Quum libet occidunt populariter.* i. ab his populus occiditur, quos ante populus jubebat & imperabat occidi. *L.*

37. *Occidunt.*) Mortis illorum causa sunt, dum munera gladiatoria edunt. Martialis *lib.* III.

Innocuos permitte sales, cur ludere nobis
Non liceat, licuit dum jugulare tibi. M.

38. *Conducunt foricas.*) vectigal stercorium. Forire enim est foras ejicere, & exonerare ventrem. Alii tabernas dicunt foro vicinas, alii vectigal vinarium, quod ex Africa in urbem vehebatur. Alii domos publico sumptu ad locandum ædificatas, quarum conductores lucra capiebant. Ego latrinas a servis impuris exhauriendas intelligo, pro quibus ingens merces ipsis reponebatur, cum publicis spectaculis immensas opes attrivissent. *L.*

44. *Ranarum viscera nunquam inspexi.*) Alludit ad suum Haruspicis officium, qui exta & viscera inspiciebant. *L.*

48. *Mancus.*) Tanquam membrum emortuæ dextræ, quæ nulli est usui. Neque ego adeo idoneus & habilis officiis adulatoriis scelestis. Desf. Heraldus *comitem* hic intelligit, qui alterius latus tegens quasi dextra cassus est, cujus ministerio caret. *F.*

41. *Quis nunc diligitur.*) Nemo hodie Romæ diligi ur, nisi qui conscius est scelerati alicujus facinoris, vel qui novit maximum aliquod scelus domini vel amici sui, a quo magno honore & amore colitur, ne se prodat. Hinc Martialis:

Vis fieri dives Bithynice, conscius esto. L.

54. *Tanti tibi non sit opaci.*) Nullæ divitiæ tanti tibi sint, quamvis amplissimæ, ut propter illas scelus amici occultum velis perscrutari, somno carere, tristis esse, & abjicienda & detestanda præmia ab amico tuo magno poscere, & ab illo timeri semper cupias. Sic Horatius:

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam,
Commissumque teges vel vino tortus, & ira. L.

Tu vero sapiens nulla lucri spe scrutare alterius arcana, quorum & tu conscius æstues, timeasque, ne e medio tollaris ab illo, qui te conscium timet, optime Lysimacho Philippides, μὴ τῶν ἀπορρήτων. Plutarchus *de garrulitate.* F.

57. *Tristis.*) Dum metueris & metuis. Patroni enim tales sæpe curabant e medio tolli, & illis insidiabantur. *L.*

60. *Quirites Græcam urbem.*) Iterum ludit diversis, & contrariis. *L.* Soli assentatores & nebulones sunt in precio: cujusmodi sunt Græculi, & Barbari quidam. *J.*

63. *Chordas obliquas.*) Rusticas, quas tibicines in oblongum tangunt, vel quod chordæ obliquæ fuerint in instrumento obliquo. Porro Syri nobiles in musicis fuere, ut Syrinx vel Syrisso ab illis derivatum sit. *V.*

64. *Gentilia tympana.*) Gentis suæ propria. hinc enim Ambubajæ dicta a voce Syriaca אבוביא. *F.*

68. *Trechedinna.*) Sic legitur in antiquis codicibus. M. lege *Trechedipna.* Vestes, quibus ad salutandum cursitet, hinc cœnam vel sportulam promeriturus. Poeta de Græcis loquuturus, Græca affectat verba, a τρέχω, curro, & δεῖπνον, cœna. Clearchum Sophistam Athenæus lib. I. cap. 4. vocat τρεχέδειπνον, quod huc illuc cursitaret lautiores cœnas captaturus. Turneb. 3. 17 Endromidem simpliciter exponit. Jan. Rutgersius opinatur dici vestes, quas *livreas* appellant Galli & Itali. *F.*

71. *Esquilias.*) Esquilinus mons, ubi jam templum Mariæ majoris, & Viti. *L.*

76. *Geometres.*) Nisi Synæresi aliqua priores duas syllabas pro una scandas, ratio quantitatis non constat, & legendum fuerit Geometra. producitur enim e, quod in Græco ω longum in antiquis Codd. legitur *geometer.* V. & M.

79. *Ad summam.*) denique ne longius evager. Sic Horat. lib. I. Ep. in fine. *Ad summam sapiens.* Quam significationem cur non viderit, vel videre voluerit, perspicax ille Lynceus, sane demiror. Sic Virgilius, *Hæc summa est.* L.

92. *Hæc eadem.*) i. Nos Romani possumus eadem facere & laudare, sed non eodem eventu. Nam illis creditur, non nobis. *Duo cum faciunt idem, non est idem.* L

92. *Sed illis*) Græcis. *A quibusdam rogatus, ut cantaret super cœnam: Solos scire audire Græcos, solosque se & suis studiis dignos, respondit* Nero apud Suetonium cap. 22. *F.*

93. *An melior.*) Laudat illos jam ironice ob histrionicam, quod non solum egregii adulatores sint, sed histriones quoque. An melior histrio unquam invenitur, quam Græculus est, cum in fabula personam meretricis Thaidis sustinet; vel cum in comœdia honestam matronam agit, & repræsentat, vel cum imitatur Dorida Nympham nudam & marinam nullo palliolo cultam & vestitam, sed Nympharum more nudam. *A. M.* & *L.*

100. *Natio Comœda.*) Græci naturali quadam inclinatione ad histrionicam apti sunt, adeo ut universa ipsorum natio sit histrionica. Damnat autem his illorum adulationes, in quibus histrionica & mimica multum valet. *L.*

100. *Rides majore.*) ad illud Terentianum: *Negat quis, nego; ait, ajo. Majore,* Vere dicit Poeta, nam adulatores omnia solent adaugere, quod & ipse Terentius expressit, cum ait Thraso: *Magnas vero gratias agere mihi?* Resp. Gnatho: *Ingentes.* L. ἐγέλας, ἐγὼ δ' ἐξέθανον γέλωτι. Plutarch. *de discrimine.* vide & Theophrasti characterem περὶ κολακείας. F.

103. *Si dixeris, æstuo, sudat.*) Semper enim auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Cic. in *Læl.* M.

106. *Laudare paratus* &c.) nempe divites illi luxuriosi solebant per intemperantiam inter epulas ructare, mejere, crepitum ventris emittere. docet hoc nos Mart. *lib.* III. ubi *exoletus suggerit ructanti Domino pinnas, & delicatæ urinæ suscitator ebrium penem regit Domini bibentis*: alibi vero *lib.* X.

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere Crispe soles. M.

108. *Si trulla inverso.*) Missis interpretum insomniis hæc ita intellige, si trullam vini ebibit, ita ut fundum inverterit, & epoto toto vino labris sugens, crepuerit, & strepitum dederit. Quod fit, cum quis in fundo spumam reliquam haurire cupit, tunc talis strepitus excitatur. *L. vel* si in Cottabi lusu, reliquum vini in pavimentum ejectum (quod fit inverso poculo) clarum ediderit sonum, quod felix amoris augurium est, *sed alii alias, ut fit.* sive mingat, sive pedat. *F.*

111. *Ante pudicus.*) antequam vel priusquam hæc pestis e Græcia in domum penetrasset. *L.*

113. *Atque inde timeri.*) Primum enim non cessant, donec secreta norint. Ubi norint, ibi si a divitibus exigantur, aut non adeo laute excipiantur, ut prius, minantur se ea revelaturos, inde illi a divitibus timentur. *L.* Ad illud Ital. *servo d'altrui si fa, chi dice il suo secreto, a chi no'l sa.* F.

114 *Transi Gymnasia.*) Notanda locutio. i. Migra ad Gymnasia literaria indocta plebe relicta. *L.*

116. *Stoicus occidit.*) Attende invidiosam & atrocem accusationem, Stoicus delator delatione occidit Bareαm Soranum amicum suum, quin etiam ille senex præceptor discipulum suum prodidit, cui paternam pietatem debebat. Idque fecit Græcus, qui educatus est in ripa urbis Tarsi Ciliciæ clarissimæ, ubi Pegasus alatus vel pennatus equus lapsus ταρσὸν vel plantam fregit. Stoicus a professione. Nam *Pub. Egnatius auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat habitu, & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitii,* ut est apud Tacitum. Dicit, non auctor necis fuit, sed occidit, & discipulum quidem, cui tanquam senex præceptor paternam pietatem debebat. *L.* Tacitus *Histor. lib.* 4. *Celer professus sapientiam, dein testis in Baream proditor corruptorque amicitiæ, cujus se magistrum ferebat.* Quidam de Heliodoro hunc versum exponunt, quia dubitatur an Egnatius fuerit Græcus. nam Juvenalis hunc, de quo loquitur, Græcum fuisse innuit. Lipsius tamen in Tacitum, poetam de Egnatio loqui autumat. *An.*

117. *Re ipsa nutritus in illa.*) A casu Pegasi Tarso nomen inditum, quod innuit hoc loco Juvenalis, innuens Egnatium fuisse Tarsensem, non (ut somniant alii) Berytium. Est autem Tarsos civitas Ciliciæ Divi etiam Pauli patria, quam præterfluit amnis Cidnus: cujus urbis conditor est Perseus. Anthol. lib. 1. Epigr. 2.

Περσέα σοὶ χτίστην Ταρσὲ Κιλίσσα πόλι. L.

120. *Protogenes.* &c.) Adulatores Græci ex artificibus, *uti Protogenes ille Pictor*; & catamitis, *hoc enim vult Diphilus, Jovi charus; vel Imperatori dilectus,* & delatoribus, *quod significat Erimantus litium vates.* De Protogene delatorum sævissimo sub Caligula: Dio Cassius l. 59. ἦν δέ τις Πρωτογένης, &c. F.

122. *Facilem stillavit.*) Mirum enim, quam nobiles illi, & divites sint πολύφιλοι, & quam novitatis cupidi & avidi. *L.*

126. *Quod porro officium.*) Porro, ut verum dicam, quodnam officium nos miseri clientes, Romæ habemus & quodnam meritum, quam mercedem inde habemus? *L.* Pauperis obsequium inutile in divites, cum ipse magistratus officiis præveniat & salutationibus, maxime autem erga vetulas orbas & senes. *J.*

130. *Collega.*) Ejusdem sportulæ competitor ad idem munus missus. Porro qui inter salutantes primi fuerant, habebantur magis intimi. *L.*

132. *Alter enim.*) Est hic locus hactenus nulli (quod sciam) recte intellectus, cujus hæc sententia est: Vexat divites obiter, quorum alter est luxuriosissimus, qui tamen sportulam emendicet, qui immensam pecuniam in scorta conferat, quantum tribunorum salarium sit, pro una atque altera veneris consuetudine. Alter autem frugi sit, quem ironice laudat, qui cum vesti-

ſtita & togata meretrice contentus ſit; nolit nobili meretrici in publico obſequium præſtare. *L.*

136. *Sella.*) qua vehitur, inquiunt interpretes. Sed & ſellis in fornicum limine inſidebant meretrices: unde *ſellariæ* dictæ. Proſedæ ſervilicolæ, ſordidæ. quæ tibi olent ſtabulum ſtatum, ſellam, & ſeſſibulum merum, ut ait Plaut. *in Pœn.* Neque male legitur *cella.* F.

138. *Numa.*) Teſtis tam ſanctus, quam fuit Numa ſecundus Rex Romanorum, qui cum Curibus Sabinis habitaret, conſultiſſimus vir omnis divini atque humani juris, audito nomine ejus, Patres Romani ad unum omnes ei regnum deferendum decreverunt: Regno ita potitus urbem jure, legibuſque, ac moribus ornavit. Livius *lib.* I. *An.*

138. *Qui ſervavit.*) Lucius Metellus, Pont. Max. Ovidius *lib.* VI. *Faſt.*

Haurit aquas, tollenſque manus, ignoſcite, dixit:
Sacra vir intrabo non adeunda viro.
Si ſcelus eſt, in me commiſſi pœna redundet
Sit capitis damno Roma ſoluta mei.
Dixit, & irrupit, factum Dea rapta probavit,
Pontificiſque ſui munere tuta fuit. M.

139. *Trepidam Minervam.*) Jac. Nicol. Loenſis *lib.* 9. *c.* 2. *Miſcell. Epiphyl.* legit *ſervavit tepidam flagranti.* Sed *trepidam* σιωπεργκώτερον quiddam ſapit. *F.*

140. *Protinus ad cenſum.*) Hæc intellige de examine teſtium, deque interrogatoriis. Eſt autem res ſtolidiſſima, hoc etiam noſtro tempore uſitata, ut e teſte quæratur, quam dives ſit. Quaſi vero non pauperes animi longe ſæpe ſint & conſcientiæ ſanctioris. Si quis teſtis adhibeatur, niſi dives ſit, non admittitur, & quam dives ſit omnes quærunt, nemo quam bonus. *L.*

140. *De moribus.*) Contra quam Cic. 2. Off. præcipit: *Sit omne judicium, non quam locuples, ſed qualis quiſque ſit.* M.

142. *Paropſide.*) i. Quam magno ſumtu & apparatu, quam magno vaſe utatur eſcario. Pro obſoniorum lance, & vaſe heic ponitur, in quo obſonia reconduntur. In aliis libris *parapſide* legitur. Utrumque bene. Nam & Heſychius *parapſidem* dici obſervavit. Quod ideo dico, ut intermortuum vocabulum in libris repullulet. *L.*

143. *Quantum quiſque. &c.*) Sic Horat.

Quia tanti, quantum habeas, ſis:

Sic Saluſtius: *Jam ante expertus ſum, parum fidei miſeris eſſe.* M. Et Lucilius:

Aurum, atque ambitio ſpecimen virtutis utrique eſt,
Tantum habeas, tantum ipſe fies tantique habearis. L.

144. *Samothracum.*) id eſt, per θεοὺς δυνατοὺς, vel Divipotes, qui in Samothrace, ἢ μεγάλους. Illorum Dii iidem ſunt qui Romanorum. Maximum vero jusjurandum habebatur, per Jovem, Junonem, Palladem & Penates, qui ex Samothracia Romam advecti. *L.* Varro *lib.* II. *Humananarum* apud Macrob. *Sat. lib.* III. (quem vide) Dardanum Deos Penates Samothrace in Phrygiam: Æneam ex Phrygia in Italiam advexiſſe tradit. *M.* Adde Orphei *Hymn. Curetis* ſacrum. V.

152. *Nil habet.*) Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα· καὶ γὰρ ἂν φύσει σπουδαῖός τις, πένης δὲ, καταγελῶς ἔσῃ. Crates comicus apud Stobæum Tit. Πενίας ψόγος. L.

154. *De pulvino ſurgat.*) Triſtiſſimum eſt in publico irrideri, & a ſede occupata explodi. Gradus in Theatris erant e lapide: quod vel ex ſcito illo Ariſtippi Apophthegmate notum eſt: qui interroganti: Cui bono eruditio. *Huic ſaltem* reſpondit, *ne in theatro lapis ſedeas ſupra lapidem.* Sæpe etiam ex ligno erant. Unde repertum, ut pulvilli inſternerentur, idque primum ſenatoribus, ne nudis lapidibus vel aſſeribus inſiderent. Poſtea etiam equiti conceſſum, ut hic videre eſt. Quin & pileos Theſſalicos latioris marginis, ne inſolatione torquerentur, Theatris inferre conceſſum erat. Conſervandis autem gradibus certi præfecti erant, ut illo tempore Lectius quidam & Oceanus. *L.* Vide Luc. *Euang. cap.* XIV. *A.*

154. *Equeſtri.*) Senec. *lib.* VII. *de Benef. Equeſtria omnium Equitum Romanorum ſunt.* Popularia vero erant, ubi Populus in theatris ſedebat. Sueton. *Domit. Et quia pars major intra popularia deciderat.* M.

156. *Lenonum pueri.*) Tales enim ſæpe pro nobiliſſimis ſupponebantur, ut Sat. VI. dicetur. vel alias tales ſolent ex peculiari quadam fortuna ditiſſimi evadere. *L.*

156. *Fornice.*) Proſtibulo, lupanari, quod ſub fornicibus habitare conſueviſſent meretrices. Seneca *lib.* I. *Controverſ. Redoles adhuc fuliginem fornicis.*

160. *Quis gener.*) Recenſet alia pauperum incommoda, quod virgines omni virtute contempta nulli pauperi nubere, vel quod pauperi cuidam nullus filiam ſuam elocare velit. Nam divitias tantum ſpectant, cum filiæ ſponſus eligendus eſt. *L.* Rectius Themiſtocles conſultus; utrum bono viro pauperi, an minus probato filiam ſuam collocaret: *Ego*, inquit, *malo virum ſine pecunia, quam pecuniam ſine viro.* M.

162. *Quando in conſilio eſt Aedilibus.*) Magiſtratus de re aliqua cognituri, aut conſultaturi ſibi advocabant, quos in conſilio haberent. *L.* Ovidius:

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores. M.

Gell. *lib.* XIV. *cap.* 7. *Is, qui non univerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe jubet non comitia, ſed conſilium*

lium, *edicere debet*. M.

168. *Fictilibus cœnare pudet.*) Notat multorum splendidam Romæ miseriam, qui cum essent miserrimi, tamen ambitiosi erant, & pauperes videri nolebant. Egregie Seneca: *Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui argento sic utitur, quemadmodum fictilibus.* M.

169. *Translatus subito.*) quibusdam non Curius intelligitur, sed *P. Corn. Scipio*. conveniet magis, si generaliter intelligatur. *F.*

170. *Veneto.*) cœrulei coloris. vid. Scalig. *Exerc.* 125. *sect.* 10.

171. *Pars magna.*) Laudat jam Umbritius vitam modestam, in oppidis, & ostendit longe facilius esse ibi vivere, ubi nulla sit ambitio. Extra Romam enim in Municipiis, non ille typhus in victu, & amictu, in vestibus, qui Romæ. *Et in quibus* (ut Martialis dicebat) *tunicata quies erat*, *quippe ubi* togulam vix inducere *solebant*. Idem Martialis *lib.* 1.

Vixisti vitam semper Line municipalem,
Qua nihil omnino dulcius esse potest.

Plinius ad amicum, qui rure agebat: *Quousque regnabis? quousque vigilabis, cum voles? dormies, quandiu voles? quousque calcei nusquam? toga feriata? liber totos dies.* L.

171. *In qua nemo togam sumit.*) Quam Romæ quotidie induebant, cum patronos salutarent, ut apud nos palliati salutamus, si togata opera nostra sit. *L.*

172. *Nisi mortuus.*) Ritus condendi funus talis erat. Cadaver mortui cubiculo efferebant, & in vestibulo ædium ad januam collocabant, & ita quidem ut corpus mortui foras spectaret, & facie pedibusque esset in publicum versus. Fortassis situ abitionem significantes. Dein ei in Græcia amictus, pallium erat, in Italia toga, quæ alba, &, quantum fieri poterat, honestissima, ut vulgo vulgaris toga, in magistratibus prætexta. *L.*

174. *Notum.*) Tritum, usitatum, singulis annis repetitum & recitatum. ob id ait: *Redit*. L.

174. *Tandem.*) Alii interpretantur post annum. mallem ego, tandem finitis severioribus ludis, & spectaculis. *L.*

175. *Cum personæ.*) Sic Astyanax apud Homerum armati patris Hectoris terribili specie visa inhorruit, & se in nutricis sinum convolvit. *V.*

175. *Pallentis.*) Fæce vel colore squalido illitæ. σώμα κιχρισὶ μίαμμα, ὡς κατατιθέμενος τοὺς θεατάς. Lucian. περὶ ὀρχήσεως.

177. *Similem orchestram & populum.*) Laudat simplicitatem in spectaculis municipalibus. *J.*

181. *Aliena arca.*) Mutuato alieno ære, unde sibi emant tam preciosas vestes, vel furto etiam ablato, elegantiorem habitum sibi, quam fas erat, comparant. vel etiam quod vestem alienam conducant. *L.*

182. *Ambitiosa paupertate.*) Elegantissime, si quisquam alius, antithetis utitur. Sic 1. Satyra dicebat *Luxuriæ sordes*. Et 2. *Socraticos Cinædos*. *L.*

185. *Ut te respiciat.*) Fabricius Vejento vir nobilissimus, quod multa probrosa in patres composuisset, tandem codicillis & libris suis famosis exustis, a Nerone Italia expulsus est. Cæterum adeo superbus erat, ut salutantes vix respicere, nedum alloqui dignaretur, quod hoc loco indicat. *V.* & *M.*

186. *Ille metit barbam.*) Hæc intellige de clientibus, qui, ut in gratia dominorum patronorum manerent, pueris a dominis in deliciis habitis, & catamitis omnis generis officiis palpabantur. *L.*

187. *Accipe & illud.*) Conqueritur, quod miseri clientes, tanquam tributarii, singulis annis divitum servis munera cogebantur offerre. *A.*

193. *Nos urbem colimus.*) Contra Romæ ædificia maxima ex parte vetusta sunt, & fulta, assidue ruinam minitantia. *L.*

195. *Et veteris rimæ.*) Divites Romani ruinosas domus locabant, qui, cum viderent ruinam imminere, rusticum vel villicum ex agro advocabant, ut trabem ferret, fulciret, reficeret. *L.*

204. *Ornamentum abaci.*) Abacus mensæ genus est ex opere intestino, in quo vasa omnis generis ponebant. Vel Abacus est tabula constructa, ut pocula & cætera vasa sustineat. Ironice loquitur Poeta. Supellectile legata Paulus *l.* 2. *de suppell. leg. D.* contineri ait Delphicas, hoc est Abaci Delphicæ ministerium marmoreas Delphicas fuisse Porphyrio scribit. Cicero *in Verrem*, mensas Delphicas e marmore esse dicit, Martialis:

Aurum non simplex Delphica portat.

Aggerius in Delphica, inquit, comparia vasa semper sunt. Vide plura apud Cujacium *lib.* 10. *Observ. cap.* 3. Abaci etiam Ausonius meminit:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto. Au.

205. *Et recubans sub eodem marmore Chiron.*) Vel statuam Chironis Centauri intellige, vel opus Chironis, ut vult Calderinus, de arte Chirurgica, sub abaco repositum. Quem abacum *marmoreum* Ironice & jculariter dicit. Fuit enim Codrus pauperrimus. *L.*

207. *Et divina Opici rodebant.*) Forte indicat hunc Codrum missa Poetica (nam Poetæ hujus statim in prima Satyra mentionem fecit, ubi eum *raucum* appellat) se ad medicinam contulisse paupertate coactum, jamque libros Græcos & Poetas & divina sua carmina Opicis muribus rodendos objecisse. *L.*

207. *Opici.*) Barbari, invidi obscœni, osci, qui non abstinebant a re tam divina. Irrisorie & Ironice, q. d. Barbari & doctis carminibus infesti. Erant autem

em Opici *ἀῤῥητοποιοὶ* nefandæ libidinis & ligurritores. Inde a lingendo *Opicos* mures dixit. Glossarius ab H. Stephano evulgatus legit *apici*. L. aut mures terrestres ab *ὀπὴ*, *caverna*, *foramen*, quæ muribus latebræ. *M.* vel ab *ὀπὴ vespertilio*, citante Crispino e Suida. *F.*

209. *Ultimus autem.*) Longe miserrimum fuit incendio suam paupertatem perdere, sed longe miserius fuit, quod rursus a nullo hominum sublevabatur. *L.*

210. *Et frustra.*) Veteres adverbia in *a* terminantia, etiam interdum corripuerunt. Ruffus Festus in aratro:

Ima vehunt cœli, luxit dum frustra frequenter.

Et Serenus:

Curaque nil prodest, nec ducitur ultra cicatrix.

Frusta in antiquis Codd. exstat: sed Probus legit *frustra*. V. & M. Melius tamen *frusta* legitur, pro frustis panis, & fragminibus. *L.*

212. *Si magna Asturii.*) Pauperi, si damna patiatur, nemo subvenit, diviti omnes. *Asturius*, ut alii, *Arcturus* vel *Arturus*, vel *Asturius* pro diviti & nobili. Acturii hujus supra vers. 29. meminit. *L.*

214. *Tunc gemimus casus urbis.*) quasi unius Arcturi calamitas ad totam urbem pertineret *L.*

215. *Ardet adhuc.*) Dum Arcturii domus adhuc ardet, statim præsto est aliquis, qui ei marmor ad novum ædificium exstruendum conferat, ad redædificandam splendidam & regalem domum. *L.*

218. *Phæcasianorum.*) Alii legunt *Hic Asianorum*, ut intelligamus præclaras statuas & imagines Deorum ex Asia Romam deportatorum. *L.*

221. *Persicus.*) Fabius Persicus, vide Satyr. 8. vers. 14. *vel* divitis fictitium nomen a Persis, *vel* quod hic Arturius Persa fuerit. *L.*

223. *Si potes avelli.* &c.) Est hic notanda oppositio,

Extra Romam { Optima domus / Emitur, / In totam vitam.

Romæ { Tenebrosa domus / Conducitur, / In unum annum

eodem precio.

223. *Circensibus.*) D. Hieron. *in vita Hilarionis Eremitæ: Sed & Italici ejusdem oppidi municeps Christianus adversus Gazensem, duumvirum, Marnæ idolo deditum, Circenses equos nutriebat, hoc siquidem in Romanis urbibus jam inde servabatur a Romulo, ut propter felicem Sabinarum raptum ab ipso quasi consiliorum Deo, quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis adversæ fregisse victoria sit.* Au.

223. *Avelli.*) Quasi per violentiam. Nam cives Romani illo tempore, teste hoc Juvenale, *duas tantum res anxii optabant, Panem & Circenses.* Usque adeo studio spectaculorum insaniebant. Sat. 6 de Hippia:

Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.

Et Satyr. 8.

Quæ saturant urbem circo, scenæque vacantem. L.

227. *Teneras Plantas.*) quæ irrigatione non indigent. *L.* *Tenues* legit *F.*

228. *Bidentis.*) Sarculi lignei, aut ferramentorum rusticorum. Quod autem de *ove* interpretantur, non placet; paulo enim post meminit Pythagoreorum qui ab omnibus animalibus abstinebant. *V.*

233. *Plurimus heic æger.*) Subiexit alia pauperum incommoda, quod ob perpetuum strepitum, diurnum & nocturnum in plateis & foro nemo dormire queat, quod ob id multi ægroti assidua insomnia vel vigilia pereant. *J.* & *L.*

234. *Meritoria.*) Proprie sunt ea, quæ mercede locantur, a merendo dicta. Ulpianus, *l.* 12. D. de Usufructu. Quod autem dicit meritoria ita accipe, quæ vulgo diversoria vel fullonica appellant. heic pro tabernis mercede conductis sumuntur, in quibus mechanici operantur. Tranquillus meritoria vehicula, & meritorium cœnaculum dixit. Cicero *in Antonium Phil.* 2. *Ingenui pueri cum meritoriis: & matres familias cum meretricibus versabantur.* Au.

235. *Magnis opibus.*) Divites facile dormire possunt, sed ubique misera pauperum est conditio, Si quis Romæ noctu dormire velit, magnas opes exponat necesse est, vel magnatum opum illum precium dare oportet, qui vult habitare in loco aliquo quieto, & habere tranquillum cubiculum, hoc vult; quod a magnis & potentibus dominis vicinis tabernis silentium magno precio constet. *A.* & *L.*

238. *Druso.*) Homini somnolento, qualis erat *Cl.* Drusus Cæsar, alii legunt *somnos ursis*: qui per dies bis septenos gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant. Plin. *l.* 8. *cap.* 36. F.

204. *Liburno.*) vehiculo, quo ditiores vehuntur. V. Seneca: *Quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit.* Au.

242. *Namque facit somnum.*) Clausa erat undique lectica, nisi quod fenestræ quædam in ea ad prospectum. Ex ipsæ velo sive linteo tegebantur, quod dimovere seu deducere licebat, pro voluntate vehentis. Aufidius Bassus de morte Ciceronis: *Cicero paullum remoto velo, postquam armatos vidit, ego vero consisto, ait, accede veterane, et, si hoc saltem potes recte facere, incide cervicem.* L.

243 *Ante tamen veniet.*) Ille studens, legens, scribens, dormiens citius eo, quo volet, perveniet, quam nos tenuiores, vel maxime festinantes. *I.*

244. *Obstat unda prior.*) *Unda* pro populo, ad modum undæ diffluens vel populi multitudo stantis ad officium. Nisi legendum potius *turba prior.* *I.*

245. *Assere duro.*) Pro amite lecticæ, lecticarios intellige, vel assere pro ligno eminente, quo lectica continetur

netur. Græcis, ut est in Glossario Henr. Steph. ἄκιδος. L.

246. *Metretam.*) Vas, quod amphoram capit seu 10. sextarios. Sextarius 6. congios. *M.*

251. *Corbulo.*) Ammiam. Marcel. *lib.* 15. *in Constantio: Ut quondam Domitius Corbulo dicitur cæsus in colluvione illa Neroniani seculi, provinciarum fidus defensor & cautus.* Au.

254. *Scinduntur tunicæ.*) Servorum tunicæ paulo ante consutæ scinduntur & dilacerantur tanto onere, vel ab aliis prementibus, vel stipantibus. *L.*

254. *Longa coruscat.*) Tremit, vacillat. Ita Seneca epist. 90. *Longo vehiculorum ordine pinus aut abies deferebatur vicis intrementibus.* F.

255. *Sarraco Vejente abies.*) Sarracum vehiculi genus fortissimum, quo quidem lapides & ligna vehebantur: abies seu pinus vulgo dicitur, est lignum maximum. Calderin. hic male legit *veniente* pro *Vejente.* Au.

261. *More animæ.*) Juvenalis non fuit Epicureus, quod vel ex præcedenti patet Satyra, & sequenti; nam paulo post dicit; oppressi animam in ripa sedere, &c. Sed hic sensus: Sicut animæ e corpore avolant, & non videntur, ita cadavera minutatim concisa obteruntur, vel ita corpus frustulatim contritum oculorum fere aciem effugit. *A.* & *L.*

261. *Patellas.*) Lances, paropsides, quibus sportulam volunt excipere, sed, qui adferre debebat, perit. i. Familia ejus, cujus cadaver contritum, nil sciens de morte conservi, secura adventum sportulæ exspectat, & patellas futuræ cœnæ lavat, & bucca vel oris spiritu ad ignem focum excitat. *L.*

262. *Sonat unctis strigilibus.*) Strigil inter alia lavantium ferreum instrumentum ad radendum corpus sudoremque tergendum. Soliti autem Veteres, priusquam comederent, lavari: quare venturo domino ad balneum necessaria parabantur. Alii dicunt *strigiles* velaria esse. unde Athletæ post laborem striguntur. Tranquillus: *Octavium etiam læsisse cutem nimio strigilis usu.* Et quia strigil primam corripit, legunt *strigilibus*, ut sit Proceleusmaticus. *L.*

281. *Quibusdam Somnum rixa facit.*) Adolescentes libidinosi & luxuriantes libentius dormiunt, si quem ceciderint secundum illud Proverbiorum Salomonis, *cap.* 4. *Et non capitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.* idem de Nerone & Othone referunt Sueton. Dio. Xiphilin. Tac. *Annal.* 13. F. & Au.

277. *Ut sint contentæ.*) ut e fenestris stercore tantum perfundaris, quod in pelvibus; quam alio graviore pondere feriaris. Alii *defundere* pro deorsum fundere *L.*

278. *Qui nullum.*) Lego *quia nullum*. id est quia ille nocte neminem percussit, dormire non potest, & ob id talem noctem calamitosam patitur, qualem Achilles habuit, cum mortem amici sui Patrocli lugeret ab Hectore occisi. Vide ultimum librum Iliad. Homeri. *L.*

267. *Nec habet, qui porrigat ore trientem.*) Apul. *Metamorph. lib.* 6. *Huic squalido seni nauli nomine de stipibus quas feres, alteram dabis sic tamen, ut ipse sua manu de tuo sumat ore.* M.

289. *Ubi tu pulsas.*) Secundum illud Terentii: *Ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi sumus.* Rixa autem est inter litigantes & æqualiter se defendentes. In rixa enim & pugna æqualiter inter se contendunt. *L.*

292. *Cujus aceto.*) Cujus vappam pauper & famelicus bibisti. Pauperi insultant, ubi cum miseris mendicis, vinum vilissimum & acetosum bibisti? Ita dicit ex lascivia ac petulanti malitia, cum quo tu vilissimam vappam bibisti, vel cum quo conchem, vel vilissimam fabam viridem comedisti? *L.*

296. *Proseucha.*) Locus ubi mendici stipem petunt, & victitant, a προσεύχεσθαι. *J.* Erant autem illo tempore Judæorum fana ita dicta, & loca, ubi mendici conveniebant. *Im welchem bettelhause verhelftu dich?* *L.* non absurdum esset, si *proseucham* acciperes pro domo, in qua Deo servitur, sed occulte. sicut Judæi tunc temporis *proseuchas*, seu secreta oratoria habebant, et utrorumque religio despectui Romanis erat. *A.*

297. *Dicere si tentes aliquid.*) Perinde est, sive aliquid loquare, sive taceas. nam sive hoc, sive illud facias, vapulare te oportet. *Si* hoc loco pro *sive* ponitur. Sic apud Ennium:

Hæc est illa dies, qua maxima gloria sese
Ostendit nobis, si vivimus, sive morimur. L.

302. *Nec tamen hoc tantum.* &c.) Furta, & latrocinia committi in media urbe, quibus tota fere scatet, indignatur. *J.*

309. *Qua fornace graves.*) in nulla non fornace graves catenæ conficiuntur, & tamen illa omnia nondum sufficiunt, i. in omnibus officinis ferrariis, vincula & catenæ, quibus constringantur latrones, fiunt, nec tamen catenæ illis constringendis satis sunt. *L.*

310. *Ut timeas ne.*) Ut merito timere possis, ne ferrum deficere incipiat, ad instrumenta rustica facienda & fabricanda. *L.*

324. *Convelle.*) Ægre quasi avelle, tanquam a loco gratissimo. *L.*

421. *Satyrarum adjutor.*) i. Ego velut audax, fortis & strenuus miles satyrarum adjutor ibi tibi præsto vero: nisi illas auxilii mei pudet. Sic Laertius scribit, non defuisse, qui Socratem juvisse Euripidem in scribendis tragœdiis existimaverint *M.*

321. *Caligatus.*) Vel, ut Turnebus, de milite intelligit, vel potius, qui a Aquinum in frigidiore loco Campaniæ, ob id addit gelidos agros, quia dixit: veniam ad frigidos vel frigidulos agros. *L.*

Ad Satyram IV.

ECce iterum Crispinus adest.) Principium abruptum & satyricum; orditur enim tanquam de re improvisa locuturus: Particula autem illa *Ecce* utimur in rebus mirabilibus & improvisis, teste Ascon. *in* 11. *Verr.* Virgil. 2. *Aeneidos*:

Ecce autem gemini a Tenedo, tranquilla per alta, &c. M.

1. *Et est.*) Alii libri legunt *adest.* (& se ita in antiquis codd. legisse testatur *M.*) id est, occurrit mihi scripturo Satyram ultro de illo nec quaerenti nec cogitanti, seque mihi Satyrice perstringendum offert. *L.*

2. *Monstrum.*) Apte hoc addit. Dixit enim *Ecce*, tanquam rem novam, & portentum monstraturus. *L.*

4. *Delicias viduae.*) Voluptatis gratia moechatur, non lucri, ut qui viduas sectantur avaras. *F.*

7. *Nemorum.*) Viridariorum & hortorum. Plin. *Ep.* 17. *l.* 2. Vide Lips. *ep.* 11. *centuriae Miscellan.*

8. *Nemo malus felix.*) Egregia sententia, cujus rationem reddit Seneca *lib. de providentia*, quia, *non miscentur contraria.* Atque adeo nemini bono male esse, nemini malo bene esse, ne hic quidem potest. Sed pauci hoc intelligunt. Et Persius inquit:

Haec miscere nefas. — L.

17. *Majora loquuntur.*) Gnathones scilicet, qui in gratiam Thrasonum suorum omnia amplificant, dicentes pro domini sui magnificentia singulas libras singulis HS. esse emtas. *L.*

24. *Patria papyro.*) Papyrus nascitur in palustribus Aegypti locis, ex quo navigia texunt, & e libro vela tegetesque, nec non & vestes, stragula, funes. Plinius *lib.* 9. Ostendit olim maximam Crispini fuisse inopiam, & conditionem fuisse vilissimam, nisi etiam fortasse Chartapolam. *L.* seu ἰχθυοπώλην J.

25. *Hoc precium squamae?*) Cum interrogatione. Tantumne piscis precium fuit? Admirabundus hoc dicit. *L.*

30. *Et modicae sumptam.*) Indicat ergo coenae Imperatoriae immensos sumptus; qui si modicam tantum & frugalem coenam sibi paret, illius ultima & extrema pars, tanquam margo mensae, illam coenam Crispini, 6. HS. aequaret. *L.*

31. *Scurra.*) irrisor, parasitus. *Scurra* a sequendo, quod & tenuioris fortunae homines, & caeteri alioquin, qui honoris gratia prosequerentur quempiam, non antecedere, sed sequi soliti. Festus. *Au.*

33. *Municipes.*) In eodem forte municipio, ex quo Crispinus natos. Vel venales in Italiae municipiis, nec digni pisces, qui ob vilitatem portentur Romam venales. *A.*

35. *Fracta de merce.*) Fracto vase vel corbe, in quo pisces venales. Inopiam & vilitatem ejus indicat, vel quod merx i. pisces fracti & putridi fuerint, vel quod aliorum pisces vendens aliquid de merce furtim abstulerit. Sic dicit Sat. 7. *Et qui dispensat frangit sibi*, i. furtim inde aliquid aufert. *L.* E fracto vase, *vel* aliena merce surreptos. *F.*

34. *Incipe Calliope.*) Satyrici vana & ridicula scripturi, facete Musas invocant, ut rem, quam scripturi sunt, eo magis deridendam proponant, vel, quasi ad rem adeo magnam, ad piscis magnitudinem exprimendam divino Musarum auxilio opus sit. Faciunt autem hoc per irrisionem. *V.* & *L.*

34. *Incipe Calliope.*) i. Ego hic cursum Satyricae venae sustinere cogor, nec amplius aliquid dicere possum. Tu ergo Musa, quia sequuntur res magnae & mirabiles memorabilesque, Incipe. *L.*

34. *Licet hic considere.*) Mallem ergo heic legere *consistere.* i. in his ab Imperatore tam praeclare gestis immorari, vel necesse est, ut heic aliquandiu subsistam. *L.* Neque enim opus est levi Musarum instinctu, tanquam in transitu aut fabula; sed mora & cura. *F.*

34. *Non est cantandum.*) tanquam in jocularibus & fabulosis. *L.*

34. *Considere.*) quasi, *zusammen nidersitzen*, quasi solus sine Musa rem tantam nequeat. Virgilius:

Vultis & his mecum pariter considere regnis.

35. *Res vera agitur.*) Non fabulosa aut jocularis. *L.*

36. *Prosit mihi vos dixisse puellas.*) mihi vel ob hoc sitis propitiae, quod vos dixerim *puellas*, quae tamen non potestis non esse vetulae, ab antiquissimis poetarum usque invocatae. *L.*

40. *Quum Dorica sustinet Ancon.*) Graeca civitas. sic vetus Poeta apud Sosipatrum Charisium *lib.* 4.

Vidi te Ulysses saxo sternentem Hectora
Vidi tegentem clypeo classem Doricam, id est, Graecam, & Ausonius:

Nam gloriosum Graeculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus. Au.

46. *Pontifici summo.*) Domitiano, qui quasi Pontifex maximus erat sacerdotum, quos instituerat Albae. vide *Sat.* 11. *vs.* 112. *F.*

47. *Cum plena & littora multo Delatore forent.*) Hoc loco, &, habet Emphasin. Non solum Romae etiam exiguus omnis angulus occulto accusatore & proditore plenus est, verum etiam littora. Alii legunt: *Ea littora.* L.

48 *Dispersi protinus.*) i. inquisitores maris & littoris

ris (*die Strand Vögte*) illi statim actionem & accusationem contra piscatorem nudum & miserum instituerent. *L.*

56. *Ne pereat.*) Fisco scilicet. Nam alias piscatori ab inquisitoribus ablatus fuisset. vel sic potius intellige hæc: Miser ille piscator maximopere properabat piscem Imperatori offerre: quod opus non fuisse tanta festinatione, quia tempore brumæ, vel sub finem Autumni, pisces non tam cito mortuus esset, aut corruptus computruisset. *L.*

57. *Sperantibus.*) Timentibus. laborat tamen Ptol. Flavius c. 17. *Conject.* tueri genuinam & propriam verbi significationem, ut cupiant ægri febres suas in quartanas mutari, quæ, ut Cellus scribit, neminem jugulant. Verum non persuadet. *F.*

65. *Accipe Privatis majora focis.*) Insignem piscem rhombum, adeo magnum, ut a privato quodam in foco coqui, & in cibum apponi non debeat, sed dignus sit mensa imperatoria. Explicat illud supra dictum:

— Quis enim proponere talem
Aut emere auderet? — *L.*

69. *Quid apertius? & tamen isti Surgebant cristæ?*) Duplici modo hæc explicari possunt. Vel verba illa: *Quid apertius?* Piscatoris sunt adhuc adulantis, tanquam dicat: Quid manifestius esse potest, quam hunc piscem capi voluisse, ut a te comederetur. Et sic sequentia verba sunt Poetæ hanc adulationem refutantis, & dicentis: Et tamen illi rhombo cristæ vel pinnæ in tergo insurgebant præ indignatione, quod captus esset, in judicium, quod capi noluerit, & a tanto tyranno & monstro absumi. (ita etiam sumit *A.*) Verum sequens explicatio concinnior, ut sint Poetæ verba utrobique dicentis; Hac piscatoris turpi adulatione nihil potuisse esse apertius & manifestius, & tamen illi Domitiano ex hac turpi adulatione cristas insurrexisse? q. d. Et tamen Domitianus adeo stolidus erat, ut hac tam frigida adulatione elatus & superbus animum attolleret, fallaque laude intumesceret. *L.*

70. *Surgebant cristæ.*) Sic pavoni laudato concbata illa cauda solet insurgere. Eadem figura dixit Horatius:

— Tunc pauper cornua sumit.

Et contra dicimus *Cristas deprimere*, id est de falsa animi concepta opinione & superbia aliquid remittere. *L.*

70. *Nihil est quod credere.*) Domitianus & alii imperatores & tyranni, qui, si Diis placet, Divis æqualem habent potentiam, adulatoribus omnia grandia & maxima turpissime de se mentientibus, omnia tamen possunt credere. Late in stolidis patet hæc stoliditas. Persius de consimili:

— Egregium cum me vicinia dicat
Non credam? L.

70. *Credere de se.*) Aliis mendacibus adulatoribus adfirmantibus. Aliter viri boni & sapientes, qui, ut cum Persio loquar; *secum habitant*, & *se extra se* in aliorum sermone non *quærunt*, sed in propria conscientia. Egregie Horatius:

Sed vereor de te, ne aliis plus, quam tibi credas. L

73. *Vocantur ergo.*) O ineptias! Ita nimirum stolidi illic quidquid in buccam venit, imo quicquid somniant, stolide persequuntur. Quid autem stultius, quam Romani imperii Procerum concilium cogere ob coquendum piscem? *L.*

74. *In quorum facie.*) Describuntur aureæ illæ compedes aulicorum, & vita aulica & amicitiæ imperatoriæ magnæ quidem; at miseræ. Quanto illi feliciores, qui magnæ principum, regum, imperatorum amicitiæ insolentes & ignari viventes latent in obscuro quidem, sed tuto & felices interea. Vide Senecam in Tragœdiis ferme omnibus. Unde non absurde a quopiam dictum: *Malle se in caula, quam in aula vivere.* L.

74. *Miseræ amicitiæ.*) Imperatoriæ. *Erat enim Domitianus non solum magnæ, sed & callidæ inopinatæque sævitiæ:* &c. Suet. *Domit.* F.

75. *Currite, jam sedet.*) Graphice vocem præconis clamantis & trepidantis expressit. Verbis enim paucis utitur. *A.*

76. *Rapta properabat abolla.*) Propere induit tunicam suffultam & duplicem, ne moraretur sævissimum tyrannum. *L.*

77. *Positus modo villicus.*) i. Paullo ante constitutus Præfectus urbis Romæ. Vocat ipsum scoptice ac, cum despectu villicum, ostendens Romam jam non esse urbem suis privilegiis, suaque libertate gaudentem, sed villam, hujusque præfectum villicum esse. Nam ob nimiam crudelitatem Neronis omnes dignitates viluerant, nec licebat cuivis digne suum administrare officium. *L.* Villicus, quia non erat civis Romanus, vel. Villicus est is, qui præpositus est rationibus rusticis, fructibus percipiendis, universoque operi rustico, sed Poetæ solent appellationem transferre ad præfectos quoslibet, ut Juvenalis ad Præfectum urbi scribens de Pegaso Jurisconsulto. hæc Cujacius *lib.* 10. *Observat. cap.* 37. Villicus urbi, eleganter sub Nerone urbis præfecturam jacuisse dicit, quasi scilicet urbs ipsa jam tum esset villa principis, & villico traderetur: Quæ Pithœi interpretatio satis acuta est, tamen Cujacii sententia convenientissima est Poetæ. *Au.*

77. *Attonitæ urbi.*) Sarcastice dictum in ignaviam Romanorum, qui jugo tyrannico oppressi, metu & sævitia tyranni plane perculsi & obstupefacti animum abjecerant. *L.*

81. *Venit & Crispi.*) Intelligit Vibium Crispum Placentinum, cujus & Tacitus meminit, & quem tamen

men *inter potentes potius, quam bonos* refert. *A.* Et Statius:

Lumina Nestorei mitis prudentia Crispi
Et Fabius Vejento: potentem signat utrumque
Purpura: ter memores implerunt nomine fastos,
Et prope Cæsarei confinis Acilius aulæ. V.

81. *Crispi senectus.*) Crispus senex jucundus, ut *ἰσόθεος Ἀλκινόοιο, ἴς Τηλεμάχοιο, sapientia Lælii*, &c Vibium Crispum alii heic intelligunt, alii Passienum, utrumque jucundum quidem. Quintil. *l.* 10. *c.* 10. & *l.* 7. *c.* 2. Suet. *in Nerone.* Tacit. ad cujus *Annal. l.* 2. vide, quæ Lipsius pro Passieno, & Torrentius pro Vibio ad nostrum hunc. *F.*

82. *Mite ingenium.*) Blandum, mansuetum, placidum. Germani dicimus *ein glimpflicher Mann.* L.

84. *Clade & peste sub ipsa.*) i. sub Domitiano, qui clades & interitus pestisque fuit omnium nobilium, bonorum præsertim. Fuere enim tempora sub Domitiano longe miserrima. *L.*

86. *Aure.*) Senec. *Utrumque vitium est, & omnibus credere & nulli.* M.

87. *Cum quo de pluviis.*) Hinc Æsopus ad Solonem, in regum aulis loquendum *ἢ ἥκιστα, ἢ ἥδιστα, aut paucissima, aut jucundissima.* L.

87. *De pluviis.*) In colloquio de re levicula & incerta. Non solum enim in seriis, verum etiam in levissimis quærebat occasionem contra nobiles, ut eos interficeret. Quod sæpissime fecit, teste Suetonio. *L.*

89. *Ille igitur nunquam.*) Laudat Crispi prudentiam, qui diris illis temporibus didicerit *κυρῷ λατρεύειν, μηδ' ἀντιπνεῖν ἀνέμοισι.* L.

91. *Et vitam impendere vero.*) Qui posset vitam, quam ipsi virtuti & veritati debet, virtuti & veritati tanquam debitum impendere & concedere. Hoc est, qui in sua vita veritatem dicere auderet, vel qui posset vivere & libere veritatem & virtutem profiteri. non placent, qui aliter explicant. *L.*

92. *Octogesima solstitia.*) Annos octuaginta ipsum natum indicat. Hoc profecto miraculi loco erat, hominem nobilem ad tantum senium Romæ sub Nerone, & Domitiano pervenisse *L.*

93. *His armis*) & artibus aulicis, adsentatione, comitate, dissimulatione, quibus muniebatur adversus Imperatoris sævitiam. *L.*

93. *Illa quoque tutus in aula.*) *ἐμφατικῶς* dixit. quasi diceret: idque in aula tam crudeli, in qua nemo tutus erat. *L.*

95. *Juvene*) Filio suo Domitio, ut nonnulli autumant, nec tamen constat, quis fuerit ille juvenis. *F.*

96. *Et domini gladiis.*) i. quæ mors jamdudum designata, deputata, & destinata erat gladiis Imperatoris. *Et wahr ihm vorlängst schon zugedacht.* L.

96. *Jam designata.*) i. illo ipso tempore jam motu a Domitiano adjudicatus erat. V. C. meus legit *Destinata*, male. *Destino* enim mediam corripit. Supra autem scriptum est a Commentatore *Festinata*, id est, properata. *L.*

98. *Unde fit ut malim.* &c.) quia tantis periculis nobiles expositi sunt. Nobilium enim potentia Imperatori formidolosa erat. Et alias *minus in parvos fortuna furit*: Seneca:

Rarum est felix idemque senex,
Et alibi: *Quota pars moritur tempore fato?*
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros abitura dies.
Et alio loco: *Quem dies vidit veniens superbum,*
Hunc dies vidit fugiens jacentem. L.

98. *Fraterculus Gigantum.*) Homines obscuros, quorum parentes ignorabantur, e terra natos dicebant. Sic Persius *Sat.* VI.

— *Terræ est jam filius* —
— *præsto est mihi Manius hæres*
Progenies terræ. A.

99. *Ursos Numidas.*) ut Romani pro Elephante bovem Lucam, pro Struthione passerem marinum, pro Camelopardali ovem feram, pro Panthera murem Africanum, Sic Leones, qui in Africa & Numidia plurimi, noto domestico nomine *ursos Libycos* vel *Numidicos* appellarunt. *L.* Leones. neque enim habet sicca & arida Numidia ursos, qui frigidis gaudent, teste Plinio *lib.* 8. *c.* 6. Sed & Romani veteres rudes ex Africa advectos leones obvia & nota voce *ursos* dixere. vide Lips. 2. *Elector. cap.* 4. F

100. *Nudus.*) sine armis, imo vestibus. Hoc dicitur emphatice, quo facto stolidus & impudens pariter & imprudens videri volebat. *L.*

102. *Priscum acumen.*) Acutum ingenii tui tui inventum priscis temporibus admirandum, non hoc sæculo, quo nemo talia demiraretur. Longe enim jam versutiores & callidiores sunt. *L.*

104. *Nec melior vultu.*) Certe aula illa atrox & crudelis fuit, in qua etiam malis & nebulonibus pessimis fuit periculum, quibus tamen aula tutissimum solet esse receptaculum. *L.*

105. *Rubrius.*) Gallus. Hanc autem veterem culpam & offensam, ob quam pœnam a Domitiano pallidus metuebat. quidam censent, quod contra Cæcinnam pro Flavio Gabinio locutus sit, vel ut Probus, quod Tibiam in pueritia corruperit (& quidem recte, ut videtur ex sequentibus. *L.*) vel ut V. C. meus cum commentario, quod cum Domitiani conjuge concubuerit. Tale enim scelus aut consimile fuit: ait enim, *offensam tacendam.* L.

106. *Quantum vix* &c.) Divitum enim cadavera opo-

opobalsamo, amomo, aliisque preciosis aromatibus inungi & condiri solebant, ut nostro etiam tempore Cæsarum, Regum, principum, comitum. Lucretius:

Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.

Et Ovid. de Celso amico:

Ille ibi exequias, & magni funus honoris
Fecit, & in gelidos vertit aroma sinus. L.

114. *Qui nunquam visæ.*) Homo profecto Catullus pessimus fuit, qui senex, & cœcus, & tamen amator, & amabat, quod nunquam viderat, mendacii arguens Græcum illud ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. *L.*

116. *Dirusque a ponte satelles.*) i. Consiliarius Imperatoris a ponte assumtus, ubi cœci & mutilato corpore mendicabant. *A.*

116. *Dirus satelles.*) i. Apparitor, assecla, cliens, ponitur pro consiliario. *Dirus* dicitur ob crudelitatem. *L.*

117. *Dignus Aricinos* &c.) Invehitur in hoc monstrum, dicens ipsum a ponte & mendicitate non fuisse liberandum, sed gravius adhuc torquendnm. *L.*

117. *Aricinos.*) Clivus Aricinus erat ad portam Aricinam abundans mendicis, ubi & Judæi & Christiani mendicabant, qui ex urbe pulsi Ariciam transierant. Erat enim Clivus hic extra urbem, ob id ait eum non dignum esse, qui in ponte urbis mendicet, sed qui extra urbem debeat migrare. *L.*

121. *Sic pugnas Cilicis.*) Sic turpiter, adulatorie & impudenter in theatro laudabat gladiatorem e Cilicia (hodie *Turcomania*, vel more Cilicis armatum. *F.*) robustissimum ejusque pugnas, & ictus in adversarium prædicabat, quæ tamen non videbat. *L.*

122. *Pegma.*) Ea arte fabricatum, ut per se surgeret. & in sublime cresceret. J. C. Scal. 1. Poet. 21. vide quæ ad Martial. *epigr.* 2. *lib. Spectac.* Ab hoc pegmate in alta theatri velamina videtur repræsentatus fuisse Ganymedes ab aquila raptus. *F.*

122. *Ad velaria.*) Hæc per aerem expansa ad pluviam & solem arcendum erant purpurea, teste Xiphilino, quibus theatrum superne tegebatur. Hæc omnia cœcus ille nebulo laudabat, qui videre non poterat. Et hanc tamen tam fœdam, tam viro bono odiosam & intolerabilem adulationem Domitianus poterat ferre. *L.*

123. *Oestro Bellonæ percussus.*) Huic Deæ sacerdotes rem divinam faciebant proprii sanguinis effusione, & tunc Bellona perculsi vel divino ejus adflatu correpti præsentia explicabant, & futura vaticinabantur. *M.* Lactant. lib. 1. Tibullus:

Hæc ubi Bellonæ motu est agitata — L.

Loquitur autem Noster de Bello, unde acute Bellonæ furorem inducit. *V.*

127. *Arviragus.*) Fuit rex Britanniæ hujus temporis, Romanorum hostis. Legit autem meus V. C. *Excidit* & addit commentarius, mortuus est, & de regno expulsus; tanquam vaticinentur de re præsenti, vel etiam quasi jam facta & præterita. *L.*

129. *Quidnam igitur censes.*) vox est attoniti & incerti consilii: utpote nescientis visa difficultate rei, quid dicendum sit, quasi de re censoribus digna. Videtur autem declinare in eam sententiam, ut concidatur: utpote, quod non sit patina satis ampla. Quæ omnia per Poetam ironice efficta sunt, quia licet sex librarum fuisset rhombus, facilis repertu fuisset tanta patina. sed ut perditam gulam Domitiani & ejus convictorum significet, dicit ipsum etiam fictilibus usum, quia in iis cibus non contrahit saporem reprobum. sententia Viro digna, qui cum esset maximus lurco, dedit sententiam se dignam, ut integer servetur, quod ad gulam spectat. Sic *Sat.* 1. *Quanta est gula, quæ sibi totos Ponit apros?* A.

132. *Spatiosum colligat orbem.*) Capacem extremitatem comprehendat. Allusum forte ad Vitellii illud, de quo Plin. *lib.* 35. *cap.* 11. *At Hercule Vitellius in principatu suo ducentis sestertiis condidit patinam, cui faciendæ fornax in campo exædificata erat, quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina.* M. Et noster inferius de decoctore:

Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile. L.

134. *Rotam citius properate.*) Figulinam rotam propere adferte. Hanc Anacharsis invenisse dicitur, vel ut alii, Hyperbius Corinthius. *L.*

136. *Noverat ille Luxuriam imperii veterem.*) Diu enim & multum in aulis multorum Imperatorum versatus fuerat; & luxuriæ fomenta accurate pernoscebat. Dicit autem recte imperii luxuriam, qua, teste Suetonio, omnes Imperatores peccarant. *L.*

137. *Noctesque Neronis.*) Nero, ut Suetonius testatur, epulas de die media in medias noctes protrahebat. Sub Nerone vero jam in aula fuerat hic Montanus, ob id ait eum nosse veterem luxuriam. *L.*

138. *Cum pulmo Falerno Arderet.*) i. Cum imperator Nero vino Falerno montis Campaniæ ardentissimo incensus incaluerat. Vel cum stomachus ex nimio cibo & potu crudus concoquere non posset, & cruditatibus esset inflammatus. *L.*

141. *Rutupino fundo.*) Promontorium & litus a Rutupiis oppido Cantiorum in Britannia dictum, Angl. *Richberow.* *F.*

141. *Fundo.*) In maris profunditate nata. Hæc omnia summa palati dexteritate, acrimonia, & acumine poterat internosse. Persius de consimili:

Nec

Nec tenuem sollers turdorum nosse salivam. L.

143. *Et semel adspecti littus dicebat Echini.*) Cum semel tantum obiter inspexisset Echinum, statim dicebat ejus littus vel mare, in quo natus esset. *L.*

153. *Echini.*) De genere cancrorum piscis semipedalis, spinosus, & hirsutus, & aspertimus in tantum, ut navi adhærens illam inhibeat; spinæ in illo, loco pedum. Est piscis suavissimus, in illius seculi deliciis. Ad cujus similitudinem castaneorum putamina solemus echinos appellare. Vide Oppian. & Plin. *L. A.* & *V.*

145. *Dux magnus.*) Ironice. qui profecto non nisi scelere & tyrannide magnus dici poterat. *L.*

147. *Tanquam de Geticis.*) i. De negotiis Geticis. *Getæ* erant Scythæ circa pontum Euxinum, ad quos Ovidius relegatus. Alii legunt *Cattis*, qui jam dicuntur *Hassi.* Virgilius:

Mortem contemnunt laudato vulnere Catti.

V. M. C. legit *Giatis*, & addit *Giatæ* sunt Scotti. *L.* *Catbi* Galliæ populi, teste Ruso Festo *de situ Orbis.* qui legunt *Getis*, non advertunt mendum librariorum in versu. *V.*

147. *Torvisque Sicambris.*) Erant autem Sicambri populi Germaniæ finitimi Cauchis ad Oceanum, Bructeris & Cimbris, ubi jam pars Westphaliæ & Geldria. Ideo de his ait, quia Domitianus hos domuerat. *L.* *Tortis* hic reponunt sed torve, *τὴν ἱερὰν δεινήν.* Neque enim hic de crine, ut Sat. 13. aut epigram. 3. Martial. sed de terrore e feroci populo.

149. *Præcipiti pinna.*) Ita vocat cursorem velocissimum propter celeritatem nimiam. Nam & veredarii pennam avis gestabant in capite, ob signum velocitatis, (vel, ut transfert Aristides, ἢ πτέρυσι ὥσπερ ὑπὸ πτηνῶν φερομένη. in Panegyrico Romæ καὶ πτεροφόροι συνεχῶς ἐφοίτων ἀεὶ προσχωροῦν ἐκεῖνα φράζοντες Plutarch. in Galba. *F.*) Quidam hæc de avibus & columbis intelligunt, quæ literas pedibus sibi alligatas in castra & urbem detulerunt. Sed illud hoc loco jam non placet. Nulla quippe avis adsuefieret, ut e Galliis in Daniam vel Scotiam literas auferret, quod innuit hoc loco dicens:, *Diversis partibus orbis*, vel mundi. Nam propinquiori loco fieri, ut experimentis compertum est, ita posse, facile concedo. Addit M. V. C. quando laureata epistola mittebatur, victoriam denunciabat, quando vero pennata populationem & stragem. *L.*

152. *Impune & vindice nullo.*) Emphatice hoc dicitur. q. d. Idque nullo nobilium ulciscente. Exprobrat nobilibus Romanis ignaviam, qui hoc monstrum exhorrescentes, vilibus cerdonibus trucidandam reliquerunt. Magna profecto nobilium ignavia, inter quos nemo invenitur, qui tam crudele factum suæ vitæ contemtu ulciscitur. Egregie Seneca: *Quisquis suam vitam contemsit, tuæ dominus est.*

153. *Sed periit.*) Nisi cerdones homines, vilissimi tyrannum Domitianum sustulissent, haud dubie adhuc viveret, suaque passim crudelitate grassaretur *L.* sed statim periit, postquam cœpit sævire in plebem. *J.*

Ad Satyram V.

SI Te. &c.) Duo heic facit Poeta; notat impudentiam ingenuorum, qui ut vilissimi scurræ cœnas divitum sectabantur vilissimas: & avaritiam atque iniquitatem divitum, qui tales cœnas clientibus & familiaribus apponebant, cum ipsi delicatissime viverent. *M.*

1. *Sic te propositi.*) Lego heic & dein versu tertio *Sic*, non *Si*, ut omnes libri manuscripti & excusi legunt, & ex qua prava lectione nulla prorsus cohærentia aut commoda sententia potest elici. Si vero, *Sic* legas, sensus est prorsus evidens & conspicuus. Atque ita est initio interrogatio cum exclamatione mixta, cum indignatione conjuncta, hoc modo: Siccine te quondam turpis illius tui propositi pudet? Itane vero in priori tuo turpi atque inhonesto adulandi proposito perseveras. *Sic* ergo valet, Siccine? Sic ergo? Itane vero? *L.* Confer cum hac Satyra Luciani Epist. Ἐγὼ Κρόνῳ χαίρειν. *F.*

2. *Aliena vivere quadra.*) I. Pane in quadram scisso, supra quem carnes & alia pinguia obsonia incidebant, quales panes nos *die Almusen* nominamus, eo quod pauperibus Eleemosynæ loco dari soleat. Virgilius etiam mensas vocat:

— *Etiam mensas absumimus, inquit Iulus.* L.

3. *Iniquas.*) Probra enim & contumelias tales scurræ devorare cogebantur. *L.*

4. *Cæsaris ad mensas.*) Emphatice. Quæ scurra vilissimus ne in mensa quidem optimi & maximi Augusti Cæsaris perferret, hæc tu perferre potes in mensa cujusdam privati?

5. *Jurato Ventre nihil* &c.) hoc quasi ipse Parasitus jurejurando confirmat. *V.*

6. *Ventre.*) Non de Trebii ventre intellige, sed in genere dicitur illud, quod toties a Seneca inculcatur: Naturam paucis esse contentam: Sic enim ille in Epistolis: *Panem & aquam natura desiderat. Nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisque desiderium suum claudit, cum ipso Jove de felicitate queat contendere.* Idem: *Natura minimum nobis constituit, minimoque contentos esse jubet.* Idem: *Venter præcepta non audit, poscit, appellat, non est molestus creditor. si modo das illi, quod debes, non quod optas.* Ibidem: *Non est horrida res aqua*

qua & polenta, aut etiam frustum bordeacei panis. Sed summa voluptas est posse capere etiam ex his voluptatem, & ad id se reduxisse quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Verum, ut idem alibi ait: *Plerisque major fames, quam venter.* L.

7. *Defecisse puta.*) Age ponamus illud tibi deesse. Est ὑπόθεσις. L. Finge tamen illud parvum non suppetere. *F.*

8. *Et tegetis pars Dimidia brevior.*) i. Teges mutilata, vel minima ejus pars; tales tegetes de scirpo fiebant. *Ein stucke von der Betteldecke.* Possumus etiam Proseuchas vel mendicantium casas vetustate minutas & dirutas tegetibus decurtatis tectas intelligere, *die mit alten Lumpen gedecket waren.* L. Sat. 9. *tegete & baculo.* F.

9. *Injuria cœnæ.*) ἐν διὰ δυοῖν. Sic supra dixit: *Facunda senectus.* L.

10. *Tam jejuna fames*, &c:) Lego *Tam jejuna fames, quum poscis* i. e. quando cupis *tremere honestius illic* in injuriosa divitum cœna, & *mordere sordes* seu immundas reliquias, *farris canini*, seu panis adeo duri, quem ne canes quidem comesse possent, seu, ut alibi, *solida jam mucida frusta farinæ, quæ genuinum agitent non admittentia morsum.* Sententia hæc eo magis placet, quod vero simile sit viros honestos potius amasse injuriosas divitum cœnas, quam ut publice mendicarent: tum non tam in ponte, quam iniqua divitum cœna pauperculis divitum clientibus dabantur sordes farris canini; optime hæc sequentibus præterea etiam quadrant. Legi etiam commodo sensu potest: *Tam jejuna fames* i. tu tam famelicus, *quum possit honestius* &c. *A.*

10. *Quin poscis*) Hæc mea lectio vera est. Si enim legas, cum *possis* peccat versus. i. Quin tu longe honestius postulas & præoptas mendicando potius tremere, & sordidum panem comedere, quam turpiter adulando idem facere in divitum mensis. Ubi nihil lautius tractaris, quam si mendicus esses. *L.*

10. *Honestius.*) i. copiosius, melius. Asconius: *Sicut bonos antiqui pro magnis, ita honestos pro divitibus posuerunt.* V.

10. *Poscis tremere.*) Sic Persius:

——— *Pappare minutum*
Poscis. L.

10. *Illic.*) Emphatice. Longe rectius & honestius illic in ponte vel ubi mendices illud ages, quam in mensa divitum, ubi nulla tibi melior conditio. q. d. Siquidem utrobique misere tibi vivendum est, longe honestius est, ut mendicando illic in ponte misere vivas, quam adulando & parasitando in mensa divitum. *L.*

12. *Primo fige loco.*) i. Primo omnium loco hoc pone, quod te merito a divitum mensa consectanda deterruerit, quod quando te patronus tuus aliquando ad cœnam vocat, existimat omnia tua diuturna officia & labores se satis solide compensasse. *L.*

13. *Solidam.*) Ironice. Egregiam, lotam, integram, ut nihil amplius tibi debeatur. *L.*

13. *Veterum.*) Pro servitio tot dierum, imo mensium & annorum. *L.*

14. *Imputat hunc rex.*) i. Reputat hunc cibum mercedis loco datum tibi. ut nos Germani dicimus: *Er rechnet es dir zu, Er schlägt es dir am lohne abe.* L. Imputat tibi satisfactum & relatum. *Imputare* Suetonio, Tacito nostro, Plinio, Quintiliano aliisque inferioris ævi Auctoribus valet, *Postulare id sibi gratiæ apponi.* Tacitus eadem mente usurpavit vocem *Jactare*: Ann. 6. *L.*

15. *Et, quamvis rarum, tamen imputat.*) Quæ vero hæc merces, pro singularum dierum assiduis salutationibus vix post duos menses semel ad cœnam vocari? *L.*

16. *Neglectum adhibere.*) i. Te Parasitum tandem ad cœnam vocare. Alii libri legunt *accire*. L.

17. *Tertia ne vacuo.*) Salse dictum. Tu non tui boni gratia invitaris, neque quod tua præsentia dominus magnopere delectetur, sed ne locus vacet, vel tu tantum tanquam supplementum culcitræ vocaris, cum forte vocatorum electorum convivarum quispiam se excusavit, quo tricliniúm convivarum numero impleatur. *L.*

18. *Una simus, ait.*) Cœnemus. sic Chremes Terentianus: *Dionysia hic sunt, hodie apud me sis volo.* L.

17. *Culcita.*) Calderinus legit *culcitra*, Britannicus vero variat. nam scribit *culcita*, & *culcitra*. Sed malim legere *culcita*, nixus authoritate codicis manu exarati Collegii D. Catharinæ. *An.*

18. *Votorum summa.*) quando apud patronum tuum in cœna es, consummationem & plenitudinem votorum tuorum habes. *L.*

18. *Quid ultra quæris.*) Ulterius nihil sperare potes. i. *was willstu mehr?* L.

19. *Habet Trebius propter quod rumpere* &c.) Mutat Ironice Personam. i. Trebius semel ad ad cœnam vocatus, omnium suorum officiorum (quod de nocte surgit, & propere ad Patronum salutandum currit) fructum plenissime jam capit. Acris heic Ironia? *L.* Vid. vers. 35. infr. & Mart. *lib.* 3. *Epigr.* 36. F.

20. *Et ligulas dimittere.*) i. Negligere, vestibus circumjectis præ nimia festinatione, ne salutantium ultimus sit. *V.*

23. *Orbem peregerit.*) Ordine quasi in orbem circumstantes omnes patronum salutarint, ut ita circuitus salutantium jam absolutus sit. *L.*

23. *Quo se Frigida.*) Est descriptio mediæ noctis. Sic alter Poeta dixit de eodem tempore:

Flexaque lenta pigri plaustra Boötis erant. L.

23. *Serraca.*) Alii codices habent *sarraca*, quibus adstipulor. Cicero *in Pison. Cum tibi tota cognatio in sarraco advehatur, incidisse videtur in sordidum nomen*: Capitolinus, *In Anton. Philos. Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata, sarracisque.* Au.

24. *Vinum quod succida nolit Lana pati.*) Quod vinum tam vile & insipidum sit, ut ne ad lanas quidem inungendas adhiberi posset. *L.*

25. *Succida.*) i. Succo adhuc sudans, quæ ob ovibus sudantibus recens detonsa est, & quæ lana eodem die viliori vino, oleo, adipe suillo, cera, teste Varrone inungebatur & præparabatur, ut alium colorem citius imbiberet. *L.*

25. *De conviva Corybanta videbis*) factum, propter malum vicinum. Vel vinum malum ita mentem tibi perturbat, ut ex conviva Corybantum unus factus judicari posses, vel ut Corybantis cujusdam more furiosus insanias. *M.* vel aliquis homo nihili malignitate pessimi vini infatuatus introducetur, qui tecum jurgio conviciatus Domino ludos det. *A.*

26. *Jurgia proludunt.*) i. Convivæ, qui tam malum vinum bibunt furiosi facti altercationibus & conviciis præludium, vel procemium futuri certaminis faciunt, vel proludia jurgiorum primo fieri incipiunt, quæ mox subsequitur vera pugna. Est enim proludium imitatio veræ rei, cum quis exercet ludum similitudine veritatis. Paullo post ex velitatione & pugna joculari, seria instituitur pugna cum cantharis & poculis. *L.*

27. *Saucius.*) non vino tantum, sed & poculo. *F.*

30. *Diffusum.*) E dolio in craterem, & e Cratere in pateram fusum, vel ex uvis expressum & deorsum in dolia defusum prisco seculo. Sic Horat.

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Utrobique etiam *defusum* legi potest. *L.*

31. *Calcatam bellis socialibus.*) Latenter Romanas detestatur delicias, quas sociale, servile & civile bellum frangere non potuit. *V.*

32. *Cyathum.*) Emphatice. Ne exiguam quidem mensuram. Cyathus enim 4. continet ligulas. (seu 10. drachmas, Plinio teste. V.) In alio quodam exemplari legitur.

Cardiaco cyathum non porrecturus amico. L.

33. *Cras bibet Albanis.*) i. Hodie bibit hoc vinum vetustissimum, & optimum, cras aliud (nam varietate intemperantia & luxuria delectatur) ex Albanis montibus. *L.*

34. *Cujus patriam, &c.*) Vinum commendat vetustas. Cic. *de Amic. Amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum societates, veterrima quæque, ut ea vina, quæ vetustatem ferunt, esse debent, suavissima,* Virgil. *Impletur veteris Bacchi.* A. Ita vetus, inquit, ut non possit amplius ex superscriptione testæ (terreis enim, non ligneis vasis, olim vina condebent. *A.*) vetustate deleta cognosci, unde, & quanti sit temporis, *L.* Martialis *lib.* 8. *ad Flaccum:*

Defluat & lento splendescat turbida limo
Amphora centeno consule facta minor.

pendebat e vasis vinariis tabella, in qua, teste Galeno, vini ætas scripta erat, quo tempore, quibusve consulibus conditum esset. Brodæus *lib.* I. *cap.* 3. *Miscellan.* Au.

36. *Heliadum.*) in quibusdam Codd. est *Beliadum*, & ita legit Probus, ut alluderet ad illud Virg.

Implevit mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti. —

nisi verius a *Belo* amne Syriæ, ubi Plin. primo vitrum fuisse compertum scribit. *V.*

37. *Phialas.*) plerunque ex auro fuisse conflatas docent Pindar. *in Olymp.* Plato in *Atlant.* aureasque in Juvenale intelligi sequens hemistichium probat. *V.*

40. *Custos adfixus.*) Exprimitur magna clientum miseria, qui ne tantum quidem fidei apud patronum habuerint, ut soli sine custode ex aurea phiala biberint. *L.*

40. *Adfixus.*) Scoptice. q. d. Immotus quasi ad te adfixus tibi adstat, observans ne quid furtim abradas. *L.*

43. *Nam Virro ut multi.*) In luxuriam Romanorum dictum, qui pocula gulæ & luxuriæ instrumenta præclaris gemmis exornent, quibus pater ille fortissimus Romani sanguinis Æneas arma & gladium suum ornabat. Notat Romanos a fortitudine proavorum suorum ad luxum desciviffe. *L.*

46. *Beneventani sutoris.*) V. M. C. ait Vatinium hunc fuisse meribibum & potorem, qui e magnis & vilibus poculis biberit. Unde adhuc magna vasa, vilia & lignea *Vatiniana* dicantur. *L.*

51. *Non eadem.*) Fuit insignis avaritia, clientibus ne illam quidem aquam communicasse, quam domini biberint. Cum aqu s nihil sit vilius. *L.* (& quidem *Vobis*, tot servititiis de illo optime meritis, emphatice. *F.*)

52. *Aliam aquam.*) Pejorem, indecoctam, crudam. *L.*

52. *Cursor Getulus.*) Fuscus e Numida cursor, *Lacquay.* F.

54. *Et cui per mediam.*) i. Nam existimares μορμολύκειον, mortui umbram, phantasma, vel osseum spectrum esse. L. Umbrarum enim imago nigra perhibetur, & ossea. Ovid.

Insequor & vultus ossea forma tuos. V.

56. *Precio majore.*) i. Qui puer majori precio emtus fuit, quam omnium 7. regum Romanorum pauperculæ opes fuerunt. Vel cujus precium superavit omnium septem Regum Romanorum pauperculas divitias. *L.*

57. *Et Anci.*) qui quod bellicosus esset *Martius* dictus

ctus. Hos etiam conjungit Horatius:

Quo pius Æneas, quo Tullus dives &, Ancus. L.

59. *Frivola.*) i. Nugacia & nullius momenti bona, si ad hujus sæculi opes, vel etiam ad precium Ganymedis seu pueri Asiatici referantur. *L.*

59. *Vola.*) Sunt proprie vasa fictilia quassata. unde dicta verba *frivola*, quæ minus sunt fide subnixa, ut scribit Festus. V.

60. *Nescit tot millibus emtus* &c.) i. ille pulcherrimus domini pincerna, qui tot millibus nummorum emtus est, ille non vult pauperibus clientibus infundere. Quia te pauperem superbe contemnit. *L.*

63. *Calidæ Gelidæque*) Frigidam vel gelidam aquam in conviviis adhiberi fuisse solitam notum est, & ex superiori loco hujus Sat. constat. Calidæ etiam aquæ in conviviis usus frequentissimus, præsertim hieme, ut & Græcis, unde Athenæi illud *lib.* ii. *cap.* 2. Πεφασμένον ὕδωρ ἐν μὲν χειμῶνι καὶ ἔαρι θερμὸν ὡς μάλιστα, ἐν δὲ τῷ θέρει ψυχρόν. Quin non solum Romanis in usu aqua erat calida, sed deliciis etiam. Nescio vero an etiam ex sanitate. Plinius ait: *Nullum aliud animal præter hominem calidos potus sequi.* ideoque non esse naturales. *L.* Martial.

Frigida non deerit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

64. *Indignatur.*) Aegre fert formosulus ille pusio. *L.*

64. *Veteri.*) Emphasin habet. Nam omnia vetera facile vilescunt:

Post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes.

i. Non vult tibi veteri clienti inservire, qui vetustate & longo servitio contemtum tibi contraxisti. Nam omnia nova gratiora; & novis clientibus, ut eos allicerent, blandiebantur. *L.*

65. *Et quod se stante recumbas.*) Aegre hoc servi ferunt, præsertim illi venustiores, quod se stantibus clientes recumbunt, quibus tanquam vilioribus inservire indignantur. *L.*

66. *Maxima quæque.*) Descriptio magnarum familiarum, & aulæ imprimis. i. Omnis domus magnorum patronorum & divitum servis fastu tumentibus plena est, qui pauperes & miseros Cyclopice contemnunt. *L.*

67. *Panem vix fractum.*) Non scissum, quod ob duritiem fieri non poterat, sed vix cum summa difficultate fractum. Panis enim vetustate ita indurescit. *L.*

70. *Molli siligine.*) Ex alica, sine ullo furfure, mollis candidus & tener admodum. *L.*

72. *Salva sit Artocopi reverentia.*) i. Pistoris, qui illum domino, non autem clienti coxit, reverentia, honor, & dignitas illæsa maneat. Alii explicant *Artocopi*, elaborati panis: quod ab illo pane candido & studiose elaborato abstinere debeat, cum reverentia quadam. Verum nulla illud auctoritate faciunt. ἀρτοκόπος enim vel ἀρτοποιὸς pistorem significat. Alii legunt Artoptæ, quod idem significet, quasi τὸν ἄρτον ὀπτῶν; vel panem coquens. Verum non placet. Legendum vero est *Artoptæ*, (& sic in Codd. emendatissimis legitur. *Au.*) & ἀρτόπτης hic non pistorem significat, ut ab ὀπτάω derivetur, quod significat torreo (cujus quidem rei exemplo non scio, nec putem ab ὀπτάω talia derivari) Verum ἀρτόπτης ab ὄπτομαι derivatur: Et significat dispensatorem vel observatorem & custodem panis, plane ut dicitur λινόπτης, qui retia observat, οἰνόπτης, vini inspector. Et sic sensus vel puero pateat. Monet enim, ut panis custodem non contemnat, sed illi reverentiam sartam salvamque teneat, qui alias panem candidiorem domini ipsi e manibus sit excussurus. *L.*

74. *Vin tu consuetis*) Et hæc mea lectio, vera haud dubie. Nam sive *vix*, sive *vis* (quod in mss. se reperisse testatur V.) legas, nullam unquam concinnam hinc sententiam exstruxeris. Persius eodem verbo in eadem re ferme usus:

——— *Vin' tu gaudere relictis?*

(*Vix* legit A. & explicat *difficulter*, postea etiam *consuetus* ultima longa ob cæsuram legit.) Est autem legendum cum interrogatione. *L.*

76. *Scilicet.*) Acerba ironia, sibi ipse insultat. *L.* *Scilicet*, ironice fere usurpatur: ut heic, & Terent. *id populus curat, scilicet.* J.

80. *Aspice.*) Indicat squillæ magnitudinem, quasi suo pectore vel corporis magnitudine lancem quasi distendat, dilatet, suaque magnitudine quasi ampliorem faciat. *L.* imo vero hoc sensu: quam extenso & exporrecto pectore squilla a ministro teneatur, ne halitu aut naso fœdet eandem. *A.*

81. *Quæ fertur.*) Alii legunt *Qua fertur.* A.

81. *Quibus undique septa.*) i. Quibus asparagis & condimentis delicatissimis ille piscis undique sit circumdatus. Sunt autem asparagi altiles in summis habiti deliciis, qui cumino addito inflationes stomachi & coli discutiunt. *M.*

82. *Despiciat.*) Deorsum quasi in mensam aspiciat, cum superbe & alte portatur. *V.* Depingit habitum ministri cibum ad mensam adferentis. *L.*

83. *Excelsi.*) Proceri & oblongi famuli: Tales enim lecticarios, & ferculorum ministros habebant, ut omnia majora & sublimiora viderentur.

84. *Dimidio constrictus cammarus ovo.*) Pisciculus de genere locustarum vilis saporis, clienti datur. Martialis *lib.* ii. *in Candidum*:

Concolor in nostra cammare lance rubes. A.

Cammari admixtis ovis conquebantur. Sophron. Rond. *cap. de Squilla* legit *Gammarus.* Au. & sic etiam Valla edidit.

84. *Dimidio ovo.*) Potest intelligi de ovis Cammari, qui ova, ut cancri, sub cauda gerunt, quæ novilunio constricta & imminuta sunt. *A.* Potest etiam de Gallinæ ovis, quæ in piscis condimentum addita sint. *L.*

84. *Dimidio.*) Notat sordes Virronis in clientes. *L.*

84. *Constrictus.*) Rarus & semiplenus, decrescente luna. *Schmächtige, und dörre Seekrebs.* L.

85. *Ponitur exigua.*) Apponitur in exigua lance vel patina, & revera talis cœna feralis & famelica, qualis mortuis dari solet, manes placabantur. Vide Lips. *lib. 7. Tacit.* Mortuorum autem sepulcris inferebatur lac, mel, aqua, vinum, oliva: flores etiam spargebantur. Apulejus. *L.*

85. *Feralis cœna Patella.*) ubi ova videntur translatitia, nono die cœna funebris epulæque fiebant. hinc D. Augustinus in Genesim: *Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novemdial appellant.* Au. mortiferam vel sanitati nocivam, quod cammari capiti stomachoque graves, præcipue cum decrescente luna constringuntur, intelligit *A.*

87. *Olebit lucernam.*] Præ se feret odorem olei vilissimi, quod adhibetur lucernis, quali ungebatur *fraudatis Natta lucernis.* Horat. & videtur alludere ad illud in Demosthenem jactatum, τὸ λύχνον ὄζει. F.

86. *Alveolis.*] Sunt vasa lignea concava. Forte quod ex illis olus vel brassicam comederint. Interpretes per *Alveolos* ventriculos intelligunt. Malo autem Paropsides & lances intelligi. *L.*

89. *Canna.*] Alii explicant navim Africanam Ganдejam. sed non placet. Probus censet esse doliolum (*acuminatum, forma pyramidali.* F.) factum ex canna. Refert enim Strabo in Africa cannas miræ crassitiei nasci, ut mirum non sit in illis oleum Romam navi advectum. M. & L.

90. *Propter quod Roma.*] i. Illud Africanum oleum adeo maleolens & fœtidum est, ut cum Africani illo inunguntur, tam fœde redoleant, ut nemo cum ipsis lavare sustineat. Malo enim illo odore in balneis vicinis molesti sunt. L. Plin. tamen *lib. xv. cap. 2.* Africam oleo carere ait, ergo aut sisamimum seu Aegyptium esset intelligendum, quod in cibis fœdum & lucernis exile idem ait *lib. xv. cap. 7.* aut bono olivæ oleo Africam carere vult, *M.* cum ex seminibus suum exprimat. *A.*

91. *Quod tutos etiam &c.*) Non lædunt illos, qui illo oleo inuncti sunt, ejus enim oleo teterrimum odorem sustinere non possunt. Malum profecto oleum sit oportet, quod sua graveolentia venena possit avertere. *L.*

92. *Afris.*) i. Africanis. Multi enim ibi serpentes ob loci calorem. V. M. C. legit *atris*, id est diris, nigris, luridis. *L.* *Afris* legit Jan. Rutgersius var. lect. *lib. ii. cap. 17.* Horat. *lib. ii. Sat. ult. Velut illa Canidia afflasset pejor serpentibus atris.* Et od. *Nec Mauris animum mitior anguibus.* F.

93. *Quando omne peractum.*] Scoptice in luxuriam Romanorum dictum, quibus suum mare non sufficiebat, imo qui ex luxu continuis piscationibus Tyrrhenum mare exhauserint, ita ut e mari Siculo delicias suas petere cogantur. L.

94. *Dum gula sævit.*] i. Dum gulositas & luxuria vehementissima est, & immensa. Merito enim exclamat Seneca: *Dii boni, quot homines unus venter exercet.* L.

95. *Retibus assiduis.*] Dum quilibet piscator, qui pisces in macello vendit assiduis retibus proxima & vicina maria perscrutatur, & *penitus* quidem, ut nihil ferme piscum ipsi relinquatur. Reddit vero rationem, cur mare Italicum proximum defecerit. *L.*

95. *Scrutante.*] Penitissimos angulos inquirente, investigante & evacuante. *L.*

95. *Macello.*] Pro quolibet piscatore, qui in macello vendit. *L.*

96. *Nec patitur.*] i. Dum gula Romanorum non permittit piscem in mari Tyrrheno proximo crescere, ob assiduam piscationem. *L.*

97. *Instruit ergo focum provincia.*) i. Quia in mari Italico & Romano nihil piscium reliquum est. Insulæ Corsica, Sardinia, Sicilia & reliquæ provinciæ instruunt nostrum focum & culinam obsoniis & piscibus. *L.*

98. *Quod captator emat Lenas.*) Hæredipetæ captatores pisces magno precio ex dissitis longe regionibus comparatos orbis dabant, eosque sibi hisce muneribus devinciebant, ut ita præcipuas in tabulis testamenti partes consequerentur: Vide *Sat. iv.*

Consilium laudo artificis. L.

98. *Aurelia vendat.*) Forte piscium venditricem dicit. Interpretes divitem matronam orbam intelligunt, quæ pisces a captatoribus missos vendere coacta sit ob illorum copiam, ne corrumperentur. *L.*

99. *Virroni muræna datur.*) Dixit de mullo, idem jam dicit de murænis: *Neunauge: Prikken.* Est autem nobis piscis notissimus, Romæ in summis deliciis, anguillæ non absimilis. *L.*

100. *Nam dum se continet Auster.*) quia rem prope incredibilem dixit in Siculo mari pisces capi posse, in quo Scylla & Charybdis erant, reddit jam hujus rei causam. Cum enim, inquit, Auster non flat, & mare tranquillum est, etiam temerarii piscatores in media Charybdi piscantur. *L.*

102. *Lina.*) Intelligit ipsos piscatores cymbæ linique magistros, homines ob lucrum audaces, vitæ prodigos,

gos, & temerarios.

102. *Charibdin.*) Locus in mari Siculo ante Messanam urbem, adjunctus Peloro, profundus & immensus, quo inundatione freti naves mirum in modum distrahuntur per magnas circumductiones, & vorticem præcipitatæ. Erat autem Charibdis in dextra, Scylla in sinistra parte, cumque unum volebant evitare, in alterum incidebant, unde Proverbium: *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charibdin.* L.

103. *Vos anguilla manet.*) Apodosis dissimilitudinis. Contra vos loco murænæ anguillas vilissimas comeditis, quæ murænæ correspondet. L.

104. *Glacie maculis.*) pro glaciei. Ovid. III. *Met.*

Prima fide vocisque ratæ tentamina sumsit.

vid. Prisc. *lib.* VII. M. & V.

124. *Et glacie adspersum maculis.*) Maculosus, cui dorsum ex albo cœruleum est, venter candidus nigris maculis conspersus, qui notæ deterioris est, melioris *Lævem.* F.

104. *Tiberinus.*) Lupus in Tiberi natus, stercore pastus & insulsus pauperi obtruditur. *J.* Colum. *lib.* IX. *cap.* 17. M.

103. *Et ipse Vernula riparum.*) Pisces autem Tiberini viliores erant. L.

105. *Pinguis torrente cloaca.*) Præstantiores sunt in Nari fluvio pisces, quam in Tyberi. Galen. *περὶ τροφ.* *Torpente* legendum putat Jan. Rutgersius *var. lect. l.* 2. 17. F.

106. *Et solitus media.*) De admirandis cloacarum ductibus, & subterraneis meatibus vide Lipsium de Admiranda urbis Romæ magnitudine. L.

109. *Seneca:*) cujus epitaphium non ob elegantiam heic appponere:

Cura: labor: meritum: sumti pro munere honores
Ite: alias posthac solicitate animas.
Me procul a vobis Deus evocat. Ilicet actis
Rebus terrenis: hospita terra vale.
Corpus avara tamen solennibus accipe saxis;
Namque animam cœlo reddimus: ossa tibi. A.

111. *Namque & titulis.*) olim longe major honor, & gloria ex largitionibus & munificentia ipsis divitibus erat, quam ex titulis & honoribus. Sall. *Catil. Magisque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant* n. Majores nostri. M.

112. *Solum Poscimus, ut cœnes civiliter.*) i. Hoc unum & solum nos miseri clientes a te bone vir poscimus, ut comiter, communibus epulis, æqualiter edas & bibas, sine injuria clientum cœnes. L. & J. de tali Plin. *lib.* II. *Epist. ad Avitum: Longum est altius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit: ut homo minime familiaris cœnarem apud quendam, ut sibi videtur, lautum & diligentem, ut mihi sordidum simul & sumtuosum. Nam sibi & paucis optima quædam; Cæteris vilia & minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi. Et aliud sibi, aliud nobis minoribus amicis: nam gradatim amicos habet.* &c. M.

113. *Anseris jecur.*) Exta anserum (mulso, lacte, ficu & carica fartorum. vide Martialis *epigr.* 58. *lib.* 13.) in summis deliciis habebantur, Persius Sat. ult.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis, L.

115. *Altilis.*) *Altile*, est quod alitur eo consilio, ut saginetur. hinc Divus Gregorius Homilia 38. in Matthæum, *Altilia enim saginata dicimus, ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus.*

115. *Flavi.*) Epitheton Homeri, a quo ξανθὸς dicitur, a capillis de flavo colore Gell. II. 26. M.

116. *Post hunc raduntur.*) i. Ad escam præparantur tubera, quæ in summis deliciis Romæ habebantur. Martialis:

Tubera boletis poma secunda sumus. L.

117. *Majores cœnas.*) Quas nimirum tuberibus augebunt, quæ *secunda poma* apud Martialem. L.

118. *Tibi habe frumentum.*) i. Alledius vir gulosus & maximus tuberum vorator optat, ut frumentum potius Africani retineant, modo tubera mitterent, tanto illorum tenebatur desiderio A.

119. *Disjunge boves.*) Nihil ares, ne frumenti causa tubera crescere prohibeas. L.

120. *Interea.*) dum scilicet Domino raduntur tubera ad appetitum excitandum, Tu instar Tantali otiosus & famelicus spectas non sine indignatione structorem Domino ex lege artis perita manu scindentem delicatiores epulas. A.

120. *Ne qua indignatio.*) i. Ut nihil non sit, ob quod indigneris, qui videas domino non solum omnia lautissima apponi, sed etiam singulari elegantia dissecari Cum tu interea vix sordidum caninum panem habeas. L.

121. *Chironomonta.*) In antiquis Codd. reperio scriptum *Chironomonta.* sic Lucretium dixisse *Acherunte sub imo* annotavit Prisc. [illegible]

121. *Volanti Cultello.*) Petronius hoc exponit: *Processit statim scissor & ad Symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Erat Romæ Tryphertus, & alii diribitorum magistri, qui eam artem profitebantur in cœna ulmea & lignea. Nam omne genus altilium avium & ferarum e ligno fabricatum habebant, & docebant discipulos ejusmodi ligneo cultello cum solenni manuum & gestuum elegantia dissecare. Noster infra *Sat.* 10. L.

123. *Nec minimo sane.*) Ironice taxat luxum & vanam illam artem, q. d. Nam magnum & ingens discrimen est inter dissectionem gallinæ & leporis. Et longe alii gestus requiruntur ad hunc incidendum atque ad illam. *A.*

126. *Et ponere foris.*) Sic nos Germani: *Hinausz mit ihm, man soll ihn für die Thür legen.* L.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) i. Tanquam qui civis Romanus, tui juris, tuus, & liber sis, & ob id libere loqui audeas: Persius:

Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcunque voluntas?

Habebant autem ingenui tria nomina prænomen, nomen, agnomen. ut Publius, Cornelius, Scipio. Alii, (ut *V.*) forte minus recte, ita explicant: tanquam pessimus servus sis, & tribus nominibus appelleris Cappadox, Cilix, Cretensis. Unde illud Græcum τρία κάππα κάκιστα. *Tria pessima cappa.* Non desunt, qui per tria nomina intelligant trium litterarum hominem & nomen. Tanquam nempe *fur* sit & nequam servus, male tractandus. Sed prior explicatio melior. *L.* tanquam aliquo egregio facinore præstito singulare nomen esses adeptus cum laude insigni. tanquam sis libertus Domini tui. *A.*

129. *Quis vestrum tam*) temerarius & perditus. Qui nimirum temeritate sua se perderet, ut qui tanta παῤῥησίᾳ dicendique libertate erga patronum suum uteretur. *L.*

130. *Læna pertusa.*) rimarum plena. Porro Romani utebantur læna cœnatoria pallii vice. *L.*

131. *Plurima sunt quæ.*) Pauperes, quibus detrita sit & lacera chlamys. τῷ γὰρ πενίῃ δεδμημένῳ οὐδὲν οἷός τε γλῶσσα ut inquit Theognis & tamen:

Πολλάκις καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

tanquam diceret, quod & *Sat.* 3. conquestus est, pauperes contemni, quia pauperes sunt.

132. *Quadringenta.*) H. S. scilicet, censum equestrem, qui valet 10000. coronatos Gallicos. *L.* Sic legitur in MSS. codd. non *quadraginta*, ut quidam ediderc. *M.* Sestertia i. e. censum equestrem, nostræ monetæ Anglicanæ 3125 *lib.* F.

132. *Similis Diis.*) Heros aliquis beneficus, & magnus *M. Nemo*, teste Seneca, *propius ad Deum accedit, quam qui hominibus salutem dat, & beneficium.* L.

133. *Homuncio quantus.*) Ita distinguo, &, ut spero, recte. Quid enim absurdius hac distinctione? ut ad præcedentia referatur *homuncio*. q. d. Si quis *homuncio similis Diis* aut heros tibi dederit. Quid? heroa Diis similem *homuncionem* dixisset, quod in imminutione & contemptu dicitur, ut *homulus & homullus*, (*homunculus*, *homullulus*, teste Priscian. *lib.* III. M.) Cum hominibus subvenire opus Dei sit, & hominis Deo similis magni & excellentis: Ovid.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Ergo ad sequentia transfer cum hoc sensu: Si repente Deum aut hominum munere dives evaderes, tunc tu, qui jam es homuncio nullius precii, quam magnus & honorabilis continuo evaderes! Conjungit autem suo more contraria. *L.*

135. *Da Trebio.*) Mimesis. Hæc enim verba Virroni adfingit, quæ Trebio, si dives esset, dicturus esset, inter cœnandum. His verbis autem Structorem compellaret Virro: Da de hoc delicatiore ferculo Trebio. *L.*

136. *O nummi vobis.*) i. Nummi in honore habentur, non homo ipse. De hac re dixit *Sat.* I.

Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas. L.

136. *Dominus tamen.* &c.) Hoc plane respondet Græco illi Epigrammati Palladæ:

Ἤν τι φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ, αὐτὸς ἔγραψεν·
Ἢν δ' αὖ μή τι λάβῃ τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δίδραχμα. L.

Si ditatus es, facile invenies cultores, & observatores: maxime autem, si sine liberis. J.

136. *Dominus.*) Hæ enim Dominorum & Regum appellationes majorem adhuc reverentiam, observantiam, & honorem denotabant. *L.*

139. *Filia dulcior illo*) Captatore. de captatore enim loqui reor Poetam. non enim dulcior est filia filio. *Au.*

140. *Jucundum.*) Martial. *lib.* XI.

Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum.
Pallidior fiet jam pariente Lupus. M.

141. *Sed tua nunc Mygale.*) Et tamen, licet liberos habeas, modo dives sis, in honore habeberis a Virrone. Imo vero ipse Virro tuis pueris etiam munuscula dabit. quamvis orbus gratior futurus esses. Ostendit quantum divitiæ Romæ valeant. *L.*

141. *Mygale.*) i. Uxor tua, cum qua commisceris, licet tibi liberos pariat. Nomen fictum a concubitu vel mixtione, a verbo μίγνυμι. *L.* Nomen montis Ioniæ ferarum copiam habentis, unde Juvenalis uxorem Trebii vocat *Michalem*, quia fœcunda est. *Au.*

141. *Et pueros tres.*) Experientia hoc fieri posse commonstrat. nam mea ætate anno 1478. Velitris tres pueros mares uno partu edidit mense Augusto fœmina quædam. quinque pueros uno partu Augusti ancilla. Gell. *lib.* IX. *cap.* 2. M.

142. *Ipse loquaci gaudebit nido.*) i. Ipse tamen Virro, quia dives es, puerilitate, loquacitate, garrulitate & ludis tergeminorum filiorum tuorum gaudebit, se tamen tibi amicum simulabit, & garrulitate puerorum

rum tuorum non offendetur. Quin etiam vestes & munuscula liberis tuis donabit. Omnia ea causa, quia dives es. Alias ne cassa quidem nuce te & tuos donarit. Scit enim divitem gratiam referre. Gratis enim nihil datur, secundum Græcum illud: δός τι, ϗ λάβε τι. L.

144. *Minimasque nuces.*) Talibus enim pueri delectantur. *L.*

144. *Assemque rogatum*) a puero, qui notos ita compellat: Da mihi nummulum, poma, pyra, nuces. Hoc versu stabilitur illa lectio.

Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem.

Ubi quidam contendunt legendum: *Repentibus assæ.* L.

145. *Ad mensam quoties.*) V. M. Commentator locum hunc aliter de adulterinis pueris ex pellicatu susceptis interpretatur, per Mygalem, meretricem intelligens & concubinam. Tanquam ex tali pueros liceat cum captatorum venia vel tres una vice suscipere. Quibus pueris blandiatur captator, munuscula & dona ipsis dans, nihil veritus, quasi ab illis adulterinis impeditus hæreditatem Trebii adire nequeat. Judicium penes doctiores esto. *L.* (favet huic interpretationi, quod *licet* vers. 141. pro *licitum est* sumi posse dicat *M.*)

146. *Vilibus amicis.*) hactenus prima fuit mensa, sequitur secunda, quam pomorum Servius vocat. *A.* i. Clientibus, quos supra *modicos amicos* vocavit. *L.*

147. *Boletus domino.*) Boletus species fungorum solus innocuus, Romanis in summis deliciis. *V.* Martial.

Argentum atque aurum facile est, lanamque togamque
Mittere, boletos mittere difficile est. L.

149. *Illa poma.*) Qualia erant orbiculata, Massilia, medica, & alius generis delicatissima. *L.*

152. *Credere quæ possis surrepta.*) Atlas Mauritaniæ rex speciosissimum pomarium habuit, in quo aurea poma nascebantur, illumque hortum tenuerunt Atlantis filiæ Hesperides, Ægle, Arethusa, Hyperthusa, eumque Draco quidam pervigil custodiebat. Huc missus ab Eurystheo Hercules perempto Dracone fructus illos in Græciam pertulit. Varro non poma, sed oves attulisse refert, aitque errorem esse in ambigua vocabulo μῆλα. L.

155. *Ab hirsuta capellæ.*) Intelligunt heic lorum vel amentum e corio capellæ factum, hastæ alligatum, quo missa retrahi poterat. vid. Varr. *lib. 2. cap. ult. M.* Alii censent *Capellam* vivam scopi loco positam vel alligatam fuisse, ad quam jacularentur, ut hac ratione a scopo illius capellæ jaculari discerent. Alii denique censent *Capellam* fuisse gladiatorem jaculatorem optimum, a quo tyrones jaculari didicerint, qui quod hirtus corpore esset, *Capellæ* nomen sortitus sit. Sic autem legendum esset *hirsuto*, *L.* A magistro hirsuto, quia in bello milites utebantur vestimentis ex pilis caprarum & hircorum textis, docet Strabo, & Virgilius *lib.* 3. *Georg.* ut & pellibus, idem 8. Æneid. *M.*

Ducunt exortem Ænea, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.

Hirsuti ergo dicuntur magistri, aut a vestibus aut a pilis. hinc Ammianus Marcellinus *lib.* 17. in Constantio & Juliano: *Omnes, qui plus poterant in palatio Constantii, scilicet adulandi professores, recte consulta prospereque completa vertebant in deridiculum, talia sine modo strepentes insulse: in odium venit cum victoriis suis capella, non homo; Julianum carpentes.* Et Propertius:

Eques & frenis idem fuit aptus aratris
Et galea hirsuta compta lupina juba.

Et Martialis:

Vix tangere vagos ferro secare capillos,
Doctus & hirsutas excoluisse genas.

Just. Lipsius lumen & columen literarum Centur. 2. epist. 35. ad Josiam Mercerium, ait Josephum Scaligerum in libro, qui Ivo Viliomarus in Titium inscribitur, cujus auctor est ipse Scaliger, legere heic *hirsuto*, quam lectionem non probat. Quinimo adversantibus omnibus codicibus huic versui inserit *hirsuto*, & vult Capellam Statilium equitem Romanum intelligi, de quo vide Suetonium in Vespasiano. *An.* *Tu* pauper amicus *frueris* & cum delectatione præ inedia vesceris *scabie mali* seu malo carioso & silvestri, quod tyro pedes, *qui tegitur parma & galea*, *in aggere* satum *rodit* adhuc immaturum, dum *metuens flagelli*, seu vitis sui Centurionis; qua percuteretur, si peccaret, *discit jaculum torquere* ex pharetra, cujus tegmen est *ab hirsutæ capellæ* corio. *A.* A Centurione, qui exercet tyrones, hirsuto instar capellæ, *vel* induto sago Cilicio. *Brod. Misc. lib.* 9. *cap.* 1. ab arcu e cornibus caprinis. Simiam intelligit Jan. Rutgersius, quæ lucelli causa ab agyrtis jaculo instituì solet. Martial. *lib.* 14. *epig.* 202. bardocucullo & parma & galea tecta ridiculi causa flagello assueta officiique sui admonita. vide Rutgersii *var. lect. lib.* 3. *cap.* 15. & vetus Pithœi Scholia stes habet annotationem, *quale simia manducat.* Sed non ego credulus illis. *F.*

157. *Quæ Comœdia.*) Gelasinus Parasitus ap. Plaut. *in Stich. Ridiculus æque nullus est, quam quando esurit.* F.

159. *Per lacrimas effundere.*) mollitiem quandam muliebrem in Trebio notat, vel quia, ut Ovid

Expletur lacrimis egeriturque dolor. A.

160. *Pressoque.*) i. Compresso & frendente dente in signum tacitæ iræ. vel quod malo acerbo sint obtusi. *V.* More iratorum qui dentibus fremunt, frendent, strident. Sunt autem molares dentes ultimi, qui præmor

sa a prioribusdentibus postea molunt. *L.*

161. *Tu tibi liber.*) Reddit rationem ulterius, cur tam contumeliose clientem tractet, & monstraturo & merito servos & vilia mancipia ita tractari. Talem enim Trebium esse ostendit. *L.*

161. *Regis conviva.*) Scoptice ludit ambiguitate vocabuli Regis. *L.*

165. *Signum.*) *Bulla* figuram cordis repræsentabat: vel potius *bulla*, in indicium humanæ fragilitatis. *L.*

166. *Spes bene cœnandi vos decipit.*) Reddit rationem, cur Parasiti in suo proposito perseverent, quia semper sperent fore, ut melius cœnent & tractentur. *L.*

168. *Ad nos jam veniet minor altilis.*) De gallina aliquid. Nam anser *major altilis* dici poterat. Ita apud Persium *Sat.* 2. ille, qui insanis sacrificiis bona sua prodigebat, se consolatur:

Jam dabitur jam jam. L.

169. *Stricto pane.*) i. Arcto, duro, constricto, ut supra dixit:

— *Solidæ jam mucida frusta farinæ.*

170. *Omnia ferre, si potes, & debes.*) Malus ille Parasitus apud Terentium, qui ait: *At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.* Et Plaut. *Captiveis*:

Nisi qui colaphos perpeti

Potest parasitus, frangique aulas in caput. L.

Omnibus contumeliis & plagis te excipient, tuo merito, qui illa ferre velis, perinde ac si male tonsus aut rasus servus esses, vel parasitus plagipatida. *F.*

172. *Quandoque.*) Heic valet valet aliquando. Persius:

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit. L.

173. *His epulis.*) Parasitus, & ob hoc pessimum tuum vitæ genus dignus, qui talibus epulis vilissimis, & miserrimis tractetur, & talem etiam amicum dominum & patronum habeat, qui in te suum Parasitum tam contumeliosus, & injuriosus sit. *L.*

Ad Satyram VI.

CUm frigida &c. vers. 1.) Duo ostendit Poeta, eisdem mediis pudicitiam esse servandam, queis olim: labore, vigilia, neglectiore cultu, liberorum propria lactatione, (de qua vid. Gell. *lib.* XI. *cap.* I.) frigore & parco alimento: sine Cerere enim & Baccho friget Venus. *A.*

2. *Cum frigida parvas.*) i. Cum subterranea crypta & caverna in terra & rupibus excavata humiles domunculas habitantibus præberet. i. Cum homines in cavernis terræ vivebant. *L.* Porro Hyperbius & Euryalus fratres lateritias domos primi Atheuis exstruxerunt. Plin. *lib.* VII. M.

5. *Silvestrem torum.*) Nam ex herbis, frondibus & foliis stramenta faciebant, teste Varrone. Dicitur autem *torus* a tortis herbis, ut *lectus* a lectis. *V.*

6. *Culmo.*) Calamis segetum paleisque & stramine. *L.*

6. *Vicinarumque.*) propinquarum, inter quas versabantur, quippe qui sine dominis ferarum more degebant & errabant. *L.*

9. *Sed potanda ferens.*) Non sugenda sed potanda ubera exhibens. Credile enim est illo tempore infantes grandiores natos fuisse. Contra, ut noster hic inferius:

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Dicit Hesiodus primo sæculo natos centum annis annis sub matris imperio stetisse tanquam adhuc infantes. *V.*

10. *Horridior.*) i. Quæ nullum ornatum adhiberet: neglectior in victu & amictu atque ipse maritus. Contra fieri consuevit. Feminæ enim longe superbiores viris. *L.*

10. *Glandem ructante.*) Eo dicit, nam prisco ævo glandibus, fragis, pomis, pyris aliis arborum & herbarum fructibus vescebantur. Ait ergo *ructante*, tanquam qui glandes ad saturitatem & ructationem usque devoraret. *L.*

11. *Tunc orbe novo.*) Notanda hæc initii mundi testimonia. *L.* imitatur Lucr.

Quare etiam tellure nova cœloque recenti

Talia persingit potuisse animalia gigni. V.

12. *Qui rupto robore nati.*) Statius:

— *Populos umbrosa creavit*

Fraxinus & fœto viridis puer excidit orno. A.

Hanc fabulam eo natam dicit V. C. quod prisci, antequam domos construerent, in excavatis arboribus noctu quieverint, unde mane egressi, rudibus hujus fabulæ occasionem præbuerint. Alii hæc ad duritiem mortalium referunt. *L.*

14. *Forsan.*) Dubitanter merito loquitur ob incredibilem salacitatem Jovis. *L.*

14. *Sed Jove nondum barbato.*) Salse Deum suum irridet. i. Jove nondum adulto, nondum ad virilem ætatem perducto, ut possit adulterum agere. Illo enim adultiore, mores sæculi, cum Rege mutati sunt, cum nullis non libidinibus fræna diffusissime laxabat. Hinc illud:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα,
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Nimi-

Nimirum qui adulter vel scortator se transmutasse dicitur, in	Cygnum, Taurum, Satyrum, Aurum, Cuculum, Ignem, Amphitruonem,	ob	Ledam. Europam. Antiopem. Danaen. Junonem sororem. Aspidem. Alcmenam. L.

16. *Græcis jurare paratis, Per caput alterius.*) ita olim jurabant, sic Ascanius apud Virgilium jurat:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat. Au.

17. *Alterius.*) Hoc verbo indicat se scivisse Deos illos Ethnicorum homines fuisse, & homines jurare per caput Jovis, Apollinis, Herculis, qui homines fuerunt. A. *Alterius*, Parentum, liberorum, aut aliorum, quos charos habebant. quæ solennis jurandi formula, uti & per suum caput. *F.*

17. *Cum furem nemo* &c.) Cum divitiæ & opes nondum essent, & ob id nondum etiam fures erant. Cum olera, quibus illo tempore vivebant, abunde omnibus & singulis suppetebant, ita ut nemo illa furaretur. Vel ad integritatem animorum, & justitiam hominum respicit, cum illo tempore Astræa & pudicitia viguerint. *L.*

19. *Paullatim.*) Astræa justitia filia Astræi, qui Crii & Eurybiæ filius, ut Hesiodus ait: qui addit Ἀιδῶ καὶ Νέμεσιν una cum Astræa Superos repetisse. *L.* Seneca in *Agamemnone*:

Neglectas terras fugit & mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo syderum magnum decus. Au.

22. *Et sacri genium contemnere fulcri.*) i. Conjugalis vel matrimonialis fulcri genium præsidem, qui matrimonio præest, contemnere. *Sacri* ait, Nam matrimonium legitimum *sacramento* fit. *A.*

25. *Conventum tamen.*) Cum inde a Jovis tempore nulla castitas, nullus pudor in matronis fuerit, quæ dementia & insania est, te hisce ultimis perditissimis temporibus aliquam castam inventurum sperare, cumque illa matrimonium velle contrahere? *L.*

25. *Conventum*) Amicorum super sponsalibus, & nuptiis. *L.*

25. *Pactum*) cum sponsa, ejusque amicis. *Pactum* est, Cicerone teste, quod inter aliquos convenit, quod jam ita justum putatur, ut merito præstari debeat. *L.*

25. *Nostra tempestate.*) Sic Salustius creberrime. i. nostro sæculo pessimo, quo tot regnant adulteria. Nam si argenteo sæculo mœchi fuerunt, multo magis nostro. *L.*

28. *Certe sanus eras.*) Prius antehac sapuisti, jam dementas, imo furis. vel lege interrogatorie: *Certe sanus eras? F.*

28. *Uxorem Posthume ducis?*) Interrogatorie admiratur insaniam & furorem Posthumi, uxorem ducturi. Metelli Numidici de ducendis uxoribus ad populum hæc verba fuerunt, teste Gellio *libr.* 1. *capit.* 6. *Si sine uxore, Quirites, esse possemus, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita Natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.* L.

29. *Dic, qua Tisiphone.*) Cic. *pro Rosc. Nolite putare, ut in fabulis sæpe videmus eos, qui aliquid impie scelerateque commiserunt, agitari & perterreri tædis ardentibus. Sua quemque fraus & suus error maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentia adficit, suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæc sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a sceleratissimis filiis repetant.* V.

29. *Colubris.*) Inde dicuntur Orpheo (quod colubros loco crinium habeant)

Νυκτίελαι κοῦραι, ὀφιοπλόκαμοι φοβερῶπις. *V.*

34. *Nonne putas melius.*) minime existimandus est Juvenalis Satyricus morum & honestatis magister integerrimus illius alii auctor esse, quod ipse Sat. 1. 2. & aliis infinitis locis condemnat. Verum scoptice & hyperbolice notat omnia potius mala toleranda, omne scelus perpetrandum esse, quam uxorem ducere. Et falsc ac satyrice ludit Ursidium, quasi dicat: Itane vero: o Ursidi, tu jam adeo sanctus evadis, ut pueros Pathicos, quibus hactenus usus es, relinquendos censeas, cum quibus tamen longe melior conditio tui esse videbatur? quam cum uxore. Existimaram, longe satius tibi esse, ut puer pathicus tecum dormiret. Ludit ergo false & scoptice Posthumum. *L.* & *A.*

34. *Pusio.*) Ita in antiquissimis Codd. legitur. Cic. *pro Cœlio*: *Et propter nocturnos quosdam Manes tecum semper pusio cum sorore majore cubitavit.* Hieron. *ad Demetriad. An vereris, ne proles Furiana deficiat, & ex te parens tuus non habeat pusionem.* tamen melius *Pugio* mihi videtur legendum, idque pro nomine proprio. *V.*

35. *Litiget.*) Vel ut efferæ libidinis mulieres pensum a maritis absolvi cupientes: Vel ob alias causas, de quibus inferius inquit:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet, &c. L.

35. *Exigit a te.*) pro concubitu; more illarum, quæ temperantiores vel continentiores videri volunt. L.

37. *Nec queritur quod Et lateri parcas.*) Ea enim pars immoderato concubitu insigniter læditur. In Priapejis:

Deficit latus, & periculosam,
Cum tussi miser exspuo salivam.

Et Martialis:

— Usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus. L.

39. *Cariturus turture magno.*) Est turtur nobilis avis & piscis, Heic de pisce potius intellige, quia *magno* dicit. Talia autem munera orbis a captatoribus mitti solebant. *M.*

40. *Mullorum jubis.*) λοφοῖς, cristis, vel barbis. nam duplicem barbam a latere oris habent. Talia mitti solita fuisse orbis ex *Sat.* 4. vidimus in verbis illis:

— *Mullum sex millibus emit.* L.

44. *Quem toties texit.* &c.) Qui *toties* i. sæpius adulter superveniente marito ab adultera sub cista est celatus. *Au.* qualem Latinus in Mimo adulterum repræsentabat in cista (cista enim adulteros abscondi jam notarat Horatius:

— *An turpi clausus in area*
Quo te demisit peccati conscia herilis. M.

44. *Latini.*) de quo Martialis *lib.* 9.

Dulce decus scenæ ludorum fama Latinus,
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ.
Qui spectatorem potui fecisse Catonem. Au.

45. *Quid? quod & antiquis* &c.) Auget indignationem suam & stultitiam Ursidii. Primo enim absurdum esse dixit mœchorum famosissimum matrimonium cum uxore quaquam velle contrahere. Deinde quod, cum ipse sit turpissimus, matronam & castam & antiquis moribus præditam sibi quærat. *L.*

46. *Mediam pertundite venam.*) ne insaniat. Si delirans manum porrigere detrectet, vena in fronte secetur, &c. Paulus Ægineta 3. *l. cap.* de phreneticis, & Aetius *lib.* 6. *c.* 8. F.

47. *Delicias hominis.*) Est exclamatio. Sic nos Germani diceremus: *Wanne wie ein Lekker ist der, magstu anders nicht?* L.

47. *Tarpejum limen adora.*) Sic nos: *du magst Gott wol danken, bekomstu ein ehrlich Weib.* i. Si tu adeo felix es, ut non sine singulari Deum providentia & benignitate hoc sæculo turpissimo casta matrona tibi contingat, æquissimum profecto erit, ut Jovem adores, eique gratias agas. *L.*

49. *Tibi.*) Cum Emphasi dictum. Indignus enim turpissimus scortator honesta matrona. L.

50. *Paucæ.*) Matronæ dictæ sunt, quæ Cereris sacerdotes fiant, & votum castitatis præstent. Vel quæ dignæ judicatæ essent, quæ tanquam castæ & honestæ Cereris vittas contingant; quod ab impudicis fieri nefarium putabatur. Ovid.

Parva bona Cereri, sint modo casta, placent. L.
Thesmophoria agebantur per νηφαλίους sobrias & castas feminas. *J.*

51. *Quarum non timeat.*) Tanquam passim casta oscula, & non honestæ caritatis, sed turpis libidinis indicia. *M.* Eo dicit, nam occurrentes cognatos & notos veteri instituto osculari solebant. V. C. ait, filias impudicas patris osculo privari solitas fuisse, quod magnæ pœnæ loco sit habitum. *L.*

51. *Necte coronam.*) Salse Umbritium vexat, Ironice ipsum exhortans ad matrimonium. *L.*

53. *Unus Iberinæ.*) Scoptice hæc dicit. Fuit autem haud dubie Iberine illa, quam ducere voluit Ursidius. q. d. Nimirum Iberine tua casta est. *L. Hiberinæ* legit *Au.*

53. *Ocyus illud.*) Explicat ironiam. imo vero illa uno oculo potius contenta esse velit, quam uno viro, vel, mavelit uno oculo potius orbari, quam suis mœchis, q. d. ipsam suis oculis mœchos cariores habere. *L.*

56. *Vivat Gabiis, ut vixit in agro.*) Respondet Poeta, illud non tam virginis ingenio deberi, quam loco. Illa enim casta non est, quæ non impudice vixit, ad quod locus & occasio sæpe aliquem adjuverit, sed quæ animum pudicum habet, & etiam inter impudicos scortatores pudicitiam suam potest retinere. *L.*

58. *Nihil actum.*) Licet enim palam forte stuprata non est, clam illud fecisse poterit. Plures enim famam, pauci conscientiam verentur. *L.*

59. *Senuerunt.*) Adeo ut senio impediti rusticas virgines amplius corrumpere non possint. *L.*

61. *Cuneis an habent.*) i. An in totis & universis Amphitheatris, & eorum cuneis, sedibus, gradibus, & receptaculis, in quibus tot centena mulierum conveniunt, aliquid habetur, quod sine cura & metu de ejus libidine, & incontinentia secure diligere & amare possis. *L.*

63. *Cheironomon Ledam.*) saltationem gesticulatricem amat. *Leda* mollis saltatio, quæ cheironomia i. manuum gesticulatione, & nutu repræsentatur, ut ait Budæus *ad l. athletas, de his qui notantur infam.* D. Au. *vid.* J Cæs. Scalig. Poet. *lib.* 1. *cap.* 18. F.

64. *Tuscia.*) Mulier rustica, quæ dum pantomimus saltat, non potest se cohibere. hinc D. Cyprianus *in Epistolis*: *Adulterium discitur, dum videtur, & quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, e spectaculo revertetur impudica.* Tusciæ meminit Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 1. & Plinius *lib.* 28. *cap.* 8. Au.

63. *Appula gannit.*) Per hæc nomina *Tuscia* (sic enim legitur in antiquis Codd. *M.*) & *Appula*, videtur innuere mulieres ex Tuscia vel Apulia, rusticas, quæ corrumpantur Romæ tam obscœnis & lascivis spectaculis. *Gannit* id est, gannitu obmurmurat non secus ac si quicum concumberet. Apulejus in ἀνεχομένῳ *Inter gannitus & subantis voculas.* L.

65. *Sicut in amplexu.*) Non secus ac si tenacissimis complexibus mi nu n, quem videt, ad coitum complexura esset. Videmur autem hæc commode cum sequentibus conjungi posse: Gannit subitum & miserabile, i.

Edit

Edit subitas & miserabiles vocculas. *L.*

69 *Atque a Plebejis longe Megalesia.*) Longo vero ludorum, interstitio & ipsæ histrionicam exercent, ac mimorum vestes contrectant. *L.*

70. *Subligar.*) Subligaculum, quo vitilia Accii illius Mimi inter agendum religabantur. *L.*

71. *Urbicu*.) Turnebus intelligit actorum & Poetarum certum aliquod genus, qui urbane & jucunde carmina sua proferrent. *L.* Martialis in Chionem:

Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris,
Si pudor est, transfer subligar in faciem. Au.

71. *Atellanæ.*) Erant fabulæ Atellanæ propriæ, quæ res serias in risum vertebant dictæ ab Atella Oscorum civitate, in qua primum cœptæ. *L.*

72. *Hunc diligit Aelia pauper.*) Fuit Aelia familia Romæ pauperrima, teste Tacito & Val. Maximo. Hæc diligebat urbicum exodiarium. Exodiarii enim viliores erant. *L.*

73. *Magno*) precio, ut cum illis, postquam lascivis illorum gestibus incitatæ sint, possint concumbere. *L.*

78. *Longa per angustos.*) Ironia & amara in illos irrisio, qui conjuges ducebant, i. Nos nuptias magnis sumptibus faciamus, ut alii histriones, ludii, & pugiles ex nostris uxoribus per adulterium liberos suscipiant, quos nos tanquam nobiles, & ex nobis natos nutriamus. *L.*

82. *Ludium*) Athletam, gladiatorem Sergium. Est versus Hypermeter. Sic dicet inferius: *Sic veniunt ad miscellanea Ludii.* A. *Ludii* proprie *die Freyfechter, und Schwertdäntzer*, qui gladiis & palmis in ludis, & pompis saltabant. *L.*

83. *Famosa.*) Vel quod Reges pessime ibi vixerint, vel *famosa* Pompeji cæde, vel ob luxum virorum & mulierum *famosa*. *L.*

84. *Canopo.*) Hoc Emphatice dicit. q. d. Cum apud Alexandriam & Canopum tam flagitiose viverent, condemnabant tamen urbis Romæ mores, tanquam turpiores. *L.*

86. *Plorantes improba natos reliquit.*) Paullatim magis magisque exaggerat hoc scelus inter alia inhumana ἀστοργίας & immani. *L.*

87. *Utque magis stupeas, ludos Paridemque.*) Scoptice hoc dicit in Romanorum otia & delicias, qui ludis Circensibus & Theatralibus vitam & spiritum ducebant. Unde supra dixit:

Si potes avelli Circensibus — L.

87. *Stupeas magis.*) Quasi non tam mirandum sit, quod maritum & liberos reliquerit, quam quod ludos Circenses, & festivissimum illum histrionem Paridem. His enim ante omnia delectabantur Romani. *L.*

85. *Sed quanquam.*) i. Licet mollissime & delicatissime educata esset, tamen amore turpis mœchi mare intrare sustinuit. *L.*

89. *Parvula.*) Ex toto illo tempore, quo parva adhuc puella fuit, ut ita in supinis deliciis quasi enutrita sit. *L.*

89. *Segmentatis.*) Segmenta vocat circulos aureos vel segmenta Zonis quibusdam & quasi præscisamentis ornata. nam & particulas cujusque materiæ præsegmina vocant. Isidorus Originum *lib.* XXIX. *cap.* 22. Au.

90. *Famam contempserat olim*) & pudorem. quem quæ contemnit, facile illa omnia contemnit. *L.*

91. *Cujus apud molles minima est jactura cathedras.*) Mart.

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros.

Ministri cathedralitii erant delicati, & molles, qui rheda vehebantur, in cathedra sedentes: sed cum *cathedras* legamus fœmineas, effœminatos & delicatos intelligimus. *Au.*

92. *Late sonantem Ionium.*) Dum fluctus in scopulis franguntur. Undarum & fluctuum impetu late crepitantem. *A.* Virg.

— *Sonat Ionio vagus Hadria ponto.* L.

94. *Justa pericli si ratio.*) i. Si ex honesta aliqua causa maris periculum subire debuisset, anxia & trepida fuisset. *L.*

98. *Si jubeat conjux.*) In honesta scilicet & justa causa. Tunc sunt mollissimæ, & delicatæ nimis. Tum illis lascivis mœchis durissimum videtur mare ingredi. *L.*

99. *Summus vertitur aer.*) i. Conqueritur aerem, qui superiori loco ante, summus erat, verti ad inferiorem locum. *Es gebt mit ihr rund umb.* hoc ex nausea fieri consuevit. L.

101. *Hæc inter nautas.*) Inter fœtidos & maleolentes nautas, prandium capit, & huc illud læta currit & spatiatur per posteriorem navis partem. *L.*

103. *Qua tamen exarsit.*) Profecto operæ precium est considerare & inquirere amoris causam. *L.*

103. *Qua forma.*) Haud dubie eximia, ob quam maritum, natos, sororem, patriam, tot & tanta sustinuit relinquere. Necesse est ipsum incredibili pulchritudine & venustate & juvenili admodum ætate præditum fuisse. *L.*

104. *Propter quod ludia.*) Ludionis & gladiatoris uxor potius, quam Senatoris. *L.*

105. *Nam Sergiolus.*) Pulchellus ille Sergiolus (fuit autem admodum deformis, ut sequitur) cœperat jam, utpote senior, plenam barbam alere, & gutturi radere inter tondendum. Fuit enim jam grandævus & non juvenis amplius. Rursus heic contraria conjungit. *L.*

107. *Sicut Attritus.*) Refert illa, quæ faciem Sergii deformabant. Multis erat erat deturpatus vibicibus, & galea etiam, quam in capite gestaver, attritus erat. Apparet eum secutorem fuisse. L.

108. *Mediisque in naribus ingens Gibbus.*) Deformis tumor ex percussione. *L.* catachresis satyrica. *F.*

109. *Et acre malum.*) Praeterea lippus erat, & vehementi aspero & difficili malo & morbo lippitudinis infestabatur, quo oculi illi semper fluebant. *L.*

112. *Hic Sergius idem.*) i. Mulier illa Hippia tanto amore gladiatoriae flagrabat, ut si Sergius rudem accepisset, & gladiator esse desineret, statim relinqueret Sergium. *L.*

114. *Accepta rude.*) Quod si idem Sergius rudem, i. e. gladium e ligno. Polyb. ξύλιναι μάχαιραι. Dionys. ξίφος ξύλινον, baculum seu virgam signum missionis a gladiatura impetraret, statim & Hippiae deformis visus desereretur, ut prior maritus Vejento. *F.* Cic. 5. *Philip. Tam bonus gladiator tam cito rudem accepisti* Au.

115. *Divorum.*) Irrisorie. Nam Imperatores inter Deos haberi volebant & Divi videri. Erant autem rivales Divorum turpissimi & levissimi scurrae & ganeones, quae Messalinae in lupanari miscebantur, ut sequitur. *L*

117. *Ausa palatino.*) Hi duo versus parenthesi debent includi. Alias longius a se removerent verba illa conjungenda *virum linquebat.* *L.*

118. *Augusta meretrix.*) Haec verba etiam sapiunt quandam contrarietatem, de qua supra toties dictum. Imperatoria conjux ex Augusteo stemmate agens meretricem. *L.*

119. *Linquebat.*) i. delinquebat. *M.* imo solum cubantem maritum tamdiu reliquit. *V.*

119. *Comite ancilla.*) Cum ante innumeris famulis, tanquam imperatoria conjux stiparetur. Hanc autem elegerat in certamen libidinis.

120. *Flavo galero.*) crinem nigrum, quem matrona alebat, supposito rotundo muliebri capitis tegumento in modum galeae facto; quo utebantur meretrices. Hoc faciebat, ut meretrix publica videretur. *L.* Meretricio flavo galero seu galericulo e crine flavo, qui meretricum color est, factitio & adscititio nigrum crinem matronalem abscondente, ut publica meretrix videretur. moechos obtecto capite cucullo per lupanaria nocte vagari solitos notum ex historiis. Quin & meretrices obnuptas fuisse non novum. vid. Tertullian. *de cultu foem.* F.

121. *Intravit calidum lupanar.*) Vel frequentatum, vel quod vetus cento calorem retinuerat. *L.* vel calidum a Lycisca recens egressa, a qua meretrice multis ganeonibus petita cellam conduxerat. *F.*

121. *Veteri centone.*) Centones vestes erant e variis pannis & coloribus confectae. Macrobius: *Porcius Cato docet centones fieri ex vestimentis familiae veteribus.* Cento apud Ausonium opusculum structum ex variis diversisque carminibus. *Au.*

123. *Auratis.*) Ornatis auro, vel sindonio conne-xo aureis annulis. sic etiam Heliogabalus: γυμνὸς ταῖς θύραις τοῦ πορνείου ἵστατο, ὥσπερ αἱ πόρναι, σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον ἔχων τι περιπεταννύμενος. Xiphilin. Heliog. [...] donium illud intelligatur rectius de velo, [...] ribus & cauponis oppandebatur, atque annulis, per quos velum adducitur & reducitur, Anglice rings. F.

124. *Generose Britannice.*) quasi minime generosus, qui forte ganeonis es filius. Haec rursus Ironiam sapiunt. Nam haec male conveniunt, generosum esse, cujus mater meretrix pudenda lupanaribus ostenderit. *L.*

125. *Blanda.*) Blanditiis alliciens, meretricio more. *L.*

125. *Atque aera poposcit.*) Stupri scilicet mercedem, ut crederetur vere publica meretrix esse. *L.*

126. *Multorum absorbuit.*) quippe quae plures admiserit illa nocte, cum ancillam suam vigintique vicibus superaverit. *L.*

128. *Sed quod potuit.*) i. Extrema, quae potuit, tavit, ut cum citius ipsis meretricibus discedendum esset, saltem ultima esset inter discedentes. *L.*

131. *Obscurisque genis turpis.*) [...] turpata, & nigrata fuligine in sordido lupanari, vel turpata contactu, crebrisque osculis amplexantium. *L.*

131. *Fumoque lucernae Foeda.*) i. Fuligine lucernae foedata. Horat.

— *Sub clara nuda lucerna*
Quaecunque excepit turgentis verbera caudae.

133. *Carmen.*) Incantatorium, quo amatores nimios fascinant. Virg.

Carmina vel coelo possunt deducere Lunam. L.

134. *Faciunt graviora* &c.) Duplici sensu haec dicuntur, Vel Illae coactae ab imperio sexus muliebris (ab odio, ira, invidia, & reliquis adfectibus, quos muliebris sexus *imperium* vocat, graviora adhuc scelera committunt, atque illa sunt, quae faciunt ob libidinem. Vel. q. d. viri seu mariti sui imperium aegre ferunt, & libenter illud excuterent, inde semper in vetitum nituntur, multa saepe machinantur, multa interdum etiam perpetrant, quippe quibus pectus natura dolo instruxit, sed vires negavit. Licet prior sententia videatur concinnior. *V.* & *L.* Quod si incitentur odio, ira, vel aliquo alio affectu malo, cujus imperio facile obsequitur sexus iste, graviora audent scelera, quam libidinem. *F.*

138. *Nec Veneris pharetris.*) i. Maceratur Veneris cupidine, non fervet flammis Veneris, sed dotis flagrat amore, i. Non emaciatus est jaculis Veneris, sed jaculis Plutonis, vel Dei divitiarum, qui ipsum cepit. *L.*

139. *Sagittæ.*) Jacula amoris & castitatis veniunt a te, non a virtute. *L.*

40. *Libertas emitur.*) i. Libertas faciendi, quidquid ...t, emitur a mulieribus divitibus d...te. Plautus: *Uxo... accepi, dote imperium vendidi.* L. Libertatem agendi, ... velit, dote magna emit uxor, maritus vero dotem ...pit, libertatem vendidit. πίονς τὴν γυναῖκα πλουσίαν ..., ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι, &c. Anaxandrides ... Stobæum. *F.*

40. *Coram licet innuat.*) i. Dives & dotata mulier ...m præsente marito omnia flagitia designat, & ta...na marito tanquam pudica laudatur. Et licitum est ...n ei, coram vel præsente marito, mœcho innuere illi... rescribere, quæcunque velit. Nam viri, quidquid ...ieres agunt, illud laudant, cum sint dotatæ. *L*

41. *Vidua est locuples.*) i. Dives mulier, quæ avaro ...nupsit, illa in conjugio æque libera est, ac si esset ...a, ac si nulli matrimonio juncta esset. Vel, quibus ...erit, illis commiscetur, tanquam vidua esset, & ma...n non haberet. Vel dives mulier, tanquam vidua, ...imine peccat, tanquam adulterium non admittat. ...no vir ejus avarus illi non concumbendo noctes ejus ...viduas, & dote contentus non moratur illius amo... ...icet vel cota... ...pat adultero. *A.*

43. *Si verum excutias.*) i. Si ipsam veritatem accu...s aliquanto perscruteris. *Excutere* proprie signifi... ...ab vestibus abscondita inquirere, & indagare. *L.* ...n ...l... magis ob venustatem, quam pudicitiam ...itur. *J.*

45. *Fiant obscuri dentes.*) quod fit senio, si nigre...t. *L.*

45. *Oculique minores.*) Contrahantur, quod itidem ... senectute fit. i. fiat anus. *L.*

...9. *Calet.*) Viget, vegeta, vivida est. *Sic is...* ... Sic contra dicitur frigere & algere:

— *Probitas laudatur, & alget.*

i. formosa est. sanguine calescentes formosæ sunt, ...que *regnat* i. superba est & *dat facies animos, fa...solentia Corinna est.* M.

...3. *Mense quidem brumæ.*) Notat servitia & mi... ...m conditionem maritorum, qui hiemali tempore, ... reliqui mercatores, & negotiatores cessant pro... ...fragiis, coguntur uxoribus suis crystallina & myr...na pocula, & preciosos lapillos non sine vitæ discri...ne adferre. *L.*

156. *Myrrhina.*) Pocula de myrrha facta, quæ pri...is in urbem invexit Pompejus. Talia ob varietatem ...orum, & gratum odorem habebantur in maximo ...cio. vid. Plin. *lib.* XXXVII. *M.* & Mart. Epigr. 113 ... XIV. & quæ nos ibi. F.

157. *Hunc dedit olim.*) Deridet Satyrice, quod mu...res viris imperent, & jubeant ornamenta adferri ex Aegypto, eaque in precio habeant, quod Reginæ olim cum gestaverint. Nempe in digito incestæ reginæ lapis preciosior redditus est. Ironice. L.

159. *Observant.*) Vel, dedit hunc lapidem sorori suæ in Judæa, ubi reges meris vel nudis pedibus sancta sabbata religiose observant & colunt. Ridet obiter Judæos L. In Judæa, ubi nudis pedibus sacra peragunt, quod Mosi Deus præcepit, ut calceamenta solveret, &c. Berenice autem nudipes & capillos rasa venit Hierosolymam Deo vota pro salute solutura. Joseph. *lib* II. Judaici belli: Hinc forte hujus digressionis causa ad mores Judæorum facta Berenices mentione. *F.* Egesippus in *lib.* II. *belli Judaici*, tradit Berenicem sororem Agrippæ regis ad templum religionis causa venisse, atque Festum Præsidem Syriæ obsecrasse, cum acerbissima cæde in populum sæviret. astabat nudis pedibus religioni inserviens. *An.*

160. *Et vetus indulget.*) Ex divino instituto & lege, quod animal esset immundum, ungulam findens, non ruminans. *Levit.* 11. 7. non, ut falso Tacitus *lib.* V. *Hist.* in memoriam cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverit (idem etiam mentito Justino *lib.* XXXVI.) cui id animal obnoxium. *F.* Qui autem Judæorum meminit, loquitur non de Antiocho vel Cleopatra, sed de Herode Agrippa. *L.*

162. *Sit formosa.*) Jam e contrario ostendit ne optimas quidem ducendas esse, ob fastum & elationem suam. Describitur ergo quædam ex voto mulier, non qualis detur, sed qualis merito esse deberet, si daretur. Et quæ si vel maxime daretur, ob fastum esset intolerabilis. *L.*

162. *Decens.*) de moribus intellige venustis. L.

162. *Dives.*) de quibus prima quæstio esse solet. *L.*

162. *Fœcunda.*) quæ fœcunditate sua conjugium reddat lætius. *L.*

162. *Vetustos Porticibus.*) i. Sit etiam nobilis & generosa. Vel cujus avi triumphantes in imaginibus picti sint, & in porticu ordine dispositi. Tales majorum nobilissimorum triumphales statuas in limine ædium, & porticibus solebant ponere. *L.*

163. *Intactior omni.*) De moribus ultimo loco dicit, ex consuetudine perdui temporis. *L.*

165. *Rara avis.*) Sicut phœnix, quæ una avis in terris tantum reperiri dicitur. Hanc consimilem optare licet, consequi non licet, & ratio est, quia non datur. *L.*

166. *Quis ferat uxorem.*) i. Prædicta omnia si maxime uni uxori adessent, quis illam ferre posset. Nam ob hasce dotes superba esset, & propter superbiam intolerabilis. *L.*

167. *Venusinam.*) inter Apuliam &, Lucaniam mulierem rusticam & ignobilem & pauperem, quam te,

o Cornelia, Gracchorum mater, quæ casta, nobilis, formosa, & dives fuisti, & fœcunda. *L.*

169. *Et numeras in dote triumphos.*) Si propter nobilitatem & gloriam majorum tuorum tibi subjectus esse cogat, & tanquam propter dotem tibi parere. *L.*

170. *Tolle tuum precor.* &c.) Hisce verbis indicat, satius esse talem superbam uxorem deserere, & dimittere, quam illi cohabitare. *L.*

171. *Cum tota Carthagine migra.*) Unus enim Scipionum Carthaginem tributariam fecit, alter vero totam delevit. *L.*

172. *Parce precor.*) Est initio Prosopopœia Amphionis deprecantis mortem liberorum suorum a Diana & Apolline sagittis confectorum. *A.* Imo mulierum insolentia, quandoque vel in ipsos Deos insurgit, arcessitque divinam vindictam in se suosque, atque fine illa Amphionis deprecatio clamantis, *Parce precor.* vide fabulam t. *lib.* vi. *Metam.* *F.*

175. *Ipsumque parentem.*) i. ipsum Amphionem, qui calamitate filiorum, & morte eorundem contabuit. *L.*

179. *Niobe.*) Niobe primæ omnium mulierum mixtus est Juppiter, ut perhibent, de qua nascitur Apis quem Serapim vocant, inquit Divus Hieronymus in chronicis Eusebii. Horatius *lib.* iv. *Ode* 6.

Dive, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ Pythiosque raptor
Sensit. Au.

178. *Quæ tanti gravitas.*) Demonstrat ulterius superbiam mulierum esse intolerabilem, quæ si vel maxime cum honestate & pulchritudine conjuncta sit, plus aloes, quam mellis viris adferat, & omnes virtutes conjunctas odiosas reddat, & contaminet. i. Quæ morum gravitas & honestas, & quæ pulcritudo & formositas tanta esse potest, ut patiaris æquo animo, ut per superbiam se & suas dotes, virtutes & formam tibi objiciat & exprobret. ut seipsam, tanquam maximum beneficium, tibi semper exprobret, suas virtutes in exprobrationem tui extollat. *L.*

179. *Hujus enim.*) i. Ut vel maxime formosam, nobilem, & castam ducas (quod tamen rarissimum inventu) si superbia accedat, nulla inde ad te voluptas perveniet. Et plus aloes vel amaritudinis ex superbia ejus, quam mellis & dulcedinis ex formositate & castitate ejus consequetur. i. Hujus summi quidem & rari boni nulla prorsus est gratia. *L.*

183. *Septenis horis oderit.*) Dies singuli Romanis in duodecim horas dividebantur. (teste Paulo Jcto. I^c.) Longiori ergo tempore illam oderit, nimirum 7. horis & quinque tantum amaverit: majore diei parte oderit, quam amet. *L.* Hieronym. *Nocivum genus fœmina, janua Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis percussio.* M.

183. *Septenis*) i. septem. Lucan. *Septeno gurgite Nilus.* V.

184. *Quædam parva quidem.*) Alia mulierum reprehensio, quod Græcum mollem, & effœminatum sermonem adfectarent, ut formosiores, & gratiores viderentur. i. Referam quædam modica, & exilia vitia graviorum adspectu, sed viris tamen non toleranda Vel *parca* hoc loco lege, & sic interpretare: Quædam mulier parca quidem est, non superba, & magnifica, & sumtuosa. Sed tamen non toleranda est, quod Græco sermone, ut blandior videatur, utatur. Ille enim sermo blanditiarum feracissimus. *L.*

186. *Omnia Græce.*) i Ipsæ libidinosæ mulieres omnia Græce dicunt & proferunt, eo sermone venustatem & elegantiam sibi conciliaturæ. *L.*

188. *Cum sit turpe magis.*) Cum Latinis turpius esse reputetur omnia Græce nescire, quam Latine. Sed durius hoc. Aliter & forte rectius: Cum tamen nostris Romanis pro summa turpitudine habeatur Latine loqui nescire, & vernaculam linguam ignorare. Mallem hoc loco legi: *Cum sit turpe minus.* L.

191. *Concumbunt Græce.*) Græco more, vel dum dum inter se concumbunt, Græco sermone utuntur. *A.*

191. *Dones tamen ista puellis.*) Concedas vel condones ista prædicta puellis & juvenculis, ut Græco sermone utantur, quibus propter ætatem multa sunt condonanda. indicat in juvenculis vel puellis forte hanc linguæ Græcanicæ adfectationem tolerari posse, in vetulis vero prorsus esse intolerabilem. *L.*

193. *Non est hic sermo pudicus.*) i. Hic sermo Græcus, etiam in vetula turpis & impudicus est, præsertim si lasciva illa verba inserantur, quibus Lais nobilissima illa meretrix in concubitu juvenibus adblandiebatur: *Ζωὴ ϗ ψυχή*, *Mea vita*, *mea animula.* L.

196. *Quod enim non excitat inguen.*) i. Quem hominem non excitat vel incitat in libidinem hujusmodi nimis blanda & nequam Græcorum vox, quæ nimis nimis insidiosa est homini pudico. Ob id *nequam* appellatur. Perniciosum esse demonstrat lasciva illa verba, & gannitus, & submurum voculas, quibus libidinosi in complexu utuntur, in publico velle uti, quæ suis blanditiis libidinem excitent. *L.* Ovid.

Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri,
Et quæ clam facias, facta referre palam. M.

197. *Nequam.*) quæ profecto multa mala docet. *L.* Vid. Gell. *lib.* VII. *cap.* II. *M.*

197. *Digitos habet.*) Sicut tactus mulierum movet intima, ita vox lasciva & effœminata non animum modo, sed inguen etiam & obscœna corporis excitat, tanquam manu palpentur. *L.*

197. *Ut tamen omnes.*) Hæc ita explico (nam Interpretes vix Oedipus intellexerit) Quamvis hisce tuis lascivis verbis vel maxime auditores ad libidinem excitentur, & omnes libidinis prurigines subsidant; & inferius in inguina delabantur: & quamvis maxime lascive hæc dicas, tamen quia facies tua annos computat tuos, & deformis vetula es, nemo te amat appetit, desiderat. Vel irridet irritum conatum vetularum, quæ ut vel maxime omnes ingenii nervos adhibeant, & Græcum sermonem mollissime pronuntient, & illa nefaria Græci sermonis & lasciva verba, nullum tamen amatorem sibi comparare possint, cum sint vetulæ. *L.* Quod si omnes adhibueris vocis ingeniique nervos & artes ad irritandam Venerem, & ,ut placeas: rugosa tamen facies te annosam prodit. vide Martialis *epig.* 23. *lib.* 3. F.

198. *Subsidant pinnæ.*) Metaphora ab avibus. Ingenii nervi vel pinnæ quasi ex superiori loco deorsum vocentur. Possumus etiam *pinnas* hoc loco intelligere in cacumine turrium rotundos apices. Quamvis illa, quæ suprema sunt, sermone tuo quasi deorsum voces, videtur esse proverbialis quædam figura. *L.*

202. *Mustacea.*) sunt lenia cibaria ad stomachum reconciliandum, & fercula facillimæ digestionis, quæ dabantur crudis, & qui imbecillioris erant stomachi ex ingurgitatione nimia, aut varietate ferculorum in nuptiis. *V.*

203. *Labente officio.*) Pro abeunte. Cum jam illi abeunt, qui officii gratia convenerunt. Solebant enim ante, quam abirent hospites nuptiales, illis dulcia mustacea erogare loco Apophoretorum. *L.* vel, labente officio stomachi, quia addit *crudis donanda.* F.

204. *Beata.*) Plena, ampla, vel divite Sat. 1. *Qui se lautum atque beatum.* Item *vetulæ vesica beatæ.* L.

204. *Dacicus.*) i. Nummus aureus, cui Dacicus, & Germanicus Domitianus impressus, vel insculptus est. Solebant autem in lance novæ nuptæ hujusmodi munera offerri. *L.*

206. *Si tibi simplicitas uxoria.*) Si unicam tantum simpliciter vis amare in conjugio, & non multis promiscue uti. *L.*

210. *Igitur longe minus utilis illi Uxor*) Concludit, Ergo, quo quis melior erit, suamque uxorem debito honore magis est complexurus, hoc minus utilis illi uxori est: Et hoc magis ille a muliere cruciabitur. Infert ergo, quod, quo quis melior maritus sit, eo miserior futurus sit, vel qui vehementer uxorem suam amaturus sit, vehementer ab eadem sit excruciandus. *L.* Quo probior & melior maritus quisque est, hoc magis uxor ejus ingenio volet abuti, & ubique præesse, ac imperare marito. *J.*

214. *Ille excludetur.*) i. Hac uxore tua instigante vetustissimus & optimus tuus amicus, qui tibi a puero notus & familiaris fuit, qui domum & januam tuam frequentavit juvenis adhuc, cum barbam alere inciperet: ille, inquam, hac imperante & instigante e domo tua ejicietur, & excludetur. *L.* qui ab adolescente te patronum coluit. Juvenes enim barbam alebant ad ætatis annum xxi. deinceps radebantur. *F.*

216. *Testandi cum sit.*) Cum etiam homines infames, ut lenones, gladiatorum magistri, & gladiatores ipsi jus habeant pro suo arbitrio testamentum constituere, fingere, & refingere. Contra tibi forma testamenti ab uxore tua dictabitur; Tu libertatem illam non habebis, sed pro arbitratu uxoris tuæ *rivales* etiam tuos, idque *non unum*, sed multos in in testamento tuo heredes bonorum tuorum relinques. *L.*

218. *Tibi.*) Emphatice. Tibi soli & uni contra. *L.*

218. *Dictabitur.*) Satyrice. Quemadmodum discipulis, quibus imperamus, & qui morem nobis gerunt, etiam coactis & nolentibus scribenda dictamus. *L.*

219 *Meruit* &c.) Responsio miseri illius mariti γυναικοκρατουμένου, & causam supplicii ab uxore percunctantis. Quid peccati commisit, quis testi criminis eum convincit, quis accusavit? *L.*

220. *Audi: Nulla unquam.*) Pulchra & egregia sententia, sed interpretibus, ni fallor, parum hactenus perspecta, qui illam ita explicant, tanquam sint verba Poetæ, quod nulla mora & longa deliberatio de morte hominis servi apud mulieres sit. Quasi illæ non diu deliberent, sed statim servum ad crucis supplicium condemnent, nullis consideratis circumstantiis & caussis. Verum nobilior hinc sententia eruenda. Sunt verba adhuc mariti ad uxorem, uxorem suam admonentis: Audi, o mea conjux, Non tam subito, & inconsiderate de morte alicujus hominis statuendum est, non tam subito condemnandus est servus inaudita causa. Sed probe & accurate considerandum, an etiam reus sit. Nam nulla cunctatio, nulla mora, nulla deliberatio de morte hominis potest esse nimis longa. Nec omnia nimis accurate in judicio capitis observari possunt. *L.*

222. *O demens! Ita servus homo est.*) tam vilissimus servus etiam homo judicandus est. Age esto, quod nihil fecerit, & peccati in se admiserit. Ego volo & jubeo ipsum interfici. Et si causam vel rationem supplicii ejus quæras: Scias me ita velle. Negat autem servum esse hominem ex muliebri fastu & superbia. *L.* *o demens*, blandientis vox & uxorem palpantis Mariti. *V.*

224. *Imperat ergo viro.*) Mira profecto Romæ illo sæculo mulierum licentia. Cato senior de uxoria potestate dixerat: *Omnibus hominibus uxores imperant, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.* Dixerat & prius Themistocles: *O uxor, Athenienses Græcis imperant, ego Atheniensibus, tu mihi, tibi filius,* [O pudor!

dor! qui dominantur viris, serviunt mulieribus. M.

225. *Et flammea conterit.*) Sæpius nubendo terit, vel priora lacerat & nova sumit flammea i.e. velamenta rubei coloris, quibus novæ nuptæ caput cooperiebatur. vel dissecat flammea, quibus ducebatur ad illum maritum, tanquam aspernata matrimonium ejus. *A.*

225. *Inde avolat.*) Mox ad alium. inde rursus ad alium, avolat. *L.*

227. *Pendentia.*) i. Die adhuc nuptiali, vel saltem paulo post nuptias, cum vela vel aulæa adhuc suspensa sunt. *L.*

230. *Quinque per auctumnos.*) In Italia contigit, teste D. Hieron. ut par hominum, e plebe matrimonio conjugarentur, vir, qui ante viginti uxores sepelierat: Mulier, quæ jam vigesimum secundum maritum duxerat. Summa ergo omnium fuit exspectatio, quis quem educeret & sepeliret. Vicit autem maritus, & totius urbis populi confluente multitudine tanquam victor ancipitis certaminis & fortissimi adversarii coronatus est. *V.*

230. *Titulo res digna sepulchri.*) Scoptice, & acri ironia, quæ res digna est, quæ in memoriam apud posteros lapidi sepulchri incidatur. Eo dicit. nam maritorum nomina sepulchris uxorum inscribi solebant. *L. & A.*

233. *Missis tabellis rescribere.*) i. Epistolis vel literis a mœcho missis, accurate respondere. Sic supra:

— *Coram licet innuat, atque*
Rescribat. — L.

235. *Corpore sano.*) Filia, quæ ægrota non est, sed valens sano corpore. Cujus tamen ægritudinem simulat, ut habeat filia facultatem ad se vocandi sub persona medici quemvis adulterum. *L.*

236. *Archigenem.*) Martialis:

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque
A medico futui. Vis sine febre mori? M.

237. *Abditus interea.*) i Interea dum visitur a medico, adulter, qui sub persona medici etiam intrare potuit, in aliquo secreto loco abditus latet, & moram vel cunctationem, quam medicus facit, non sustinere potens silentium agit, & libidinem interea excitat. *L.*

228. *Impatiens moræ.*) Urbane abutitur versu Silii Italici:

— *Vocat Hannibal hostem*
Impatiensque moræ fremit, ut sit copia Martis. M.

238. *Pavet.*) Timet vel formidat, ne videatur. Verum hæc lectio mihi non placet. Nam si anxie metu paveret, haud dubie illa obscœna non faceret, quæ sequuntur. Melius ergo legitur: *Silet.* L.

139. *Præputia ducit.*) μασεγνίνει. *F.* Hæc ultima obscœna atque scelerata sunt intelligenda de illis, quos D. Paulus *molles*, *ad Rom. cap.* 1. vocat Hic ultimus obscœnus versus, teste Probo, in quibusdam exemplaribus non invenitur. *V.*

240. *Utile porro.*) Deinde utile etiam est turpi matri vetulæ sibi similem filiam turpem, & adulteram filiam producere: Scortationibus enim & adulteriis filiæ mater sustentatur, vestitur, nutritur. *L.*

241. *Producere.*) προαγωγεύειν, quod inter alia significat *prostituere.* Ait ergo utile ei esse *producere* vel prostituere filiam, & ita quæstum facere. *L.*

247. *Vulnera pali.*) quæ mulier gladiatoris more infert illi sudibus & fustibus, eminus & cominus, tanquam res cum vero hoste ageretur. *L.*

249. *Atque omnes implet numeros.*) i. Nil omittit ex legitima exercitatione, implet omnem præceptorum ordinem, universa dictata peragit, ut tantum in exercitio valeat, quantum gladiator. id est, omnia facit, quæ ad athleticam spectant, & quæ a lanista vel magistro gladiatorum didicit. *L.*

250. *Florali tuba.*) *Floralia* ludi erant infames & impudici, ad quos ludos meretrices per tubam convocabant. Tali tubæ eam adhibendam dicit. *M.*

250. *Tuba.*) Hieronym. *ad Dardanum:* Tuba, inquit, diversis figuris & formis efficitur. aliter enim est tuba congregationis populi; aliter Victoriæ; aliter persequendi inimicos; aliter conductionis: aliter conclusionis civitatum &c. *V.*

250. *Nisi si quid.*) Correctio. Nisi forte in ejus matronæ pectore virilius aliquid adhuc, & magis masculum sese movet, quam ut ad Floralia vocetur, & nisi forte eo se ad palum exercet, ut postea in vera arena, vel certamine more aliorum gladiatorum athleticam veram, & non figuratam vel umbratilem exerceat. *L.*

251. *Plus agitat.*) i. Plus agitatur, movetur: vel plus se movet & agitat. *Agitat* positum passive. .L

253. *Vires amat.*) i. Artem gladiatoriam, in qua vires & robur corporis potissimum valet: & quam viri exercent. *L.*

254. *Vir nollet fieri.*) Ratio est, quia viri cito, mulieres nunquam voluptate coitus satiantur. Fabula est apud Ovidium in Metamorphosi, ubi hac ipsa de re inter Jovem & Junonem contentionem ortam suo arbitrio dirimit Tiresias, qui utrumque sexum fuerat expertus. Utpote qui ex viro in fœminam mutatus, septem annos fœmina vixit, inde rursus vir factus est. Ille postea pro Jove pronunciat, indicans mulierum voluptatem immenso intervallo majorem esse. *L.*

255. *Quale decus.*) q. d. Turpe est mulierem tractare arma omissis domesticis officiis *J.*

256. *Crurisque sinistri* &c.) Ita dicit, nam crus sinistrum tegmine ferreo tegebant, & quidem dimidium tantum crus, ne nimium ponderosum esset, reliquam partem clypeo tegebant. Porro congressuri cum

ad-

cum adversario sinistrum pedem protendebant, qui, ne læderetur, tegmine illum tegebant. *L.*

257. *Vel diversa movebis Prælia.*) ironice, ut omnia quod si uxor tua etiam diversa prælia retiariorum, secutorum, mirmillonum, & alia pugnarum varia genera obire velit, tu felix eris. Nimirum cujus puella vel conjux etiam ocreas vendit, quales retiarii & secutores habent. *L.*

259. *Hæ sunt, quæ tenui.*) Hæ mulieres cum adeo impudicæ, robustæ & feroces viragines sint, delicatæ tamen & molles videri volunt, & alias adeo teneræ sunt, ut etiam in tenuissima rotunda veste cyclade sudent. *L.*

262. *Curvetur*) inter pugnandum, dum ictum declinat. Habitum pugnantis ob oculos ponit. *L.*

263. *Quam denso fascia libro.*) Eo dicit, nam succinctæ pugnabant, & dum fascia succingebantur vestimenta ejus, denso volumine colligebantur, & complicabantur. *L.* & *M.*

264. *Et ride positis.*) Merito autem rideas, si quem in armis virum esse ratus es, eam mingentem mulierem esse videas. *L.*

264. *Scaphium.*) Vas, quo utebantur ad mingendum & matella in quam mejunt fœminæ, auctor Julius Pollux. *J.* Martialis *lib.* 4.

Te posare decet gemmis qui Mentora frangis,
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ. An.

267. *Quando ad palum.*) Ostendit nobilissimas fœminas leviculis, & vilibus mulierculis esse infamiores. *L.*

268. *Semper habet lites.*) Aliud incommodum matrimonii, quod non interdiu solum, sed noctu etiam in lecto uxores cum maritis, & vicissim mariti cum uxoribus contendant & litigent. *L.*

269. *Minimum dormitur in illo.*) Quando ne nox quidem & quietis locus rixæ finem & quietem potest imponere. *L.*

270. *Tunc gravis illa viro.*) Exprimitur insignis mulierum malitia, quæ quo gravius scelus in se admiserant, hoc gravius cum marito contendant, eumque eo gravius accusabant, ut ita omnem de se suspicionem amolirentur. *L.*

270. *Orba tigride pejor.*) Orba catulis, qua nullum anima truculentius, vide quæ ad 18. *epigr.* Martial. *lib.* 1. F. Mart. *lib.* 4. *in Liguinum*:

Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur. An.

271. *Cum simulat gemitus.*) Cum maritum scelerum & adulteriorum insimulant, & ob id simulatos gemitus exprimunt, & fingunt se pellices habere, & ob id ingemiscit & plorat, ut maritus credat se vehementer ab uxore amari, & ut ipsæ hac ratione tutius mœchari queant. *L.*

272. *Aut ficta pellice ploras.*) Simulat se pellicem habere, quam maritus amet, & ob id plorat, tanquam maritum maximopere amet, & quasi doleat, quod non redametur. Malus quando bonum se simulat, tunc est pessimus. *L.* Ovid.

Quos ego servavi, pellex amplectitur artus. Au. Ovid. 11. *de Art.*

Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira est,
Fulmineo rabidas quum rotat ore canes:
Nec lea, quum catulis lactentibus ubera præbet,
Nec brevis ignaro vipera læsa pede:
Fœmina quam socii deprensa pellice lecti
Ardet. —

Id. *lib.* 111.

Accedant lacrimæ, dolor & de pellice fictus.

nam ut *lib.* 1.

— *Lacrimæ prosunt, lacrimis adamanta movebis* M.

274. *In statione sua.*) Metaphora a militibus, qui stant in loco vel statione sua parati, ut signo dato excurrant, quo Imperator jubeat, ut sic lacrumæ etiam effluant & excurrant, cum jubeantur. *L.*

275. *Tu credis amorem.*) Jucundissimus locus. Est autem apostrophe ad maritum. *L.*

276. *Curruca.*] Vera lectio est *buruca*, quæ est insectum parvissimum, brassicas depascens, de qua Columell. *Democritus affirmat has bestiolas enecari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus & nudo pede unamquamque areæ portam ter circumeat: post hoc decidere omnes vermiculos & emori.* Quapropter & Poeta maritum stupidum & torpentem vocat *burucam*, quod ab uxore increpitus miro silentio obticescat, perinde ac si ab eadem sit enectus. *V.*

276. *Fletumque labellis.*] Conjugem tuam consolaris, amplecteris, oscularis, & fletum & lacrumas ejus fictas labellis tuis inter osculandum absorbes, vel uxorem tuam mœcham, tui odio potius, quam amore flentem, amplecteris, ejusque lacrumarum guttas osculando exsorbes. *L*

277. *Quæ scripta & quas.*) O miserrime vir, qui tibi tantopere places ob amorem conjugis, quæ scripta & quas literas a mœchis uxori tuæ missas visurus & lecturus esses, si scrinia uxoris tuæ perscrutareris. vel si capsa & cista uxoris tuæ tibi retegeretur & aperiretur. *L.*

278. *Zelotypæ mœchæ.*] Iterum antitheris, & elegantissime quidem utitur. i. conjugis tuæ pessimæ adulteræ, quæ se tamen optimam & zelotypam simulat. Exprimit pessimum illud genus mulierum, quod cum esset flagitiosissimum, zelotypum tamen videri volebat, & miseras at innocentes mulieres vagæ libidinis,

nis, cui se infensissimas esset simulant, accusant, & decipiunt. *L.*

281. *Olim convenerat, inquit.*) Verba se purgantis adulteræ satis procacia & malitiosa, audaciæ & confidentiæ plena: Convenit inter me & maritum jam olim inde a contractis nuptiis, ut ille viveret, ut sibi complacitum esset, & ego itidem mihi indulgere possem, quodcunque vellem. *L.*

283. *Clames licet.*) Licet præ indignatione ob hanc tantam confidentiam exclamans cœlum & terram confundas, & præ zelotypia exclames cœlum & terram mariaque Neptunia: illæ se excusare possunt & dicunt: Homo sum, fragilis sexus. Hæc verba ita possunt Poetæ attribui. Verum commodius adhuc ipsi mulieri. q. d. O vir, licet præ indignatione exclamans cœlum & terram confundas; Nihil profeceris, nec me aliter adsuefeceris: nam homo sum, & talis nata, quæ ex sexus imbecillitate peccet, & veniam mereatur. *L.*

283. *Mare cœlo.*) Omnia. vide Sat. 2. *vs.*25. quod Lucianus dicit, τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀναμεμίχθαι in Prometheo. *F.* Menandro est ἄνω κάτω φασί. *V.*

284. *Homo sum.*) Refutatur hoc loco validissime vana & pestilens illorum opinio, qui apud auctores vocabulum hominis de fœmineo genere usurpari negant. *L.*

285. *Iram atque animos.*) Ut quo majus crimen, hoc major illis sit audacia; ut quo enormius scelus admiserunt, hoc etiam majorem animi confidentiam, & audaciam, & indignationem etiam animo concipiant. *L.*

286. *Unde hæc monstra.*) Quæ tandem causa est prodigiosæ hujus nequitiæ: otium scilicet, opulentia & luxus. *F.*

287. *Præstabat castas.*) Olim pauperes & humiles castæ erant, jam cum paupertate pudor & castitas profligatæ sunt, & cum opibus & potentia, luxuria, impudentia, & libido introductæ sunt. *L.*

287. *Humilis fortuna.*) Paupertas, quæ continentiæ mater, & genitrix omnium virtutum, & magistra. *L*

288. *Nec vitiis.*] Otia dant vitia. Ovid. de Remed. Amoris:

> *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,*
> *Contemtæque jacent & sine luce faces.* L.

293. *Et proximus urbi Annibal.*) Eo dicit, nam tempore belli cum exercerentur viri & fœminæ timidæ & meticulosæ, non facile libidini fenestra patebat. *L.*

297. *Nunc patimur longæ pacis mala.*) Apodosis contrariorum. i. Jam contra longa pace omnia mala nobis nata sunt, & luxuria imprimis, quæ omni hoste sævior & immanior nunc Romanos punit & adfligit, & orbem a Romanis devictum & superatum ulciscitur & vindicat. Cum jam Romani tanto tempore pacem habeant, nec supersit, quem ipsi armis vincant, ipsi luxuria & vitiis vincuntur. Sic Alexander Magnus, ut refert Seneca; *Armis vicit, vitiis victus est.* L.

293. *Sævior armis luxuria.*) Verissima sententia. Certe luxuria Romanos, Græcos, Alexandrum Magnum, Germanos, & quos nullus hostis unquam superavit, domuit, deque illis triumphum egit. *L.*

293. *Victumque ulciscitur.*) Melius erat orbem non superasse, ne nos luxuria superaret. Theognis:

> Πολλῶ τοι πλέονας λιμῶ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας. *L.*

295. *Hinc fluxit ad Istos.*) Alii legunt *Istros* non tamen ex hujus loci scopo, quasi dicat, Romanos suis vitiis luxu & libidine etiam alios homines tanquam contagio inficere. Erant autem *Istri* populi in littore Illyrico. Verum legendum, *istos*, hoc perspicuo sensu; Hinc ex opulentia, potentia, & luxuria Græcorum Sybaritarum, (populi in ea Italiæ parte, quæ magna Græcia dicta est, omni deliciarum genere effœminati. *J.*) & Asianorum mores Romam venerunt, & ad illos septem urbis Romæ colles fluxerunt. *L. & F.*

296. *Et Sybaris.*) Vide Proverb. *Sybaritica sus.* L. & *Sybaritici libelli* apud Mart. Plutarch. in *convivio septem sapientum.* morem fuisse scribit Sybaritis, mulieres ab usque anno priore ad convivia vocandi, ut veste auroque moliri exornareque per otium se possent, sed & Maxim. Tyrius in *dissert.* 111. *de Voluptate*, primos enumerat Sybaritas inter eos populos, quos vult mollissimos deliciosissimosque videri, neque non Sybariticas saltationes commemorat. *An.*

296. *Miletus.*) Vide Proverb. *Fuere quondam strenui Milesii.* Conquestus est itidem *Satyr.* 3. Urbem Romam esse Græcorum malis moribus Græcam factam. Illud heic repetit. *L.*

298. *Prima peregrinos.*) Ostendit, quid castitatem conservarit, labor scilicet & assiduitas, parvis contenta frugalitas, jam demonstrat, quid eandem expulerit, pecunia scilicet, & rerum copia, otium, & luxus. *L.*

298. *Obscœna pecunia.*) Nota heic epitheta poni, *vel* ad discretionem faciendam, ut Virg. *Ida Phrygia* dicitur, ne Cretensis putetur: *vel* ad perpetuam rei naturam significandum, sic *mare velivolum* dicitur Lucretio: vel ad effectum indicandum, ut hoc loco. *A.*

300. *Quid enim Venus ebria.*) Egregia sententia. Si enim Venus furiosa alio furore ebrietatis incitetur, facile omnem honestatem contemnit, nihilque pensi habet. Certe mirabile monstrum est mulier libidinosa & ebria. Nempe:

> *Vino sæpe suum nescit amica virum.* L.

302. *Ostrea*) ad Venerem miris modis instigant, ut omnia conchylia, inde turpissimæ illæ fœminæ ostrea comedebant, ut ad Venerem promtiores essent. *L.*

336. *Qua sanna.*) Τυγχάνω τῆς λαγχάνως καὶ μυζήσεως. λέγεται.

κινδιάδες. F. Respiret occupato ore in contemptum Deæ. *sanna* querela ex sonitu narium. Nonius *sannam* vocat ronchum a stertente temulentia editum. *Au.*

307. *Tullia*) μύζουσα. F.

307. *Collacia Mauræ.*) Libri antiqui habent *collactea*, pro collectanea, quæ eodem lacte nutrita est. *V. M. A.* & *Au.*

307. *Notæ.*) Familiari, ob mutuam crissandi consuetudinem, vel famosæ. *L.*

308. *Mauræ*) Ἐπιρρεμβῶ κιγκλιζομένη. F.

308. *Maura Pudicitiæ.*) Dum illa veterem illam & venerandam Pudicitiæ aram prætergreditur. *Pudicitiæ* dixit Emphatice, quod ad statuam illius veterem imprimis impudicæ essent, suamque libidinem exercerent. Ad hanc enim Pudicitiæ aram impudicæ illæ matronæ conveniebant,& inter se concumbebant,& urina Deæ effigiem perpluebant.Hoc vero erat Pudicitiam colere. *L.*

239. *Noctibus heic ponunt.*)i. Heic adPudicitiæ aram matronæ lecticis vectæ conveniunt, & inter se concumbunt. *L.* Vid. Platon. de LL. &, Paul. *ad Rom.* 1. *V.*

309. *Micturiunt*) prurigine libidinis correptæ. *L.*

311. *Equitant*) ἀφάλλονται καὶ παρὰ φύσιν ἀσελγαίνουσι.F.

311. *Luna teste moventur.*) Anthypophora. quasi quis dixisset, noctu ista fiunt. respondet Poeta: *Lunam* olim testem fore. *V.* i. Noctu illud faciunt, nec quenquam suorum facinorum testem vel conscium habere censent. Verum fallumur, nam

— *Sidera testes intendunt oculos.* L.

312. *Tu calcas.*) Tu,o marite, cum mane surgis & magnos tuos patronos visitaturus, & sportulæ gratia salutaturus es, dum in platea Pudicitiæ aram prætergrederis, conjugis tuæ urinam, quam ibi sparsit, pedibus inter ambulandum conculcas, quam præterita nocte libidinem exercens ibi reddidit. Alii sic: Tu mane antequam surgas magnos amicos salutaturus prius cum uxore tua concumbis, sed urinam ejus tantum calcas, cum sperma evacuarit. Verum non placet illorum interpretum commentum, qui ex obscœnis obscœniora faciunt, cum alias heic satis sit obscœnitatum. *L.*

314. *Nota.*) Scelera & flagitia, quæ in secreto in sacris Bonæ Deæ admittuntur, satis omnibus jam cognita sunt. Opponuntur, *Nota*: *secreta.* L. Agit vero heic maxime Satyricum Juvenalis, Petulci enim est Satyri turpissima quæque scelera exprobrare eorumreis. idque verbis apertissimis. *A.*

314. *Cum tibia lumbos incitat.*) i. Cum in his sacris matronæ saltant ad tibiam, velut in Bacchanalibus. De hac re vide Plutarchum *in Cæsare.* Alii hunc locum aliter capiunt, quasi tibiæ cantu in lumbis libido excitetur, ut Persius ait,

— *Cum carmina lumbum.*

Intrant. Verum non placet. Ait enim illas ad tibiæ concentum saltare. Porro fiebat hoc in Sacris Bonæ Deæ. Propterea sub Psaltriæ persona Clodius in sacris Bonæ Deæ: quo alias viri non admittebantur, penetrabat & Cæsaris uxorem constuprabat. *L.*

317. *Mænades.*) μαινάδες, Bacchæ, a furore sic dictæ. ostendit autem sacra Bonæ Deæ æque sacrilega, & flagitiosa, ac Bacchanalia ipsa. *J.* Nam ut Bacchæ Bacchum cum ululatu inclamabant. Ita illæ Priapum. Hinc ingeniose illas vocat Priapi Mænades,non Bacchi. Nam, teste Plutarcho,in his sacris multa Bacchanalibus similia fiebant. *L.*

318. *Qua vox saltante libidine.*) Quam lascivæ, & obscœnæ illarum voces sunt, cum prurigine & tentigine libidinis etiam subsilire coguntur. Vel obscœniora adhuc heic latent, ut saltante sit exsultante, & quasi mota tentigine, & prurigine ipsius vulvæ. *L.*

319. *Meri veteris.*) Οἴνου ἐκ τῆς μέθης καὶ πόθῳ τῆς ἀφροδίτης, κινουμένη. F.

319. *Per crura madentia.*) Per quæ urina defluit. Hoc & sequenti loco auctor noster vere Satyricum agit, & obscœnissima palam recitat & damnat. *L.*

323. *Lenonum ancillas.*) Lausella matrona Romana proposita corona, vel præmio victoriæ provocat in certamen libidinis Sodomiticæ ancillas lenonum, vel lenonum meretrices prostitutas, easque vincit, & tanquam victrix præmia victricia proposita aufert. *L.* Præmio certaminis nefandi proposito. Respicit forte certamen & palmam Messalinæ, de qua vide Plin. hist. *lib.* 10. *cap.* 3. F.

321. *Et tollit pendentis præmia.*) Tanquam quæ vicerit λεσβιάδας in umbratili & muliebri hac κλινοπάλῃ. F.

321. *Pendentis coxæ.*) Quod succubuerit, & tribadem sublimi coxa incumbentem exceperit. Hæ tribades vel frictrices utebantur ὀλίσβῳ vel nescio quo coriacco,quo se invicem subigebant,tanquam viri fœminas. *L*

322. *Adorat.*) Γνὺξ ἐπικλινομένη τρίβει, λείχει τε. F.

323. *Palmam inter dominas.*) Generosior existimatur inter illas, quæ melius crissat. i. ipsa crissandi vel patiendi virtus & potentia exæquat plamam vel victoriam in certamine illo crissandi, cum ipsis natalibus vel generis nobilitate.Vel virtus & robur atque valentia in obscœno illo opere, æqualem facit palmam & victoriam in hoc certamine cum generis nobilitate. Vel inter has dominas & matronas, quo quæ fortior in actu illo, hoc etiam habetur generosior. *L.*

324. *Per ludum simulabitur.*) Non ludi aut simulacra libidinis ibi effinguntur, sed omnia vero quasi virorum concubitu fiunt, & quidem ita ad vivum, ut illarum aspectu etiam Laomedontis filius Priamus,quamvis jam senior & ævo frigidior,ad libidinem inflammari possit. *L*

84. *Dimidio ovo.*) Potest intelligi de ovis Cammari, qui ova, ut cancri, sub cauda gerunt, quæ novilunio constricta & imminuta sunt. *A.* Potest etiam de Gallinæ ovis, quæ in piscis condimentum addita sint. *L.*

84. *Dimidio.*) Notat sordes Virronis in clientes. *L.*

84. *Constrictus.*) Rarus & semiplenus, decrescente luna. *Schmächtige, und dörre Seekrebs.* L.

85. *Ponitur exigua.*) Apponitur in exigua lance vel patina, & revera talis cœna feralis & famelica, qualis mortuis dari solet, manes placabantur. Vide Lips. *lib.* 7. *Tacit.* Mortuorum autem sepulcris inferebatur lac, mel, aqua, vinum, oliva: flores etiam spargebantur. Apulejus. *L.*

85. *Feralis cœna Patella.*) ubi ova videntur translatitia, nono die cœna funebris epulæque fiebant. hinc D. Augustinus in Genesim: *Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novemdial appellant.* Au. mortiferam vel sanitati nocivam, quod cammari capiti stomachoque graves, præcipue cum decrescente luna constringuntur, intelligit *A.*

87. *Olebit lucernam.*] Præ se feret odorem olei vilissimi, quod adhibetur lucernis, quali ungebatur *fraudatis Natta lucernis.* Horat & videtur alludere ad illud in Demosthenem jactatum, τὸ λύχνου ὄζει. F.

86. *Alveolis.*] Sunt vasa lignea concava. Forte quod ex illis olus vel brassicam comederint. Interpretes per *Alveolos* ventriculos intelligunt. Malo autem Paropsides & lances intelligi. *L.*

89. *Canna.*] Alii explicant navim Africanam *Gandejam.* sed non placet. Probus censet esse doliolum (*acuminatum, forma pyramidali.* F.) factum ex canna. Refert enim Strabo in Africa cannas miræ crassitiei nasci, ut mirum non sit in illis oleum Romam navi advectum. M. & L.

90. *Propter quod Roma.*] i. Illud Africanum oleum adeo maleolens & fœtidum est, ut cum Africani illo inungantur, tam fœde redoleant, ut nemo cum ipsis lavare sustineat. Malo enim illo odore in balneis vicinis molesti sunt. L. Plin. tamen *lib.* xv. *cap.* 2. Africam oleo carere ait, ergo aut sissamimum seu Aegyptium esset intelligendum, quod in cibis fœdum & lucernis exile idem ait *lib.* xv. *cap.* 7. aut bono olivæ oleo Africam carere vult, *M.* cum ex seminibus suum exprimat. *A.*

91. *Quod tutos etiam* &c.) Non lædunt illos, qui illo oleo inuncti sunt, ejus enim oleo teterrimum odorem sustinere non possunt. Malum profecto oleum sit oportet, quod sua graveolentia venena possit avertere. *L.*

92. *Afris.*) i. Africanis. Multi enim ibi serpentes ob loci calorem. V. M. C. legit *atris*, id est diris, nigris, luridis. *L.* *Afris* legit Jan. Rutgersius var. lect. *lib.* ii. *cap.* 17. Horat. *lib.* ii. *Sat. ult. Velut illa Caninia afflasset pejor serpentibus atris.* Et od. *Nec Mauris animum mitior anguibus.* F.

93. *Quando omne peractum.*] Scoptice in luxuriam Romanorum dictum, quibus suum mare non sufficiebat, imo qui ex luxu continuis piscationibus Tyrrhenum mare exhauserint, ita ut e mari Siculo delicias suas petere cogantur. L.

94. *Dum gula sævit.*] i. Dum gulositas & luxuria vehementissima est, & immensa. Merito enim exclamat Seneca: *Dii boni, quot homines unus venter exercet.* L.

95. *Retibus assiduis.*] Dum quilibet piscator, qui pisces in macello vendit assiduis retibus proxima & vicina maria perscrutatur, & *penitus* quidem, ut nihil ferme piscum ipsi relinquatur. Reddit vero rationem, cur mare Italicum proximum defecerit. *L.*

95. *Scrutante.*] Penitissimos angulos inquirente, investigante & evacuante. *L.*

95. *Macello.*] Pro quolibet piscatore, qui in macello vendit. *L.*

96. *Nec patitur.*] i. Dum gula Romanorum non permittit piscem in mari Tyrrheno proximo crescere, ob assiduam piscationem. *L.*

97. *Instruit ergo focum provincia.*) i. Quia in mari Italico & Romano nihil piscium reliquum est. Insulæ Corsica, Sardinia, Sicilia & reliquæ provinciæ instruunt nostrum focum & culinam obsoniis & piscibus. *L.*

98. *Quod captator emat Lenas.*) Hæredipetæ captatores pisces magno precio ex dissitis longe regionibus comparatos orbis dabant, eosque sibi hisce muneribus devinciebant, ut ita præcipuas in tabulis testamenti partes consequerentur: Vide *Sat.* iv.

Consilium laudo artificis. L.

98. *Aurelia vendat.*) Forte piscium venditricem dicit. Interpretes divitem matronam orbam intelligunt, quæ pisces a captatoribus missos vendere coacta sit ob illorum copiam, ne corrumperentur. *L.*

99. *Virroni muræna datur.*) Dixit de mullo, idem jam dicit de murænis: *Neunauge: Prikken.* Est autem nobis piscis notissimus, Romæ in summis deliciis, anguillæ non absimilis. *L.*

100. *Nam dum se continet Auster.*) quia rem prope incredibilem dixit in Siculo mari pisces capi posse, in quo Scylla & Charybdis erant, reddit jam hujus rei causam. Cum enim, inquit, Auster non flat, & mare tranquillum est, etiam temerarii piscatores in media Charybdi piscantur. *L.*

102. *Lina.*) Intelligit ipsos piscatores cymbæ linique magistros, homines ob lucrum audaces, vitæ prodigos,

gos, & temerarios.

102. *Charibdin.*) Locus in mari Siculo ante Messanam urbem, adjunctus Peloro, profundus & immensus, quo inundatione freti naves mirum in modum distrahuntur per magnas circumductiones, & vorticem præcipitatæ. Erat autem Charibdis in dextra, Scylla in sinistra parte, cumque unum volebant evitare, in alterum incidebant, unde Proverbium: *Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charibdin.* L.

103. *Vos anguilla manet.*) Apodosis dissimilitudinis. Contra vos loco murænæ anguillas vilissimas comeditis, quæ murænæ correspondet. *L.*

104. *Glacie maculis.*) pro glaciei. Ovid. III. *Met.*

Prima fide vocisque ratæ tentamina sumsit.

vid. Prisc. *lib.* VII. M. & V.

124. *Et glacie adspersus maculis.*) Maculosus, cui dorsum ex albo cœruleum est, venter candidus nigris maculis conspersus, qui notæ deterioris est, melioris *Lateus*. F.

104. *Tiberinus.*) Lupus in Tiberi natus, stercore pastus & insulsus pauperi obtruditur. *J.* Colum. *lib.* IX. *cap.* 17. M.

103. *Et ipse Vernula riparum.*) Pisces autem Tiberini viliores erant. *L.*

105. *Pinguis torrente cloaca.*) Præstautiores sunt in Nari fluvio pisces, quam in Tyberi. Galen. *περὶ τροφ.* *Torpente* legendum putat Jan. Rutgersius *var. lect.* *l.* 2. 17. F.

106. *Et solitus media.*) De admirandis cloacarum ædibus, & subterraneis meatibus vide Lips. in de Admiranda urbis Romæ magnitudine. *L.*

109. *Seneca:*) cujus epitaphium non ob elegantiam heic appponere:

> *Cura: labor: meritum: sumti pro munere honores*
> *Ite: alias posthac solicitate animas.*
> *Me procul a vobis Deus evocat. Ilicet actis*
> *Rebus terrenis: hospita terra vale.*
> *Corpus avara tamen solennibus accipe saxis;*
> *Namque animam cœlo reddimus: ossa tibi. A.*

111. *Namque & titulis.*) olim longe major honor, & gloria ex largitionibus & munificentia ipsis divitibus erat, quam ex titulis & honoribus. Sall. *Catil. Magisque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant* n. Majores nostri. *M.*

112. *Solum Poscimus, ut cœnes civiliter.*) i. Hoc unum & solum nos miseri clientes a te bone vir poscimus, ut comiter, communibus epulis, æqualiter edas & bibas, sine injuria clientum cœnes. *L.* & *J.* de tali Plin. *lib.* II. *Epist. ad Avitum*: *Longum est altius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit: ut homo minime familiaris cœnare apud quendam, ut sibi videtur, lautum & diligentem, ut mihi sordidum simul & sumtuosum. Nam sibi & paucis optima quædam; Cæteris vilia & minuta ponebat. Vinum etiam parvulis laguneulis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi. Et aliud sibi, aliud nobis minoribus amicis: nam gradatim amicos habet.* &c. M.

113. *Anseris jecur.*) Exta anserum (musso, lacte, ficu & carica fartorum. vide Martialis *epigr.* 58. *lib.* 13.) in summis deliciis habebantur. Persius Sat. ult.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis. L.

115. *Altilis.*) *Altile*, est quod alitur, eo consulto, ut saginetur. hinc Divus Gregorius Homilia 38. in Matthæum, *Altilia enim saginata dicimus, ab eo enim quod est alere, altilia quasi alitilia vocamus.*

115. *Flavi.*) Epitheton Homeri, a quo ξανθὸς dicitur, a capillis de flavo colore Gell. 11. 26. *M.*

116. *Post hunc raduntur.*) i. Ad eciam præparantur tubera, quæ in summis deliciis Romæ habebantur. Martialis:

Tubera boletis poma secunda sumus. L.

117. *Majores cœnas.*) Quas nimirum tuberibus augebunt, quæ *secunda poma* apud Martialem. *L.*

118. *Tibi habe frumentum.*) i. Alledius vir gulosus & maximus tuberum vorator optat, ut frumentum potius Africani retineant, modo tubera mitterent, tanto illorum tenebatur desiderio. *A.*

119. *Disjunge boves.*) Nihil ares, ne frumenti causa tubera crescere prohibeas. *L.*

120. *Interea.*) dum scilicet Domino raduntur tubera ad appetitum excitandum, Tu instar Tantali otiosus & famelicus spectas non sine indignatione structorem Domino ex lege artis perita manu scindentem delicatiores epulas. *A.*

120. *Ne qua indignatio.*) i. Ut nihil non sit, ob quod indigneris, qui videas domino non solum omnia lautissima apponi, sed etiam singulari elegantia dissecari Cum tu interea vix sordidum caninum panem habeas. *L.*

121. *Chironomonta.*) In antiquis Codd. reperio scriptum *Chironomoutu.* sic Lucretium dixisse *Acheruntes* sublimo annotavit Prisc. *V.* ...

121. *Volanti Cultello.*) Petronius hoc exponit: *Processit statim scissor & ad Symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* Erat Romæ Trypherus, & alii diribitorum magistri, qui eam artem profitebantur in cœna ulmea & lignea. Nam omne genus altilium avium & ferarum e ligno formatum habebant, & docebant discipulos ejusmodi ligneo cultello cum solemni manuum & gestuum elegantia dissecare. Noster infra *Sat.* 10. L. 123.

123. *Nec minimo sane.*) Ironice taxat luxum & vanam illam artem, q. d. Nam magnum & ingens discrimen est inter dissectionem gallinæ & leporis. Et longe alii gestus requiruntur ad hunc incidendum atque ad illam. *A.*

126. *Et ponere foris.*) Sic nos Germani: *Hinausz mit ihm, man soll ihn fur die Thür legen.* L.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) i. Tanquam qui civis Romanus, tui juris, tuus, & liber sis, & ob id libere loqui audeas: Persius:

Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcunque voluntas?

Habebant autem ingenui tria nomina prænomen, nomen, agnomen. ut Publius, Cornelius, Scipio. Alii, (ut *V.*) forte minus recte, ita explicant: tanquam pessimus servus sis, & tribus nominibus appelleris Cappadox, Cilix, Cretensis. Unde illud Græcum τρία κάππα κάκιστα. *Tria pessima cappa.* Non desunt, qui per tria nomina intelligant trium litterarum hominem & nomen. Tanquam nempe *fur* sit & nequam servus, male tractandus. Sed prior explicatio melior. *L.* tanquam aliquo egregio facinore præstito singulare nomen esses adeptus cum laude insigni. tanquam sis libertus Domini tui. *A.*

129. *Quis vestrum tam*) temerarius & perditus. Qui nimirum temeritate sua se perderet, ut qui tanta παρρησίᾳ dicendique libertate erga patronum suum uteretur. *L.*

130. *Læna pertusa.*) rimarum plena. Porro Romani utebantur læna cœnatoria pallii vice. *L.*

131. *Plurima sunt quæ.*) Pauperes, quibus detrita sit & lacera chlamys. τῷ γὰρ πενίῃ δεδμημένῳ οὐδὲν ἔτι γλῶσσα ut inquit Theognis & tamen:

Πολλάκις καὶ κηπουρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

tanquam diceret, quod & *Sat.* 3. conquestus est, pauperes contemni, quia pauperes sunt.

132. *Quadringenta.*) H. S. scilicet, censum equestrem, qui valet 10000. coronatos Gallicos. *L.* Sic legitur in MSS. codd. non *quadraginta*, ut quidam edidere. *M.* Sestertia i. e. censum equestrem, nostræ monetæ Anglicanæ 3125 *lib.* F.

132. *Similis Diis.*) Heros aliquis beneficus, & magnus *M.* *Nemo*, teste Seneca, *propius ad Deum accedit, quam qui hominibus salutem dat, & beneficium.* L.

133. *Homuncio quantus.*) Ita distinguo, &, ut spero, recte. Quid enim absurdius hac distinctione? ut ad præcedentia referatur *homuncio*. q. d. Si quis *homuncio similis Diis* aut heros tibi dederit. Quid? heroa Diis similem *homuncionem* dixisset, quod in imminutione & contemptu dicitur, ut *homulus & homullus*, (*homunculus*, *homullulus*, teste Priscian. *lib.* III. M.) Cum hominibus subvenire opus Dei sit, & hominis Deo similis magni & excellentis: Ovid.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

Ergo ad sequentia transfer cum hoc sensu: Si repente Deum aut hominum munere dives evaderes, tunc tu, qui jam es homuncio nullius precii, quam magnus & honorabilis continuo evaderes! Conjungit autem suo more contraria. *L.*

135. *Da Trebio.*) Mimesis. Hæc enim verba Virroni adfingit, quæ Trebio, si dives esset, dicturus esset, inter cœnandum. His verbis autem Structorem compellaret Virro: Da de hoc delicatiore ferculo Trebio. *L.*

136. *O nummi vobis.*) i. Nummi in honore habentur, non homo ipse. De hac re dixit *Sat.* 1.

Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas. L.

136. *Dominus tamen.* &c.) Hoc plane respondet Græco illi Epigrammati Palladæ:

Ἤν τι φίλος τι λάβῃς, δίδωμι φρέσιν, ...
Ἤν δ' αὖ μή τι λάβῃς τι φρέσιν ...
Οὐ γὰρ ἐγὼ τοῦτο τὸ ῥῆμα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δίδωμι, οὐ γὰρ ἔχω δίδωμι. *L.*

Si ditatus es, facile invenies cultores, & observatores: maxime autem, si fine liberis. J.

136. *Dominus.*) Hæ enim Dominorum & Regum appellationes majorem adhuc reverentiam, observantiam, & honorem denotabant. *L.*

139. *Filia dulcior illo*) Captatore. de captatore enim loqui reor Poetam. non enim dulcior est filia filio. *Au.*

140. *Jucundum.*) Martial. *lib.* XI.

Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum.
Pallidior fiet jam pariente Lupus. M.

141. *Sed tua nunc Mygale.*) Et tamen, licet liberos habeas, modo dives sis, in honore habeberis a Virrone. Imo vero ipse Virro tuis pueris etiam munuscula dabit. quamvis orbus gratior futurus esses. Ostendit quantum divitiæ Romæ valeant. *L.*

141. *Mygale.*) i. Uxor tua, cum qua commisceris, licet tibi liberos pariat. Nomen fictum a concubitu vel mixtione, a verbo μίγνυμι. *L.* Nomen montis Ioniæ ferarum copiam habentis, unde Juvenalis uxorem Trebii vocat *Michalem*, quia fœcunda est. *Au.*

141. *Et pueros tres.*) Experientia hoc fieri posse commonstrat. nam mea ætate anno 1478. Velitris tres pueros mares uno partu edidit mense Augusto fœmina quædam. quinque pueros uno partu Augusti ancilla. Gell. *lib.* IX. *cap.* 2. M.

142. *Ipse loquaci gaudebit nido.*) i. Ipse tamen Virro, quia dives es, puerilitate, loquacitate, garrulitate & ludis tergeminorum filiorum tuorum gaudebit, se tamen tibi amicum simulabit, & garrulitate puerorum

rum tuorum non offendetur. Quin etiam vestes & munuscula liberis tuis donabit. Omnia ea causa, quia dives es. Alias ne cassa quidem nuce te & tuos donarit. Scit enim divitem gratiam referre. Gratis enim nihil datur, secundum Græcum illud: δὸς τι, ἐ λάϐε τι. L.

144. *Minimasque nuces.*) Talibus enim pueri delectantur. *L.*

144. *Assemque rogatum*) a puero, qui notos ita compellat: Da mihi nummulum, poma, pyra, nuces. Hoc versu stabilitur illa lectio.

Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem.

Ubi quidam contendunt legendum: *Repentibus asse.* L.

145. *Ad mensam quoties.*) V. M. Commentator locum hunc aliter de adulterinis pueris ex pellicatu susceptis interpretatur, per Mygalem, meretricem intelligens & concubinam. Tanquam ex tali pueros liceat cum captatorum venia vel tres una vice suscipere. Quibus pueris blandiatur captator, munuscula & dona ipsis dans, nihil veritus, quasi ab illis adulterinis impeditus hæreditatem Trebii adire nequeat. Judicium penes doctiores esto. *L.* (favet huic interpretationi, quod *licet* vers. 141. pro *licitum est* sumi posse dicat *M.*)

146. *Vilibus amicis.*) hactenus prima fuit mensa, sequitur secunda, quam pomorum Servius vocat. *A.* i. Clientibus, quos supra *modicos amicos* vocavit. *L.*

147. *Boletus domino.*) Boletus species fungorum solus innocuus, Romanis in summis deliciis. *V.* Martial.

Argentum atque aurum facile est, lanamque togamque
Mittere, boletos mittere difficile est. L.

149. *Illa poma.*) Qualia erant orbiculara, Massilia, medica, & alius generis delicatissima. *L.*

152. *Credere quæ possis surrepta.*) Atlas Mauritaniæ rex speciosissimum pomarium habuit, in quo aurea poma nascebantur, illumque hortum tenuerunt Atlantis filiæ Hesperides, Ægle, Arethusa, Hyperthusa, eumque Draco quidam pervigil custodiebat. Huc missus ab Eurystheo Hercules perempto Dracone fructus illos in Græciam pertulit. Varro non poma, sed oves attulisse refert, aitque errorem esse in ambigua vocabulo μῆλα. L.

155. *Ab hirsuta capellæ.*) Intelligunt heic lorum vel amentum e corio capellæ factum, hastæ alligatum, quo missa retrahi poterat. vid. Varr. *lib.* 2. *cap. ult.* *M.* Alii censent *Capellam* vivam scopi loco positam vel alligatam fuisse, ad quam jacularentur, ut hac ratione a scopo illius capellæ jaculari discerent. Alii denique censent *Capellam* fuisse gladiatorem jaculatorem optimum, a quo tyrones jaculari didicerint, qui quod hirtus corpore esset, *Capellæ* nomen sortitus sit. Sic autem legendum esset *hirsuto*, *L.* A magistro hirsuto, quia in bello milites utebantur vestimentis ex pilis caprarum & hircorum textis, docet Strabo, & Virgilius *lib.* 3. *Georg.* ut & pellibus, idem 8. Æneid. *M.*

Ducunt exortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.

Hirsuti ergo dicuntur magistri, aut a vestibus aut a pilis. hinc Ammianus Marcellinus *lib.* 17. in Constantio & Juliano: *Omnes, qui plus poterant in palatio Constantii, scilicet adulandi professores, recte consulta prospereque completa vertebant in deridiculum, talia sine modo strepentes insulse: in odium venit cum victoriis suis capella, non homo; Julianum carpentes.* Et Propertius:

Eques & frenis idem fuit aptus aratris
Et galea hirsuta compta lupina juba.

Et Martialis:

Vix tangere vagos ferro secare capillos,
Doctus & hirsutas excoluisse genas.

Just. Lipsius lumen & columen literarum Centur. 2. epist. 35. ad Josiam Mercerium, ait Josephum Scaligerum in libro, qui Ivo Viliomarus in Titium inscribitur, cujus auctor est ipse Scaliger, legere heic *hirsuto*, quam lectionem non probat. Quinimo adversantibus omnibus codicibus huic versui inserit *hirsuto*, & vult Capellam Statilium equitem Romanum intelligi, de quo vide Suetonium in Vespasiano. *An.*

Tu pauper amicus *frueris* & cum delectatione præ inedia vesceris *scabie mali* seu malo carioso & silvestri, quod tyro pedes, *qui tegitur parma & galea, in aggere* satum *rodit* adhuc immaturum, dum *metuens flagelli*, seu vitis sui Centurionis; qua percuteretur, si peccaret, *discit jaculum torquere* ex pharetra, cujus tegmen est *ab hirsuta capellæ* corio. *A.* A Centurione, qui exercet tyrones, hirsuto instar capellæ, *vel* induto sago Cilicio. *Brod. Misc. lib.* 9. *cap.* 1. ab arcu e cornibus caprinis. Simiam intelligit Jan. Rutgersius, quæ lucelli causa ab agyrtis jaculo institui solet. Martial. *lib.* 14. *epig.* 202. bardocucullo & parma & galea tecta ridiculi causa flagello assueta officiique sui admonita. vide Rutgersii *var. lect. lib.* 3. *cap.* 15. & vetus Pithœi Scholiastes habet annotationem, *quale simia manducat.* Sed non ego credulus illis. *F.*

157. *Quæ Comœdia.*) Gelasinus Parasitus ap. Plaut. *in Stich. Ridiculus æque nullus est, quam quando esurit.* F.

159. *Per lacrimas effundere.*) mollitiem quandam muliebrem in Trebio notat, vel quia, ut Ovid

Expletur lacrimis egeriturque dolor. A.

160. *Pressoque.*) i. Compresso & frendente dente in signum tacitæ iræ. vel quod malo acerbo sint obtusi. *V.* More iratorum qui dentibus fremunt, frendent, strident. Sunt autem molares dentes ultimi, qui præmor-

ſa a prioribus dentibus poſtea molunt. *L.*

161. *Tu tibi liber*) Reddit rationem ulterius, cur tam contumelioſe clientem tractet, & monſtratute & merito ſervos & vilia mancipia ita tractari. Talem enim Trebium eſſe oſtendit. *L.*

161. *Regis conviva.*) Scoptice ludit ambiguitate vocabuli Regis. *L.*

165. *Signum.*) *Bulla* figuram cordis repræſentabat: vel potius *bulla*, in indicium humanæ fragilitatis. *L.*

166. *Spes bene cœnandi vos decipit.*) Reddit rationem, cur Paraſiti in ſuo propoſito perſeverent, quia ſemper ſperent fore, ut melius cœnent & tractentur. *L.*

168. *Ad nos jam veniet minor altilis.*) De gallina aliquid. Nam anſer *major altilis* dici poterat. Ita apud Perſium *Sat.* 2. ille, qui inſanis ſacrificiis bona ſua prodigebat, ſe conſolatur:

Jam dabitur jam jam. L.

169. *Stricto pane.*) i. Arcto, duro, conſtricto, ut ſupra dixit:

— *Solida jam mucida fruſta farinæ.*

170. *Omnia ferre, ſi potes, & debes.*) Malus ille Paraſitus apud Terentium, qui ait: *At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum.* Et Plaut. *Captiveis*:

Niſi qui colaphos perpeti
Poteſt paraſitus, frangique aulas in caput. L.

Omnibus contumeliis & plagis te excipient, tuo merito, qui illa ferre velis, perinde ac ſi male tonſus aut raſus ſervus eſſes, vel paraſitus plagipatida. *F.*

172. *Quandoque.*) Heic valet valet aliquando. Perſius:

Qui quandoque jugum pertuſa ad compita figit. L.

173. *His epulis.*) Paraſitus, & ob hoc peſſimum tuum vitæ genus dignus, qui talibus epulis viliſſimis, & miſerrimis tractetur, & talem etiam amicum dominum & patronum habeat, qui in te ſuum Paraſitum tam contumelioſus, & injurioſus ſit. *L.*

Ad Satyram VI.

CUm frigida &c. verſ. 1.) Duo oſtendit Poeta, eiſdem mediis pudicitiam eſſe ſervandam, queis olim: labore, vigilia, neglectiore cultu, liberorum propria lactatione, (de qua vid. Gell. *lib.* XI. *cap.* I.) frigore & parco alimento: ſine Cerere enim & Baccho friget Venus. *A.*

2. *Cum frigida parvas.*) i. Cum ſubterranea crypta & caverna in terra & rupibus excavata humiles domunculas habitantibus præberet. i. Cum homines in cavernis terræ vivebant. *L.* Porro Hyperbius & Euryalus fratres lateritias domos primi Athenis exſtruxerunt. Plin. *lib.* VII. M.

5. *Silveſtrem torum.*) Nam ex herbis, frondibus & foliis ſtramenta faciebant, teſte Varrone. Dicitur autem *torus* a tortis herbis, ut *lectus* a lectis. *V.*

6. *Culmo.*) Calamis ſegetum paleiſque & ſtramine. *L.*

6. *Vicinarumque.*) propinquarum, inter quas verſabantur, quippe qui ſine dominis ferarum more degebant & errabant. *L.*

9. *Sed potanda ferens.*) Non ſugenda ſed potanda ubera exhibens. Credile enim eſt illo tempore infantes grandiores natos fuiſſe. Contra, ut noſter hic inferius:

Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.

Dicit Heſiodus primo ſæculo natos centum annis annis ſub matris imperio ſtetiſſe tanquam adhuc infantes. *V.*

10. *Horridior.*) i. Quæ nullum ornatum adhiberet: neglectior in victu & amictu atque ipſe maritus. Contra fieri conſuevit. Feminæ enim longe ſuperbiores viris. *L.*

10. *Glandem ructante.*) Eo dicit, nam priſco ævo glandibus, fragis, pomis, pyris aliis arborum & herbarum fructibus veſcebantur. Ait ergo *ructante*, tanquam qui glandes ad ſaturitatem & ructationem uſque devoraret. *L.*

11. *Tunc orbe novo.*) Notanda hæc initii mundi teſtimonia. *L.* imitatur Lucr.

Quare etiam tellure nova cœloque recenti
Talia perfingit potuiſſe animalia gigni. V.

12. *Qui rupto robore nati.*) Statius:

— *Populos umbroſa creavit*
Fraxinus & fœto viridis puer excidit orno. A.

Hanc fabulam eo natam dicit V. C. quod priſci, antequam domos conſtruerent, in excavatis arboribus noctu quieverint, unde mane egreſſi, rudibus hujus fabulæ occaſionem præbuerint. Alii hæc ad duritiem mortalium referunt. *L.*

14. *Forſan.*) Dubitanter merito loquitur ob incredibilem ſalacitatem Jovis. *L.*

14. *Sed Jove nondum barbato.*) Salſe Deum ſuum irridet. i. Jove nondum adulto, nondum ad virilem ætatem perducto, ut poſſit adulterum agere. Illo enim adultiore, mores ſæculi, cum Rege mutati ſunt, cum nullis non libidinibus fræna diffuſiſſime laxabat. Hinc illud:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα,
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Nimi-

Nimiram qui adulter vel scortator se transmutasse dicitur, in	Cygnum,	ob	Lædam.
	Taurum,		Europam.
	Satyrum,		Antiopem.
	Aurum,		Danaen.
	Cuculum,		Iunonem sororem.
	Ignem,		Aspidem.
	Amphitruonem,		Alcmenam. L.

16. *Græcis jurare paratis, Per caput alterius.*) ita olim jurabant, sic Ascanius apud Virgilium jurat:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat. Au.

17. *Alterius.*) Hoc verbo indicat se scivisse Deos illos Ethnicorum homines fuisse, & homines jurare per caput Jovis, Apollinis, Herculis, qui homines fuerunt. A. *Alterius*, Parentum, liberorum, aut aliorum, quos charos habebant. quæ solennis jurandi formula, uti & per suum caput. *F.*

17. *Cum furem nemo* &c.) Cum divitiæ & opes nondum essent, & ob id nondum etiam fures erant. Cum olera, quibus illo tempore vivebant, abunde omnibus & singulis suppetebant, ita ut nemo illa furaretur. Vel ad integritatem animorum, & justitiam hominum respicit, cum illo tempore Astræa & pudicitia viguerint. *L.*

19. *Paullatim.*) Astræa justitia filia Astræi, qui Crii & Eurybiæ filius, ut Hesiodus ait: qui addit Ἀιδῶ καὶ Νέμεσιν una cum Astræa Superos repetisse. *L.* Seneca in *Agamemnone*:

Neglectas terras fugit & mores feros
Hominum, & cruenta cæde pollutas manus,
Astræa virgo syderum magnum decus. Au.

22. *Et sacri genium contemnere fulcri.*) i. Conjugalis vel matrimonialis fulcri genium præsidem, qui matrimonio præest, contemnere. *Sacri* ait, Nam matrimonium legitimum *sacramento* fit. *A.*

25. *Conventum tamen.*) Cum inde a Jovis tempore nulla castitas, nullus pudor in matronis fuerit, quæ dementia & insania est, te hisce ultimis perditissimis temporibus aliquam castam inventurum sperare, cumque illa matrimonium velle contrahere? *L.*

25. *Conventum*) Amicorum super sponsalibus, & nuptiis. *L.*

25. *Pactum*) cum sponsa, ejusque amicis. *Pactum* est, Cicerone teste, quod inter aliquos convenit, quod jam ita justum putatur, ut merito præstari debeat. *L.*

25. *Nostra tempestate.*) Sic Salustius creberrime. i. nostro sæculo pessimo, quo tot regnant adulteria. Nam si argenteo sæculo mœchi fuerunt, multo magis nostro. *L.*

28. *Certe sanus eras.*) Prius antehac sapuisti, jam dementas, imo furis. vel lege interrogatorie: *Certe sanus eras? F.*

28. *Uxorem Posthume ducis?*) Interrogatorie admiratur insaniam & furorem Posthumi, uxorem ducturi. Metelli Numidici de ducendis uxoribus ad populum hæc verba fuerunt, teste Gellio *libr.* 1. *capit.* 6. *Si sine uxore, Quirites, esse possemus, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita Natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.* L.

29. *Dic, qua Tisiphone.*) Cic. *pro Rosc.* *Nolite putare, ut in fabulis sæpe videmus eos, qui aliquid impie scelerateque commiserunt, agitari & perterreri tædis ardentibus. Sua quemque fraus & suus error maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentia adficit, suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque Furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas a sceleratissimis filiis repetant.* V.

29. *Colubris.*) Inde dicuntur Orpheo (quod colubros loco crinium habeant)

Νυκτιέριαι κοῦραι, ὀφιοπλόκαμοι φοβερῶπις. V.

34. *Nonne putas melius.*) minime existimandus est Juvenalis Satyricus morum & honestatis magister integerrimus illius alii auctor esse, quod ipse Sat. 1. 2. & aliis infinitis locis condemnat. Verum scoptice & hyperbolice notat omnia potius mala toleranda, omne scelus perpetrandum esse, quam uxorem ducere. Et falsse ac satyrice ludit Ursidium, quasi dicat: Itane vero: o Ursidi, tu jam adeo sanctus evadis, ut pueros Pathicos, quibus hactenus usus es, relinquendos censeas, cum quibus tamen longe melior conditio tui esse videbatur? quam cum uxore. Existimaram, longe satius tibi esse, ut puer pathicus tecum dormiret. Ludit ergo salse & scoptice Posthumum. *L.* & *A.*

34. *Pusio.*) Ita in antiquissimis Codd. legitur. Cic. *pro Cœlio*: *Et propter nocturnos quosdam Manes tecum semper pusio cum sorore majore cubitavit.* Hieron. *ad Demetriad.* *An vereris, ne proles Furiana deficiat, & ex te parens tuus non habeat pusionem.* tamen melius *Pugio* mihi videtur legendum, idque pro nomine proprio. *V.*

35. *Litiget.*) Vel ut efferæ libidinis mulieres pensum a maritis absolvi cupientes: Vel ob alias causas, de quibus inferius inquit:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet, &c. L.

35. *Exigit a te.*) pro concubitu; more illarum, quæ temperantiores vel continentiores videri volunt. L.

37. *Nec queritur quod Et lateri parces.*) Ea enim pars immoderato concubitu insigniter læditur. In Priapejis:

Deficit latus, & periculosam,
Cum tussi miser exspuo salivam.

Et Martialis:

— Usque dum mihi
Venus jocosa molle ruperit latus. L.

39. *Caviturus turture magno.*) Est turtur nobilis avis & piscis, Heic de pisce potius intellige, quia *magno* dicit. Talia autem munera orbis a captatoribus mitti solebant. *M.*

40. *Mullorum jubis.*) λοφοῖς, cristis, vel barbis. nam duplicem barbam a latere oris habent. Talia mitti solita fuisse orbis ex *Sat.* 4. vidimus in verbis illis:

— *Mullum sex millibus emit.* L.

44. *Quem toties texit.* &c.) Qui *toties* i. sæpius adulter superveniente marito ab adultera sub cista est celatus. *Au.* qualem Latinus in Mimo adulterum repræsentabat in cista (cista enim adulteros abscondi jam notarat Horatius:

— *An turpi clausus in arca*
Quo te demisit peccati conscia herilis. M.

44. *Latini.*) de quo Martialis *lib.* 9.

Dulce decus scenæ ludorum fama Latinus,
Ille ego sum, plausus, deliciæque tuæ.
Qui spectatorem potui fecisse Catonem. Au.

45. *Quid? quod & antiquis* &c.) Auget indignationem suam & stultitiam Ursidii. Primo enim absurdum esse dixit mœchorum famosissimum matrimonium cum uxore quaquam velle contrahere. Deinde quod, cum ipse sit turpissimus, matronam & castam & antiquis moribus præditam sibi quærat. *L.*

46. *Mediam pertundite venam.*) ne insaniat. Si delirans manum porrigere detrectet, vena in fronte secetur, &c. Paulus Ægineta 3. *l. cap.* de phreneticis, & Aetius *lib.* 6. *c.* 8. F.

47. *Delicias hominis,*) Est exclamatio. Sic nos Germani diceremus: *Wanne wie ein Lekker ist der, magstu anders nicht?* L.

47. *Tarpejum limen adora.*) Sic nos: *du magst Gott wol danken, bekomstu ein ehrlich Weib.* i. Si tu adeo felix es, ut non sine singulari Deum providentia & benignitate hoc sæculo turpissimo casta matrona tibi contingat, æquissimum profecto erit, ut Jovem adores, eique gratias agas. *L.*

49. *Tibi.*) Cum Emphasi dictum. Indignus enim turpissimus scortator honesta matrona. L.

50. *Paucæ.*) Matronæ dictæ sunt, quæ Cæteris sacerdotes fiant, & votum castitatis præstent. Vel quæ dignæ judicatæ essent, quæ tanquam castæ & honestæ Cereris vittas contingant; quod ab impudicis fieri nefarium putabatur. Ovid.

Parva bona Cereri, sint modo casta, placent. L.

Thesmophoria agebantur per νυφαλίυς sobrias & castas feminas. *J.*

51. *Quarum non timeat.*) Tanquam parum casta oscula, & non honestæ caritatis, sed turpis libidinis indicia. *M.* Eo dicit, nam occurrentes cognatos & notos veteri instituto osculari solebant. V. C. ait, filias impudicas patris osculo privari solitas fuisse, quod magnæ pœnæ loco sit habitum. *L.*

51. *Necte coronam.*) Salse Umbricium vexat, Ironice ipsum exhortans ad matrimonium. *L.*

53. *Unus Iberinæ.*) Scoptice hæc dicit. Fuit autem haud dubie Iberine illa, quam ducere voluit Ursidius. q. d. Nimirum Iberine tua casta est. *L. Hiberinæ* legit *Au.*

53. *Ocyus illud.*) Explicat ironiam. imo vero illa uno oculo potius contenta esse velit, quam uno viro, vel, mavelit uno oculo potius orbari, quam suis mœchis, q. d. ipsam suis oculis mœchos cariores habere. *L.*

56. *Vivat Gabiis, ut vixit in agro.*) Respondet Poeta, illud non tam virginis ingenio deberi, quam loco. Illa enim casta non est, quæ non impudice vixit, ad quod locus & occasio sæpe aliquem adjuverit, sed quæ animum pudicum habet, & etiam inter impudicos scortatores pudicitiam suam potest retinere. *L.*

58. *Nihil actum.*) Licet enim palam forte stuprata non est, clam illud fecisse poterit. Plures enim famam, pauci conscientiam verentur. *L.*

59. *Senuerunt.*) Adeo ut senio impediti rusticas virgines amplius corrumpere non possint. *L.*

61. *Cuneis an habent.*) i. An in totis & universis Amphitheatris, & eorum cuneis, sedibus, gradibus, & receptaculis, in quibus tot centena mulierum conveniunt, aliquid habetur, quod sine cura & metu de ejus libidine, & incontinentia secure diligere & amare possis. *L.*

63. *Cheironomon Ledam.*) saltatricem gesticulatricem amat. *Leda* mollis saltatio, quæ cheironomia i. manuum gesticulatione, & nutu repræsentatur, ut ait Budæus *ad l. athletas, de his qui notantur infam.* D. Au. *vid.* J. Cæs. Scalig. Poet. *lib.* 1. *cap.* 18. F.

64. *Tuscia.*) Mulier rustica, quæ dum pantomimus saltat, non potest se cohibere. hinc D. Cyprianus *in Epistolis: Adulterium discitur, dum videtur, & quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, e spectaculo revertetur impudica.* Tusciæ meminit Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 1. & Plinius *lib.* 28. *cap.* 8. Au.

63. *Appula gannit.*) Per hæc nomina *Tuscia* (sic enim legitur in antiquis Codd. *M.*) & *Appula*, videtur innuere mulieres ex Tuscia vel Apulia, rusticas, quæ corrumpantur Romæ tam obscœnis & lascivis spectaculis. *Gannit* id est, gannitu obmurmurat non secus ac si quicum concumberet. Apulejus in *ἀνεχομένῳ Inter gannitus & subantis voculas.* L.

65. *Sicut in amplexu.*) Non secus ac si tenacissimis complexibus mi nu n, quem videt, ad coitum complexu tra esset. Videntur autem hæc commode cum sequentibus conjungi posse: Gannit subitum & miserabile, i.

Edit

Edit subitas & miserabiles voculas. *L.*

69. *Atque a Plebejis longe Megalesia.*) Longo vero ludorum, interstitio & ipsæ histrionicam exercent, ac mimorum vestes contrectant. *L.*

70. *Subligar.*) Subligaculum, quo virilia Accii illius Mimi inter agendum religabantur. *L.*

71. *Urbicus.*) Turnebus intelligit actorum & Poetarum certum aliquod genus, qui urbane & jucunde carmina sua proferrent. *L.* Martialis in Chionem:

Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris,
Si pudor est, transfer subligar in faciem. Au.

71. *Atellanæ.*) Erant fabulæ Atellanæ propriæ, quæ res serias in risum vertebant dictæ ab Atella Oscorum civitate, in qua primum cœptæ. *L.*

72. *Hunc diligit Aelia pauper.*) Fuit Aelia familia Romæ pauperrima, teste Tacito & Val. Maximo. Hæc diligebat urbicum exodiarium. Exodiarii enim viliores erant. *L.*

73. *Magno*) precio, ut cum illis, postquam lascivis illorum gestibus incitatæ sint, possint concumbere. *L.*

78. *Longa per angustos.*) Ironia & amara in illos irrisio, qui conjuges ducebant, i. Nos nuptias magnis sumptibus faciamus, ut alii histriones, ludii, & pugiles ex nostris uxoribus per adulterium liberos suscipiant, quos nos tanquam nobiles, & ex nobis natos nutriamus. *L.*

82. *Ludium*) Athletam, gladiatorem Sergium. Est versus Hypermeter. Sic dicet inferius: *Sic veniunt ad miscellanea Ludii. A. Ludii* proprie *die Freyfechter, und Schwerdtäntzer*, qui gladiis & parmis in ludis, & pompis saltabant. *L.*

83. *Famosa.*) Vel quod Reges pessime ibi vixerint, vel *famosa* Pompeji cæde, vel ob luxum virorum & mulierum *famosa*. L.

84. *Canopo.*) Hoc Emphatice dicit. q. d. Cum apud Alexandriam & Canopum tam flagitiose viverent, condemnabant tamen urbis Romæ mores, tanquam turpiores. *L.*

86. *Plorantes improba natos reliquit.*) Paullatim magis magisque exaggerat hoc scelus inter alia inhumana ἀστοργίας & immane. *L.*

87. *Utque magis stupeas, ludos Paridemque.*) Scoptice hoc dicit in Romanorum otia & delicias, qui ludis Circensibus & Theatralibus vitam & spiritum ducebant. Unde supra dixit:

Si potes avelli Circensibus — L.

87. *Stupeas magis.*) Quasi non tam mirandum sit, quod maritum & liberos reliquerit, quam quod ludos Circenses, & festivissimum illum histrionem Paridem. His enim ante omnia delectabantur Romani. *L.*

85. *Sed quanquam.*) i. Licet mollissime & delicatissime educata esset, tamen amore turpis mœchi mare intrare sustinuit. *L.*

89. *Parvula.*) Ex toto illo tempore, quo parva adhuc puella fuit, ut ita in summis deliciis quasi enutrita sit. *L.*

89. *Segmentatis.*) Segmenta vocat circulos aureos vel segmenta Zonis quibusdam & quasi præscisamentis ornata. nam & particulas cujusque materiæ præsegmina vocant. Isidorus Originum *lib.* XXIX. *cap.* 22. Au.

80. *Famam contempserat olim*) & pudorem. quem quæ contemnit, facile illa omnia contemnit. *L.*

91. *Cujus apud molles minima est jactura cathedras.*) Mart.

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros.

Ministri cathedralitii erant delicati, & molles, qui rheda vehebantur, in cathedra sedentes: sed cum *cathedras* legamus fœmineas, effœminatos & delicatos intelligimus. *Au.*

92. *Late sonantem Ionium.*) Dum fluctus in scopulis franguntur. Undarum & fluctuum impetu late strepitantem. *A.* Virg.

— *Sonat Ionio vagus Hadria ponto.* L.

94. *Justa pericli si ratio.*) i. Si ex honesta aliqua causa maris periculum subire debuisset, anxia & trepida fuisset. *L.*

98. *Si jubeat conjux.*) In honesta scilicet & justa causa. Tunc sunt mollissimæ, & delicatæ nimis. Tum illis lascivis mœchis durissimum videtur mare ingredi. *L.*

99. *Summus vertitur aer.*) i. Conqueritur aerem, qui superiori loco ante, summus erat, verti ad inferiorem locum. *Es geht mit ihr rund umb.* hoc ex nausea fieri consuevit. L.

101. *Hæc inter nautas.*) Inter fœtidos & maleolentes nautas, prandium capit, & huc illud læta currit & spatiatur per posteriorem navis partem. *L.*

103. *Quæ tamen exarsit.*) Profecto operæ precium est considerare & inquirere amoris causam. *L.*

103. *Quæ forma.*) Haud dubie eximia, ob quam maritum, natos, sororem, patriam, tot & tanta sustinuit relinquere. Necesse est ipsum incredibili pulchritudine & venustate & juvenili admodum ætate præditum fuisse. *L.*

104. *Propter quod ludia.*) Ludionis & gladiatoris uxor potius, quam Senatoris. *L.*

105. *Nam Sergiolus.*) Pulchellus ille Sergiolus (fuit autem admodum deformis, ut sequitur) cœperat jam, utpote senior, plenam barbam alere, & guttur radere inter tondendum. Fuit enim jam grandævus & non juvenis amplius. Rursus heic contraria conjungit. *L.*

107. *Sicut Attritus.*) Refert illa, quæ faciem Sergii defotmabant. Multis erat erat deturpatus vibicibus, & galea etiam, quam in capite gestaver, attritus erat. Apparet eum secutorem fuisse. L.

108. *Mediisque in naribus ingens Gibbus.*) Deformis tumor ex percussione. *L.* catachresis satyrica. *F.*

109. *Et acre malum.*) Praeterea lippus erat, & vehementi aspeto & difficili malo & morbo lippitudinis infestabatur, quo oculi illi semper fluebant. *L.*

112. *Hic Sergius idem.*) i. Mulier illa Hippia tanto amore gladiatoriae flagrabat, ut si Sergius rudem accepisset, & gladiator esse desineret, statim relinqueret Sergium. *L*

114. *Accepta rude.*) Quod si idem Sergius rudem, i. e. gladium e ligno. Polyb. ξυλίναις μαχαίραις. Dionys. ξίφος ξύλινον, baculum seu virgam signum missionis a gladiatura impetraret, statim & Hippiae deformis visus desereretur, ut prior maritus Vejento. *F.* Cic. 5. *Philip. Tam bonus gladiator tam cito rudem accepisti* Au.

115. *Divorum.*) Irrisorie. Nam Imperatores inter Deos haberi volebant & Divi videri. Erant autem rivales Divorum turpissimi & levissimi scurrae & ganeones, quae Messalinae in lupanari miscebantur, ut sequitur. *L*

117. *Ausa palatino.*) Hi duo versus parenthesi debent includi. Alias longius a se removerent verba illa conjungenda *virum linquebat.* L.

118. *Augusta meretrix*) Haec verba etiam sapiunt quandam contrarietatem, de qua supra toties dictum. Imperatoria conjux ex Augusteo stemmate agens meretricem. *L.*

119. *Linquebat.*) i. delinquebat. *M.* imo solum cubantem maritum tamdiu reliquit. *F.*

119. *Comite ancilla.*) Cum aute innumeris famulis, tanquam imperatoria conjux stiparetur. Hanc autem elegerat in certamen libidinis.

120. *Flavo galero.*) crinem nigrum, quem matrona alebat, supposito rotundo muliebri capitis tegumento in modum galeae facto: quo utebantur meretrices. Hoc faciebat, ut meretrix publica videretur. *L.* Meretricio flavo galero seu galericulo e crine flavo, qui meretricum color est, factitio & adscititio nigrum crinem matronalem abscondente, ut publica meretrix videretur. moechos obtecto capite cucullo per lupanaria nocte vagari solitos notum ex historiis. Quin & meretrices obnuptas fuisse non novum. vid. Tertullian. *de cultu faem.* F.

121. *Intravit calidum lupanar.*) Vel frequentatum, vel quod vetus cento calorem retinuerat. *L.* vel calidum a Lycisca recens egressa, a qua meretrice multis ganeonibus petita cellam conduxerat: *F.*

121. *Veteri centone.*) Centones vestes erant e variis pannis & coloribus confectae. Macrobius: *Porcius Cato docet centones fieri ex vestimentis familiae veteribus.* Cento apud Ausonium opusculum structum ex variis diversisque carminibus. *Au.*

123. *Auratis.*) Ornatis auro, vel sindonio connexo aureis annulis. sic etiam Heliogabalus: γυμνὸς ἐπὶ τῇ θύρᾳ τοῦ πορνείου ἵστηκεν, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων τοὺς παριόντας προσεπαιρίζετο. Xiphilin. Heliog. nisi forte sindonium illud intelligatur rectius de velo, quod lupanaribus & cauponis oppandebatur, atque annuli sint illi, per quos velum adducitur & reducitur, Angl. *Curtaine-rings.* F.

124. *Generose Britannice.*) quasi minime generosus, qui forte ganeonis es filius. Haec rursus contraria Ironiam sapiunt. Nam haec male conveniunt, illum generosum esse, cujus mater meretrix pudenda sua ganeonibus ostenderit. *L.*

125. *Blanda.*) Blanditiis alliciens, meretricum more. *L.*

125. *Atque aera poposcit.*) Stupri scilicet mercedem, ut crederetur vere publica meretrix esse. *L*

126. *Multorum absorbuit.*) quippe quae plurimos admiserit illa nocte, cum ancillam suam viginti quinque vicibus superaverit. *L.*

128. *Sed quod potuit.*) i. Extrema, quae potuit tentavit, ut cum citius ipsis meretricibus discedendum esset, saltem ultima esset inter discedentes. *L.*

131. *Obscurisque genis turpis.*) ... urpata, & denigrata fuligine in sordido lupanari, vel turpata crebro tactu, crebrisque osculis amplexantium. *L.*

131. *Fumoque lucernae Foeda.*) i. Fuligine lucernae foedata. Horat.

— Sub clara nuda lucerna

Quaecunque excepit turgentis verbera caudae. L.

133. *Carmen.*) Incantatorium, quo amatorum animos fascinant. Virg.

Carmina vel coelo possunt deducere Lunam. L.

134. *Faciunt graviora* &c.) Duplici sensu haec dici videntur, Vel Illae coactae ab imperio sexus muliebris (ab odio, ira, invidia, & reliquis adfectibus, quos muliebris sexus *imperium* vocat, graviora adhuc scelera committunt, atque illa sunt, quae faciunt ob libidinem. Vel. q. d. viri seu mariti sui imperium aegre ferunt, & libenter illud excuterent, inde semper in vetitum nituntur, multa saepe machinantur, multa interdum etiam perpetrant, quippe quibus pectus natura dolo instruxit, sed vires negavit. Licet prior sententia videatur concinnior. *F.* & *L.* Quod si incitentur odio, ira, vel aliquo alio affectu malo, cujus imperio facile obsequitur sexus iste, graviora audent scelera, quam libidinem. *F.*

138. *Nec Veneris pharetris.*) i. Maceratur Veneris cupidine, non fervet flammis Veneris, sed dotis flagrat amore, i. Non emaciatus est jaculis Veneris, sed jaculis Plutonis vel Dei divitiarum, qui ipsum coepit. *L.*

139.

139. *Sagittæ.*) Jacula amoris & castitatis veniunt a dote, non a virtute. L.

40. *Libertas emitur.*) i. Libertas faciendi, quidquid libet, emitur a mulieribus divitibus dote. Plautus: *Uxorem accepi, dote imperium vendidi.* L. Libertatem agendi, quæ velit, dote magna emit uxor, maritus vero dotem accepit, libertatem vendit. πίνει τὴν γυναῖκα, πλουσίαν λαβών, ἰχὺ δίκαιον, ἡ γυναίκ' ἴτι, &c. Anaxandrides apud Stobæum. F.

140. *Coram licet innuat.*) i. Dives & dotata mulier etiam præsente marito omnia flagitia designat, & tamen a marito tanquam pudica laudatur. Et licitum est etiam ei, coram vel præsente marito, mœcho innuere illique rescribere, quæcunque velit. Nam viri, quidquid mulieres agunt, illud laudant, cum sint dotatæ. L.

141. *Vidua est locuples.*) i. Dives mulier, quæ avaro alicui nupsit, illa in conjugio æque libera est, ac si esset vidua, ac si nulli matrimonio juncta esset. Vel, quibus voluerit, illis commiscetur, tanquam vidua esset, & maritum non haberet. Vel dives mulier, tanquam vidua, sine crimine peccat, tanquam adulterium non admittat. L. imo vir ejus avarus illi non concumbendo noctes ejus facit viduas, & dote contentus non moratur illius amores, licet vel coram [illegible] adultero. A.

143. *Si verum excutias.*) i. Si ipsam veritatem accuratius aliquanto perscruteris. *Excutere* proprie significat sub vestibus abscondita inquirere, & indagare. L. q. d. nummulæ magis ob vetustatem, quam pudicitiam amantur. J.

145. *Fiant obscuri dentes.*) quod fit senio, si nigrescant. L.

145. *Oculique minores.*) Contrahantur, quod itidem præ senectute fit. i. fiat anus. L.

149. *Calet.*) Viget, vegeta, vivida est. *Sic isti nuatiq.* Sic contra dicitur frigere & algere:

— *Probitas laudatur, & alget.*

calet i. formosa est. sanguine calescentes formosæ sunt, adeoque *regnat* i. superba est & *dat facies animos*, *facie violenta Corinna est.* M.

143. *Mense quidem brumæ.*) Notat servitia & miseram conditionem maritorum, qui hiemali tempore, cum reliqui mercatores, & negotiatores cessant propter frigus, coguntur uxoribus suis crystallina & myrrhina pocula, & preciosos lapillos non sine vitæ discrimine adferre. L.

156. *Myrrhina.*) Pocula de myrrha facta, quæ primus in urbem invexit Pompejus. Talia ob varietatem colorum, & gratum odorem habebantur in maximo precio. vid. Plin. *lib.* XXXVII. M. & Mart. Epigr. 113 *lib.* XIV. & quæ nos ibi. F.

157. *Hunc dedit olim.*) Deridet satyrice, quod mulieres viris imperent, & jubeant ornamenta adferri ex Aegypto, eaque in precio habeant, quod Reginæ olim cum gestaverint. Nempe in digito incestæ reginæ lapis precionior redditus est. Ironice. L.

159. *Observant.*) Vel, dedit hunc lapidem sorori suæ in Judæa, ubi reges meris vel nudis pedibus sancta sabbata religiose observant & colunt. Ridet obiter Judæos L. In Judæa, ubi nudis pedibus sacra peragunt, quod Mosi Deus præcepit, ut calceamenta solveret, &c. Berenice autem nudipes & capillos rasa venit Hierosolymam Deo vota pro salute solutura. Joseph. *lib.* 11. Judaici belli: Hinc forte hujus digressionis causa ad mores Judæorum facta Berenices mentione. F. Egesippus in *lib.* 11. *belli Judaici*, tradit Berenicem sororem Agrippæ regis ad templum religionis causa venisse, atque Festum Præsidem Syriæ obsecrasse, cum acerbissima cæde in populum sæviret. astabat nudis pedibus religioni inserviens. An.

160. *Et vetus indulget.*) Ex divino instituto & lege, quod animal esset immundum, ungulam findens, non ruminans. *Levit.* 11. 7. non, ut falso Tacitus *lib.* V. *Hist.* in memoriam cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverit (idem etiam mentito Justino *lib.* XXXVI.) cui id animal obnoxium. F. Qui autem Judæorum meminit, loquitur non de Antiocho vel Cleopatra, sed de Herode Agrippa. L.

162. *Sit formosa.*) Jam e contrario ostendit ne optimas quidem ducendas esse, ob fastum & elationem suam. Describitur ergo quædam ex voto mulier, non qualis detur, sed qualis merito esse deberet, si daretur. Et quæ si vel maxime daretur, ob fastum esset intolerabilis. L.

162. *Decens.*) de moribus intellige venustis. L.

162. *Dives.*) de qua bus prima quæstio esse solet. L.

162. *Fœcunda.*) quæ fœcunditate sua conjugium reddat lætius. L.

162. *Vetustos Porticibus.*) i. Sit etiam nobilis & generosa. Vel cujus avi triumphantes in imaginibus picti sint, & in porticu ordine dispositi. Tales majorum nobilissimorum triumphales statuas in limine ædium, & porticibus solebant ponere. L.

163. *Intactior omni.*) De moribus ultimo loco dicit, ex consuetudine perditi temporis. L.

165. *Rara avis.*) Sicut phœnix, quæ una avis in terris tantum reperiri dicitur. Hanc consimilem optare licet, consequi non licet, & ratio est, quia non datur. L.

166. *Quis ferat uxorem.*) i. Prædicta omnia si maxime uni uxori adessent, quis illam ferre posset. Nam ob hasce dotes superba esset, & propter superbiam intolerabilis. L.

167. *Venusinam.*) inter Apuliam &, Lucaniam mulierem rusticam & ignobilem & pauperem, quam te,

o Cornelia, Gracchorum mater, quæ casta, nobilis, formosa, & dives fuisti, & fœcunda. *L.*

169. *Et numeras in dote triumphos.*) Si propter nobilitatem & gloriam majorum tuorum tibi subjectus esse cogar, & tanquam propter dotem tibi parere. *L.*

170. *Tolle tuum precor.* &c.) Hisce verbis indicat, satius esse talem superbam uxorem deserere, & dimittere, quam illi cohabitare. *L.*

171. *Cum tota Carthagine migra.*) Unus enim Scipionum Carthaginem tributariam fecit, alter vero totam delevit. *L.*

172. *Parce precor.*) Est initio Prosopopœia Amphionis deprecantis mortem liberorum suorum a Diana & Apolline sagittis confectorum. *A.* Imo mulierum insolentia, quandoque vel in ipsos Deos insurgit, arcessitque divinam vindictam in se suosque, atque hinc illa Amphionis deprecatio clamantis, *Parce precor.* vide fabulam 1. *lib.* vi. *Metam.* *F.*

175. *Ipsumque parentem.*) i. ipsum Amphionem, qui calamitate filiorum, & morte eorundem contabuit. *L.*

179. *Niobe.*) Niobe primæ omnium mulierum mixtus est Juppiter, ut perhibent, de qua nascitur Apis quem Serapim vocant, inquit Divus Hieronymus in chronicis Eusebii. Horatius *lib.* iv. *Ode* 6.

> *Dive, quem proles Niobæa magnæ*
> *Vindicem linguæ Pythiosque raptor*
> *Sensit.* Au.

178. *Quæ tanti gravitas.*) Demonstrat ulterius superbiam mulierum esse intolerabilem, quæ si vel maxime cum honestate & pulchritudine conjuncta sit, plus aloes, quam mellis viris adferat, & omnes virtutes conjunctas odiosas reddat, & contaminet. i. Quæ morum gravitas & honestas, & quæ pulcritudo & formositas tanta esse potest, ut patiaris æquo animo, ut per superbiam se & suas dotes, virtutes & formam tibi objiciat & exprobret. ut seipsam, tanquam maximum beneficium, tibi semper exprobret, suas virtutes in exprobrationem tui extollat. *L*

179. *Hujus enim.*) i. Ut vel maxime formosam, nobilem, & castam ducas (quod tamen rarissimum invento) si superbia accedat, nulla inde ad te voluptas perveniet. Et plus aloes vel amaritudinis ex superbia ejus, quam mellis & dulcedinis ex formositate & castitate ejus consequetur. i. Hujus summi quidem & rari boni nulla prorsus est gratia. *L.*

183. *Septenis horis oderit.*) Dies singuli Romanis in duodecim horas dividebantur. (teste Paulo Jcto. *V.*) Longiori ergo tempore illam oderit, nimirum 7. horis & quinque tantum amaverit: majore diei parte oderit, quam amet. *L.* Hieronym. *Nocivum genus fœmina, janua Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis percussio.* M.

183. *Septenis*) i. septem. Lucan. *Septeno gurgite Nilus.* V.

184. *Quædam parva quidem.*) Alia mulierum reprehensio, quod Græcum mollem, & effœminatum sermonem adfectarent, ut formosiores, & gratiores viderentur. i. Referam quædam modica, & exilia vitia graviorum adspectu, sed viris tamen non toleranda Vel *parca* hoc loco lege, & sic interpretare: Quædam mulier parca quidem est, non superba, & magnifica, & sumtuosa. Sed tamen non toleranda est, quod Græco sermone, ut blandior videatur, utatur. Ille enim sermo blanditiarum feracissimus. *L.*

186. *Omnia Græce.*) i Ipsæ libidinosæ mulieres omnia Græce dicunt & proferunt, eo sermone venustatem & elegantiam sibi conciliaturæ. *L.*

188. *Cum sit turpe magis.*) Cum Latinis turpius esse reputetur omnia Græce nescire, quam Latine. Sed durius hoc. Aliter & forte rectius: Cum tamen nostris Romanis pro summa turpitudine habeatur Latine loqui nescire, & vernaculam linguam ignorare. Mallem hoc loco legi: *Cum sit turpe minus.* L.

191. *Concumbunt Græce.*) Græco more, vel dum dum inter se concumbunt, Græco sermone utuntur. *A.*

191. *Dones tamen ista puellis.*) Concedas vel condones ista prædicta puellis & juvenculis, ut Græco sermone utantur, quibus propter ætatem multa sunt condonanda. indicat in juvenculis vel puellis forte hanc linguæ Græcanicæ adfectationem tolerari posse, in vetulis vero prorsus esse intolerabilem. *L.*

193. *Non est hic sermo pudicus.*) i. Hic sermo Græcus, etiam in vetula turpis & impudicus est, præsertim si lasciva illa verba inserantur, quibus Lais nobilissima illa meretrix in concubitu juvenibus adblandiebatur: *Ζωὴ καὶ ψυχή*, *Mea vita*, *mea animula*. L.

196. *Quod enim non excitat inguen.*) i. Quem hominem non excitat vel incitat in libidinem hujusmodi nimis blanda & nequam Græcorum vox, quæ nimis nimis insidiosa est homini pudico. Ob id *nequam* appellatur. Perniciosum esse demonstrat lasciva illa verba, & gannitus, & subantum voculas, quibus libidinosi in complexu utuntur, in publico velle uti, quæ suis blanditiis libidinem excitent. *L.* Ovid.

> *Quis furor est, quæ nocte latent, in luce fateri,*
> *Et quæ clam facias, facta referre palam.* M.

197. *Nequam.*) quæ profecto multa mala docet. *L.* Vid. Gell. *lib.* VII. *cap.* 11. *M.*

197. *Digitos habet.*) Sicut tactus mulierum movet intima, ita vox lasciva & effœminata non animum modo, sed inguen etiam & obscœna corporis excitat, tanquam manu palpentur. *L.*

197. *Ut tamen omnes.*) Hæc ita explico (nam Interpretes vix Oedipus intellexerit) Quamvis hisce tuis lascivis verbis vel maxime auditores ad libidinem excitentur, & omnes libidinis prurigines subsidant, & inferius in inguina delabantur: & quamvis maxime lascive hæc dicas, tamen quia facies tua annos computat tuos, & deformis vetula es, nemo te amat appetit, desiderat. Vel irridet irritum conatum vetularum, quæ ut vel maxime omnes ingenii nervos adhibeant, & Græcum sermonem mollissime pronuntient, & illa nefaria Græci sermonis & lasciva verba, nullum tamen amatorem sibi comparare possint, cum sint vetulæ. *L.* Quod si omnes adhibueris vocis ingeniique nervos & artes ad irritandam Venerem, & ,ut placeas: rugosa tamen facies te annosam prodit. vide Martialis *epig.* 23. *lib.* 3. F.

198. *Subsidant pinnæ.*) Metaphora ab avibus. Ingenii nervi vel pinnæ quasi ex superiori loco deorsum vocentur. Possumus etiam *pinnas* hoc loco intelligere in cacumine turrium rotundos apices. Quamvis illa, quæ suprema sunt, sermone tuo quasi deorsum voces, videtur esse proverbialis quædam figura. *L.*

202. *Mustacea.*) sunt lenia cibaria ad stomachum reconciliandum, & fercula facillimæ digestionis, quæ dabantur crudis, & qui imbecillioris erant stomachi ex ingurgitatione nimia, aut varietate ferculorum in nuptiis. *V.*

203. *Labente officio.*) Pro abeunte. Cum jam illi abeunt, qui officii gratia convenerunt. Solebant enim ante, quam abirent hospites nuptiales, illis dulcia mustacea erogare loco Apophoretorum. *L.* vel, labente officio stomachi, quia addit *crudis donanda.* F.

204. *Beata.*) Plena, ampla, vel divite. Sat. I. *Sensi se lautum atque beatum.* Item *vetulæ vesica beatæ.* L.

204. *Dacicus.*) i. Nummus aureus, cui Dacicus, & Germanicus Domitianus impressus, vel insculptus est. Solebant autem in lance novæ nuptæ hujusmodi munera offerri. *L.*

206. *Si tibi simplicitas uxoria.*) Si unicam tantum simpliciter vis amare in conjugio, & non multis promiscue uti. *L.*

210. *Igitur longe minus utilis illi Uxor*) Concludit, Ergo, quo quis melior erit, suamque uxorem debito honore magis est complexurus, hoc minus utilis illi uxori est: Et hoc magis ille a muliere cruciabitur. Infert ergo, quod, quo quis melior maritus sit, eo miserior futurus sit, vel qui vehementer uxorem suam amaturus sit, vehementer ab eadem sit excruciandus. *L.* Quo probior & melior maritus quisque est, hoc magis uxor ejus ingenio volet abuti, & ubique præesse, ac imperare marito. *J.*

214. *Ille excludetur.*) i. Hac uxore tua instigante vetustissimus & optimus tuus amicus, qui tibi a puero notus & familiaris fuit, qui domum & januam tuam frequentavit juvenis adhuc, cum barbam alere inciperet: ille, inquam, hac imperante & instigante e domo tua ejicietur, & excludetur. *L.* qui ab adolescente te patronum coluit. Juvenes enim barbam alebant ad ætatis annum xxi. deinceps radebantur. *F.*

216. *Testandi cum sit.*) Cum etiam homines infames, ut lenones, gladiatorum magistri, & gladiatores ipsi jus habeant pro suo arbitrio testamentum constituere, fingere, & refingere. Contra tibi forma testamenti ab uxore tua dictabitur; Tu libertatem illam non habebis, sed pro arbitratu uxoris tuæ *rivales* etiam tuos, idque *non unum*, sed multos in in testamento tuo heredes bonorum tuorum relinques. *L.*

218. *Tibi.*) Emphatice. Tibi soli & uni contra. *L.*

218. *Dictabitur.*) Satyrice. Quemadmodum discipulis, quibus imperamus, & qui morem nobis gerunt, etiam coactis & nolentibus scribenda dictamus. *L.*

219 *Meruit* &c.) Responsio miseri illius mariti γυναικοκρατουμένου, & causam supplicii ab uxore percunctantis. Quid peccati commisit, quis testi criminis eum convincit, quis accusavit? *L.*

220. *Audi: Nulla unquam.*) Pulchra & egregia sententia, sed interpretibus, ni fallor, parum hactenus perspecta, qui illam ita explicant, tanquam sint verba Poetæ, quod nulla mora & longa deliberatio de morte hominis servi apud mulieres sit. Quasi illæ non diu deliberent, sed statim servum ad crucis supplicium condemnent, nullis consideratis circumstantiis & caussis. Verum nobilior hinc sententia eruenda. Sunt verba adhuc mariti ad uxorem, uxorem suam admonentis: Audi, o mea conjux, Non tam subito, & inconsiderate de morte alicujus hominis statuendum est, non tam subito condemnandus est servus inaudita causa. Sed probe & accurate considerandum, an etiam reus sit. Nam nulla cunctatio, nulla mora, nulla deliberatio de morte hominis potest esse nimis longa. Nec omnia nimis accurate in judicio capitis observari possunt. *L.*

222. *O demens! Ita servus homo est.*) tam vilissimus servus etiam homo judicandus est. Age esto, quod nihil fecerit, & peccati in se admiserit. Ego volo & jubeo ipsum interfici. Et si causam vel rationem supplicii ejus quæras: Scias me ita velle. Negat autem servum esse hominem ex muliebri fastu & superbia. *L.* *o demens*, blandientis vox & uxorem palpantis Mariti. *V.*

224. *Imperat ergo viro.*) Mira profecto Romæ illo sæculo mulierum licentia. Cato senior de uxoria potestate dixerat: *Omnibus hominibus uxores imperant, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores.* Dixerat & prius Themistocles: *O uxor, Athenienses Græcis imperant, ego Atheniensibus, tu mihi, tibi filius.* [O pudor!

dor! qui dominantur viris, serviunt mulieribus. M.

225. *Et flammea conterit.*) Sæpius nubendo terit, vel priora lacerat & nova sumit flammea i.e. velamenta rubei coloris, quibus novæ nuptæ caput cooperiebatur. vel disfecat flammea, quibus ducebatur ad illum maritum, tanquam aspernata matrimonium ejus. *A.*

225. *Inde avolat.*) Mox ad alium. inde rursus ad alium, avolat. *L.*

227. *Pendentia.*) i. Die adhuc nuptiali, vel saltem paulo post nuptias, cum vela vel aulæa adhuc suspensa sunt. *L.*

230. *Quinque per auctumnos.*) In Italia contigit, teste D. Hieron. ut par hominum, e plebe matrimonio conjungarentur, vir, qui ante viginti uxores sepelierat: Mulier, quæ jam vigesimum secundum maritum duxerat. Summa ergo omnium fuit expectatio, quis quem educeret & sepeliret. Vicit autem maritus, & totius urbis populi confluente multitudine tanquam victor ancipitis certaminis & fortissimi adversarii coronatus est. *V.*

230. *Titulo res digna sepulchri.*) Scoptice, & acri ironia, quæ res digna est, quæ in memoriam apud posteros lapidi sepulchri incidatur. Eo dicit, nam maritorum nomina sepulchris uxorum inscribi solebant. *L.* & *A.*

233. *Missis tabellis rescribere.*) i. Epistolis vel literis a mœcho missis, accurate respondere. Sic supra:

— *Coram licet innuat, atque*
Rescribat. — L.

235. *Corpore sano.*) Filia, quæ ægrota non est, sed valens sano corpore. Cujus tamen ægritudinem simulat, ut habeat filia facultatem ad se vocandi sub persona medici quemvis adulterum. *L.*

236. *Archigenem.*) Martialis:

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque
A medico futui: vis sine febre mori? M.

237. *Abditus interea.*) i Interea dum visitur a medico, adulter, qui sub persona medici etiam intrare potuit, in aliquo secreto loco abditus latet, & moram vel cunctationem, quam medicus facit, non sustinere potens silentium agit, & libidinem interea excitat. *L.*

228. *Impatiens moræ.*) Urbane abutitur versu Silii Italici:

— *Vocat Hannibal hostem*
Impatiensque moræ fremit, ut sit copia Martis. M.

238. *Pavet.*) Timet vel formidat, ne videatur. Verum hæc lectio mihi non placet. Nam si anxie metu paveret, haud dubie illa obscœna non faceret, quæ sequuntur. Melius ergo legitur: *Silet.* L.

139. *Præputia ducit.*) μασεγχνίτει. *F.* Hæc ultima obscœna atque scelerata sunt intelligenda de illis, quos D. Paulus *molles*, *ad Rom. cap.* 1. vocat Hic ultimus obscœnus versus, teste Probo, in quibusdam exemplaribus non invenitur. *V.*

240. *Utile porro.*) Deinde utile etiam est turpi matri vetulæ sibi similem filiam turpem, & adulteram filiam producere: Scortationibus enim & adulteriis filiæ mater sustentatur, vestitur, nutritur. *L.*

241. *Producere.*) προαγωγεύειν, quod inter alia significat *prostituere*. Ait ergo utile ei esse *producere* vel prostituere filiam, & ita quæstum facere. *L.*

247. *Vulnera pati.*) quæ mulier gladiatoris more infert illi sudibus & fustibus, eminus & cominus, tanquam res cum vero hoste ageretur. *L.*

249. *Atque omnes implet numeros.*) i. Nil omittit ex legitima exercitatione, implet omnem præceptorum ordinem, universa dictata peragit, ut tantum in exercitio valeat, quantum gladiator. id est, omnia facit, quæ ad athleticam spectant, & quæ a lanista vel magistro gladiatorum didicit. *L.*

250. *Florali tuba.*) *Floralia* ludi erant infames & impudici, ad quos ludos meretrices per tubam convocabant. Tali tubæ eam adhibendam dicit. *M.*

250. *Tubæ.*) Hieronym. *ad Dardanum*: Tuba, inquit, diversis figuris & formis efficitur. aliter enim est tuba congregationis populi; aliter Victoriæ; aliter persequendi inimicos; aliter conductionis: aliter conclusionis civitatum &c. *V.*

250. *Nisi si quid.*) Correctio. Nisi forte in ejus matronæ pectore virilius aliquid adhuc, & magis masculum sese movet, quam ut ad Floralia vocetur, & nisi forte eo se ad palum exercet, ut postea in vera arena, vel certamine more aliorum gladiatorum athleticam veram, & non figuratam vel umbratilem exerceat. *L.*

251. *Plus agitat.*) i. Plus agitatur, movetur: vel plus se movet & agitat. *Agitat* positum passive. *L*

253. *Vires amat.*) i. Artem gladiatoriam, in qua vires & robur corporis potissimum valet: & quam viri exercent. *L.*

254. *Vir nollet fieri.*) Ratio est, quia viri cito, mulieres nunquam voluptate coitus satiantur. Fabula est apud Ovidium in Metamorphosi, ubi hac ipsa de re inter Jovem & Junonem contentionem ortam suo arbitrio dirimit Tiresias, qui utrumque sexum fuerat expertus. Utpote qui ex viro in fœminam mutatus, septem annos fœmina vixit, inde rursus vir factus est. Ille postea pro Jove pronunciat, indicans mulierum voluptatem immenso intervallo majorem esse. *L.*

255. *Quale decus.*) q. d. Turpe est mulierem tractare arma omissis domesticis officiis *J.*

256. *Crurisque sinistri* &c.) Ita dicit, nam crus sinistrum tegmine ferreo tegebant, & quidem dimidium tantum crus, ne nimium ponderosum esset, reliquam partem clypeo tegebant. Porro congressuri eum ad-

cum adversario sinistrum pedem protendebant, qui, ne læderetur, tegmine illum tegebant. *L.*

257. *Vel diversa movebit Prælia.*) ironice, ut omnia quod si uxor tua etiam diversa prælia retiariorum, secutorum, mirmillonum, & alia pugnarum varia genera obire velit, tu felix eris. Nimirum cujus puella vel conjux etiam ocreas vendit, quales retiarii & secutores habent. *L.*

259. *Hæ sunt, quæ tenui.*) Hæ mulieres cum adeo impudicæ, robustæ & feroces viragines sint, delicatæ tamen & molles videri volunt, & alias adeo teneræ sunt, ut etiam in tenuissima rotunda veste cyclade sudent. *L.*

262. *Curvetur*) inter pugnandum, dum ictum declinat. Habitum pugnantis ob oculos ponit. *L.*

263. *Quam denso fasciæ libro.*) Eo dicit, nam succinctæ pugnabant, & dum fascia succingebantur vestimenta ejus, denso volumine colligebantur, & complicabantur. *L.* & *M.*

264. *Et ride positis.*) Merito autem rideas, si quem in armis virum esse ratus es, eam mingentem mulierem esse videas. *L.*

264. *Scaphium.*) Vas, quo utebantur ad mingendum & matella in quam mejunt fœminæ, auctor Julius Pollux. *J.* Martialis *lib.* 4.

> *Te potare decet gemmis qui Mentora frangis,*
> *In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ.* Au.

267. *Quando ad palum.*) Ostendit nobilissimas fœminas levioulis, & vilibus mulierculis esse infamiores. *L.*

268. *Semper habet lites.*) Aliud incommodum matrimonii, quod non interdiu solum, sed noctu etiam in lecto uxores cum maritis, & vicissim mariti cum uxoribus contendant & litigent. *L.*

269. *Minimum dormitur in illo.*) Quando ne nox quidem & quietis locus rixæ finem & quietem potest imponere. *L.*

270. *Tunc gravis illa viro.*) Exprimitur insignis mulierum malitia, quæ quo gravius scelus in se admiserant, hoc gravius cum marito contendant, eumque eo gravius accusabant, ut ita omnem de se suspicionem amolirentur. *L.*

270. *Orba tigride pejor.*) Orba catulis, qua nullum anima truculentius, vide quæ ad 18. *epigr.* Martial. *lib.* 1. F. Mart. *lib.* 4. *in Liguinum*:

> *Non tigris catulis citata raptis,*
> *Non dipsas medio perusta Sole,*
> *Nec sic scorpius improbus timetur.* Au.

271. *Cum simulat gemitus.*) Cum maritum scelerum & adulteriorum insimulant, & ob id simulatos gemitus exprimunt, & fingunt se pellices habere, & ob id ingemiscit & plorat, ut maritus credat se vehementer ab uxore amari, & ut ipsæ hac ratione tutius mœchari queant. *L.*

272. *Aut ficta pellice plorat.*) Simulat se pellicem habere, quam maritus amet, & ob id plorat, tanquam maritum maximopere amet, & quasi doleat, quod non redametur. Malus quando bonum se simulat, tunc est pessimus. *L.* Ovid.

> *Quos ego servavi, pellex amplectitur artus.* Au.

Ovid. 11. *de Art.*

> *Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira est,*
> *Fulmineo rabidas quum notat ore canes:*
> *Nec lea, quum catulis lactentibus ubera præbet,*
> *Nec brevis ignaro vipera læsa pede:*
> *Fœmina quam socii deprensa pellice lecti*
> *Ardet.* —

Id. *lib.* 111.

> *Accedant lacrimæ, dolor & de pellice fictus.*

nam ut *lib.* 1.

> — *Lacrimæ prosunt, lacrimis adamanta movebis* M.

274. *In statione sua.*) Metaphora a militibus, qui stant in loco vel statione sua parati, ut signo dato excurrant, quo Imperator jubeat, ut sic lacrumæ etiam effluant & excurrant, cum jubeantur. *L.*

275. *Tu credis amorem.*) Jucundissimus locus. Est autem apostrophe ad maritum. *L.*

276. *Curruca.*] Vera lectio est *buruca*, quæ est insectum parvissimum, brassicas depascens, de qua Columell. *Democritus affirmat has bestiolas enecari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus & nudo pede unamquamque areæ portam ter circumeat: post hoc decidere omnes vermiculos & emori.* Quapropter & Poeta maritum stupidum & torpentem vocat *burucam*, quod ab uxore increpitus miro silentio obticescat, perinde ac si ab eadem sit enectus. *V.*

276. *Fletumque labellis.*] Conjugem tuam consolaris, amplecteris, oscularis, & fletum & lacrumas ejus fictas labellis tuis inter osculandum absorbes, vel uxorem tuam mœcham, tui odio potius, quam amore flentem, amplecteris, ejusque lacrumarum guttas osculando exsorbes. *L*

277. *Quæ scripta & quas.*) O miserrime vir, qui tibi tantopere places ob amorem conjugis, quæ scripta & quas literas a mœchis uxori tuæ missas visurus & lecturus esses, si scrinia uxoris tuæ perscrutareris. vel si capsa & cista uxoris tuæ tibi retegeretur & aperiretur. *L.*

278. *Zelotypæ mœchæ.*] Iterum antithetis, & eleganrissime quidem utitur. i. conjugis tuæ pessimæ adulteræ, quæ se tamen optimam & zelotypam simulat. Exprimit pessimum illud genus mulierum, quod cum esset flagitiosissimum, zelotypum tamen videri volebat, & miseras at innocentes mulieres vagæ libidinis,

nis, cui se infensissimas esset simulant, accusant, & decipiunt. *L.*

281. *Olim convenerat, inquit.*) Verba se purgantis adulteræ satis procacia & malitiosa, audaciæ & confidentiæ plena: Convenit inter me & maritum jam olim inde a contractis nuptiis, ut ille viveret, ut sibi complacitum esset, & ego itidem mihi indulgere possem, quodcunque vellem. *L.*

283. *Clames licet.*) Licet præ indignatione ob hanc tantam confidentiam exclamans cœlum & terram confundas, & præ zelotypia exclames cœlum & terram mariaque Neptunia: illæ se excusare possunt & dicunt: Homo sum, fragilis sexus. Hæc verba ita possunt Poetæ attribui. Verum commodius adhuc ipsi mulieri. q. d. O vir, licet præ indignatione exclamans cœlum & terram confundas; Nihil profeceris, nec me aliter adsuefeceris: nam homo sum, & talis nata, quæ ex sexus imbecillitate peccet, & veniam mereatur. *L.*

283. *Mare cœlo.*) Omnia. vide Sat. 2. *vs.* 25. quod Lucianus dicit, τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀναμιμνῄσκειν in Prometheo. *F.* Menandro est ἄνω κάτω φασί. *F.*

284. *Homo sum.*) Refutatur hoc loco validissime vana & pestilens illorum opinio, qui apud auctores vocabulum hominis de fœmineo genere usurpari negant. *L.*

285. *Iram atque animos.*) Ut quo majus crimen, hoc major illis sit audacia; ut quo enormius scelus admiserunt, hoc etiam majorem animi confidentiam, & audaciam, & indignationem etiam animo concipiant. *L.*

286. *Unde hæc monstra.*) Quæ tandem causa est prodigiosæ hujus nequitiæ: otium scilicet, opulentia & luxus. *F.*

287. *Præstabat castas.*) Olim pauperes & humiles castæ erant, jam cum paupertate pudor & castitas profligatæ sunt, & cum opibus & potentia, luxuria, impudentia, & libido introductæ sunt. *L.*

287. *Humilis fortuna.*) Paupertas, quæ continentiæ mater, & genitrix omnium virtutum, & magistra. *L.*

288. *Nec vitiis.*] Otia dant vitia. Ovid. de Remed. Amoris:

> *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,*
> *Contemtaque jacent & sine luce faces.* L.

293. *Et proximus urbi Annibal.*) Eo dicit, nam tempore belli cum exercerentur viri & fœminæ timidæ & meticulosæ, non facile libidini fenestra patebat. *L.*

292. *Nunc patimur longæ pacis mala.*) Apodosis contrariorum. i. Jam contra longa pace omnia mala nobis nata sunt, & luxuria imprimis, quæ omni hoste sævior & immanior nunc Romanos punit & adfligit, & orbem a Romanis devictum & superatum ulciscitur & vindicat. Cum jam Romani tanto tempore pacem habeant, nec supersit, quem ipsi armis vincant, ipsi luxuria & vitiis vincuntur. Sic Alexander Magnus, ut refert Seneca, *Armis vicit, vitiis victus est.* L.

293. *Sævior armis luxuria.*) Verissima sententia. Certe luxuria Romanos, Græcos, Alexandrum Magnum, Germanos, & quos nullus hostis unquam superavit, domuit, deque illis triumphum egit. *L.*

293. *Victumque ulciscitur.*) Melius erat orbem non superasse, ne nos luxuria superaret. Theognis:

> Πολλοὺς τοι πλείονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας. *L.*

295. *Hinc fluxit ad Istos.*) Alii legunt *Istros* non tamen ex hujus loci scopo, quasi dicat, Romanos suis vitiis luxu & libidine etiam alios homines tanquam contagio inficere. Erant autem *Istri* populi in littore Illyrico. Verum legendum, *istos*, hoc perspicuo sensu; Hinc ex opulentia, potentia, & luxuria Græcorum Sybaritarum, (populi in ea Italiæ parte, quæ magna Græcia dicta est, omni deliciarum genere effœminati. *J.*) & Asiaticorum mores Romam venerunt, & ad illos septem urbis Romæ colles fluxerunt. *L.* & *F.*

296. *Et Sybaris.*) Vide Proverb. *Sybaritica sus,* L. & *Sybaritici libelli* apud Mart. Plutarch. in *convivio septem sapientum.* morem fuisse scribit Sybaritis, mulieres ab usque anno priore ad convivia vocandi, ut veste auroque moliri exornareque per otium se possent, sed & Maxim. Tyrius in *dissert.* 111. *de Voluptate*, primos enumerat Sybaritas inter eos populos, quos vult mollissimos deliciosissimosque videri, neque non Sybariticas saltationes commemorat. *An.*

296. *Miletus.*) Vide Proverb. *Fuere quondam strenui Milesii.* Conquestus est itidem *Satyr.* 3. Urbem Romam esse Græcorum malis moribus Græcam fractam. Illud heic repetit. *L.*

298. *Prima peregrinos.*) Ostendit, quid castitatem conservarit, labor scilicet & assiduitas, parvis contenta frugalitas, jam demonstrat, quid eandem expulerit, pecunia scilicet, & rerum copia, otium, & luxus. *L.*

298. *Obscœna pecunia.*) Nota heic epitheta poni, *vel* ad discretionem faciendam, ut Virg. *Ida Phrygia* dicitur, ne Cretensis putetur: *vel* ad perpetuam rei naturam significandam, sic *mare velivolum* dicitur Lucretio: vel ad effectum indicandum, ut hoc loco. *A.*

300. *Quid enim Venus ebria.*) Egregia sententia. Si enim Venus furiosa alio furore ebrietatis incitetur, facile omnem honestatem contemnit, nihilque pensi habet. Certe mirabile monstrum est mulier libidinosa & ebria. Nempe:

> *Vino sæpe suum nescit amica virum.* L.

302. *Ostrea*) ad Venerem miris modis instigant, ut omnia conchylia, inde turpissimæ illæ fœminæ ostrea comedebant, ut ad Venerem promtiores essent. *L.*

336. *Qua sanna.*) Τυγχάνω τὸν λαιχάζειν· καὶ μυχθίζειν. λοιδορεῖν.

λειξιάδης. F. Respiret occupato ore in contemptum Deæ. *sanna* querela ex sonitu narium. Nonius *sannam* vocat ronchum a stertente temulentia editum. *Au.*

307. *Tullia*) μύζουσα. F.

307. *Collacia Mauræ.*) Libri antiqui habent *collactea*, pro collectanea, quæ eodem lacte nutrita est. V. M. A. & *Au.*

307. *Notæ.*) Familiari, ob mutuam crissandi consuetudinem, vel famosæ. I.

308. *Mauræ*) Ἐπιμιρμάσα κιγκλίζομένη. F.

308. *Maura Pudicitiæ.*) Dum illa veterem illam & venerandam Pudicitiæ aram prætergreditur. *Pudicitiæ* dixit Emphatice, quod ad statuam illius veterem imprimis impudicæ essent, suamque libidinem exercerent. Ad hanc enim Pudicitiæ aram impudicæ illæ matronæ conveniebant, & inter se concumbebant, & urina Deæ effigiem perpluebant. Hoc vero erat Pudicitiam colere. L.

239. *Noctibus heic ponunt.*) i. Heic ad Pudicitiæ aram matronæ lecticis vectæ conveniunt, & inter se concumbunt. L. Vid. Platon. de LL. &, Paul. *ad Rom.* 1. V.

309. *Micturiunt*) prurigine libidinis correptæ. L.

311. *Equitant*) ἀφάλλονται καὶ παρὰ φύσιν ἀνδρίζονται. F.

311. *Luna teste moventur.*) Anthypophora. quasi quis dixisset, noctu ista fiunt. respondet Poeta: *Lunam* olim testem fore. V. i. Noctu illud faciunt, nec quenquam suorum facinorum testem vel conscium habere censent. Verum falluntur, nam

— *Sidera testes intendunt oculos.* L.

312. *Tu calcas.*) Tu, o marite, cum mane surgis & magnos tuos patronos visitaturus, & sportulæ gratia salutaturus es, dum in platea Pudicitiæ aram prætergrederis, conjugis tuæ urinam, quam ibi sparsit, pedibus inter ambulandum conculcas, quam præterita nocte libidinem exercens ibi reddidit. Alii sic: Tu mane antequam surgas magnos amicos salutaturus prius cum uxore tua concumbis, sed urinam ejus tantum calcas, cum sperma evacuarit. Verum non placet illorum interpretum commentum, qui ex obscœnis obscœniora faciunt, cum alias heic satis sit obscœnitatum. L.

314. *Nota.*) Scelera & flagitia, quæ in secreto in sacris Bonæ Deæ admittuntur, satis omnibus jam cognita sunt. Opponuntur, *Nota*: *secreta*. L. Agit vero heic maxime Satyricum Juvenalis, Petulci enim est Satyri turpissima quæque scelera exprobrare eorumreis. idque verbis apertissimis. A.

314. *Cum tibia lumbos incitat.*) i. Cum in his sacris matronæ saltant ad tibiam, velut in Bacchanalibus. De hac re vide Plutarchum *in Cæsare.* Alii hunc locum aliter capiunt, quasi tibiæ cantu in lumbis libido excitetur, ut Persius ait,

— *Cum carmina lumbum.*

Intrant. Verum non placet. Ait enim illas ad tibiæ concentum saltare. Porro fiebat hoc in Sacris Bonæ Deæ. Propterea sub Psaltriæ persona Clodius in sacris Bonæ Deæ: quo, alias viri non admittebantur, penetrabat & Cæsaris uxorem constuprabat. L.

317. *Mænades.*) μαινάδες, Bacchæ, a furore sic dictæ. ostendit autem sacra Bonæ Deæ æque sacrilega, & flagitiosa, ac Bacchanalia ipsa. I. Nam ut Bacchæ Bacchum cum ululatu inclamabant. Ita illæ Priapum. Hinc ingeniose illas vocat Priapi Mænades, non Bacchi. Nam, teste Plutarcho, in his sacris multa Bacchanalibus similia fiebant. L.

318. *Quæ vox saltante libidine.*) Quam lascivæ, & obscœnæ illarum voces sunt, cum prurigine & tentigine libidinis etiam subsilire coguntur. Vel obscœniora adhuc heic latent, ut saltante sit exsultante, & quasi mota tentigine, & prurigine ipsius vulvæ. L.

319. *Meri veteris.*) Οὔρῳ ἐκ τῆς μίξεως καὶ πόθῳ τῆς ἀφροδίτης, κινουμένη. F.

319. *Per crura madentia.*) Per quæ urina defluit. Hoc & sequenti loco auctor noster vere Satyricum agit, & obscœnissima palam recitat & damnat. L.

323. *Lenonum ancillas.*) Laufella matrona Romana proposita corona, vel præmio victoriæ provocat in certamen libidinis Sodomiticæ ancillas lenonum, vel lenonum meretrices prostitutas, easque vincit, & tanquam victrix præmia victricia proposita aufert. L. Præmio certaminis nefandi proposito. Respicit forte certamen & palmam Messalinæ, de qua vide Plin. hist. *lib.* 10. *cap.* 3. F.

321. *Et tollit pendentis præmia.*) Tanquam quæ vicerit λεσβιάδας in umbratili & muliebri hac κλινοπάλῃ. F.

321. *Pendentis coxæ.*) Quod succubuerit, & tribadem sublimi coxa incumbentem exceperit. Hæ tribades vel frictrices utebantur ὀλίσβῳ vel nescio quo coriaceo, quo se invicem subigebant, tanquam viri fœminas. L.

322. *Adorat.*) Γυνὴ ἐπικλινομένη τρίβει, λείχει τι. F.

323. *Palmam inter dominas.*) Generosior existimatur inter illas, quæ melius crissat. i. ipsa crissandi vel patiendi virtus & potentia exæquat plamam vel victoriam in certamine illo crissandi, cum ipsis natalibus vel generis nobilitate. Vel virtus & robur atque valentia in obscœno illo opere, æqualem facit palmam & victoriam in hoc certamine cum generis nobilitate. Vel inter has dominas & matronas, quo quæ fortior in actu illo, hoc etiam habetur generosior. L.

324. *Per ludum simulabitur.*) Non ludi aut simulacra libidinis ibi effinguntur, sed omnia vero quasi virorum concubitu fiunt, & quidem ita ad vivum, ut illarum aspectu etiam Laomedontis filius Priamus, quamvis jam senior & ævo frigidior, ad libidinem inflammari possit. L.

327. *Fœmina simplex.*) Fœmina, quæ ante virili instrumento se quidem armarat, videt illud fictitium instrumentum non sufficere, & fœminam illo armatam esse tamen & manere simpliciter fœminam, neque vere opus obire posse, sed umbratile tantum opus, quo libido non satietur, sed excitetur potius. Valet ergo heic *simplex*, nihil virile potens. sed virum desiderans. *L.*

329. *Dormitat adulter.*) Indignatur mulier, quod nemo adulter veniret. Hæc cum interrogatione rectius leguntur. *L.*

330. *Illa jubet sumpto*) Una ex illis per ancillam jubet juvenem adulterum properanter ad se venire, cucullo sumpto, ne cognoscatur. Erat enim vestis muliebris. Sic supra:

Sumere nocturnos meretrix augusta cucullos. L.

333. *Mora nulla per ipsam.*) i. Cum nulli homines, & ne vilissimi quidem adsint, supponit se asello, & ut libidinem expleat, per extremam enormitatem ab asello se subagitari patitur. O prodigiosam & incredibilem libidinem! *L.*

335. *Sacra*) Γυναικεῖα pro salute publica nuncupata. *F.*

338. *Cæsaris.*) Magna hic ἐνέργεια Satyrica. Obiter vexat Cæsarem ob Anticatones scriptos. Ei simul recte innuit, illam infamiam suæ uxori esse illatam, quæ major fuerat, quam illa probra Catoni immerito in Anticatonibus objecta *L.*

339. *Illuc.* &c.) Ridicule & satyrice dixit, quasi eum locum ob reverentiam mures etiam masculi fugiant. Ad quem locum vel murem masculum intrare nefas, qui sciat se habere testiculum. *L.*

342. *Ecquis tunc.*) i. Anne tunc, prisco nimirum seculo, quisquam inventus fuit, qui numina contemneret? q. d. Non. Nam ut alibi:

Improbitas illo fuit admirabilis ævo. L.

343. *Simpuvium.*) Vas ligneum, vel, ut aliis placet, fictile a Numa in sacris abhibitum. Vide Junii animadversorum *lib.* 2. *cap.* 10. F. Plin. *lib.* XXXV. *cap.* 11. *M.* Sympinium legit, teste citato Varr. *de L. L.* & a συμπίνειν derivat. *F.*

345. *Sed nunc ad quas.*) Antapodosis. Quasi dicat, contra nostro tempore ad omnes aras, templa & sacrificia Clodii similes adulteri inveniuntur. Seneca: *Omne ævum Clodios fert, sed non omne tempus Catones producit. L.* hoc autem loco legit *lodius* seu *ludius*, teste Valla, Probus. *M.*

347. *Sed quis custodiet.*) Respondet Poeta non custodiri mulieres, quia ipsos custodes ad concubitum sollicitaturæ essent. Vere de his Ovidius lib. 4. *de Amoribus*:

Nec custodiri, ni velit, ulla potest?
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas;
Omnibus occlusis intus adulter erit, L.

340. *Nec melior pedibus.*) Non melior & honestior est paupercula (quam, ut & divitem periphrasticos describit. F.) uxor, quæ suis pedibus per plateas, & nigros ac lutosos silices in plateis stratos ambulat. Hujusmodi tamen antea paupertas & fortuna tenuis a vitiis immunes conservabat. Indicat ergo suo seculo vitam prorsus esse corruptam. *A.* & *L.*

353. *Amicas.*) quas tanquam dives habeat loco clientarum. *L.*

354. *Nutricem.*) Simulat se tanquam prædivitem liberis suis nutricem alere. *L.*

354. *Et flavam.*) i. Comtam aliquam ancillam, cui tanquam domina mandata imponat. Quidam meretricem intelligunt, quæ *flava* utebatur coma, quasi illi det mandata ad adulterum suum. *L.*

357. *Multis res angusta.*) Multæ mulieres pauperculæ sunt, sed nulla mulier virtutem, quæ paupertatem consequi solet, pudorem, honestatem, continentiam habet. Quædam ita ambitiosæ sunt, ut cum sint pauperes, tamen splendidæ videri velint, neque habeant rationem tenuitatis suæ, sed ita sumtum faciant, perinde ac si nasceretur illis pecunia. *J.*

359 *Tamen utile quid sit.*) Levi limitatione corrigit, quod dixit, & per dissimilitudinem probat: Viros tamen interdum temperantiam colere, & paupertatem suam utili aliqua dispositione interdum gubernare, cum contra prodigæ mulieres omnia consumant. *L.*

361. *Formica.*) noti sunt plebeji illi in vulgus versiculi:

Dum calor est, & pulcra dies, formica laborat,
Ne pereat, dum nix venerit alta, fame. A.

362. *Prodiga.*) Cic. II. *de Off. Prodigi sunt, qui epulis & visceratiationibus & Gladiatorum muneribus ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt.* &c. M.

363. *Redivivus*) ex vetusto renovatus (teste Festo, & sic in antiquis textibus legitur. *M.*) imo ex perdito reparatus, ex mortuo renatus, & redivivus, tanquam in arca nummi renascantur. *L.*

365. *Non unquam reputant.*) Non animo perpendunt, & considerant, quanti sumtus luxuria, voluptate & gaudiis consumantur. Et non quærunt, unde habeantur illi sumptus, sed oportet habere *L.*

366. *Eunuchi imbelles.*) Imbelles, non ad concubitum, sed ad impraegnandum, eo quod semine destituantur. Hinc Terentianum illud: *Ajunt illos maximos mulierum amatores, sed nihil posse.* De quibus recte illud Virgilii:

— *Si quando ad prælia ventum est,*
Ut quondam stipulis magnus jam viribus ignis
*Incassum furit.*L.

Scalig. *Exercitatione* 157. Sic Aetius *lib.* 6. οἱ παθλαμίαι-

γυναῖκα ποτὲ ἐσυνείσας ἐρίζοντας. Et Polybius: περὶ γυναῖ λαγγίνεσι μὲν, καὶ ἀφίεσιν, ὀλίγοι δὲ, καὶ αἴσθησις, καὶ ἄ-γονοι. Vide & Basilium *de vera virginitate*, Aphrodisæum *problemat. lib.* 4. & Martialem *epigrammate* 67. *lib.* 6. *F.*

368. *Et quod abortivo.*) Nobiliores enim cum molestias partus subire nollent, aut Eunuchis nubebant, a quibus non imprægnabantur, & tamen concubitus voluptate non carebant (quem illi assidue sine defatigatione possunt exercere) ut hic dicitur. *L.*

369. *Quod jam calida.*) i. Eo quod inguina illorum vel testes castrandi medicis traduntur, ex juventa vel juvenili ætate jam calidi & maturi. quod inguina calida, fervente sanguine matura, & ad generandum idonea medicis traduntur. *L.*

370 *Ergo exspectatos.*) Exponit idem fusius. ostendens, quod tum demum matronæ servos suos optime mentulatos castrari curarent, cum jam illorum membrum ad justam magnitudinem excrevisset. Tunc enim æque potentes manebant in re Venerea, quibus sola imprægnatio deerat. *L.*

374. *Conspicuus longe.*) Quæcunque domina spadonem fieri curat, ille præ ceteris virili membro probatur maturus est. Tales namque balneis a mulieribus & viris mollibus & Cinædis eligebantur, in quæ nudi intrabant. Martial.

Sed spectant oculis devorantibus Draucos.

Et Noster Sat 9.

Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, &c.

id est, quicunque a domina spado factus est, ille mentulatissimus haud dubie est, & longe conspicuus intrat balnea, & spectabilis ob mentulæ enormitatem, & ob id a cunctis notabilis. *L.*

375. *Nec dubie.*) i. Confidenter & audacter tanquam suæ causæ bene confidens Deum custodem vitis & hortorum Priapum (qui cum membro enormis magnitudinis fingitur) in certamen de membri magnitudine provocat. *L.*

376. *Sed tu &c.*) Hic locus a variis explicando varie est corruptus, & male explicatus. Scaliger ille doctissimus de hoc loco ita: *Eunucho tradere* est castrare, vel *Eunuchum tradere*, vel Eunuchίζειν, ut apud Catullum *asino tradere*, i. facere ut asinus pistrinarius fit. Notat autem in hoc Juvenalis loco proverbium non fuisse animadversum βρόμιον εὐνουχίζειν. q. d. Noli itaque tu o Posthume castrare catamitum jam grandiorem, ne forte uxori tuæ usui fit. *F.* Ego, licet ab auctoritate tanti viri invitus recedam, hunc locum ita explico: O posthume, talis Eunuchus membro egregie instructus dormiat, cum domina sua i. cum tua conjuge, quæ illius membri enormitatem facile sustinere & tolerare poterit. At vero concubinum tuum Bromium, quamvis jam durum, virilem & robustum, & jam barbatum & tondendum, cave hujusmodi Eunucho committas. Si cum illo enim dormiret, illum sua enormitate (τέκνον αἰδοῖον ἀφαιρέσει διαρρήξει.) prorsus diffinderet, & corrumperet, *L.* & *F.* Innuit melius esse ab eunuchis, quam ab adulteris subagitari conjugem. *A.*

376. *Dormiat cum domina.*) Scoptice ait. q. d. Hujusmodi aliquem Eunuchum ale ad dominæ uxoris tuæ concubitum, quæ tale potest tolerare membrum. *L.*

378. *Bromium.*) Puerum in deliciis habitum jam ætatis provectioris intelligo, concubinum domini Ursidii Posthumi. *L.*

379. *Dura.*) alii legunt *dura est.* sed sensus eodem redit, volunt quidam *cantore* abuti fœminam, alii *cantu. A.*

381. *Densi radiant.*) Sic Interpretes: Citharæ gemmis fulgent, & lapides pretiosi in testudine collucent, quasi mulier instrumenta musica gemmis ornarit, ut gladium Aeneas, pocula Virro, alii alia. *A.* Verum hæc videtur sententia, quod mulier, quæ digitos gemmis & annulis ornatos habeat, testudinem pulsarit, & sic digiti & gemmæ in testudine micuerint. *L.*

382. *Crispo numerantur.*) His verbis indicat mulieres etiam instrumentis cecinisse, & instrumenta cantorum & citharœdorum amatorum suorum in summo precio habuisse. *L.*

383. *Quo tener.*) i. quo pectine mollis ille & tener acjunior Hedymeles citharœdus utebatur. Fictum forte nomen ab ἡδὺ dulce, μέλος cantus. *L.*

383. *Hunc tenet.*) Pectinem vel plectrum, quem in magno precio habet ob citharœdum Hedymelem, qui illo usus, suum adulterum, cujus pectinis conspectu recordatur amoris & consuetudinis cum mœcho, ob id illum amat. *L.*

383. *Hoc se Solatur.*) Dum abest citharœdus, vel etiam forte mortuus est, consolatur se hoc plectro, quando ipsius citharœdi copiam habére non potest, & plectrum illud propter Hedymelem gratum & amatum osculatur, tanto ejus amore tenetur. *L.*

388. *Quid faceret plus.*) Exclamatio Poetæ cum indignatione, id est, quid ipsa mulier majus & diligentius facere posset, si vir vel maritus ægrotaret, vel si filius periculoso morbo laboraret, adeo ut medici de salute ejus desperantes tristes essent: quam fecit pro salute adulteri? *L.*

320. *Nec turpe putavit.*) Non sibi turpitudini futurum duxit pro citharœdo inter sacrificandum more solito sacrificantibus caput velare. Sacrificantes caput velabant, ut Plinius ait, ne pares honores mortalibus, quibus caput aperimus, & Diis habeantur. *L.*

390. *Velare caput.*) Erant signa adorationis velari & sedere. *L.*

292. *Palluit.*) Summum mulieris desiderium notat. inter spem & metum constituta palluit, sollicita, anxia, subtimida & dubia, an exta aguæ votis feliciter responderent. *L.* & *F.*

393. *Dic mihi.*) Quia dixit mulieres Deos consulere de salute adulterorum, jam indignatus Janum percunctatur, an hujusmodi adulteras audiat, eisque respondeat. quod si faciat, dicit haud dubie Diis nihil aliud esse, quod agant, qui quidem turpissimas mulieres exaudiant. *L.*

393. *Antiquissime Divum.*) Apostrophe ad Janum, quærit autem ex illo, an tam putidis, & impudicis mulieribus respondeat. *L.* de Jano vide Ovid. in *Fast.* Macrob. *Sat. lib.* 1. M. Orpheum *in Hymnis. V.*

394. *Magna otia cœlo.*) Ridicula exclamatio. i. Si adulteræ mulierculæ cupiditatibus in sacrificiis inservis, aliud, quod agas, in cœlo non habes. *L.* Cic. de N. D. *At enim minora Dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur.* M.

395. *Non est, ut video.*) irridet suos Deos. *L.*

396. *Hæc de.*) Et hac malitiosa mulierum importunitate & malitia homines etiam offenderentur, multo ergo magis Dii. *L.*

397. *Varicosus.*) Haruspex multum stando dum Deos & exta consulit, evadet varis & obtortis plantis, vel retortis introrsum pedibus varus fiet, dum diutissime stare & exta inspicere & consulere cogitur. Vel potius *varicosus*, cui varices sunt tumidi, vel qui venas tumidiores habet, quod fit diuturna statione, cum sanguis deorsum in pedum venas decumbit. Hippocr. *Aphor.* 21. *lib.* VI. *F.*) Porro *Varus* primam producit, unde prior explicatio non subsistit. *L.* *varix* vena in suris inflexa, vel obtorta, præ nimio pondere nasci varices dicuntur, si stantes poplitibus fuerimus innixi. Avicenna. *Varicosus sanus non est*, ait *lex* 50. *D. de ædilitio edicto.* Au.

398. *Sed cantet potius.*) Vagas, audaces, verbosas & rerum novarum avidas & scitatrices mulieres jam carpit: Facit id correctione quadam. Satius esse dicens, eam cantu gaudere, quam vagam & impudentem esse, omnia nova expiscari, conventicula & cœtus virorum ingredi, & cum militum ducibus loqui. *L.*

401. *Strictisque mamillis.*) E sinu exsertis & patentibus. Sic dicimus strictum gladium, pro evaginato. Alii, inter quos Probus, & quidam Codd. legunt *siccis*, sine lacte, nihil lactis maternalis habentibus. Sed non placet. *V.* & *L.*

403. *Secreta novercæ Et pueri.*) Novit hæc curiosa mulier, quid novercæ cum privignis pueris secrete agant. *L.*

404. *Quis decipiatur*) ab illa, quam amat. *L.*

405. *Dicet quis viduam,*) Summam curiositatem notat. i. Hæc eadem polypragmon mulier dicit, quis viduam inprægnaverit, quo mense id factum sit, quibus verbis quæque mulieres concumbant vel coeant cum amatoribus, & quot modis concumbant. Satyrice. *L.*

406. *Quibus verbis*) Græcis an Latinis. Sic supra dixit: *Concumbunt Græce.* L.

407. *Instantem.*) Exitium portendentem, *mutantem regna cometen.* Lucanus 1. *M.* de Cometis Vid. Philopon. Damasc. Senec. præcipue Ruf. Festum in Arat. *V.*

307. *Parthoque.*) refer hæc ad Trajani ævum, qui expeditionem in Armenios & Parthos suscepit. *L.*

408. *Famam rumoresque.*) Fabio auctore *lib.* V. *fama* consensus civitatis, velut publicum testimonium vocatur: *rumor* vero sermo sine ullo auctore certo dispersus, cui malignitas ortum dederit, incrementum credulitas. *M.*

409. *Excipit.*) Peregre redeuntes solemne illud sciscitatur, μή τι καινόν; *L.*

409. *Isse in populos.*) In quosdam populos fluxisse, eosque diluvio absumsisse. Hoc autem non verum est ex historiis, sed a mulieribus effictum, quæ rumores augebant. *L.*

413. *Nec tamen.*) Non tamen hoc curiositatis & πολυπραγμοσύνης vitium intolerabilius & deterius est, quam illud quod sequitur. Vel illud curiositatis vitium non adeo tolerabile est, quam vitium crudelitatis. *L.*

415. *Exorata.*) Potest paullo aliter & rectius forte explicari. Cum exorata & quodammodo placata est, loris illas concidit, alias illas plane occisura, vel ad mortem mulctatura.

919. *Balnea nocte subit.*) Aliud subjungit vitium, quod nocturnis balneis servis & ancillis domesticis, marito, & convivis molesti essent. i. Nocturno tempore importune lavat.

419. *Castra.*) Instrumenta balneatoria, sarcinas, utensilia, supellectilem, ancillas, comites. Metaphora a re militari. *L.*

420. *Magno gaudet sudare tumultu.*) Tumultuoso exercitio, quod magno fit strepitu, sudorem in balneo sibi excitat. Ex consuetudine hoc dicit, nam sudaturi plumbea massa, quam varie jactabant & agitabant, in balneis se exercebant, & sudorem eliciebant. Aliter ita explicari potest. Gaudet multo labore & strepitu servorum & ancillarum ministrantium. (ut *A.*) Verum non placet hæc interpretatio ob sequentia. *L.*

422. *Callidus.*) Versutus & dolosus, qui sciat dominam suam hujusmodi titillatione, & contrectatione gaudere, cujus mœchus forsan est. *L.*

423. *Exclamare.*) Crepitum concavæ manus inter nugandum illisæ edere, *vel* obscœnius quod poppysma. *F.*

426.

426. *Sitiens.*) i. Capiens vel exhauriens: Sic ille: *Sitit quadrantal*, i. capit. Mos autem erat apud Romanos, ut exonerandi stomachi gratia statim e balneis redeuntes amystim vel uno ductu multum vini biberent, & deinde statim rursus evomerent, & ita ventriculum lavarent. Id quod Erasistratus tanquam oculis noxium improbavit, & heic Juvenalis reprehendit. *L.*

417. *Pedibus.*) i. servis, quibus apponebatur pessimum vinum, quo vomitum provocabant, ut esset major edendi appetitus. *J.* aut advolutum *pedibus*, non allatum manibus, præ nimia vasis magnitudine. *A.*

429. *Et luto terram ferit.*) id est, Dum duo sextarii per jugulum & vomitum redeunt & terram vel pavimentum luto vel abluto & purgato stomacho, dum per vomitum redit, decidens ferit & percutit. *L.*

429. *Luto.*) lauto, abluto, purgato, Non intelligit, *lutum*, oleum (quod *A.* vult) vel sordes ex stomacho per vomitum rejectas. Tum enim *lutum* corripitur. *L.*

431. *Nam sic.*) Adeo avide bibit post balneum, tanquam serpens, quando in vini dolium ceciderit, bibendo vomit, & vomendo iterum bibit. *L.*

432. *Serpens.*) Plinius *lib.* 7. testatur, quod serpentes vini avidissimi sint. Proinde viperas antiqui vino cum fictilibus ad sepes disposito venantur. Ebriæ enim capiuntur. *M.* Testatur idem Aristoteles *lib.* 8. *de historia animalium.* L.

433. *Atque oculis bilem substringit.*) Clausis oculis ob hanc uxoris turpitudinem indignatur, & bilem ac indignationem clausis oculis substringit, conjungit, contrahit, & coarctat. *L.*

433. *Substringit.*) Ob oculos ita dicit, quos ob nauseam contrahit, vel clausis oculis iram dissimulat, ne te maritum ob id indignari sentiat imperiosa mulier. *A.* & *L.*

435. *Periturae ignoscit.*) Miseretur ejus, parcit illi, excusat eum, quæ ex impatientia amoris, perire voluit abitu Æneæ. Vel condolet Didoni, eique veniam dat, quod deserta ab Ænea mori destinarit. *L.* vel Virgilium laudat, qui ita scite caussas necis Didonis descripserit, ut illi possit ignosci, si sibi mortem consciverit. *J.*

437. *Atque alia parte.*) Criticorum more quasi in trutina vel lance perpendit Virgilium cum Homero, ecquis horum melior. Quod Macrobius *in Saturnalibus*, & Scaliger ille magnus in Criticis *de Poetica* fecit, in nunquam satis laudatis libris. *L.*

438. *Cedunt Grammatici.*) Grammatici illi, qui verbosissimi & loquaces maximi, illa præsente tacere coguntur, adeo ipsa vocalis est. Vel coguntur illi mulieri doctæ concedere, quamvis illarum proprium munus sit de Poetis judicare. *L.*

440. *Verborum tanta cadit vis.*) Rationem reddit, cur omnes superet. Nam tanta verborum vis & copia a muliere profertur, ut tam multas pelves, tot cymbala & tintinnabula pulsari dicas, dum illa loquitur. *L.*

441. *Tintinnabula.*) A sonitu fictum nomen, quod tinniat. alioqui media apud Catull. corripitur carm. 52. *Tintinant aures.* M.

442 *Jam nemo tubas.*) Ex superstitione Romanorum hoc ridicule dicit, qua credebant Lunam incantationibus deficere. Virg.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

Credebant autem Lunæ, Eclipsin patienti, subveniri posse æris & pelvium crepitu, & cornuum ac tubarum sonitu. Unde *æra auxiliaria Lunæ* alter Poeta dixit. Tibull. Eleg. 8.

Cantus & e cursu Lunam deducere tentat:
Et faceret, si non æra repulsa sonent. A.

444. *Imponit finem.*) Etiam Philosophiam tractat, & peculiarem sectam instituit. Omnium autem sectarum tessera erat, qua una ab alia discernebatur, opinio de fine vel Summo Bono. Mulier, quæ sapiens videri cupit, instituit sectam, & finem certum rebus honestis adsignat, ad quem omnia dicta & facta tanquam ad scopum dirigat. Vel more Sapientum & Philosophorum de summo Bono disputat, & omnibus rebus agendis & honestis Summum aliquem finem imponit. *L.*

446. *Crure tenus tunicas succingere debet.*) Debet accipere vestem oratoris. *Substringere* legit Josephus Scaliger. *Au.*

447. *Sylvano.*) Non Cereri, ut mulier, sed tanquam vir, *vel* Epicuream professa cædere debit Sylvano porcum. *F.*

449. *Sermone rotato.*) Brevibus comprehenso, expedito, volubili. Eo, quod rotunda, rotatu faciliora, quam quadrata. Horatius:

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui. — V.

Turnebus sermonem rotatum hoc loco intelligit orationem conversione conclusam, & ambitu comprehensam. Quod genus dicendi Cicero in Partitionibus versum, Aristoteles συνεστραμμένον vocat. *L.*

452. *Palæmonis artem.*) Notat insolentem mulierem, quæ Q. Remmio Palæmoni operam dederit. *L.*

453. *Servata semper lege.*) quam Palæmon ipsi præivit, ut ab ejus stylo loquendi modo & Analogia, quam curiose observat, ne latum quidem unguem recedat. Idem nostro tempore curiosi quidam in Cicerone fecerunt: ut Longolius, Sadoletus, Bembus. *L.*

445. *Antiquaria.*) Antiquitatum vel veterum Poetarum, & mihi inauditorum versus tenet. *vel*, antiquæ locutionis investigatrix & Critica. *F.*

455. *Opica.*) Indoctæ, barbaræ, & male, & non ana-

analogia & lege observata loquentis, quæ Osce fortassis, & Volsce ac barbare loquitur. *L.*

456. *Solœcismum.*) Hoc Satyrice Poeta dicit deprecans pro viro, ut saltem viro vitiose loquenti parcat, ut ipsum non reprehendat, ut ipsi liceat solœcismum ex imprudentia facere in loquendo, & minus eleganter loqui. *A.*

459. *Auribus extentis.*) Seneca Hercule Oetæo:

Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda. L

460. *Intolerabilius.*) quia miser maritus misere illi inservire cogitur. Eleganter Martialis:

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritur? uxori nubere nolo meæ. L.

462. *Tumet*) incrustatione panis, quam apud maritum non abluit. *L.*

463. *Viscantur.*) Conglutinantur inter suaviandum. *L.*

464. *Quando videri.*) Lege cum interrogatione. q. d. Domi non curat suam formam. Lucilius:

Cum tecum est, quidvis satis est. visuri alieni
Sunt homines, spiram, pallas, redimicula promit. L.

465. *Mœchis foliata.*) cum mœchum vult accedere adhibet unguenta foliata vel Nardina, quæ constabant ex Omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo, preciosissima. *L.*

461. *Tectoria*) sunt proprie incrustationes & cooperimenta, quibus muri & parietes obteguntur, ut novam faciem induant. Si tectoria illis demas, rimis fatiscent, & fissuris pleni & caduci erunt. Sic vetulæ illæ deformes. *L.*

470. *Hyperboreum.*) Hyperborei habitant super Aquilonis flatum: Dicti, quod humanæ vitæ modum excedant vivendo ultra centesimum annum. Festus Pompejus. *M.*

473. *Ulcus.*) Eo dicit, nam ulcera medicaminibus, offis vel incrustationibus curari solent. *L.*

474. *Est operæ precium.*) Venuste in hac satyrica mulierum exagitatione imitatur Enn. qui canit:

Audire est operæ precium &c.

quasi tanti intersit scire, quid agant mulieres, si maritus noctu aversus jacuit. &c. *V.*

481. *Verberat atque obiter.*) Summa mulieris malitia & crudelitas exprimitur. Sævissima mulier flagellari curat servos suos & interim obiter, quasi aliud agens fucum, de quo dictum est, adhibet. *L.*

482. *Aut latum pictæ.*) Vel preciosas suas vestes auro & acu pictas Phrygionum arte considerat & perpendit. Mira malitia mulieris, quæ non ex subita ira & commotione miseram familiam cædit, sed tranquillo animo alias res interea agens. *L.*

483. *Et cædens longi* &c.) i. Relegit rationem transactorum totius longo diei tempore. i. e. Dum alios flagellari curat, recognoscit interea rationem omnium, quæ illo die sunt peracta. Alii legunt *relegit transversa diurni.* Ratiocinium diurnum prolixius accipit, ob prolixitatem in adversa charta scriptum. *L.* Accipit rationes diei transactæ. *Diurna*, libri in quo singulorum dierum rationes scribebantur. Alii legunt *diri*. F.

486. *Sicula aula*) quæ tyrannos semper aluit. *J.*

486. *Præfectura.*) In antiquis codd. legitur *Præfectura domo.* M. Sed in antiquissimo emendatissimoque cod. legitur: *Præfectura domus.* V.

491. *Nuda humeros.*) Humeros & mamillas nudas habens, cum paulo ante, dum cæderetur, vestes deposuit. *L.*

492. *Altior hic quare.*) Furiosæ atque iratæ dominæ verba sese in speculo contemplantis & ancillam objurgantis & pulsantis; Quare non ubique æqualiter capillus mihi compositus est? quare hic cincinnus altior est cæteris & inæqualis? *L.*

492. *Cincinnus.*) Capillus crispus. Varro *de re rustica*, is, *inquit*, est coliculus viteus intortus, ut Cincinnus. Cincinnati a Cincinno dicti sunt, quorum insignia fuere crines, ut ait Suetonius *in Caligula*, his verbis, loquens de Caligula: Vetera, *inquit*, familiarum insignia nobilissimo cuique ademit: Torquato torquem, Cincinnato crinem, hinc falsa apparet eorum opinio, qui arbitrantur, eos non esse nobiles, quorum insigni nomen referunt. *Au.*

492. *Taurea.*) Scutica ex corio tauri. Vetus Interpres *lib.* ii. Machab. *cap.* 7. *Contigit autem septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a Rege, edere contra fas carnes porcinas, flagris, & taureis cruciatos.* Tarquinius Superbus excogitavit vincula, taurea, fustes, latomias, carceres, exilia: Eusebius & Eutropius. Britannicus existimat *Taurea* nomen matronæ, fictum a feritate tauri, sed hallucinatur. *Au.*

494. *Quid Psecas admisit.*) Verba Poetæ, quibus mulierum malitiam notat, quæ cum sæpe deformes & fœdæ essent, & satis ornari ab ancillis non possent, eas verberabant, & iis imputabant, quod deformes essent *L* Pheeas est in antiquis Codd. *M.*

495. *Si tibi displicuit.*) Si fœda & deformis es, illud miseræ puellæ imputabis. Prorsus & de matrona quadam nobili dicunt, quæ cum omnium institorum tabernas transisset, & speculum, in quo formosa appareret, invenire non potuit, denique institores incusavit, quod adeo mala haberent specula. Ex quibus unus, non sua specula incusanda esse dixit, sed fœdam & cadaverosam faciem deformis vetulæ. *L.*

497. *Est in consilio matrona.*) Quæ hebeti, inquiunt interpretes, per annos oculorum acie a suendo cessat. Ego de *acu* crinali dictum censeo, cujus hanc peritam

olimque exercitam arcessit in consilium. *F.*

498. *Emerita.*) Cum jam senior ob visus debilitatem jam cessat, & acu emerita & quieta nete amplius nequit, & ob id lanæ admota est. Emerita ergo auferendi casus consequentiam designans: Cum jam illi cæcutienti & debilioris visus acus quasi emerita est. *A.* & *L.*

498. *Sententia prima.*) Illa in consilium admissa est inter consiliarias in dicendo de ornatu formæ, matronæ vel dominæ. i. Prima sententiam dicet, utpote senior, & ob id prudentior, quasi maturitate consilii ad rem opus sit. Ridicule, quæ ante ob visus imbecillitatem nere non poterat, jam de forma judicare debet. *A.*

503. *Aedificat.*) ἀρχιτεκτονικῶς ἢ σκηνικῶς. *F.*

503. *Andromachen.*) Hectoris uxorem fuisse oculis claris candidam, modestam, longam, formosam, sapientem, & pudicam, Dares Phrygius scribit. *M.*

504. *Cedo si breve.*) Locus paucis rite intellectus. Est autem hic sensus: & quidni illa alia videatur fronte, quam a tergo, cedo enim & dic, an non alia videri queat, cum a natura parva sit & brevis. Vel est concessio Ironica & Satyrica: Da & concede hoc parvis illis mulieribus, & permitte ac indulge, ut per artem caput suum ita ædificent, si natura brevioris sint staturæ & breve spatium parvi corporis consecutæ sint. Videtur tamen prior explicatio paulo concinnior. L.

506. *Cothurnis.*) Altis calceamentis subere suffertis sublevatisque. Hisp. *Cophines.* *F.* Talibus calceamentis in Italia utuntur nobiles matronæ comitatæ a pueris, ne cadant. *L.*

509. *Tanquam vicina.*) Nihilo familiarius cum marito vivit, quam si vicina, & viri sui conjux non esset, tanquam ejus conjux non magis esset, quam reliquæ vicinæ. *L.*

510. *Hoc solo,*) Correctio. Hoc uno & solo non tanquam vicina viri est, sed tanquam proxima & proprior, quam reliquæ vicinæ, quod amicos & servos ob mariti odium odit, quod vicinæ non faciunt. *L.*

510. *Rupta*) Fracta testa Samia, vel cultello ex petra, ut & Judæi. L.

515. *Cui rauca cohors.*) i. Cui inter reliquos omnes summus honor exhibetur, cui reliquorum sacerdotum rauca cohors, tanquam dignior cedit. Vel cui ob sanctimoniam, reverentiam, & observantiam, reliqua sacerdotum cohors castrata, & ob effœminatam naturam rauca, vel ob assiduos cantus rauca. Sunt autem Eunuchi rauci, cujus rationem vide apud Aristotelem & Aphrodisæum. *M.*

516. *Phrygia vestitur bucca tiara.*) Sacerdotis habitu. Tiara galea sacerdotis est, quæ per malas veniens, mento subligatur. bucca est extremitas oris, quæ vestitur tiara Phrygia, pileo Phrygio. hinc Isidorus: pileum est ex bisso rotundum, quasi spæra media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio vitta constrictum. hoc Græci, & nostri *tiaram*, vel *galeam* vocant. *Au.* de Tiara. V. Hieron. ad *Fabiolam*. M.

517. *Metuique jubet.*) i. Ille jubet & prædicit, si qua mulier Romana centum ovis sacerdoti datis se non expiet & lustret, fore, ut mensis Septembris & Auster illo mense flans ipsi febrim, pestem, morbum, & mortem adferant. Nota vetustam illorum avaritiam, quæ & hodie adhuc in usu. *L.*

519. *Et xerampelinas.*) Ex superstitione veteri hæc dicuntur. Nam tales vestes solebant suspendere & lustratione facta credebant omnes morbos, & infortunia in vestes illas derivari, cum interea ipsis hominibus parceretur, ut ex sequentibus liquet. Hoc autem artificio potiebantur vestibus illi sacerdotes. *L.* *Xerampelinas veteres.* hæc est vera lectio vetustissimo ex Cod. approbata, *V.* ξηραμπελίνη vestes atri coloris, alii ξυλαμπελίνας legunt: lini enim genus *xylon.* *J.*

521. *In tunicas eat.*) Non vestes solum, sed pilas etiam & imagines viriles & muliebres solebant suspendere ex lana in Compitalibus, ut Manes illis imaginibus & simulacris contenti vivis parcerent. Hi autem persuadebant mulieribus, quia suas vestes & tunicas suspendissent & sibi dedissent, omnia mala procul esse fugata. *I.*

523. *Ter matutino.*) Horatius de simili superstitiosa pro filio febricitante, votum faciente:

Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia nudus,
In Tiberi stabit, casus, medicusve levabit
Aegrum ex præcipiti, mater delira necabit,
In gelida fixum ripa febrimque reducit. M.

525. *Timidum capit.*) Superstitiosum, superstitio enim ex inscitia & timore. *F.*

525. *Inde Superbi.*) If. Casaub. ad Suetonium in Augusto accipit hunc locum pro nudipedalium superstitione. *Hac pede matronam nudo descendere vidi.* Ovid. 7. Fast. *F.*

529. *Antiquo ovili.*) Quod templum surgit vel ædificatum est proximum antiquo ovili vel palatio, vel regiæ Romuli, ut Probus explicat, quia Romulus & reliqui pastores ibi oves olim pascebant. Alii censent, quod fuerit in campo Martio vicinum ovili, quod ibidem in memoriam, quod ibi Romulus & pastores pecora paverint, exstructum sit. *L.* Sunt qui de septis intelligunt, in quibus claudebatur populus ad suffragia, de his vide, quæ ad Martial. *epigr.* 14. *lib.* 2. *F.* Livius *lib.* 6. *Citatis centuriæ senioribus datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus.* Strabo *lib.* 5. Di-

ctatorem Syllam, Marianos ad quatuor fere millia, quia arma projecerant, in campo Martio ad ovilia coactos, immissis militibus triduo jugulasse. *Ovile* erat locus in campo Martio. Hic sumitur pro toto campo: sic apud Lucanum:

Et miseræ maculavit ovilia Romæ. V. & Au.

531. *En animam & mentem.*) Amara irrisio in hoc epiphonemate Ironico. *F.* Nimirum tu mulier adeo impudica & flagitiosa digna es, cum qua Dii (seu Isis, per excellentiam generis, ut Virgil. *Deum* de Venere dixit.) nocturna colloquia instituant. *A.* & *L.*

534. *Plangentis populi.*) i. Qui summus Antistes, in illis sacris ut Anubis vel Anubidis canis personam sustinens, civitatem currendo lustrat, plangentis populi irrisor, vel qui deridet populum cum planctu Apim bovem quærentem. *L.*

534. *Derisor.*) In Isidis sacris præibat canis Anubis dictus, cujus hic Antistes personam sustinebat. Ejus cultores lineas vestes gerebant, capillosque funditus deradebant, & Apim bovem lugentes illo cane comitati vel ducti quærebant. Apul. *lib.* 11. Diodorus *lib.* 1. Plin. *lib.* 8. *cap.* 45. L.

535. *Ille petit veniam.*) Hic summus sacerdotum Antistes pro uxore intercedit apud Deam suam Isidem, cum uxor diebus festis a concubitu cum viro non abstinet. Nam qui viri Isidi sacra faciebant, illi per novem dies abstinebant a mulierum concubitu. Notat hic superstitionem mulierum, quæ cum a concubitu diebus festis, & cum reverentia observandis non abstinuissent, adibant hunc Antistitem, ut pro illis intercederet. *L.*

537. *Violato caduceo.*) Alii (inter quos *A.* & *M*) legunt *caduceo*, id est, Caduceum vel Mercurius, cujus insigne est caduceum, vel Osiris, qui nil aliud quam Mercurius, si sanctis diebus alicujus mulieris concubitu violatus sit, tum magna mulcta ipsi debetur. Vid. Macrob. 1. Saturn. & Apulej. *lib.* XI. *M.*

538. *Et movisse caput.*) vultum in signum Indignationis movit, ut Pallas apud Virg 11. Aen. supra *Sat.* 11. *A.* Ac si veniam indulgeret, capite annuisse visa est: *vel* iratæ similis caput movisse (ut Sat. 2. v. 130.) draconis effigies in Isidis templo, de qua vide Diodor. Sicul. & Macrob. *lib.* 1. Saturn. *cap.* 20. *F.*

543. *Cophino fœnoque relicto.*) Nicol. de Lyra ad illud in Davidis Ps. 8. αἱ χεῖρες αὐτοῦ ἐν τῷ κοφίνῳ ἐδούλευσαν, cophinum & fœnum e Judæa usque portata non tam refert ad tenuitatem Judaicæ supellectilis, quam ex instituto factum suspicatur, ut hæc circumferrent usque monimenta duræ servitutis in Ægypto, ubi fæces & stercora e civitatibus cophino exportare cogebantur, atque paleas fœnum & stipulas colligere ad lateres conficiendos. An forte in memoriam famis, quam tolerabant in obsidione? ubi fœni veteris laceramenta victui habebantur, ut refert Josephus *lib.* 7. bell. Judaic. *cap.* 7. *F.* In fœno dormiebant Judæi, cophino opera servilia ob inopiam agebant, ut terram portare. Hinc per *cophinum* Opera servilia intelligit August. ad Ps. 80. *F.*

543. *Arcanam.*) Cum non Deorum, sed Dei unius nomine stipem peterent, palam id facere non audebant. Romani enim Deos patrios negligi indignissime ferebant. Ergo non palam stipem rogat, sed clam in aurem arcanam mendicat. *L.*

544. *Legum Solymarum.*) Tacitus *lib.* 5. *Hist.* Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi, Hierosolymam, nomen e suo fecisse. Eusebius etiam Chœrili Poetæ testimonio, Hebræos *Solymos* olim dictos censet. Mart.

— *Me crucias, Solymis quod natus in ipsis,*
Pædicas puerum Verpe Poeta meum.

544. *Et magna sacerdos Arboris.*) Quæ, ut sacerdotes Dodoneæ, sub fago & responsa, & oracula potest reddere, teste Herodoto. Eo Satyrice alludit: Nam Judæi eo tempore in sylvis degebant, ut *Sat.* 3. dictum est. *L.* Vid. quæ ad Sen. Med. *vers.* 349. F.

548. *Spondet amatorem.*) Quidam hæc superioribus jungunt, sed melius referuntur ad sequentia. *A.*

552. *Interdum & pueri*) occisi & mactati exta inspicit. Notandum hoc loco extremam illam superstitionem, ne sanguini quidem humano pepercisse. *L.*

552. *Faciet, quod deferat ipse.*) Vet. Schol. *Egnatium Philosophum intelligit, qui filiam Bareæ Sorani, quæ cum hortatu ipsius descendisset ad magicam, detulit Neroni.* Ludovicus Dorleans vir miræ eruditionis censet legendum, *ad magicam discendam esset hortatus.* Ob quam rem mori cum patre jussa est a Nerone. *Tacitus.* Au.

553. *Chaldæis sed major.*) Habetur quidem fides Armeniis vatibus, sed major Chaldæis, Major item sceleratissimo cuique: cujusmodi fuit Seleucus astrologus cujus consilio Galba Imperator ab Othone jugulatus est *J.*

554. *A fonte Ammonis.*) Tanquam ex sacro tripode profectum, ut ab ipso Jove Ammone dictum, tanquam ipse Jupiter Hammon illud a fonte protulisset. alii legunt *a fronte.* Nam ibi non responsa, ut apud Delphos verbis dabantur, sed nutu & signis. Origo oraculi talis: cum Dionysius vel Bacchus exercitum in Africam ductaret & aquæ penuria laboraret, subito ei aries ex arena comparuit, & Liberum Bacchum ad aquam produxit. Unde Bacchus arietem Jovem Ammonem appellavit, quod ἐξ ἄμμου vel arena prodiisset: Eique ibi templum construxit, ubi aquæ compertæ sunt. Distabat autem ab Alexandria 9. dierum spatio. *L.* vel Hammonis

monis ab חמן solarium, simulachrum Jovis in sublimi exstructum. *F.*

555. *Quoniam Delphis.*) Scoptice hoc dicit, quasi illi astrologi oraculorum defectum supplere deberent. Scripsit Plutarchus librum de Oraculorum suo tempore defectu. Et mire misereque se torquet, ut aliquam caussam defectus inveniat. Sed frustra. Christus autem suo adventu Dæmones profligavit, omnibus oraculis Dæmonum, illud solemne apud Evangelistas Marci 1. & Lucæ 4. φιμώθητι obmutesce, & æternum silentium imposuit. Id quod Oracula ipsa testantur, Nam ultimum ad Augustum Oraculum:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἅδης αὖθις ἱκέσθαι.

Et alibi:

Οἴ οἱ μοι χρησμῶν ὑπολείπεται ἱεραγένεια.

Et alio tempore:

Πυθῶνος δ' ἐκ ἔστι ἀναβρῶσαι καλὸν ὀμφήν.

Alibi vero plorabundus Apollo inquit:

Οἴ οἱ μοι τρίποδες στοναχήσατε, οἴχετ' Ἀπόλλων
Οἴχετ' ἐπεὶ φλογόεις με βιάζεται οὐρανίου φῶς.

558. *Conducendaque.*) *Concidendaque* legit *F.*

557. *Qui sæpius exsul*) fuit, sed, quia eventus vaticinio respondit, revocatus fuit. *A.*

558. *Cujus amicitia.*) Per cujus familiaritatem cum Othone & per cujus tabulam vel chartam, cui judicia sua Astrologica inscripsit, & quæ magno precio conducenda erat, mors & cædes futura magni Romani civis imperatoris Sergii Galbæ prædicta fuit. Nam Mathematici & Astrologi, quia de rebus futuris vaticinabantur, vaticinio sæpe magnæ seditionis & civilis belli auctores erant, Quia sæpe illis diffidebant, eos tam diu in exsilium vel in carcerem, donec vaticinia adimplerentur, conjiciebant. Quod si eventus non responderet, manebant exsules, aut in carcere moriebantur. Sin forte prædicta evenirent, revocabantur ab exsilio, aut e carcere liberabantur, & postea tanquam divini in summo honore habebantur. *L.*

560. *Sonuit si dextera.*) Si jam in catenis fuit, aut in castrorum custodia. Is qui noxa erat, catenam manui dextræ alligatam habebat, quæ eadem militis sinistram vinciret. Seneca *Epist.* 5. *Quemadmodum eadem catena & custodem, & militem copulat, sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* in Actis Apost. *cap.* 12. de divo Petro, *dormiebat inter duos milites, duabus alligatus catenis.* Lipsius in *lib.* 111. *Annal.* Tac. *An.*

561. *Si longo.*) Erat carcer triplex, Urbicus ut turris, Rusticus ut ergastula, Castrensis, cum captivi trahebantur catenati. Erant & in castris stati carceres. Detinebantur in eo vates ab eo, cui victoriam promiserant, vel suo vaticinio ademerant, donec eventus rei fuisset secutus, secus morituri. *L.*

562. *Nemo mathematicus.*) Quasi ob nimiam peritiam fuerit damnatus. *An.*

562. *Genium.*) Deum naturæ, sive dominum Horoscopi faventem habebit. *An.*

564. *Parva caruisse Seripho.*) Cui contigit ab exilio revocari, Seriphus Cycladum insula, in quam relegabantur noxii. Tacitus *lib.* 2. *Ann.* Vestilia licentiam stupri apud Ædiles vulgaverat, marito prætendente sexaginta dies ad consultandum datos, necdum prætериisse satis visum de Vestilia statuere, eaque in insulam Seriphon abdita est. *An.*

564. *Caruisse.*) Affectate hoc dicit: quasi melius fuerit eum in Seripho mansisse, quam rediisse. *A.*

566. *Tanaquil tua.*) Pro qualibet superstitiosa ponitur, qualis fuit illa Tarquinia Prisci uxor Astrologiæ peritissima, quæ Mathematicæ fuit studiosissima. *L.* q. d. Nonnullæ in potentum mortem inquirunt, non solum maritorum, cum morbo laborant ancipiti. *J.*

568. *Quid enim majus.*) Scoptice & satyrica ironia. Quasi nihil majus & excellentius tali mulieri a Diis dari possit, quam longa felicitas & valetudo ac vita mœchi sui: quam ut adulter, quem illa omnibus rebus præfert, vivat, valeat, & se etiam mortuo sit superstes. *L.*

572. *Illius occursus.*) Jam contra Antapodosi demonstrat prorsus intolerabiles & pessimas illas esse, quæ ipsæ Astrologiam didicerint, & in manibus Ephemerides assidue terant, nihilque incipiant, nisi inde sumto judicio. Has tanquam pessimas & rem parum faustam vitandas esse monet, quod periculosum sit talibus mulieribus occurrere, & obviam fieri. *L.*

574. *Ephemeridas.*) Plinius Ephemeridas vocat libellos, in quibus acta quotidiana continentur. Ovid.

Inter Ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes.

Calendarium etiam vocari, nemo ignorat, exemplo calendarii fœneratorum: sic etiam calendarium & Ephemerides etiam, hodieque vulgo pro tabulis fastorum, aut lunaribus Astrologorum. Josephus Scaliger in Catullum: de quibus heic loquitur Juvenalis. *An.*

567. *Thrasylli.*) Multarum artium scientiam ille professus denique se Platonicæ sectæ & Mathesi dedit. Hunc postea Tiberius in insula Rhodo in pelagum, quasi conscium præmissæ dominationis, præcipitari jussit. *L.* Vid. Suet. in *Tib.* Tac. 6. *Annal.* Dio. *lib.* 55. *F.*

577. *Ad primum lapidem.*) Exaggerat superstitionem illam Astrologicam satis satyrice. Si illi mulieri placeat, curru vel vehiculo vectari ad unum millitare, hora & opportunitas sumitur ex libro mathematico & Ephemeridibus. *L.*

587. *Si prurit.*) Miram superstitionem notat & irridet. i. Si vel angulus ocelli fricando attritus vel rubens, digitis fricando vexatus & exasperatus prurit, prius inspicit suum thema, vel genituræ suæ calculationem, & tum demum oculorum medicamina adsumit. *L.*

584. *Poppysma.*) i. Chiromantico & Metoposcopo, (qui profitetur hominum mores, naturas, & futuros etiam eventus ex vultu, fronte ac manu pernoscere & prævidere *F.*) vati pro mercede postulanti crebrum poppysma, labiorum inter se collisorum strepitum, osculum cum sonitu. Quidam concubitum (seu sonitum nescio cujus rei in coeundo. *A.*) intelligunt, quem vates illi pretii loco a tenuioribus illis feminis exigerent, in quo sonitus quidam creber fiat, quod & Martialis alicubi dicit. Verum quærunt illi obscœnitatem, ubi nulla est. L.

585. *Et Indus.*) Astrologus & Philosophus Indus, Gymnosophista, Brachmanes. nam supra de Phrygiis sacerdotibus dixerat, neque illi ista curabant aut norant. *F.*

587. *In circo.*) Vilissimi homines & ἀγύρται, ut ludii, astrologi, conjectores, fanatici, in Circo morabantur. Plebeji vates in circo sedent, & in aggere Tarquinii Superbi, qui est ad Circum *Sat.* 3. *vs.* 65. Horatius itaque appellat *Fallacem Circum.* de his Ennius: *Non vicanos haruspices, non de Circo astrologos.* &c. Cicer. pro Milone. *L.* & *F.*

596. *Atque homines.*) i. quæ nutrix pro mercede constituta conducit veneficas ad homines in utero matris conceptos & formatos necandos & expellendos. i. Eam conducit, quæ necet homines in ventre. ultima verba de nutrice intellige. Indicio est verbum *conducit*, Unde fit, ut malim legere, *Et quæ homines.* Ut duæ notentur. Etiam atque etiam nota, quod fœtus conceptos *homines* appellet. *L.*

597. *Gaude infelix.*) Apostrophe ad infelicem maritum. i. Tu o miserrime gaude (sunt iterum Satyrice & sceptice contraria) cum uxor tua abortum facit & noli dolere. Et ipse ipsi abortivum poculum porrige, ut per adulterium conceptum partum abigat. *L.*

600. *Aethiopis pater.*) ut superioribus annis Neapoli contigit, ubi nobilissima matrona filiolum Aethiopem edidit Patri nihil minus quam Mauro. *A.*

600. *Mox decolor hæres.*) Sceptice hæc & sarcastice dicit. Sensus: postea hunc nigrum & decolorem filium non tuum, sed servi Æthiopis, ex testamento hæredem constituere cogeris, qui testamenti tui tabulas esset impleturus. *L.* Niger, vel fuscus, *mulato.* ex patre Æthiope & matre Romana scriberetur tibi hæres dictante uxore. supra *vs.* 258. *F.*

601. *Nunquam tibi mane videndus.*) ne omen malum afferret. Credebant enim, quod quæ prima viderent aut audirent, futuræ lucis qualitatem prædicerent. Unde salutandi mos exortus, quo bonum mane cuique vovemus. *A.*

603. *Ad spurcos lacus.*) Eo enim deferebantur, & exponebantur spurii. Unde nobiles matronæ pueros intentos petebant, & pro suo partu maritis ostendebant. *L.*

605. *Stat Fortuna.*) Indicat, quam miris modis fortuna talibus nothis ac spuriis, tanquam suis filiis, faveat, & ad divitias & honores evehat. Hinc apud nos notum proverbium, *Die Huren kinder haben das beste gluke.* Hujus rei passim exempla obvia. Quidam in mea patria vir magni nominis nothus juvenem luxuriosius viventem, & vagis libidinibus ex variis spurios & nothos mulierculis gignentem, objurgabat, Rectius esse dicens in matrimonio caste, ac sancte vivere, Cui juvenis ille satis petulanter: nolle se in matrimonio vivere respondit, cum videat nothos esse feliciores, & passim primas obtinere. Nec esse, eur hujus rei exemplum foris quærat. *L.*

605. *Improba.*) Cœca, stolida, de qua Poeta:

Fortuna immeritos auget honoribus
Fortuna innocuos cladibus adficit,
Justos illa viros pauperie gravat,
Indignos eadem divitiis beat. L.

608. *Secretumque sibi.*) Facit ex humili præaltum, ex obscuro nobilem, ex paupere divitem. Mimum ait secretum. Nam ut mimus modo personam pauperis, mox divitis repræsentabat, ita etiam hi pueri. *Secretum* ait, Nam adulteræ conjugi hoc solum fuit notum. *L.*

610. *Thessala philtra.*) Nam Thessalia veneficiis olim abundabat, teste Apul. *lib.* 1. *Florid.* *L.* Veneficia, quibus amor concil atur. in Thessalia venena fiebant minimo precio. Horat. *lib.* 2. *epist.* 2. hinc Thessali fere audiebant Venefici, Plauto teste *in Amph.* V.

615. *Ut avunculus.*) i. Cajus Caligula, quem Cæsonia uxor medicatis potionibus adeo in sui amorem pellexit, ut nimia amoris impatientia furens, sæpe illam nudam (ut Candaules illes Lydorum rex) amicis ostentarit. Caligula, quoties Cæsoniæ collum exoscularetur, addebat: Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur. Quin subinde jactabat exquisiturum se semel fidiculis, cur eam tantopere diligeret. Mox dato Hippomane eum in furorem vertit. *L.*

618. *Ardebant cuncta.*) Universa in Imperio Romano, tanquam igne quodam, furore Imperatoris ardebant & absumebantur, & universa ruebant compage & vinculo imperii quasi fracto & soluto. Reip. enim caput & colligatio princeps. Quo perturbato & ipsa perturbatur. Irrisorie autem Caligulam cum Jove confert. *L.*

620. *Minus ergo nocens.*) Jam satius esse ait hominem prorsus e medio tollere, quam insanum reddere. Et ratio valet: Nam mortuus non mordet. Tyrannus vero, si ad insaniam insania alia & furor insuper accedat, est res truculentissima. i. Tolerabilius est peccatum Agrippinæ, quæ Claudium boleto venenato interemit, ut filio Neroni Imperium conferret? quam Cæsoniæ, quæ

Ca-

Caligulam furiosum reddidit. Porro de hoc Agrippinæ facto, & boletis egit & Sat. 6. L.

622. *Descendere in cœlum.*) More suo, conjungens scoptice ait irridens ἀποκολοκύνθωσιν vel ἀποθέωσιν Claudii de quo vide Senecam in Ludo, ubi ait Claudium cœlum adscendisse, sed decreto Deorum ad inferos fuisse detrusum. L.

624. *Hæc poscit ferrum*) Hæc potio & philtrum Cæsoniæ Caligulam in furiosam crudelitatem impulit. Exquisitum aliquod veneni genus placebat, quod turbaret mentem & mortem differret. Tacitus 12. *Ann.* F.

624 *Atque ignes.*) Atellanæ enim Poetam ob ambigui loci versiculum media arena Amphitheatri cremavit igne Caligula. *torsit* quæstorem suum. &c. sed vide Suet. V.

625. *Hæc lacerat mistos.*) Nam quæstorem flagellavit, horreis præclusis populo famem indixit. Curatorem munerum per continuos dies in conspectu suo catenis verberatum, non prius occidit, quam putrefacti cerebri gravi odore offenderetur. Sine discrimine autem ordinem Senatorium, equestrem, plebejum, igni & ferro laceravit. L.

626. *Tanti partus equi.*) si per Hippomanes tanta calamitas imperio Romano invecta est, quantas clades venefica excitare potest, quæ venenis aliis innumeris & infinitis armata est. L. bis *tanti* legit in hoc vs. sed tamen in posteriore hemistichio etiam *quanti* posse legi concedit A.

627. *Nemo repugnat.*) Concessio. Leve id vitium ostendit, illud enim mulieribus a natura insitum est. L.

628. *Jam jam privignum.*) Paulatim ad graviora transit. Imo privignos etiam immerentes & innoxios e medio tollunt, & existimant peccatum non esse. Sic Agrippina privignum suum Britannicum veneno sustulit, ut ad filium Neronem imperium transferret. L.

633. *Papas.*) Nomen venerationis est a Syracusiis tractum, quo etiam nomine Scytharum nonnulli Jovem, *Pappæum* appellant, teste Herodoto. *Papas* Græce dixit, Latine pater, & nutritius & custos, ideo summum Pontificem *Papam* vocamus. Tertullianus *lib. de Pudicitia*: *Bonus pastor, & benedictus Papa concionatur.* Au.

734. *Fingimus hæc altum.*) Anthypophora & objectio. Dicas forte, quod a propositi mei finibus egressus non Satyram, sed tragœdiam scribam, & incredibilia proferam, ut finxisse videri queam. Sed utinam fingeremus, & mendaces essemus? Verum proh dolor, hæc, quæ dico, sunt verissima. L.

635. *Et finem egressi.*) Nemo enim talia Tragica scripsit. Legem priorum, a prioribus quasi latam, quæ adeo horrenda scelera tragica suis Satyris non inseruerunt. Satyrici enim communia & vulgaria tractant. L.

636. *Grandi Sophocleo.*) tragœdiam scribimus hiatu, quo Sophocles usus est. Mart. *lib.* 4.

Varro Sophocleo non inficiande cothurno. Au.

736. *Bacchamur.*) Furentes componimus. Vel furiale carmen scribimus. V.

638. *Nos utinam vani.*) Respondet Poeta ad objectionem. Utinam hæc tragica vera non essent, & a nobis tantum fingerentur! Utinam nos vani fallaces & mendaces essemus. L.

641. *Sævissima vipera.*) Respicit ad crudelitatem viperarum, quæ maritos inter concumbendum interimunt & a natis postea talionis pœnam recipiunt. L.

646. *Non propter nummos*) ut jam fieri videmus. Ostendit pejores esse sua ætate mulieres, quæ ob nummos filios suos interimant, cum Procne & Medea amoris & iræ impatientia illud fecerint. A.

647. *Quoties ira.*) i. Quoties mulieres ira incensæ in filios proprios sæviunt. Nam κατεργάζεται ὀργὴ … L. Minus flagitiosum, si iratæ quid deliquaverint, quam destinato. J.

641. *Et rabie jecur.*) i. Cum iræ & furoris rabie illas incendente & inflammante in vindictam & scelus præcipites agitantur. Est descriptio iræ & furoris: Seneca Medea:

> *Nulla vis flamma tumidique venti*
> *Tanta, nec teli metuenda forti*
> *Quanta cum conjux viduata tædis*
> *Ardet, & odit.* L.

650. *Clivoque latus.*) i. Cum latus vel magna montis portio recedit & avellitur a clivo pendente, vel prono colle, & ruinam minitante, quæ postea immenso impetu deorsum ruit. Talis furoris vel iræ impetus est in mulieribus, ob imbecillitatem: Quo enim quis animo imbecillior est, magis iræ frena laxat. L.

652. *Sana facit.*) Maximum monstrum sceleris inceptat, non furore iræ quasi insaniens, sed sana & ratione constans, & animo placido & quieto. Rursus contraria jungit, quid enim a sanitate alienius, quam ingens scelus facere? i. Non furiosa & insana amoris & iræ adfectibus de sanitate rationis deturbata, ut Procne vel Medea.

657. *Hoc tantum refert.*) i. Hoc tantum est discriminis inter illam Clytemnæstram, & nostrates mulieres viros occidentes, quod illa Tyndari Clytemnæstra, insulsa, stolida & fatua maritum suum interemit securi, utraque manu At nostræ mulieres longe sunt callidiores, & subtiliores, quæ idem parva veneni portione, præstare norunt & passim, nisi antidotis muniantur. L. & J.

658. *Insulsam & fatuam*) Hypallage. id est ipsa

insulsa & fatua, quasi quæ minime apta esset ad tractanda arma. *Au.*

660. Et ferreo.) i. Nostrates Clytemnæstræ etiam ferro viros suos adgrederentur, si Atrides vel maritus Antidotum sumeret contra venena, vel si maritos suos veneno exstinguere non possent. *L.*

Ad Satyram VII.

IN *Cæsare.*) Domitiano. Nam de illo hanc Satyram intelligendam esse mentio Paridis histrionis, in sequentibus satis probat.* *M.* & *L.* (vide vitam Juvenalis. *F.*) Sunt qui hæc de *Nerva* intelligant. Sed mihi id non placet. *L.*

2. *Tristes Camœnas.*) Poetis tacentibus ob nulla laborum emolumenta, vel potius inopes, famelicos & tristes Poetas Musarum vel Camœnarum cultores. *V.* & *L.* *tristes*, quia contemnuntur. *Au.*

3. *Cum jam celebres.*) Cum nobilissimi Poetæ jam inciperent Romæ & in oppidis extra Romam desertis Musis sordidum vitæ genus, balneatoriam, & furnariam exercere. *L.*

4. *Balneolum.*) Diminutive dixit ob inopiam, quasi exiguam domunculam tanquam balneolum inhabitarent, qualem domunculam Sat. 3. *Tenebras* appellavit. Sed non placet. Nam loquitur de sordidis officiis, balneario & furnario, ad quæ migrabant, quatenus inde ali poterant. *L.*

4. *Furnos.*) Ut furnariam exercerent, tum ut calefierent, tum ut cibari possent, pauperes enim erant, & frigebant. Furnarii erant, qui hyeme aut frigido aere furnos calefaciebant, ad quos calefiebant homines pro oblato precio. *L.*

5. *Nec fœdum alii.*) Dedecus enim erat & turpe desertis liberalissimis studiis ad deformia illa & turpia lucra se conferre, & præconem fieri, qui in extremo contemptu Romæ erat. *V.* Hinc dixit *Sat.* 4.

— Magna qui voce solebat

Vendere municipes fracta de merce Siluros. L.

7. *Atria.*) Vel ut atrienses & janitores fierent. Vel quod atria & januas divitum sportulæ gratia quasi mendicantes clientes adirent, Vel potius, ut Turnebus ait, ut in atriis Liciniis & aliis foro vicinis sub auctione præcones aliquid venderent. Cic. pro Quintio: *Tollitur ab atriis Liciniis & a præconum consessu in Galliam Nævius.* L. vel ut Musa historiarum inventrix, ostiaria, & custos Atriensis fieret, vel migraret in ædes divitum. Mart.

Atriaque excelsæ sunt adeunda domus. Au.

8. *Nam si Pieria.*) Excusat illud Poetarum factum, satius esse dicens, si nullum ex Poesi emolumentum sit, mendicum potius agere, & præconem fieri, quam per scelera, perjuria, mendacia, falsa testimonia aliasque malas artes ad divitias pervenire. *L.*

8. *Pieria arca.*) i. Musica & Poetica, in quam illud quod ex Poesi vel Musis colendis lucraris conjicias, quæ plerisque etiam nostra ætate vacua est. Non enim Poesis est de lucrando pane. *L.*

10. *Et vendas.*) Instituas venditionem sub auctione publica tibi a magistratu commissam & concessam. Est autem auctio rerum privatarum publica venditio, & auctio dicebatur, quod precium in illa a licitantibus augeretur. *L.*

11. *Tripodes.*) Mensæ tripodes, qualis erat apud Delphos, sub qua oracula reddebantur. Postea Asiatico luxu Monopodia inventa sunt. *L.*

12. *Alcyonen Bacchi.*) Tragœdias, Bacchi & Fausti Tragicorum Poetarum. Hi inepti erant. Ob id obiter illos notat, quod usitatissimum Nostro. *L.*

14. *Faciant equites.*) i. Licet hujus perjurii exempla habeas Asianos, qui ex Asia Romam servi advecti, jam sunt equites. *L.*

14. *Equites Asiani.*) Ex Asiaticis servis equites Romani facti. Conjungit autem quasi contraria, Et per transitum illos notat, quod Satyricis, & nostro huic potissimum usitatissimum. *L.*

14. *Asiani.*) Jam equites, olim servi Asiatici. Erant autem Asiani fidei dubiæ & fluxæ in testimoniis perhibendis. *L.* Unde Cicero pro Flacco exclamat: *Minoris Asiæ populis nullam fidem esse adhibendam.* J.

15. *Cappadoces.*) Quorum regio juxta Armeniam in 10. præturas divisa. Hi autem perjurio & infidelitate infames vel ex proverbio notantur: Τρία κάππα κάκιστα, videlicet, κρῆτες, καππαδόκες, κίλικες. L.

16. *Altera Gallia.*) Vide de ea Flor. *lib.* 11. *cap.* 11. *F.*

16. *Traducit.*) transmittit huc locorum fovendos & sustinendos. hinc *traduces* in re hortorum. *V.*

16. *Nudo talo.*) Eo dicit, nam gypsatis, aut nudis pedibus Romam servi venales exponebantur. Vel ob inopiam non calceatos vel calceatos. *L.*

17. *Laborem studiis indignum.*) Infrugiferum, frustraneum, inanem, qualis labor studiis indignus est. *L.*

19. *Laurumque momordit.*) Honorem lauri, & gloriam poematis sui degustavit. *vel*, Poesi initiatus, & sacer Apollinis vates factus momordit laurum, quæ manducata numine inflare credebatur. Δαφνηφάγων φοιβάζει ἐκ λαιμῶν ὄπα, Lycophron. *F.*

20. *Hoc agite.*) Hortatur jam Poetas ad conscribenda carmi-

carmina, ut favorem, & clementiam Imperatoris sibi devinciant, cum eis indulgeat & faveat. Potest & legi cum quibusdam *Huc agite*, huc vos ad Imperatorem unum vostrum patronum conferte, & laborem studiis impendite. *L.*

21. *Ducis indulgentia.*) i Imperatoris liberalitas & magnificentia. Dicit enim Tranquillus: magnæ liberalitatis documenta Domitianum sæpe edidisse. *L.* Trajani, qui quasi dux circumspicit. Nerva successit Domitiano, imperavit anno uno, mensibus quatuor. Nervæ successit Trajanus, qui Musas tristes, quod contemtæ fuissent, imperante Domitiano, fovit, ut innuit Tacitus in *vita Agricolæ*, scilicet illo igne vocem populi Rom. & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret: nunc demum redit animus, & quanquam primo statim beatissimi sæculi ortu, Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cottidie felicitatem imperii Nerva Trajanus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur assumpserit: natura tamen infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quam mala, & ut corpora lente augescunt, cito extinguntur; sic ingenia, studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. quia dubitatur ab Interpretibus, de quo Cæsare, & de quo duce & imperatore heic loquatur Juvenalis, hæc attuli, nam ex his apparet Poetam intelligere Trajanum Imperatorem. *Au.*

22. *Præsidia.*) Subsidia, auxilia, adminicula, adjumenta, suppetias. *L.*

23. *Croceæ.*) membrana priscis erat bicolor. Persius:

Jam liber, & bicolor positis membrana capillis.

Una pars erat lutea vel crocea, altera glutinata. Catullus:

Lutea sed niveam involvat membrana tabellam. L.

25. *Telesine.*) Ad hunc fortassis hanc Satyram scripsit, quamvis generaliter per hunc quemvis Poetam intelligere possimus. Martialis ad hunc:

Quod mihi non credis veteri Telesine sodali,
Credis colliculis arboribusque meis.

26. *Tinea pertunde.*) Blattis & tineis vermiculis libros infestantibus illos absumi, pertundi, perforari sine (*Dasz die Motten da locher durchfressen.*) cum nihil lucri de illis sis consecuturus. Ovid.

Conditus ut tineæ carpitur ore liber. L.

28. *Qui facis in parva cella.*) Inopiam Poetarum notat, qui exiguis cellulis inclusi carmina scribebant. Pers.

Scribimus inclusi. L.

idque quia parvus locus magis aptus ad meditandum, cum eo sensus minus distrahantur. *V.*

28. *Sublimia carmina.*) Grandia Epica & Heroica Poemata, de rebus bellicis civium Romanorum præclare gestis. Opponuntur quasi *parva cella*, *sublimia carmina*. *L.*

29. *Ut dignus venias.*) Scoptice subito subjungit, quid suis vigiliis & laboribus consequantur Poetæ, nimirum ut digni sint, qui aliquando in æde Camœnarum vel Apollinis Palatini imagine vel statua hedera coronata donentur. Quod præterea nihil sit, quod spectare possint: *Da fressen sie was von.* L.

29. *Hederis.*) Apio, quercu, lauru, hedera coronabantur Poetæ. Pers.

Quorum imagines lambunt hederæ sequaces

Virgilius:

Pastores hedera crescentem ornate Poetam.

Porro hedera cum semper vireat, Poetarum diuturnam memoriam, & æternam famam denotabat. *L.*

29. *Et imagine macra.*) Eo dicit, nam cum plerique Poetæ nimiis studiis & lucubrationibus pallorem & maciem sibi contraxissent, ut qui plus olei, quam vini absumserant, tales etiam in genuina forma depingebantur, in Camœnarum æde. Vel *macra* dicit ob eorundem inopiam. *L.*

30. *Spes nulla ulterior.*) In reliquis civibus & Romulidis nihil habes, quod sperare possis, præter statuam. *L.*

32. *Sed defluit ætas.*) Inutili illo studio vita tua atteritur & ætas ac juventa tua insumitur, quæ mercaturæ, militiæ, agriculturæ maximo tuo emolumento, fructu, & commodo impendi posset. Sic Ovid. *de se*:

Sæpe pater dixit: studium quid inutile tentas? L.

34. *Tædia tunc subeunt.*) i. Tum in senectute, quando ætas defluxit, sera pœnitentia animos invadit. sui studia & inutiles labores devovent & exsecrantur. Ovid.

Vidi ego, jam juvenem premeret cum serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies. L.

34. *Seque suamque Terpsichoren.*) Se, suaque studia Musica & Poetica prorsus inutilia. *L.*

35. *Facunda.*) Senes enim natura facundiores. i. Tunc facundi multis verbis suam dementiam accusant, quod tam inutilibus studiis vitam attriverint. *L.*

36. *Ne quid tibi conferat.*) i. Ne dives ille Patronus tuus, quem colis & mane salutas, propter carmina tua tibi aliquid muneris donet vel conferat, recitationes carminum aliorum Poetarum negligit, & in templum Apollinis vel Musarum ad auscultationem carminum non accedit, sed ipse versus facit, & suo judicio excellens Poeta est, omnes Romanos & Græcos superat, Uni tantum Homero concedit propter ætatem, eo quod ipso longe sit antiquior. *L.*

37. Mu-

37. *Musarum & Apollinis æde relicta.*) i. Spreto & contemto judicio doctorum virorum, quod in æde Camœnarum & Apollinis, ubi versus recitabantur, fieri solebat, versus facit. Vel indocte! ne Musarum & Apollinis instinctu malos versus compilat. Vel eo dicit, quod recitantes Poetas ibi negligat, vel quod nihil curet, si statua ibi non donetur. *L.*

38. *Ipse facit versus*) sua opinione elegantissimos, qui omni Criticorum censura limatiores & subliomiores sint. Recitat Macrobius jucundam quandam historiam de inopi quodam Poeta, qui Augusto Cæsari frequenter carmina exhibebat, pecuniæ aliquod honorarium ab ipso sperans. Cæterum Augustus & ipse aliquod Epigramma a se compositum ipsi reddebat, tanquam carmen carmine compensaturus. Ibi vero Poeta cum carmen Augusti laudasset, arrepta paupercula pera duos obolos, qui forte reliqui erant, præmii loco Imperatori obtulit dicens, ού κατὰ τὴν σὴν τύχην ὦ Σεβαστὲ, εἰ πλείονα εἶχον, πλείονα ἄν ἐδίδουν. *Non juxta fortunam tuam, o Imperator, si plura habuissem, plura etiam dedissem.* Quo joculari dicto & facto mirum in modum lætatus Augustus, Poetæ amplissimum pecuniæ honorarium conferri jussit, & ita lætum a se dimisit. L.

39. *Mille annos.*) Dicit numerato fortassis tempore ad ætatem suam. Vixit autem Homerus post Ilium captum anno 160. Ante conditam urbem Romam 160. anno, aut circiter. *L.*

39. *At si dulcedine famæ.*) i. Si ob lucrum carmina componis & recitas, negligeris, & frustra es. Sin vero ut famam & honorem consequaris, illi divites domum quidem, in qua recites, tibi accommodabunt, cæterum omnes sumtus & impensas pro reportandis subselliis & reliquis ad id necessariis amittes, & ipse sustinebis. *J. & L.*

42. *In qua sollicitas.*) Obiter notat luxum Romanorum in ædificiis exstruendis, in quibus januæ instar portarum urbis magnifice exstructæ erant, cum interea sordidi & illiberales essent erga Poetas, quibus omnia quidem accommodabant, dummodo nullas impensas facerent. *L.*

42. *Sollicitas portas.*) Vel cujus janua ea cura unumquemque admittit, qua peregre redeuntes tempore belli in civitatis portas recipiuntur. Vel quæ urbis portæ sollicite munitæ sunt ferro, & repagulis. *L.*

43. *Scit dare libertos.*) Hoc eo dicit, nam solebant inter auditores disponere, qui plauderent, & Poetæ recitanti tanquam eximio gratularentur. i. Disponit hinc inde libertos in extrema parte ordinis vel totius cœtus sedentes, qui tibi adplaudant. Sic Nero in toto theatro disposuit juvenes, qui diversa plausuum genera ediscerent, & sibi recitanti adplauderent. *L.*

45. *Nemo dabit regum.*) Liberalitatem divitum in aucupanda Poetis laude notavit, jam pergit ad sordes illorum, qui ne tantum quidem Poetæ darent, quantum bajuli & fabri reciperent, qui subsellia apportassent & Orchestram exstruxissent. *I.*

45. *Subsellia*) Loci, in quibus altius sedent, vel *subsellia*, in quo Rex sedet propter tutelam corporis sui. Secundum quosdam a soliditate dictum, quasi solidum, secundum alios per antistichon, quasi solidum a sedendo, unde & *sella*, quasi *seda* dicta est, & *subsellia* quasi *subsedia*. Isidorus *Originum lib. 20. cap. 11. Au.*

46. *Et quæ conductis.*) i. quantum gradus, scalæ, vel anabathra constant, quæ dependent facta ex conducto tigillo, tigno, vel tabulis, unde gradus fiebant. Vel, quanti constant gradus, per quos adscendunt, quæ suspensa sunt ad tigillum vel trabem, dato precio a Poeta conductum. *L.*

47. *Quæque reportandis.*) i. Quanti constet Orchestra, vel spatium, in quo Pantomimi saltant, posita inter cathedras conductitias, & reportandas a conductore. *L.*

47. *Orchestra.*) Proprie spatium in theatro, in quo Pantomimus saltabat, ab ὀρχεῖσθαι, vel tibicen modulabatur. Alii tabularum interpretantur. *L.*

48. *Nos tamen hoc agimus.*) Damnat Poetarum stultitiam, qui cum nullam prorsus ex Poetica utilitatem consequerentur, tamen scriberent, & scribendis carminibus studiose incumberent. i. Nos Poetæ, licet ex carminibus scribendis nihil emolumenti consequamur, tamen in stulto nostro proposito perseveramus. Defatigamur, sine ullo laboris præmio. Notat Poetarum stultam ambitionem. *L.* Sunt qui heic Poetam de semet ipso loqui putant, q. d. quamvis nihil emolumenti consequar in scribenda potissimum satyra, tamen nescio quo scribendi morbo captus, non possum, quin scribam. *A.*

48. *Hoc agimus.*) Studiose & intente labores nostros persequimur. Solebant autem in sacris solemne hoc exclamare: HOC AGE. *L.*

50. *Nam si discedas.*) Sententia est, si a proposito carmina scribendi discedere velis, & te ad lucrosa officia conferre, vel si discedere velis a Poetica inutili, ad lucrosum vitæ genus, tum consuetudo ambitiosi illius & honoris cupidi mali quo carmina scribis, te laqueo quasi vinctum detinet, ne possis discedere & aliis rebus animum applicare. *L.*

50. *Laqueo tenet.*) i. Ambitio & laudis cupido, quasi vinctum obtorto collo te tenet, & te quo illa, non quo tu velis, impellit. *L.*

51. *Consuetudo mali.*) Laudem affectantis poetices. pene conversus hic locus ex Aristophanis *Ranis*: Γέγονεν δὲ πονηρόν, ἄν, &c. *F.*

51. *Tenet insanabile.*) Eximius versus & nostro sæculo

culo cum primis usurpandus. i. Mala consuetudo in Poetis plerisque *ἀνίατος* & incurabilis, utpote inveterata plerosque æternum detinet. Vel mala consuetudo scribendi, & sua scripta recitandi, & ex recitatione laudem & gloriam venandi, multos ceu morbus, qui curari non potest, insanabilis invadit & tenet, inque illa consuetudine ad senium usque perseverat. *L.*

51. *Insanabile cacoethes.*) Maxime appositum Epitheton. Est enim *κακόηθες* morbi genus non facile curabile. Quo verbo frequentissimo, & usitatissimo mala consuetudo significatur. Porro ambitio & honoris cupiditas cum semel animum invasit, inque illo radices egit, nunquam postmodum rursus evelli potest. Ludit autem ambiguitate *κακόηθες*. *L.* Mali mores, mala consuetudo scribendi, quæ oblivioni tradi non potest. Cacoethes apud Galenum 4. *Therap.* est ulcus malignum & & contumax, hoc vocabulo mala consuetudo significatur. Politianus *lib. 6. Epist.* ad Puccium: Cacoethes, *inquit*, apud Galenum est *lenta febris*: Puccius ait esse apud Celsum *speciem carcinomatis*. Au.

51. *Cacoethes.*) Ita ex vetusto Cod. literis Longobardicis exarato legit Politianus, cum antea esse *cacethos*, quod & sensui & versui repugnat. *V. Cacoethos* legi vult *A.*

54. *Et ægro in corde.*) in animo ambitioso, & laudis cupidine ægroto, & tanquam morbo laboranti, consuetudo illa ad extremum usque senium perseverat. i. Ille morbus remanet ad ultimam senectutem, & una cum homine senescit. Egregie dixit: Multi enim scribendi cupiditate adeo detinentur, ut non in ultima senecta solum scribant, sed post mortem etiam, si possibile esset, scripturi essent. *L* Multos suorum temporum poetas notat & præcipue Papinium, qui mera ambitione in quinquatriis Minervæ certaverat. *L.*

54. *Cui non sit publica vena.*) Communis, vulgaris plebeja, trivialis, quæ nihil abjectum, humile, gracile, triviale, ut omnes fere, componit, qui Poeta sit Musæo, Orpheo, Hesiodo, Homero, Virgilio similis, &c. qui ingenio, judicio, solertia, sagacitate, eloquio valeat. *L.*

55. *Moneta.*) Hinc Petronius Arbiter: *effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, & sumendæ voces a plebe summotæ, ut fiat:* odi profanum vulgus, & arceo. *Au.*

56. *Hunc qualem nequeo.*) i. Cujusmodi egregii Poetæ ideam solummodo in animo & cogitatione sentio & concipio, qualis sit, sed monstrare illum non possum cum hujusmodi nostro tempore non inveniatur (vel *monstrare* i. in meipso exhibere. *A.*) Vel cujus boni Poetæ Ideam in animo expressam habeo, non qualis detur inter homines, nec qualem unquam vidi, sed qualis merito esse deberet, si daretur. *L.*

57. *Omnis acerbi impatiens.*) i. Qui nihil acerbi patiatur, active positum. Sic Sallustius inquit: *Insolens malorum artium.* Non autem animus lætis ac jucundis speculationibus Poeticis impendi potest, cum cura & sollicitudine impeditur. *L.*

58. *Aptusque bibendis.*) i. qui idoneus sit ad Musarum fontes bibendos, qui excitata mente suapte natura ad scribendum carmen feratur, qui dignus sit, quem animum Apollo inhabitet, & furore Poetico concitet. *L.*

59. *Neque enim cantare.*) Paupertas sana & furoris Poetici, (qui provenit ex rerum omnium affluentia & copia), expers non potest cantare sub Pierio antro, id est non potest canere Musis & Apolline digna. *L.*

60. *Thyrsumque contingere.*) i. Divino Bacchi furore corripi, more Bacchantium, qui epulis & vino distenti & furiosi thyrsum, hastam pampinis involutam gestabant. Porro Bacchus Poetis furere fingitur. Nam ut ille dixit:

Dulcia non scribit carmina potor aquæ.

Hinc Plato, Democritus, Aristoteles, Cicero dixere, *neminem plenum & perfectum carmen posse fundere sine furoris instinctu. Et frustra Poeticos furores mentis suæ compos pepulit.* L.

60. *Sana Paupertas.*) Sicca & sobria, quæ Poetis haud convenit, qui non nisi mero (quod animæ educit instrumenta) madidi & male sani carmina scribunt, quæ vivere possint. vide epigram. Antipatri. 2. *lib.* Anthiolog. *συμπόσιον ἀσίτημα.* F. Jejuna, famelica, & ob id sobria, & frugalis, quæ cogit Poetam sanum & moderatum esse. Horatius.

— *Excludit sanos Helicone Poetas*
Democritus. V.

Pauper autem tali furore corripi non potest, quia sæpe, quod edat & bibat ad sustentandum corpus, non habet, nedum ut ad furorem usque sese invitare possit. *Sana* autem dicitur paupertas, quia sanos & moderatos homines facit. *L.*

62. *Satur est, cum dicit.*) Probat, quod dixit, exemplo Virgilii & Horatii, quibus nisi omnium rerum copia Mæcenatis beneficio exstitisset, nunquam tantam gloriam immortalitate dignis carminibus invenissent.

Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones. L.

63. *Euhoe.*) quod satietatis usque ad fastidium indicium est. *Au.*

63. *Nisi cum se.*) Nam duabus curis simul intendi non potest, ut de egregio carmine fundendo & de rebus domesticis sit sollicita. Nam dum unius cura intenditur, altera oportet ut remittatur. *A.* & *L.*

66. *Magnæ mentis opus.*) Confirmat idem exemplo Virgilii. Conspicere & fingere contemplando currus, equos, Deorum imagines, & illa omnia ingenioso carmine

-mine repræsentare, ut Virgilius facit. Est opus magni & excellentis ingenii, quod non sit sollicitum de re aliqua domestica sibi comparanda. *L.*

66 *Lodice.*) De vili lecti stragulo emendo, quo ex paupertate careat. Ponitur heic pro quavis re domestica necessaria. *L.*

67. *Attonita.*) quæ anxie quasi curiosa sit, & ex cura illa graviter perculsa & quasi attonita, nimis sollicita. Hyperbolica & catachrestica locutio. *L.*

68. *Adspicere.*) Mente concipere, fingere, & sibi repræsentare, in animo, & prius contemplari. Nam quidquid scribimus, prius in mente quasi imaginando adspicimus & contemplamur, cujus mentalis cogitationis, & contemplationis ideam postea verbis & versibus exprimimus. *L.*

69. *Nam si Virgilio.*) i. Si Virgilius Mæcenatis liberalitate & magnificentia tantas commoditates vivendi non habuisset, si ministro caruisset, commoda domo, si rerum necessariarum inopia laborasset, nunquam tale carmen conscripsisset. *L.*

71. *Poscimus ut sit.*) Innuit, si suo tempore Mæcenates sint, qui Poetas in honore haberent, fore, ut multi excellentes sint Poetæ. Desideramus, ut Rubrenus Lappa Poeta ille Tragicus ingeniosissimus, sed pauperrimus, non in minori æstimatione sit, nec minorem etiam vivendi commoditatem habeat, quam veteres Tragici: & illis facile, si non superior, par saltem & æqualis futurus est. Verum ille miser & pauper est, ære alieno obrutus, nec est, qui ei subveniat. *L.*

71. *Poscimus.*) Est conditionalis locutio, cum querela conjuncta. Sic dixit *Sat.* 5.

Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Poscimus ut cœnes civiliter, &c. L.

72. *Antiquo cothurno.*) Sit in illo honore, æstimatione, & loco, quo fuerunt prisci Poetæ Tragici, Aeschylus, Euripides, Sophocles, quibus magnæ divitiæ, summi honores habiti: nec minus etiam sumtu & rebus necessariis adjuvetur. *L.*

73. *Cujus & Albiolos.*) i. Qui ob inopiam tabulas in quibus scribit, & lænam, vel penulam, qua vestitur Attico feneratori oppigneravit. *Albiolos*, tabulas calculatorias, lusorias, scriptorias. Est diminutivum ab *Albeus*. Turnebus legit *alveolos* lances & parapsides intelligens. De quibus *Sat.* 3. dixit

—— *Illud enim vestris datur alveolis.* L.

74. *Non habet.*) Infelix ille & pauper Numitor (ironia est, fuit enim ditissimus) (imo vero serio *infelix* dici potest, quia non habet, quod mittat amico. *A.*) non habet, quod amico suo Poetæ viro optimo muneris loco mittat. Verum quod Quintillæ meretrici donet, illud vero habet. Hæc etiam in nostram ætatem optime competunt, qua plerique nobiles, & principes, canes, equos, adulatores, sycophantas, histriones, gladiatores, scorta denique potius alunt, & liberalissime sustentant, quam virum bonum. *L.* Signanter autem loquitur: *non habet, quod mittat amico*, ceu absenti, cum tamen illud reposcere aliquando posset, *habet, quod præsens donet* meretriculæ suæ. *V.*

75. *Nec defuit illi.*) Pecuniæ satis habuit, cum voracissimum illud animal leonem vellet emere. Talia animalia, canes & lupi, leones, ursi tantis in plurimis aulis in pensis aluntur, quibus plurimi homines in extrema miseria constituti optime ali & sustentari possent. *L.*

76. *Jam domitum.*) Hanno Pœnus primus docuit leonem domare, teste Plinio. *L.*

76. *Constat leviori.*) Ironice, & contrarium intellige. Leo scilicet nutritur minori sumtu & expensa, quam Poeta, quod absurdissimum. Nam leo voracissimum animal est. *L.*

77. *Nimirum.*) Scilicet, Ironiæ particula. Refert hoc, quasi nobiles illud ad sui defensionem dixerint. L.

78. *Intestina*) dicuntur eo, quod corporis interiore parte cohibeantur, quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, ut susceptas escas paulatim digerant, & superadditis cibis non impediantur. *Au.*

80. *At Serrano.*) illis vero pauperibus, si vel maxime ingens sit gloria, quid tum postea? Saleius Bassus, & Serranus, erant nobiles Poetæ sub Domitiano, sed pauperes. *L.* *Serrhanus* legit Probus: at Calderinus *Sarranus*. quod & mihi placet; & paulo post legerem *tenuique salino*, ut opponat hortos illos marmoreos Lucani fictili salino Serrani. *A.*

82. *Curritur ad vocem.*) Erat enim ille Poeta optimus, omnibus gratissimus; gloriam consecutus maximam, nemo tamen eum liberali munere pascere & sustentare volebat, nisi carmina a se composita Paridi Histrioni & aliis vendidisset. *L.*

82. *Amicæ Thebaidos.*) Gratæ, acceptæ. Significat autem Poema Statii, de bello Thebano, quod etiamnum exstat. Quod carmen populus tantopere amat, ut illud tanquam amicam habe.t. *L.*

85. *Libidine vulgi.*) Cupiditate, voluptate, gaudio. Meminit autem hoc loco Statii non sine tacita suspicione simultatis. Ut Satyra 1. Valerium Flaccum tacite notavit, ut ex Parrhasio constat. *L.*

86. *Sed cum fregit.*) i. Ut vel maxime in tanto honore sit Romanis, licet etiam tanta vocis jucunditate & vehementia pronunciet, ut versu sedilia auditorum frangat: Esurire tamen cogitur, nisi opera sua Paridi histrioni vendat. *L.*

86. *Fregit subsellia.*) Recitatione versuum, quos cum populus tanto favore audiret, sua frequentia & mul-

multitudine scamna fregit. Vel potius est hyperbolica locutio de ipso Statio recitante intelligenda, quod vehementi impetu, & recitatione versuum ob vocem jucundam & virilem subsellia fregerit. Sic 1. Sat. dixit:

— *Assiduo ruptæ lectore columnæ*. L.

87. *Intactam.*) Novam, a nullo ante visam, tractatam, recitatam. L. Poetæ vendebant fabulas, quas scribebant, ut victum sibi compararent, ut de Plauto legimus apud Eusebium in Chronicis: *Plautus*, inquit, *ex Umbris Sarsinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem, ad molas manuarias pistori se locaverat, ibi quoties ab opere vacaret, scribere fabulas, & vendere solitus consenuerat*, vel nisi vendidisset novam, & inauditam cantionem, non habebat, unde se sustentaret. Claudianus:

Hi tragicos meminere modos, his fabula Tereus,
His necdum commissa foro cantatur Agave. Au.

87. *Paridi.*) Ostendit Statium Paridis gratiæ inserviisse, cui spe mercedis carmina sua obtulerit. Vivebat hic histrio vel Pantomimus Domitiani tempore Domitiæ Neronis amitæ libertus, juventutis Romanæ pulcherrimus, cujus amore conjux Imperatoris Domitia tenebatur, quæ ob Paridis amorem in consilio conjuratorum fuit, a quibus Domitianus septem vulneribus confossus interiit. Ab hoc Paride dicitur Statius ob paupertatem nimiam annuo salario sustentatus. Hoc ergo loco Auctor noster Paridem falso & jocose vexat, quasi summum litteratorum patronum. M. & L.

88. *Ille & militiæ.*) In Paridem Pantomimum falso hæc dicuntur, qui histrio cum esset, plurima apud Imperatorem valebat. Et his versibus exsilii caulam sibi peperit Auctor noster. i. Vilis ille histrio tantæ auctoritatis est apud Imperatorem, ut militiæ honores, præfecturas, tribunatus, equestrem dignitatem, cui velit, possit tribuere. L.

88. *Multis*) Poetis, quorum summus patronus est. Nota: tecte ipsum imperatorem, cujus indulgentia etiam histriones in summa potentia & dignitate erant. L.

89. *Semestri auro.*) intelligit munus Tribunorum militum qui, fungebantur munere sex mensibus, & gestabant annulos aureos, ut ait Appianus Alexandr. de *bello Libyco cap.* 11. Au.

90. *Quod non dant Proceres.*) Ridicule, scoptice & jocose hæc dicuntur, q. d. Si nobiles Romulidæ & proceres Romani, Poetarum patroni esse nolunt, inveniuntur histriones & mimi, qui suo patrocinio illos tueantur. Atque hi adeo versus Poetæ nostro exsilium pepererunt, qui a Domitiano, sub Præfecturæ specie, instigante Paride, in Ægyptum militatum mittebatur. Ut cum Paridem per scomma & jocum militiæ honorem, & præfecturas multis dare dixisset, & ille Juvenalis talem honorem, sed in pœnam acciperet. Pro jocoso delicto similem jocosam pœnam ipsi imponens. i. Non sunt colendi proceres & nobiles, ut Camerini & Bareæ, qui nihil conferant Poetis. Unus histrio Paris colendus, qui summus Poetarum Patronus est. L.

92. *Præfectos.*) i. Tragœdia de Philomela & Pelopea Paridi data evehit ad Tribunitiam potestatem, tantum valet auctoritas & potentia histrionis. L. Juvenalis propter hunc versum missus est in exilium in Pentapolim, quæ est in Libya, a Paride histrione, ut ait Sidonius Apollinaris, si tamen illum intelligit:

Nec qui consimili deinde casu,
Ad vulgi tenuem strepentis auram:
Irati fuit histrionis exul. Au.

93. *Haud tamen.*) De Statio intellige, quem ut quidam putant, hoc loco excusat, eique invidendum esse negat, quod pulpitis, scenis recitandis carminibus victum quærat, cum inde parum lucretur. Alii putant scoptice hæc in Papinium dici, ejusque impudentiam, & turpem quæstum notari. Et, ut verum, quod mihi videtur, fatear, Poeta valde lubricus est tota hac Satyra, ut incertum sit multis in locis, serio an scoptice loquatur. Et heic loquitur, quasi solum Imperatorem & Paridem in Poetas munificum, & liberalem censeat, reliquos avaros & sordidos. L.

94. *Quis tibi Mæcenas?*) Conqueritur suo tempore Poetis tales patronos non esse, quales olim fuerint Mæcenas Virgilio, & Horatio. Porro Cajus Cilnius Mæcenas in Poetas fuit liberalissimus, qui integra prædia in Sabinis Horatio largitus est. L.

96. *Tunc par ingenio.*) Prisco nimirum seculo, cum munifici illi & liberales viri, ut dixi, viverent, quo quis ingeniosius carmen scripsisset, eo majus precium consequebatur. Ovid.

Ingenium quondam fuerat preciosius auro:
Sed nunc barbaria est grandis, habere nihil.

Plinius *lib.* 3. Epist. ultima: *Fuit moris antiqui eos, qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus, aut pecunia ornare, nostris vero temporibus ut alia speciosa & egregia, ita hoc imprimis exolevit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus*. M.

96. *Nunc utile.*) Alii codices habent *tunc*, hoc sensu: Illo prisco tempore utile & frugiferum erat studio, vigiliis, exactisque carminum lucubrationibus pallorem sibi contraxisse; quia, quo quis meliora scripsisset, hoc munus etiam erat melius. Et utile etiam *tunc* erat, eo tempore, quo alii maxime gulæ luxui & genio indulgebant, maxime sobrie se domi continuisse, & egregiis Poematibus & operibus indulsisse, sibique maximam laudem, maxima præmia adquisivisse. Verum

rum potest & *nunc* legi hoc sensu: Contra nunc multi illam utilitatem consequuntur ex Poematibus suis, ut palleant, & ne tantum quidem habeant, quo vinum sibi mense Decembri, quo Saturnalia ab omnibus lætis ac lubentibus celebrantur, comparare possit. Nam qui *nunc* legunt, & interpretantur, quasi sobrii fuerint prisci, & carminibus vacarint Decembri mense, non convenit cum præcedentibus, ubi dixit Horatium & Priscos Saturos fuisse cum scriberent. Et Horatius:

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
- Prosiluit. M. & L.

97. *Vinum.* &c.) Abstemia agere Saturnalia, quæ mense Decembri celebrantur. *F.* & quia in decembri brevissimi dies sunt, & ob frigus ac tenebras rara lucubratio, solent, qui se diligentes ostentare volunt, lucubrationes suas *decembrias* appellare, quasi vero cæteris somno vinoque sepultis ipsi studio vacent. *A.*

98. *Vester porro labor.*) Est Ironia. (quamvis & serio ita loqui potuerit *A.*) Vos autem historici, sine dubio lautiorem habetis conditionem, qui majoribus laboribus, & lucubrationibus nocturnis ingentia volumina conscribitis. Unde haud dubie magni laborum fructus & emolumenta ad vos redeunt. *L.*

98. *Fœcundior.*) Utilior, uberior, fructuosior, plus commodi & emolumenti adferens, quam Poetarum. L.

99. *Petitur plus temporis.*) i. Requiritur a vobis plus temporis, & plus olei ad nocturnas lucubrationes ad lucernam, in qua oleum. Sic Orationes Demosthenis dicebantur lucernam olere, quoniam nocturno tempore ad lucernam erant elaboratæ. *A.* Vetus meus codex habet *petit hic plus.* i. Hic vester labor requirit. *L.*

100. *Namque oblita modi.*) Rationem subjungit, quare historici plus temporis & laboris requirant, cum scribant ingentia volumina. Sic Livius cum cœpisset ab urbe condita, 40. Decadas conscripsit: i. Vestri enim libri in immensum excrescunt sine modo & mensura, & volumina ad mille paginas conscribitis. Et sic historico, qui omnia dextre & exacte describere satagit, multiplex volumen exsurgit, verum meus codex legit: *Nullo quippe modo.* Sine modo & sine immensum excrescit *L.*

101. *Damnosa*) Nam precium pro papyro exponitis, quod vobis non refunditur. Et ita ostendit Historicis plus laboris esse, quam Poetis, sed non plus lucri. *L.*

102. *Operum lex.*) quæ jubet, ut quo ordine & ratione quæque gesta sunt, eo etiam describantur. *L.*

104. *Quis dabit historico.*) Objectio avari nobilis, historicis metiro tantum non conferri, quantum Jcto, vel acta legenti, eo quod ignavi semper sub tecto, & umbra sedeant, & scribant, cum Jurisconsulti in forum & curiam procedant, ibique summis laterum viribus dicendo contendant. *M.*

104. *Acta legenti.*) scribæ actuario. *J.*

105. *Sed genus ignavum.*) Historici sunt genus hominum deses, & ignavum. Dicit illud ratione Jureconsultorum, qui magna vocis contentione caussas agunt, cum historici quasi ociosi & silentes tantum scribant. Quamvis illis historicis longe graviores labores in illa sedentaria quiete, quam clamosis illis & Stentoreis rabulis immensis laterum viribus litigantibus. *L.*

105. *Quod tecto gaudet & umbra.*) Isaacus Casaubonus in animadversionibus ad Suetonium in Augusto legit, *quod lecto gaudet*, intelligitque, *lectum* ceu *lecticulam lucubratoriam.* κλινίδιον. Ita Seneca 72. ep. *Quædam sunt, quæ possis & in cisio scribere: quædam lectum & otium & secretum desiderant.* Et Persius Sat. I. *Non quicquid denique lectis Scribitur in citreis.* F.

106. *Dic igitur.*) Vult innuere advocatorum vel caussidicorum conditionem esse paulo meliorem, quam historicorum, sed tamen non ita lautam. *I.*

108. *Ipsi magna sonant.*) qui magna vocis contentione clamare, & caussas agere coguntur. *L.*

109. *Vel cum tetigit.*) Vel cum alius quidam dubiam & suspectam causam habens, qui nomina & debita sibi arrogat, forte sibi non debita, cum ille inquam præsens eum urget, instigat, pollicitationibus invitat, tum præcipue grandi voce agit. Nam quo causa magis dubia & suspecta, hoc major rabularum impudentia, & verborum rabies requiritur. *L.*

110. *Grandi cum codice.*) Vel legum & juris codice, vel codice, in quo processus, leges, acta, confirmatio, refutatio. *A.* & *L.* Ascon. Pedian. in Orat. pro Cornel. *Is ubi legis ferendæ dies venit:* & *præco subjiciente scriba verba legis recitari populo cœpit, & scribam subjicere & præconem pronunciare passus non est. Tum Corn. ipse codicem recitavit.* M.

111. *Immensa mendacia.*) Utpote, quorum lingua venalis. Seneca:

Qui clamosi rabiosa fori
Jurgia vendit improbus ira L.

111. *Cavi folles.*) Pulmones, quibus inest spirandi vis. Vel cavas buccas & fauces intellige vento & mendaciis plenas, ut folles credas. Utuntur plerique hac metaphora. *L.*

112. *Conspuiturque sinus.*) Non quod præ ira unus rabula alterum conspuat, ut vani quidam hoc interpretantur. Sed nimia verborum copia, vehementia, celeritate, & dicendi fervore sinus & vestes sibimetipsis conspuunt. *A.* & *L.*

12. *Verum deprendere messem.*) Dixit de summis caussidicorum laboribus, jam indicat, quid inde lucri consequantur, quasi dicat: At postquam jam ad ravim usque coram judicibus inter se litigando debacchati sunt, quid præmii consequuntur? Parum omnino. Quod si caussidi-

ſidicorum meſſem & annuos proventus libet cognoſcere, in una libræ lance pone centum cauſſidicorum patrimonia, in altera unum & ſolum patrimonium Ruſſati illius Lacernæ, videbis omnes cauſſidicos, eorumque annuos proventus vel ab unius Ruſſati Lacernæ opibus & reditibus annuis ſuperari. *L.*

112. *Veram.*) Lego hic *verum*, (et ita etiam) *A.* hic ſenſu Labores quidem Jureconſultorum graviſſimi, verum meſſis vel fructus, quem inde conſequuntur, perexiguus. *L.*

114. *Ruſſati lacerti.*) Varia admodum hic lectio. Codex meus habet *pone rus Sati Lacertæ*, ut rus Sati Lacertæ divitis illius Romani civis intelligatur, & per *rus*, annui ex rure proventus ut ita *Atticus Satus* eques Romanus intelligatur. (Quidam *Lacertam* heic non nomen viri eſſe cenſent, ſed brevem terræ menſuram in qua lacerta habitet, ut ſupra:

Unius ſeſe dominum fecisse lacertæ A)

Verum hæc mihi non ſatis probantur. Legendum potius *Ruſſati Lacertæ* vel *Lacernæ*, quem ajunt Domitiani aurigam fuiſſe. *L.* Qui *Siſapone* legendum ſtatuit, non eſt admittendus. *M.*

114. *Pallidus*) ob malam cauſam, quam foves, vel ob dubium eventum, meticuloſus, vel ob egeſtatem macilentus & pallidus. *L.*

116. *Dicturus dubia.*) Pro oſtendenda libertate alicujus non facile probabili, contra eum, qui illum in ſervitutem vult aſſerere. *A.* Oſtendit quam malas & dubias cauſſas cauſſidici illi pro minimo precio defenſandas ſuſcipere cogantur. *L.*

116. *Dubia libertate.*) Quæ ſitne danda, an non, nondum erat judicatum. ob id inquit: *Dubia.* V. aut acturus cauſſam rei liberandi & abſolvendi, unde pallor cauſſidici. *M.*

116. *Bubulco judice.*) Poteſt illius temporis judicis eſſe nomen, vel intellige rudem, ruſticum, indoctum. (ut *A.* & *V.*) Ait enim Aſconius Pedianus ex ſingulis tribubus urbanis & ruſticis, qui erant numero 36. ternos judices fuiſſe electos. *L.*

117. *Rumpe miſer.*) i. Tanta vocis contentione clama, ut jecur tuum intenſum pæne rumpas, & ſumma fide cauſam age, ut poſtea laudem ex victoria conſequaris, ſed mercedem viliſſimam. Vel ſic: Omnes iræ & furoris habenas laxa, declama, & debacchare in adverſarium tuum, quantum potes, ut nullam tandem mercedem conſequare, ſed laudem tantum. Porro in jecore adfectuum bilis & iræ locum eſſe crediderunt. Alii hoc loco per *jecur* pulmonem intelligunt. *L.*

118. *Figantur virides.*) Victoriæ ſigna e pulpitis tuis ædibus affigantur. erat autem moris victoriam in actionibus partam teſtari appenſa pro foribus palma. οἱ φοίνικες ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐστεφανωμένοι. Lucian. Ῥητόρων διδάσκαλ☉. alii cenſent ſignificari hinc pauperiem Oratorum, quibus etiam victoribus pro palmatis ædibus erant cœnacula, ad quæ ſcalis aſcenderent. *F.*

118. *Scalarum.*) *Scalas* male vulgo interpretantur; victoriam de reo damnato ad Scalas Gemonias (ut *J.*) *ſcalæ* heic ſunt aditus domus, janua, ita autem vocat ἐμφατικῶς ad indicandam oratorum pauperiem, qui more omnium tenuium, & mendicorum in cœnaculis habitabant, ut ædes ſuas niſi ſcalis introire non poſſent. *L.*

119. *Siccus petaſunculus.*) Aridi fumo indurati exiguus & exſiccatus petaſo, vel perna. Exiguum ſane precium, quo hoc tempore advocati non contenti forent. *L.*

119. *Vas pelamidum.*) *une caque de tonnine, qui ſent a la bouche.* A.

120. *Et veteres Afrorum.*) i. Piſces exigui & viliſſimi, qui apud Afros Epimenia ſunt. i. Munera menſtrua Afrorum, quæ ex Africa ſingulis menſibus Romam adferuntur. Alii cenſent ſordida munuſcula ipſorum Afrorum eſſe ipſos bulbos, quos Afri loco menſtrui ſtipendii in ſingulos menſes pro navata opera cuiquam conferunt. Alii per bulbos intelligunt radices rotundas, tunicatas: *Kolbu urtzel.* Notat ita obiter ſordes Afrorum. *L.*

120. *Bulbi.*) menſtruum ſtipendium, μὴν, μηνός, menſis eſt. *L.*

120. *Epimenia.*) Sacra menſtrua, Græce dixit, nam Latine munera menſtrua, & ſordida xenia dicuntur, *menomenia*, quæ de menſe in menſem parantur. *epimenia*, quæ ad menſem unum Caſſianus *lib.* 4. *Inſtitutionum cap.* 21. cujuſmodi nominat *veteres bulbos.* Au.

121. *Tyberi devectum.*) Vile, non tranſmarinum. Nam Cæcuba, Setina, Falerna, &c non deorſum cum flumine Tiberino Romam vehebantur, ſed contra. Vinum vile & cibarium. *A.*

124. *Aemilio dabitur.*) i. Ille tantum præmii ex ſuis actionibus & cauſſis agendis conſequitur, quantum petit, ob nullam aliam cauſſam, niſi quia dives eſt, & ſe divitem ſimulat. *L.*

124. *Et melius nos egimus.*) Et tamen nos tenuiores cauſſidici majori fide & diligentia cauſas noſtras agimus, quam ille. Verba hæc recitat tanquam tenuiorum cauſſidicorum ſint. *L.*

125. *Hujus enim ſtat currus.*) Notat obiter artes cauſſidici Aemilii, qui ut multum præmii a clientibus conſequeretur, ſimulabat ſe eſſe ditiſſimum, luxurioſe ſuam ſtatuam equeſtrem æneam in veſtibulo domus ſuæ poſuerat. Pauperes enim doctrinam, ſcientiam, & facundiam habere non credebantur. Unde noſter idem dicit:

— *Rara in tenui facundia panno.* L.

125. *Currus aheneus.*) Ex quo majores suos triumphasse ostentat, quod forte oriundus a Paulo Aemilio. Porro etiam ipsis causidicis statuæ equestres erigebantur, ut ex Martiali constat. *L.* & *A.*

125. *Alti quadrijuges.*) Equi quaterni alti & sublimes ad majorem magnificentiam currum trahentes. Quicunque autem ditiores, in vestibus cultiores, nobiliores, illi citius conducebantur. L.

126. *In vestibulis.*) In domus introitu, in atrio, in porticibus. *L.*

127. *Bellatore.*) Equo feroci & indomito. Sceptice, quasi qui egregius bellator fuerit, cum non armis, sed lingua & conviciis bella gesserit. *L.*

127. *Curvatum hastile.*) Sceptice dictum. Forte quod hastile illud vetustate incurvatum sit. Vel sceptice innuere voluit, quam imbellis & ineptus bellator ille sit, cum hasta sua incurvata. *L.*

128. *Et statua.*) Eo dicit, vel quod Aemilius unoculus fuerit, quod verisimilius, vel saltem luscus. Vel quod equites in hastam proni in alterum latus, & oculum incumbant, unumque oculum claudant, ut eo certior sit ictus. *L.* Ita sedet, ut prælia futura videatur meditari. *lusca*, vetustate, quæ Sertorium referat, aut Hannibalem, qui lusci fuerunt, vel quia uno oculo melius cernitur. prima sententia verior est. *L.*

129. *Conturbat.*) Non ignoro *conturbare* Ciceroni & aliis esse, posterioribus creditoribus satisfacere, prætéritis veteribus. *L.* auctoritate sua aliis minoris census advocatis terrori est. *V.*

129. *Sic Pedo.*) i. Prorsus eodem modo per hasce artes, per ostentationem divitiarum & gloriæ Pedo reliquos tenuiores caussidicos confundit, supplantat & superat. Sic Matho alios tenuiores dejicit & vincit in judiciis. Lego *Dejicit.* Nam non convenire mihi videtur *deficit* pro succumbit. Nam hic Matho ditissimus erat, ut ex Sat 1. videre est:

Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis.

Possunt ergo vel priori modo hæc explicari, ut intelligamus divites, caussidicos tenuiores confundere & supplantare & dejicere, & quod Tongillus talem etiam exitum vel successum caussarum suarum expectatur, ut ille dives tenuiores conturbet, supplantet, & majorem, quam illi mercedem habeat. Quod si *conturbet* illud intelligamus de debito & defectu Mathonis, legendum erit *deficit.* (i. ab auctoritate sua declinat. *V.*) Et explicanda hæc erunt de simulatione, quod etsi essent tenuiores & ære alieno obruti, quod solvere nequeant; tamen simulent se esse divites, ut ita pluris, vel pro majori precio caussas possint agere. Sic *Matho conturbat.* i. Pauper est, & debita posterioribus solvit creditoribus, veteribus vero non potest, & tamen simulat se esse ditissimum, & nova lectica vehitur, ut *Sat.* 1. dictum. Nam convenit illis caussidicis, ut paulo post ait,

Et strepitu & facie majoris vivere census.

Hæc posterior explicatio mihi jam potior. *L.*

129. *Exitus hic est.*) Ut nimirum Tongillus quamvis pauper, & licet hunc exitum & finem sui laboris sortiatur, ut pauper fiat, tamen simulet se divitem, lectica vehatur, lavetur magna clientum turba stipatus. Ut ita magis illi credatur. Fuit hic Tongillus luxuriosus & incontinens. Martialis:

Omnes Tongillum medici jussere lavari:
O stulti! febrim creditis esse, gula est. V.

130. *Magno cum rhinocerote.*) forte eo dicit, quod nasutus fuerit instar rhinocerotis, quod de Tongiliano testatur Martialis, cum ait:

Nil præter nasum Tongilianus habet. V.

131. *Et vexat.*) i. Turba comitum suorum lutulenta, qui per lutum post eum currunt, quos viles homines lutulentos & sordidos, tanquam pompam secum circumducit etiam in balnea, & illo comitum cœtu lutulento, qui lavatur una, reliquis in balneis molestus est. Porro hæc omnia spectabant ad pompam & ostentationem. *L.* Per *lutulentam turbam* intellexit nescio quos pædicones draucos *Sabinus*, at *ceromaticos* Valla.

131. *Lutulenta.*) Cicero *in Salust. Itaque nihil aliud studet, nisi ut lutulentus sus cum quovis volutari.* Au.

133. *Empturus pueros.*) Simulat se sibi velle servos vel pueros emere, argentea pocula, myrrhina vasa, & villas, ut ita ditior videatur, & a pluribus conducatur. *L.*

134. *Spondet enim.*) Nam tanta est sæculi nostri stoliditas, ut non virtutem, sed splendorem spectemus. *J.*

135. *Vendit.*) facit, ut pluris conducatur. *V.*

136. *Amethystina.*) Gemmæ. V. vestimenta violacea; Amethystus purpureus est permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitor, & leniter quasdam flammulas fundens. Isidorus *lib* 16. Martialis:

Ebria Sidoniæ cum sint de sanguine concha,
Non video, quare sobria lana vocer?

Sensus: Purpurati, aut Amethystini, aut sericati incedunt caussidici, ut operas charius vendant. *An.*

136. *Convenit illis.*) Satis apposite in arrogantes quosdam & stolidos caussidicos dictum, id est, illis rabulis proprium & conveniens est, ut & verborum strepitu, quo vani maxime vigent vel comitum turba & ostentatione, & facie, habitu corporis & vestitus splendore plus præ se ferant, quam adsit. Nec convenit solum, verum etiam conducit illis. Absque hac enim ostentatione & impudentia esset, plurimi cogerentur mendicare, qui jam opibus & honoribus vel maxime vigent. *L.*

141.

141. *Respicit hoc primum.*) Clientes non tam respicerent eloquentiam, quam census, faciem & comitatum oratoris; *the lawyers port and traine*, an illi lectica octophoros plena ipso, &c. *F.*

142. *Togati ante pedes.*) Anteambulones, quidam intelligunt clientes & litigantes, qui eum consulant. Verum tu amicos intellige. Teste enim Agrætio: *Circum pedes sunt obsequia servorum, ante pedes amicorum.* L.

155. *Rara in tenui facundia panno.*) Imo etiam rara virtus & eruditio esse censetur, sed male & ex opinione vulgi. Nam

Πολλάκι ἐ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε. L.

149. *Quando licet flentem.*) Exponit jam effectum hujus stultæ opinionis, quod hinc fiat, quod gravissimæ caussæ, in quibus de pœna capitis agitur, pauperibus caussidicis non committantur, cum illi parum docti & eloquentes habeantur. Solebant caussidici in periculosis & capitalibus causis, uxores, matres, liberos, sordidatos & flentes in judicium adducere, ipsorumque judices ad misericordiam commovere. *L.* hoc fecit Cicero pro Fontejo. *F.*

250. *O ferrea pectora, Vecti.*) i. O Vecti, quam tua pectora sunt ferrea, adamantina, & patientissima, stupidissima, qui tantos labores sustinere valeas. Hor, 1. Od.

Illi robur & æs triplex Circum pectus erat. A.

150. *Vetti.*) Alii *Vecti* legunt, potest esse genitivus, potest & vocativus. Ponitur heic pro quocunque præceptore. *L.*

157. *Cum perimat sævos.*) Hunc versum ita explicant, nonquidem absurde. Cum classis Scholasticorum & congregatio immensa & numerosa ficto themate de tyrannis declamet, eosque perimendos & e medio tollendos probet, ut qui per violentiam regnum occupatum administrent. Quod thema Scholasticis se exercentibus tum temporis fuit usitatissimum: Ego vero paullo aliter hoc explico: Vult miserrimam præceptorum conditionem demonstrare. Quid autem thema illud de occidendis tyrannis ad hoc? Videtur ergo respicere ad Dionysium Syracusanum Siciliæ tyrannum, qui tyrannide exutus a Dione, & regno pulsus, Corinthi ludum literarium aperuit, inque illo miserrime consenuit. Indicat hoc Diogenis Cynici Epistola 8. quæ ita orditur, ἦλθον εἰς Κόρινθον. Dicit ergo Poeta, Tam misera est conditio præceptorum, ut illorum munus sævis & crudelibus tyrannis vindictæ & pœnæ loco a Diis immortalibus immittatur, qui nullis tormentis vehementius vexari possunt, quam conditione illa præceptorum in scholis longe omnium miserrima, tu potes hos labores perferre, cum hujusmodi classis scholasticorum etiam sævos tyrannos (ut Dionysium) excarnificet, & perimat, deque illo supplicium sumat, miserrimis modis. Nec absurde divinus ille Diogenes: Σχολὴν χαλὴν ἢ διατριβὴν κατατεῖναι vocavit. Quid autem insuper, si vix ex tantis laboribus tantum consequuntur, ut commode sese sustentare possint. De quo Auctor noster hic conqueritur suo tempore, & hoc nostro tempore non nemo. *L.*

153. *Versibus.*) Versus, etiam de prosa dicuntur. *L.*

154. *Occidit miseros.*) Miselli magistri dum toties eundem cibum discipulis suis præmandere, & præmasticare quasi coguntur, vel dum eadem discipulis suis toties repetita inculcant, tædio & molestia pæne occiduntur. Hoc Dionysio satis pœnæ & supplicii fuit, qui non semel, sed semper mori coactus fuit. *L.*

155. *Color.*) Ornamenta verborum & sententiarum intelligit figuras, schemata, tropos & alia, quibus oratio pingitur & ornatur. *L.*

155. *Causa genus.*) An sit demonstrativum, cujus finis honestum, & turpe: An judiciale, cujus finis justum & injustum: an deliberativum, cujus finis utile & inutile. *F.*

155. *Ubi summa Quæstio.*) Ubi controversiæ status. Num sit in statu conjecturali, an definitionis, &c. Ut in Actione Miloniana Milo Clodium occidisse accusatur, factum fatetur, Sed se purgat, quod insidias sibi struentem occiderit. Hæc igitur summa quæstio, & status judicialis assumtivus: An juste occiderit? *L.*

151. *Appellas.*) id est, poscis, Sat. 9.

Penso clamat:

Posce, sed appellat puer unicus. — L.

158. *Culpa docentis.*) Respondet præceptor ingrato discipulo: Itane vero mea præceptoris te docentis culpa arguitur & accusatur, quod tu stupidus, vecors, bardus & obtusus asellus es, quod nihil cordis & ingenii habes. Hæc vera esse etiam nostro tempore non nemo experitur, qui talem provinciam subit. Nam cum discipulus obtusus vel ignavus & laborum impatiens nihil discit, ibi culpa in præceptorem transfertur. *L.*

163. *Arcadico juveni.*) Miserum, quando egregia semina sterili terræ, salutaria præcepta bardo & blenno discipulo incassum mandantur. Egregie Fabius *lib. 1. Illud imprimis testandum, nihil præcepta atque artes valere, nisi adjuvante natura. Quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quam de agrorum cultu sterilibus terris.* Hieronymus: *Lædit discipulus magistrum suum, si per negligentiam præcepta, ejusque laborem disperdat.* M.

160. *Arcadico.*) Apposite Asini enim & muli in Arcadia maximi. pulcre autem discipulum talem *Arcadicum mulum* appellat. Tum quia bardus & hebes, tum vel maxime, quod ingratus in præceptorem suum, ut mulus, qui ubi matris ubera ad satietatem usque suxit, &c.

& evacuavit, fatur in matrem calcem rejicit, eamque calceus percutit. *L.*

165. *Quantum vis.*) Verba Poetæ, vel etiam præceptoris. Postula tibi a me promitti, & dari, vel posce a me tibi dari quantum vis, & statim tibi dabo, si impetrare a patre poteris, ut ille filium suum, meum discipulum, toties eadem tædiose repetentem audiat, quoties ego audire cogor. *L.*

167. *Uno conclamant ore.*) Caussas veras dicendo contendentes Sophistæ jam caussidici. Hinc forum passim *clamosum* vocatur. Seneca Hercule furente:

Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens improbus iras
Et verba locat. L.

in Sophistas est singularis Isocratis oratio, & Platonis dialogi nonnunquam eos traducunt. *V.*

161. *Raptore relicto.*) i. Veras lites & contentiones suæ ætate exortas inter homines viventes agunt, non ficta themata e prisco sæculo petita, qualia in Scholis exercebant. Ut de Jasone, qui Medeam rapuit. Possumus etiam Paridem intelligere, qui rapuit Helenam. *V.* & *L.*

169. *Fusa venena silent.*) Fictum thema de Medea, quæ veneno Creusam Jasonis conjugem, suam quasi pellicem, absumpsit, ab ipsis non amplius tractatur, sed silet quasi. *V.*

169. *Malus ingratusque.*) i Fictum thema de Jasone, qui malus pariter & ingratus maritus erat Medeæ, cujus ope salvus ex Colchide evaserat, & quam tamen deserebat, alia uxore Creusa, vel, ut alii, Glauca ducta. Est ergo fictum thema pro Medea contra maritum Jasonem. *V.*

170. *Et quæ jam veteres.*) Fictum thema de eadem Medea, quæ certis pharmacis magicis in mortario tritis, Peliam ex sene cœco puerum se reddituram filiabus pollicebatur. *V.*

170. *Ergo sibi dabit ipse rudem.*) Poeta itaque suadet sophistæ, ut & ipse potius se conferat ad veras caussas forenses ab imaginaria hac & scholastica Sophistarum exercitatione, quam hujusmodi perpetiantur ἀχαριστίας & calumnias q. d. Bona pars, omissis frigidis declamatiunculis se transferent ad veras caussas agendas, si quidem mihi credent. *J.*

173. *Rhetorica ab umbra.*) nam fictæ Rhetoricæ declamationes verarum controversiarum forensium umbræ tantum & imagines sunt. *L*

175. *Summula ne pereat.*) Ne illa exigua pecuniæ summa tibi desit, qua venditur vilis frumenti tessera. Romæ frumentorum curatores distribuebant tesseras. Non enim frumentum ipsum a curatoribus (vile id & multarum molestiarum munus fuisset) sed tesseras frumentarias, sive Symbola quædam in ligno vel plumbo capiebant. Quibus acceptis ire iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Frumento si opus non esset, tesseras illas vendebant. Persius:

— *Non hac, qua ut quisque Velina*
Publicus emeruit, scabrosum tesserula far
Possidet. — L.

174. *Tessera frumenti.*) Tesseræ, quibus frumenti mensuræ designabantur, quæ dabantur a divitibus. Jurisconf. Paulus: *Si tessera frumentaria Titio legata sit.* Vide Brissonium in verbo, *Tessera.* Au

175. *Quippe hæc merces lautissima.*) Hæc merces, quam ex controversiis forensibus adquiris, collata ad διδακτρον vel annuam præceptorum mercedem, est adhuc lautissima, cum habeas, unde frumenti tibi compares. Illi vero miseri præceptores tantum ne habent quidem. *L.*

175. *Tenta.*) Uberior quæstus redit citharœdis, quam oratoribus, qui plane negliguntur, etiam ab iis, qui non dubitant ingentem sumtum facere in rebus nihil ad rem facientibus. *J.*

176. *Tenta, Chrysogonus. &c.*) Sic hunc locum explicant: Vult probare conditionem illorum, qui Rhetoricen doceant in scholis, esse omnium miserrimam, & vel vilissimos citharœdos majorem mercedem ex sua arte consequi. Ut sit: Tenta tu tantum pro institutione tua exposcere, quantum vel vilis citharœdus Chrysogonus vel Pollio accipit. Frustra hoc facies. Nemo enim tibi tantum donabit. Porro Chrysogonus & Pollio erant citharœdi, ut ex Satyra 6. constat. Si ita explicemus tum per sequens verbum *scindens* idem vult, quod lacerans & extenuans Rhetoricen unquam infrugiferam, cum ille sua cithara plus lucri consequatur (*M.*) Verum videtur mihi per Pollionem & Chrysogonum intelligere Rhetores sophistas in scholis docentes hoc sensu: Si non vis credere, quam exiguam mercedem præceptores Rhetores consequantur, explora tantum, quam vilissima mercede Rhetores illi Chrysogonus & Pollio ditissimorum civium Romanorum filios doceant. *L.* & *V.*

178. *In qua gestetur.*) Solebant enim lautiores quotidie gestari in lecticis vel in curru a mulis, vel sanitatis, vel animi gratia. *L.*

179. *Anne serenum Exspectet.*) ironia. Anne dominus adeo dives si vectari & animum oblectare voluerit, tam diu deberet exspectare, donec sudum sit, vel aeris serenitas oriatur, ut tunc vectetur. Vel anne pluvias & tempestates non curans recenti luto propter pluviam spargat? Indignum hoc esset. Incessit divinum insana fastidia, mulas. *L.*

182. *Numidarum.*) E lapide Numidico, qui ad columnas optimus est. Horat. Od. 11. *lib.* 2. *Columnas ultima recisas Africa.* F.

183.

183. *Algentem Solem.*) i. Orientalem, qui salubrior, vel quod cœnatio ædificata sit, ut septentrionem respiciat & ortum, præsertim æstate. Fuere enim cœnationes etiam volubiles. Suetonius in Nerone: Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. *L.*

187. *Res nulla minoris.*) Nempe nihil avaris illis Euclionibus vilius, quam sui liberi, in quos erudiendos, quidquid impenditur, illud perire putant. Pulchre Philosophus ille, cui cum quis filium instituendum adduceret, illeque magnitudine Didactri territus diceret: *Tanti possum mancipium emere*, respondebat: *Eme & habebis duo.* Nec absurde Crates Thebanus, cum in civitatem veniret, se ex editiore loco clamaturum dicebat: *O cives, quæ vos cœpit dementia? Bonorum, quæ liberis estis relicturi, summam curam habetis, liberorum, quibus illa estis relicturi, prorsus nullam.* L.

189. *Exempla novorum.*) Quintilianus fato vel voluntate Dei dives & fortunatus est, non liberalitate hominum. *L.* a fatis & fortuna illi obtigerunt bona fortunæ (*felix.*) corporis (*pulcher.*) & animi. (*acer.*) F.

193. *Distat enim quæ.*) Dicuntur hæc ex sententia Astrologorum, qui omnia fato stellarum adscribunt, ipsum etiam Deum, si recte consideres, fato subjiciunt, & nescio quam necessitatem rebus humanis inducunt. *L.*

195. *Modo primos.*) i. Eo ipso momento, quo te ex matris utero natura profundit. Statim enim flere incipit puer, & vitam cum lacrumis auspicatur. *L.* Vide Plin. procem. *lib.* VII. *A.*

197. *Si fortuna volet.*) Ostendit humanam felicitatem tum fato, tum fortuna evenire, non a nostro hominum arbitrio dependere, ubi notandum, quod inter fatum & fortunam non distinguat. Pulcherrime Seneca: *Natura, fatum, fortuna, casus, unius & ejusdem Dei nomina sunt.* L.

200. *Et occulti.*) i. Incogniti nobis & imperscrutabilis, qui divina non possumus, non debemus scire. Nam

Nescia mens hominum fati. L.

203. *Pœnituit multos.*) Probat quod dixit, talia exempla esse rarissima, quod multi contra inveniantur rhetores, qui cathedram, id est, dicendi munus, ut sterile & infructuosum reliquerint, vel quos pœnituerit inanis & sterilis studii rhetorici. *L.*

206. *Nil præter gelid.*) Notat obiter Athenienses, objiciens illis æternum illud probrum ob Socratem cicuta interemtum, quasi dicat: Quamvis quid vos viris doctis conferatis præter cicutam, quod Socrati propinasis æterno vestro probro. *L.*

206. *Gelidas.*) Est enim frigidissima in ultimo gradu. Et frigore suo calorem naturalem in homine exstinguit. *L.*

207. *Dii majorum umbris.*) Dii dent majorum nostrorum cineribus levem terram perpetuo florentem, vide quæ nos ad ultimum versum Hippolyti Senecæ epig. 89. *lib.* 1. Martial. & Pers. 1. *v.* 35. *F.* Majores laudat, qui voluerunt præceptores esse loco parentum: sunt enim parentes non corporum, ut inquit Fabius, sed mentium. Præceptoribus non potest dari sufficiens honor, pro institutionis labore, ut ait Aristoteles. *Au.*

209. *Qui præceptorem.*) Nempe quibus, ut ille dixit Philosophus, plura, quam ipsis parentibus debemus, cum ab his parentibus vivendi, ab illis bene vivendi rationem adipiscamur. Vel ut alter audacius & ingeniosius dixit: A parentibus animalia, a præceptoribus homines gignimur. Sane homo illiteratus a bruto externa forma tantum distingui videtur. Et teste Platone, inter omnia animalia nullum ferocius est ipso homine, nisi honestis studiis & disciplinis excolatur. *L.*

210. *Metuens virga.*) Non placent interpretes, qui dicunt Achillem jam grandem in montibus præceptoris sui Chironis laudes cantasse. Imo ille grandior sub præceptore fidibus canere didicit, & præceptorem more discipulorum reveritus est, ejusque virgam timuit. Vult enim dicere priscis illis temporibus summos heroas & ætate jam grandes illa reverentia, honore & amore præceptores suos prosecutos esse, quo, suo tempore ne vilissimi quidem pueruli suos præceptores dignentur, qui discipuli non verberentur a præceptoribus, sed qui contra præceptores suos pulsent & verberent: Probat hanc meam explicationem Naso *lib.* 1. de arte:

Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Dicitur annosum pertimuisse senem,
Quas Hector sensurus erat poscente magistro
Verberibus jussas præbuit ille manus. M. & L.

211. *Et cui non tunc.*) Et qui tunc grandis non risu contemsisset senem Centaurum. alii & quis non risisset. *F*

213. *Sed Ruffum.*) Antapodosis dissimilium. q. d. Contra nostro tempore etiam pueri suos præceptores cædunt & verberant, tantum abest, ut si grandiores sint eos colant. Opponuntur enim inter se: *Jam grandis & juventus.* L.

214. *Ruffum qui toties.*) Obiter notat Ruffum Superbum Rhetorem, qui vel Ciceronem culpavit, tanquam Allobroga, id est more Allobrogum crasse, & barbare loquentem. Alii interpretantur hunc Ruffum ficta Declamatione dixisse Ciceronem cum Allobrogibus sensisse potius, quam cum Romanis, quod & Crispus Sallustius ei objicit. *L.*

216. *Gremio.*) Quasi sedentibus præceptoribus discipuli *δῶρα* in sinum infundant. *L.*

218. *Pramordet.*) Aliquid furtim abradit. *L.*

219. *Acœnitus.*) Notat aliquem nomine proprio. Vel forte a Poeta fictum nomen de aliquo, proprium

Nnnnn non

non commune commodum spectante. *L.* In nomine autem alludit ad Anicetum pædagogum, de quo Sueton. *cap.* 5. Neron. *F.*

219. *Qui dispensat.*) Dispensator Oeconomus, frugum & pecuniæ condus & promus, qui plerunque ejusmodi fures. *L.*

219. *Cæde Palæmon.*) Scoptice a Poeta dictum in arrogantissimum Grammaticum: o Palæmon, patere, neque ægre feras aliquid a tua mercede detrahi. *L.*

223. *Qua nemo faber.*) i. qua media nocte nemo faber ferrarius, nemo carptor vel carminator lanarum, qui hamis ferreis oblique in tabulam fixis lanam deducere, & attenuare docet, sedebat, & opus faciebat. Nam antelucano tempore & mane tales operari solent. Nam vesperi & sero iis non licitum. *L.*

226. *Cum totius.*) Nam pueri cum primulum legere discunt, libros, in quibus discunt enormiter maculare consueverunt. vel & fuligine lucernæ. *L.*

228. *Cognitione.*) i. Judicatione: Sic dixit Sat. *6.*

> — *Jam cognitione peracta,*

Et Sat. ultima:

> — *Justissima centurionum*
> *Cognitio est igitur de milite.* L.

228. *Tribuni.*) qui parentes cogat & accusatos compellat solvere. Hoc inter alia Tribunorum munus erat. *L.*

222. *Sed vos sævas.*) Ironice dictum in Romanos divites, qui tametsi exiguum minerval Præceptoribus penderent, multis tamen iisque inutilibus quæstionibus eos excarnificabant. *F.*

233. *Dum petit thermas.*) Omni loco & tempore. Exempli gratia, dum pater in itinere est, & Phœbi calida balnea petit, si rogetur, ut respondere ad omnia interrogata possit. Alii hoc *petit* non de profectione, sed de interrogatione intelligunt, q. d. Cum quærit pater ex filio, quænam sint balnea & thermæ Apollinis apud priscos historicos & Poetas. Censent quidam prioris sententiæ assertores balnea Phœbi Romæ fuisse. *L.*

234. *Nutricem Anchisæ.*) Hujusmodi, quæ, ut Seneca ait, *scire nec juvat, nec prodest*, & quæ satius est ignorare, quam scire, Grammatici, & Critici diligentissime solent inquirere. Porro de nomine nutricis Anchisæ, qui inter pastores educatus est, nihil constat. *L.* Vide Gell. *lib.* XIV. *cap.* 6. F.

237. *Exigite ut mores.*) Tria fuerunt requisita, ut linguam puro sermone, ut mentem variarum rerum cognitione: ut denique animum virtute, pudicitia, & honestis moribus imbuat. *L.*

239. *Ne turpia ludant.*) Intelligit turpem illam Sodomiticam libidinem, qua pueri alternis vicibus sese corrumpebant. *L.*

240. *Non est leve.*) Ad aliud scelus masturbatorum respicit, qui ministerio manuum libidinem exercebant, quod Sat. 6 innuit, cum ait:

> — *præputia ducit.* L.

241. *Oculosque trementes.*) In fine libidinis, vel post perpetratam libidinem molliter natantes. Persius:

> *Patranti fractus ocello.*

Nam in fine libidinis post perpetratam venerem oculorum hirqui & anguli molliter tremere solent. Ad hoc respicit Virg. 3. Eclog.

> —*Transversa tuentibus hirquis.* L. & V.

Quidam legunt *patrantes.* F. Hunc versum 240. & sequentem 241. non esse Juvenalis ait V.

242. *Et cum se verterit annus.*) Hæc verba sunt Auctoris nostri, quibus non sine acri sarcasmo miserum Grammaticum irridet, & Romanis civibus Euclionibus sordes suas exprobat. q. d. cum omnia laboriosissima & difficillima egeris, finito anno exiguam mercedem interventu litis accipe. *L.* Vid. Macr. *lib* 1. *Saturn.* ubi docet, finito anno magistris didactra solita exsolvi. *M.*

234. *Victori populus.*) Solebat populus in ludis oblatos aureos victoribus postulare. Suetonius Claudio: *Nec ullo spectaculi genere communior & remissior erat, adeo ut oblatos victoribus aureos prolata pariter sinistra, cum vulgi voce digitisque numeraret.* M. Levem mercedem, utpote aureos quinque, quos populus in ludis scenicis dari postulabat ab eo, qui spectacula exhibebat. Capitolinus Antonino. Lucianus in Icaromenippo deridet tragicos *ἐπὶ δραχμῶν ἐς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένους.* videor tamen mihi posse hoc interpretari, nec inepte, de auro, quod aurigis victoribus, vel ipsis equis postulari moris erat a populo in Circo, quasi dicat, Annua Grammatici merces non excedit summam auri, quod datur aurigæ pro unius horæ opera. vide Martialis *epigramma* 74. *lib.* 10. & Bulenger. *de Circo. cap.* 34. de præmiis aurigarum. & Xiphilin. in Heliogabalo, quem *ἐθεῶντο ἁρματηλατοῦντα, καὶ χρυσοῦς, ὥσπερ τινὰ τῶν τυχόντων, αἰτοῦντα.* F.

Ad

Ad Satyram VIII.

STemmata.) Stemma Latine proprie sertum dicitur. Inde usurpatum pro statuis majorum coronatis. Dicuntur & lineæ vel ramusculi, quibus genealogiæ & gradus cognationum delineantur & discernuntur, quibus notatur quis pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus, &c. fuerit. Sueton. *Galba Imperator etiam Stemmata in atrio proposuerat, quibus paternam originem ad Jovem, maternam ad Pasiphaen referret.* Præclare de hac re divinus ille Seneca: *Si quid est aliud boni in Philosophia, hoc est, quod Stemma non inspicit. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit.* Et Cic. in Sallust. *Satis est me rebus meis gestis florere, quam majorum opinione niti, & ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium.* Et iterum Seneca Epist. 45. *Non facit nobilem atrium plenum imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, neque, quod ante fuit, nostrum est. Animus facit nobilem. Quis est generosus? Ad virtutem bene compositus.* L. & M.

2. *Pictosque ostendere vultus Majorum.*) in foribus, vestibulis, atriis ædificiorum. Habebant autem imagines majorum pictas vel sculptas, ex marmore lapide, vel ære, vel ex cera expressas. *L.* vid. Virg. *lib.* VII, ubi agit de regia Pici. *A.*

6. *Quis fructus.*) Quid mihi tu (immemor virtutis majorum, cujus tibi hæc monumenta legenti memoria erat subjicienda) jactas genus tuum & familiam ampla tabula Genealogica descripta, & veteres jamque fumo situque obsitas imagines majorum tuorum, quorum alii Dictatores, alii Magistri equitum fuere. Alii legunt *Famosos*: præfero *Fumosos.* sic enim Cicero in Pisonem *fumosas* dixit *imagines.* & Seneca in epistolis. *F.* hic versus in vetustissimis codd fere non invenitur. *V.*

7. *Et postbac.*) i. Post illum Corvinum longa serie, longis ramis vel virgis in arbore illa consanguinitatis deducere ac derivare. Hic versus in quibusdam Codicibus non invenitur. De cujus germanitate & ingenuitate tamen nemo doctior, opinor, dubitarit. *L.*

7. *Multa virga.*) Intelligit ramos & virgas in stemmate. Alii lictores intelligunt, qui multos virgarum fasces præferebant. Dictatori 24. Consuli 12. Magistro equitum 6. *L.*

8. *Famosos.*) i. Majores, qui magistri equitum & Dictatores fuerunt. *Famosos.* i. nobiles & illustres. Famosus non (ut Domitius vult) infamem semper significat, & in malam partem partem rapitur, sed sæpe in bonam Plin. *lib.* 6. Ep. *Impense petis, ut causam agam pertinentem ad curam tuam pulcram alioquin & famosam.* Apulejus: *Uxorem generosam & eximia famositate præditam.* M. Aliter legitur *fumosos.* i. fumo longa vetustate tinctos & denigratos. Porro magistri equitum summum jus in equites habant, ut Dictatores summum jus in populum. *L.*

9. *Coram.*) Emphatice. q. d. Nihil prodest præterita majorum egregie facta, & nobilitatem jactare illis minoribus vel posteris, qui coram in præsentia flagitiose vivunt, & vitiis obruti sunt. Opponuntur heic præterita majorum egregie facta, & coram vel præsens tempus, quo filii & posten male vivunt. *L.*

9. *Effigies quo Tot bellatorum.*) Vel ad quid valent tot imagines majorum, qui bellatores fortissimi fueeunt, si minores posteri imbelles & ignavi per totam noctem degeneres a virtute majorum alea ludunt. *L.*

9. *Quo.*) quorsum, ad quid. Horat.

Quo mihi fortuna, si non conceditur usus. L.

11. *Ante Numantinos si dormire incipis ortus.*) i. si dormis, ante quam Numantinis Lucifer appareat. ita quidem legunt & explicant *V.* & *M.*

13. *Allobrogicis.*) Valer. Max. *lib.* 6. *Fabius*, inquit, *maximus Gallica victoria cognomen Allobrogici sibi & posteris peperit.* Allobrogicis, id est, titulis & honoribus, & appellationibus majorum suorum de devictis Gallis & Allobrogibus. *L.*

15. *Euganea.*) Altina vel Patavina, vel, ut alii, Tarentina, Calabra, & Veneta, (illi enim populi *Euganei* dicebantur.) His autem ovibus nihil erat mollius, & lanæ valde laudabantur. Plin. *lib.* 3. *cap.* 20. scribit Euganeorum oppidum esse Veronam, & quæ quidem urbs distat Patavio millibus passuum. *L.* Mart. *lib.* XIV.

Velleribus primis Apulia prima, secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis. M.

16. *Si tenerum attritus.*) i. Si Fabius ille Persicus libidinosus & Pathicus lumbos suos Catinensi pumice, atterat, læviget, poliatque in amatorum suorum gratiam, & hac infanda libidine avos suos ob scelus nepotis sui merito lugentes & squalidos traducit & dedecorat. Fabium hunc Persicum testatur Seneca *lib.* 4. *cap.* 30. de Benef. *impurissimum & obscœnissimum mortalium fuisse.* L.

16. *Catinensi.*) Cæterum turpes & libidinosi in balneis nates & lumbos sibi atterere, & pumice lævigare solebant, & depilare, ut amatoribus suis jucundiores viderentur. Persius: *Elixasque nates labefactent forcipe adunca.* Hinc *Catinenses* dicti homines molles & fœdissima patientia, qui se pumiee læves & glabros reddebant. Septimius in *Apologetico cap.* 15. L.

17. *Squalentes.*) Sordidatos, mœstos, quasi post mor-

mortem ob scelus nepotis, vel statuas situ & voluptate sordidatas & squalidas. *L.* Pilis horridos, *μὴ ϑρυπτικιζομένους. F.*

17. *Traducit.*) Dedecorat, *ϑατρίζει.* Polyb. *παραδειγματίζει.* Metaphora, a noxiis per forum traductis, vide, quæ ad Martial. epigr. 4. *lib. spect.* F. in antiquissimo textu legitur *producat* i. palam ostendat gloriæ caussa. *M.* &. *A.*

18. *Frangenda imagine.*) Moris erat Romæ, ut si quis turpi & immani crimine damnatus esset: damnaretur & frangeretur ejus etiam statua, nec in exsequiis ferretur. Tacitus *lib.* 11. *Cotta Messalinus, ut imago Libonis exequias posterorum comitaretur, censuit.* L. Ambrosius: *Vide, quemadmodum in civitatibus bonorum Principum imagines perseverent, deleantur Tyrannorum.* & Capitolinus *in Gordianis*: *Statuas Maximini dejecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt.* Au.

20. *Virtus.*) Cic. *pro L. Cornel. Carthaginenses hominum ignobilium virtutem persæpe Nobilitatis inertiæ prætulerunt.* M. Sic & Homer. VII. *Odyss.* V.

21. *Cossus.*) Cornelius Cossus, qui Tolumnio Rege Vejentium occiso secunda spolia opima tulit. *vel*, Cossus, qui sub Augusto Getulos domuit. *quia sequitur*, salve Getulice. *F.*

22. *Hos ante effigies.*) i. Hosce virorum optimorum mores præpone ante statuas majorum tuorum, ut illos mores citius vel potius imiteris, quam statuas. Plin. Epist. *lib.* 5. *Invenio apud homines honestissimum esse majorum vestigia sequi, si modo recte præcesserint.* L.

23. *Præcedunt ipsas.*) *Fasces & secures* justitiæ & legum exsecutionem denotabant, ut *virgæ* crimina, quæ emendari adhuc poterant, corrigerent: *secures* autem, quidquid enorme & incurabile erat, abscinderent. *L.* Vid. Plutarch. in Quæst. Rom. *L.*

24. *Sanctus haberi.*) Q. d. Nec virtutes illas, quod dici solet, solum ἐν κτήσει, verum etiam ἐν χρήσει habeas. Nec possideas solum verum illis etiam utare. Etenim si promeritus es dictis simul & factis viri sancti & justi nomen, tum te agnosco procerem, id est, nobilem Romanum. Potest & cum interrogatione legi. Et tunc *Si* non subintelligitur. *L.*

25. *Dictis factisque.*) ἔργῳ τε λόγῳ τε. *L.* Aristot. *lib.* IV. *Ethic. Qualis est unusquisque, talia tam dicit, quam agit.* M.

30. *Quis enim generosum.*) Pulcherrime Fabius: *Quis nobilissimus, nisi qui optimus?* Non qui celebritate, sed qui virtute maxime excellit. *L.*

33. *Parvam.*) Meum exemplar *pravam* habet. i. Puellam gibbosam, & extorta membra habentem vocamus Europam: proceram & speciosissimam virginem Agenoris filiam, quam Jupiter in taurum mutatus compressit. *L.*

34. *Europam.*) Formosam, Europæ nymphæ nomen, Oceani & Tethyos filia, cujus meminit Hesiodus in Theogonia. Fronto Ducæus, vir miræ eruditionis mavult intelligi Agenoris filiam, cujus Pythagoras ex ære Tarenti fecit egregiam imaginem tauro insidentis. *Au.*

37. *Ergo cavebis.*) Lego heic *Ne sis tu*, perspicuo sensu i. Da operam & cave ne tu sis, vel eodem modo dicaris Creticus, vel Camerinus nobilissimus, quo modo catris degener dicitur Leo. Vide, ne cum Creticus audis aut Camerinus, id per jocum dicatur, ut pumilionem vocamus Atlantem. *J.*

38. *Creticus aut Camerinus.*) Legi posset: *Creticus ac Camerinus*, hoc sensu, cave, ne nomine *Creticus* seu nobilis, reipsa vero *Camerinus* seu homo nequam sis & perditus. sic alibi: *Tu Camerinos Et Bareas & nobilium magna atria curas.* sed quia textus constanter legit *aut*, nihil muto. *A.*

39. *His ego.*) Hæc verba vel cum præcedentibus replicari possunt, vel ad sequentia referri, & per interrogationem legi, & sine etiam interrogatione. *M.* & *L.*

40. *Blande.*) ita habent quidam Codd. mendosi pro *Plance.* V.

42. *Ut te conciperet.*) i. quasi tuis egregiis factis promeritus sis, ut matrona aliqua nobilissima a divo Augusto, & Julio sanguine oriunda te conciperet, non vilis aliqua mulier & plebeja. Sensus autem est: Si ipse aliquid laude dignum fecisses, propter quod vere nobilis appellari posses, merito mater tua te debuisset concipere, non plebeja aliqua mulier. *L.*

43. *Non quæ ventoso.*) Non plebeja, quæ sub dio (alii legunt *Aggere*, ut sit agger Tarquinii, ubi plebejæ mulieres texere solebant) texit. Ptolomæus Flavius conjectaneorum *cap.* 13. *sub aere* exponit in atrio ubi exercebant textrinam priscæ. *F.*

44. *Vos humiles inquis.*) Verba tumidi & fastuosi Rubellii Plauti, alios subsannantis, & generis obscuritatem objectantis. i. O vos Romani reliqui humili loco nati vilissimi, & abjectissimi, estis ultima & abjecta pars nostri vulgi, quorum nemo scit, unde & a quibus parentibus originem duxerit. Advenæ estis, non Romani nobiles. *L.*

56. *Vivas.*) Respondet Poeta scoptice, & jactabundum illum Thrasonem festive ludificatur: quasi dicat. Prosit tibi ille honor, quod nobilissimus sis Cecropides, & ob id longe vivas felix & faustus sis, & ex hac origine tua diu & multum læteris. *Vivas*: Est congratulantis. Sic dicimus: *Vivat rex.* Sic Germani dicimus: *Es bekomme dir wol.* L.

47. *Tamen ima in plebe.*) Jam serio Poeta respondet, quasi dicat, licet sis nobilissimus, ne tamen propterea omnino omnes ex plebe despicias & contemnas. Nam etiam

etiam in infima plebe Quiritem vel civem Romanum optimum, facundissimum, & doctissimum invenies, quorum opera nobiles etiam, velint nolint, indigent, & uti coguntur. *L.*

47. *Quiritem.*) Civem Romanum. Singulariter dixit, ut supra *Procerem*, quod notandum. *L.*

48. *Solet hic defendere caussas.*) i. Ignobilis e plebe nobilium patronus fit; vel hic ex plebe obscurissimo loco natus, sed doctissimus, & eloquentissimus, solet in foro caussas viri nobilis, sed indocti & rudis defendere. *L.*

49. *Nobilis indocti.*) Ἐμφαντικῶς. *L.*

50. *Legum ænigmata.*) Ejusmodi a Græcis λυταὶ dicebantur, quasi *solutores*, qui in jure tantos progressus fecerant, ut de eo respondere, & quæstiones solvere potuerint, illi erant, qui responsis prudentum, & quæstionibus operam dabant. *L.* Quæstiones obscuras legum, prope expressisse videtur Juvenalis. *Au.* Vide Gell. *lib.* XI. *cap.* VI. *M.*

51. *Hic petit Euphraten juvenis.*) In vulgo non solum sunt doctissimi, sed etiam fortissimi & bellicosissimi Nam hic vel alius quisquam e plebe juvenis in bello armis strenuus & industrius cum exercitu ad Euphraten fluvium in Armeniam & alias regiones exteras militatum proficiscitur. *L.*

51. *Batavi.*) Media Syllaba indifferens. Fuit autem Batavium illa regio Belgica, quæ jam ad Rheni ostium. Olim fuerunt fortissimi, teste Tacito. Nec jam profecto ignavi. *L.*

53. *Truncoque simillimus Hermæ.*) Tu non majoribus tuis similis es, sed illorum statuis, quæ ipsis ob res præclare gestas donatæ, a quibus tu nihil differs, nisi quod tu vivas, illæ vita carent. Sic Sallustius: *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil additamenti.* Euripides:

— Αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
Ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσί. L.

56. *Animalia muta.*] Hic virtus, non genus spectatur. Idem in hominibus fieri debebat. Nemo autem muta animalia, ut equos & canes existimat fortia & generosa esse, quod ex fortibus animalibus nata sint, si ipsa sint ignava & a parentum generositate aliena. *L.*

60. *Nobilis hic.*) i. Hic equus, quisquis sit; quia velocissimus est, nobilis esse existimatur, a quocunque etiam gramine vel pascuo veniat, & e quibuscunque etiam equis natus sit, sive illi ignavi sive generosi & veloces fuerint. Ergo & homo, non quia Romanus & Atheniensis, non quia a Cecrope, vel Romulo oriundus, nec quia celebritate nascendi, sed quia virtute maxime excellit, nobilis esse censendus est. alii (teste etiam *V.*) legunt *germine*: Nec male. *L.* Ut equus generosus appellatur, qui ceteros excellit cursu, undecunque natus sit: ita qui animi bonis ceteros præstat. *J.*

60. *Cujus clara fuga.*) i. qui perspicue & evidenter alios equos præcurrit. Virg.

Celeremque fuga prævertitur Hebrum. L.

61. *Æquore.*) *Æquor* non de mari solum dicitur, sed etiam de campi planitie. Virg.

Et primi ignotum ferro quod scindimus æquor. L.

62. *Venale pecus.*) Contemtim i. Vilis & degener equus. Nam plerumque ob vitium aliquod equi venales exponuntur, raro vero optimi. *L.* venduntur enim ad vilia servitia rhedariis & molitoribus. F.

63. *Hirpini.*) *Harpinna*, equi curulis Oenomai meminit Lycophron. *F.*

63. *Si rara jugo.*) i. Si victoria raro ejus jugo, dum jugum in curuli certamine trahit, *sedit*, & quasi obedit & paret. Vel *Sedit* lege. i. Si victor raro sedit in curru, quem ille jugo traxit. *L.*

64. *Respectus.*) eis prodest. Sic Germani dicimus: *Man sicht das nicht an.* L.

64. *Gratia nulla umbrarum.*) Ridicule ait *umbrarum.* q. d. Nulla memoria dati beneficii a majoribus, nulla commendatio majorum & mortuorum equorum, a quibus, nobilissimis licet, ortus sit, ipse contemnitur. *L.*

67. *Segnipedes.*) Ad Græcum illud βραδύπους effictum, quod asini Epitheton. *L.*

68. *Non tua.*) præclare Seneca: *Non est tuum, Fortuna quod fecit tuum.* L.

62. *Præter honores.*) i, quod præterea titulis tuis addere possim, quod scilicet a te sit profectum, non a majoribus, quibus debentur illi honores & tituli alias, quos in tua habes statua. *L.*

70. *Quibus omnia debes.*) Per te enim nihil habes, nullam virtutem, nullam doctrinam, sed nudum tantum nomen nobilis, quod majorum est, non tuum. Nimirum nisi honores & facultates a parentibus sortitus fuisses, omnium esses contemtissimus & humillimus, tua enim virtute, quam nullam habes, emergere non posses. *L*

73. *Rarus enim.*) Ita ait ob stultitiam nobilis Rubellii, qui superbus erat, quod Neronem hominem sceleratissimum sibi consanguinitate conjunctum haberet. Est autem pulcherrima & verissima sententia, quod illi in amplissima illa fortuna & nobilitate constituti, plerunque sensu communi i. prudentia & ratione destituantur, (Raro fit, ut non insigniter desipiant, qui opibus innati sunt. *J.*) Sic alter Poeta:

Stultitiam patiuntur opes.

Et pulchre Plutus apud Aristophanem cæcus introducitur, non tam quod Plutus divitiarum Deus cæcus bona largiatur dignis pariter & indignis, quam quod divitiæ possessores suos cæcos reddant, id est, stolidos & stultos, & *mancipia aurea*, ut Socrates de consimili juvene dixit. *L.*

74. *Sed te tenseri.*) Absoluta, quam fecit ad Rubellium, digressione, redit ad Ponticum, cum quo mitius agit, eumque hortatur, ut studeat, ne tam majorum suorum laude atque nobilitate censeatur nobilis, quam ipse aliquid agat vera nobilitate dignum. *L*

77. *Ne collapsa ruant.*) Ne tu nimium majorum tuorum meritis innitaris, tanquam laudum tuarum basi & columnæ, ne illa columna subducta, vel si majorum tuorum gloria tibi auferatur, sic ruat, & nihili habearis. Possemus etiam legere:

Ne collapsa ruent subductis. L.

78. *Stratus humi.*) Ut palmes humi prostratus jacens erigi non potest, & adsurgere, nisi ab ulmis, quibus fulciuntur & nituntur, subleventur, ita nobilitas tua alias humo strata erit, nisi illam tua propria virtute fulcias.

78. *Viduas ulmos.*) Palmites enim & ulmi tanquam uxor & maritus conjunguntur, adeo ut si unum altero de seratur, viduum quasi sit. Inde dicimus *vites maritare*, id est, ulmos illis adjungere. *L.* Virg. ecl. 11. *Tibi vitis in ulmo est.* F.

79. *Bonus miles.*) In bello fortem & magnanimum te præsta. Certe nobilitatis fulcrum hoc est præcipuum. *L.*

81. *Phalaris licet imperet.*) Hic teste Plinio post Thesea tyrannorum primus fuit. Cic. 2. offic. *Nec vero ulla vis impii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Testis Phalaris, cujus præter cæteros nobilitata crudelitas, qui non ex insidiis interiit, non a paucis, sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit.* Fuit longe ingeniosissimus, ut ex Epistolis ejus apparet, quibus an in illo genere aliquid ingeniosius unquam scriptum sit, valde dubito. *L.* hinc Horatius:

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solida. Au.

82. *Et admoto.*) Phalaris æneum taurum tormenti loco habuit, in quo sontes & conjurati conjecti, subjecta flamma usti vocem bovis emittebant. Hujus Auctor fuit Perillus Atheniensis faber, quem muneris loco Phalaridi obtulit, qui precii loco fabrum auctorem omnium primum in ipsum conjici jussit, & sui artificii in seipso documentum exhibere. De hac re ingeniosissimam ad Athenienses scripsit Epistolam. *L.*

84. *Et propter vitam*) i. Deserere vel amittere virtutem, constantiam, bonam conscientiam, hæc enim caussæ sunt vivendi, propter quas vita hominum a Deo instituta est. *Vivendi caussas* vocat virtutem, probitatem integritatem, ad quam teste Cic. nati sumus. Non potest jucunde vivi, nisi cum virtute vivatur. Nempe virtus vitæ humanæ vita & anima est, qua ablata viva mors, vel mortua vita vivitur. Sane virtutem & honestatem nemo bonus nisi cum vita amittit. *L.*

85. *Dignus morte perit.*) Præclara & vere aurea sententia. Qui vitam sceleribus, & flagitiis inquinatam habet, vel virtute & vitæ integritate deserta, non dignus est, qui vivat, sed morte & æterna oblivione dignus est: ille periit, & pro mortuo, tanquam qui perierit, judicandus est, quamvis ditissimus sit, & quotidie copiose & luxuriose in supinis deliciis vivat. *L.* Et hanc felicitatem in hac vita summam Isidorus brevissimis verbis complexus est: *Vis nunquam tristis esse? recte vive.* L.

87. *Exspectata diu.*) Cujus præfecturam tanto tempore exspectasti, & omnibus votis expenvisti. Tales nos solemus appellare, *Ein Haveradt.* L.

88. *Pone iræ fræna.*) Nullam crudelitatem exerce, in miseros provinciales. Horatius:

——— *Animum rege, qui, nisi paret,*
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catena.

Aristoteles: Impossibile est iratum operari bona. *Cic. lib.* 1. *Offic. Sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest.* M.

89. *Pone & avaritiæ.*) Cic. *Nullum vitium tetrius, quam avaritia, præsertim in principibus, & rempublicam gubernantibus.* R.

10. *Miserere inopum sociorum.*) Provincialium, qui jam in societatem Romanorum recepti sunt. Inopum, quia bello subacti omnia perdiderunt. Porro *pietas est fundamentum omnium virtutum*, ut Cicero ait, pro Plancio. Et pro Ligario: *Homines nulla re ad Deum propriùs accedunt, quam salutem hominibus dando.* Et 3. Offic. *Detrahere aliquid alteri & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor.* Et Ovidius: *Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.*

90. *Ossa vides Regum.*) Forte hæc sententia est: Attende, quomodo moriens nihil tecum auferes, vides enim jam ossa olim potentissimorum & ditissimorum cineracta, exsucta & aresacta jacere, quod spectaculum merito ad pietatem te invitare debeat. *L.*

91. *Exsucta.*) Germani diceremus eodem modo: *Sie sein ausgesogen biss auf die gräden.* L.

95. *Cum Pansa eripiat.*) i. Cum posterior recens & novus præfectus spoliator auferat, quidquid prior tibi reliquit. Unde satius fuerat priorem retinuisse. *Wenn man den einen Teuffel wegsendet, bekomt man einen andern wider.* L.

97. *Jamque tace*) Noli accusare illum præfectum, nam inania in illum judicia exercentur. *L.*

97. *Furor est.*) Et hoc vere demum est naulum perdere, ut proverbio dicitur, postquam omnia perdidisti subrepta a præfectis, e Cilicia Romam petere, præfectum accusare, & condemnari curare, & nihil recipere

pete, & te infecta patriam repetere. Poterat forte naulum etiam intelligi de triente Charonti post mortem persolvendo. *L.*

98. *Non idem gemitus.*) priores gemitus ex prioribus incommodis cum his non sunt comparandi: quia tum divites jure belli ab hostibus: nunc inopes contra jus & fas ab amici spoliantur. *L.*

101. *Conchylia Coa.*) Conchylia sunt maris, quæ circumcisa ferro lachrymas purpurei emittunt coloris, his collectis color purpureus temperatur. Isidor. *lib.* 19. Origin. *cap.* 28. Au.

102. *Et cum Parrhasii.*) Parrhasius pictor Ephesi natus primus dedit argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris: Confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Auctor Plin. *lib.* 35. *cap.* 9. & Fabius *lib.* 12. *M.*

102. *Signisque Myronis.*) Hic statuarius fuit numerosior in arte, quam Polycletus. de Bucula ejus, quam artificiosissime composuit, vide Epigrammata Græca & Ausonium. *L.*

105. *Inde Dolabella.*) Primi illi Præfecti provinciis bus nuper victis & societate Romana donatis integras & intactas relinquebant opes, tabulas, statuas, opera nobilium artificum: Quæ tamen omnia Præfectorum secunda quasi progenies, Dolabella, Antonius, Verres; &c. everrebant. Tertia vero progenies & agros provincialibus eripuit. *F.*

105. *Antonius.*) Cajus Antonius de quo Pedianus: Hunc, *inquit*, Antonium Censores sequenti lustro, quam hæc decernentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit. Ejusdem exitulis meminit Strabo. *L.*

106. *Sacrilegus Verres.*) Hunc Cicero accusavit, de quo ait inter alia: *Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræque, plurimam vestem Melitensem, plurima stragula; multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vini, mellis maximam exportasse copiam.* Siciliæ enim præfectus erat. *L.*

107. *Occulta.*) Furtiva, bellica enim palam feruntur & ostentantur. *L.*

107. *Et plures de pace triumphos.*) Elegantissime, ut solet, antithetis utitur: Nam & hæc pæne sunt contraria. i. Dolabella, Antonius, & Verres plures prædas & exuvias, tempore pacis, dum præfecti provinciarum erant, retulerunt, quam tempore belli, cum provincias in potestatem Romanorum redegerant. *L.*

107. *Triumphos.*) Nam in triumphis exuviæ & spolia hostium solebant præferri, & ostentari. *L.*

110. *Grex parvus equarum.*) nam equi omnes ablati sunt. *A.* Nota, quod gregis vocabulum etiam de equis usurpetur. *L.*

109. *Et pater armenti.*) Emphatice dictum, q. d. Quin etiam, quod longe atrocissimum est, taurum vel equum admissarium, qui ad generandum destinatur, & tanquam pater armenti, equos & vitulos procreat, una aufertur, ne ulla spes instaurandi armenti relinquatur. *A.*

110. *Si quod spectabile signum.*) Nulla autem bonorum amissio ipsis gravior erat, quam Deorum ereptio. Propter talia spolia, Dolabella, Antonius, & Verres superius *sacrilegi* dicti sunt. *L.*

111. *Hæc etenim sunt Pro summis.*) Melius convenient summis viris Romanis. Ironice. *vel*, hæc jam utcunque tenuia pro summis habentur a pauperibus, quibus reliqua sunt hæc, ut maxima. *F.*

113. *Unctamque Corinthum.*) Voluptatibus deditam, & unguentis perfusam & delibutam. Erat Corynthi templum Veneris locupletissimum, in quo Deæ Veneri supra 200. puellæ quotidie prostabant. *M.*

114. *Despicias merito.*) Respondet per concessionem, illos merito contemni posse. Utpote quum sint ignavi, & voluptatibus diffluant. *L.*

115. *Quid resinata.*) Legendum hoc loco: *Quid resinata*: Ne duæ syllabæ R E S I natura longæ invitis omnibus corripiantur. *L.* Resina lævigata, δεαπακιζομένη Clem. Alex. 3. Pædag. κεκαπιγομένη. *F.*

117. *Horrida vitanda.*) gens contra Hispanorum bello aspera, inculta, & incuranda cute minus occupata tibi spoliatori vitanda est. Nam irritata rebellabit. Opponitur autem hoc loco: *Horrida & lævia.* *L.*

117. *Illyricumque latus.*) Illyrii, qui litus dextrum maris Adriatici incolunt, Sclavoniam, Germ. *Windenlant.* F.

119. *Quanta autem inde.*) Marius ita Africam exhausit, ut non sit, quod tollatur amplius. *J.* Videntur hæc quibusdam esse objicientis Juvenali, quod Marium nulla vindicta exceperit, ut *præmia culpæ* sit punitio. sed melius alii explicant. *A.*

127. *Curandum inprimis.*) i. Illud cum primis cavendum est, ne magna injuria inferatur a præfectis spoliatoribus, illis qui animo & corpore fortes sunt, & miseri ac pauperes, ob ereptas opes & fortunas. *L.*

125. *Quod modo proposui.*) videtur mihi his verbis Auctor noster a se removere suspicionem malevolentiæ. q.d. Illud, quod modo de rebellione Afrorum dixi, non quidem est sententia & voluntas mea, quod cupiam ita fieri, Sed vos tamen verum futurum credite, & me vobis aliquod Sibyllæ folium vel oraculum recitare. *L.* Digressus sum ab instituto veræ nobilitatis characterismo: quæ tamen leviter tetigi, non minus vera sunt, quam oracula, quæ foliis inscripsit Sibylla. *F.*

125. *Sententia.*) Sæpe pro voluntate ponitur: Sic dici-

dicimus: *ex animi sententia*: *stat sententia*. L.

126. *Folium Sibyllæ.*) Ex injuriis Romanorum præfectorum vaticinatur Afrorum defectionem ab imperio Romano. *L.*

127. *Sancta cohors comitum.*) Si nemo servorum, domesticorum, amicorum tuorum malus & injustus est. *L.*

128. *Acersecomes.*) quidam censent divitem nobilem capillatum civem Romanum intelligi. Verum hoc falsum est. Innuit puerum Cinædum & catamitum. Horum autem puerorum nutu præfecti provinciarum multa judicia vendebant, qui similiter uxorum arbitrio plurima administrabant. *L.*

132. *Omnem Titanida.*) i. Omnes Titanes, qui in bello Titanico contra Jovem & Saturnum bella gesserunt. Illa pugna dicebatur Γιγαντομαχία, de qua lege Ovid. 1. Metamorph. Vide de hisce meas Genealogias. Ponitur autem *Titanida pugnam*, pro Titanicam patronymicum pro possessivo. *L.*

135. *Quod si præcipitem.*) Jam e contrario ostendit, si ambitiosus, avarus, & crudelis sit, tunc nobilitatem parentum ipsi dedecori potius esse, quam honori. *L.*

138. *Incipit ipsorum.*) Nam si obscuri viri filius male vivit, illud non adeo animadvertitur & mirandum videtur, quam si nobilis & alicujus herois filius noxa sit. *L.*

139. *Claramque facem.*) nam illi, qui maxime divites, nobiles, factiosi, quasi in illustri & sublimi positi omnium oculos in se convertunt, inde fit, ut eorum neque bona neque mala in occulto latere possint. *L.* Quod & Salustius dixit, *Majorum gloria posteris lumen est.* Au.

140. *Omne animi vitium.*) Si violentus es & crudelis, non modo non proderit tibi nobilitas, sed oberit etiam. Isidorus in eandem sententiam inquit: *Quanto splendoris honore celsior quisque est, tanto, si delinquit, peccato major est. Item peccata, quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur, Tanto enim majus cognoscitur esse peccatum, quanto major est, qui peccat. Crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum, & sæpe, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.* L.

142. *Quo mihi te.*) Mira in his ἐνέργεια & opponuntur inter se scelus filii ignobilis, & parentum nobilissimorum virtus & liberalitas. *L.*

143. *In templis &c.*) Emphatice & apposite, tu falsarius, ille religiosus. *F.*

146. *Præter majorum cineres.*) Multi autem Neronis tempore aurigare didicerunt, in Imperatoris Neronis gratiam, qui eodem studio tenebatur. Videtur autem Damasippus nomen esse fictum in domitores equorum vel aurigatores nobilissimos Romanos. *L.*

148. *Sufflamine.*) i. Retinaculo, *die Ratsperr oder Radtketten*. Nostri rhedarii catenam cum unco adhibere solent. *L.* Retinaculo, quod per radios rotarum immissum currum in descensu sistit, quod Herodes Atticus τροχοπέδην appellavit, Simaristus ἰσχοπόδην, referente Athenæo *lib.* 3. *cap.* 21. *F.*

154. *Damasippus.*) Alii legunt *Lateranus.* (ut *V.* qui tamen testatur in quibusdam codd. legi *Damasippus.*) L.

155. *Interea dum lanatas.*) Dum oves & boves Jovi sacrificat, jurat non Apollinem & Herculem, sed solum Eponam mulionum Deam, & reliquas Deorum imagines, quæ prope præsepia equorum vel mularum depictæ sunt. Hoc eo dicit, quia per ea numina quisque jurabat, quæ maximi faciebat. *L.*

155. *Torvumque juvencum.*) in vetustissimis codd. legitur: *rursusque juvencum.* *V.*

156. *More Numæ.*) Scoptice dixit. q. d. cujus sapientissimi, & religiosissimi Regis mores nobiles nostri posteri tam probe imitantur. *L.*

157. *Solam Eponam.*) Hæc vera lectio. Non ut vulgo *Hipponam* (seu *Hiponam* ut volebat *A.*) vel *Hippo.* Fuit autem *Epona* mulionum vel aurigarum Dea. Prudentius Apotheosi:

Nemo Cloacinæ aut Eponæ super astra Deabus.

Plutarchus in Parallelis, Ἐπὶ δὲ θεὸς Ἐπόνα προγίνεται ποιουμένη ἵππων. Est autem Dea Epona curam equorum habens. Et apud Fulgentium: *Priapus, Epona, Vertumnus.* Quare autem per Eponam jurarint, ratio est, quia per ea quisque jurat numina, quæ maximi facit, & unde sibi bona sperat. Sic a jurisjurandi forma mores exprimit in puero Aristophanes in Νεφέλ. Νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν ἵππιον. L.

158. *Popinas.*) Erant loca desidiæ & luxuriæ apparata, ubi ungebantur, & genio indulgebant, ubi delicatiores cibi apparantur, ut apud nos *die Garkuche.* L.

160. *Amomo.*) cujus uva nascitur in Armenia, Media, Ponto. *L.*

160. *Syrophœnix.*) Unguentarius, nomen fictum ex Syria & Phœnicia, unde mittuntur unguenta & odores. Quin & Bacchum Lucianus in θεῶν ἐκκλησίᾳ appellat Συροφοίνικός τινος ἐμπόρου τοῦ Κάδμου θυγατριδοῦν. F.

164. *Esto.*) Respondet Poeta per concessionem. Factum fateor: Juvenili ætate dissolutius vixisti, sed nimirum desiisti, nec ultra illam juvenilem ætatem hunc luxuriæ errorem fovisti. Sed Damasippus (per hunc nobilem quemvis intelligit) hæc maturiori ætate facit. *L.*

165. *Breve sit.*) Pulcra sententia. Si vis veniam delictorum tuorum consequi, aliquando turpitudinem exosus, honestiorem vivendi rationem ingredere. i. in turpi tua vita non semper persevera, sed illa vita brevis sit, & aliquando relinquatur. *L.*

167. *Indulge veniam pueris.*) Pueris talia condonari possunt, sed non Damasippo, qui puer non est, sed illa ætate turpitudinem hanc exercet, & ad infames cali-

ces

ces, & picta vela in popinis accedit, qua ætate militiam exercere poterat. *L.*

168. *Inscripta lintea.*) Vela popinis & thermis, quæ promiscue cum lupanaribus confunduntur, eppansa, eaque ut plurimum lintea & acu picta, qualia visuntur in Italia & Hispania (Catullo *catagraphon linum. L.*) nisi per *inscripta* melius intelligamus inscriptionem rerum ibi venalium, ceu meretricum in cellis prostantium, ut *titulum mentita Lycisca*. F.

170. *Rheno atque Istro.*) Qui poterat defendere provincias Romanorum ad Rhenum & Danubium, a vicinis Teutonibus, Batavis, Pannoniis, Rhætiis, qui sæpe arma movent, prohibendis, ne impetium Romanum bello lacessant. *L.*

171. *Mitte hostia.*) Mordet nobiles Romanos, qui non in castris, sed in popinis inter homines turpissimos invenirentur. i. O Cæsar, age mitte aliquem legatum, nauarchum, vel classis ductorem Hostia, vel ad civitatem maris Tyrrheni in ostio Tiberis, ad naves supplendas, vel ad exercitum trajiciendum. Vel ita explica: Desine & relinque ostia. Vel noli quærere nobilem aliquem legatum Ostiis, ubi naves, quibus milites in alias regiones transvehuntur, sed in popina ipsum quære. *L.*

173. *Invenies aliquo.*) Egregia nobilium descriptio. i. Cum hominibus infamibus, gladiatoribus, sicariis, latronibus, sicariis, latronibus, facinorosis. *unter Schelmen und Dieben.* L.

175. *Fabros sandapilarum.*) Mart.

Hos comes invalidus submissa voce precatur.
Ut, quocumque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte,
Grandis in angusta sarcina sandapila.

Stesimbrotus de Polycrate: *Postquam de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est.* Au.

176. *Resupinati.*) Descriptio hominis extreme ignavi & inertis. *der da ligt, und hat die Fusse empor gestre. kt.* L. somno vinoque sepulti. *M.*

177. *Aequa ubi.*) Ubi omnes omnia æque libere vel liberrime dicunt & faciunt, sine ullo personarum respectu. *da hat ein jeder sein frey wort.* L.

179. *Quid facies talem.*) i. O Pontice, (alii legunt *Regule*) si servorum quempiam haberes, qui ita viveret, tam turpiter & flagitiose, ut Damasippus, & similes nobiles, age quid illi faceres, qua ratione illum punires? *L.*

180. *Thusca.*) Mart.

Et sonat innumera compede Tuscus ager.

Horat. — *Ocyus hinc te*
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino. L.

181. *At vos.*) Vos nobilissimi Romani a Trojanis scilicet oriundi, vos nequam servos punitis, sed vobis ipsis veniam datis, licet sitis longe nequissimi. Horat.

— *Egomet mi ignosco, Nævius inquit.* L.

182 *Volesos.*) Intelligit nobiles Romanos quoslibet. Ita fere fit, ut si pauper & popularis adulterium committat, crimen admisisse dicatur & puniatur. Si vero nobilis idem faciat, non solum non puniatur, verum insuper de hoc glorietur, sibique id laudi ducat. *L.*

184. *Ut non pejora.*) Quasi hactenus dicta levia adhuc & nullius momenti sint præ histrionica & gladiatoria. *L.*

185. *Consumptis opibus.*) Duplex crimen Damasippo objicit, & quod opes & bona paterna turpiter in popinis cum infamibus hominibus attriverit, tum quod iis consumptis in aliam turpitudinem pejorem prolapsus sit, & histrioniam exercuerit. *I.*

189. *Populo.*) qui hæc nobilium decora sustinet spectare non sine applausu. Hujus rei sordam & indignam impudentiam vide, si vacat, egregie depictam a Xiphilino, in spectaculis a Nerone in honorem matris Agrippinæ editis. *lib. 6.* F.

189. *Populi frons.*) Quæ nullo pudore adficitur, nec erubescit, ad turpia hæc spectacula. Seneca: *Nihil est tam damnosum honestis moribus, quam in aliquo spectaculo residere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt.* L.

190. *Triscurria.*) i Immensa scurrilia facta nobilium, ingentem scurrilitatem, vel etiam immensos scurras patritios. *A.* verbum antiquum fictum, grandem scurrilitatem designans. Nam particula τρὶς pro superlativo Græci & Latini utuntur. Sic dicimus τρισμέγιστος. Plautus: *Non fur, sed trifur.* V. Alius:

— *magno ter ab Hercule quintus.* M.

Extreme scurrilia. Jos. Scal. ad Catullum legit *transcurria*, & vult Poetam innuere patricios *Transiisse ad scurras*, i. e. orchestram. *F.*

192. *Mamercorum alapas.*) Nobilium, qui parasitorum plagipatidarum vel servorum partes sustinentes alapis cæduntur a domino mimo, ut Panniculus a Latino. vide Martial. *epigr. 72. lib. 2.* & *epigr. 62. lib. 5.* q. d. Insuper contumeliis alaparum sic os objici, quasi de præcepto domini ludant. Tertull. *de spectaculis*: *Alapis infelix facies locatur, ut infelicior venter saginetur.* Cyprian. *F.*

192. *Sua funera.*) i. Corpora de quibus funera futura erant. Nam cum vitæ periculo ibi pugnabatur. Seneca: *Solis gladiis congrediuntur. Exitus pugnantium mors.* L.

193. *Cogente Nerone.*) Domitiano non cogente eos, ut fecit Nero. qui in arenam descendere jussit 400 Senatores, 600. equites, quadringentos tamen apud Suetonium falso exscriptum pro quadragenos suspicatur Lipsius *lib. 2. Saturn. cap. 3.* ut & sexcentos, &c. in Nerone. *cap. 12.* Sed & Xiphilinus de hisce spectaculis: ἐ πολλοὶ ἐν τῷ

τε ἄνθρωποι τὰ γεννήματα μεγάλα, τοὺς Φαβίους, τοὺς Φαβίους, τοὺς Πορκίους, &c. *F.* Seneca Ep. 7. *Quidquid antea pugnatum est, misericordia fuit. nunc omissis nugis mera homicidia sunt. Nihil habent, quo tegantur. Ad ictum totis corporibus sunt expositi. Nunquam frustra manum mittunt.* Item. *Non galea, non scuto ferrum repellitur.* M.

195. *Finge tamen.*) alii *fige* legunt: sed parum refert. *M.*

196. *Mortem sic quisquam.*) Adeone deploratus, impudens, & dura fronte unquam quisquam inventus est, qui non gladiatorium munus, & mortem potius obeat, quam histrioniam exerceat. *L. sic quisquam* legitur in antiquis Codd. non *si quisquam*, ut quidam sensum & ordinem depravant. *M.*

185. *Citharœdo principe.*) Nero adeo Musica delectabatur, ut nomen inter citharœdos jusserit scribi. Tacitus *Ann. lib.* 14. Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistere, nec minus fœdum studium, cithara ludicrum in modum canere, cum cœnaret *Au.*

198. *Mimus Nobilis.*) Olim legebam cum quibusdam codicibus *natus*. Et explicabam hæc respiciens ad loca Sat. 6.

Accipis uxorem, de qua Citharœdus Echion
Vel Glaphyrus fiat pater, Ambrosiusve choraules.

Item:

Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo,
Nobilis Euryalum mirmyllonem exprimat infans.

Nam, nobilissimæ matronæ ludiis, histrionibus, citharœdis, mirum in modum delectabantur. Sæpe etiam familiarius per adulterium ab ipsis cognitæ impræguabantur. unde scilicet nascebantur nobilissimi hi ludiones, histriones, citharœdi, quos hoc loco familiari suo more duobus pæne contrariis nominibus exprimit, & Citharœdo principe natos inquit. Ut sit sensus; non mirum esse, si nobilissimi hi viris principibus nati (qui veri parentes non sunt, sed curucarum more parentum nomen sustinent) si, inquam, a Citharœdis, mimis & histrionibus concepti & nati parentum suorum mores imitentur. Hæc interpretatio mea forte absurda non est, & sententia illa exprimitur festivissimo nostro Auctore digna. Codex meus legit *mimus*. Sed alteram lectionem *natus* superscriptam habet. Si ergo *mimus* legas hic sensus est: Non mirum esse, quod nobiles sint mimi & histriones, cum ipse Imperator Nero citharœdus sit. *L.*

199. *Nobilis.*) In antiquis Codd. legitur *nobis* & in eodem versu: *&* *illud.* M.

199. *Nisi ludus*) Scriptum arbitror a Juvenali *Ludio*, nisi dicas *ludum* posuisse pro ludio, ut Sat. VI. *comitata est Hippia ludum.* A.

199. *Et illud Dedecus urbis.*) Reprehendit jam nobiles, & ex illis potissimum Gracchum quendam nobilissimum, qui abjecta omni verecundia pudore & fronte in urbis & totius nobilitatis dedecus, non solum in arenam more hominum infamium sese demittebat, idque non, ut mirmyllo facie galea operta & velata, ne statim ab omnibus possit cognosci, sed ut retiarius sine galea, nudo vultu. quod ad dedecus addebat. *M.*

201. *Aut falce supina.*) Indicat etiam illum non fuisse Thrêcem, cui erat parma, vel scutum breve & falx vel Harpe, & sica, id est gladius incurvus, quem heic *supinam falcem* vocat. *Ein Taschacke.* L.

203. *Nec galea.*) Conquestus hoc superius Seneca, de quibusdam: *Non galea, non scuto repellitur ferrum.* i. Solo galero vel pileo contentus est. *L.*

204. *Postquam Vibrata.*) Oculis quasi exponit solemne illud pugnæ genus. Docti enim erant retiarii arte quadam collectum suspensumque dextra manu rete in adversarii caput projicere, &, si errassent, effuse fugere, donec forte iterum rete recollegissent. Quod hoc loco in Graccho exprimitur. *L.*

204. *Vibrata.*) Alii *librata*. i. Exacte quasi perpensa. Solertia. enim opus erat, ne nimium vires dexteræ aut intenderentur aut remitterentur inter projiciendum. *L.*

205. *Nudum.*) i. Nudam suam faciem ad spectatores erigit. Ergo soli retiarii ex gladiatoribus facie nuda. Suetonius de Claudio: *Gladiatores etiam forte prolapsos jugulari jubebat, maxime retiarios, ut exspirantium faciem videret.* Illi enim nuda facie. *L.*

207. *De faucibus aurea.*) Probat Gracchum divitem & nobilem retiarium illum egisse & fuisse, & quod non vulgarem, sed auream spiram vel fasciam in pileo vel galero gesserit, quæ se a faucibus usque porrexerit. Suetonius: *Pileum, inquit, vel galerum sumebat & alii retiarii quinque.* L.

209. *Cum Graccho.*) Cum viro nobili compositus, a quo si victus esset, ignominiosum illi fuisset, & jam cum vicit, parem ignominiam reportavit. Nisi mavis ita intelligere secutori dedecori imprimis fuisse, quod cum adeo nobili pugnare jussus sit. *L.* ita cognitus nobilis graviorem tulit ignominiam, quam si vulnere ictus esset. *F.*

211. *Libera si dentur.*) i. Si libere & sine omni superioris potentiæ timore aut metu populo Romano suffragia, vota, judicia ferre liceret, nemo adeo perditus adeo deploratus, & sceleratus esset, qui virum optimum, divinum & sanctissimum Senecam virulentissimo illi, & crudeli, omnibusque sceleribus tyranno præferre dubitaret. *L.*

212. *Senecam.*) Præceptorem (Sanctissimum virum, sed humili loco natum. *F.*) discipulo nobilissimo, sed sceleratissimo. Qui duplex parricida, & præceptorem & matrem sustulit. Unde subjungit: (*L.*)

213. *Una simia.*) Nam non unum parricidium perpetrarat, qui præceptorem Senecam, matrem Agrippinam, amitam, uxorem Poppæam, Octaviam, Britannicum fratrem, & adoptivum filium Claudium parricidio sustulerat. *M.*

216. *Diis auctoribus.*) Eo dicit, nam initio Odysseas Homeri Jupiter dicit, se monuisse Aegisthum per Mercurium, ut ab Agamemnonis cæde abstineret & a Clytemnæstra aliena uxore. Secus enim fore, ut Orestes filius cædem patris & adulterium matris ulcisceretur. Verum Nero Agrippinam matrem Diis auctoribus minime interemit. *L.* Vide Sophoclem. *V.*

220. *In scena nunquam cantavit.*) Ut Nero, qui, teste Suetonio, nihil æque doluit, quam quod tanquam malus citharœdus increpitus esset, nec dubitavit in privatis spectaculis inter Scenicos operam dare. Nam Tragœdiam in scena cantavit. Canacem parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excæcatum, Herculem insanum. *L.*

221. *Troica non scripsit.*) Hoc eo dicit, quia Nero *Troadas* libros scripsit, unde scilicet & maxime insanivit, quia Poeta fuit. Et ut Ilium conflagrare spectaret, magnam urbis partem incendit, quod tam palam fuit, ut ejus cubicularii cum stuppa & tæda deprehensi sint; quod incendium ipse in turri Mæcenatiana prospectans lætabatur flammæ, ut ajebat, pulchritudine. Postea flagitium flagitio cumulavit, & miseros Christianos incendii illius insimulavit, eosque supplicii loco circundatos stuppa, tæda, cum cera & papyro noctu pro lucerna incendit. Tac. Sueton. Oros. *V. M. & L.*

221. *Quid enim Virginius.*) Nihil fuit, quod Virginius Ruffus cum Sergio Galba, & Vindice Junio, magis ulcisci & punire deberet, quam hoc pessimum flagitium, quod ἅλωσιν vel Ilii expugnationem scripserit, &, ut ejus excidii figuram sibi ob oculos poneret, urbem Romam incenderit. Hi tres in Galliis & Hispania a Nerone desciverunt, & Neronem ex Imperio ejicere a Senatu jussi sunt. *L.*

223. *Quid Nero tam sæva.*) Quidnam enim maxime fuit inhonestum & indignum, quod in omni sua tyrannide admisit Nero? certe prostituisse se in nostris Græcisque scenis citharœdum, histrionem, saltatorem, &c. *L.*

223. *Crudaque.*) Crudeli, immani, & inhumana. *A.*

224. *Hæc opera.*) Est amara Ironica responsio ad quæstionem, nimirum hæc opera & hæ artes, quæ dictæ sunt, sunt generosi principis, quas toto suæ tyrannidis tempore exercuit. *L.*

227. *Majorum effigies.*) Irrisorie & Ironice ludit Neronem. i. Cum alii insignia rerum egregie gestarum & triumphorum statuis majorum suorum adfigant: Tu Nero quoque coronam ex apio tanquam vocis & saltationis insigne, quam victor voce & saltu consecutus es, ad majorum tuorum imagines appendere potes. *L.*

229. *Syrma.*) Vestis tragica. has personas agens Nero saltavit. Mart. *lib.* 12.

> *Transtulit ad tragicos se nostra Thalia cothurnos,*
> *Aptasti longum tu quoque syrma tibi.*

Vopiscus in Carino: *Junius Messala patrimonium suum scenicis dedit, hæredibus abnegavit, matris tunicam dedit mimæ, lacernam patris mimo: & recte, si aviæ pallio aurato, atque purpurato pro syrmate tragœdus uteretur.* Au.

229. *Antigones.*) De Antigone Oedipi filia intelligito, quæ cœco patri misso in exilium a Creonte, dux fuit, fratribus interemptis, contra edictum Creontis funebre officium præstitit, ob id a tyranno occisa est. de hac tragœdia facta est. Seneca *in Thebaide*:

> *Cœci parentis regimen ac fessi unicum*
> *Patris levamen gnata, quam tanti est mihi*
> *Genuisse: vel sic desere infaustum patrem,*
> *In recta quid deflectis errantem gradum?*
> *Permitte labi, melius inveniam viam*
> *Quam quæro solus, quæ me ab hac vita extrahat.* Au.

229. *Personam.*) Larvam, qua usus repræsentasti fabulam Menalippes a Neptuno amatæ, non a personando dictam, ut Gellio videtur, inquit Jul. Scal. sed quod erat περὶ σῶμα. Sunt qui *Syrma* significantius & ἐμφαντικῶς tribui volunt *Thyestæ* & *Antigones* personæ sc. regii spiritus & elati animi. *Personam* item *Menalippes*, quia sub ejus persona Euripides Anaxagoræ Præceptoris sui sedatum animum & philosophicam exprimit sententiam. vide Dionysii Halicarnassei commentarium περὶ τῶν σχηματισμένων F.

231. *Quis Catilina.*) Fuit enim is nobilissimus, sed patriæ perditor & proditor, ut Cicero contra ignobilis, sed patriæ pater. *L.*

235. *Ausi quod liceat.*) illud ausi estis, propter quod digni eratis, qui veste ex charta, cannabe, stuppa, bitumine, pice, cera, illita induti, noctis tempore pro lucerna accendamini: Quod supplicii genus in illos, qui incendia moliti erant, constitutum erat, & quo usus fuit crudelis ille Nero in Christianos. *L.*

235. *Tunica punire molesta.*) Veste Melitæa, in qua ignibus adducti ardere solent. Poetæ tunicam alimentis ignium, & illitam, & intextam molestam appellant. Brodæus *lib.* 2. *cap.* 9. Hinc Seneca: commenta est eculeos, cruces, uncum, & tunicam illam alimentis ignium illitam, & intextam. Vestis e charta facta pice inlita. Mart. *lib.* 10. de Mutio;

Nam cum dicatur tunica præsente molesta,
Ure manum, plus est dicere, non facio. Au. Tunica alimentis ignium illita, qua obvoluti cremabantur vivi, sævo eum joco, candelæ loco, *vel*, Herculem Oetæum repræsentantes. Sat. 1. 155. F.

236. *Sed viglat consul.*) Cicero vigilando vestra nocturna facinora & incendia prohibuit. Hujus Ciceronis laudes vide apud Sallustium. *L.*

237. *Hic novus Arpinas.*) i. Vestra nobilium pessima facinora, æterna nominis fama & laude repressit ignobilis ille M. Cicero. Sic a Sallustio in illa oratione, quæ ei falso attribuitur, contra Ciceronem, appellatur, *Homo novus*, *Arpinas*, unde hæc desumsit. i. Cicero ignobilis ex Arpinate oppido natus. *L.* Cicero, quam illis videretur obscurior, plus profuit Reip. & reportavit tantum gloriæ, quantum Cæsar Augustus. *J.*

237. *Et modo Romæ Municipalis eques.*) i. Modo in *equestrem* ordinem adscitus, qui ex *municipio* Arpinate oriundus esset. i. Ignobilis eques. Et sunt pæne contraria. *L.*

238. *Municipalis.*) pro obscuro positus. Sic Tacitus *municipalem adulterum* pro ignobili & obscuro posuit. Sic Auctor noster Sat. 3.

— *municipalis arenæ*
Perpetui comites. L.

239. *Attonitis.*) Sallustius scribit urbis faciem prorsus immutatam fuisse: *Ad hoc*, ait, *mulieres adflictabant sese, manus supplices ad cœlum tendebant, misereri parvulos liberos rogitabant, omnia pavebant.* M.

239. *In omni gente.*) Pro omni gente Romana, pro summis & infimis, vel fatigatur in universo populo, dum omnes & singulos ad Reip. salutem exhortatur. *L.*

240. *Tantum igitur muros.*) i. Cicero ignobilis consul tantum nominis, honoris, & tituli consecutus est Romæ intra muros tempore pacis & togæ, sua sapientia, sine bello, cæde, & sanguine, quantum vix Augustus ingenti prælio & victoria, mult. sanguinis effusione. Hinc Cicero pulcherrime de seipso:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Item:

O fortunatam natam me consule Romam! L.

241. *Nominis & tituli.*) Nam omnium primus a magno illo Catone, Pater Patriæ dictus est, & salvator pereuntis patriæ, quod nominis deinde Imperatores sibi usurparunt. *L.*

242. *Udo gladio*) Ex assidua cæde semper sanguine madente. Est heic mira *ἀντίθεσις*. Nam inter se opponuntur:

Cicero	*Octavius*
Ignobilis	*Nobilissimus.*
Urbs & murus	*Campus & mare.*
Toga & pax	*Bellum, assidua cædes, udi gladii.* L

246. *Alieno.*) Paupertas notatur, cum ne ipse quidem agrum habuerit, *L.*

247. *Nodosam posthac.*) i. Postea inter milites faber erat, & castra muniebat, & si aliquando tardus & ignava opera castra muniret & laboraret, a centurione vite verberabatur, & vapulando in tergo vitem frangebat: *L.*

248. *Si lentus.*) Ostendit initio eum fuisse militem, i. Vapulabat a centurione miles, quotiens faber castrorum dolabra utens ad castrorum munitionem pigre & lente opus faceret. Est autem dolabra illud instrumentum, quo lignum dolatur, complanatur, & lævigatur. *M.* & *L.*

251. *Atque ideo.*) Ipse licet ignobilis collega nobilissimi illius Q. Catuli, cum prius de Jugurtha victoriam reportasset, secundam jam de Cimbris consecutus, secunda lauru, vel victoriæ insigni ornatur. *L.*

253. *Nobilis collega.*) *Nobilis* est casus gignendi. i. Marius ignobilis collegi viri nobilis Q. Catuli, qui ante a Cimbris fugatus dicitur. *L.*

254. *Plebejæ Deciorum.*) Quartum Deciorum patris & filii exemplum, qui & ipsi non ex nobili, sed plebeja familia oriundi, & uterque tamen animi nobilissimi pro salute Reipub. se devoverunt. *L.*

255. *Plebe Latina.*) Alii *pube*. F.

259. *Trabeam*). Vestem trabibus pannorum albis & purpureis intertextam, *vel*, ut Livio placet, togam circumdistinctam purpura subtegmine puniceo, ut Halicarnasseo, vestem ex purpura & cocco. Verum has distinguit Alexander ad Alexand. *cap.* 18. *lib.* 5. F.

260. *Ultimus bonorum.*) Nam sextus erat. Post eum autem septimus & ultimus Tarquinius superbus pessimus erat, ut videre est apud Livium. *L.*

261. *Prodita laxabant.*) Laudavit ignobiles multos, ut optimos, qui consilio, fortitudine, vita & sanguine Reip. profuerunt: Reprehendit jam nobilissimos, adeoque ipsius Junii Bruti consulis filios, qui patriam prodere & tyrannis ac regibus a Patre exactis portas voluerunt aperire, ac proinde a patre securi percussi sunt. *L.*

262. *Et quos Magnum aliquid.*) i. Et qui exemplo optimi patris consulis magnum aliquod & egregium factum, licet cum vitæ periculo conjunctum, pro patriæ libertate subire debebant. *L.*

264. *Quod miraretur.*) Hoc sceleratissimum juvenum facinus, & hanc patriæ proditionem agitatam a filiis optimi consulis cum stupore demiraretur Horatius Cocles, Mutius Scævola, virgo Clœlia. *L.*

264. *Miraretur.*) tanquam monstrosum facinus, tale scelus cadere potuisse in filios optimi consulis patriæ patris & libertatis adsertoris. Miraculo enim simile tantum sceleris portentum cadere potuisse in filios consulis. *L.*

264. *Et*

264. *Et quæ Imperii finem.*) Illo enim tempore Tusci campos & agros omnes ad flumen Tiberim possidebant, qui Romani imperii finis erat, quod tum temporis angustis terminis erat circumscriptum. *L.*

265. *Virgo.*) Hæc Porsennæ obsidis loco data custodes frustrata cum equo trans Tiberim natavit, & Romam pervenit, propter quod factum equestri statua aurata virgo donata est. Simularat autem se ritu patrio velle in ripa cum reliquis virginibus sacra facere, & sic ablegatis custodibus ad suos tranfnatavit. (Claudian.

— *Attonitum tranavit Clœlia Tibrim.* Au.) Quæ ob virtutem per legatos a Porsena recepta, in tanto honore habita est, ut cum cæteris obsidibus in patriam remitteretur. *M.*

266. *Occulta ad patres.*) Eandem rem de filiis Bruti consulis patriæ proditoribus persequitur. Vindicius servus occulta & clandestina scelera filiorum Bruti dominorum suorum, patribus indicavit. Cui ob indicium hoc pecunia ex ærario, libertas & civitas data est. Ab hoc Vindicio Vindicta nomen habet, per quam servi in libertatem adserebantur. *M.*

265. *Servus.*) Emphatice, ignobilis per excellens factum, nobilissimos sceleratos prodidit. *L.*

267. *Matronis lugendus.*) Propter Lucretiam scilicet vindicatam, vel quia superbo sub Tyranno, vim patiebatur castitas matronarum. Vindicius servus indicavit filios Bruti Tarquinio velle portas reserare, quos pater securi feriit, Vindicium servum conservatorem patriæ manumisit, & ut delatorem dominorum cruci adfixit, quod facinus matronæ planxerunt. Livius. *L.* & *Au.*

268. *Legum prima.*) i. Primum supplicium post exactos reges in filios Bruti statutum, nisi mavis, quod *securis* heic ponatur pro exsecutione justitiæ & legum, omnium legum prima principe & optima. Nisi enim hæc exsecutio accedat, leges mortuæ sunt. Vel eo dicit, quod ante leges conditas reges Romani fasces & secures usurparint. *L.*

269. *Malo pater.*) Epilogus est. i. Satius est, te vilissimis, obscuris, turpibus, ignavis majoribus ortum filium, vita integrum, factis strenuum, manu fortem, esse, quam ex nobilissimis & optimis natum filium esse nauci, degenerem & ignavum. *L.*

271. *Quam te Thersitæ.*) I.i quod sæpe fit. Nam plerumque, quod dicitur, ἡρώων τέκνα πήματα. *L.*

272. *Et tamen ut longe.*) Concludit responsione ad concessionem quandam. Est enim talis concessio. Age, concedam te a primis urbis incunabulis nomen, familiam & genus tuum posse repetere & revolvere: Verum quinam illi primi tui parentes sub initium conditæ urbis fuerunt? Nimirum vel pastores, vel homines infames, qui initio urbis ad Asylum, quod Romæ Romulus constituit, propter scelera confugerunt, ex quibus urbs Roma initio aucta fuit, & unde gentem & familiam tuam deducis. *L.*

273. *Ab infami Asylo.*) Nam Romulus, ut augeret populum Romanum, secutus Atheniensium morem, Asylum constituit, quo sicarii, fures, facinorosi, latrones, raptores confluebant, ex qua conflluge hi adeo generosi & nobiles erant oriundi. Plutarch. *in Romulo.* L.

275. *Quod dicere nolo.*) Propter turpitudinem, a quo fi te oriundum consideres, erubescas justius, quam ut tuam adeo generosam turpitudinem magnopere ostentes, ut servus, infamis, fur, latro, sicarius, sacrilegus, parricida. *L.* id est raptor virginis, ideo ex spuriis oriundus. nam primi Romani filias Sabinorum rapuerunt, easque violarunt. ad asylum præterea confugiebant latrones, homicidæ, & perditissimi homines, nihil detrimenti accepturi ab inimicis, non igitur vult iterum Juvenalis intelligere latronem, ut comminiscitur Cœlius Secundus Curio, & vetus interpres a Pithoeo editus. *Au.*

Ad Satyram IX.

Scire velim) Tota hæc Satyra dramatica dialogismo inter Nævolum & Juvenalem absolvitur. Alloquitur autem initio, & acerrime vexat Nævolum, hominem turpissimum & draucum, quem solito tristriorem videns, caussas mœstitiæ interrogat. ille respondens de avaritia civium Romanorum Pathicorum conqueritur, a quibus conductus fuerat, quibusque summo labore toties operam dederit, illorumque uxores gravidas reddiderit, & nihil pæne mercedis loco receperit. Unum autem lectores volo admonitos, ne hinc aliena vitia discant, sed sua emendent. *L.*

2. *Ceu Marsya victus.*) Ovid. 4. Metam. Et Apul. *lib.* 1. Floridorum ait: *Erat Marsyas Satyrus, Phryx & tibicen, vultu ferino, trux, hispidus, multiberbis, spinis & pilis obsitus, qui cum Apolline certavit. Et quem Apollo certamine superatum & arbori alligatum excoriavit vivum.* Qui cum victus cute spoliandus esset, tristi erat vultu, ut verisimile est. *M.* Julianus Imperator *in epist. ad Jamblichum*: Quisquis autem, *inquit*, cum divina musica humanam vult componere, nunquam Marsyæ Phrygis casum didicit. *Au.*

3. *Quid tibi cum vultu.*) i. Cur geris tristem, confusum, & perturbatum vultum, qualem habebat Ravola ille fellator, dum Rhodopæ turpissime

 scorto-

scorto operam dans in fœdissimo illo opere aliorum interventu deprehensus expalluit. *L.*

4. *Uda.*) Fœdo illo humore uvida, humida, & squallentia. *L.*

4. *Nos colaphum.*) forte hic sensus loci hujus obscurioris ob cohærentiam: Quid tibi cum illo vultu, qualem servus habet, cui crustula lambenti colaphum incutimus. Quamvis & heic aliquid desideretur, nam sic legendum esset: *cui colaphum incutimus lambenti crustula, servus.* Nisi forte jocose & scoptice hæc ait, q. d. Non immerito Ravola metu expalluit: Nam nos cum deprehendimus servum dulciaria lambere, illum solemus colaphis percutere. Ob id merito etiam Ravola sibi timuit, dum deprehenditur dulciaria & mellitas placentas lingere. Et hæc mea explicatio cum natura Auctoris nostri satis congruit: qui acerrimis salibus uti consuevit. ut ita fœdissimum illum & fœtidum illum locum, cum crustulis & dulciariis placentis scoptice & satyrice conferat. *L.*

6. *Non erat hac facie.*) Notat obiter alium quendam Pollionem, ut Horatius obiter notat Nævium. i. Hac tua facie, o Nævole, nihilo miserabilior vel tristior erat Pollio ille Creperejus, qui consumtis opibus pecuniam in fœnus quærebat, pollicitus se triplicem usuram daturum. Sed quia tam stolidus nemo inveniebatur, qui pecuniam illi dare vellet, neque capitalem summam neque fœnus recepturus, tristis erat Pollio. *L.*

7. *Triplicem usuram.*) Triplicatam fœnore pecuniam, cum alias simplex tantum requiratur. Talia autem qui se præstituros pollicentur, ruinæ sunt proximi, jamque desperant. *L.*

8. *Circuit.*) Quærit ubique, qui sibi fœnerent, & pecuniam in usuram credant. *L.*

8. *Unde repente tot rugæ*) tibi natæ, unde tædium & senium tam subito tibi contraxisti? *L.*

9. *Certe modico contentus agebas.*) i. Antea modicum quidem possidens, eoque contentus jucundissime vivebas. Et quamvis verna & vilis servus esses, videbaris tamen eques. non minori tamen hilaritate vivebas, quam si eques Romanus fuisses. adeo jucunda erat vita tua. Unde ergo hæc subita mutatio? Vel verna cum esses, equitis animum & lætiam præferebas. *L.* Vel cum esses dominus, id est tui juris, & ditissimus, vivebas parce, ut servus dominatus. vel ita, inquit, hilare vivebas, iisque jocis, ut verna eques videreris; sic enim Romani vernas equites per jocos nominavere. *Au.*

10. *Conviva joco mordente facetus.*) Vid. Gell. XII. 11. *M.*

10. *Salibus vehemens.*) Facetis sermonibus copiosis, quibus omnes in conviviis solebas fatigare. *L.* Catull. *In tanto nulla est corpore mica salis.* Et Horat. *sale multo urbem defricare.* *V.*

12. *Horrida Sylva comæ.*) Crispitudo vel congeries capillorum non compositorum, tanquam arbores in silva, horrida & erecta stans, & inculta. *L.*

15. *Sed fruticante.*) Studebant enim turpissimi illi non solum moribus esse mollissimi, sed corpore etiam videri. Inde non solum in barba, sed etiam aliis locis non nominandis, & toto adeo corpore pilos evellebant. *L.*

16. *Quid macies ægri veteris.*) tam macilentus, pallidus & decolor es, ut videaris vetus aliquis ægrotus, qui longo tempore quartana febri laborarit. *L.*

16. *Tempore longo.*) Nam quartana febris tarde admodum finitur, nisi primis diebus medicamentis excutiatur. Constat in Saxonia mulierem quandam per 30. annos laborasse quartana, & tandem tamen fuisse liberatam. *L.*

17. *Olimque domestica.*) Jam pridem familiaris, consueta, & assidua illi seni, sed ingrata hospita, *das ein täglicher alter bekanter Gast ist.* L. ex quotidiana facta quartana. *A.*

18. *Deprendas animi tormenta.*) i. Potes deprehendere, colligere & cognoscere omnes animi adfectus, voluptatem, dolorem, iram, gaudia, metum ex facie & vultu ejusque habitu & colore, q. d. Hoc conjicio ex tua facie. *L.*

20. *Inde.*) Ex animo. Nam facies plerumque animi index & character est. *L.*

22. *Ganymedem pacis.*) Solebas frequentare statuam Ganymedis in templo pacis, a Vespasiano factam. Et hoc loco turpes & lascivi viri & fœminæ ad sui libidinem & corruptionem abutebantur, quia mulieres numerosæ huc confluebant, & Draucos sibi eligebant, unde ait Nævolum Draucum hunc locum antea frequentare consuevisse. *L.*

23. *Secreta.*) Forte *sacrata* per Antithesin. *L.*

24. *Et Cererem.*) Nota bene, quod Cererem ait. Nam ob id parenthesin sequentem inserit. In Cereris autem templo solum castæ & pudicæ esse solebant. Sat. 6

Pauca adeo Cereris vittas contingere dignæ.

Et alibi:

— *qualem Cereris vult esse sacerdos.*

Postea etiam meretrices & adulteræ ad ejus sacra & templa penetrabant, quæ omnia loca etiam sacra Cereris castæ templa implebant: Unde ait: (*L.*)

24. *Nam quo non prostat fœmina templo?*) Hæc probe competunt jam in nostra tempora, & templa, in quæ pleræque

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ. L.

26. *Quod taceo atque ipsos.*) παράλειψις, vel occupatio. Dicit enim se illud tacere, Nævolum scilicet, draucum infamem agere, & viros ad stuprum etiam inclinare, quod tamen vel maxime dicit. *L.*

27. *Utile & hoc.*) i. quod dicis, o Juvenalis, viros

viros inclinare & draucum agere, illud officium & vivendi genus adeo absurdum non est. Nam multis fuit fructuosum & utile, *L.*

27. *At mihi nullum.*) i. Ego vero nullam inde utilitatem percepi, nullum mihi inde operæ & laboris precium, nisi quod interdum vilem aliquam vestem, aut exigui valoris nummum inde consequor. *L.*

28. *Pingues.*) i. Ex pingui & crassa lana confectas, vel quod illæ jam antea ab avaro attritæ sint & immundo usu pingues redditæ. *A.* παχὺ καὶ πηνίον ἱμάτιον crassioris lanæ & fili. *F.*

29. *Munimenta togæ.*) i quibus togam tegam, i. quæ togam a pluvia muniant, non quæ ornent. *I.*

30. *Pectine.*) Instrumento textorum pensili, quo tela appellitur densaturque, vel quo subtegmen stamini inseritur & appellitur. *L.*

32. *Fata regunt homines*) Etiam σιμίζει cinædus iste scarabæus. *F.* Optima sententia, ab homine turpissimo ad obscœnissima detorta. i. Si quæris, cur ego miser sim, & alii mei similes drauci felices ac dites, scias, fatum vel voluntatem divinam, me miserum esse, constituisse atque velle. Sine cujus numine, quamvis vel maxime vocationis tuæ officia diligentissime obeas, nihil profeceris. *L.*

33. *Nam si tibi.*) Si te non adjuvat fatum, nil prodest mensura penis non visa vel incognita, quæ excedit opinionem hominum. *L.*

35. *Spumanti.*) Præ libidinis nimirum furore, & desiderio concubitus. Nam in summo desiderio hominibus saliva solet fluere. Persius:

Nec gluto sorbere salivam Mercurialem.

Libidinis ergo impatientiam, more hominis furentis in Virrone exprimit. Nam Pathici illi, ut ait Martialis, draucos vel bene a natura instructos in balneis nudos videntes oculis devorabant.

36. *Tabella.*) Non mensas & convivia, ut quidam (inter quos est *A.* qui etiam *blande assidueque* legit) inepte, sed litteras intellige, quibus Virro Nævolum blande ad sui concubitum multis pollicitationibus invitabat. *L.*

37. Ἡδὺς γὰρ γλυκύς ἄνδρα κίναιδος.) sc. σχῆμα. F. Si ita legendum, respicit ad blandas tabellas, de quibus dixit: tanquam dicat: Hominem enim Cinædum & Pathicum moris blandi atque dulcis esse convenit. Ut ostendat Virronem extreme mollem & lascivum fuisse, unde Græcis de illo verbis utitur, Græcus enim sermo, plus jucunditatis & blanditiarum habet. (*M.*) Ut sic Virro Nævolum non solum literis ac pollicitationibus, verum etiam blandis moribus & effœminatis gestibus ad sui concubitum pellexerit & invitarit. Sed non placet hæc lectio. Melius alii exemplaria habent: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος. i. ipse enim Cinædus tanquam mulier virum appetit & ad se trahit. Hinc alter Poeta:

Digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle? virum.

38. *Quid tamen ulterius.*) i. Licet ille Virro me ita literis & blanditiis ad se trahat, quid tamen postea? Vel quod ulterius majus, & enormius monstrum est, quam mollis avarus, quasi dicat: Nihil tamen inde lucri consequor eo nomine, quod mirabile monstrum sit homo avarus & pathicus. Olim ita distinguendum censui. *Quid tamen ulterius?* q. d. Ulterius nihil a Virrone Pathico accipio, hoc tantum, quod me desiderat meaque opera uti gaudet. Et postea hæc sequentia conjunctim legebam. *L.*

28. *Ulterius.*) i. pejus, quasi ultra quod non sit deterius. *F.*

38. *Monstrum quam mollis avarus!*) Ut sit exclamatio q.d. Quam ingens, inauditum & inusitatum monstrum est homo mollis, pathicus, & lasciva libidine petulans ac furiosus & interea avarus, ut Virro, qui etiam vilissima quæque, quæ mihi dederit, objectat. Verum hac de re doctiores judicent. Prior sententia forte melior. *L.*

38. *Monstrum.*) Monstri & ostenti profecto loco est hominem libidinosum & avarum esse. Nam plerisque amatoribus nihil est profusius, qui nihil non impendunt, modo libidinem expleant. Sed hoc ait Nævolus, ut ostendat, se fato miserum esse, & fato quoque in illud monstrum, unde nihil acquirat, incidisse. *L.*

40. *Computat & cevet.*) Cinædus meus Virro adeo avarus est, ut etiam dum in obscœno opere mecum clunes movet & catum more agitat non desinat rationem & calculum mecum subducere. Possunt hæc tria Nævoli verba non incommode Parenthesi includi. Nam quæ sequuntur rursus sunt verba Virronis. *L.*

43. *An facile & pronum est.*) Merito hic exclamarim:

Esse procul casti, procul o procul esse pudici!

Vos imprimis Germani mei, quibus hoc, quod heic exprimitur horrendum, exsecrandum & detestabile scelus, a quo ipsa natura, & bruta etiam abhorrent, non solum inusitatum, sed, Deo optimo maximo sit gratia, etiam incognitum. Quo uno, ut etiam in aliis non paucis, præ reliquis vicinis regionibus mihi non nominandis merito nobis gratulamur. A quibus nos barbaros & indoctos, (falso tamen. Nam Amusia & barbaries a nobis funditus jam dudum profligata est.) & calicum trahones, vocari facile patimur, modo Scarabæi, ut cum Ausonio loquar, jure merito non audiamus. Quibusdam (ut *F.*) videtur hos duos versus 43. & 44 non esse Juvenalis, sed ab alio quodam impuro nebulone insertos. *L.*

44. *He-*

44. *Hesternæ cœnæ.*) Reprehendendus profecto Juvenalis, quod hæc enormia tam aperte exprimat, & q. ob oculos ponat, quamvis impuritatem illam reprehendat & sævissime laceret & q. jugulet. Hinc tamen nimis severus doctissimus ille Scaliger pater *Poet. lib.* 1 1. *cap.* 9 ob talem obscœnitatem (quamvis illa rata in Juvenale) a toto opere pudicis abstinendum censet. Verum quisquis animo castus illi obscœna talia non offecerunt. *L.*

45. *Foderit.*) Aperta & evidens rursus obscœnitas in verbi hujus ambiguitate, quod hic significat libidinem exercere. Egregie Martialis in Milonem quendam:

Milo domi non est, peregre at Milone profecto
Arva vacant, mulier non minus inde parit,
Cur sit ager sterilis, cur fœmina fertilis, edam:
Qui fodiatur ager non habet, uxor habet. L.

46. *Sed tu sane.*) Acris Ironia & Sarcasmus in hisce verbis Nævoli ad Virronem. q. d. Sed nimirum tu putabas me tua pulcritudine & formositate inductum gratis operam tibi daturum: Tanquam tener mollis & formosus esses ut Ganymedes aliquis, qui Jovi est a Cyathis, & per aquilam in cœlum raptus. q. d. Talibus formosis gratis operam damus, non vero tibi hirsuto ac deformi. *L.*

46. *Puerum te Et pulcrum.*) Ut gratis tua mollitie & forma inductus operam tibi præstarem. Hoc vero loco Auctor noster, dum Nævolum aperte turpis suæ vitæ conditionem narrantem introducit, & insimulantem Virronem suum pathicum ingrati animi, qui sibi pro multis laboribus parum retribuat: Utrumque & Draucum & Cinædum, Nævolum & Virronem miris modis virulentissime insectatur, jugulat & flagellat, quod in tota Satyra observandum, & heic semel me admonuisse sufficiat. *L.*

58. *Vos humili asseclæ.*) Quid possunt clientes, qui vos patronos colunt, a vobis divitibus Cinædus adeo a varis boni exspectare, cum nihil, ne in ipso quidem libidinis morbo aliquid in nos velitis conferre, id est, quid vos daretis aliis clientibus vestris, qui vos colunt & salutant, cum ne ipsi quidem clienti velitis aliquid dare qui vestro libidinis morbo medetur. *L.*

48 *Asseclæ.*) Sic dicto, ut ait Nonius ministro, quod adsit, & omnibus jussis dominorum præsto sit. *Au.*

49 *Morbo.*) In ipso pruriginis & libidinis tempore, cum drauci morbo & libidini vestræ medentur. Et quo tempore vos cœnetis, & simul rationem computatis vel subducitis nobiscum. Tangit autem hoc loco eundem Virronem, quem supra Sat. 5. Sordidum, & clientibus suis contumeliose avarum demonstravit. *L.*

50. *En cui tu viridem umbellam.*) Ironia, qua Nævolus per irrisionem Virronem pathicum exagitat, q. d. En tibi formosulum illum pusionem Virronem, cui tanquam amicæ mittas munera, cui munere palperis, cui viridem umbellam vel velum ad faciundam umbram & pocula e succino mittas die natali, vel festis matronalibus. Irridet & exagitat hispidum illum & barbatum Cinœdum Pathicum Virronem, innuens, quod si nihil det Cinœdus, neque ei munera debeat mittere. *L.*

50. *En.*) Particula irrisioni & Ironiæ accommodatissimo: Sic Sat. 6.

En animam & mentem, cum qua Dii nocte loquantur! L.

50. *Viridem umbellam.*) Ne Sole sc. offuscetur, instar Conopei, quæ Solem arceat. Hispanis lingua dicitur *Quita sol.* i. e. arcens solem. σκιάδιον Dionys. Halicarn. 7. *lib.* Umbella Martiali est umbraculum capitis operculum ad defendendum solem & imbrem comparatum. *F.* Dicitur autem ab umbra facienda, nec aliud tegmen fuit, quam quo hodie in Italia passim supra caput suspenso utuntur per viam & in æstu, ipsis *capelletto* dicta. Formabant hoc e linteo instar obrusæ & brevioris metæ, quod orbiculata virga extensum baculo sustinent super caput erectum. Hac utebantur mulieres delicatiores, eamque solebant colore viridi, prasino, vel veneto inducere. Nota autem extremam maliriam & mollitiem in vitiis Pathicis, qui ut mulieres etiam in hoc imitarentur, patiebantur sibi festis matronalibus munera mitti non aliter atque si fuissent mulieres. *L.*

51. *Aut madidum ver.*) Hoc dicit, nam tempore veris, quod plerunque madidum: Calendæ Martiæ sunt, quibus dona mulieribus dabantur. Et hæc festa dicebantur matronalia, ubi natalis Veneris. *L.*

53. *Et strata positus.*) Tapetibus ornata. Solebant mulieres Calendis Martiis domum ornare & sedes vel cathedras tapetibus sternere, cum iliis eo die mariti vel amatores dona mitterent, eas adirent, iisque operam darent. Quod hic Nævolus Virroni suo, tanquam amicæ, etiam præstitisse non sine indignatione refert. i. Quando tu Virro ut mulier in longa Cathedra tapetibus strata & floribus jacens vel positus tractas munera, quæ tibi tanquam mulieri mittuntur. *L.*

53. *Secreta.*) Secreto tibi missa, nam palam se Cinædum gerere non erat tutum. Ob id ait *Secreta.* Illis Calendis censebatur Natalis esse Veneris, celebrabatur festum Junonis, quo die etiam Ilia a Marte compressa dicebatur. Horat.

Martiis cœlebs quid agam Calendis. L.

54. *Dic passer, cui tot montes.*) Jam aperte in Virronem debacchatur, & ex ipso quærit, in cujus gratiam tam avarus sit, & tot divitias reservet. *L.*

56. *Te Trifolinus.*) Ostendit jam magnas divitias Virronis & per consequens ejusdem avaritiam. Erat hic ager in Campania optima vina producens. Martialis:

Non

Non sum de primo, fallor, Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen septima vitis ego. L.

56. *Implet*) vel cellam & dolia tua vino, vel te locupletem reddi. L

58. *Linit*) pice vel resina. Iis enim doliis peruncti vina servabantur. Inde solebant dicere: *linum deradere*, pro dolium reserare. *L*.

59. *Quantum erat exhausti.*) Hoc vult dicere: Aequius esse, ut pauperi clienti sibi Nævolo, qui tam bene de Virrone mereatur, ejusque libidini satisfaciat, aliquot agri jugera, cum prædiolo & domo rustica, cum matre & puero in agro, quam illa in testamento legare nescio cui Archigallo, amico molli, & ex cohorte Virronis, qui nihil operæ & beneficii Virroni præstiterit. *L*.

59 *Meliusne.*) i. filii meretricum plus recipiunt a Gallis, quam Nævolus draucus ab hirsutis cinædis. *M*.

62. *Legatum.*) Ita lege, non *legatus*. quorsum enim *puer legatus*? *L*.

63. *Sed pensio clamat.*) Respondet Nævolus Virroni, & suam importunitatem excusat, tanquam dicat: Fateor me esse importuniorem, sed pensio, quam de domo & agello meo persolvere debeo, illa me cogit, & ad me quotidie clamat: *Posce & solve*. L.

64. *Sed appellat puer unicus*) Servus, qui mihi unus est, nec unus servire potest, ille me cogit, ut alium emam. Forte legi potest *appellit*, id est cogit, & me adigit huc. L

64. *Ut Polyphemi.*) Unicum servum habeo, ut Polyphemus unicum oculum habuit, quem vafer ille Ulysses cum excæcasset, incolumis evasit. Vel: Ut Polyphemo unicus oculus non satis fuit, illo enim effosso ab Ulysse, cæcus erat: ita mihi unicus servus non satis est. q. d. Polyphemus, si duos oculos habuisset, non fuisset excæcatus, ita neque ego multis molestiis premerer, si duos haberem servos. Notandum vero in hac Satyra Auctorem nostrum Nævolo, ut bipedi asello, & stolido nebuloni ineptissimum interdum sermonem attribuere. Ut & heic, & inferius, quid enim ineptius quam oculum Polyphemi cum servo comparare? Verum Auctor noster de industria hoc facit, ut stoliditatem ac stuporem eum insigni turpitudine conjunctam in hoc nebulone exprimeret. *L*.

65. *Solers.*) Prudens, astutus, πολύτροπος. *L*.

67. *Ambo Pascendi.*) Et hic quem habeo, & ille alter, qui emendus. Ideo peto, quia me duos pueros pascere & vestire oportet. *L*.

77. *Quid agam bruma.*) i. quomodo illos sustentabo hiberno tempore, cum tunc calceamenta petant frigori arcendo, quid tunc illis dicam? *L*.

67. *Quid ora.*) Oro te, quid tunc faciam? quid dicam membris & scapulis servorum meorum, cum hiemis tempore non satis vestiti sunt. Anne tunc illis dicam? Tolerate hoc frigus usque ad tempus æstivum, quo cicadæ canunt, tunc aer est calidior. interea illi frigore perirent. *L*.

70. *Verum, ut dissimules.*) Heic Nævolus Philopygista alia beneficia ipsi Virroni Cinædo exprobrat, eique objicit, quod magno ipsum beneficio adfecerit, cum ab eo rogatus uxorem suam gravidam factam impregnarit. Et ita Auctor noster hac Satyra mirifice, salsissime & virulentissime exagitat molles illos Romanos, hoc est impuritatem Draucorum simul & Pathicorum. *L*.

72. *Devotusque.*) Omnino addictus, & tibi semper paratus cliens. *L*.

74. *Fugientem sæpe puellam.*) i. Uxorem tuam, quæ e domo tua aufugere voluit, ob tuam impotentiam & mollitiem, ego amplexu meo e fuga retractam tibi reconciliavi. *L*.

75. *Tabulas quoque ruperat.*) i. Jam uxor tua frangebat dotales tabulas, volebat te impotentem repudiare, alteri nubere, & alium suorum bonorum hæredem facere, jamque tabulas testamenti, quibus te volebat abdicare, & alteri nubere suaque bona legare, obsignabat. *L*.

75. *Tabulas.*) In quibus convenerat maritus & uxor. Moris erat, ut illis dotalibus & matronalibus tabulis ruptis matrimonia solverent. *L*. Nuptiales, in quibus verba solennia fuerunt: *Liberorum procreandorum gratia uxorem duci. Brisson. de formul. 6.* F.

76. *Tota vix hoc.*) i. Totius noctis labore ego hujusmodi vestra dissidia vix composui. Vix summis vigiliis, sudoribus & laboribus per totam noctem ego hujusmodi iram placavi, offensam sustuli, & te in pristinum statum restitui. *L*.

77. *Te plorante foris.*) i. Cum tu metu infamiæ, & repudii, ante januam cubiculi extra plorares. *L*. *plorante*, quod ipse coire non posses. *M*.

78. *Lecti sonus.*) Spondæ crepitus. Qui foris spondæ crepitum, & virilem meam fortitudinem auribus percepisti. *L*.

78. *Dominæ vox.*) i. Audivisti etiam foris uxorem tuam in complexu meo libidinis impatientia gannientem. *Inter gannitus & subantis voculas*, ut ille in Anechomeno ait. *L*.

81. *Quo te circumagas.*) i. O Virro ingratissime, quocunque etiam te vertas subterfugia quærens, & quibuscunque rationibus effugere, & mea in te collata beneficia extenuare coneris: Velis nolis multa te mihi debere, & accepta referre oportet, cum præsertim meo beneficio pater & hæres factus sis, & parentis jura atque adeo jus trium liberorum consecutus sis. *L*.

81. *Prima & ultima.*) Ad excusationem sic Dido: *Quæ quibus anteferam?* Æn. 4. *F*.

82. *Nullum ergo meritum.*) Verba indignationis plena *L*

83. *Filia nascitur ex me.*) Ingens profecto beneficium. Porro in hac Satyra Poeta solito vehementior & virulentior exagitandis vitiis. *L.*

86. *Quod famæ opponere possis.*) Cum enim passim male audias, quod cinædus & mulier sis, filium tibi excitavi, quo vir appareres, & hanc de re famam dilui. *L.*

87. *Jura parentis habes.*) Per me & meo beneficio non pateris pœnas orbitatis. Cæterum parentum jura apud Jureconsultos vide, quibus orbi carebant. *L.*

87. *Scriberis hæres.*) *Ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι καὶ γεννῶσιν, οὐχ' ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται*). Plutarch. *περὶ φιλοστοργίας.* Cœlibes ex testamentis nihil capiebant, nisi e proxime junctorum: orbi non nisi dimidium. *L.*

88. *Legatum omne capis.*) i. Quidquid in testamento a testatore tibi legatum est, id capis, quod sine sobole non faceres. Legata sæpe concipiebantur his verbis: *Quandoque liberos habuerit.* Qua conditione in tuis deficiente, cadet, quod non exspectabas, legatum in te tuosque liberos, lege Papia cessurum in ærarium, si a privilegiis parentum cessatum esset, & decuma parte caducum. *F.*

88. *Dulce caducum.*) Caducum est legatum relictum sub conditione, qua deficiente vel vivo vel mortuo, id cadat & perveniat, vel ad testatorem vivum, vel ad substitutum eo mortuo. Vide in Codice legem de *tollendis caducis.* L.

89. *Commoda.*) His caducis multa adhuc commoda, privilegia, & immunitates tibi accedent per me, si tres implevero vel numerum trium liberorum implevero, tum enim jus trium liberorum habebis. Inter alia a tutelæ laboribus & molestiis liberi excusabant, & in fascibus sumendis prior erat, qui filiorum numero præstabat. Tesseram etiam frumenti triplicem accipiebant. *L.*

90. *Justa doloris.*) Respondet Poeta & simulat, se illi condolere & consilium dare, merito doles, o Nævole, & tuam vicem doleo, quod post tot labores exantlatos, post tot collata beneficia parum precii consequeris, vel non injuria doles, & de ingrato animo Pathici tui conquereris. Sed quid ille contra affert Virtro, quomodo sese excusat? *L.*

92. *Negligit.*) Respondet draucus Nævolus; non curat, & alium simplicem & credulum motionem sibi quærit, qui illum itidem nullo dato precio corrumpat. *A.*

93. *Hæc soli*) Monet jam Nævolus Juvenalem, caveat, ne secreta hæc de Virronis turpitudine, soli sibi commissa divulget, cum res sit periculosa Cinædus iratus. Cui postea respondet Auctor noster nullum turpe facinus diu occultari posse. *L.*

93. *Tibi.*) Emphatice, i. Hoc tibi uni & soli commissum custodi & tace. *L.*

102. *Ullum*) flagitium, vel facinus secretum, & incognitum fore putas, alicujus divitis Cinædi, qui plurimos servos habeant. Gell. *cap.* 11. *lib.* 11. ex Sophocle. i. Licet ipsi servi hæc secreta non revelent, qui tamen omnia produnt, a brutis & saxis veritas erumpet, indicat immensam vim lucis & veritatis, quæ vel a brutis & saxis erumpat. *L.*

105. *Junge ostia.*) Conduplicentur ostia, vel januam claude, & cum ostiis junge. *L.*

107. *Secundi galli.*) Ubi gallus secundo canere incipit, sub mediam noctem. *L.*

111. *Rumoribus ulciscuntur Balthea.*) Diffamationibus & infamia, quam de dominis suis passim spargunt, ulciscuntur balthea, flagella, lora, quibus a dominis cæsi sunt. Sunt autem balthea hoc loco balthieorum verbera, vel habenæ, quibus olim cæsi sunt. *J.* & *L.*

112. *Nec deerit.*) Quin invenietur etiam familiaris aliquis polypragmon, qui te vel in compitis vel in quadriviis, ubi plurimi homines conveniunt, quærat, ut secreta domini flagitia & crimina tibi revelet. *L.*

112. *Compita.*) Loca, ubi tres aut plures concurrunt viæ, ubi solebant rustici compitalia celebrare & compotare. *V.*

113. *Nolentem*) quæri ab ejusmodi garrulis, & qui curiosus non sis, nec ejusmodi secreta scelera scire desideres: tamen illa audire vel invitus cogeris. *L.*

113. *Vinosus.*) Qui ebrius (*ebrietas enim aperta recludit*) secreti sui domini factis revelandis tuas aures imbuat & impleat. *E.*

113. *Miseram.*) quam ineptiarum illarum, & scelerum, quæ refert, tædium cepit. Miserrimum enim & molestissimum est, eum quis garrulum nolens audire cogitur. *L.*

115. *Prodere malunt Arcanum.*) Notat garrulorum mores, qui nihil libentius faciunt, quam ut secreta suæ fidei commissa divulgent. q. d. Quanquam libentissime ad temulentiam se inebriant, tamen libentius domini sui facinora secreta produnt. *M.*

126. *Subrepta falerni.*) Falernum licet sua suavitate bibentes invitet, tamen quia subreptum clam est, avidius abhuc bibitur (Unde Salomon in *Proverb. cap.* 9. *Aqua furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* A.) Ut & res Venereæ longe majori ardore, & mutuis adfectuum flammis committi dicuntur, si furtivæ fiunt. *L.*

117. *Faciens.*) Sacrificans. Plautus: *Et si reperero, o fides, mulsi congialem plenam faciam tibi.* L

111. *Vivendum recte.*) Pulcra sententia, qua laudat vitæ innocentiam, & integritatem ob eam potissimum caussam, ne quis servos garrulos timere cogatur, quod quidem innuit longe esse miserrimum. Non solum

lum in vita conscientiam vereri debemus, sed quantum potest etiam famam: Et vir bonus non solum a crimine, sed etiam a criminis suspicione studet esse alienus. Cicer. in Epist. ad Varronem: *Tibi idem consilii do, quod mihimet ipsi, ut vitemus oculos hominum, si linguas minime facile possumus.* L.

111. *Tum bis.*) In hoc loco cum sua vocali manet, quia *tum* est monosyllabum. *V.* Alii legunt *Tum de bis*, ut etiam legit ms. Codex a Joanne Isacio Pontano mihi communicatus. *L.* & alius cod. *A.*

119. *Linguas mancipiorum.*) Miserum profecto, cum nihil mali commiseris, male audire. Pulcre autem Stoici: ἰμμελὲς ἴστω τῶν πραγμάτων, ἀμελὴς περὶ τῶν λεγομένων. Et Alexander cum ei annunciaretur quosdam esse, qui male de ipso loquantur, animose respondit: *Regium est, cum bene feceris, male audire.* Et alter non absurde respondet: *Non absurdum esse male agentes male audire.* L.

120. *Lingua mali pars pessima servi.*) Illa enim servorum & vilium hominum mancipia quo deteriores, hoc majorem conviciorum thesaurum sibi habent in lingua positum. q. d. cum universus servus malus sit, lingua tamen servi pars in illo est longe omnium pessima. *L.*

121. *Deterior tamen hic.*) Quamvis servi sunt pessimi, tamen dominus his adhuc est deterior, qui servos suos semper ob maleficia sua, quorum conscii sunt, timere cogitur, suorumque servorum servus est, & nunquam liber erit, ab his suis servis, quos ipse nutrit. Et qui dominus malus cum sit, liber esse non possit: Et longe pejor est hic dominus illis servis suis, quorum vitam suo pane & ære sustentat. *L.*

121. *Qui liber non erit.*) Egregie dictum ex Stoicorum sententia: πάντες φαῦλοι δοῦλοι. *L.*

124. *Commune.*) Quod spectat ad omnes, qui habent servos, vel quia omnium interest, ut honeste vivant. *L.*

124. *Post damnum temporis.*) qui in hoc meo officio majorem vitæ partem transegi: postquam tempus vitæ meæ præteriit, & spes de vitæ meæ instituto me fefellit. *L.*

126. *Spes Deceptas.*) Speravi enim me hoc vitæ genere opes & res inventurum, vel meorum tantorum laborum aliquid emolumenti a Virrone & fructus, sed frustra. *L.*

127. *Velox Flosculus.*) Juventutem intelligit, qua nihil formosius, sed & nihil velocius. Præclara sententia. Verissime enim, ut Basil. ait ἡ νεότης τάχιον τῶν ἐαρινῶν ἀνθῶν ἀπορρεῖ. *Juventus citius elabitur, quam verni flores.* Ait autem *brevissima.* Nam quæ jucunda, brevia; quæ ingrata & injucunda, longissima, apparent. *L.*

127. *Miseræque.*) Hoc, quotquot vivimus, nemo nostrum non experitur. Vide Axiochum Platonis. *L.*

129. *Obrepit.*) Significantissima voce rem expressit, i. more insidiantis clam venit. *L.*

129. *Non intellecta.*) i. In conviviis ungimur, jocamur, vitam libidine ducimus, cantus suavitate trahimur, oculorum blandimentis irretimur, ambitione tumemus cæterisque affectibus excæcamur, cum omnis nox totaque per tacitos fallacesque cursus ad vitæ nos traducat exitium, & in hoc vitæ tam celeri cursu festinantisque ævi momento centies præmorimur. *V.*

130. *Ne trepida.*) Ridicula & Ironica Poetæ consolatio, hortans Nævolum, ut in proposito perseveret. Mi Nævole, cave animum dejicias, dum Roma incolumis stabit & durabit, tu & tui similes semper, quod agant, habebunt. Semper habebis Cinædum, cujus tu scarabæus agrum colas, & fodias. Nam huc Romam, quicquid totus mundus habet libidinis & impuritatis, tanquam in sentinam profluit. *L.*

131. *His collibus.*) quos *Dominos montes* appellat Martial. *lib.* IV. L.

133. *Qui digito scalpunt caput uno.*) Poeta indicare conatur confluere Romam Pathicos omnes, hoc est eos qui sibi virum vellent, festive hoc innuit, ex particula Calvi versiculorum, tum quidem (ut est verisimile) notissimam, per quam sequentia noscitarentur. Porro Pompejum sic a Clodio notatum Plutarchus auctor est. Seneca: *Impudicum incessus ostendit, & relatus ad caput digitus.* J. & L.

133. *Altera major.*) heic Romæ etiam omnes imberbes habes tibi crescentes. Vel potius ut sit sententia: Futuri temporis spes longe major & melior, quam præteriti tibi superest. *L.*

134. *Tu tantum erucis imprime dentem.*) Tu tantum para te, ut sis fortis: tu herbam illam salacem, quæ Venerem excitat, & ad libidinem exstimulat comede, teque ad futurum prælium pia para. *L.*

135. *Hæc exempla.*) Respondet Nævolus. O Juvenalis hanc consolationem da felicibus fortunatis draucis, qui ex suis sudoribus, & laboribus aliquid emolumenti acquirere & sperare possint, mihi fato impositum est, ut nullo emolumento, & fructu meo prædicem: & si meo inguine qualitercunque corporis victum mihi comparo, contentus esse cogor. *L.*

137. *Nostrique Lares.*) Mihi imprimis domestici, & vere familiares parvi lares, qui & ipse tenuis sum fortunæ. *Nostri* ergo non sine Emphasi ait: ut omnia, quæ nostra sunt, parva, exilia, & minuta sunt. *L.*

137. *Thure minuto.*) Talia enim Diis domesticis offerebantur, minuto autem ait ob inopiam. *L.*

138. *Farre.*) Plin. *lib.* 18. *cap.* 2. *Numa instituit*

Deos fruge colere & mola salsa supplicare, & far torrere. L.

138. *Exornare.*) Alii legunt *exorare*, id est coronatum floribus precari. *L.*

139. *Figam aliquid.*) Constituam, componam, habeam meæ senectutis præsidium, ne mendicare cogar, i. Fixum aliquid, vel certas divitias vobis adjutoribus acquiram, ne res meæ in senectute ad baculum (*zum Bettelstab*) tegetem & mendicitatem redigantur. *A.* & *L.*

140. *A tegete.*) a mendicitate. Varro *de re rustica*: *Sicque fiunt de cannabino, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, testes, tegetes, quæ e fundo sumi non poterunt.* Nonius Marcellus. *Au.*

140. *Viginti millia.*) Quando ego viginti millia fœnoris loco mihi comparabo, & hoc pignoribus a debitoribus mihi repositis, ut tutus & certus de solutione sim! *L.*

143. *Locata.*) i. Sub me *locata*, vel *locata* i. accommodata. *Die mir ihre Schuldern leihen.* L.

145. *Curvus cælator.*) Præterea sint mihi servi argentarii. *Curvus*, cum enim laborat, se incurvat, vel *curvus*, qui assiduus in opere sit. ridiculum votum, quo notat stoliditatem Nævoli. *L.*

145. *Et alter Qui multas facies.*) Ut sunt plastæ, qui ex uno Archetypo brevi tempore multas facies conficiunt. Vel pictorem qui velocissime aliquid pingit. *L.*

146. *Sufficiunt hæc.*) Voluit plura exoptare, sed reprehendit se inquiens, quando ad paupertatem redactus ero, hæc, quæ petii, sufficient, quibus paupertatem meam solari possim: Vel ita sufficiunt hæc, quorum tamen nihil consecuturus sum: Cum fato mihi injunctum sit, ut pauper sim. Et sic *quando* idem valet, quod quoniam. *A.* & *L.*

147. *Votum miserabile*) hoc meum est. Introducit eum ingemiscentem huic voto. i. Preces hæ meæ adeo miserabiles sunt, ut ne sperare quidem possim, me voti compotem futurum, aut hæc consecuturum. *L.*

148. *Pro me.*) *me ἐμφατικῶς.* *L.*

150. *Remige surdo.*) Atque ita ego quoque hujus Satyræ scopulos prætervexi, & tu quisquis lector futurus es, non tam aures huic turpitudini occlude (nihil enim cognovisse nocet, quæ cognita sæpe magis vitantur, quam ignorata) quam interiores illos animi recessus, qui si puri erunt, vel inter medios scortorum, Draucorum, & Pathicorum greges, ab omni turpitudine tutus & immunis es futurus, idque des operam, ne hinc pejor, sed melior evadas, id est, ut & initio dixi, ne aliena hinc vitia discas, sed tua emendes. *L.*

Ad Satyram X.

OMnibus.) Pulcherrimæ hujus Satyræ (*Si modo Satyram liceat dicere, quam doctiss. Dan. Heynsius in annotationibus ad Horatium, ex albo Satyrarum tollere laborat, quo Juvenalem Flacco collatum elevet. Sed de ipsis Poetis tanti viri pace acquiesco assentioque judicio clariss. viri Jul. Cæs. Scal. Hypercrit. cap. 6. Hoc certe poemate, insigniatur quolibet nomine, nihil usquam illustrius, nihil utilius, non dico apud Horatium, sed ne apud Platonem quidem, Xenophontem, Senecam aut Epictetum.*) argumentum sumtum est ex Platonis Alcibiade secundo. Videtur etiam ante oculos habuisse Persii secundam Satyram, & illud Socratis *de Votis*, referente Val. Max. *lib* 7. *cap.* 2. Est enim absolutissima hujus Satyræ Propositio, in qua Poeta docet vota mortalium prope exsecrationes esse, qui divitias, honores, eloquentiam, gloriam bellicam, longam vitam, pulchritudinem a Diis precantur, quæ tamen plerunque votorum compotes pessundent. Verum petendam esse bonam mentem, cætera Deo permittenda, qui novit, quid cuique conveniat. F. Seneca Epist. 54. *Res fallunt, illas discerne, pro bonis mala amplectimur, optamus contra id, quod optavimus, pugnant nostra vota cum votis, consilia cum consiliis.* M. Cicero etiam *lib.* 1. de finibus ait: *Ignoratione rerum bonarum & malarum maxime hominum vitam vexari.* M.

1. *A Gadibus.*) hodie *Calis Malis* seu *Cadix* dicta, quam Insulam cum America nondum detecta esset, extremum versus occasum noti orbis terminum antiquitas credidit, & mundi metam. Statius:

— *Solisque cubilia Gades.* L.

3. *Vera bona.*) Quæ animi tantum sit virtus, justitia & vitæ integritas & honestas, quæ Plato illa vocat, *quæ fracta nave cum possessore enatare possunt*: & quæ Stilbon indicavit, de quo Seneca in Epistola. 9. *Stilbon capta patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex incendio solus publico, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio nunquid perdidisset: Omnia inquit bona mecum sunt. Ecce vir fortis & strenuus ipsam hostis victoriam vicit. Nihil, inquit, perdidi, dubitare eum coegit an vicisset: Omnia mea mecum sunt, justitia, virtus, temperantia, prudentia. Hoc ipsum, nihil bonum putare, quod eripi possit.* Simile de Biante refert Cicero: *Cujus cum quidam patriam Prienam vicisset hostis, ceterique ita fugerent, ut multa de suis asportarent; cum esset admonitus a quodam, ut idem ipse faceret: Ego vero, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto.* M.

5. *Illis multum diversa.*) i. Mala, quæ bono contraria, & sæpe tamen bona apparent. Zeno ait, nihil malum, nisi quod turpe, & vitiosum. i. Illis bona contraria. *L.* & *A.*

3. *Remota Erroris nebula.*) i. Ignorantiæ, cum ex errore opinamur, bona esse, quæ mala sunt, propter quam, ut Seneca & Plato ajunt, εὐχαὶ nostræ ἀραὶ, *vota nostræ sæpe sunt exsecrationes.* Vide Platonem Alcibiade 2. unde totum hujus Satyræ argumentum desumtum est. Ubi ait Plato: *Et quod deterrimum est, ob eam ignorantiam pessima nobis quandoque precamur, quod nemo putaret.* M.

4. *Erroris nebula.*) quam Persius vocat, *veteres aviæ.* L.

5. *Quid tam dextro pede concipis.*) Alii (teste etiam *V.*) *concupis.* i. Quid tam dextero aut prospero auspicio a Diis petis, & concupis, ut non olim tuæ petitionis & voti te pœniteat? Dextra cum erant Numina, favere credebantur, læva contra. Nam multi optant, quæ cum consecuti sunt, experiuntur sibi nocere, & tum demum vota sua damnant. *L.*

6. *Pœniteat.*) Socrates *in secund. Alcibiad.* Platonis; *Brevi post tempore præterita vota damnant, & ad priora recurrunt.* L.

7. *Ipsis.*) Dominis, ut Neptunus exauditis Thesei votis de Hippolyto. vide *vs.* 15. seq. *L.*

8. *Dii faciles.*) Ad largiendum & obsequendum. Satyrice ad mala peragenda, vel quia stultas preces audiunt faciles, i. ad dandum & audiendum prompti illa, quibus se & pleraque præcipitant. *I.*

8. *Nocitura toga.*) pace, & bello petimus, quæ nobis noceant. Togam enim pro pace posuit. Seneca Epist. 109. *Sed magna illa, in quibus honores anniversarios petunt, alii perpetuas potestates, alii bellorum eventus prosperos, triumphosque, alii divitias, alii matrimonia ac liberos: alii salutem suam, suorumque.* Et postea: *Quanti animi res est, solum nihil petere, nulli supplicare, & dicere: nihil mihi tecum, fortuna, non facio mei tibi copiam.* Hinc alibi ait, *inter exsecrationes parentum excrevimus.* L.

8. *Toga.*) i. in dignitatibus togatis. Tertull. *lib. de Pallio*: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro, non judico, non milito, non regno, plus togæ læsere rempublicam, quam loricæ.* Au.

9. *Et torrens.*) sua facundia multis exitium attulit. Sic apud Senecam:

Sæpe in magistrum scelera redierunt sua. L.

9. *Torrens.*) abundans, & fluens eloquentia. Sic dicimus *Oratio fluens*, ut & Homerus de Nestore:

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *I.*

12. *Sed plures.*) Arist. *lib.* 1. *cap.* 1. Ethic. *Quidam ob divitias, quidam ob fortitudinem periere.* Apul. *Immodicæ divitiæ velut ingentia, & enormia gubernacula facilius mergunt, quam regunt.* L.

12. *Nimia cura congesta.*) Non sine vitæ periculo sæpe. *L.*

13. *Strangulat.*) Opprimit; suffocat. Sic Diogenes Cynicus in Epistola ad quam ad Chrysen: Μίδου τὴν κακίαν ζηλώσας, λιμώττων πλουτεῖς, βρόχοις ὥσπερ, χρυσοῖς ἀπαγχόμενος. *Midæ regis miseriam imitatus, esuriendo ditescis, ut laqueo, sic auro strangulatus.* Hoc enim Poetæ per Midæ fabulam notarunt, cui cum etiam cibus in aurum conversus esset (cum ex voto nuncupasset, ut omnia quæ tangeret, aurum fierent) eo postea strangulatus est. *L.*

13. *Strangulat.*) Notat autem veteres paucis bonis rectius vixisse, & beatius: Nunc magnis opibus male & misere vivi. Comparat autem census magnitudinem cum duabus immanibus belluis, ut ostendat in his esse temeritatem & fortunæ impetum. *L.*

15. *Igitur &c.*) ad magnos census & divitias: nulli vero ad domos pauperum. *L.*

16. *Magnos hortos.*) Quos Nero ipsi dedit, & Seneca præceptore occiso postea rursus abstulit. *L.*

17. *Obsidet.*) ut Lateranus comprehendatur, & ne qua aufugiat. *L.*

18. *Tota cohors*) militum Neronianorum. i. Miles percussor raro ad pauperes mittitur. *L.* Militum percussorum ab Imperatore missorum ad interficiendum Lateranum. *Illo propinqua vespera tribunus venit, & villam globus militum sepsit.* Tacit. 15. Annal. *F.*

19. *Pauca licet portes.*) licet medica tibi sit res familiaris, metuis tamen impetum militum, a Tiberio missi ad proscriptionem tuam, alicujus latronis vel raptoris gladium vel longam hastam. Recte ergo Menander πλοῦτον δειλὸν κακόν, *divitias anxias & solicitas esse* dixit. Unde innuit illas non esse appetendas. *L.*

19. *Puri argenti.*) Ad extenuationem dicit, non enim illud tanti, quanti cælatum Emblematis. *L.* Turneb. *Advers.* 29. 1 L.

23. *Prima vota.*) Notavit idem Horatius:

O si urnam argenti fors qua mihi monstret!

Et Persius:

— *O si*

Sub rastro crepet argenti mihi seria!

23. *Cunctis notissima templis.*) Ut quæ in omnibus templis ad Deos concipiuntur, & quorum templa sunt conscia, qualia erant quæ ob turpitudinem cum murmure & susurro ad Deos concipiebantur. Persius:

Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros

Tollere de templis & aperto vivere voto. L.

24. *Divitiæ ut crescant.*) Inter divitias & opes distinxisse videtur Cicero in Lælio: *Expetuntur divitiæ, ut utare; opes, ut colaris; honores, ut lauderis.* L.

24. *Ut maxima toto &c.*) i. Ne quis civium Romanorum nobis sit ditior. nam in foro Trajano Senatores & ditiores arcas habebant, in quibus argentum & pecuniam deponebant, ut ab incendio tuta esset. Unde & locus ille, in quo arcæ erant positæ, *Opes* dicebatur. *L.* Vid. *Sat.* XIV. 260. *F.*

24. *Sed nulla aconita.*) Seneca in *Hercule Oetæo*:

Pectora pauper secura gerit
Tenet e patula pocula fago:
Sed non trepida tenet illa manu.
Carpit faciles vilesque cibos,
Sed non strictos respicit enses:
Aurea miscet pocula sanguis. L.

27. *Ardebit.*) nam in inauratis poculis liquor quasi ardentem lucidam flammam imitatur. *L.* vel *ardebit* veneno. *F.*

28. *Laudas.*) ut sapientes, qnos suæ ætatis homines dementes esse existimarunt. Vide Epistolas Democriti & Hippocratis. *L.*

28. *De Sapientibus alter.*) Democritum Abderitam intellige, cui cum objectum esset, quod semper rideret, respondit: Ego tantum rideo hominem ignorantia plenum, & recte factis omnino vacuum, qui omnibus cœptis puerascens superfluis & nocuis laboribus se conficit. Hujusmodi vanitates, quibus homines jugiter implicantur cum aspicio, risus subinde oboritur. Vixit ille annos 109. teste Laertio. Vide de illo mira apud Suidam. *M.* Lucian. *βίων πρᾶσις*, Anthol. l. 1. c. 12. & l. 3 c. 33. 34 *F.*

30. *Flebat contrarius.*) Heraclitus Ephesius notatur, qui semper hominum dementiam deflebat, contrario risui adfectu, quod & Græcum Epigramma testatur. Alii Anacharsidem Scytham, qui & ipse hominum vanitatem semper deflesse dicitur, intelligunt. Alii Diogenem Cynicum. Sed nulla hi vera opinione ducuntur. *L.*

33. *Perpetuo risu.*) i. Democritus suo tempore semper ridebat, quo homines tamen longe melius vivebant, & quo nondum vestium & ornamentorum tam ridicula vanitas erat. Quanto magis risisset nostro tempore. Horat.

Si foret in terris, rideret Democritus.— L.

35. *Prætexta.*) Hujus usum Tarquinius Priscus invenit & Romæ intulit. Erat autem nobiliorum, & erat toga palmata, cui purpura prætexebatur, quam variis coloribus distinctam Democritus haud dubie risisset. *L.* Prætexta dicebatur ea toga, cujus ora & circuitus purpura prætexta erant: *bordered with purple gardes.* F.

35. *Trabeæ.*) Regum vestes purpureæ albæ. Erat etiam trabea toga augurum e cocco & purpura. *M.*

35. *Tribunal.*) Unde Prætor judicat, & sententiam dicit: Pedianus *lib.* I. Verrinarum ait: *Subsellia sunt Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum & hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in selliis neque tribunalibus, sed subselliis considebant.* Ille ergo inter subsellia & tribunalia distinguit. *M.*

37. *Medii sublimem.*) In media hominum corona in circo spectantium, in sublimi curru stantem & spectantem. *L.*

38. *In tunica Jovis.*) triumphali veste, quam ex templo Jovis sumtam induebant, ut indicat Liv. *lib.* X. *J.*

38. *Togæ pictæ*) acu, Phrygionum arte, quæ pendebat ex humeris prætoris. *L.* ex jam ab Homeri tempore in usu. *V.*

39. *Serrana aulæa.*) i. Purpurea & Tyria. Tyrus enim *Serra* olim dicta. *Aulæa* dicit Satyrice, quod tantum paterent, tamque amplæ & sinuosæ essent, ut aulæa, id est, vela regia videri merito possent. *L.*

41. *Publicus*) servus, Sunt, qui intelligant de Prætore vel consule in publico quasi triumphante. Nota heic Prætorem & consulem pro eodem accipi. Nam, teste Pediano, *Consul* olim *Prætor* dicebatur, & veteres etiam omnem magistratum, cui paret exercitus, Prætorem dicebant. *L.*

41. *Et sibi consul.*) Præfiscine ad exorandam Nemesin, comite assidua rerum lætarum & ὑπερόγκων, triumphantibus a tergo in eodem curru adstabat servus publicus, qui coronam illam auream immensi ponderis & amplitudinis sustinebat, & simul attendere triumphantem jubebat ad ultimi supplicii instrumenta currui appensa, tintinnabulum se & flagellum, atque subinde interclamabat: *Respice post te, hominem te esse memento.* F.

44. *Niveos ad frena.*) Circum equos & currum triumphantis. *L.*

46. *Quos sportula.*) Signanter, non amor verus, sed sportula. *A.*

47. *Tunc quoque.*) Emphatice dictum, cum scilicet homines longe prudentiores & longe rectius viverent. *L.*

48. *Cujus prudentia.*) Digreditur in laudes Democriti. i. Democritus ex Abdera Thraciæ obscura urbe oriundus ostendit viros inclytos ubique posse nasci juxta Senecæ illud: *Potest etiam ex angulo vir magnus prodire.* Dependet autem hoc ex stomacho præcedentis Satyræ octavæ, quam scripsisse Juvenalem quidam censent, ut ignobilitatem suam, quæ ipsi erat objecta tutaretur. *L.*

49. *Magna exempla*) Virtutis, Prudentiæ, Fortitudinis. *L.*

50.

50. *Vervecum in patria.*) Apud Megarum aut Abderam Democriti patriam. Ostendit ergo Democritum inter stultos sapientissimum natum. *Vervecum* dicit, quasi inter homines rudes & verveces. Est autem vervex mas inter oves sine testiculis. Positum heic pro homine simplici ac rudi. *L.* Plaut. *Ain vervecum caput?* F.

50. *Crassoque sub aere.*) qualis erat in Bœotia. Porro ex cœli vitio etiam ingenia solent æstimari. Seneca Epist. 68. *Potest ex casa vir magnus exire, potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus & magnus.* M.

51. *Ridebat curas.*) quasi in sublimi beatitudinis arcis specula constitutus esset, unde vana hominum studia, errores, & labores intueretur & derideret. *L.*

51. *Curas.*) Contentiones de rebus nihili, cum homines perturbationibus detinerentur, ob res vanas & ridiculas. Nam ipse Democritus homo sapientissimus nulla externa re commovebatur, neque ulla ratione Fortunæ sui faciebat copiam. *L.*

51. *Nec non &c.*) Pleonasmus. Idem valet quod: & quoque. *L.*

55. *Genua incerare.*) Ita dicit novo vocabulo: nam vota, ut quidam censent, insculpebantur aut inscribebantur in cera in genibus statuarum. Incerabant autem Deorum genua, qui votum susceptum signabant, seque voti reos constituebant. In genibus autem misericordiæ situm putabant, unde dicimus, ad genua alicui supplicem accedere. Et ἐν γούνασι θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. Hæc adhuc in Deorum genibus sita sunt. Imitatur hoc Prudentius, cum ait:

— *Genua incerare Dianæ.* L.

Non cereis candelis oblatis illinere (ut *A.*) inquit Turneb. 30. 19. Sed concepta vota & in tabulis conscripta Deorum genibus genibus cera obsignata figere. *Idem* 1. 17. ἐπισφραγίζεσθαι. Philostratus in Heroicis. *F.*

56. *Subjecta potentia.* &c.) Verissime dictum. Unde Seneca de potentibus: *Et cum in populos prodire parant, comes invidia est.* L.

57. *Longa atque insignis.*) Forte intelligit stemmata, proavorum honores, generis rationem, & res gestas continentia. *L.*

58. *Descendunt statuæ.*) Damnatorum tyrannidis, læsæ majestatis, vel gravis alicujus criminis, eradebantur Fastis nomina, frangebantur statuæ, idque decreto Magistratus vel populi furore. Tac. *6. Ann.* Plin. *Panegyr.* *L.*

60. *Et immeritis.*) Equis ex ære conflatis vel ex saxo sculptis currum triumphalem trahentibus. Ridicule & Satyrice dixit: quasi ænei illi equi immerito pœnam & scelera Sejani domini sui luant. *L.*

62. *Crepat ingens Sejanus.*) i. Magna statua imo ingentis illius Sejani in fornace cum crepitu resolvitur & liquescit. Et hoc Satyrice dictum. *L.*

63. *Secunda.*) Fuerat enim collega perpetuus Imperatoris, eique secundi honores habebantur, *facili Tiberio, atque ita prono, ut socium laborum, non modo in sermonibus, sed apud patres & populum celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum sineret.* Tac. Annal. 4. *F.*

65. *Pone domi lauros.*) mores populi & multitudinis plebejæ accurate depinguntur, quæ sese eo inclinat, quo se fortuna. Et recte Græcus:

Λάων μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος. *L.*

65. *Sejanus ducitur unco.*) Hoc quod ait *Ducitur*, ad superius *duc* est referendum, ut sit sensus: Sejanus antea collega Imperatoris triumphans candidum bovem sacrificaturus ducebat, nunc ipse unco ducitur. *L.*

67. *Quæ labra.*) *Hæc inter se populus in horas mobilis*: Quisnam illi, cum occideretur, vultus? *F.* Ita ait populus a spectaculo tam tristi & crudeli reversus, occiso Sejano insultans, ut ita omnem suspicionem amicitiæ Sejani amoliatur. Quo etiam sequentia pertinent, cum ajunt: *Nunquam, si quid mihi credis, amavi hunc hominem*, Hanc vulgi infidelitatem & mutabilitatem eleganter expressit Seneca:

Tu, quicunque es, qui sceptra tenes
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset,
Cum tot populis stipatus eas
In tot populis vix una fides. L.

70. *Indiciis.*) Alii legunt *indicibus*, qui illi sunt, qui conscii sceleris alios accusant. *L.*

71. *Verbosa.*) Minis plena. *V.* Vel quia Tiberius vanior, multa superflua ad suos scripserit. *L.* ἀπεγνωσμένη ἐπιστολή. ἦν δὲ μακρά. Dio. *lib.* 68. *F.*

72. *Bene habet.*) Respondet jam prior ille, qui ante de ratione condemnationis interrogaverat, se jam omnem rem tenere. Sic Græci, καλῶς ἔχει. *V.*

73. *Turba Remi.*) ita legitur in antiquissimo Cod. *V.* Sic δῆμον Ῥέμου Diodoro in *Anthol. lib.* 1. *F.* Non placet vulgata lectio: *Turba tremens* vel *fremens*. *Tremens*, Amicorum Sejani (sic explicat & legit *M.* qui tamen testatur in antiquo textu legi *fremens.*) *Fremens*, quasi in gratiam Imperatoris, ne Sejano favisse videretur, infremuerit supra Sejani scelus & facinus. Alii legunt *tremens*, & intelligunt vel Sejani amicos, vel scoptice hoc dici in ignaviam populi. *L.*

37. *Sequitur Fortunam.*) Innuit quam fluxa pariter & perniciosa res sit potentia. Ovid.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cæsar: *Plerumque in calamitate ex amicis inimici existunt.* Cicero: *Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt frigore pulsæ recedunt. Ita falsi amici sereno vitæ tempore*

tempore præsto sunt, simul atque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes. L.

74 *Nurscia.*) Peculiaris Volsciniensium Dea *Northia*, vel, ut libri meliores, *Nurscia*. L. legi Codd. fide dignos, qui *Murcia* habent, q. d. si Sejanus paullo magis otiosus fuisset, nec adeo avidus gloriæ. *V.*

77. *Suffragia vendimus.*) Lucan. *lib.* 1.

Sectorque favoris
Ipse sui populus letalisque ambitus Urbi
Annua venali referens certamina campo. M.

78. *Effugit curas*) electionis & comitiorum, quæ permittit Imperatoribus. Creandorum quippe Consulum comitia ad se transtulere Imperatores, exemplo Julii Cæsaris comitia cum populo partiti, & alterum Consulem creantis. *F.*

80. *Continet.*) Otium agit, securus est. Contentus est, dummodo habeat, unde vivat, & ludos Circenses spectare possit. *Lebilsst sich, und lest gut wetter sein.* L.

81. *Panem & Circenses.*) *Panem*, congiaria, sportulas (& *Panem* in antiquis Codd. legit *V.* quamvis præferat *Pan.*) ad victum. & voluptatem e ludis Circensibus. Hæc vera lectio. Tacitus: *Vulgus, cui una ex Rep. annonæ cura.* L.

81. *Pannum.*) quem nempe aurigæ victores tollerent, vult legi *M.*

82. *Magna est fornacula.*) Dicunt interpretes (ut *V.*) *fornacem* pro ira æstuante poni, quasi dicat: In multos Tiberii Imperatoris ira, qua noxios puniat, quæ & magna est & æstuat, incensa est. Non desunt, qui per *fornaculam* intelligant fornacem ad noxios exurendos a Cæsare constitutam. Videtur autem rursus ludere antithetis & contrariis, cum ait *magna fornacula.* L.

89. *Pallidulus mi.*) i. ille amicus meus præ timore pallidus est, metuens ne forte & ipse Imperatori tanquam amicus Sejani suspectus sit. Hunc Brutidium ait Tacitus *artibus honestis copiosum fuisse*, qui etiam, teste Seneca, *Rhetor & Historicus fuit non sine laude.* L.

84. *Quam timeo victus.*) Vereor ne Brutidius, quem modo conveni pallentem ex male conscio animo vel metu Principis, quod amicus esset Sejano, se interficiat, ut Ajax. *vel*, Quam timeo, ne Tiberius male se a Senatu defensum arguens in Senatores & cives cæde ruat, non sanius quam Ajax ille Sophocleus in pecudes, in quas veluti plebem & proceres Græcorum gladio & flagello sæviit. *F.*

85. *Ut male defensus.*) Per Brutidium ad Brutos libertatis Romanæ vindices quidam Auctorem nostrum volunt respicere, ut hic sit sensus: Metuo ne Brutidius tanquam Brutus Rempub. in pristinam libertatem revocare volens ab Imperatore injuste condemnatus de se, ut Ajax, supplicium sumat; Verum rectius meo judicio hæc de Tiberio intelliguntur, id est: Timeo ne Tiberius se a senatu male defensum dicat, & Sejani scelera non satis punita esse, & deinde, ut furiosus Ajax in quosvis crudeliter sæviat. Vel ita: Valde metuo, ne Imperator Tiberius pœnas sumat a multis Senatoribus & civibus Romanis, a quibus non satis defensus sit, ut qui Sejanum non satis punierint. Ut Ajax male a Græcis defendebatur, qui tamen potiorem caussam habebat. Quicunque autem nece Sejani offensi erant, & majestatem Imperatoris non satis defendissent, illi puniebantur. *L.*

86. *In ripa.*) Insepultus. καὶ αὐτὸν ὁ ὅμιλος τρισὶν ἡμέραις ἐλυμήνατο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνέβαλε. Dio. *lib.* 58. *F.*

97. *Sed videant servi.*) ἄρχων γὰρ μόνοι περὶ κατηγορίαν ποιεῖ, τί τοῦ Σειανοῦ φίλον ἢ γεγονέναι ἢ δόξαι. Xiphilin. Tiberius. *Delicta fuere Nexus amicitiæ*, ut ait Claudian. in Ruffin. 2. *F.*

89. *Secreta hæc murmura.*) Hujusmodi tacite & secrete populus inter se murmurabat. Iterum populi ignaviæ & timiditati insultat. *L.*

90. *Visne salutari.*) Hinc est, quod Seneca ait:

Tum sibi felix pauper habetur
Quando felices cecidisse videt. L.

91. *Atque illi sellas.* &c.) *Neque senatorio ambitu abstinebat, clientes suos honoribus aut provinciis ornando.* Tacit. Annal. 14 sic de Ruffino Claudianus:

Institor Imperii, caupo famosus honorum. F.

92. *Tutor haberi principis.*) Vicarius Imperatoris esse, ejusque munera obire, dum Capreis in secessu otium agit cum Mathematicis, i. Appellari protector quasi & defensor Tiberii Cæsaris absentis. *L.*

93. *Angusta Caprearum in rupe.*) Sic legit *M.* & *A.* Vel potius lege *Augusta*, quasi dicat transferentis sedem Imperii a Roma ad Insulam Capreas. Heraldus vero vult *sedentis* intelligi de *sellaria*, quam excogitavit Tiberius arcanæ libidinis sellam Sueton. Tib. *cap.* 34. vide & Torrentium ad locum dictum Suetonii *F.*

94. *Cum grege Chaldæo.*) Thrasyllum intellige, cujus monitis imprimis, teste Suetonio, obtemperabat. Illum autem consulebat timidus & meticulosus, quod & ex ejus Epistola colligitur. cujus principium est: *Quid scribam patres conscripti? aut quomodo scribam? Hoc tempore, Dii me Deæque perdant, quem quotidie perire sentio.* L.

94. *Vis certe, pila, cohortes.*) Alii (ut *M.*) legunt *certæ pila cohortis.* i. Primipilum ducere, primi ordinis ductorem esse, & primum centurionem. Et sic gubernatio alicujus certæ & specialis cohortes potest intelligi. Nam in legione erant cohortes decem. *L.* Scio te velle primipilatum, vel ἡγεμονικῶς, Vis primipilatum, *vel* legionis præfecturam, pilum peditum Romanorum hastile erat missile, cohors decima legionis pars. *F.*

94. *Pilas*) Erat *Pilum* missile, ferro triangulo, uncia

unciarum 9. hastili pedum quinque cum semisse. Hisce missilibus utebatur pedestris exercitus. *L.*

95. *Castra domestica.*) Prætoriana, quæ primus ad muros urbis non procul a porta Viminali posuit Sejanus. *Dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, &c.* Tacit. 4. Annalium. *F.*

97. *Sed quæ præclara.*) Quid juvat tanti æstimare bona, si cum his & mala veniant. Plautus Amphit. *Ita Diis placitum, voluptati ut mœror comes consequatur.* Mallem ergo heic legere: *par est* i. Cum par vel æqualis est, licet vulgata lectio: *ut sit*, i. cum sit, etiam retineri possit. *L.*

103. *Ergo quid optandum.*) Sejanus seipsum ad summum honoris culmen evehebat, ac sibi ipsi numerosas & multiplices contignationes & tabulata in excelso honorum fastigio exædificabat, unde graviori casu decideret. *L.*

107. *Impulsæ ruinæ.*) violenter illatæ, & ad casum impulsæ & concussæ, unde esset immane præcipitium, vel ingens spatium, per quod præcipitatur & ruat. Nam *præceps immane*, hic est sublime præcipitium. *L.*

108. *Crassos.*) M. Crassum patrem, ejusque filium a Parthis trucidatum. Vide Plutarchum. Appianus scribit, *gloria belli gerendi elatum Crassum, ut ad Indicum penetraret oceanum, & aurum Parthicum raperet*, bellum injuste in Parthos movisse. Cui victo illi eliquatum aurum, tanquam qui aurum sitiret, capiti infuderunt. *L.*

108. *Et illum*) Syllam aut Julium Cæsarem, aut etiam Augustum, cui ex somnio Ciceronis Juppiter flagellum tradidit. vide Suetonii August. *cap.* 94. F.

109. *Flagra.*) Imperium, dictaturam perpetuam, imminutam libertatem, imo amissam. Namque libera manente civitate, civem Romanum virgis cædi nefas, nedum flagellis. *F.*

109. *Domitos Quirites.*) Romanos cives in servitutem redactos. *L.*

110. *Summus nempe locus.*) Respondet jam Poeta ambitionem, & nimiorum honorum studium exitio illis fuisse, & numina vel Deos malignos & malevolentes, qui nimium indulgentes, promti & faciles illorum vota exaudierint. *L.* honorum culmen, regnandi cupiditas. hinc D. Gregorius: *Duo perdunt homines, culmen dignitatis, & magnitudo peccati.* Au.

110. *Nulla non arte.*) Omnibus modis & rationibus, omni astu, studio, & labore quæsitus, etiam per scelus & injustitiam. Nam ut ille ait:

Si jus violandum, regni gratia
Violandum est, cæteris rebus pietatem colas. L.

113. *Descendunt.*) Quia revera illi ad inferos descenderunt, & tali ἀποθεώσει in cœlum sublati sunt, de quali ait noster Sat. 6. de Claudio:

— Tremulumque caput descendere jussit
In cælum. L.

114. *Eloquium & famam.* &c.) contra omnes interpretes & Ang. Politianum Miscell. *cap.* 21. contendit Jacobus Nicolaus Loensis intelligi hic ipsum Magistrum, qui jam primum aperuerit ludum, uniusque discipuli prima stipe Minervæ consecrata, sperata & optare audet eloquentiam summorum Oratorum. Miscellan. Epiphyll. *lib.* 2. *cap.* 13. *F.*

116. *Uno asse.*) Scoptice & invidiose in Romanos dictum. i. Exiguo admodum precio & mercede, de quo dictum Sat. 7. q. d. Tantillo jam comparari potest eloquentia & sapientia. Parum enim præceptoribus dabatur. *L.*

117. *Custos capsæ.*) Ulpian. in. *l. si collectaneus.* 14. *de manum. vind.* ait, *Vel capsarius, id est, qui portat libros.* Au.

120. *Ingenio manus est.*) Innuit Poeta hoc factum non fuisse, si Cicero exiguus rabula & vilis caussidicus fuisset, & tantum eloquentia non valuisset. Porro Fulvia Antonii uxor caput Ciceronis intra genua detentum sputo fœdavit, ejusque linguam ex ore extractam, qua toties ante in maritum suum Antonium invectus erat, aciculis pupugit. Odii caussa inter multas alias & hæc non postrema fuit, quod Cicero Lentulum cum aliis in conjuratione Catilinaria supplicio in carcere adfecerat. Cui Lentulo nupta erat Julia ex Cæsarum familia, & ipsius Antonii mater. *M.*

120. *Nec unquam.*) Quippe

Minus in parvo fortuna furit,
Modicisque rebus longius ævum est. L.

122. *O fortunatam.*) De hoc versu ait Turnebus *lib.* 7. *cap.* 19. Adversf. *Neque vero est, cur a Quintiliano lib.* 9. *cap.* 4. *vel a Juvenale Sat.* 10. *versus irrideatur ob iterationem earundem Syllabarum. Hoc enim veteres in deliciis habebant, ut eo loco locuti sumus.* Virgil. 3. Æneid.

Tales casus Cassandro canebat.

Hanc figuram posteritas fastidiit, & ex suo fastidio, ea quæ de industria, ut venusta adfectaverant antiqui, aspernata est. Quæ tamen multis in rebus ineptius lasciviit, & lusit, ut merito, in quibus se circumspicit, interdum a seriis & intelligentibus irrideri mereatur. L.

125. *Conspicua famæ.*) Nobilissima & omnibus numeris absoluta. Huc enim contulit, quidquid ingenii, quidquid eloquii habuit. *L.*

125. *Philippica.*) Demosthenes in Philippum Regem Macedoniæ multis actionibus, quæ etiamnum exstant, invectus est, quas Philippicas inscripsit, quem

æmulatus est Cicero, & Orationes, quas in M. Antonium scripserat, Philippicas inscripsit, cum proprie Antonianæ dicendæ fuissent. Porro inscriptionis illius malum omen in Cicerone fuit, nimirum qui Demosthenis inscriptionem imitatus, eundem etiam ex eadem caussa vitæ finem cum Demosthene sibi contraxit. *L.*

128. *Moderantem frena Theatri.*) Metaphorice, cohibentem vulgi tumultum. Tacitus *Hist. lib.* 2. *Antiochensium theatrum, ubi illis consultare mos est.* Just. *lib.* 22. *Agathocles velut reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* Au.

131. *Luteo Vulcano.*) Non de luteo colore vel russo intellige. Sic enim prima syllaba produceretur. Sed *luteo*, i. lutoso, deformi, obscœno, nigro. Fabri enim plerunque vultu fuligine ac fumo nigro & deformi sunt. *A.* & *L.*

133 *Tropæis.*) Monimentis τῆς τῶν ἐχθρῶν τροπῆς. quo enim loco hostes fusi se in fugam converterunt, in tumulo stipitibus affixa erigebantur spolia. *F.*

134. *Et fracta de casside.*) omnia enim fracta & trunca tropæis solebant adfigi. *A.*

135. *Curtum temone jugum.*) Nam solebant veteres curribus confligere & prius tamen equo fuit certandi consuetudo. Lucretius:

> *Et prius est armatum in equi descendere costas,*
> *Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere;*
> *Quam bijugo curru belli tentare pericla,*
> *Et quam falciferos armatum ascendere currus.* L.

136. *Aplustre.*) Ἄφλαστα Lycophr. aplustria, ornamenta navium, victoriæ navalis monumenta. *Flags.*F.

136. *Humanis majora bonis creduntur.*) majora, quam quæ ab homine in hominem conferri possunt. Quandoquidem triumphans summo Deo æquabatur, in iisdem vestibus sacrificabat, ut supra dixit *in tunica Jovis* & ejus etiam personam gerebat. *A.*

138. *Romanus.*) Ut Sulla, Crassus, Pompejus, Julius Cæsar,

138. *Grajus.*) Alexander Magnus,

138. *Barbarus.*) Xerxes, Darius, Annibal. *L.*

140. *Tanto major.*) Nam omnes virtute relicta famam & gloriam bellicam quæsiverunt. Nihil enim plerique morantur, quomodo ad imperium perveniant, sive per fas, sive per nefas, modo perveniant. *L.*

141. *Quis enim virtutem.*) i. Si honorem, famam & gloriam, quæ virtutis præmia plerique respiciunt, tollas, nemo virtutem curabit. Ovid. *lib.* 2. *de Ponto ad Maximum*:

> *Ipse decor recti, facti si præmia desint,*
> *Non movet, & gratis pœnitet esse probum.* M.

142. *Patriam tamen obruit.*) Sic patriam calamitate oppresserat ambitio Sullæ, Marii, Cinnæ, Crassi, Pompeji, Cæsaris, Augusti, & aliorum. Et hujus rei hodiernum seculum exempla suppeditat notissima. Quidam rex Daniæ prudentissime solebat dicere: *Plerunque omnium bellorum caussam esse pugillum superbiæ.* L.

144. *Hæsuri saxis.*) Contemtim dixit: q. d. inania monumenta & titulum, in quo res gestæ enumerentur, & qui titulus post una cum lapide vel monumento interit. *L.*

144. *Ad quæ Discutienda.*) Notat scoptice stultitiam hominum, qui propter eximiam sepulchrorum inscriptionem tanta pericula & tantos labores subirent, cum illa sepulchra a caprificis disrumpi & frangi possint. *L.*

145. *Mala robora.*) Sunt enim steriles ficus, & nulla in re prosunt. Scindunt autem validissimos muros & saxa, in quibus nascuntur. *L.*

146. *Quandoquidem data sunt.*) Cum tamen monumenta vel sepulchra eo fiant, ut memoriam nostram maxime longam efficiant. *L.* Auson.

> *Miremur periisse homines, monumenta fatiscunt,*
> *Mors etiam saxis nominibusque venit.* A.

147. *Annibalem.*) Hannibalis insatiabilem imperandi cupiditatem, sed miserabilem exitum. *J.*

148. *Mauro.*) Mari Æthiopico & Atlantico. *L.*

149. *Nilo tepenti.*) Ut qui majori sui parte æquatori subjectus est, & Solem ad verticem habet. Unde ob loci & regionis calorem *tepens* dicitur. *L.*

150. *Rursus ad Æthiopum.*) Notatur incredibilis regnandi aviditas in Annibale, qui Hispaniæ quoque imperium populis Libyæ & Æthiopum, quibus imperabat, adjungebat. *L.*

151. *Hispania*) quam Amilcar & Asdrubal primus infestavit, & Annibal demum obtinuit. De hoc Justinus plane in fine: *Universam Hispaniam domuit, inde Romanis illato bello Italiam per annos sedecim variis cladibus fatigavit.* L.

156. *Et media vexillum pono Subura.*) Nisi in signum imperii & victoriæ in nobilissimo illo & populosissimo urbis Romæ vico vexillum pono. Subura nobilissimus erat vicus, ita dictus, quod esset sub antiqua urbe. *L.*

157. *O qualis facies.*) Irridet Poeta vanitatem & deformitatem Annibalis, qui tamen tot & tanta animo agitabat. Mos autem Romæ erat in tabula sæpe deformes facies & distorta ora risus gratia depingere. *M.* q. d. Auctor scoptice. Nimirum tu bene a natura informatus es, qui Romanum etiam imperium tibi somnies. Quam ridicula enim facies tua futura erat, si tu unoculus Getulo al cui Elephanto insidens pingereris. Sic nos Germani dicimus: *Du siehst wol darnach aus.* L.

160. *Atque ibi magnus.*) Scoptice & Satyrice suo morte

more quasi contraria conjungit, *magnus*, *mirandus*, *& cliens*. *Mirandus* revera, qui quidem ante summus dux fuerit, jam *cliens*, & e triumphatore *magno* fugitivus. *L.*

161. *Vigilare.*) Bene ita legitur. Tamdiu sedet ad prætoria Regis mane Regem exspectans, donec illi non amplius dormire, sed vigilare & surgere libeat. Alii legunt *jugilare*, quod tamen non probo. *L.*

163. *Finem animæ.*) qui omnia humana inexplebili gloriæ & potentiæ desiderio, cæde, sanguineque subvertebat, illi mortem inferet, non gladius, non saxa, non tela, sed exigua admodum veneni portio, quam sub palea annuli gestabat in illum usum. *L.* annulus vindex Cannarum, & ultor modii annulorum, quos Senatorum & equitum Cannis cæsorum digitis detractos Carthaginem misit, dabit. *F.*

163. *Miscuit.*) Confudit, perturbavit τὰ ὑπέρτερα νέρτερα, supera infera ponens. *L.*

166. *I demens.*) Insultat jam Annibali, qui jam mortuus ex tot laboribus, tot tumultibus, bellis, cladibus, nihil reliqui habeat, quam ut scholiasticis pueris in Scholis materiam declamandi præbeat. *L.*

166. *Sævas Alpes.*) Horrendas, nivosas, asperas, in quibus transeundis plurimum pertulit. *L.*

169. *Æstuat.*) Quasi in augusto & calido conclavi clausus, in quo vix spiritum possit ducere. *L.*

169. *Infelix.*) Scoptice & ironice, qui mundi tam angustis liminibus inclusus vivere cogatur. *L.*

170. *Ut Gyaræ.*) Vix habet in toto mundo spirandi locum, quasi coarctatus esset brevissima, utque testatur Philo *lib.* in Flaccum, τὴν ἐν Αἰγαίῳ τῇ λυπροτάτῃ insula. *L.*

172. *Mors sola fatetur.*) Egregia sententia, qua Satyrice indicat, solam mortem, quantula sint nostra corpora, quam exiguo illa loco includi & contineri possint quibus vivis, ob animorum inexplebilem aviditatem ne immensæ quidem regiones satis fuerint. *L.*

173. *Creditur.*) quia est historia, quamvis fabulæ similior. *L.*

174 *Et quicquid Græcia mendax.*) Notat obiter vanitatem Græcorum, quæ in suis laudibus admodum verbosa, ut gloriam suam magis amplificaret, incredibilia de immenso Xerxis exercitu scripsit, veris historiis fabulas admiscens, ob id ait Sat. 14. *Si Græcia vera.* M.

187. *Et madidis.*) Credamus illa, quamvis fabulosa, & reliqua, quæ Poeta Sostratus de expeditione Persarum in Græciam scripsit, qui ebrius furore Poetico tanquam declamator prodigiosa argumenta tractavit, & nimis alte volans pleraque mentitur, veritatem & fidem Historiæ excedens. *L.* & *F.*

180. *In Corum.*) Scoptice. Qui ante mari & ventis imperare solebat, & in Corum atque Eurum flagris suis sævire. Vel, qui barbarus & inhumanus tyrannus in miseros ventos, qui ipsius pontem, quo Abydum cum Sesto conjunxerat, septem stadiorum disjecerant. *L.*

183. *Mitius id sane.*) Amara ac salsa Ironia. Mitius & clementius egit Xerxes cum Neptuno, quod illi stigma non inusserit, seu quod hoc non jussit inscribi, neque violentius aliquid in Neptunum statuerit. *Au.* & *L.*

186. *Cruentis Fluctibus.*) Tot militum suorum cæde, quos Themistocles occidit. *L.*

188. *Da spatium.*) μιμητικῶς hæc profert. Seneca: *Quam bene vivas refert, non quam diu.* *L.*

181. *Hoc recto vultu*) Hanc senectutem exoptas omni vitæ tempore, tristis & lætus, sanus & ægrotus. Artabanus Xerxis patruus dicit Xerxi apud Herod. *lib.* 7. *Miserabiliora patimur. Nam incidentes calamitates & morbi vitam perturbant, & efficiunt, ut, cum brevis sit, tamen prælonga videatur. Ita mors est optatissimum perfugium ærumnosæ vitæ.* L.

192. *Deformem & tetrum aspice.*) Tu quicunque es, qui senium tibi exoptas, aspice quæso. Primum incommodum est deformitas. Ait Aristoteles homines senescentes nigriores reddi. Et rationem addit, quia senectus est putredo quædam. *M.*

193. *Et tales aspice.*) vult dicere senis ῥύγχος εἶναι πιθήκειον. *F.*

196. *Plurima sunt.*) Amplificat deformitatem senectutis dissimili a juventute, quod juvenes inter se valde dissimiles sint. In senibus vero nulla sit dissimilitudo. Utpote in quibus omnibus eadem deformitas & imbecillitas. Ob id ait:

Una senum facies. L.

199. *Madidique infantia nasi.*) Vel quod nonnulli ad infantiam redeant, vel quod senibus humor de naribus dependeat, ut infantibus. Hoc superius Satyra, VI. de vetulis dixit:

Jam gravis es nobis & sæpe emungeris, Exi.

Ita autem humor senibus de naribus, ut infantibus de labris dependet. *L.*

201. *Atque adeo gravis.*) Adeo deformis, gravis ac molestus est, ut non solum uxori & liberis suis & sibi ipsi molestus evadat, verum etiam, quod mirens (Scoptice hoc dicit) Cosso hæredipetæ. Porro hi captatores orbis senibus blandiebantur omnis generis officiis, & nihil non tolerabant, etiam gravissima, & intolerabilia. Ob id scoptice notat Cossum, qui licet omnia tolerare possit in senibus orbis, interdum tamen illam deformitatem senum cum tædio fastidiat. Notat obiter Cossum, de quo supra. *L.*

203. *Non eadem vini atque cibi,*) Aliud incommodum, quod nullam amplius ex cibo & potu voluptatem

capiat, cum palatum vel gustandi vis illis torpeat, stupeat, flaccescat, hebescat, & obtundatur senio. L.

208. *Quid? quod merito.*) quod de Tiberio scribit Sueton. *cap.* 44. *Pronior erat ad id genus libidinis & Natura & aetate.* Vide Martial. 50. *epig. lib.* 4. in senibus libido foedissima:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Cic. 1. *Offic. Luxuria cum omni aetate turpis, in senectute foedissima est.* M.

209. *Partis.*) sc. Auditus. *F.*

212. *Et quibus aurata.*) i. Optimi & praestantissimi tibicines, illi enim variata veste induti, & gemmis auroque ornati, per theatrum cantando solebant pervagari. *L.*

213. *Qua parte.*) Sive enim propius, sive remotius sedeat in theatris & spectet, nihil exaudit. Porro digniores & nobiliores in primis sedibus propius spectabant. *L.*

215. *Clamore opus est.*) Si amicus aliquis adveniat, ipsumque salutet, ipsum non videt neque audit, sed ut hoc audiat & intelligat, magno clamore opus est. *L.*

217. *Praeterea minimus.*) Aliud incommodum, quod omni fere calore destituantur, sint exsucci & exsangues. Sic Virgilius:

— *Gelidus tardante senecta*
Sanguis hebet. L.

218. *Febre calet sola.*) Satyrice. Non nisi in morbo vel febri calent, quod quidem est miserrimum. *L.*

218. *Circumsilit agmine facto.*) Aliud incommodum, quod omnes morbi in senectutem confluant, & in senes agminatim incurrant. Plin. *lib.* 7. *cap.* 52. De senecta: *Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae, totiens invocata morte, ut nullum frequentius sit votum. Natura vero nihil homini brevitate vitae praestabit melius. Hebescunt sensus, membra torquentur, praemoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam & ciborum instrumenta.* Studiosius autem senectutem describit Juvenalis suae aetatis taedio. Nam fuisse dicitur 80. annorum. *L.*

219. *Quorum si nomina quaeras.*) Hemistichium Ovidii:

Tot premor adversis, quorum si nomina quaeras,
Icariae numerum dicere coner aquae. L.

220. *Promitiat expediam.*) Locus vere satyricus, in quo quasi aliud agens obiter multos acerrime flagellat, quae primaria Satyricorum virtus est, & in hoc Poeta nostro potissimum elucet. *L.*

221. *Quot Themison.*] Nobilissimus Archiater ejus temporis, quem obiter vexat, quasi ille innumerabiles aegrotos uno auctumno curando occiderit. Porro auctumno morbi & mortes sunt frequentissimae. *L.*

222. *Quot Basilus.*) Quot praefectus ille & spoliator Provinciae Basilus provinciales in societatem Romanorum receptos, spoliaverit. De hoc Lucanus:

Ut primum adversa socios in littore terrae
Et Basilum videre ducem, nova furta per aequor
Exquisita fugae. L.

222. *Circumscripserit Irus.*) Quot pupillos suae tutelae commissos infidelis ille & fraudulentus tutor Hirus deceperit, & defraudarit. Haec omnia tanquam impossibilia profert, quae tamen possibiliora sint enumeratu, quam senectutis morbi. *L.*

223. *Quot longa viros.*) Quot viros una die famosa illa & procera meretrix Maura concubitu exhauriat. Non desunt; qui Mauram lingua impuram notari putent, sed falluntur illi. Caeterum illud *exsorbuit*, vel *absorbuit* non dissimili significatione est usurpatum *Sat.* 6. Quamvis versus ille in omnibus exemplaribus non inveniatur:

Et resupina jacens multorum absorbuit ictus. V. & L.

224. *Quot discipulos, &c.*) Ille infamis magister. *Paedico pullipremo,*

Corrupit totum qui juvenile secus,

Ut cum Ausonio loquar, in Eunum magistrum ita scribente, quot discipulos ille ad stuprum inclinarit, per portentosam illam ἀρσενοκοιτίαν. Sic *Sat.* 9.

— *Atque ipsos etiam inclinare maritos.* L.

227. *Ille humero*) Postquam multos obiter ex obliquo lancinavit, redit jam ad senum incommoda morbosque recensendos. *L.*

228. *Et luscis invidet.*) i. Omnino caecus est, & illis, qui unicum adhuc oculum habent, tanquam felicibus, invidet. Apposite dixit *Invidet.* Invidere enim senum proprium est. Ex quo senibus canes solent adpingere. *L. Luscus*, qui altero oculo caret, qui Graecis μονόφθαλμος dicitur. *J.*

230. *Diducere rictum.*] Paulus & Festus *rictum* ferarum dici volunt, cum Titinnius auctor sit hominis dici debere. Lucilius *Sat. lib.* 3. *Malas tollimus, atque utimur rictu.* Nonius Marcellus; *Animi rictus parvissimus.* ex Varr. Horatius:

Ergo non satis est, risu diducere rictum,
Auditoris. Au.

231. *Ad quem Ore volat pleno.*) Exprimit egregie adfectum maternum, quae ipsa jejunans cibat suos pullos. *A.* Videntur haec rursus sapere contraria: *Mater jejuna, ore pleno.* L.

233. *Dementia.*] δὶς παῖδες οἱ γέροντες. quod quidem omnium longe miserrimum. Plato *Axiocho*: *Quod nisi quis ocyus, velut aes alienum, vitam reddiderit, astans supra caput Natura, tanquam foenerator, reposcit usuram ab aliis visum vel auditum, vel utrumque. Ac si quis diutius cunctetur, debilitat, eum, excruciat, membrisque destituit. Alii repuerascunt. Dii igitur, quos pluri-

plurimum amant, auferunt e vita. L.

236. *Nam codice sævo.*) Sævis, iniquis, & injustis testamenti tabulis suos liberos vetant suam hæreditatem adire illecti a fellatricibus. *L.*

248. *Halitus.*] Tactus oris cum roncho & halitu. Sat. 6. de fellatrice:

I nunc & dubita, qua sorbeat aera sanna Maura.

239. *Carcere fornicis.*) In prostibulo obscuro velut in carcere. *L.*

240. *Ut vigeant sensus animi.*) Alia incommoda subtexit, & occurrit tacitæ objectioni tali: Tamen multi etiam in extrema senecta corpore & animo vigent. Respondet Poeta: Ut maxime vigeant, tamen in longa illa vita multa, quæ nolint, vident, omni morte graviora. Ut mortem filiorum, conjugis, fratris, sororum, & alios luctus, mœrores, ærumnas innumeras. *L.*

242. *Plenæque sororibus urnæ.*) *sororibus, fratris* etiam. illas in plurali dicit, forte quod plures fœminæ & nascerentur & obirent. *A.*

243. *Hæc data pœna diu.*) i. Hoc pœnæ loco datur hominibus, ut sua domus familia, genus, liberi semper novo damno & recenti clade adficiantur, in perpetuo mœrore & luctu ad senium perveniat. Unde sapiens dixit: *Hoc mihi longa vita attulit, ut multa quotidie, quæ nolim, videam.* L.

247. *Exemplum vitæ.*) Quod ad tres ætates hasce attinet, video auctores inter se dissentire. Alii terminant ætatem 30. annis. Homeri Scholiastes: ἰσὶν ὅτι ἐπλῆσαι τὰς γενεὰς ἐψηφίζοντο ἐν τοῖς τριάκοντα. Artemidorus: Ὅθεν καὶ τῷ Νέστορι βούλονται πειθόμενοι τὸ ἐβδομήκοντα ἔτη, ἐν δὲ τῇ τρίτῃ γενεᾷ καὶ εἰς ἐνενήκοντα ἔτη γηράσαι. Et Nicomachus: Εἰκότως τὴν γενεὰν τὴν συμμετρουμένην οἱ ποιηταὶ τοῖς τριάκοντα ἔτεσιν ὁρίζουσι, ὡς ἡ τοῦ πατρὸς ἰδίᾳ. Et Xenophon in Æquivocis: *Ætas apud Ægyptios spatio triginta annorum perficitur.* Et sic non desunt, qui Nestori tantum 90. annos attribuant. Quorum sententia si standum esset, sequentem tertium versum explicare vellem de annorum decadibus, quarum singulas usque ad quinquaginta in sinistra manu per dexteram computarit. Reliquas quatuor a sexaginta ad nonaginta in dextræ manus digitis per sinistram. Sed Auctor noster, cum de vita cornicis loquitur, in altera fuit sententia. *L.*

248. *Nimirum felix.*] Vel serio loquitur ex vulgi judicio, vel Ironice ex sua sententia. Imo vero *infelix*, quod probare vult. *L*

249. *Atque suos &c.*) Huc referendum Epigramma lib. 2. cap. 9. *Anthol.* auctoris Nicarchi de Vetula:

Γραῖαν ἔλεξε Νίκων οὐκ ἐν πρεσβύτησι,
Ἢ Φάος ἀθρήσας' ἔλαφον πλέον, ἢ χερὶ λαιῇ
Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.

(ἀναπεμπάζει Lycophron. de qua ratione Lil. Gyrald. *Dial.* *Ecce avortit nisus læva, dextra digitis rationem computat.* Plaut. Miles. *F.*) Ubi innuit hanc vetulam 1000. annorum fuisse Illa enim semel computarat annos sinistra usque ad centum, postea dextra usque ad mille, postea denuo sinistra, incepit suam senectutem numerare. *L.*

251. *De legibus Fatorum.*] vel nimis longis, vel iniquis, quæ se tanto tempore in miseriis vitam transigere permittant. *L.*

252. *Cum videt acris.*] Cum videt fortem filium suum Antilochum jam grandem & barbatum occisum & rogo ardentem. σκιρτῶμεν ἐπὶ τὸν Ἀντίλοχον ἰουλόεντα μὲν ὑπήνης πρῶτον. &c Philostratus 2. *lib.* Iconum. *F.*

253. *Nam quærit ab omni.*) Interrogat omnes familiares, cur non mortuus sit, ante quam hasce calamitates experiretur. *L.*

257. *Natantem.*) Per maria decennali errore jactatum, *vel* simpliciter e naufragio enatantem ad Calypsus insulam. Odyss. 11.

258. *Umbras Assaraci.*] Reliquiis avi sui fratris fuisset adjunctus, magna universæ urbis Trojanæ solemnitate. *L.*

259. *Assaraci.*] Genealogia hæc est. Jupiter secundus, cui filius fuit Dardanus, cui fuit filius Erichthonius, & huic Tros. cujus filii Ganymedes, Assaracus, Ilus, cui erat filius Laomedon & huic Priamus *F.*

260. *Reliquis fratrum cervicibus.*] Teste Homero, Virgilio, Cicerone quinquaginta illi filii erant, & duodecim filiæ. Quorum omnium fere nomina, & plerorumque gesta vide in Genealogiis meis. *L.*

261. *Et primos.*] Cassandra enim, quia vates erat, futuram patris mortem præsensisset, & ob id prima omnium, & priusquam reliquæ sorores flevisset. *F.*

262. *Scissaque palla.*] Oblonga muliebri veste, ob luctum patris mortui *L.* Cum a Pyrrho ad tumulum Achillis Polyxena occideretur, scidit vestem, genubusque obvolvit, ut decore caderet, Seneca *in Troadib.*

Non parvo luet
Iras Achilli Græcia, & magno luet
Desponsa nostris crinibus Polyxena. Au.

264. *Audaces.*] Recte, quippe illis alienam conjugem abducturis erat. Has autem naves Phereclus celeberrimus faber a Minerva delectus Paridi fabricavit. Testis Homer. Iliad. 5. *L.*

265. *Omnia vidit eversa.*) Virg. *lib.* 2. Æneid.

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam & prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum

Regnatorem Asiæ jacet ingens littore truncus
Avulsumque humeris caput & sine nomine corpus. L.

261. *Hominis.*] Casum Priami utcunque ferendum esse, qui quidem homo sit mortuus. Cum uxor Hecuba in Canem mutata, canis sit mortua. Cujus calamitas longe atrocior. *L.*

271. *Rictu.*) Os enim in rictum distrahunt latrantes canes. *L*

275. *Respicere ad longæ.*] Ὁρᾷ τέλος μακροῦ βίου. Quam sententiam egregie expressit Ovid. in fabula Actæonis:

— *Sed scilicet ultima semper*
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet. L.

280. *Circumducto captivorum.*) Triumphum indicat, in quo captivi circumducebantur. *L.*

283. *Febres Optandas.*] Et hæc sapiunt contraria. Optandum certe ipsi fuisset febre mori, ne cum ignominia victus moreretur, & ab alio obtruncaretur. *L.*

285. *Igitur Fortuna.*) i. Adversa fortuna Pompeji & urbis Romæ abstulit a Cæsare victo caput. quod precesante a Cæsare servabant, ob id ait: *Servatum caput* L.

286. *Hoc cruciatu.*] Scoptice jam exaggerat ærumnas Pompeji ob longam vitam, quas graviores esse dicit, quam Lentuli, Cethegi, Gabinii, Statilii, Cæparii, & ipsius Catilinæ, qui (ut ex Sallustio patet) cum contra patriam conjurassent, partim a Cicerone Consule in carcere laqueo suffocati, partim in bello perierunt, omnes tamen integro corpore & cadavere, cum Catilina truncatum habuerit. L.

290. *Veneris fanum.*) Illa enim venustatis Dea, quæ vel Paride judice Dearum pulcherrima. L.

291. *Cur tamen hos tu.*] Præclare de perniciosis hujusmodi votis loquitur divinus ille Seneca: *Desine optare, quæ tibi optavit nutrix, aut Pædagogus, aut mater. Nondum intelligis, quantum mali optaverint. O quam inimica sunt nobis hæc vota nostrorum! Eo quidem inimiciora, quo cessere felicius, jam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequantur, inter exsecrationes parentum excrevimus.* L.

292. *Gaudet.*) Hinc Homerus de Latona ait, (quo etiam Auctor respicit)

— Γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.

Et Virgilius :

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus. L.

295. *Filius autem.*) Pulcris enim ubique periculum est, Nam *quod multis placet, id difficulter custoditur*, ut ait Seneca. *L*,

297. *Rara est adeo.*) Egregia sententia, Plerunque enim formosi solent esse impudici. Ovid.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Et in Fastis:

Fœdera servasset, si non formosa fuisset. L.

i. Si quis etiam benignitate naturæ sit castus & pudicus, tamen ob formam plerumque periclitatur. *J.*

298. *Sanctos licet horrida* &c.) Licet simplex & inculta domus a lascivia & libidine aliena, seu educatio alicui attribuat mores sanctissimos, & quæ domus veteres Sabinas mulieres castissimas imitetur, & repræsentet; Licet etiam ipsa natura præterea, quæ potior est omni magistro & disciplina aliquem a natura castum & a libidine alienum efformaverit: Tamen Romæ viris manere, & casti pudoris decus tutari atque custodire ipsis non licet. *L.* & *F.*

398. *Horrida Domus.*) in qualibus plerumque pudicitia & sanctitas inveniuntur solummodo. Ut non immerito quærat apud Senecam Hippolytus:

Cur sancta parvis habitat in lectis Venus?

Et postea:

Non in recessu furta & obscuro improbus
Quærit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit, æthera ac lucem petit
Et teste cœlo vivit.

Nam profecto ditiores illi & potentiores, ut Seneca ait, sinuosas domus ambitiose exstruunt, *non, ut intus vivant, sed ut occultius peccent.* L.

303. *Natura potentior omni custode & cura.*) Egregie dictum. Naturæ enim vis omnem institutionem & custodiam superat. Unde ille ait:

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit. L.

303. *Non licet esse viris*) Nam, ut sequitur, quia pulcri sunt, aut castrantur aut corrumpuntur; hoc est aut spadones fiunt, vel Cinædi & pathici, *L.* atque adeo effœminantur. *F.*

304. *Nam prodiga.*) i. Improba corruptoris munerum prodigalitas ipsos parentes solicitare non erubescit, ut sumtis muneribus patiantur filios suos corrumpi. *L.*

306. *Tanta in muneribus.*) i. Usque adeo confidunt muneribus suis, quibus omnia expugnantur:

Munera crede mihi placant hominesque Deosque.

Atque hic imber ille aureus, per quem Juppiter in Danaes sinum decidisse fingitur. *L.*

310. *I nunc.*) Ironice hæc ad matrem. Ridet stultos parentes & matrem pulchritudine filiorum suorum gaudentem; ob quam etiam in majora discrimina sint præcipitandi, quam illa de quibus paulo ante de Nerone dixit. *L.*

312, *Et pœnas metuet*] i. Omnes illas pœnas adulterii metuere cogetur debet quas iratis maritis, quorum uxoribus in adulterio abusi sunt, si ab ipsis deprehendantur de quibus mox. Alii aliter hoc legunt. Sed hæc vera lectio. L.

315.

315 *Ille dolor.*) quem maritus patitur, dum adulterum deprehendit. Quod profecto quisquis æquo animo pertulerit, ille dignus ut ex omni consortio hominum longe lateque profligetur. *L.*

315. *Plus quam lex.*) Multi enim impatientia doloris illius crudelissime & atrocissime sæviunt in adulteros. *L.*

323. *Deterior totos.*) i. Fœmina, quæ aliis in rebus deterior & avara est, illic in erogando aliquid in adulterum, habet totos mores, optime morata & liberalis est. Vel omnes mores habet, liberalitatem, beneficentiam, humanitatem. *Die sonst ein Teuffel ist, ist ihrm Ehebrecher allein guttig.* L.

324. *Quid profuit olim.*) Alii legunt, *quid profuit ergo.* alii: *quid profuit immo.* (teste de utraque lectione *V.*) i. Hippolyto tamen grave illud & severum propositum caste vivendi nihil profuit. Illo enim vitæ periculum sibi accessivit. *L.* respondet ad objectionem, *sed casto, quid forma nocet.* F.

328. *Concussere.*) Ad ultionem sese excitarunt more Athletarum & vehementer iratorum, qui pectus vel latus ad iram excitandam solent concutere. Quemadmodum leo caudam concutit, ad iræ rabiem exstimulandam, in qua habet exquisitissimum sensum. *L.*

328. *Mulier sævissima*) Dum contemta erubescit, vel dum furor sit ex læso & repudiato amore. Virgilius:

— Duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid fœmina possit.

Seneca Hippolyto egregie iram Phædræ describit:

Furit insanæ similis procellæ. L.

331. *Optimus hic.*) quin enim, ut dixi, consul designatus *L.*

333. *Messalinæ oculis.*) Amore, qui ex oculis, *vel* Nece, ante Messalinæ enim oculos occisus est. *F.*

334 *Tyriusque palam.*) i. Purpureus, Genialis vel conjugalis aut nuptialis lectus palam sternebatur in hortis Lucilianis. Dicebatur *lectus Genialis*, vel quia Genio & Junoni Γαμηλίοις sacer erat, vel quia liberis gignendis destinaretur, ita vocabatur ominis causa. Dicebatur & *lectus adversus.* Vid. Pers. 11. 3. *L.* & *F.*

335. *Decies centena.*) Decies centena millia sestertium, qui in dote lautiorum mos & numerus legitimus nostræ monetæ 7812. *lib.* 10. ß. *F.*

335. *Ritu antiquo.*) Dos enim marito dari instituta fuerat propter matrimonii onera. *L.*

336. *Cum signatoribus.*) Notariis, qui tabulas nuptiales signent. *Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque illam audivisse auspicum verba, subisse, sacrificasse, &c.* Tacit. 11. Annal. *F.*

338. *Non nisi* &c) Idque vivo marito Claudio Imp. *Jamque Ostiam tantum profecto sacrificii causa.* Tacit. 11. Ann. non adulterio contenta. *F.*

342. *Dedecus ille domus*) Omnium ultimo loco & tempore rescisces hoc probrum, dedecus & infame adulterium suæ familiæ. Indicium ipsi inter alios fecit Calpurnia Hostia, quæ illi dixit: *Matrimonium Silii vidit populus, Senatus, & miles, & ni propere agis, tenet urbem maritus imperio Messalinæ, cujus jussu multæ cædes perpetratæ fuerunt.* Tacitus. *L.*

343. *Interea tu*) Scoptice illum jam quasi hortatur ad obsequium Messalinæ, & parvulam illam vitæ moram æqui & boni consulendam. *L.*

446. *Præbenda est gladio.*) *Pulcra* hoc loco *cervix* emphatice dicitur. Nam pulcritudo ipsi exitialis fuerat. Porro innuit hic Auctor capitis illum supplicium sustinuisse, alii dicunt ipsum in præsentia Messalinæ cruci adfixum, idque monente vel imperante Narcisso, de quo Auctor noster in fine Sat. *L.*

347. *Permittit ipsis.*) Pia & Christiana sententia. q. d. Tu tantum ora, quidquid autem tibi utile sit, illud Deus novit, & tibi dabit. Vel tu a Deo optima pete, quæ ille tibi eliget. Hinc & oratione nostra Dominica oramus: *Fiat voluntas tua*, quæ Dei voluntas cum mala velle non possit, haud dubie optima dabit, & cum sapientissima sit, optima potest eligere. Præclare Lacedæmonii, qui, ut Plato in secundo Alcibiade refert, orantes Deos pulcra cum bonis sibi dari postulabant. Nec plura illos precari quis audivit. Præclarus etiam ibidem citatus a Platone versus:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ λυγρὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
Sive petam seu non, quæ sunt bona Juppiter o rex
Da mihi; quæ mala sunt, mihi nec largire petenti.

Vide Socratis dictum in Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 2. & ejusdem Socr. apud Xenophont. Ἀπομνημ. Εὔχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι, &c. *F.*

349. *Nam pro jucundis.*) Pro illis, quæ ad oblectationem & voluptatem pertinent, quæ homines maxime expetunt. Vel pro illis, quæ nobis inconsulto, & inconsiderato appetitu jucundissima videntur, Deus nobis dabit aptissima, utilissima, & salutaria quæque. *L.*

399. *Aptissima quaque.*) Optima nobis, & convenientia. Seneca Ep. 111. *Quicquid nobis bono futurum erat, dominus & parens noster in proximo posuit. Non exspectavit inquisitionem nostram, sed ultro dedit, nocitura altissime pressit.* Valerius *lib.* 7. *cap.* 2. de sapienter dictis hanc rem latissime tractat, quem omnino vide. Unde Juvenalis totum Satyræ Argumentum desumsisse videtur. *M.*

350. *Carior est illis.*) Pia, præclara & egregia sententia, & ratio est, quia nos mali mala sæpe & pernicio-

sa-

ſa petimus, & illi Dii contra boni non niſi bona dant. Nam teſte Seneca, *Deus malum nec dat, nec habet.* L.

350. *Nos animorum.*) Adfectuum impulſu, non rationis. *L.*

351. *Cæca magnaque.*) Inconſiderata, ſtulta, immenſa, inexplebili. *L.*

352. *Partum uxoris*) Reſpicit ad 2. *Alcibiadem* Platonis, ubi dicitur: *Invenias præterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios votis exoptant. At eum filios adepti ſunt in calamitates doloreſque maximos incidunt. Nam plerique, cum nati per omnem ætatem improbi perſeverent, univerſam vitam mœrore conficiunt. Qui vero probos filios nacti adverſo quodam caſu illis orbantur, nihilominus quam ſuperiores illi miſeri ſunt, ut prorſus eligerent, filios ſe nunquam genuiſſe.* L.

353. *Qui pueri.*) Qui forte γενήματα πήματα forent. *L.*

353. *Qualis uxor.*) Xantippe vel Andromacha quædam. *L.*

355. *Tomacula.*) Farcimina pinguia e porcinis carnibus, jecore, & aliis involutis. Alii (ut *V.*) legunt *Thymatula* tanquam a θύω id eſt Sacrifico. *L.*

355. *Candiduli.*) In nuptiis & re uxoria porcus candidus ſolebat ſacrificari, teſte Varrone *de re Ruſtica. L.*

356. *Orandum eſt.*) Plato Alcibiad. 2. *Magna providentia opus eſt, ne quis ſeipſum fallat, dum magna petit mala, credens bona ſe petere.* Egregie autem monet ante omnia vera veri hominis bona eſſe petenda. i. animi bona. Nam, ut ille dixit: ὁ νοῦς ἡμῶν ἐστιν ἄνθρωπος. Hinc Seneca: *Ora ſanitatem animi, deinde corporis.* i. Ora propria, non aliena. *L.*

356. *Mens ſana.*) Nam ſtultitia, ut Cicero ait, majus eſt malum, quam ſi omnia mala fortunæ & corporis in altera parte ponantur. Idem: *quæ poteſt homini major eſſe pœna furore & dementia.* L.

357. *Mortis terrore.*) Plin. *lib.* 27. *cap.* 1. *Et omnibus bonis, quæ homini tribuit Natura, nullum melius eſt tempeſtiva morte.* Jam vero mors: Πάντων φοβερῶν φοβερώτατον. Qui animus ſibi dicſet: *Uſque adeone mori miſerum eſt?* M. & L.

358. *Qui ſpatium vitæ* &c.) i. Qui ſciat mortem munus aliquod munus aliquod Naturæ eſſe, quod munus omnibus obeundum, nemini defugiendum. Eſt autem Sapientis & fortis libenter ſubire, quod vitare aliquis nequeat. Hoc ait, quaſi mors naturalis ſit, & ponenda inter naturæ munera. Hinc dicimus: *Naturæ ceſſit*, i. mortuus eſt. *L.*

359. *Qui ferre queat quoſcunque labores.*) Verſatur enim virtus inter voluptates & dolores. Hinc Epictetus dixit: Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id eſt, Suſtine dolores, & abſtine a voluptatibus, & eris ἀναμάρτητος & ἀμεταμέλητος. *L.*

360. *Neſciat iraſci.*) Hæc de juſtitia jam intelligi poſſunt. Ita enim & cupido aliique adfectus a norma Juſtitiæ homines ſolent tranſverſum agere. Dicit autem hoc ex ſententia Stoicorum, qui omnes adfectus a viro bono & juſto ſegregarunt. *L.*

360 *Et potiores.*) Qui cupiat vitam vivam vivere, in laboribus & actionibus honeſtis; non mortuam in voluptatibus & deliciis corporis, quibus vita minime vitalis vivitur. Seneca: *Proinde hi, qui jactantur & per operoſa atque ardua ſurſum atque deorſum eunt, & expeditiones periculoſiſſimas obeunt, fortes viri ſunt primoreſque caſtrorum, & vivere exiſtimandi ſunt. Illi quos publica quies aliis laborantibus molliter habet, turturilli ſunt, tuti contumeliæ cauſa, quorum vita mors cenſenda.* L.

362. *Et plumis Sardanapali.*) cœnis poſt *plumis* tranſponit *V.* Cic. *Sardanapalus ille vitiis multo, quam nomine ipſo deformior.* Tertullianus *de pallio: Phiſconem, & Sardanapalum tacendum eſt, qui niſi inſignes libidinum, alias Reges nemo noſſet.* Au.

363. *Monſtro, quod ipſe tibi.*) Ne aliorum implores auxilia, bonum animum tibi ipſi dare potes. Ethnice dixit, quaſi hæc omnia ſuo Marte quiſpiam ſibi comparare poſſit. Sic Horatius:

> *Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe*
> *parabo.*

Cenſebant enim illi quemque ſuæ virtutis auctorem, & quemque etiam ſuæ fortunæ eſſe fabrum. *L.* In eam ſententiam *Livius lib.* 49. loquens de M. Porcio: *In hoc viro tanta vis animi, ingeniique fuit, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus fuiſſe videretur. Nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, urbanas, ruſticaſque res pariter callebat.* L.

363. *Semita certe*) i. Alludit ad Y Pythagoræ. *M.* Unica via ad tranquillam & beatam vitam tendit per virtutem. Neque poteſt jucunde vivi, niſi cum virtute vivatur. Egregie dixit Iſidorus: *Vis nunquam triſtis eſſe, recte vive.* L.

364. *Tranquillæ vitæ.*) Hinc Pallas, vel Sapientia & virtutis ſtudium in Clypeo caput Meduſæ, id eſt, ſapientiam geſtat, cujus intuitu intuentes in ſcopulos converti fingebantur. i. in conſtantes & imperterritos viros, qui omnes vitæ humanæ maris fluctus frangant & contemnant. *L.*

365. *Nullum numen abeſt.*) i. Si tu prudenter vitam tuam & cum ratione inſtituas, nullus fortunæ locus erit, & omnes Dii ſapienti favebunt, & opem ferent. Sic Horat.

> *Ad ſummum ſapiens uno minor eſt Jove, dives,*
> *Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.*

Et Salluſt. *Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia*

lia Deorum comparantur. Vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequidquam Deos implores. irati infestique sunt. Et Plato *Alcib. 2. Perspicuum est, & apud Deum, & apud homines sanæ mentis justitiam & prudentiam præcipue honorari.* M. & V. Prudentes autem justique sunt; qui sciunt ergo Deum, & homines, quid agere, atque dicere deceat. Dicit autem hoc Poeta ob fortunam, quæ non solum nullum numen est, sed nusquam & nihil est. Nam cum sciamus omnia in mundo, maxima & minima, providentia Dei gubernari, quid restat de fortuna nisi vanum & inane nomen. i. Fortuna nullas vires & potentiam in nos habet, si prudentes secundum virtutem vixerimus. Unde Stoicus ille dixit: Προκατείλημμαί σε ὦ τύχη, καὶ πᾶσαν ἀφῄρημαί σε τὴν παρείσδυσιν. *Antevertisibi, o Fortunæ, & quasi vallo firmissimo opposito omnes tibi aditus interclusi.* Recte si de vaga aliqua Dea intelligas. Illa enim cum nulla sit, nihil auferre cuiquam potest. Et egregie Sallust. *Sed Dux atque Imperator mortalium vitæ animus. Quippe fortuna probitatem, industriam aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.* Et Seneca: *Errant*, inquit *qui aut boni aliquid nobis aut mali judicant tribuere fortunam.* Est autem fortuna rerum accidentium subitus & inopinatus eventus, quæ ex hominum imprudentia nata est. Unde recte dicitur: *Tolle ignorantiam e personis, fortunam de rebus sustuleris.* Quia enim homines rerum omnium causas non perspicimus, ut est mortalium cœcitas: Fortunam nescio quam vagam, irritam, instabilem nobis fingimus. Quod si causas rerum latentes & abditas nobis inspicere daretur, non modo nullam esse talem Fortunam videremus, verum etiam omnium minima, singulari Dei providentia regi. Et sic fortuna nihil aliud est, quam Dei providentia, sed non perspecta. Et recte divinus ille Seneca: *Fortuna, Fatum, Natura, omnia ejusdem Dei nomina varie sua potestate utentis.* M. & L. Lactant. *lib.* III. *cap.* 29. legit hunc vers. *Nullum nomen habes* &c. M.

455. *Sed nos Te facimus.*) i. Nos homines, qui virtutem negligimus, nec ratione utimur, sed imprudentia temere ferimur ignavi & stolidi, omnia fortuito eventu metimur, nihil ratione, proposito, aut consilio agimus, sed nos & nostra Fortunæ tanquam Deæ committimus. Unde, si bene cesserit, nobis acceptum referimus, quasi nostra prudentia & consilio evenerit. Sin male cesserit, fortunam accusamus. Quo nihil vanius & ridiculum magis cogitari potest. Seneca Epist. 99. *Valentior omni Fortuna animus est, & in utramque partem ipse res suas ducit, beatæque & miseræ vitæ sibi causa est.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. *Toto quippe mundo, omnibusque locis & horis omnium vocibus Fortuna invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola arguitur & cum convitiis colitur, volubilisque a plerisque etiam cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, omnia referuntur accepta in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. Adeoque obnoxii sumus sorti, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* i. Nos omnia eventu metimur, nihil providentia & consilio, & ob id vera bona nobis comparare non possumus, & falsa a Diis petimus. Hoc est: Ignorantiam & imprudentiam nostram Deam facimus, cum potius prudentiam & sapientiam veriores Deas, i. naturam, veritatem, & rectam rationem cuique a Deo datam sequi deberemus. *L.*

Ad Satyram XI.

QUid enim. *vers.* 2.) Rationem reddit, cur demens dicatur. Eo quod nihil magis sit ridiculum, quam cum pauper quispiam sumtuosus & gulosus, qualis Apicius fuit, esse velit. Non enim pauper quispiam fuit hoc nomine, sed gulosus quispiam nebulo, qui deliciis suis immensum patrimonium dilapidavit, & libros de condimentis jusculorum & ferculorum scripsit, & teste Seneca seculum suum infecit. *L.*

3. *Pauper Apicius.*) Prorsus proverbii speciem habet in illum, qui gulosus & inops. *L.* ad paupertatem ex luxu redactus, ut Apicius, de quo Sat. 4. v. 23. *vel*, pauper, qui luxuriosus. *F.*

4. *Convictum.*) Convivia. Alii legunt *conventus*, *turmæ*, Sat. 8.

Nec per conventus & cuncta per oppida. L.

4. *Stationes.*) Homines in quodam loco simul stantes, interque sese colloquentes. Doctissimus Turnebus ait in foro Romano fuisse Municipiorum stationes. Testatur hoc Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. cum ait: *Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant.* Irridebant autem Rutilum, quod ob gulam pauper factus gladiator fieri coactus sit. *L.*

6. *Sufficiunt galeæ.*) Videtur ipsum scoptice laudare, tanquam qui prudenter faciat, qui, dum adhuc per corporis vires potest, alio se conferat galeæ portandæ, & ferendis armis: Indicat obiter ipsum admodum adhuc juvenem bona sua consumsisse. *L.*

7. *Non cogente quidem.*) Reprehendit hoc loco, ut moris est, per transitum tribunum, quod hoc nobilium dedecus, qui in theatro, ut supra Sat. 8. dictum,

tum, sua funera vendebant, illud dedecus urbis non prohiberent. *L.*

7. *Non prohibente.*) qui illud dedecus urbis laris legibus non prohibeant. *L.*

8. *Scripturus Leges.*) E (scribit præcepta de ictibus, declinationibus, & tractandorum armorum ratione a lanista dictata, & imperata, quæ meditetur & exerceat. vide Sueton. Jul. Cæs. *cap.* 26 Hirtium de bello Africo & Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 3. de P. Rutilio. *F.*

9. *Multos.*) Et illos quidem obæratos, qui pæne animam debent, obsonia tamen lautissima ementes. *L.* & *F.* Eos intelligit, qui ex pecunia sibi credita luxuriantur, & decipiunt creditores. *An.*

11. *Et quibus in solo.*) Tres sequentes versus conjungendi hoc sensu. i. inter illos, qui vivunt, ut edant & bibant, non edunt & bibunt, ut vivant, tantum propter gulam & luxuriam volunt vivere, quorum ventris modulus culina, venter Deus est: Inter illos, inquam, quo quis est miserior & pauperior, hoc egregius & lautius vivit. *L.* vid. Socratis dictum apud Macrob. 11. *Saturn. M.*

12. *Egregius.*) Adverbium comparativum est, a Grammaticorum regulis alienum: quo & Lucretius usus, cum ait:

Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
A dubiis. V.

13. *Et cito casurus.*) Ad extremam paupertiem redigendus, valet hoc loco *casurus*, idem quod defecturus. *L.*

14. *Interea gustus.*) i. Interim licet obærati & ruinæ proximi sint, tamen per omnia elementa quærunt gustus, id est cibos & potus; in terra nobiles feras, in mari nobiles pisces, in aere nobiles volucres, quos vel igne vel aqua coquunt. *A.* & *L.*

17. *Haud difficile est.*) Cum omnia carissima emere studeant, facile possunt magnam pecuniæ summam pro pignore in fœnus assumere mox perituram. *L*

18. *Lancibus oppositis.*) Emphatice. Præsertim si quis adhuc lances & alia utensilia habeat, quæ pignoris loco possit opponere. *L.*

18. *Fracta.*) ne cognoscatur, quod filio & familiæ fuisset dedecori. *L.*

19. *Culosum.*) Vel per Hypallagen, quod gulosis compareretur. Vel vas capax, qua figura dicitur apud Persium: *Sitiente lagena*, & Plautum *sitit quadrantal. L.*

20. *Sic veniunt.*) hoc censeo Poetam velle. Quod luxuriosi, dum ita vivunt, cogantur denique ob inopiam gladiatores & ludii fieri, & a delicatissimis ferculis sese conferre ad cibum gladiatorum, mixtum ex quam pluribus. *L.*

20. *Sic.*) Dum scilicet omnia carissima emunt, dum gulam habent immensam. Si autem ita hunc versum explicemus, ut prorsus explicandus est, est insiguis & illustris sententia proverbialis competens in illos, qui ob gulam & luxum, ad extremam inopiam & famem compelluntur. *L.*

22. *Refert ergo.*) Multum refert, differt, interest, dives aliquis an pauper sumptus faciat, & opipare vivat. Nam quamvis eadem & unius sumptus fercula sint, tamen non iidem sunt, qui illa parant, In divite enim laudantur, in paupere vituperantur. *L.*

24. *A censu famam trahit.*) Eximie dictum. Si census magnus, liberalitatis; si exiguus, luxuriæ famam obtinet. *L.*

23. *Illum ego jure.*) Stultus est, qui novit Atlantem montem sublimiorem esse reliquis, & ignorat ditissimos cives Romanos, qui ferratas arcas in foro habent nummis plenas, majores sumtus sustinere posse: quam tu, qui tantum sacculum habeas. *L.*

24. *Quanto sublimior.*) i. Qui in rebus extra se inutilibus, & sibi ad beate vivendum nihil conferentibus mire ingeniosus est, acutus & subtilis, in metiendis facultatibus & seipso talpa cæcior est. Notatur πολυπραγμοσύνη, & sui ignorantia. *L.*

28. *Memori pectore.*) Apophthegma illud, *Nosce teipsum*, non solum ad corporis staturam, aut formam pertinet, sed ad omnia vitæ officia, ut nihil supra vires attentes. e cœlo autem demissum putabatur, quod esset in templo Apollinis Delphici aureis literis inscriptum consecratumque. *L.*

24 *Conjugium quæras*) i. In omnibus vitæ partibus hanc sententiam tanquam oraculum consule. Quæ sententia in contrahendo matrimonio illud tibi insusurret τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Tibi parem ducito & ne magnis conjugiis manus implices, te deterrebit. *L.*

29. *Seu sacri in parte senatus Esse velis.*) i. Sive locum aliquem ambias in magistratu, aut senatu. Sane qui se vere norunt, & vere etiam honoribus digni sunt, semper sibi diffidunt, & ad honores non facile aspirant, sed vires suas prius ponderant, sintne oneribus illis ferendis pares. *L.*

31. *Traducebat Ancipitem.*) Versabat sese dubium, an illa etiam petere deberet, vel an illis etiam esset par. Commendatur prudentia & modestia Ulyssis. Innuit *Nosce teipsum*, non solum utile esse in faciendis sumtibus, ne quis modum & mensuram facultatum suarum excedat: Verum etiam in omnibus actionibus, consiliis, & tota vita humana. *L.*

33. *Te consule.*) i Tui ingenii vires prius perpende, ne quid in te suscipias, cui ferendo impar sis, i. Teipsum in consilium voca,

— *Et nulli de te plus, quam tibi credas,*

nec-

nec te quæsiveris extra Illud enim Te hoc loco Emphasin habet. Cicero: *Suscipe onus officii, quod te putas sustinere posse.* Idem 1. Offic. *Neque enim attinet quidquam sequi, quod assequi nequeas.* L.

33. *Dic tibi, quis sis.*) Egregia sententia, & omnium animis inscribenda, qua monemur, ut, velut Persius ait, *nobiscum habitemus.* L.

36. *Etiam cum piscis emetur.*) i. Etiam in rebus vilissimis, quæ non consideratæ ad paupertatem ducunt. i. Nihil debes insumere ultra vires facultatum tuarum. L.

37. *Nec mullum cupias.*) nam gulosi pauperes, qui emere non poterant, nihilominus deliberabant, & quasi oculis eum devorabant. Idque eo etiam, quod, teste Seneca, plerisque *major fames sit, quam venter.* L.

38. *Quis enim.*) Malus profecto exitus talem manet. Quæ enim gula absumserunt, furto, rapina, latrocinio, aliisque malis artibus student recuperare. Quis vero talium exitus sit, nemini obscurum est. Vide Salustium in Catilinæ sociis. L.

41. *Capacem.*) Scoptice & ridicule. Qui venter omnia potest capere & concoquere, preciis scilicet in obsonia commutatis. Qui venter deglutire potest integra ædificia cum trabibus & saxis. Hos nos Saxones appellamus *die Balckenschlucker.* L.

43. *Annulus.*) Hoc autem eo dicit, nam hos annulos gerebant luxuriosi, ne pauperes viderentur. Postea etiam, cum jam pæne od mendicitatem redacti erant, hi annuli etiam exibant ab illis, omnium ultimi. L.

44. *Præmaturi.*) Imo felices tales sunt, si cito absumptis opibus moriantur. Ut scilicet mature moriantur. L.

46. *Hi plerunque gradus.*) Recitat jam Auctor noster tres gradus, quibus tales nepotes ad extremam paupertatem & ad fidei violationem ac defectum perveniant. Principio conducebant pecuniam, eamque in fœnus assumebant: Deinde eandem pecuniam in urbe Roma coram creditoribus gula & luxuria consumebant. Postea quando parum supererat, & creditor, metu ne forte fœnus cum capitali summa perdat, pallet, solum vertunt, & aliquo aufugiunt. L.

47. *Inde ubi paullum.*) i. Cum ex illa pecunia a creditoribus assumpta paullulum & nescio quid, tertie nihil, reliqui est. L.

49. *Vertere solum.*) Qui versuram fecerunt, & patriam mutarunt, ob facta nomina & æs alienum, cum solvendo non sint. L. Cicero Philipp. 5. *Habens enim legitimam excusationem exilii causa solum vertisse, neque esse postea restitutos.* L.

50. *Cedere namque foro.*) Non comparere in foro. Ital. *la Piazzo.* Germ. *die Borse.* Belg. de *Beurse.* F.

50. *Non deterius.*) Non majori honoris jactura jam fit, quam per æstatis fervorem ex urbe media secedere in suburbanum, aut rusticari, *te goetake the aire.* F.

50. *Tibi.*) quisquis versuram facis. Vel lege *ibi.* i. Romæ. L.

51. *Esquilias.*) Ad frigidiorem locum in colle Exquiliarum dicto, quod in eo Tull. Hostilius excubias posuerit. *vel*, quod cum prius neglectum excoluerit. L.

54. *Sanguinis in facie.*) Conqueritur Roma pudorem exsulare, nullam verecundiam Romæ esse, omnes esse perfrictæ, & nullius frontis. L.

55. *Ridiculum.*) Quos enim pudet, vel quibus pudor reliquus est, illi ridentur. L. pudet plerosque pudoris. F.

55. *Fugientem ex urbe.*) Imo *orbe*, ut Sat. 6. in principio dixit, Pudicitiam & Justitiam simul fugisse. Vult dicere, Romanos prorsus nihil curare, si quis ob infamiam in exsilium abeat, vel ob æs alienum. Illos non amplius pudere. Diogenes Cynicus cum videret puerum quenquam rubore suffusum, *Confide*, inquit, *fili, hujusmodi est virtutis color.* L.

56. *Pulcherrima dictu*) de Parsimonia, & de illo *Nosce teipsum*, & ne quis ultra suas vires sumtus faciat. L.

58. *Siliquas.*) Græcis κεράτια, quod cornuum figuram quodammodo referat. Germani dicunt *S. Johannis Brodt*, quod illis Johannes Baptista victitasse credatur, tanquam victu tenuissimo & maxime frugali contentus. Intelligit ergo antiquorum victum & cibum ex siliquis, vili legumine. L.

58. *Ganeo.*) Lurco, vorax, ganearum sectator, popino, qui cupedias sectetur. Cicero pro P. Sextio *Plura dixi, quam dicendum fuit in furiosissimum & egentissimum ganeonem.* Est autem ganeo Varroni, Nonio, & Horatio idem, quod popino, cui vitæ modulus culina. Ciceroni pro scortatore ponitur, qui lupas popularis libidinis nundinas frequentent. Græcis πόρνος, καὶ πορνοκόπος. L

59. *Placentas.*) melle illitas, quas Cato luxuriosæ gulæ esse dicit, & veteres in deliciis habuere. L.

62. *Et ipse tamen.*) i. Qui licet minor, & ipse tamen a Diis originem duxit, utpote Veneris filius, quæ Jovis tertii filia, qui Saturni, qui Uranii, vel Cœli. L.

64. *Nullis ornata.*) libis, quæ in macello veneunt. M. *dapes inemtæ* Virg. IV. Georg. F.

66. *Salicti.*) Est locus salicibus consitus, quibus imprimis capri infesti esse solent. L.

69. *Quos legit villica.*) Rustica, quæ habitat in villa

& in agro meo illos asparagos collegit. Hinc apparet Juvenalem me ditiorum divitiarum fuisse. *L.*

71. *Et servatae.*) i. Nobis etiam uvae adsunt succulentae, quales in ipsis vitibus fuerunt. *L.*

71. *Servatae parte anni.*) i. Quae uvae per anni partem aliquam suspensae & servatae sunt adhuc & recentes. Invitavit enim ipsum, ut ex sequentibus liquet, in hieme vel etiam post, sub initium veris. *L.*

77. *Nostri Senatus.*) Emphatice. *L.*

79. *Ipse.*) Emphatice. Summus imperator & Dictator ipse hoc faciebat. *L.*

79. *Quae nunc.*) Quales viles cibos cum fastu aspernarentur etiam fossores, immundi ex opere, longis catenis & compedibus vincti in agris opus facientes. De hac luxuria etiam tenuiorum Persius Sat. ult.

Faenisecae crasso vitiarunt unguine pultes. L.

84. *Natalitium.*) Quo tantum vescebantur die natali. *L.*

84. *Cognatis.*) Qui die natali invitati insolitis hujusmodi lautitiis tractabantur. *L.*

85. *Accedente nova.*) i. Ad hoc lardum accedebat, vel addebatur nova & recens caro, si quae ex victima die natali oblata remanserat. *L.*

86. *Cognatorum aliquis.*) Ulterius priscorum parsimoniam commendat, id est, Aliquis ex cognatis illius, qui diem natalem celebrabat (qui consulatum & Dictaturam gesserat) ad hoc lardum & recentem carnem, & ad has epulas die natali festinabat, tanquam ad insolitas lautitias. *L.*

88. *Solito maturius.*) Ante horam nonam. Forte quod ad tales solemnitates natalitias invitati citius iverunt. Vel potius quod ad insolitas illas delicias festinarunt. *L.*

89. *Erectum domito*) humeris sublatum. *F.*

89 *Domito.*) Culto, fosso, subacto, a feritate agresti jam purgato. *A.*

90. *Durumque Catonem.*) Censorium, de cujus vita lege egregia apud Plutarchum, qui luxui inprimis infestus erat. Erant autem Censores, ad cujus censum & arbitrium populus censebatur. Et duo semper erant, eorumque administratio per quinquennium vel lustrum extendebatur, quorum magistratus erat maximae omnium reverentiae plurimaeque potestatis, tum aliis rebus, tum ad morum emendationem. Nam e Senatu removere emeritos poterant, & principem proscribere, auferre equos, notare infamia, censum augere, lustrum condere. Hosce ergo cives Romani olim maxime metuebant. *M.*

93. *Nemo inter curas.*) Illis temporibus nemo de lectis discubitoriis per luxum ambitiose exornandis sollicitus erat. Nemo tanquam serium & necessarium curabat lectos discubitorios ambitiose testudinibus exornare. *L.*

94. *Testudo.*) Cujus putamina secare in laminas, lectosque iis ornare Carvilius Pollio instituit, Plin. 9. *lib. cap.* 11. cujusmodi lectos Clem. Alexand. χελωνοις ποικιλωτοις κλίνας vocat Lucian. κλίνην ἐπὶ χελώνης ἰνδικῆς vertit Apuleji lectum indica testudine pellucidum. *Mother of Pearle.* Senec. *Elaboratam scrupulosa distinctione testudinem.* 7. de Benef. 9. *F.*

95. *Nudo latere.*) Sine ullo fulcro & sustentaculo. (Angl. *Pillar or bake* F.) Forte quod postea ab uno latere lecti vel fulcri discubitorii habuerint sustentaculum aliquod a tergo, ne quis forte incautior in terram ex lecto decideret, ut nos in nostris scamnis discubitoriis a tergo aliquod sustentaculum habemus, ad quod humerum inter sedendum inclinamus. Tale sustentaculum forte priscos ignorasse innuit. *L.* Lecti olim non erant ut nunc, preciosi, & fabrefacti. *J.*

96. *Parvis lectis.*) Dicit ad demonstrandam frugalitatem, i. Non ita amplis, & capacibus, ut jam. *L.*

100. *Rudis.*) Simplex miles Romanus, & nondum ad luxum adeo ingeniosus. *L.*

100. *Grajas artes.*) Intelligit artificia magnorum artificum in Graecia, vel etiam ipsum luxum, & alia scelera a Graecis ad Romanos translata. De quibus dixit Sat 3.

— *Non possum ferre Quirites*
Graecam urbem. L.

100. *Mirari nescius.*) i. Simplex & ad luxum ingeniosus, qui non poterat dignoscere artificiosa ab rudibus, ut aurea & argentea vasa artificiose caelata. *L.*

102. *Frangebat pocula.*) Non enim bibax erat, nec artificiosa pocula in magno precio habebat, quorum artificium ignorabat. Sed frangebat illa, ut equis fraena & phaleras inde conficeret. *A.*

107. *Pendentisque Dei*) e galea. *V.* In clypeo sculpti, qui e sinistro humero dependet. Non desunt, quibus haec lectio *Pendentis* suspecta sit, qui malint legere *Perdentis*, ut ad illud *Perituro*, quod sequitur, referatur. Docti judicent. *L.*

109. *Thusca.*) Persius: *Et Thuscum fictile mutat.* L.

110. *Quibus invideas.*) Nam parvo contenti beatissimi, & fortunatissimi erant, adeo ut merito jam illis invideamus. *L.*

110. *Si lividulus sis.*) i. Si etiam parum omnino invidus sis, his adeo felicibus poteras invidere. *L.*

111. *Templorum quoque*) Ostendit jam priscis illis temporibus, quamvis Deos fictilibus & minori apparatu coluerint, homines tamen longe religiosius vixisse, & Diis etiam longe cariores fuisse, i. Deorum cultus praesentior, & propius ad Deorum majestatem accedebat, cum omnia simplicia essent in templis & nondum auro contaminata. *L.* & *J.*

113. *Littore ab Oceano.*) Pulmannus *ab Occiduo.* Ab illa enim parte irruerant. *L.*

116. *Fictilis.*) simpliciter cultus, & cui fictiles illæ cum simplici probitate statuæ gratiores erant, quam istæ aureæ per vim, rapinas & scelera conflatæ. sic Sat. 3. vs. 20. *F.*

116. *Et nullo violatus.*) Vere *violatus.* Notent illi hoc, qui omnia nostro tempore in templis inaurant, & quos compellat Persius:

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?

Certe Dii auro violantur, ob quod omnia scelera & flagitia passim perpetrantur. Et quod aurum malis artibus acquiritur, illis statuæ Deorum ornatæ magis violantur. Sane revera tum aureum sæculum erat, cum nihil auri usquam fuit. Et recte alter Poeta:

— *Non auro, nullo commissa metallo*
Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet. L.

116. *Violatus.*) Cum Deo statuæ fiant ex auro; furto, sceleribus, rapinis, latrociniis, dolis, fraudibus parto. Vel quod homines magis aurum, quam Jovem colerent. *L.*

117. *Illa domi natas.*) i. Illa prisca sæcula mensas citreas, acernas, vel ex ebore non morabantur, sed faciebant mensas ex arbore domi vel in Italia nata. *L.*

119. *Eurus.*) Impetuosus ille & turbulentus ventus ab ortu flans. E nuce utensilia hujusmodi facta, a carie & vermibus tuta sunt teste Plin. *L.*

120. *At nunc divitibus.*) Antapodosi dissimilium, notat luxuriam sui temporis, i. Contra nostro tempore divites Romani nullam voluptatem in cœna ex cibo & potu capiunt, nisi fercula in aurea mensa apponantur, cujus fulcrum sit eburneum. *L.*

125. *Et Mauro obscurior.*) i. Indi adhuc nigriores quam Mauri & Æthiopes. Indi Orientales. Heic autem magna Elephantorum copia. Unde illud Phalarid. in *Epist.* Ὁ Ἰνδὸς ἐλέφας τῶν μυιῶν οὐκ ἀλεγίζει *Elephas Indus muscam non curat.* *L.*

127. *Hinc surgit Orexis.*) Redit ad luxuriam Romanorum scoptice exagitandam, q. d. Si mensæ pes eburneus sit, Romani nostri vescendi desiderium & appetitum concipiunt, & magnam edendi libidinem. *L.*

128. *Stomacho bilis*) Scoptice. Quasi stomachus iratus ipsis cibis avide omnia jugulet, & deglutiat. *L.*

128. *Nam pes argenteus.*) Scoptice & hæc. i. Mensæ pes ex argento Romæ cum fastu spernitur, & non majoris precii reputatur, quam si quis in digito annulum ferreum gestet. Indicat tum temporis eburneos pedes in majori fuisse precio, quam argenteos. L. κλίνας ἀργυρόποδας vocat Lucianus in κρονικ. *F.*

130. *Qui me sibi comparat.*) Qui postulat, ut ego eadem luxuria sumtus faciam, & mea secum comparat, ecquid etiam illa tam ambitiosa & superba sint, quam sua? *L.*

132. *Calculus.*) Qui jam dicitur voce Italica *Scacchus.* Martial. *L.*

133. *Manubria.*) Manubrium capulum cujusque rei significat. Plautus: *Exemi ex manu Manubrium.* Au.

136. *Structor*) proprie, qui mensæ cibum imponit, τραπεζοποιὸς Athenæo. *lib.* 4. *the sewer.* sæpissime vero, ut & hoc loco, pro Carptore sumitur, qui cibum scindens carpensque præministrat, *Petronio* scissor, *Apulejo* diribitor, *the carver*: *Sidonio* cheironomon, ab agili manuum, ad leges quasdam, motu. Vide Sat. v. vers. 121. *F.*

137. *Pergula.*) Coquina, in qua edulia ponuntur, vel pergulæ ædificiorum, quæ in publicum spectabant, ob id artifices, & magistri, qui minus noti erant, in illis primum solebant opera sua proponere, aut docere, ut populo innotescerent. Josephus Scaliger. Plinius de Apelle: *Perfecta opera proponebat in pergula.* Au.

137. *Tryphei doctoris.*) *Trypheus* (Sic etiam legit *A.*) hic docebat artem structoriam in Subura; & secandi gestus cultro & ligneis ferculis referebat. *Au. Cripheri* legit *L. Triferi* vero *M.*

138. *Pygargus.*) Fera cervi specie, vel caprea silvestris, non dissimilis damis. Suidas dicit aquilæ esse speciem παρὰ τοῦ πυγὴν λευκὴν ἔχειν, quod calidam habeat anum: *L. Pygardus* legit *A.* & *M.*

140. *Gætulus oryx.*) *Animal* in Gætulia bisulcum, & unicorne, non dissimile capris. Alii intelligunt Gallinam Numidicam. *L.* Caprea unicornis. Aristot. 3. *lib.* de partibus animal. & Plin. 11. Nat. Hist. *cap.* 16. *F.*

140. *Lautissima.*) Ridicule & Satyrice. Nam hæc, ut dixi, non sunt vera obsonia, sed simulacra eorum ex ligno confecta, & filo connexa, aut conglutinata leviter, ita ut cultello obtuso membratim dividi potuerint. *A.* & *L.*

145. *Rudis omni tempore.*) Qui nunquam hasce vanitates addiscet. *L.*

145. *Plebejos calices.*) Vitreos non cristallinos, & exiguo emtos precio. *L.*

147. *Mangone.*) qui exornabant, & vendebant pueros. *L.* Mango proprie κυνοτρόφος, canum nutritor: sed & longius tractum, puerorum altor & negotiator dicitur. vide Pers. Sat. 6. vers. 76. *F.*

148. *Magno*) precio petitus & redemtus formosissimus & cultissimus, qui sæpe multis millibus emebantur *L*

148. *Cum poscis.*) Italus est, non Phryx, aut Lycius, non Græcus, aut aliunde advectus. *L.*

149. *Idem habitus.*) i. Omnibus meis pueris similes vestes. Alii vestibus ornabant suos pueros ad ostentandam luxuriam. *L.*

149. *Erectique.*) Nec calamistrati, pexi tantum, *ut omnes Praecincti pueri recti comtique ministrent.* Horat. Serm. 8. *lib.* 2. F.

150. *Atque hodie.*) Ex consuetudine dixit. Nam in conviviis omnia solito magis ornabantur. L.

154. *Ingenui vultum.*) qui, quamvis servus; vultum, frontem, animum & pudorem, non servilem, sed liberalem & ingenuum habet. L.

156. *Raucus.*) Ex frequenti coitu, qui vocem enervat. Malo legere *draucus*, i. bene a natura instructus, quos Sat. 9. *bipedes asellos* dixit, & qui ponssimum in balneis sese ostentabant mollibus, *oculis devorantibus drauco*s, ut Martialis ait. L.

157. *Nec vellendas.*) i. Nondum illi ob aetatem sub axillis orti pili, quos per tonsorem avelli curet. Inde enim foetor & *hircus sub alis.* L.

158. *Gutto.*) Olei vasculo, balnea intraturus, voraces drauci oculos veritus. F.

162. *Gaditana.*) Lasciva e Gadibus puella, quae cantet & saltet, cujus saltationis modos tres refert Jul. Caes. Scal. Poetices *lib.* I. *cap.* 18. Martial. *lib.* I. *epigr.* 42. & *lib.* 5. *epig.* 76. F.

163. *Prurire.*) Pruritum & urticam libidinis excitare in convivarum animis. F.

163. *Plausuque probatae.*) A convivis spectatoribus approbantibus hujusmodi libidinosos choros & cantus. Plausu autem solebant rem quampiam approbare. L. Spectatorumne? An improbi magistri, qui saltatriculas has circumducebat ad quaestum, & ad saltandum provocabat, plausu bene habitas testatus? vide Pers. 6 v. 78. F.

164. *Ad terram.*) Postea ad terram procumbunt, quasi ad sese stupratores admissurae, idque, ut magis moventes convivas irritent, clune tremulo & crissante. L.

165. *Tremulo clune.*) Habitum illarum nimis mollem & libidinosum exprimit. Nota autem *clunem* in masculino dictum. L.

166. *Spectant hoc nuptae.*) Hi duo versus (*qui in nostra editione repraesentantur vss.* 201 & 202.) in quibusdam exemplaribus hoc in loco adduntur, in quibusdam inferius post illum versum:

Sponsio, quos cultae doces assedisse puellae.

In vulgatis prorsus desiderantur. De quorum ingenuitate doctiores judicent. Est autem haec illorum sententia, in conviviis Romanorum tam obscoena & libidinosa oculis passim exponi, per introductas mulieres, idque praesentibus honestis matronis, quae merito quempiam narrare pudeat, nedum gestibus exprimere, illis iisdem matronis praesentibus. L.

168. *Et mox auribus.*) Nam lasciva voce lasciva cantica cantabant, & lascivos motus corpore exprimebant. L. Libido enim cantu & motibus natum movetur. πάντως πύλαις τὴν ἡδονὴν καταδέχονται, δι' ὀφθαλμῶν, δι' ὤτων, &c. περιπνέουσι χρωμάτων τε καὶ δι' ἀφθέγκτων ἀκρομάτων. Lucian in Nigrin. F.

168. *Concepta.*) Non satis intelligo, quid sibi hoc verbo velit Auctor. Anne intelligit urinam vesica conceptam? Alias urina per aures & oculos concipi non commode dicitur. Nisi quis intelligat per urinam motam, libidinis pruriginem visu & auditu libidinosi cantus & saltationis excitatam. L.

169. *Non capit has nugas.*] Vanas libidinum illecebras. Nempe *stultitiam patiuntur opes.* Adde & turpitudinem. I.

170. *Testarum.*] Tympanorum & cymbalorum dicunt Interpretes, verum crotala sunt e testis & conchyliis, quibus in Indiа foeminas in saltationibus usas saepius vidi, cujusmodi crepitaculis & motibus utuntur Hispani, vocantque *casca bellos.* ἡ τοῖς ὀστράκοισι κροτοῦσα. Aristoph. in Batrach. vid. Jul. Caes. Scal. 1. Poet. 18. F.

171. *Mancipium.*) *Ein loosser Balg.* Vere mancipium, quod suum corpus vendit, & precio abutendum prostituit. L.

173. *Qui Lacedaemonium.*] Certe hoc loco, quot lectores, tot ferme lectiones. Brodaeus legit *Pedemate*, Politianus *Pitylismate*, Flavius Conjectan. *cent.* 1 *Poppysmate*, Alciatus Parerg. *Jur. lib.* 6. *cap.* 3. *Pyreismate*, Eberhardus Molerus Henrici Theologi filius, ingeniosus juvenis, legebat *Pitteremate*, & hanc suam lectionem prolatis aliquot auctorum locis, & Luciani imprimis mihi probobat. Lipsius *Ep. Qu. lib.* 1 v *Pygisma* Ego olim legebam *Pytismate*, & interpretabar, quod dives nunquam eques annulum gerens intelligatur, qui levi sputi irroratione digitum lubricet, ut annulum ipsi induere, & rursus detrahere possit *Lacedemonium*, eo quod annuli usus a Lacedaemoniis manarit. Sed manus do ex merito magno illi Josepho Scaligero, qui simpliciter explicat. L. Calderini sententia est etiam Mancinelli, qui ait eam maxime convenire: dicit enim Poeta, mediocribus turpe haberi, si turpes gestus voluptatis caussa aspiciant, divitibus vero licere hinc ait:

Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur. M.

Ille dives lubricat & *irrorat pytismate* seu frequenti sputo digitos, ut possit ostentare *orbem* seu annulum, *Lacedaemonium*, seu aeque ponderosum, atque erat ille ferreus Lacedaemoniorum. A. Merula ait saltationis genus esse *pytisma*, quo Lacedaemonii uterentur: idque homo ingenuus fassus est, se nunquam legisse; sed ita sibi in mentem venisse, ut ea, quae somniamus. Georgius Valla, cum putat vix satis sibi decorum fore, si ad epulas asymbolus veniret, orbem Lacedaemonium trochum esse dixit e pinu factum, quae Graece *pitys* diceretur. quem assidua rotatione oleo uncta mulier laevigaret, seu lubricaret, Spartanos autem eo ludo maxime captos fuisse teste Prop. *lib.* III. eleg. 13.

13. Flavius *poppysmate*, id est sibilo, qui in re obscœna fieri consuevit. Alciatus *parerg. Juris lib. 5. cap. 3 Lacedæmonium orbem*, metaphorice accipit, & *lubricat* rem certe, inquit, obscœnam ostendit. ego vero ab his omnibus dissentio, & ab omnibus illis, quorum opiniones recensentur a Mureto, dicto *libro* 10. *cap. 6.* & a Politiano *lib. 2. Miscell. cap.* 38. Ille fruatur, inquit Juvenalis, vocibus obscœnis, omnique libidinis arte, qui nudus oleoque unctus se exercet in sudatorio, quod Laconicum πυριατήριον, seu quod idem est πυελίσχιον. Non mirum est, si ille, qui *lubricat orbem Lacedæmonium pytisimate*, qui se vertit in gyrum nudus oleo, & unguentis delibutus in thermis illis, delectetur verbis obscœnis, & quærat omnes artes ad exercendam libidinem, cum dives sit & opibus abundet, nam pauper, cui deest victus, non quærit hos ludos, qui magna mercede emuntur, sine Cerere & Baccho friget Venus. Idem Juvenalis supra:

Non capit has nugas humilis domus,

Ideo ait:

Namque ibi fortunæ veniam damus.

fortunatis, & divitibus indulgemus, si libidinosi sint, quod idem dixisse videtur Satyra 8.

——— *Quæ*
Turpia cerdoni Volesos, Brutosque decebunt.

Et hac Satyra:

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens.

Et Satyra 4.

Nam quod turpe bonis Titio Sejoque, decebat
Crispinum. Au.

Pytilismate legit Jul. Cæs. Scal. *lib.* 1. Poet. *cap.* 22. & Politian. 2. Micel. 38. & *lib.* 11. Epist. *Pytismate*, Turneb 21. *lib.* Advers. *cap.* 18. vel cum Brodæo *Miscell. lib.* 5. *cap.* 27. lege *Pedemate*, quod Lacedæmoniæ saltationis genus est, ad quod & Cicero in Pisonem respicere videtur, inquiens: *Cum ipse nudus in convivio saltares, &c. cum illum suum saltatorium versares orbem*, &c. vel cum Mureto *lib.* 10. *cap.* 6. lego *Pettenmate*, a πεττός, talus: ut sit, qui mensam rotundam e marmore Lacedæmonio talis vel aleis lubricat, atque hanc lectionem confirmat, quod sequitur *Alea turpis*, &c. *F.*

174. *Alea turpis.*) Vilibus & plebejis hominibus alea est turpis & infamis. Ita fit, nam principes & nobiles multa faciunt, quæ si facerent rustici, capite plecterentur. *L.*

177. *Alios ludos.*) Longe alios & honestiores, non autem turpes & lascivos, non infames meretricularum & saltatricum. *L.*

184. *Qua voce.*) bona an mala. Certe vox est anima pronunciationis. Videtur autem respondere objectioni, Rudem & simplicem habes puerum, qui male pronunciabit illos versus. L.

181. *Sed nunc dilatis.*) Monet jam Persicum, ut omnem tristitiam, & quidquid molestum est, deponat, ut lætus frontem secum possit exporrigere, missis curis, & spectaculis Circensibus, quibus tota urbs Roma occupetur. *L.*

184 *Nec prima si luce.*) Est jocus subrusticus & nimis acerbus Juvenalis, q. d. Uxor te ad iram non commoveat, si mane egressa noctis tempore demum redit. *L.*

185. *Tacito.*) Notat miseram viri patientiam, qui hæc flagitia videat, & tacere cogatur. *Ut taceas, & bilem oculis substringas opertis*, ut γυναικοκρατούμενοι solent. *L.*

186. *Suspectis rugis.*) Quasi amplexando & osculando illas adulter fecerit, dum sc. ab adultero inclinaretur. Ut dixi, jocus Juvenalis nimis acerbus, quo Persicum currucam & nimis bonum virum esse innuit. *L.*

188. *Vexatas comas.*) A petulante adultero extra ordinem redactas, & confusas, quæ luctatiunculas & pressiunculas amantium significent. *L* quas Suetonius vocat *recentes lasciviæ & peractæ libidinis notas. cap.* 36. Calig. & August. *cap.* 69. *F.*

189. *Et quidquid frangitur illis.*) Ex re domestica vel supellectili, quam assidue frangunt non sine rixa & contentione dominorum. Ut canthari, ollæ, sartagines, patellæ, pelves, & alia instrumenta, quibus plerumque fractis ille auctor est, qui ut est apud Homerum, Polyphemo oculum exstinxit, οὔτις. L.

190. *Ingratos sodales.*) i. inter convivandum ne memineris illorum, qui tibi bene merito malam gratiam retulerunt. *L.*

191. *Interea Megalesiacæ* &c.) Megalesia ante Solem prope celebrabantur. Livius. *lib.* 30. *In ædem victoriæ, quæ est in palatio, pertulere Deam pridie idus Apriles, isque dies festus fuit. populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisternium, & ludi fuere Megalesia appellata.* Au.

193. *Prædo caballorum.*) Qui optimos & maxime agiles caballos ibi in circo sibi eligebat, illosque invitis dominis vili precio auferebat. *L.* jocatur a paronomasia. *F.*

196. *Viridis panni.*) factionis Prasinæ, cui favebat bona pars civitatis & imperator. *J.* & *F.*

197. *Nam si deficeret*) Scoptice hæc dicit. i. Si ludi Circenses Romæ deficerent urbem nimirum Romam, non secus attonitam videres, quam fuit, cum Romani ab Annibale ad Cannas victi essent. *L.*

191. *Cannarum in pulvere.*) Signate & ex historia. Namque ventus, quem Vulturnum Appuli vocant, adver-

versus Romanos coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit. Liv. 22. *F.*

199. *Spectent juvenes.*) Est quasi concessio. q. d. juvenes sane hos ludos Circenses spectent, nos seniores cutem curemus. *L.*

199. *Audax sponsio.*) Intelligit contentionem & altercationem juvenum inter se, quæ fiebat depositis pignoribus, cum hic illum, ille alium victorem fore adfirmarent. Deponebant autem certum pignus, de quo certabant. Ovid. in Arte:

Et quærit posito pignore vincat uter L.

203. *Nostra bibat.*) i. Nostra cuticula, quæ jam vetula, & in rugas contracta apricando calefiat ad temperatum solem veris tempore. Intelligit ἡλίωσιν vel insolationem, quam senes adhibere solebant. Pers.

Nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. L.

204 *Jam nunc in balnea.*) Hortatur jam Persicum ut confidenter balneum ingrediatur, quamvis nondum sit hora sexta. Idque ut faciat vel hora quinta præter morem, & ad epulas veniat sexta vel septima. Ejusmodi convivia, quæ ante horam nonam incipiebantur, dicebantur *tempestiva.* *L.*

204. *Salva fronte.*) Vel exporrecta omnibus curis depositis. Vel sine verecundia & pudore. Ut licet nondum sit hora sexta, possit tamen salvo pudore balnea accedere, ut eo citius possint cœnare. Habebantur autem delicatiores & molliores, qui ante solitum tempus balneis uterentur. *L.*

208. *Voluptates commendat.*) secundum illud: *Omne rarum carum, vilescit quotidianum* L. & Mart. *Rara juvant.* & Cicero in Lælio: *Et quidem omnia præclara rara.* M.

Ad Satyram XII.

NAtali, Corvine, die.) Quasi velit dicere amicus Catullus mihi dulcior est, quam egomet mihi. *L.*

2. *Promissa animalia.*) Hæc post paullo recenset. apposite Plin. *lib.* VIII. *cap.* 15. *Tum præcipuus votorum locus, cum spei nullus est.* Et Ovid. *lib.* I. Trist.

Dii maris & cœli, quid enim nisi vota supersunt;
Solvere quassatæ parcite membra ratis. M.

2. *Cespes.*) Ara ex cespite. Cespes est terra in modum lateris cæsa cum herba, sive frutex recisus, & truncatus est. P. Festus. *Au.*

4. *Gorgone.*) Quidam indocte Hesperidas & Gorgones confundunt. Fuerunt autem tres Gorgones Phorci & Cetus sororis filiæ, Medusa, Euryale, Sthenone. *Maura* dicit, quia juxta Atlantem, ad fines Mauritaniæ, ut Xenophon scribit a Minerva vel Perseo interfecta est. *L.* Isid. Perseus adversus Persas dimicavit Gorgonis meretricis capite desecto, quæ propter eximiam pulchritudinem, ita spectatores suæ mentis impotes reddebat, ut vertere eos putaretur in lapides, ut Didymus scribit in peregrina historia, & præbet scriptorem ejus Eusebius in Chronicis. *Au.* *Gorgone* a γοργὸν i. e. truculentia dicta; quale vero animal Gorgo sit, cujus obtutu lapidescunt, & cujus gravi & pestifero anhelitu occiduntur homines, vide quæ ex Alex. Myndio referat Athenæus *lib.* 5. *cap.* 20. *F.*

5. *Procul extentum.*) Victima ad aram ducebatur fune quidem longiore & laxo, non arcte ligato, ne videretur victima ad aram invita trahi, quod mali erat ominis. *A.*

5. *Petulans.*) Lasciviens & cornupeta candidus vitulus, qui coruscans & vibrans fronte cornibus jam primum enascentibus pruriens & feroculus vexat robora, cui *Frons turgida cornibus Primis & Venerem & prælia destinat,* ut de hœdo Horat. 3. 13. *F.*

6. *Tarpeio Jovi.*) Qui in arce Tarpeja, vel Capitolio colitur. Hæc tria numina, quæ nominat, Juno, Pallas, Jupiter in Capitolio celebrabantur. *L.*

8. *Quem jam pudet.*) Quia jam maturior grandiorque est, lac ex matris uberibus exsugere eum pudet. Loquitur quasi ex adfectu humano. *L.*

10. *Si res ampla.*) Illustrat amoris sui adfectum in Catullum, i. Si facultates mihi majores essent, & tantæ, quantus est amoris adfectus in Catullum, pinguissimum & maximum taurum offerrem. *L.*

12. *Mole piger.*) Sua crassitudine, pinguedine, tardus & segnis. Grandiora autem sunt pigriora. *L.*

14 *Iret.*) Exiret, vel efflueret. Vel taurus iret ad templum & aram mactandus, ut sanguis ponatur pro generis ratione, pro alumno, pro tauro, qui originem & familiam suam ducat a Clitumno. *L.*

14. *A grandi ministro.*) Hunc grandem ministrum Pontificem maximum intelligunt. (ut *M.* & *F.*) Ego potius quemvis ministrum victimarium vel popam, quem grandem, validum & robustum exigit eo nomine, ut magnum & egregium taurum prosternere unico ictu ad terram possit. *L.*

16. *Incolumem sese mirantis.*) i. Qui ipse demiratur, quod vivat adhuc, & incolumis ex tantis maris periculis evaserit. *L.*

18. *Densis cœlum abscondente tenebris.*) Idque ce-

Ss

do nigro & tenebricoso, cum una nubes densis tenebris cœlum absconderet. *L.*

19. *Antennas.*) Antenna lignum per transversum in malo positum, in quo velum alligatur. Antenna autem dictæ, quod ante amnem sint positæ, præterfluit enim eas amnis. Isidorus. *Au.*

19. *Nube una.*) i. continua, sic enim hæc vox bonis Auctoribus accipitur. *A.*

20. *Et mox Attonitus.*) Ostendit Catullum illo fulgure maximo cum reliquis fuisse perculsum. Ex consuetudine hoc ait: Nam fulmen si in urbem jaculetur, ita omnia in ea loca tremefacit, ut cuncti sese percussos credant. *L.*

20. *Et mox Attonitus.*) i. Cum mox unusquisque propter fulgur (quo antemnæ & vela incensa ardebant) stupefactus & attonitus putaret nullum naufragium conferri posse & comparari, cum velis & antemnis ardentibus. Nimirum terribilius ipsis visum est vela comburi, quam navim universam frangi & perire. Vel: Unusquisque putabat nullum naufragium per ventos & scopulos ulterius nobis posse obtingere, vel nobis conferri, præsertim cum vela arderent, & igni statim universam navium absumtum iri crederent. i. Quisque putabat, cum omnia igne consumta essent, naufragio ulterius non fore locum. *A. V. & L.*

23. *Poetica.*) Qualem Poetæ describere solent. Vel quæ a Poeta quodam describi mereatur. Lego autem potius *Pontica* i. sæva, qualis in Ponte Euxino, adductus adductus auctoritate eximii & præclari viri Ignatii Hannielis mei, qui ex codice Manuscripto ita legit. In Ponto vero Euxino tempestates sævæ & horribiles. *L.*

24. *Genus ecce aliud.*) Audi aliud genus periculi & calamitatis, quod perpessus est Catullus, quando bona sua in mare abjicere coactus est. *L.*

26. *Et quam votiva.*) Naufragi solebant Deo cuipiam promittere votivam aliquam tabellam si liberarentur, qua depingebatur naufragi periculum & indicabatur naufragum Dei ope fuisse liberatum, quemcunque in naufragio imploraſſent, vel Æsculapii, vel Neptuni, vel etiam postea aucta superstitione, ut Deos Ægyptios reciperent, ipsius Isidis. L.

28. *Pictores quis nescit.*) Et hæc quamvis in re gravi & seria sceptice & satyrice in superstitionem Romanorum dicuntur. Illud enim Satyricis quasi naturale, ut semper & quacunque occasione alios reprehendant. *L.*

30 *Cum plenus fluctu.*) Cum jam alveus, *the hold*, esset semiplenus aquis, *atque daret saltus intra cava texta carinæ Fluctus.* Ovid. 11. *Metam.* L.

32. *Arboris incertæ.*) i. Navis, quæ non amplius tegebatur, sed certo errore, incerto cursu a ventis impulsa huc illuc ferebatur. L. *Arboris incerto legit.* *M.*

33. *Decidere jactu.*) quasi venti bona Catulli tanquam raptores & prædones appetierint. *L.*

34. *Cum ventis.*) Quasi causam litis cum ventis voluit decidere, pro sua vita merces ipsis retributurus. Quasi venti ob divitias Catullum persecuti sint. Satyrice at leviter irridet Catullum. *A.*

35. *Damno Testiculorum.*) alii legunt: *cupient evadere damna Testiculis.* A. *Damno Testiculi atque ideo*, ita legit *M.*

37. *Fundite, quæ mea sunt.*) Exprimitur optimi animi indicium in Catullo, qui vitam suam bonis omnibus præposuit, quo ipso nomine postea ipsum laudat. *L.*

40. *Atque alias* &c.) *color Bæticus* alias appellatur pullus vel spanus, vel hiberus, vel ferrugineus, & constat ex atri & rubri mistura. *L.*

40. *Generosi graminis.*) Cujus succo pastæ oves talem in lana sua colorem generosum contrahunt. *L.*

45. *Et dignum sitiente Pholo*) Historiam de Pholo centauro recitat Diodorus *lib.* 5. Hunc Pholum Theocritus vini avidissimum fuisse notat. *M.*

46. *Et mille oscalia.*) Hadrianus Junius ex vetustissimo codice legit *escalia*, quod adjectivum est & ad vasa referendum. Est autem *escale* idem, quod vas escarium. *L.*

46. *Multum Cælati.*) Poculo aureo usque adeo delectabatur Philippus, ut & pulvino supponeret dormiturus. Plin. *lib.* 33. *cap.* 4. *L.* & *F.*

48. *Sed quis nunc.*) Laudat jam Catullum, quod pro sua vita externa bona profundere non dubitaverit, cum alii contra vitam pro externis bonis profundant. i. Quis vel ubi nunc alius præter Catullum invenitur, tantæ magnanimitatis? *L.*

50. *Non propter vitam.*) i. Multi existimant se propterea vivere, ut patrimonia faciant & colligant, non propterea patrimonia ampla possidere, ut recte vivant. Sic multi vivunt, ut edant & bibant, non contra, in quos competit Vasconum illud suo Regi acclamantium *Bibat rex*, *Vibat rex.* *Vau* enim consonans pronunciant ut *Beta.* *L.*

51. *Vitio cæci.*) i. Putant se eo nomine vivere, ut opes colligant, quas non habent, sed a quibus habentur, & qui sunt:

Inter opes inopes. — L.

51. *Propter patrimonia.*) Colligenda & augenda. *L.*

54. *Recidit.*) Pervenit vel processit illuc angustiarum. Propertius:

Recidit a cœlis ignisque & sulphuris amnis. V. *Decidit* legit A.

55. *Explicet angustum.*) Ita enim hic locus legendus

suadet. i. ut se arctum, impeditum & in angustias redactum propter malum expeditiorem faciat, impedimentum mali removens. *L.*

57. *I nunc.*) Acris & acerba objurgatio in illos, qui exigui lucelli gratia in vitæ pericula temere sese conjiciunt, & navigant φιλοκινδύνοι, & suæ vitæ prodigi contemtores. *L.* Alludit ad dictum Anacharsidis, qui ut refert Laert. *lib.* 1. cum audisset navem trium digitorum esse crassitudine, *tantum*, inquit, *a morte absunt, qui navigant.* J. & F.

58. *Digitis a morte.*) i. Cum inter te & mortem quatuor tantum sit digitorum distantia, quanta scilicet crassities est asserum ipsius navis. Hinc Bias dixit nautas neque inter vivos, neque inter mortuos esse. Terrestris enim homo veluti ἀμφίβιον in mare se projecit, totusque arbitrii factus est fortunæ. *L.*

60. *Mox cum reticulis.*) i. Festina ad navim, ut te morti exponas, & illi sis proximus, cumque viaticum tecum in mare deportas, accipe una tecum securim, quam in tempestate sumas: ut navis dejicias malum. Est Satyricus Sarcasmus. *L.* i. Peris, ad modum retis textis, in quibus nautæ, milites & viatores panem & cibaria secum ferunt. *knapsackes.* Pers. 5. Sat. v. 140. *F.*

61. *Aspice.*) i. Vide & memento, ut etiam secures tecum portes. Mallem hoc loco legere, *Accipe*, i. Una tecum porta secures, quas in tempestate sumas ad malum præcidendum, supra vs. 55. *L.* & *F.*

67. *Inopi miserabilis arte.*) i. Tunc truncata & miserabilis prora vel navis cucurrit, non velis extentis, illa enim fulgure & naufragio perierant, sed vestibus nautarum & Catulli extensis. *L.*

67. *Inopi arte.*) Quia vela omnia cum malo amiserant loco velorum sua vestimenta extendunt. Apposite dicit, *inopi arte*, quod Saxones pulcro diverbio exprimimus, *genauwer Raht kompt von armen Leuten.* L.

70. *Cum Sole*) matutino exoriente, *vel* discussis nubibus apparente. *F.*

73. *Lætis Phrygibus mirabile.*) Hoc per Parenthesin legi potest. *Lætis* propter vaticinium de ea sue datum, quam jam invenerant. *L.*

76. *Tyrrhenamque Pharon.*) Hujusmodi nocturnas navigantium lucernas in fronte portuum Ægyptii *Pharos* dixerunt. *L.*

81. *Tunc stagnante sinu*] Portu tranquillos fluctus habente. *M.* & *An.*

81. *Gaudent ibi*) i. Nautæ, Catulli Socii jam a periculo naufragii tuti, recitant ibi amicis notis pericula in mari perlata. *L*

81. *Gaudent.*) Nam præteritorum malorum gratissima est memoria. Virg.

Quondam meminisse juvabit. L.

81. *Vertice raso.*) Ut servi accepta libertate raso capite pileos accipiunt, vel ut rei absoluti Jovem tonsi salutant, sic nautæ raso capite forte tum tanquam a morte liberati. *L.* Suscepto voto, quod sit raso capite ex more reorum absolutorum ac servorum in libertatem vindicatorum, urgente vero tempestate solebant nautæ capillos tondere. quod tamen in pacato mari ominis erat infausti. *Petron.* & οἱ περὶ τοῖς ἱεροῖς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς. &c. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. F.

85. *Glebamque virentem*] Aram intelligit ex herboso cespite. *L.*

86. *Et sacro quod præstat.*] i. Quod sacrum melius excellit omni ritu, & solemnitate observata. Si legas, *præstat*, intellige magna illa sacra, quæ initio meminit, Junoni, Palladi, & Jovi. Alii legunt, *quod restat.* L. utramque lectionem agnoscit *A.*

87. *Graciles ubi parva.*] i. Ubi domi meæ parva sacrificia etiam peragam Diis domesticis. Ubi parva Deorum familiarium simulachra e fragili cera nitida facta mediocres coronas accipient. Porro Lares etiam publice in compitis celebrabantur, tradito ritu a Servio Tullio, quoniam ex Lare conceptus putabatur. Nam cum Ocricularia mater ejus sederit ad focum, in tranquillis cineribus genitale apparuit, unde ea surrexit gravida, & cum postea flamma in capite Servii conspecta esset, confirmata est opinio, ipsum Laris esse filium. *L*

82. *Hi nostrum.*) i. Heic domi meæ Jovem familiarem colam. *L.*

82. *Laribusque paternis.*] A patribus acceptis, quibus etiam majores mei usi. L.

92. *Et matutinis operatur.*] i. Janua mea vel domus operatur festa, vel celebrat festivitatem, & rem divinam facit matutinis lucernis a principio diei etiam ante lucem incipiens. Ita hunc locum vulgus interpretum intelligit. Sed legendum cum Lipsio *operitur*, i. tegitur, vel vestitur. Et sic conjungenda sunt *festa janua*, in nominandi casu. Ex consuetudine hoc ait, qua in omni publica & privata lætitia receptum erat januam ornari lauro & lucernis. *L.* Rem divinam facit. alii legunt *operitur*. Lauro enim & pensilibus lucernis solet ornari janua in festis, & Satyrice addit *Matutinis*, ut quæ clara luce sint supervacuæ. *F.*

93. *Suspecta.*] De captatione vel inescatione, quasi hoc faciam, ut a Catullo hæres scribar. Nemo suspicetur me id agere, ut captem hominem: nam orbus non est, neque admodum locuples. *J.*

95. *Libet exspectare.*] Male hoc interpretes acceperunt, quasi ironice dicatur: Libet mihi exspectare donec moriantur illi tres Catulli liberi. Est autem hic sensus: Exspectet aliquis, donec quispiam inveniatur alius, qui vel gallinam moribundam pro patre filios habente sacrificet. Sic nos Germani dicimus sceptice de re insolita & impossibili: *Da warte einer nach, dasz dasselbe geschehe.* L. Exspectet aliquis donec inveniatur alius quispiam.

I would

I would see one else. F.

100. *Legitime fixis tabellis.*) Votivis, fixis ab heredipetis. vide Sat. 10. vs. 55. *Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita suo titulo proposito voverent.* Suet. Cal. *cap.* 14. Ab opinione illa veterum, *Mortem morte posse redimi*, ortæ devotiones & κηδεμόνες. *F.*

108. *Nostris ducibus.*) Scipioni socero Pompeji &c. *Appian* 3. *de bello Civili.* F.

108. *Molosso.*) Pyrrho Epirotarum regi, in cujus adventu Italia primum vidit Elephantes: Et, ut Justinus scribit, illorum ope prima congressione contra Romanos inferior futurus vicit Molossus. Nam, ut Theopompus scribit, erant quatuordecim Epirotarum gentes, quarum celeberrimæ erant Chaones & Molossi. *L.*

110. *Et euntem in prælia turmam.*) Lege *turrim.* Et res nota est de Elephantis turrigeris. Cæterum turma est multitudo triginta duorum militum. *L.*

112. *Et cadat ante Lares.*) i. Immoletur Diis domesticis Gallitæ matronæ ditissimæ, & orbæ, de qua supra. Alii legunt *ante aras*, tanquam Gallitæ quasi Deæ immolet. Cum qua lectione sequentia non male conspirare videntur. *L.*

113. *Victima sacra Deis tantis.*) Ironice. Vel in extenuationem Larium Gallitæ, quibus minutis Diis tam vasta fiant sacrificia. Vel potius in irrisionem Gallitæ & Paccii orborum, qui nimirum indigni sint, quibus talia sacrificent. q.d. Nimirum digni sunt divites illi orbi, quibus hæc tanquam Diis immolentur, & digni etiam captatores, qui immolent. *L.*

114. *Diis.*) Videtur intelligere ipsos orbos, quos captatores tanquam Deos quodammodo colebant. *L.*

115. *Alter enim.*) Notat insanam & impiam malitiam captatorum, qui etiam homines, si legibus prohibitum non esset, immolarent, ut inescarent orbos. Imo ne propriæ quidem filiæ parcerent, si legibus indultum esset. *L.*

116. *De grege servorum.*) Eo dicit, nam ex animalibus egregia, & eximia quæque eligebantur ad sacrificium. *L.*

118. *Et si qua est.*) Mira hic Poetæ festivitas & amarities. Si captator Pacuvius filiam aliquam domi non dum elocatam habeat, quæ matura jam viro & nubilis, qualis Iphigenia erat filia Agamemnonis, & illa a patre in Aulide mactanda, & illam aris pro salute divitis orbi admovebit. *L.*

119. *Et si non sperat*) fore, ut ope Dianæ filia ejus liberetur, & pro ea cerva immolanda substituatur. Qualiter Iphigenia Agamemnonis filia liberata fuit. Hanc quidam Iphianassam vocant. *L.*

121. *Laudo meum civem.*) Quidam hæc volunt esse verba captatoris ad Juvenalem. *A.*

122. *Nam si Libitinam.*) i. si æger ex morbo convaluerit, existimabit se propter sacrificium Pacuvii fuisse liberatum. *L.*

123. *Inclusus carcere.*) *Nassa*, ut Festus ait, est piscatorii vasis genus, qua, cum intraverit piscis, exire non potest. Solent autem Poetæ *pisces* pro orbis ponere, & piscatores pro captatoribus. Hoc ergo vult dicere. Cum orbus convaluerit eo merito captus & tanquam piscis in nassa conclusus evadere prorsus non poterit, quin eum omnium bonorum hæredem constituat, reliquis omnibus præteritis. *M.* Quidem explicant: inclusus domicilio Nassæ medici, ut curaretur. Prior sensus mihi placet, cui consonat illud Luciani: τοὺς δ' ἄλλους μάτην κεχηνότας, εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντας, καταλιπὼν ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διαφυγὼν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών. L.

125. *Breviter.*) Post paullo, propediem. *L.*

125. *Ille superbus Incedet.*) Videtur scoptice rationem attexere illius, quod supra dixit, se mille naves cum uno testamento non comparare. i. Ille Pacuvius hoc admirandum suum meritum frustra non impendit, sed tanquam victor ob id meritum de reliquis hæreditatum æmulis & competitoribus suis triumphabit, cum solus ex asse hæres omnium bonorum constitutus sit. *L.*

127. *Jugulata.*) Forte, non quod jugulata sit, sed quod pater promptus fuerit ad ipsam jugulandam pro vita & salute orbi. *L.*

128. *Vivat Pacuvius.*) Subjungit jam diram imprecationem, qua imprecatur Pacuvio longam vitam, tanquam homini malo, avaro, & misero. Et sic sub specie precationis infelicissima quæque imprecatur ipsis captatoribus. Cæterum avaris hujusmodi nihil prius accidere & contingere potest longa & diuturna vita, id est diuturno, & continuo tormento: qui quidem velut Midæ, auro strangulantur, & suffocantur: Vel ut Tantali inter maximas opes inopes & miserrime vivunt, & inedia contabescunt. Quid autem pejus accidere cuiquam potest, quam hic πλοῦτος ἐνδεής, καὶ τυχὴ ἀτυχής; L.

129. *Quantum rapuit Nero.*) Habebat infinitas opes Nero. Nam publicas & privata contra jura divina ac humana rapuit, etiam templa spoliavit, nullique delegavit officium, ut non adjiceret: scis, quid mihi opus sit, & Hoc agamus, ne quis quidquam habeat. Auctor Suetonius. *M. L. & F.*

130. *Nec amet quemquam.*) Quod est extreme mali & miseri. Recte autem dicit: *Nec amet*, quoniam cum divitias orborum tantum amet, neminem vere amat. *L.*

Regnatorem Asiæ jacet ingens littore truncus
Avulsumque humeris caput & sine nomine corpus. L.

261. *Hominis.*] Casum Priami utcunque ferendum esse, qui quidem homo sit mortuus. Cum uxor Hecuba in Canem mutata, canis sit mortua. Cujus calamitas longe atrocior. *L.*

272. *Rictu.*) Os enim in rictum distrahunt latrantes canes. *L*

275. *Respicere ad longæ.*] Ὅρα τέλος μακροῦ βίου. Quam sententiam egregie expressit Ovid. in fabula Actæonis:

— *Sed scilicet ultima semper*
Exspectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet. L.

280. *Circumducto captivorum.*) Triumphum indicat, in quo captivi circumducebantur. *L.*

283. *Febres Optandas.*] Et hæc sapiunt contraria. Optandum certe ipsi fuisset febre mori, ne cum ignominia victus moreretur, & ab alio obtruncaretur. *L.*

285. *Igitur Fortuna.*) i. Adversa fortuna Pompeji & urbis Romæ abstulit a Cæsare victo caput. quod precesante a Cæsare servabant, ob id ait: *Servatum caput* L.

286. *Hoc cruciatu.*] Scoptice jam exaggerat ærumnas Pompeji ob longam vitam, quas graviores esse dicit, quam Lentuli, Cethegi, Gabinii, Statilii, Cæparii, & ipsius Catilinæ, qui (ut ex Sallustio patet) cum contra patriam conjurassent, partim a Cicerone Consule in carcere laqueo suffocati, partim in bello perierant, omnes tamen integro corpore & cadavere, cum Catilina truncatum habuerit. L.

290. *Veneris fanum.*) Illa enim venustatis Dea, quæ vel Paride judice Dearum pulcherrima. L.

291. *Cur tamen hos tu*] Præclare de perniciosis hujusmodi votis loquitur divinus ille Seneca: *Desine optare, quæ tibi optavit nutrix, aut Pædagogus, aut mater. Nondum intelligis, quantum mali optaverint. O quam inimica sunt nobis hæc vota nostrorum! Eo quidem inimiciora, quo cessere felicius, jam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequantur, inter exsecrationes parentum excrevimus.* L.

292. *Gaudet.*) Hinc Homerus de Latona ait, (quo etiam Auctor respicit)

— Γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.

Et Virgilius:

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus. L.

295. *Filius autem.*) Pulcris enim ubique periculum est, Nam *quod multis placet, id difficulter custoditur,* ut ait Seneca. *L,*

297. *Rara est adeo.*) Egregia sententia, Plerunque enim formosi solent esse impudici. Ovid.

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Et in Fastis:

Fœdera servasset, si non formosa fuisset. L.

i. Si quis etiam benignitate naturæ sit castus & pudicus, tamen ob formam plerunque periclitatur. *J.*

298. *Sanctos licet horrida* &c.) Licet simplex & inculta domus a lascivia & libidine aliena, seu educatio alicui attribuat mores sanctissimos, & quæ domus veteres Sabinas mulieres castissimas imitetur, & repræsentet; Licet etiam ipsa natura præterea, quæ potior est omni magistro & disciplina aliquem a natura castum & a libidine alienum efformaverit: Tamen Romæ viris manere, & casti pudoris decus tutari atque custodire ipsis non licet. *L.* & *F.*

398. *Horrida Domus.*) in qualibus plerumque pudicitia & sanctitas inveniuntur solummodo. Ut non immerito quærat apud Senecam Hippolytus:

Cur sancta parvis habitat in lectis Venus?

Et postea:

Non in recessu furta & obscuro improbus
Quærit cubili, seque multiplici timens
Domo recondit, æthera ac lucem petit
Et teste cœlo vivit.

Nam profecto ditiores illi & potentiores, ut Seneca ait, sumtuosas domus ambitiose exstruunt, *non, ut tutius vivant, sed ut occultius peccent.* L.

303. *Natura potentior omni custode & cura.*) Egregie dictum. Naturæ enim vis omnem institutionem & custodiam superat. Unde ille ait:

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit. L.

303. *Non licet esse viris*) Nam, ut sequitur, quia pulcri sunt, aut castrantur aut corrumpuntur; hoc est aut spadones fiunt, vel Cinædi & pathici, *L.* atque adeo effœminantur. *V.*

304. *Nam prodiga.*) i. Improba corruptoris munerum prodigalitas ipsos parentes solicitare non erubescit, ut sumtis muneribus patiantur filios suos corrumpi. *L.*

306. *Tanta in muneribus.*) i. Usque adeo confidunt muneribus suis, quibus omnia expugnantur:

Munera crede mihi placant hominesque Deosque.

Atque hic imber ille aureus, per quem Juppiter in Danaes sinum decidisse fingitur. *L.*

310. *I nunc.*) Ironice hæc ad matrem. Ridet stultos parentes & matrem pulchritudine filiorum suorum gaudentem; ob quam etiam in majora discrimina sint præcipitandi, quam illa de quibus paulo ante de Nerone dixit. *L.*

312, *Et pœnas metuet*] i. Omnes illas pœnas adulterii metuere cogetur debet quas iratis maritis, quorum uxoribus in adulterio abusi sint, si ab ipsis deprehendantur de quibus mox. Alii aliter hoc legunt. Sed hæc vera lectio. L.

315. *Ille dolor.*) quem maritus patitur, dum adulterum deprehendit. Quod profecto quisquis æquo animo pertulerit, ille dignus ut ex omni consortio hominum longe lateque profligetur. *L.*

315. *Plus quam lex.*) Multi enim impatientia doloris illius crudelissime & atrocissime sæviunt in adulteros. *L.*

323. *Deterior totos.*) i. Fœmina, quæ aliis in rebus deterior & avara est, illic in erogando aliquid in adulterum, habet totos mores, optime morata & liberalis est. Vel omnes mores habet, liberalitatem, beneficentiam, humanitatem. *Die sonst ein Teuffel ist, ist ihrem Ehebrecher allein gutig.* L.

324. *Quid profuit olim.*) Alii legunt, *quid profuit ergo.* alii: *quid profuit immo.* (teste de utraque lectione *V.*) i. Hippolyto tamen grave illud & severum propositum caste vivendi nihil profuit. Illo enim vitæ periculum sibi arcessivit. *L.* respondet ad objectionem, *sed casto, quid forma nocet.* F.

328. *Concussere.*) Ad ultionem sese excitarunt more Athletarum & vehementer iratorum, qui pectus vel latus ad iram excitandam solent concutere. Quemadmodum leo caudam concutit, ad iræ rabiem exstimulandam, in qua habet exquisitissimum sensum. *L.*

328. *Mulier sævissima*) Dum contemta erubescit, vel dum furor fit ex læso & repudiato amore. Virgilius:

— Duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid fœmina possit.

Seneca Hippolyto egregie iram Phædræ describit:

Furit insanæ similis procellæ. L.

331. *Optimus hic.*) quin etiam, ut dixi, consul designatus *L.*

333. *Messalinæ oculis.*) Amore, qui ex oculis, *vel* Nece, ante Messalinæ enim oculos occisus est. *F.*

334. *Tyriusque palam.*) i. Purpureus, Genialis vel conjugalis aut nuptialis lectus palam sternebatur in hortis Lucullianis. Dicebatur *lectus Genialis*, vel quia Genio & Junoni *Γαμηλίοις* sacer erat, vel quia liberis gignendis destinaretur, ita vocabatur ominis causa. Dicebatur *& lectus adversus.* Vid. Pers. 11. 3. *L. & F.*

335. *Decies centena.*) Decies centena millia sestertium, qui in dote lautiorum mos & numerus legitimus nostræ monetæ 7812. *lib.* 10. ß. *F.*

335. *Ritu antiquo.*) Dos enim marito dari instituta fuerat propter matrimonii onera. *L.*

336. *Cum signatoribus.*) Notariis, qui tabulas nuptiales signent. *Consulem designatum, cum uxore Principis, prædicta die adhibitis, qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa, convenisse: atque illam audivisse auspicum verba, subisse, sacrificasse,* &c. Tacit. 11. Annal. *F.*

338. *Non nisi* &c) Idque vivo marito Claudio Imp. *Jamque Ostiam tantum profecto sacrificii causa.* Tacit. 11. Ann. non adulterio contenta. *F.*

342. *Dedecus ille domus.*) Omnium ultimo loco & tempore rescisset hoc probrum, dedecus & infame adulterium suæ familiæ. Indicium ipsi inter alios fecit Calpurnia Hostia, quæ illi dixit: *Matrimonium Silii vidit populus, Senatus, & miles, & ni propere agis, tenet urbem maritus imperio Messalinæ, cujus jussu multæ cædes perpetratæ fuerunt.* Tacitus. *L.*

343. *Interea tu*) Scoptice illum jam quasi hortatur ad obsequium Messalinæ, & parvulam illam vitæ moram æqui & boni consulendam. *L.*

346. *Præbenda est gladio.*) *Pulcra* hoc loco *cervix* emphatice dicitur. Nam pulcritudo ipsi exitialis fuerat. Porro innuit hic Auctor capitis illum supplicium sustinuisse, alii dicunt ipsum in præsentia Messalinæ cruci adfixum, idque monente vel imperante Narcisso, de quo Auctor noster in fine Sat. *L.*

347. *Permittis ipsis.*) Pia & Christiana sententia. q. d. Tu tantum ora, quidquid autem tibi utile sit, illud Deus novit, & tibi dabit. Vel tu a Deo optima petе, quæ ille tibi eliget. Hinc & oratione nostra Dominica oramus: *Fiat voluntas tua*, quæ Dei voluntas cum mala velle non possit, haud dubie optima dabit, & cum sapientissima sit, optima potest eligere. Præclare Lacedæmonii, qui, ut Plato in secundo Alcibiade refert, orantes Deos pulcra cum bonis sibi dari postulabant. Nec plura illos precari quis audivit. Præclarus etiam ibidem citatus a Platone versus:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ λυγρὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
Sive petam seu non, quæ sunt bona Juppiter o rex
Da mihi; quæ mala sunt, mihi nec largire petenti.

Vide Socratis dictum in Val. Max. *lib.* 7. *cap.* 2. & ejusdem Socr. apud Xenophont. *Ἀπομνημ.* *Αἰὐχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι*, &c. *F.*

349. *Nam pro jucundis.*) Pro illis, quæ ad oblectationem & voluptatem pertinent, quæ homines maxime expetunt Vel pro illis, quæ nobis inconsulto, & inconsiderato appetitu jucundissima videntur, Deus nobis dabit aptissima, utilissima, & salutaria quæque. *L.*

399. *Aptissima quæque.*) Optima nobis, & convenientia. Seneca Ep. 111. *Quicquid nobis bono futurum erat, dominus & parens noster in proximo posuit. Non exspectavit inquisitionem nostram, sed ultro dedit, nocitura altissime pressit.* Valerius *lib.* 7. *cap.* 2. de sapienter dictis hanc rem latissime tractat, quem omnino vide. Unde Juvenalis totum Satyræ Argumentum desumsisse videtur. *M.*

350. *Carior est illis.*) Pia, præclara & egregia sententia, & ratio est, quia nos mali mala sæpe & pernicio-

sa petimus, & illi Dii contra boni non nisi bona dant. Nam teste Seneca, *Deus malum nec dat, nec habet*. L.

350. *Nos animorum.*) Adfectuum impulsu, non rationis. *L.*

351. *Cæca magnaque.*) Inconsiderata, stulta, immensa, inexplebili, *L.*

352. *Partum uxoris*) Respicit ad 2. *Alcibiadem* Platonis, ubi dicitur: *Invenias praeterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios votis exoptant. At cum filios adepti sunt in calamitates doloresque maximos incidunt. Nam plerique, cum nati per omnem ætatem improbi perseverent, universam vitam mœrore conficiunt. Qui vero probos filios nacti adverso quodam casu illis orbantur, nihilominus quam superiores illi miseri sunt, ut prorsus eligerent, filios se nunquam genuisse.* L.

353. *Qui pueri.*) Qui forte γεννήματι πήγματι forent. *L.*

353. *Qualis uxor.*) Xantippe vel Andromacha quædam. *L.*

355. *Tomacula.*) Farcimina pinguia e porcinis carnibus, jecore, & aliis involutis. Alii (ut *V.*) legunt *Thymatula* tanquam a θύω id est Sacrifico *L.*

355. *Candiduli.*) In nuptiis & re uxoria porcus candidus solebat sacrificari, teste Varrone *de re Rustica*. *L.*

356. *Orandum est.*) Plato Alcibiad. 2. *Magna providentia opus est, ne quis seipsum fallat, dum magna petit mala, credens bona se petere.* Egregie autem monet ante omnia vera veri hominis bona esse petenda. i. animi bona. Nam, ut ille dixit: ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἄνθρωπος. Hinc Seneca: *Ora sanitatem animi, deinde corporis.* i. Ora propria, non aliena. *L.*

356. *Mens sana.*) Nam stultitia, ut Cicero ait, majus est malum, quam si omnia mala fortunæ & corporis in altera parte ponantur. Idem: *quæ potest homini major esse pœna furore & dementia.* L.

357. *Mortis terrore.*) Plin. *lib. 27. cap. 1. Et omnibus bonis, quæ homini tribuit Natura, nullum melius est tempestiva morte.* Jam vero mors: Πάντων φοβερῶν φοβερώτατον. Qui animus sibi dictet: *Usque adeone mori miserum est?* M. & L.

358. *Qui spatium vitæ &c.*) i. Qui sciat mortem munus aliquod munus aliquod Naturæ esse, quod munus omnibus obeundum, nemini desugiendum. Est autem Sapientis & fortis libenter subire, quod vitare aliquis nequeat. Hoc ait, quasi mors naturalis sit, & ponenda inter naturæ munera. Hinc dicimus: *Naturæ cessit*, i. mortuus est. *L.*

359. *Qui ferre queat quoscunque labores.*) Versatur enim virtus inter voluptates & dolores. Hinc Epictetus dixit: Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, Sustine dolores, & abstine a voluptatibus, & eris ἀναμάρτητος καὶ ἀμετανόητος. *L.*

360. *Nesciat irasci.*) Hæc de justitia jam intelligi possunt. Ira enim & cupido aliique adfectus a norma Justitiæ homines solent transversum agere. Dicit autem hoc ex sententia Stoicorum, qui omnes adfectus a viro bono & justo segregarunt. *L.*

360 *Et potiores:*) Qui cupiat vitam vivam vivere, in laboribus & actionibus honestis; non mortuam in voluptatibus & deliciis corporis, quibus vita minime vitalis vivitur. Seneca: *Proinde hi, qui jactantur & per operosa atque ardua sursum atque deorsum eunt, & expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt primesque castrorum, & vivere existimandi sunt. Illi quos publica quies aliis laborantibus molliter habet, turturilli sunt, tuti contumeliæ causa, quorum vita mors censenda.* L.

362. *Et plumis Sardanapali.*) *cœnis* post *plumis* transponit *V.* Cic. *Sardanapalus ille vitiis multo, quam nomine ipso deformior.* Tertullianus *de pallio: Phisconem, & Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, alias Reges nemo nosset.* Au.

363. *Monstro, quod ipse tibi.*) Ne aliorum implores auxilia, bonum animum tibi ipsi dare potes. Ethnice dixit, quasi hæc omnia suo Marte quispiam sibi comparare possit. Sic Horatius:

> *Det vitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.*

Censebant enim illi quemque suæ virtutis auctorem, & quemque etiam suæ fortunæ esse fabrum. *L.* In eam sententiam *Livius lib. 49.* loquens de M. Porcio: *In hoc viro tanta vis animi, ingeniique fuit, ut quocunque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse videretur. Nulla ars, neque privatæ, neque publicæ rei gerendæ ei defuit, urbanas, rusticasque res pariter callebat.* L.

363. *Semita certe*) i. Alludit ad Y Pythagoræ. *M.* Unica via ad tranquillam & beatam vitam tendit per virtutem. Neque potest jucunde vivi, nisi cum virtute vivatur. Egregie dixit Isidorus: *Vis nunquam tristis esse, recte vive.* L.

364. *Tranquillæ vitæ.*) Hinc Pallas, vel Sapientia & virtutis studium in Clypeo caput Medusæ, id est, sapientiam gestat, cujus intuitu intuentes in scopulos converti fingebantur. i. in constantes & imperterritos viros, qui omnes vitæ humanæ maris fluctus frangant & contemnant. *L.*

365. *Nullum numen abest.*) i. Si tu prudenter vitam tuam & eam ratione instituas, nullus fortunæ locus erit, & omnes Dii sapienti favebunt, & opem ferent. Sic Horat.

> *Ad summum sapiens uno minor est Jove, dives,*
> *Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.*

Et Sallust. *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia*

lia Deorum comparantur. Vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt. Ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequidquam Deos implores, irati infestique sunt. Et Plato *Alcib.* 2. *Perspicuum est, & apud Deum, & apud homines sanæ mentis justitiam & prudentiam præcipue honorari.* M. & V. Prudentes autem justique sunt; qui sciunt ergo Deum, & homines, quid agere, atque dicere deceat. Dicit autem hoc Poeta ob fortunam, quæ non solum nullum numen est, sed nusquam & nihil est. Nam cum sciamus omnia in mundo, maxima & minima, providentia Dei gubernari, quid restat de fortuna nisi vanum & inane nomen. i Fortuna nullas vires & potentiam in nos habet, si prudentes secundum virtutem vixerimus. Unde Stoicus ille dixit: Προκατείλημμαί σε ὦ τύχη, ϰ̀ πᾶσαν ἀφῄρημαί σε τὴν παρείσδυσιν. *Anteverti tibi, o Fortuna, & quasi vallo firmissimo opposito omnes tibi aditus interclusi.* Recte si de vaga aliqua Dea intelligas. Illa enim cum nulla sit, nihil auferre cuiquam potest. Et egregie Sallust. *Sed Dux atque Imperator mortalium vitæ animus. Quippe fortuna probitatem, industriam aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.* Et Seneca: *Errant*, inquit *qui aut boni aliquid nobis aut mali judicant tribuere fortunam.* Est autem fortuna rerum accidentium subitus & inopinatus eventus, quæ ex hominum imprudentia nata est. Unde recte dicitur: *Tolle ignorantiam e personis, fortunam de rebus sustuleris.* Quia enim homines rerum omnium causas non perspicimus, ut est mortalium cæcitas: Fortunam nescio quam vagam, irritam, instabilem nobis fingimus. Quod si causas rerum latentes & abditas nobis inspicere dareiur, non modo nullam esse talem Fortunam videremus, verum etiam omnium minima, singulari Dei providentia regi. Et sic fortuna nihil aliud est, quam Dei providentia, sed non perspecta. Et recte divinus ille Seneca: *Fortuna, Fatum, Natura, omnia ejusdem Dei nomina varie sua potestate utentis.* M. & L. Lactant. *lib.* III. *cap.* 29. legit hunc vers. *Nullum nomen habes &c.* M.

455. *Sed nos Te facimus.*) i. Nos homines, qui virtutem negligimus, nec ratione utimur, sed imprudentia temere ferimur ignavi & stolidi, omnia fortuito eventu metimur, nihil ratione, proposito, aut consilio agimus, sed nos & nostra Fortunæ tanquam Deæ committimus. Unde, si bene cesserit, nobis acceptum referimus, quasi nostra prudentia & consilio evenerit. Sin male cesserit, fortunam accusamus. Quo nihil vanius & ridiculum magis cogitari potest. Seneca Epist. 99. *Valentior omni Fortuna animus est, & in utramque partem ipse res suas ducit, beataque & miseræ vitæ sibi causa est.* Plin. *lib.* 2. *cap.* 7. *Toto quippe mundo, omnibusque locis & horis omnium vocibus Fortuna invocatur, & una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola arguitur & cum conviciis colitur, volubilisque a plerisque etiam cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expensa, omnia referuntur accepta in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. Adeoque obnoxii sumus sorti, ut sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* I. Nos omnia eventu metimur, nihil providentia & consilio, & ob id vera bona nobis comparare non possumus, & falsa a Diis petimus. Hoc est: Ignorantiam & imprudentiam nostram Deam facimus, cum potius prudentiam & sapientiam veriores Deas, i. naturam, veritatem, & rectam rationem cuique a Deo datam sequi deberemus. *L.*

Ad Satyram XI.

QUid enim. vers. 2.) Rationem reddit, cur demens dicatur. Eo quod nihil magis sit ridiculum, quam cum pauper quispiam sumtuosus & gulosus, qualis Apicius fuit, esse velit. Non enim pauper quispiam fuit hoc nomine, sed gulosus quispiam nebulo, qui deliciis suis immensum patrimonium dilapidavit, & libros de condimentis jusculorum & ferculorum scripsit, & teste Seneca seculum suum infecit. *L.*

3. *Pauper Apicius.*) Prorsus proverbii speciem habet in illum, qui gulosus & inops. *L.* ad pauperiem ex luxu redactus, ut Apicius, de quo Sat. 4. v. 23. *vel*, pauper, qui luxuriosus. *F.*

4. *Convictus.*) Convivia. Alii legunt *conventus, turmæ.* Sat. 8.

Nec per conventus & cuncta per oppida. L.

4. *Stationes.*) Homines in quodam loco simul stantes, interque sese colloquentes. Doctissimus Turnebus ait in foro Romano fuisse Municipiorum stationes. Testatur hoc Plinius *lib.* 16. *cap.* 44. cum ait: *Radices ejus in forum usque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant.* Irridebant autem Rutilum, quod ob gulam pauper factus gladiator fieri coactus sit. *L.*

6. *Sufficiunt galeæ.*) Videtur ipsum scoptice laudare, tanquam qui prudenter faciat, qui, dum adhuc per corporis vires potest, alio se conferat galeæ portandæ, & ferendis armis: Indicat obiter ipsum admodum adhuc juvenem bona sua consumsisse. *L.*

7. *Non cogente quidem.*) Reprehendit hoc loco, ut moris est, per transitum tribunum, quod hoc nobilium dedecus, qui in theatro, ut supra Sat. 8. di-

 ctum,

tum, sua funera vendebant, illud dedecus urbis non prohiberent. *L.*

7. *Non prohibente.*) qui illud dedecus urbis latis legibus non prohibeant. *L.*

8. *Scripturus Leges.*) Describit præcepta de ictibus, declinationibus, & tractandorum armorum ratione a lanista dictata, & imperata, quæ meditetur & exerceat. vide Sueton. Jul. Cæs. *cap.* 26 Hirtium de bello Africo & Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 3. de P. Rutilio. *F.*

9. *Multos.*) Et illos quidem obæratos, qui pæne animam debent, obsonia tamen lautissima ementes. *L.* & *F.* Eos intelligit, qui ex pecunia sibi credita luxuriantur, & decipiunt creditores. *Au.*

11. *Et quibus in solo.*) Tres sequentes versus conjungendi hoc sensu. i. inter illos, qui vivunt, ut edant & bibant, non edunt & bibunt, ut vivant, tantum propter gulam & luxuriam volunt vivere, quorum ventris modulus culina, venter Deus est: Inter illos, inquam, quo quis est miserior & pauperior, hoc egregius & lautius vivit. *L.* vid. Socratis dictum apud Macrob. 11. *Saturn.* M.

12. *Egregius.*) Adverbium comparativum est, a Grammaticorum regulis alienum: quo & Lucretius usus, cum ait:

Nam nihil egregius, quam res secernere apertas
A dubiis. V.

13. *Et cito casurus.*) Ad extremam pauperiem redigendus, valet hoc loco *casurus*, idem quod defecturus. *L.*

14. *Interea gustus.*) i. Interim licet obærati & ruinæ proximi sint, tamen per omnia elementa quærunt gustus, id est cibos & potus; in terra nobiles feras, in mari nobiles pisces, in aere nobiles volucres, quos vel igne vel aqua coquunt. *A.* & *L.*

17. *Haud difficile est.*) Cum omnia carissima emere studeant, facile possunt magnam pecuniæ summam pro pignore in fœnus assumere mox perituram. *L*

18. *Lancibus oppositis.*) Emphatice. Præsertim si quis adhuc lances & alia utensilia habeat, quæ pignoris loco possit opponere. *L.*

18. *Fracta.*) ne cognoscatur, quod filio & familiæ fuisset dedecori. *L.*

19. *Gulosum.*) Vel per Hypallagen, quod gulosis comparetur. Vel vas capax, qua figura dicitur apud Persium: *Sitiente lagena*, & Plautum *sitit quadrantal.* *L.*

20. *Sic veniunt.*) hoc censeo Poetam velle. Quod luxuriosi, dum ita vivunt, cogantur denique ob inopiam gladiatores & ludii fieri, & a delicatissimis ferculis sese conferre ad cibum gladiatorum, mixtum ex quam pluribus. *L.*

20. *Sic.*) Dum scilicet omnia carissima emunt, dum gulam habent immensam. Si autem ita hunc versum explicemus, ut prorsus explicandus est, est insignis & illustris sententia proverbialis competens in illos, qui ob gulam & luxum, ad extremam inopiam & famem compelluntur. *L.*

22. *Refert ergo.*) Multum refert, differt, interest, dives aliquis an pauper sumptus faciat, & opipare vivat. Nam quamvis eadem & unius sumptus fercula sint, tamen non iidem sunt, qui illa parant, In divite enim laudantur, in paupere vituperantur. *L.*

24. *A censu famam trahit.*) Eximie dictum. Si census magnus, liberalitatis; si exiguus, luxuriæ famam obtinet. *L.*

23. *Illum ego jure.*) Stultus est, qui novit Atlantem montem sublimiorem esse reliquis, & ignorat ditissimos cives Romanos, qui ferratas arcas in foro habent nummis plenas, majores sumtus sustinere posse: quam tu, qui tantum sacculum habeas. *L.*

24. *Quanto sublimior.*) i. Qui in rebus extra se inutilibus, & sibi ad beate vivendum nihil conferentibus mire ingeniosus est, acutus & subtilis, in metiendis facultatibus & seipso talpa cæcior est. Notatur πολυπραγμοσύνη, & sui ignorantia. *L.*

28. *Memori pectore.*) Apophthegma illud, *Nosce teipsum*, non solum ad corporis staturam, aut formam pertinet, sed ad omnia vitæ officia, ut nihil supra vires attentes. e cœlo autem demissum putabatur, quod esset in templo Apollinis Delphici aureis literis inscriptum consecratumque. *L.*

24 *Conjugium quæras.*) i. In omnibus vitæ partibus hanc sententiam tanquam oraculum consule. Quæ sententia in contrahendo matrimonio illud tibi insusurret τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Tibi parem ducito & ne magnis conjugiis manus implices, te deterrebit. *L.*

29. *Seu sacri in parte senatus Esse velis*) i. Sive locum aliquem ambias in magistratu, aut senatu. Sane qui se vere norunt, & vere etiam honoribus digni sunt, semper sibi diffidunt, & ad honores non facile aspirant, sed vires suas prius ponderant, sintne oneribus illis ferendis pares. *L.*

31. *Traducebat Ancipitem.*) Versabat sese dubium, an illa etiam petere deberet, vel an illis etiam esset par. Commendatur prudentia & modestia Ulyssis. Innuit ☿ *Nosce teipsum*, non solum utile esse in faciendis sumtibus, ne quis modum & mensuram facultatum suarum excedat: Verum etiam in omnibus actionibus, consiliis, & tota vita humana. *L.*

33. *Te consule.*) i. Tui ingenii vires prius perpende, ne quid in te suscipias, cui ferendo impar sis, i. Teipsum in consilium voca,

— *Et nulli de te plus, quam tibi credas,*

nec-

nec te quæsiveris extra Illud enim Te hoc loco Emphasin habet. Cicero: *Suscipe onus officii, quod te putas sustinere posse* Idem 1. Offic. *Neque enim attinet quidquam sequi, quod assequi nequeas.* L.

33. *Dic tibi, quis sis.*) Egregia sententia, & omnium animis inscribenda, qua monemur, ut, velut Persius ait, *nobiscum habitemus.* L.

36. *Etiam cum piscis emetur.*) i. Etiam in rebus vilissimis, quæ non considerata ad paupertatem ducunt. i. Nihil debes insumere ultra vires facultatum tuarum. L.

37. *Nec mullum cupias.*) nam gulosi pauperes, qui emere non poterant, nihilominus deliberabant, & quasi oculis eum devorabant. Idque eo etiam, quod, teste Seneca, plerisque *major fames sit, quam venter.* L.

38. *Quis enim.*) Malus profecto exitus talem manet. Quæ enim gula absumserunt, furto, rapina, latrocinio, aliisque malis artibus student recuperare. Quis vero talium exitus sit, nemini obscurum est. Vide Salustium in Catilinæ sociis. L.

41. *Capacem.*) Scoptice & ridicule. Qui venter omnia potest capere & concoquere, preciis scilicet in obsonia commutatis. Qui venter deglutire potest integra ædificia cum trabibus & saxis. Hos nos Saxones appellamus *die Balckenschlucker.* L.

43. *Annulus.*) Hoc autem eo dicit, nam hos annulos gerebant luxuriosi, ne pauperes viderentur. Postea etiam, cum jam pæne od mendicitatem redacti erant, hi annuli etiam exibant ab illis, omnium ultimi. L.

44. *Præmaturi.*) Imo felices tales sunt, si cito absumptis opibus moriantur. Ut scilicet mature moriantur. L.

46. *Hi plerunque gradus.*) Recitat jam Auctor noster tres gradus, quibus tales nepotes ad extremam paupertatem & ad fidei violationem ac defectum perveniant. Principio conducebant pecuniam, eamque in fœnus assumebant: Deinde eandem pecuniam in urbe Roma coram creditoribus gula & luxuria consumebant. Postea quando parum supererat, & creditor, metu ne forte fœnus cum capitali summa perdat, pallet, solum vertunt, & aliquo aufugiunt. L.

47. *Inde ubi paullum.*) i. Cum ex illa pecunia a creditoribus assumpta paullulum & nescio quid, tern e nihil, reliqui est. L.

49. *Vertere solum.*) Qui versuram fecerunt, & patriam mutarunt, ob facta nomina & æs alienum, cum solvendo non sint. L. Cicero Philipp. 5. *Habent enim legitimam excusationem exilii causa solum vertisse, neque e e postea restitutos.* L.

50. *Cedere namque foro.*) Non comparere in foro. Ital. *la Piazzo.* Germ. *die Borse.* Belg. de *Beurse.* F.

50. *Non deterius.*) Non majori honoris jactura jam fit, quam per æstatis fervorem ex urbe media secedere in suburbanum, aut rusticari, *te goetake the aire.* F.

50. *Tibi.*) quisquis versuram facis. Vel lege *ibi.* i. Romæ. L.

51. *Esquilias.*) Ad frigidiorem locum in colle Exquiliarum dicto, quod in eo Tull. Hostilius excubias posuerit. *vel*, quod cum prius neglectum excoluerit. L.

54. *Sanguinis in facie.*) Conqueritur Roma pudorem exsulare, nullam verecundiam Romæ esse, omnes esse perfrictæ, & nullius frontis. L.

55 *Ridiculum.*) Quos enim pudet, vel quibus pudor reliquus est, illi ridentur. L. pudet plerosque pudoris. F.

55. *Fugientem ex urbe.*) Imo *orbe*, ut Sat. 6. in principio dixit, Pudicitiam & Justitiam simul fugisse. Vult dicere, Romanos prorsus nihil curare, si quis ob infamiam in exilium abeat, vel ob æs alienum. Illos non amplius pudere. Diogenes Cynicus cum videret puerum quenquam rubore suffusum, *Confide*, inquit, *fili, hujusmodi est virtutis color.* L.

56. *Pulcherrima dictu*) de Parsimonia, & de illo *Nosce teipsum*, & ne quis ultra suas vires sumtus faciat. L.

58. *Siliquas.*) Græcis *κεράτια*, quod cornuum figuram quodammodo referat. Germani dicunt *S. Johannis Brodt*, quod illis Johannes Baptista victitasse credatur, tanquam victu tenuissimo & maxime frugali contentus. Intelligit ergo antiquorum victum & cibum ex siliquis, vili legumine. L.

58. *Ganeo.*) Lurco, vorax, ganearum sectator, popino, qui cupedias sectetur. Cicero pro P. Sextio *Plura dixi, quam dicendum fuit in furiosissimum & egentissimum ganeonem.* Est autem ganeo Varroni, Nonio, & Horatio idem, quod popino, cui vitæ modulus culina. Ciceroni pro scortatore ponitur, qui lupas popularis libidinis nundinas frequentent. Græcis *πόρνος*, *ἢ πορνοκόπος.* L

59. *Placentas.*) melle illitas, quas Cato luxuriosæ gulæ esse dicit, & veteres in deliciis habuere. L.

62. *Et ipse tamen.*) i. Qui licet minor, & ipse tamen a Diis originem duxit, utpote Veneris filius, quæ Jovis tertii filia, qui Saturni, qui Uranii, vel Cœli. L.

64. *Nullis ornata.*) libis, quæ in macello veneunt. *M. dapes inemta* Virg. IV. Georg. F.

66. *Salicti.*) Est locus salicibus consitus, quibus imprimis capri infesti esse solent. L.

69. *Quos legit villica.*) Rustica, quæ habitat in villa

113. *Littore ab Oceano.*) Pulmannus *ab Occiduo.* Ab illa enim parte irruerant. *L.*

116. *Fictilis.*) simpliciter cultus, & cui fictiles illæ cum simplici probitate statuæ gratiores erant, quam istæ aureæ per vim, rapinas & scelera conflatæ. sic Sat. 3. vs. 20. *F.*

116. *Et nullo violatus.*) Vere *violatus.* Notent illi hoc, qui omnia nostro tempore in templis inaurant, & quos compellat Persius:

Dicite Pontifices, in sacro quid facit aurum?

Certe Dii auro violantur, ob quod omnia scelera & flagitia passim perpetrantur. Et quod aurum malis artibus acquiritur, illis statuæ Deorum ornatæ magis violantur. Sane revera tum aureum sæculum erat, cum nihil auri usquam fuit. Et recte alter Poeta:

— *Non auro, nullo commissa metallo*
Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet. L.

116. *Violatus.*) Cum Deo statuæ fiant ex auro; furto, sceleribus, rapinis, latrociniis, dolis, fraudibus parto. Vel quod homines magis aurum, quam Jovem colerent. *L.*

117. *Illa domi natus.*) i. Illa prisca sæcula mensas citreas, acernas, vel ex ebore non morabantur, sed faciebant mensas ex arbore domi vel in Italia nata. *L.*

119. *Eurus.*) Impetuosus ille & turbulentus ventus ab ortu flans. E nuce utensilia hujusmodi facta, a carie & vermibus tuta sunt teste Plin. *L.*

120. *At nunc divitibus.*) Antapodosi dissimilium, notat luxuriam sui temporis, i. Contra nostro tempore divites Romani nullam voluptatem in cœna ex cibo & potu capiunt, nisi fercula in aurea mensa apponantur, cujus fulcrum sit eburneum. *L.*

125. *Et Mauro obscurior.*) i. Indi adhuc nigriores quam Mauri & Æthiopes. Indi Orientales. Heic autem magna Elephantorum copia. Unde illud Phalarid. in Epist. O ἰνδὸς ἐλέφας τὴν μυῖαν οὐκ ἀλεγίζει Elephas Indus muscam non curat. *L.*

127. *Hinc surgit Orexis.*) Redit ad luxuriam Romanorum sceptice exagitandam, q. d. Si mensæ pes eburneus sit, Romani nostri vescendi desiderium & appetitum concipiunt, & magnam edendi libidinem. *L.*

128. *Stomacho bilis*) Sceptice. Quasi stomachus iratus ipsis cibis avide omnia jugulet, & deglutiat. *L.*

128. *Nam pes argenteus.*) Sceptice & hæc. i. Mensæ pes ex argento Romæ cum fastu spernitur, & non majoris pretii reputatur, quam si quis in digito annulum ferreum gestet. Indicat tum temporis eburneos pedes in majori fuisse precio, quam argenteos. L. χιλίπους ἀργυρόποδας vocat Lucianus in κρονοσολ. *F.*

230. *Qui me sibi comparat.*) Qui postulat, ut ego eadem luxuria sumtus faciam, & mea secum comparat, ecquid etiam illa tam ambitiosa & superba sint, quam sua? *L.*

132. *Calculus.*) Qui jam dicitur voce Italica *Scacchus.* Martial. *L.*

133. *Manubria.*) Manubrium capulum cujusque rei significat. Plautus: *Exemi ex manu Manubrium.* Au.

136. *Structor*) proprie, qui mensæ cibum imponit, τραπεζόποιος Athenæo. *lib.* 4. *the sewer.* sæpissime vero, ut & hoc loco, pro Carptore sumitur, qui cibum scindens carpensque præministrat, *Petronio* scissor, *Apulejo* diribitor, *the carver: Sidonio* cheironomon, ab agili manuum, ad leges quasdam, motu. Vide Sat. v. vers. 121. *F.*

137. *Pergula.*) Coquina, in qua edulia ponuntur, vel pergulæ ædificiorum, quæ in publicum spectabant, ob id artifices, & magistri, qui minus noti erant, in illis primum solebant opera sua proponere, aut docere, ut populo innotescerent. Josephus Scaliger. Plinius de Apelle: *Perfecta opera proponebat in pergula.* Au.

137. *Tryphei doctoris.*) *Trypheus* (Sic etiam legit *A.*) hic docebat artem structoriam in Subura; & secandi gestus cultro & ligneis ferculis referebat. *Au. Cripheri* legit *L. Triferi* vero M.

138. *Pygargus.*) Fera cervi specie, vel caprea silvestris, non dissimilis damis. Suidas dicit aquilæ esse speciem πυγὴν λευκὴν ἔχειν ὀρνιν, quod calidam habeat anum: *L. Pygardus* legit *A.* & *M.*

140. *Gætulus oryx.*) *Animal* in Gætulia bisulcum, & unicorne, non dissimile capris. Alii intelligunt Gallinam Numidicam. *L.* Caprea unicornis. Aristot. 3. *lib.* de partibus animal. & Plin. 11. Nat. Hist. *cap.* 16. *P.*

140. *Lautissima.*) Ridicule & Satyrice. Nam hæc, ut dixi, non sunt vera obsonia, sed simulacra eorum ex ligno confecta, & filo connexa. aut conglutinata leviter, ita ut cultello obtuso membratim dividi potuerint. *A.* & *L.*

145. *Rudis omni tempore.*) Qui nunquam hasce vanitates addisceret. *L.*

145. *Plebejos calices.*) Vitreos non cristallinos, & exiguo emtos precio. *L.*

147. *Mangone.*) qui exornabant, & vendebant pueros. *L.* Mango propric κυνοτρόφος, canum nutritor: sed & longius tractum, puerorum altor & negotiator dicitur. vide Pers. Sat. 6. vers. 76. *F.*

148. *Magno*) precio petitus & redemtus formosissimus & cultissimus, qui sæpe multis millibus emebantur *L*

148. *Cum poscis.*) Italus est, non Phryx, aut Lycius, non Græcus, aut aliunde advectus. *L.*

149. *Idem habitus.*) i. Omnibus meis pueris similes vestes. Alii vestibus ornabant suos pueros ad ostentandam luxuriam. *L.*

v. 149. *Erectique.*) Nec calamistrati, pexi tantum, *ut omnes Praecincti pueri recti comtique ministrent.* Horat. Serm. 8. *lib.* 2. F.

150. *Atque hodie.*) Ex consuetudine dixit. Nam in conviviis omnia solito magis ornabantur. L.

154. *Ingenui vultus.*) qui, quamvis servus; vultum, frontem, animum & pudorem, non servilem, sed liberalem & ingenuum habet. L.

156. *Raucus.*) Ex frequenti coitu, qui vocem enervat. Malo legere *draucus*, i. bene a natura instructus, quos Sat. 9. *bipedes asellos* dixit, & qui possimum in balneis sese ostentabant mollibus, *oculis devorantibus draucos*, ut Martialis ait. L.

157. *Nec vellendas.*) i. Nondum illi ob aetatem sub axillis orti pili, quos per tonsorem avelli curet. Inde enim foetor & *hircus sub alis.* L.

158. *Gutto.*) Olei vasculo, balnea intraturus, vocaces drauci oculos ventrus. F.

162. *Gaditana.*) Lasciva e Gadibus puella, quae cantet & saltet, cujus saltationis modos tres refert Jul. Caes. Scal. Poetices *lib.* 1. *cap.* 18. Martial. *lib.* 1. *epigr.* 42. & *lib.* 5. *epig.* 76. F.

163. *Prurire.*) Pruritum & urticam libidinis excitare in convivatum animis. F.

163. *Plausuque probatae.*) A convivis spectatoribus approbantibus hujusmodi libidinosos choros & cantus. Plausu autem solebant rem quampiam approbare. L. Spectatorumne? An improbi magistri, qui saltatriculas has circumducebat ad quaestum, & ad saltandum provocabat, plausu bene habitas testatus? vide Pers. 6 v. 78. F.

164. *Ad terram.*) Postea ad terram procumbunt, quasi ad sese stupratores admissurae, idque, ut magis intuentes convivas irritent, clune tremulo & crissante. L.

165. *Tremulo clune.*) Habitum illarum nimis mollem & libidinosum exprimit. Nota autem *clunem* in masculino dictum. L.

166. *Spectant hoc nuptae.*) Hi duo versus (*qui in nostra editione repraesentantur vss.* 201 & 202.) in quibusdam exemplaribus hoc in loco adduntur, in quibusdam inferius post illum versum:

Sponsio, quos culta doces assedisse puellae.

In vulgatis prorsus desiderantur. De quorum ingenuitate doctiores judicent. Est autem haec illorum sententia, in conviviis Romanorum tam obscoena & libidinosa oculis passim exponi, per introductas mulieres, idque praesentibus honestis matronis, quae merito quempiam narrare pudeat, nedum gestibus exprimere, illis iisdem matronis praesentibus. L.

168. *Et mox auribus.*) Nam lasciva voce lasciva cantica cantabant, & lascivos motus corpore exprimebant. L. Libido enim cantu & motibus natura movetur. πάντας πύλας τῶν ἡδονῶν καταδέχονται, δι᾽ ὀφθαλμῶν, δι᾽ ὤτων, &c. πληττομένας χρωμάτων τῇ δι᾽ ἐφθεγμένων ἀσμάτων. Lucian in Nigrin. *h.*

168. *Concepta.*) Non satis intelligo, quid sibi hoc verbo velit Auctor. Anne intelligit urinam vesica conceptam? Alias urina per aures & oculos concipi non commode dicitur. Nisi quis intelligat per urinam motam, libidinis pruriginem visu & auditu libidinosi cantus & saltationis excitatam. L.

169. *Non capit has nugas.*] Vanas libidinum illecebras. Nempe *stultitiam patiuntur opes.* Adde & turpitudinem. I.

170. *Testarum.*] Tympanorum & cymbalorum dicunt Interpretes, verum crotala sunt e testis & conchyliis, quibus inludia foeminas in saltationibus usas saepius vidi, cujusmodi crepitaculis & motibus utuntur Hispani, vocantque *casca bellos.* ἐν ταῖς ὀστράκοις κροτοῦσα. Aristoph. in Βατράχ. vid. Jul. Caes. Scal. 1. Poet. 18. F.

171. *Mancipium.*) *Ein Cottloser Palg.* Vere mancipium, quod suum corpus vendit, & precio abutendum prostituit. L.

173. *Qui Lacedaemonium.*] Certe hoc loco, quot lectores, tot ferme lectiones. Brodaeus legit *Pedemate*, Politianus *Pitylismate*, Flavius *Conjectan. cent.* 1 *Poppysmate*, Alciatus Parerg. Jur. *lib.* 6. *cap.* 3. *Pyreismate*, Eberhardus Molerus Henrici Theologi filius, ingeniosus juvenis, legebat *Pisteremate*, & hanc suam lectionem prolatis aliquot auctorum locis, & Luciani imprimis mihi probabat. Lipsius *Ep. Qu. lib.* IV. *Pygisma* Ego olim legebam *Pytismate*, & interpretabar, quod dives et nquam eques annulum gerens intelligatur, qui levi sputi irroratione digitum lubricet, ut annulum ipsi induere, & rursus detrahere possit *Lacedaemonium*, eo quod annuli usus a Lacedaemoniis manarit. Sed manus do ex merito magno illi Josepho Scaligero, qui simpliciter explicat. *L.* Calderini sententia est etiam Mancinelli, qui ait eam maxime convenire: dicit enim Poeta, mediocribus turpe haberi, si turpes gestus voluptatis caussa aspiciant, divitibus vero licere hinc ait:

Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur. M. *Ille* dives *lubricat* & irrorat *pytismate* seu frequenti sputo digitos, ut possit ostentare *orbem* seu annulum, *Lacedaemonium*, seu aeque ponderosum, atque erat ille ferreus Lacedaemoniorum. *A.* Merula ait saltationis genus esse *pytisma*, quo Lacedaemonii uterentur: idque homo ingenuus fassus est, se nunquam legisse; sed ita sibi in mentem venisse, ut ea, quae somniamus. Georgius Valla, cum putat vix satis sibi decorum fore, si ad epulas asymbolus veniret, orbem Lacedaemonium trochum esse dixit e pinu factum, quae Graece *pitys* diceretur. quem assidua rotatione oleo uncta mulier laevigaret seu lubricaret. Spartanos autem eo ludo maxime captos fuisse teste Prop. *lib.* III. eleg. 13.

13. Flavius *poppysmate*, id est sibilo, qui in re obscœna fieri consuevit. Alciatus *parerg. Juris lib.* 5. *cap.* 3 *Lacedæmonium orbem*, metaphorice accipit, & *lubricat* rem certe, inquit, obscœnam ostendit. ego vero ab his omnibus dissentio, & ab omnibus illis, quorum opiniones recensentur a Mureto, dicto *libro* 10. *cap.* 6. & a Politiano *lib.* 2. *Miscell. cap.* 38. Ille fruatur, inquit Juvenalis, vocibus obscœnis, omnique libidinis arte, qui nudus oleoque unctus se exercet in sudatorio, quod Laconicum πυριαμα, seu quod idem est πυελίχειον. Non mirum est, si ille, qui *lubricat orbem Lacedæmonium pytismate*, qui se vertit in gyrum nudus oleo, & unguentis delibutus in thermis illis, delectetur verbis obscœnis, & quærat omnes artes ad exercendam libidinem, cum dives sit & opibus abundet, nam pauper, cui deest victus, non quærit hos ludos, qui magna mercede emuntur, sine Cerere & Baccho friget Venus. Idem Juvenalis supra:

Non capit has nugas humilis domus,

Ideo ait:

Namque ibi fortunæ veniam damus.

fortunatis, & divitibus indulgemus, si libidinosi sint, quod idem dixisse videtur Satyra 8.

——— *Quæ*
Turpia cerdoni Volesos, Brutosque decebunt.

Et hac Satyra:

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens.

Et Satyra 4.

Nam quod turpe bonis Titio Sejoque, decebat
Crispinum. Au.

Pytilismate legit Jul. Cæs. Scal. *lib.* 1. Poet. *cap.* 22. & Politian. 2. Miscel. 38. & *lib.* 11. Epist. *Pytismate*, Turneb 21. *lib.* Advers. *cap.* 18. vel cum Brodæo *Miscell. lib.* 5. *cap.* 27. lege *Pedemate*, quod Lacedæmoniæ saltationis genus est, ad quod & Cicero in Pisonem respicere videtur, inquiens: *Cum ipse nudus in convivio saltaret*, *&c. cum illum suum saltatorium versaret orbem*, &c. vel cum Mureto *lib.* 10. *cap* 6. lego *Petteumate*, a πέττος, talus: ut sit, qui mensam rotundam e marmore Lacedæmonio talis vel aleis lubricat, atque hanc lectionem confirmat, quod sequitur *Alea turpis*, &c. *F.*

174 *Alea turpis.*) Vilibus & plebejis hominibus alea est turpis & infamis. Ita fit, nam principes & nobiles multa faciunt, quæ si facerent rustici, capite plecterentur. *L.*

177. *Alios ludos.*) Longe alios & honestiores, non autem turpes & lascivos, non infames meretricularum & saltatricum. *L.*

184. *Qua voce.*) bona an mala. Certe vox est anima pronunciationis. Videtur autem respondere objectioni, Rudem & simplicem habes puerum, qui male pronunciabit illos versus. *L.*

181. *Sed nunc dilatis.*) Monet jam Persicum, ut omnem tristitiam, & quidquid molestum est, deponat, ut lætus frontem secum possit exporrigere, nullis curis, & spectaculis Circensibus, quibus tota urbs Roma occupetur. *L.*

184 *Nec prima si luce.*) Est jocus subrusticus & nimis acerbus Juvenalis, q. d. Uxor te ad iram non commoveat, si mane egressa noctis tempore demum redit. *L.*

185. *Tacito.*) Notat miseram viri patientiam, qui hæc flagitia videat, & tacere cogatur. *Ut taceas, & bilem oculis substringas opertis*, ut γυναικοκρατούμενοι solent. *L.*

186. *Suspectis rugis.*) Quasi amplexando & osculando illas adulter fecerit, dum sc. ab adultero inclinaretur. Ut dixi, jocus Juvenalis nimis acerbus, quo Persicum currucam & nimis bonum virum esse innuit. *L.*

188. *Vexatas comas.*) A petulante adultero extra ordinem redactas, & consulas, quæ luctatiunculas & pressiunculas amantium significent. *L* quas Suetonius vocat *recentes lasciviæ & peractæ libidinis notas. cap.* 36. Calig. & August. *cap.* 69. *F.*

189. *Et quidquid frangitur illis.*) Ex re domestica vel supellectili, quam assidue frangunt non sine rixa & contentione dominorum. Ut cantharì, ollæ, sartagines, patellæ, pelves, & alia instrumenta, quibus plerumque fractis ille auctor est, qui ut est apud Homerum, Polyphemo oculum exstinxit, οὖτις. *L.*

190. *Ingratos sodales.*) i. inter convivandum ne memineris illorum, qui tibi bene merito malam gratiam retulerunt. *L.*

191. *Interea Megalesiacæ &c.*) Megalesia ante Solem prope celebrabitur. Livius. *lib.* 30. *In ædem victoriæ, quæ est in palatio, pertulere Deam pridie idus Aprilis, isque dies festus fuit, populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisternium, & ludi fuere Megalesia appellata.* Au.

193. *Prædo caballorum.*) Qui optimos & maxime agiles caballos ibi in circo sibi eligebat, illosque invitis dominis vili precio auferebat. *L.* jocatur a paronomasia. *F.*

196. *Viridis panni.*) factionis Prasinæ, cui favebat bona pars civitatis & imperator. *J.* & *F.*

197. *Nam si deficeret*) Scoptice hæc dicit. i. Si ludi Circenses Romæ deficerent urbem nimirum Romanam, non secus attonitam videres, quam fuit, cum Romani ab Annibale ad Cannas victi essent. *L.*

191. *Cannarum in pulvere.*) Signate & ex historia. Namque ventus, quem Vulturnum Appuli vocant, adver-

versus Romanos coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit. Liv. 22. *F.*

199. *Spectent juvenes.*) Est quasi concessio. q. d. juvenes sane hos ludos Circenses spectent, nos seniores cutem curemus. *L.*

199. *Audax sponsio.*) Intelligit contentionem & altercationem juvenum inter se, quæ fiebat depositis pignoribus, cum hic illum, ille alium victorem fore adfirmarent. Deponebant autem certum pignus, de quo certabant. Ovid. in Arte:

Et quærit posito pignore vincat uter L.

203. *Nostra bibat.*) i. Nostra cuticula, quæ jam vetula, & in rugas contracta apricando calefiat ad temperatum solem veris tempore. Intelligit ἡλίωσιν vel insolationem, quam senes adhibere solebant. Pers.

Nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. L.

204 *Jam nunc in balnea,*) Hortatur jam Persicum ut confidenter balneum ingrediatur, quamvis nondum sit hora sexta. Idque ut faciat vel hora quinta præter morem, & ad epulas veniat sexta vel septima. Ejusmodi convivia, quæ ante horam nonam incipiebantur, dicebantur *tempestiva.* *L.*

204. *Salva fronte.*) Vel exporrecta omnibus curis depositis. Vel sine verecundia & pudore. Ut licet nondum sit hora sexta, possit tamen salvo pudore balnea accedere, ut eo citius possint cœnare. Habebantur autem delicatiores & molliores, qui ante solitum tempus balneis uterentur. *L.*

208. *Voluptates commendat.*) secundum illud; *Omne rarum carum, vilescit quotidianum* L. & Mart. *Rara juvant.* & Cicero in Lælio: *Et quidem omnia præclara rara.* M.

Ad Satyram XII.

Natali, Corvine, die.) Quasi velit dicere amicus Catullus mihi dulcior est, quam egomet mihi. *L.*

2. *Promissa animalia.*) Hæc post paullo recenset. apposite Plin. *lib.* VIII. *cap.* 15. *Tum præcipuus votorum locus, cum spei nullus est.* Et Ovid. *lib.* I. Trist.

Dii maris & cœli, quid enim nisi vota supersunt;
Solvere quassatæ parcite membra ratis. M.

2. *Cespes.*) Ara ex cespite. Cespes est terra in modum lateris cæsa cum herba, sive frutex recisus, & truncatus est. P. Festus. *An.*

4. *Gorgone.*) Quidam indocte Hesperidas & Gorgones confundunt. Fuerunt autem tres Gorgones Phorci & Cetus sororis filiæ, Medusa, Euryale, Sthenone. *Maura* dicit, quia juxta Atlantem, ad fines Mauritaniæ, ut Xenophon scribit a Minerva vel Perseo interfecta est. *L.* Isid. Perseus adversus Persas dimicavit Gorgonis meretricis capite desecto, quæ propter eximiam pulchritudinem, ita spectatores suæ mentis impotes reddebat, ut vertere eos putaretur in lapides, ut Didymus scribit in peregrina historia, & præbet scriptorem ejus Eusebius in Chronicis. *An.* *Gorgone* a γοργὸν i. e. truculentia dicta; quale vero animal Gorgo sit, cujus obtutu lapidescunt, & cujus gravi & pestifero anhelitu occiduntur homines, vide quæ ex Alex. Myndio referat Athenæus *lib.* 5. *cap.* 20. *F.*

5. *Procul extentum.*) Victima ad aram ducebatur fune quidem longiore & laxo, non arcte ligato, ne videretur victima ad aram invita trahi, quod mali erat ominis. *A.*

5. *Petulans.*) Lasciviens & cornupeta candidus vitulus, qui coruscans & vibrans fronte cornibus jam primum enascentibus pruriens & ferociculus vexat robora, cui *Frons turgida cornibus Primis & Venerem & prælia destinat*, ut de hœdo Horat. 3. 13. *F.*

6. *Tarpeio Jovi.*) Qui in arce Tarpeja, vel Capitolio colitur. Hæc tria numina, quæ nominat, Juno, Pallas, Jupiter in Capitolio celebrabantur. *L.*

8. *Quem jam pudet.*) Quia jam maturior grandiorque est, lac ex matris uberibus exsugere eum pudet. Loquitur quasi ex adfectu humano. *L.*

10. *Si res ampla.*) Illustrat amoris sui adfectum in Catullum, i. Si facultates mihi majores essent, & tantæ, quantus est amoris adfectus in Catullum, pinguissimum & maximum taurum offerrem. *L.*

12. *Mole piger.*) Sua crassitudine, pinguedine, tardus & segnis. Grandiora autem sunt pigriora. *L.*

14 *Iret.*) Exiret, vel efflueret. Vel taurus iret ad templum & aram mactandus, ut sanguis ponatur pro generis ratione, pro alumno, pro tauro, qui originem & familiam suam ducat a Clitumno. *L.*

14. *A grandi ministro.*) Hunc grandem ministrum Pontificem maximum intelligunt. (ut *M.* & *V.*) Ego potius quemvis ministrum victimarium vel popam, quem grandem, validum & robustum exigit eo nomine, ut magnum & egregium taurum prosternere unico ictu ad terram possit. *L.*

16. *Incolumem sese mirantis.*) i. Qui ipse demiratur, quod vivat adhuc, & incolumis ex tantis maris periculis evaserit. *L.*

18. *Densis cœlum abscondente tenebris.*) Idque cœ-

do nigro & tenebricoso, cum una nubes densis tenebris cœlum absconderet. *L.*

19. *Antennas.*) Antenna lignum per transversum in malo positum, in quo velum alligatur. Antenna autem dictæ, quod ante amnem sint positæ, præterfluit enim eas amnis. Isidorus. *Au.*

19. *Nube una.*) i. continua, sic enim hæc vox bonis Auctoribus accipitur. *A.*

20. *Et mox Attonitus.*) Ostendit Catullum illo fulgure maximo cum reliquis fuisse perculsum. Ex consuetudine hoc ait: Nam fulmen si in urbem jaculetur, ita omnia in ea loca tremefacit, ut cuncti sese percussos credant. *L.*

20. *Et mox Attonitus.*) i. Cum mox unusquisque propter fulgur (quo antemnæ & vela incensa ardebant) stupefactus & attonitus putaret nullum naufragium conferri posse & comparari, cum velis & antemnis ardentibus. Nimirum terribilius ipsis visum est vela comburi, quam navim universam frangi & perire. Vel: Unusquisque putabat nullum naufragium per ventos & scopulos ulterius nobis posse obtingere, vel nobis conferri, præsertim cum vela arderent, & igni statim universam navium absumtum iri crederent. i. Quisque putabat, cum omnia igne consumta essent, naufragio ulterius non fore locum. *A. V. & L.*

23. *Poetica.*) Qualem Poetæ describere solent. Vel quæ a Poeta quodam describi mereatur. Lego autem potius *Pontica* i. sæva, qualis in Ponte Euxino, adductus adductus auctoritate eximi: & præclari viri Ignatii Hannielis mei, qui ex codice Manuscripto ita legit. In Ponto vero Euxino tempestates sævæ & horribiles. L.

24. *Genus ecce aliud.*) Audi aliud genus periculi & calamitatis, quod perpessus est Catullus, quando bona sua in mare abjicere coactus est. *L.*

26. *Et quam votiva.*) Naufragi solebant Deo cuipiam promittere votivam aliquam tabellam si liberarentur, qua depingebatur naufragi periculum & indicabatur naufragum Dei ope fuisse liberatum, quemcunque in naufragio implorassent, vel Æsculapii, vel Neptuni, vel etiam postea aucta superstitione, ut Deos Ægyptios reciperent, ipsius Isidis. L.

28. *Pictores quis nescit.*) Et hæc quamvis in re gravi & seria sceptice & satyrice in superstitionem Romanorum dicuntur. Illud enim Satyricis quasi naturale, ut semper & quacunque occasione alios reprehendant. *L.*

30 *Cum plenus fluctu.*) Cum jam alveus, *the hold*, esset semiplenus aquis, *atque daret saltus intra cava texta carinæ Fluctus.* Ovid. 11. *Metam.* L.

32. *Arboris incertæ.*) i. Navis, quæ non amplius regebatur, sed certo errore, incerto cursu a ventis impulsa huc illuc ferebatur. L. *Arboris incerto legit.* *M.*

33. *Decidere jactu.*) quasi venti bona Catulli tanquam raptores & prædones appetierint. *L.*

34. *Cum ventis.*) Quasi causam litis cum ventis voluit decidere, pro sua vita merces ipsis retributurus. Quasi venti ob divitias Catullum persecuti sint. Satyrice at leviter irridet Catullum. *A.*

35. *Damno Testiculorum.*) alii legunt: *cupient evadere damna Testiculis.* A. *Damno Testiculi atque ideo*, ita legit *M.*

37. *Fundite, quæ mea sunt.*) Exprimitur optimi animi indicium in Catullo, qui vitam suam bonis omnibus præposuit, quo ipso nomine postea ipsum laudat. *L.*

40. *Atque alias* &c.) *color Bæticus* alias appellatur pullus vel spanus, vel hiberus, vel ferrugineus, & constat ex atri & rubri mistura. *L.*

40. *Generosi graminis.*) Cujus succo pastæ oves talem in lana sua colorem generosum contrahunt. *L.*

45. *Et dignum sitiente Pholo*) Historiam de Pholo centauro recitat Diodorus *lib.* 5. Hunc Pholum Theocritus vini avidissimum fuisse notat. *M.*

46. *Et milleo scalia.*) Hadrianus Junius ex vetustissimo codice legit *escalia*, quod adjectivum est & ad vasa referendum. Est autem *escale* idem, quod vas escarium. *L.*

46. *Multum Cælati.*) Poculo aureo usque adeo delectabatur Philippus, ut & pulvino supponeret dormiturus. Plin. *lib.* 33. *cap.* 4. *L.* & *F.*

48. *Sed quis nunc.*) Laudat jam Catullum, quod pro sua vita externa bona profundere non dubitaverit, cum alii contra vitam pro externis bonis profundant. i. Quis vel ubi nunc alius præter Catullum invenitur, tantæ magnanimitatis? *L.*

50. *Non propter vitam.*) i. Multi existimant se propterea vivere, ut patrimonia faciant & colligant, non propterea patrimonia ampla possidere, ut recte vivant. Sic multi vivunt, ut edant & bibant, non contra, in quos competit Vasconum illud suo Regi acclamantium *Bibat rex*, *Vibat rex. Vau* enim consonans pronunciant ut *Beta.* *L.*

51. *Vitio cæci.*) i. Putant se eo nomine vivere, ut opes colligant, quas non habent, sed a quibus habentur, & qui sunt:

Inter opes inopes. — L.

51. *Propter patrimonia.*) Colligenda & augenda. *L.*

54. *Recidit.*) Pervenit vel processit illuc angustiarum. Propertius:

Recidit a cœlis ignisque & sulphuris amnis. V. *Decidit* legit A.

55. *Explicet angustum.*) Ita enim hic locus legendus

fuadet. i. ut se arctum, impeditum & in angustias redactum propter malum expeditiorem faciat, impedimentum mali removens. *L.*

57. *I nunc.*) Acris & acerba objurgatio in illos, qui exigui lucelli gratia in vitæ pericula temere sese conjiciunt, & navigant ψυχοκινδυνοι, & suæ vitæ prodigi contemtores. *L.* Alludit ad dictum Anacharsidis, qui ut refert Laert. *lib.* 1. cum audisset navem trium digitorum esse crassitudine, *tantum*, inquit, *a morte absunt, qui navigant.* J. & F

58. *Digitis a morte.*) i. Cum inter te & mortem quatuor tantum sit digitorum distantia, quanta scilicet crassities est asserum ipsius navis. Hinc Bias dixit nautas neque inter vivos, neque inter mortuos esse. Terrestris enim homo veluti ἀμφίβιος in mare se projecit, totusque arbitrii factus est fortunæ. *L.*

60. *Mox cum reticulis.*) i. Festina ad navim, ut te morti exponas, & illi sis proximus, cumque viaticum tecum in mare deportas, accipe una tecum securim, quam in tempestate sumas: ut navis dejicias malum. Est Satyricus Sarcasmus. *L.* i. Peris, ad modum retis textis, in quibus nautæ, milites & viatores panem & cibaria secum ferunt. *knapsackes.* Pers. 5. Sat. v. 140. *F.*

61. *Aspice.*) i. Vide & memento, ut etiam secures tecum portes. Mallem hoc loco legere, *Accipe*, i. Una tecum porta secures, quas in tempestate sumas ad malum præcidendum, supra vs. 55. *L.* & *F.*

67. *Inopi miserabilis arte.*) i. Tunc truncata & miserabilis prora vel navis eucurrit, non velis extentis, illa enim fulgure & naufragio perierant, sed vestibus nautarum & Catulli extensis. *L.*

67. *Inopi arte.*) Quia vela omnia cum malo amiserant loco velorum sua vestimenta extendunt. Apposite dicit, *inopi arte*, quod Saxones pulcro diverbio exprimimus, *genauwer Rabt kompt von armen Leuten.* L.

70. *Cum Sole*) matutino exoriente, *vel* discussis nubibus apparente. *F.*

73. *Lætis Phrygibus mirabile.*) Hoc per Parenthesin legi potest. *Lætis* propter vaticinium de ea sue datum, quam jam invenerant. *L.*

76. *Tyrrhenamque Pharon.*) Hujusmodi nocturnas navigantium lucernas in fronte portuum Ægyptii *Pharos* dixerunt. *L.*

81. *Tunc stagnante sinu*] Portu tranquillos fluctus habente. *M.* & *An.*

81. *Gaudent ibi*) i. Nautæ, Catulli Socii jam a periculo naufragii tuti, recitant ibi amicis notis pericula in mari perlata. *L*

81. *Gaudent.*) Nam præteritorum malorum gratissima est memoria. Virg.

Quondam meminisse juvabit. L.

81. *Vertice raso.*) Ut servi accepta libertate raso capite pileos accipiunt, vel ut rei absoluti Jovem tonsi salutant, sic nautæ raso capite forte tum tanquam a morte liberati. *L.* Suscepto voto, quod sit raso capite ex more reorum absolutorum ac servorum in libertatem vindicatorum, urgente vero tempestate solebant nautæ capillos tondere, quod tamen in pacato mari ominis erat infausti. *Petron.* & οἱ περὶ τὰς ἱερὰς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς. &c. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. F.

85. *Glebamque virentem*] Aram intelligit ex herboso cespite. *L.*

86. *Et sacro quod præstat.*] i. Quod sacrum melius excellit omni ritu, & solennitate observata. Si legas, *præstat*, intellige magna illa sacra, quæ initio meminit, Junoni, Palladi, & Jovi. Alii legunt, *quod restat.* L. utramque lectionem agnoscit *A.*

87. *Graciles ubi parva.*] i. Ubi domi meæ parva sacrificia etiam peragam Diis domesticis. Ubi parva Deorum familiarium simolachra e fragili cera nitida facta mediocres coronas accipient. Porro Lares etiam publice in compitis celebrabantur, tradito ritu a Servio Tullio, quoniam ex Lare conceptus putabatur. Nam cum Ocricularia mater ejus sederet ad focum, in tranquillis cineribus genitale apparuit, unde ea surrexit gravida, & cum postea flamma in capite Servii conspecta esset, confirmata est opinio, ipsum Laris esse filium. *L*

82. *Hi nostram.*) i. Heic domi meæ Jovem familiarem colam. *L.*

82. *Laribusque paternis.*] A patribus acceptis, quibus etiam majores mei usi. L.

92. *Et matutinis operatur.*] i. Janua mea vel domus operatur festa, vel celebrat festivitatem, & rem divinam facit mututinis lucernis a principio diei etiam ante lucem incipiens. Ita hunc locum vulgus interpretum intelligit. Sed legendum cum Lipsio *operitur*, i. tegitur, vel vestitur. Et sic conjungenda sunt *festa janua*, in nominandi casu. Ex consuetudine hoc ait, qua in omni publica & privata lætitia receptum erat januam ornari lauro & lucernis. *L.* Rem divinam facit. alii legunt *operitur*. Lauro enim & pensilibus lucernis solet ornari janua in festis, & Satyrice addit *Matutinis*, ut quæ clara luce sint supervacuæ. *F.*

93. *Suspecta.*] De captatione vel inescatione, quasi hoc faciam, ut a Catullo hæres scribar. Nemo suspicetur me id agere, ut captem hominem: nam orbus non est, neque admodum locuples. *J.*

95. *Libet exspectare.*] Male hoc interpretes acceperunt, quasi ironice dicatur: Libet mihi exspectare donec moriantur illi tres Catulli liberi. Est autem hic sensus: Exspectet aliquis, donec quispiam inveniatur alius, qui vel gallinam moribundam pro patre filios habente sacrificet. Sic nos Germani dicimus scoptice de re insolita & impossibili: *Da warte einer nach, dasz datselbe geschehe.* L. Exspectet aliquis donec inveniatur alius quispiam.

I would

I would see one else. F.

100. *Legitime fixis tabellis.*) Votivis, fixis ab heredipetis. vide Sat. 10. vs. 55. *Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita suo titulo proposito voverent.* Suet. Cal. *cap.* 14. Ab opinione illa veterum, *Mortem morte posse redimi*, ortæ devotiones & κηδεμόνεις. F.

108. *Nostris ducibus.*) Scipioni socero Pompeji &c. *Appian* 3. *de bello Civili.* F.

108. *Molosso.*) Pyrrho Epirotarum regi, in cujus adventu Italia primum vidit Elephantes: Et, ut Justinus scribit, illorum ope prima congressione contra Romanos inferior futurus vicit Molossus. Nam, ut Theopompus scribit, erant quatuordecim Epirotarum gentes, quarum celeberrimæ erant Chaones & Molossi. L.

110. *Et euntem in prælia turmam.*) Lege *turrim.* Et res nota est de Elephantis turrigeris. Cæterum turma est multitudo triginta duorum militum. L.

112. *Et cadat ante Lares.*) i. Immoletur Diis domesticis Gallitæ matronæ ditissimæ, & orbæ, de qua supra. Alii legunt *ante aras*, tanquam Gallitæ quasi Deæ immolet. Cum qua lectione sequentia non male conspirare videntur. L.

113. *Victima sacra Deis tantis.*) Ironice. Vel in extenuationem Larium Gallitæ, quibus minutis Diis tam vasta fiant sacrificia. Vel potius in irrisionem Gallitæ & Paccii orborum, qui nimirum indigni sint, quibus talia sacrificentur. q.d. Nimirum digni sunt divites illi orbi, quibus hæc tanquam Diis immolentur, & digni etiam captatores, qui immolent. L.

114. *Diis.*) Videtur intelligere ipsos orbos, quos captatores tanquam Deos quodammodo colebant. L.

115. *Alter enim.*) Notat insanam & impiam malitiam captatorum, qui etiam homines, si legibus prohibitum non esset, immolarent, ut inescarent orbos. Imo ne propriæ quidem filiæ parcerent, si legibus indultum esset. L.

116. *De grege servorum.*) Eo dicit, nam ex animalibus egregia, & eximia quæque eligebantur ad sacrificium. L.

118. *Et si qua est.*) Mira hæc Poetæ festivitas & amarities. Si captator Pacuvius filiam aliquam domi non dum elocatam habeat, quæ matura jam viro & nubilis, qualis Iphigenia erat filia Agamemnonis, & illa a patre in Aulide mactanda, & illam aris pro salute divitus orbi admovebit. L.

119. *Et si non sperat*) fore, ut ope Dianæ filia ejus liberetur, & pro ea cerva immolanda substituatur. Qualiter Iphigenia Agamemnonis filia liberata fuit. Hanc quidam Iphianassam vocant. L.

121. *Laudo meum civem.*) Quidam hæc volunt esse verba captatoris ad Juvenalem. A.

122. *Nam si Libitinam.*) i. si æger ex morbo convaluerit, existimabit se propter sacrificium Pacuvii fuisse liberatum. L.

123. *Inclusus carcere.*) *Nassa*, ut Festus ait, est piscatorii vasis genus, qua, cum intraverit piscis, exire non potest. Solent autem Poetæ *pisces* pro orbis ponere, & piscatores pro captatoribus. Hoc ergo vult dicere. Cum orbus convaluerit eo merito captus & tanquam piscis in nassa conclusus evadere prorsus non poterit, quin eum omnium bonorum hæredem constituat, reliquis omnibus præteritis. M. Quidem explicant: inclusus domicilio Nassæ medici, ut curaretur. Prior sensus mihi placet, cui consonat illud Luciani: τοὺς δ' ἄλλους μάτην κεχηνότας, εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντας, καταλιπὼν ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷον αὐτοῖς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγε, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών. L.

125. *Breviter.*) Post paullo, propediem. L.

125. *Ille superbus Incedet.*) Videtur scoptice rationem attexere illius, quod supra dixit, se mille naves cum uno testamento non comparare. i. Ille Pacuvius hoc admirandum suum meritum frustra non impendit, sed tanquam victor ob id meritum de reliquis hæreditatum æmulis & competitoribus suis triumphabit, cum solus ex asse hæres omnium bonorum constitutus sit. L.

127. *Jugulata.*) Forte, non quod jugulata sit, sed quod pater promptus fuerit ad ipsam jugulandam pro vita & salute orbi. L.

128. *Vivat Pacuvius.*) Subjungit jam diram imprecationem, qua imprecatur Pacuvio longam vitam, tanquam homini malo, avaro, & misero. Et sic sub specie precationis infelicissima quæque imprecatur ipsis captatoribus. Cæterum avaris hujusmodi nihil prius accidere & contingere potest longa & diuturna vita, id est diuturno, & continuo tormento: qui quidem velut Midæ, auro strangulantur, & suffocantur: Vel ut Tantali inter maximas opes inopes & miserrime vivunt, & inedia contabescunt. Quid autem pejus accidere cuiquam potest, quam hic πλοῦτος ἐνδεής, καὶ τυχὴ ἀτυχής; L.

129. *Quantum rapuit Nero.*) Habebat infinitas opes Nero Nam publicas & privata contra jura divina ac humana rapuit, etiam templa spoliavit, nullique delegavit officium, ut non adjiceret: scis, quid mihi opus sit, & Hoc agamus, ne quis quidquam habeat. Auctor Suetonius. M. L. & F.

130. *Nec amet quemquam.*) Quod est extreme mali & miseri. Recte autem dicit: *Nec amet*, quoniam cum divitias orborum tantum amet, neminem vere amat. L.

Ad Satyram XIII.

EXemplo quodcunque.) Hinc recte dictum: *Frustra eum praetereunt leges, quem non absolvit conscientia.* Nam ut maxime hominum judicium evadat talis, conscientiae carnificinam non evadet. *J.*

1. *Exemplo.*) Homines plus saepe exemplo, quam peccato nocent. *L.*

1. *Ipsi Displicet auctori.*) Et sic, teste Seneca, *semper sceleris in scelere supplicium.* Nam illae scintillae & reliquiae rectae rationis, quae etiam in sceleratissimis, quamvis ad tempus obrutae & sopitae, perpetrato scelere statim reviviscunt, evigilant, scelus damnant, & accusant. *L.*

2. *Prima est haec ultio.*) Conscientiae, quae post factum litem peccanti intendit. Nam conscientia tanquam animorum lancina, illi, qui impie scelerateque egerunt, cruciantur, & quasi furiarum taedis ardentibus agitantur. Cicero. *Magna vis est conscientiae in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & poenam semper ob oculos versari putent, qui peccaverint.* L.

2. *Se judice.*) Hinc Ausonius egregie dixit:

Turpe quid ausurus te sine teste time. L.

3. *Improba quamvis.*) Hinc promtum est colligere, Calvinum illi, qui depositum abnegarat, litem intendisse, sed accusatum corruptorum judicum malitia absolutum fuisse. *L.*

4. *Fallacis.*) Melior haec lectio. Alii legunt *fallaci urna*, alii fallacem urnam. *L.*

4. *Praetoris.*) Qui centumviralibus praesidet, teste Plinio. *lib.* VI. *Epist.* M.

5. *Quid sentire putas.*) Secundum argumentum, quo consolatur Calvinum. Quod omnes homines factum illud amici depositum inficiantis & amicitiam violantis, tanquam sceleratissimum damnent, & detestentur. *L.*

5. *Recenti scelere.*) *Retenti.* i. e. depositi, abnegati ac non redditi, legendum autumat Jan. Rutgersius *lib.* 2. Var. Lect. *cap.* 17. *F*

6. *Fidei violatae.*) Illius, qui depositum denegavit. Nam ut Cicero ait: *Perditissimi hominis est simul & amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset.* L.

7. *Sed nec Tam tenuis census.*) Tertium argumentum quod Calvinus satis dives, & in re adeo tenui natus non sit, ut hujusmodi levem bonorum jacturam oblivisci, & perferre non possit, vel ut hoc quidquid damni eum ad desperationem merito adigat. *L.*

8. *Nec rara videmus.*) Quarta consolatio ab exemplis aliorum, quod hujusmodi damnum non ipse solus sit expertus, sed quod idem alii multi perpessi. i. Quae tu pateris, illa non sunt nova vel rara, sed trita, usitata, & vulgaria. Est autem hoc genus consolationis usitatissimum, unde dici consuevit: *Solamen miseris socios habuisse malorum.* L. Cicero *lib.* V. *Epist. Fam. Neve tam graviter eos casus feramus, quas nullo consilio vitare possumus, eventisque aliorum memoria repetendis nihil accidisse nobis novi cogitemus.* M.

10. *Tritus.*) Metaph. a via. *Tritus* per assiduum usum. Hinc Poeta dixit:

Trita frequensque via est, per amici fallere nomen,
Trita frequensque licet sit via, crimen habet.

Legendum enim hic non *Tuta*, ut vulgo, sed *Trita.* L.

12. *Viri.*) Prudentis, magnanimi. Vel emphatice simpliciter *viri.* Cum illa imbecillitas in muliere quodammodo possit excusari. *M. & L.*

13. *Tu quamvis.*) Ordo & sensus est: Tu ita & fervore ardens intimis visceribus spumantibus, & inflammatus, quod depositum tibi denegatum sit, vix potes ferre exiguam malorum, quamvis levium, particulam. Quasi hoc viro parum conveniat, tam levibus de causis succumbere. Est autem acris objurgatio. *L.*

14. *Levium malorum.*) Pecuniarum & rerum externarum jactura damnum revera leve, & quam jacturam multi sapientes malum non appellarunt. Multi etiam pecuniam tanquam malam abjecerunt. Alius mari immersit, dicens: *mergo te, ne demergar a te.* Et Crates omnia sua bona in commune contulit dicens, Κράτης Κράτητος κράτητι ἰλιυθερον ἀφίητι. L.

15. *Sacrum Depositum.*) quod sollicite & sancte conservandum & reddendum, utpote quod sacri & non violandi sacramento jurisjurandi adhibito se tibi redditurum est pollicitus. *L.*

16. *Depositum.*) Aristoteles in Problematibus quaerit, cur depositum denegare iniquius sit, quam mutuum? Respondet, *an quia amico injuriam facere turpe est. An quia major injuria committitur. Praeter damnum enim fides negligitur.* Est autem depositum id, quod custodiendum alicui datum est. *M.*

17. *Stupet hoc.*) Cum interrogatione & quasi admiratione objurgat Calvinum, dicens quod viro seni hujusmodi nova esse non debeant. Qui adversus talia animum obfirmatum jam olim habere debuerit, seque adversus hujusmodi casus praemunire. *L.*

17. *Sexaginta annos.*) Vixit Lucius Fontejus Capito sub Nerone, collega ipsi in consulatu Cajus Vipsanius. Hinc promtum est conjicere, quo tempore Juvenalis vixerit, & haec scripserit, nempe secundo anno Hadriani, Anno urbis 872. Vide Lipsium *lib.* 4. *Epist. Quaest. Epistola* 20. L.

18. *An*

18. *An nihil in melius.*) Anne nihil profecisti arte vitæ humanæ, tot rerum usu, & tanta ætate? Itane vero, tanti temporis usus, tot rerum experientia te adeo ignavum, ignarum, & imparatum adversus adversa reliquit. Multa de hac re apud Stoicos Senecam & Epictetum leguntur, qui jubent, ut unusquisque omnia mala & adversa certo sibi eventura persuadeat. Si eveniant, quod & melius prævisa mala sit laturus; si non eveniant, quod quidquid præter spem evenerit, in lucro debeat deputare. *L.*

19. *Magna quidem sacris.*) Demonstrat quod homines non solum Sapientiæ studio, verum etiam longæ vitæ experientia calamitates ferre debeant discere. Exponit autem duas rationes, quibus adversa incommoda forti animo perferre, & spernere possimus. Sapientiam quæ libris Philosophorum comprehenditur, & vitæ usum & experientiam. L.

19. *Magna quidem.* &c.) i. Philosophia vel studium humanitatis, fortunæ domina & victrix, quæ dat vitæ & morum præcepta venerandis & sacris libellis Ethicis, magna quidem, potens ac valida est, adversus omnia hæc adversæ fortunæ tela. L. Philosophia moralis docet nonnullos contemnere fortunam, alios docet experientia & vitæ usus. *F.*

20. *Victrix fortunæ.*) Imo profligatrix. Ubi enim sapientia, ibi exsulat & nulla est fortuna, ut dixit fine *Sat.* x. *L.*

20. *Sapientia.*) Philosophiam moralem intelligit, quæ libris Sapientum continetur. *L.*

20. *Dicimus autem.*) Notare videtur ex Hesiodo illa duo sapientum genera, quorum alii per se sapiunt, alii Sapientibus obtemperant. Porro inter tertios, qui nec ipsi sapiunt, nec Sapientes audiunt, vani, ignavi & ignari, Calvinum censeri posse tacite innuit. *L.*

21. *Qui ferre incommoda.*) Seneca epist. 99. *Et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est, æquo animo perdere, quod periturum erat.* Et Cic. *lib.* 3. Offic. *Magnitudinis animi proprium est nihil extimescere, omnia humana despicere, nil quod homini accidere possit, intolerandum putare.* M.

22. *Vita magistra.*) E longa vita, tanquam ex præceptore, didicerunt ferenda non culpanda esse, quæ mutari nequeant. *L.*

24. *Atque omni ex crimine lucrum.*] Ex omni scelere quæsitum emolumentum. *L.*

25. *Et partos gladio.*) i. Qua die non aliquis ob nummos gladio vel veneno in pyxide parata interemtus sit. Hoc loco notandum, quod pejora flagitia censuerint die festo commissa. *L.*

26. *Rari quippe.*) Probat illud viri sapientis dictum Πλάειστοι κακοί. Dicit autem vix in tota urbe Roma septem bonos inveniri, tot enim fuere Sapientes, quorum nomina, dicta, patriam quondam ita ex Græco Epigrammate iisdem versibus & verbis transtuli:

Nomina, dicta, urbem septem dicam sapientum.
Optima res modus est, Cleobulus Lindius inquit.
Nosce, ait, ipsum te notus Lacedæmone Chilon.
Periander monuit cohibere Corinthius iram.
Nil nimium Mitylenæus vult Pittacus esse.
Cerne Solon vitæ finem jubet ortus Athenis.
Plures esse Bias pravos Prienæ inquit alumnus.
Miletique Thales, vita vadimonia, alumnus. L.

27. *Divitis ostia Nili.*] Pelusiacum, Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Phanniticum, Mendesium, Taniticum. Ammianus *lib.* 22. *in Juliano* loquens de Nilo: *Exinde levius means per ostia septem, quorum singula perpetuorum amnium usum, & faciem præbent.* Claudianus: — *Et nectare dulcior aura.*

Ostia nigrantis Nili septena vaporat. M. & An.

28. *Nona ætas agitur.*] Indicat se vivere ultimo sæculo mundi, & quidem ætate nona, & sceleratissima, qua homines longe vivant pessimi, & qua omnia in pejus ruant. Imitatur autem Auctor noster non Latinos, qui quatuor tantum ætates recensent, sed Græcos, qui septem vel octo pro metallorum numero ætates posuerunt. Dixit ergo nona ætas vitia & scelera hominum exaggerandi studio, quæ sit quasi supplementum omnium scelerum, tanquam dicat se vivere omnium ultimo & pessimo sæculo. *V* & *L. Prima* ætas fuit Deorum regnantium sine crimine: *Altera* Deorum sed adulterio etiam fœdatorum, ut *sat.* vi. constat. *Tertia* Semideorum magis addivinitatem accedentium: *Quarta* Semideorum magis ad hominum vitam inclinantium. *Quinta* Heroum mortalium quidem, sed Virtutem totam amplexantium. *Sexta* Heroum non omnino perfectorum. *Septima* hominum plus Virtuti, quam vitiis deditorum: *Octava* hominum plus vitiis quam Virtuti studentium: *Nona* Hominum ex meris vitiis sceleribusque consutorum, *A.* August. in vi. *Psalm.* & Cyprian. multique alii putabant post octo annorum millia finem sæculi fore. per *nonam* Ergo *ætatem* ultimam & terminum intelligit, hoc enim numero veteres absolutum limitem quendam capiebant. *V.*

28. *Pejoraque sæcula ferri Temporibus.*) Ita dicit, quia ferrea ætas hactenus omnium ultima æstimata pejorem adhuc sibi succedentem habet, & quia ferrum metallorum ultimum est, illi nonæ ætati nullum nomen amplius ab ætate imponi potest, ut necesse sit hanc terream vel luteam appellare. Priora enim sæcula dici poterant aurea, argentea, electrea, ærea, cuprea, stannea, plumbea, ferrea. *A.* & *L.*

31. *Nos hominum Divumque.*) q. d. Huic sæculo omnium sceleratissimo nos Dii reservarunt, & tamen adeo bardi & stupidi sumus, ut si quid nobis accidat mali,

li, aut si quod sceleratum facinus videamus, tanquam aliquod novum, & inusitatum videamus, incipiamus exclamare & imploremus Deorum & hominum fidem. Quasi vero hæc non semper passim & ubique obvia habeamus. *L.*

32. *Quanto Fessidium.*) i. Tanto indignationis vehementi clamore, quanto clientes propter sportulam laudant patronum suum Fessidium orantem & caussas agentem. Notat hoc loco Fessidium per transitum, vel obiter suo more. Ostendit eum conductos habuisse, qui caussas agentem magna voce collaudarent. Fuit hoc non caussidicis solum, verum & Poetis usitatum, qui multis dabant sportulam, ut ab illis laudarentur. Histrionibus vero erat usitatissimum. Plaut. *Amphitruone*:

— *Qui ambissent palmam histrionibus.* L.

33. *Vocalis sportula.*) Ridicule. Sportula, quæ posset vocem edere. Intelligit per *vocalem Sportulam* homines pro centum quadrantibus conductos, qui voce alta & clamosa Fessidium Thrasonem suum collaudarent. *L.*

35. *Quem tua simplicitas.*) i. Tam stolidus es, Calvine, ut non videas, quam albis dentibus vulgo irridearis, dum hoc seculo corruptissimo virtutem, probitatem & fidem ab hominibus exigis, & postulas, ne quis pejeret illo sæculo, quo vix ullus invenitur, qui Deum esse credat. *L.*

38. *Indigena.*) qui Græce vocantur *αὐτόχθονες*, quasi vitia ex advenis orta sint. *A.*

38. *Falcem.*) Hanc Saturno vel Chrono attribuerunt. Ille enim omnia domat, & amputat, omnia etiam devorat & absumit, unde pingi solet *παιδοφάγος*. *L.*

40. *Tunc, cum virguncula Juno.*) Cum nondum matrona fratri suo Jovi nupsisset, nondum adulta Junone & Jove. Dicitur enim Jupiter argenteo sæculo paulatim omnia scelera proprio exemplo invenisse. *L.*

42. *Nulla super nubes.*) Obiter suos Deos more suo irridet, qui illo tempore adhuc homines in terra fuerint, & nondum tantam luxuriam in cœlo exercere inceperint. Cum Dii nondum incontinentes & luxuriosi essent, nullaque ad huc delicata & lasciva convivia in cœlo agitarent. *L.*

44. *Etiam siccato.*) i. Cum nondum esset Vulcanus Deorum faber, qui jam post remotas epulas & mensam, ubi nectar, Deorum vinum (nam Aristoteles *in Ethic.* docet plerosque arbitrari *nectar esse vinum Deorum.* V.) siccavit, & exhausit in mensa, surgit manus aqua tergens & lavans, manus inquam & brachia nigra ex fuligine officinæ suæ fabrilis in Lipara Vulcania insula. Verum illud *Tergens* commodius & rectius explica, madefaciens & irrigans nectare epoto & exsiccato, Non enim verisimile est, sese a nectare purgasse, & manus abluisse, cum ad tam sordidum & immundum fabrile opus reverteretur. *L.*

45. *Brachia nigra.*) Fuligine & carbone officinæ fabrilis lutosa & immunda, Hinc Sat. 10. *Vulcanum* appellavit *luteum.* *L.*

46. *Prandebat sibi.*) i. Unusquisque Deus sibi, privatim vivebat, nulla communia convivia instituebantur. *L.*

46. *Sibi.*) Emphasin habet, Solus & secum, non cum aliis in convivio. Nondum enim Dii luxuriosi erant. *L.*

46. *Nec turba Deorum.*) Contemtim dicit *turba*, i. Tum temporis nondum tam multiplex Deorum vulgus erat. Cum hoc tempore totum fere cœlum genere humano repletum sit. *L.*

47. *Talis.*) Tam luxuriosa & libidinosa. *L.*

47. *Contentaque sidera.*) Vehementer Deos suos irridet. Cum nondum homines tot Deos fecissent, tot homines inter numina & sidera collocassent. Hæc de re lege Ciceronem *de natura Deorum.* *L.*

48. *Miserum Atlanta.*) Scoptice. Qui jam pondus & onus tot Deorum solus cogitur sustinere, sine ullo Hercule adjuvante. *L.*

49. *Triste.*) Alii de Plutone intelligunt, & regno inferorum squalido, tetrico, horrenti, nigro. Sed melius est, hæc intelligi de Neptuno, cum Plutonis statim nominatim mentionem faciat. *L.*

52. *Improbitas, &c.*) i. Ætate aurea merito aliquis demirari potuit, tanquam rem novam & insolitam, non autem nostro, quo sceleribus nihil est usitatius. *L.*

53. *Illo ævo.*) Emphatice, non nostro *L.*

54. *Credebant hoc. &c.*) Commendat prisci aurei sæculi erga seniores reverentiam. L.

55. *Vetulo.*) Etiam vili cuidam seni. *Vetulus* enim per contemtum dicitur. *V.* aut *vetulo.* i. non plane seni. *A.*

55. *Assurrexerat.*) Surgendo honorem non exhibuerat. *A.*

56. *Barbato cuicunque.*) etiam pauperi. *A.*

56. *Licet ipse videret.*) i. Licet puer semetipsum, suosque parentes ditiores sciret illo, tamen honorem ipsi deferebat. Illo enim tempore divitiæ non spectabantur, sed virtus & prudentia, quæ in senioribus, quibus corpus annis infirmum, ingenium vero sapientia validum. *L.*

57. *Fraga.*) Alii habent *farra*, quasi farre & pulte Saturno imperante vixerint. Falsum hoc, & legendum *Fraga*. Illi enim tum temporis frumenta nesciebant, sed frugibus, silvestribus pomis, fragis, glandibus victitabant, & hisce illorum divitiæ censebantur. Hanc lectionem adstruunt, qui hæc ad aurea illa secula referunt, in quibus sponte sua natæ fruges & glandes

pro

pro divitiis erant. *Sylvæ nativas opes, & opaca dederunt Antra domos.* Sen. Hippol. Nec tamen inepta est lectio *farra*, credo enim respexisse Poetam ad versum illum Ovid. 5. Metam, *quo non possederat alter Latius, aut totidem tollebat farris acervos.* F. lege *Farra*, & non *Fraga*, ut Probus, quia *Fragorum acervus* custodiri non potest. *Au.*

59. *Primaque pars.*) i. Tam venerabilis erat, lanugo vel prima barba, quæ prima pars est, vel primum initium, alii legunt *par.* i. Prima lanugo vel modica barba erat par sacræ & venerabili senectuti. Nam inceperant venerari etiam lanuginem primam habentes ob futuram senectam. Videtur tamen prior lectio melior. Confirmat hoc Ovidius cum ait:

Magna fuit quondam capitis reverentia cani. A. & L.

60. *Nunc si depositum.*) Est Antapodosis. i. Priscis sæculis improbitas fuit admirabilis, contra nostro sæculo probitas. Atque adeo si quis justus & fidelis inveniatur, prodigii loco habendus est. Olim mirabantur, si qui mali inveniebantur, jam demirantur, si boni sint. *L.* ostendit suo sæculo monstri esse simile, si quis fidem servet: tanta est morum depravatio. *J.*

60. *Amicus.*) Emphatice. Amicus etiam. *L,*

61. *Cum tota ærugine.*) i. Cum crumenam tam sancte conservarit, ut *æruginem*, non aperta seu ventilata contraxerit, vel quam tanto tempore apud se retinuerit. Æris vitium *ærugo*, ferri *rubigo* dicitur. *A.*

62. *Thuscis digna.*) Quæ digna sit, quæ ob inusitatam novitatem scriptis haruspicum Thuscorum inseratur, cum reliquis portentis & prodigiis, Vel ut haruspices, quidnam tam rara & prodigiosa fides portendat, conjectent, quæ ut prodigium expietur, per aruspices, quæ expiatio continetur in libellis. *L.*

62. *Thuscis.*) Quæ ex disciplina Hetrusca expietur. nam Aruspicina inventa est in Hetruria. Claudianus:

Fulmineos solers Hetruria consulat ignes,
Immensumque nefas fibris exploret aruspex. Au.

62. *Libellis.*) Possumus etiam haruspicinam intelligere, quæ libellis Hetruscis continebatur. *L.*

64. *Coronata.*) Ad sacrificium destinata. Sacrificandæ enim victimæ vittis & coronis ornabantur. *V.*

63. *Lustrali.*) Circumiri & per circuitum purgari. *V.*

66. *Et mirantis piscibus sub aratro.*) Sane prodigium admirandum esset, si sub aratro pisce invenirentur, ut in vicinia Erfurdiæ carnes sub terra ante aliquot annos inventæ dicebantur. Est autem legendum *mirantis*, non *miranti.* L.

57. *Tanquam in mare.*] Velut si flumen aliquod in mare fluat, cujus liquor, vel fluctus admirandus sit, ater vel sanguineus. *L.*

71. *Intercepta decem.*) Hoc infert tanquam absurdum. Quasi dicat, tam perdito sæculo vivimus, ut vir bonus & fidelis prodigii loco sit. Et tamen tibi mirum videtur, quod deceptus sis, ægreque fers & conquereris. *L.*

71. *Fraude Sacrilega*) amici tui, apud quem illa deposuisti. qui fidei & juramenti sacramentum tanquam Deum violarit. Forte quod perjurio sese purgarit in judicio. *L.*

73. *Arcana.*) Vel secreto data, & fidei alterius tacite commissa, vel *arcana*, quod non multum conquestus sit de hac jactura, quod illa aliis non innotuerit. *L.*

74. *Quam patulæ.*) i. Quam summam angulus vel capacitas amplæ arcæ vel cistæ vix continere poterat, ob magnitudinem. Hoc eo dicit, nam ditiores suas opes arcis includebant. *L*

75. *Tam facile.*) Egregia sententia, qua notat impios Deos facile contemnentes, si quid turpe faciant, modo homines ignorent. Id autem ex nulla alia causa fit, quam quod plerique Deum esse non credunt. *L.*

75. *Superos testes.*) Qui omnia vident, tanquam testes, & quos homo juxta sapientem non solum male agens non fallit, sed ne cogitans quidem. Hæc competunt in nostrum sæculum. *L.*

76. *Aspice quanta.*) Accurate & graphice depingit talium hominum constantem malitiam, & inauditam audaciam & impudentiam, qui neque Dei, neque hominum præsentia impediti falsissima & mendacissima jurare non erubescant. Neque enim mirum, si non erubescant illum in falsum testimonium vocare, quem esse non credunt. *L.*

77. *Ficti vultus.*) Qui norunt frontem suam gravem & severam componere, tanquam si essent viri integerrimi, quantivis pretii, sanctissimi. *L.*

78. *Per Solis radios.*) Jurat per supera, infera, cœlestia, inferna numina. *L.*

76. *Frameam.*) Tacitus Germanicam hastam esse dicit angusto brevique ferro, sed acri & ad utramque pugnam habili, sive cominus sive eminus aliquis pugnet. Isidorus ait gladium esse ancipitem. ῥομφαίαν Gell. 10. 15. *M.* & *F.*

83. *Armamentaria cœli.*) Jocose. i. jurat per omnia Deorum arma, quotquot reponuntur in armorum repositoriis in cœlo *L.* *Armamentaria.* Loca in quibus arma posita sunt. Tacitus hist. *lib.* I. *Aperire deinde armamentarium jussit* (*Otho*) *rapta statim arma sine mora & ordine militiæ, ut Prætorianus, aut legionarius insignibus suis distingueretur.* Au.

84. *Comedam.*) i. Si mentior, eveniat mihi, ut comedam. Jurat per suos liberos, quos etiam scelerati habent carissimos. L.

85. *In Fortunæ casibus.*) Secundum Epicurum, qui

Deum

Deum providentiam sustulit. *L.*

87. *Nullo rectore.*) Incredibilis hæc est cœcitas infra etiam bruta. Certe nulla herba tam exilis, quæ creatorem suum non demonstret. Egregie autem Avicennas: *Qui Deum in natura non vident, non solum ratione carent, sed etiam sensu.* L.

88. *Natura volvente.*] Quasi Natura bruta & irrationalis sit causa rerum naturalium, & omnium rerum vicissitudinem, ortum & interitum producat. Cum tamen vere loquendo Natura nihil sit aliud, quam Deus. *L.*

89. *Atque ideo intrepidi.*) Sine ullo metu & timore pejerant. Qui enim Deum timeant, quem non credunt esse? *L.*

91. *Hic putat esse Deos.*) i. Non prorsus est impius, sed tamen fiducia longanimitatis vel misericordiæ Dei peccat. *L.*

95. *Et Phthisis.*] i. Tantine reputanda est Phthisis & alii morbi, quos Isis immittere creditur, ut ob id nummos congerere desinam. Est autem Phthisis lenta illa tabes, qua corpus paullatim atteritur. Alii (ut *V.*) legunt *Ptysis* & intelligunt exulcerationem pulmonum, & inspirandi morbum. *L.*

95. *Vomica putres.*) Ulcera, apostemata, abscessus maligni, & latentes, putridi, & puris pleni. *L.*

96. *Sunt tanti*) judicanda & æstimanda? Sic supra Sat. 4.

— *Tantine injuria cœnæ?*

Est enim legendum per interrogationem. Innuit enim longe satius esse ægrotare cum divitiis, quam sanum esse & pauperem. *L.*

96. *Pauper Ladas.*) Cursu velox & expeditus, sed pauper, de quo Pausan. *in Corinth.* Solin. *cap. 6.* Catullus ad Camerium. Epig. Græc. 5. *lib. cap.* 2. *F.*

96. *Locupletem podagram.*) Satyrice, quod illa divitibus plerumque familiaris & infesta sit. *L.*

97. *Si non eget Anticyra.*) i. Dummodo tolerabilis sit morbus, ne quisquam ex morbi magnitudine insanus reddatur, ut Helleboro ipsi opus sit, vel nobilissimo aliquo medico, qualis Archigenes. *L.* Vel dummodo podagra non nimia & pervetusta sit, ut nigro Elleboro Anticyra allato opus habeat. Scribit autem Plinius nigrum Elleborum mederi podagris veteribus. *A.*

100. *Ut sit magna.*) Homer. *lib.* 4. *Iliad.* (unde eadem hausit Val. Max.)

Contemni numen Olympi
Haud impune sinunt Superi, scelera impia quanquam
Distulerint, culpas hominum graviora morantur
Supplicia. M.

Gravissime Cæsar dixit, *Consuesse Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.* V. Hac de re vide Plutarchi librum aureolum *de tarda Numinis vindicta.* L.

100. *Tamen certe lenta.*) Interea nos genio & voluptati indulgebimus. *L.*

101. *Si curant.*) 2. Consolatio, quod Dii, si omnes nocentes velint punire, tarde & post longum temporis intervallum tandem ad omnes pervenirent, Ridicule. Illi nimirum homines cogitant Deum more hominum per temporum intervalla agere, & longo tempore opus habere, antequam omnes puniat. Digni vel ob idipsum supplicio, quod de Deo nihil melius & excellentius cogitent, & animo concipiant, quam de quovis homine. *L.*

102. *Sed & exorabile.*) 3. Consolatio. Quod Dii forte placabiles veniam sceleri daturi sint. i. Non solum Deum lentum, sed forte & placabilem. L.

143. *Multi Committunt eadem.*) Hoc vero multos de providentia Dei transversos solet agere, quod alius punitur ob scelera, alius non solum impune evadit, verum insuper etiam ad divitias & honores pervenit. Quin ut Lucretius ait: Vindicta & pœna

— *Plerunque nocentes*
Præterit, exanimatque indignos inque merentes

Et hujus rei non nisi Christiani rationem possunt reddere. L.

104. *Eadem crimina.*] Exempli gratia, si fur quisquam e plebe quatuor aut quinque florenos furto auferat, suspenditur, alii vero magni fures impune evadunt, secundum illud:

Dat veniam corvis.

Quid vero dixit *eadem*? Imo vero plebejus aliquis fur si furtum paucorum florenorum committit, ferreis catenis patibulo adfigitur, Verum si provinciæ aut regionis cujusdam præfectus integra oppida, urbes, regiones, regna furto spoliet, impune evadit, & catenas aureas gestat. Sæpe etiam fit, ut ingentes illi & decumani fures minores ex summa inopia sæpe peccantes condemnent. *L.*

188. *Trahere immo ultro.*) Imo vero cunctantem te trahit, licet sit noxius, & si ire recuses, tibi molestus est, te trahit, & impellit, & te interim coram aliis ludibrio habet. Exprimitur incredibilis sceleratorum malitia & confidentia. *L.*

110. *Fiducia*) bonæ conscientiæ cum inviolata virtute conjunctæ. *A.* & *L.*

111. *Urbani Catulli.*) Secundum Domitium est Catulli cognomen. *L.*

114. *Nec labra moves.*) In signum iræ & indignationis, cum labra comprimuntur, & dentes. Jupiter etiam apud Homerum buccas inflare, & magna vociferatione sceleratos punire fingitur Eo forte respicit, quo etiam spectant sequentia. *L.*

116.

116. *Charta soluta.*) qua thura erant involuta. Jan. Rutgersius 5. *lib.* Var. Lect. 5. *cap.* intelligit de ea charta in qua vota obsignata fuerant, jam soluta. *F.*

120. *Solatia ferre.*) i. Remedia fortunæ adversæ sibi comparare, consequi, reponere, accipere. *L*

121. *Qui nec Cynicos.*) Horum sectam gravissimus ille Antisthenes Socratis discipulus incepit & Crates Thebanus absolvit. Porro Cynici cum Stoicis opes contemnebant, dicentes, Virtutem nulla re indigere, & sibi sufficere ad beatam vitam. *L.*

122. *A Cynicis tunica.*) Cynici enim duplex pallium gestabant, Stoici vero tantum tenue & simplex. Cæterum in doctrina nihil erat discriminis. *M.*

123. *Exigui lætum.*) i. Paucis contentum. Fuit autem Epicurus, teste Seneca, sobrius admodum, parvo horto & oleribus contentus, non ad famem excitandam, sed sedandam. *A.*

123. *Lætum.*) Non sine voluptate contentum. *L.* Primus enim, teste Plin. *lib.* 19. hortos Athenis instituit. Summum bonum, ut ipse in Epist. ad Herod. scribit, in voluptate ponebat, quæ illi erat; non dolere corpore, animo tranquillum esse, & perturbatione vacare. *V.* & *M.*

124. *Dubii ægri.*) De quorum valetudine recuperanda dubitatur. Intelligit illos, qui magna damna sunt perpessi. *A.*

125. *Medicis majoribus.*) Intelligit præstantes Philosophos Stoicos, quorum supra meminit, medicos animorum. quasi dicat, in tam exigua jactura te non consolabor rationibus Philosophicis *L.*

125. *Tu venam.*) Tuus dolor vel ab imperito consolatore potest leniri. Est autem allegoria a corpore ad animam. *L.*

127. *Taceo.*) Te consolari desino, non prohibeo te plorare, & mulierum more plangere. *L.*

129. *Quandoquidem accepto* &c.) i. Quoniam facere non potes, quin doleas, postquam nummos perdidisti, quin doleas post acceptum damnum. Notat autem hoc loco pravos hominum mores, qui jactura quapiam vel damno nummorum vere dolebant, & gravius, quam si consanguineorum quispiam esset mortuus. *L.* Quæ claudi solet, ut & fenestræ in signum luctus, *vel*, Quandoquidem lubet addere dolorem damno. vide Adagia Erasmi. *F.*

129. *Claudenda est janua.*) Hoc ex consuetudine & more hominum dicit, qui existimant prorsus necesse esse & decere, ut quis doleat post acceptum damnum. *L.*

123. *Nummi.*) Et ratio est:

Χρήμασι γὰρ ψυχὰ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

& plerique nummos magis amant, quam homines. *L.*

132. *Diducere.*) Distrahere, & conari dilacerare summam vestem, vel fimbriam vestimenti, in signum luctus vel mœroris magni. *L.*

135. *Simili.*) Hominum, qui de pari & consimili injuria sibi illata conqueruntur. *L.*

136. *Si decies lectis.*) i. Si instrumenta obligatoria a decem & diversis testibus in diversis partibus lecta & obsignata sunt, tamen falsi & perjuri homines obligationes suas inficiari non verentur. Vel, Si usitatissimum Romæ est, ut instrumenta obligatoria in ceratis tabellis inscripta coram diversis testibus vel decies legantur, tamen illa sua chirographa vana esse dicunt, suasque manus negant. Si hoc, inquam, Romæ adeo usitatum est, cur te adeo excrucias, cum hujus tui mali plures socios habeas. Conqueritur hoc Plautus Aulularia, cum inquit:

Nostra ætas non multum fidei gerit.
Tabulæ notantur, adsunt testes duodecim,
Tempus locumque scribit actuarius,
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget. L.

137. *Vana.*) Debitores negant se unquam illas tabulas scripsisse, quas ajunt esse vanas & supervacuas, nihil utilitatis habentes. *L.*

140. *Te nunc deliciæ.*) Facile ludit & irridet Calvinum. Expetis & postulas tibi aliquid præ reliquis hominibus peculiare & singulare, & communem hominum fortunam recusas. *L.* *Nihil vero*, ut ait Cic. *lib.* VI. *Ep. Fam. est præcipue cuiquam dolendum: in eo, quod accidit universis.* M.

142. *Viles pulli.*) Homunculi, qui communia ferimus & patimur. L.

143. *Ovis.*) Alludit forte ad ova Ledæ, e cujus altero mortales, altero immortales nati perhibentur. *A.* Plinius *lib.* 10. *cap.* 12. Inter inauspicatas aves corvum recenset, qui ovum per os reddere existimatur. Ideo infœlicia ova appellantur, alludit enim ad proverbium: *Mali corvi, malum ovum.* Au.

148. *Adorandæ rubiginis.*) i. Quæ donaria ob antiquitatem, quæ ærugìnem contraxerunt, veneranda & in precio habenda, & quasi religiosa & sacra adoranda sunt. *J.* & *L.*

148. *Populorum dona.*) Dona a populis vel Regibus missa religiose & pie in templis conservabantur. Hæc autem recitantur tanquam longe graviora damna & scelera, quam quæ Calvinus pertulit. *L.*

149. *Positas coronas.*) Illa donaria ob id appellabantur ἀναθήματα. L.

150. *Hæc ibi si non sunt.*) Videtur recte aliquem notare satis notum illo sæculo. *L.*

151. *Radat.*) ne omnino vacuus e templo redeat. *L.*

153. *An dubitet*) minor sacrilegus esse, qui maximus esse non dubitat. Qui maximum sacrilegium

committere non dubitavit, & integram Jovis statuam igni liquefacere & conflare, refundere, ne statua cognoscatur. *L.*

154. *Confer & artifices.*) Compara cum perjuro tuo veneficos, qui venena parant, & aliis vendunt. Porro hominem e medio tollere longe gravius scelus est, quam ejus bona fraude occupare. *L.*

156. *Adversis fatis innoxia.*) Ingeniose dictum. Quæ quidem simia adverso fato in pœnam genita, quæ cum tam scelerato homine mori cogatur innocens videtur rursus contrar.a quodammodo conjungere: *innocentem simiam* cum *adversis fatis.* L.

156. *Humani generis.*) i. Si scelera & flagitia hominum cognoscere desideras, non opus est, ut totam urbem Romam introspicias, Unica Galliei domus, ubi hæc omnia audiuntur quotidie, tibi sufficit, in qua si paucos dies consumpseris, si potes, aude te miserum dicere. Quod facere non poteris, quia ibi audies alios longe graviora & pejora pati. Ibi animadvertis damna tua, quæ tam ægerrime fers, nullius esse momenti, & te adeo miserum non esse, quin adhuc alii longe sint miseriores. *L.*

162. *Quis &c.*) Quis ea, quæ vulgo accidunt & quæ quotidiana atque e loci quasi natura sunt, miranda putet? Romæ videre omnes scelere profligatos non magis mirum est, quam in Alpibus omnes strumosos (a vitio aquæ, quam ibi potant. Plin. *cap.* 37. *lib.* 11.) quam mammosas in Meroe Ægypti civitate mulieres? quam Pygmæos omnes esse breves, bella gruibus inferre, &c. Solin. *cap.* 15. F.

162. *Tumidum guttur.*) Ex struma. In provincia Serviorum & Valesiorum. *L.*

164. *Cærula.*) i. Glaucos & cœruleos oculos, & russam aut flavam Cæsariem Germani præ aliis populis habent. *L.*

165. *Cornua.*) Hinc Germani a Poetis appellantur cornigeri. *L.*

166. *Nempe quod.*) i. Eo nemo illos demiratur, quod omnibus una sit natura: Ita nobis Romanis una omnibus est natura, *sceleratis esse.* L.

168. *Pygmæus.*) Vide Plinium *lib.* 7. *cap.* 3. Gellium *lib.* 9. Aristotelem *de animalibus lib.* 7. M. Homerus *de gruibus*:

Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι. *V.*

168. *Parvus bellator.*) Dicebantur arieti insidentes cum arcubus illorum nidos accedere, & ova corrumpere. *L.*

169. *Curvis unguibus.*) Ab infesta & hostili grue a terra in altum sublatus per aera fertur & vehitur. Quomodo autem hoc a grue fieri possit, quæ quidem curvos ungues non habet, non intelligo. Dicit autem Auctor noster hæc fabulose & ridicule in consolationem Calvini. *V.*

173. *Pede uno.*) Pygmæi enim dicuntur a πυγμή. Nam cubitum longitudine non excedunt. Gellius: Qui, *inquit*, longissimi sunt, non excedunt duos pedes, & quadrantem. *L.*

174. *Nullane.*) Objectio e persona Calvini. Nunquamne ergo perjurum illud caput punietur; Itane vero ille impune evadet? *L.*

175. *Abreptum.*) Auctor objectioni respondet, ille vero probe punitur, qui statim post tam sceleratum factum a tranquillitate animi fuit deturbatus, & horrendis conscientiæ tormentis & cruciatibus subjectus est, *A.* & *L.*

175. *Graviore.*) Seneca: *Perpetrato scelere ejus magnitudo demum cognoscitur.* Certe nullum truculentius supplicium conscientia. *L.*

176. *Nostro arbitrio.*) Imo vero ille plura patitur, quam nos vellemus. Nos enim pœna aliqua corporis contenti essemus. Ille vero anima & conscientia illa tormenta experitur cum quibus nullum corporis tormentum conferendum. *L.*

177. *Manet ille tamen.*) Est objectio secunda Calvini, quod tamen interea damnum illud sibi maneat, & quod illa vindicta, quæ in oculos non incurrit, vana & pro nihilo reputetur. *L.*

177. *Tamen.*) sed iterum objicies Calvine: Ut vel maxime ille puniatur a conscientiæ tormentis, depositum tibi denegatum manet. *L.*

178. *Sed corpore trunco.*) Et hæc ex objectione Calvini. i. Si viderem illum corporis pœnam subire, & vel membri jactura, vel mutilato corpore, vel decollatum jacere haberem egregia damni mei solatia. Vel minimus sanguis perjuri, qui trunco corpore efflueret, daret invidenda solatia, vel amplissima, quæ merito aliquis mihi posset invidere, qui lividulus sit. *L.*

179. *Minimus sanguis*) Qui potior mihi foret omnibus illis animi tormentis, de quibus tu dicis Juvenalis. *L.*

180. *At vindicta.*) Et hæc per objectionem. Vindicta quæ in oculos incurrit, & vel per carnificem, vel per nosmetipsos exercetur. Ita nimirum censent mulieres & vani homines. *L.*

181. *Nempe hoc indocti.*) Respondet Poeta ad has objectiones. Innuit autem superius Calvinus, nullam se consolationem posse admittere, priusquam videat hominem sceleratum pœnas dare. Respondet homines imperitos & imbecilles animi vindictæ cupidos esse, non viros sapientes, & doctos. *L.* Sapientis est, nolle se ulcisci, cum possit, quanquam graviter læsus. *J.*

183. *Levibus causis.*) Verissime dictum, quo quisque animo imbecillior hoc citius irascitur. *L.*

183. *Quantulacunque.*) i. Quibus etiam quævis occasio, quamvis minima & nullius momenti, ad iram provocandam sufficit. i. Qui quavis occasione vel levissima ira-

irascuntur. Hunc versum aut non, aut male explicant interpretes. *L.*

185. *Mite Thaletis.*) Sapientes idem non sentiunt, qui injuriam contemnendam esse dicunt. Thales autem non facile ad iram ulla injuria commovebatur. *L.*

186. *Qui partem.*) Qui Socrates tam mitis & placidi ingenii fuit, ut eum injuste accusatus esset, vindictam noluerit. Immo ille, quamvis injuste condemnatus, mori non recusavit, & eum a Lysia oratore desendi potuerit, noluit. Quippe qui apud Platonem semper disputat miseriorem esse, qui facit injuriam, quam qui patitur, & qui palam professus est, neminem se lædere posse, quippe neminem, nisi a se ipso lædi. Ejus ultima verba. ἰσθῶ οὕτω φίλον, οὕτω καὶ γενέσθω. Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲ δύνανται· βλάψαι δὲ οὔ. Animo patientissimo & vere Christiano. Nullius enim injuria commovebatur, & semper eodem vultu apparuit, quem ne quidem, cum cicutam biberet, mutavit. *L.*

187. *Plurima felix.*) Commendat Sapientiam & Philosophiam, quæ prima omnium recta docet, quæ plurima vitia paullatim animis hominum eximit, & paullo post omnes errores & animi perturbationes.

191. *Sic collige.*) Sic argue, conclude: Fœminæ maxime gaudent vindicta: Sed fœminæ sunt infirmi animi, Ergo, &c. Θῆλυ δ' ἔκγονον ψυχῆς ἐστι κακία καὶ πάθος. οἷς καθ' ἕκαστον τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐκθηλυνόμεθα. ἄῤῥεν δὲ ἀπάθεια, καὶ ἀρετὴ ὑφ' ὧν ἐγειρόμεθα καὶ ῥωννύμεθα. Philo Judæus de sacrificio Abelis. *F.*

189. *Quippe minuti.*) Fœminei & exigui animi. Contra alti & sublimis animi, injurias & contumelias contemnere. Verissimum hoc est, & recte alter Poeta:

> *Quo quisque est major, magis est placabilis ira:*
> *Et faciles motus mens generosa capit.*

Certe magnus animus injurias potius contemnit, quam vindicat. Phalaris ingentis animi Rex dicebat se contumelias & injurias sibi illatas non magis curare, quam Indus Elephas muscam. *L.*

189. *Minuti.*) Qui scilicet non potest præ impotententia moderari vehementiæ iræ. Hoc enim magni animi est, ut recte a Mantuano dictum sit:

> *Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit*
> *Mœnia, nec virtus altius ire potest.*

Hoc videmus in fœminis, quæ vindictæ cupidine nihil non moliuntur, quod ipsum pluribus caussam & occasionem dedit veneficia addiscendi. *L.* idem docet Aristotel. *Ethic.* IV. *M.*

191. *Continuo hoc sic collige.*) Probat quod dixit, vindictæ cupiditatem esse animorum imbecillium ut sunt mulieres. Quo enim minor est animus, eo affectibus magis percellitur & superatur. Hinc homines sapientes illi, qui perturbationibus non percelluntur, proxime ad Deum accedunt. *L.*

193. *Quos diri.*) Certe illi impune non evaserunt, qui suam pœnam & vindictam semper comitem habet. Nam ut gravissime Seneca idem ait: *Maxima peccantium pœna est, peccasse.* M. & L.

195. *Occultum.*) Huc facit nobilis ille locus Persii:

> *Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci:*
> *An magis auratis pendens laquearibus ensis*
> *Purpureas subter cervices terruit unus,*
> *Imus præcipites, quam si sibi dicat & intus*
> *Palleat infelix quod proxima nesciat uxor.* L.

197. *Rhadamanthus.*) Inferorum judex justissimus & maxime severus, Jovis ex Europa filius rex Lyciæ fuit. Vide meas Genealogias. Hujus apud inferos judicium laudatum illud:

> Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη δ' ἰθεῖα γένοιτο. L.

198. *Testem.*) Conscientiam. *Quæ*, ut Seneca, *etiam in solitudine anxia est. O te miserum*, inquit idem, *si contemnis hunc testem.* Unde egregie Ausonii illud:

> *Turpe quid ausurus te sine teste time.* L.

202. *Quærebat.*) Explorabat & tentabat, Ecquid etiam Deus hanc fraudem esset approbaturus? Anne Dii etiam hominum sceleribus delectarentur. *L.*

205. *Vocem adyti.*) i. Totum oraculum verum fuisse demonstravit. Erat autem adytum inferior recessus templi, & quasi sanctum sanctorum, unde oracula dabantur. *L.*

209. *Sola voluntas.*) Hinc JCtorum illud: *Voluntas habetur pro facto.* Nedum ipsum factum vel peccatum. *L.*

210. *Facti crimen habet.*) apud Deum revera, qui animum respicit. Nam scelera vel mala facta non ex se, vel per se adeo mala sunt, quam quod ex malo animo, proficiscuntur. Zeno interrogatus, lateretne Deum male faciens, *Imo*, dixit, *ne cogitans quidem.* L.

210. *Conata.*) Passive. Notandum. Sic Terentius dixit: *Meditata sunt mihi omnia mea incommoda.* L.

210. *Anxietas.*) quæ semper sceleratum

> — *Comes atra premit, sequiturque fugacem.* L.

211. *Nec mensæ tempore.*) Inter epulandum, cum genio voluptatique indulgendum est. Imo tantum abest, ut edendi tempus alicui impune indulgeat, ut quosdam vix respirare permittat. *L.*

212. *Ut morbo siccis.*) Præ attonita trepidatione, & continuo cordis æstu semper sitiunt & comedere non possunt. *L.*

213. *Sed vina misellus.*) Nihil enim ille dulce esse potest, vinum preciosum tanquam insipidum exspuit. Ob animi cruciatus etiam corpus paulatim absumitur & atteritur, nec suas facultates integras retinet. Unde

etiam suavissima illis amata. Exempla superiori seculo aliquot habuimus, qui cum contra conscientiam quædam perpetrassent, longe horribiliora, quam quæ heic vel ab ullo Poeta describi possunt, passi tandem inedia corporis & morbo animi inter horribiles cruciatus, & atrocia tormenta miserrime exspirarunt. *L.*

220. *Quod præcipuit.&c.*) Parenthesi include. *L.*

220. *Sudoribus.*) Cum

—tacita sudant præcordia culpa.

Ut Germani. *Wann der kalte Schweisz ausʒbricht.* *L.*

222. *Cogitque fateri.*) Quasi tortor mentis eum subjicit & cogit fateri, quod te defraudaverit & circumvenerit scelere & perjurio. Cogit fateri se scelus summum admisisse, & summa pœna etiam dignum esse. *L.*

223. *Hi sunt.*) Mali nimirum nunquam sunt quieti semper sunt pavidi & meticulosi. Hæc dicuntur ex sententia Democriti. *L.*

225. *Cum tonat exanimes.*) concidunt, cum primum tonitru murmurare inceperit. Putant enim Νέμεσιν vel vindictam, quæ pone vestigia sceleratorum sequitur, & tandem assequitur, jam tum pœnam illis intentare. *L.*

224. *Primo murmure.*) Cum primum murmurare eminus tonitru inceperit. Omne peccatum meticulosum & pavidum. Contra bona conscientia nihil securius, quæ murus aheneus. *L.*

226. *Non quasi fortuito.*) Casu, ex Epicuri opinione. *L.*

227. *Cura graviore.*) Majori anxietate. Hujus exemplum habuimus in Caligula, qui cum fulmen audiret, Pantomimis suis illi solebat obstrepere. At simul fulgur cœleste vidit, capite obvoluto sese sub lectum condebat. *L.*

228. *Proxima tempestas.*) Cum fulmine, & tonitru, scelus vindicatura. Tanquam illa hoc die vel sereno in proxime sequentem tempestatem dilata sit. Velut hodie dilata sit. *L.*

229. *Vigili cum febre.*) Utpote in acuto morbo, quæ febris dormire non sinit. *L.*

231. *Infesto.*) Irato, læso, & graviter sceleribus offenso. Nihil autem miserius, quam Deum sibi offensum credere. *L.*

234. *Quid enim sperare nocentibus ægris.*) Nihil enim illi sperare possunt. Miserrimi sane, quibus illud negatum, quod omnibus hominibus relictum credebatur. *Spes* enim *sola remansit humo.* L.

234. *Nocentibus ægris.*) Ægrotis & sceleratis, qui idea sunt extremæ miseriæ, utpote qui omnium miserrimi, & quibus nulla spes placandi Dei. Jam vero sacrificia aliqua spe fiebant. *L.*

237. *Superest audacia.*) In scelere perpetrando sunt constantissimi, abundat in illis confidentia. Omnibus modis pergunt sceleratum factum perpetrare. Describitur inconsiderata προπέτεια scelleratorum. *L.* Ante scelus perpetratum abunde confidentes, post timidissimi, & sibi sceleris male conscii resipiscere volunt. non tamen possunt ipsi ad vitia proni, dulcedine jam & consuetudine præpediti, atque abjecto pudore in vitiis confirmati. *Nullum* autem *vitium desinit, ubi incipit.* *Seneca. F.*

237. *Quid fas atque nefas.*) Paulo post peractum scelus, sceleris magnitudinem sentiunt, aut saltem in agone mortis, ut dixit Plato. & ut gravissime Seneca: *Quidquid egeris, tum patebit, cum animam ages.* L.

239. *Tamen ad mores.*) Licet scelerum suorum tormenta sentiant, a scelere tamen abstinere nequeunt, & semper flagitiosos suos mores Natura repetit, & ratio est, quia habitum malitiæ sibi contraxerunt. Qui licet sentiant se male facere, licet etiam sciant, quæ conscientiæ tormenta sequantur, tamen faciunt, nam ipsam consuetudinem male agendi verterunt in naturam & mores. L.

240. *Nam quis.*] In malo enim & immoderato finis & modus non est. Et ratio est, quia recte agere tantum uno modo possumus, male infinitis. Nam *bonum simplex, malum multiplex*, ut Pythagoræi dixerunt. Non aliter atque scopum uno tantum modo recte collimando attingimus infinitis autem modis sagitta aberrat. Sic in male agendo & errando natura nullum modum posuit, in quo, quo diutius & ulterius pergas, hoc latius a recta ratione, & virtute evagaris. *L.*

242. *Ejectum.*) Qui semel transversum ad vitia abreptus est, nunquam ad bonam frugem revertetur, & ob id gravissimas olim pœnas sibi arcesset. L.

243. *Quisnam hominum est.*) Qui semel assuevit vitiis, non facile postea ab illis abstinere potest, donec pendeat, aut strànguletur. *J.*

244. *Dabit in laqueum vestigia.*) i. Pedibus vincietur olim, ubi perjuria sua repetet, quæ in alios exercebat.. *L.*

244. *Vestigia.*) Pedes suos in carcerem diriget. Videtur Metaphora ducta a quadrupedibus & avibus, quæ pedicis capiuntur. L.

246. *Scopulos frequentes.*) i. Quæ insulæ frequentatæ sunt a magnis civibus exsulantibus. Notat quosdam suo tempore eo in exsilium missos, magnos viros, per transitum. L.

248. *Nec surdum.*) qui non audiat perjuria & scelera hominum & preces ejus vindictam contra malos implorantium. L.

Ad

Ad Satyram XIV.

PLurima.) Hac Satyra, quæ ἠθικωτάτη, sanctissima & pulcherrima est, reddit causam Juvenalis, quare tot passim flagitiosi & scelerati existant, & invehitur in patres, quorum exemplo teneros liberorum animos ad omnia vitia efformari ait. *L.*

1. *Plurima.*) Recte communiter dixit. Bona & mala indifferenter. *L.*

1. *Fuscine.*) Ad hunc Satyra hæc scripta, quis vero ille fuerit, non legi. *L.*

2. *Maculam ac rugam.*) Alii legunt *maculam hæsuram.* i. non facile eluendam. *L.*

2. *Et quod majorum.*) In quibusdam exemplaribus post primum aut secundum versum hic inseri solet. Verum ille, ut doctiores judicarunt, νοθεύεται. nam ineptus, & sententiæ turbator: ut Lipsius notat; olim argumenti vice Satyræ suprascriptus, postea a rudibus, Poetæ verbis atque versibus additus & insertus. *L.*

5. *Parvo.*] Ad decorum respicit. *L.*

7. *Radere tubera.*) i. qui tubera terræ radere, & in cibum præparare ad excitandum appetitum. Alii *rodere* legunt, id est vorare cum aviditate. *L.*

9. *Ficedulas.*) in summis deliciis habitas. Germanis dicuntur *Schneppen*, a captandis hianre ore culicibus. Nutriri autem solent juniperi fructibus. *L.*

10. *Cana gula.*] i. Gula patris vetula, & canis obsita. Bene *gulam*, de qua tanquam Ethice locutus est. Physice *canam* vocat, tanquam in cano sene. *L.*

13. *Cupiet lauto.*] Nullis præceptorum monitis emendatus. Nam

— a teneris adsuescere multum est,

& ut Fabius ait: *Frangas citius, quam corrigas, quod in pravum induruit.* Et alibi: *Natura pertinacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus.* Adde quod ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona facile mutantur in pejus. Magna profecto vis est consuetudinis, & mos solitus plurimum valet. Fit enim tanquam natura, ut ait Theophrastus. *M.* & *L.*

14. *Non degenerare.*] Scoptice. Non vult degener esse a patris moribus. *Er wil nicht ausz der Art schlechten, er wil sich nicht vergeringeren.* L.

14. *Degenerare.*) Ad viliorem & magis temperatum statum descendere. *L.*

15. *Mores modicis erroribus æquos.*] Ita dicit, quia nemo est sine vitiis, & nostra virtus nihil aliud, quam minor vitiorum particula, teste Hermete. Et bonus ille dicitur, non qui veram virtutem habet, (quis enim illud sibi arrogare ausit?) sed qui vitii minimum. Propertius:

Unicuique dedit vitium natura creato,

& Horat.

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille,
Qui minimis urgetur. M. & L.

16. *Atque animos.*) Periphrasis clementiæ & misericordiæ, quam illi vere exercent, qui ex eadem materia servos & dominos constare putant. *L.*

17. *Materia.*) Si ad primam originem revocemur e terra sumus. Hinc egregie Pindarus: Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν ματρὸς. Recte Seneca:

Vos quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ:
Ponite inflatos tumidosque vultus,
Quidquid a vobis minor expavescit,
Major hoc vobis dominus minatur. L.

20. *Trepidi Laris.*) Domesticorum & familiarium ob crudelitatem domini trepidantium & contremiscentium. *L.*

21. *Tum felix.*) i. Tum suo judicio felix & beatus sibi videtur, quoties servi ad supplicium rapiuntur, quoties carnifice vocato servo cuidam nequam stigma inuri curat. Intelligit autem servum, qui propter duum linteorum furtum stigmate in fronte notatus erat. *L.*

23. *Duo propter lintea.*) quæ forte in balneo abstulit. *L.*

24. *Carcer rusticus.*) Nam ruri servi catenis vincti opus exercebant. Plinius: *Vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus rura exercent.* Illis autem nequam servis quasi litteræ candenti ferro in frontem inurebantur. *L*

27. *Tam cito.*] Cujus mater tot mœchos habet, quorum nomina filia recitare non poterit, tam cito, vel tam veloci cursu, quin terdecies respirare cogatur. Hæc sententia est Poetæ. Vani & falsi illi sunt, qui *respiret*, pro *ingemiscat* interpretantur, quasi doleat filia, quod ipsa quoque totidem mœchos non habeat. *L.*

29. *Hac dictante.*) Non quod mater ipsi literas ad adulteros dictiret, sed hoc vult, matrem suo exemplo & moribus filiam ad mœchos itidem literas scribere docuisse. *L.*

30. *Pusillas.*) Decore pro ætate, respectu matris dixit, quæ major est, cum filia sit virguncula pusilla, consuescens cum scortatoribus suis. Eo *pusillas* dixit. *L.*

30. *Iisdem cinædis.*) quibus mater olim dedit: vel quibus mater etiamnum cum filia utitur. *L.*

30. *Cinædis.*) Spadonibus impuris. Hi enim mulieribus inserviebant. *L.*

31. *Sic Natura jubet.*) i. Naturale est, ut liberi parentum mores imitentur, ut vitiorum exempla patris & matris velocius & citius liberos corrumpant. Senec. Epist. 7. *Unum exemplum luxuriæ & avaritiæ multum mali facit.* Et Cicero: *Plus homines exemplo, quam peccato nocent.* parentes imprimis, quos liberi tanquam vitæ exemplar intuentur. *L.*

32. *Auctoribus.*) a quibus proficiscuntur: Quis autem major a virtutis aut vitii auctor, quam parens? quæ enim filii parentum exemplo faciunt, jure & recte fecisse autumant. *M.*

33. *Subeunt animos.*) Se animis latenter insinuant. *L.*

33. *Unus & alter.*) Occurrit quasi objectioni, quod non omnes malis exemplis æque corrumpantur, quos respondet esse paucissimos non nisi Dei providentia ad virtutem informatos, qui singulari Dei dono illam animi firmitudinem obtineant. *L.*

34. *Hæc spernunt.*) Turpia parentum vitia, & meliores parentibus evadunt, quod quidem est rarissimum, cum omnia facilius degenerent. *L.*

35. *Titan.*) Prometheus Titanis nepos, qui homines e luto formasse fingitur εἷσι Προμηθεὺς Ἔπλασε κ᾽ ἐκ πηλοῦ γέγονας. Callimach. id est quibus Deus ingenium dedit ad virtutem pronius. *F.*

37. *Monstrata diu orbita.*] Ampla & spatiosa via veteris & consuetæ parentum culpæ diu filiis a parentibus monstrata, a recta via abstrahit & abducit. *Diu monstrata* ab ineunte ætate. *L.*

38. *Damnis. hujusce etenim.*) Sceleribus & flagitiis, quæ vere sunt damna non corporis, sed animorum. Olim cum quibusdam legendum censui *damnandis*, *hujus enim* sed vulgata lectio melior. *L.*

38. *Hujusce etenim vel.*) i. Hujusce rei, ut quis scilicet a rebus damnandis abstineat, hoc est a sceleribus & flagitiis, omnium potissima, & potentissima causa est, ne illi, qui e nobis geniti sunt, scelera nostra imitentur. *L.*

30. *Quoniam dociles.*) Ob corruptam naturam, ad vitia, quam ad virtutem sumus procliviores, id est, Nos omnes quotquot vivimus homines sumus dociles, promti & proclives ad vitia turpia & prava imitanda. Notatur corrupta natura, & illius sæculi, ad scelera proclivitas. Est autem hoc loco talis Syllogismus. Prava homines facile in exemplum rapiunt. Jam vero pravi ubique sunt. Ergo non facile bonis esse licet. *L.*

44. *Nil dicti fœdum.*) Sanctissimum profecto, & divinum præceptum omnibus cubiculis & conclavibus inscribendum, ne teneros puerorum animos, & castas aures aliquo scandalo verbi vel operis offendamus: Ostendit quanta verecundia & reverentia pueris debeatur: Quod ubi pueri sint, ab omnibus fœdis dictis sit abstinendum. *L.*

44. *Dictu fœdum.*) de verbis intellige. *L.*

44. *Visu.*) de factis turpibus. *L.*

45. *Procul hinc.*) Utitur cum singulari decoro solemni illa formula, qua a sacris profanos arcere solebant. Quasi etiam ad sacrum illum locum, ubi pueri sunt, profani accedere non debeant. *L.*

47. *Maxima debetur.*) Hoc est quod supra dixit, potissimam rationem esse, ut quis a scelere abstineat, ne malum exemplum sint suis liberis. Hinc Germanis præsentibus pueris dici consuevit: *Es ligen Brändt im Feuer.* L.

47. *Puero.*) qui semper patris exemplum producit inquiens: Tamen pater hoc facit. *L.*

48. *Nec tu pueri.*) quod parvulus admodum sit. Nam, ut dici consuevit, *Junge Mäuse haben auch Ohren.* L.

54. *Sed peccaturo.*) i. Si vel infans tibi turpe aliquid ausuro adsit, a peccato ejus præsentia te revocare debet, ne illa videns olim te imitetur. *L.*

50. *Ira.*) Judicio & pœna, nota. *M.*

51. *Quandoquidem* &c.) Hi tres versus Parenthesi includendi, quasi dicat, Quid mirum est, si peccet, inque Censoris pœnam incurrat? quandoquidem patrem suum imitatur: teque parentem non corpore solum & vultu præstat, verum etiam animo & moribus. Tuorum etiam morum est filius. *L.*

52. *Morum filius.*) Cujus vultum & frontem ut genuisti, ita etiam mores ejus generasti. *J.*

53. *Omnia deterius.*) i. Cum non solum tua vestigia strenue ingreditur, sed etiam peccando superat. *L.*

54. *Corripies nimirum.*) Hæc cum superioribus conjungenda, quæ scoptice & ironice legenda sunt. Tanquam absurdum sit patrem nequam filium suum peccantem velle reprehendere. *L.*

54. *Acerbo clamore.*) Vehementi objurgatione & increpatione pro auctoritate paterna. *L.*

55. *Tabulas mutare.*) Gell. *lib.* I. *cap.* VI. ubi Metellus ait: *Dii immortales plurimum possunt, sed non plus velle debent, quam Parentes. At parentes, si pergunt liberi errare, bonis exheredant.* &c. *A.*

56. *Unde sibi frontem.*) i. Unde castigandi severitatem & objurgandi audaciam tibi sumes, quo ore, & fronte filium tuum objurgabis, cum tu ipse pessimus, & insanus sis, ellebori indigus. *V.* Hieron. ad Presid. Eccles. *Non confundant opera sermonem tuum; ne, cum ecclesiæ loquaris, quisquam respondeat. Cur hæc, quæ dicis, non facis — qua libertate corripit peccantem, cum tacitus ipse sibi respondeat, se admisisse, quod corripit? Perdit enim auctoritatem docendi, cujus opere sermo destruitur.* M.

57. *Cerebro.*) Ratione sana destitutum. *L.*

60. *Ver-*

60. *Verre pavimentum.*) Sic nimirum fremit uxor tua. *F. Verrere* mundare est. Lucilius: *ades verrat ac vapulet.* Nonius.

62. *Hic lavet*) Meliora exemplaria habent *Læve argentum.* i. politum, & sine ulla cælatura. *L.*

62. *Vasa aspera*) Anaglypha & figuris cælata, & in asperitatem sculpta. *M.* Sic Persius dixit: *Asper nummus*, i. recens excusus signis & litteris asper & inæqualis. *L.*

67. *Semodio Scobis.*) Dimidio modio ramentorum e serra decidentium. Scobs, *Segespebn oder Kaff.* Continet autem modius libras 27. Semodius 13. & dimidiam. Dicitur autem scobs non solum quod e ligno serra deteritur, verum etiam quod deraditur de metallis. Tali autem scobe vel pulvere immunditiæ in domibus solent tegi. *L scobs*, id quod ab aliqua materia minutissimum decidit. Lampridius in Heliogabalo, *scobe auri porticum stravit & argenti.* Et Trebellius Pollio in Galienis duobus: *crinibus suis auri scobem aspersit.* L.

70. *Gratum est.*) Pulcrum est gignere pueros, si ita educantur, ut reip. sint utiles. *J.*

72. *Utilis & bellorum.*] Cujus ope patria uti possit in pace, in bello, in otio, in negotio. *L.*

73. *Plurimum enim intereris.*) Repetit locum communem superius tractatum. Quod prima institutio maximum momentum habeat in vita humana. *L.*

76. *Animalia.*) Serpentes, lacertas, ranas, anguillas, &c. *L.*

83. *Inde autem.*) Cum jam maturiores & grandiores pulli aquilæ inde e nido se levant, & avolant se in altum sublevant: tum cibos consuetos, quibus nutriti sunt, quærunt. *L.*

86. *Centronius.*) Hic villis & domibus ædificandis delectatus suas ingentes opes attrivit, quas ad nihilum postea prorsus redegit filius iisdem studiis delectatus. *L.*

90. *Fortunæ.*) Quam Nero ex marmore Phengite sumtuosissime exstruxit. *M.*

90. *Herculis.*) Quam Martius Philippus Augusti Vitricus exstruxit. *M.*

92. *Dum sic*) ædificat continuo, vel in multis locis habitat. Nam

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν,
Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.

92. *Habitat.*) *Agitat* mallem legere. *L.*

96. *Metuentem.*) Superstitiose colentem. *Ethnice.* F.

97. *Nil præter nubes.*] Sic Varro animam mundi Deum esse dixit. Porro quod ait Judæos nubes adorare calumniose dicit, verum illi Judæi, ut & Socrates, nullum simulacrum colebant, sed cœlum τὴν τοῦ θεοῦ ἕδραν Dei sedem intuentes opificem mundi invisiblem sola mente comprehendendum invocant & adorant. Legendum autem videtur, *cæli lumen*, non *numen*, i. cæl in μεταφορικῶς. L. Sic etiam legit Auratus, at Behot. Apophor. *lib.* 3. *cap.* 16. ait: Cœli *numen* non est: Deum colunt, qui est in cœlo; sed veneramur nubes, & cœlum, tanquam numen. *Au.* Tertull. in *Apologet. Nubila de laquearibus exspectatis.* &c. F.

98. *Nec distare putant.* &c.) Qua abstinent Judæi ex instituto veteri, ὅτι δοκεῖ μὲν ὁ μηρυκισμὸς ἢ ὗς θηλεία καὶ ... Philo Judæus *lib.* de Agric. vide Sat. 6. vs. 163. *F.*

100. *Romanas.*) Duodecim tabulas, licet Romani, tamen contemnunt. Indignatur Romanos patriis ritibus & sacrificiis contemtis majorum suorum, externam aliorum populorum religionem capessere. *L.*

132. *Moses.*) Qui teste Strab. *lib.* 16. docebat, quomodo Ægyptii non recte sentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuant: nec Græcos, qui Deos hominum figuris insignirent, & quod id solum Deus esset, quod nos contineret, & terram ac mare, quod cœlum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus. Cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis, nostræ similem audeat effingere. *M.*

103. *Non monstrare viam.*) Nullis nisi suæ religioni addictis officium præstant. Hunc morem adhuc Judæi tenent, nimirum amatores sui, usque adeo, ut gratis inter se commodent, reliquis vero ad usuram. *A.*

104. *Quæsitum ad fontem.*) Respicit ad Judæam, ubi aquarum penuria. quod viatori sitienti fontem quæsitum non monstrent, nisi verpus vel apella recutitus & circumcisus sit. *L.*

104. *Verpos.*) Circumcisos Judæos ob renudatam verpam, ab ἕρπω, lumbrico. vide J. C. Scal. 1. *lib.* de causis Linguæ Latinæ *cap.* 28. *F.*

105. *Cui septima quæque.*) Frontinus in Stratagematis: *Augustus Vespasianus Judæos, Saturni die, quo nefas eis est quicquam seriæ rei agere, adortus superavit, quia noluerunt arma attingere.* Au.

107. *Sponte tamen.*) Avaritia juvenibus natura liberalibus (Horat. eos *æris prodigos* notat. *V.*) est contra naturam. Illa enim senum vitium, quæ avaritia, cum omnia vitia senescant, sola juvenescit in senibus. Qui quo minus vitæ restat, hoc plus viatici congerunt. *A.*

109. *Fallit enim.*) Ratio, quare patres avaritiam filiis suis inculcent, quod illam illis commendent, tanquam parsimoniam & frugalitatem. Sub specie & umbra frugalitatis & virtutis avaritia imponit hominibus. Multi enim avaros tanquam frugi homines laudant, putantes quod frugalitate patrimonia sua conservent. Sic timidi cauti appellantur, audaces fortes, prodigi liberales. *L.*

109. *Specie.*) Apparentia, tanquam diligentia, custodia, frugalitas. *L.*

109. *Umbra.*) Nam obscuram imaginem virtutis habet. *L.*

110. *Triste habitu.*) Avaritia externo habitu valde sæpe honesta apparet, ut quæ luxuriam condemnet, & frugalitatem & parsimoniam commendet. Avari autem præ se ferunt tristem, gravem & severum habitum. *A.* & *L.*

111. *Nec dubie.*) Quasi nemo dubitet de virtute ejus, quod sit frugi & diligens homo. *L.*

112. *Rerum tutela.*) Avari enim accuratissime res suas custodiunt, & quidem tantis curis, quibus pervigiles dracones poma aurea Hesperidum, vel aureum vellus in Ponto. *L.*

113. *Certa magis.*) Quas res longe diligentius custodiunt. Pulcre autem hoc loco avaros eum pervigilibus Draconibus comparat auctor, qui revera bonis suis invigilant, ut & Horatius notavit Sat. 1.

An vigilare metu exanimem noctesque diesque.

Et post:

— Congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis. M. & L

115. *Verendum.*) Honorandum & venerandum, qui tantum pecuniæ coacervare possit. Alii non male legunt: *Acquirendi Artificem.* L.

117. *Quocunque modo.*) per fas & nefas, juste & injuste, secundum illud: Mea nihil refert, dum potiar modo. *L.*

119. *Et pater ergo animi.*) i Ille pater ergo credit avaros & sordidos animi felices & fortunatos, qui opes admirantur & nullum pauperem credunt esse felicem. Vel hoc de filiis intellige, quod felices & beatos illos filios esse censeat, qui sint avari. *L.*

119. *Animi felices.*) Ita legendum non *felicis.* Est enim Græcismus, Græci enim dicunt μακάριος τῦ θυμοῦ scilicet ἕνεκα, μακάριος τῆς ψυχῆς. *L.* vel lege *felicis animi* & supple *esse.* *F.*

120. *Nulla exempla beati Pauperis.*] Qui tamen sæpe longe beatiores divitibus. Seneca ait: *Cui cum paupertate bene convenit, dives est.* M. Et in fine Epistolarum: *Tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimo esse felices.* In eam sententiam dixit Polynices apud Euripid. in Phœnissis: Πένης γὰρ οὐδὲν εὐγενὴς ἀνήρ. Aliter & rectius Seneca: *Potest etiam optimus & beatissimus animus sub quavis cute latere.* L. laudes Paupertatis vide apud Apulej. *Orat.* I. luculentas. *M.*

121. *Eidem sectæ.*) a sequendo, quæ proprie est Philosophorum, auctore Seneca. *J.*

121. *Vitiorum elementa.*) Avaritiæ & sordium principia, initia, & quasi quædam primordia, quibus bene perceptis facile ulterius progrediantur, & ad summas opes perveniant, quibus a teneris filiorum suorum animos imbuunt. Dicit autem recte *vitiorum* in genere: Nam avaritia radix omnium malorum, ad omnia vitia viam longe & late sternit. *L.*

124. *Minimas sordes.*) Etiam in puerorum minimis opibus, in nucibus, talis, aciculis, vel in genere, etiam in minimis nummulis, &c. *L.* Tripartæ hujus & sordidæ avaritiæ principia & præcepta vide a Theophrasto expressa in characteribus Ethicis, περὶ μικρολογίας. & περὶ βδελυρίας. *F.*

126. *Servorum ventres.*) Sequuntur jam in specie avaritiæ exempla, quibus patres filiis sua ad avaritiam viam sternunt. Prava, iniqua, & injusta mensura; qua demensum servis suis distribuit, servos defraudat, eorumque ventres attenuat. *L.*

126. *Modico iniquo.*) Cibi demensi φειδωλῷ μέτρῳ: Theoph. περὶ βδελυρίας.. *F.*

127. *Ipse quoque esuriens.*) Graphice Tantalos depingit, qui in omnium rerum copia & abundantia mento tenus obruti, interea egentes, fame atque siti contabescunt, *inter opes inopes.* L.

127. *Neque enim omnia sustinet.*) i. Ex nimia avaritia non indulget sibi tantum, ut omnia mucida fragmenta cœrulei panis consumat, & rite vel semel famem sedet. Non permittit, ut omnes mucidi & cœrulei panis reliquiæ, fragmentaque aut frusta consumantur, sed semper illa sollicite conservat, quæ postea ipse famelicus devorat. *L.*

128. *Mucida.*) Situ & mucore delibuta. *A.*

128. *Cœrulei.*) Vilissimi, non nivei. *L.*

129. *Hesternum solitus.*) i. Qui condimentum ex rebus minutim concisis, ut pisce, liquamine, oleo, vino, porro, coriandro, mense septembri, quo talia facile corrumpuntur, diu conservare, donec computrescant, solet. Idem Horatius dicit de avaro, qui condimenta non comedit, antequam putruerint. *L.* *Minutal* vocatum, quod fiat de piscibus, & isiciis, oleribusque minutatim concisis. Isidor. *An.*

131. *Cum parte lacerti.*) Caudam pro parte, quia erat in pretio, genus piscis salsi. Athenæus. Mart.

Cum Saxetani fertur tibi cauda lacerti.

Magius *lib.* 2. *cap.* 3. non caudam, sed vilissimam partem intelligit. *An.*

132. *Signatam.*) Ad ulteriorem avaritiam refer, i. Sigillo custoditam & obseratam, ne tales deliciæ possint imminui. *L.*

133. *Numerata.*) Mire amplificat descriptionem sordidissimi Euclionis, quasi etiam fila capitati porri numerarit. *L.*

133. *Includere*) aliquo promptuario, ut in alteram cœnam reservetur. *L.* Sunt autem singula verba avaritiæ amplificationes. *F.*

134. *Invitatus ad hæc.*) i. Si ad tales epulas etiam men-

mendici de ponte invitentur, se venturos negabunt, & recusabunt. *L.*

135. *Tormenta*) servorum & sui ipsius inediam, famem, & miseriam. Seneca: *Occurrunt, quod genus egestatis gravissimum, in divitiis inopes.* M.

138. *Interea pleno.*) Subjungit aliud genus stultitiæ in avaris, quod cum opibus opum desiderium illis crescat. *L.*

138. *Ore.*) Ut etiam os plenum sit. De magna abundantia dici, & intelligi potest. *L.*

123. *Crescit amor.*) Præclare Philosophus Seneca: *Si vis dives esse, non opibus addendum, sed cupiditati detrahendum.* L.

140. *Et minus hanc optat.*) Seneca: *Is minime eget mortalis, qui minimum cupit.* Idem: *Stultus nulla re scit uti & omnibus indiget.* Et Horatius, *Semper avarus eget.* M.

140. *Qui non habet.*) Testatur hoc Gellius *lib.* viii. *cap.* 8. *Observato rerum usu sapientes viri dixerunt, multis egere, qui multa habeant, magnamque indigentiam nasci non ex inopia magna, sed ex magna copia. Multa enim desiderari ad multa, quæ habeas, tuenda.* Et Cic. in Paradoxis: *Neque enim unquam expletur, neque satiatur cupiditatis sitis; Neque ea solum, quæ habent, libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.* M.

144. *Et densa.*) Integrum oliveti montem, *densa*, i. frequenti olea. *L.*

144. *Canet.*) Eo dicit, quia flores oleæ candidi & quasi cani. *L.*

148. *Novali.*) Proprie ager, qui alternis annis seritur: *Newer aussbruch eines Ackers, der ein Jahr Brache gelegen ist.* L.

148. *Sævos Ventres.*] Famelicum, ipsis segetibus infestum & iratum. Sic supra dixit: *Rabidam orexin*, & alibi: *Stomacho bilis*, & Horatius:

Quæ prima iratum ventrem placaverit esca. L.

151. *Injuria.*) Vicini avari & potentis. Egregie Hesiodus:

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. *L.*

152. *Fœdæ buccinæ.*) Tuba quasi turpis & fœdæ diffamationis. Hinc fama cum tuba pingi solet. *L.*

144. *Tunicam lupini.*) i. Ego pluris facio vilissimum leguminis putamen, quam laudes totius viciniæ, si pauper esse cogar. q. d. *Laus sine quæstu est vilissima: eine hülsse von Feigebonen.* Pro bona fama ne siliquam quidem lupini darem, si cum ipsa pauper esse cogar. *L.*

156. *Scilicet & morbis.*) Respondet Poeta avaro per amaram ironicam indignationem, ipsos avaros famæ contemtores suis opibus morbos, curas, & molestias tamen non posse effugere. *L.*

157. *Et luctum & curam.*) Per ironiam. Nam divitiæ hæc omnia inducunt. *L.*

158. *Meliore.*) Prosperiore, & Deo magis favente, quia dives es, imo vero iniquissimo. *L.*

161. *Mox etiam.*) Jam obiter commendat frugalitatem majorum suorum, qui paucissimis contenti beatissime vixerint. *L.*

162. *Gladiosque Molossos.*) Chaones & Molossi Epirotarum gentes. Scaliger legit, *gelidosque Molossos.* L.

165. *Meritis minor.*) Sed par & æqualis, quasi pro illis laboribus satis superque satisfactum sit. Par merces pro laboribus visa est illis, quibus dabatur. *L.*

165. *Aut ingratæ.*) *haud ingratæ* legit A. & sic etiam in antiquo cod. legit *M.*

166. *Glebula.*) Exigua terræ portiuncula duorum jugerum, sufficiebat multis hominibus, marito cum uxore gravida, quatuor liberis, & tota familia. *L.* Ex priscorum frugalitate ostendit temporis sui fastum, & avaritiam, nam cum ætate, & bello jam confecti essent, bene secum agi putabant, si uno aut altero jugero agri donarentur. *J.*

168. *Unus Vernula.*) Commendatur majorum continentia & frugalitas etiam obiter in in pueris, quod olim plures domini, quam servi fuerint, suo tempore contra. *L.*

170. *Scrobe vel sulco.*) i. A fodiendo vel aratione revertentibus domum, a fodiendis vineis, vel arandis agris. Est autem scrobs fossula, in qua panguntur plantæ vel vites. *A.*

170. *Altera cœna.*) Nam prior erat data minor, & exigua parvulis & ludentibus. *L.*

171. *Amplior.*) Ex proportione. Respicit enim ad adultiores fratres. *L.*

171. *Pultibus.*) Emphatice. Nam ante usum panis trecentis annis pulte victitabant. *L.* Fiebat puls ex æquis partibus farinæ, frumenti, & fabarum aut hordei. Alex. ab Alex. *cap.* 11. *lib.* 3. Pulte autem non pane vixerunt longo tempore Romani. Plin. *lib.* 18. *cap.* 8. Val. Max. *lib.* 2. *cap.* 5. F.

127. *Nunc modus.*) quasi dicat Auctor: adeo crevit luxuria, ut quod antea toti familiæ alendæ & rebus necessariis parandis satis erat, illud jam *hortis*, hoc est voluptatibus & deliciis non satis sit. *V.*

173. *Inde fere.*) ex avaritia. & verissime hoc dicit. Illa enim radix omnium malorum. *Inde*, scilicet, quod pueri a primis unguiculis avaritia a parentibus imbuantur. Unde latrocinia, furta, veneficia, homicidia, &c. Cicero: *Intelligi facile potest, nullum esse officium tam sanctum & solemne, quod non avaritia comminuere soleat.* L.

174. *Sæva cupido.*) Immanis & atrox truculentaque avaritia. *L.*

176. *Nam dives.*) Hoc ait ex natura avaritiæ. Nam ava-

avari non paullatim aut pedetentim divitias exoptant acquirere, sed subito & vel unica vice. *L.* Non facile potest quispiam juste, & cito ditescere. *J.*

177. *Cito.*) Non per honestatem & longi temporis intervalla. Sed si fieri posset unica hora, quamvis per immania scelera. *L.*

174. *Quis metus.*) Nimirum avari neque Deos neque homines curant, & modo opes acquirant, nihil pensi habent. *A.*

183. *Laudant hoc Numina.*) i. Ipsis Diis hoc vitæ genus placet. *L.*

184 *Veteris quercus.*) Dicit hoc, quia ante hæc, quæ notat, tempora, rudes adhuc erant, & arborum herbarumque fructibus vivebant. *L.*

185. *Quem non pudet.*) i. Qui tener, mollis, & superbus non est, & quem non pudet rustico calceo contra nives, imbres, & frigus muniri. *L.*

185. *Alto.*) Alte super genua subducto, ut apud nos piscatores. *L.*

187. *Pellibus inversis.*) Ut sit incultus quidem, sed a frigore tutus. Vestibus amictus, quæ potius muniant, quam orneut. *L.*

187. *Peregrina.*) i. Dum vilibus & contra frigoris inclementiam tantum necessariis vestibus utebantur, optime vivebant. Jam vero purpureæ vestes, peregrinæ, Tyriæ, Africanæ, Laconicæ omnia scelera invexerunt. *L.*

188. *Ad scelus, atque nefas,* &c.) i, Ambitio, caussa est omnium scelerum. *J.*

188. *Quæcunque est.*) Dicit eo, nam dixit supra: *Peregrina & ignota*, ob id ait, quæcunque illa est parum nobis nota. Melius forte legitur, *quodcunque*, i. ad omne vitium & scelus. *L.*

191. *Accipe ceras.*) Verba avari, quibus filium suum ad opes accumulandas exhortatur. Accipe ceratas tabulas, teque exerce scribendo & computando. *L.*

192. *Perlege rubras.*] Ergo primæ literæ legum Jurisconsultorum *rubeo* colore scriptæ fuere, hinc Cicero: *ad rubricas se transfert.* Perlegere est a principio ad finem usque legere, hoc præcepto ostendit Juvenalis, juris studiosis, quanta opera requiratur in discendis legibus. Quintilianus *lib.* 1. docet, quo modo legendi sint libri his verbis: *Ac diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minime fallat, legendus est: sed diligenter ac pæne ad scribendi sollicitudinem, nec per partes modo scrutanda omnia, sed perlectus liber utique ex integro resumendus.* Au.

193. *Vitem posce.*) i. literis commendatitiis. *M.* Libello supplice, vel carmine in laudem Imperatoris, vel alterius (qualis erat Paris, de quo histrione Sat. 7.) conscripto posce tibi centurionatum. *L.* Centurionis munus, qui vitem gestabat, qua milites puniret. Livius *lib.* 57. Plutarch. in Galba. Flor. Plin. *lib.* 14. *cap.* 1. &c. Sat. 1. vs. 247. *F. Claudius nulli vitem, nisi robusto, & bonæ famæ dabat.* Ælius Spartianus. *Au.*

194. *Nares pilosas.*] Pilosi homines majoris roboris existimantur. Polyphemus apud Ovidium Metamorph.

Barba viros hirtæque decent in corpore setæ.

Hinc Hercules *Melampygus* dictus. *L.*

195. *Alas.*] Axillas & scapulas. Hi duo versus quo pertineant & quid sibi velint, non satis pervideo. *L.*

195. *Castella Brigantum.*) Britannorum in septentrionali parte Albionis insulæ, qui aliis *Eboracenses* sunt, aliis *Galwai.* F.

199. *Solvunt ventrem.*] Macrob. Sat. 7. *cap.* 11. quo aureo imbre conspersum ac reprehensum introducit Dionysium Aristophanes in βατράχ. *F.*

200. *Pares quod vendere posses.*] Pluris dimidio, quam revera valet, aut quam tu illud emisti. *L.*

207. *Unde habeas.*] Unde habeas divitias ex fœdis an male olentibus mercibus juste & injuste, nemo sollicitus sit. Dixit autem hoc Ennius ironice avaritiam perstringens, ubi reprehendit avaros, quod, modo pecuniam acquirerent nihil pensi habebant, quocunque illud fieret jure vel injuria. *L.*

208. *Hoc monstrant.*] Probus legit, *Pueris repentibus Assæ. Assa* autem nutrix est, quæ lac infantibus non præstat, sed sicca est nutricula, tantum curam puerorum habens. Sed satius est lectionem vulgatam retinere. *L.*

214. *Securus abi.*) i. Discede tantum & desiste ab eruditione vel institutione ampliore filii tui. Vel, ne sis sollicitus, quasi filius tuus frugi non sit futurus, & probe opes computaturus. *L.*

318. *Vendet perjuria.*) i. Data vel exigua pecuniæ summa loco præmii, perjurus erit. i. Pro tenui lucello pejerabit. L.

219. *Cereris tangens.*) Ubi jusjurandum sanctissimum habebatur, quippe ubi castis & puris tantum locus erat, unde dixit

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ. *L.*

220. *Elatam jam crede nurum.*) Tam certo crede, quod filius tuus uxorem suam nurum tuam veneno occisurus sit, quam si illa jam occisa & ad sepulturam elata esset. Innuit filium ob opes propriam conjugem sublaturum. *L.*

221. *Mortifera*) ipsi nurui. Nam propter dotem occupandam venena ipsi dabit filius tuus. Est autem aptissimum huic loco epitheton. *L.*

221. *Quibus illa premetur.*) Intellige, vel quod digitis violenter ejus fauces occlusurus sit, vel quod digitis veneno cicutæ infectis ejus dormientis membra muliebria sit contrectaturus. *A.*

222.

222. *Nam quæ terraque.*) i. Quæ tu pater speraſti filium tuum conſecuturum longis laboribus, & negotiationibus terra & mari, illud filius tuus acquiret longe breviore & compendioſiore via, nimirum furtis, homicidiis, latrociniis, perjuriis, aliiſque malis artibus. *L.*

224. *Nullus enim.*) Neque enim res ardua eſt perpetrare ſcelus aliquod magnum, præceps eſt ad ſcelus via. *F.*

226. *Mentis cauſſa malæ.*) i. Quoniam tu ipſi commendaſti divitias, quæ nulla faciliori ratione acquiruntur, quam ſcelere, quaſi dicat: Licet expreſſe non ſuaſeris, tamen illorum auctor es. *L.*

227. *Nam quiſquis.*) Probat quod avari parentes omnium ſcelerum auctores ſint ipſis liberis. Quicunque avaritiam filio ſuo imperat, eique ſummas opes commendat, præcipit etiam ei & aperit rationes, quibus illæ acquirantur: homicidia, latrocinia, perjuria. *L.*

229. *Et qui.*) Quidam putant hunc verſum eſſe nothum. *J.*

230. *Totas effundat habenas.*) i. Ille idem facit, quod auriga, qui equis cum curriculo currentibus fræna & habenas laxant, & profundunt. Nam ſi currum velociſſime currentem inhibere velis, non potes: ita ſi filium tuum jam pleno gradu per ſcelera ad divitias properantem revocare velis, non potes. Tum enim, ut Poeta ait:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Deleo vero hoc loco *Et*, quod in vulgatis pleriſque inſeritur. *L.*

232. *Metiſque relictis.*) Ultra terminos a te ſibi præſcriptos. i. Poſt ſe relinquit illas metas, quas tu ipſi conſtituiſti. Et ratio eſt, quia in malo, quod infinitum eſt, modus vel finis, vel meta dari nequit. *Metis relictis*, ſc. ob impetum. *L.*

234. *Adeo indulgent.*) i. Uſque adeo omnes homines ſemper plus peccare gaudent. Nam in immoderato modus non eſt. *L.*

235. *Dum dicis juveni.*) i. Cum puero tuo dicis, illum ſtultum eſſe, qui aliis benefaciat, vel ſi filium tuum aliis benefacientem reprehendas, ille non ſolum non benefaciet, verum inſuper etiam malefaciet, & crudelis erit, atque fraudulentus. *L.* Cum pater ſtultum eſſe ait, beneficium amico præſtare, cauſſa eſt, ut filius ſordidus ſit. *J.*

237. *Et ſpoliare doces.*) i. Doces illo ipſo filium tuum vel externa violentia alios ſpoliare, vel dolis atque fraudibus alios circumvenire. ratio eſt, quia ſi noluit filium ſuum cuiquam benefacere, tum malefacere aliis volet. Nam ſemper ulterius peccando progreditur. *L.*

238. *Quarum amor in te eſt.*) i. Tantus in te divitiarum amor eſt, quantus patriæ amor erat in Deciis patre & filio, qui pro patriæ ſalute ſeſe devoverunt, ut tu te pro pecunia devoves. Multi enim avari pro pecunia acquirenda ſeſe devovent. *L.*

240. *Si Græcia vera.*) Obiter perſtringit vanitatem Græcorum in ſuis hiſtoriis & laudibus cantandis. Sane in laudibus ſuis ſemper verboſior fuit Græcia. *L.*

243. *Continuo.*) Obiter irridet frigida Græcorum commenta, quorum tamen teſte Plinio nullum mendacium, quod teſte careat. L.

244. *Ergo ignem*) Prior allegoria a curru fuit, ſequitur altera ab igne. i. Ut aliquis ignem excitatum extinguere nequit, ita neque divitiarum amorem in pueris excitatum, & quaſi inflammatum. Ille enim amor omnia per fas & nefas ad ſe rapiet, etiam bona tua, te prius ſublato. L.

245. *Rapientem.*) Ut ignis omnia conſumit, & devorat, ita avarus omnia ad ſeſe rapit. L.

246. *Nec tibi parcetur.*) i. Non ſolum decipiet omnes alienos, quos poterit, nec uxorem ſolum ob dotem, ut illa potiatur, occidet: Verum te etiam, qui illum docuiſti, educaſti, informaſti. Non ſecus atque leo alumnus magiſtrum ſuum in caveam abripit & devorat. *L.*

247. *Leo alumnus.*) Filius tuus avaritia inſtar leonis truculentus. L.

248. *Nota Mathematicis.*) Mathematici ex geneſi tibi longam vitam promittunt. Verum filius tuus illum aſtrorum curſum interpellabit, & Parcas fila vitæ tuæ ſecare morantes & tardantes præveniet. *L.*

250. *Jam nunc obſtas.*) Filio tuo tua longa vita moleſtus es. *L.*

251. *Cervina ſenectus.*) Forte legi etiam poteſt *corvina.* L.

252. *Ocyus Archigenem.*) i. Si volueris diutius adhuc vivere, Antidoton Mithridaticam tibi contra venena compara, quæ filius tuis bonis inhians tibi parabit. L.

253. *Si vis aliam.*) i. Si vis adhuc per annum vivere, ut novas ficus decerpas. L. imo ſi ad proximum tantummodo ver. *A.*

256. *Monſtro voluptatem.*) i. Avarorum pericula, labores, curas, ſollicitudines ſi animadvertas, majori voluptati afficieris, quam in theatris ludos ſpectans. L.

257. *Pulpita.*) Scenicos ludos, quos exhibet prætor ille lautus, & ſupinus. Indicat avarorum vitam maxime eſſe ridiculam. L.

260. *Caſtora.*) Ad templum Caſtoris. divites olim in templis pecunias ſuas deponere ſoliti erant, quaſi Diis committere, & credere ſe exiſtimantes. Brodæus Miſcell. *lib.* 4. *cap.* 17. Αὐτοῖς γὰρ τοῖς παλαιοῖς τὰ χρήματα ἐν τοῖς ἱεροῖς ταμιεύειν. Thucydidis Scholiaſtes. *F.*

260. *Vigilem.*) Tertullianus Apologetico: *Ædes suas Dii tuerentur & imagines, quæ, ut opinor, Cæsarum milites excubiis salva præstant.* Ideo Juvenalis *Castora vigilem* dixit. *Au.*

261. *Ex quo Mars.*) Ex quo tempore e foro Martis, ubi antea in arcis ferratis divitiæ custodiebantur, per fures arcæ spoliatæ sunt. Ex illo tempore cœperunt ad Castoris templum thesauros illos ponere, & ibi excubiis custodire. *L.* vide Martialis *Epigr.* 72. *lib.* 6. & Anthologiæ *lib.* 2. *cap.* 25. de Eutychida. *F.*

261. *Galeam perdidit.*) Ridicule, quæ forte ipsi per fures de capite ablata. L.

261. *Res suas.*) Scoptice irridet Martem, q. d. propria sua arma *Mars* ille, &quidem *ultor*, in corpore sibi retinere non potuit. *K.*

262. *Ergo omnia Floræ.*) i. Omnes ludos alios merito relinquas, præ stultitia ridicula avarorum. *L.*

263. *Cereris.*) Ludos Cereales, quibus equorum cursus in circo celebrabantur, quos primus Cajus Memmius Ædilis Curulis exhibuit. *L.* Vide Polit. *Misc. cap.* 85. *Au.*

264. *Tanto majores.*) Negotia humana avarorum, ut sunt navigationes, peregrinationes, ærumnæ, pericula, labores, tam m gis ludicræ, & rid culæ sunt ipsis spectatoribus. L.

265. *Petauro.*) Petauristæ per ligneum circulum admodum angustum tam magna solertia manibus & pedibus directis transvolabant, ita tamen, ut vix circulum corpore tangerent, & tamen ita cadebant, ut pedibus insisterent. Dici etiam possunt hastæ, circa quas se volvunt funes, quibus etiam reciproci inambulabant circuli, per quos se transmittebant, Sed prius illud melius est. L.

269. *Perditus.*) Homo stultus & ærumnosus. Legendum cum Probo *Perditus ac vilis.* L.

272. *Ancipiti planta.*) qui dubie & periculose in fune incedit, dubius, an domum incolumis sit rediturus. L.

273. *Victum.*) Omnia necessaria sibi comparat illa recte, & prospicit sibi de amictu & victu. Licet non multum, tantum tamen, quantum satis est. L.

274. *Tu propter.*) i. Tu longe funambulo stultior, non ob famem, vel frigus vitandum laboras, sed ut immodicas & superfluas opes habeas, quibus carere poteras, & tamen beate vivere. L.

275. *Aspice portus.*) Ita hæc sunt distinguenda. Probat autem, quod dixit, ob avaritiam mercatorum portus & mare passim plena esse *magnis trabibus*, navibus vel etiam navibus fractis. *L*

276. *Plus hominum.*) qui naufragium passi in mari interierunt, quam qui in terra mortui. Vel quod plures in mari navigent, quam in terra peregrinentur. L.

280. *Stridentem.*) Ausonius:

Condiderat jam Solis equos Tartessia Calpe,
Stridebatque freto Titan insignis Ibero. Au.

Sic & Stat genethl. Lucani:

Felix heu nimis & beata tellus:
Quæ pronos Hyperionis meatus
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis. M.

282. *Tumida aluta.*) Pellicula marsupii pecunia turgenti. Est autem *aluta* pellis mollis ad calceos & alia opera concinnata. Nisi quis velit per *alutam tumidam* vela navium intelligere. Sane Galli olim pellibus & aluta pro velis tenuiter confectis usi, teste in *Commentariis* suis Cæsare. L

284. *Non unus.*) Cum variis insaniis homines passim vexentur, demonstrat avaros mercatores omnium maxime stolidissimos & quidem peculiari sua sibi insania insanissimos esse. Horatius:

Danda est Ellebori multo pars maxima avaris. A. & J.

288. *Curatoris.*) tamen insanus est. hominibus vero nequam & male sanis interdici bonis solebat, curatore dato. *F.*

289. *Et tabula.*) Plutarchus scribit Platonem *in tribus rebus pœnituisse: quod mulieri arcanum quidquam credidisset, quod navi transmisisset, quo pedestri itinere potuisset pervenire. Denique si quæ dies per incuriam ipsi effluxisset.* L.

295. *Æstivum tonat.*) Ut more æstivo cum summus calor est, fieri consuevit. Verbis hisce mercator nautas consolatur. Sic alter Poeta dixit: *Horrendum clamat.* L.

297. *Et Zonam,*) Ita dicit, nam in zona vel cingulo aurum recondere, & loco viatici secum portare solebant. Teste Suetonio, Agellio, Apulejo. L. Zona illa præcingebantur: Sacra pagina: *Nolite possidere aurum, neque pecuniam in zonis vestris.* & Horatius:

Ibit qui zonam perdidit. Au.

300. *Frigida sufficient.*) ὁ πλείονα ζητῶν εἶτα πάντ᾽ ἀπώλεσεν, i. illi sufficiet tantum vilis panni, quo nuda, & ex aqua marina uda & frigida inguina possit tegere & abscondere. L.

304. *Misera est magni.*) Egregia sententia, ex qua felicitas divitum, præsertim avarorum perspicitur. Miseriam hanc divitum notat Aristoteles 8. Ethicorum: *Quo quis magis, inquit, abundat, hoc magis periculis exponitur.* Et Horat.

An vigilare metu exanimem noctesque diesque,
Formidare malos fures, incendia, servos
Hoc juvat? M.

Nimirum ut Græci: Πλοῦτος δειλὸν κακόν. L.

305. *Hamis.*) Uncis ferreis Turneb. xii. 23. vasa aquaria intelligit in promptu ad exstinguenda incendia.

ab

ab *bama*, cum *bamus* penultimam habeat longam, ἄγκις ἢ σκάφαις, &c. Plutarch. de animalium industria. Plin. Jun. *in Epist. nam salutem §. ut curam.* Π. *de off. Præf. vigilum.* Ut curam adhibeant omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii casus oriatur; præterea ut aquam unusquisque in cœnaculo habeat, jubetur admonere. *F.*

308. *Dolia nudi.*) Quomodo autem Diogenes in dolio vixerit, vide Laertium in vita Diogenis. Erant autem autem antiquis dolia non e ligno, sed fictilia e terra tenaci, vel ex creta. L.

308. *Nudi Cynici.*) secta quæ revera a Stoica tunica tantum distat, id est, quod nudius, & inverecundius Cynici, quæ velant, & tegunt Stoici. Seneca epist. 63. *Demetrium virorum optimum mecum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror.* Au.

312. *Magnum habitatorem.*) Diogenem, cujus animus omnibus mortalibus major. *Magnum*, non imperii, sed animi divitis. Nam dum *magnum* dicit, Diogenem respicit ad Alexandri cognomentum. L.

314. *Passurus.* &c.) qui in ætatis flore veneno sit circumventus, ut post summos belli labores denique immatura mors præsto fuerit, ut adeo nulla videatur humana felicitas a magno esse immunis periculo. *V.*

315. *Sed nos.*) Nos stultitiam & ignorantiam nostram tanquam Deam colimus. *L.*

320. *Quantum Socratici.*) Testatur Laertius, quod, cum tota urbs Athenarum pestifera lue infecta esset, solus Socrates ob temperantiam & frugalitatem immunis fuerit. *L.*

321. *Nunquam aliud Natura.*) Imo ex natura ipsa Philosophia desumta est. Nam secundum naturam optimam vivendi ducem vivere, est vivere secundum Philosophiam. Seneca: *Virtus secundum naturam est, vitia inimica & infesta Natura* Quicquid Socrates & Epicurus sapientes consuevere, idem natura dictitat & approbat. sane quæ paucissimis contenta est. *Venter enim*, ut Seneca ait, *pane & aqua contentus est.* L.

322. *Acribus exemplis.*) i. Videor, quod te velim ad nimiam frugalitatem cogere, & quidem exemplis Philosophorum, qui acerrime frugalitatem vita sua expresserunt. Nimis angustis Socratis & Epicuri Philosophorum terminis, exacte & acriter viventium. L.

322. *Claudere.*) quasi nimis arcte coangustare & intra frugalitatis terminos coercere. *Gar zu genauw einspannen.* L.

322. *Te.*) Qui nolis consentire ad Philosophorum tenuissima patrimonia. L.

322. *Misce aliquid nostris.*) De avaritia, & opum cupidine. *Nostris*, qui immodicas divitias avide appetimus. i. Adquire aliquid ultra illud, quo contentus vivere poteras. L.

325. *Rugam trahit.*) Frontem tuam indignatione in rugam contrahit, te tristem facit, cum tibi nondum satis esse videatur. L. Non tibi arrideat, sed te cogat, quod dicitur Anglice, *to bend the brow, and hang the lip.* F.

325. *Extenditque labellum.*) Indignabundum te facit, ut tua labra extendat, aut ea pendula faciat. *Dasz einer die lippen hengen lest.* L.

326. *Tertia quadringenta.*) i. Habe tibi trium equitum censum vel duodecim centena millia H-S. vel ter quadragies Sestertium, vel mille ducenta. Sic Persius plane in fine de iisdem avaris:

> *Rem duplica, feci, jam triplex, jam mihi quarto,*
> *Jam decies, redit in rugam.* L.

327. *Si nondum implevi.*) i. Si tot & tantas divitias tibi indulgens nondum cupiditati tuæ satis feci. Egregie Horatius:

> *Denique sit finis quærendi, cumque habeas plus,*
> *Pauperiem metuas minus & finire labores*
> *Incipias parto, quod avebas.* L.

Cicero in paradoxis: *Quem enim intelligimus divitem? aut hoc verbum in quo ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio, ut ad liberaliter vivendum contentus sit: qui nihil appetat, nihil quærat, nihil desideret amplius.* M.

330. *Cujus Paruit imperiis.*] Obiter notat Claudium, qui Imperator parverit imperio liberti sui, etiam cum juberetur uxorem occidere. Aliter olim hæc accepi, quasi diceret Poeta: Cujus Claudii Cæsaris imperis Narcissus paruit, ejus uxorem Messalinam occidere jussus. Sed prior explicatio magis mihi placet. L.

331. *Jussus.*] Scoptice, quasi libertus & servus imperatorem jusserit id facere. L. τὸ *Jussus* ad sub intellectum Centurionem refert *A.*

Ad Satyram XV.

QUis nescit.] Non desunt, qui hanc *Satyram* scriptam censeant in odium Crispini, qui Ægyptius erat, & per delationes aliasque malas artes ex inopi magister equitum evaserat. L.

1. *Volusi.*] credo eum esse L. Volusium, qui Romæ regnante Nerone decessit bonis artibus eruditus, præcipuis ornatus opibus, qui sine offensa tot Imperatorum malitia XCIII. annorum confecit spatium, ut testatur Tacitus. *V.*

1. *Demens Ægyptus.*] quæ quidem bruta & mon-

stra colat, & ab iis studiose abstineat, hominem vero devoret. *L.*

2. *Portenta.*) Numinum, ut sunt animalium, serpentum, ferarum, Crocodilus, Ibis, Cercopithecus. *L.* (alludit ad hunc locum Ambros. in Com. ad Epist. Pauli *ad Rom.* V.) Σέβουσι μὲν τοι κροκοδείλους, κύνας, αἰλούρους, λύκους, πτηνὰ, ἴβιδας καὶ ἱέρακας ἰχθύων, &c. Philo. Jud. *lib.* de decalogo. rationem vide apud Lucianum περὶ ἀστρολογίας. τὸν ἆπιν ἐν Μέμφει, &c. τὸν τράγον ἐν Μένδῃ. τὸν κροκόδειλον ἐν τῇ Μοίριδος λίμνῃ. Diod. Sic. *lib.* 1. Οἱ μὲν γὰρ καλλίστην, &c. οἷον δὲ ἐν ζωῆς τὸν βοῦν, ἢ πίθηκόν τινα, ἢ ἶβιν, ἢ τράγον, ἢ αἴλουρον. Lucian. εἰκόνες & Pomp. Mela 1. *F.*

3. *Pavet.*) Cum pavore tanquam numen veneratur. est autem Ibis avis fœdissima, de qua vide Ovidium in Ibin. Ciconiæ non omnino dissimilis, nisi quod nigra tota cruribus gruinis, rostro adunco. *L.*

4. *Cercopitheci.*) Simiæ caudatæ. Germanis nobis *Ein Meerkatze.* Plin. *lib.* 8. *cap.* 20. *Cercopithecos* ait *esse nigris capitibus, reliquo corpore pilo asini.* Hæc quoque Ægyptiis sacra fuit simia. *L*

5. *Memnone.*) Rex non Ægyptiorum, sed Æthiopum, quod ex Æthiopia, *vel* potius e Susis civitate Persarum ad bellum Trojanum venerit, quem Diodorus ducem tantum facit præsidii missi Trojanis a Theutano Assyriorum Rege, atque fuisse filium Tithonis præfecti Persarum. Hesiodus in Theogonia facit Auroræ Tithonisque filium. Pausanias ex Æthiopia in Ægyptum venisse, & penetrasse usque Susa. fuit & alius Memnon nomine Artaxerxes Rex Persarum. *An.*

5. *Magicæ.*) quia arte magica id fieri putabatur. *An.*

5. *Chordæ.*) ἀκούουσι δὲ θαυμάζοντες ἐκείνο τὸ Μέμνονα ἠχοῦντα πρὸς ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον. Lucian. φιλοψευδ. & idem in τόξαρι. Pausan. in Atticis. Philostratus in Iconibus. Plin. *lib.* 36. *cap.* 7. Strabo *lib.* 17. F.

7. *Illic cæruleos.*) Pisces maris cœrulei. vel lege *Æluros*, qui sunt e felium genere πρὸς τὰς ἀσπίδας θανάσιμον δυναμένας ἴσχυσιν. Diod. Sic. *lib.* 1. & Herodot. *lib.* 2. & supra ex Luciano & Philone. *F.*

8. *Canem.*) Anubin intelligit, vel quemvis alium canem. Canem autem ideo coluerunt, quia canis dicitur invenisse Isidem indagando Osiridis cadavere, qua de causa in sacris Isidis canes præcedebant. Sane in tanto apud eos cultu, ut tota domus in qua canis exstingueretur, toto corpore raderetur, quod maximum apud eos luctus indicium, Porro Ægyptii ex terrestribus tria in universum colebant, bovem, canem, felem. Ex aquatilibus duo, Lepidotum piscem, & Oxyrinthum. Erant & alia, quæ quisque seorsum colebat, ut Saitæ & Thebani ovem, Latopolitani latum piscem, Lycopolitani lupum, capram, & hircum, Mendesii murem, & araneum Athribitæ. Strabo *lib.* 9. M.

10. *O sanctas gentes.*) Irridet salse & jucunde hanc ridiculam superstitionem. *A.*

11. *Nefas illic.*) Cum stomacho pronunciandum; hinc enim totius Satyræ indignatio assurgit, quod cum rebus vilissimis religiose abstinerent, in hominem omnium animalium nobilissimum tam atrociter sævirent. *L.*

13. *Attonito cum.*) Ea, quæ Ulysses narrarat Alcinoo, etsi fabulosa erant, tamen minus erant atrocia, quam quod narrabo. *J.*

15. *Bilem.*) Indignationem, tanquam qui absurdis fabulis accumbentes naso suspendere & ludificari velit. *L.*

16. *Mendax aretalogus.*) Qui ridiculis sermonibus placere studet, & risum captat. Ab Aristotele dicuntur ἄρεσκοι. Scaliger dicit non esse Græcum, quamvis e Græcis, ut multa alia, Prologium, Antelogium, Propola. *L.* Casaubonus tamen ad Suetonii August. *cap.* 74 *aretalogos*, exponit, *parasitos philosophos*, & quos Seneca epist. 29. vocavit *circulatores Philosophos* qui in conviviis lautiorum, quæ frequentabant, de virtutibus & vitiis disceptabant, qualem Antidoti refert Athenæus *lib.* 6. *cap.* 9. vide etiam quæ Jos. Scal. ad Auson. *lib.* 1. *cap.* 5. *F.*

16. *In mare nemo.*) Mimesis, quasi dicat Auctor, ita dicere poterant indignabundi Phæaces, tanquam Ulysses mendacissima protulerit ludificandis Phæacibus, tanquam hominibus simplicibus & bardis. *L.*

17. *Veraque Charybdi.*) Non ficta vel falsa. Hæc omnia dicuntur ad sceleris enormitatem explicandam, quod absurdissimum etiam dictu sit, & longe absurdius adhuc factu. *L.*

18. *Immanes.*] Qui immanitate omnia superant, utpote ἀνθρωποφάγοι. *L.*

23. *Vacui capitis.*) κενοκεφάλους. Erant autem Phæaces Corcyræ populi, sub ditione Alcinoi. Corcyra autem insula in mari Jonio. *L.* hodie Corfu. *F.*

24. *Nondum ebrius.*) Ebrii enim alias facile sibi aliquid persuaderi patiuntur. *L.*

26. *Solus enim hæc.*) Ulyssi Ithacensi merito quis diffidisset, cum nemo ante tale monstrum vidisset, & testatus esset. Illa vero quæ ego profero, & ipse vidi, & toti populi sciunt vera esse. *L.*

27. *Miranda.*) Mira quidem, sed vera. *L.*

27. *Consule Junco.*) Ad facti veritatem tempus etiam definit. Quia enim historiam vult narrare, ponit nomen consulis, quo hæc facta sint, ut major habeatur fides. Legunt alii *Vinco*, qui quo tempore consulatum obtinuerit, in Annalibus non reperitur. *L.* Cujacius Jurisconsultorum nostri temporis facile princeps in titulum *de fidei commiss. libertat.* Senatusconsultum *Juncianum* a Con-

a Consule Junco, cujus meminit Lampridius in Commodo, male legitur *unico*, cum nullus Consul *unicus* reperiatur in Fastis Romanorum. Britannicus legit *Vinco*, & male, licet Tranquillus in Nerone Vincianæ conjurationis faciat mentionem. *An.* Junio Sabino, qui Cos. cum Domitiano A. U. 836. *F.*

33. *Vetus simultas.*) *Der alte Groll.* L. Quæ simultas non semel atque iterum, sed sæpius renovata, jam insenuit. *V.*

35. *Combos.*) Malo legere cum Ortelio *Ombos.* F.

35. *Utrinque.*) Ab utraque parte, utraque civitate, Combis & Tentyritis: hinc simultas & odium natum est, quod alii alios Deos colerent, & unus alteri impietatem objectaret. Certe religio a *religando* dicta hominum animos arctissimo vinculo colligat, ut contra religionis diversitas certam amicitiam coire non permittit. *L.*

36. *Numina vicinorum.*) Illud in Ægypto fuit usitatissimum, & profectum est a Sapientissimo quodam Rege, qui diversis sui regni populis diversa numina attribuit. Unde factum, ut inter se dissentientes regibus suis nunquam repugnarent. Diodorus. *L.*

38. *Quos ipse colit.*) *Ein ieder Narr meinet, er sey der Klugeste.* L.

42. *Positis mensis.*) quibus convivia agitabant, ad templa Crocodili, cujus festum celebrabant, & in locis, ubi plurimæ viæ competunt, in triviis & quadriviis. *L.*

44. *Horrida sane.*) Hæc Ægypti pars, in qua ego sum, & res gesta est, est inculta quidem & horrida, sed tamen non minus luxuriat, & lascivit (quantum ego Juvenalis ipse præsens notavi) quam est ea Ægypti pars, quæ est ad Canopum. *L.*

46. *Turba.*) alii legunt *ripa.* V. & A.

48. *Blæsis.*) Sermone titubantibus propter vinum. Vid. Arist. *Probl.* *M.*

49. *Qualiacunque.*) i. Qualibuscunque unguentis delibuti erant, quæ alias in Ægypto erant preciosissima, teste Plinio. *L.*

50. *Flores.*) Qui in mensis & lectis sparsi. Respicit autem ad superius cum dixit *horrida Ægyptus.* Unde ait Combos exquisita unguenta non adeo curasse. *L.*

51. *Jurgia.*) A contemtu religionis utriusque populi. *L.*

53. *Et vice teli.*) Loco teli vel gladii manibus & pugnis inter se sæviunt. Teli, quod πλῆσθαι vel de longinquo mitti posset. *L.*

59. *Ludere.*) Contentionem illam jocum arbitrantur, nisi aliquot pereant. *J.*

61. *Et sane quo tot rixantis millia turbæ?*) Hæc vera & perspicua lectio. i. Quorsum tot millia inter se rixantur & pugnant, si omnes adhuc vivunt, & nemo trucidatus est? *L.*

64. *Domestica seditione Tela.*) Saxa, quæ sunt in seditione usitata, familiaria & consueta tela. Talia enim tela seditiosis sunt in promtu. *A.*

65. *Quales & Turnus*) in singulari certamine cum Ænea *lib.* 12.

Nec plura effatus saxum circumspicit ingens.

Est autem hæc vera lectio. i. *Quales* lapides torsit Turnus. *L.*

71. *Ergo Deus quicunque*) hanc pugnam aspexit, vel quicunque malos homines intuetur, ille ridet illos pusillos homines immania & ingentia molientes, cum adeo sint pusilli, & odit illos, quia mali. *L.*

72. *A diverticulo.*) Dixit superius, post pugnos, ipsos lapidibus certasse. Interposuit postea paucula de pugnis heroum, qui & ipsi saxis & lapidibus concertarint. *L.*

72. *Diverticulo.*) Digressiuncula, quia paullum ab historia digressus est, & quædam de Turno, Ajace, & Diomede inseruit, ait se ad historiam velle redire. *A.* & *L.*

72. *Fabula.*) Ridicule de vera historia. *L.*

75. *Fugæ celeri præstantibus.*) Exhibentibus tergum fugæ, & effuse fugientibus. *L.*

75. *Omnibus.*) Forte melius legitur *hostibus.* *L.*

76. *Qui vicina colunt.*) Periphrasis Tentyritarum. Palmetum enim ipsis Tentyris vicinum erat. Alias ibi maximus palmarum proventus. *L.*

78. *Præcipitans.*) Quasi præceps fugiens, qua fuga nimia sese præcipitem dedit. *L.*

78. *Sectum.*) Gladiis minutatim & frustillatim concisum. *L.*

84. *Quod non violaverit.*) Hominem coquendo, vel assando. Si enim concoxissent cadaver hominis, ignis violatus esset. *L.*

86. *Et te*, &c.) Te, o ignis, tibi, *vel*, te, o Volusi, igni gratulari credo, qui tam infandi sceleris officio non fuerit violatus. μηδὲ μιάνῃς Πῦρ ἱερὸν inquit Persa ille in epig. Dioscorid. Anthol. *lib.* 3. *cap.* 13. Persæ autem & Chaldæi ignem venerabantur inter summa numina, ut & aquam, tanquam rerum principia. Ab his per Trojanos, perpetuus ille ignis Vestæ sacer fluxit ad Romanos. *F.*

87. *Sed qui mordere.*) q. d. Tu forte exsultas, quod ignis non sit violatus. At vero Tentyritæ illi summam voluptatem conceperunt, qui hominis cadaver devorare sustinuerunt. Notatur crudelitas Ægyptiorum. i. Homo efferatus, qui naturam in se violavit, & semel natura repugnante hoc cadaver hominis mordere sustinuit, nihil unquam hac humana carne libentius comedit. *L.*

90. *Ultimus autem.*) Qui tardius toto cadavere jam consumto superververat, sanguinem ex terra profusum haurit, & gustat. Unde facile æstimare fas est, quanta avidi-

aviditate & voluptate priores carnem devoraverint. Potest autem forte legi, *qui sitit.* Vult autem probare maximam voluptatem ex hujusmodi facinore sceleratos percepisse. *L.*

93. *Vascones ut fama est.*) Michael Montanus *lib.* I. *cap.* 30. putat Juvenalem loqui de Vasconibus Aquitaniæ populis, quorum majores ait obsidionem a Cæsare factam in urbe Alexia tolerasse fame, & cadaveribus servorum, fœminarum, & pugnæ non idonearum, sed fallitur vir alioqui doctus, eo quod non animadverterit, hos Vascones infra dici Cantabros. *Au.*

95. *Bellorumque ultima.*) Ut sunt egestatis & famis angustiæ. Quid enim amplius in bello, quam compelli ad humana cadavera devoranda? *L.*

97. *Miserabile.*) Hi enim sua fortitudine in tantas calamitates & ærumnas inciderunt. *L.*

100. *Vacui ventris.*) Rabiosa fames. Nihil autem fame atrocius, ut exempla non desint propria brachia & lacertos devorantium. *L.*

103. *Quisnam hominum.*) Quis unquam hominum aut Deorum tam crudelis sit, ut veniam illis *urbibus* indulgere nequeat, si carnem humanam comedant, qui dira atque immania sint perpessi. Videtur melius legi: *Urbibus*, pro *Viribus*. L.

108. *Pro vita.*) Ut malum pœnæ effugiatur, non est admittendum malum culpæ. Sic Seneca: *Non omni precio vita emenda est.* L.

108. *Sed Cantaber unde.*) Unde Vasco, vel Cantaber, vel Saguntinus Stoicam hanc disciplinam didicerit, scilicet moriendum potius esse, quam tam immani scelere & piaculo vitam protrahere, præsertim illis barbaris antiquis temporibus, quibus Metellus illos obsidione cinxit. Excusat ergo Vascones, quod Philosophiæ præceptis non admoniti hæc scire non potuerint. *L.* Cantabri *Biscayers.* Hinc autem se in Galliam transtulere *Vascones*, qui hodie *Gascons.* F.

110. *Nunc totus Grajas.*) q. d. nostra ætate scire potuit Cantaber Philosophiæ præceptis imbutus, a carne humana abstinendum esse. hoc enim tempore homines longe doctiores & cultiores sunt. *L.* Græcæ & Latinæ literæ orbem universum erudierunt. *V.*

112. *De conducendo.*) i. De adhibendo negotiis tuis oratore. Hyperbolice hæc dicit. Tum enim temporis extrema ibi barbaries, quæ nondum per omnia inde expulsa. Est autem *Thule* illa regio, quæ jam *Norwegia* dicitur. *L.* Oceani septentrionalis insula supra Orcadas. nonnullis *Schetlandt.* Ortelio *Tilemarke*, qui Norvegiæ tractus. *F.* aliis *Islandia.* J.

113. *Nobilis ille.*) Post digressionem revertitur ad Vascones & Saguntinos excusandos, & demonstrat Ægyptiorum sævitiam non solum majorem esse, quam Vasconum, verum etiam, quam Sacerdotum Dianæ Tauricæ, qui sacrificabant quidem homines, sed non comedebant. *A.* & *L.*

114. *Saguntus.*) Civitas ultra Iberum in Hispania Rom. socia, ab Annibale expugnata, *Morvedre.* F.

118. *Ulterius nil.*) i. Homo immolandus ibi vel hostia nihil ulterius vel gravius timet, quam cultrum, quo immoletur. Hoc est, non veretur, ut insuper etiam devoretur. Porro Thrasylus primus docuit Busiridem hospites immolare, cum adfirmasset nece humana pluvias a Jove impetrari. & primus occisus est. *M.*

122. *Anne aliam.*) Vult indicare Ægyptios hoc suo scelere merito offendere potuisse ipsum Nilum, ut ille invideret suas aquas tam facinorosis hominibus, & nollet surgere, eorumque agros inundare & feraces reddere. *L.*

124. *Qua nec terribiles Cimbri.*) Vulgus Ægyptiorum & Tentyritarum imbelle, inutile atque ignavum, dum tantum scelus perpetravit, hac immanitate & rabiosa feritate sæviit, qua nulli unquam Cimbri, nulli Sarmatæ in hostes sævierunt. *L.*

124. *Terribiles Cimbri.*) Qui metum & terrorem Romanis incusserunt, utpote quos ter vicerunt. Illi jam Holsati atque Dani, Gallica lingua *latrones* olim dicebantur. Probat Ægyptios sua crudelitate etiam sævissimos populos superasse. *L.*

124. *Britones.*) Germaniæ populi, quos nunc Britannos appellamus, a Britone terræ filio, cujus filius erat Mannus, Tacitus. *L.* Pop. Galliæ Celticæ, Armorici, *Bretons.* F.

127. *Phaselis.*) Testaceis, naviculis, pictis quibus in Nilo utuntur. In quibusdam manuscriptis legitur *fasellis*, sed doctiss. vir Pontacus in Notis in Eusebium probat *phaselis* scribi. Seneca in *Hercule Oetæo:*

> *Stringat tenuis littora puppis,*
> *Nec magna meos aura phaselos*
> *Jubeat medium scindere pontum.* L.

140. *In quorum mente pares.*) Illi enim per iram fecerunt, quod Vascones & Saguntini per incredibilem & furiosam famem. *L.*

131. *Ira atque fames.*) Nam ira illis famem suppeditavit ad devorandos homines. *L.*

131. *Mollissima corda.*) Natura ad humanitatem nascimur. *L.*

133. *Hæc nostri pars.*) Natura vel mentis nostræ optima pars, quod homines miserabiles deflemus & miseramur. Seneca Ep. 117. *Naturale est opinionibus hominum tangi, & adversis contristari. Nostri sensus,* i. Animi nostri. Hinc recte ille dixit:

— Ἀγαθοὶ ἀρίδακρυες ἄνδρες. L.

135. *Squallorem rei.*) Cum reum, ad judicis subsellia protractum, extrema fortuna stare videmus, cum ipsum metu supplicii, & judicii attonitum videmus,

&

& miserando habitu deformem & squalidum. *L.*

142. *Ulla aliena sibi.*) Nullus vir bonus humani aliquid a se alienum putat. Seneca Ep. 104. *Commodis omnium lateris, & movearis incommodis.* Dicit ergo nullum esse bonum, qui idem non sit pius & misericors. *L.*

142. *Separat hac nos.*) Naturalis pietas, humanitas, misericordia, & φιλανθρωπία commendatur. Hæc humanitas & misericordia distinguit nos a brutis: Licet hæc etiam in brutis conspiciantur, ut observare licet in bubus, qui miserabiles boatus solent edere, cum vident alterius bovis sanguinem effusum. *L.*

143. *Venerabile soli Sortiti ingenium.*) Divinum & excellens ingenium, ut alter alterius ope sublevetur. Sane homines nulla re propius ad Deum accedunt, quam salutem hominibus dando. Seneca: *Habeamus in commune, quod nati simus: Generatio nostra lapidum fornicationi similis est, quæ casura hoc ipso, quod cohæret, continetur.* L.

144. *Divinorum capaces.*) Rerum divinarum intelligentes. Nullum enim animal præter hominem Dei notitiam habet. Ait Cicero: *Naturam homines celsos, rectos & humi excitatos eo nomine reddidisse, ut Deorum cogitationem cœlum tuentes capere possent,* V.

145. *Atque exercendis.*) Miræ hominum artes, quæ quotidie inveniuntur, indicant hominem nobilius quid esse, quam qui e segni, crassa & terrestri materia constitutus sit. Hæc omnia propter humanitatem exercendam hominibus attributa. Cicero: *Figuram quoque corporis habilem & aptam ingenio dedit. Nam cum cæteras animantes Deus abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad cœli quasi cognitionem, domicilii, unde descenderat, excitavit.* L.

146. *Sensum a cœlesti.*) Verissime & egregie dictum. Non enim anima nostra e traduce, sed ex mente divina. S.Itus:

Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit Deus & sublimia finxerit ora.
Cum pecudes volucrumque genus formasque ferarum,
Segnem atque obscœnum passim stravisset in alvum. L

149. *Animas.*) Vegetativam & sensitivam.. *F.*

149. *Nobis animum quoque.*) i. Mentem, intellectum, rationem, quam soli homines Dei beneficio consecuti sumus. *L.*

149. *Mutuus ut nos.*) Eo nomine anima rationali a Deo donati sumus, ut mutuus benevolentiæ & amoris adfectus nos tempore necessitatis ab aliis auxilium petere, & auxilium vicissim aliis præstare juberet. Et sic dicitur χεὶρ χεῖρα νίπτει. *L.*

151. *Migrare vetusto.*) Respicit ad prisca sæcula. Cicero: *Fuit quondam tempus, cum in agris passim homines bestiarum more vagabantur, & sibi victu fero vitam propagabant.* L.

153. *Laribus conjungere.*) Urbes & civilem societatem conderet,

Utque alios alii de relligione docerent.
Contiguas pietas jussit habere domos,

ut Stigelius canit. *L.*

155. *Fiducia.*) Vicinitate aliorum confisa. Ut multi una societate conjungerentur, & unus alteri confideret. *L.*

155. *Protegere armis lapsum.*) Cicero de Orat. *Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate.* M.

157. *Defendier iisdem Turribus.*) Eo dicit, nam ex turribus civitatum initio in hostes depugnabant. *L.*

159. *Sed jam serpentum.*) Hisce satis indicatur, quod cum reliqua omnia animalia in sua perfectione & officio persistent, solus homo a suo officio exorbitarit, & lapsus sit. Seneca Epist. 124. *Ab homine homini quotidianum periculum. Nullum est malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam surgat, crepant ædificia, antequam corruant, prænunciat fumus incendium. Subita est ex homine homini pernicies. Et eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, si illorum, qui tibi occurrunt, vultibus credis. Hominum effigies habent, animos ferarum.* Et Cicero: *Nulla est tam detestabilis pestis, quæ homini ab homine non nascatur.* M.

165. *Ast homini.*) Jam dissimili demonstrat, solum hominem de via recta discedere. Hoc viderunt Ethnici, sed causas non perviderunt. *L.*

171. *Quid diceret ergo.*) Quibus diris hos homines devoveret, quantum illos detestaretur. Si jam viveret Pythagoras, nimirum ille indignando cœlum & terram commoveret. *L.*

147. *Non omne legumen.*) Refertur inter Symbola ejus, *a Fabis abstine.* quoniam, ut ait Cicero, inflationem adferrent, & animum perturbarent. Vel quod pudendis similes essent. Vide proverbium *A fabis abstineto.* L. [Greek passage, largely illegible] Pythag. apud Luc. βίων πρᾶσις. iis tamen usum esse Aristoxenus scripsit, ut refertur Gellio. *F.*

Ad Satyram XVI.

QUis.) Fuit in antiquissimis exemplaribus hæc Satyra penultima, quam, cum primum in Ægyptum venit scripsisse putatur, ut præcedentem longo post tempore. Nec desunt, qui hanc Satyram Juvenalis esse negent, cum in antiquissimis codicibus non inveniatur. Aliter sentit magnus ille Scalliger filius, ut præsenti mihi quondam ipse indicavit. *L.*

1. *Quis numerare.*) Quasi illa militiæ commoda, præmia, utilitates, & emolumenta sint infinita & innumerabilia. *L.*

2. *Prospera castra.*) Et ego quoque quamvis tyro pavidus & meticulosus essem, in prospera illa castra transscribi optem, & castrorum porta felici omine atque sidere me excipiat. *L.*

7. *Commoda tractemus.*) Sigillatim jam militiæ commoda recitat, & primo quidem communia. Quorum primum est, quod maximam habeant nocendi licentiam & impunitatem. *L.*

12. *Atque oculos.*) i. Oculos ictu exstinctos medico de recuperando visu nihil promittente. *L.*

12. *Relictos.*) Deperditos. *L.*

13. *Bardiacus judex.*) Centurio, *Bardiaco*, i. cilicio sago indutus, *vel*, militaris, barbarus, a Bardæis Illyrici pop. Turneb. xxiii. 25. *Mærent captivæ pellito judice leges.* Claudian. in Rufinum *lib.* 1. Βαρδιαίων meminit Plutarch. in Mario & Gloss. Latino Græc. Ptol. *βάρδοι. F.*

13. *Bardiacus.*) Judex Bardiacho vel sagulo militari vestitus, ut Varro & Martialis testantur. Vel ut Valla & Turnebus; rerum ignarus, Bardus, Gallicus, militaris, stupidus, barbarus. *L.* non bardum & stultum, ut quidam inepte ominantur, sed Gallum militem, barbarum, (a *Bardis* ita dictum, de quibus Lucan. & Amm. Marc. *lib.* xv. in *Constant.* loquens de Gallia.) non Romanum intelligit. *Au.*

17 *Justissima.*) Cum summa æquitate, moderationeque, ut cum milite non per omnia stricto jure procedat. Hoc enim est justissimum. *L.*

20. *Tota cohors tamen est inimica.*) i. Licet centurio æquissimam sententiam contra militem pronunciarit, ægerrime tamen ferunt omnes commilitones, quod aliquid contra militem sit pronunciatum. Possunt hæc ita etiam distingui, ut post ultio ponatur punctum, cum hoc sensu. Æquissime & moderatissime judicat centurio contra militem pro togato, & interim tamen miles facile se vicissim contra togatum accusantem potest ulcisci: & sequentia, *Si justi defertur*, hoc sensu intellige: Si togatus vel justissimam causam conquerendi de milite habeat, equites & pedites & omnes manipulares milites ejus causæ contra militem officiunt. *L.*

21. *Curabitis ut sit*) Sunt verba militum increpantium togatum, qui aliqum militem velit accusare. q. d. Injuria militis parvulo est, pro qua vos magnam & gravem vindictam poscitis. Vel possunt esse verba Poetæ, dicentis: Vos efficietis, ut damnosius vobis sit, cum vindictam petitis, quam prius accepta injuria. *L.* Vel ita: Vos togati efficietis, ut vindicta, quam petitis, vobis gravior & damnosior sit, quam injuria ante illata. Vel ut miles, quem accusatis, dum vos ulciscetur, majorem vobis injuriam inferat, quam est prior. *A.*

22. *Dignum erit ergo.*) Opus est audacia Vagellii e Mutina cujusdam temerarii caussidici, qui caussas malas & periculosissimas suscipiebat. *J. & F.*

24. *Offendere*) Irritare, sibi infensos & iratos reddere, milites sibi obstantes. Dum enim cogebatur per illos transire, illum talibus clavis pungebant. Hinc superius dixit *Sat.* 3.

Et in digito clavus mihi militis hæret. M.

27. *Lacrumæ.*) Nulla a togato fiat de accepta injuria a milite querela. Nemo enim defendere togatos audebit contra milites. Nam nec caussidicus erit, neque amicus, qui accusantem officii gratia in castra velit comitari. *L.*

28. *Se Excusaturos.*) propter periculi magnitudinem. *L.*

29. *Da testem.*) Ostendit, quod si vel maxime togatus verissimum testem possit producere contra militem, nullus contra militem testimonium præbere audeat. Miles contra facile falsum testem possit producere contra togatum. *L.*

31. *Et credam dignum.*) Existimabo illum esse severitate & gravitate antiquorum præditum, qui pro justitia & veritate capitis periculum adire non dubitarent. *M. & L.*

32. *Citius falsum.*) E contrario demonstrat, longe facilius esse falsum testem invenire contra paganum & togatum, quam verum contra militem. *L.*

33. *Paganum.*) Togatum rusticum, a militia remotum, misere adflictum a milite. Rusticis autem libitinæ illi milites plerunque infesti. *L.*

38. *Sacrum saxum.*) Limitem. apud antiquos adhibito sacrificio disponebantur termini. Siculus Flaccus. *Effodit*, avulsit. Seneca *in Hippolyto*:

Nullus in campo sacer divisit agros arbiter
Populis lapis.

Cu-

Cujacius *Observat. lib.* II. *cap.* 5. hac de re plura refert. *Au.*

39. *Vetulo libo.*) A multis annis usitato. Nam pultes, liba, aliasque fructuum primitias termino sacrificabant, ex constitutione Numæ Pompilii. Non animatum quid. Nefas enim saxa hæc cruentare. *L. Libo vetulo*, Sacrificio quod primum constitutum est, dum ruris numinibus sacrificabatur. V. placenta ex lacte, sesamo ac melle subacta Romani libum nominant. Athenæus *lib.* 3. Au.

42. *Qui lites inchoet annus.*) In caussis certus ac legitimus dierum ordo observandus & diu spectandus erat. Igitur dies apud Juvenalem, ut apud Terent. in Heaut. *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* L. & Au. Anni certum tempus, quo conveniant judices, & totius populi causæ agi incipiant. vide Pithœi *Adversar. cap.* 20. *F.* vix tandem nisi post longum intervallum conveniunt Judices, neque semper jus dicunt. *J.*

43. *Sed tunc quoque.*) Hæc rectius competunt in nostra tempora. Innumeræ molestiæ interim sunt devorandæ. *L.*

44. *Mille moræ.*) Secundum illud nostrorum: Peto dilationem in sequentem. *L.*

44. *Subsellia.*) Erant auctore Pediano tribunorum, quæstorum, & hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis Curulibus, nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant. *Au.*

46. *Micturiente.*) Mictum exeunte, ut fiat mora. *F.*

46. *Fusco jam micturiente.*) Hic apud Martialem ebriosus notatur. Dictus Aurelius Fuscus, qui mictum exiret, ut vesicam distentam exoneret, & tardius redit. Hunc obiter notat. Ut & superius hujus conjugem bibacitatis notavit, cum dixit:

Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci. V. M. & L.

46. *Parati Digredimur.*) Ita actio, ut prælium, nocte interveniente dirimitur. *Actionem meam, ut prælia solet, nox dirimit.* Plin. epist. 29. *lib.* 7. F.

48. *Ast illis.*) Jam dissimili demonstrat longe meliorem esse conditionem militum, quibus quodcunque tempus tandem placeat, ad agendas caussas præstetur. Nimirum militum caussæ non diu differebantur. *L.*

52. *Labore militiæ.*) Ex filiis familias tantum militi vivo patre testari conceditur, & quod paravit peculium in ejus arbitrio esse, ut est apud Jurisconsultos. *J.* Castrense peculium liberum habent filii familias, *l. cum oportet, C. de bonis, quæ liberis.* Au.

60. *Ut læti phaleris.*) i. Ut qui pro Rep. corpus suum toties periculis objectant, ii meritis etiam eminentioribus apud imperatorem excellant, excellentissimis muneribus eniteant. *L.*

CENTO VARIORUM

Seu

SYLLOGE NOTARUM

Isaaci VOSSII: Octavii FERRARII: Claudii SALMASII:
& Joh. Georgii GRAEVII, VV. Cll.

NEC NON

Casparis BARTHII:
Samuelis BOCHARTI:
Isaaci CASAUBONI:
Stephani CLAVERII:
Gisberti CUPERI:
Ludovici DORLEANS:
Scipionis GENTILIS:
Jos. Ant. GONSALII de SALAS:
Jo. Friderici GRONOVII:
Nicolai HEINSII:
Desiderii HERALDI:
Pauli MANUTII:
Aegidii MENAGII:
Joannis MEURSII:
Jacobi OUZELII:
Joh. Isacii PONTANI:
Jacobi RAEVARDI:
Johannis RHODII:
Philippi RUBENII:
Jani RUTGERSII:
Caspari SAGITTARII:
Johannis SAUBERTI:
Josephi SCALIGERI:
Andreæ SCHOTTI:
Gasparis SCIOPPII:
Petri SCRIVERII:
Ezechielis SPANHEMII:
Jo. Gerardi VOSSII:

aliorumque quam plurimorum celeberrimæ Eruditionis Virorum

Ad

D. JUNII JUVENALIS SATYRAS.

Digessit & ad hanc Editionem summa fide retulit

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.

S*Emper ego auditor* et seqq.) Eleganter & Satyrice orditur a justa talionis pœna, qua eos se jure bono adfecturum dicit, qui toties auribus insultassent, & usque propriam quidem raucedinem. Mox inter Poetas seipso quoque redacto, contemnendo sua, optimo maximo jure aliena quoque poemata examinare orditur. Incipit vero ab ironia Socraticæ interrogatiunculæ debita. *Semper*: eo enim seculo nulla non fora, nulla non ambulacra Poetis perstrepebant. hinc Sat. iii. inter summa Urbis incommoda refert *Augusto recitantes mense poetas.* nam, ut Horat. Epist. ii. 1. ait, *calebat levis populus uno scribendi studio, & pueri senesque severi carmina vel inter cœnas dictabant.* unde & Noster Sat. vii. 32. divites mordet, quod scribant versus suo ipsorum judicio dignos Homero. hinc inter frequentissima officiorum, *relictis omnibus officiis se auditum scripta vocatum* Venusinus *Ep.*ii. 2. queritur; nam (*Serm.* I. 4.) *gestiebant* hi homines *omnes a furno lacuque pueros & anus scire, quodcunque chartis illevissent*, unde & Persius ob tantam Poetarum copiam *Picas* mox versus facturas auguratur. *Auditor*: arbitrandis

trandis poematis adscitus, ut pervulgatum. Emphasin vero habet abrupta & elliptica hæc interrogatio. *Reponam*: verbum hoc ex Schola declamatoria τέχνικον dicitur de eo, qui respondet themati, & ad clepsydram pari attentione, quam præstitit congregi suo, audiendus vicissim orationem *reponit*. *Vexatus toties*: crebritate enim importunæ recitationis excarnificabant auditores suos, ut Eumolpus ille Petronianus, & ille apud Martial. iii. 44. qui *stanti, sedenti, currenti cacantique legebat*. *Rauci*: qui *immani studio loquendi & garrulitate rauca*, ut Ovidius de picis canit. hinc apud Mart. xiv. 41. *Malus Poeta colla tegit lana*: hinc Seneca Pater homini garrulo & pugnacissimæ vocis: *Centum raucorum vocem habes*. *Codri*: melius dici puto raucum hunc hominem *Cordum*, adstipulante Scholiasta. *Cordus* enim potius nomen Romanum. Poetis vero talia sunt κῶφα πρόσωπα, vel nomina illa suo quodque ævo tantum nota, quæ quoque frustra & inepte requiras. Ita quoque sueti magnorum Virorum nomina pro laudatissimis ponere, quorum plena Sat. vii. *Impune*: nam & sibi jus aliquid reponendi dicit. *in tergo*: quæ alias Martial. iv. 86. *inversa pueris aranda charta*, & eam vero & loquaculus hic implebat. Hæc per epitomen ex prolixo *capite* I. *lib.* xxi. *Adversariorum* Barthii.

I. *Reponam.*) Rescribam vel reddam missionem novam. *reponere* enim rescribere est. Oratius: *Scriptor laudatum si forte reponis Achillem*. Scholion ex ms. vetustissimo ap. Barth. *Adv.* xiii. 13. qui τὸ *missionem* emendat *vicissitudinem*.

2. *Rauci.*) Per tropum non bene sentit de eorum scriptis inutilibus. Glossa ex ms. antiquissimo ap. Barth. *Adv.* xiii.

3. *Togatas.*) Fabulas vel comœdias factas de Togatis hoc est vilibus personis. ¶ Tria sunt genera comœdiarum. Togata, ex factis vilium personarum: Prætextata, ex factis nobilium personarum: Palliata, ex factis quidem nobilium Personarum, sed Græcarum. Palliata ad Græcos pertinet. Alia duo genera ad Latinos pertinent. Romani enim togis & prætextis utuntur. Scholia ex duobus mss. ap. Barth. *Adv.* xiii. 13. ¶ Ad hoc Vetus Interpres Juvenalis nondum editus in Bibliotheca Ambrosiana adnotat: *Hoc autem distabat inter servos, & dominos, quia servi non utebantur colobiis nigris, sed albis.* Sed quis tradit *nigra* fuisse ingenuorum colobia, *alba* servorum? Cum hæsitarem & reliquos versarem Scholiastas, qui non pauci ibi exstant, quosque publicari rei literariæ interfit, incidi in antiquissimum codicem, ex quo ille alter ob oscitante librario descriptus videbatur, in quo scriptum reperi: *Quia servi non utebantur colobiis, & nigris calceis, sed albis.* vide Ferrar. *de R. V.* iii. 24.

4. *Elegos.*) Carmen elegiacum. Elegi sunt versus de miseria amoris compositi. Fabulas amatorias: carmina de miseriis vel de amore. Scholion ex ms. antiq. ap Barth. *Adv.* xiii. 13.

6. *Scriptus & in tergo.*) Ex parte pili antiqui scribere non solebant, ex parte enim carnis tantum scribebant, ex parte vero pilorum imagines depingebant, ad honores principum. Sed fabula de Oreste fuit adeo longa & prolixe tractata, ut in utraque parte fuerit scripta. Scholium ex ms. veteri ap. Bart. *Adv.* xiii 13. qui subdit: Notanda certe observatio, quam ut veram magis persuadeat, facit etiam altera antiquissima membrana in qua τὸ *in tergo* exponitur signatis literis: *ex parte pili.* Atque hinc etiam originem ducere arbitror, quod veteres superficiem rei *pilum* consueverint dicere. Glossarium Latino-Græcum: *Pilum* ὑπερῷον. hoc vero ὑπερῷον in Græco-Latino Glossario *superficies* exponitur. Certe hanc Glossam Juvenalem dexterrime interpretatam ego non dubitandum reor. ¶ Volumina, quamvis e diversis compingerentur & jungerentur paginis, unam tamen tantum construebant chartam seu volumen. Aliter contingebat, si non in voluminibus, sed in quadratis codicibus describerentur libri: illi quippe plura continebant volumina, fiebantque non e papyro, sed e multis membranis utrimque scripturam admittentibus, secus, ac volumina, quæ quod ex facili papyro utplurimum essent contexta, nunquam erant in tergo scripta seu ὀπισθόγραφα. Is. Voss. *ad Catull. p.m.* 5. adde & Jo. Ger. Vossii Etymol. voc. ὀπισθόγραφοι. ¶ Ex vulgatissimo hoc versu in proverbium venit, ut *Orestes* pro libro nimium turgido habeatur: Valerius vetus Episcopus *Epist. ad Rufin. Sed ne Orestem scripsisse videar. Vale.* Barth. *Adv.* xxxv. 12.

12. *Frontonis.*) Illius nobilis Poetæ, apud quem Poetæ recitabant carmina prius, quam in theatro recitabant. Scholion ex ms. apud Barth. *Adv* xiii. 13.

13. *Ruptæ lectore columnæ.*) i. resonæ factæ. Sic Hesiod. vers. 203. Ἄγνυτ' Ὄλυμπος, *frangebatur Olympus* i. resonabat. Sic etiam vs. 278. ἄγνυτο ἠχὼ, i. *frangebatur echo* seu resonabat cantu & tibiis & vs. 355 ἄγνυτο ἠχῇ equorum hinnitu. Polyb. xv. 30 Τῶν δὲ διασφάγματα τῇ ἀρχῇ τῷ βασιλίως καταῤῥήγνυτο πᾶς ὁ τόπος τῷ χρότῳ καὶ τῇ κλαυγῇ. Sic apud Virgilium *querulæ cicadæ cantu rumpunt arbusta.* Græv. *Lect. Hesiod. cap.* 20.

16. *Consilium dedimus* &c.) Sagacissime olfecit, quid in recessu lateret hoc loco, Rigaltius in Proleg. *de Sat. Juvenal.* qui pro n videndus.

25. *Quo tondente.*) Tonsor fuit Cynamus in suo artificio inexpertus, qui munere mulierum dives effectus ad equestrem censum pervenerat: is demum in Sicilia exsulavit. Scholium ex vet. ms. ap. Barth. *Adv.* xiii 13

26. *Pars Niliacæ plebis.*) Aegyptiacæ parti notum eum esse vilem. Iste Crispinus fuit de Aegyptiaco patre & Arabica matre. Scholium ex vet. ms. ap. Barth. *Adv.* xiii. 13. ¶ Hic Crispinus in alio Scholio titulum habet *vellicator*, qui sive ad nomen, sive ad mollitiem hominis pertineat, acutus est. Barth. *ibid.*

27. *Tyrias humero revocante lacernas*) h. e. adstrictas & religatas fibulis habente. at homo literator hic putavit notari magnum quidem Aegyptii vernæ luxum, qui Tyrias seu dibaphas gestaret, sed majorem & non ferendum, quod plures in die mutaret, easque Tyrias lacernas: id enim Juvenalem illis verbis velle: quemadmodum Zoilus apud Martialem toties in horas syntheses mutans inducitur. Multa item de notione τοῦ *revocare* pro reficere etiff. disputat Gronov. *Obs. lib.* ii. *cap.* 19.

27. *Crispinus Tyrias* &c.) Nuperi ita interpretantur, quasi mollitie vel pondere defluxerint: sed nec illo nec ista defluere poterant, quæ in humero fibula nectebantur. addunt, vel fuisse in humeros rejectas, & undantes quassando factas: sed hoc potius facit, non qui in *humerum* rejicit, vel *revocat*, sed qui explicat, & vento reflandam aperit. Sed vero Satyricus Crispino Aegyptio vernulæ objectat *lacernas* superbi & improbi coloris *Tyrias* dibaphas, easque leviores & tenuiores, quæ per æstatem delicatulis gestabantur, hunc luxum vernæ istius, & quod præterea plures Tyrias lacernas de die mutaret (hoc enim vult τὸ *lacernas humero revocare.*) ut Zoilus ille Martialis toties syntheses in hora; hunc dico luxum non ferendum in homine verna reponit inter Satyræ scribendæ caussas. Ferrar. *de R. V.* iv. 13.

28. *Ventilet æstivum digitis.*) Delicatus & mollis, quia vix ferre poterat paulo majoris ponderis gemmam, annulos faciendos curabat ex auro leviore, per æstatem præsertim gestandos, ne graviores in sudorem darent digitos. Hoc in Crispino Satyricus notat & carpit, quasi inauditæ molitiei argumentum. *Salmasius E. P. p.* 450 ¶ Legendum est *Ventilet æstivo digitis sudantibus auro.* Nam dixit Crispinum ventilasse Tyrias lacernas, non aurum sive annulos. Festive eum reprehendit, quod ut annulos & sardonychatam manum ostendat, assidue ventilarit togam & sublevarit, infirmis illis & teneris digitis, ut vel minimo illo pondere annuli æstivi sudarent. Annulos æstivos Martial. leves vocat. *lib.* v. *Ep.* 72. *Per cujus digitos currit levis annulus omnes.* Grævius.

28. *Aestivum aurum.*) tam tenue dicit, ut vento agitetur. *æstivum aurum*, minimos annulos vocat, quos ferebant in æstate. Scholium ex vet. ms. ap. Barth. *Adv.* xiii. 13. cui adde Kirchmann. *de Ann. c.* 17. Gorlæi *Dactylioth.* p. 10.

32. *Lectica.*) Si accurate scire volueris *Lecticæ* Græcæ ac Romanæ delicias & luxum, vide quæ docuit Is. Voss. *ad Catull. p. m.* 24. & seqq.

32. *Mathonis.*) Iste Mato caussidicus propter plurima vitia factus fuit amicus Claudii Neronis. Scholium ex ms. vet. ap. Barth. *Adv.* xiii. 13.

35. *Quod superest*) gladio Neronis. Scholium ex ms. vet. ap. Barth. *Adv.* xiii. 13.

36. *A trepido Thymele summissa Latino.*) Latinus iste cum Messalina uxore Imperatoris concubuit Heliodoro sciente; sed ne Heliodorus hoc divulgaret, Latinus Tymelen uxorem suam ei ad stuprum concedebat, & cum muneribus ad eum placandum mittebat. ¶ Latinus quidam tempore Juvenalis fuit, in Messalina uxore Neronis ab Heliodoro deprehensus, ne ab illo accusaretur, timens, Tymelen uxorem suam ille supposuit. & hæc notantur, cum dicit: *trepido.* Scholia ex duobus ms. excerpta a Barth. *Adv.* xiii. 13.

37. *Te summoveant.*) Male *Te summoveant* est, cogaris illis venientibus de via decedere, propter turbam servorum, qui divites comitabantur & obvios instar lictorum submovebant. Ast hic sensus est versus 46. *Cum populum gregibus comitum premat hic spoliator.* Nam populus cum premeretur, cogebatur cedere de via, & quasi submovebatur. *Grav.*

40. *Ad mensuram inguinis.*) secundum quod valet in actu, testatione remunerabitur. Scholium ex ms. vet. ap Barth. *Adv.* xiii. 13.

40. *Heres*) Vetustissimum exemplar habet, *inquit*, ut introducatur velut de tabulis loquens vetula testatrix. Suprascriptum est, & *sic*, quæ scriptura diserte exstat in recentiori codice. Barth. *Adv.* xiii. 13.

44. *Hinc subitæ mortes.*) secundum Erasistratum, qui τὰς νόσους fieri tradit διὰ πλῆθος τροφῆς, ἢ ἀπεψίαν, καὶ φθοράν. Ex nimia enim ciborum & indigesta mole, cum plura exsistant superflua, quam excerni possint meatibus ad hoc a Natura datis, in alias partes incumbunt non sine noxa. Alibi obstructiones generant, ex quibus morborum omne genus. ita Salmas. In aliena castra transiens *de Ann. Clim.* p. 765. cui adde Latinum Hippocratem, Celsum, in *proœm. de R. M.*

49. *Et fruitur Diis Iratis.*) Quidam τὸ *frui* absolute hic poni volunt, pro bene lauteque vivere, idque *Diis iratis*, & frustra ringentibus. Sed utique incessit, & irridet Satyricus Deorum suorum iram, per quam libertatem sui curandi acceperat Marius. Barth. ad *Claud.* ii. *in Ruf. vs.* 159. p. 1315. ¶ Qui enim *iratos Deos* habebat, ille nequaquam illis *frui* debebat, sed fato tristi atque horribili adfligi. Contra Marius. & hoc Venusina lucerna dignum ait Juvenalis. Simili phrasi Juno de Hercule ap. Senec. *in Herc. Fur. Superat & crescit malis, iraque nostra fruitur, in laudes suas mea vertit odia. Frui* autem ad mollem rei usum pertinet. Flor. ii. 6.

ii. 6. *Cum victoria posset uti, frui maluit.* Idem Adv. XLii. 3. ¶ *Fruitur Diis Iratis*, id est mollius & lautius vivit, quia Deos habuit iratos, quum damnaretur. Nam si damnatus non esset, viveret in negotiis, eoque non ante nonam cœnaret, ut solebant homines frugi & occupati. Sic apud Senecam Juno de Hercule: *Superat & crescit malis, Iraque nostra fruitur.* Gronovius.

57. *Vigilanti stertere naso.*) Locum hunc aliter capio, quam vulgo fit, etiam ab eruditissimis hominibus, & alibi docebo *nasum* vernilius aliquid significare. Barth. *Adv.* xxxii. 20.

62. *Lacernatæ amicæ.*) *Lacerna* virorum tantum est, ac errant, qui ex hoc loco *muliebrem* putant. idem est, ac si quis nunc *amicam bracatam* vocaret. Ferrar. de *R. V.* iii. 23.

66. *Mæcenate supino.*) Vide in Proleg Rigaltium *de Sat. Juv.* de hoc loco. ¶ *Mecœnate supino*: Carpit hic quendam, quem Mecœnati comparat. Vocat ergo illum *supinum*, vel propter desidiam & otium, & quod supino ventre dormiret: vel propter aversam Venerem, quam ille patiebatur. Nam Mecœnate in negotiis nihil acrius & negotiosius; in otio nihil otiosius & mollius & supinum magis; unde *Malchinus* dicitur ab Horatio. *Dorleans.*

67. *Signator falso.*) Male nonnulli Interpp. nomen pro adverbio accipiunt: nam *signator falso* intellige *testamento*, qui obsignavit suppositititium testamentum, signator in falsis tabulis. vid. Gronov. *Observ. lib.* ii. *cap.* 24.

67. *Beatum.*) Adi Cuper. *Obs.* iii. 1.

68. *Gemma uda.*) Kirchm. de Ann. *cap.* 7. Long. *de Ann. c.* 9.

73. *Brevibus Gyaris.*) Recte Vetus Interpres. & inepte alii mutant: Juvenalis enim pro omnibus talibus morti viventium aptis locis poetice & eleganter *Gyarum* nominavit. Barth. *Adv.* XLix. 5.

78. *Prætextatus.*) Iuterpres vetus Juvenalis nondum editus Bibliothecæ Ambrosianæ: *Prætexta genus erat togæ, qua utebantur pueri adhuc sub disciplina usque ad* XV. *annum: deinde togam virilem accipiebant, unde in vita sancti Germani legitur: Cedebat prætexta togæ.* Ea vita versibus scripta est ab Erico, qui sub Carolo Calvo floruit. Ferrar. *de R. V.* ii. 1. ¶ Trithemius Ericum istum vocat Hericum Benedictinum, qui vixerit anno IↃCCCLXXX.

78. *Et prætextatus adulter.*) puer nobilis, qui nondum egressus annum 15. & in prætexta adhuc, didicit adulterum agere, pædicatur. *At prætextatus* est magistratu vel sacerdotio prædirus, quem omnium maxime hæc flagitia vitare oportebat. *Gronovius.*

81. *Ex quo Deucalion* &c.) Rigaltius in Proleg. *de Sat. Juv.* dicet, quid sibi velit Juvenalis hoc loco.

96. *Turbæ togatæ.*) Vide Ferrar. de R. *V.* i. 33.

106. *Purpura major.*) Ex hoc loco Rubenius *de Lat. Clav.* probare conatur unum tantum *latum clavum* in tunica senatoria ab anteriore parte. sed male, plures enim fuerunt in *laticlavia tunica*. Sic Plinio *purpura latior* eodem tropo. Sic Lucian. *in Demon.* meminit cujusdam, qui superbiebat ὑπὸ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας i. ut Noster *purpura majore* seu *tunica laticlavia senatoria*. vide plura ap. Ferrar. *Analect. ad Rem Vest. cap.* 14. & *de R. V.* iii. 12.

111. *Albis.*) Qui adeo pauper huc venit, ut nudis pedibus incederet. *Thysius.*

114. *Nummorum ereximus aras.*) Alii *exstruximus* traducit in hoc versu Cœlius Rhodiginus Juvenalem, quod visus fuerit hoc carmine indicare *Nummos* carere divinitate, cum tamen in Deos relati sint. Sed immerito Cœlius, cum B. Augustinus *lib.* IV. v. VI. & VII. quam plurimos Deos connumeret, quibus nondum aræ erectæ, inter quos *Argentinus* & *Esculanus*. Non enim negat Juvenalis Deam esse *Pecuniam*; sed nondum aram & templum illi constitutum esse. Sicut & aliis multis obscurioribus Diis, quos Varro recenset. Et apud Christianos itidem videmus multos in Sanctorum numero haberi, quorum templa nulla aræve exstent. *Andr. Schottus Observat.* ii. 28.

116. *Quæque salutato crepitat Concordia nido.*) Referri hic versiculus debet ad sonum Ciconiæ. Præterquam enim quod Jacobus Susius teste Ad Junio pro *Concordia* in quibusdam mss. exemplaribus invenit *Ciconia*, amplius admissa vulgari lectione. non necessum est cum politissimo Politiano *cap.* 67. Miscel. per *Concordiam* aut intelligere *cornicem* aut templum *concordiæ*, ut aliis placet, in quo nidum suum Ciconia habuerit. sed potius Metonymice *ipsam ciconiam*: præeunte scriptore docto Joanne Sarisburiense *lib.* 1. Policrat. *cap.* 13. *Ciconia*, inquit, *quoniam avis Concordiæ est, concordiam invenit aut concordiam facit.* Schookius *de Ciconiis cap.* 4. Vide. J. G. Vossium *de Idololatr.* Salmas. E. P. *pag.* 876.

130. *Arabarches.*) laudatis a Commentatoribus adde Voss. *Lexic.* p. 16. Fuller. *Miscell.* IV. 16.

138. *Una mensa.*) Ad hunc locum nihil videre Interpretes. *Una mensa* est prima mensa, qua carnes & pisces apponebantur: Recte enim Serv. ad. 1. Æneid. *Duas habebant mensas, unam carnis, alteram pomorum.* Nota est mensa secunda, Virgil. *Postquam prima quies epulis mensæque remotæ*: Sed (quod dixisse liceat) omiserunt hæc hic Interpretes, putantes hoc non esse hujus loci, quia Poeta per *unam mensam*, tam secundam quam primam intelligit, nempe unam cœnam. *Grav.*

153. *Cujus non adeo dicere nomen.*) Legendum *audent* ἀντὶ τῦ *audeo. Grav.*

155. ¶ *Pone Tigellinum, tæda lucebis in illa,*
Qua stantes ardent, in fixo gutture fumant,
Aut latum media sulcum deducis arena.)

Invehitur in sæviiam Imperatoris, apud quem adeo gratia valebat hic auriga, ut ne hiscere quidem aut mutire contra ipsum sine periculo vitæ licitum esset. subjungit, quamvis Principem lateat, interim tamen nihilo plus agere, qui malos tunc reprehendit, quam si arenæ vomerem infigat. sane hic figurate supplicia martyrum designari non dubito. hi enim, proh nefas! in usum nocturni luminis urebantur, quod ab Historicis traditur. Tum vero, ut verisimile est, Christiani falso accusati, aut certe vulgo insimulati, qua licet, effugium quærebant, sive in ædiculis, sive in cryptis spes aliqua. Verum, tanta fuit satellitum in investigando rabies! plurimi ita ustulati sunt, ut stipes per medios ageretur, ac per omnes artus ignis emergeret. quippe ubi primus Christiani sanguinis sititor uni ex grege contaminato denupsit, conflagratio Romæ secuta est; casu an dolo principis incertum: simul cœptus ignis & statim validus per plana & edita. Inde lamenta fœminarum paventium, hinc ætatis variæ cœci concursus. dum alii faces jaciunt auctorem, ut licentius prædarentur. itaque flamma sisti non potuit, quin ipsum quoque hauriret palatium: At quia jussa credebatur, rumori abolendo subditi sunt rei, qui primo correpti fatebantur, deinde indicio eorum alii, qui odio quoque generis convicti sunt. Sed enim Tacitus, qui eosdem per flagitia invisos, & novissima exempla meritos dixerat, verius absolvit, hoc quidem crimine objecto, quam accusat. cui, licet hæreat, libenti animo subscribo: abfuit enim semper a vere piis talis audacia & malignitas. quamvis Pythagoræ & Neronis connubium recens id piaculi ferme exigeret, ac publica lustratione dignum videretur. Notabis vero incendium, quia Tigellini prædiis etiam proruperat plus infamiæ habuisse: quasi non tanti fuerit reliqua omnia, proh pudor! abigne defendi. Præterea *sulcum deducis arena* proverbii species est, signatque idem, quod *opera* vel *impensa periit*. Juvenalis alibi:

Nos tamen hoc agimus tenuique in pulvere sulcos
Ducimus, ac littus tenui versamus aratro.

Cæterum si cui hæc etiam ex parte delibata sunt, aut quasi digito monstrata, ne manum quidem verterim; ac, si prior est, non invideo, sed suspicio; posterior, nihil detraho, imo nobis ita convenire gaudeo & lætor. Sciunt Jo. Turnerius & Nic. Burbonius Musarum deliciæ, me saltem hæc ante biennium designasse. atqui nudius tertius monitus sum, magno Cæsari Baronio, aut Lipsio non ignota penitus fuisse loca illa *de usu nocturni luminis*; & *de homine Athenis arto*, licet quidam id sibi nunc nuper tribuerit. Steph. Claverius *Pegaphr.* III. *Juvenal.*

155. *Pone Tigellinum.*) Fac eum vixisse ævo Neronis, & pro Mutio posuisse Tigellinum, nihil certius fore spondeo, quam ut luceret in illa tæda molestæ tunicæ, & defossus in media arena sulcum latum diduceret, vel mediam arenam sulco aperiret ac divideret. Cato apud Gell. III. 14. *Homines defoderunt in terram dimidiatos, ignemque cicumposuerunt, ita interfecerunt.* J. Frid. Gronov.

155. *Tæda lucebis in illa*
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumat
Et latum media sulcum deducit arena.)

Vulgo hæc male interpretantur. Dicit ab incensa tunica molesta tantam liquefactæ tædæ seu picis defluxisse copiam, ut *latus* etiam in *media arena deduceretur sulcus*, & ardens quasi formaretur rivus. If. Voss. *ad Catullum p. m.* 42.

155. *Tæda lucebis in illa.*) L. *lucebit*. Grævius. ¶ Si per parenthesin inserantur illa verba (*Qua stantes ardent* &c. *fumant.*) & priora verba *Tæda lucebis in illa* copulentur cum seq. *Et latum media sulcum deducit arena* (uti multi libri habent) sensus erit concinnus & conveniens, *Ardebis in illa tæda, & media arena*, per quam tu curris palo alligatus, *vel*, per quam corpus tuum trahitur comburendum *deducit*, seu *deducet*, *i. e.* patefaciet, monstrabit *latum sulcum*. nec obstat, quod ultima in *media* nom. cas. sit brevis; nam per penthemimerin brevis est producta licenter. *E. V.*

157. *Et latum media sulcum deducis arena.*) Recte Lips. ex V. C. *Et latus m. sulcus deducit arenam*, probante Scaligero. Forte de scrobis supplicio capiendus hic locus, seu defossione. nam de tunica molesta indutis intelligi non potest, qui stantes & impacto unco pendentes, fixo gutture ardebant. vel iidem ducti, ut suspenderentur flammandi, per arenam prius trahebantur, & corpore sulcum faciebant. vel de iis sermo est, qui in fovea defixi cremabantur. Quæ Scaliger de lamina & pice adhibita Christianis ad palum, non memini me apud alios legisse. Vix tamen credi potest, tantum inde liquaminis effusum, ut sulcus arenam diduceret: etiamsi plurimi hoc modo effarentur. Ferrar. *Elect.* ii. 7.

159. *Despiciet.*) Quidam legendum esse censent *Despiciat.* E. V.

159. *Compesce.*) ejusdem significationis est simplex *pasco*, unde in sacris *pascito linguam*. Festus. E. V.

161. *Hic est.*) Recte Lambinus, & Lubinus legunt *hic 'st.* i. hic tace, nisi velis perire. *Grav.*

166. *Frigidũ.*) Perniciosa, virulenta: Virgil.

Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba. E. V.

Ad

Ad SATYRAM II.

ET *jubet* &c. verſ. 7.) Leges, ſi placet, *Et jubet archetypos puteum ſervare Cleanthas*: Loc eſt habeat imagines fictas Cleanthis ex puteo aquam haurientis, ut eſſet, unde ſe tueretur, dum in vivis erat: nam *pluteo* hic nullus hic locus; cur enim hic magis pluteos ſervaret, quam Ariſtoteles aut Pittacus, quamvis, inquit Juvenalis, juſſerit fingi Cleanthas puteum ſervantes, hoc eſt apud puteum hauriendis aquis ſtantes. Sic enim legendum cenſeo & Nic. Heinſio perſuaſeram; ſed & poſt lætus intellexi eandem ſententiam fuiſſe magni Henr. Valleſii. *Graevius.*

9. *Caſtigas turpia, cum ſis* &c) Minuc. Felix in *Octav.* p. m. 350. *Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros novimus & tyrannos, & ſemper adverſus ſua vitia facundos.* Tert. *Apol. cap.* 39. *Leno eſt philoſophus & Cenſor.* vide Gell. XIII. 8. Athenag. *Apolog. pro Chriſt.* p. 89. Eucher. *ad Valerian.* p. 55. Lucian. *in Fugitivis*, Lactant. III. 16. IV. 14. Quintil. procem. *lib.* I. ſcilicet illi erant, qui publice vitia facundiſſime accuſabant, intercutibus ipſi madentes. Elmenhorſt. *ad Minuc. l. l.*

10. *Socraticos Cinædos.*) Calumnia vitio humanæ malignitatis plerunque pronius excipitur, hinc Socratem fere παιδεραστὴν audiiſſe quis neſcit? quis etiam neſcit idem multis fuiſſe perſuaſum. Ecce *Socraticos pedicones* Firmic. VII. 14. ex aſtris arceſſit. Plin. Epiſt. V. 3. *Socraticos ſe intelligere* fatetur, excuſaturus Epigrammatum laſciviam. Nollem itaque in hoc Plinii loco, & laudato Juvenalis doctis placuiſſe *Sotadicos*, cum *Socraticum dogma* in Pannico exagitarit etiam Martial. IX. 47. Rutgerſ. *V. L.* VI. 13.

12. *Lævi.*) Sunt qui *lævem* dicant q. friatione aſſidua politum, ut hic, perpetua prædicatione; alias iis, qui nudo equo inſident. *E. V.*

13. *Mariſcæ.*) Forte a Chald. *Maras*, quod eſt *Terere, fricare.* Naſcuntur circa os ani, ut fungi; *fici* etiam appellantur. Tubercula in ano ad fici ſimilitudinem ſunt. Gr. σῦκωσις. Martial. *lib.* 14. *Epigr.* 86. *E. V.*

15. *Atque ſupercilio.*) Male exiſtimant comam abraſiſſe eos, qui hic a Juvenale notantur, ne Cinædi viderentur. Comam enim brevem de more cæterorum Philoſophorum gerebant. Hæc tamen comæ abraſio modeſtiæ ac continentiæ indicium credebatur. Nam qui laſciviores & inſolentiores, comam alebant. Ut hac nota Stoicorum dogmata perſequi videantur & perſuadeant credulo popello: Aliæ enim ſectæ Philoſophorum crinibus longis prolixaque barba. Sic ergo comam & cæſariem abradebant, capillos contra in medio capite negligenter tondebant. Seneca Epiſt. v. Herald. *in. Adv. lib.* 1. *cap.* XVI.

20. *Herculis verbis*, &c.) Qui hæc vitia graviſſime & ſeveriſſime reprehendunt & caſtigant, cum toti vitiis ſcateant. Severis, cenſoriis, quibus Hercules monſtrorum domitor, & vitiorum profligator utebatur, in corripiendis ſceleratis: vel quæ Herculem, Prodici illum, in bivio virtutis & voluptatis deceant, & ubi multa multis verbis de virtute ejuſque majeſtate, & dignitate ſplendide, & eleganter locuti ſunt, interea vita, & factis flagitioſiſſimi, dum ſubiguntur Cinædi. *E. V.*

37. *Ubi nunc lex Julia?*) Quod ſane arguit eſſe Julium Cæſarem, , qui Juliæ patruus: licet vetus Interpres Juvenalis verſ. 29. Claudium putet, aut ut alter, Domitianum. Sed nulla ratione. nam Claudius, qui Meſſalinæ pertulit impudicitias, nullas de adulterio leges tulit, neq; eæ ab auctoribus memorantur. Domitianus leges de adulteris tulit; ſed non æque timendas, cum pœna mors non fuerit. nec Poeta id ſcribere auſus vivente Domitiano, qui Juliam quidem neptem corrupit & adegit ad abigendum partum, ſed ſemel. At Juvenalis loquitur de multis abortivis. Dein ſcribit, tunc tuliſſe leges, quum Julia crebros faceret abortus: atqui Domitianus corrupit Juliam vivo patre Tito, & privatus tum, ideoque nondum imperante eo; & quum Domitianus leges in adulteros nondum ferre poſſet. Et, ut Interpretis hujus inconſtantiam notes, quod Juliæ Poeta & ille tribuit, id Meſſalinæ aptat in illo verſu, *Auſa Palatino*, &c. Addo Poetam ſcribere, *Qualis erat nuper*, quod præteritum tempus arguit: ergo ante Domitianum, ſub quo vixit. Et ne te moretur verbum *nuper*, quaſi loquatur de tempore non remoto, etiam de longiori tempore uſurpatur hoc verbum apud Auctores & apud Juvenal. Sat. VIII.

Cum tenues nuper Marius diſcinxerit Afros. Dorleans.

38. *Atque.*) Alii *ad quem* legunt. Bernard. Real. Annotat. *cap.* 4.

53. *Comedunt coliphia* &c.) id eſt, pauci pugilatum & athleticam exercent. Nam Athletæ partes illas animalium ad victum aſſumebant, quæ minimum ſucci & pinguedinis habent, quæque maxime aridæ ſunt & ſiccæ κωλήνια Græci & κωλῆνας vocant. *Salmaſius.* in *Tertull. pall.* p. 262. adde Voſſ. *Lexicon.*

61. *Cylindros.*) vocabant lapillos precioſos ad ornatum muliebrem pertinentes. Meminit Plinius *lib.* XXXVII. *cap.* V. Et Tertull. *lib.* de Habitu muliebri *cap.* VII. *Latent in ſingulis ſmaragdi & cylindros vaginæ ſuæ ſolus gladius ſub ſinu novit.* Paullus *l.* XXXII. §. ult. ff. de aur. argent. *cum quædam ornamentum mammillarum ex cylindris triginta quatuor legaſſet.* Voſſius.

66. *Multitia.*) de hujus vocis originatione Ferrar: *de R. V.* i. 20. ubi obiter docet, non poſſe eam dici a *multis*

ictibus, eo enim minus *pelluceret*, quo compactior.

71. *Insania.*) Grangæus frustraneas dicit esse alias interpretationes, & albis dentibus ridendos, qui legunt *insania* pro *infamia*: Sed sanam ipsi mentem in sano corpore precamur,&nos mordicus τὸ *insania* retinemus: quia & multa exemplaria sic habent, & sensus est genuinus: illius tamen lectionem & constructionem non reprobamus etiam, quæ hæc est, *Minus turpis infamia, nudus si peroret, quam multitia indutus.* E. V.

77. *Acer & indomitus, libertatisque magister.*) Ait hoc ex Lucani illo *lib.* 1.

Acer & indomitus, quo spes quoque ira vocasset,
Ferre gradum.

expressum Rutgers. *V. L.* vi. 9.

78. *Cretice perluces.*) Errat Salmas. cum Juvenalis tempore viros Sericum usurpasse negat: at rectissime Lips. hunc locum de Serico interpretatur, quem ille male reprehendit. Contrarium enim Salmasio apparebit ex lege sub Tiberio facta, *Ne vestis Serica viros fœdaret.* Quintilianus etiam togæ Sericæ virilis facit mentionem. Is. Voss. *Observ. in Melam p.* 260. ¶ Lipsius de Coa sive Serica toga intelligi vult. Alii de Coa tantum, nec de Serica capi posse Juvenalem, quæ tantum a fœminis tunc gestata, cum Coa etiam Viris in usu, ut ait Plin. Ego de Serica, & quidem muliebri locutum Poetam sentio. hujus enim id proprium fuit, ut transluceret, homines que nudaret. Nam si ætate Plinii, id est aliquot annis ante Juvenalem, Coa vestis viris promiscue gestata, labentibus in deterius moribus, non erat, quod Poeta cœlum terræ misceret, si Creticus veste Coa incessisset. hoc enim tolerabile jam fecerat usus. atqui τὸ *pellucere Cretici* tanquam insanum & fœdissimum exagitat: *nudus agas, minus est insania turpis,* & mox eum aliquando *aliquid fœdius hoc amictu ausurum* vaticinatur, imo futurum fuisse ait, ut meretrices talem togam recusarent, etiam si damnatæ essent: non ergo vestis Coa fuit, quæ vel Horatii ætate meretricibus erat familiaris: Ergo Sericam muliebrem intelligit, quam infra *multitia* appellat fœminisque adscribit. Ferrar. *de R. V.* 1. 20.

83. *Nemo repente fiat turpissimus.*) Exstat in editionibus *fuit*, sed antiquissimum, & ideo verissimum est, quod ego in Scripto meo veteri inveniebam: *nemo repente venit turpissimus.* Propertius: *Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti.* item: *Seu venias, seu contra latus amicis.* Pontanus *ad Macrob. Saturn.* iii. 10.

89. *Solis ara Deæ* et seqq.) Subtilissime hæc exponuntur a Rigaltio in Prolegom. *de Sat. Juven.* circa finem.

90. *Nullo gemit heic tibicina cornu.*) Accidit humanitus summati Viro, ut reprehenderet Juvenalem, tanquam per incuriam aut negligentiam, fœminam, quæ cornu inflat, *tibicinam* vocant, quasi quisquam ignoraret, tibia ac cornu quid interlit, sive formam, sive materiam, sive usum spectes. Et si quis id excuset carminis necessitate, nunquam ei cum detrimento sermonis serviendum, recte ait. Vir alius egregius Auctorem defensurus concedit, si fœminam, quæ cornu inflat, tibicinam vocasset, aut nihil præterea voluisset, negligentissimum fuisse: dein labitur in errorem inficetissimum atque insulsissimum, significari Clodium, qui sacris Bonæ Deæ sub vestitu cultuque Psaltriæ seu tibicinæ nescio quod cornu intulerit. Imo nulla hic in Juvenale negligentia, nulla incuria, nihil prætextatum. nam *tibia* hic idem, quod *cornu*. Ovid. *lib.* xi. *Met.*

——— *Et inflato Berecynthia tibia cornu.*

lib. iv. *Fast.*

——— *Et inflexo Berecynthia tibia cornu.*

Idem Pentheus apud Eundem:

——— *Aerane tantum*
Aera repulsa valent, & adunco tibia cornu?

Eadem tibiarum cornua intelligit Val. Flacc. *lib.* iii.

——— *Audit fremitus iresque leonum*
Cornuaque, & motas videt inter nubila turres.

Stat. *lib.* v. *Thebaid.*

Quum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia. ———

Recte igitur & Vetus Scholiastes hoc loco Juvenalis: *Nam in ejus sacris adhibebantur modulationes, & tibicina canentes cornibus.* Gronov. *Observ. lib.* i. *cap.* 17. ¶ Perperam hæc ad Clodium viri docti referunt, qui vestitu cultuque Psaltriæ, sive tibicinæ, ædem Bonæ Deæ ingressus, cornu intulerat, nempe Virum patrando stupro paratissimum. Verior sententia est, in illo turpissimo cœtu semivirorum, Bonam Deam celebrantium, fœminas omnes, tanquam profanas, submotas fuisse, ita ut nulla ibi tibicina cornu inflaverit, ut in veris sacris Deæ illius fiebat, sed omnia semivirorum ministerio peracta. Ferrar. *Elect.* ii. 14.

94. *Ille supercilium.*) &c. Duplex olim offuciarum genus fuit, in oculorum emendatione. Primum *supercilia producere*, præsertim si in confinio luminum non erant permixta. tale erat calliblepharum, quo Circes ancilla Gitonis delineabat supercilia. Alterum erat *oculos pingere*. utrumque Pollux innuit: τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει. Quid vero sit *oculos pingere* docet Plin. xxxvii. 11. *Palpebræ in genis homini utrimque: mulieribus vero etiam infectæ quotidiano. tanta est decoris affectatio, ut tingantur quoque oculi.* scilicet extremitates genarum, seu *cilia*, collinebant fucis; imo interdum palpebras inficiebant coloris immutandi gratia. Tert. *de Cult. Fœm. Oculos fuligine collinere.* Arnob.

nob. *lib.* ii. *Fuligine oculos obumbrare*: Cyprian. *Serm.* v. de *Lapsis*: *Nigro pulvere lineamenta oculorum pingere* & de *Pudicit*. *Oculorum extremitates suffuscare*. Commodianus, nondum editus scriptor: *oculos nigro relinere.*] vide Gonsal. *ad Petron.* p. 271. & 366. ubi pro *tactum* laudat: *madida fuligine factum Obliqua* &c.

96. *Reticulum.*] erat illud auratum & ex Serico textum. Salmas. *Obs. ad Jus Attic. cap.* 5. p. 162.

97. *Caerulea scutulata, aut galbana rasa.*) de sensu hujus loci disputat Ferrar. *de R. V.* i. 17. qui ideo putat conjungi *scutulata & rasa*, quod hæc ut plurimum Serica sine villis *scutulatæ* texturæ aptior.

97. *Scutulata.*) Turneb. & Scalig. ajunt *Scutulæ* esse formam quadratam oblongiorem, quales quadræ in tela araneorum cernuntur. Nam cum in ambitum araneæ plurimos orbes multis filis circinent, à centro transversa subtemina quoquo versum distendunt, quæ orbes secantia multas scutulas reddunt: unde *scutulatum* araneorum rete Plinio dicitur. eam autem *scutulæ* formam ex Censor. *cap.* 22. firmat Turneb. Adjicit Scaliger ad Varronem vestes *scutulatas* & *virgatas*, quales Gallorum, easdem fuisse. Diodorus enim ait Gallos gestare saga ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυανθέσι, καὶ πυκνοῖς διαλημμένα *scutulata & reticulatim distincta*: *Virgata* Prop. & Virg. Polluci ῥαβδωτὰ. *scutulatus* ergo *virgatus* macularum instar cancellatim & reticulatim distinctus. Ferrar. *de R. V.* iii. 22.

97. *Galbina.*) Ita Vetus Interpres, pro eo, quod est in Vulgatis, *galbana*. Veget. *Veterinar.* iii. 2. *florem eryngii galbinei coloris* esse ait, i. ut Turnebus explicat cœrulei coloris dilutioris pallescentis, & quoniam is color fœminarum, dedecere Viros videbatur: hinc *galbini mores* apud Martialem i. effœminati, molles. Ferrar. *de R. V.* iii. 22. ¶ *Galbina*) ubi *galbana* hodie legitur. sed non magis *galbanum* pro galbeo vel galbino dici potest; quam coceanum, pro cocceo vel coccino. si *galbanum* Latine diceretur, media longa utique enunciandum esset. sed cum passim corripiatur ab Auctoribus, satis signi est vitiose scribi *galbanum* pro *galbino*. Qui sic primi mutarunt, apparet eos *galbanum* τὴν χαλβάνην in animo habuisse, quasi quicquam commune esset *galbano* cum *Galbino*. galbeæ enim & galbinæ, atque etiam galbulæ aves sunt viridis aut lutei coloris; hinc galbeus & galbinus & galbulus, pro viridi. Vett. Gloss. *Galba*, χόρμια Salmas.

108. *Quod nec in Assyrio.*) licet Semiramis & Cleopatra lascivæ & molles bella gesserint; tamen in bellis vel castris specula vel fucum nunquam usurparunt, ut fecit *Otto*. E. V.

110. *Reverentia mensæ.*) Recte dixit *reverentia*: mensæ enim antiquis erant sacræ. Synesius Epist. 57. *Mensa sacra quædam res est, per quam Deus amicitiæ conciliator atque hospitalis honoratur.* Et Arnobius *lib.* ii. *Sacras facitis mensas sativorum appositis, & simulacris Deorum.* Thysius.

115. *Cultris abrumpere carnem.*) Claudian. *lib.* I. *in Eutrop.*

Cymbala ferre licet, pectusque inlidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abscindere cultris.

Exponerem tamen hic: Testaceis aut saxeis, non ferreis, cum & illi non adeo insolentes fuerint: qualibus v. g. Judæos aliquando circumcidi Deus præcepit Jos. v. 2. 3. Saubert. *de Sacrif. cap.* vi.

124. *Segmenta*) fuere fasciæ, sive virgæ purpureæ & aureæ, quæ vesti ad ornamentum insuebantur, idque solis matronis concessum. Vide de illis Ferrar. *de R. V.* iii. 17. Ubi omnino hunc locum illustrat. ¶. Hæc ergo *segmenta* vel auratæ fasciæ, quæ prius tantum muliebribus tunicis adsuebantur, postea luxu crescente, virilibus quoque vestimentis adtexi cœpere. *Salmasius.*

Ad SATYRAM III.

Nocturna *Numa constituebat amicæ.* vs. 12) Legendum puto, *Nocturna Numa consternebat amicæ.* id est, ubi cum amica Egeria simul dormiebat. *Egerias* autem ab egerendo partu & abortivis faciendis dictas ajunt Grammatici, non insuaviter. *Dorleans.* ¶ Sed sane insuaviter mutatur phrasiologia (meo quidem judicio) quæ est in *Constituerat*; quam nos præponimus. Deinde Ægeriam hanc per Æ distinguimus ab Egeria Dea, quæ opitulari credita est partui egerendo, & hinc denominata. *E. V.*

12. *Hic ubi* et seqq.) Vide Salmas. *de Mod. Usur. cap.* 15.

14. *Judæis.*) vel Christianis, qui edicto Domitiani urbe pulsi sylvas illas inhabitare cogebantur. Nam Christiani & Judæi apud Ethnicos pro iisdem habebantur. Quam miseris modis sanctam gentem prophana afflictaverit natio, traditum in iis libris est, quibus Mosaicæ continentur leges. instabant duri operum exactores, in cessantium terga sævium fustibus est, postremo, cuncti servilibus officiis intenti ætatem egere. Judæis in hujus rei memoriam etiam hodie in cœna Paschali puls quædam comeditur, quam peculiari nomine ad id appropriato appellant. Neque profecto caussa est, cur Juvenalis Judæos Romæ semper cophinum fœnumque habuisse dicat in supellectile. Enim vero cophinum fœnumque gestabant; cum quod fiscellis stercora lutumque portaverant in Ægypto, tum quia stipulis fœnoque usi erant ad fingendos lateres. Intererat eorum, per hæc monumenta cunctos docere mortales, quam aspera olim & fœda pertulissent. *Cunæus.*

15. *Arbor.*) mihi suspicio est de sensu magis arcano, & cum irrisu alibi etiam *Sacerdotem arboris* dici, quia Judæi censebantur in templo colere vitem. Ruben. *Elector.* ii. 26.

34. *Quondam Cornicines.* et seqq.) *Buccas* interpretantur Tibicines in municipiis vel theatris oppidanis canere solitos, habentes buccas, quibus cornua inflabant satis notas, quasi dicat, in oppidis Urbis notum & illos fuisse cornicines sive buccinatores, a *buccis*, quas inflabant, dictos. Alii, homines sæpius per ora vulgi traductos. Salmas. *ad Lampridium*, *buccas* parasitos fuisse ait, qui in Glossis *bucellarii*, & *buccones*. Id confirmat ex Sat. xi.

— *Curtius & Matho buccæ.*

Verum ibi Poeta non de parasitis loquitur, sed oratori acri ac vehementi caussidicos viles ac plebejos, quales Curtius & Matho alibi etiam exagitatus, erant. Neque superiore loco *perpetui* illi *comites municipalis arenæ* parasiti esse possunt, quis enim gladiatoribus parasitaretur? neque ab inflandis tibiis *buccæ*. Sed erant vel caussidici municipales & oppidani, vel, quod verisimilius, præcones & ideo *notæ per oppida buccæ*, in quibus præconium faciebant, hoc est, Urbanis præconibus ignobiliores: sicut sectatores non urbanæ *arenæ*, sed *municipalium* gladiatorum. Quod autem ajunt *cornicines* istos gladiatoribus canere solitos, hoc nusquam lectum est: in theatro quidem, non in arena. *Cornicines* in ludis scenicis, id est in theatro: *arena* autem *comites*, quod operam gladiatoribus locarent: *buccæ*, vel vilissimi caussidici, vel præcones. Ferrar. *Elect.* ii. 26.

35. *Buccæ.*) ita Satyra xi. *Curtius & Matho buccæ.* Errat enim vetus interpres, cum *buccæ* exponit, *jactatunculi, qui tantum buccas inflant, & nihil dicunt.* sæpe tamen ita accipi verum est. Voss. *Etym.* p. 80.

40. *Fortuna jocari.*) Ludum enim jocumque Fortunæ censebant Prisci, exaltare indignos, deprimere dignos: *jocandi sævitia*, Claudian. *lib.* 1. *in Eutrop.* adde Boeth. *de Consol. Philos.* ii. 1. Plin. *Ep.* iv. 11. Barth. *ad l. l.* Claud. p. 1281.

58. *Acceptissima.*) i. e. gratissima: aliter est anceps vocabulum; nam & bene & male acceptus dicitur: Idem hoc loco nostrates dicerent: *Wel-kom.* E.V.

63. *Et cum tibicine chordas Obliquas.*) Manifeste plagiaulum seu obliquam intelligit tibiam, quam cum inflant tibicines, & ipsis quoque obliquum est caput. inepte admodum hæc vulgo interpretantur. *Chordas* vero vocat tibias, uti quoque facit Plato, & complures alii: sed & Lucretius cum Satyris *lib.* iv. tribuit chordas omnino intelligit tibias. Nec est, ut quisquam miretur chordas dici tibias, cum vice versa citharæ accipiantur quoque pro tibiis, & αὐλεῖσθαι pro κιθαρίζειν, cujus appellationis plura possimus dare exempla, sed quæ libenter alteri reservamus loco, quo artem Tibicinum hoc seculo deperditam, plenius persequemur. Vide Is. Voss. *ad Catull.* p. m. 166. & 167.

67. *Trechedipna.*) Argutissime explicavit Jos. Scaliger. Ego tamen longe aliter opinabar. hoc videlicet. Solent magnates eos, qui in sua familia nutriuntur, tali coloris genere vestire, e quo cognosci possit, in quorum clientela vivant. Itali & Galli *Livreas* vocant. Puto igitur eos, qui divitum mensas sectabantur hoc est, Parasitos, inter alia, quæ eos contumeliosissime perpeti necesse erat, etiam Regum suorum (ignoscant mihi Ciceronis manes) *livréas* gestasse. Certe tale quid videtur innui *Sat.* v. ubi de parasitorum contumeliis loquens ait *infanti parasito thoraca viridem* allatum, ut is quasi color parasitis Virronis *livrea* fuerit: Jam quia eo velut signo atriensis cognoscebat, quos ad cœnam admitti fas esset, facete Juvenalis id genus vestis *Trechedipna* vocat, quod ejus beneficio liceret illis ad cœnas Regum suorum & currere & admitti. Confirmat hanc sententiam vetus Interpres, qui *trechedipna*, *vestimenta parasitica, ut Gallicul. Grajas currentium ad cœnam.* Ita enim in eo legendum esse, non, ut vulgo, *caligulas*, monuit me P. Scriverius. Hoc igitur dolet Poeta, Romanos eo luxuriæ devenisse, ut & parasitari, & palæstris uti (id enim vult per *niceteria ista collo ceromatico*) peritius ipsis Græculis didicerint & hoc ipsum *lib.* ii. Epist. ad Augustum queritur Horatius, nempe Romanos *doctius luctari Achivis unctis.* Rutgers. *V. L.* vi. 13. ¶ In Veteribus constanter est *trechedinna*, quod & Vetus Interpres tuetur, neque tamen satis explicat. licet autem Græci *Trechedipnos* appellarint parasitos, vestes tamen aut caligas ita appellatas non memini, neque apud Juvenalem hoc loco ulla convivii mentio, sed palæstræ ac ceromatis, ut etiam ad ea trahat Scholiastes, quare Turn. iii. 17. vestes gymnicas interpretatur, & endromidem intelligit, quod Juvenalis alibi *endromidem & ceroma* conjunxerit. inde autem ita dicta censet, quod Romani adeo gymnasticis exercitationibus dediti fuerint, ut ad eos tanquam ad *cœnam currerent.* quæ notatio ut placere non potest, nec tamen melior succurrit, ita *Trechedipna* malim vestes Gymnasticas quam calceos parasiticos interpretari. Nam quod Rutgers. *in V. L.* vestes peculiaribus familiarum coloribus distinctas intelligit, quas *livreas* appellant, nimis argutatur. Ferrar. *de R. V.* iii. 12. ¶ Erant, qui censent fuisse calceamenti genus, quo currerent ad convivia. Quippe ea ab Heronicis collo gestabantur, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad συμπόσιον ἀγωνικόν, quæ hieronicis in omni agone sacro communis esse solet. Nec obstat, quod dicerentur Τρεχέδειπνα ex τρέχω & δεῖπνον, ac τρέχω sit pedum, non colli. Nec enim sic vocata, quia iis, sed quia cum iis currerent Fe-

sti-

stinabant enim ad convivium sacrum ob commodiorem locum, & ut dixi ex isto colli symbolo agnoscebantur. Proprie vero ipsi hieronicæ Τρεχέδειπνοι. sed niceteria hieronicarum i. victoria præmia, quæ ceromaticoi. cera & oleo inuncto gestabant collo, eo τρεχέδειπνα sunt vocata, quia iis uterentur Τρεχέδειπνοι. sic etiam Scaliger *Emend. Temp. lib.* v. hunc locum cepit. (adscripserat enim ad hunc locum in in cod. suo Scaliger figurati εἴπατε ἐν χρυσαῖς τυσῷ χαρδικίαν.) Voss. *de Vit. serm.* i. 33. adde Ejusdem *Lexicon.* ¶ Martinius Turnebum, quod gymnasticas intelligit vestes, longius a vero abire sentit. Quicquid sit, sensus patet. Sed pro *Trechedipna* sunt, qui scribant *Rechedipna*; & quæ Vetus Scholiastes *Sylateria* scripsit, ut sint *spolia*, a Græco συλάω spolio, illi scribunt *philacteria* (opinor voluisse *phylacteria*) quasi auctor intellexisset chartulas illas, seu amuleta, quæ de collo suspendi solebant. *E.V.*

79. *Ad summam non Maurus erat, neque Sarmata, nec Thrax* et seqq.) Folium Sibillæ Cumææ dixeris, aut Gimmeriæ. Inde fit, ut ab emunctæ naris hominibus, vel in pulcherrima editione asteriscus, ne dicam stigma, relictus sit. ac fieri potest, ut Servius ipse, vir bis honoratus, non perceperit, si quidem legit: *Sarmata Metrax.* nisi virium est codicis antiqui. Sed in hoc vocabulo totius rei cardo non vertitur, Britannicus rem acu tantum non attigit, aut sane paulo propius se admoverat; & tamen quasi visco implicitus ægre, ac ne vix quidem elivo isto, vel angustiis defungi potuit. Scias vero Juvenalem, ut reliquos fere melioris notæ sibi palmarium duxisse, si majestate Romani nominis & idiomatis freti, in Græcos advenas, ut aquilæ in columbas involarent. rati sola vanitatis ope ipsos aulæ irrepere, magno indigenarum, seu victoris populi pudore ac detrimento. ut ut sit, eos præcipue idoneos fuisse adverto, in quibus Romani illuderent. vehementius tamen illud est: *Non possum ferre; Quirites, Græcam urbem*: Asperius hoc, sed non ab ratione nimis: *Magus omnia novit Græculus, esuriens in cælum, jusseris, ibit*, quæ postrema faciunt nonnihil ad propositum, ut post paulo videris. Exagitat nimirum vitia non tam suæ, quam Neronianæ ætatis. vixdum enim adducitur, ut calamum stringat in vitam, sive in superstites, præfatus non sine astu se experturum, sub Domitiano saltem, quid sibi liceat in eos, qui via Flaminia, aut Latina sepulti sunt. Horum itaque versuum ea est, nisi me animus fallit, sententia: Denique is, qui nuper volitavit non erat Mauritania, aut Sarmatia, vel Thracia oriundus, sed e media Græcia; quod mirum simul ac pudendum est, propter dignitatem Athenarum, unde tot eximii quondam literarum & virtutum surculi, tot animæ illustres. Quis vero ille fuit, qui (quod & ad Sequanam haud ita pridem contigisse ajunt) remigio alarum, ita se traduxit, sive initurus gratiam apud Cæsarem delicti alicujus, ut eadem tempestate Scævolæ fictitio & manus exusta pœna ista fuerit? quis artificio Dædali pennas libravit in aere Icari fato, Superum vindicta? Illene qui in Actis toti Samariæ fucum facit, ac dona Spiritus sancti numerata pecunia sollicitat? Magus ille inquam, famosus & quasi mundi cymbalum, hac illac cursitans, malæ fortunæ faber, sui ipsius ruina? Non est verisimile. Quamvis ille Simon, imo simius, reginam quoque urbium suo fœdaverit ingressu, ubi farinæ suæ homines procul dubio tunc invenit, sed parem audacia non reperit. Ergo ille potius, de quo in vita nefarii principis hæc memorata sunt: *Primo statim conatu* (volatico scilicet) *juxta Neronis cubiculum decidit, ipsumque cruore respersit.* qua de re aut simili verius librum secundum contra gentes consuli præcipit, ac Epiphanium inter cæteros. Certe Simonem eundem esse mihi non satis liquet. neque enim Justinus Martyr hoc ulli suaserit. quare amplius inquirendum censeo. hunc ergo, qui sumpsit pennas, hominem gemis Atticæ maleficum puto. quem nos primi Juvenali (si fas) adserimus, ac de tali spectaculo fortean Epigramma: *Dædale Lucano cum sic laceraris ab urso, Quam velles pennas nunc habuisse tuas.* Itaque is de Dædalo volante factus Icarus deciduus ursis prædæ fuit. At si quis hic a Martiale Simonis Magi fieri mentionem præoptat, nil moror quantum ad alios. Steph. Claver. *Periphras.* II. *Juvenal.*

81. *Non fugiam conchylia?*) Indignatur Græcam fæcam conchyliatam incedere. *Conchylia* i. lacernas conchyliatas. Vetus Interpres de *Toga* capit, sed fallitur nulla enim in toga communi est purpura. Ferrar. de *R. V.* IV. 23.

83. *Cottana.*) a parvitate, Phœnicia voce sic dicebantur ficus in Phœnice & Syria notæ. Hebræis enim קטן *Katon* est *parvus*. vid. Plin. XIII. 5. *Hesych.* Κότταια, εἶδος σύκων μικρῶν. *Cottana parva* Martial. IV. 89. VII. 52. XIII, 28. Bochart. *Geogr. Sacr. p. m.* 805.

90. *Miratur vocem angustam qua deterius nec Ille sonat, quum mordetur Gallina marito.*) Nota sunt apud Virgilium: *Ille aper, Ille leo.* noluit enim dicere *aliquis*, idque circumspecte simul ac decenter. parili modo Poeta noster *Illam gallinam*, dicere potuit: ita enim in veteri codice olim notatum reperi. &: *Quemordetur.* ex qua veteri orthographia, Jano Parrhasio & aliis ubique usitata statim conjeci aliquid boni, si Diis placet. quippe sibi conjunctæ voces mihi non solum Ausonii exemplar, sed Pandectarum Florentiæ scripturam oculis quasi subjecere, ut litera una sit duarum loco, in hanc speciem: *Quomordetur.* alias receptum est: *Ille sonat quo mordetur Gallina marito.* quod nullo modo rejicio. sed animi causa hanc diversam lectionem eruditioribus propono: At enim gallinæ maritus nihil fœmineum sonat. sed gal-

gallina ipsa cum salitur, vel initur a gallo cristulam ipsius mordente, unde illa quid exile, aut querulum, vel raucum edere solita est. hoc fatebitur sine mora, qui cortis aves domi aluerit. Nam adolescentulus, qui, ut ita dicam, gallulascit, indicia potius quasi virilitatis emisisse dicitur, quam parum masculi. galli denique natura, quantum alterius alitis, calida & alaeris est, ac ejus cantilena, ubi maritum gerere occepit, ipsis quoque leonibus pavorem incutit. Sane Juvenalis (opinor) mollem hic & vere effoeminatum describere voluit, ut sequentia evincunt satis: *Uxorem Comœdus agit, vel Dorida nullo Cultam palliolo, mulier nempe ipsa videtur, Non persona loqui; vacua & plana omnia dicas*; ut de reliquis taceam. quæ quidem conveniunt cum iis, quæ Claudianus Spadoni tribuit plorabile quiddam gannienti. comparat enim eum crinito ephebo, qui Nioben, vel Troada in theatro effingat, voce nimitum fœminea & coacta, non etiam nativa. Quod si malit quis vulgatæ stare lectioni, nihil moror, dum sciat nos ad hæc fide recta ambulante impelli, neque nimium esse novandi cupidos. id Claverius curat scilicet, nec alia spe in insulam hanc appulit, aut verius in hunc orbem (Parisiorum Lutetiam) delatus est. Quinimo ut receptam lectionem fulcire melius quis valeat, en ipsi locum e Nonio: *Puerum mulieri præstare nemo scit, quanto melior sit, cujus vox gallulascit, cujus ramus roborascit.* Steph. Claver. *Periphras.* iv. *Juvenal.*

95. *Palliolo.*) Eo enim in caput retracto solebant vagari meretriculæ, ut ex Martiali constat. atqui homo meus Græculus in scena, ne quidem palliolo tectus, coram tot spectatoribus meretricem pudore prostituto scientissime agit. Ferratius.

95. *Rima.*) Adi Rigalt. *ad Phædr.* iii. 3. 10.

101. *Flet, si lacrimas.* &c.) Vide, si vis, Casaub. *in Theophr. Charact.* p. m. 127.

107. *A facie jactare.*) Qui a facie jactat manus, is utique manu faciem prius tangit, quam eam jactet, hoc est, manum ad os refert, deinde eam jactat & porrigit, postquam eam osculatus est: & sic quodammodo osculum ipsum jactare ac porrigere creditur. *Manu venerari & salutare* hoc dicebant. *Salmas.* Et vide Turneb. Advers. *lib.* 1. *cap.* 16.

112. *Aviam resupinat.*) Recte Grangæus cum vetere Scholiaste legit *aviam*: idque ostendit *resupinare*, quod ineptissime de aula dicitur; & ipse sensus: Cum neminem alium inveniat, quem subagitet, ipsas avias seu vetulas comprimit. *Græv.*

115. *Facinus majoris abollæ.*) Viri summus *cap.* 2. *libro de Mod. Usur.* vult ita Satyrice dici crimina extraordinaria, & de quibus debeat cognoscere judex paludatus, vel chlamydatus, quales erant in provinciis Præsides, in urbe Præfecti, qui *abollæ* habitu judicia exercuerint. Sed demus Præsides chlamydatos & paludatos in provinciis judicasse: quis Urbis Præfectum in ipsa Urbe peregrino ac militari cultu cognitiones exercuisse tradit? Juvenalis Pegaso Præfecto *abollam* tribuit; sed non jura reddenti; sed iter in Albanum facturo, sed Jcto & fortasse propterea philosophico habitu gaudenti, vel ex alia caussa nobis ignota. Præterea cui non durum videatur, *facinus majoris abollæ* interpretari, de quo judicet *abollam* indutus? non secus ac si quis diceret, parricidium fuisse *facinus togæ*, quod de eo judices togati sententiam ferrent; & deserere agmen *crimen paludamenti*, quod de eo paludatus judex cognosceret. *Facinus* ergo *majoris abollæ* est facinus a Philosopho & quidem sanctiorem vitam professo patratum, qui nempe *abollam* gestabat. Egnatius nempe Celer Stoicus, qui Baream Soranum amicum & discipulum delatione oppresserat & occiderat. *Abolla* enim pallium philosophicum, & ideo illud Cynicis adscribit Martialis, licet vestis etiam fuerit militaris, & ab aliis gestata, ut a Ptolemæo & Crispino: sed pretiosior & purpurea. Philosophica vilior & fusior instar pallii, & ideo Vetus interpres majorem abollam *majus pallium* interpretatur. Ferrar. *de R. V.* ii. 12. & vide quæ attulimus ex eodem ad *Sat.* iv. *vs.* 76. ¶ *Abolla*, pallium erat, ἀπὸ τοῦ ἀναβάλλεσθαι, *circumjiciendo.* Eo usi fuere Stoici & Cynici. unde Scholiastes reddit *sanctioris philosophi* vel *majoris abollæ.* &. Martial. *lib.* iv. de Cynico:

Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati.

festive, quia *abolla* loco stragulæ vestis illi erat, ideo *grabati* eam *uxorem* vocat. Cynicos enim incubuisse *tribonio* i. e. *abollæ* notum est. Qui enim apud Mart. *Abollam* uxorem Cynici fingunt, nugantur. patet ergo errasse Salmas. cum crimina *majoris abollæ* dicta putaret, de quibus cognosceret judex paludatus vel chlamydatus, quales erant præsides & præfectus Urbis: item Vossium *in Etymol.* qui allata vera *Abollæ* originatione ex Scalig. negat eam fuisse philosophorum tegmen, cum tamen paullo ante dixisset *abollam* esse *tribonium*, quod Cynicis usui fuisse notius est, quam ut moneri debeat; explicatque Poetam, quasi κωμῳδικῶς & cum irrisione dixisset; Audi, quid commiserit, non jam miles aliquis, sed qui majoris sit dignitatis, a quo longe aliam, quam a milite sanctimoniam exspectes. cum verus sensus sit: audi facinus philosophi Stoici, Egnatii nimirum, qui Soranum discipulum suum delatione interfecit. Ferrar. *Elect.* ii. 9. ¶ ita loquitur κωμῳδικῶς & cum irrisione quadam: sententia enim est: Audi quid commiserit, non jam miles aliquis, sed qui majoris sit dignitatis, ac a quo longe aliam, quam a milite sanctimoniam exspectes. Voss. *Etym.* p. 2.

118. *Pinna.*) Promiscue scribitur subinde *Pinna* & *Penna*

Penna; quia pinna a penna: sed *pennæ* nomen generale est ad plumas & pinnas. Plumæ enim molliores & exiguæ pennæ sunt, pinnæ autem duriores. *E. V.*

124. *Tempora servitii.*) Respexit fortassis ad salutatorum & deductorum crebra servitia. Clientes enim in vestibulis Patronorum conveniebant ad salutandum & deducendum eos. Vide Sagittar. de *Janu. Vett. cap.* 8. §. 6.

134. *At tu, Cum tibi vestiti facies scorti placet,* etseqq.) Nihil heic viderunt Interpretes. Inter cætera, propter quæ Umbritius Roma abscedere decreverat, præcipuum illud fuisse dicit, quod pauperes Romæ jacerent, quod sportula iis præriperetur a Proceribus; quod cogerentur ideo divites libertos sectari, deducere, & eorum latus tegere, seu exteriores ire. ad augendam autem indignationem ait, servum divitem, donare nobilissimis matronis, quantum in legione tribuni merebant, ut semel atque iterum cum iis caput limaret: sed ingenuum propter paupertatem non audere, si vel vilissimi scorti facies placuisset, illud in fornice sedens attingere. appellat autem *scortum vestitum* i. e. *togatum*, nam proprie *vestis* pro *toga* accipitur. meretrices autem *togatas* fuisse, quis jam ignorat? Eædem autem in sella altiori sedebant, ut accedentes scortatores venalem mercem attentius considerarent, ac membra omnia curiosius perlustrarent: sicut servi etiam venales in catasta prostabant. Nam licet togatæ essent, pellucebant nihilominus Co's indutæ. Horat.

—— *Cois tibi pæne videre est, Ut nudam.*

Quod autem meretrices *sederent*, præter Vet. Schol. *ad h. l.* docet Plaut. *Pænul.* i. 2.

An te ibi vis inter istas vorsarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras cœno delibutas, servilicolas, sordidas,
Quæ tibi olent stabulum, statumque, sellam, & sessibulum merum?
Quas adeo haud quisquam tetigit, neque duxit domum.

& tale tamen scortum non audebat pauper ex *alta sella* deducere, quod paucis obolis careret. hinc fortasse *sellarioli* & *sellularii* Tiberii, & *sellaria sedes arcanarum libidinum*. Tac. *Ann.* vi. *Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum & spintriarum ex fœditate loci & multiplici patientia. sellariolas popinas* Martialis inde fornices appellat: *sellaria* hinc Suetonio *arcanarum libidinum sedes, ubi monstrosi concubitus repertores* spintrias, puellas, exoletos, ingenuos prostituebant. Qui *cella* ἀντὶ τῦ *sella* in Juvenale legunt, inepti sunt. *Sed pudet his immorari.* Ferrar. *Elect.* ii. 8.

136. *Alta sella.*) Vid. Pignor. *de Serv. p.* 281.

138. *Fictilibus cœnare pudet.* etseqq.) Nimis longe arcessita sunt, quæ Interpretes de Curio Dentato aut Scipione adferunt. Quomodo enim Curius, domitis Samnitibus, translatus ad mensam Sabellam? Legendum ergo

—— *quod turpe negabit.*

Pudor erat Romæ *fictilibus cœnare*, & *Samio luto mensam onerare*. quod in Italiæ oppidis & municipiis minime turpe erat, ubi ex vetere frugalitate fictilium usus; rarus aut nullus togæ usus, verum e regione lacernæ solcei filo contextæ. Ideo Umbricius eo concedere destinabat, ubi hæc adhibuisse neminem pudebat: cum Romæ omnia pauperibus magno constarent. Ferrar. *Elect.* ii. 9.

170. *Cucullo.*) Ex hoc loco apparet, *cucullum* etiam ingenuorum fuisse, quem præter Veterum auctoritatem *servorum peculiarem* facit Faber. Ferrar. *de R. V.* iii. 23. erat autem cucullus vile tegmen densum capitis ac humerorum, & villosum, quod ad frigus arcendum atque imbrem sumebatur, & ipsi lacernæ, cum opus esset, injiciebatur. Idem *de R. V.* iv. 20.

171. *Si verum admittimus.*) Ea enim tempestate tota fere Italia Romanis legibus vivebat, & ideo togata: quamvis rarius eam induerent, tunica contenti, ut indicant *tunicæ albæ* senatorum, etiam die festo, quas postea adfert. vide Ferrar. *de R. V.* i. 33.

172. *Togam sumit Mortuus.*) Adeas Cuper. *Obs.* ii. 9.

173. *Herboso si quando theatro.*) Nihil vetat, quin & accipere possimus de vero *theatro*, sed propter infrequentiam ludorum *herbescente*. ait enim *si quando* i. e. raro. Ferrar. *Elect.* ii. 9.

175. *Hiatum*) a quali *hiatu* etiam *Manduci* appellabantur, terriculorum talium monstrosi actores. Varro *lib.* vi. *de L. L.* vide Barth. ad Claud. *in Entrop.* i. 124. *p.* 1301.

177. *Similemque videbis* &c.) Quod *Orchestram & populum similes* interpretantur, æqualiter exornatum spatium in quo saltat pantomimus, non ut Romæ in theatris, ubi diversa loca Vulgo, honoratiora Equiti & senatui; sc. confuse omnes spectasse, fugit eos ratio. Idem enim est, quod paullo ante ajebat, *Aequales illic habitus* sc. populi & Decurionum, *seu* senatorum, quia omnes in tunicis, quæ in solis IIviris seu Aedilibus *albæ* id est recenter lotæ. Ferrar. *Elect.* ii. 9.

178. *Orchestram.*) manifeste intelligitur *senatorum consessus*, sic Vitruvius *lib.* v. *cap.* 6. *In orchestra autem Senatorum sunt sedibus loca designata.* Hinc Suetonius: *deinde in Orchestram senatumque descendit.* Vossius.

179. *Tunicæ albæ.*) Loquitur hic Poeta de vita rustica, quæ in pagis & oppidis agebatur, ubi ait togas non fuisse in usu, atque ita Aediles satis habuisse, si in *tunicis albis* conspicerentur, quod indicare videtur reliquis albas tunicas non fuisse, si id tantum Aedilium gestamen

gestamen fuit. falsum tamen est, nam omnes in tunicis albis, *æquales habitus illic, similisque orchestra & populus.* Sed Aedilium tunicæ vel candidæ fuere, vel, quod verius, recens lotæ. Ferrar. *de Re Vest.* iii. 10.

185. *Respiciat.*) notanter. vide Lucian. *in Nigrino* Martial. x. 10.

Qui me respiciet, Dominum Regemque vocabo.

P. Scriver. ad Mart. *l. l.*

186. *Ille metit barbam.*) Adi Ouzel, *ad Minuc. p. m.* 180.

193. *Nos Urbem colimus* et seqq.) Duplex sensus: vel enim *Villicus* heic Satyrice, ut infra pro Præf. Urb. ponitur; qui, cum pilis & substructionibus firmare debeat procumbentes in ruinam ædes, ita solum obstat, ut contentus sit tantum obducere rimas & parietum vitia. vel, ea ratione Domini ædificia prolabentia reparant, qua villici rusticas ædes instaurant, rimas tantum obstruendo, ne fumum faciant. Atque ita cives Romæ, pendente ruina, securos somnos captabant. Prior tamen explicatio rectior videtur. Ferrar. *Elect.* ii. 9.

199. *Tabulata tertia.*) Vide Ræward. *Conj.* iii. 12. *ad Virgil. Ecl.* i. 83.

204. *Abaci.*) Optimæ Glossæ, *Abacus, Delfica, Μινιστήριον, ὡς Ῥεπόσιτορ.* *Repositorium* Plinii est idem illi apud Petronium in cœna Trimalcionis, non idem ministerio, ut docti volunt. In *Delphica* autem mensa, vel *abaco*, qui erat ex marmore, argentum factum, cujus usus erat in convivio, exponebatur. Inde & *ministrabatur* ad mensam. Salmas. *Obs. ad jus Att. cap.* 23. *p.* 450. ubi plura huc facientia. ¶ hinc & *ornamentum abaci* dicuntur *sex urceoli*, quia in eo exponi fere solebat argentum potorium, aut vasa ad bibendum comparata. Idem *l. l. p.* 486.

205. *Recubans sub eodem marmore Chiron.*) Mirantur Interpretes inter Codri frivola enumerari *abacum marmoreum* cum fulcro, *Chironem excubantem* referente, propterea volunt ex argilla fuisse. Verum ejusmodi abaci Romæ vulgares erant, nam eos fastidiebant ditiores, qui citreas mensas cum eburneis fulcris solum æstimabant. Hor. 1. 6.

——— *Lapis albus*

Pocula cum cyatho duo sustinet. ———

Ferrar. *Elect.* ii. 9.

210. *Frusta*) ita legitur in nostris mss. sed legendum potius *frusta*, atque id probat Raderus ad Martial. *lib.* iii. *Epigr.* 40. Vossius.

213. *Pullati proceres.*) Peccant, qui Veterum lugubria nigri semper coloris fuisse existimant. Error tamen hic adeo invaluit, ut ubicunque apud Veteres Scriptores vestes φαιὰ aut κυανᾶ, aut denique apud Latinos *pulla* vel *ferruginea* occurrat, non dubitarint atram vel nigram interpretari. Est quidem verum, atris quoque indutos fuisse Veteres in magnis luctibus, honoratior tamen, ut nunc; ita quoque olim erat habitus *pullus* aut ferrugineus, qui nec purpureus, nec niger, sed inter utrumque medius esset. Istiusmodi colorem vulgo violaceum aut pavonaceum appellant, quali etiam hoc nostro seculo nonnulli Reges & plerique purpurati Romani in luctu utuntur. Morem vero hunc, ut nempe honoratiores purpuræ nigræ, aut ferruginei coloris veste utantur in luctu, ab antiquis esse translatum, colligo etiam ex loco Varronis apud Nonium in *Anthracinus*. Is. Voss. *ad Catull. p. m.* 218. vide & *pag.* 168. 169.

213. *Differt vadimonia* &c.) de his & similibus in luctu solitis, ex professo Kirchmann. *de Fun. Rom.* iv. 2.

218. *Hæc Asianorum.*) Ut intelligamus utrumque sexum properare, ut statuas & imagines Deorum ex Asia Romam deportent. Turneb. *lib.* x. *Advers. cap.* 27. *Salmas.*

218. *Thæcasiandram.*) Vide, si lubet, quæ collegit Balduin. *de Calc. cap.* 19.

219. *Mediam Minervam.*) Mediam Minervam vocat προμάχον Minervæ, quæ in omnibus Bibliothecis dedicabatur: quo nomine patronam librorum vocaverit Catullus. Scaliger. *in Catull.*

231. *Dominum &c.*) ut dici solet, *unius vermiculi.* Belgice *een voet lands, een hand vol lands*: & hoc sensu noster scribens *lacerti*, potuit ad mensuram referre, ut sit tantum agri, quantum est spatium brachii nostri inter scapulas & cubiti ossa. *E. V.*

238. *Vitulisque.*) Qui vitulis marinis Romæ possit somnus excuti dicant, qui vitulos marinos dormientes viderunt aut Romæ, aut usquam terrarum. Locum mendosum esse nemo non videt. Legendum autem videtur: *Vetulisque maritis.* Nam senes sunt somnolenti: quamvis alia possit ratio dari, cur vetuli mariti, qui juvenculas duxerunt, somno alto sopiti jaceant. *Græv.*

245. *Assere.*) Perfecta lectica oblongi inserebantur asseres per ejus latera: ipsi porro hinc inde foras scilicet ab illa progrediebantur, ac prominebant eousque, ut illis videlicet asserum extremitatibus aut humeris, aut brachiis, aut manibus impositis facile lecticarii servi tollere possent lecticam; oblongos autem fuisse asseres docet Sat. vii. 132. *longo premit assere*; exemtiles vero Sueton. *in Calig. cap.* 58. Unde patet non intellexisse Lipsium *in Elect.* quid essent in Lectica asseres. Gonsal. *ad Petron. p. m.* 103.

255. *Sarraco veniente abies.*) Satyr. v. vers. 23. *Soracum* ubique scribendum. Festus: *Soracum dicitur, quo ornamenta portantur scenicorum.* &c. Græcum purum putum est, Σώρακος. Hesychius: Σώρακοι, ἀγγεῖον εἰς ὃ σῦκα

ἐπιγαμβάσθαι). Meurs. *Exerc. Critic. part.* 11. *cap.* 5. *pag.* 117. 118.

283. *Coccina læna.*) dives hic a cœna rediit, *læna* vero in convivio adhibebatur, eaque hyeme, ut æstate syntheses. vide Ferrar. *de R. V.* iv. 9. (*Ergo hæc Satyra hyeme scripta, aut Umbricius forte hyeme Roma migravit.*) vide quæ ex *l. l.* ii. 13. & iv. 9. ad *Sat.* v. *vs.* 131. attulimus.

289. *Rixa.*) *Rixa* est inter litigantes & æqualiter se defendentes. Mutua enim altercatio atque utrimque pugna requiritur, ut *rixa* vere dicatur. Lexicon vetus Græco Lat. *Rixa μάχη ἡ διὰ λόγων. Torrent.*

295. *Aut accipe calcem.*) Extremæ ac summæ injuriæ hoc fuisse apud Veteres ex Suet. *Ner. cap.* 35. aliisque docet Barth. *Adv.* xLii. 3.

296. *Proseucha.*) ad hunc locum vetus Comment. *Proseucha*, inquit, *locus Judæorum ubi erant*. cetera, quæ ibi adsuta, nec assis sunt. Putabat Politianus vocem hanc haud alibi reperiri, quam apud Juvenalem, & Cleomedem. Verum Leopardus *lib.* iii. *cap.* 4. ostendit ea usos Josephum, Philonem, Epiphanium, sed ignoscendum Politiano, quandoquidem ejus ætate hi libri nondum publici juris facti facti erant. Vide & quæ de *proseucha* annotavit Scaliger ad fragmenta subjecta operi de Emendatione temporum. *Vossius.*

304. *Tabernæ.*) Scilicet vinariæ, ut de hac voce notat Non. Marcellus, Xenophon οἰνῶνας appellat. Vitruv. *lib.* vi. *Apothecas.* Ouzel. *ad Minuc. p. m.* 4.

308. *Vivaria.*) Quum *vivarium* proprie sit piscium, Gallice un *vivier*, latrones eo convolabunt, ut homines instar piscium stupidos & incautos obruant. *E. V.*

310. *Maximus in vinclis* &c.) Rem acu tetigit Rigalt. in Prolegom. *de Sat. Juv.* quem vide.

321. *Satyrarum ego* &c.) Vide Rigalt. in Proleg. *de Sat. Juv.*

322. *Caligatus.*) Quidam exponunt, τὸ *Caligatus*, tenuibus vestibus indutus. *E. V.*

Ad SATYRAM IV.

MOnstrum &c. *vs.* 2.) Vide Schott. *Obs.* v. 35.

8. *Minime corruptor.*) Lege meo periculo; *nimæ corruptor*, id est, qui cum mimis consuevit, qualis M. Antonius. Non enim placet Schegkiana lectio: *Hymenis corruptor.* Sciopp. *Verif.* iv. 10.

16. *Sane.*) Friget: forte legendum *insane*, hoc est, insano pretio, sic *insania mensarum* apud Plin. est insani sumtus, quos faciunt in citreis mensis emendis. *Grav.*

21. *Latis specularibus*) legitur ad hunc locum in Manuscripto meo: *est basterna vehiculum, unde specu*labantur matronæ. Voss. *Etym. p.* 66.

22. *Latis specularibus.*) Fenestris lecticæ e lapide speculari. Ibi Interpres *Basternam* seu vehiculum muliebre interpretatur. Sed lecticam tectam intelligit Juvenalis, quæ ab hominibus portatur. forma nihil distans a Basterna, nisi quatenus hæc a burdonibus seu mulabus; illa vero ab hominibus portabatur. *Salmas.* in *Ael. Lamprid.*

26. *Majores Apulia vendit*) *Apulia* heic non est regionis nomen, sed mulieris prædivitis orbæ, quæ donatos a captatoribus pisces, carius vendebat, & ideo *majoris* omnino legendum, ut respondeat τοῖς *Provincia tanti Vendit agros.* — Sic *Satyr.* v.

Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc,
Quod captator emat Lenas, Aurelia vendat.

& fortasse de eadem *Aurelia* heic sermo est, quæ, nescio quo fato, in *Apuliam* conversa est. quod fidentius ponerem, si codex manu exaratus ad manus esset, in hac pudenda Vett. librorum egestate, ut sit:

— *Sed majoris Aurelia vendit.*

Duos enim heic de more perstringit Juvenalis, *Crispinum*, qui millibus sex [i. e. CL. coronatis.] mullum emerat, & *Aureliam* seu *Apuliam*, quæ hamata hæredipetarum munera majoris vendebat, inter quæ jure mulli tunc fuere preciosissimi. *Sat.* vi.

— *Cariturus turture magno,*
Mullorumque jubis & captatore macello.

Ferrar. *Elect.* i. 18.

32. *Princeps equitum.*) Scholiastes minus commode per *Magistrum Equitum* interpretatur, neque enim eo sensu capiendus, sed simpliciter inter *Principes Juventutis* seu *equestrem ordinem* cooptatus. vide, si lubet, multis hæc adserentem Spanhem. *de Pr. & Us. Num.* diss. vii. p. 664. et seqq.

33. *Vendere municipes Faria de merce siluros.*) Sic legendus hic versus. Antiquum hujus loci mendum est, *Farta de merce*, pro *Faria de merce*. Hinc omnes libri partim *farta* legunt, partim *fracta*. Vetus interpres agnoscit *fracta*, & interpretatur *fracto vase Sardarum.* Quod est ridiculum. *Faria merx*, Siluri, Nili pisces. Eos vocat municipes Crispini, quia is Alexandrinus. Sic eadem Satyra *patriam Crispini papyrum* vocat, id est, municipem: Et alibi Creticas lagenas *municipes Jovis* appellat Sat. xiii. *Salmasius* Ex. Plin. ¶ *Fracta* probat Gronovius, & significari putat, illum vendere siluros chartaceo cucullo involutos, qui fuerit ruptus. Verum mihi videtur τὸ *de* suo loco excidisse, & legendum *pacta mercede siluros.* Mercedulam sibi pepigit pro opera, quam aliis navabat in vendendis siluris. *Grav.*

34. *Incipe Calliope.*) Vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

38. *Serviret.*) Nam cæteri ante illum nomen Domini vel edicto respuerant, hic autem se Dominum & Deum primus appellari voluit. Dominus autem est servorum, Imperator militum, Princeps civium. *E. V.*

39. *Spatium.*) Ejus loquutionis nomine, tam graves pœnas viro docto dare non debuit Satyricus. Nulla enim in phrasi κακοζηλία notanda est, vel improprietas, utpote quam vetustissimi, nec Poetæ tantum, sed etiam πεζολόγοι usurparunt hoc sensu. Sic Ovid. de Remed. amor. *spatiosum taurum* dixit pro magno: Lucanus: *spatium elephantis*, de magnitudine ac mole illius belluæ: *Nec tutus spatio est Elephas.* Salmas. *Plin. Ex.*

48. *Dispersi protinus algæ.*) *Alga* pro littore poni Judæus Apella credat, non ego. Censeo scribendum: *dispersi protinus alni inquisitores*, hoc est navium naufragarum & dispersarum inquisitores, quales erant Palfurius, & Armillatus. *Grev.*

56. *Jam letifero* &c.) vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

57. *Sperantibus.*) Omnes fere acyrologiam suam tenent, nec persuadentur a Ptol. Flavio: Sed quicquid ogganniant, retinemus nos genuinam & propriam verbi (*sperantibus*) interpretationem, putantes hoc, quod Itali, *Febre quartana no fa sonare campana.* Adstipulatur Flavio & nobis Grangæus. *E. V.*

61. *Vestam minorem.*) Licet, *de Lucern.* hunc locum detorquet eo, ac si plures æterni ignes Vestæ sacri fuissent in eodem templo, de quo Juvenalis ne gry. Non enim *Vesta minor* est ignis vulgaris, qui assiduo fomite indigebat; sed quod diruta Alba translatis Romam cum flamma pervigili sacris, cum prodigiorum monitu revocata sacrificia essent, *ignis* ille *Trojanus* veluti inglorius & inhonorus in deserta urbe remaneret, & *minore* religione coleretur. Ferrar. *de Lucern. Sepulchr. pag.* 23.

64. *Spectant.*) Pro *spectant*, alii legunt *exspectant*. E. V.

65. *Itur ad Atridem.*) id est, ad Domitianum, qui crudelitate Atridæ, & Tiberio par. Vocatur etiam *Ajax*, id est, furiosus ab eodem Poeta, Satyr. x. *Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax.* Dorleans.

67. *Saginis.*) id est, cibis: alias sagina est σίτευσις sartura. *Salmas.*

72. *Vocantur Ergo in concilium Proceres.*) Sic legendum ex mss. mox addet: *exire jubentur concilio.* Silius:

Concilium vocat augustum.

Val. Flaccus *lib.* I.

Aequoreos vocat ecce Deos Neptunus & ingens
Concilium.

Claudian. in Eutrop. *lib.* ii. *vs.* 325.

Tandem concilium belli confessus agendi
Ad sua tecta vocat.

Heins. *ad l. l.* Claudiani, qui Juvenali gemella illic habet.

75. *Clamante.*) Patres enim ad Senatum vocabantur plerumque edicto: hic autem per præconem. *Brissonius* ii. de Formul.

76. *Rapta properabat abolla.*) *Abolla* strictiori notatione pallium Stoicorum & Cynicorum. Ergo Pegasus Urb. Præf. & insignis Jc. adeoque forte Stoicus eorum habitu incessit, vel *abollam* simpliciter pro lacerna accepit, quam deposita toga iturus Albam ad Domitianum induerat. Ferrar. *Elect.* ii. 9. Quod autem Salmasius & Rubenius *abollam* unius Nonii testimonio præcise & semper vestem militarem faciant, indeque arguant, Præfectos Urbis habitu militari intra Urbem esse usos, hoc illis adhuc demonstrandum relinquimus. Idem *Analect. cap.* 8. ubi plura vide. nec non de *R. V.* ii. 12. ubi summi Viri sententiam solide refutat, affirmantis *cap.* 3. *lib. de Mod. Usur.* Præsides in Provinciis, & in Urbe Præfectos *abollam* gestasse, i. *chlamydem*, cum ex Tac. & Liv. constet Prætextatos fuisse, qui in Provinciis magistratus erant: & Dio *lib.* 53. ubi narrata sub Augusto Procoss. institutione disertissime pergit, *utque de communi Senatus corpore mitterentur, neque gladio accincti, neque militari habitu utentes.* solisque Augusti legatis datum subdit, ut militari veste, gladioque uterentur.

76. *Pegasus.*) vide Menag. *Amænit. Jur. Civ. cap.* 17.

76. *Villicus urbi.*) i. e. Urbi præpositus. τὸ Villicus primario dictum de villæ præposito. Varro *lib.* i. *de Re Rust. Villicus, agri colendi causa constitutus: atque appellatus a villa: quod ab eo in eam convehuntur fructus & evehuntur, cum veneunt.* Sed & postea quemvis præpositum, aut procuratorem, dispensatoremque, ita vocarunt. Inde VILLICUS ALIMENTORUM, & VILLICUS AB ALIMENTIS, & VILLICUS A PLUMBO, in antiquis Lapidibus. Et VILLICUS ÆRARI, apud Tibullum:

Villicus Ærari quondam, nunc cultor agelli.

Si modo Tibulli est hoc epigramma; quod legitur in lapide Patavino. Quare Cl. Salmasius, vere & proprie, non Satyrice, *Villicum* Urbi a Poeta vocatum Pegasum, existimabat in *not. ad Lamprid.* Sed frustra id existimabat vir ille undecumque doctissimus. Satyrice ita dictum Pegasum a Juvenale, patet ex his verbis: *Attonitæ positus modo Villicus Urbi. Anne aliud tunc Præfecti?* id est, anne aliud tunc erant Romæ Præfecti, quam villici: quam procuratores, aut dispensatores? Æg. Menagius *Amæn. Jur. Civ. cap.* 17.

77. *Villicus urbi.*) *Villicum* veteres non de solo villæ præfecto usurparunt, sed quemvis præpositum aut procuratorem, dispensatoremque ita vocarunt. Tibullus

bullus ærarii præfectum *villicum* dixit, hoc Epigrammate:

Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli.

In antiquis lapidibus villicus alimentorum, est qui alibi dicitur procurator alimentorum: VIL. AB ALIM. id est, Villicus ab alimentis. *Salmas. in Ael. Lamprid.*

118. *Jactaret basia.*) Jactare autem osculum is proprie dicitur, qui manum osculatur, deinde eam porrigit ad eos, quorum honori ac venerationi dat illud osculum. nam protensione manus, quam prius erant osculati, quodammodo osculum ipsum porrigere & jactare ad eos videbantur, quibus honorem illum deferebant. *Salmas. in Flav. Vopisc.* Vide multis hunc ritum illustrantem Ouzel. *ad Minuc. p.* 13.

134. *Rotam properate.*) Nota *properare* cum accusativo; imprimis observa acrem & mordacem animum Poetæ, *Sequantur castra*, cum aliis nempe fabris & reliquo commeatu. *E. V.*

147. *Torvis Sicambris.*) Grangæus legit *tortis*, secundum hoc Martialis: *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri*: quod Schegkius in Præmissis notat & Ramires in Martialem: sed torve nimis & inconsulto reponi *tortis* pro *torvis* hoc Juvenalis loco indignatur Farnabius, & jure quidem merito. *E. V.*

149. *Penna.*) sententia Poetæ, tantos esse animorum motus, ac si epistola celeri nuncius Romam apportaretur, de provinciæ alicujus rebellione; ut certissimum sit, eos falli, qui *pennæ* nomine columbam credunt signari, aut aliam avem literarum portatricem. Voss. *Gramm.* i. 36.

150. *Atque utinam his* &c.) Vide Rigalt. in Proleg. *de Sat. Juv.*

Ad SATYRAM V.

INiquas, &c. vs. 3.) Mensæ iniquæ sunt, in quibus non eædem epulæ Domino & convivis apponuntur, nec idem vinum datur. Vel in quibus non omnes æquales, sed alius alio major. *Brodæus* Misc. *lib.* ix. *cap.* 1.

10. *Tam jejuna* &c.) His verbis nullam subesse sententiam facile videbunt, qui animum advertent; idque librariorum culpa. Juvenalis manus fuit: *Tam jejuna fames? quin poscis, honestius illic Et tremere.* Famesne tanta est, ut illas patiaris contumelias. Quin mendicas in ponte, aut crepidine. Honestius est illic frigus pati, & sordido pane vesci, quam in mensa divitum tam indigna pati. *Quin* legendum esse viderunt alii quoque. *Græv.*

10. *Cum possis honestius illic.*) Nisi *possit* legendum ut est in ms. nostro. Despauterius *poscis* malebat. Sed *possit* est in altero ms. nostro. Sic quoque legit Mancinellus, & edidit Aldus an. 1501. ut taceam de editionibus consecutis, etiam optima P. Pithœi. *Vossius.*

16. *Neglectum*, &c.) id est, te Parasitum tandem ad cœnam vocare. Alii libri legunt *accire*. Sed *adbibere* melius, quia verbum conviviorum peculiare. *E. V.*

29. *Pugna* &c.) valde concinne hic locus explicatur de pugna propter lagenam. vide Gonsal. *ad Petron. p. m.* 70.

32. *Cardiaco* &c.) vide Schot. *Obs.* v. 4.

34. *Senectus.*) Vetustas *Turnebus lib.* 1. *cap.* 1. *Brodæus Miscell.* 1. *cap.* 3. *Brissonius lib.* 8. Formular.

36. *Quale coronati* &c.) Vide Rigalt. in Proleg. *de Sat. Juv.*

38. *Et inæquales Beryllo Virro tenet.*) Quia viridis color optime cum auro convenit, gemmas viridantes in orandis poculis ut plurimum adhibebant, inter quas smaragdus tenet primatum. Beryllus quoque, quia viridis, ad hunc usum translatus. Hoc ergo loco Poeta dicit phialas beryllo textas, & per hoc inæquales, asperitate & extuberantia gemmarum. Hodie perperam legitur ac distinguitur:

——— *Et inæquales Beryllos.*

Salmas. *in Plinian. Exerc.* Plin. *lib.* xxxvii. *cap.* 5.

42. *Iaspis.*) Vide Boethium de Boot *lib.* ii. *cap.* 50 de Gemmis.

51. *Non eadem* &c.) hoc est, quod & Petron. carpit, *vinum dominicum* vobis non propinatur. Sordidum hunc divitum antiquorum fastum docet Mart. iv. 86. vi. 11. iii. 60. quem salse insectatur Lucianus tribus quatuorve locis. vide Gonsal. *ad Petron. p. m.* 119.

61. *Sed forma* &c.) Rationem superbiæ addit, quia & puer sit, & formosus, & quod ob id merito superbiat: vel Asiaticum illum puerum non pauperibus aptum dicit; sed rege superbo dignum, qui supercilio ipso vinum petit, loqui dedignans. Sic & digitorum tantum crepitu matulam petebant, & quicquid aliud nutu, vel saltem unico verbo: unde proverb. *Omnis herus suo servo monosyllabus.* E. V.

66. *Maxima*, &c.) Omnis domus magnorum patronorum & divitum servis fastu tumentibus plena est, qui pauperes & miseros Cyclopice contemnunt. *Dignum nempe patella operculum*, ut ait Eurip. *Servi dominorum morbis inficiuntur.* E. V.

72. *Artopta.*) Q. servum faciunt *Artoptam* inspiciundi panis, non videntur advertere satis servorum fuisse in turba illa, ut nogo ministerio opus non fuerit. Non *servo*, sed ipsi *pani reverentia* debebatur; ergo forte per *artoptam* panem assatum, seu escharitidem intelligit. Ferrar. *Elect.* ii. 10.

74 *Vin tu consuetis* et seqq.) Sive *vix*, sive *vin* legas, concinna sententia, aut verus sensus elici neutiquam poterit.

terit. Ergo non aliter Poetæ mens intelligitur, nisi pro *audax* legamus *audeas* duarum vocalium, collisione retinendo τὸ *vix*, ut ipse Poeta ad parasitantem loquatur. Ferrar. *Elect.* ii. 10.

79. *Stillaret pænula nimbo.*) Ex hoc loco patet pænulas fuisse sub Flaviis in Urbe gestatas; easque non nisi pluvio tempore primum, postea tamen cœperunt in promiscuo usu esse. Vide Ferrar. *de Re Vest.* v. 2.

80. *Distendat.*) quasi distendat, impleat. Metaph. Alii legunt *Distinguat.* E. V.

85. *Feralis.*) Qui hanc vocem derivant a voce *Feralia*, errant; nam hæc primam habet brevem, illa productam: Est ergo a φὴρ Aeolice pro θὴρ i. e. *fera*; quia mors sæva est & fera; sic ergo & illa, quæ ad hanc pertinent, cruenta & fera videntur. *E. V.*

89. *Canna.*) Glossæ Veteres apud Jan. Douzam nondum editæ, ad h. l. *Canna genus navis, unde & Cannitarii dicuntur.* vide Scheff. *de Vehic. Vett.* In India arundines sunt tantæ proceritatis & magnitudinis, ut ex singulis internodiis naviculæ fiant, quæ alveo suo aliquando etiam ternos homines ferunt, quas incolæ *Canoas* vocant. *E. V.*

90. *Cum Bocchore.*) Ita scribe, non *Baccare*, ut vulgo excusum est. Bocchor enim Maurorum regis nomen, idem cum Boccho. *Salmas.*

105. *Torrente.*) Jan. Rutgersius *Variar. Lect.* 2. *cap.* 17. legendum putat, *Torpente.* Cloacas enim *torpere*, non autem *torrere* scimus, inquit. Sed cum Cloacæ dictæ sint, quod iis percolentur aquæ, quidni servetur *torrente*?

116. *Post hunc tradentur tubera.*) Lege, ut nonnullæ rectius scribunt editiones, *post hunc radentur tubera.* Græv.

117. *Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.*) *Axes* i. clivos. Propert.

Scandentis axis patriæ de vertice murus.

Manil. *lib.* iii.

Quicquid ab extremo temet præverterit axe
Per convexa gradu. ———

Scalig. *ad l. l. Manil. p. m.* 231.

120. *Structorem interea.*) infirmus hic tibicen, si (quod puto) istiusmodi est mens Juvenalis: *Structor*, ex pantonimorum arte saltans, cibos mensæ infert (unde *inferiorem* interpretatur vetus Juvenalis Scholiastes) idemque in cibis carpendis vel scindendis, certa lege manibus gesticulatur: (ut placet Lips. *Sat.* ii. 2.) Vides, ut hinc minime consequatur, alium esse saltantem, alium chironomonta, aut quia diversæ essent artis partes, saltatio & manuum gestus, ℘ & artificem fuisse alium atque alium. Cur vero eundem fuisse putemus, ὀρχηστὴν seu *pantomimum* ac χειρονόμον, sive chironomonta, cum Hesychii, multaque alia veterum loca impellunt: tum hic quoque Cassiodori, Variar. *lib.* iv. 51. *His sunt additæ Orchistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polymnia reperisse narratur, ostendens homines posse, & sine oris effatu, suum velle declarare.* Vossius.

127. *Tanquam habeas tria nomina.*) Vides hic hæsitare interpretes. Vir doctissimus exponit, tanquam sis libertus, quia liberto prænomen & nomen & agnomen imponebatur, imo & tribus: ut C. Trebius Velina. Sed hic non possum huic sententiæ subscribere: legendum *quanquam habeas tria nomina*, hoc est, quamquam sis nobilis, si tamen pauper es, in divitis mensa non audebis hiscere, nisi velis ejici. *Græv.*

131. *Pertusa læna.*) *Læna* pallium erat apertum ac breve, ut Græcorum chlæna, non multum chlamydi aut lacernæ absimile, quo Reges initio usi, deinde & vulgus, idque villosum & arcendo frigori adhibitum togæque superinjectum: in ipsis conviviis usitatum, hyeme scilicet, cum depositis togis sola vestis cœnatoria non sufficeret. hinc Martialis furem conviviorum aliquem ait *sæpe abiisse tectum duabus lænis*, & Noster iii. 283. divitem a cœna redeuntem *coccina læna* amictum inducit. divitum enim lænæ colore & precio, a pauperum lænis differebant. vide Ferrar. *de R. V.* ii. 13. & iv. 2.

137. *Dominus.*) Hæ enim dominorum & regum appellationes majorem adhuc reverentiam, observantiam, honorem denotabant. *E. V.*

143. *Viridem thoraca jubebit Auferri.*) Scribe *adferri*, ut legisse quoque videtur Lambinus. & in sequente versu: *Ad mensam* pro *ac mensam.* Græv.

149. *Virro sibi* et seqq.) Carpit nimirum hominem delicatum, & quasi luxuriæ orientalis, a quo bellariorum quoque delectus habebatur, nulla inter amicos communitate servata. mollibus enim, ac sibi morum similitudine addictis lautiora secum præbebat edulia, cæteris, ut minoris precii, analecta quædam obtrudebat. neque ad cœnam seu κοινὴν, sed potius ad notam invitabat. longe diversus ab illo consulari ejusdem sæculi, cujus humanitas totam sibi æquabat familiam, cum servuli non idem biberent, quod ille, sed ille idem, quod ipsi. qua tamen verborum argutia ita suorum conditioni locum reliquit, ut nihil decentius, salva insuper tanti viri dignitate uspiam reperias. Juvenalis profecto sæpius ludit in circuitione figurata, ac virgula quasi Deorum nuntii soporem aliquando suis amatoribus blande instillat, ut tamen ille somnus instans & deferens videatur. quod mihi quoque evenisse non semel in præsentia testatum volui, ac notare licet in versibus, qui supra citati sunt, post Alcinoi pomaria & mala Hesperidum, quæ in Africa, congruenter sequi simium, qui in saltibus Tabracæ vicinis plurimus est, ubi scilicet montana poma ac silvestria, qua datur copia, solens aut potius insolens comminuit. Designat ergo poeta Simium

miam, si Diis placet, qui quidem oris humani, addo etiam moris imitator est, arti prope cuilibet idoneus, miraculi specie, ut videris apud historicos. visitur enim pluries in palatina porticu ac nundinis Germanicis non una tabula unove habitu repræsentatus, quinimo a circulatoribus externis ad militiæ munera ita informari solet, ut in Urbe maxima nobis quoque spectantibus duo velut singulari certamine se provocarint mira gesticulatione, atque instar equitum levis armaturæ: dum hinc lancea vibratur, inde ensis breviculus emicat: dum etiam, ut ex Marone dicam, *Tuba commissos ludos medio aggere canit.* non sine hujus loci subtilis, toties alioquin vexati, indicio, si cui tunc ejus in mentem venisses. Unus enim in capra, alter in cane crispulo hærebat. colligas etiam a lusibus histrionię ac nugis mimicis seria ab homine, cui quidem aliqua salis mica insit, posse elici. Cajus hercle nostri temporis olim ad cœnam splendidissimam vocatus a quodam, ita enim dicebat, tetrarcha, atque lautitias omne genus magno suo cum honore, nec ingratis inibi expertus, a cibo animi causa audiit comœdiam, quę licet lingua Tusca ageretur, tamen prologus a quodam studioso a musis ad Venerem aliquam parvulam transfuga oppido alacri ac venusto magnam partem Latine pronuntiatus est, ubi legem quandam fortuito ita explicavit, summus ut ille magister coram ingenue fateretur, eam sibi hactenus fuisse satis imperviam. etenim ut libellus sic persona quantumvis abjecta doctrinę aut virtutis, ubi minime cogites, flosculum exserere amat, nihilque sperni fas est; nisi eadem opera hominem exuas, aut severi nomen prave quis affectet; neque enim. hæc Jure civili sunt prohibita, imo constituta, ne populus in tristitiam inclinet. *Belle* vero, mea quidem sententia, Niloticus Poeta consulem eunuchum Asiæ regulum jaculis insignem simio comparat, qui debeat mensis ludibrium, ac Serum pretioso indutus vellere nudato alias clune obambulet. neque Romani epigrammatis artifex una in pagina hujus animalis induvias describit, sive cucullo Santonico sive pænula sit ornatus; ac plane convenienter huic loco cecinit: *Callidus emissas eludere Simius hastas.* ubi pugnæ simulachrum, si fas, apparere potest vel a simiolis, vel a pueris exercitatæ: pumilionum exemplo, quos tanta gratia velitantes depingit Papinius. Noster vero hic ludio quasi ratione præditus, dubitant enim Græci quidam & Romani auctores. jussu magistri insilire isti pecudi satagit, qui si temere desiliat, statim flagello excipitur. nam illi cum equo id commune est, ut ictius verberationis sit metuens, ac sono quoque territus & ejulatione acuta deformis, supplicem gerat, & proinde solicitius obediat. Dii boni, quam volupe est spectare hanc bestiolam gladio vere adstrictam, galea ad supercilii, si qua sunt, confinia laxius obductam, fluente ad lænam lacerna; ubi præsertim clypeum sinistra, jaculum dextera ostentat, fissipedi, aut molosso, mannulove, lapsu proclivi, inhærens. alio tamen schemate, quam parvulus ille Cæsar, qui in argenteo nummo Valeriani principis Capellæ insidet. visa loquor, hæc quibusdam Heracl. t eis præ gaudio movere lacrimas. Verum objiciet aliquis, neque inficias eo, *Capellam* nomen esse & viri proprium. legimus enim *Capellam*, nec demiror, si miles aliquis prætorianus aut hirtus Centurio in stativis hoc se ludicro exhilaret, cum in veteri Interprete, quem nobis manu antiqua exaratum, olim nobilis commodavit Lilius, dicatur ut alibi campi doctor. atqui glossæ illæ ubivis, vel ubi nolis pæne claudicant, nec a labe ista immunis est Servius, aut commentator ineditus Achilleidos, idque opera ni fallor genus cujusdam solitariæ, ac plus nimio quondam his litteris deditæ, cum altius quid spirare posset. Et tamen hanc opinionem penitus confutare non paro. modo quis agnoscat hircum, aut capellam esse quoque hirsuta animalia, neque huic epitheto hic derogari nisi unius litterulæ mutatione. quippe videre est quinquaginta plus minus exemplaria in quis: *Hirsuta Capella*, diserte ac lucide se exhibeat, quire textum tot lustris huc usque receptum violare non sustinui. atque ut cedam huic bellatori sua disciplina tamen liquido constat agi de simio, qui poma rejicula a vermiculis, ac dispalata arrodat in loco edito, seu aggere, unde de plano conspici queat. mera itaque & notabili transpositione clarissimi Pithœi præfert editio: *Quale simia manducat.* pomum videlicet. quo fit, ut nunc facile conjicias, quam male habita sint antehac monimenta veterum, quibus tot deliria prava quadam insitione obtigerint. Sive igitur eques, sive pedes tibi obversetur simius, hac saltem credulitate frueris, cui vel ipse Cato, opinor, oculis conniveret. Atque hæc uno velut filo & spiritu ducta esse neque transcripta sciveris. nec enim calamo ita indulgere consuevi, sed opus erat suadela in tali præsertim discrimine, quamquam de armis Æacidæ, hic non disceptatur. Neque vero cuiquam nimis arduum erit, exempla offendere apud optimos poetas, qui eadem huic locutione usi sunt. Parthi enim ab equis jacula sagittasve emittunt: ac thoro ab alio, ut a cespite heroes antiqui verba, ut ille ait, jaciebant. Noster autem simiolus a capellæ dorso jacit missilia, aut jaculum vibrat, atque id quasi tyro quadrupes & jam sessor audaculus. nisi quis velit eum exin deturbare, ut dixi: quod si impune fiat, ei tamen sua poma nemo inultus, mea quidem sententia eripiet. Claver. *Paraphras.* 1. *Juven.*

145. *Qui tegitur parma*, et seqq.) Simia capræ inequitans, quam hoc loco intelligunt, fabula non unius assis est. Veram olim sententiam tetigit Britannicus, de *hirsuto* centurione *Capella*; qui promissa barba inton-

tonsisque capillis horreret: milites enim mundicias urbanorum hominum, qui glabri rasaque cute erant, aspernabantur, atque a balneis, pectine & tonsore longe erant. Recte etiam Vetus Scholiastes *senem magistrum* explicat, sive quia justa ætate, &, ut Spartianus loquitur, *plena barba* centuriones fierent; sive quod hirsuti & imperi provectioris ætatis viderentur. *Capellam* Scholiastes *Campidoctorem* ait, qua voce & ad *verf.* 261. *Sat.* vi. usus est. Scaliger ideo *hirsutum* legi vult, cum putet *Capellam*, noti per ea tempora Campidoctoris nomen fuisse. Sed etiamsi quilibet centurio fuerit, Satyrice *hirsutus Capella* dicitur. Miror autem viris doctis non venisse in mentem Ammiani Marcellini verba de Juliano Cæs. quem contumeliæ caussa *Capellam* dictum notat: *In odium venit cum victoriis suis Capella, non homo; ut hirsutum Julianum carpentes.* Tales enim appellabantur, qui grandem atque hircinam barbam pascerent. Idem *lib.* xxii. de eodem: *Ridebatur enim, ut Cercops, homo brevis, humeros extentans angustos, & barbam præferens hircinam.* Imo ipse Julianus hac eadem de caussa Persas appellat *Capellas, lib.* xxv. *En quos Martia ista pectora viros existimant, deformes illuvie capellas & tetras.* Si quis tamen Grammatici flagelli metuens, non *ab hirsuto*, sed *hirsuta capella* legendum putet, haud sane repugnaverim. Ferrar. *Elect.* ii. 6. adde Barth. *Adv.* xi. 5. Bellon. *Observ.* ii. 52. Breuning. *Navig.* ii. 24. Rutgers. *V. L.* iii. 15.

170. *Omnia ferre si potes, & debes.*) Copula hic locum non habet: sententia postulat, ut scribas: *Omnia ferre si potes, ut debes.* Græv.

171. *Pulsandum vertice raso.*) Famulus jugo laxatus herili, ut utar Claudiani verbis, tum ad lictorem per quem expediri manumissionem solere testis est Hermogenianus, prætor conversus hæc quoque videtur solennia verba pronunciasse: Secundum suam caussam, sicuti dixi, ecce tibi vindicta! Tunc a prætore accepta caput vindicta servi visus est etiam lictor percussisse, faciem palma, tergumque festuca verberasse. Ræavard. *V. L.* iv. 9. ¶ Quod Britanicus & alii dicunt, designari hic modum, quo quis liber a prætore per vindictam fit; quod scil. ii, qui ex servitute in libertatem vocabantur, raso capite ad Prætorem irent, qui eorum caput bis terve percuteret, vel per lictorem percuti juberet, deinde virgula seu festuca (quæ *vindicta* est) in eum jacta, postquam dominus eum vertisset, elata voce servituti eximeret prætor; profecto hujus non esse loci, & contra mentem esse Auctoris, quis non videt? *E. V.* ¶ Scurris & morionibus ad ludibrium capita radebantur, Arnob. *Gaudent morionum rasis capitibus.* Artemid. *Oneirocr.* i. 23. *Radi autem sibi videri totum caput, exceptis Deorum Aegyptiorum sacerdotibus, & risus movendi studiosis, & his, quibus radi est mos, bonum est.* Ferrar. *Elect.* ii. 13.

Ad SATYRAM VI.

CRedo Pudicitiam &c.) ad hunc locum tria Scholia diversorum Glossatorum ex antiquissimis mss. excerpsit Barth. *Advers.* LVI. 3. quæ exscribere non lubet, vix enim tanti sunt. tamen miror de papyro in chartam ab aliis transscripta fuisse mira audacia, non indicato auctore. Unus Scholiastarum ait: *Sine distinctione est iste liber, propter plurima mulierum vitia. Ursidium Posthumum titulum facit, quod notus adulter quæreret castam uxorem.* Subjungit postea suam *ἐπίκρισιν* Barthius, & de adulteriorum antiquitate, mulierumque vituperiis obvia, vocans hanc Satyram *scriptum longe doctissimum & exactissimum*

3. *Præberet.*) Vetus Glossator in ms. meo cod. vetustiss. annotat: *Homerus de ætate aurea:*

In celsis habitantes montibus antra.

Sane videntur apud Romanos Homeri & Hesiodi Poemata versibus expressa circumlata fuisse, ex quibus & forte hic versus laudatur. vide Barth. *Advers.* LVI. 3.

4. *Clauderet umbra.*) Velut aliud agens finem habitationis indicavit. non enim deliciarum gratia, sed ut tecti modo ab injuriis cœli essent, speluncas tales subibant primi mortales. Pulere vetustiss. Cod. *τὸ Ignem, Larem, Pecus* exponit *Culinam, Thalamum, Stabulum* quibus omnis aula illorum magnatium absolvebatur scilicet. Barth: *Advers.* LVI. 3.

6. *Vicinarumque ferarum Pellibus.*) Eleganter hisce exagitat Romanam luxuriam, quæ in peregrinorum murium pelles, ut Hieronym. loquitur, censum effundebat; qualibus ad virtutis cultum de proximo petitis usos homines aureo seculo ait. sed & aliud acumen latet, quod videlicet contigui coluerint mortales illi innocentes non procul ab se habitantibus feris, ad tenuis & naturalis victus sustentationem. vide Barth. *Advers.* LVI. 3.

10. *Et sæpe horridior.*) Quam inepte prisci Glossatores *τὸ sæpe* interpolarint, si videre vacat, vide ap. Barth. *Advers.* LVI. 3.

16. *Nondum Græcis jurare paratis.*) Explicant de perjuriis. ego, quamquam Græcorum ingenia moresque ea non abhorrebant, ad adulationem potius refero, notarique puto Græculos ejus ævi, qui passim in magnis domibus, & per salutem aut genium heri sui jurabant. scilicet eundem iis honorem, quem Diis aut Principi habentes. Philipp. Ruben. Elector. *lib.* ii. *cap.* 26. *p.* 74.

19. *Astræa recessit Hac comite.*) comite nempe Pudicitia

dicitia, atque sic *duæ pariter fugere sorores*. Justitiam enim bella & cædes, Pudicitiam turbata matrimoniorum sacra, stuprisque polluta virginitas profligarunt. vulgo non satis dextre optimi Vatis verba capiuntur. Barth. *ad Claud. in Cos. Probini* vs. 195. *p.* 48.

25. *Conventum & pactum*) scriptura ea pacti conventi de sponsalibus facti *l.* 7. *ff. de sponsal.* & *l.* 3. *ff. de Concub.* dicitur Testatio, observante Salmas. *Obs. ad Jus Att.* vide Eund. *de Mod. Usur. c.* 12.

27. *Digito pignus.*) vide Kirchm. *de Annul. c.* 18. Long. *de Ann. c.* 2. Kornmann. *Dactylioth.* ii. 1.

34. *Pusio.*) Ita vulgo. sed aliud quiddam latere discas ex Interprete. ita enim ille: *Pusio a facto nomen.* videtur fuisse *pygio*, ut illud a voce πυγὴ finxerit, ut Græci suum πυγαῖος. & ita Sciverius. Rutgers. *V. L.* ii. 17.

45. *Antiquis moribus.*) Quales vixerunt aureo seculo sub Saturno, ut dictum. *Loensis* Epiph. 3. *cap.* 23.

48. *Auratam juvencam,*) vide Ouzel. *ad Minuc. p. m.* 341.

55. *Magna tamen fama* etseqq.) vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Prolegom.

63. *Chironomon Ledam* etseqq.) Perperam heic *mimos* cum *pantomimis* confundunt, cum hi solo gestu & saltatione, quæ in scena cantabantur, muti exprimerent, & verba manibus expedirent: *Mimi* autem pronunciarent, verbisque & sententiis mores hominum imitarentur, unde nomen invenerunt. De *Pantomimis* autem, qui & *Actores*, & *histriones* & *Ludii* dicebantur, origine & artificio, Salmas. ad *Hist. Aug.* & Voss. *de Arte Poet.* docte disputarunt. *Chironomon* i. e. quæ manibus expediretur. Νόμος enim norma manuum docte movendarum, unde *Sat.* v. Structorem volanti cultello & perita manu cibos secantem *chironomonta* appellavit. In eo pantomimorum ars tota vertebatur, unde Lucianus *de Saltat.* non solum poscit a Pantomimo, ut decorum servet, sed & ut norit τὴν τῶν σχημάτων σαφήνειαν. i. e. *perspicuam figurarum expressionem.* huic spectaculo insanum in morem deditas matronas Noster exagitat, ut cum Bathyllus Ledam chironomon desaltaret, Tuccia urinam in potestate non haberet, Appula sicut in concubitu ganniret; quæ matronarum nomina a Satyrico conficta, non vero desumta a regionibus Italis, ut festivi quidam volunt. Ferrar. *Elect.* ii. 11. de Bathyllo nonnulla habet Turneb. in *Joc. Ciceron. p.* 21. ¶ Dicit hic *Chironomon.* in genere fœminino, imitatione Græca, quia composita in ος sunt generis fœminini: vid. *Brodæus* Misc. ix. *cap.* 1. *Jac. Loensis* Epiph. 4. *cap.* 9. *J.* C. Scalig. *Poet.* i. 18

65. *Subitum & miserabile longum.*) Lege *subat & miserabile longum* &c. i. rustica mulier & minus experta delicias *subat*, & *attendit longum miserabile.* quæ scriptura elegantissima & Juvenale est dignissima. ¶ *Subare* suum proprium, ut ex Plin. x. 63. constat, ad effrænem & belluinam hominum libidinem exprimendam, non secus atque *catulire*, *adhinnire* & sexcenta talia est translatum, ut ex Horat. (cujus phrasibus suetus uti Juvenalis) *Epod.* 12. Apulej. Festo etc. apparet. Barth. *Advers.* xxiv. 5.

70. *Subligar Acci.*) de hoc vide Rhod. *de Acia Cels. cap.* 6. *p.* 86. ubi docet, quid rei illud proprie fuerit.

71. *Urbicus exodio* etseqq.) De *Urbicis* sive *Exodiariis* omnia vulgata. Sed quod ajunt Urbicum gestibus saltasse fabulam Autonoes, quæ fuit soror Cadmi, ineptiunt. Nam neque Urbicus saltabat fabulas, ut histrio, sed pronunciabat, ac urbanitate jocisque populum detinebat. Neque Autonoes tragœdia ad movendum risum, sed nomen matronæ confictum, quam Poeta vult adeo studiose gestum pronunciantis exodiarii expressisse, ut populum risu quateret. Exodia Atellanarum etiam saltabantur, uti constat ex Suet. *Ner. cap.* 31. Verum Atellanus ipse non saltabat, sed ejus verba jocosque histrio gesticulatione exprimebat. Vide Liv. vii. unde etiam non erant infames, nec tribu movebantur. Ferrar. *Elect.* ii. 11.

72. *Hunc diligit Aelia pauper.*) Quia cum Atellanus non caneret, sicut tragœdi & Comœdi, qui matronis divitibus magno solvebantur, magno sumtu opus non erat ad eos Atellanos refibulandos. Ferrar. *Elect.* ii. 11. Vide Gonsal. *ad Petron. p. m.* 359.

73. *Fibula.*) Vetus quidam ignotus Juvenalis Interpres in membranis Cœnobii S. Joannis in Viridario Patavii, *Fibulam* hoc loco *Zonam* exponit: cui similis alter in Bibliotheca S. Antonii Confessoris *Fibulam* ait, *qua ligantur inguina.* quæ Britannici sententiam juvant, quando alteram fibulæ speciem ad *h. l.* facit indumenti seu *subligaris* genus. (nec forte aliud *Acci subligar* vs. 70.) Rhod. *de Acia Cels. cap.* 6. *pag.* 89. adde Philandr. in Vitruv. x. 2. Cagnat. *Var.* ii. 8.

75. *An exspectas, ut Quintilianus ametur?*) Ridiculum, quod hæc de Rhetorum summo accipiunt, cum nomen fuerit alicujus plebeji citharœdi, aut tragœdi, ejusque, qui vocem Prætori, fibulam matronis vendebat. sic ut choraules nobilissimum nomen commune viro sanctissimo & cultissimo sortitus. Quasi decus illud togæ, ac summus Romanæ juventæ moderator, vilissimum caput esset, & indignum matronarum amore. Ferrar. *Elect.* ii. 11.

82. *Hippia.*) Potest nomen fictitium esse ad rem, nempe ob libidinem: *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.* E. V.

82. *Ludium.*) Apud veteres *ludii* non alii dicebantur:

tur: quam saltatores & histriones: At sequentibus temporibus, *ludii* proprie dicti sunt gladiatores: nec *ludii tantum*, sed & *ludi* sunt appellati, ut *regna* pro *regibus*. Hinc *ludiam* vocat eandem Hippiam, quasi *ludii* & *ludi* uxorem. *Salmasius in Trebell. Poll.*

83. *Mœnia Lagi*) Salmas. *Ex Plin. p.* 682. videndus.

89. *Segmentatis cunis.*) hinc Ennod. *in Panegyr. Quo* (Theoderico Gothorum Rege) *in segmentis posito* i. cunis segmentatis, *quæ ab hostibus sumta fuerant, arma tremuerunt.* Barth. *ad Claud.* iii. *Cos. Honor. vs.* 16. *p.* 486. ¶ videntur fuisse fasciæ purpureæ, qualibus etiam hodie delicatiores utuntur, quibus infantem per foramina cunarum utrinque transmissis excidere vetant.

93. *Ionium.*) i. mare Adriaticum. Hesych. Ἰόνιον, πέλαγος ὁ νῦν Ἀδρίας. *Ionium, mare, quod nunc Adria.* Consentit eidem expositioni Scholiastes. vide plura in hanc rem doctissime pertractata a Bochart. *Geogr. Sacr. p. m.* 553.

105. *Sergiolus jam radere guttur Cœperat.*) Ita explicant: Sergiolus jam cœperat, utpote senior, plenam barbam alere, & guttur radere inter tondendum. quæ non solum falsa, sed & secum pugnantia sunt. falsum, quod seniores barbam alerent, eam enim totam radebant. Huic contrarium, quod iidem guttur raderent. quomodo enim idem barbam simul alat & radat? & quidem inter tondendum, quasi *tondere* & *radere* eadem res sit. Quærit Poeta, quid Hippiam senatori nuptam impulerit, ut gladiatorem in Aegyptum usque sequeretur, cum nec juvenis esset, nec formosus; qua forma exarserit, qua juventa sit capta? Juvenem non fuisse ex eo arguit, quia jam *guttur radere cœperat*, quod solum Viri faciebant. Nam juvenes usque ad virilitatem *florem lanuginis serpere genis* patiebantur, ut cum Pindaro loquar. hinc Cicero Catilinæ socios vocat *comessatores barbatulos*, i. e. ipso adolescentiæ flore primo pubescentes. mollis hæc & tenera barba *juventas* dicitur: Lucr. v.

Tum demum pueris ævo florente juventas
Occipit, & molli vestit lanugine malas.

quod expressit Virgilius *Aen.* viii.

Tunc mihi prima genas vestibat flore juventas.

Barbulam istam seu lanuginem juvenilem ad plenam fere virilitatem, seu annos XL. non radebant, sed tantummodo tondebant. Augustus vero & Caligula illud tempus ex libito prævenere. Dio *lib.* XLV. *de Augusto: Cæsar tum primum barbam radens, & ipse diem eum plane festum habuit, & aliis publicam festivitatem indixit: atque ex eo etiam ipse genas læves habuit, ad exemplum reliquorum.* nam Viri cum vellent censeri, barbam ponebant, totamque deinceps faciem fere quotidie rasitabant, quod primum instituisse Scipionem Africanum, testis est Plin. *lib.* vii. Vide & Gell. iii. 4. hinc noster *primam barbam* ineuntem juventam dixit, *Jovem nondum barbatum* vocat, quem puerum intelligi voluit. *Sat.* 1.

Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.

cum essem juvenis. Mart. xi. 40

Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba.

i. factus sum juvenis, eorumque more barbam tondeo; Noster:

Jam senior, cujus barbam tua janua vidit.

i. qui a juventute tuas ædes frequentavit. tondere alibi Noster *metere barbam* appellat. Capit etiam hinc lucem. *Sat.* xiii. Ferrar. *Elect.* ii. 12.

110. *Sed Gladiator erat.*) vide Gonsal, *ad Petron. p. m.* 558.

118. *Sumere nocturnos* &c.) *Cucullus* enim *ad latendum* & dissimulandam personam aptissimus, ideo fere *noctu* in discursationibus sumebatur. *galerus* autem hoc loco est quid diversum a cucullo; est enim idem, quod galericulum seu adscititium capillamentum. Rotundum muliebre capitis tegumentum in modum galeæ factum Vetus Schol. interpretatur, quo utebantur meretrices, quod vero adjicit, ideo flavum sumtum, quia nigro crine matronæ utebantur, Grammatici deliramentum est. Quis enim credat Matronas omnes nigro, meretrices flavo crine fuisse? & tamen huc Servius tantus Vir misere impegit, ubi de *Flavo crine* Elisæ. Sed credibile est flavum crinem a Poeta Elisæ datum ad augendam ejus pulchritudinem; & Messalinam, cum nigris capillis esset, flavum galerum sumsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur. Ferrar. *de R. V.* iv. 20.

122. *Tunc nuda.*) In prostibulo constitit, habens papillas nudas auro undique redimitas, in circuitu. *Scheg.* procem. 5.

123. *Titulum.*) vide Sagittar. *de Jan. Vet. c.* 28. §. 16. ubi docet in lupanari cujusque cellæ foribus propudii nomen, quod ibi quæstum meretricium faceret, fuisse inscriptum.

124. *Ostenditque.*) hoc verbum nimium quam leve mihi semper visum est pro re & facinore tam atroci. quid enim nuda *ostensio* commune cum incestis illis adulteriis habet? & qui potuit palam *ostendere* in loco tenebroso, ubi nulla, nisi ad fuligineam lucernam, lux erat? Constitit mecum mihi semper scribendum nulla aut levi immutatione: *offenditque*. quod verbum principes observamus incestæ aliquid læsionis gerere in sinu. Sic usus Varro *Marcipore* apud Non. cujus verba ob obscœnitatem adscribere pudet. Barth. *Advers.* XXX. 2.

146. *Collige sarcinulas* &c.) adi Schott. *Observ.* iv. 4.

147. *Ut sæpe emungeris!*) Ita contra scriptos editosque,

tosque, quotquot vido codices est reponendum. Heinf. *ad Claud. cos.* I. *Stilic.* ii. *vs.* 327. ¶ jam ingenium tuum hebetatum domestici ludunt, & fraudulenti servi & ancillæ, & alii quicunque te pecunia tua emungunt & fraudant. *E. V.*

150. *Ovem Canusinam.*) luxus non vulgaris in sumtuosa muliere argumentum. *Canusina* enim lana nobilissima & preciosissima. Vide Ferrar. *de Re Vest.* v. 8.

156. *Murrhina.*) Meo quidem judicio recte dicit Scal. ad Prop. *lib.* iv. in odore commendationem esse, unde colligere licet vasa *myrrhina* fictilia fuisse ex argilla, conchylibus, vel tali materia, quæ fragrante & bene olente myrrha erat condita. Absit ergo tantus doctorum de hac vocabulo labor. Qui *Murrinam* a mari ducunt, unde præcipua sit materia, sc. e conchis, itidem vani sunt. *E. V.*

156. *Berenices.*) Agitur hic de Bernice, Agrippæ sorore, & ejus γυμνοπαιδία obiter perstringitur. itaque nugatur Vetus Scholiastes, qui Agrippam Augusti nepotem, & sororem ejus Juliam hic intelligit. Bocchart. *de Animal.* S. S. ii. 50.

159. *Mero pede.*) Vide super hoc loco decertantes Bynæum *de Calc. Hebr.* ii. 4. qui Juvenalem imperitiæ arguit; & Braun. *de Vest. Hebr.* i. 3. §. ii. qui Juvenalem commoda explicatione juvare conatur.

161. *Gregibus.*) Miror neminem hic argutiam Poetæ intelligere, qui de *tantis gregibus* porcorum loquens salse innuit fœminas, ad has ab illis cito transiens. *E. V.*

167. *Mater Gracchorum.*) Respexit ad inscriptionem, quam Corneliæ defunctæ P. R. cum statua collocavit, CORNELIA. MATER. GRACCHORUM. Sc. Gentil. *Orig.* p. 395.

172. *Parce precor, Pæan, & tu depone sagittas.*) Quis ille alter, quem invocat cum Pæane, petitque ut cum illo sagittas ponat? Vides hic mendam esse insignem, quam tolles, si mecum scripseris, ut Juvenalem scripsisse persuasissimum habeo:

Parce precor Pæan, & tu Dea pone sagittas.

Tu Diana & Apollo recondite vestra tela, quibus Nioben conficitis. *Grev.*

176. *Extulit,* &c.) Sicuti Britannicus inepte *extulit* capit pro occidit, si non minus inepte omnes Interpretes per *parentem* intelligunt Amphionem, cum aperte satis, imo luce meridiana clarius, ex textu pateat intelligendam esse Nioben; & quæ objici possent, nullius sunt momenti & ne relatione quidem digna: Lego itaque *ipsamque parentem.* Lubinus ex Æliano negrat Amphionem contabuisse, sed dicit Ovid. 6. *Metam.*

Nam pater Amphion ferro per pectus adacto
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.

Imo Ælianus ne verbum quidem de Amphione aut ejus morte, sed de incerto numero liberorum. *E. V.*

183. *Quadam parva quidem.*) Lege *quadam parva loquar* & solent sic Poetæ Tibullus, *magna loquar, sed magnifice* &c. Pont. *ad Macrob. Saturn.* iii. 10.

188. *Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.*) Versus hic spurius est & ab aliena manu intrusus. Scilicet quidam semi-Gallus aut Italus, aut adeo Germanus doluit illo ævo scisse Græce delicatas illas loqui: suo vero turpius esse nescire Latine loqui, quæ barbaræ alioqui non nimis essent. Certe optimam sententiam interpolat hic versus, & tantum, quod agat hic habeat, quantum Buttubatta Nævii. Barth. *Adverf.* xxiv. 5.

198. *Subsidant Pennæ.*) vide Gonsal. *ad Petron. p. m.* 392. 393.

205. *Et scripto radiat Germanicus auro*) intelligit, ut ait vetus Glossarius, solidos ita signatos, qui pro virginitate deposita, novæ nuptæ offerebantur. Bene quidem ille. At vetus noster cod. non *scriptum* illud *aurum* agnoscit, verum, ut ego conjecto, valde signanter dictum poetæ suspicari dat: *Scutilo radiat Germanicus auro.* Nam *sculto* reservat. Est autem *scutilum*, quod fere ut aranearum telæ, variegatum est. Plinius: *quanta arte celant pedicas, scutilato rete grassantes.* Hinc ad vestes translatum est. Idem Juvenalis:

Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus scutilata, aut galbana rasa.

Pontan. *ad Macrob. Saturn.* iii. 10.

205. *Scripto.*) Cui literæ quasi inscriptæ & insculptæ sunt. Alii leg. *Sculpto* ex ms. Posset & legi *Scutulo,* judicante Dempstero. *E. V.*

222. *Ita servus homo est.*) vid. Borremans. *V. L. cap.* 14.

236. *Onerosa pallia.*) i. stragula. Propert. iv. 3.

Tum queror in toto non sidere pallia lecto.

Sic & Græcis ἱμάτιον eadem notione. vide Ferrar. *de R. V.* vii. 3.

236. *Pallia jactat.*) Ex hoc loco & alio ex *Trucul.* Plauti, ubi Phronesium, Puerperam simulans, *pallium in se injici* petit, colligit morbo tentatas fuisse solitas palliis uti Barth. *Adverf.* xxxii. 11.

238. *Præputia ducit.*) Præ impatientia μαστρωπεύει, sive, ut vetus Interpres, *fricat,* quæ vox nunc quoque Romæ inter cacophata. Unde *ducere* & *ductare* obscœno intellectu non absimili voce apud Italos, de qua in *Originibus Italicæ linguæ.* Sicut non absimilis sententia, *Et qui olim ductabat Viros, nunc ducit Virum,* quanquam diversa notione. hinc Quintil. viii. 2. inter αἰσχρολογίαν refert: *Conductus est cæcus, secus viam stare,* sc. ad Lanuvii portas. Ferrar. *Elect.* ii. 19.

246. *Endromidas Tyrias.*) Non recte τὸ *Tyrias* explicant, *molliores.* Nam omnes omnino endromides pingues

gues crassæque erant, quippe arcendo frigori, ut ex Sat. iii. constat. Sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura fucabant, quales purpureas Homericorum Heroum chlænas fuisse scimus, qualem & Petronii *coccinam gausapinam*, & apud Nostrum *coccinam lanam*. Ferrar. *de R. V.* iv. 11. vide & Fab. *Agon.* ii. 5. ¶ Duobus locis *endromidas* athletis quasi propriam ac peculiarem vestem attribuit. Græci quidem etiam ἐνδρομίδας athletis tribunt, sed, quod mirere, non de vestis genere, verum de calceis interpretantur. *Salmas.*

260. *Panniculus bombycinus.*) i. indusiolum summæ cuti inductum, quod delicatiores de bombyce habuisse docet Alciphron, *Epist.* i. 39. vide Barth. *ad Claud. in Eutrop.* ii. 337. *p. m.* 1363. ¶ Grangæus hanc differentiam dat, quod Sericum sit ex arborum lana, bombycinum ex vermibus, qui apud Seres lanam suam in ramis arborum texunt. Salmasius nulla alia re distare putat, quam gentis ratione; Præstantissimum enim, ait, apud Seres provenit, quod Sericum appellatum est, κατ' ἐξοχήν. Scio quidem veteres Auctores lanuginem sylvarum appellasse Sericum: sed sciant tirones, lanuginem illam vermium; quos Græci bombyces vocant, fuisse opus, quod multis Auctorum locis comprobavimus ad Tertulliani pallium. *Salmas.* Sed vide tu Is. Voss. *ad Melam p. m.* 266. *et seqq.*

261. *Aspice, quo fremitu* et seqq.) Hæc nimirum matrona *galea frontem absconderat in armatura Mirmillonis*, ut supra de Graccho loquebatur. *Poplitibus sedebat*, quia mirmillones inter pugnandum solebant subsidere, & poplitibus se excipere. Auson. *Mirmillo in armis subsidens.* & sicut Samnitibus, teste Livio, spongia erat pectori appressa pro lorica, ita conjicio pro eadem lorica fuisse huic matronæ *fasciam*, ex pluribus tiliarum contabulationibus *densatam*, veluti quandam tabellarum, instar libri seu codicis, compaginationem, muniendo pectori adversus ictus. Inepte interpretantur de sinuatione vestis, quod fascia succincta pugnaret: nec Vetus Interpres per *Volumen* proprie explicat, quod codicem dicere debuerat. Ferrar. *Elect.* ii. 14.

267. *Gemat.*) Bene dicit *gemat*, non quod doleat animove succumbat, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur. *E. V.*

272. *Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.*) Pueros meritorios scilicet, quique marito in deliciis, quos non minus confictos, quam pellicam confictam detestatur. qui pueros ex marito ipso natos intelligunt, aberrant a vero. Ferrar. *Elect.* ii. 14.

280. *Dic aliquem &c.*) Scite indagat latentem in recessu sensum Rigalt. *de Sat. Juv.* in Prolegom.

293. *Incubuit.*) ceu pestilentia quædam. Lucret. de tantopere celebrata Atheniensium peste:

Incubuit tandem populo Pandionis.

aptissimum verbum ad vim & gravitatem mali exprimendam. Sic & Horat. *cohortem febrium terris incubuisse* queritur. Rutgers. *ad Horat. p.* 10.

297. *Coronatum, petulans, madidumque Tarentum.*) ab ebrietate ita compellat, ut Sidonius *unctam Tarenton* a popinatione perpetua, *molle* a lascivia Horat. *Sat.* ii. 4. *Voluptates* ejus memorat Symmach. *Epist.* vii. 15. *Convivia perpetua* Strabo *lib.* vi. delicias Florus. *Famosum luxum* Claud. *Cos. Manl. vs.* 158. Athenæus eos vitæ summam posuisse in Voluptate, extra hanc omnia adspernentes tradidit, qui videndus. ajebant enim *reliquos mortales laboribus natos, se vero Veneri & Volupiæ non cras victuros, sed hodie viventes.* Barth. ad *l. l. Claud.* p. m. 150. ¶ *Madidum Tarentum*, vel propter vicinum mare: vel, ut verius loquar, propter affluentes delicias. *Dorleans.*

328. *Antro.*) In subterraneis enim fornicatisque sacellis Bonæ Deæ abditissima & propudiosa sacra agebantur. qualia etiam erant sacra Priapi in cryptæ recessu celebrari solita. vide Gonsal. ad Petron. *p. m.* 42.

329. *Admitte viros. jam dormit adulter.*) pro eo, quod est in libris veteribus: *si dormit adulter*, legimus:

Jam fas est: admitte Viros. st! dormit adulter?

ut *st* sit silentii nota. Is. Voss. *ad Catull. p. m.* 139.

330. *Sumto cucullo.*) ne scilicet dignosceretur in itinere, cum matrona fucum factum properaret. Capitol. in *Vero*: *Vagabatur nocte per tabernas & lupanaria objecto capite cucullione vulgari viatico.* Noster *Sat.* viii.

——— *Quo te nocturnus adulter*

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Ferrar. *de R. V.* iv. 21.

331. *Servis incurritur.*) Apulej. *lib.* 10. *Verebatur, ne quo casu juvenilis coloris impetu lapsus, nesciens nesciam sororem incurreret.* Tertul. *de Pudicit.* *Nec enim interest, alienam nuptam an viduam quis incurset, dum non suam fœminam.* Ouzel. ad illud *Minuc. Necesse est in vestras recurrere*, ubi cum Pricæo conjicit *incurrere* legendum, *p. m.* 306.

338. *Majorem, quam sunt &c.*) vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

345. *Clodius.*) Legendum *Claudius*, ut apparet ex vetere Scholiastâ ad h. l. ubi docet hic *au* per τῷ *o* communionem esse. Valla cum videret ea Interpretem annotare, & tamen ita in ipso Juven. legi; putavit scribendum *lodius* pro *ludius*. aliud tamen voluit Scholiastes: non enim *o* & *u*, sed *o* & *au* dicit commutari. Rutgers. *V. L.* ii. 17.

361. *Ac velut exhausta recidivus pullulat arca Nummus.*) Ita priscæ Editiones. Claud. *Gigantom.*

— *Hinc*

— Hinc volucrem recidivo pectore pascit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus.

Vide Heins. *ad Claud. Idyll.* i. *vs.* 66. & Gronov. ad *Senecæ Troad: vs.*472. qui quam plurima de hoc (*recidivus*) verbo.

361. *Redivivus.*) Longe venustior vetus scriptura *recidivus.* Metaphoram enim ab arboribus cæsis & renascentibus usurpat: quod verbum *pullulat* ostendit. *Recidiva autem arborum*, ait Isidorus, *sunt, quæ alii sectis repullulant. Redivivus nummus* non æque bene dici potest. Siquidem *redivivum* est ædificium ex vetusto renovatum, quod ab hoc loco omnino abhorret. Sciopp. *Veris.* iv. 10.

378. *Eunucho Bromium committere noli.*) Scaligerum in hoc loco exponendo fugit ratio, cum longe planiori sensu interpretandus sit. *Eunuchis* nempe tradebantur, qui castrandi erant, horum quippe id erat officium. Is. Voss. *ad Catull.* p. 526. & repete, quæ idem habet p. 164.

379. *Fibula.*) quæ glandis cutem transfigebat. vide de ea Ferrar. *de R. V.* iv. 18. & quæ docte de *Fibula* commentatus est Rhodius *de Acia Celsi* toto *cap.* 6. ubi multa ad lucem Juvenalis adferuntur.

379. *Nullius fibula durat.*) Ridiculum hic veteris cujusdam semibarbari glossema silere nequeo, in membranis mss. viri eximii Alexandri Esteusis, quo hæc dictorum ratio attexitur: *ut habeant memoriam de ipso.* Sed longe alia ratio. vide Rhod. *de Acia Cels. cap.* 6. *pag.* 66.

392. *Pertulit.*) Lege *protulit*; agit enim de proferendis voti verbis solennibus. *Dorléans.*

400. *Paludatis ducibus.*) Explicat hæc Ferrar. de *R. V.* vi. 6.

404. *Quis decipiatur adulter.*) Antiqui codices: *quis diripiatur adulter.* Quod merito probat vir excellenti ingenio & doctrina, Albertus Rubenius. Sententia est, quis a pluribus mulieribus ametur adulter. Eleganter enim ii dicuntur *diripi*, qui multis sunt in amoribus & deliciis. Matt. vii. 75.

Quod te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra.

Senec. iii. de brevit. Vitæ *cap.* 7. *Diripitur ille toto foro patronus.* Id de Ira 23. *Ac tota civitate direptus est.* Sic omnes mss. quod perperam editores non intellecta vi verbi, mutaverunt, monente eodem Rubenio. *Grev.*

419. *Conchas.*) hæ in supellectile fœminarum generatim quicquid ad lotionem, fucum aut talia spectat, videntur designare, forte hoc loco sunt λουτῆρες, in quibus integro corpore lavabantur exemplo Veneris cum concha sua in mari celeberrimæ. Sed vide omnino, quæ de *concha* ejusque varia acceptione diligenter congessit Barth. ad Claud. *Epigr.* 14. *p. m.* 1030.

423. *Dominæ femur exclamare coegit.*) Vocis articulatæ sonus per synecdochen pro quovis strepitu ponitur καταχρηστικῶς. Virgilius: *scopulus illisa reclamant Aequora. Stat.* x. *Theb. gravis exclamet portæ mugitus ahenæ.* Silius, *clamante procella.* ut Homerus βοᾷν Pontum dixit & littora ἠϊόνες βοόωσι. quod inter tropos Homeri observat Plutarch. pro ἠχοῦσι. ut Statius, *licet horrida clament Littora,* iste tamen excusatur, quia ζωοποιοῦσι τὴν θάλασσαν οἱ ποιηταί. immo non mare tantum, sed quicquid libet. nam ut nihil aliud memoremus, quam membra, manus ζωοποιεῖ Plaut. *Amphitr.* pedes *Pseudol.* alibi cor: partes, quæ honeste nominari nequeunt Horat. & Petron. oculos Senec. in *Phœnis.* cur non Juvenalis *femur*? diversum vero est, cum Philosophus disputat de natura, qualis est, & cum Poeta facit Naturam, quod non est: ejus enim solius id imperium. Nec minore audacia Euripides ψαλμοὺς τόξων dixit. Idemque Αὐτῆς βοᾶσθαι, Gronov. *Obs. lib.* ii. *cap.* 17. Vide, si lubet, acutissime exponentem Rigalt. *de Sat. Juv.* in Prolegom.

423. *Femur.*) *Tenerum femur* Horatii & *juvenile femur* sæpius Ovidii, *femur facile* spatalocinædorum Petronii docent abunde hanc vocem Juvenali pro natura muliebri poni, ut recte Rigalt. & alii exponunt. sic & Hebræi utuntur suo ירך & כירך בבפ i. e. *femur* & *egredi e femore.* Saubert. *de Sacrif. cap.* 20.

436. *Committit vates* et seqq.) Subaliter hæc examinat Rigalt. de Sat. *Juven.* in Prolegom.

443. *Laboranti Lunæ.*) Indicat sylvam Auctorum, qui hunc ritum explicant, Elmenhorst. *ad. Minuc. p.* 128.

446. *Crure tenus.*) Pessime hæc acceperunt Interpretes, & afferunt, quæ nihil ad rem. Farnabius etiam logos attulit, quasi vero Oratores tantum, Poetæ, Viri literati & Philosophi tunicas crure tenus gestarent, Sylvano facerent, & quadrante lavarentur. Imo vero perstringit Satyricus mulieres, quæ literas callere videri volebant doctius, quam ut probas deceret. Si ergo, inquit, mulier vult literas tractare, de scriptoribus judicium ferre, philosophari & reliqua, quæ sunt virorum propria, etiam virili habitu incedat, quæque sunt virorum munia tantum peragat. primum est, *medio crure tenus tunicas succingere,* cum mulieres stolis talaribus uterentur. alterum *cædere Sylvano porcum,* id enim tantum viris licitum, ut per caliginem Britannicus vidit, non ut Epicurea, quæ explicatio nihili est. Soli viri *Sylvano* faciebant. qui genius Virorum, ut Juno fœminarum. In vet Inscr. SYLVANO. AUG. i. *Augusti* genio, tutelæ, defensori. non, ut scioli, *Augusto*, vel augustissimo. Glossæ Vett. ms. in Mediolani Bibliotheca: *Sacrificare Sylvano, quod Virorum.*

Quadrante lavari, sicut Vir balneari. Aliæ: *Quadrante, virorum pretium, fœmina vero gratis.* Aliæ: *Sicut mulieres Viri facundiam affectabant, deberent & tunicam suam, sicut Viri, in altum succingere. Viri quando ingredi volebant thermas, ære lavabantur, id est Pecuniam dabant custodibus: fœminæ seipsas pro precio.* Aliæ demum vetustissimæ: *Cadere Sylvano, effici viri. Sylvano mares, fœminæ Cereri sacrificabant. Nam mulieres neque ad tonsores, neque ad balneas publicas eunt.* Postremæ sunt: *Quadrante Lavetur: ut Stoica quadrante lavetur. nam Horatius de Stoico: Dum tu quadrante lavatum Rex ibis.* Sed hoc postremum est ineptissimum: nam viri omnes pro mercede balneatori quadrantem solvebant, unde Seneca balneum *rem quadrantariam* appellavit, ut sciunt, qui nondum quadrante lavantur. Fetrar. *de R. V.* iii. 24.

449. *Curvum sermone rotato Torqueat enthymema.*) Male sic recentiores editiones. Vetustiores & membranæ recte, *curtum enthymema.* Græv.

451. *Palæmonis.*) de quo vide Voss. *Gramm.* i. 4.

459. *Elenchos.*) quid proprie sit *elenchus*, & quæ sit ejus forma multis ad h. l. docet Casp. Bartholin. *de Inaur. Vett. p. m.* 6. 7. 30. 31. & 32. qua figuram *magni elenchi* ære expressam ex Fortun. Schakii *Myrothec.* i. *cap.* 47. habes.

462. *Pane &c.*) Alia erant καταπλάσματα, alia σμήγματα, quibus utebantur ad cutem poliendam, sublatis enim cataplasmatis τὰ σμήγματα adhibebant. *Salmasius.*

465. *Lota cute.*) id est, lomento expolita vel smegmate, sublato ἐπιχρίσει. *Salmas.*

465. *Foliata.*) i. unguenta ex *foliis* facta: vide unice enarratam rationem etymi τοῦ *Foliata* a Barth. *ad Claud. Eutrop.* i. 226. p. m. 1316.

467. *Tectoria prima.*) Cape de fucis illis, quibus domi apud maritos faciem incrustabant; & removebant, ut mœchis placerent, foras proditurae, puta *pane madido ex lacte asinino*: minime autem de *cretæ gypsive* albedine, quam subinde faciei inducebant. nam isthæc sane non *prima* essent *tectoria*, potius secunda, quippe inducta post reposita *prima* vulgo hoc factitari etiam hodie videmus. Interpretes tamen hic parum constantes, in culpa est luxatio versuumque præposterus ordo, quem miror tot doctos viros non animadvertisse. in Vulgatis enim nullo bono sensu, imo valde inconcinno leguntur parumque cohærenti. Mens autem Satyrici Poetæ plane percipietur, si versus 464. 465. 466. sequantur post *vs.* 474. Ita quidem nobiliss. Gonsal. *ad Petron. p. m.* 81, 82. ubi *vs.* 461. laudat *fœda aspectu, teterrima vultu.* *vs.* 464. *Ad mœchum venies lota cute.* & *vs.* 472. *Colleque siliginis offas Accipit & madidæ, facies dicatur, an ulcus?* ¶ *Tectoria* hic vocat panem illum, quo madido faciem linebant, ac veluti tectorio quodam inducebant, ἐπίχρισιν τῷ σιβαννικῷ τοῦ ζωμοῦ, quod tectorium seu καταπλάσματα abstergebant σμήγματι ex lacte asinino, cum ad mœchos irent. Salmas. *in Æl. Spart.*

475. *Si nocte maritus* etseqq.) Invehitur in mulierum Romanorum impotentem lasciviam ac libidinem, quæ *averso* noctu *marito*, bilem, quam in illum evomere non possunt, aut omnem non valent, in familiæ deinde miseræ terga agebant. Petron. *Ejicitur & Proselenos, Chrysis vapulat, totaque familia tristis inter se mussat, quis Dominæ hilaritatem confuderit.* Barth. *Advers.* v. 8. ubi Satyram vi. *divinam* appellat.

476. *Libraria.*) Librariam intelligi volunt, quæ exscribit dominæ libros. Sed an non palmam demus Glossulæ Pythœanæ *Libraria lanipendia*: quæ ancillis nempe distribueret appenderetque lanam. & inde pensa. Phil. Ruben. *Elector.* ii. 26.

477. *Cosmetæ.*) Non sunt ancillæ, ut placet interpretibus, sed ornatores: qui ponunt tunicas ad pœnas. *Salmas.*

483. *Longi relegit transversa diurni.*) Rationes domesticas accipit, quæ, quod quotidie relegerentur, *diurnum* vocat. Sen. *Ep.* 122. docet eas aliquando immaniter a servis exactas: *Audio circa horam tertiam noctis flagellorum sonos: quæro, quid faciat, dicitur Rationes accipere.* Sed vide elegantissime, ut solet, de de hoc Juvenalis loco disputantem Gonsal. *ad Petron. p. m.* 113.

486. *Præfectura domus.*) ita est in mss. nostris, & aliorum; quæ genuina est lectio. atque ita nunc etiam meliores editiones. imo jam olim ita legendum putavit Georgius Valla Placentinus: non ut Ferrettus, *processura domo.* Voss. *Gramm.* ii. 19. ¶ *Præfectura* Supp. *Est.* Quod per exclamationem legendum. Administrat & gubernat ædes. Vel in tali domo vel familia, administratio, præfectura, & gubernatio nihilo mitior & clementior est, quam quæ fuit in aula Sicula, tempore crudelissimorum tyrannorum Phalaridis, & Dionysiorum. *Scheg.* procem. 5.

489. *Isiacæ lenæ.*) Vide Ouzel. & Elmenhorst. ad illud *Minuc. p. m.* 237. *Inter aras & delubra stupra conducuntur.*

495. *Pectitque comas.*) non sane est ad meum stomachum hoc Juvenalis: genuinum Poetæ esse existimo *plectitque comas*: id est complicat & concinnat in annulos. Phil. Ruben. *Elect.* ii. 27.

503. *Aedificat.*) Id non inelegantur Lucian. ἐμπλοκὴν κόμης appellat, eandemque capillorum struem satis exprimit Lucan.

Turritaque gerens frontem matrona corona.

Sed

Sed vide h. l. eleganter illustratum a Casp. Bartholin. *de Inaur. Vett.* p. 9. 12. & p. 11. nummos *Plotinæ* & *Sabinæ* in ære exhibitos, qui oculis subjiciunt hunc ipsum Juvenalis locum.

504. *Nullis adjuta cothurnis.*) Vetus liber *adjuncta*, quod multo elegantius vulgato. Parvam puellæ staturam exprimit, dum eam cothurnis *adjunctam* ait: sicut Cicero de genero suo: *Quis meum generum alligavit gladio?* Sciopp. *Verisi.* iv. 10.

512. *Ingens semivir.*) i. Archigallus, quem Tertull. in *Apologet.* vocat *sanctissimum*, ironice quidem, sed tamen ex more Gentilium. *ingentem* Noster vocat, ad differentiam aliorum Gallorum, quos *obscænos minores* vocat. vide If. Voss. *ad Catull.* p. 164. ¶ Satyrice. Est autem descriptio summi Sacerdotis, qui *semivir* ob abscissos testes, & in ingenti existimatione, quod ingenti sit membro, ut ideo *facies* dicatur *reverenda obscæna minori*, i. e. sacerdotibus reliquis, qui minus habeut membrum virile. *E. V.*

513. *Mollia qui rapta.*) legerem libenter *fracta*. Ramires. ad *lib.* iii. *Epigr.* 81. Martialis.

516. *Phrygia tiara.*) Galea sacerdotis fuit, quæ per malas veniens mento subligabatur. unde lux Val. Flacc. *lib.* vi. *Phrygius* dicitur etiam *amictus*, quem Gyraldus *de Diis Syntagm.* xvii. accipit de tutulo Romano, & Fulgent. ad Chalcidium, ait fuisse pallium, quo sacerdotes ad sacrificium accedentes caput tutabantur. Soler. *de Pileo* §. 11. cui junga Salmas. *Ex. Plin.* p. 556.

519. *Et xerampelinas veteres donaverit ipsi, Ut quicquid subiti & magni discriminis instat, In tunicas eat, & totum semel expiet annum.*) Male vulgo hæc & corrigunt & interpretantur, ac si moris fuisset istis Cybeles Sacerdotibus vestes matronarum igni cremare, aut in compitalibus lustrationis gratia suspendere. Quin potius ipsimet Galli eas induebant, utpote qui exsectis virilibus illico habitum virilem muliebri permutarent. hinc in antiquis Marmoribus passim Galli visuntur in stola muliebri. idem de Deæ Syriæ Gallis tradit Lucianus. habitus autem Gallantium erat lugubris. *Xerampelinus* vero color, quisnam sit indicat & nomen ipsum, & Scholiastes, qui eum ait esse medium inter coccinum & muricem. Plinius rectissime *pullum*. interpretatur. vide If. Voss. *ad Catull.* p. 168.

519. *Et xerampelinas.*) Xerampelinus color est, quem videre est in *arefactis vitium foliis* ut Jul. Cæsar Scaliger, *Exercit.* cccxxv. *sect.* x. innuit.

525. *Nuda ac tremebunda.*) rependo. If. Causaub. ad Suetonium in Augusto accipit hunc locum pro nudipedalium superstitione:

Huc pede matronam nudo descendere vidi.

ut canit Ovid. vi. Fast.

533. *Grege calvo.*) Herodotus *lib.* iii. & ex eo Synesius tradunt Aegyptios sacerdotes quotidie totius corporis pilos derasisse, nequid sordium in peragendis sacris excidens divinum cultum contaminaret, hinc Commodum Imp. sacris Isidis operaturum caput rasisse testatur Spartianus. hinc & Isiacorum *calvities* per omnes Auctores celebratur. Ferrar. *Elect.* ii. 13.

533. *Qui grege linigero* &c.) Vide Ouzel. & Elmenhorst. *ad Minuc.* p. 166. ad illud *Calvis sacerdotibus*, ubi hic locus plene enarratur.

535. *Ille* &c.) Horum versuum sententiam nemo recte explicavit. Matronæ quæ in casto Isidis aut Cereris erant, concubitu abstinebant: & per eos dies quibus castum observabant, secubabant a lectis suis ac toris genialibus, & stramentis incubabant in templo ipso, in quo & pervigilia celebrari mos fuit. Sic mulieres θεσμοφοριάζουσαι apud Athenienses, per totos sacrorum dies stramenta habebant in templo, quibus incubarent. Ea stramenta ut plurimum iis herbis ac foliis farta fuere, quæ castitati conducere existimantur. Maritus ergo ejus mulieris, quæ sacris observandisque diebus non abstinuerat concubitu, cogebatur pro ea veniam petere per sacerdotem, & magna mercede ac pœna violatum Cadurcum redimere. *Violatum* autem *Cadurcum* sive stramentum intelligo ab illa muliere, quæ in casto non fuerat, nec stramento incubuerat cum reliquis ἁγνευούσαις. Sic *Cadurcum* pro stramento omni, quum proprie culcita sit ex lino Cadurcensi. Salmas. *Plinian. Exercit.* p. 938. & 1170.

536. *Violato pœna cadurco.*) Ita est in omnibus libris: in codice vero, qui penes me, scripto (quo modo & alii in aliis, licet non probent) invenio *pœnæ caduceo*. Et erit *violatum caduceum*, ipsum numen, seu ut Aurelius locutus, *genituræ præstes deus.* Pontanus *ad Macrob. Saturn.* i. 20.

537. *Cadurco.*) Interpres vetus, ex quo etiam Isidorus τοῦ *Cadurci* illam notionem transcripsit, male hoc loco pro pudendo accipit, cum nihil aliud sit, quam lodices, stragula & culcitæ ex lino *Cadurcensi*, & apud Juvenalem sumatur pro lecto, quod ipsum & Sulpiciæ versus Scholiastæ laudati evincunt, ubi vult ne *cadurcis fasciis* sive stragulis remotis *nudus concubitus* appareat. *violato cadurco* itaque est, quando *diebus observandis* mulier *violasset* lectum, tum ea a sacerdotibus *violati cadurci* veniam petere debebat. Vidit hanc sententiam Britannicus Interpretum Juvenalis doctissimus, ut mirer viros doctos prodidisse horum carminum sententiam a nemine recte explicatam. Ferrar. *de R. V.* iv. 22. adde Voss. *Lexic.* & Soler. *de Pileo.* §. 15.

538. *Movisse caput.*) adeas Salmas. *Ex. Plin.* p. 341

545. *Arboris.*) Respicit *vitem auream* templi Jerosolymitani, quam in Jovis Fidii templum, quod in Capi-

Capitolio erat, transtulit Pompejus. vide Is. Voss. *ad Catull. p.* 200. ¶ Referunt hoc omnes ad nemus Egeriæ, quod inhabitabant Judæi. Ruben. *Elect.* ii. 26.

546. *Implet.*) Legunt & distinguunt alii hoc modo, *Implet & illa manum, sed parcius: ære minuto Qualiacunque voles &c.* Ut sensus sit distinctus, illa dat quidem, sed parca manu, vel implet quidem manum, sed rebus frivolis: & tum aperitur nova sententia. *E.V.*

547. *Judæi.*) hos hoc loco pro Chaldæis somniorum interpretibus poni multis, at, ut videtur, nolente Juvenale, disputavit Barth. ad *Claud. in Eutrop.* i. 357. *p.m.* 1328.

566. *Tanaquil.*) Pro qualibet superstitiosa ponitur, qualis fuit illa Tarquinii Prisci uxor Astrologiæ peritissima, quæ Mathematicæ fuit studiosissima. Tanaquil est uxor imperiosa, ut apud Auson. *in Ep. Tanaquil tua nesciat illud.* E.V.

573. *Ephemeridas.*) quæ continebant observationem τῶν ἐμπρακτικῶν καὶ ἀπράκτων dierum, & τῶν καταρχῶν, qua die, qua hora aliquid esset incipiendum, ut feliciter succederet. Talis Ephemeris erat & illa tabula Petroniana in ædibus Trimalcionis, quæ distinguente bulla notabat, qui dies boni quique incommodi essent, (*eosque, ut credo, exactos ad Domini genesin.*) πίνακες, Sexto Empirico vocari videntur, hinc ipsa Astrologia judiciaria πινακική, a qua diversa, κανονική, quæ est ἀστρονομία. Vide Salmas. *de Ann. Clim. p.* 52. 55. & 838.

576. *Numeris revocata Thrasylli.*) *Numeri Babylonii* Horatio. Hora enim natali posita, in supputatione tota res consistebat, quæ per tabulam calculatoriam fiebat. Vetus Epigramma de Astrologo:

> Οἷς δὲ λαβὼν ψηφῖδας, ὑπὲρ πίνακός τε κυκλῶν
> Δάκτυλά τε γραμμάτων φθέγξατο Καλλιγένει.

Salmas. *de Ann. Clim.* p. 54. Vide & Menag. ad *Laert. pag.* 81. *lit.* c.

578. *Ex libro.*) Falluntur viri docti, qui hæc & sequentia de *diebus Aegyptiacis* accipiunt; quos Virgil. alicubi *felices operum*, & Græci ἐμπράκτους appellant ἡμέρας. *Dies* enim *Aegyptiaci* ut certi erant & stati in unoquoque mense, ita facile a quolibet memoriæ poterant infigi atque observari, ut non esset necesse *ex libro sumere*, aut *Ephemerides* consulere, aut Mathematicum interrogare, quæ hora esset *apta capiendo* pharmaco aut *cibo*. Qui autem dies Aegyptios observabant, tam bene illos noverant, quam digitos suos aut nomen. At præter eos dies, qui communiter omnibus erant inepti ad aliquod opus incipiendum, & de quibus omnibus erat notum, quod haud bonus exitus daretur operi illis diebus cœpto, fuere & alii, quos Genesis singulis hominibus infaustos dabat ad aliquid aggrediendum. & de his consulebantur Mathematici, qui tum Genesin cogebantur inspicere illius, a quo interrogabantur, & suas ephemeridas, ut quæstioni responderent. Si quis igitur ingredi iter, ædificare domum, uxorem ducere etc. vellet, quis dies ad hæc eligendus aut vitandus esset, inquirebat apud Mathematicos. vide si vis, Salmas. *de Ann. Clim.* p. 818—822. ubi multa non protrita ad Juvenalis lucem adferuntur. has vero dierum electiones perstringit August. *de C. D.* v. 7.

578. *Si prurit* et seqq.) Ex libris Ἰατρομαθηματικῶν συντάξεων, quando cibus aut catharticum dandum esset ægrotis, colligebant, & quando quidquam rerum in vita agendarum auspicandum. Salmas. *de Ann. Clim. p.* 52.

581. *Petosiris.*) Hic enim & Necepso erant auctores τῆς κλιμακτηρικῆς ἀγωγῆς, i. artis illæ, quæ ex Climactericorum annorum enumeratione, habita simul siderum ratione exponit, quid cuilibet nato contingere possit. Hic ipse est Petosiris, cujus Ptolemæus sub Ἀρχαίου nomine meminit aliquoties. vide Salmas. *de Ann. Clim. p.* 76. & 353.

589. *Nudis cervicibus.*) Hic plebejam mulierem inducit Poeta, nudis cervicibus longum aurum sive monile gestantem. Quod quia vix credibile viris doctis visum est, pro *nudis*, *nullis* reposuerunt; cum nihil opus sit correctione, verbis illis vitæ liberioris mulierem denotantibus. Nam cum matronæ ita stola talari & manuleata opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret; contra libertinæ & quæ licentiam stupri vulgaverant, non cervice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis ac seminudis erant. Sed quid opus conjectura? Nonne Ovidius hæc clare i. *de rem. Am.*

> *Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur*
> *Omnia: pars minima est ipsa puella sibi.*

Atqui paulo post subjungit:

> *Thais in arte mea est, lascivia libera nostra est,*
> *Nil mihi cum nupta: Thais in arte mea est.*

Sed quod magis mirum jure videbitur, iisdem (*lib.* ii. *de Art. am.*) etiam purpuram & quidem Tyriam adsignat, vestemque auratam. *Ferrar.*

589. *Quæ nudis longum ostendit cervicibus annum.*) *Annum* reposuimus pro *aurum*, uti vulgo inepte legitur, & ineptius etiamnum a Viris doctis exponitur. *Longum* nempe *annum* vocat, quem *longum* & tædiosum faciat frigus. hanc emendationem nostram confirmant sequentia, ubi muliercula iste quærit, num rectius factura sit, si caupone relicto nubat negotiatori sagario, qui nempe frigus arceat. Sic Mart. x. 5. *decembrem* vocat *longum*, quem triste frigus extendat, jam vero omne tempus tædiosum est longum præcipue miseris, ut ea ratione & Catullus *longam* sibi adscripsisse *ætatem* videri queat. Is. Voss. *ad Catull.* p. 304.

590. *Ante phalas.*) *Falas* fuisse turres rotundas, quarum fastigium ovi referebat imaginem; & ova Circensia

censa fuisse machinas ex ligno, ovali figura factas cum basi, qua sisti possint ac erigi: potuisse enim hinc inde transferri putat Salmasius. *Falas* fuisse turres Veteres consentiunt. fuisse rotundas & ovali figura fastigiatas ab illis non proditur. Festus: Falæ, *inquit*, dictæ ab altitudine a falando, quod apud Etruscos significat cœlum. Serv. ad ix. *Æn.* Falæ, turres, divisiones in circo inter Euripum & metas. *Divisionem* intelligit aggerem sive spinam circum intersecantem, in qua illæ turres, & ita interposita erat inter Euripum spectacula ambientem, & metas hinc inde ad caput aggeris positas. Sed quomodo turres illæ erigi ac transferri possent, nemo dixerit. ipsæ ovales machinæ non turribus, sed columnis impositæ erant, ut in antiquis nummis manifestum est, atque inde erigi & moveri poterant. Itaque credibile est, *Falas* nihil aliud fuisse, quam obeliscos aggeri impositos, ut ibidem apparet, instar turrium sublimes. Cur enim *ova* turribus, *delphines* autem columnis imponebantur, cum ejusdem rei caussa apponerentur? Et Panuinius quidem atque alii jam pridem docuerunt, tam *ova*, quam *Delphines* fuisse machinas ligneas; *ovorum* ac *delphinorum* figura, ad quadrigatum curricula numeranda & distinguenda, ut ad singula spatia & metæ flexus, qui septem erant ovum ligneum, quod erat exemtile; auferretur; ex quo numerus curriculorum intelligebatur, quales figuræ in antiquis nummis ac monumentis plurimæ apud Panuinium apparent. Idque ex Livio notum *lib.* XLI. *Et carceres in Circo, & ova ad notas curriculis numerandas.* & Dione *lib.* XLIX. & ante hos Varr. *lib.* i. *de R.R. Non modo non ovum illud sublatum est, quod ludis Circensibus novi curriculi finem fecit quadrigis.* Ex quo apparet singulis curriculis, unum ovum fuisse sublatum. Ferrar. *Elect.* ii. 15.

590. *Delphinorumque columnas.*) Cur *Delphines* in Circo etiam apponerentur, qui explicaret, nondum reperi. Cum quatuor essent Circi factiones, a tunicæ coloribus distinctæ, *Veneta, Prasina, Alba & Russata*: duæ tamen præcipuæ & scriptoribus celebres *Veneta* & *Prasina*: nam altera *Venetæ*, altera *Prasinæ* adhærebat. Et *Venetæ* quidem pannus, id est tunica, cærulea, a colore maris; *Prasinæ* viridis a porraceo colore sive a terra viridante. Cum ergo duæ illæ factiones in Circo de victoria bigis & quadrigis certarent, ut intelligeretur, quænam prius metam septies flecteret & septem, illa curricula conficeret, necesse fuit, utriusque factionis curricula & spatia denotari ac numerari, ut inquam, intelligeretur, quot quæque spatia confecisset, ne vel errore vel fraude plura curricula numerarentur. Non enim ova utrique factioni curriculorum numerum notare poterant: unde etiam delphines appositi. Cumque *Venetæ* factionis agitatores, essent rei maritimæ studiosi, *Prasinæ* autem reliquus populus continentis incola, ut agricolæ, mercatores, & reliqui: factum inde est, ut *Venetæ* aurigationis nota & insigne, atque index *delphin* esset; *Prasinæ* autem i. e. terrestris studii *ovum* sive lignea ovalis machina. Quare cum Romæ longe major numerus esset populi a re maritima alieni, *Prasina* factio prævalebat. Unde Juv. *Sat.* xi. Totam Romam magna exspectatione fuisse *in eventu viridis panni*, nempe ob victoriam Prasinorum; etiamsi contrarium aliquando imperitantis studium esset. Ex eo etiam factum suspicor, ut in argenteis nummis Romanarum familiarum sub bigis & quadrigis modo tridens, modo spica conspiciatur, ut illo Venetorum victoria, hac Prasinorum indicaretur. Ferrar. *Elect.* ii. 15. adde Salmas. *Ex. Plin. p.* 912. Parrhas. *Epist.* 28.

598. *Aggere.*) vide Ryckq. *de Capitol. c.* 4.

616. *Tremuli* &c.) Interpres vetus pileum interpretatur, & pelliculæ instar esse ait. Quod nescio quomodo convenire possit cum Aristotele & Plinio, qui tuberculum esse produnt, caricæ simile. Nec enim *pileum* dici potest hujusmodi parva caruncula fronti innata. Sed τὸ χόριον confudit ille Scholiastes, hoc est, membranam sive pelliculam, qua involvitur fœtus, quamque adeo equa ante partum projicit. Et πίλιον vocabatur illa membrana. *Salmas. E. P.* p. 939.

633. *Pappas.*) adi Voss. *in Lexic.* & *de Vit. Serm.* i. 7.

634. *Fingimus* et seqq.) vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Prolegom.

638. *Feci.*) Qui quæve hominem interfecerat, cæde perpetrata, solebat proclamare: FECI. Varro *de R. R. lib.* i ipso fine: Ille, *ait*, flens narrat abs nescio quo percussum culiello concidisse, quem, qui esset, animadvertere in turba non potuisse, sed tantummodo exaudisse vocem PERPERAM FECISSE. Quint. *Declam.* ix. *Miser ergo nec ad cadavera accessi, non in sepulcra majorum meis manibus intuli, nec licuit super ipsa corpora proclamare:* NON FECI. hinc Quæsitores olim seu Prætores, qui de crimine aliquo publico cognoscebant, reo convicto, pronunciare soliti: FECISSE VIDETUR. cujus formulæ meminit Cic. extrema *Orat.* in *L. Pison.* alibique. Scriver. *ad Mart.* ix. 15.

Ad SATYRAM VII.

E*T spes* &c.) Neronem hoc versu palpari notat vetus Interpres, inepte. nec aptius est, quod in eadem Satyra versum hunc

Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos,

de Nerone accipit, & propter hunc versum in exilium a Ne-

a Nerone missum Poetam scribit. atqui tradunt Eædem glossæ ad *Sat.* iv. a Domitiano relegatum eum fuisse sub specie honoris in Ægyptum, ad cohortis curam, ut hinc clarescat, non ejusdem Auctoris esse glossularum illarum compilationem. Salmas. *Plin. Exercit.* Grangæus quidem de Trajano intelligit, sed errat. Nam a Domitiano fuit in exilium ejectus Juvenalis. Scripsit vero hanc Satyram ante exilium. *Grav.*

8. *Nam*, &c.) Sunt qui hic pro *arca* legant, *umbra.* Sed prius melius, ut sit, si componis carmina *nullos referentia nummos.* E. V.

12. *Alcitheon Pacci.*) Ita e suo cod. publicavit P. Pithœus. Alii aliter, ego *Alcithoen* scribendum puto. Puto autem intelligi fabulam *Alcithoes*, quæ cum pertinacius Bacchi numen spreverit, in vespertilionem mutata est. Rutgers. *V. L.* ii. 17.

15. *Cappodoces.*) Cui non nota τρία κάππα & epigrammata in Cappadoces? notatu dignum, quod prodit Vetus Interpres Persii ad *Sat.* vi. *vs.* 77. nempe *Cappadoces habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda; quia nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, & dum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia bene se venundarent.* If. Voss. *ad Catull. p. m.* 34.

19. *Eloquium* &c.) Casaub. *in Theophr. char.* p. 341. Rhodig. *A. L.* v. 7. Gyrald. *dial.* 16. Realin. *Annot.* c. 1.

23. *Croceæ membrana tabellæ Impletur.*) Hæc verba, quia non intellexerunt, immutare conati sunt nonnulli contra Vett. exemplarium fidem. Capiti scripturæ, hoc est extimæ voluminis oræ in aversa parte, agglutinabatur frustum membranæ, quod erat velut operculum & tegumentum voluminis. Fiebat hoc autem non tantum ad muniendam chartæ fragilitatem, sed & ornatus gratia; hæc quippe membrana vel *croco*, vel minio, aut etiam purpura tingebatur, ita tamen, ut color interior discreparet ab exteriore, unde *bicolor* Persio dicitur *membrana.* & hanc Juvenalis intelligit. vide plura apud If. Voss. *ad Catull. p. m.* 52. 53.

29. *Ut* &c.) Eo dicit, quod plerique Poetæ nimiis studiis & lucubrationibus pallorem & maciem sibi contraxissent. Vel quod exile sit præmium: Uti nos, *het is een magere loon.* E.V.

29. *Et*, &c.) Al. *At.* Sin vero ut famam & honorem consequaris, cupias recitare, illi divites domum quidem in qua recites tibi accommodabunt, cæterum sumtus & impensas ipse sustinebis. *E. V.*

39. *Propter mille annos.*) Rigalt. videndus *de Sat. Juv.* in Proleg. & Salmas. *Ex. Plin. p.* 866.

52. *Et ægro*) Nullus dubitem scribendum esse, *ægre.* scribendi hoc cacoethes *ægre*, hoc est, difficulter senescit in pectore. Magna cum difficultate, vix unquam scribendi carmina cupiditas expellitur. *Grav.*

70. *Caderent omnes* &c.) Vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

72. *Rubrenus Lappa Cothurno.*) Legerem libenter, *Rabienus Lappa.* & nisi me animus fallit, intelligit de quodam Rabieno, mordaci & amarulento ingenio, qui *Rabienus* ideo dictus est, vocatque illum *Lappam* ob mordacitatem: illi enim, ut dicebat idem Poeta: *Ulcus in ore Putre, quod haud deceat plebeja radere beta.* Dorleans.

79. *Contentus fama jaceat Lucanus in hortis Marmoreus. Sed Serrano tenuique Saleio.*) Ita scribendum, non *Marmoreis.* at &c. aut si malis hoc indulgere Poetæ: *Marmoreus. At Serrano* &c. Nam *horti isti Marmorei* nullius usus. Horat. *lib.* ii. *Sat.* 3.

Latus ut in Circo spatiere, aut æneus ut stes.

Gronov. *Obs. lib.* iii. *cap.* 13. ¶ Alludit, ut puto, ad vet. Inscr. in qua dicitur NERONIS BENEFICIO Lucano servata fama. Barth. *Adv.* xxxv 5.

87. *Intactam.*) Glossa, quam in duobus mss. altero vetustissimo, altero non adeo prisco, sed mirum in modum fideli, reperi, exponit: *nondum a se recitatam,* Barth. *Advs.* xxvii. 17. apud quem plura in hujus glossæ confirmationem vide.

88. *Ille &*, &c.) De Paride loquitur, & in illum salse hæc dicuntur, qui histrio cum esset, plurimum apud Imperatorem valebat. *Semestribus militiolis tumentem* Scholiastes dicit, qui favore & suffragio Paridis semestrem tribunatum meruerat. Legisse ergo videtur apud Juvenalem:

Ille & militia multis largitur honorem
Semestri, vatum digitos circumligat auro.

Per *militiam semestrem* intelligit tribunatum semestrem cujus mentio apud Plin. *lib.* iv. *epist.* 4. rogat Calvisium Nepotem *tribunatu semestri* splendidiorem faciat. Per *digitorum aurum*, annulos aureos & dignitatem Equestrem. Sed quod Juvenalis separavit, in unum jungit auctor ille, ut fortasse legerit:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Nam vatem semestri militia tumidum dicit, non equestri dignitate. Fuere Tribuni Laticlavii, & Angusticlavii, quasi secundi ordinis tribuni. Angustus clavus Equitum nota, & annuli aurei. Ex eo genere & nota fuisse constat Tribunatus semestres, qui equitibus tantum, aut equestri dignitate donatis conferebantur. Ita Poetis suis Paris Pantomimus semestres tribunatus, & jus annulorum simul donabat. Ideo hujus generis tribunorum *semestre aurum* vocat, quia ut dignitas eorum semestris, ita & insigne. Nam aureos ferunt annulos inter militantes Tribuni, (ut testatur Appianus) cum alii inferiores ferreos gestent. Ridiculus porro vir magnus

est

est, Grangæus, qui *semestre aurum* idem esse docet, quod alibi ab eodem Poeta *æstivum aurum* dicitur. Salmas. *Plin. Exerc.* p. 450. adde Kirchm. *de Ann. cap.* 17. Turneb. xx. 2. Rubenius legendum censet:

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semestrem, vatum &c.

93. *Haud tamen invideas Vati, quem pulpita pascunt.*) Loquitur de Statio, qui cum recitando Urbem lætam faceret, magnaque dulcedine captos animos afficeret, & inter plaudentes subsellia versu frangeret, esuriturus erat, nisi fabulam *Aganen* Paridi tradidisset, quam ille in pulpito desaltaret. Non igitur invidendam erat pauperi Poetæ, qui tragœdias pantomimis vendendo vitam tolerabat. Non quod ajunt Interpretes, qui recitandis carminibus nutriebatur. Nihil enim ille recitatione sterili, præter acclamationes, lucrabatur; nec in *pulpitis* recitationes habebantur, sed in iis taciti histriones saltabant fabulas, quas a Poetis mercabantur. *Sat.* iii.

——— *Tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium. ———

Ferrar. *Elect.* ii. 11.

118. *Figantur* &c.) de hoc ritu Sagittar. *de Janu. Vett. c.* 30. §. 22.

118. *Scalarum.*) Proprie hic intelliguntur eæ, quibus a plano pede ædium in cœnacula ascendebatur, sive cochleatim irent, sive acclinatim recumberent. Salmas. *de Ann. Clim. p.* 70.

120. *Epimenia.*) Vide Casaub. *in Athen.* ii. 22. Voss. *in Lex.* Salmas. *de Mod. Us.* c. 4.

128. *Statua meditatur prælia lusca.*) *Statua lusca* est, quæ dimidiato vultu pingitur, qualis est illa Sagittarii in Palatio Farnesiano. Scalig. *ad Manil. p. m.* 134.

134. *Stlataria purpura.*) Interpretes hanc pro *lato clavo* accipiunt, quod Veteres Festo & Quintiliano auctoribus *stlato* pro *lato*, *stlitem* pro *lite* dicerent, quod si verum, nulli tunc caussidici in precio, nisi qui & senatores, quibusque lati clavi jus. nisi malimus de lacernis interpretari, quas ex *Sat.* xvi. constat in caussis agendis adhibitas, ubi *facundus Cæditius ponit lacernas.* Ferrar. *de R. V.* iii. 12. Vide etiam, quæ ex eodem adferemus ad *vs.* 135. & xvi. *vs.* 45. ¶ *Stlatarium* de istis proprie rebus dicitur, quæ mari portata sunt, & quasi *stlata* advecta, de qua voce Festus videndus. Bosch. *in Petron. p. m.* 38. adde & Turneb. xix. 31. Voss. *in Etymol.*

135. *Purpura vendit* &c.) i. Lacernæ *purpureæ* & *amethystinæ*; nam toga nulla Oratoribus purpurea, sed communis: nisi de lato clavo intelligimus, quod fieri non potest, quia non omnes patroni laticlavii, deinde nullus *amethystini* usus in clavo, non nisi ergo de lacernis aut lænis intelligere possumus, quæ togæ injiciebantur. atqui Auctor de *causs. Corr. Eloq.* eorum temporum æqualis, indignatur togas ab Oratoribus depositas, & sumtas earum loco pænulas. (unde obiter nota, non esse eum dialogum adscribendum Quintiliano, qui solam togam in Oratoris habitu agnoscit, non dissimulaturus pænulæ incommodum, si suo tempore oratoriæ majestati offecisset.) Ferrar. *de R. V.* i. 33. Noster tamen Juvenalis *Sat.* viii. *plebem togatam* caussas agentem inducit, quæ his videntur contrariari. nisi dicamus a paucis *pænulas* usurpatas, nec diu obtinuisse, cum sequenti seculo ad *togam* redierint caussidici. Idem *l. l.* v. 2.

142. *An post te sella.*) Malo cum Rittershusii vet. ms. Cod, *posita an sit sella.* & viri docti non ingrate, ut arbitror, libri illius scripturam amplectentur. Sciopp. *Verisi.* iv. 10.

154. *Crambe.*) Creditur in hoc versu allusisse Juvenalis ad proverbium Δὶς κράμβη θάνατος. Sed in plerisque manuscriptis *Cambre* legitur: quod in suo etiam codice invenisse se testatur Jo. Pincier. *Parerg.* iv. 5. Legit item hoc pacto Domitius Calderinus: sed interpretationem ejus mire exagitat Politianus *Misc.* c. 33. Voss. *Etym. p.* 77.

174. *Qua vilis tessera venit.*) vide Schott. *Nod. Cicer.* ii. 6. Lips. *Elect.* i. 8.

188. *Unde igitur tot* &c.) Vide omnino Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

192. *Lunam.*) Multis Grangæi sententiam *fibulam* exponentis τὸ *Lunam*, adserit Rhodius de *Acia Cels. cap.* 5. *pag.* 16 — 20. ubi non protrita ad hujus loci lucem.

192. *Nigra alutæ.*) Vide Ferrar. *Analect. cap.* 31. &, ubi late contra Rubenium de hoc loco disputat, *cap.* 34.

196. *A matre rubentem.*) quales *sanguinolenti infantes* vocantur Constantino in Cod. vide Barth. *Advs.* xxiii. 16.

207. *Umbris.*) Quod Grangæus per *umbras* sepulcra intelligit, hoc futile est, quia sc. essent in sepulcretis arbores, quæ umbram facerent. Sed revera notum est, per *umbras* intelligi ipsos defunctorum manes, & hoc loco cineres, reliquias corporis mortui. *E. V.*

241. *Oculosque in fine trementes.*) sunt, qui legunt *patrantes*, atque hi se tuentur auctoritate interpretis Persiani. Sed falluntur: Nam & ille Vineti & Pithœanus habent *trementes*, non *patrantes*. Prior tamen videri possit *patrantes* legisse, nisi vel cœco pateret trajectionem verborum factam, legendaque ea verba prout in Pithœano recte sunt edita. *Vossius.*

Ad SATYRAM VIII.

M*Ulta contingere virga.* verf. 7.) Petri Divæi codex habet:

— Virga deducere multa
Famosos. &c.

Multam virgam vocat multos lictores. Lipf. *Epift. Quæft.* iv. 15.

8. *Famofos.*) Quoniam ignis Latium affervabatur iu atrio, fieri non potuit, quin fumo offufcarentur imagines. Sagittar. *de Janu. Vett. c.* 27. §. 5. Brod. *Mifc.* i. 13. Valerian. *Hieroglyph.* LI. 19.

43. *Quam quæ ventofo conducta fub aggere texit.*) Mulier paupercula, forte militis alicujus contubernalis, quæ in caftris vento perviis, mercede conducta telam texebat. Tiberius enim Romæ caftra conftituit, quibus Prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus, & per hofpitia difperfæ, continerentur. Ea inter portas Viminalem & Tiburtinam fita, Urbisque muris conjuncta, oftendit Panuinius, unde *agger* dicta funt. Vetus Scholiaftes: *Juxta aggerem primus pofuit caftra Sejanus, id eft fuper Diocletianas, quæ dicta funt caftra Prætoria.* Ferrar. *Elect.* ii. 6.

49. *Plebe togata.*) ea non eft minuta & fordidior, ut volunt Interpretes, fed quæ judiciis, eloquentiæ & cauffis agendis dabat operam, & propterea in *toga*: unde præter falutationis officium etiam penes aliquos *togam* remanfiffe oftenditur Juvenalis ævo. *Togam* autem Cauffidicorum fuiffe geftamen, etiam Symmachi & Aufonii ævo, docuit ad Symmachum v. 39. & ix. 28. Juretus, qui plurima illic congeffit, ut probet *togatos* a Jctis inferioris ævi pro *advocatis* accipi. vide Ferrar. *de R. V.* i. 34.

53. *Hermæ.*) Quos Juvenalis *marmoreos* facit, eos etiam æneos fuiffe innuit Cic. *Attic.* i. 6. de iis Sagitt. *de Janu. Vett. c.* 34.

63. *Si rara jugo* &c.) Schott. *Nod. Cic.* i. 15.

78. *Stratus humi* &c.) Schott. *Obferv.* ii. 21.

86. *Fregit fubfellia.*) Vide quæ ad i. 13. attulimus, ex Græv. *Lect. Hefiod. cap.* 20. ubi plura ad hunc locum.

101. *Spartana chlamys.*) quæ ex purpura Spartana. Puniceis enim in bello tunicis ufi. vid. Meurf. *Mifc. Lac.* ii. 19.

101. *Conchylia Coa.*) Acron ad Horat. iv. 13. *Coa, pretiofa a loco: in hac enim infula melior purpura tingitur.* hinc etiam eft, tefte Steph. *in Ethn.* ut infula Nifyrus, tam vicina Co, ut crederetur ejus effe fragmentum, diceretur καὶ Πορφυρὶς ἀπὸ τῶν ἐν αὐτῇ πορφυρῶν. Pates itaque notanter Satyrico *Coa* fuiffe dicta. Bochart. *Phaleg.* iii. 4.

114. *Refinata.*) Brodæus legit *quid enim refinata*, quia in Mart. iii. 67. legi putabat *Veterno refinaque pigriores.* vide eum ad Mart *l. l. p.* 181. ¶ Diverfa lectio eft: Raderus legit *nec refinata*. Baptifta Pius *quid enim refinata*: Melior noftra lectio, nam duæ primæ in *refina* funt longæ. *E. V.*

117. *Parce & mefforibus illis* etfeq.) Mirifica namque Africæ fertilitas Romam magna ex parte fuftentabat: quod multis crudite oftendit Bochart. *Geogr Sacr. p.* 535 — 541. unde & in Notitia Imperii, Africæ fymbolum eft mulier binas utraque manu fpicas oftentans, & fub pedibus duas habens naves frumento onuftas.

118. *Qui faturant Urbem*, &c.) Legendum cenfeo, *qui faturant turbam*, id eft, pop. Romanum. Nam per *urbem*, cum plebe comprehendas etiam primores civitatis: at Juvenalis intelligit tantum de plebe, quæ circo, & fcenæ dedita nil aliud curat. *Dorleans.*

145. *Santonico cucullo.*) i. bardocucullo, vide de eo Ferrar. *de R. V.* iv. 21.

159. *Affiduo.*) Dorleans legendum cenfet, *Affyrio.*

159. *Syrophœnix.*) Laudatiffima enim in Phœnice unguenta, tefte Plin. xiii. 1. unde & Diofcor. præftantiffimum Lilinum unguentum in *Phœnice* confici ait. *Syrophœnices* autem prope effe Phœnices Syris vicinos docte oftendit Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 366. quamvis Eunap. *in Liban.* etiam fint Cœlefyri.

176. *Refupinati ceffantia tympana Galli.*) noctu enim quiefcebant Gallorum inftrumenta notum enim epigramma in Infcriptionibus antiquis:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin,
Dum vacat, & tacita Dindyma nocte filent.

If. Voff. *ad Catull. p.* 165. 166.

186. *Sipario, clamofum ageres ut phafma Catulli*, &c.) Sic diftinguendum cenfet Petitus. nam neminem veterum effe dicit, qui Catullo *Phafma* adfcribat, fi hunc exceperis locum: at vero *Laureolem* mimum a Catullo fuiffe compofitum, nemo, puto, ambigit, & teftis eft locupletiffimus Tertullianus *ad Valent. cap.* xiv. Refert enim cum ftomacho Poeta, patricios operam fuam locaffe fcenæ, & nefcio de quo, cui nomen facit *Damafippo*, memorat, eum, ubi fua dilapidavit bona, addixiffe fuam operam ludicris his artibus & mimos egiffe. Adeoque eum in agendis mimis profeciffe ait, ut non minus perite quam Lentulus, cujus nomen magnum in illaudatiffima hac arte, egerit *Catulli* mimum, qui *Laureolus* dicebatur; quum tamen magna in eo agendo arte opus effet; cujus argumentum hoc eft, ut e Jofepho conftat, συνέβη λῃστὴν ἀναρτᾶσθαι, *crucem* autem *fupervolabat*, ut e Tertulliano difcimus, unde Juvenali *velox* dicitur egiffe *Laureolum*. Cruciarii autem deftituebantur in *tricha*, a qua voce *tricharia* formavit Juvenalis, quæ a populo fpectari dixit: *Qui fedet &*

fpectat

Spectat tricharia *patriciorum.* Quia spectabant cruciarium *Laureolum* in *tricha* destitutum. Ita ut pro *triscurria* legendum sit *tricharia.* Petitus.

190. *Triscurria.*) Quod Scaliger ad Catullum velit hoc loco reponi *trascurria*, id nemini, ut opinor, persuaserit. æque ineptum hoc est vocabulum, ac sit alterum. Omnino *strictoria* legendum. Sic vocabantur tunicæ strictæ, quibus non histriones tantum & comœdi, sed & ipsi quoque patritii & Senatores deposita toga & neglecta honoris & dignitatis suæ ratione, in conviviis, in ludis & spectaculis, passim & palam spectabantur. Is. Voss. *ad Catull. p.* 55. 56.

190. *Triscurria Patriciorum.*) Veteri Scholiastæ non assentior. Nuperus, qui *tricharia* legit, obscure tricatur. Scaliger *transcurria* legendo ait designari Senatores, qui fiebant scurræ & sic transibant ad scurram i. e. orchestram. Atqui orchestra locus erat senatorum, quem nemo *scurram* dixerit. Aliis ergo divinandum relinquimus. Ferrar. *Elect.* ii. 11. Voss. in *Lexic.* voce *Scurra.* ¶ Sunt qui scribere malunt: *Spectat triscuria.* Triscurium i. ingens cura, ut est reipub. quæ sane cura digna patritiis. *E. V.*

192. *Mamercorum.*) Scaurorum prænomen erat Mamercus & a Plinio c. 11. l. 36. De Scauris arenariis nunc loquitur, longe digredientibus a Veterum Scaurorum vita & moribus. *Dorleans.*

195. *Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone.*) i. e. Finge patricios (quos indignatur per scenam & arenam fœdari) a Tyranno cogi, qui hinc gladios seu capitis supplicium minetur, inde scenicas artes ponat, ut alterum eligat e duobus: Usque adeo mortem declinabunt, ut malint mimum agere, quam vitam honesto impendere. Perperam *gladios* de gladiatoribus accipiunt. Ferrar. *Elect.* ii. 11.

207. *Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se Porrigat.*) i. Hunc hominem in arena depugnantem Salium & Gracchum esse, evidenter docet *tunica*, quæ illi circa *fauces* est *aurea*, sive *aureum* paragium i. limbum, segmentum seu fasciam habet. Cuperus *Apotheos. Homer. p. m.* 187. & seq. ubi obiter Rubenium paulo durius a Ferrario habitum ostendit, in hoc loco explicando.

208. *Et longo jactetur spira galero.*) Alterum est non minus grave argumentum, quo probet, Gracchum Salium in arena depugnasse, quod ut percipiatur, observandum Salios gestasse apices vel pileos fastigiatos in coni formam, teste Dion. Halicarn. *lib.* ii. qui addit eos Græce κυρβασίας dici. Per *spiram* autem intellige fascias, quibus apex sub mento stringi solebat (uti patet ex iis, quæ notat Festus in *Apiculum* & *offendices*, atque ad eum Scaliger.) ne decideret; quas liberas & per humeros fluitantes relinquebat Gracchus, non secus ac sacerdos in Gentis Pompiliæ nummo, prout a Jacob Guther. *de Vet. Jur. Pontif.* i. 19. editur. Cuper. *Apotheos. Homer. p. m.* 188. ubi eundem nummum exhibet ex Gutherio, qui omnino videndus, si *spiram longo galero jactatam* mente concipere volueris. attexit ibidem Vir Ampliss. nonnihil de *nudo vultu* Retiariorum, quæ huc faciunt.

208. *Credamus tunicæ,* et seqq.) Errant, qui tunicam senatoriam clavis aureis distinctam putant. Nulli enim in tunica senatoria clavi aurei, sed tantum purpurei. Vetus Interpres editorem facit Gracchum & munerarium, qui tamen ipse in arena retiarius pugnabat. Nec nobiliores & potentiores in tunica ad fauces aurea segmenta gestabant, ut olim credidi, (scilicet de Re Vest. iii. 15.) cum segmenta sint tantum mulierum, unde nupturienti Graccho Juvenalis *segmenta* induit, neque ullus Veterum aurei ornamenti in tunicis communibus unquam meminerit. Idem Gracchus parum vir heic traducitur, qui *Sat.* ii. Is cum Salius Martis sacerdos *sudasset clypeis Ancilibus, quos nutantes arcano loro tulerat,* mirifica indignitate *sumebat segmenta, longos habitus* seu stolam & *flammea* & cornicini nupturus in monstrosæ Veneris castra transibat: & majori postea prodigio ex turpi clinopala denuo in arenam tunicatus cum fuscina & reti descendit, ut fortia faceret, qui turpia passus erat. Id Juvenalis magis prodigiosum monstrum indignatur, cum secutore committi, quam cornicini succubuisse:

Vicit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

Alioquin præter rem & argumentum Satyræ, qua Pathicos verberat, gladiatorium dedecus inseruisset. Non erit ergo difficile, quid *aurea* illa *spira* fuerit in *tunicæ faucibus*: Tunicæ, inquam, Saliaris. Ea quippe picta, seu purpura & auro distincta. Livius: *Salios item Marti Gradivo legit, tunicaque picta insigne dedit, super tunicam æneum pectori tegmen, cœlestiaque arma.* purpureas quoque fuisse etiam Plutarchus tradit, & Dion. Halic. *lib.* ii. easdem Saliorum tunicas ποικίλας appellat, *auro & purpura variegatas.* Igitur Gracchus in sola *tunica* quidem, ut omnes tunc retiarii, qui inde simpliciter *tunicati* dicebantur, sed eadem Saliari, ad cujus *fauces* seu oram superiorem *spira aurea* seu institæ aureæ erant, quæ etiam *galero* seu pileo & quidem *longo* sacerdotali additæ. Sed qualis illa *spira aurea*, & quomodo *jactaretur*, nondum mihi exploratum. Britannicus *spiram* interpretatur funiculum aureum, qui circa galerum discurrens ad ornatum porrigebatur ad fauces, ut galerus sub mento vinciretur. Sed quomodo *spira*, quæ ex *faucibus tunicæ porrigebatur* circa *galerum* discurrere poteat, eumque vincire & simul *jactari?* Vetus Interpres meras nugas habet. Ferrar. *Elect.* ii. 16. Rubenius *de Re Vest.* tunicam Gracchi patagiatam fuisse credit, at *spira* de patagio dici non potest, quod clavi spe-

speciem referebat. Tunicam intelligit Saliarem, cui cum esset purpurea, aurea ornamenta de more addebantur, segmenta, spiræ, patagia ad fauces & in ima ora, unde etiam *pictas* sive *auro distinctas* Dionys. appellat. Ajebat igitur Aquinas: si quis dubitat Gracchum esse, retiarii schema in arena pugnantem, & quidem Saliari sacerdotio præ litum, credat tunicæ Saliari purpureæ, & aureæ spiræ de faucibus tunicæ se porrigenti. Duo ergo scelera in Graccho castigat Juvenalis, quod Salius nupserit, & quod omnium ad podium spectantium nobilissimus, & eo ipso generosior, cujus munere retia misit, eo habitu pugnaret in arena, quo ab omnibus dignosci poterat, nuda facie & Saliari tunica. quanquam hoc facinus priori illi anteponit, quasi majus flagitium sit, nobilissimum Saliarem in arena pugnare, quam viro nubere. Pileum vero fuisse retiariorum, qui ideo nuda facie, cum ceteri gladiatores galeam gestarent, alii docuerunt. Ferrar. *Analect. de R. V. cap.* 2.

218. *Electræ jugulo se polluit.*) De Octaviæ morte cape hunc versum. Nam Octaviam Poeta comparat Electræ, quæ soror Orestis, ut Octavia soror Neronis: Sed Nero jugulavit Octaviam, Orestes non jugulavit Electram. Orestes insanus erat; at Nero sanæ mentis, si nequam ille aliquid sapiebat, sororis & conjugis parricidium patravit. Nero ergo pejor Oreste & improbior. *Dorleans.*

235. *Tunica molesta.*) id est, sacco gallinaceo, ut quidam membraneo codici adscripserat. Vide *Schott. Obs.* v. 4.

259. *Ancilla natus* &c.) Vide omnino Rigalt. in Proleg. *de Sat. Juv.*

259. *Diadema Quirini.*) Nimirum & Poetis est sua fingendi potestas. *nam per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere*, ceu loquitur de Romuli ætate Justin. xLiii. 3. diadema ex Oriente Alexander, & a Macedonibus postea Romani deduxerunt. Adeoque Poeta noster per anticipationem loquitur. Vide Spanhem. *de Pr. & Us. Num.* diss. v. *p.* 470.

Ad SATYRAM IX.

Brutia. vers. 14.) sc. *pix.* ut lego ex emendatione Salmasii, ea enim per accidens *cuti nitorem* conciliabat, quia Vett. ea utebantur ad pilos tollendos. Vide Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 660. ubi docet *Brutiam Sylvam* fuisse picis feracem. ¶ Perperam hodie *Bruscia* legitur & *Brustia*, & *Bruccida*, *Bructia*. *Bruttia* pix nota est, cujus mentio sæpe occurrit apud Medicos etiam Græcos, qui Βρυτίαν eam nominant, ea utebantur tanquam optima, cum ad alias res, tum ad tollendos pilos. Ut & Ustriculæ ψιλωθρευταί dictæ, quod pice calida uterentur ad evellendos & urendos pilos: *calidum viscum* vocat Juvenalis. *Salmas.*

28. *Pingues aliquando lacernas* &c.) Si hæc & sequentia aves accurate pernosse, vide, quæ de lacernis docte commentatur, hunc locum illustrans eadem fidelia Ferrar. *de R. V.* iv. 4.

30. *Et male* &c.) Bene percussæ vestes, *concutes* & *concutia* dicebantur, & *cucutia*, duas Græci κρουστὰ καὶ σπαθητὰς vocant & πυκνοστήμονας, pavidenses scilicet & bene condensatas. nam concutere est κρούειν, vel σπαθᾶν, unde *concus, concutis*, radius erat vel pecten, quo vestes percutiebantur. Sic a decutio *decutes tog æ* seu *detritæ*. Salmas. *in Trebell. Poll.*

52. *Longa cathedra.*) quid fuerit, eleganter exposuit Chimentell. *de Honor. Bisellii cap.* 21. *pag.* 95.

59. *Quantum erat exhausti* et seqq.) Male heic Interpretes Poetæ sensum pervertunt, idque mira oscitantia. Sententia vera est hæc: Conqueritur draucus de avaritia heri digito caput uno scalpentis: atque non grande damnum ei futurum fuisse, si in præmium obscœni laboris, se paucis agri jugeribus donasset. Esse enim iniquum, ut puer rusticus *melius* & majus *legatum* capiat a viro *cymbala pulsante*, i. e. *pathico*, quam draucus ipse, qui opus mariti fungeretur. Nam *cymbala* fuisse effœminatorum, notum est, ideoque Gallorum, Cybeles sacerdotum gestamina, qui in fœminam fracti. Juvenal.

Et resupinati cessantia tympana Galli:

quorum fœdam patientiam descripsit Apulejus. Hinc factum, ut Interpretes de Gallis matris Deum hoc acceperint, & Vetus Interpres *Archigallum* explicaverit. *Meliusne* ergo; i. lautius legatum accipiet Villici filius, quam qui non agrum colit, sed Dominum? Illud autem *cum casulis*, fortasse melius cum *caculis*, quæ vox apud Plautum pro servo militari, heic pro servo rustico sive vernula. Sed si *casulis* retineatur, de mapalibus & attegiis erit intelligendum. Si cui tamen prior interpretatio magis arridet; hic erit sensus: quod cum ipsis prædiis coloni atque operarii agro illi addicti & obnoxii legabantur, cum matre, pueris, & servis, aut casis. Ut impudicus ex morum & patientiæ similitudine, illi ponus, qui turpia patiatur, quam qui faciat, nempe obscœnus obscœno. Ut *cymbala pulsans* non sit Gallus, sed quilibet iis similis. Magis tamen placet, ut de testatore intelligatur, quam de legatario, ut ille, non hic, sit *cymbala pulsans* & sexum fugitans. Ferrar. *Elect.* ii. 16.

64. *Appellat.*) Forte legi potest *appellit*, id est, cogit, & me adigit huc. *E. V.*

64. *Ut Polyphemi* &c.) Vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

84. *Libris actorum* &c.) Salmas. *Ex. Plin. p.* 717.

85. *Suspende coronas.*) de hoc ritu Sagittar. *de Janu. Vett.* c. 30 §. 20. ubi etiam docet Athenis eam coronam fuisse oleaginam, si masculus; laneam, si puella esset nata. ¶ Unde & puerperæ domus, notante Meurs. *Att. Lect.* iv. 10. στεφανηφόρος dicta est, quo allusit Nonn. *Dionys. lib.* xxv.

Βάκχε στεμματι πρῶτε λεχώια.

Casp. Bartholin. *de Puerp. Vett. p.* 125.

88. *Dulce caducum.*) Isidorus *lib.* v. *cap.* xxv. *caduca inde dicuntur, quia eis heredes ceciderunt.* Unde liquet, cur Juvenalis *dulce* vocet *caducum* nempe quia insperato contingit. Sed plenius rem exponit Ulpianus in fragment. tit. vii. *Quod quis*, inquit, *sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex caussa deinde non ceperit, caducum apellatur, veluti ceciderit ab eo: verbi gratia, si cælibi vel Latino Juniano legatum fuerit: nec intra dies centum vel cælebs legi paruerit vel Latinus jus Quiritium consecutus fuerit: aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrinus factus fuerit.* hactenus Ulpianus. *Voss.* Etym. *p.* 86.

88. *Capis.*) Inter acquirendi dominii genera, quæ lege nobis acquiruntur, Ulpianus in Regulis recenset & caducum & legatum. Recte ergo illa *capi* dixit Poeta, cujus verbi vim dabunt l. 51. & 71. *π. de R. J.* Salmas. *diatr. de Mutuo p.* 156.

105. *Junge ostia.*) fortassis est conduplicare januam. habebant enim magnificæ quæque ædes duas januas, idque intra domum præ ipsis conclavibus. colligo id ex Ovid. *Amor.* i. 8. 11. Sagitt. *de Janu. Vett.* c. 16. §. 18.

117. *Saufeia.*) alii *Laufella.* Hunc versum non intellexit vetus Interpres, cum interpretatur, virginem Vestæ sacrificantem. Fiebat Romæ id sacrificium a Consulis uxore in ædibus consulis, aut interdum etiam (puta consule absente, aut non habente uxorem, aliave obstante causa) apud Prætorem, ut Dio testatur, *lib.* xxxvii. atque id quoque factum, cum a Clodio polluta sunt sacra. testatur Cicero *lib.* i. *ad Attic. Epist.* x. de sacrificio illustris est locus apud Arnobium *lib.* v. *Fædam igitur Fatuam* [Sic. Vett. libb.) *Bona quæ dicitur Dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat sexto de Diis Græco* (sic recte emendant, quando Græce scripserat Clodius) *signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora constituatur objecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut Juis scribit in caussalibus Plutarchus.* Ubi *Caussalia* Plutarchi vocat ejus problemata, in quibus hoc de Bona Dea legitur. Aliter tamen hæc narrat Macrobius *Sat. lib.* I. *Vossius.* ¶ Compotandi studium, quod Germanica lingua *Sauffen* cum dicatur, cave putes hoc nomen aliud esse, quam bibaculæ. Sic & nomen *Meroe* a *mero* ἀπὸ τῆς μέθης formavit in Satyra quadam Rutilius Geminus:

Abstemium merulenta fugit Meroenia nomen.

Scip. Gentil. *Orig. p.* 293.

139. *Figam aliquid.*) Quid sit *figere vota* hoc loco, docet Rutgers. *V. L.* v. 5.

142. *Et duo fortes De grege Mæsorum.*) Hæc carmina genium spirant Poetæ, qui (quod acriter solet) Nemesim concutit adversus hominem cuti excurandæ deditum, votaque concipientem tam desidis vitæ, suis ut pedibus nec itare in circum velit, nec sede ipsa moveri, dum spectat. Si ignavissimum ergo tenebrionem (qualem illic describit Satyricus) peculiaris hæc cogitatio ac cura tenebat sollicitum, recte consequitur non populi morem, aut vulgarem consuetudinem fuisse. Ac per poeticam αὔξησιν licebat id quoque Juvenali aggerare. Non placet autem, quod plerique omnes doctiores hic volunt de lectica, non de sella esse intelligendum Poetam. Quomodo enim lectica, si *duo* tantum *fortes Mæsorum* requirantur? scimus lecticam, delicatiorum præsertim, qualis iste, sex ut minus humerorum fultura fuisse gestatam, nonnunquam octo, nedum sufficere duo possint. Præterea quid tam magis ineptum, atque importunum, quam lecticam inferre, aut ægre capiendam aptandamque in iis spatiis, aut multorum impedimento futuram, ne spectent? At, inquis, loquimur de eo, quod erat in votis huic nebuloni Epicureo. Ergo, iterum respondeo, non is erat mos Romanæ gentis inferendi sellas. Sique ulterius locum Poetæ expendere nos delectat, non lecticæ, non sellæ illic mentio; sed id optabat dives ille, ac socors, ut *duo servi* e *Mæsia* validi cervicem sibi locando, securum in circum succollarent, ubi posset consistere. Nempe ut eorundem servorum collo, atque humeris portaretur, hoc exoptabat; qui quidem firmissimi tumultuantem populi turbam tum in viis, tum in circo ipso submoverent, securumque tandem atque incolumem ab incurrentium, ac prementium undecunque periculis in spectaculo sisterent. Quid vetat ita Juvenalem interpretari? eo magis quia de votis hic agitur, quæ tam varia ac multiplicia sunt, quam hominum capita, ut nemo ignorat. Atqui non abhorret hæc voti conceptio ab ingenio hujus balatronis, cui anima pro sale data erat, ne quod interim computresceret. Haud aliter ille apud Senec. *Epist.* xii. ubi ventrem dapibus infersisset ad mensam, satur tandem, ac lassus manibus servorum se absportari jubebat, ac si morte occubuisset, carmenque illud ferale ad Symphoniam can: βεβίωκε. βεβίωκε. Ac sedibus tandem

dem vix locum fuisse in spectaculis, quas secum importassent, sane probat, quod alias docuimus *cap.* 12. subsellia, non sellas fuisse paratas senatoribus teste Sueton. *cap.* 44. August. *Facto igitur decreto, ut quoties quid spectandum publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus, &c.* Chimentellius *de Honor. Bisell. cap.* 22. ¶ at hunc locum de tenuiorum lecticis ita parvis, ut commode a duobus servis possent perferri, intelligit illustris Gonsal. *ad Petron. p. m.* 220.

146. *Qui multas* &c.) Quidam legunt, *Qui maltha*, &c. Quid maltha ad picturam facit? Alii, *Qui multas facies pingat cito.* Legendum esse eo loco constat:

Qui multas facies fingit cito. ———

Plastas intelligit, & recte ita interpretatus est vetus Scholiastes, quorum proprium est cito plures facies fingere, quas uno modulo ac typo exprimunt. Salmas. *Plin. Ex. p.* 1096.

150. *Siculos cantus.*) Prope Pelorum namque, teste Serv. *in Aen.* v. finguntur habitasse Sirenes, unde & Ovid. *Metam.* v. inter Proserpinæ Deæ Siculæ comites recenset *Sirenas.* Nonn. *Dionys.* xiii. 313. *Catanam* vicinam Sirenibus urbem appellat. Stat. ii. *Sylv.* trium Sirenum cantus vocat *tergeminum Sicula de virgine carmen.* Vide Bochart. *Geogr. Sacr.* p. 573. ubi docet *Sirenum* nomen esse mere Punicum, quibus שיר *Sir* est canticum, unde & Salomonis libro titulus שירן. itaque erit *canorum monstrum.* inepte enim Grammatici ἀπὸ τοῦ σύρειν, unde σύρην foret, non σειρήν.

Ad SATYRAM x.

ARguit hæc Satyra &c. in argumento.) sed Lipsius ita legi vult:

Arguit hoc hominum curas, & inania vota.

Epist. Quæst. iv. 15.

8. *Optantibus ipsis.*) Rittershusii vet. cod. habet *operantibus* i. sacrificantibus, Vid. Brisson *de Form.* Sciopp. *Verif.* iv. 10.

18. *Cœnacula.*) Sententia est, militem raro accedere ad pauperes, qui in conducto habitant. Nam proprie erant *cœnacula* loca altiora domus: unde Festus sive Paullus: *Cœnacula sunt, ad quæ scalis adscenditur*, Nec putandum *cœnaculum* fuisse unicum cubiculum, nam & cellulam habebant, & alias appendices. *Vossius Etym. p.* 146.

19. *Puri.*) Vossius legit *puti*, dicit tamen in quibusdam libris *puri* reperiri.

45. *Niveos* &c.) Circum equos & currum triumphantis, in candidis togis officium facientes cives & clientes. Manut. *Quæst.* iii, 1. Turneb. *lib.* 21. *cap.* 3.

55. *Genua incerare.*) Vide Rutgers. *V. L.* v. 5. Cui omnino adde, quæ doctissime ex recondita eruditione Veterum ad hujus loci intellectum de *genibus* plenissime contulit illustris Gonsal. *ad Petron. p. m.* 47. 48.

66. *Cretatum bovem.*) i. obsignatione cujusdam terræ ad sacrificandum aptum judicatum, ut adjutum se a Victorio *V. L.* xiv. 4. Primum perspexisse hujus loci sensum adfirmat Saubert. *de Sacrif. c.* 18. *p.* 427. etsi ubi rejicit vulgares expositiones, non enim esse *creta dealbatum*, aut *candidum*, sed id, quod dixit.

74. *Hac ipse hora.*) Salmas. *Exerc. Plin. p.* 328.

85. *Ad Martis fuit obvius aram.*) Legerem libenter: *fugit ocyus aram.* Quasi in ista Martis præsidium inventurus. Et vocat *suum Brutidium*, aut quod sanguine aut amicitia ei junctus foret, vel quod illum habuerit in declamando magistrum & auctorem; Vel quod ejus libros assidue legeret. *Dorleans.*

93. *Angusta Caprearum in rupe.*) Ita habent boni codices. vulgo *Augusta.* & tamen *Capreæ* eo jure possunt dici *augustæ*, quo *Capricornus augustus*, quia Augustus sub eo natus, hoc tamen non est ad mentem Juvenalis. Scalig. *ad Manil. p. m.* 42. consentit Voss. *Etymol.* p. 30.

94. *Vis certe pila, cohortes.*) Reprehendo fugitivam Syllabam & lego: *vis ducere pila, cohortes.* Sciopp. *Verif.* iv. 10.

99. *Prætextam.*) Præfecti prætorio in prætexta, licet jus clavi non haberent. Dio eam, περιπόρφυρον ἱμάτιον, dat Sejano. *lib.* 58. Ferrar. *de R. V.* ii. 3.

111. *Numinibus malignis.*) *Numina maligna* non sunt eadem *Diis impiis* apud Tac. xvi. *Annal.* ut quidam Vir doctus putabat. hi sunt magici, qui devotionibus advocantur, quos qui tum adhibuisse putarentur, impietatis rei fiebant. *Maligna Numina* vocat Juvenalis, quæ specie indulgendi nocent, quæ faciunt compotes malorum, quæ dant imprudenter roganti, quo pereat. Gronov. *Observ.* iii. 15.

112. *Ad generum Cereris sine cæde & sanguine panci.*) Ita ex Servio legendum. non, *sine vulnere*, quod alterius glossema. *sine sanguine* i. e. ἀναιμωτὶ Homero & Oppiano. Silius *lib.* viii.

Cæde sine ulla
Insolitum sibi bella geri, siccasque cruoris
Inter tela sui Mavortis hebescere dextras.

Claud. *in Cos.* 1. *Stilic. lib.* ii. *vs.* 19.

— *Ut ferrum Marte cruentum*
Siccum pace feras.

Heins. ad *l. l.* Claud.

115. *Optare.*) Vide Ræward. *Conj.* i. 10.

117. *Custos capsæ.*) Popm. *de Oper. Serv. p.* 53. Pignor. *de Serv. p.* 239.

171. *Munitam intraverit urbem.*) Dorleans legit: *intraverit urnam*, id est, sepulcrum.

172. *Sarcophago.*) Sepulcro, Urna vel capulo: ita dicitur, quod carnem & cadavera suo ambitu quasi devoret & includat. Πύελον intelligit: nam Græci qui corpora defunctorum non cremabant, condere ea soliti erant πυέλοις, ex lapide ut plurimum factis, cui natura est, corpora cito absumere. Talis Assius fuit lapis, quem & σαρκόφαγον propterea Græci nuncuparunt. Salmas. *Plin. Exerc.* p. 1203. Scalig. *Exerc.* 291, *sect.* 2.

174. *Velificatus Athos.*) Vide quæ congessit ad *Claud. in Rufin.* 1. 336. *p.* 11.80. Barthius.

194. *Tabraca.*) In Concil. Carthag. sub Cypriano: *Victoricus a Thabraca.* ita & Ptolemæo scribitur, at Plinio *Tabracha*, est vero ורק S ris libri folium, & Arabibus etiam arboris, unde תוריק est φυλλοφορία. itaque תורקא erit φυλλοῦς, cujus nominis in Thessalia fuit oppidum, ubi templum erat Phyllæi Apollinis. Erit itaque *Tabraca*, quasi *frondosa*, propter ambientes sylvas, ut & ipse Juvenalis & ejus Scholiastes indicant. Bochart. *Geogr. Sacr.* p. 519. vide & Torrent. in Suet. *Vesp.* c. 3.

212. *Aurata lacerna.*) Auctor *librorum ad Herenn.* dat iisdem *pallam auratam* & *chlamydem purpuream.* Pallam purpuream Arioni Ovid. *Fast.* ii. sed vide de citharœdorum habitu Ferrar. *de R. V.* iii. 13.

218. *Circumsilit* &c.) Videbis, si hæc penitus velis perspicere, Rigalt. *de Sat. Juven.* in Proleg.

222. *Quot Basilus socios.*) Dorleans hunc fuisse advocatum vult & ait, *socios*, quod non modo prævaricatione Basilus extraneos proderet, sed & sibi conjunctissimos. *Socios* vocat clientes, quod eum comitarentur. *Dorleans.*

246. *Si quicquam credis.*) Vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

249. *Jam dextra computat.*) de hac computandi ratione Barth. ad Claud. *in Ruf.* i. 116. *p.* 1116. multos Auctores indicat, ait sibi esse omnem istam computandi artem, a decem usque ad mille millia, eleganter ad Bedæ præscriptum æri insculptam a Jacobo Bogardo, editam Paris. 1544.

262. *Scissa palla.*) Eam & una hunc locum illustrat erudite, ut solet, Ferrar. *de R. V.* iii. 18.

286. *Servatum victo* &c.) Putat Barth. *Advs.* ix. 14. allusisse Juvenalem ad Corn. Severi versus, qui in *laude Cic.* exstant. sed vide Barth.

299. *Sabinas* &c.) quæ sine cultu & ornatu castæ & pudicæ. De castitate Sabinarum lege *Manut. lib.* 3. *per Epist. quæsit.* Alii legunt *Sabinos.*

312. *Pœnas metuet* &c.) vide, si lubet, quæ de pœnis in adulterio deprehensorum habet Is. Voss. *ad Catul. p.* 41—43.

313. *Felicior astro* &c.) Vide Rigalt. *de Sat. Juven.* in Proleg.

315. *Quascumque mariti Exigere irati.*) Hæc in quibusdam codd. *mariti Irati debent.* unde Lipsius, *maritis Iratis debent lib.* iv. *Epist. Quæst.* 24. & *Exigere ira potest* & *Irati faciunt*, quæ G. Canterus ostentat *Nov. Lect. lib.* iii. *cap.* 4. ludibria sunt librariorum. Nos in duobus reperimus *Exigere irati debant*, *n. e. f. a.* ubi palam est, & *debent* abundare. Canterus tanto infelicior, quod qui per indicandi modum exponunt, eos fugere rationem scribit. Immo ipsum fugit ratio, & *quascumque mariti exigere irati* est, quas exigunt, vel exigere solent vel jus habent. Gronov. *Observ. lib.* ii. *cap.* 14. ubi hoc genus loquendi plurimis exemplis illustrat.

317. *Quosdam mœchos* &c.) Voss. de *Idolol.* iv. 49. Casaub. *in Athenæ.* 1. 5.

Ad SATYRAM XI.

L*Auta reprobamus* &c. in argumento.) Lipsius legit: *Lauta reprenduntur convivia, parca probantur. Epistol. Quæst.* iv. 15.

1. *Atticus.*) hic intelligi Ciceronis familiarem volunt Scholia Vett. ap. Barth. *Advs.* xLii. 16.

4. *Convictus.*) In perveteribus membranis exaratur *conventus*, quod & in aliis libris se reperisse testatur Pontan. *Analect.* ii. 11. sed in nostro τὸ *convictus* vacanti spatio appictum, sed manu recentiori, quod & atramentum aliud arguebat. Inibi vetus Scholion: *Rutilus voracissimus fuit, qui etiam adhuc juvenis gladiaturæ adscriptus est, ut publica stipe aleretur. Apicius, de quo jam supra legimus, omnia sua prodige consumsit. hic de Condituris post multa scripsit, aliorumque convivia præparans victus stipem consequebatur.* Barth. *Advs.* xLi. 16. ubi nonnulla alia Scholia ad hanc *Sat.* adfert, ex iisdem mss. collecta, ex quibus optima selegimus; sunt enim inspersa jejuna quædam, quæ ne quidem transscriptione digner; si cui tamen volupe fuerit illa lustrare, poterit is *l. l.* inspicere.

4. *Convictus, thermæ,* &c.) Ita omnes libri impressi & noster ms. optimæ fidei. ubi etiam Glossa adscripta τὸ *convictus* interpretatur *convivia.* Nolim itaque Lipsium audiri, qui ex unico Cod. ms. emendat *Conventus.* quin *convictus* vocabulo eadem significatione usus Val. Max. ii. 7. Tac. *Ann.* ii. Vellej. Paterc. ii. 33. Gerard. Voss. Ger. F. *ad Vellej. l. l. p.* 57.

4. *Stationes.*) quid eæ fuerint, prolixe docet Ræward. *V. L.* iv. 7. qui videndus.

5. *Dum juvenilia membra.*) Scholion vetus ap. Barth. *Adv.* xLii. 16. *Irridens hoc dicit, quasi dicat, properabat*

rabat ad paupertatem, ut cum sit futurus lanista (imo vero *gladiator.*) *ob inopiam, sit saltem juvenis.*

5. *Membra sufficiunt galeæ, dumque ardent sanguine,* &c.) Ita legi & distingui vult etiam Barth. *Adv.* xLii. 16. additque ex suo ms. vetus Scholion non ineptum, quod *scilicet* Poeta *ostendat, omnem publicæ militiæ disciplinam esse exstinctam, & meditationem armorum resedisse tantum in gladiatoribus.*

6. *Dumque ardens sanguine.*) Non constat sensus, nisi legas hoc modo: *Dumque ardent sanguine, fertur* etseqq. Rutgers. *V. L.* ii. 17.

7. *Non cogente quidem.*) Scholion vetus apud Barth. *Advs.* xLii. 16. *Lanistæ magistri gladiatorum erant, & mos erat, ut si quis coactus gladiaturam assumeret, statim, ut vellet, eam relinqueret, qui vero sponte, nunquam.* vide & Salmas. *de Mod. Usur. c.* 10.

8. *Scripturus* &c.) Scholia Vett. ap. Barth. *Advs.* xLii. 16. trahunt hæc verba eo, quasi Rutilum dixerit *lanistam* fieri, cum verius sit, dici futurum sub lanista gladiatorem.

8. *Regia verba.*) Sagacissime aculeum hic latentem detexit Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

10. *Fictile.*) Salmas. *Exerc. Plin. p.* 586.

20. *Ludi.*) pro ludii, sunt gladiatores. Optimæ Glossæ: Lanista, λαδιστεύφ⊕. μονομαχοτρόφ⊕. Salmas. *in Trebell. Pollion.*

29. *Sacri senatus.*) eodem epitheto aliquoties in nummis, & id Græcis ἱερὰ σύγκλητ⊕, vel Θεὸς σύγκλητ⊕, occurrit; Maroni *Sanctus Senatus* Carthaginiensium est; Justinus Apologeticum suum inscripsit *Imperatori* ἱερᾷ τε συγκλήτῳ. *Deos* Senatores suo ævo appellat Claudianus vi. *cons. Hon.* Senatus *sanctissimus Ordo* Cic. pro Dejotaro: *Sacer Ordo* Theodorico ap. Cassiod. *Var.* iv. 25. Spanhem. *de Pr. & Us. Num. Diss.* v. p. 411. etseqq.

43. *Annulus* &c.) Salmas. *de Mod. Usur. c.* 3. 7. & 10.

84. *Et natalitium cognatis ponere lardum.*) Sed quidnam esse caussæ dicimus, cur suilla & laridum potissimum natalitiis apposita? An quia dapsilis admodum caro ac tenera? vel quia ad pastum natum animal, cui, ut Chrysippus dicebat, *anima pro sale est ne putrescat,* auctore Cicer. 2. *de nat. Deor.* *Schottus Observ.* ii. 14. Martin. de Roa *de die natal. cap.* 8. *pag.* 584.

96. *Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis, Vile coronati caput ostendebat aselli.*) Ideo *vile* illud *caput* præfixum tradunt Interpretes, quod ex Etrusca disciplina eo incommoda agrorum arceri credebant. Sed cur in lectis, & convivio, non in agro, ut ejus limite, ut Columella docuit, id amuletum positum est. Ergo ab Hygino hujus ritus caussa petenda est, quamvis locus sit mutilus, *Fabula* CCLXXIV. *Antiqui nostri in lectis tricliniaribus, in fulcris, capita asellorum, vite alligata habuerunt, significantes * suavitatem invenisse.* Ad eam lacunam supplendam conjicio simile quid afferri posse: *quod pampinos prærodendo putare vites docuerit, atque ita vini suavitatem invenerit.* Ferrar. *Elect.* ii. 26. vide Reines. *Var. Lect.* iii. 8.

113. *Littore ab Oceano Gallis venientibus.*) Ita Leidensis liber antiquus. Paulo ante apud eundem Pithœus in suis Codd. monuit legi:

Qualis in Oceano fluctu testudo nataret:

non *Oceani.* Venant. Fortunat. *lib.* iii. *Ep.* 23.

Et velut Oceanus fonte refundit aquas.

Idem *lib.* vii. *carm.* ii.

Quicquid ab Oceanis circulus ambit aquis.

Avienus Phænom. pari modo *Oceanum gurgitem* & *pelagus Oceanum* dixit. In *Catalectis* Pithœi:

Sol oriens currusque suos e gurgite tollens
Oceano.

Sic πέρας σχοῖν dixit Alcæus *lib.* i. *cap.* 4. Anthol. κηλεδόνα πορθμόν Julian. *Epist.* 61. *Satyros gestus* Manilius, *heroas sensus* Persius, *Laticem Lyæum* Virgilius, *Bromios remos* Claudianus, *turmas hostes* Statius. &c. Vid. Heins. *ad Claud. Epithal. Honor. vs.* 88.

119. *Annosam* &c.) Si forte annosam aliquam arborem, quæ facile dejici poterat, subvertisset. Ubi nucinas mensas Vetus Scholiastes vocat, quæ ex nuce fierent. Salmas. *Ex. Plin. p.* 1041.

138. *Pygargus.*) Dubium utra significatione utatur Juvenalis. Qui *avem* intelligi volunt, eo argumento nituntur, quod proxime sequatur: *& Scythicæ volucres.* Sed si hoc argumentum validum est, obduci poterit, quod proxime *apri* mentio antecedat, eoque hic quoque quadrupes intelligi debeat. Et sic sane accipit Scholiastes: sed pro altera interpretatione sunt verba hæc, quæ versu unico post in alienum trajecta locum leguntur: *Pygargus, avis genus, quæ lagopus appellatur.* Sic is Scholiastæ locus legendus. Lagopidem vero *avem* esse docet Plinius *lib.* x. *cap.* 48. Meminit ejus & Martialis *lib.* vii. *ep.* 86. si sana quidem vulgata lectio est. *Vossius.*

149. *Tonsi rectique capilli.*) Pignor. *de Serv. p.* 59.

155. *Ardens purpura.*) i. prætexta, ut ostendit Ferrari de R. V. iii. 10.

162. *Gaditana.*) Puellæ enim Gaditanæ in conviviis ideo admittebantur, ut lascivis ad lyram, cymbalum, crumata, etc. cantibus & indecoris motibus Venerem concitarent: quod & Vetus Scholiastes docet. Vide Bochart. *Geogr. Sac. p.* 674. & Barth. *Advers.* xxv. 1.

173. *Qui Lacedæmonium pytismate lubricat Orbem.*) Pro-

Promisimus integram Grangæi Epistolam ad hunc locum *pag.* 316. quam hic repræsentamus, ita tamen, ut nonnulla loca Interpretum ab eo prætetita insereremus, & ab eo inserta, v. gr. Ascensii, Lubini, Britannici etc. suis quæque locis jam excusa expungeremus. ita vero habet epistola: C. V. FED. MORELLO *Eloq. Profess. Regio*, *Professorum Decano* ISACIUS GRANGAEUS, *Gymnasiarcha Vindocinensis S. D.* Librum a te dono nuperrime accipi, V. C. versum unicum reddo, nec e meis, sed e penu *Egregii vatis, cui non est publica vena, qui nil expositum solitus deducere.* Et quem (haut fallor) nullus exposuit Criticorum; potissimum eo illo versu quem omnes *velut agmine facto* aggressi sunt, cuique illuxisse prædicant, dilaniasse verius dixissent. Peutheum decipuisse ajunt Bacchas, nugas maximas fuisse credo, præut quo pacto divorsus ille versus distrahitur. Nec Metra illa Erysicthonis, quæ *nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat*, tot habuit transformia corpora, quot misellus ille figuras induit. Solatium fuit quibusdam formam semel mutavisse, & permansisse in hoc renovamine. Quid autem solaminis huic nostro, imo Juvenalis versui, qui si modo est *squamosus draco*, subito fiet *sus horridus*, *atraque tigris*. Pars ejus (*Lacedemonium orbem* volo dicere) in pavimentum mutatum se videt: Vix pavimentum est, fit novo præstigio *Laconicum*: Ex Laconico, si moraris, in manus tuas annulus evolaturus est: nec me fefellit opinio, jam habes in læva, ludere vis? en mensa aleatoria, ex mensa saltator juvenis, ex saltatore lascivus & orbus senex, ex sene aversa illa pars, quæ vel in honesto honeste nominari non potest. Videtur esse e genere familiarum, quæ solent mutarier, *modo enim idem fit leno, modo adolescens, modo senex pauper, mendicus, rex, parasitus, ariolus.* Nec minor metamorphosis in *pytismate*; fit etenim πύτισμα illud ex sputo trochus, ex trocho sonus, ex sono saltus, Astragali, Cottabus. Sed per Dium fidium dum hæc legis, non me solere imaginosum aut te mirisum putas? Certe ita volui exprimere, ut si te fatigaret materia, tandem lectione reficereris. Nec rideo hercule, Nostri Critici ita male hunc versum habuerunt. Quod ut facilius innotesceret, quidquid super eo scripserunt, mutarunt, immutarunt, verterunt, perverterunt, intellexerunt, non intellexerunt, in unum coegi corpus, cui *nec pes, nec caput*, sed *quasi epicitharismate* diversas lectiones uniuscujusque recenseo. Primum vetus Scholiastes (nonnulli Probum Birthium nominant) Domitius Calderinus, Merula, Mancinellus, Ascensius, Turnebus xxiv. 28. Politianus uno loco (mutat enim sæpe Hamaxobio mutabilior) Josephus Scaliger, Lubinus, Autumnus, Taubman. *in Culic. n.* 64. Voss. *in Lex.* Scaliger. *in Manil.* Bullinger. *de Conv.* i. 39. Philand. in *Vitruv.* vii. 4. omnes veteres Pulmanni mss. *Pytismate* legunt. Sed quid per *pytisma* intelligendum? Prima illa mali labes. Georgius Valla legit *pytismate.* Tres invenio diversis partibus. Baptista Egnatius *Racem. c.* 17. Britannicus, Brodæus *Misc.* v. 26. qui *pedeumate*: Cæcilius Minutianus Apulejus *pedæmate* volunt. Duo Politianus *Misc. cap.* 38. & Julius Scaliger *pytilismate.* Cæteri dispertiti sunt, quisque sua stat sententia. familiam ducet Flavius *Conj. c.* 51. cui placet *poppysmate*, sequetur Mercurialis *Gymn. Art.* i. 10. cum suo *proptysmate.* Nec oblivioni erit Muretus *Var. Lect.* x. 6. qui legit, aut legisse putat in aliqua veteri membrana, quæ nusquam fuit, *petteumate.* uti nec Taubmann. in *Plaut. Pers.* v. 2. 67. ubi legit *pitteumate.* sed nec Alciat. *Parerg.* vi. 3. est prætereundus, cui placuit *pyreysmate.* Sed quid dicemus de Lipsio *Ep. Qu.* iv. 25. cum novo *pygismate?* Excidebat jam Eberhadus Mollerus cum suo *pitteremate*, nisi Lubini meminissem. Sed ubi est Schegkius Germanus ille, qui duo verba vidit, ubi alii unum, credo tunc temporis illi omnia fuisse bina, qui *Præmess. c.* 5. legit *nudo pede.* Verum prodeunt simul, quæso, ut benignis accipias auribus. §. Cæcil. Minutian. Apulejus *lib. de Orthograph.* putat legendum *pedæmate*, ita ut priores syllabæ diphthongum recipiant, quia est utrobique apud Græcos H. & verbo eo plane saltationem innuit. §. Turneb. *Adv.* xxiv. 28. lectionem vulgatam ex mss. certissimæ & spectatissimæ fidei confirmat, hoc sensu: Qui sputo & saliva trochum, quem jacturus est, lubricum & volubilem magis reddit. *Trocho* autem *ludere* Græcorum ludus, ut ipsum docet nomen, eoque maxime Lacedæmones delectati, unde Nostro audit *Orbis Lacedæmonius.* §. Aug. Politianus *Misc. cap.* 38. multis disputat de hoc versu, tandem *pytilisma* legit, & intelligit exercitationem, de qua Galen. *lib.* ii. ὑγιειν, quæ fit, cum quis summis pedibus ingrediens manus protendit, ocyssimeque movet, alteram retrorsum, alteram prorsum, eamque exercitationem a Juvenale innui in Laconico factam: id enim esse *orbem Lacedæmonium*, quod in *orbem* structam fuisse docet Vitruv. *lib.* v. addit dein locum Columellæ ex *lib.* i. *de Agric. Attonitique miramur gestus effæminatorum, quod a natura sexum Viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium.* quibus mox deinde subdit: *ut apti veniamus ad ganeas, cotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exusto sudore sitim quærimus.* Hæc sententia etiam placuit Jul. Cæs. Scaliger. *Poetic.* i. 22. Sed Politianus mutavit dein *Epist.* xi. 6. sententiam, & *pytisma* tuetur, quo Poeta conceptos aquarum haustus per laconicum sparsos innuat. ubi videndi enarratores ejus Sylv. & Ascensius. §. Bapt. Egnat. *Racem. cap.* 17. legit *pedemate*, quoniam omnes codd. fere ha-

 beant

beant *pytimate*: per *orbem Lacedæmonium* capit βίβασιν Λακωνικὴν, de qua Pollux. §. Joan. Brodæus *Misc.* v. 26. non abludit ab hoc, qui *pedemate* item legit, & per *Orbem* suspicatur ligneum tympanum, in quod desilirent, quodque modo saltantes pedibus circumducerent, modo per longum spatium super stantes uno impetu lubricando agitarent. §. Andr. Alciat. *Parerg.* vi. 3. putat *pyreysmate* legendum, quod Laconum sit exercitatio, qua nudi oleoque uncti in sudatorio exercebantur. §. M. Anton. Muret. *Var. Lect.* x. 6. *pedeumate* ait in vetustis libris legi, unde facit *petteumate* a πεττεία, significarique hoc versu divitem aleæ studio deditum, quod & sequentia mox declarent, cum *aleam mediocribus turpem* ait Juvenalis, hic vero *Fortunæ veniam dari*. per *orbem Lacedæmonium* capit mensam ex marmore Laconico, super qua assidue ludendo eadem *lubricetur*, i. poliatur. §. Jacob. Schegkius *Observ. Epist.* 5. ait in libro suo legi *pede nudo*: aitque ex Nepote morem saltandi in Græcorum conviviis, idque *nudo* fecisse, teste Athenæo, Cic. in *Pison*. *Cum collegæ tui domus cantu & Cymbalis personaret. cumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat. hic autem non tam concinnus heluo, nec tam musicus, jacebat in suo Græcorum fœtore & vino.* quod nostro *pede nudo lubricare orbem*, est Horat. *pede libero pulsare tellurem*. §. Sequitur hoc A. du Chesne Tourangeau *en sa traduction Francoise de la Satyre* xi., qui vertit: *qui d'un pied nombreux scait guider le bal Lacedæmonien*. i. Ptolem. Flavius *Conject. cap.* 51. legit *poppysmate*, i. sibilo, qui in re obscœna fieri consuevit, & per *orbem Lacedæmonium* innui putat præposteram Venerem. nam primi Lacones ad Athleticam corpora nudarunt, ut refert Thucydides, unde libido in pueros exarsit, ut tradit Cicero. verbum *Lubricat* certe rem obscœnam ostendit. §. Feder. Cerutus *in Paraphras.* xi. *Sat.* ita reddit: Fruatur ille omni genere libidinis *cum Lacedæmoniis pueris, præposteramque Venerem exerceat*. §. Just. Lipsius *Epist. Qu.* iv. 25. Scripta, *ait*, omnis lectio & impressa antiquius *pytismate* habet vel *pitysmate*, ut ut Divæi, ex qua lego *pygismate*, quo verbo Græci pædicationem vocant, quod ostendit Poeta Siculus. τὸ *Lubricat* nescio quid obscœnum præfert, & *orbem Lacedæmonium* partem videtur vocare aversam. *Lacedæmonios* pueros diviti tribuit, quia hi Juvenalis tempore maxime molles, unde *Lacedæmon libidinosa* Martiali, uti & docet Philostratus *lib.* iv. *de vita Apollon.* Jacobus Susius vir nobilis suasit mihi, ut legerem *orbum*, non *orbem*, & interpretatur de sene fœdo, fœtido, divite, orbo. § Hieron. Mercurialis *de Art. Gymn.* i. 10. legit *propysmate* ac putat intelligi petulantiam ditiorum, qua *multo sputo* irrigabant Laconicum, id enim per *orbem Lacedæmonium* intelligit, qua re fiebat, ut ejus pavimentum *lubricaretur*, unde facile quis cadere potuerit. §. Josephus Scaliger *ad Manilium p.m.* 454. Species, *inquit*, musivarii operis aut vermiculationis duæ sunt, quas accurate recenset Plin. *lib.* xxxv. *cap.* 1. ex quo constat aliam esse ψηφοβολίαν & vermiculationem, alteram, quæ crustis marmorum diversicolorum vermiculatas animalium effigies referret: alteram, quæ marmoris maculas alieno marmori insereret, & orbes ac ovatas ἐλλείψεις, ut Mathematici vocant, marmori includeret. Senec. *Epist.* 87. *Pauper sibi videtur, ac sordidus, nisi parietes magnis ac preciosis orbibus refulserunt: nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.* vides *orbes* esse Senecæ, quæ Plinio *ovata figura*. & hujusmodi *orbibus* insitum pavimentum stibadii aut triclinii *marmoreum* intelligit Juvenalis. Invitans enim amicum: Non, inquit, tibi dabo delicias, quas soli divites inter cœnam adhibent. Hoc non convenit paupertinæ fortunæ nostræ, sed illius tantum, qui *pitysmate lubricat Lacedæmonium orbem*, id est cujus triclinii pavimentum preciosis Tænarii marmoris orbibus refulget, aut ovatis maculis: nostrum pavimentum plebejum est. Itaque nos pavimentum plebejum *pitysmate lubricamus*, non autem pavimentum Lacedæmonium. *Pitysmata* sunt, quæ ex poculis in pavimentum alliduntur, ut resonaret. κοτταβισμοὺς Græci vocant. docet Cic. *in Tusc.* de Critia Socratis inimico ex Xenophonte. Horat. *& mero tinget pavimentum superbo.* Jam illis *pitysmatis lubricatur* pavimentum, ut etiam excogitata sint pavimenta, ne ex humore illo maderent. Vitruv. *lib.* vi. de pavimentis: *Ita conviviis eorum, & quod poculis & pitysmatis effunditur, simul atque cadit, siccescit.* Nugati sunt Critici, qui aliter. Nullum est Juvenalis paullo melioris notæ exemplar, quod non habeat *pitysmate*: etiam Vet. Schol. id agnoscit. *Pitysſare* est rorantibus, ut Cicero loquitur, & minutis poculis pergræcari. Alexis: καὶ τὸν μὲν ὀξὺν οἶνον ἐκπιτύζομεν. Omnes Critici putarunt Juvenalem de ludo quodam agere, atqui nihil tale. Ne exspectes, inquit, a paupere *Gaditanas puellas* & crusmata. Hoc competit illi, qui *pitysmata* effundit in pavimentum preciosum crustis marmoreis vermiculatum, non nobis, qui *pitysmate* tingimus pavimentum αὐτοσχέδιον & plebejum. Lege Juvenalem. ne tibi quidem ignosces, qui in re tam clara cœcutiveris, & plane est omnium doctorum ibi peculiaris hallucinatio. de vino, quod projiciebant humum quod διαπιτύζειν καὶ ἀποκοτταβίζειν dicebant, accipe notabiles versus ex Archedici Comici Θησαυρῷ, qui eruunt Juvenalis Interpretes:

Ἄκρα δ' ἐπὶ χερσὶν ἀρχομένοις (ἀπόλλυμαι.)
Κατίδοιτ' οἰκεῖοι. τοῦτο (πρὸς ἐμαυτὸν λέγω)
Διαπιτυνοῦσι οἶνον δὲ τοῖς τοι χαμαί; Οἴ μοι.

vides διαπιτύζειν οἶνον χαμαί, quomodo Juvenalis *lubricare* pavimenta *pitysmate*, & Hor. *tingere vino pavimentum.* inde Terent. *vini quid pityssavit mihi*: Omnes *lubricant* pavimentum *pitysmate*, sed *Lacedæmonium* pavimentum soli divites. §. Hæc Scaligeri sententia maximam partem refutatur a Claud. Salmasio ad Spartian. *Pescenn. Nigr. cap. 6.* & Idem in *Observ. ad Jus Att. cap. 23. p. 487.* ita exponit: *Lacedæmonius orbis* est delfica ex *Lacedæmonio* marmore, poculis & præparatis ad ministrandum vasis onusta, ad quam *pytissabant*, & vinum experiebantur ac degustabant, quod more degustantium cum ore rejicerent (id quod *pytisma* est, ut ex Vitruv. vii. 4. constat) mensam ipsam *lubricabant.* §. Octav. Ferrarius *Elector.* ii. 6. ita de hoc loco: Haud scio, an alius in toto Scriptorum genere locus exstet, in quo vexando plus sibi critica lascivia indulserit, quam hic: ut mira & inaudita verborum commenta artisque hujus ineprias reputanti mihi rubor suffundatur. Quid autem Criticos impulerit, ut a *veteris Enarratoris* explicatione discederent, non video: quæ ut brevis, simplexque, ita ad Poetæ sententiam proxime accedit: *Qui Lacedæmonium p. l. o. i. Qui respuit supra marmor Lacedæmonium, quo stratum est pavimentum.* Divitum enim luxum Poeta carpit, quorum triclinia Lacedæmonio marmore constrata oris excrementis fœdabantur. Immanis enim luxus erat argumentum, sputi rejectionibus preciosos illos *Lacedæmonios orbes* quotidie desœdare. Quæ sequuntur apud Veterem Interpretem: *Ut sit læve, & saltantibus puellis nihil impediat,* quasi ideo sputo *lubricaretur* pavimentum, ut facilius & velocius saltatriculæ discurrerent, vel ex glossemate irrepsit, vel ineptit solens. §. Isaac. Vossius *ad Catull. p.* 59. 60. ita de hoc versu disputat: Recte a viris doctis accipitur *pitysma* pro sputo, sed vero in reddendo sensu mirifice omnes cœcutiunt. Postquam de feminis egit Satyricus, transit ad Laconicos, seu masculos amores. *Orbem* vero *Lacedæmonium* vocat discum, quos aut ferreos, aut lapideos aut denique ligneos fuisse notum est. Habebant vero illi in medio foramen, per quod transmittebatur lorum, cujus beneficio discus in gyrum agebatur, ut Eustath. ad Θ. *Odyss.* docet. figuram ejus disci videre est apud Gruter. *Inscript. p. 54.* quam nonnulli perperam interpretati de crotalo aut tympano. Jam vero, qui discum huncerant libraturi, solebant medium ejus foramen, & ipsum quoque lorum saliva inungere, quo nempe velocius moveretur & effueret discus. Quid vero per *orbem* hunc *Lacedæmonium* Juvenalis intelligat, dicant alii. §. *Sciat lector omnia, quæ post Lipsii sententiam sequuntur, a me* Henninio *esse suppleta, post quam Lipsii sententiam Gravgæus hisce verbis suam Epistolam concluserat:* Interim V. C. post tot tantosque viros mene mutire nefas? Quidni, cum a Critico nemo juratores exigat? Certe, ut libere fatear, nullius jurare in verba magistri, nec hic mihi est, quid sequar, aut quem: sum ex iis, qui vivunt, aut vivere conantur non ad similitudinem, sed ad rationem; alii ad rumorem compositi sint, & optima rentur, quæ a magnorum virorum assensu recepta sunt. Nulli etenim Criticorum hoc in versu mihi fides est, tribus exceptis Flavio, Cerruto, Lipsio, qui proprius scopum attigerunt, non tamen sine damno veræ lectionis; cum unus *poppysma* somniat; alter *pygisma* comminiscitur. Germana autem lectio ex fide omnium Manuscriptorum ea est, quæ nihil addit, mutat, immutat. Et si quis perpenderit antecedentia, videbit sub his verbis, anguem in herba latere, ut ajunt, & nescio quid propudiosi plusquam par est tuis, id est, castissimis auribus, subintelligi, videlicet κολύνειν clazomenas, ut ille Petronianus Philoctetis cliens, qui fallit, non fallitur postico. Nam qui *orbem* ea significatione sumi nescit, legere ignorat, nec aliter tota theatra intellexerunt illud Suetonii:

Videsne ut Cinædus orbem digito temperet.

Et magis, *orbem Lacedæmonium*, quod sumpsit ex Aristophane, cui Clinias dictus κυσολάκων, quod ex parte explicat Hesychius, cum utitur λακωνίζειν, παιδικοῖς χρῆσθαι: unde Eupolis, μίαν λακωνίζειν. Et scimus, inquiunt. Sed *pytisma* quid? Certe, ut obscurius loquar, *bilbil* est, & fateor omnes, quid intelligeret per *pytisma*, ignorasse. Et ex illa ignoratione ortæ tot variæ lectiones, tanquam Excetræ capita. Verum sciant *pytisma*, quod sputum latine dicunt & salivam pro re obscœna sumi, ex more Latinorum, ut videre est in Phallicis, sed potissimum apud Catullum in Gellium: Ille enim

Patrui perdespuit ipsam
Uxorem.

Clara voce pronunciat, & invitis libris Scaliger ille Criticorum princeps mutavit in suum *perdepsuit*, & gloriatur. Ita est certe, mi Morelle, hic appellat *pytisma*, quod Latini sputum, rorem, serum, salivam dicunt. Et *spuere*, sive *despuere*, ut & *vomere* Arnobio, in obscœnis est, ut dixi. Imo & impatienter audivi non semel nostros nebulones idiomate suo tale quid effutire. Ergo τὸ

Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem,

sensus est: qui nova Elephantidos figura nudum supinatumque in ventrem exsecrandis uredinibus flagitat. Hic cum aliis noster conatus, sed conatus, a te rem ipsam exspecto. Jam vero, si quid habes, & habes, confer tanquam colophona in nostrum convivium,

Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis
Plena dives ut in domo.

Vale. Vindocini iv. Eidus Jul. CIƆIƆCXII.

179. *Dubiam facientia* &c.) Vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

186. *Humida* &c.) & quidem serica. Serica autem cum dico, subserica intelligi volo, non enim alia tunc in usu. ideo vetus Interpres eo loco recte exponit multicia, *vestes molli intextas subtemine*. Multicium enim adjectivum, quod in substantivum transiit, nam & multicia vestis & simpliciter multicium. unde *multicia* Juvenali, tenues & pellucidæ vestes. Salmas. *in Fl. Vopisc.*

193. *Prædo caballorum.*) In Cod. satis vetusto Patricii Junii adjectum erat Scholion: *propter equos ab hostibus raptos.* aliter Scholiastes Pithœi. Nihilo saniora, quæ commenti nuper docti Viri. Non sensum habet illa lectio, non mentem, quocunque se vertant illi, qui nihil corrigi patiuntur. Cujus bona absumuntur, is ipse dicitur interire. Etenim in quo quis sanguinem suum profundit, a quo viscera & vitale sibi erodi & absumi patitur, ejus merito *prædam* dicemus. Liv. de Junio Bruto: *cum se suaque prædæ esse Regi sineret.* sic apud Comicos meretricum & lenonum & parasitorum *prædæ* sunt amatores & luxuriosi adolescentes: heri stulti servorum. Atque ita Prætor *caballorum præda*, sic enim omnino legendum, qui in comparandis & instruendis ad munus equis, munere denique ipso, sub vana specie honoris censum mergit. Varro in Sat. *Crede mihi, plures dominos servi comederunt, quam canes.* Sic Actæonis & Diomedis fabulas enucleant Theo Sophista Progymn. *cap.* vi. Palæph. in *Incred.* Acerbo igitur sale perstringit muneratium Poeta, qui dum triumphantis ritu habituque Circensibus præsidet, magnum se virum putat, quum revera sit *caballorum præda*: hoc est prodiga illa impensa in equis aurigisque alendis, exercendis, producendis comedatur miser, patrimonium exhauriat, intereat. Olfecit hunc sensum & lectionem Lips. ad *lib.* I. *Annal.* Tac. sed poterat etiam fidentius decernere. Ecce enim Tibicinem Juvenalem ipsum huic interpretationi *Sat.* I.

> *Qui bona donavit præsepibus, & caret omni*
> *Majorum censu.*

quid hoc est aliud, quam qui fuit *præda caballorum?* Sic in contrarium *cantherium comedisse* dicitur Cic. qui famis caussa coactus est illum vendere, & precium absumsit *lib.* ix. *ep.* 18. *Potes mulo isto, quem tibi reliquum esse dicis, quando cantherium comedisti, Romam pervehi.* Hæc & multo plura in hujus emendationis assertionem integro capite congessit Gronov. *Obs. lib.* iv. *cap.* 24. ¶ de *prædandi* verbo vide Heinf. ad Claud. *Fescenn.* vs. 11.

206. *Solida hora* &c.) Salmas. *Exerc. Plin. p.* 648.

Ad SATYRAM XII.

Sed procul extensum &c. vers. 5.) Prolixe hunc locum expendit Saubert. *de Sacrif. c.* 19. *p.* 456--459. quem vide.

13. *Clitumni pascua.*) Contra scriptorum fidem inepte legit Georg. Valla *Ditumni.* vide plenius de hoc loco agentem Saubert. *de Sacrif. cap.* 17. *p.* 423.

23. *Si quando poetica* etc.) Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

35. *Eunuchum* &c.) Schottus *Nod. Cic.* I. 25.

35. *Cupiens evadere damno Testiculi. adeo medicatum intelligit inguen.*) Sic hoc loco non solum veterrima exemplaria a me inspecta, sed Serv. quoque *lib.* I. Geogr. Virgil. vs. 58. agnoscunt; cum in vulgatis sit *testiculorum.* Sic *Sat.* I.

> *Sic fur displiceat Verri, homicida Miloni.*

Sat. iii.

> *Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis.*

Sat. xii.

> *Partem aliquam belli & euntem in prælia turmam.*

Sat. xii.

> *Hoc monstrum puero, & miranti sub aratro.*

Sic enim & ibi vetusti Codd. ut & Sat. xiv. meliores:

> *Sed peccaturo obstet tibi filius infans.*

non, *obsistant*, quod est in vulgatis. Sat. xv. quoque scribendum videtur:

> *Illic cæruleum, hic piscem fluminis, illic*
> *Oppida tota canem venerantur, nulla Dianam.*

non *cæruleos.* intelligit autem marinum piscem. Heins. *ad Claud. Cos.* II. *Stilic. vs.* 167. ubi plura hujusmodi hiatus exempla ex aliis Poetis laudat.

39. *Teneris Mæcenatibus.*) Rigalt. de *Sat. Juven.* in Proleg.

40. *Generosi graminis* &c.) Oves illæ circa Bætim & Cordubam pascebantur. Martial. viii. 28. ix. 62. Plin. viii. 48. Bochart. *Geogr. Sacr. p.* 696.

46. *Bascaudas.*) Domitius Calderinus ait, se in antiquo codice *bascanda* per *n* reperisse. In optimo Manuscripto meo plane est *bastauda* per *u*. Voss. *Etym. p.* 56

88. *Nitentia cera.*) Vulgo explicant, quasi Larium simulacra e cera fabricata fuerint. Sed neque illi exemplum adferunt, neque id uspiam legisse memini. nescio, an hic versus potius trahendus sit ad *ceram*, in qua vota figebantur. vide Rutgers. *V. L.* v. 5.

89. *Longos* &c.) Cum reverterentur ex longo itinere prisci Romani, eorum domus festo hoc ornatu reddebatur illustrior. Tac. *Annal.* iii. 9. redeuntis Pisonis domum, quin & ipsum Pisonem hoc nomine in invidiam adductum memorat. Sagitt. *de Janu. Vett. c.* 30. §. 22.

90. *Matutinis lucernis.*) Vide præter Lips. *Elect.* I. 3. etiam

3. etiam Sagittar. *de Janu. Vett. c.* 32.

91. *Cuncta nitent: longos* etseqq.) In sacris, supplicationibus, diebus festis, quoties publica aut privata lætitia incesserat, etiam medio die lucernas, lumina, lampades, januis ac fenestris suspendebant, quod hodie ex simili caussa per noctem fit. Apul. *Domus tota laureis obsita, tædis lucida.* Tertull. in Apolog. *Quam recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant; quam elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabantur.* Ferrar. *de Lucern. Sepulchr. pag.* 5.

91. *Longos erexit janua ramos.*) Apposite pro reditu peregrinantis navi, & tres tantum digitos, secundum Philosophi dictum, imo vulgi etiam opinionem, a morte absentis. Solebant enim Romani ἀρτιέζυς, seu lauri rhamni veramos supra januam ponere, desperatis morbis, quasi deprecantes Apollinem, vellet parcere ædibus, quas videret Daphnen sibi tantopere amatam tutari. Stat. *Sylv.* v. pro uxore graviter decumbente:

— *Nunc anxius omnibus aris*
Illacrymat, signatque fores.

Meursf. *de Funer. cap.* 1.

100. *Fixis tabellis.*) hoc Lucret. vocat *lib.* vi. *votis mactere vota.* vide Rutgersf. *V. L.* v. 5.

130. *Nec amet* &c.) Quod est extreme mali & miseri. Recte autem dicit: *Nec amet*, quoniam cum divitias orborum tantum amet, neminem vere amat. *Idem* Ovid. *Sitque miser semper, nec sit miserabilis ulli.* E.V.

Ad SATYRAM XIII.

Mors cruciat. in argumento.) Lipsf. *Epist. Quæst.* iv. 15. legit *Mens cruciat.*

5. *Recenti de scelere.*) Nescio an non *retenti* scribendum sit, ut sit *retenti crimen*, depositi abnegati ac non redditi. Et sane de eo loquitur. Temere tamen affirmare nolim. Rutgersf. *V. L.* ii. 17.

28. *Nona ætas agitur* &c.) Vulgo hæc non recte exponuntur, cum nullum dubium sit, quin Poeta hoc loco Cumæam secutus sit vatem, quæ nonam ætatem, nullo signatam metallo, descripserat velut omnium ætatum teterrimam: ut contra decimam ætatem veluti omnium optimam, utpote qua futura esset ἀπογενήσεως per Christum. Sed Juvenalis cum istam ἀπογενήσεων non admitteret, scribit nonam etiamnum fluere ætatem. In libris enim Cumææ Sibyllæ ἀνεπίγραφος & sine titulo fuit octava & nona ætas, aut si id non sit, verisimile est ab octava Sphæra octavæ ætati, a tellure vero cognomen additum fuisse nonæ, cum constet aliquot Pythagoræos, eosque secutum Philonem Judæum, isthoc ordine cœli digessisse regiones. If. Vossius *de Sibyll. Orac. cap.* 4. *p. m.* 42.

34. *Nescis* etseqq.) Vide omnino Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

49. *Nondum aliquis* etseqq.) Vide mihi Rigalt. *de Sat. Juv.* in Prolegom.

55. *Si juvenis vetulo* etseqq.) Si juvenis seniori; & iterum puer juveni, cui prima genas lanugo inumbrabat, non assurrexerat. nam, ut subjicit, *prima lanugo par erat sacræ senectæ*, i. eadem ratione pueri pubescentium lanuginem prosequebantur, qua juvenes reverebantur senectæ canos. Vide ad *Sat.* vi. 105. Ferrar. *Elect.* ii. 12.

65. *Miranti.*) Gatakerus legendum censet: *liranti.*

76. *Adspice, quanta* etseqq.) Scitissime, quod latebat, explicavit Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

86. *Sunt in Fortunæ* &c.) Multa huc facientia, ut solet, corrasit ad *Claud. in Rufin.* initio p. 1077—1094. Barthius.

88. *Vices.*) de hujus vocis vi multa ad *Claud. in Rufin.* 1. 6 Barthius.

93. *Irato feriat* &c.) Schott. *Observ.* ii. 6.

96. *Locupletem* &c.) Non Satyrice, ut Lubinus, Grangæus & plures, quod illa nempe divitibus plerunque familiaris & infesta sit, sed afflictionem hanc in summa opulentia: nam sic cum superioribus hæc locutio optime conjungitur. *E. V.*

112. *Exclamas* &c.) vide Rigalt. *de Sat. Juven. in* Proleg.

113. *Audis Jupiter hæc* &c.) Adi Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

116. *Charta soluta.*) Intelligo potius de ea charta, in qua vota obsignata fuerant, ut sit sensus: Quare lacerata ac soluta ea charta, quæ vota nostra continebat, eorum damnati thura, quæ voveramus, vobis reddimus? vide Rutgersf. *V. L.* v. 5.

122. *Tunica.*) nam in pallio conveniebant: tunicati Stoici, Cynici ἀχίτωνες. vide Ferrar. *de R. V.* I. 4. & si omnino hæc intelligere velis, erit tibi etiam omnino videndus laudatus Auctor de *R. V.* iii. 2. & *Part.* ii. *lib.* iv. *cap.* 19. & 20. ubi & icones videbis hunc locum illustrantes. ¶ Stoici tunicas, ut reliqui Philosophi & Græci omnes, gestabant, quibus carebant Cynici. Hi tamen sub pallio nudi non erant, ne quis id censeat, nec pallium ἐπὶ γυμνῷ gerebant, sed interulas sive lineas tuniculas induti habebant. *Salmas.*

137. *Chirographa.*) emphatice, ceu quibus continebatur apertissima probatio debiti seu depositi. hinc *Chirographarius debitor* in Jure. Salmas. *Obs. ad Jus Attic. cap.* 29. *p.* 759.

137. *Ligni.*) hinc apud Jcc. *contra lignum* i. contra tabulas testamenti vel chirographi. Ambrof. *de Tobia: Aurum dedimus, lignum tenemus.* vide Scip. Gentil. *Parerg.* 1. 20. adde Salm. *de Mod. Usur. c.* 10.

165. *Et madido* &c.) Torquent cornua, madido cirro, qui comam obliquant, ut in cirrum ac nodum eam cogant. *Cornua* vocat longas crinium sertas, quæ torquentur, ut in nodum mitti possint. Græci & κέρατα appellant. inde & *cornua* & *crines* in fluminibus, τὰ πλοκάμια, & rami. *Madidus* autem *cirrus* Germanorum, quia crebro comas lavabant saponibus. Qui nodos dant crinibus Germanorum, iisdem & cirros tribuunt, & eorum proprios faciunt. Salmasius *Ex. Plin. p.* 762.

Ad SATYRAM XIV.

HEres bullatus. verf. 4.) Vetus Interpres, *parvulus*. interpretatur quippe, qui *bullam* adhuc *gestans*, quod fiebat usque ad annum xiv. Nam ut Porphyrius testatur, in Horatii *lib.* I. *Sat.* v. puberes facti Laribus eam suspendebant, ut puellæ Veneri pupas suas: unde Persius *Sat.* v.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Voss. *Etymol. p.* 81.

5. *Movet arma* &c.) Casaub. in *Theophr. p.* 187.

5. *Fritillo.*) Arma aleatorum sunt tesseræ, tali, aleæ, quæ fritillo moventur & agitantur priusquam jaciantur in abacum, vel alveum. *Fritillum* ergo instrumentum est, vel vasculum, in quo tesseræ fritinniunt, & cum sono subsiliunt, concussæque agitantur. Nam *fritillum*, juxta vocabuli veriloquium, est ἀπάρεγον, *Fritinnus* vetus vox est, quæ motitationem & subsultationem cum sono significat; a *fritinnus* igitur diminutivum *fritillus*: inde *fritinnire* Nonio, *subsilire cum sono.* Salmasius *in Fl. Vopiscum.* vide Turneb. *Adv.* vi. 3. & *Jun.* in Nomencl.

7. *Tubera terræ.*) Salmas. *Ex. Plin. p.* 708.

24. *Inscripta ergastula.*) Vide Salmas. *Ex. Plin. p.* 258. Fabr. *Semest.* ii. 5.

60. *Nitidas* &c.) id est, fac nitidas. Sic in Test. Viros ostendere Christos, id est, χρίειν. In veteribus Glossis, *Mollificare*, molles ostendere. *Salmas.*

67. *Emendat servulus.*) Puto legendum *emundat*, quia in veteri. cod. ms. Rittershusiano est, *emondat*. Sciopp. *Verif.* iv. 10.

111. *Testa cum vidit in illa.*) Testaceum non fuisse Diogenis dolium, sed ligneum, illud convicerit, quod illæsum, ne otiosus esset, sæpe versaret: de quo est apud Lucianum in libello: quomodo conscribenda sit historia. Quamquam testaceum dolium versari & circumagi potuit; in fimeto, puta, vel æquato etiam pavimento; cum præsertim ampla illa & capacia dolia pro amplitudinis modo solida fuisse & spissa credibile sit. *Menag. ad Laert. lib.* vi. *p.* 137.

124. *Minimas sordes* &c.) Casaubon. *in Theophr. p.* 262.

125. *Mox adquirendi.*) Casaub. *in Theophr. Char. p.* 295. Salmas. *de Mod. Usur. c.* 4. Plurimas ex Vett. sententias collegit Barth. *ad Claud. in Rufin.* I. 188. *p.* 1133. & 200. *p.* 1141. quibus probat, non minui habendi cupidinem ullis opibus, quem proin videto, si otium est.

133. *Putrique siluro.*) *Silurum* pro piscis genere vulgaris, atque non magni videtur posuisse in characterismo hominis deparci. Hoc enim facit ad exaggerandas sordes hominis ultra modum parci, qui dimidiatos pisciculos minutos in alterum diem servat, ac mensæ reponit, cum æstiva conche, qui vilis est cibus pauperculorum hominum. Nam *Silurus* ipse, qui Sturio est, vel Glanis, non videtur admodum familiaris hujusmodi mensis, quales ibi describit Satyricus: nec magnæ hoc parsimoniæ indicium esset, ingentem piscem, qualis est sturio, dimidium servare in alteram cœnam. *Salmas.*

136. *Perone.*) vide Ræward. *V. L.* I. 8.

196. *Attegias.*) Putant hoc vulgo Mauritanum aut Punicum esse vocabulum, & esse Synonymon τῷ *castella*. verum *attegias* ab *attegendo* dici, ut καλύβας ἀπὸ τοῦ καλύπτειν docet vir undecunque doctus in *Exerc. Plin.* Bochart. *Phaleg.* ii. 9. Vide & Voss. in *Lexic.* it. *de Vit. Serm.* I. 4. Budæ. *de Asse* iii. 248. Salmas. *Ex. Plin. p.* 311.

208. *Vetulæ pueris repentibus assæ.*) alii habent *pueris reptantibus*. verum in mss. legitur *pueris poscentibus*. quomodo diserte etiam in nostro scripto. Quocirca & illic, *pueris poscentibus* legendum, ne vel ipsi Pyrrhonii Philosophi, qui de omnibus dubitare solebant, addubitent. Pontan. *ad Macrob. Saturn.* vii. 16.

209. *Puellæ.*) Ergo non tantum filiolos, sed filiolas docent avaritiam: nisi forte sit *puelli* legendum. *E. V.*

240. *Si Græcia vera, Monæcus, In quorum* &c.) *Græcia quorum*, figura est, quam ἀλλοίωσιν Græci vocant, subinde in bonis Auctoribus obvia. Rutgers. *V. L.* iv. 14.

254. *Medicamen* &c.) Subtiliter latentem sensum eruit Rigalt. in Proleg. *de Sat. Juv.*

260. *Dis atque ipso Jove.*) vide Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

261. *Ex quo Mars ultor* &c.) Adi Rigalt. *de Sat. Juv.* in Proleg.

281. *Tenso folle.*) Distento & pleno pecuniarum sacculo. Follis enim Latinis est, quod βαλάντιον Græcis; Sacculus nempe, quo reconduntur nummi. *Salmas.*

305. *Hamis.*) intelligit vasa aquaria rotundioris figuræ, & ventris globosioris, quibus ad incendia restinguenda utebantur, *Salmas.*

Ad

Ad SATYRAM XV.

Qualia demens &c.) Hæc & sequentia si velis ex asse intelligere, adeas, quæ de portentosa Aegyptiorum superstitione commentati sunt multa diligentia præcipue Ouzelius, tum Elmenhorstius & Wouwerus ad Minuc. Felic. *Octav.* p. m. 262—279. edit. Hakian. ubi omnia, quæcunque huc adferri possunt, sunt occupata; nec non vide, quæ de Aegyptiis eorumque superstitionibus sat multa congessit ad *Claud. Cos. Manl.* vs. 128. *pag.* 129—144.

2. *Crocodilon.*) non quemvis, sed *terrestrem*, non fluviatilem, quique apud Diospolitas, teste Stephano, ut mansuescerent, in antris & puteis educabantur, ut præclare docuit Ez. Spanhemius, Vir illustris, *de Pr. & Us. Numism.* Diss. iii. p. 149.

5. *Dimidio Memnone.*) Plerique dicunt hanc statuam in Ægypto fuisse. Unus Philostratus *in Iconib.* eam in Æthiopia visam ait, ut & Calsistratus, qui & hoc addit, statuam hanc non semel, ut Strabo, aliique volunt, sed bis in die, neque simplicem sonum crepuisse radiis Solis contactam; sed cum hilaritate quadam conjunctum, accedente eo; contra lugubrem recedente. Idem interpres Juvenalis nondum editus: *Statua Memnonis filii Auroræ ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce Regem & Solem salutaret. postea rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, partem statuæ abscidit, & sic postea Solem tantum, non etiam Regem salutabat: unde dimidio Memnone dixit.* Janus Douza *in Catull.* Salmas. *Ex. Plin.* p. 475. vide & Freinshem. *ad Curt.* iv. 8. 3.

6. *Vetus Thebe centum jacet obruta portis.*) De hac urbe, ejusque excidio docte, ut solet, Bochart. *Geogr. Sacr. p. m.* 314—316. ubi hunc locum laudatum illustrat obiter.

27. *Miranda* &c.) Vet. Scholiast. dicit Juvenalem ibi de se loqui, *quia in Ægypto militem tenuit*, &c. Dicit *militem tenuisse*, qui militem rexit, qui militibus præfuit. Nam, ut refert Auctor vetus vitæ Juvenalis, *per honorem militiæ quanquam octogenarius urbe summotus, missusque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti.* Syenem omnino intelligit, quæ in fine imperii & extrema Ægypti parte, in qua tres cohortes prætendebant. At vir doctus legi volebat, *miles vitem tenuit*, quod verum non est. Vitis gestamen Centurionum proprium, non præfecti cohortis. Et ubi fuerit, cum Satyras suas scriberet, videre est apud Salmas. in *Plin. Exerc. pag.* 449.

27. *Junio* &c.) Ita libri omnes, non *Vinco*, vel *Junco*: dissyllabum est *Junio*; ut *Vindemiator* tetrasyllabum Horatio, ut, *tenuia*, trisyllabum Lucretio, Virgilioque. *Q. Junium Rusticum* intelligit, qui consul fuit cum Hadriano, tertio ejus imperii anno, urbis autem conditæ IↃCCC. LXXII. Itaque paulo post consulatum Junii illa Satyra scripta. Sunt, qui volunt Junium Sabinum cum Domitiano consulem fuisse, A. U. 836. Salmas. *Plin. Exercit.*

35. *Tentyra.*) Plinius *Tentyra* insulam vocat, quam alii urbem. Sed omnes fere urbes Ægypti ad Nilum sitæ, totidem erant insulæ, manu factis canalibus cinctæ, cum excreverat Nilus. Cæterum cum crocodilus, in plerisque Ægypti urbibus, instar numinis coleretur, Tentyritæ infensissimo animo, non tantum eos prosequebantur, sed etiam naturali quadam potentia ad eorum perniciem pollebant. Hinc ergo bellum illud inter Tentyritas & Ombitas natum. Colebant Ombitæ crocodilos, quos contra Tentyritæ insectabantur & necabant. Ex eo illud internecinum odium vicinos inter populos. Sensus enim est: Inter finitimas urbes, Ombos & Tentyra, ardet adhuc vetus simultas & nunquam sanabile odium. Salmas. *Plin. Exerc. p.* 447.

36. *Quod* &c.) Ergo vicini secundum Juvenalem, Ombitæ & Tentyritæ. Universa tamen veterum Geographorum natio contra stat, quæ longe Ombos a Tentyris summovet. Primum non in eodem Nili latere istæ urbes: nam Ombi prope Syenem in Arabia & Orientali parte: Tentyra in Libyco latere ad occidentem fluminis. Vide latius ea de re differentem. Salmas. in *Plin. Exerc. p.* 477.

44. *Septimus sol.*) Salmas. *Plin. Ex. p.* 441.

69. *Nam genus hoc* &c.) Salmas. *Ex. Plin. p.* 42. 43.

75. *Terga fuga celeri præstant instantibus Ombis, Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.*) Ita enim legendum vidit V. C. Jos. Mercerus ex veteri scriptura, quæ habuit, *præstant instantibus omnes.* Loci vero nomen hic proprium desideratur, cui vicina Tentyra. Nam ridiculum est *umbrosam palmam*, pro palmetis intelligere. scriptum fuisse suspicor *Pammæ* pro *Pampæ*, unde *Palmæ* fecerunt. *Pampæ* vicus vicinus Tentyris. Legendum ergo:

Qui vicina colunt Umbrosæ Tentyra Pampæ.

Παμπανις vocatur Ptolemæo. Ergo Tentyra illa sunt Juvenali, quæ Pampæ vicina, longe utrique ab Ombis sita, quæ tamen propinqua statuit. Quid si Poeta Oxyrynchitarum & Cynopolitarum historiam sub nominibus Ombitarum & Tentyritarum traduxit? sane & tempus convenit, nec res disconvenit, ut videre est apud Plutarchum, Juvenali contemporaneum, in lib. de Iside & Osiride. Tum denique Ombi & Tentyra versum melius & mollius ineunt, quam Cynopolis & Oxyrynchus, quæ prorsus Heroicum metrum negant intrare. Vide Salmas. *Plin. Exerc. p.* 452. b.

128. *Fictilibus* &c.) Salmas. *Ex. Plin. p.* 1116.

Ad SATYRAM XVI.

Quis numerare &c.) Scholion vetus apud Barth. *Adv.* xiv. 16. *Satyra hæc non postremo edita est a Juvenale, sed ordo debet esse ut istam sequatur præcedens. Juvenalis enim a Paride in exsilium extrusus non videtur sibi male esse. Ergo laudat militiam. Quidam dicunt non esse Juvenalis, sed ab ejus amico appositam.* Cui Scholio concinit Barthius, & hujus sententiæ consortes laudat Angel. Decembrium & Jan. Rutgers. ut patet ex hujus *V. L.* iv. 4.

4. *Plus etenim fati* &c.) *Per constellationem puncto felices infelices efficiuntur. Apparet Juvenalem Stoicum esse.* Ita Scholion vetus ap. Barth. *Advs.* xiv. 16.

6. *Genitrix.*) nempe *Juno gravida olfactu florum peperit Martem.* sic annotat Scholion vetus ap. Barth. *Advs.* xiv. 16.

11. *Livoribus.*) Scholion ap. Barth. *Advs.* xiv. 16. *Livor dicitur proprie inflatio vulneris, sive macula immanens post percussuram.*

13. *Bardaicus Judex.*) i. bardocucullo vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis & cilicio confectus. qualem propterea Centurionem *hirsutum Capellam* v. 155. appellat audacter; non tam quod capillis & barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso induceretur. Gemina Claudiani sententia *lib.* i. *in Rufin.*

Mœrent captivæ pellito Judice leges.

Ferrar. *de R. V.* vi. 21. ¶ Scholia vetusta ap. Barth. *Advs.* xiv. 16. *Datur tibi poscenti multam barbarus centurio, qui pro milite respondebit.* Bardaicus. *similis Batavorum. iste acerrime judicabat de civibus, dicens: capitale est crimen, si togatus militem pulsaret.* ¶ hic Scholiastes vel legit *Battavicus*, vel in eo legendum *Bardæorum, ἀντὶ τοῦ Batavorum.* ¶ Salmas. *ad Hist. Aug.* τὸ *calceus* conjungit cum *Bardaicus*, ut militaris *judex* describatur per *calceum Bardaicum* & *grandes suras.*

25. *Ab urbe.*) i. *urbanitate. Procul ab urbe dicuntur esse fatui, quia, qui in urbibus sunt, solent esse prudentiores paganis. Contra autem villani, qui ab urbe remoti sunt, stulti vocantur.* vide Scholia vetera in hanc Sat. ap. Barth. *Advs.* xiv. 16. ex quibus hæc depromta.

32. *Citius falsum* &c.) Vide tit. π. *de re milit.* & quæ de militum in judiciis prærogativa disputat Salmas. *Obs. ad Jus Att. c.* 21. *p.* 420.

38. *Sacrum saxum.*) adeas omnino Ouzel. *ad Minuc. p.* 15. et seq. Auctores *Rei Agrariæ*, & præcipue inter eos Siculum Flaccum de Terminorum defigendorum ritu. fuere autem non solum lapides, sed & *arbores terminales*, ut constat ex *l.* 1. §. 3. *D. de Term. mot.* Paull. *Recept. Sent.* v. 22. Tibull. i. 1. Apul. *Apol.* &c. quæ itidem sacræ erant.

39. *Puls.*) *Pultes* explicat ap. Barth. *Advs.* xiv. 16. Scholium vetus *placentas tenuissimas.*

41. *Ligni.*) Scholium vetus apud Barth. *Advs.* xiv. 16. *Nam lignum sicut & membranam partibus supra denuo sibi jungebant, & hoc pro chirographo erat.*

45. *Lacernas.*) Aetate Juvenalis hoc est sub Domitiano, Nerva ac fortasse Trajano Caussarum patroni in lacernis purpureis, ut ad *Sat.* vii. *vs.* 134. nonnihil monuimus. hæ enim clientes alliciebant: quanquam, ut verum fatear, non ita compertum mihi sit, fueritne ille *Cæditius* patronus, an judex: &, si patronus fuerit, quia illum *facundum* appellat, cur *posuerit lacernas*: non quod defatigatus esset exspectando, non enim mora æstum affert; neque dicendo delassatus, nondum enim caussa cœpta erat. fortasse quia dicturi *lacernas deponebant*, in quo tamen hæsito, cum Auctor *dial. de causs. Eloq.* etiam pænulas in agendo adhibitas dicat. Videant ergo Eruditi. Ferrar. *de R. V.* iv. 25.

45. *Ponente lucernas Ceditio.*) In antiquissimis membranis primo scriptum fuit *Cæcilio*, id quod erasum postmodo *Cædicio* in locum suum admisit. Idem antiquissimus cod. cum altero nostro non *lacernas*, quod ab recentiore Critico videtur esse, sed clare *lucernas* præ fert. Ego vero genuinam scripturam puto, modo *poscente* legatur. Certum enim de notissimis oratoribus dici, qui diem dicendo eximere sueti. Cum tantum tempus, ait, frustra exspectaveris, quantum loquacissimos caussidicos in urbe lassare possit, ut alter ad indicandum serum tempus diei *lucernam poscat*, alter urinæ injuria vix morari sustineat; fastu tamen militari non solum non expedito negotio, sed nec proposita actione abibis. Hæc videntur scriptura & interpretatio veræ esse hujus loci. Barth. *Adv.* xiv. 16.

57. *Pulcro labori.*) *h. e. militiæ. Ita enim Alconius militiam definit: Quid est militia? ingenua & pulcra servitus.* hoc Scholium in optimo meo cod. sed manu atramentoque recentiori erat adscriptum. Ego vero *Alcuinum* Caroli M. præceptorem esse non dubito, cujus talibus plena sunt scripta, qui hic allegatur. Barth. *Adv.* xiv. 16.

THE-

THEODORI JANSSONII AB ALMELOVEEN
ANIMADVERSA
AD
JUVENALIS
SATYRAS.

Viro admodum Reverendo

JOANNI MARKIO,

Theologo solidissimo, Divinarumque Literarum in Illustri Groningensi Academia Doctori celeberrimo,

THEODORUS JANSSONIUS ab ALMELOVEEN

S. D.

HOc, quodcunque vides, libelli, Cognate dilectissime, ἀντὶ πρoσφορᾶς Tibi lubens meritoque dedico, idque summo jure. Sive enim tuum munus præclarum, quod quam maxime exornas, spectem; quid aliud, quam mundum deperditissimis ac summis suis intabescentem vitiis & pæne immorientem, vehementer incusare solent; rerum divinarum mystæ, quem Satyricorum eundem esse scopum quis nescit? Sive amicitiam aut necessitudinem, quæ Tecum mihi propinquo nexu intercedit, advertam; ea sane magnopere flagitabat qualecunque meæ erga Te venerationis testimonium. Has itaque meas in *Juvenale* cum *Scholiasta* legendo sub manu, ut ita dicam, natas animadversiones delegi; quibus hanc demandarem provinciam, quam si bene atque ex animi curarint voto, erit, quod mihi jure gratuler. Numquam vero, ut candide loquar, illas luce fuissem dignatus, tenues quippe & ferme extemporales, nisi amicissimus hujus Auctoris editor, cui hæc negare religionem & piaculum ducimus, blanda exoratione eas elicuisset simul & impetrasset. Accipe ergo eas, ut finem faciam, ceu leves, ast ingenuas magnæ meæ in Te Tuamque dignitatem observantiæ indices, meque amare pergito. Vale. dabam Amstelodami ipsis Kalend. Septemb. CIↃ.IↃC.XXCIV.

[*Animadversa ad Scholia Veterum*, quorum hic mentio fit, Lector habebit in *Notarum ad Scholia Veterum Collectione*, illuc enim bona cum Auctoris venia remisit Editor.]

SATYR. I.

C*Um verna Canopi.*) Legendum hoc loco foret *Canobi*, si Stephano fidem habere velimus, ille enim inquit: *Canopus debebat scribi per b. Strabo lib. xvi.* verum hic errorem commisit Stephanus, quem corrigit eruditissimus Pinedo in notis suis, e quo etiam constat errare Farnab. quando Canopum xii. miliaribus ab Alexandria dissitam ait. Cæterum de mutatione *b.* & *p.* vid. Quintilian. I. 5.

40. *Proculejus.*) Hic ille Proculejus est, ad quem extant Ciceronis Epistolæ *Familiar.* xiii. 30. *et seqq.*

74. *Probitas laudatur & alget.*) Consule Isidori Pelus. *Epist.* v. 44. & 414.

SAT. II.

M*Ultitia sumat.* vers. 66.) Vossius *in Etymologico pag.* 331. locum ex Scholiaste inedito profert, quem ad expositionem hic subscribere e re duximus:

Multitia; (verba Scholiastis sunt) *genus est vestis laneæ subtili arte contextæ, dicta mulsicia, quod sit multa & inenarrabili arte expressa, qua solummodo uti licitum erat innuptis puellis, & viduis matronis.* Quibus si eruditissimus vir mihi ansam non præripuisset, a *mollicina* deduxissem, quod est vestimenti genus a *mollitie* dictum. verum lis dirempta est.

92. *Cotyton.*) Apud Suidam lego quendam *Cotyn* dæmonem a Corinthiis fuisse cultum, tanquam impudicorum & scortorum præsidem.

119. *Feliciter.*) Hunc acclamandi morem Turcæ a Romanis retinuere. Busbeq. *Leg. Turcic. Epist.* 1. *p.* 19.

SAT. III.

Conducunt foricas. vs. 38.) Paulus Jctus eleganti loco corruptus: *Fiscus ex suis contractibus usuras non dat, sed ipse accipit, ut solet a fornicariis.* Glossographi imperite, ut solent: *fornicarii, id est qui furnum, aut fornacem vel apothecas vel quid simile a fisco conducunt.* Sed depravata est lectio, & restituenda: *Ipse accipit, ut solet, a foricariis.* videatur Tzetzes *Chil.* 1. Aldrovand. *de Quadrup. bisulc. lib.* 1. *pag.* 371.

70. *Trallibus.*) Hanc civitatem describit Agathias. Histor. *lib.* ii. *p. m.* 50. *Tralles itaque urbs, in Asio nunc ita dicto campo, juxta Mæandrum fluvium sita, olim quidem Pelasgorum colonia fuit.* vide loco citato ejus subversionem terræ motu, & instaurationem.

86. *Quid, quod adulandi* &c.) Satis eleganter depingit adulatorem Horat. *Art. Poet.* 428.

—— Clamabit enim, pulchre, bene, recte.
Pallescet super his: etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem: saliet, tundet pede terram.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
Derisor vero plus laudatore movetur.

Sed plurima in Notis nostris ad hunc Horatii locum congessimus, quæ ad adulatorum stratagemata enodanda faciunt. exemplum illustre exstat apud Martialem i. 34.

136. *Alta sella.*) quæ hic sit *alta sella*, dicant, qui norunt, ego sane *cellam* non invitus reposuerim: *alta* enim *sella* fornix est, confirmat conjecturam nostram idem Poeta; qui vi. 121. cecinit: *Intravit calidum veteri centone lupanar, & cellam vacuam.* Pignor. *de Serv. pag.* 281.

136. *Et dubitas alta Chionem deducere sella.*) de hoc loco ita Chimentellus disputat. Interpretari, *inquit*, licet de *sella*, qua meretrix illa, cui nomen Chione, alte vehebatur per Urbem. Sed magis placet *sellam* dicere, ubi amasios maneret. Vocat fortean *Altam*, ut lupam demonstret non tam curtassis, aut vulgaris indicaturæ: ita exponrem, nec abhorret sensus & junctura sermonis. Vetus Scholiastes ib. *deducere sella*, *inde sellariæ.* Intelligit (puto) nomine *sellariæ* vel lupanaria vel meretrices ipsas. Altum sedile feminæ alioquin frugi, & antiquæ paupertatis tribuit Naso *fragm. Medicam. faciei*:

Cum matrona premens altum rubicunda sedile
Assiduo durum pollice nebat opus.

ubi *altum sedile* exponere licet, quasi submotum, & inaccessum veteri illa Pudicitiæ custodia. Quo sensu nihil minus convenit cum Juvenali: vel *altum* h. e. inconcinne, & incommode factum, iis moribus, & seculi imperitia; humiliores quippe sellæ, opportunæ magis, & commodæ ad quiescendum. sunt qui pro *sella* substituant *cella*: quod Farnabio non displicuit, nec Pignorio de servis *p. m.* 137. qui fatetur, se nescire, quæ hic sit *alta sella*, cellamque non invitus reponit; ut *Alta* nempe *Cella* sit fornix. Sed cur *alta* vocetur *sella* superius dixi, cur ita sit vocanda *cella*, non illic sum dicturus. Vox enim ipsa *cella* locum significat angustum & humilem, quod notissimum, & protritum est. Idem Juvenalis eas libidinis mansiunculas vocat *Tegetes*, opponitque cubili Palatino *Sat.* vi. 117.

Ausa Palatino tegetem præferre cubili.

Quis nescit tenebricosa, olentia, ac subterranea plerumque fuisse ea gurgustia obscœnitatum, & latitando facta? Adeo vel Auctores flagitium ipsi suum occultare cupiunt. Seneca Pater *Controverf. lib.* 1. *Fornicis fuliginem* appellat, ac filius *de Vit. Beat. cap.* 7. voluptatem describit *latitantem sæpius: ac tenebras captantem circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia*: inter quæ omnino fornices & luparum stabula. Quid est ergo, cur altitudinem iis *cellis*, & cothurnum apponamus. Quod si liceret veteri, & jam concessæ lectioni manum inserere, fortasse ex ingenio quis pro *Alta*, reposuerit *Arcta*:

Et dubitas arcta Chionem deducere sella,

arcta namque, & laxiores sellæ muliebres, quod alibi docuimus: illæ magis decent scortilla sordentia, & famelica, misera libidinis publicæ mancipia. Sed & *arcta cella*, nil disconvenit, potius quam *alta*. Ad hunc autem sedendi morem respicere potuit Seneca *de Benefic.* 1. 9. *Rusticus, & inhumanus & mali moris est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & admissis inspectoribus vehi undique perspicuam.* Alia vide apud Wouwerum *ad Petron.* & Colerum *Parerg. cap.* 8. quos laudat Taubmann. *ad Plaut.* Neque tandem alienum, cum, quod Tiberius princeps *sellariam* excogitaverit, atque ita vocaverit in secessu Caprearum, *sedem arcanarum libidinum.* Suet. *cap.* 43. Tales opinor, quæ Plinio memorantur in domo aurea Neronis xxxiv. 8. *Violenta Neronis in Urbem convecta, & in sellariis domus aureæ disposita.* Scholiastes Juvenalis ad iii. 135.

Dedu-

Deducere sella, inde sellariae. hoc est lupanaria & loca sellis meretricum consita. Popinas sellariolas vocat Martial. v. 71. de Syrisco:

In sellariolis vagus popinis

Notavit Torent. ad eum Suetonii locum Tiberii. *cap.* 43. Val. Chimentellus de *Honore Bisellii cap.* 24. *pag.* 122.

142. *Paropside.*) proprie *paropsis* est condimenti seu juris aliquod genus, vel secundum alios, quondam massa, quae alteri cibo instar panis addebatur, quod discimus ex Pollucis *Onomast.* vi. 9. §. 5. unde & *opsonium* dicitur. aliquando etiam pro vase accipitur, quemadmodum hoc loco, ut recte *Lubinus.* fuse haec omnia in Linguae Graecae Bibliotheca prosequutus est Stephanus *Tom.* ii. *pag.* 5192. post quem Vossius *Etymolog. pag.* 372.

149. *Calceus alter Pelle patet.*) Auctor *Moreti* in initio: *Continuis rimis calcanea scissa rigebant.*

246. *Metretam.*) Mensura erat, qua liquores mensurabantur, unde & nomen accepit, maxime tamen a denarii numeri perfectione, ut pluribus nos docet Isidor. *Orig.* xiv. 25.

267. *Quem porrigat ore trientem.*) Plaut. *Poenul.*

Facit illum haeredem fratrem suum patruelem,

Ipse abiit ad Acherontem sive viatico.

307. *Pomptina palus.*) Hujus descriptionem ex Merulae Cosmographia apponamus, cum liber sit rarior. ita ille *Part.* ii. *lib.* iv. 12. Pontina *vel* Pomptina (*variat enim scriptura*) palus *etiam in Latio describitur a Plinio. Meminit cum aliis Juvenalis. Sic Lucanus lib.* iii.

Et quae Pontinas via dividit uda Paludes.

Saturae paludem *apud Virgilium* vii. *Aeneid. esse putant Hermolaus & Erythraeus. Sic Silius lib.* viii.

Qua Saturae nebulosa palus restagnat & atro

Liventes coeno per squalida turbidus arva

Cogit aquas Ufens, atque inficit aequora limo.

Hodie Aufente palude, *Leandro teste.* Decennoniae Paludes *videntur dici, ut Celsus Cittadinus censet, Cassiodoro lib.* ii. *Variar. ad Senatum Urbis. Vide paullo post inscriptionem, Nomen a* Pontia *urbe deductum putat Strabo. Fit palus ex Amnibus duobus Aufido, ut Strabo vocat, aut Ufente, ut Plinius, & altero Minore. Circa Tarracinam esse docet Festus; circa forum Appii Vibius, cui* Pontina *nominatur. Longitudo* xxvi. *milliaria amplectitur, Latitudo* vi. Pontinam paludem xxiv. *urbium fuisse tradit ex Muciano Plinius. Neque mirum tot oppida spatio millium* viii. *vel paullo majore exstitisse. Antiquis enim temporibus civitates erant vel oppida potius, ut hodie sunt vici.*

307. *Gallinaria pinus.*) Merula *in Cosmograph.* Part ii. *lib.* iv. *cap.* 8. *Gallinariam silvam nominant Cicero ad Patum scribens, & Strabo lib.* v. *qui* Γαλλιναρίαν *vocat. Pomponius Sabinus propius ad locum accedens in Cumano Sinu fuisse ait, addens Triviae Lucum appellari a Virgilio* vi. *Aeneid. Sanfelicio hodie Peneta de Patria dicitur. Pinus hujus vitiosius apud Juvenalem lib.* i. *Sat.* iii. *Callinaria nuncupatur.* Nominis vero origo legitur apud Suetonium in Vita Galbae *cap.* I.

SAT. IV.

Sanguine adhuc vivo *&c. vers.* 10.) Sueton. *Dom. c.* 8. Augustin. *de Civ. Dei* iii. 5. *Ipsi Romani antiqui in stupro detectas Vestales virgines sacerdotes, vivas etiam defodiebant: adulteras autem foeminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. Usque adeo gravius, quae putabant, adyta divina, quam humana cubilia vindicabant.* Exempla hujus supplicii praebet filia Numitoris, item Pompilia & Junia apud Euseb. *Chron. lib.* i.

23. *Apicius.*) de ejus luxuria lege Senec. *Epistolam* 95. & *cap.* 11. *de Vit. Beat.* Vixit sub Augusto. mortem ejus describit Seneca in *Consolat. ad Helv. cap.* x. adde de eodem Martial. ii. 69. Athenae. iv. 19. qui etiam vii. 12 Appionem Grammaticum quendam *de Apicii deliciis* librum scripsisse refert. Isidor. *Orig.* xx. 4. *Coquinae apparatum Apicius quidam primus composuit, qui in eo absumtis bonis morte voluntaria periit & merito: quia is qui gulae atque edacitati servis & animam & corpus interficit.*

34. *Senectus.*) Vina vetustate commendari multis docet Athenae. *Deipnos.* i. 19. & 20.

81. *Crispi.*) de hoc Tacit. *Histor.* ii. 10. iv. 43.

103. *Imponere Regi.*) Apud Quintilian. viii. 6. Cicero ad Brutum: *Populo imposuimus & oratores visi sumus.* ad quem locum nos forte plura, si metam optatam praescriptamque Quintiliano aliquando contingamus.

SAT. V.

Thrasea. vers. 36.) de eo Sueton. *Ner. cap.* 6. Tacitus *Annal.* xiv. 49. xvi. 21. De Helvidio ejusque vita, genere, ac pluribus agit Tacitus *Histor.* iv. 5. *seqq.* scribit Lubinus in notis Helvidium fuisse Thraseae socerum, verum e contrario se res habet, fuisse enim Helvidium generum omnes adducti loci confirmabunt.

48. *Poscentem sulphura vitro.*) Cum Plinio & Lubino facit doctissimus Andreas Schott. *Nod. Ciceron.* ii. iv.

80. *Adspice quam longe &c.*) Doctissimus vir Ulysse. Aldrovandus de *Quadruped. bisulc. lib.* I. *pag.* 263. dicit hunc locum Criticis non esse intellectum, & hisce *offam penitam*, de qua Vario & Isidor. *Orig.* xx. 2. egregie descripsisse.

116. *Tradentur tubera.*) Sunt, qui legunt *raduntur*, ut omnes fere Editiones. Legi tamen potest *radentur.*

Sic xiv. 7. *radere tubera terræ.* de iis Martial. xiii. 50. Dioscorid. ii. 175. Plut. *Symp. Qu.* iv. 11.

SAT. VI.

CAedere Sylvano porcum. verſ. 46) De *porco luſtrali* ſeu expiatorio Scholiaſtes doctiſſimus Apollonii Rhodii ad Argonautica, ubi multa præclare. Suidas etiam: *Mos Athenis fuit luſtrare concionem, theatra, denique conciliabula populi minutiſſimis porcellis, quos luſtrales vocabant, hoc vero faciebant ii, qui vel a circumeundo, vel a Veſta, Periſtiarchi dicebantur.* in votis etiam porcus valebat, ut docet Juvenal. x. 354. Aldrovand. *de Quadrupid. biſulcis lib.* i. *pag.* 307.

104. *Ludia dici.*) Non erat hæc uxor gladiatoris, verum illa mulier ſeu fœmina, quæ geſticulando vel ſaltando ludis ſerviebat, unde *ludia* dibebatur.

117. *Tegetem.*) Fiebant *tegetes* ex junco, ut Plinius xxi. 18. auctor eſt. Nonius Marcellus ex Varrone ex lino cannabino, palma & ſcirpo fuiſſe factas refert, confirmante Feſto.

187. *Cum ſit turpe.*) Henricus Stephanus in dialogo, *de bene Inſtituendis Gr. Ling. ſtudiis pag.* 92. legi vult *quo*, pro τῶ *cum.*

321. *Medullinæ frictum.*) Malo cum Commentatore legere *fluctum.*

338. *Anticatones.*) Gell. iv. 16.

342. *Sympuvium.*) Variæ ſunt Doctorum virorum de hujus loci ſcriptione ſententiæ, quidam enim *ſympullum*, ut Baifius, legunt, unde malea quibusdam citatur, ipſum legiſſe *ſympullam*, ſunt qui *ſimbuvium* volunt, alii *ſimpinium*; alii, cum quibus ego facio, *ſimpulum*, atque ita corriges Scholiaſten, legendo: *Simpulum vas eſt ſacrificiis aptum, in quo pontifices lavare ſolebant, ſimpulum autem, quia omnes ſacerdotes ſimul bibebant, inde ſimpulatrix dicitur illa, quæ porrigit poculum ipſum.* Facit pro hac lectione Feſtus: *Simpulum vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dicuntur.* Varro de *L. Lat. l.* 4. *Et quo* (ſc. vino) *ſumebant minutatim, a ſumendo, Simpulum nominavere. In hujusce locum in conviviis e Græcia ſucceſſit Epichyſis, & cyathus, in ſacrificiis remanſit guttum & ſimpulum.* Iſidori Gloſſar. *Simpulator, conviva, ſimpulator, amicus ſponſi aſſiduus cum eo in convivio.* Quale autem vas fuerit, videri poteſt apud Baifium, qui ſe Romæ *ſympullum* cum lituo vidiſſe refert, in quibus locis τὸ *L* duplicandum videtur, quandoquidem poetæ producunt ſecundam, niſi malis cum veteribus conſonantes geminatas ſimpliciter ſcribere.

458. *Elenchos.*) Vide Iſidor. *Originum* xvi. 10.

491. *Pſecas infelix.*) Elegantiſſima & doctiſſima collegit vir incomparabilis Reineſius claſſe 1. num. LXXXIX. ad hanc inſcriptionem:

VENERI
SACRUM
CASSIA I.L. PSECHAS.

495. *Pectitque comas.*) Doctiſſimus Rubenius putat Auctorem ſcripſiſſe *plectitque comas.* Verum nec mihi diſpliceo, ſi legam *flectitque comas.* Ita Quintilian. 1. 6. *comam in gradus frangere.* Seneca: *cogere nodo comam.* Valer. Flaccus *flexilem comam* dixit.

513. *Qui rapta.*) Doctiſſimus Ramireſius legi olim volebat *fracta.* libro *de Quinquaginta militum ductore, cap.* 4. Sed poſtea veterem lectionem recepit.

516. *Tiara.*) Hoc Sacerdotale veſtimentum *pileum* vocat & deſcribit Iſidor. *Orig.* xix. 21. *Pileum* inquit, *eſt ex biſſo rotundum, quaſi ſphæra media, caput tegens ſacerdotale, & in occipitio vitta conſtrictum. Hoc Græci & noſtri tiaram, vel galeam vocant.*

SAT. VII.

CIrrhæ Nyſæque &c. vſ. 65.) Apollinem & Bacchum vocat Satyricus Dominos Cirrhæ, & Nyſæ, quæ erant duo Parnaſſi montis juga juxta Bœotiam, in quibus colebatur Apollo & Liber Pater. videſis Pauſan. *lib.* 10. Thom. de Pinedo ad Steph. *de Urbib. pag.* 32.

219. *Et qui diſpenſat.*) olim namque non adnumerabant, ſed æs pendantes, expendebant, unde *diſpenſatores* dicti.

SAT. VIII.

EXſultet victoria circo &c.) Columella vi. 27. *Equinum pecus,* inquit, *tripartito dividitur: eſt enim generoſa materies, quæ circo, ſacriſque certaminibus equos præbet.* Paulo elegantius & magis ad noſtrum Auctorem accedit Papinius Statius Sylvarum *lib.* 5. Sylv. ii. *Protrept. ad Criſpin. vſ.* 21.

——— *Qualis per jugera Circi*
Cum pulcher viſu titulis generoſus avitis
Exſpectatur equus, cujus de ſtemmate longo
Felix demeritos habet admiſſura parentes:
Illum omnes acuunt plauſus, illum ipſe volantem
Pulvis, & incurvæ gaudent agnoſcere metæ.

SAT. IX.

TU tantum erucis. vſ. 134.) Vocantur hinc *libidinoſæ*, quia Venerem excitant, ut in Carmine Libero:
Libidinoſis incitatus erucis. & alibi *ſalaces:*
Nec ut ſalaces nocte tollat erucas.
Fuit hæc herba Priapo dicata, propter quem & ſerebatur, ut obſervat Scaliger ad *Carmina Libera.*

SAT. X.

GLadium contumque. vſ. 20.) Expreſſit hunc locum Boethius *de Conſol. Philoſ. lib.* ii. *Tu igitur, qui nunc contum gladiumque ſolicitus pertimeſcis, ſi vitæ hujus callem vacuus viator intraſſes, coram latrone cantaſſes.*

66. *Cretatumque bovem.*) Saubert. *de Sacrific.* docet

bover-

boves erecta fuisse immolationi designatos. Confirmare hanc opinionem videtur quoque Festus: *Dignorant, signa imponunt, ut fieri solet in pecoribus:*. Glossarium vero Græco Latinum *dignoto* σημειῶμαι unde fortasse legendum *dignotant* pro *denotant*, quod in margine; aut *ditnorat*, ut Scaliger.

115. *Violatus Juppiter auro.*) Ad codicem quendam meum annotavit vir doctus: constanter legendum esse *velatus*, qua lectio perquam verisimilis est, non tamen vera. violantur enim numina luxurioso cultu, simplici maxime religione delectantur.

208. *Voluptates commendat rarior usus.*) Elegantissime Cicero de Orator. iii. 25. *Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptuarius, quique dulcedine præter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit. Quis potione uti aut cibo dulci diutius potest? tum utroque in genere ea, quæ leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est.* Macrob. Saturnal. vii. 7 *Ad hæc Disarius: Omne quod dulce est, cito satiat, nec diuturnam desiderii sui fidem tenet.* Plinius xii. 17. *Adeo nulla est voluptas; quæ non assiduitate sui fastidium pariat.*

SAT. XII.

NAtali &c.) i. *Hic meus est dies.* Veteres enim dies illos, quibus singulari quadam voluptate perfundebantur, *suos* & *natali dulciores* appellabant, ut constat ex Senec. *Suas.* ii.

SAT. XIII.

MAgis illa juvant &c. vs. 16.) id est quia rariora sunt, unde proverbium: *quod rarum est, carum est. Modus enim æstimationis comparatur ad rationem abundantiæ & raritatis. Quibus in rebus tota hominum vita ad naturam rei, quam usus necessitatem, respicit.* Agatharch. *Excerptor. de mari rubro* c. 49. l. 5. p. 69. ed. *H. Steph.*

129. *Quandoquidem.*) Expressit hunc locum D. Hieronymus *Epist.* ii. 6. *Si damnum, ut sæpe in re familiari accidere solet, fuerit nunciatum, vultus mœrore deprimitur: lætamur ob nummum, omisso obulo contristamur.*

195. *Animo tortore flagellum.*) Joannes Chrysostom. *Homil.* xvii. *in cap.* iii. *Genes.* pag. 170. ed. *Ant. Stephan. Quippe judex incorruptus, conscientia puta, cum adversus hominem exsurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem. Eamque ob rem benignus Dominus principio cum formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi, & deceptionem ferre posset nunquam. Et licet quis admisso peccato, perpetratoque aliquo facinore illicito, omnes homines celet, illam tamen accusatricem non poterit latere: nam hanc intrinsecus habentes, ubicunque sumus, circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quiescit; sed & domi, & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos proponit, & delictorum gravitatem, & subsecuturam pœnam: & quasi medicus optimus non cessat sua medicamenta apponere: & si semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam curam gerit.* vide ibi plura.

209. *Nam scelus intra se tacitum &c.*) Ita & Servator apud Matth. v. 28. *Ego vero dico vobis, quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo.*

SAT. XIV.

CRescit amor nummi. vers. 139.) Prudentius *Hamartigen.* vers. 258.

Auri namque fames parto fit major ab auro.

199. *Et trepidum solvunt tibi &c.*) Lege Gell. xix. 4. quo exponit, *quam ob rem venter repentino timore effluat.*

204. *Lucri bonus odor.*) Chrysostom. in *Psalm.* ix. καὶ τῆς φιλαργυρίας ἐμπεπλησμένοι, οὐκ αἰσθάνονται τῆς δυσωδίας. *Et pleni avaritia tetrum odorem non sentiunt.*

SAT. XV.

CAnopi. vers. 46.) Eustath. ad Dionys. Perieg. Εὐφαίνει δ' ἐκεῖνος καὶ τρυφᾶν τοὺς Κανωβίτας, ἐν οἷς λέγει τὸν Κανωβισμὸν καὶ τὴν ἐκεῖ λαμυρίαν. Hinc patet *Canopismum* dictum esse luxum & deliciarum splendorem. confer Senec. *Ep.* 51.

SAT. XVI.

IN corpore census. vers. 53.) ἐν τῇ οὐσίᾳ, ut Græci loquerentur. Ulpianus: *Hoc idem & si patrimonium fueris rogatus restituere, & si facultates, & si censum meum, & si fortunas meas, & si substantiam meam.* Neque aliter ea vox sumitur cum de *censu equestri* esse loquuntur Auctores.

HENRICI CHRISTIANI HENNINII AD JUVENALIS SATYRAS Spicilegia.

Viro Nobilissimo

JOHANNI DANIELI SCHÆFERO;

Jc.to solide docto, ILLUSTRISSIMO COMITI HANOVICO cum maxime a Consiliis Aerarii &c. Avunculo meo Optimo & bene merito, SPICILEGIA hæc mea ad JUVENALEM sacra facio

HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS.

NEque sine ratione id facio, siquidem præclara illa tua merita non tralatitia egebant ἰυχαεισία. Tu hominem hunc primus ad omnem humanitatem informasti, cujus temporis me sæpenumero jucundissima subit memoria, cum pæne prima verba conanti & exemplo præibas, & hoc ingenium non absurdum ad spem generosa indole dignam excitabas. Itaque jam olim explicandi grati animi ardore flagravi. Cumque hic locorum, me curante & concinnante, recuderentur junctim Eruditorum ad JUVENALEM Commentaria, Spicilegia nostra iis subnectere constitui. Brevia illa & pauca. Nam nec omnia nec omnibus. Florida sunt subsecivi temporis otia. Ea tibi ex more & fide antiqua L.M.D.D.D. Cui enim potius Studiorum flores sacravero, quam Tibi in hæc militia non sine laude veterano & Studiorum meorum Fundatori, Avunculo bene merito gratissimus Nepos? Si igitur serena fronte has gratissimi animi testes pagellas admiseris, Optime Avuncule, caussam habebo oratam. Vale. Ultrajecti A.D. Eid. Decembris Juliani, anni CIↃ. IↃC. XXCIV.

SAT. I.

RAuci Theseide Codri. vers. 2.) Jos. Scaliger ait hunc ipsum (si fides F F. P P. in *Scaligerian.* p. m. 77.) tangi a Martiali, cum canit *lib.* I. *Epigr. libro uno Persium sæpius memorari, quam levem in tota Amazonide Codrum.* Ita enim legendum putat, cum *Marsus* qui vulgo ibi legitur egregius fuerit Poeta, ipsi Martiali alibi laudatus: neque abhorreo a Scaligeri sententia. Theseis enim & Amazonis forte unum idemque opus fuerit, & ratio cur *Amazonidis* nomen *Theseidi* potuerit convenire, ex ipsa Thesei historia liquet.

12. *Frontonis.*) Hunc *fuisse nepotem Plutarchi, secundum quosdam*, ait Sarisber. *de Nug. Cur.* VIII. 13. Virum fuisse sanctissimum & antiquis moribus ex eo constat, quod Idem *l. l.* adfert ejus de Seneca judicium. & forte ideo in his verbis aculeus later, quo obiter homo nasutus Frontonis Stoicismum pungit, utpote qui contra Stoicorum dogmata, ut ex Epictet. *Enchir. cap.* 50. apparet, frequentissimas domi suæ recitationes & audiebat, & haberi lubens volensque permittebat.

18. *Vatibus.*) Miseri Poetæ conducebant nescio quos homines, qui sportulæ vel cœnæ gratia illos comitabantur ad cathedram, & applaudebant. Hinc illud Petronii: *Ut cœnares, laudasti Poetam*, & Martial. *Non tu, Sed cœna diserta tua est.* Sed hæc vulgata, hoc non item, quod Juvenalis eos ipsos prensatores hic ob nimiam

niam copiam, vilitatem, ambitiosam paupertatem, inepta carmina traducat.

18. *Peritura charta.*) Quid dicturum fuisse putemus Juvenalem, si tot λεπτολογήματα, tot infrunitos & nugivendos centones, in lucem invita Lucina & Apolline nullo editos, innumero numero stupendaque fœcundia vidisset? æterna procul dubio nota hunc publici despectum fuisset ultus, non solum illos ad pinguarios minutarumque mercium institores ablegasset, quoniam Lectores non solum nihil docent; sed &, quod pejus est nihilo, incautis tempus, rem pretiosissimam & irreparabilem, furantur.

26. *Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi.*) acerbissimus morsus; non solum enim ex infimæ fæcis plebejæ sterquilinio effossum vult Crispinum, sed ne quidem ingenuum, sed e servo cujusdam ex infima fæce plebis Canopi prognatum. hinc summa vis indignationis.

36. *Thymele submissa.*) sc. cum muneribus, ut qua polleret facundia, unde eam facete *Thymelen* vocat, placaret crudelitatem delatoris metuendi. Fœminæ enim, præsertim quæ forma & facundia præstant, potentissime deprecando & blandiendo flectunt. Gerras adferunt alii.

49. *Exsul ab octava Marius bibit.*) cum ceteri æstate hora nona, hieme decima cœnarent. patet ergo hanc Satyram æstate scriptam. adeoque *tempestiva seu maturiora convivia* agebat Marius, & *morantem diem mero frangebat*, ut Horatius loquitur. Notat Romanos adeo pertinaces in luxu fuisse, ut vel exsules eumpse augerent.

66. *Mæcenate supino.*) Casaub. ad illud Persii: *Italo quod honore supinus*; *supinum* explicat ὑψαύχενα, i. qui animo velut inflatus adeo erecto ingreditur corpore, ut in cœlum oculi ejus ferantur, non multo secus, ac resupinati. Forte & hoc vitium seu naturale, seu adscititium Mæcenati fuit, ut eo nomine Nostro fuerit notandus.

72. *Per famam & populum nigros efferre maritos.*) Videtur mihi Juvenalis tangere pompam & ostentationem exsequiarum, qua cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem oculos hominum infaustis incestabant aspectibus, ut loquitur Julianus Imp. l. *Pergit audacia* 5. *Cod. Theod. de sepulcr. violat.* cui consonat ap. Tac. *Annal.* xiii. 17. Nero Imp. Olim enim mane & ante lucem sumptu minore (ut diserte ait Cic. ii. *de Leg.*) & minore strepitu elatos mortuos ad faces & cereos, annotarunt viri Cll. qui hos mores sunt persecuti.

72. *Per famam & populum.*) i. susque deque habens *famæ popularis* susurros, qua vulgo jactentur veneno *nigri* mariti esse elati. Carpit Judiciorum & legum neglectum atque despectum, scelerumque impunitatem.

72. *Nigros.*) τὸ nigros Meurs. de *Fun. cap.* i. refert ad efferendi ritum in toga nigra, ut e contrario Græci in albis vestibus efferebantur, teste Artemid II. 2.

76. *Doctus spectare lacunar, Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.*) Plutarchus tibi explicabit, quis sit ille lenomaritus, ex cujus *Erotico*, *p. m.* 1352. hæc excerpo: Πολλοὶ Ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίρας, ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, ὡς ἔοικε, Κάλβας) alii legunt Κάββας, & sic etiam *Gabba* legitur apud Juven. v. 4. ut Scholia habent.) ἑστιῶν Μαικήναν, ὡς εἶδεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλήν, ὡς δὴ καθεύδων· ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινος προσρυέντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου διαβλέψας, Κακόδαιμον εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω· τοῦτο μὲν οὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Κάλβας γελωτοποιός. i. *Multi Veneris res communes invicem habuerunt, non amicas tantum, sed & uxores prostituentes. qualis Romanus ille Galba fuit, qui Mæcenatem convivio excipiens, quum adverteret jam ex nutibus hominem inflammatum in uxorem suam, sensim demisit caput, perinde ac si dormiret. At quum interea famulus ad mensam accedens, vinum clam tolleret, ibi jam vigil & oculatus: infelix, inquit, an nesciebas me soli Mæcenati dormire? nec tamen admodum mirum hoc putari debet, homo enim ridiculus erat Galba*, seu ut Scholia ad Sat. v. 4. ajunt *scurra nobilis.* Jam, puto, scis, quem Juvenalis designet.

82. *Navigio.*) Ovidius *parva rate*, Auctores Græci eam fere κιβωτὸν & λάρνακα i. *arcam* appellant: qualis in *Apamensium nummis* conspicitur, ad quos a se ex museis Magni Tuscorum Ducis, Ottoboni Cardinalis, & Chisiano vulgatos multa de Deucalioneo diluvio, ejusque cum Noemico apud Gentes confusione erudite observavit vir doctissimus Oct. Falconerius, qui videatur.

87. *Et quando uberior vitiorum copia.*) Imo vero, mi Juvenalis, *erunt vitia, donec homines, sed neque continua, & meliorum interventu pensanda*, ut loquitur Petilius Cerealis ap. Tac. *Hist.* iv. 74. hoc tamen verissimum est, & temporum experientia sæpius comprobatum, *uberiorem esse vitiorum copiam*, quando secula sunt erudita cum longa pace & rebus prosperis conjuncta: Etenim adversa & calamitates homines reddunt paullo magis pios. Hinc Juvenalis queritur Romanos *pati longæ pacis mala.* Hinc & illa *uberrima vitiorum in præcipiti stantium copia.*

104. *Molles in aure fenestræ.*) Tertull. *de Pallio*: *Aurem foratu effœminatus.* Forte ideo *molles*, quod ex iis dependerent jam inaures, divitiarum argumentum. adde Senec. *de Benef.* xii. 9. consentiunt Scholia, quæ *homines istos libidine meruisse libertatem* argui volunt, ut intelligantur fuisse ἐπιπελονίπαιδες.

112. *Inter nos sanctissima Divitiarum Majestas.*) Quadrat huc festivissimus Menandri

Ἔπαινος τοῦ Πλούτου

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς Θεοὺς εἶναι λέγει
Ἥλιον, ἀνέμους, γῆν, πῦρ, ὕδωρ τε, καὶ ἀστέρας·
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι Θεοὺς
Τἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον μόνον.
Ἱδρυσάμενος τοὺς γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν,
Εὔξαι ὅ,τι βούλει, πάντα σοι γενήσεται·
Ἀγρὸς, οἰκία, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες· μόνον δίδου·
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς ὑπηρέτας Θεούς.

Latine legere si velis, adi Rutgers. *V. L.* iv. 12. hoc vero idipsum est, quod Arbiter ait: *Quidvis, nummis præsentibus, opta; Eveniet. Clausum possidet arca Jovem.*

137. *Nam de tot latis & pulcris orbibus, & tam Antiquis, una comedunt patrimonia mensa.*) Lubet hunc locum paullo altius excutere, ut recte intelligi possit, cum videam Interpretes in tenebris micare. Servius *ad Aen.* i. 740. notat apud *Majores ipsas mensas appositas fuisse* cum lancibus, non vero lances in mensam: habuisse autem illos *duas tantum mensas, unam carnis, alteram pomorum.* hinc *prima & secunda mensa.* Scilicet postquam prima mensa saturati essent, illa removebatur, & secunda mensa admovebatur, non, ut hodie & Servii ætate, novus missus, eidem mensæ inserebatur, sed una cum missu, mensa mutabatur. Mensæ autem illæ, quamdiu triclinia durarunt, in longum quadratæ ad lectorum mensuram erant: postea rotundæ mensæ invectæ sunt, seu *orbes*, cum *stibadia* sive *accubita* in usum inducerentur, quæ cum semirotunda essent, necesse erat mensas rotundari. Invalescente demum luxu non duabus, sed pluribus utebantur mensis, & aliquando ad singulos missus singulas mensas variabant: & vel loco eodem recumbentes novos missus mensasque exspectabant, vel locum mutantes aliis mensis accumbebant; quod postremum genus *ambulantem cœnam* festive Martial. *lib.* vi. appellat, ubi Annii luxum taxat, qui *ducentis* fere *mensis* epulabatur. Mensæ autem seu orbes illi apud delicatos erant *Citrei*, quorum adeo immane precium, ut aurum vincerent, teste Martial. *lib.* xiv. *Mensa citrea*; Vide omnino Senec. *de Benef.* vii. 9. & Plin. xiii. 15. ubi incredibilia de harum mensarum precio reperies, ut fœminæ margaritarum sumptus insana citrearum taxatione maritis excusarent. Jam ad Juvenalem: *de tot*; notanter, cum luxuriarent copia citrearum mensarum. *latis*; quo enim latiores, eo preciosiores erant, quandoquidem tanta solum erat orbium citreorum amplitudo, quantam arbor ipsa pateretur. *& pulcris*; Pulcriores censebantur orbes citrei, quo plures nodos (Sen. *l. l.*) & quo plures maculas haberent. Petron. ideo queritur in *Bell Civ.* *Citrearum mensarum Africa eruta rum maculas mutari auro viliori, & censum ita turbari.* Cur eos *orbes* vocet Juvenalis, patet ex superioribus: Lucan. *orbes Atlantide sylva sectos*, Martial. *l. l.* *felicis Atlantia munera sylvæ appellat*; adferebantur enim abusque Mauris, quorum terra citri ferax. *& tam antiquis*; iper multas elegantium Dominorum successiones civitati notis, ut loquitur Seneca. *Una mensa*; i. ne variatis quidem orbibus, ne tota quidem cœna, ne uno quidem missu, sed vel una lance, seu *quadra panicea* delicatis epulis onusta *comedunt patrimonia*, devorant & abliguriunt omnem censum. Notat ergo exquisitas illas lautorum delicias & luxum, qui fere soli neglectis clientibus stibadio accumbentes mirifica & prodigiosa luxuria censum dilapidabant. Speciatim videtur tangere patinam Clodii Aesopi Tragici histrionis HS. sexcentis taxatam, i. e. 15000. Philippicorum, de qua vide, si lubet, Plin. *lib.* x. ejusque Clodii filium, qui margaritas magnæ taxationis absorbebat solius gulæ caussa. Plin. ix. Horat. *Sat.* ii. 3. Confer. Lucan. *lib.* x. ubi de convivio Cleopatræ & Cæsaris. *Citreos* autem *orbes* mox ab Africa subjugata Romæ fuisse frequentes patet ex Catonis loco apud Fest. voce *Pavimenta*.

148. *Posteritas.*) Venusinus hic contrarius Aquinati, cui *Aetas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.*

170. *Experiar, quid &c.*) Quoniam, ut Hispani lepide ajunt, *los muertos abren los ojos, de los, que viven*, Mortui aperiunt viventium oculos. Vix enim tuto scribitur in vivos, multo minus in eos, qui possunt proscribere, ut ait ille.

SAT. II.

QUoties aliquid de moribus audent.) Video inter Dionis Chrysostomi Orationes, unam περὶ σχήματος, huic Satyræ ex asse respondentem, in qua eloquentissimus Pater accurate caussam quærit, cur cum homines in sola tunica conspicerentur, nemo eos notaret: at vero si quem sine tunica solo pallio amictum (quod Cynicorum erat) barbaque prolixa, illico eum ludibrio habitum fuisse. plures tamen fuisse hos homines, quam artifices aut opifices. Rideri vero, quod publici & rigidi morum censores vel palam vel ipso habitu delicias & vitia exprobrarent; sed plerosque merito rideri, eum solo tribonio seu habitu philosophico philosopharentur, cætera stolidi omnibusque flagitiis cooperti. Vide & Lucian. *Cynicum* aliosque dialogos huic Satyræ gemellos.

8. *Fronti nulla fides.*) Plena hujus admonitionis sapientum libri. Imo ipsa Sapientia dictat: Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε.

17. *Morbum incessu fatetur.*) *Impudicum enim & incessus ostendit*, teste Sen. *Ep.* 52. Prosper Aquit. de *Vit. Contempl.* ii. 4. *Qui undante lapsabundi corporis*

motu & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes animorum dissolutionem, vestigiis sinuosa mobilitate nutantibus produnt. hinc etiam talem incessum officiorum magistri Ambrosius ii. 18. & Tullius i. 36 cavendum esse docuerunt. eundem & Sacri Vates Jesaias *cap.* 3. & Amos *cap.* 6. Israelitis exprobrant.

39. *Habeat jam Roma pudorem.*) Petron. *Maledic illam versibus, ut habeat pudorem.* videtur proverbialis locutio τὸ *habeat pudorem.*

40. *Tertius e cælo cecidit Cato.*) Ammian. Marcellin. *lib.* xxii. *Quo apud Constantinopolim comperto, effundebatur omnis ætas & sexus, tanquam demissum aliquem visura e cælo.* vide & Macrob. in *Somn.* i. 9. ubi hujus phraseos rationem nonnihil illustrat.

81. *Conspecta.*) Nonnemo mallet legi *compacta.*

95. *Vitreo bibit ille Priapo.*) Vide talis drillopotæ Ganymedis elegantem effigiem ex vetusto archetypo designatam Rhodio *de Acia Celſ. cap.* 5. *pag.* 59. & 60. qui ait sibi itidem visam fuisse apud Pignorium Veteris ejusmodi pocillatoris æneam imagunculam, & forte eadem illa est, quam Pignorius postea libro *de Servis* inseruit.

96. *Reticulum*) tegmen capitis muliebre, ut inquit Nonius. Nemo melius hunc locum explicabit Salviano Massil. *lib.* vii. de *Gub. Dei*: *Cum muliebrem habitum viri sumerent, & magis muliebrem gradum fingerent, cum indicia quædam monstrosæ impuritatis sibi innecterent, & fæmineis tegminum illigamentis capita velarent, atque hoc publice in civitate Romana, urbe illic summa & celeberrima: quid aliud quam Romani Imperii dedecus erat, ut in medio Reip. sinu exsecrandissimum nefas palam liceret admitti?* & hoc ipsum est, quod tangit Apostolus, quando ex Corinthiis quærit, nescirentne vel ipsa docente Natura ἀτιμίαν *dedecus* esse Viro τὸ κομᾷν. Sed hæc alibi accuratius persequamur.

96. *Auratum.*) vel quod auro intextum esset, vel quod *comæ illæ ingentes*, quæ signum sunt animi plane effœminati, auri pulvere essent respersi, quales in Othone delicias, nec non Elagabalo notarunt Auctores.

99. *Ille tenet speculum* &c.) Nescio quid febriculosi sub hisce latet; sed malo te explicationem petere a Senec. *Nat. Qu.* i. 16.

106. *Bebriaci* &c.) Quanto opere hoc loco a non nullis ineptus Juvenali extorquetur sensus? Plana omnia sunt: Narrat Sueton. *in Othon. c.* 12. *Multos mortuum Othonem laudibus extulisse*; quosdam etiam enam milites *fortissimum virum, unicum Imperatorem* prædicasse. Hoc iniquum Vulgi judicium Juvenalis nequibat concoquere, atque hinc σκωπτικῶς Satyrica antithesi exclamat: *scilicet id vero summi ducis fuit, occidere Galbam* virum nihil minus, quam id de se meritum; & ea fuit Othonis in asserenda libertate Romana (vid. Suet. *l. l.*) *constantia, ut cuticulam curaret?* Monstrum potius fuisse hominis, qui *Bebriaci in campo de* Imperio decertare ausus vir muliere corruptior insano formæ studio marcescebat! Cœcus vero sit, oportet; qui hic non advertit reconditum, quo Romanorum inertiam pungit, aculeum; qui sibi patiebantur ita ab hoc semiviro illudi.

108. *Pharetrata Semiramis.*) Sane eam ex monumentis Aegyptiis Kircherus in *Turre Babel* ceu jaculatricem cum arcu & sagitta exhibet.

111. *Heic turpis Cybeles.*) Si quid video, omnino legendum *Heic turpis Cybele est, & f. v. l* plano sensu. nimirum dolet Romæ tantas invaluisse in moribus corruptelas, ut etiam avide receperint *turpissimam* Deorum Matrem, ejusque ceremonias, quæ usque adeo omnem profligaverant verecundiam, ut vel in iis e Veterum memoria repetendis, ipsum quodammodo prostituatur ingenium. τὸ *est* facile potuit descriptorum incuria resolvi in *s* adjectum *Cybele*, & exteri facilius ob sequens *et*. nisi enim ita rursus legas, perquam incommode τὸ *Cybeles* cum sequentibus connectas, & sensu longe magis contorto.

111. *Fracta voce loquendi Libertas.*) quod Senec. de sua ætate querulo *præf. lib.* i. *Contr.* est *ad muliebres blanditias vocem extenuare.* Cum enim delicatuli Veneris pusiones, & amasii Gratiarum omnem virilis animi dignitatem voce proscribant, fœminamque induant, *concursu quodam oris & affectata colluctatione verborum*, (Apuleji verba ex ii. Flor. mea facio) *canticum videntur semibiantibus in conatu labellis eliquare.* itamque, ut jam olim Minut. in *Octav.* pr. observavit, *loquela dimidiata verba tentantium, ipso offensantis linguæ fragmine dulcior est.* Verum hæ vocis deliciæ fere semper notant animum effœminatum, & insignem lasciviam. Hinc Alcibiades totius quondam Græciæ delicium, nescio qua vocis nequitia, animi fracti lasciviam præ se ferente, ad delicias balbutire didicerat, ceu in ejus vita testatur Plutarchus. hinc Quintil. i. 11. puerum non vult *fœminea vocis exilitate frangi.* hinc Juvenalis eodem halitu hos molles *turpi Cybelæ* conjungit, ut laceret exsecranda illa sacra.

144. *Lustravit.*) potest duplici sensu sumi. vel celeriter obit, præterit, aut percurrit, ut Virgil.

Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat.

Sic & Plin. viii. 30. & ex eo Solin. *cap.* 30. dicunt, quod si hyæna ter *lustraverit* i. prætercurrat animal, illud in vestigio hærere. tum etiam sensu veteri Pontificio, de expiationibus, quasi Salius ille nupturiens arenam sua fuga lustrarit, σκωπτικῶς.

144. *Esse aliquos Manes* &c.) Ita & Plin. ii. 55. Senec. *Troad. vss.* 369—405. *Consolat. ad Marc. cap.* 19. Eurip. *Troad.* τὸ μηδ᾽ ἔχειν τῷ θανεῖν ἴσον λέγω. idem *Alcest.* vss. 787. seqq. Amphicus Comœdus apud Athenæum *lib.* viii. Πῖνε καὶ παῖζε· θνητὸς ὁ βίος· ὀλίγος ὁ ἐπὶ γῆς

 χρόνος

χείρω· θάνατος τ' ἀθάνατός ἐστιν, ἅπαξ ἄν τις ἀποθάνῃ. Sic sensit & Stoicorum Schola, testibus Cic. *lib.* 1. *Tuscul.cap.*5. et seqq. Laert. & Tertull. vide Lips. *in Manud. ad Phil. Stoic.* Sic & insanientis Sapientiæ consulti Epicurei credebant *Manes*, *subterranea regna*, *Styga*, &c. nomina vana & meras esse fabellas, & ipse noster Auctor easdem subtilissime explodit, dum ex Aristophanis scena arcessit *ranas nigras in gurgite Stygio.* & cum subdit, *una cymba tot millia vadum transire*, nonne Satyrico naso hasce fabellas suspendit? Videntur vero mihi non incommode hæc respicere, sed oblique *Christianos*, quorum tunc temporis magna Romæ frequentia, qui aniles hasce Gentium fabulas jure merito ridebant, ceu ex Minutio constat, aliisque: imo vero inter ipsos Gentiles Lucianus dialogo *de Luctu* festive admodum has nugas irridet. Et sane hæc Poetarum figmenta videntur occasionem Philosophis dedisse, ut fluctuarint circa animæ immortalitatem, circa pœnas & præmia a morte, quæ tamen necessario ex Dei justitia fluunt. Eadem namque Natura, quæ Deum *justum* nostræ menti insculpsit, eundem & remuneratorem & vindicem suæ legis, seu Rationis, quam vitæ normam homini dedit, nobis sistit. Cum vero multi nihil minus quam secundum Rationem vivant, beati nihilominus in hac vita omnibus deliciis affluant; alii e regione secundum Rationem quam maxime pro sua virili vivant, vitam tamen adversa per omnia trahant, ipsa hinc Naturalis ratio dictat a justitia Divina exspectanda esse & præmia & pœnas: quæ cum in hac vita non repræsententur, ex eo ipso necessario infertur, futuras esse pœnas & præmia, ad quæ recipienda non oportebat *nos totos mori*, nec Senecæ caussa erat dubitandi, an ulla pars nostri maneret superstes? Imo & ipsa mortuorum resurrectio, ex ratione divinæ justitiæ naturali lumini patescit, qua constat idem, quod peccat, esse puniendum, ergo totum hominem, non solam animam & contra. unde non miror hujus veritatis scintillas in Stoicorum ἀποκαταστάσει, Pythagoræorum μετεμψυχώσει, Platonicorum anno magno, nec non Philosophorum Veterum scriptis micare. Hæc profecto Veritas Senecæ sanctissimas illas voces expressit *Ep.* CII. *Per has mortalis ævi moras, illi meliori vitæ longiorique præluditur* .... *alia origo nos exspectat, alius rerum status* ... *veniet, qui te revelet dies* ... *Tunc in tenebris vixisse dices, cum totam lucem, TOTUS adspexeris* .... *Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele.* ... *Diis nos approbari & illis in futurum parari jubet, & æternitatem proponere.* Quam pie, quam Christiane Cic. *lib.* i. *Tusc. cap.* 49. *Non enim temere, nec fortuito sati et creati sumus: sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis, & perfugium putemus, quo utinam velis passis pervehi liceat!* adde Epict. *Ench. cap.* 12. Certe cum masculæ hujus Sapientiæ voces lego, sordent mihi jejuni illi homines, qui meliori luce, quam isti, gaudentes, nihilominus sterili loquentia otiantur. Sed pergamus.

153. *Curius quid sentit* &c.) Interpretes videntur, excepto forte Ascensio, præter mentem Juvenalis hæc explicasse. hoc ait: & Curium, Fabritium, Scipiones, & consumtam Cannis Juventutem serio pœnas & præmia post mortem credidisse: Neque enim illi tam dure atque aspere vixissent, neque illa juventus tam promte pro patria mori voluisset, nisi magno solatio certi fuissent rerum non omnia finire, sibique præmia, cæteris pœnas exspectandas esse. hos viros procul dubio apud inferos horrore perculsi, ubi hos homines tam turpes & insigniter ἀθέους sint visuri, &c.

169. *Mittentur braccæ.*) Ex Persarum propriæ erant. Ovid. *Tr. lib.* v.

> *Hos quoque, qui geniti Graja creduntur ab Urbe,*
> *Pro patrio cultu Persica bracca tegit.*

D. Hieron. *ad Fabiolam*, *braccas* ait *fuisse ab umbilico ad genua usque porrectas, quibus verenda celantur.* unde colligo nescio quid propud osi sub hisce Satyrici verbis latere: imo obliqua αἰνίζει videtur carpere morem Romanæ togæ, qua verenda non tam obvelabantur, quam pendula ejus laxitate superficiario tantum visui eximerentur; ut constat ex Cæsaris jam percussorum ictibus perituri verecundia; ex Trebellii jussu; ut milites discumberent cum sagis, ne inferiora denudarentur; ex illa Tusci haruspicis ridicula castratione ap. Martial. *lib.* iii.

SAT. III.

QUorum cophinus fœnumque supellex. vers. 14) Sic & *Sat.* vi. Judæis fœminis *cophinum fœnumque* tribuit. Vir quidam doctissimus ita hunc locum explicat: ,,Ex Alexandria annona Romam advehebatur: cura,,tores autem & & institores catapli Alexandrini fere e,,rant Judæi, qui messes Aegypti vel Puteolos vel O,,stiam deportabant, unde demum ad saltum Aricinum ,,seu nemus Camœnarum deferebantur extra portam ,,Capenam, quæ tum temporis decimo ab Urbe, i. ,,miliario aureo, aberat lapide, vicina nempe Ariciæ. ,,Judæis quippe licitum non erat habitare in Urbe. hi ,,Judæi *cophino* frumentum metiebantur, *fœnumque* ,,vendebant. at quamvis lubens meritoque summæ hujus Viri eruditioni adsurgam, non tamen possum a me impetrare, ut veriorem hanc, quam subtiliorem explicationem putem. quare enim adeo significanter Auctor noster *cophinum fœnumque* Judæorum *supellectilem* vocat? quare hos ipsos Judæo, non ut mercatores,

res, sed mendicissimos mortalium traducit, cum ait *sylvam ejectis Camœnis mendicare?* quare ergo Judæa *relinqueret fœnum cophinumque*, ut in urbe *mendicaret?* siquidem & Judææ *cophino* frumenta venderent, *fœnumque?* Imo vero *Cophinum* familiare fuisse Judæis gestamen patet ex Matth. xiv. 20. xvi. 7—10. Marci viii. 14. Johann. vi. 13. tum ut edulia illis secum ferrent, ne cum Gentibus promiscue cogerentur edere: tum & ut suas quisquilias iisdem secum circumportarent; nec non in memoriam priscæ servitutis, ut ex Nicolao Lyrano ad Ps. viii. Farnabius & ex Augustino observavit Valla. *Fœnum* secum habebant, ut lecti loco esset dormituris, seu &, ut Farnab. vult, in memoriam famis, quam in obsidione Hierosolymitana erant perpessi, qua fœni stramenta, Josepho teste, edere sunt coacti. neque de nihilo est Sidonii locus ex *Epistola 6. lib.* vii. Britannico ad hunc locum laudatus.

32. *Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver.*) hoc vult Umbricius, Maneant Romæ homines ditiores, qui divitiarum ope luxum Romanum exercere possunt: maneant & vilissimæ plebis homines, homines e fæce, qui parva mercede conducendi a ditioribus illis ad sordida & servilia officia, (qualia commemorat, *siccare eluviem, portare* servorum, pauperum, damnatorum, *cadavera ad busta*) facilius Romæ sibi victum parare poterunt, quam vacuis Cumis.

34. *Cornicines.*) Scholia veterum *Symphoniacos Parasitorum* intelligunt. *Symphoniaci* qui sint, vulgo jam constat, nimirum qui musico concentu audientium aures permulcerent, seu in conviviis, seu ludis, seu sacris. *Parasitos*, hic intelligo mimos, & histriones, inductus inscriptione Antiqua: (Gruter. *Thesaur. pag.* cccxxx. 3.)

M. AURELIO. AUG. LIB.
ACILIO. SEPTENTRIO
NI. PANTOMIMO. SUI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. &c.

item alia:

L. ACILIO. L. FILIO. POMCVTICLAE.
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVNI.
MVNERE. ADLECTO. DIVRNO.
PARASITO. APOLLINIS. TRAGICO. COMICO.

Confer. Turn. *Adv.* xxi. 24. Tangit autem Juvenalis nonneminem, qui antea vilis *cornicen* ad tantas divitias pervenit, ut non sine invidia ederet munera. recte Martialis de suo tempore *lib.* v. *Epigr.* 57.

Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus aut choraules.

videtur autem Juvenalis obiter perstringere tempora Neroniana. V. Sueton. *Neron. cap.* 20. & 21.

35. *Municipalis arenæ Perpetui comites.*) Iterum tangit hic quendam, qui ex *gladiatore municipali* eo divitiarum pervenerat, ut populo munera ederet. Scilicet non licebat artibus honestis in Urbe rem facere, ut conqueritur Umbricius.

35. *Notæ per oppida buccæ.*) *Buccas* ad *Cornicines* refert Grangæus, verum, ut mihi videtur, male. *Cornicines* in genere poni putem Juvenali, pro iis, qui mercenariam in Musica operam, seu & servilem præstabant. Ex inscriptionibus autem constat Citharœdis etiſ. fuisse *phonascos* suos; quos hic *buccas* appellari crederem, a contentione cantandi cum magistris eadem symphonia. *notæ per oppida* erant, quia erant μελῳδοῦντες. illustrabit tibi meam mentem Inscriptio sacra Septimio Citharœdo, ejusque Phonasco C. Aelio Agathemero, Periodonicis; quam vide numero 111. inter *Marmora Arundelliana*. Præcones, quorum multiplex in republica Romana usus, & fere invisus civibus, si quis intelligere voluerit per *buccas*, per me licet. forte & Κήρυξι Græcis certaminibus notam nonnemo intelligere posset, cujus gratia Nero per Græciæ Urbes circulari voluit. Vide quæ ad viii. 224. adnotabimus.

60. *Quota portio fæcis Achæi.*) Ita omnino legendum esse ipse sensus commonstrat.

62. *Syrus in Tiberim defluxit Orontes.*) i. deliciæ Antiochenæ, eam enim urbem alluit *Orontes*, Romam plane migrarunt. Ejus urbis luxum incredibilem sane quam eleganter in *Misopog.* perstringit Julianus, Græcorum Imperatorum doctissimus, & elegantissimus.

66. *Picta lupa barbara mitra.*) Serv. ad Virg. iv. *Aen. vs.* 216. *Multa lectio mitras proprie meretricum esse docet.*

68. *Ceromatico.*) de ceromatis satis superque egegerunt in Glossis Plinianis Hermol. Barbarus & Fab. *Agon.* ii. 5.

77. *Schœnobates.*) i. Petaurista, si Nonio in explicatione hujus vocis (*Petaurista*) fides. Cœlius *Epist.* i. in *Ep. Cic. ad Fam. lib.* viii. *Schœnobaticam facere* hinc dixit, pro funambuli artem exercere.

171. *Pars magna Italiæ est* et seq.) Per transennam videtur deplorare perditam libertatem. emphatice enim interjicit, *si verum admittimus*. Maximam dolet Italiæ partem servili imperio premi, & neminem in ea *sumere togam*, seu vera gaudere libertate. *toga* enim ingenuorum gestamen; nec vel audere adspirare ad *togam*, quam demum *mortui* & quasi servili illa vita emancipari consequerentur. Sed hoc argutari est.

204. *Abaci.*) Glossæ Philoxeni *Abacus*, *delfica*, μινιστέριον. adeoque recte veterum Scholia hoc loco. Cic. vi. *Verr. Ideo præteribo, quod iste mensas delficas e marmore ... ex ædibus sacris Syracusis abstulit.* Mi-

nistrabant autem Veteres conviviis e delfica precii fere non magni, ut Commentator vetus testatur ad illud Horat. Serm. i. 6.

— Et lapis albus

Pocula cum cyathis duo sustinet.

quam quidem *delficam* idem Commentator τραπεζῆν τραπέζιον vocat. Procopius τρίποδα, ita enim ait, Romanos ideo *tripodem* hanc mensam vocare *Delficam*, quod primum *Delphis* inventa sit. *Ministerium* Latine, quia ex illa ministrabant. Lamprid. in Alex. Sev. *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus nunquam transiit.* Plinio vocantur *repositoria*, unde Hispanis forte remansit suus *repostero*, penes quem *repositorii*, quod illi eleganter *Aparador* appellant, est cura. Belgis, Germanis, Gallis fere est *thresoor*, item *credentz*.

248. *In digitis clavus mihi militis hæret.*) Grangæus tricatur in re plana. vide modo statuas caligatas, quas Nigronius *de Caliga cap.* 4. attulit, & facile percipies, quomodo in digito pedis clavus militis Umbricio hæsisse potuerit; nam quæ Grangæus de calcaribus, summam ἀβλεψίαν arguunt, cum non viderit illos eundo pedum digitis infigi a milite non posse, tum & needum constat, an Romani equites calcaribus instructi fuerint, si fuerint, an aut eum iis, etiam cum essent ἄνιπποι, in publicum processerint.

267. *Trientem*) Ridet solens Poetarum fabulas, quas serio creditas a populo evincit δανάκης, ita enim appellabatur teste Suid. & Etymologico, numisma pro Acherusiæ trajectione solvendum Charonti. *Trientem* ponit, quasi ne quidem *trientem* habeat, cum ditiores, teste ad Aristoph. *Ranas* Scholiasta, etiam *triobolum* offerrent, ne promiscuæ multitudini exæquarentur.

296. *In qua te quæro proseucha.*) Vulgo hæc non usque adeo ex mente Juvenalis intelliguntur. Judæi mortalium tunc temporis mendicissimi miserandum in morem sub arboribus vivebant; has vero arbores appellabant *proseuchas*, ceu constat ex Philone, qui loquitur de quodam, qui πάντας ἰουδαίους προσευχὰς ἰδεῖν ἐθέλει. hinc insignis & hyperbolica fere juventutis Romanæ petulantia & lascivia notatur, qui non verebantur ingenuos homines forte noctu obvios vexare, quasi vero essent vilissimi Judæi, qui relicta arbore sua in urbem venissent mendicatum. Ut enim apud Christianos lasciviæ juvenum sunt ludibrio Judæi, ut Turcis Christiani, ita & Romæ hoc sub prætextu insultabant procaces isti Remi nepotuli honestis viris, quasi eos crederent Judæos, unde insignem illis nebulonibus & nocturnis grassatoribus facit invidiam, quam auget illo crimine, quod Belgæ valde proprie appellant *Straetschenderye*, ceu tu diceres violationem publicæ viæ.

321. *Satyrarum ego &c.*) Minatur scilicet Umbricius gravissimi supercilii homo, & se Satyras scripturum, & alludit ad originem earundem, Sibylla relicta ad Helvinæ Cereris *saturam lancem* & *saltantes Satyros*, dicteria salsa per jocum & seria jactantes ea libatione, se comitem Juvenali additurus. vulgo hæc non accurate intelliguntur.

SAT. IV.

QUi de magnis majora loquuntur. *vs.* 17) Ad fabulam & assentationem refert mulli vi. libras, cum rarissime binas excedant. tangit & in transitu vilissimam Romanorum assentationem, qui scurræ palatino, mancipio illi & vernulæ Aegyptio parasitaturi gravissimum piscis precium elevabant mentito piscis pondere.

26. *Sed majoris Apulia vendit.*) Scholia Vetera ad hunc & seq. versum inepta. Quis enim unquam in Apulia mullos precio & magnitudine præstantes provenire tradidit? Justa indignatione exagitat agri precio piscem emtum. *agri*, inquam, *precio*, cum sex millibus extra Italiam in provinciis ager emi potuerit; imo cum & in ipsa Italia, in fertili illa Apulia, *majores agri*, quam in provinciis venirent eopse precio. oblique vero taxat Romanos, qui usque adeo ab antiqua frugalitate Curiorum & Fabriciorum desciverint, ut susque deque habita agri colendi ratione, præ nimio gulæ luxu *piscem* potius emerent, cujus singulas libras, si modo adulatoria vanitate de magnis majora non fuerint dicta, venientibus etiam in ponderis rationem *squamis*, & intestaneorum rejectaneis, singulis millibus pensarent; quam ut eo precio agrum sibi compararent, ad imitationem priscorum illorum Romuli nepotum, quibus dictatores fortissimi & sapientissimi ab aratro arcessebantur, quod & conqueritur in *præf.* ad *lib. de R. R.* Columella. Obiter etiam vellicat superbum illud delicatorum nepotum patrii soli fastidium, qui non dubitabant pluris emere agros in *provinciis*, quam ut *majores* fertilioresque eodem precio in ipsa Italia, in fertili illa *Apulia* sibi compararent. Legendum ergo in Juvenale sensu plano & obvio:

— Provincia tanti

Vendit agros: & majores Apulia vendit.

q. d. Tanto precio, quo emtus est mullus a vernula illo Aegyptio, potuisset emi ager aliquis in provinciis; imo & in fertili illa Italiæ regione, quam *non piger Appulus arat*, ut cum Horat. iii. 16. 24. loquar, *majores* agros eopse precio, quam in provincia emisses. Tangit etiam obiter Appulorum gulam, cui ut obsequerentur agros suos viliori precio vendebant. Τὸ, *sed*, a librariis est ex finali litera τῶ, *agros*, præcedentis, & monachorum scriptura *ses*, ut sexcenties in Vett. mss. & sæpicule ad Martial. monuit Scriverius: aut si quis τὸ *sed* tolerare velit, nostram sententiam admittat saltem. Ferrarius correctione sua non solum in legem Pediam

diam peccat, sed & extra scopum Auctoris in alia omnia aberrat.

31. *Palati.*) posset & legi *palati magni*, i. gutturis seu voracitatis egregiæ, neque animheses τῶν exiguam, &c. abnuunt.

33. *Pa ia mercede.*) Ita ex emendatione Cl. Grævii jussi excudi, cum antea nihil bonæ mentis ex loco hoc capi posset. τὸ pa ia præterea quædam mss. τὸ *mercede scribarum* incuria ὑστέρου πρότερου, ut id plerisque Codd. legitur, sublatum est in τὸ *de merce*.

37. *Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni.*) *Semianimum Orbem*, quia Imperium Romanum dimidium fere amiserat pristini splendoris inertia Imperatorum. *Orbem* enim pro Imperio Romano poni vel pueri norunt. quomodo *lacerarit*, docebunt te βιόγραφοι *Cæsarum*. *Calvos* cavillis fuisse obnoxios ostendit militum illud in Julium Cæsarum, quem *Mœchum calvum* traducebant. *Roma serviret*; significantissime loquitur, & acerbissimo cum aculeo. Roma, inquit,

> ——— *regina sui pulcerrima mundi,*
> *Inter sidereos Roma recepta polos.*

illa *hominum genitrix & Deorum*, ceu cecinit Rutilius: illa *Terrarum Gentiumque Dea*, ut Martialis; illa, inquit, Orbis Domina & Dea, ut in nummis se jactat, *calvo Neroni serviebat*, ceu ancilla Domino, ad omnem libidinem obnoxia & mutifico stupore ab hoc homine *lacerari* sinebat *semianimum jam* Imperii sui *orbem*, Dea templis consecrata, ut ex Prudent. *lib.* i. *in Symm.* constat. acerbissimus hic morsus Juvenali, testibus Veterum Scholiis, exilium Aegyptiacum arcessivit. multa profecto in recessu bini hi versus habent, quæ facile indagabunt homines emunctæ naris.

42. *Quos aperit glacies Mæotica.*) Hipparchus in scripto inedito apud If. Voss. *ad Melam* p. m. 7. περὶ τῶν ἰδίων ζωδίων. Τὸν Πόντον ἴσθι ὅτι ἡ Μαιῶτις λίμνη, ἐν ᾗ πῆς ἰχθῦς κατεψυγμένους, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ λίμνη Μαιῶτις ὀνομάζεται.

56. *Letifero Autumno.*) Tertullianus alicubi Autumnum eleganter & vere appellavit *Tentatorem Sanitatis*.

61. *Ignem Trojanum & Vestam.*) Videntur hæc sacra ibi relicta, ne Urbs omnino videretur deserta, & diruta. memini enim me ex Augustin. *de Civ. Dei* didicisse, Vestam sæpius non nisi Ignem esse pertinentem ad focos, sine quibus civitas esse non possit. Scholiaste aliam rationem adfert.

63. *Valvæ.*) Rectæ. *valvæ* enim templorum propriæ sunt, & paulo ante vs. 46. *Pontificem summum* retulerat, & hic de Albano templo videtur loqui. Cic. *pro dom. ad Pontif. cap.* 46. *Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi. Ibi enim postis est, ubi templi aditus est & valvæ.*

66. *Privatis majora focis.*) *Rhombus* enim *est piscis, qui non privatis, sed divitum mensis inservit*, ut ait Scholiastes ad Pers. vi. 23. laudante Scriver. *ad Mart.* p. 142.

71. *DIs æqua potestas.*) *Primus omnium, post Caligulam Domitianumque*, Diocletianus *Dominum se dici palam passus est, & adorari se appellarique, uti Deum*, ita Aurel. Victor. cui confer, quæ super hac *Dei*, eique vicinis appellationibus congesserunt in *Form.* Brisson. & de *Us. & Præst. Num.* Spanhem. *diss.* V. p. m. 386. seqq. neque mos ille hodie evanuit τοῦ δυσκεράστου ἀνθρώπου etiam adhuc vivos. Nullæ tamen nationes magis in vilissimam illam adulationem projectæ, quam Moschi, & assuetus Regibus Oriens. contra eam vide mihi, si lubet, divinam Callisthenis orationem apud Curt. viii. 5.

76. *Rapta properabat abolla.*) Pauci pervident Juvenalis mentem. viam fecit Ferrarius, qui recte *abollam* pallium Philosophicum interpretatur. subtilissime igitur ridet Noster Stoicissantem Pegasum, qui nihil minus, quam liber, aut Rex, ut se jactabant, vocatus ad Domitianum in ridiculum super pisce coquendo concilium, Tyranni iram veritus, cum tamen mentem Stoicam nec vultus instantis Tyranni quatere debeat, serviliter *properabat*, & quidem vix circumjecta, quam festinantissime *rapuerat, abolla* Stoica. Jec. autem fuisse fere Stoicos ea ætate, docuit doctissimus & in his literis elegantissime versatus Antecessor Ger. Noodt *Probabil.* iii. 1. at vero *abollam* fuisse Stoicorum familiarem ea ætate gestamen ex ipso Aquinate patet, cum Egnatii Philosophi Stoici delatione occisum Baream nominat *facinus majoris abollæ* iij. 115. ubi Scholia Vett. vide etiam huc facientia.

109. *Quantum vix redolent duo funera.*) Mortui enim & funera omni unguentorum genere perfundebantur. Artemid. *Oneirocr.* iv. 24. Statius in Epiced. Pileti *Sylv. lib.* ii. *Carm.* vi. *vs.* 86—89. Idem *lib.* v. *Sylv. Carm.* i. *vss.* 210—218. Vide apud Plin. vii. 52. mirificam historiam, quæ odorum in funeribus frequentiam abunde probat ideo *crassis lutari amomis* Persio dives ille mortuus dicitur. & certe Plutarchus tradit in funere Syllæ tantam odorum copiam fuisse, ut præter ccx. lecticas odoribus refertas, simulacrum etiam Syllæ, justæ magnitudinis, ac præterea corpus lictoris ex preciosis odoribus, thure ac cinnamomo formaretur. Judæis morem fuisse sepeliendi mortuos cum aromatis testatur D. Joann. *cap.* xix. & Theophylact. ad *cap.* ii. D. *Matth.* de Aegyptiis res nota. Judæi hoc faciebant ob spem proximæ resurrectionis: Aegyptii ob μετεμψύχωσιν, quæ post ter mille annos eandem animam eidem corpori redderet. Romani ad

cadaveris ustulandi fœtorem depellendum, tum & officium mortuis testandum, ut subobscure indicat Martial. xi. 55. Immanis autem & incredibilis erat Christianorum profusio in componendis mortuis, ut Tertull. in *Apolog.* fuerit quodammodo palliandа: *Si*, inquit, *Arabiæ querantur, sciant Sabei, pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Solebant enim non solum corpora, sepulcra, sed & ipsos lapides sepulcrales, teste Prudent. in *Cathem.* unguentis perfundere, & magnam odorum vim conditoriis inserre, quia proximam instare resurrectionem erant persuasi, unde putredinem ita arcere volebant. hic mos diutissime servatus est ab Alexandrinis, qui Patriarchas & sacerdotes hoc officio prosequebantur, teste in *Respons.* Balsamone.

126. *Arviragus.*) *Felicitas illa Arviragi esto; quod eo potissimum Rege in Britannia primo sonuerit Euangelii tuba, occinente sive Apostolorum aliquo, sive Josepho Arimathæo.* hæc Ger. Joan. Vossius, nescio quo Auctore, in dedicatione Aristarchi.

137. *Noctesque Neronis Jam medias, aliamque famem.*) Vulgo hæc trahunt ad *epulas a medio die ad mediam noctem protractas*, quas Suetonius commemorat. non adeo recte. Montanum, ut conscium libidinum Neronianarum & hominem nequam notat. ipse Nero apud Tacitum ambigebat, *quonam modo noctium suarum ingenia notescerent.* ergo *noctes mediæ* sunt eædem, quæ Sat. vi.

Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea sumit,
Cum perfusa mero spirant unguenta Falerno.

Alia fames, est illa, quæ Cererem Liberumque sequi solet, de qua Petron. *cap.* 72. & præcipue post Falernum, quod Varro scite *suscitabulum Veneris* appellat, *noctes* autem signanter vocat *medias*, expressurus luxum illius ævi. hinc & Petronius a cœna Trimalchionis *noctis* jam *mediæ silentio* se abiisse dicit, *cum nulla fax in præsidio esset errantibus viam monstratura.* Neroni autem *per vinolentiam noctes* fuisse *tractas* annotavit Tacitus *Annal. lib.* xiii. Erat enim apud Veteres frugaliores mos, sub Solis occasum nocte jam immente finire convivia.

153. *Cerdonibus.*) Videtur hac voce Christianos tangere, neque enim diu persecutioni, quam in eos inceperat, supervixit. Jam vero hos plerunque manuaria arte se sustentasse constat ex 1. Thessal. ii. 9. Epiphan. *Hæres.* lxx. contra Massalianos, hinc apud Justin. Apol. 1. Gentibus sunt *Manuum opifices & omnino idiotæ.* Minut. *Octav.* p. m. 32. *expertes artium, nisi sordidarum.* ap. Theodoret *Serm.* viii. per contemtum eos appellant Gentes σκυτέας, καὶ ὑφάντας, *cerdones & textores.* Imo vero Origin. *lib.* iii. *contra Cels.* observat ipsos Ecclesiæ doctores fuisse ἐριουργοὺς, σκυτοτόμους, καὶ κναφεῖς. sed vide *Comm. ad l. l.* Minut.

SAT. V.

UT *bona summa putes* &c. vers. 2.) Corrupti hi Urbis mores Epicteto meo expressserunt illas masculæ sapientiæ voces, quæ leguntur *Enchirid. cap.* xxiii. quibus a vanis hisce mentem ad solidiora extollit.

2. *Quadra.*) Serv. ad Aen. iii. *fragmenta* explicat, & huncipsum versum laudat. Horat.

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Mart.

Secta plurima quadra de placenta.

scilicet *quadræ* erant fragmenta ex orbe seu placentis triticeis seu paniceis in orbem deductis, quibus epulæ imponebantur, ut hodie patinis & lancibus; quæ *quadræ* dicebantur, quando post epulas quadrifida divisione in partes quatuor sectæ erant. non vero, quod essent quadratæ. Hinc scomma Juvenalis, *aliena vivere quadra*, in fragmento paniceo alienæ mensæ summum bonum ponere.

3. *Si potes illa pati* &c.) Nemo beatulus aut fuit, aut est, aut aliis in annis erit, qui non suos habeat parasitos, quos lepide Phocylides τραπεζοκόρους seu *mensarum tonsores* vocat; quique se ridiculos facere non verentur, modo ditioris alicujus culina latrantem illorum stomachum leniat. si Parasiticam vitam, & quæ eo spectant, scire aves, adi *funus Parasiticum* Rigaltii, *Barbinum* Menagii, aliorumque, de hodiernis Pedantibus & Pedantismo crepundia, qui pæne parasitos veterum ita exprimunt, ut lac lacti non sit similius.

37. *Brutorum & Cassi natalibus.*) Parentalia hæc annua docte illustravit Meurs. *de Fun. cap.* 36. qui videndus. Imitati hunc morem Christiani in memoriis martyrum, excepto, quod emortualem eorum diem dixerint natalem.

43. *Gemmas ad pocula transfert.*) Romani enim eo luxuriæ pervenerant, ut onustos annulis digitos, cum biberent, denudarent per luxum: nimirum pocula habebant, quæ in margine fissuris & cavitatibus erant prædita, in quas ex tempore inserebant gemmas & uniones ex digitis, ut magnificentius biberent, & hoc proprie erat ἔμβλημα. Noster hæc *gemmata pocula* intelligit, monetque Parasitationis candidatum, ne ægre ferat, si quando custos appositus gemmas a Virrone insertas dinumeret, ne forte unam ungue acuto eximat.

72. *Artoptæ.*) Placet omnino Ferrarii conjectura, ut panis nonnihil assatus intelligatur, quem Belgæ *geraspt wittebrood* appellant; i. e. panes triticeos rasos in crustis exterioribus, qui beatioribus in deliciis sunt. ut Poeta parasitum, mirifice indignitatem rei exaggerans, moneat, *reverentiam deberi* i. e. abstinendum esse, tanquam re sacra, pane Regis, tenero, niveo & molli siligine facto, ut potius *mucida solidæ farinæ frusta*

i. e.

i. e. panem atrum & secundarium, ex *canistris consuetis comedat*, quum *audaciam* ejus servus parus herilis custos facile prostituere possit, si *improbulum* raptorem furta reddere cogat.

74. *Vin tu consuetis* etseqq.) Verba sunt servuli dispensatoris ad parasitantem: heus audacule conviva, pone, quam rapuisti, *artoptam*; Noris tu potius panis secundarii, qui tibi destinatus est, atrum colorem, eoque ex consuetis canistris impleto ventrem. Hæc eum in finem noto, ne quis cum Ferrario in sensu planissimo dubius hæreat, aut critica falce Poetæ insolitam duarum vocalium *EA* collisionem obtrudat.

109. *Piso bonus.*) Plerique Interpretes *liberalem* explicant: Rigaltius credit alludi ad cognomen *Frugi* Pisonibus familiare. quid si *bonum* exponamus divitem, lautum, splendidum? Plaut. *Curcul.* iv. 1. 14. *In foro infimo boni homines atque divites ambulant.* Sic apud Græcos ἐσθλὸν poni Cl. Grævius ad Hesiodi Ἔργ. i. 214. docte annotavit.

154. *Metuensque flagelli* etseq.) Lipsius de venatore ac bestiario intelligit, contra omnes Interpretes; quod sc. *parma* tempore Juvenalis in desuetudinem apud milites abiisset; deni quod *metus flagelli* servilem conditionem arguat; hos dicit in amphitheatro artis tyrocinia in capella configenda didicisse. Sed quis ita Latine loquentem ferat, *discere jaculari a capella*; i. facere artis venatoriæ tyrocinia in capella configenda? fingamus tamen bestiarium ac venatorem intelligi: qui ergo *capella hirsuta* & *metus flagelli* hic in rationem venient? quid his commune cum venatoribus! Ramiresius Lipsii in hac sententia vindex per *hirsutam Capellam*, Græculum jaculandi magistrum intelligit, qui barbatus adeoque *hirsutus* bestiarios instrueret. Lepidæ mehercule nugæ! Ferrarius Scholiastæ sententiam adstruit, acriterque illos exagitat, qui de simia capram inequitante explicant; cujus commenti, quod *fabulam non unius assis* appellat, Auctores *paria cum simia* facere dictitat. Imo vero; doctissime Ferrari, quis, si salva sit tua sententia, Romuli nepotum Te docuit *flagellum* poni pro *vite centurionis*, *parmam* Juvenalis tempore militi inusitatam pro quolibet scuto? id ne quidem verisimile est nostro Auctori proprietatis amantissimo per somnium cogitatum. Scilicet cum ex Jc. [v. *l.* 12. ff. *de Jure Fisc.* *l.* 10. ff. *de in Jus Vocando*, juncta *l.* 7. ff. *de Injuriis.*] constet *flagella* servilem esse castigationem, cum omnes probati Auctores, flagella vocent *serviles pœnas*, [vide Justin. 1. 5. Sall. 1. *Hist. Abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur.* Senec. extrema *Apocolocynth. Apparuit subito C. Cæsar, & petere illum in servitutem cœpit: producit testes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem.*] Quis credet in castris Prætorianis prope Urbis ipsius mœnia, ut recte *aggerem* explicant eruditi, ab hircoso aliquo Centurione milites ingenuos servilibus flagelli verberibus exceptos, cum tyrocinia jaculandi auspicarentur? Piget me pudetque ineptiarum, quas alii certatim ad hunc locum confuderunt. Veram sententiam duce Scholiasta primus vidit *Claverius*; quam postea itidem adseruit *Rutgersius*. nimirum intelligi *capræ inequitantem simiam*. In eo autem a vero abit *Claverius*, quando ab agyrtis & histrionibus circumduci ad captandum risum vult turpiculam illam jaculatricem equitemque simiam. Verus enim sensus hujus loci est: *Tu* parasitaster, cum in secundis mensis Regis tui videas olentia poma apponi reliquis beatulis Domini congerronibus, *frueris* (emphatica indignatione hac voce utitur.) tanquam umbra nullius momenti; *malo scabiosissimo*, non item olenti illo, quo beatus gaudet; quod sane malum in *aggere*, seu castris Prætorianis prope Urbis mœnia, ab otiosis prætorianis *rodendum* daretur *simiæ*, quam illi Prætoriani, insuper habitis militaribus exercitiis, ludicro bonum otium ad Urbem perdentes, quasi nihil aliud agendum esset, *parma galeaque tectam hirsutæque capellæ inequitantem flagelli metu ad disciplinam torquendi* inde, instar equitis, *jaculi* compellant. Viden, ut Noster in transitu, pro suo more acri bile perfundat desidiam non solum gregarii, sed ipsius etiam prætoriani militis? *Simiam equitem ex capra jaculandi artificem* inter Judicia militis etiam Asiatici enumerat accuratissimus Leo Africanus. Cum hæc scripsissem comperi & Bochartum in *Hierozoico* docuisse ex *Antholog.* Capras tyronibus in usu fuisse, ut illarum ope discerent rudimenta equitandi & jaculandi, & in eum sensum vocare Juvenalis hunc locum; at pace tanti Viri dicam, licet Marmolius, aliique rerum Africanarum & Asiaticarum scriptores tradant Capras illic locorum admittere sessorem, non tamen inde fluit, in quo maxime cardo vertitur, in aggere tyrones Romanos easdem capellas Africanas inter tyrocinia equitandi usurpasse. Sed nolo diffidere Lectorum judicio, qui legerunt, quæ modo diximus.

SAT. VI.

CRedo pudicitiam &c.) Præter hanc Satyram ἐγκωμιαστικὴν si vituperia sequioris sexus legere sustinebis, adi Chrysost. homil. *de Herodiad.* & qui fere omnia mulierum malæ notæ epitheta ex Veteribus, tribus paginis, corrasit, Barth. *Animadvers. ad Celestinam ex Hispanico versam* p. m. 334. & seqq. & junge huic *les memoires de Brantosme*, ut taceam Sotadica scripta, quæ apud Italos Hispanosque nata hunc sexum infamant.

2. *Visamque diu.*) i. palam, ipsa meridie, non dedignatam subire hominum tecta, persuasum namque

erat Veteribus nocturno tantum tempore Deos labente ævo in terram descendere, ut Papin. luculenter testatur. Ita quidem Barth. *Adv.* xxii. 7. Sed ut puto, argutius, quam verius.

18. *Et aperto viveret horto.)* sed *aperto v. h.* mavult legere Barth. *Advs.* xxii. 7. neque satis repugnem.

30. *Dominam)* Αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ΚΥΡΙΑΙ καλοῦνται. Epictet. *Enchir. cap.* 62. emphasin vero hujus vocis hoc loco recte perspexit Grangæus.

59. *Adeo senuerunt Jupiter & Mars.)* Hoc ipsum Orator Christianus Lactant. i. 16. sed in alium finem adversus Gentes urget, hunc tamen locum, ut puto, in animo habens.

63. *Cheironomon Ledam* et seqq.) i. e. Cum Bathyllus scienter saltat, & manuum totiusque corporis erudito motu exprimit Ledæ delicias Jovi blandientis, usque adeo pruriunt insanæ spectatrices, ut præ Veneris impatientia Tuccia [*dedita opera Juvenalis hic nomen Vestalis illius usurpat, quæ* hausta cribro aqua *pudicitiam suam asseruit, quam per transennam, & sub ejus nomine omnium* Vestalium *secretas libidines & infames ardores notare videtur.*] vesicæ non imperet, quasi dicat: aquam non contineat [*respicit enim oblique ad Historiam Tucciæ*] sed resolvatur & liquescat: ut Appula [*sub cujus nomine* libidinem & turpe otium matronarum beatiorum *sugillat*: Appuli *namque magnarum opum.* Horat. *Od.* iii. 16.

— *Transfuga divitum*
Partes linquere gestio,
Contemtæ Dominus splendidior rei,
Quam si quicquid arat non piger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.]

in Venerem resoluta absque ullo pudore gannientia quasi in medio opere subantis murmura non vereatur illic in publico ludo exhalare: denique ut *rustica* etiam, si forte Thymeles doctissimæ saltatricis exosses, tremulos venereosque motus tunc spectet, mira ingenii ad nequitias facilitate celerrime arripiat eosdem motus & τὰ τῆς Ἀφροδίτης κινήματα, adeo ut, quæ *rustica* ludum intrarit, ex isto spectaculo *Thymele* seu æque perita ac *Thymele*, discedat. Quæ etiam ratio primævæ Ecclesiæ Episcopos jussit magna severitate interdicere, ne *ludum Diaboli* Christiani frequentarent, imo ne quidem histriones in fœminam fractos secum haberent. vide Hieron. *Ep.* ix. *ad Salviam viduam.* Mira ergo arte Bathyllum, pantomimos, eorumque ludos, in queis casti pudoris damna; fœminarum cujuscunque sortis, Vestalium, Matronarum, Rusticarum, desidiam, libidines, lasciviam, atque adeo *effœminatas artes &* *indecora seculo studia*, ut cum Plin. *in Paneg* loquar, & corruptos Urbis mores traducit.

63. *Ledam molli saltante Bathyllo.)* Si desideras tacitæ ejusmodi gesticulationis artificiosum exemplum, Vide mihi Apulej. *Miles.* x. ubi Dearum lividinantium judicium pæne oculis subjicitur. Sed locus est prolixior, quam ut hic adscribi possit. Graviter contra hæc insurrexere Patres Ecclesiæ, præcipue Tertullianus lib. *de Spectac.* qui cap. xvii. Juvenalem mirifice illustrat: *Ita*, inquit doctissimus Afer, *summa gratia ejus de spurcitia concinnata est, quam Atellanus gesticulatur, quam mimus etiam per mulieres repræsentat, sexum pudoris exterminans: quam denique pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit.* i e. postea nequitias illas saltando & gesticulando exhibere.

63. *Molli saltante Bathyllo.)* *Mollem* vocat, qui Mæcenati Ganymedes & in deliciis fuisse dicitur. Tac. *Ann.* i. 4. Is princeps & auctor fuit pantomimorum. Vid. Macrob. *Saturn.* & post eum fere omnes pantomimi non solum ob artem ludicram, sed & infame corporis obsequium tribu & militia arcebantur. Tertull. *Apolog. cap.* xv. *Quid quod imago Dei vestri ignominiosissimum & famosum caput vestit? quod corpus impurum & ad illam artem effœminatione productum Minervam vel Herculem repræsentat?* Columell. *præf. in lib. de R. R.* *Attoniti miramur gestus effœminatorum, quod a natura sexum viris denegatum muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium.* nam crocotam muliebrem induti, vultuque & depiles saltabant, taciti, sola gesticulatione agentes. Sed hæc nota. de Bathyllo vero vide Phædr. *fab.* 87 Zosim. *Hist. lib.* 1. *pr.* Rescriptum Labieni Je. pro Bathyllo laudat Seneca *præf. lib.* v. *Controvers.* de Bathylleæ & Pyladeæ saltationis differentia Plutarch. *Sympos. lib.* vii. *Quæst.* iix. & Athenæ. *lib.* i. egerunt.

82. *Nupta Senatori &c.)* Simile quid ex Mœronis *Exsecrationibus* narrat Parthen. *Erotic. cap.* xxvii. de Alcinoe, quæ diris devota a Minerva, καὶ εἰς πόθον τινα ξενίου ἦλθε, ὥς τε ἀπολιποῦσ' οἴκον καὶ παῖδας ἤδη γαμέτους, συνεκπλεῦσαί τε τῷ Ξάνθῳ.

126. *Et resupina jacens &c.)* Versum hunc retraxi in suum locum, unde monstrante viam sensu exciderat ob prætextatam licentiam, mox vero a curiosulis receptus eo migraverat, quo non quadrabat.

129. *Tentigine.)* Barth. *Advs.* xxii. 7. putat alludi ad Priapismum, & tribui ea fœminis, quæ viris conveniant proprie; at vero ex Firm. *Mathes.* iii. 7. aliisque constat, hanc vocem utrique sexui communem esse, quod & Medici agnoscunt. Tale quid Messalinæ non absimile in Cleopatra agnoscit Auctor *Epistolæ Antonii ad Soranum*: *Postposita muliebri verecundia ad tantam impatientiam flagitii prorupit, quod sub una nocte*

nocte sumto cucullo in lupanari prostibulo c. & vi. virorum concubitus pertulit, in tantum, ut professa est, in tentigine rigidæ vulvæ erat accensa, quæ esse ex Juvenale expressa nemo non videt.

131. *Fumoque lucernæ.*) Prostiterat enim, ut cum Horat. dicam, *sub clara nuda lucerna.* Lucernas enim ad lenonias ædes & lupanarium januas fuisse appensas, quia ferme inclinato ad vesperam die aut nocte prostituebatur pudor, docet doctissimus Afrorum Tertull. ad Uxor. *Procedit de janua laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Idem *in Apolog. Cur die læto laureis postes non adumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, solemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris?*

169. *Numerat in dote triumphos.*) Mulierum, præcipue nobilium (speciatim vero Gracchorum & Corneliarum.) fastum notat, earumque ingenium scite depingit, quæ forte ignobilioribus junctæ, nil nisi triumphos, sanguinem, stemmata, Majores maritis quotidie occinunt.

225. *Flamea.*) Verr. Flacc. apud Plin. *lib.* xxi. *cap.* 8. *Flameum nuptæ amiculum vocabant, non quidem a flamma colore, sed quia Flaminica, cui divortium facere non licebat, eo perpetuo utebatur.* hinc patet acerbissimo sensu Juvenalem dixisse, *Flamea conterit.*

236. *Advocat Archigenem.*) Invehitur obiter in Medicos, qui sub specie faciendæ Medicinæ adulteria exercebant. hinc *Vettius Valens Messalinæ adulterio nobilitatus* dicitur Plinio, xxix. 1. imo paullo post & *Eudemi* meminit, qui *cum Livia Drusi Cæsaris* adulterii commercium habuit, imo disertissime Medicis objicit *adulteria, etiam in Principium domibus*; concinit huic Mart. xi. 72. ubi miram hystericæ curam recenset.

294. *Nullum crimen abest facinusque* &c.) confer hic, quæ Aristoph. in *Pluto* ad hunc locum pertractavit, & Lucian. in *Timone* paullo ultra medium. Claud. *in Raptu*

—— *Sed quod dissuasor honesti*
Luxus & humanas oblimat copia mentes.

298. *Prima peregrinos* &c.) Quamvis non libeat corradere ex Theogn. Senec. Eurip. Siobæo hujusmodi gnomas, recte tamen colliget Lector, Juvenalem sua mutuatum esse ex Sophoclis orchestra, in qua Creon regio cothurno in *Antigona* adversus Pecuniam debacchatur, cui succinit mirificis epithetis Phocylides. Audiant alii sententiarum strepitum, Verissime Eurip. in *Phœniss.*

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

imo quocunque vives seculo, naturaliter homines amabunt & ardentissimo studio per fas & nefas venabuntur illa, quæ communi consensu preciosissima censebuntur, & quorum ope commode ac delicate vivere poterunt & obsequi animo suo.

307. *Collacis.*) Perplacet lectio, quam vet. Cod. Stephani habet, *Collactea*, i. eadem nutrice usa, quod mox sequens vocula *notæ* comprobat. fœminæ enim *collactaneæ*, seu *collactiæ* (ut hæc vox in *Insc.* Gruteri *p.* 1119. & 1161. exaratur.) solent esse per omnem ætatem dicaculæ confabulatrices, ut rerum experimentis constat.

332. *Conductus aquarius.*) Scilicet *aquarii* aquam in ædes portabant, qua mulieres ad balnea utebantur: inde illi male cœperunt audire, tanquam προαγωγοὶ Glossæ: *Aquatulat: lenocinatur.* Festus: *Aquarii sunt impudicarum mulierum sordidi asseclæ. Iis enim tanquam amorum internunciis solebant uti mulieres.* hinc patet, cur Noster *conductum* vocet. adde Turneb. *Adv.* xiv. 12.

354. *Flavam puellam.*) in Glossis est *Fabea, παιδίσκη,* unde Scaliger, Vulcanius, & si recte memini, ad Petronium Wouwerus volunt hic legi:

Faveam, cui det mandata, puellam.

Sed vulgata lectio immerito sollicitatur.

373. *Tonsoris damno.*) Eodem joco Aristoph. in *Nubib.* Socraticorum nudipedalia secum ferre ait suorum damnum.

403. *Quid Seres, quid Thraces agant.*) *Seres* sunt illi ipsi, qui hodie vulgo *Chinenses* audiunt; at *Sinæ* Ptolemæi aliorumque Veterum non sunt *Sinenses* hodierni, verum *Siamenses*, ut vult Is. Voss. *ad Melam* i. 2. *p. m.* 8.

407. *Instantem Regi Armenio, Parthoque cometen.*) de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem Regis portendat, ut ait Tac. *Ann.* xiv. 22. atque adeo Noster hanc divinationem scitissime irridet, dum ad muliebrem vanitatem istiusmodi siderum interpretamenta retulit. notanter autem ait *cometen*, seu *crinitum sidus instare Regi Armenio Parthoque*; hi enim populi erant prolixa coma criniti, ceu ex nummis Arsacis, & illis, in quibus *Armenia capta* repræsentatur, apparet. videsis Tristan. Tom. ii. *Comment. pag.* 83. qui multa de cultu capillorum apud Persas: cui adde Spanhem. de *Usu & Præst. Num. diss.* v. *pag.* 427. & *p.* 459. ubi *Armenium* supplicem exhibet pulcris cincinnis comatum. inde advertas, vulgi vanitatem quam Satyrice noster exagitet, cum tam levi tibicine fultam hanc divinationem in muliebri superstitione recenset.

422. *Dominæ femur exclamare.*) i. *Aliptes* dum callide Matronæ *digitos* per blanditias *impressit cristæ* seu *acuminato operculo* vel & *conchæ*, seu vasis unguentarii acumini, *coegit Dominam* ea impressione dolentem *femur*

mur percutere, ut sonitum ederet. consueverant enim Veteres in dolere & magna animi commotione *femur* percutere. Cic. *in Brut.* *Nulla perturbatio animi, nulla corporis; non frons percussa, non femur.* Nonnus *Dionys. lib.* xvi.

Ἀμφοτέρους δ᾽

Μηροὺς πληξαμένη, κινυρῇ βρυχήσατο φωνῇ.

Prætextatum sensum, quem alii exsculpunt, video equidem, sed non nisi, ut Nostro moris, sub hac larva.

443. *Una laboranti* &c.) Otio abuti dicerer, si delinquenti Lunæ æreorum vasorum strepitu succurri solitum probare vellem. Sed tamen & hoc notandum, Muhammedanos & Orientem fere omnem hodieque illa superstitione teneri, quod abunde docent ὁδοιπορικοὶ & Chorographi. Imo & Judæi, multique inter Christianos ea ipsa superstitione adhuc fascinantur.

445. *Nam quæ docta nimis* etseqq.) Suspicor per transennam notari hoc loco Sulpitiam, Caleni uxorem, fœminam doctissimam, quæ & ipsa ad Satyras accessit, unde Juvenalis invidiæ œstro forte percussus, qui primus videri voluit cœlo Latino ignotam Satyræ rationem bacchari, indignatus fœminam in gloriæ partem venisse, stilum in fœminas literatas generatim, sed obliquo in Sulpitiam oculo strinxit. Quam enim cæteroquin Satyræ bilem mereretur fœmina, quæ ingenio & opibus pollens literas tractet? attende iterum: quod *committat Vates* Sulpitia, ipsa fatetur: *Primaque Romanas docui contendere Grajis.* quod Philosophiæ studio fuerit delectata, vel Satyrica illa querela de exactis urbe Philosophis a Sulpitia edita ostenderit, in qua sane non unum *curtum sermone rotato enthymema*, non una *historia.* quod *Palæmonis artem volverit*, ipsa fatetur, cum in illa Satyra ait sibi lusa multa *millia Phalæciorum, Jambicorum, Scazontum* etss. ut non immerito loquacitatis a Nostro *vss.* 438—443. accusata videri possit: quod *antiquaria* fuerit, & ea ipsa Satyra Sulpitię docet. atque hęc me suspicari cogunt, invidię stimulo percitum Juvenalem obiter irasci eodem secum stadio decurrenti Sulpitiæ. Plura addi possent, sed hęc sufficiunt.

471. *Sed quæ mutatis* &c.) Gravissima severitate in hos fucos (quorum ope deformes Naturam quasi ulcisci videntur) insurrexere nostræ Ecclesię Patres, & bile plusquam Satyrica. loca non vacat integra exscribere, videsis Tertull. *de cult. Fœm. cap.* 5. ubi ait tales fœminas, *quæ medicaminibus faciem ungunt, Deum reprehendere, cum emendent, cum adjiciant.* &c. Cyprian. tract. 2. *de Hab. Virg.* ut *Naturæ adversarias* eas exagitat, & *manus Deo inferre* ait, quod ipsum posterius & Tertull. *l. l.* ait, additque, esse *Diaboli negotium* seu ἐνέργημα. adde Ambros. *lib.* i. de *Virg.* Hieron. de *Virgin. Servand.* ad Furiam & ad Demetriad. viii. 10. & qui locum hunc communem prolixe pertractavit Petr. Martyrem, in Loc. Comm. & ad ii. Reg. 9. ut me monuit amicus, qui sacris literis attendit.

502. *Tot premit ordinibus* &c.) Optime percipies Juvenalis verba, si Aneæ Vici *Imagines Augustarum*, aliasque in nummis obvias lustraveris. est hoc Quintil. *comam in gradus frangere*, seu *formare*, ut Sueton. Neron. *cap.* 1. Manilio *lib.* v. *crines in fluctum ponere.* Explicat Mart. Capell. *lib.* iv. *de Nupt.* *Cui crines tortuosi, decentique inflexione crispati & nexiles videbantur: qui tamen deducti per quosdam consequentes gradus, ita formam totius capitis circulabant, ut nihil deesse cerneres, nihil superfluum detineres.* eadem res Tertull. *de cult. fœm.* bilem commovit; *Adfigitis*, inquit, *nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in verticem retro suggestum.*

511. *Ecce furentis* etseqq.) Subtilissime ab hoc versu usque ad vs. 592. traducit omne genus divinationum, quæ in usu erant apud Judæos 542—550. Armenios, Syros 550—552. Chaldæos 553—571. Aegyptios; quorum mirificam superstitionem obiter exagitat 572—581. Phrygas 582—592. Indos 592. perstringit Romanorum Bellonarios 511. 512. Græcorum Gallos Magnæ matris 513—541. hi enim populi, quos modo dixi, maxime divinationum erant studiosi. ridet lustrationes cujuscunque generis, expiationes 518—529. noctes viduas diebus sacris 535. 536. preces meditatas, vel & cum lacrimis fusas 539. sacrificia 541. 542. procurationem fulgurum 587. quin imo per Satyram etiam adoritur revelationes sacras 544. 545. risui propinat dein enthusiasmos 511. 512. somnia & prædictiones ex illis 530. 531. extispicinam, haruspicinam, ubi obiter impia homicidia ad expiscanda futura notat 549—553. auguria & auspicia 585. Satyrica hinc bile perfundit Oracula in genere, & speciatim Hammonis Libyci ac Apollinis Delphici 554—556. Mathematicos 557—568. Apotelesmaticos 569—571. Astrologos, genescon & ephemeridum 572—581. Ophthalmomanticen 578. 579. Medicos, qui Medicinæ Astrologiam accommodant 580. 581. Sortes, metoposcopos, chiromanticen 583. 584. Paucis, omnem Gentilium religionem subsannat, quam acutissime ad ineptas superstitiones, in quas sequior sexus est proclivior, refert, & summa styli acrimonia omnes etiam absurdissimas aliarum Gentium superstitiones Romam, tanquam in sentinam, confluxisse indignatur.

523. *Ter matutino Tiberi mergitur* etss.) Scio hæc ad lustrationem pertinere. digna tamen sunt, quæ Tertullianus habet de baptismo initiandorum Mithræ *lib. de Præscript. cap.* 40. Diabolus *ipsas quoque res Sacra-*

cramentorum divinorum in Idolorum mysteriis æmulatur: Tingit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos; expiationes delictorum de lavacro repromittit, &c. & videtur sane per latus Isiacæ superstitionis Juvenalis noster tangere fœminarum ad Christi nomen conversionem, quare enim ait adeo signanter *ter mergetur*, quare præcise *Tiberi matutino*, & quidem *caput abluet*. Sunt enim ipsissimi τελῶν βαπτισμάτων ritus, quibus initiabantur illo ævo Christiani, ceu ex Justino, Ignatio, Tertulliano constat. Hæretici autem in culpa hujus morsus per latus Isiacæ superstitionis videntur ponendi. Vide mihi Epiphanios, Theodoretos & præ omnibus Euseb. *Hist. Eccl. lib.* iv. ubi agens de Basilide & Carpocrate, notat tales homines Gentibus ansam præbuisse petulanter & impie obtrectandi verbo divino.

523. *Mergetur.*) Et ratio est, ut lota, casta & pura ad sacra Isiaca accederet, & flumine lustraretur ob *violatum cadurcum sacris diebus*. Hanc autem imaginem baptismi eruditissimus Patrum Clem. Alexandr. *lib.* iv. *Strom.* a Mose Poetis traditam ait: ἔθος γὰρ τοῦτο Ἰουδαίων, ὡς καὶ τὸ πολλάκις ἐπὶ κοίτῃ βαπτίζεσθαι. quæ ineptissime reddit Interpres: *hæc Judæorum consuetudo, adeo ut sæpe in lecto baptizentur*. cum vertendum sit: *Est enim Judæis in more positum, post coitum aliquoties undis mergi, atqui ita lustrari.* quod confirmatur ex Levit. xv. ubi etiam diserte hoc mandatur fœminis commate 18.

526. *Erepet.*) Ridet eandem superstitionem, quam scite Senec. *de Vit. beat.* & *cap.* 27. tangit, *stuporem* appellat, *cum aliqua genibus per viam repens ululat*, mendacium vocat, cum *linteati senes iratum aliquem Deorum conclamant*; cujus iræ expiandæ gratia mulierculæ sibi ipsæ crucem figebant, idque ideo solum, quod *candida jusserit Io*, quæ verba aculeum habent paucis animadversum. hoc enim emunctæ naris Auctor indignatur, Matronas Romanas non erubescere jussu calvi semiviri, qui se noctu monitum ab Aegyptia vacca mentitur, cruenta expiatione amoliri vaccæ peregrinæ iram. mira certe emphasis, qua lustrationes & expiationes exsibilat.

533. *Grege Calvo.*) Hinc Hieron. *ad Ezech.* xliv. 29. animadvertit, vetitum fuisse sacerdotibus radere caput ad calvitiem, ne videantur Apis Isidisve cultores.

540. *Ansere magno.*) Si vis hunc locum penitus intelligere, vide Petri Bellorii Aegyptium illum Sacrorum ministrum, cum florum fructuumque primitiis, nec non multis *anseribus* onustum e manu pendulis, & ut videtur, quadra, in qua non obscure mihi videor observare *tenue popanum*. Vide si, lubet, ejus figuram æri incisam apud Spanhem. *de Pr. & Us. Num.* diss. iv. p. m. 266. & integram in Sandrarti *Academia Picturæ* Germanice edita: *part.* I. *lib.* ii. *tabul.* 4.

544. *Sacerdos Arboris.*) seu, quod oracula ederet ex *arcano volumine Mosis*, relicta, sub qua degebat, Aricini nemoris *arbore*, scoptice *Arboris sacerdotem* vocat: seu quod Judæi templo destituti sub *arbore* sacra peragerent; seu quod forte alicujus Rabbini uxor fuerit, quæ cæteris Judæis fœminis Legem exponeret, unde eam *magnam sacerdotem* vocat, peritamque inducit legis Mosaicæ, seu quod Judæi revera tunc ad Δενδρολατρείαν proni fuerint, quo crimine sæpius eorum majores notantur in Sacris. Vide quæ ea de re, prodigiosa diligentia congessit Pineda *de reb. Salom.* vii. 10. vel etiam suspicari quis posset, Judæas has *Christianas* fuisse, quia tunc adhuc sub Judæis censebantur, (unde Suetonii illud in Claudio: *Judæos Chresto impulsore assidue tumultuantes.*) & *sacerdotem* dici, quod *fidi internuncia cœli* matronis Euangelium nonnihil explicaret, sed forte levi tibicine hæc suspicio fulcitur.

579. *Inspecta Genesi.*) Vanitatem τῆς Γενεθλιαλογίας καὶ ἀστρολογίας πρακτικῆς solidissime refutat Barclaj. *Argenid. lib.* ii. sub persona *Nicopompi*, qui Juvenali suppetias fert in exsibilanda hac superstitione, cui adde Simplic. *in Epictet. c.* 1. Sext. Empir. *advers. Math. c.* 21. Nemo vero melius τὴν τῶν παλαιῶν Γενεθλιαλογίαν exponit Salmas. libro *de Annis Climactericis.*

583. *Manumque Præbebit vati.*) deliramenta hæc Chiromantices eloquenter & mascule simul confutavit Aug. Mascardus *Rom. Diss.* vii. Chiromantum & inconstantiam ostendit Georg. Ragusæus *lib.* ii. *de Divin*; neque minus has ineptias explodit Juvenalis, quando fingit *vatem* hunc *crebrum poppysma* non accipere, sed *rogare*, ceu assensum conjecturis suis exposcat, ut eo fidentior in conjiciendo pergat. Si quis nugas has nugacissimas ridere velit, adeat modo Prætorii *Thesaurum Chiromanticum*, largum sane prurienti spleni thesaurum.

584. *Poppysma.*) Ποππύζειν, ut recte Vetus Interpres, *labia collidere cum strepitu* notat; jam vero in hunc usque diem consuevimus assensum & admirationem labiorum collisione subinde exprimere. Ergo Vates, cum ex manus frontisque inspectione non solum futura prædiceret, sed & præteritos casus referret, tum illi subinde *roganti*, nonne vera dixisset? matrona admirans artem *præbebat poppysma crebrum* seu assentiebatur sæpissime per signum illud labiorum collisorum. Sic nos hunc locum explicamus, adjuti nonnihil a Ferrar. in *Elect.* ii. 15. Quæ Turnebus hic de adulatione & adoratione (quia forte fulgura poppysmis adorari solita) refert, ea hujus loci non sunt. Cæterum *poppysma* etiam recte *favor* explicatur. Hieron. *ad Demetriad. de serv. Virg. Equorum cursus favore* (i. poppysmate) *pernicior fit*. Eustath. in illud Iliad. ε. Οὐδέ μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν. Παππάζειν, inquit

Ffffff 2

quit, ἐπὶ μόνων ἀνθρώπων ποππύζειν δὲ καὶ ἐπὶ ἀλόγων· οὐ γὰρ μόνον τροφεῖς βρέφη, ἀλλὰ καὶ ἵππους καὶ βόας οἱ τημελοῦντες ποππύζουσιν. Unde acute & non sine morsu hac voce usum patet Juvenalem, quasi *favore poppysmatis* calcar esurienti vati circulatori sit addendum, ceu in arte sua æque certo, ac sunt bruta. Sed forte nimium longe hæc arcessuntur.

618. *Ardebant cuncta, non aliter* &c.) Tralatitium est, Veteres quosdam statuisse generali combustione Mundum fore periturum: Lucano *lib.* i. *compage soluta*, cum *Secula tot mundi suprema coegerit hora, tota discors Machina divulsi turbabit fœdera mundi.* Huc etiam respicere puto ex transverso Juvenalem, ut deploret statum orbis Romani sub tali Principe; sed & obiter more suo istam Philosophorum de exustione Mundi rideat sententiam, dum eam insano ac ab uxore potionato Jovi adscribit.

SAT. VII.

CUrritur etseqq. vers. 82.) Acute Rigaltius vidit, Nostrum non sine quadam invidia & æmulatione de Statio, ceu *lenone*, loqui, forte quod nimio calamistrorum lenocinio carmina sua, præcipue desultoria, inureret; vel & quod nimium parasitaretur apud lautiores, quorum auribus insidias fecisse ostendunt hodieque *Sylvæ* Papinii. cum vero constet, occultam quandam dissensionem fuisse inter Statium & Martialem, ut docuit accurate *ad Stat.* Gevartius *cap.* 35. & Martiali Juvenalis amicissimus fuerit, licebit conjicere Statium tangi Martiali vii. 23. & ideo etiam a Juvenale Satyrica bile in transitu notatum; idque multo magis ob superbam illam Thebaidos perorationem, qua suimet ipse buccinator ampullatur.

87. *Agauen.*) Quærunt Eruditi, quid Juvenalis intelligat hac voce. Patr. Iaſ. *Qu. Ep.* 4. intelligit *Thebaidem* forte tunc necdum editam, quasi Juvenalis partem pro toto dixerit. *Agaues* enim aliquoties meminit in isto opere Statius: at Delrio in proleg. *ad Senec. Tragic.* intelligit separatam aliquam tragœdiam, quam Papinius de *Agaue* & Pentheo scriptam Paridi vendiderit, nulli antea recitatam aut saltatam. posterior sententia, licet admodum verisimilis sit, notandum tamen iterum Statium obiter ceu *lenonem* traduci; hoc enim vult τὸ *intactam Agauen vendere*, & nusquam talis Tragœdiæ vel Statium vel Veteres, quantum constat, meminisse. forte erit *Agaue* Juvenali carmen extemporalis furoris plenum; qualia fere fundebat super cœnas lautiorum parasitus Statius, ut constat ex Ejus præf. ad *lib.* i. *Sylv.* quare & sub nomine Sabelli vapulat Martiali ix. 20. ita autem carmen furiosum dicit Noster oblique ad *Thebaidos* characterem (cujus nomine *Equus alatus* Patri Scaligero dictus est) forte respiciens, in qua ejus meminit; quam bacchico furore percitam fuisse fabulæ docent: vel & ex sententia Delrii erit *nondum commissa choro Agaue*, ut loquitur Claud. *in Eutr.* ii. 364. tragœdia scilicet Paridi *vendita*, qui histrio Statii Mæcenas erat. confer Britannicum. *intactam* vocat, tum nemini hactenus in Tragœdia exhibitam, tum etiam hac voce superbiam Statii oblique notaturus: qui non dubitat *Sylv. lib.* iii. in *Hercul. Surr.* vss. 61-77. jactare sua bona, seque *didicisse Pieridum flores intactaque carmina*. iterum Epithalamium, quod *lib.* i. *Sylv.* Stellæ scribit, per ambages vs. 238. *thalamis intactum carmen* appellat. hinc & Juvenalis hominis hujus *Agauen* scoptice *intactam* vocat, sed ridicule addit, *Esurire* hominem, *nisi* eam *vendat Paridi*.

94. *Quis tibi Mæcenas* &c.) Scilicet, ut Claudiani verbis ii. *Paneg. in Stilich.* utar:

> *Egregios invitant præmia mores:*
> *Hinc prisca redeunt artes, felicibus inde*
> *Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ*
> *Colla levant.*

Sed, ut verum fatear, solenne est omnibus, qui quoquo modo cum re angusta luctantur, si vel tantillum sibi videantur sapere, ut mox seculum suum infament, ceu illi fastidio sint bona ingenia. ut nulla ætas vacavit a culpa, ita tamen magna ingenia rarissime latere solent, & si qui lateant, aut semper cum adversis depugnent; sibi imputent malam suæ sibi fortunæ fabricam. Pusilla sunt ea ipsa ingenia, cum vilissima stipe donati, mox non vereantur centum *Mæcenates* suo homini benefico versa vice donare, ut non injuria Boccalinus in Parnasso quiritantem inducat Mæcenatem, (*Cent.* iii. *Ragg.* xxxiv.) *che il suo nome da alcuni vili & affamati letteratucci per picciolissima mercede venisse sciallacquato.*

120. *Pelamidum.*) Earum effigiem habet nummus apud Spanhem. *de Pr. & Us. Num. Diss.* iii. *p. m.* 201.

135. *Purpura vendit Caussidicum.*) Belgæ & Germani vulgari proverbio ajunt: *het Kleed maakt de Man.* hinc & Ismenias Choraules ap. Plin. xxxvii. 1. ad artis suæ commendationem insigni corporis ornatu utebatur ipse, atque hujusmodi cultus lenocinium cæteris omnibus Musicæ artis sectatoribus imperavit. & profecto, si verum amamus, nondum accurate inquisivimus, quantæ pro re nata corporis habitus efficaciæ sit; sic pullus & niger tristitiæ affectum oculis ingerunt: sic dissolutus mollitiem notat, & sexcenta talia, quæ non solum in scenis, sed in flexanima eloquentia forent observanda. Juvenalis noster hinc acute inter erudita fraudis instrumenta vestium cultum numerat, quo Caussidici illi non tam oculis, quam animis clientium suorum imponant, licet non sint Labeones, aut corcula Juris.

194. *Distat enim quæ* &c.) Juvenalis hic ex eorum nume-

numero est, qui *Genethliaci* Gellio xiv. 1. & Censorin. *cap.* 14. *Horoscopi*, *Mathematici*, *Planetarii* aliis vocantur; at contra Ptolemæus iij. 2. ex hora conceptus omnem fortunam pueri pendere, neque a natalitiis stellis mutari adfirmat. adi Bang. *de Myster. Numer. p.* 518. 519.

208. *Perpetuum ver.*) Quantum florum studio Veteres insanierint, docent legati eam in rem reditus anniversarii, quo Manibus eorum per corollas parententur, ceu liquet ex Grut. *Inscr. p.*752. &c. vide & quæ copiose de hoc more collegit Ouzel. *ad Minuc. p.* 109. etc.

237. *Exigite ut mores teneros* &c.) Solebant artifices isti ceram ad ignem vel Solem emollitam docto pollice in varias fingere figuras. Ovid. *Metam.* x. 284.

——Ut Hymettia Sole
Cera remollescit, tractataque pollice multas
Vertitur in facies.—

Ejusmodi artificia Varro *in Satyra* Γνῶθι σεαυτὸν *ap.* Non. *in Duci*, eleganter appellat *pollicis musas cerifice ductas*: ut recte eum locum emendat V. C. Janus Ruegersius.

SAT. VIII.

OSiri Invento. vers.29.) Hujus inquisitionis effigies est in gemma, quam numero 55. in *Abraxa* exhibet Macarius, in ea enim Ἑρμάνουβις, ut videtur, cum face, nocturno tempore, quod stellæ significant, Osirim reperit, unde nescio quæ gaudii lineamenta ex tristis inquisitoris vultu erumpunt. In hac gemma explicanda a scopo aberrasse mihi semper visi sunt cum Kirchero Chiffletius, qui εἴδη περὶ Διόνυσον adferunt. *culter* in illa Gemma, quorsum spectat, nisi ut indicet eo artuatim laceratum a Typhone Osirin. Sed vide Firm. *de Err. Prof. Rel.* Diod. Sic. *lib.* ii. Euseb. *P. E. lib.* ii. pr. Plutarch. de *Is. & Osir.* & videbis me recte hanc gemmam explicasse.

118. *Scenæque vacantem.*) Vere, non hyberbolice loqui Juvenalem facile concedet, qui novit ex Seneca Patre *privatim tota Urbe sonuisse pulpitum, in quo viri ac fœminæ tripudiarent; mares inter se, uxoresque contenderent, uter daret illis* (pantomimis) *latus*; qui novit *nobilissimos juvenes mancipia fuisse pantomimorum*, ut queritur in Epistolis Seneca Filius; qui novit eo usque provectam licentiam, ut Amm. Marcellinus indignatus sit, cum sub Constantio Philosophi, ob metum annonæ difficilioris, Urbe pellerentur, *tria millia saltatricum, ne interpellata quidem, totidemque remansisse magistros.* qui novit, quam lucrosa fuerit histrionibus, tragœdis, Comœdisque ars sua, cum Clodius Aesopus ejusque filius, teste Plinio; Roscius, teste Cic. *pro Rosc.* & Macrob. Saturn. *lib.* iii. infinitas pecunias possederint. Sed vide Lips. ad Tacit.

118. *Vacantem.*) Notanter & significantissima voce bilem Satyricam S. P. Q. Romano suffundit, & acerbo morsu vellicat ejus socordiam. nimirum in recessu latet hoc, quod apud Dionem *lib.* 54. Pylades hystrio cum Augustum sibi indignatum vidisset, ob populi seditionem ex studiis inter se & Bathylum excitatam, satis libere eidem Augusto respondit: Συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον διατρίβεσθαι. *Expedit, Tibi, Cæsar, populum nobis intentum tempus consumere*, seu ue Macrobius *Saturn.* ii. 7. apud quem pro *Hyla* reponendus est *Bathyllus*, refert: *Etiam ingratus es Cæsar, sine eos circa nos feriari.* notæ enim dominantium artes, qui populo per factiones seu ferias, seu ludicras diviso facilius pro lubitu imperant, secundum illud πολυθρύλλητον, *Divide & Impera.* videlicet hoc ad securitatem Cæsarum referebat, ut *Urbs Circi scenæque* studiis & factionibus *vacans* & occupata & dissidens, nihil minus, quam de amissa libertate recuperanda cogitaret.

175. *Fabros sandapilarum.*) in Glossis Isidori sunt *flabri, fabulosi*, unde Vulcanius hic legi volebat:

Et flabros sandapilarum.

i. nondum magistros artis. Verum hæc est mera corrigendi prurigo.

224. *Hæ sunt* &c.) Ὁ δὲ Νέρων ὑπερωρίσθη καὶ εἰς τὴν Ἑλλάδα, οὔτοι γε, ὡς οἱ πρόγονοι αὐτοῦ, ἀλλ' ἐπὶ ὀρχήσει, καὶ ἐπὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε, καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει· οὐ γὰρ ἤρκει αὐτῷ ἡ Ῥώμη, ἀλλ' ἐδεῖτο καὶ ἐκστρατείας, ἵνα καὶ περιοδονίκης, ὡς ἔλεγε, γένηται. *Nero autem in Græciam quoque profectus est, non quo ejus Majores animo; sed ut saltatorem, citharœdum, præconem, ac tragœdum ageret. Non enim ipsi Roma satis erat; sed expeditione quoque indigebat, quo Periodonica, ut dixit, evaderet.* quæ Zonaræ verba ex *Annal. lib.* ii. unice illustrant Juvenalem hoc loco. *Periodonicos* autem, ut hoc obiter addam, esse eos, qui *vagati* per Græcas urbes in his illisve certaminibus exstitissent victores, jam monuit Vir doctissimus Faber *Agonist. lib.* ii. *cap.* 15. Talis Periodonica est Citharœdus Septimius in *marmore Arundelliano* iii. & Athleta M. Aurelius Asclepiades in *marmore Farnesiano*.

SAT. IX.

CRustula. vers. 5.) Serv. *Aen.* iii. hunc versum laudat, & notat hæc dici in neutro de iis, quæ comesse possimus, contra vero *crustas* fragmenta esse, quæ comedi non possint.

18. *Deprendas animi* &c.) Data opera de hac re philosophatur Chalcidius in Platon. *Timæum.* Achilles Tatius inde *lib.* vi. *Amor. Clitoph.* ausus est scribere: Ὁ γὰρ νοῦς οὔ μοι δοκεῖ λελέχθαι καλῶς εἶναι ἀόρατος τὸ παράπαν. φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς, ὡς ἐν κατόπτρῳ, τοῦ προσώπου. Cassiod Ep. 14. *lib.* viii. *Cujus est tranquil-*

lus animus, eum quoque serenissimus commendat aspectus. Plin. xi. 37. Hieronym. *ad Fariam, de Serv. Virg.* Verissima hæc esse, docent præterea illi, qui de ingeniis dignoscendis, de affectibus etsſ. scripserunt.

50. *Cui succina mittas.*) Tales semiviri vocantur Petronio aliisque hinc (πυπυλοκίναιδοι, qui umbellis, armillis etsſ. crepundiis ad instar puellarum superbiebant, unde & ad majorem indignationem addit, dona isthæc mitti *fœmineis Kalendis* i. Martii. *Succina* vero hic intelligit armillas tessellis gemmisque distinctas, ut ex Scholiis apparet.

101. *Curia Martis.*) Sic etiam D. Hieronymus in *Ep. ad Tit. cap.* I: *Areopagum* vocat *Atheniensium curiam.*

133. *Qui digito scalpunt* &c.) hunc vſ. laudat quidam ineditus Scholiastes Lucani apud Scriver. *ad Mart. p.* 29. aitque *quosdam velle, hoc esse luxuriæ vitium; quosdam vero, superbiæ indicium.*

SAT. X.

NOcitura petuntur. verſ. 8.) Elegantissime hinc hos homines in Cebetis tabula, *p. m.* 173. qui adeo ardenter *Fortunam* solicitant, dici ait senex ἀπροβουλεύτους, *Inconsideratos.*

26. *Senecæ prædivitis.*) Subtiliter divitias ejus invidendas tangit, quas inter facillime de *Vita Beata, Animi Tranq.* etsſ. scribere potuerit. vide tamen quomodo se excuset in de *Vit. beat. cap.* 17. & quæ pro illo Lipsius in *Prolegom. ad Senec.* & in *Relationib. ex Parnasso* Boccalinus.

42. *Curru servus portatur eodem.*) Non solum servus eodem curru vehebatur, ne nimium *sibi placeret* seu insolesceret tanto triumphi honore Imperator, cum mancipium servile secum vehi cerneret, ut sui triumphantis gloriam nonnihil imminuentem & speculum Fortunæ variabilis: (quæ enim in *Apologet.* Tertull. ex eoque Zonaras & Panuinius, de mortalitatis admonitione a servo hic suggesta, illa gratis dicta & ex Philippi historia traducta videntur, cum vel silente servo eam rem Imperator intelligeret.) verum & fascinationis in tam sublimi honore depulsor, pensilis ex eodem curru *fascinus*, seu res illa turpicula; quam pueris e collo suspendi ad avertendam felicitatis invidiam Varro docuit, sublimissimum illum currum triumphantis defendebat a nimia invidia; denique & fœdissima militum a tergo currum sequentium convicia & liberrima dicacitas, ut ex Suetonio notum, gloriæ illius triumphatricis carnifex, iratam felicibus superborumque ultricem ac vindicem placabant Nemesin. docet Plin. xxviii. 4. *Quanquam religione mutatur & Fascinus* (i. alio modo Nemesis, avertitur) *Imperatorum quoque, non solum infantium custos. qui Deus* (Fascinus) *inter sacra Romana colitur,* (n. a Vestalibus) *& currus triumphantium, sub his pendens, defendit; jubetque servus, invidiæ medicus, dein respicere. Similis medicina Linguæ, gloriæ carnifex, a tergo, ut sit exorata Fortuna* (i. placata Nemesis.) Sic enim Plinii locum puteum legendum. Idem xxxiii. i. docet ferreo annulo in ea triumphi pompa & Imperatorem & servum fuisse usum, ut admoneretur, æque se captivum posse ferreis compedibus (a Promethei enim catenis annulos ferreos arcessunt Mythologi) aliquando Fortuna volvente vices onerari, quam nunc iis onustos comites ad currum cerneret triumphalem captivos. Stulta mortalium vota circa triumphos ea ratione damnat Juvenalis, quod vel ipsa triumphi pompa quemvis doceat Fortunæ vicissitudinem, hinc obiter mentionem servi illius facit.

42. *Servus.*) Cur *publicus* dicatur, alii docuere, qui de *servis* eorumque *operis* sunt commentati. hunc vero respiciens triumphator Fortunæ inter homines constantissimam inconstantiam considerare poterat, cum cuivis contingere possit, quod cuiquam: & qui jam summo honore lætus coronatusque albis quadrigis victor vehebatur, vertente tergum Fortuna, vel servilem victus Fortunam experiri proxime possit. *Servum* vero hunc cornicula illa Hispalensis *carnificem* fuisse dictitat, non intelligens, quod illi solenne § *gloriæ carnifex* in proxime laudato Plinii loco, quem subinde ineptissima supinitate exscribit. quasi vero augustissimo illo curru una cum triumphante vectus sit turpissimus carnifex, quem Romanæ leges ne intra Urbem quidem receperunt? nugę & gerræ.

43. *Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.*) Optime hanc *eburnam aquilam*, ut Prudentio vocatur, exhibet nummus ex Sambuci Bibliotheca Gevartio ad Stat. *cap.* viii. exhibitus, *p. m.* 37.

50. *Crassoque sub aere.*) Philosophus *Polit.* vii. 7. observat in frigidis locis gentes esse bellicosas, non item ingeniosas. concinit vero Nostro Apulej. in *Apolog.* Recte tamen Curtius observat viii. 9. *Ingenia hominum ubique formari situ locorum.* ubi vide Freinshem. Ratio in promtu. Aer, qui omnia perspirat, varie se habet pro ratione climatum. Certum vero est subtiliorem aerem multum conferre ad spiritus subtiliores, hos vero multum ad agilitatem & ad subtilitatem conceptuum, ut Philosophorum filii loquuntur. Hinc videas plerosque Italos, Seras, Gallos etsſ. prepollere ingenio Sarmatis, Hunnis, Moschis. Potentissima tamen hæc caussa multum variatur ab institutione, educatione, diæta, itineribus, cultura pertinaci ingenii, conversatione, commerciis: sic videas Græcos hodie Barbaros & e regione Batavos ingenii cultura excellentissimos, quanquam hi pæne sub arctoo polo, illi sub faventiore cœlo nascantur. Maximum quoque hac in re momentum

confert

confert *bene esse natum*, quod paucissimi expendunt.

72. *Bene habet.*) Simpliciter illam vocem lego, prout eadem usus est Apulej. *in Apologia*: *Bene, quod integras epistolas matris Pontianus asservavit: bene, quod vos festinatio judicii antevertit.* τὸ *habet* absolute poni, pro *periit*, etiam cirrati in trivio norunt.

100. *Fidenarum Gabiorumque esse potestas.*) Rarior vox hæc, *Potestas*, hoc sensu apud Latinos: frequens tamen sequiori ætati eadem notione. nisi enim fallor, Urbibus Venetæ ditionis singulis præest Reip. nomine *Il Podestà*. multa item hujus *Potestatis* mentio in Annalibus Frisiorum. imo etiamnum multis in Germaniæ locis lictores voce indigena *Gewalts-knechte* i. *ministri Potestatis* appellantur; nec aliunde derivarem Præfecti lictorum militarium nomen, quod Belgis & Germanis est *Gewaltiger*. Papias in *Lexico*: *Potentatus, auctoritas judicialis in civitate.*

122. *Natam me consule.*) i. maximo periculo elapsam, meis auspiciis conjurationi Catilinariæ exemtam. *Cœlo mitti, ex orco redire, nasci* etc. Veteres dicebant de rebus, quæ desperatæ pæne, nihilominus ceu quadam παλιγγενεσίᾳ felicem sortiebantur eventum.

143. *Laudis titulique cupido Hæsuri saxis cinerum custodibus.*) Recte Augustin. *de Cura pro Mort. cap.* 40. *Non ob aliud vel* memoriæ *vel* monumenta *dicuntur ea, quæ insignia fiunt sepulcra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in* memoriam *revocant, &* admonendo *faciunt cogitari*, &c.

146. *Data sunt ipsis quoque fata sepulcris.*) Non pigebit hic elegantissimi Ferrarii elegantissimas & rotundissimas voces adscribere, quibus ille Sertorii Ursati *Patavina Monumenta* in limine donavit, quandoquidem plane demonstrant dictum Juvenalis. *Quanta*, ait, *eorum dementia, qui mortalitatis fæcem ac sordes marmore componunt, ut carius putrescant? Quanta vanitas sperantium, posse hoc pacto prorogari nomen, ac memoriam sui in longum extendi? quasi exstincti cineres sepulcrorum ruina non cumulentur, quasi tumulos obducta tellus non sepeliat, quasi non moriantur & lapides! Quota pars reliquiarum, veluti naufragii, de injuriis annorum, ac temporum gula restat? truncus statuarum populus, fatiscentes tabularum crustæ, semesa columnarum frusta, cipporum fragmina minutatim expugnata; &, quæ olim vias superbe prætexebant monumenta, late agris disjecta & obruta, aratris effossa, ut vere monumentum colatur, ruderibus excepta, atque ab ipsis Manibus revulsa, situ muscoque obsita, oblitterata, oblimata, magnarum arborum stirpibus diffissa, trita rotarum orbitis, rursus, veluti in ludibrium, fundamentis reddita, suggrundiorum stillicidiis, fluminum marginibus, viarum stratis, Urbis purgamentis destinata, alieno sepulcro adstituta, translata, toties errantibus umbris, & jactata. Nulli pedes in frontem, nulli retro, nusquam ambitus & maceria: nihil sacri & religiosi: quota pars, inquam, de infernis his sedibus superest? quæ restat, cujus est? cassa nomina, ignoti in patria tituli, peregrina inscriptio, qui illa posuere, ignorantur! ite nunc & sepulcris fidite, quorum spectatis funera! Perituris condimur. Mors tandem & tumulos æquat.*

168. *Unus Pellæo Juveni* &c.) τὸ *Pellæo* habet salem. *Pella* enim obscura tum temporis, Macedoniæ tum quoque non adeo celebratæ, urbs: τὸ *juveni* etiam salem habet: & per hujus *Juvenis* latus perstringit Jul. Cæsarem, cui Alexandri æmulo, teste Sueton. in Ejus vita *cap.* 7. itidem unum non suffecisse orbem Lucanus alicubi prodit.

221. *Themison.*) Notanter Græcum nomen ponit, ut enim ex Catone ap. Plin. xxix. 1. constat, Græci medici vulgo dicebantur male velle Romanis.. nec tamen fides habebatur, nisi Græce artem exercerent. *Themisonem* vocat, ut obiter indicet sectas: quibus *ars interpollis* fiebat, teste Plin. eodem loco, *Themisonis* vero æmuli ex Celsi *proœmio* de *R. M.* noti sunt. ergo hic medicus *votivo vocabulo*, ut Hieronymus talia nomina boni ominis caussa sumta appellat, *Themison* dicebatur. *Autumno* ægros plures esse, quam cæteris anni partibus etiam dupondii norunt, adeoque tum imperiti Medici plura experimenta per mortes agebant. ejusdem impunitatis hominum occidendorum etiam hodie accusat Medicos Molierus in ludicro Comico, aliique. Sed dicant nostri homines, quicquid in buccam illis venerit, certum erit, ea omnia non artis, sed imperitiæ, sed hominum vitia esse; nullam nihilominus esse artem, qua magis ad Deum accedatur, quam MEDICINAM, qua Salutem homines damus hominibus. Certe si vitam dare, Solius Dei O. M. munus sit proprium, datam profecto conservare, morbisque labefactatam instaurare, Deo proximum munus fateamur oportet; unde & Medicamenta eleganter *Deorum immortalium manus* Herophilo dicebantur.

240. *Ducenda tamen sunt Funera gnatorum.*) Recte & propie loquitur. Moris enim erat, quemadmodum fere & hodie, ut in funebris pompæ ordine præirent seu *ducerent* illi, qui sanguine proximi mortuum contingebant, hinc *Patres funera natorum ducebant.*

281. *Bellorum pompa, animam exhalasset.*) Qui hic licentiam Poeticam rei satis convenientem non advertunt, & potius *vitam* pro *animam* legerent, adeant ea, quæ ad xii. 25. ex Heinsio, *in Notis Variorum* attulimus.

295. *Filius autem* &c) ideo & *pædagogia ad transitum virilitatis custodiebantur argento.* Plin. xxxiii. 12.

312.

312. *Quascunque mariti* &c.) Videtur enim Romanis privatim quamvis sine lege permissum fuisse, ut adulteros deprehensos pro lubitu punirent, παρατιλμῷ, ῥαφανιδῶσει, mugile; ut loris conciderent, pecunias extorquerent, viro mulcarent, interficerent, quod ex Horatii *Serm.* i. 2. Varronis *lib. de Pace*, Catulli *carm.* 15. Plauti *Pœnul.* & Nostro constat.

334. *Tyriusque palam* &c.) Salem habet τὸ *palam*; ut indomitam Messalinæ libidinem ureret, notat eam contra morem Romanum non in *lecto adverso*, qui fere in atrio domus, ante ipsam januam statuebatur; sed publice in hortis pudorem prostituisse, ubi obiter tangit mirificum Imperatoris mariti stuporem.

346. *Nil ergo optabunt homines.*) Imo vero hæc objectio suo stat talo & magni ponderis est, siquidem omnis hominum vita, si rem accurate ad rationem voces, nihil aliud est, quam concatenata spei & votorum successio, qua dempta homo quid erit, nisi iners stupor, nisi viva morte sepultus. Vetabimus ergo homini vota? nihil minus, sed ea exsuperantissimæ Dei providentiæ sunt accommodanda, quæ mens est Nostri, qui hac Satyra idem docet, quod in Enchiridio Epictetus, & in Morali Philosophia Stoici.

362. *Et Venere, & cœnis, & pluma Sardanapali.*) Alludit dubio procul ad notissimum illud Sardanapali epitaphium, Ejusdemque mollitiem. Tull. iii. *de Rep.* *Sardanapallus ille vitiis multo, quam ipso nomine deformior.* unde & Pseudantoninus Σαρδανάπαλλος teste Dione dictus erat. Vide Gerard. Voss. F. in Vellej. *1.6.p.* 12.

SAT. XI.

Atticus &c.) Omnino Tibi adeundus est Dempsterus in *Paralip.* ad Rosin. *Antiq. Rom.* v. 29. si velis accurate pernosse hanc Satyram, si quidem ibi congessit omnia, quæ luxum Romanorum vel tangunt vel perstringunt, ut fere justi commentarii loco in hanc Satyram esse possit.

14, *Elementa per omnia.*) hoc est, quod Musa Rhetor apud Senec. præf. *lib.* v. *Controv.* pro suo tumore ajebat: *Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. quære nunc, cur subito moriamur, mortibus vivimus.*

42. *Post cuncta novissimus exit Annulus.*) Notat signanter degeneres a majoribus equites primi ordinis. Constitutum enim erat, *ne cui jus annuli esset, nisi* [ei solum] *cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno HS.* CCCC. *census fuisset*. Plin. *lib.* xxxiii.

96. *Nudo latere.*) Recte Scholia Veterum *latus* per *spondam*, & *nudum* per *non ornatum* sc. auro, argento, aut testudine, explicant; ut comparet Poeta frugalitatem Veterum, cum luxu sui temporis. male reliqui *nudum latus* putant esse *sine fulcro*, *ad quod se inclinent.*

97. *Frons ærea.*) Pars altior lecti ad caput obducta æris lamina, cui posterioris ætatis luxus ornamenta longe preciosiora addidit. Val. Max. *Si quis cognoscat lecti illius frontem Macedonicis triumphis fuisse adornatam.*

97. *Vile coronati* etseq.) Mihi videtur omnino esse legendum *Vite*, ob rationem, quam attulit in *Variis* Ferrar. & quis nescit in pompa Bacchi Asinos?

122. *Latos nisi sustinet orbes Grande ebur, & vasto pardus sublimis hiatu.*) Nisi preciosos orbes citreos eburneus pes (nam argenteum tanti faciebant, quanti in digito annulum ferreum, ut Noster testatur) in pardi hiantis figuram cælatus sustineat. Rotundæ namque mensæ ferme μονόποδες fuere: cum quadratæ tripedes forent, ut monumenta & marmora ostendunt. Post orbes vero μονόποδας, tripedes mensæ non ita in precio, quæ tenuioribus relictæ. Horat. *Serm.* i.

— Modo sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri. —

hinc lepide in paupertina cujusdam frivola sua alio transferentis suppellectile Martialis *tripedem mensam*, i. e. tertii pedis defectu claudam recenset.

138. *Pygargus.*) de his multa & non protrita observavit illustris Spanhem. *diss.* iii. *de Us. & Pr. Num.* p. 156. etseqq. quæ mirifice hunc locum illustrant.

166. *Major tamen ista voluptas* &c.) Videtur, si suspicari liceat, tangere morem beatiorum, qui scitissimas utriusque sexus alebant delicias in Venerem fractas, easque imbuebant omni libidinis arte, ut nimirum scientissime saltarent, ut suavissime canerent, aliaque libidinis incentiva nossent, ut constat ex Gellio *N.A.* xix. 9. Sed tamen, ait Noster & indignatur, majorem isti Joves voluptatem capiunt ex Ganymedibus suis, qui ad epulas dicaculi loquebantur & cantabant *verba, nudam olido stans fornice mancipium quibus abstinet*; quas cantiones in fragmento de *Susanna* πορνικὴν κωμῳδίαν vocat Chrysostomus, & quæ in Canonibus veterum Christianorum severissime vetantur audiri. ait ergo Juvenalis ad promissum convivam Crispinum, non audies apud me Gaditanarum crumata, nec istam πορνικὴν Bathyllorum κωμῳδίαν, neque enim *humilis domus has nugas capit*; sed harum deliciarum loco *Homerus & Maro* cantabitur. Miror viros doctos in sensu tam plano tricatos nodum in scirpo quæsivisse.

173. *Qui Lacedæmonium* &c.) Cum tot ubique Interpretibus occurras, qui certatim huc convolaverunt, quis vetabit & me non ἀσύμβολον esse? Inter interpretamenta, quædam sunt oppido frigida & ἀπροσδιόνυσα. qui sputo pocula, lagenas, vasa in abaco prostantia, vel

&

& ipsam delficam, aut pavimentum lubricata fœdataque intelligunt, delicias nauseabundas comminuiscuntur, quæ etiam mendicissimi fastidirent. atqui Juvenalis adfert ea, quæ dicit, in argumentum divitum luxuriæ delicatioris. Nic. Heinsius Vir Nobilissim. quicum super hoc loco aliquando loquebar, putabat posse innui Veterum delicias, qui digito in mensa vini liquore ducebant notas amoris. notum illud Ovidii: *Quod deducta mero litera fecit Amo.* & alia loca. Sed enim loquitur Noster Poeta de Amoribus primo Gaditanis, neque hos suo convivæ domi suæ exspectandos ait; neque enim humilem domum suam has nugas capere, quibus insanire solum possent divites. atqui mero ducere notas amoris in mensa, non est divitiarum argumentum, quod tamen Juvenalis volebat. Verum satis superque de hoc loco disputatum.

191. *Megalesiacæ mappæ.*) si vis intelligere ea, quæ ad x. 38. habent Scholia Vett. & hunc locum, lustrabis statuam togatam Prætoris mappam mittentis apud Phil. Ruben. in *Elect.* & ex eo ap. Ferrar. *Analect. de R. V. cap.* 34.

193. *Præda caballorum.*) Qui *Perda* legunt, oleum operamque perdunt, cum sit verbum insolens, cœloque Latino ignotum.

201. *Spectent hoc* et seq.) Miror stuporem Gangræi, Lubini & Canteri, qui versum hunc retrahunt, tanquam fugitivum ad vs. 164. ubi æque quadrat, ac rotundis quadrata. Sensus obvius, q. d. *Sed concedamus Circensia ludicra puellis & adolescentulis*; mox cum stomacho subdit, *imo spectent & in Circensibus cum maritis suis nuptæ illa, quæ ne quidem dicere præsentibus ipsis, nedum facere pudor prostitutus audeat; Relinquamus his hominibus sua crepundia, nos interim curabimus cuticulam, & apricabimur.* At quærit Gangræus, Quid ludis Circensibus obscœni? respondebit pro me doctor Artis ludicræ *lib.* I. *a vs.* 135. *ad vers.* 170. *Trist.* ii. 280.

Tollatur Circus, non tuta licentia Circi est,
Hic sedet ignoto juncta puella Viro.

Et hanc quoque *Circi licentiam* oblique taxat Juvenalis, quam & ipsi Patres priscæ Ecclesiæ gravissime notarunt. fugiendum ergo bonis moribus Circum innuit.

SAT. XII.

TEneris quoque Mæcenatibus aptam. vers. 36.) Mæcenatem ob habitus incessusque mollitiem Senecæ aliisque proscissum quis nescit? imo Acron *Malthinum* ideo dictum ab Horatio *Sat.* 2. *lib.* i. refert, q. μάλθακα, qui Suidæ γύναιος, seu ut Scholiast. Theocr. *Idyll.* vii. μάλθακοι explicat, τρύφεροι, Hesych. ἴχλυτοι, quæ accurate *tunicis demissis* apud Horatium respondent.

57. *I nunc* &c.) unde ratem Phædrus *fab.* 64. acutissime vocat *professæ mortis audacem viam.*

81. *Vertice raso.*) Solebant enim nautæ e naufragio salvi Diis offerre vel *vestimenta*, ut Horat. indicat *od.* 5. *lib.* i. vel *crines* detonsos grati animi signum donare, ut ex Petronio & epigr. Lucilii Anthol. *lib.* vi. constat. videtur ad hunc morem allusisse Apostolus Act. xxvii. 34. quando mari periclitantes suos confirmat, ut ne quidem ex capite capillum sint amissuri. Præter enim *capillos* & *vestimenta* nihil naufragis solet superesse, quod Diis Sospitatoribus promittant.

SAT. XIII.

EXemplo quodcunque malo.) Multo elegantior est illa lectio, quam ms. codex Reverendi Hammondi præ se fert, teste Editione Anglicana, quæ ita habet:

Exemplo quodcunque malum &c.

magis hæc referunt acumen Juvenalis.

46. *Prandebat sibi quisque Deus.*) Deorum delicias scoptice exagitat, quasi qui bis de die saturarentur, quod Plato tamen (vid. Cic. *Tusc.* v. & Platon. *Epist. ad Diogen.*) in Italis Siculisque mensis improbabat. Ridet ergo & mensas Deorum, & figmenta Poetarum, & superstitionem vulgi.

86. *Sunt, in Fortunæ* et seqq.) Euripides *act.* iii. *Hecub.*

Ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν,
Ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην,
Ψευδῆ δοκοῦντας Δαιμόνων εἶναι γένος,
Τύχην δὲ πάντα τἀν βροτοῖς ἐπισκοπεῖν;

Vide, si lubet, Græcæ Eruditionis promum condum, Plutarch. I. *de Plac. Phil.* & eruditi illius Petri Firmiani, (sub qua persona latet *Zacharias de Lizieux*, Capucinus Prædicator, Vir sanequam religiosus) *Sæculi Genium, Dissert.* iv. Sententiam vero illam de *Fortuna* magno & generoso spiritu refutavit Claudian. *lib.* I. *in Ruffin.* Seneca *de Provid.* & inter Patres Salvian. *de Gubern. Dei*, aliique innumeri. Nemo tamen doctius & solidius, quam capitale illud stupendumque Barclaji ingenium, *Argenid. lib.* iv. ubi *de Fortunæ* in Terrarum orbem imperio disputantem inducit sacerdotem Antiatis Fortunæ.

157. *Custos Gallicus Urbis.*) forte is est Rutilius Numatianus Gallus, sub Domitiano Urbi præfectus (unde obiter constat ætas, qua hæc Satyra scripta.) Sic & Senec. *Ep.* 86. L. Piso Cossus Præf. Urbi audit *Custos Urbis ebrius.*

165. *Et madido torquentem cornua cirro.*) Illustris Salmasius, si bene memini, in epistola *de Coma* legit *madidos torquentem in cornua cirros.* sunt autem cirri deflui atque dependuli crines, sive diffusi sint illi, sive discriminati. hos *madidatos* in vertice nodo substringebant (hoc enim est in cornua torquere) præcipue *Sicambri*

cambri eorumque vicini, *& Suevi*, neque enim hic mos omni Germaniæ solennis, cum *diffusas cæsarie scapulas* Saxones habuisse monumenta testentur, & *Caycos* seu *Caucos* solum *cirrigeros* vocet Lucanus. *Rheni nodos* hos, ut eos Martialis appellat, videre si aves, adeas Smetii *Oppid. Batav.* & Licet. *de Lucernis*, ubi eorum figuræ repræsentantur. videturque idem mos exinde superstes mansisse, quo fœminæ nostrates capillos in sincipite in nodos colligunt. *Cornua* vero cirros ita tortos appellat, ut & Græci. κέρατα, τρίχας, Hesychius.

180. *At vindicta bonum* &c.] Ratio est, quia vindicta *agrestis* & naturalis quædam *justitia* est, ut subtiliter judicat magnus Verulamius *Serm. Fidel.* iv. ubi recenset Cosmi Medicæi acutissimum dictum: *Legimus & mandatum habemus, ut inimicis nostris ignoscamus; at nuspiam legimus, adstringi nos, ut ignoscamus amicis.* Cæterum tamen generosissima Vindicta est, oblivio injuriarum.

SAT, XIV.

FRitillo. vers. 5.) Turricula, intus gradibus prædita, in quam injiciuntur tali, ut per eam turriculam demitterentur in mensam, ne si manu lusoris jacerentur, socium posset fallere, *en le pipant*, ut Galli ajunt, & ut Belgæ, *pottende met de dobbelsteenen.* Eidem fine hodie destinatur parvulum cornu, ex quo fere jaciuntur tesseræ, ne ulli dolo occasio sit.

12. *Barbatos magistros.*) *Barbam* in Philosophis obiter, quorum *hispida membra* & *duras setas* supra *Sat.* ii. lacessivit, mordet. Festive Lucian. in *Mortuor. Dial.* introducit Philosophum quendam, cujus pondera multiplicis barbitii cymbæ impetum retardassent, ni Charon aliter statuisset. quid verat, quo minus fabella attexatur: Promiscua mortuorum turba ad ripas Acherontis effusa stabat, orans & ulterioris ripæ desiderio tendebat manus, si quando flumen Charontis beneficio posset transmittere. Perlustrat ille singulos curiose, sarcinisque ad lancem revocatis, omnia prorsus abjiciendá severe denunciat, caussatus naviculam & parvam & cariosam, quæque sub pondere non tam gemere, quam fatiscere, summo cum omnium discrimine posset. Peram igitur & baculum in paludem Menippus abjecit; Charmoleus Megarensis (cujus osculum unum duobus talentis constitit olim) pulcritudinem, comam, labia, cutem denique exuit omnem; Lampichus Gelorum Tyrannus cum imperio crudelitatem, fastumque deposuit. Damasias Athleta coronas & carnem, Crato divitias & tropæa in litore reliquerunt. Ad Philosophum ventum erat, qui ut inscitiæ, contentionum, ambitionis, perplexarum quæstionum censum maximum attulisset, illius tamen *Barba* negotium inprimis Charonti facessit, qui Mercurium intuens, *Barbam*, inquit, *hanc, Mercuri, deponat, gravem equidem & hirsutam, ut vides; capilli sunt trium minarum.* (jam vero si *minam* pro c. drachmis sumseris, calculo Junii, fuerit barba *trium librarum* & vi. *drachmarum.*) Bipennem igitur expedit Menippus, scalasque navales reclinat, atque iis superposita barba resecatur, & projicitur in paludem. Vide plura, quæ de Barba congessit Aug. Mascard. *Diss. Rom.* xii.

77. *Crucibusque relictis.*) Vidi, qui *gruibus* mallent, quod Plin. testetur vultures a volucribus abstinere, & non cohærere sensum, *relictis crucibus* sc. cadavera damnatorum petere. Sed recte attendenti ad sensum non erit opus emendatione.

100. *Romanas autem soliti contemnere leges.*) quibus nimirum vetitum erat *ne, quis separatim haberet Deos, neve novos: sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim coleret.* vide fragm. xii. Tabb. *lib.* i. jam vero qui *Judaicum Jus* i. Legem seu תורה *ediscunt*, Gentilium Numina abominabantur quam maxime; hinc illa Plinii contumelia, dum *Judæam gentem Numinum contumelia insignem* traducit *lib.* xiii. *N. H. cap.* 4.

199. *Solvunt.*) facit hoc metus. Lucio illi metus hic suppetias tulit, rabioso canum circumstantium latratu nimis attonito. *Miles.* iv. Acutissime hinc ille Legatus nescio cui Regi dicenti, *se Regis adversarii seu imaginem seu insignia in latrina sua depingi jussisse*, regessit, Recte & ordine factum, ad exonerandam namque naturam nihil metu esse efficacius.

215. *Maturæ mala nequitiæ.*) vulgo in mss. erat *Naturæ*, ex quo fecerunt *nativæ.* sed vero sensus commonstrat legendum *Maturæ.*

260. *Vigilem Castora.*) quia milites noctu pro templis excubabant. Tertull. *de Cor. mil. cap.* xi. *Et excubabit pro templis, quibus renunciavit? & cœnabit illic, ubi Apostolo non placet? & quos interdiu exorcismis fugavit, noctu defensabit?* in templis vero passim pecunias deponi solitas docet Herodian. *lib.* i. de templo pacis & Cæs. *lib.* iii. *de B. C.* de templo Dianæ Ephesinæ idem tradens.

297. *Obrutus & zonam læva morsuque tenebit.*) *Zona* proprie erant cingula, quæ auro & preciosioribus plena corpori circumdabant. Suetonius *Vitellium* tradit se zona aureorum plena circumdedisse. Apul. *Miles.* viii. *Plotina preciosissimis monilium, & auro monetali zonis refertis incincta.* Unde mirifica acrimonia exagitat Juvenalis vesanam avaritiæ cupidinem, quæ vel fluctibus *obruta zonam læva & morsu teneat*, quasi perditura eam naufragio, si corpori maneret circumdata: malitque suffocari, perplexa scilicet manu *læva*, & hiante ore per *morsum*, quam ut expedita jactura redimeret vitam natando.

SAT. XV.

PORtenta. vers. 2.) Minuc. *Octav. p.* 236. *Ægyptia illa, non numina, sed portenta.* Hinc Sarisberiens. de *Nug. Cur.* i. 10. *matrem superstitionis* appellant Aegyptum. Hieronym. *in Esaj. cap.* 46. *Nulla gens ita idololatriæ dedita fuit, & tam innumerabilia portenta venerata est, quam Ægyptus.* vide & Arnob. *lib.* i. *adv. Gent.* Neque tamen *Portenta* illa, nempe serpentes, boves, cercopithecos etiss. Ægyptus sola coluit; feraci traduce etiam India hujus infandæ superstitionis particeps facta est, in qua etiam hodie *Benjani* βυλατρείαν exercent, & nescio quem *Benjanum* insanos sumtus ad nuptias bovinas celebrandas contulisse, itinera in illa loca nobis retulere: Malabares & Ceylonenses πιθηκόλατροι sunt: notum est e Linschotano Ceylonenses Lusitanis anno 1554. pro *solo dente simiæ* religiosse ab illis culto & in monte Adami intercepto obtulise 70000. ducatorum.

8. *Oppida tota Canem venerantur.*) Hujus κυνολατρείας effigiem & rationem videre potes, si vis, expressam binis gemmis 48. & 49. in Macarii *Abraxa*, in quarum priore, ut loquitur Sedulius, *Semihominem Canem supplex homo pronus adorat.* In transitu Juvenalis flagellat Romanorum ineptissimam superstitionem, qui avidissime hæc Portenta in Urbem receperant, quod Lucanus *lib.* viii. queritur:

> *Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,*
> *Semideosque Canes,* &c.

65. *Quales & Turnus* &c.) Obiter notat Virgilium cum Homero, quod præter decorum Heroas lapidibus concertasse canant, & præter verisimilitudinem nimia hyperbola lasciviant in saxis, in heroibus ipsis, & similibus.

115. *Tale quid excusat?*) Hæc & sequentia idem innuunt, quod Lucretius de superstitione olim querebatur:

> *Religio peperit scelerosa atque impia facta.*

atque utinam nostra ætas pæne æqualia sævitiæ exempla solius Religionis prætextu perpetrata Posteris non relinqueret!

139. *Infans.*) Tunc *gemimus Naturæ imperio*, cum *terra clauditur infans minor igne rogi.* vix tamen est, ut Juvenalis hodiernis moribus persuadeat, fieri hunc *gemitum Naturæ imperio*, quandoquidem sine ullo gemitu fere ea funera quotidie occurrant. Sed ne quis Juvenalem φιλοσοφώτατον ἀφιλοσοφίας arguat, notandum, Veteres statuisse *Infantum animas* semper *flere*, ceu acerbo funere mersas, idque hausisse eos ex Platonicorum dogmatis. docet Virgil. *Æn.* vi.

> *Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,*
> *Infantumque animæ flentes in limine primo:*
> *Quos dulcis vitæ exsortes, & ab ubere raptos,*
> *Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.*

Sane hæc serio credentem Natura non reluctantem ducet conspecto infantis funere ad gemitus, tactum scilicet commiseratione humanitatis nostræ, & ætatulæ illius, quæ boni malique juxta gnara innocentes animulas æternum fleturas acerba morte exhalat.

140. *Minor igni rogi.*) *Suggrundiario* itaque condebantur, cujus formam ex Jo. Bapt. Suarez *Antiquit. Gaditanis* Hispanice scriptis iv. 4. depingit Casp. Bartholin. *de Puerp. Vett. p.* 167.

SAT. XVI.

QUis *numerare* &c.) Sensus hic videtur esse, ut τὰ *felicis* referat ad rationem, τὰ *prospera* ad casum; atque ita sit: Quamvis innumera sint felicis & cum ratione factæ expeditionis præmia; si tamen casus & vis major castra prospera præstaret, mallem fortunata temeritate eadem castra subire, quam in toga desidere.

15. *Bardaicus* et seqq.) Vulgo non perspiciunt hujus loci argutiam & acrimoniam. Militarem licentiam & petulantiam, qua insultabantur Romanis civibus imperatoriis seculis, traducit: hinc excandescit, *togatos*, notanter ita loquitur, *a milite pulsatos, excussos dentes, faciem lividam, extusum oculum, non audere Prætori deferre; sed dissimulare* hanc contumeliam: aut si omnino hanc *puniri velint*, quid tum? adeundi sunt *Centuriones*, *quorum de milite est cognitio, ex instituto enim Camilli, non licebat militi extra vallum litigare.* Quid ulterius: *dabitur Tibi togato*, civi Romano, libero, *Bardaicus judex* (ita enim in antiquis exemplaribus semper reperiri, tanquam foret a *Bardæus*, testis est Turneb. *Adv.* xxv. 24.) i. centurio miles ex servili illa traduce, qui a suis Dominis fugitivi Cinnanæ Marianæque sævitiæ quondam satellites fuerant, ut ex Plutarchi Mario constat, cujus verba sunt: *Urbem intravit* (Marius) *circumseptus delectis servis, qui se contulerant ad eum, quos Bardiæos* (al. *Bardæos*) *appellabat. Multos hi ad vocem ejus, multos ad nutum imperantis obtruncabant.* at quinam hi *Bardæi*? Glossæ Latino-Græcæ: *Bardei*, Ἰταλικοὶ δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, κατὰ Κίννα καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι· καὶ ἐν τούτῳ τολμήσαντες κατὰ τῶν δεσποτῶν. Consentire hisce Glossis videtur Plin. iii. 22. Hinc apparet subtilissima indignatione eaque acerrima *Bardaicum judicem* introduci, qui de caussa inter togatum & militem cognoscat, eumque judicem non ab ingenio aut judicio censendum; quam potius *calceis*, & *grandibus* crassisque *suris*, quibus ad iniquum *tribunal* servilis propago de homine libero judicatura accedat. latet & aculeus in recessu, quo pungit inertiam suorum civium, qui a peregrinis e sterquilinio effosis patiebantur sibi militares dignitates præcipi. Qui aliter explicant, nugantur.

60. *Ut lati phaleris omnes, & torquibus omnes.*) Semper mihi nescio quomodo displicuit insolita meo Poetæ ταυτολογία τῦ *omnes*, quod sane valde insipide bis comparet hoc versu. Putabam ergo Juvenalem scripsisse, pro τῦ *omnes te*, quod hodie legitur, olim *armillis*. mecum faciet, qui cogitabit facile ex τῦ *armillis* temporum, descriptorum emendatorumque lapsu degenerasse *omnes et*. *Armillas* vero inter virtutis militaris præmia fuisse, præter ipsius vocis etymon ab *armis* desumtum, testante Isidor. *Orig.* xix. 31. docent sexcentæ historiæ & Inscriptiones. vide Gell. ii. 11. de Dentato, de quo vetus lapis donatum inter alia: PHALERIS. XXV. TORQUIBUS. III. ARMILLIS. CLX. hinc in Inscript, militaribus sæpissime videas conjungi TORQ. ARMIL. ET. PHAL. sed vide, si lubet, Th. Bartholin. de *Armill. Vet. p.* 94. etseqq. Καὶ ταῦτα μὲν ἐστὶ τὰ τῆς ἀπ' ἐμοῦ Σταχυολογίας· Ἐστι δὲ κᾀὶ τὸ νόμος τις πολυθρύλλητος, οὔτε πάντως, οὔτε πάντοτε, οὔτε ἀεὶ πάντων.

F I N I S.

PEPLUM NOTARUM AD SCHOLIA VETERUM,

Contextum

ex Notis partim Variorum Oct. FERRARII, J. G. GRAEVII, nec non Casp. BARTHII, Sam. BOCHARTI, Lud. DORLEANS, Thom. MUNCKERI, Phil. RUBENII, G. J. VOSSII aliorumque VV. CLL.

partim Integris Pet. PITHOEI Notis, Jani RUTGERSII Emendationibus, Theod. Janss. ab ALMELOVEEN Animadversis, Henr. Chr. HENNINII Spicilegiis, qui etiam omnia degessit, & ad hanc Editionem concinnavit.

Ad SAT. I.

VETUS SCHOLIASTES.) Ita quidem Pithœus; verum, si quid judico, non adeo bene. Non enim hæc esse unius Auctoris, ipsa Scholia abunde docent, & ostendere Viri docti; quare malui vocare VETERUM SCHOLIA. De hac vero horum Scholiorum ecloge tale est Jani Rutgersii V. Cl. judicium V. L. i. 16. *Jam pridem est, cum V. C. Petrus Pithœus eruditissimum JUVENALIS SCHOLIASTEN edidit. Quo beneficio vix dici potest, quantum cultioris literaturæ Studiosos demeruerit. Est enim is Auctor, in quo multa ac recondita antiquitatis vestigia deprehendas, quæ non ita aliunde hauriri poterant. Multas easque ignotas nobis affert historias; multa in Juvenale explicat, in quibus hactenus, quotquot Interpretes ejus exstant, fœdissime lapsi sunt. Ac longe plura ex eo disci poterant, nisi tam crudeliter deformatus ad nos venisset, ut vix ulla in eo nota exstet, quæ non insigni aliquo mendo turpata sit.* HENNIN.

EX BIBLIOTHECA P. PITHOEI Jc.) Vide hujus præfationem supra *pag.* 690. Sed audi Jos. Scaligerum ita scribentem If. Casaubono *Epist.* ii. 104. *Laudo quod Glossas Veteres ad Persium attexueris. Scito illas ita a nobis excerptas, Pithœo editas fuisse. Chirographum earum meum una cum Veteribus Glossis Juvenalis; quas itidem ex prisco exemplari Juvenalis Pithœano, & ex editione Georg. Vallæ collegeram in ædibus meis Aginni, invenies apud Puteanos fratres, si modo non periis. Patri enim eorum dedi, & fortasse Pithœus quædam aliter edidit, ac ego scripsi, quod tamen non puto Ego illarum Glossarum omnium eclogarius fui.* & hisce consentiunt Scaligerana FF. PP. *p. m.* 263. in *Perse.* Cæterum in multis mss. antiquis reperiuntur variæ Glossæ additæ, ex quibus luculenta Collectio fieri posset. Talia Barthius habuit *Adv.* xiii. 13. xLii. 16. Mediolanensis Bibliotheca, *vide Not. Varior.* i. 3. Lubinus, *vide Scaliger. Epist.* 412. Elmenhorstius, *l. l. Ep.* 464. Nic. Heinsius Dan. F. apud quem ipsemet vidi, & alii procul ullo dubio plures. vide *Not. Var.* v. 89. vi. 379. xv. 5. *Almelov.* ii. 66. HENNIN.

3. *Quales Afranius fecit.*) hæc sunt reponenda post τὸ *Latinæ.* non enim palliatas, sed togatas Afranium dedisse

dedisse notum est. FERRAR. *de R. V.* vii. I.

27. *Niliacus unus de consulibus Licinia.*) Gravissimo vulneri magno aliquo fomento medendum est. Apage igitur Consules istos Liciniæ, quos ego nec unquam fuisse, nec usquam gentium arbitror; eorumque vicem repone, quod germanum Auctoris: *unus de consodalibus Licini ac de plebe.* Vult quippe cum altero illo præpotenti nebulone Licino junctum olim sodalitio fuisse, de cujus item opibus alii multa. *Phil.* RUBEN. *Elector.* ii. 28.

33. *Demetrium Caussidicum.*) Cynicum. Tacit. *Ann.* xvi. *Histor.* iv. PITH.

34. *Caussidicum.*) emendo *Cynicum.* de quo Tac. *Ann.* xvi. 33. & ad eum Lips. confirmat hanc nostram lectionem Scholiastes ad v. 36. *conversusque ad Demetrium Cynicum.* ALMELOV.

47. *Decius dicitur.*) forte *melius dicitur.* Litis æstimatio in criminibus repetundarum & de vi legitima fuit, ut ex quadam Ciceronis *ad Att.* Epistola colligitur. Sunt & de hac litis æstimatione apud Plin. *lib.* ii. iv. & vi. *Epist.* loci plures, qui ad hunc quoque pertinent. PITH. ¶ Ego totum locum refingo hoc modo: *Non ademtis bonis judicium dicitur sine litium æstimatione. Litis æstimatio illi non obfuit.* 48. *Quid enim salvis infamia nummis?*) subauditur *notat.* (Gronov. *l. nocet.*) RUTGERS. *V. L.* i. 16.

51. *Sive a Venusio.*) Est hoc ex Probo G. Vallæ. PITH.

71. *Exhibuit.*) L. *exivit.* vid. MUNCKER *ad Fulgent. p.* 6.

71. *Ex qua Cæsareas.*) Apud Vallam sic hi versus referuntur:

Ex quo Cæsareas soboles Locusta cecidit,
Horrendum curas dum liberat atra Neronis.

utroque loco corruptissime. PITH. ¶ vide super hoc Turni fragmento RUTG. *V.* L. v. 10. BARTH. *Adv.* xxiv. 11.

76. *In phiala.*) at apud Mart. viii. 51. legitur *Aeolio.* ALMEL.

106. *Laticlavium.*) In uno Vet. Cod. additur, *Major, id est scutulata.* Et infra: *major abolla. Est & angusticlavium.* PITH.

109. ΑΙΤΙΩΤΑΙ.) L. ΑΓΙΩΤΑΤΗ. GRAEV. nisi forte ΑΙΤΙΩΤΑΤΗ.

109. *Cassii opes.*) L. *Crassi.* & paulo post: *fundos,* pro, *numos.* hæc vero annotatio ex Vallæ exemplari, vereor, ne non sit veteris Interpretis. PITH.

111. *Vel Braccis vel pedules novos in braccis quos pedornis dicunt, ut peregrinum.*) *MEURSIUS* legit *pedortes.* nam in *Glossario* inquit: *Ποδήρνον, vestis ad pedes usque demissa. ποδήρης. Achmes cap.* 217. ego tamen in ejus sententiam descendere non possum cum hoc loco non de vestimento, ast de calceis senatorum mentio fiat, quare mihi videor rectius legere *vel braxeis:* seu potius *baxeis.* nam *braxeæ* calceamentorum genus erat, quo utebantur cinædi, factum ex salice, quod Græci καλὸν vocabant, unde *calones* dicti. sed verisimilior lectio *baxeis.* *Baxeæ* enim erant crepidæ & calceamenta philosophorum, quod probat Salmas. (quem vide ad Tertull. *de pall. pag.* 414. & 415.) ex Apul. *Miles. l.* 2. *Nec deerat, qui pallio baculoque, & baxeis, & hircino barbitio philosophum fingeret.* item Scalig. *in Catull.* *Baxeæ autem sandalii species dictæ sunt* ἀπὸ τῆς βάξεως. βάξις enim est *oratio, rumor a* βάζω *vociferor,* quia inter eundum *crepitum* seu *sonum* edunt. Turneb. *Adv.* vii. 20. Confirmat meam sententiam, quod *pedules novos* in baxeis vocant, quod etiam calceamentorum genus est, *pedana* vocatum, ita Isidorus in Glossario: *pedana, pedalis novus, qui caligæ assuitur,* ubi Vulcanius legi vult *pedalis nodus,* Meursius vero in *Gloss. pag.* 416. *pedulis novus,* quod probo, quod ad *pedornes,* pro quo legere *pedortes* Meursium diximus malo *perones* substituere, iis enim utebantur antiquitus Cives Romani, ut docet Cato *Orig. lib.* vii. *Qui magistratum Curulem cepissent, calceos mulleos alutatos, ceteri perones.* quod quale genus calceamentorum fuerit, docet Isidor. in *Gloss. Pero, calceamenta pilosa.* horum usus erat tempore hiemali, cum per nive tectas vel glacie induratas, vel imbre corruptas vias erat eundum. hinc *rustica calciamenta* perones vocat Isidor. *Orig.* xix. 34. Serv. *Aen.* vii. 690. *Pero autem rusticum calceamenti fuerat genus.* unde Juvenal *Sat.* xiv. *Quem non pudet alto Per glaciem perone tegi.* hinc jam conjicio peregrinantibus eos in usu fuisse. accedit Scholiasta, cum inquit, *ut peregrinus.* id est senator non calceis nigris, ut postea moris, utebatur, *verum vel nudis pedibus pulverulentis. vel braxeis vel pedules novos cum braxeis, quos perones dicunt* (indutus) *ut peregrinus,* sc. incedebat. & certe gestavere Romani *perones* etiam gemmis superbos, ut ex Historicis constat. ALMEL. ¶ Lego: *vel baxeis, vel pedales nodos in baxeis habens (quos pedanas dicunt) ut peregrinus.* Isidori Glossæ ex hoc, ut videtur loco: *Pedana, æ, Pedalis novus, qui caligæ assuitur.* quo & ipso loco *pedalis nodus* legendum est. RUTGERS. *V. L.* i. 16.

111. *Pedornis.*) An *pedurnos,* vel *udones.* PITH. ¶ legendum *Perones:* licet enim interpretatio inepta sit, nam de gypsatis venalium pedibus intelligendus est Juvenalis; apparet tamen eo tempore etiam pedules *perones* dictos, licet ex lana. nam pedules ex lana, hircorumve pilis conficiebantur. FERRAR. *Analect. cap.* 33. cum vero Scholiastes heic neget Senatoribus eo tempore nigros calceos fuisse, falsus est. nam eum revincit Horat. & Juvenal. cum vii. 192. Patriciis & Senatoribus nigram alutam tribuit. *l. l. cap.* 34. ¶ SALM.

pedornes legit, & a *pedum ornatu* derivat; & *peregrinos* dici, quod non essent calcei Romani. Cl. GRAEV. legit: *quos perones vocant.*

116. *Consilio.*) L. *Concilio* i. compositione rostri. SALMAS.

121. *Cicero: Nam una.*) Ciceronis locus ex *Act.* ii. *in Verr. lib.* i. sive *de suppliciis*, sic habet: *Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octaphoro ferebatur.* PITH.

128. *Devia.*) An *dubia*, λοξά, Est & hæc postrema interpretatio ex Vallæ Probo. PITH.

155. *C. Fulcinius.*) Dio, & Tacit. *Sofonius*, apud Vall. *Offonius* & paulo post, *piscatoriam in Achaia exercuit.* &, *ut conspectu Claudii abstineret.* PITH.

157. *Stepites fiebant.*) L. *Figebant.* PITH.

159. *Lectica plumis strata.*) Plinius *lib.* xxvi. *cap.* 3. PITH.

162. *Vitia carpit.*) An potius, *vitia carpi vetat.* PITH.

SAT. II.

SAcra Bacchanalia ex iis condemnata sunt. vs. 3.) Lego, *ex S C.* Livius *lib.* xxxix. vel etiam, *ex* xii. quod idem mendum fuit apud Cicer. ii. *de Legibus.* Nam & in eas tabulas translata videtur lex Numæ de nocturnis externisque sacris. PITH.

16. *Publice perpessus.*) Vall. *professus.* PITH. & ita etiam videtur legendum, vide Senec. *de Provid.* c. 4. HENNIN.

27. *Sed & Clodius.*) Lego: *Sed & Domitianus Titi Fratris filiam* &c. GRAEV.

50. *Progatienis.*) Forte *ore patientis.* WOUWER. ad Minuc. Felic. *p. m.* 279.

58. *Quæ noverat eum corrumpi.*) Vall. *Quæ dominum suum novit prœcidi.* PITH.

66. *Substamine.*) L. *Subtemine.* PITH.

92. *Saltantes.*) Vall. *calcantes.* PITH.

99. *Speculo.*) Vett. Gloss. *Gestamen*, σκῆπτρον, ὡς Ιεβοσάλιος. Servius tamen in illud vii. *Aeneid. Hoc Priami gestamen erat.* Diadema, *inquit*, dicit. nam sceptrum dicturus est. PITH.

106. *Unde pelles Bebrinæ.*) Scholion hoc nescio quid in recessu habet, quod necdum satis percipio. Scilicet videtur ejus Auctor ita cepisse Juvenalem, ac si hic τὸ *Bebriaci palatii spolium* esset *fibrina vestis*, de qua Isid. xix. 22. ubi pro *lanam caprinam* legendum *fibrinam* docet sequens *cap.* 27. quo testatur, quod *fibri capilli ob mollitiem omni lana superiores sint*; unde & hodie pilei delicatiores ex iisdem conficiuntur. hoc vero etiam dicebatur sequiori ætate *Beber*, ut testantur *Glossæ* Papiæ, & Scholion ad *Sat.* xii. 34. hoc vero animal in Ponto præstantissimum censebatur, teste Probo in *Georg.* 1. qui laudatur Barth. *ad Claud. Epigr.* xxxvii. *p.* 1069. videtur igitur Scholiastes hic ita cepisse, quasi *febrinas vestes* seu *spolium Bebriaci palatii*, i. *Pontici Bebri*, ubi meliores habentur, *in campo affectarit* Otho, non autem veram imperii dignitatem. sequentia Scholii ne cassa nuce digna. Vide etiam, quæ Voss. *Etymol.* p. 114. super hoc loco disputat. HENNIN.

124. *Fimbriarum.*) L. *fimbriatas.* Vide FERRAR. *de R. V.* iii. 17.

142. *Catomus.*) An *Catomi*? & infra: *currentes per t. c.* quod Francisco fratri visum est: cujus ingenio judicioque multum tribuo. Victor Uticensis i. *Hist. Afr. Venerabilem senem in publica facie catomis ceciderunt.* Illud vero *catorogare*, quod hic etiam sin mentem venit, mihi quidem apud unum Arbitrum lectum est. PITH.

142. *Catomidiabantur.*) Erat hoc verbum *catomidiari* in Lupercalibus proprium, quia Græci κάτωμον idem dicunt, quod Latini partem quamdam sub collo, ubi locus erat, quo matronæ verbera excipiebant. hæc scutica, quæ Prudent. *lib.* ii. *in Symm.* dicuntur *Lupercales ferulæ*, pellibus obducta fuit, adeoque a Festo *Luperci* dicuntur *Crepi, a crepitu pelliculanum, quem faciunt verberantes.* Casp. BARTHOLIN. *de Puerp. Vett.* 3. 4.

144. *Equabat.*) forte *fugiebat.* HENNIN.

150. *Ponso subiit.*) at in Virgil. vi. 302. legitur: *conto subigit.* HENNIN.

SAT. III.

CUmenas. vers. 11.) L. *Camænas.* PITH.

11. *Primum enim* &c.) Hæc illustrantur ab Is. VOSSIO *de magn. Rom. Vet. cap.* 4. *p.* 18.

17. *Aritino lacu.*) L. *luco.* PITH.

36. *Populo amabilium.*) Fort. *autem, id est, favente populo.* PITH. ¶ Lego: *amabiliter, aut favente populo.* RUTGERS. *V. L.* i. 16.

38. *Non foras.*) Leg. *onus foras.* Non. in *Foriolus.* PITH.

68. *Peregrinas * victis.*) An *victoribus.* & infr. *phylacteriis*, & *phylacteria.* PITH. ¶ dele asteriscum & lege *vitiis*, quod tunc Græcanicis vitiis corrupti essent Quirites. paulo post idem Interpres inepte credit ideo *niceteria* esse phylacteria, quod collo gestarentur, ceu amuleta victoriæ caussa sumpta. FERRAR. *de R. V.* iv. 11.

68. *Trechedipna.*) Rectissime Scholium vetus hæc trahit ad *gallicu las Grajas.* Glossæ mss. apud *Carol. du Fresne*, teste Scriverio: *Gallicula, calciamenta pastorum.* eædem τρέχαδεις in Glossis vulgatis exponuntur. atque adeo indignatur Satyricus etiam rusticos Grajo more jam calceari, fastidito patrio. HENNIN.

81. *Togæ erubescendæ.*) Fortassis legimus melius: *nam Roma togas erubescendas* &c. Sic. Valer. Maxim. iii. 8.

iii. 8. *Erubescendo statu civitatis.* ALMELOV.

81. *In capicium* &c.) Georg. Valla, qui Veterem Interpretem Probum vocat, & ex eo pleraque sumsit, usus fortassis meliori libro sic legit: *Conchylia, capitia purpurea ita flagrantia, ut conchylia ipsa videri possent*, ubi *capitia* sunt lacernæ cum cucullo. FERRAR. *de R. V.* iv. 23.

136. *Cum alii adulteria emant.*) Sic L. non *adulteri*. respicit ditissimos illos libertos, qui Calvinæ vel Catienæ nobilissimæ matronæ pro una alteraque nocte, quantum tribuni in legione merebant, donare non verebantur. HENNIN.

161. *Nunc doti.*) Malim, *non doti*. PITH.

175. *Principio ex. d.*) τὸ *dignus* præponi jubet versus mensura. HENNIN.

204. *Quod nos Delphicam.*) Vet. gloss. *Abaci, delphicæ, μαγγίειον, ὡς Ιυβεναλιος*. PITH. ¶ Plin. xxxiv. 3. ita dictas ait, quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur. Procop. *Vandal. lib.* i. *Delphicam Romani vocant: nam quo loco Imperatores mensæ accumbunt, tripus stabat, cui pocula imponebantur, quod Delphis primo in usu fuerit.* dicitur etiam τραπεζοφόρον, quod Glossæ reddunt *caliclare*, *cui calices pincernæ imponunt*. Paull. Jc. *Supellectili legata hæc continentur, mensæ, trapezophora, Delphicæ.* Vid. & Pollucem. HENNIN.

207. Ὀπίζειν.) Glossæ Vet. *Opicus*, ἰσοπικιστής, ὡς Ιυβεναλιος, & *Opicus* ἀῤῥητοποιός. PITH.

210. *Aut panem.*) Lego, *aut frusta, id est panem*. PITH.

214. *Non incendium* &c.) Lego: *Non ob incendium, at præ tristitia propter casum, nec focum* &c. RUTG. *V. L.* i. 16.

218. *Superstitiose.g.n.*) L. *Superstitiosum gentem notavit*. HENNIN.

221. *Dinumeret* &c.) in Ter. *Adelph.* v. 7. ita legitur: *Dinumeret illi Babylo viginti minas*. RUTG. *V. L.* v. 10.

234. *Qui mercedes.*) Vallæ *quia*. PITH.

245. *Amite lecti.*) Vet. gloss. *Asseres*, δοκίδες, ὡς Ιυβεναλιος. PITH.

249. *Apparatione.*) Senec. *Epist.* LXXIX. PITH.

263. *Gutto autem.*) Eædem illæ Glossæ: *Guttum*, λημύθιον Ιυβεναλίῳ. PITH.

263. *Strigila autem est.*) Veteres *strigil* vel *strigilis* dicebant, non *strigila*, veluti hic videmus. verum litera *a*, qua *autem* veteres designabant, literæ *l*. adjuncta est, unde ille error, qui hoc modo emendandus: *strigil autem est*. ALMELOV.

263. *Quod Xystram* &c.) L. *quod* Χύτρον vel *Chytrum dicunt*, &c. *quia sudor ex strigili, ceu rivulo, labebatur*, ut de ea loquitur Apul. ii. *Florid. detergebatur etiam illa oleum* post unctionem, & hoc vult Scholion. HENNIN.

266. *Carinam*) Lego *Charontem* & quod addit, *non angustum trajectum, id est, non* πορθμόν. PITH. vide MUNCKER. *ad Hygin. p.* 48. qui legit *Caronem*.

272. *Quanto in exc. s. insulæ.*) L. *Quanta i. e. s. insidiæ*. RUTG. *V. L.* vi. 18.

283. *Purpura.*) L. *Purpurea*. & paulo post fortasse legendum: *quod Græci coccinum, sive cocceum dicunt, Latini Veteres Birrum vocarunt.* vestem enim coccineam & rubram ab ignis colore πυῤῥὸν dixere Latini Græca voce, mox *Birrhum*, teste Isidor. xix. 24. τὸ *Amphimallum* in hoc Scholio idem, quod ἀμφίβαλλον seu ἀμφίβολον docti fecerunt, quod utrinque hominem circumvolveret. FERR. *de R. V.* ii. 13.

283. *Varioque.*) at in Virgil. *Aen.* iv. 261. legitur *Tyrioque*, uti etiam laudatur in his Scholiis ad xi. 155. Unde obiter apparet, non unius ea esse hominis. HENNIN.

283. *Teres Birrum.*) Corrigit Jo. Meursius *Veteres*. malim *recentes*: cum τὸ *birrum* non sit pro veteri Latinitatis usu. error natus ex compendio scripturæ. BARTH *Adv.* xxiv. 11. xxvi. 26.

289. *Defecti.*) Terent. *Adelph.* ii. 2. habet *defessi*. quamvis τὸ *defecti* atrocitatem injuriæ magis exaggeret. RUTG. *V. L.* v. 10.

306. *Romani.*) L. *Romam*, ipso Juvenale monstrante. RUTG. *V. L.* vi. 18.

320. *Namque apud Aquinum.*) Videtur Interpres legisse, *vestramque*. Et Umbricius igitur Gallus. PITH.

SAT. IV.

Inrisive laudat &c. vers. 13.) Posterius membrum ab asterisco ad vs. 11. retrahendum est, hoc modo: *Sed nunc de factis levioribus.) Non ea objiciemus, quæ in eum* (ita loquitur pro *in eo*) *turpissima sunt*. RUTG. *V. L.* i. 16.

26. *Apulia curios.*) Lego, *carius*. huc pertinet illud Senecæ *Epist.* xci. *Suburbani agri tantum possidet, quantum invidiose in desertis Apuliæ possideret*. PITH.

38. *Hoc convitium.*) Auson. de eodem Domitiano:

Quem calvum dixit sua Roma Neronem.

Serv. iv. *Aen.* PITH.

38. *His * vere sibi.*) An, *his versibus*. PITH. ¶ Forte *Val. Martial.* iii. *Epigramma vero sic finit.* ex hoc epigrammate constat, Martialem non pervenisse ad nos integrum. P. SCRIVER. *ad Mart. p.* 29.

39. *Rhombi.*) Imitatus videtur Nasonis illud *ex Halieutico*:

Et Adriaco mirandus littore rhombus. PITH.

42. *Ponto erupit.*) Refertur, & hoc Sallustii fragmentum a Servio in iv. *Aeneid.* Expressit, ut & alia plura ejus scriptoris, Tacitus *lib.* xii. *Annal*, cui ex hoc loco remedium petendum est. PITH.

53. *Palfurius.*) Repone ex vet. *Palfurius Sura Consularis viri filius.* PITH.

61. *Ut lapidatio de cœlo caderet supra memorati ponderis.*) Emendo: *Ut l. d. c. c. super eo m. p. Memorati ponderis* dixit pro ingentis. Interpres vetus ad illud Horatii, *Labeone insanior. Martius Antistius Labeo Jurisperitus memoratæ libertatis.* In fine Glossæ legendum, *inibi*, pro *Inde ibi.* & pro *Testam Vestam.* RUTG. *V. L.* i. 16.

75. *Nulla est* &c.) lege ex optimis editionibus: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ, quæ latent in simulatione officii.* Gruter. *quam eæ.* Action. in Verr. ii. c. 15. ALMELOV.

77. *Ex quibus Liburnæ parasia.*) Lego: *Ex cujus liburnæ parasia.* Et *parasiam* intelligo, quod παράσημον B. Lucas appellat *Act. ult.* & a tutelæ navis paternæ signo *Pegasum* dictum. Quod sequitur (*scilicet jus*) non abs re quis putaverit scriptum, pro, *SC.* quamquam & *jus Pegasianum* ferri potest, ut *Papyrianum*: & de Orphitiano SC. Symmachus:

Quique dedit leges Orphitus Aeneadis.

Cæterum post hanc adnotationem omissa est nescio quomodo illa veteris Ex. quæ mihi usque adeo placet, ut eam hic inseri velim:

77. Positus modo villicus urbi.) *Eleganter sub Nerone urbis præfecturam jacuisse dicit. quasi scilicet Urbs ipsa jam tum esset* villa principis, *&* de villico urbano Satyra iii. PITH.

81. *Viselliensis.*) Versellensis. Tacit. *Dialog. de Orat.* M. Fabius Quintil. Crispi jucunditatem commendat *lib.* xii. & hujus illud in Tyrannum, *Ne musca quidem.* PITH.

81. *Simul Oratione.*) Fort. *Simulatione.* & paulo post: *bis millies sestertium.* PITH.

81. *Sed præcipue Cæsaris.*) Valla addit *Tiberii* nomen, nescio quam bene. PITH.

81. *Aut negantem.*) An, *ne aut negans eum argueret, aut adsentiens semet mend. debon.* PITH.

81. *Periit per fraudem Agrippinæ.*) Ergo sub Nerone. & exstat de Crispi morte carmen, quod Annæo Senecæ tribuitur. Non idem igitur sub Domitiano. PITH.

91. *Vulnera.*) *Vulnere* exstat *Georg.* iv. 238. ALM.

103. *Servilius.*) Servius, ut & *Satyr.* vi. PITH. ¶ lege aut *Servius* aut *Servius Tullius.* ille enim Tarquinii Superbi socer erat. duxerat nempe Tarquinius Tulliam Servii Tulli filiam in matrimonium. ALMEL.

105. *Tibiam.*) F. *Liviam.* PITH.

108. *Matutino.*) Servius ii. *Aen.* PITH.

113. *Sapientiæ rigidiorem.*) Malim, *rigorem.* PITH.

117. *Qui ad portam Aricinam.*) Senec. *de vita beat.* PITH.

149. *Fiebatur.*) An, *Ferebatur.* PITH. ¶ Demsterus legit *figebatur*, ego libentius legerem *fingebatur*, nisi malis *pingebatur.* nam cum semper ad manum non esset laurus, quo literas tum coronare tum claudere, vel signare, ut cum Statio loquar, veteres solebant, eas pinxisse in literis vero simile est, de hoc ritu multa tum docta tum elegantia apud Valerian. *in Hieroglyph.* ac Dempster. *in paralip. ad Rosin.* x. 29. ALMEL.

149. *Si victoria* &c.) Scholiastis dicta confirmat Martial. vi. 6. ubi melius explicat hunc ritum:

Publica victrices testantur gaudia chartæ,
Martia laurigera cuspide tela virent.

HENNIN.

SAT. V.

Sarmentus et seqq. vers. 3.) Lepida narratiuncula, quæ multa continet, quæ frustra alibi quæras. Sed dolendum est, tam monstrose corruptam ad nos pervenisse. Intererat enim posteritatis, quam emendatissime ea legi, quæcunque de Sarmenti rebus literis consignata sunt. Age, non pigebit in Sarmenti gratiam conferre si quid possum. Primum *M. Favonii* scribe. hoc enim τὸ *Faboni* valet, solenni librariorum more. Quod autem *incertum* ait, *utrum libertus an servus fuerit*, is quoque scrupulus eximendus est. Horat. *Serm.* i. 5. *Servum* & quidem *fugitivum* ait, ejusque *Dominam exstare.* Id Acro accipit, quasi eum manumissum innuat. Quod confirmatur quoque Ciceroni joco, qui quærebat, num eam *catenam*, qua vinctus fuerat, *Laribus suspendisset*; quod fieri non poterat, nisi libertate donatus esset. Sed omnem dubitationem ipse Sarmentus tollit, qui se a Mæcenate libertatem esse consecutum dicebat. Quod addit, *plurimis forma & urbanitate promeritis*, eo Plutarchi verba pertinent in Antonio: Ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδαρίων, ἃ δηλικίας Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Nam quod Lævv. Torrentius, Vir alioqui summus, Sarmentum tam deformem fuisse dicit, ut *fibula ferrea* diceretur, memoria lapsus est. Non enim Sarmentus ita dictus fuit, sed Sarmentus Junium quendam talem esse dixerat. Fabius vi. 6. *Sarmentus, seu P. Blessus, Junium hominem nigrum, & macrum, & pandum* Fibulam Ferream *dixit.* Non ut Torrentius citat *Sarmentum Junium.* Postea lege, *ut liber equitem Romanum ageret.* tum, *quibus primum* xiv. *ordinibus sedit.* In postremo Trochaicorum *agatis* eum Pithœo lege, deinde scribe: *dum caussam, ut usurpatæ dignitatis dicit.* aut, si mavis, *dum autem c. u.* Quænam *dignitas* illa? Equestris scilicet, quam ab eo *usurpatam*, cum manu missus esset, supra dixerat. Quod sequitur, recte Pithœus, *precibus & gratia.* Ut & illud: *quam concessam sibi libertatem.* Item *Jam autem senex.* Post paulo scribe: *ad quem rectio bonorum Favonii pertinuerat*: non, ut

Pithœus

Pithoeus, *sectio*. Statim, *cum interrogaretur, cur scriptum quoque quæstorium venderet*. quippe supra eum *decuriam quæstoriam* comparasse dixerat. Ita in Horatii vita, quam conterraneus meus, Vir Eruditissimus P. Nannius primus edidit, *victisque partibus, venia impetrata, scriptum quæstorium comparavit*. Est autem nihil aliud, quam Quæstoris scriba fieri, ut *scriptum facere, scriptu se abdicare*, tum apud alios, tum in elegantissimo Pisonis fragmento, quod ex ejus Annali iii. citat Gellius vi. 9. In fine scribe: *bonæ se memoriæ esse præditum*. Est autem jocus plane ab inexspectato. Quærebat ille, quisquis fuit, quid ita Sarmentus scribæ munus vendidisset? Respondet scurra, se eo non indigere. Neque enim quicquam scribere sibi opus esse, cum memoria valeat, quæ fideliter retineret, quicquid ei committeretur. RUTGERS. *ad Horat. p. m.* 35 — 39.

3. *Ut per equitem.*) F. *pro equite Ro.* & paulo post, *quibus primis*. PITH.

3. *Quare per ludos, qui ibi &c.*) Lego *per ludos, quibus primitus xiv. ordinibus sedit*. id est cum primum pro equite ausus & inter equites sedere. locorum autem vulgarium argutia in eo, quod velint hunc falsum equitem non eo loco, sed servili ergastulo dignum. Primus versus ludit in scripti nomine. Nam, ut eques esset, *Censorium scriptum* emerat Sarmentus. Ita in vita Horatii prisca legitur, *cum quæstorium scriptum comparasse*. Et Cicero in *Verr. lib.* iii. clare ostendit, cuivis e libertinis, *numulis corrogatis decuriam scribarum emere licuisse*. Habet igitur, inquiunt, *Censorium scriptum*; at populus voluerat, ut in fronte scriptus stigmatias ergastulorum more esset. *Phil.* RUBEN. *Elect.* ii. 28.

3. *Rustici ne nil agatis, aliquis Sarmentum alliget.*) Epigrammate hoc Poeta scurram, nomine *Sarmentum*, axi *alligatum*, *sarmentis*que circumdatum, cremari postulat. VOSS.

3. *Ne nihil agitis.*) Aut interrogationis nota addenda, aut potius legendum, *agatis*. Quod sequitur, valde corruptum est, hæc tamen remedia pro tempore occurrunt: *Dum autem caussam us. dig. agit, precibus & g. s. a. d. c. a. J. n. a. d. t. quam concessam sibi libertatem a M. ad quem sectio bonorum Favonii pertinuerat. Jam autem senex*, &c. *cur scriptum quoque Censorium venderet*. PITH.

3. *Conscriptum Censorium.*) i. tabulas, quibus in numerum civium a Censoribus essent adscripti. DORLEANS.

3. *Non infacete bonæ se memoria.* &c.) Scribo: *cum interrogaretur, cur scriptum quoque Censorium venderet, non infacete bonæ se memoriæ esse prædicavit*, Sarmenti hic jocus: rogabatur, cur Decuriam quoque, id est scriptum venderet. Bonæ memoriæ sum, inquit, quasi diceret, scripto non egeo, omnia commemini sine scripto. *Phil.* RUBEN. *Elect.* ii. 28.

4. *Gabba.*) Puto rectius, *Galba*, si modo idem ille est, quem Martialis ob sales & jocos laudat. PITH.

20. *Calciati.*) L. *Calceati*, manifesto sensu. de more ævi sui *caligas* pro calceis ponit: Trebius enim in calceis, nempe cum toga, in officio salutationis. Alii de ansis lunulæ patriciæ; sed non constat Trebium fuisse Patricium, imo potius vilem, sportulæ caussa ad salutandum festinantem. quidam *ligulas* in Juvenale exponunt, quibus vestis vel braccæ thoraci alligantur, parum recte, nullæ enim tunc braccæ fuerunt, & rarus thoracis usus. FERR. *Analect. cap.* 34.

23. *Sub nocte.*) ap. Lucan. ii. 237. Grotius legit *sed nocte*. ALMEL.

36. *Elvidius.*) Hæc ex Probo Vallæ. ac dubito, ne ipsius potius sint, quam Probi. PITH.

38. *Ut solent &c.*) abit Glossa hæc & sequens a mente Juvenalis. neque enim ille vult, *vitra rupta solidari* seu *malthari*, ut infima ætas loquebatur, seu *indurati sulfure*. sed verum sensum dicet Grangæus. HENNIN.

79. *Manicasti.*) Delenda mendi nota. Est enim hoc posterioris sæculi verbum. *Manicare* est ὀρθρίζειν. *Luc.* xii. quod memini notasse me apud Augustinum *in libro Judicum*, & *Epistola quadam*, quæ nunc properanti non succurrit. PITH.

190. *Hic sub Claudio.*) Et hæc a Valla, ut Probi, relata: & sunt fortassis ipsius Vallæ. PITH.

109. *In latrunculatorum jussus.*) Lego: *latrunculorum lusu*. & paulo post, *Repente etiam*. PITH.

127. *Gajus.*) L. *Gnejus*. neque enim *Gaji* Prænomen unquam in gente Scipionum fuit. RUTG. *V. L.* vi. 18.

143. *Armilausiam.*) de hac videbis FERR. *in Orig. Ling. Ital.*

143. *Aut similem.*) Ita emendavit Rubenius, cum antea esset: *Arm. præs. ut simiæ*, quod rectum, cum Martialis *cercopithecorum pænulam* talem agnoscat. RUTG. *V. L.* iii. 15.

155. *Capella campidoctore.*) Hæc fuit interlinearis glossa, quæ conjecturam eorum non nihil adjuvat, qui *hirsuto* malunt. quanquam & illud ferri posse videatur. & quod ex Homero & Eustathio aliqui tradunt, longius petitum videri potest. PITH.

164. *Antiquitus nobilium.*) πάτριον γένος, I. *Machab.* xi. PITH.

SAT. VI.

N*Actum*. vers. 80.) An, *netum*: ut apud Hieronymum ad *Demetriadem*, an *nexum*. Conopei etiam mentio est in libro *Judith. c.* x. PITH.

80. *Signa.*) Legitur *Epod.* ix. *vs.* 15. hoc modo:

H h h h h h *Inter-*

Interque signa, turpe! militaria
Sol aspicit conopeum!

RUTG. *V. L.* v. 10.

83. *Post magni Alexandri.*) An, *post mortem magni Alex. occupavit Pt. Lagus, a quo deinceps.* PITH.

120. *In quo utebantur.*) Distingue, *quo utebantur meretrices flavo. Nigro nam crine matronæ utebantur.* PITH.

120. *Nigro nam crine.*) τὸ *crine* videtur esse expungendum, ut sit sensus Scholiastæ, *flavum galerum* meretricibus fuisse in usu; ut matronis *nigrum*: quod & verum. qui enim alia adserunt, nugantur, cum expertissimus nequitiæ magister, *Lucretiæ*, matronæ pudicissimæ, *Fastor.* ii. 763. *flavos capillos* disertissime commendet. HENNIN.

153. *Picturam obstant.*) Vel leg. *picturæ*, vel, *abdant.* PITH.

155. *Lucens.*) Sic emendavit RUTG. *V. L.* v. 10. cum antea legeretur *ludens*. Sic Auctor περὶ λίθων sub Orphei nomine appellat κρύσταλλον φαίδοντα.

157. *A barbaro.*) Forte, *ab ovo.* Et illud, *supplicio*, superesse videtur. PITH.

163. * *Eli & positi.*) emendo *picti.* RUTG. *V. L.* i. 16.

171. *Commissurum.*) Leg. *committunt.* PITH.

279. *Cum magis &c.*) Fort. *cum agit.* PITH.

310. *Jactationibus luteis.*) Sequitur, *luteum calcas.* unde & quidam versu 429. hujus Satyræ, *luteo*, legendum putarunt. PITH.

316. *Non Liberi* &c.) Recte hæc explicat Vetus Interpres non *Bacchi*, sed *Priapi* Mænades. sic vocat mulieres libidine & vino furentes ad instar Baccharum in sacris Bonæ Deæ, ubi nullus Priapi sacerdotibus locus. GRAEV.

322. *Fluctum.*) Sic in Obscœno Carmine: *Fluctuante lumbo.* PITH.

342. *In quo Pontifices lavare solebant.*) Ridiculum de lotione: corrigo *livare* sive *libare*, & paullo ante *aptum, quo*, propositiuncula delecta. versus Juvenalis respuit *simpulum*, nisi quis vellet *simpullum*. Phil. RUBEN. *Elect.* ii. 8.

345. *Ad quas non Clodius arat.*) Vall. ex suo Probo: *Lodius pro Ludius.* PITH.

345. *Nam, ut* &c.) Verba Ciceronis non exstant eo ordine. Forte respicit ad locum quem i. 121. citavit. ALMELOV.

366. *Non.*) habent editiones *nos*, ap. Horat. *Od.* i. 6. 17. ALMELOV.

379. *Circellos.*) Vide, quæ pro hac Scholiastæ sententia attulit RHOD. *de Acia Cels. cap.* 6. *p.* 76.

400. *Sallustium.*) Vet. Ex. *Sallos ejus.* PITH.

403. *Quid Seres.*) Martial. ix. de eadem re:

Scit, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula. PITH.

421. *Alteras.*) Mendi nota tollenda, & scribendum, *Halteras.* PITH.

423. *Non cogit exclamare.*) Senec. *Epist.* Lvii. PITH.

457. *Nam duo negativi.*) Donatus in illud Andriæ: *Neque tu aut dicas tibi non prædictum, Duæ, inquit,* negativæ faciunt unam confessivam. Sic habet Vet. Ex. PITH.

459. *Quos & titulatos appellant.*) Lege *tutulatos.* legimus ORNATRICEM. A TVTVL. Et quidem Tutulus pontificalis, cujus imaginem cernimus in denariis gentis Juliæ, non admodum dissimilis elencho est. PIGNOR. *de Serv. p.* 411.

462. *Poppæa uxor.*) Plin. *lib.* xi. & xxviii. PITH.

476. *Lanipendia.*) Paul. *in. L.* xxxi. D. *de donat. inter vir. & ux.* Vet. Gloss. *Lanipendius*, ταλασιουργός: *Ornatrix*, κομμώτρια. PITH.

582. *Auro clavas.*) Malim, *clavatas.* PITH.

411. *Lumentis.*) quid illa proprie sint, diligentissime explicatum videbis ab amicissimo nobis Viro, doctissimo Almelovenio, si quando publico exhibebit, quæ *de Balneis Veterum*, & quæ eo pertinent, observavit. HENNIN.

525. *Tarquinii Superbi.*) Vet. Ex. additum habuit, *coci*: quo quid significetur, nescio. annotatum tamen hic volui. paulo post dele ad illud, *minaret*, mendi notam. PITH. pro *coci* legit *ejecti.* RUTGERS. *V. L.* i. 16.

535. *Ille petit veniam.*) in culcita Cadurcica dormiebant fœminæ, quæ pervigilii tempore in templo secubarent; quo tempore si cum viris concubuissent, credebatur *Cadurcum* esse *pollutum*. Ac cogebantur viri veniam petere ejus delicti. Quod clare indicat Juvenalis. Ac videntur Sulpitiæ versus eodem pertinere: ut sententia sit, nolle se accusari ejus criminis, quasi cum mulieres aliæ in casto essent Cereris, vel Isidis, ac seorsim cubarent a viris, ipsa cum marito jacuerit nuda. Nisi malis loqui de fasciis, ex lino *Cadurcico*, quibus destituti *οἱ συγκατακείμενοι*, nudi conspicerentur. Quod autem interpretem Juvenalis dicentem audivimus, quosdam per *Cadurcum* intelligere τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον, id quoque legere est in Glossis Isidori, nisi quod ibi corrupte est *Cadurda, labra pudendi muliebris, aut sponda lecti.* scribe *Cadurca.* Similiter in voce, quæ proxime ibi antecedit, *Cadurdum, membrum fœminæ*: trajectis literis scribendum *Cadurcum*, sed quod partem eam, qua fœminæ id sunt, quod dicuntur, ita vocari credit, omnino errat: nec aliunde is error profectus, quam ex loco Juvenalis non satis intellecto. VOSS. *Etymol. p.* 87.

542. *Legem Moysi.*) Vet. Ex. *Moysei.* PITH.

366. *Servilii.*) lego, ut omnes alii Scriptores, *Servii*, quod ad iv. 105. etiam monuimus. ALMEL.

569. *Frigida.*) Meliores editiones Virgilii ita legunt

gunt G. i. 336. *Frigida Saturni sese quo stella receptet.* Lucani vs. exstat *Pharf.* i. 661. ALMEL.

576. *Præmissa.*) Malim, *promissa.* PITH.

582. *Et quando.*) L. *quandiu.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

587. *In unum red.*) Apud Vallam est: *redigit, ignorata quadam tacita prece locum aggestione consecrat.* Cic. ii. *de Legibus.* PITH.

587. *Et tacito.*) Grotii editio legit i. 607. *Et terræ mœsto cum &c.* ALMELOV.

613. *Caligulam significat.*) Hæc potius pertinent ad illa, *Ut avunculus ille Neronis.* PITH.

616. *Virgilius.*) iv. *Aen.* ubi & hunc locum Servius citat, quod præcedit de Probo, est ex Vallæ exemplari. & infra ad vs. 619. ad illud *Jovis*, delenda mendi nota. PITH.

638. *Defuncto marito.*) Addit Vall. *Drymione*, & paulo post, *vino*, melius quam, *veneno.* Pertinet vero ad hunc locum Romanus lapis (quem Grangæus ad hunc vs. jam attulit.) Sunt tamen, qui de Vettii Bolani uxore interpretentur ex Statio v. *Sylv.* PITH.

655. *Euriphyli.*) potius *Eurypyli.* vide de hoc Scholio MUNCKER. ad *Hygin.* p. 277.

SAT. VII,

GRadus &c. vers. 45.) his præpone ex *vs.* 46. *Anabathra.*) ea enim his verbis exponuntur. HENNIN.

49. *Contentus fama.*) Huc pertinet illa vetus Inscriptio: M. ANNAEO LUCANO CORDUBENSI POETAE BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA. PITH.

80. *Aut Serrana vas fictile, in quo at Serr.*) An potius *Aut Serranum vas fictile, in quo Attilius Serranus solebat manducare.* Atulium Serranum agri paterni jugera quatuor sedulo coluisse legimus, mendicasse non legimus. PITH.

89. *Xymam.*) Lege *XVmam.* i. quintam decimam. RUTG. *V. L.* vi. 18.

112. *Propter fascinum.*) Addit Valla: *Quia homines sibi non promittunt prospera propter fascinum.* nos potius Vetustiss. exemplaris nostri auctoritatem sequimur. PITH.

115. *Non * ictilius temporius.*) L. deleto asterisco *Jct. illius temporis.* HENNIN.

120. *Epimenia.*) Hoc etiam verbi exstare in Eclogis Polybii *de Legationibus*, Scaliger noster admonuit. Illud miror, non animadversum apud Jo. Cassianum *lib.* iv. *Instit. cap.* 22. Eadem forma *Menemenia*, sive *Menomenia* dicta, quæ in singulos menses, aut potius, de mense in mensem, ut ita dixerim, parantur. *Epimenia*, quæ ad mensem unum. Quod sequitur de *solido* ad vs. 122. & *quintis* ad vs. 124. valde notandum, meliore otio eget. PITH.

120. *Dantium.*) L. *discentium.* MUNCK. *ad Fulgent.* p. 142.

154. *Proverbium de Cambra.*) Scio hæc a Politiano derisa quondam, nec tamen contemnenda putavi. PITH.

168. *Maritus recipiat.*) An potius: *marito; ut recipiat oculos.* PITH.

174. *Symola medium.*) L. *Summula modium.* RUTG. *V. L.* i. 16.

199. *Ventidius ex munitione.*) An, *ex mulione?* & paulo post, *Antonio & Augusto.* Ventidii hujus mentionem reperio in *Epistola* quadam Bruti apud Ciceronem. PITH. ¶ L. *ex mulitione* C. *fuit* &c. Mulitio, *onis*, pro cura mulorum. adjicit: *ut Tull. in Epist.* recte. nam Cic. *Fam.* x. vocat *mulionem.* mox subjungit Scholiastes: *opitulante Antonio Augusto.* accipit autem *Augustum* pro Octavio: nam tum Octavius nondum Augustus, DORLEANS.

221. *Ob hibernam.*) Hodie *Aen.* iv. 143 legitur *ibi* vel & *ubi bib.* HENN.

SAT. VIII.

DUra &c. vers. 10.) non de pernoctatione, sed de perseverantia sermo est *Georg.* iii. 230. ubi ita legitur *dura jacet pernix in strato.* id confirmat Servius loco Horatii. sunt tamen, qui *pernox* legi voluere. ALMEL.

16. *Osce senex.*) An potius:

Osce senex, Catina que puer, Cumana meretrix.

quem versum aut ego fallor, aut memini legisse me inter meliores Servii reliquias, quas P. Daniel amicus noster vir opt. & erud. ex suis nostrisque Exemplaribus pridem collegit & publico debet. PITH.

29. *Populus Aegypti.*) Jul. Firmicus in libello *de Errore prophan. Relig.* & alii. PITH.

66. *Ornamenta rhedarum.*) Vet. Ex. habuit, *redarion*. PITH.

105. *Trium Antoniorum.*) L. *Trium Ant. coss. pater. ille, q. o. m. q. R. e. i. præfuit. c. piratis. Sallustius*, vide RUTG. *V. L.* iii. 17.

113. *Furtus.*) L. *Furta.* PITH.

125. *Non sunt nuda verba.*) Petron. *Sententiarum vanissimus strepitus.* &, *Audirem sententias*, id est *vitream fractam, & somniorum interpretamenta.* item, *fabulosum sententiarum commentum.* PITH.

127. *Si crebus.*) An, *Ephebus.* PITH.

144. *Ardeliunculo.*) legendum *bardocucullo*, qui horrebat, cum esset ex lana crassiore, aut caprarum pilis & cilicio confectus, ut notum. HENNIN.

148. *Quod inter radios mittitur.*) Adde ex Vet. Ex. *in catabathmo.* PITH.

152. *Mannas fœni.*) Lege *manuas.* Isidor. *Glossario*: *manua* (malim *manuæ*) *manipuli*, nisi volueris *manipulus.* adjuvant excerpta e Glossario Veteri Græcolat. Philoxeni: *Manipulus* δεσμὸς. *Manipulum* δεσμὸς, *Mannua* δεσμὸς. sic Cyrilli δεσμὸς *Manipulum*, *Manua*, *dragma.* ALMEL.

157. *Epona Dea mulionum.*) Huc referenda est anti-

 qui

qui lapidis inscriptio ad Helvetica balnea, quæ nunc quidem ad manum non est. PITH. ¶ Est ea, nisi fallor, quam habet Gruter. *Inscr.* iv. & v. p. 87. HERCULI. ET. EPONAE. LEG. XXII. ANTONIANAE. P. P. F. AUGUST. PRO. SALUTE. IMP. CAES. M. AUREL. ANTON. PII. FELICIS. INVICTI. HENNIN.

160. *Ideo currit.*) L. *inde occurris.* RUTG. *V. L.* vi. 18

168. *Linteis * capsariciis.*) restitue & lege *aut linteis carbasineis.* nam carbasus genus lini est (teste Servio ad *Aen.* iii.) repertum in Hispania (Plin. xix. 1.) quo texebantur vestes magni pretii, antiquis in deliciis habitæ; Nonius enim *cap. de Vestimentis*: *Carbasum*, inquit, *esse pallium, quo fluvii amiciuntur, vel opulentiæ caussa, ut sericum, aut lino tenui.* Virgil. *lib.* viii. *Eum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.* Idem *lib.* xi. *Tum croceam chlamydemque sinusque crepantes Carbaseos, fulvo in nodum collegerat auro.* Curt. quoque *lib.* viii. narrat Arabes & Indos *carbasinis vestibus velare corpora,* quæ auro & purpura distinctæ sunt. Tabernacula etiam carbaso tegebantur. Cicero *Action.* vii. *in Verr. Tabernacula carbaseis intenta velis collocabat.* & Nonius ex Varronis *lib.* iv. *de vit. pop. Rom. Eadem postea carbasinea magis, ut pellibus tegerentur togæ.* non igitur mirum, si luxuriosi homines talia lintea ad corporis detersionem adhiberent cum ad luxuriem, mollia enim erant; tum ad pompam, quippe Serica fere. ALMEL.

170. *Inter Alamanniam.*) Spartian. sub Proculo: *Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur.* PITH.

175. *Lectorum.*) forte *loculorum.* nam *sandapilæ* non erant *lecti*, sed arcæ ligneæ, σοροὶ Græcis dictæ, ut docuit Salmas. MUNCKER. *ad Fulgent.* p. 167.

185. *Siparium.*) Conferam Donati verba, sed emendatiora ex Vet. Ex. *Aulæa quoque in scena intexta sternuntur, pro quibus siparia ætas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistat, dum fabularum actus commutantur.* PITH.

185. *Sub quo latent paradoxi.*) παράδοξοι seu histriones, qui se spectatoribus non exspectantibus ex *inopinato* produnt, e sipari latibulo prodeuntes. HENNIN.

186. *Abjiceres.*) forte *objiceres.* ALMEL.

187. *Hic Lentulus.*) Meminerunt Tertul. *in Apologet*: & in libro *de Pallio*: Hieronymus *ad Sabinianum*, alii. *Laureoli* etiam *Joseph.* xix. *Antiq.* PITH.

191. *Neaniscologos.*) L. *mimologos.* vid. MUNCKER. *ad Fulgent.* p. 96.

207. *Quam fibulam pugnaturis mordet a faucibus.*] Corruptissima hæc puto legenda: *quam fibula mordet faucibus pugnaturi.* extrema, *qui munera edebant* &c. nihil ad rem. nam Gracchus non edebat munus, sed pugnabat in munere. FERR. *de R. V.* iii. 15. Nihil certius ista emendatione Ferrarii, sic *Mordere fibulam* Virg. Ovid. Symmach. dixere, *morsumque* eidem adscribunt Corippus, Calpurn. Tertull. *de Pallio.* hinc & Gerard. Joan. Voss. *de Vit. Serm.* iii. 12. illud Matthæi Parisii ad annum CIↃ.CCL. *firmaculum quod vulgariter morsus dicitur,* recte ad fibulam refert. adde his elegantem Hieronym. locum *Select. Epist.* iii. p. 543. Almelovenio nostro observatum: *Itaque*, inquit, *furens & anhelans lictor, paludamento in cervicem retorto, dum totas exseris vires, fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarusque rei, ensem librabat in vulnus.* HENN.

207. *Decrescentibus.*) Vet. *descrescentibus.* PITH.

208. *Pilo.*) deleta nota legendum est *pileo.* nam retiarii sine galea solo *pileo* tecti pugnabant. FERRAR. *de R. V.* iii. 15. ¶ forte *pilleo.* ita enim dictum pilleum *a pelle hostiæ, unde fiebant*, teste Isid. *Orig.* xix. 30. videtur ita legendum, quia dicit *galero*, quod etiam pilei genus est. nam Isidorus loco citato inquit: *Galerium, pileum ex pelle cæsa hostiæ factum.* dicitur etiam *Galerus* & *galerum*, imo *galeria* Isidor. in *Gloss.* ALMEL.

213. *Pro harum morte.*) *Post h. mortem.* PITH.

227. *Missaria.*) forte *missa.* Philoxeni Glossarium: ἆθλον *missum* dicit. ALMEL.

235. *Dicti sunt Allobrogæ* &c.) Refutat Scholiasten BOCHART. *Geogr. Sacr.* p. 753. ubi docet *Allobrogas* dictos montanæ Sabaudiæ incolas, quoniam *bro* regionem vel *agrum*, τὸ *al* vero excelsum notat: τὸ *alla* enim Scholiastæ est ἄλλο, non Gallice, sed Græce. Obiter nota vocem illam *brega* pro *agro* in Celtica lingua superstitem. Certe in Batavia multorum pagorum & agrorum nomina terminantur in *Broek.* HENNIN.

239. *Molvium.*) mallem *Mulvium*, aut *Mulvium.* vid. Sallust. *Catil. c.* 45. HENNIN.

244. *Togato.*) Grotii Editio vii. 63. habet *togaque.* ALMEL.

254. *Brutosque.*) Virgilii editiones *Aen.* vi. 824. *Drusosque.* ALMEL.

274. *Asylum in loco.*) An, *in luco.* PITH.

SAT. IX.

Nebulo.) L. *Nævolus* φιλοπυγιστής. PITH.

4. *Sumpsit pœna.*) melius, *poena.* PITH.

5. *Lucullus.*) Lege, *Lucillius. gustavi crustula solus*: id est, *placentam.* Refertur & a Vet. Interprete Horat. ad *lib.* i. *Satyr.* 1. PITH.

14. *Accurare.*) Vet. Ex. habuit: *accusare.* PITH.

26. *Qui divites.*] Melius, *qui divitibus se incl. viris,* & paulo post, pro *clypticis* lege, *dypticis.* PITH.

35. *Dypticis.*] scribe *diptychis* Isidor. in *Glossis*: *Diptycha, tabellæ, quas ferimus.* magis vero ad rem Papias: *Diptycha sunt tabulæ quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis.* erant & libri ecclesiastici duo, quorum alter complectebatur mortuorum, alter viventium nomina, ut pluribus Meursius docet, qui videndus

pag. 130. *Glossarii.* ALMEL.

38. *Haud illo.*) lege ex *Aen.* iii. 214. *haud illis.* ALMELOV.

50. *In cultu.*) Scribe, *En cui tu.* PITH.

101. *Palinrotion.*] Apud Apollodorum iii. *Biblioth.* *Alirrhothium.* PITH.

109. *Qui inlata carpunt.*) Hinc ille apud Petronium *Carpus.* PITH.

117. *Virgo Vesta.*) An quæ *Damiatrix* Festo? PITH.

117. *Vitulum.*) legitur *Ecl.* iii. 77. *vitula.* HENN.

137. *Manna vocant.*) malim *mannam.* Sic consensu libb. Vett. Plin. xii. 14. *Micas concussas elisas mannam vocamus.* Sic etiam μάννης vocabulo usi medici Dioscor. i. 74. Galen. & alii. vid. VOSS. *de Art. Gramm.* iii. 20.

142. *Laiurus.*) Puto mendi notam delendam, & leg. *spectem.* Fuerunt suo cuique sæculo ut vitia, sic verba sua hujus generis sunt illa in his Glossis: *Maltare, manicare, minare, plagare, lenare, similare, decollare, acrum, coruscus, sabana, armilausia, eatomum, desipes, luteum, consiliator, glutto, matta, armaria, concubium, calcearium, retrior, manciparius, gutturosus:* & illud, *nam*, secundo tertioque loco positum: sed & scribendi forma, *Thensaurus, formonsus, Spania, aliaque*, quorum nonnulla & apud antiquiores Scriptores notari possunt. PITH.

SAT. X.

Usque ad Cerealem. *vers.* 24.) De arca Senatus locus est in Aureliani ad eum Epist. apud Fl. Vopiscum: *Est præterea*, inquit, *vestræ auctoritatis area publica, quam magis refertam esse reperio, quam cupio.* PITH.

27. *Vinum coloratum.*) Vet. Ex. habuit, *coleratum* PITH

55. *In signis insignare.*) vide late RUTG *V L.* v. 5.

57. *Tabulam patronatus.*) Hujusmodi plures exhibent hodieque Veteres Lapides, quorum aliquos retulit Onufr. *in Comment. Fastor.* PITH.

60. *Conflari * cum fuerunt.*) Vet. Ex. *cum inimicorum*, ut fortasse legendum sit, *Conflari, cum ii, quorum fuerunt.* PITH. ¶ L. *conflari, cum qui fecerunt, propriis.* RUTG. *V. L.* i. 16.

63. *Præfectus urbi.*) Immo potius P.P. Et quod mox de eodem Sejano, *tutorem haberi Principis ad patriciatus dignitatem* refert. Constantini magis seculo congruit, quo primum cœpere *patritii* dici patres Imperatorum, novo honoris titulo, ut Zosimus auctor est. PITH.

72. *Capreis.*) *Capreis* legitur *Aen.* vii. 735. ALMEL.

93. *Significat & * divem.*) leg. *Sedentis significat diu turpiter vixisse Capreis.* PITH. ¶ Scribendum existimo: *& diu & senem & turpiter* &c. quæ interpretatio mirifice loco Satyrici convenit, qui ex uno verbo *sedentis* collegit turpem in senecta ignaviam. *Sedere* enim desidiæ non virilis vim habet. Claudian. *An patiar tot probra sedens?* Barth. *Adv.* xxii. 12.

122. *Hic versus.*) In Vet. Ex. hæc sunt posterioris manus. PITH.

135. *Lorica & fracta.*) Serv. in xi. *Aen.* PITH.

150. *Duæ sunt.*) Lego, *Duo sunt*, Aethiopes scilicet, *Orientes & Occidentes. In occasum.* &c. Stat. x. *Thebaid. Aethiopesque alios.* in Vetustiss. tamen Ex. hoc loco scriptum fuit, *altosque Elephantos*, non *alios.* PITH.

158. *A fulmine ictum.*) Aut hæc alterius sunt interpretis, aut legendum, *frigore.* PITH.

170. *Insulæ angustæ.*) Inde & satyr. i. *breves Gyaræ*, quod qui emendare conati sunt, saltem Senecam legant in *Consolatione ad Marciam.* PITH.

178. *Manabat.*) Meliores Edd. legunt *Sat.* i. 9. 10: *Manaret.* ALMEL.

183. *Ne Maculam inferret secundum jus.*) Pertinent hæc ad legem Aeliam, de qua & nos ante viginti annos plura. PITH.

200. *Hi gingiva.*) Refutatur a VOSS. *de A. G.* iii. 17.

233. *Quod desides.*) Vet. Ex. habuit, *desipes*, quod retinendum censeo, ut fiunt *desipes, infruniti.* PITH.

265. *Urbis* &c.) legitur jam *Aen.* ii. 507. *Urbis ubi captæ casum, convulsaque vidit.* ALMEL.

273. *Apud cæteros.*) Fort. *sicut.* PITH.

276. *Cum Sylla.*) Hæc ego aliquando sumta putavi ex opusculo Julii cujusdam Exsuperantii *de Mario*, cujus exemplar habeo, sane non tanti, ut a nostris majore desiderio expeti debeat, quam aut *Eugrafii* integer *in Terentium Commentarius*, aut alterius; & fortean Probi nostri, sane non Vulcatii, *in Orationes aliquot Ciceronis fragmenta*, quorum tamen bonam copiam bonis viris, si cui usui esse possunt, ultro offero, sed postea comperi esse alterius, æque tenuis ac jejuni scriptoris; ut illa de Euryphyle & Telepho. PITH.

276. *Marius fugit, & latuit in Galliis, in Minturnarum paludibus.*) Monstrum: an ibi, id est in media Italia Galliæ? Corrigendum sine dubio, *in calamis.* Plutarchus: *Et loco cavo propter amnem demittere se jusso* (Mario) *multam arundinem injecit, aliamque materiam aggessit levem. Phil.* RUBEN. *Elect.* ii. 28.

SAT. XI.

Superba & delicata. *vs.* 8.) L. *Superba dictata.* RUTG. *V. L.* ii. 16.

27. Γνῶθι σεαυτόν.) Citatur hic locus a Macrobio *Commentar.* i. *in Somnium Scip.* PITH.

46. * *annum.*) loco asterisci præpone ex *vs.* 53. *Caruisse anno Circensibus uno.* RUTG. *V. L.* ii. 16.

56. *Patrimonium.*) Leg. *parsimoniam*, utroque loco. PITH.

77. *Biberent.*) L. *viverent.* RUTG. *V. L.* ii. 16.

78. *Curio* &c.] in *Cat.* paulo aliter leguntur *cap.* 16. ubi pro *obtulissent* est *attulissent.* & mox *Non enim aur.* &c. ALMEL.

91. *Fabricium Censorem.*] L. *Fabium* & repone Scholion ad vs. 90. *Cum tremerent autem Fabios.* Fabius enim Maximus fuit Censor A. U. 449. cum P. Decio Mure. vide RUTG. *V. L.* ii. 16.

109. *Qui cibus primus antiquorum fuit.*) Latinorum scilicet & Romanorum, ut & Plinius scripsit *lib.* xviii. *cap.* 7. & 8. *Primus hominum cibus fraga & glandes.* quod cum vel Grammaticorum pueris notum sit, mirari satis non possum, cur in Illa Saturniæ ætatis descriptione, *Sat.* xiii. etiam Critici tam diu, *farra*, tulerint. PITH.

111. *Sonitus.*) hodie editiones *Georg.* i. 475. *sonitum.* ALMEL.

116. *Ut mensæ* &c.] hæc ad sequentes versus reponit RUTG. *V. L.* ii. 16.

138. *Πυγὴ dicuntur.*] Lege: *πυγαὶ dicuntur, & album ἀργὸν.* (hoc posterius excidisse arguunt præcedentia,) *Avis Pygargus, avis genus, quæ & lagopus appellatur.* scilicet duum generum pygargos facit; nam & feram esse dicit, & avem. utramque ἀπὸ τῆς ἀργῆς ἤτοι λευκῆς πυγῆς nomen accepisse. ἀργὸν enim Græcis frequenter est *album*; hinc & illud Epimenidis: γαστέρες ἀργαί accipio, ut in Sulpiciæ Satyra *Ingluvie albus.* *Retriores* autem *partes* Scholiastes eas vocat, quas Græci ὀπισθίδια μέρη dicunt. Plin. x. 3. in Aquilarum descriptione: *Secundi generis Pygargus, in oppidis mansitat, & in campis, albicante cauda.* Ne quem vero offendat, quod Pygargum confundit cum Lagopode. Neque enim ad vivum resecanda sunt posterioris ævi scripta; in quibus quædam bona sunt, multa mediocria, plura mala. Et certe, non aliter librum fieri Martialis credidit. Hoc mendum, ut mille alia, e Grammatico illo pridem sustuli, quæ omnia Θεῷ διδόντος aliquando in lucem emitemus. RUTGERS. *ad Horat. p. m.* 35.

140. *Ad cituras proficit.*) Emendo, *cætras*: scutum loreum, quo utuntur Afri, inquit Servius. PITH. ¶ Easque Isidorus Afris tribuit. vide BOCHART. *Geogr. Sacr. p.* 745.

185. *Sub ora eis.*) Scaliger: *sudoratis* legit, at RUTG. τὸ *ora* sexto casu sumit. *V. L.* ii. 16.

193. *Unus est missus, qui ordinarius.*) An non potius, *ordearius*? quod ex sequentibus videtur. & Sat. viii. *infundit jumentis hordea lassis.* In veteribus etiam Glossis: *hordearias quadrigas* legimus dictas, quia victori agitatori *hordeum* præmium dabatur. *Hordearios* gladiatores a cibo vocatos Plinius scribit *lib.* xviii. *cap.* 7. & Festo *hordearium æs*, quod pro *hordeo* equiti Rom. dabatur. PITH.

193. *Quoniam multi equi frangebantur.*) Hinc illa Boethii querela iii. *de Consolat. Prætura, magna olim potestas, nunc inane nomen, & Senatorii census gravis sarcina.* Est & de hac re Zosimi locus ii. *Nova Hist.* PITH.

SAT. XII.

Spanas Veticas. vers. 41.] Scribe ex usu sæculi, *Spaniæ Baticæ.* PITH.

46. *Bascaudas.*) Vet. Ex. habuit *mascaudas.* PITH.

61. *Inter sitarchiam & securem.*) Deleatur mendi nota. PITH. ¶ τὸ & pro *etiam* debere poni putat Cl. Jac. Tollius. *Sitarchiam* vero annonam esse docet Hieronym. *Select. Epist. lib.* 3. *de vita Malchi. pag.* 491. ALMELOV.

68. *Quod dicunt artemonem.*) *Act.* xxvii. 40. PITH.

85. *Molles focos.*] In Vet. Cod. sunt hæc recentioris scripturæ, & paulo post scribe, *Mirum est, nam ut amico f. habenti aliquis o. jam impensius.* PITH.

88. *Incerato.*] L. *incerata.* HENNIN.

127. *Veluti filia * ptatoris.*) Repone, *captatoris.* PITH.

SAT. XIII.

Παῖδες οἱ γέροντες. vs. 33.] In Vet. Ex. παῖδες οἱ γέροντες. PITH.

34. *Minaris.*) L. *miraris.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

63. *Quæ residem fœdes sacrificiis lustrari debet.*) An potius, *quæ res ideo fordis sacrificiis lustrari debet.* Sed de agna loquitur Satyricus. De bove Festus, Naso. Vet. Glossæ: *Forda* (sic enim lego) θυσία ἐγκύμονος βοός, PITH.

66. *Monstris.*] Videtur respexisse ad illud Cic. ii. *de Divinat. Si quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est. Sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse.* PITH.

96. *Melius est ægrotare.*) Eadem fere sententia apud Syracidem *Ecclesiastic.* xxx. 14. utraque sensus communis, ut & illa in Satyr. vi. *Homo sum nata, ut peccem.* PITH.

97. *Talaris.*) L. *Talus.* MUNCKER. *ad Hygin. p.* 87.

103. *Diversa sunt fato.*) L. *diverso fiunt fato.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

109. *Homines* &c.) L. *hominis q m. c. habet i. q. denegat*, & paullo post lege *ab irrisionis audacia.* RUTG. *V. L.* i. 16.

121. *Absque pallio.*) vel nugatur solens hic Glossator, vel pro *pallio*, *tunica*, legendum est; vel totus locus ita refingendus: *absque tunica*, *ex pallio exserto brachio.* Ammianus in *Anthol. lib.* ii. de Cynicis:

Καὶ σκίπων, πήρα, πώγωνιον, ὦμον ἔξω:

Et bacillus, villosa vestis, barba, humerus exsertus. quare S. Cyprianus *Cynicorum* vocat *exserti ac seminudi pectoris*

floris inverecundam jactantiam, FERRAR. *de R. V.* i. 15. & vide Statuam Cynici *l. l. part.* 11. *lib.* iv. *cap.* 19.

175. *Afficitur.* &c.) L. *afficitur, quam quas animus tuus exposcit.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

223. *Physici* &c.) Hæc sunt reponenda post illa ex *vs.* 225. *Nec ventorum rabie.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

247. *Deputabitur.*) L. *Deportabitur.* RUTG. *V. L.* vi. 18.

SAT. XIV.

DUo *sabana.* vers. 22.) Recte. Male quidam *sabaria* inter instrumenta Ecclesiastica retulerunt, pro *sabanis*, quorum usum in baptismo Victoris Uticensis *Historia* indicat *lib.* iii. PITH

62. *Anaglypha sigillis.*) Explicat illud, *vasa aspera.* non, *leve argentum*, quod cęlato & anaglypho opponitur. unde & *leves lances* Scævolæ nostro in *l. pen.* §. *pater. D. de legat. lib.* iii. & idem *purum* Satyr. x. nisi quis ex Sext. Pompejo interpretari malit, quod in usu spurco non fuerit. PITH.

67. *Non πελέκημα.*) Vet. Ex. *εἰσήματι*. meminit Eutychius grammaticus, sive is Siccensis Proculus fuit, sive Eutyches alius, *in Arte.* PITH.

78. *Nam antiqui crucibus figebant.*] S. Augustin. *Quæst. in Vet. Testam. Antea homines cruci figebantur, quod postea edicto prohibitum manet.* hoc vero edictum Constantino tribunnt Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores. PITH.

90. *Fortunæ apud.*) Et hæc manifesto sunt diversorum interpretum. PITH.

91. *Legitur in Suetonio.*) Vet. Ex. habuit *Stonio*, quod nos audacius emendavimus, Suetonii ipsius auctoritate in *Claudio.* PITH.

121. *Quis fidem veræ felicitatis.*] Malim, *finem.* quanquam & illud ferri posse non negem. PITH.

156. *Σχῆμα ὑπονοίας.*) Videtur potius ex Alexandro Rhetore *σχῆμα ἐμφάσεως.* PITH.

186. *Crurum.*) lege *Crudus*, ut *Aen.* vii. 690. ALMELOV.

203. *Id est, cana*) An *coria*. PITH.

217. *Tondere barbam.*) Vet. Ex. habuit *condere.* PITH.

271. *Geticas.*) An potius, *Creticas.* PITH.

279. *Calpe urnæ similis mons.*) Phœniciis enim æque ac Græcis גלפא est *urceus*, itaque pars vasis fictilis effracti est Arabibus קלב, docente BOCHART. *Geogr. Sacr. p.* 681.

279. *Spania.*) Ita vero Hispaniam bonis etiam Auctoribus dici peterudite ostendit. BOCH. *Geogr. Sacr. pagin.* 699.

287. *Quamvis se non conscendit.*) Malim, *concidit.* PITH.

305. *Vicinis.*) An potius, *causa ignis.* Pertinet vero hic locus maxime ad ea, quæ in libris nostris *de officio Præfecti vigilum* traduntur. & *Sparteoli* fortasse sunt, quos Dion & Xiphilin. *in Aug.* Græcis *σιφωνάρχους* vocatos scribunt. nisi quis *Viocuros* interpretari malit, aut potius quos Paulus *Tribunos, Sparteolorum* scilicet, qui jam nomen suum huic nostro debituri sunt. PITH.

SAT. XV.

HAnc Canbis rex jussit. vs. 5.) Lege *Cambises.* Plin. *lib.* xxxvi. PITH.

5. *Magice consecrata.*) In Vet. Ex. *maicae.* PITH.

27. *Quia in Aegypto militem tenuit.*) An potius *vitem?* insigne centurionis. Nam ad præfecturam cohortis in *Oasa* missus traditur. Hæc porro si ad Consulatum Appii Junii Sabini referamus (nam Junii nomen habuit Opt. & Vetustiss. Exemplar, habuit & aliud secundæ notæ, nec temere mutandum censeo) pertinebunt ad annum U. C. IↃCCCXXXVII. quo is collega fuit Domitiani: cujus hic etiam satyrice perpetuum Consulatum silentio notari non abs re quis putaverit. PITH. forte *limitem.* HENNIN.

29. *Non Cyclops sed tragœdia.*) Lego, *seu trag.* PITH.

65. *Nec hunc lapidem.*) Serv. iv. *Aen.* PITH.

84. *Focum communem immolarunt.*) Lego, *non violarunt.* Et Volusium Pythagoræum fuisse innuit. PITH.

107. *Zeno Stoicæ sectæ ab eorum.*] Hoc videtur voluisse, *Zeno Stoicæ sectæ auctor, qui quod honestum esset, id summum & solum bonum esse dicebat.* PITH.

115. *Rex Thaas.*) Lege, *Thoas.* Supra etiam dele illud, *civitas.* PITH.

122. *Cadavera devorarent.*) Lege, *cadavera devorantes.* PITH.

138. *Ora maturæ.*) Malim, *ὡραίας*, *maturæ* quod N. Fabro nostro visum est: Fabro, cujus amor mihi crescit in horas. PITH. ¶ L. *Viro m.* RUTGERS. *V. L.* i. 16.

139. *Vel terra clauditur.*) Repone: *vel terra clauditur.*] *Sepelitur infans mortuus.* 141. *Et face dignus Arcana*, &c.) *Dignus sacerdotio.* PITH.

146. *Quem animum esse dicunt.*) Ciceronis est ex libro *de Consolatione*, cujus est & illud: *Ex divinitate omnes animos haustos, aut libatos Deorum cognatione teneri.* PITH.

173. *Samius philosophus.*] Puto leg. *Pythagoras Samius philosophus propter cognationem inter se*, &c. *aversatus & fabam.* quod sequitur *de flore fabæ*, alibi me legisse non memini: ne apud Porphyrium quidem, qui hanc hęresim doctissimis & elegantissimis libris defendere conatus est. PITH.

173. *Si sic ponatur.*) dubito, an non potius sit legendum

gendum, *si seponantur*, id est si sibi relinquantur, putrescunt, unde succus rubicundior, Pythagoræ *sanguis* ob similitudinem dictus. ALMELOV.

SAT. XVI.

ISta a plerisque &c.) Referuntur tamen ex ea quædam, ut Juven. non a Prisciano modo, sed & a Serv. in i. & ii. *Aen.* PITH.

2. *Vel si sint pericula.*) Fortassis, *vel si absint.* PITH.

13. *Habentibus stationem.*) Lege *habentes*. ALMEL.

14. *Darupsis militibus.*) Fort. *Pro ipsis*. PITH.

23. *Ignavus de mulino.*) Malim, *In alio Mutinensis, rhetor aliquis de Mutina: vel mulino, id est, ignavus.* PITH.

31. *Antiquis si testimonium.*) Dematur asteriscus. Sed ne hæc quidem notare institueram, & jumenta vocant, & Sol inclinat, ut Satyrici tandem nostri & verbis & consilio utar. Itaque finem facio: tantum illud addam, quod sequitur de castrensi peculio, esse ex interlineari glossa; quæ & signorum comitem, vexillarium interpretatur. Verum hæc, quod initio admonui, non unius ingenii, ut scripturæ, sic vitiorum & errorum mixturam passa sunt, quæ dignoscere ac recensere, Criticæ opus est. PITH.

FINIS.

INDEX

I N D E X
ABSOLUTISSIMUS
OMNIUM VOCABULORUM,
QUAE IN D. JUNII JUVENALIS
Satyris XVI. reperiuntur.

Numerus in hoc Indice prior ist charactere i. ij. v. x. *&c. Satyram: posterior vero arithmeticus* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *&c. numerum versuum cujusque Satyræ designat.*

A.

cir-

con-

D

E

flet,

G

ge-

juncta,

libertas,

N

P

palam,

pe-

præ

Q

R

S

se-

stami-

ſumen

Omissa

Omiſſa & Commiſſa in Indice.

O*Miſſa deprehendi ſequentia, quæ ſuis locis ſecundum literarum ſeriem inſerantur :* Admitte, vi. 379. Bacchi, vii. 12. Campis Theſſaliæ, viii. 242. Catilinam, xiv. 41. Collacia, vi. 307. curruca, vi. 276. etiam, v. 91. facit, v. 91. fingit, ix. 146. γδ, ix. 37. pænula, v. 79. pelluces, ii. 78. pingit cito, ix. 146. quid, vi. 307. ſubitæ, i. 44. togata, viii. 49. Tullia, vi. 307. tutos, v. 91. *A nova linea debent inchoari*: Manes, ii. 144. 145. ſpira, viii. 208. *In numeris corrige*: area, iii. 143. cervice, vi. 351. elenchos magnos, vi. 459. longorum, vi. 351. luſca, vii. 128 palliolo, iii. 95. plurima, xiii. 187. *Deleri debet* : Noctis pericula, iii. 286.

Et ſi forte plura erunt, quæ vel Auctoris, qualia hæc omnia; vel noſtros oculos fefellerunt per humanam imbecillitatem, ei veniam petimus. Obiter nota benevole Lector, inquirendas tibi præcipue primitivas voces, ſic *Dea* reperies poſt *Deus*, *nos* in *ego*, *feci* in *facere*, *quod* in *quis*; *ſum*, *fui* etiſſ. in *eſſe*, & ſic in cæteris : Et ſi quando fiat, ut numero indicato vox quæſita non exſtet, vicinos perluſtra verſus, qui antecedunt, vel conſequuntur; Operam ſane dedimus maximam, ut correctiſſima omnia & ſuperſtitioſa plane religione & curaad numeros verſuum noſtræ Editionis excuderentur; quod ſi tamen præter opinionem in Numerorum minutiis adeo moroſis aberratum ſit forte fortuna; placuit eum in finem hoc monito Lectori tædioſum quærendi laborem minuere, & illum quovis modo ſublevare.

F I N I S.



A PERSIVS FLACCVS

Olim in Bibliotheca Iacobi Cardinalis Sadoleti, postea Fulvii Vrsini.

AULI PERSII FLACCI SATIRARUM LIBER,

cum ejus VITA, VETERE SCHOLIASTE,

&

ISAACI CASAUBONI

notis, qui eum recensuit, & commentario libro illustravit,

Una cum Ejusdem

PERSIANA HORATII IMITATIONE.

Editio novissima, auctior & emendatior ex ipsius Auctoris codice:

Curâ & operâ

MERICI CASAUBONI Is. F.

Accessit & Græcorum, ubi opus erat, interpretatio, item Index auctorum rerum verborum locupletissimus.



LUGDUNI BATAVORUM,

Excudit PETRUS VANDER AA, Bibliopola.

M. DC. XCV.

NOBILISSIMO & SPECTATISSIMO

VIRO

D. HENRICO ADRIANO VANDER MARCK JCTO.

CANONICO ULTRAJECTINO

&c. &c.

HANC NOVAM

AULI PERSII

EDITIONEM

CUM CASAUBONORUM NOTIS

IN

GRATI ANIMI DEBITÆQUE OBSERVANTIÆ SIGNUM

CUM MULTAE ET DIU PERENNATURAE PROSPERITATIS VOTO

OFFERT

PETRUS VANDER Aa

BIBLIOPOLA LEIDENSIS.

MERICUS CASAUBONUS, Is. F. LECTORI S. P.

ISAACI CASAUBONI *in Persium* Libri Commentarii *dudum est*, (amice Lector,) *cùm rara sunt in hoc regno exemplaria, pertinax autem fama, & inde studia lectorum nunquam flagrantiora. Quare ante aliquot menses ab homine bibliopola, mihi noto, rogatus ecquid haberem quod ad novam, quam moliri se profitebatur editionem, conferrem; qui primæ editionis codicem manu b. m. parentis multis in locis auctum, aliquando etiam emendatum haberem, de patre & communibus literis benè merendi occasionem libenter amplexus, statim & codicem & operam meam obtuli; & ut hominem tantò magis obstringerem, Græcorum quoque ubi opus esset, interpretationem ultrò promisi. Lætus ille, propositum urgere, & me subinde appellare; nihil in se moræ profiteri. Cùm ad rem ventum est, quanquam eadem superaret ad præstandum alacritas, quæ fuerat ad promittendum: non tamen tam expeditum opus experienti fuit, quàm visum erat opinione præsumenti. Utcunque enim parens verba ipsa authorum quæ addita cupiebat in capacibus oris libri interdum adjecisset: in plerisque tamen ad paginas tantum remittebat, non capitibus, non libris, ut plurimum, indicatis; ne parte quidem loci quem volebat, (ut sæpe fit) appositâ. Quid igitur facerem nisi ipsas quibus usus erat editiones librorum consulerem? Ita hærenti in vado peropportuna occurrit Viri Clar. & doctissimi, de litteris & litteratis omnibus multis nominibus meritissimi,* Patricii Junii *humanitas. Ejus ope & diligentiâ præcipui libri, quorum erat usus, ex Regiâ, cujus ille custos dignissimus, Bibliothecâ præsto fuerunt: quibus inspectis nihil ultra laboris supererat, nisi ut verbis aliquot iisque quàm potui paucissimis, quod ad orationis cohærentiam deerat supplerem. Erant præterea fateor interdum quædam, quæ legenti se offerrent, nec intempestiva alioquin, nec ingrata fortasse Lectori futura: sed religio fuit, quicquam Lectori obtrudere, quod non genuinum ejus esset, cujus nomen* Commentarii *præferebant.*

Ad Græcorum versionem quod attinet, quàm id impensè multi desiderarent in scriptis τȣ μακαρίτȣ, non ignorabam: sed & ipsum ab eo consilio, multorum persuasionibus inductum, non aversum fuisse, testis ejus ad Lectorem Admonitio *quæ* Exercitationibus *in Baronium post Præfationis ultima præfixa est. At neque hoc cùm aggrederer inexpectata planè difficultate caruit. Aliter enim sæpe de locis authorum statuas, si seorsim exponantur: aliter si apud Authores ipsos, antecedentium & sequentium ratione habitâ expendantur: Authores autem benè multi, nec omnes ad manum: sed nec loci apud illos inventu faciles: nisi toties integer aliquis, Plutarchi puta vel Platonis liber, esset evolvendus: quod nec otii nostri erat, nec patientiæ. Quare si quando longiùs ab authoris mente abire contigerit, candidi Lectoris erit, studio nostro aliis commodandi id condonare. Quod tamen ne sæpiùs accideret, authores ipsos quoties licuit, quantumque mediocri diligentiâ consequi potuimus, inspeximus: aliorum quoque versiones (nisi si ab authore longiùs ipsæ recedere visæ sunt) quas exhibebant libri, liberè ac libenter adhibuimus. In locis aliquot hæsisse me, & adhuc hærere fateor: in quibus vel lectio, vel probata*

doctis interpretatio mihi suspecta est: de quibus quid ego sentiam, paulò post paucis indicabo. Ceterùm meminerit Lector, nos Græcorum, tantum ubi opus erat, versionem promisisse. Magnam enim non parenti tantùm, sed cordatiori cuivis Lectori injuriam fecissemus, si singulis Græcis totidem Latina, qui multorum mos est, subjecissemus, cùm id solenne parenti in plerisque, quæ ab eo sunt edita, fuerit, ut sensum locorum liberiore quasi versione præmitteret: præsertim si vel prolixior vel illustrior locus. Si quis igitur quid nobis propositum fuerit curiosior intelligere satagat, adeat illam parentis, quam diximus, Admonitionem, *suadeo: quæ nobis in hoc opere versantibus pro Cynosurâ fuit: ne quid, quoad ejus posset, non ex illius mente admitteretur; Additam tamen loco uno aut altero, ubi non opus erat, interpretationem, serò animadvertimus: sed & omissam fortasse pluribus, ubi Lector non unus optasset.*

Hactenus quæ Lectoris intererant ab ipso non ignorari: nec ultra teneremus, nisi aliquid de Authore addi importuna quorundam maledicentia cogeret. Si vel modestia quenquam, qui ad aliquam nominis celebritatem scribendo pervenerit, ab invidiâ; vel moderatio, qui causæ se religionis immiscuerit, ab odio liberare potuit: eum se in utroque præstitit Isaacus Casaubonus, *ut neutrum vereri debuerit. Sed admodum & humanorum ingeniorum, & sæculi sui ignarus fuerit, qui tale quid vel sperare possit ipse, vel alii cuiquam promittere. Tum præcipuè cùm vivere desiit, exorti plures, qui velut agmine facto in famam ipsius & nomen irruerent. Nos quoque tum quod dictabat officium pro ætate illis opposuimus. Ab eo tempore, quamquam non adeo densi, non defuere tamen qui subinde genuinum infigerent: immo etiam qui amicos professi, fœdissima prævaricatione atrocissimè impeterent. Quid nos hoc toto tempore continuerit, aliàs fortasse dicemus: quanquam hoc interim bonâ fide profitemur, pleraque quæ in hoc genere visa nobis sunt, talia judicasse, ut sine ullâ Patris injuriâ, silentibus nobis esse liceret: nec aliud magis optaremus, quàm ut Lector quæ ipsi objiciebantur cum ipsius verbis & scriptis contenderet. Ex multis unum nunc nominabo,* Leonem Allatium, *qui in nupero scripto (nescio an & aliis:) recens mihi viso tantâ petulantiâ pari iniquitate juncta hoc agit, ut post furorem* Schoppianum, *& stuporem* Lansselianum *vix quicquam simile in eo genere viderim. Ex uno crimine de ceteris judicet Lector.*

Griphi olim & ænigmata in quantâ apud sapientes æstimatione fuerint, tum alia multa fidem faciant; tum Clearchi apud Athenæum verba. Ab ea solertia celebris olim Cleobulus Philosophus: cujus vitam scripsit Diogenes Laertius: ubi & hunc ipsius de anno griphum memorat:

> Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάστῳ
> Παῖδες τριήκοντα, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.
> Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν· αἱ δ᾽ αὖτε μέλαιναι.
> Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι, ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Unus, *inquit*, pater: filii duodecim: eorum cuique triginta filiæ: quæ geminâ facie, (*possis etiam vertere*; quæ diversa facie.) Hæ quidem aspectu sunt candido: illæ verò nigro. Et cum sint immortales omnes, omnes tamen moriuntur.

In his verbis, ipsa quidem verba si spectemus, dubium est, utrum id velit Cleobulus, filias has triginta gemino quasque vultu esse; quod τὸ διάνδιχα suadere videtur: an id potiùs, triginta has unius patris filias, vultibus & formis inter se fuisse diversis: **quarum pars (quindecim scilicet) albæ; pars (reliquæ quindecim) nigræ fuerint: quod articulus αἱ relativi vim hîc habens, postulare videtur. Durum enim & sine exemplo videtur, ut* hæ, *&* illæ, *ἁπλῶς & simpliciter (nam ad τὸ εἶδος respici,*

* Vulgatus Diogenis interpres in hanc sententiam vertit, *Hæ niveis totæ, fuscis sed vultibus illæ.*

respici, diversum genus obstat) posita, ad vultus tantùm, non personas referantur. At rursus si sententiam spectemus; quis unquam dixit, vel fando audivit mensem ullibi gentium quindecim tantùm constare diebus? Hic Pater cùm aliam lectionem quæ omnem difficultatem tollebat, apud Stobæum, *ex quo multa passim in optimis scriptoribus partim restitui, partim suppleri nemo nescit, invenisset: eam ille lectionem præferendam credidit. Hæc sunt ejus verba in Notis ad Diogenem Laertium:*

Παῖδες τριήκοντα.] Ergo menses illo ævo ex diebus constabant decem & quinque: tot enim efficiunt hæ triginta filiæ: *(nempe si ita intelligas, ut quindecim nigræ, noctibus: & quindecim albæ diebus, quos vocant, civilibus, assignentur; quod verba suadere videntur)* Logi: corruptus enim hic locus est, & legendum, Κοῦραι ἑξήκοντα: itaque apud Stobæum legitur. At Suidas qui hunc Diogenis locum descripsit, habet ipse quoque τριήκοντα: quod etsi ferri posse videtur, propter illa, διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι: tamen illam lectionem magis probo, immo solam probo.

Ego quidem, si quis me roget, neutram lectionem veram suspicabar; sed scripsisse Cleobulum non αἱ, *sed* ἡ; (ἡ μὲν, ex unâ parte: ἡ δὲ, ex altera:) *quod errore mutatum sit in* αἱ, *& inde quod absurda vel sententia vel oratio videretur, substitutum ab aliis,* Κοῦραι ἑξήκοντα: *sed ingeniosissima viri præstantissimi,* Joannis Seldeni *interpretatio adeò arridet, ut propè me conjecturæ pœniteat. Putabat ille,* τὸ αἱ μὲν, *&,* αἱ δὲ, *ad easdem personas partim albas, partim nigras, posse referri:* q. d. Hæ autem albæ sunt: & eædem rursus nigræ: *ita* τὸ αὐτὸ, *magis emphaticum fuerit: & ænigma ipsum, magis ænigmaticum: id est, longè acutius. Unus tamen erat scrupulus, quod de usu tali particularum* ὁ μὲν, *&* ὁ δὲ, *ad easdem personas relatarum non constabat: cogitet Lector. Sed quicquid hujus sit; quid quæso in verbis patris, quod vel iniquissimi & maledicentissimi carperent? * At, bone Deus! quas hic tragœdias excitat Allatius? aut potiùs, quos ludos facit? Infælicem aliquem de scenâ morionem vel pantomimum videre te putes, qui variis motibus & gesticulationibus risum vel ab invitis extorquere contendat. Et tamen ipse sibi plaudit infælix, & facetias suas lectori ingerit & imputat, &, io pæan! (vir gravis) ad fastidium usque accinit. Sed quis error tamen* Casauboni? *quis lapsus ille tantus, tanto hiatu personandus? Nempe, ignoravit vocem græcam* παῖδα *non* filios *tantùm, sed &* filias *significare, & ideò lectionem Stobæanam prætulit. O frontem! Quis non pariter dicat ignorasse eum* τριήκοντα *significare* triginta, *& ideò de quindecim cogitasse? Postea verò nescio quid sibi fingit, quasi diem dici, qui spatium viginti quatuor horarum complecteretur noluisset, aut non intellexisset* Casaubonus. *At roges, quibus ex verbis* Casauboni *id expiscatus vel subodoratus sit; quid respondere possit, nisi non seriò hæc à se scripta, sed* ut jocularibus hisce, *ut ipse loquitur,* animum relaxaret, *ego non video. Ingenua certè facti non valdè liberalis confessio fuerit. At quanta hæc importunitas, tot ab annis defuncto, etiam staturam corporis, dum* minutulum *vocat, exprobrare? Non legerat Allatius historici gravissimi observationem,* Ἡρωικὴ ψυχὴ ἐν λεπτῷ σώματι: *omitto cætera. Sed non metuebat potius illud Satyrici,* † Græculus esuriens? *Novi certe qui de Leone Allatio ita narrarent: hominem non adeò per se ferum esse; sed ibi vivere, ut aut gratis ipsi scribendum sit; aut aliquid audendum. Tum verò,* Casaubonum *nomen illhic odiosum esse: purpuratis patribus invisum. Quod si est, opto ipsi lautiorem fortunam; & æquiorem interim animum. Sed & Apollonii (quæ ‡ alicubi in his Commentariis exponuntur:) verba commendo:* Πάντες φασὶ, δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν· ἐμοὶ δ' εἴη τὴν ἀλίαν τετυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ. *Sed ad convitia Allatii redeamus.* Casaubonum *ridens vocat novum* ἑωσφόρον, vesperuginem, *&c. Tuam fidem, Leo*

(**) *Allati:*

* Leo Allatius *De Mens. Temp.* c. xv. p. 193. & 194. † Bart. Nihusius, p. 30. *Sed quisnam ergo iste Leo Allatius? Pandam brevibus. Est natione Græcus: Romæ degens à multis annis: &c.* ‡ P. 441.

Allati: Si tantam tibi tui fiduciam fecerunt vulgaria illa elogia, quorum numerum officiosa amici tui diligentia collegit, ut tibi per ridiculum novus ἑωσφόρος *& vesperugo diceretur, quem non unus Rex, plures Principes, Duces, Cardinales, & quantum in tota ferè Europâ doctorum hominum, non tralatitio nominis elogio, sed litteris & testimoniis prolixis, accuratis, admirari se professi sunt: quid tibi tuique similibus de posteritate potes promittere? Sed an tu potius novus aliquis Pyrgopolinices & de comœdiâ Thraso, qui integras legiones uno tuo spiritu difflare te somnias? Interim cogita, quàm nos non ambitiosi; vel certè securi posteritatis hactenus fuerimus, qui, cum tot magnificorum, præter edita & nota, elogiorum copia sit; hactenus nos ab eorum editione continuerimus.*

Quæ non eò dicuntur à nobis, quasi qui, quod ipse de se non semel professus est pater, hominem eum fuisse ignoremus. In tam vario scribendi genere, multiplex erroris ansa vel cautissimis. Aliud præterea accessit, solita illi festinatio, quæ multorum errorum mater esse solet. Acris vir ingenii, & indefessæ industriæ, cùm multa moliretur, quorum minima pars edita est, quicquid haberet præ manibus, id ita curabat, ut ad alia semper properaret, & vota votis præverteret. Non immemor ille quidem veteris moniti, Vitæ summa brevis Spes vetat inchoare longas: *sed ea erat studiorum ratio, ea, quod jam diximus, ingenii vis. Nescio quid alii sensuri sint: ego sanè profiteor, utcunque illum mihi singam, qui nunquam quicquam perfecerit aut ediderit; nunquam me ingentem illum rerum & materiarum apparatum; omnis ætatis & professionis; Græcis, Latinis & Hebraicis, immo & Arabicis ex scriptoribus, tot* Excerpta, *tam accuratâ diligentiâ, tanto judicio, inspicere, quin ætatem ultra putem. Speramus nos aliquando daturos perfectum Catalogum eorum quæ promiserat: quorum omnium materiam cùm paratam haberet in* Adversariis, *de formâ inducendâ (adeò hæc illi minima pars laboris:) non antè plerumque cogitabat, quàm cum Typographus inciperet. Hinc igitur verè pleraque illa* παροράματα, *quæ non unus in scriptis ejus observavit: quæ non alio pleraque loco habenda, quam cùm in* Exercitationibus *alicubi* πέντε, *vertit* quatuor; *& his ipsis* Commentariis, *(quod nos tanquam erratum typographi emendavimus:)* δῆλοι stulti, *pro* servi. *Qualia in Cicerone notavere viri doctissimi: & in Aristotele tum alii, tum parens ipse in* Adversariis *suis manu scriptis haud pauca: quæ cum legimus, alibi mentem habuisse cum ista scriberent, & nimiam festinationem fraudi ipsis fuisse rectè dicimus; ex imperitiâ peccasse, qui tales ac tantos in aliis se præbuerint, nemo nisi qui planè depuduerit, inde concludat. Sed nos hæc alibi, si Deus dederit, fusius. Tu interim lector vale, & hæc æqui bonique consule.*

LOCI Græcorum scriptorum, in quibus hærere nos diximus, hi sunt.

In Æschyli loco qui p. 45. laudatur, ——— αἱ νήστιδες δύαι, *&c. cùm apud amicum copia facta esset Æschylcum Latinâ interpretatione, libenter inspexi locum, & ibi reperiens* ——— hæ Nystides Ambæ Deæ docendo præstantissimæ, sensuum Medicæ: *protinus ut portentum aversatus, quæsivi an alicubi extaret alia versio: sed hactenus frustra. Dicam igitur quid mihi videatur:* νῆστις, νήστεως, *adjectivum Æschylo familiare. Hâc ipsâ Tragœdiâ,* νῆστις νόσος, jejunus morbus: *&* νῆστις πόνος jejunus labor, *in superioribus. Pari & hic ni fallor ratione,* νῆστις, νήστιδος; *ut* νήστιδες δύαι *sint* jejuna, *id est,* dira infortunia. *Sensus igitur verborum erit, & ad mentem parentis appositus:* Diræ calamitates, optimæ magistræ: animi medicæ.

In Dio-

In Dionis Chrysostomi loco qui p. 60. quanquam vulgatam versionem exhibuimus, emendandam tamen non illam tantum, sed & Dionis textum certò credimus. Quid enim sibi volunt illa, ἐλεήσας καὶ φοβήσας? Qui superiora factorum Herculis exempla à Dione allata recensebit & expendet, animadvertet id Dioni propositum fuisse, ut singula facta Herculis ex acutâ aliquâ ratione ab ipso subtiliter excogitata commendaret. Ut exempli causa cùm de Busiride: Τὸν δὲ Βούσιριν εὑρὼν πάνυ ἐπιμελῶς ἀθλοῦντα, καὶ δι' ὅλης ἡμέρας ἐσθίοντα, καὶ φρονοῦντα μέγιστον ἐπὶ πάλῃ, διέρρηξεν ἐπὶ τὴν γῆν καταβαλών, ὥσπερ τοὺς θυλάκους, τοὺς σφόδρα γέμοντας. Busirim verò offendens valdè diligenter certaminibus studentem perque totum diem edentem, valdeque sibi placentem ob luctandi artem, in terram dejectum dirupit, ut sacculi nimis pleni dirumpi solent. * *Prometheus autem eum saxo alligatus vulgò fingeretur, ipse ut ambitiosum sophistam & applausu populari, non aliter ac vento, distendi solitum, qui solo silentio curari posset, non saxo alligatum, sed* φορβειᾷ *constrictum fingit: quo nihil venustius aut acutius dici potuit. Legemus igitur, non* φοβήσας, *sed* φορβήσας. *Notius fortasse* τὸ φορβειώσας, *quàm* φορβήσας*: sed cùm non* ἐμπεφορβειωμένος *tantum, sed &* ἐμπεφορβημένος *(ut à doctis notatum:) autore Polluce sit legitimum, & hoc ad vulgatam lectionem propiùs accedat, praeferendum crediderim. Vertam igitur:* miseratus hominem, cùm tibicinali ligulâ constrinxisset, liberavit à fastu. *Alludit autem fortasse Dio ad Sophocleum illud, quo utitur & Cicero in secundo Epistol. ad Atticum,*

> Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
> Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι, φορβειᾶς ἄτερ.

Spirat enim (inflat, *propriè:*) non jam exilibus tibiolis, sed immanibus follibus, sine ligulâ.

In altero ejusdem Dionis loco qui p. 61. *laudatur* Οὐδεὶς αἱρεῖται τῶν πολλῶν, *&c. ita vulgò accipiunt, quasi* τῶν πολλῶν *ad* τὸ οὐδεὶς *pertineret: & de insipientibus ac plebeis ingeniis hoc peculiariter assereret Dio; quod toti illi Dionis disputationi ex diametro contrarium est, qui id fusè disputat & contendit, neminem gratis & sine causâ bonum esse & praeclara facinora aggredi: de quo nos alibi fusè, in opere quod tum maximè, cùm haec excudebantur, urgebamus. Ita igitur distinxerim & verterim:* Οὐδεὶς αἱρεῖται, τῶν πολλῶν ὅ, τι ἂν οἴηται, *&c.* Nemo homo est, quod ex multis pulchrum putat & honestum, qui id solum factum velit, non id etiam, ut & alii factum sciant.

Pag. 159. *Laudatur ex Ptolemaei Tetrabiblo quarto locus, quem non opinor alium, quàm qui cap.* περὶ φίλων καὶ ἐχθρῶν *occurrit: Basil. ed. pag.* 193. *extremâ, his verbis:* Κρόνος μὲν οὖν καὶ Ζεὺς ἐπελθόντες τοῖς ἀλλήλων τόποις ποιοῦσι φιλίας διὰ συστάσεως, ἢ γεωργίας, ἢ κληρονομίας. *Quod doctissimus Melancthon ita transtulit:* Cum igitur Saturnus & Jupiter ita congruunt, ut alter ad alterius loca ita perveniat, faciunt amicitias, aut civilis consilii societate, aut propter agriculturam, aut haereditatem. *Paraphrastes autem Proclus retinuit verba Ptolemaei; nisi quod ille* διά τινας συστάσεις, *quod Ptolemaeus,* διὰ συστάσεως, *&c. Melancthonis interpretatio verbi* συστάσεως *non caret ratione. Hoc ipso libro quod Ptolemaeus alicubi,* ἄνδρας καθεστῶτας, *id est, modestos, civiles, compositos: Proclus interpretatus est,* συστατικούς. *Propiùs tamen attendenti, cùm* σύστασις *&* συνίστασθαι *hoc ipso capite tum apud Ptolemaeum, tum Proclum non semel occurrant, maximè genuina verbi* συστάσεως *hoc loco interpretatio videtur,* societas,

** 2 *absolu-*

* Dio Chrys. Orat. 8. p. 136, 137.

absolutè: ut id dicat Ptolemæus, faciunt amicitias ex aliquâ ſocietate vel agriculturæ; vel hæreditatis. *Confirmat hanc interpretationem etiam interpres Arabs, qui in hanc ſententiam, ut ipſe nobis à Latino interprete exhibetur, vertit:* Sat. igitur & Jup. cùm alter eorum ad alterius locum pervenerint, amicitiam inter eos ex agriculturis & hæreditatibus † judicabunt: *quibus in verbis τὸ* ſocietas, (ex agriculturarum & hæreditatum ſocietatibus:) *ſubintelligendum videtur, quod ab eodem interprete paulò poſt exprimitur, dum quod Ptolemæus*, ♀ δὲ καὶ ☿ συμβιώσεις τὰς διὰ τέχνην τινὰ, ἢ μοῦσαν, ἢ σύστασιν ἀπὸ γραμμάτων ἢ θηλυκῶν προσώπων: *ipſe vertit*, Venus autem & Mercurius in vitæ rebus, magiſterii, vel Muſicæ, ſeu librorum, vel mulierum cauſâ ſocietatem inter ipſos adducunt. *Hujus autem interpretis & interpretationis indicium debeo ei, cui alia, in alio quoque genere, multa, perinſigni* Seldeno. *Sed ſi hic eſt locus quem voluit parens, unde iſta varietas*, Ἥλιος *pro* Ζεὺς: σύνταξις, *pro* σύστασις? *Certè ſi non alibi reperitur, (non enim nunc vacabat, ut librum illum quamvis non magnum hâc occaſione totum percurrerem:) non dubitem dicere*, Ἥλιος *pro* Ζεὺς *feſtinantis errore poſitum eſſe: & offerebat tum ſe fortaſſe cogitanti locus aliquis alius haud abſimilis, ubi de Saturni & Jovis συσχηματισμῷ, qualis cujus modò memini; ex capite περὶ συναρμογῶν. De voce συντάξεως non idem dixerim, quam vel ita corrigendam crediiſſe, vel alibi reperiſſe, puto veriſimile.*

In Platonis loco, qui pag. 199. *lineam unam aut alteram caſu fugitivam, ſine quibus neque ſententia, neque ſyntaxis conſtat (ne quis omiſſas ſtudio putet ut minus hîc neceſſarias:) in locum ſuum reduximus. Serrani verſionem addidimus: dediſſemus emendatiorem, ſi Platonis exemplar, quo parens uſus eſt, videre nobis hactenus contigiſſet. Ibi enim expendiſſe ſe & explicaſſe notat in* Adverſariis *ſuis.*

In loco Simplicii, qui pag. 201. *ſuſpicor legendum*, καὶ ὁ ὅρον ἐκβᾶσα φύσεως, *&c. non* φύσις: *durius enim videtur, ut natura dicatur in ἀοριστίαν ἐκπίπτειν: ſed locum nondum inveni in Simplicio, quanquam diligenter olim mihi lecto: ideoque ἐπέχω. Inſpiciantur loci Senecæ, qui pag.* 201.

In loco Dionyſii Longini, qui p. 206. *nihil mutavi: ſed ut Græca reſpondeant Latinis, aut Latina Græcis potiùs, lectorem moneo, legendum eſſe* ἀναπνέον ὥς φασιν: *non* ἀναπνεῖν; *eaque eſt lectio recentiorum Longini editionum. Criſpinianæ certè, quæ prodiit a. d.* 1569. *At in Baſileenſi anni* 1554. *(quæ prima ni fallor: quâ etiam uſum parentem conjicio:) planè ut hîc,* ἀναπνεῖν: *Cur autem verius putem τὸ* ἀναπνέον, *quàm* ἀναπνεῖν: *ut ſcilicet de antro dicatur, quod extra ſpiret; non de fœminâ Phœbade (quod tamen in re ipſa parvum diſcrimen eſſe, cùm relata ſint, agnoſcimus:) quæ inſpiret, aut hauriat; inde moveor, quia id magis convenit, tum Auctoris qui* De Mundo *ſcripſit elegantiſſimi, deſcriptioni, qui* ἀναπνοὰς *&* ἀναφυσήσεις *ipſi terræ tribuit; tum etiam Jamblichi, qui* πνεῦμα λεπτὸν ἀναφέρεσθαι *in accuratâ narratione poſuit. Sed quid vetat ipſius verba, quæ nondum quod ſciam Græcè prodierunt, ex inſtructiſſimâ Viri ſummi* Joannis Seldeni *Bibliothecâ hic exhibere? Gratum erit lectori puto vel ob novitatem: ſed non minùs utile, ſi cum Longino contendet. Ita igitur Jamblichus manu ſcriptus, de Vate Pythia:*

Ἡ δ' ἐν Δελφοῖς προφῆτις εἴτε ἀπὸ πνεύματος λεπτοῦ καὶ πυρώδους ἀναφερομένου πόθεν ἀπὸ στομίου θεμιστεύῃ τοῖς ἀνθρώποις, εἴτε ἐν τῷ ἀδύτῳ καθημένη ἐπὶ δίφρου χαλκοῦ τρεῖς πόδας ἔχοντος χρη-

† *Ita reperio in diverſis editionibus, non* indicabunt: *quod tamen etiam hoc ipſo capite: ſed & τὸ* judicabunt *iterum.*

χρηματίζει, εἴτε καὶ ἐπὶ τοῦ τετράποδος διφροῦ ὅς ἐστιν ἱερὸς τοῦ θεοῦ [a] πανταχῆ, οὕτω δίδωσιν ἑαυτὴν τῷ θείῳ πνεύματι, ἀπό τε τῆς τοῦ θείου πυρὸς ἀκτῖνος καταυγάζεται, καὶ ὅταν μὲν ἀθρόον καὶ πολὺ τὸ ἀναφερόμενον ἀπὸ τοῦ στομίου πῦρ κύκλῳ πανταχόθεν αὐτὴν περιέχῃ, πληροῦται ἀπ' αὐτοῦ θείας αὐγῆς, ὅταν δὲ εἰς ἕδραν ἐνιδρυθῇ τοῦ θεοῦ, τῇ σταθερᾷ τοῦ θεοῦ μαντικῇ δυνάμει συναρμόζεται. ἐξ ἀμφοτέρων δὲ τῶν τοιούτων παρασκευῶν ὅλη γίνεται τοῦ θεοῦ, καὶ [b] τότε δὲ πάρεστιν [c] αὐτὶ χωριστῶς ὁ Θεὸς ἐπιλάμπει, ἕτερος ὢν καὶ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ πνεύματος καὶ τῆς ἰδίας ἕδρας, καὶ πάσης τῆς περὶ τὸν τόπον φυσικῆς καὶ ἱερᾶς φαινομένης κατασκευῆς. *Si quis hæc cum vulgata Latina versione comparare cupiat, reperiet ibi Tornæsianæ Lugdunensis editionis a. d. 1570. p. 66, & 67. Postremum hoc de Longino: tres ejus extare versiones: unam Petri Pagani, Venetiis a. d. 1572. excusam: secundam, Dominici Pizimentii: tertiam denique, Gabrielis de Petrâ, recentiorem & notiorem: qui priorum versionem nunquam, opinor, viderat.*

De uno aut altero Marci Antonini Imperatoris loco, qui aliter in his Commentariis *vel scribuntur vel exponuntur, quam nobis probatur; alibi proprio loco egimus: quæ non putavimus hic repetenda. Atque de his hactenus.*

a *Vide Latina.* b *f.* ὅτε. c *f.* αὐτῇ.

NOBI-

NOBILISSIMO ILLUSTRISSIMOQUE

VIRO,

D. ACHILLI HARLÆO,

Equiti, Ampliſſimique ordinis Principi,

ISAACUS CASAUBONUS S. D.

NICIAM pictorem quondam excellentiſſimum dicere ſolitum legimus, Præſes ampliſſime, artis pingendi non minimam partem in eo eſſe poſitam, ut argumentum eligatur pingi dignum, & quod ſpectantium oculos idoneum ſit tenere. Hujus ego exemplum, quanto minus ingenio fidebam, tanto diligentius imitandum mihi eſſe duxi, cum de elucubrando aliquid cœpi cogitare, quod in ſacrario Muſarum tuo, ceu tabulam χαριστήριον appenderem: tot tantorumque beneficiorum, quibus me tibi feciſti dudum obnoxium, teſtem: meæque adeo obſervantiæ erga te ſummæ, poſteris, ſi forte, monumentum aliquod; tibi certè, pignus, uti ſpero, non ingratum futuram. Id igitur animo volvens, quum ſcrinia omnia mea excuſſiſſem, ex illo auctorum numero, quorum illuſtrationi vigilias meas impendi, Perſium Flaccum certo judicio elegi, quem non vulgari cura, nec ſtudio mediocri à me recenſitum, & novo Commentario enarratum, tibi offerrem, Vir ampliſſime, atque nomini tuo ſplendidiſſimo conſecrarem. Ductus autem ſum hac minime fallaci conjectura: quod ſcirem eam demum ſtudiorum ſectam tibi præ cæteris probari, quæ neque amœnitates ſolùm captet, ſicut magna pars hodie facimus: neque rurſus, manſuetioribus literis ſpretis, ſupercilium rigidè nimis contrahat: ſed ſapientiam cum eloquentia & eruditione juſto quodam convenienteque temperamento miſceat: & ut Græcorum non ignobilis ſcriptor ait, τῇ ἀρετῇ τὸν λόγον κοσμῇ, τὴν ἀρετὴν ἢ τῷ λόγῳ. Quo in utroque genere ſi graviſſimum hunc morum cenſorem, & virtutum præceptorem fidiſſimum, contendam excellere: tam certus ſum victoriæ ſub te judice, quæ tua eſt eruditio, & in literis quoque rectum judicium: quàm illud non ignoro, ludibrium me ſibi debere ſophos illos eſſe dicturos, quibus ſatis acceptum eſt, nullum poëticæ aut eloquentiæ cum gravioribus diſciplinis commercium intercedere. Nam quid aliud ab illis exſpectem, qui fatali quadam ignavia, res natura ſua conjunctiſſimas, ſtudia dico ſcientiarum & humanitatis artes, adeo ſeparant, φύσεως ἐνδείᾳ, ut ſcribit Platonicorum mellitiſſimus, κατακερματίζοντες τὰ μὴ δυνάμενα χωρίζεσθαι: ut ſi quis illa curet jungere, hunc ſtatim alienum eſſe omni philoſophiæ clamitent? Scilicet aſſenſuri iſti ſunt veteribus ſapientibus, Poëticam τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας εἶναι σύνναον, (ipſis enim verbis illorum utar:) quos videmus omni cura morum poſthabita, quæ vera philoſophia eſt, in neſcio quibus argumentatiunculis, in nugis ſophiſticis, in puerilibus argutiolis, λωβοῖς denique ῥηματίοις τῆς διαλεκτικῆς, quod ſua jam

ætate

ætate Euphrades Themistius conquerebatur, summam sapientiam ponere. Scilicet facundiæ Persii virile robur, aut recondita illa eruditio eos capiet, quibus pristinam barbariem mordicus retinere, & in antiquitatis totius ignoratione versari, potius videtur esse ac melius, quàm possessionem literarum, olim simili socordia extinctarum, memoria verò patrum magno Dei immortalis beneficio in lucem revocatarum ex alta hominum oblivione, sibi vindicare, & pro sua quemque virili posteris asserere: quod qui non faciunt, caussam dicere nullam possunt, quo minus pro tanti muneris bonitatis divinæ parum æquis æstimatoribus, imo verò iniquis ingratisque aspernatoribus sint habendi: adeo crimen ingens est, quod istis ne minimæ quidem culpæ affine judicatur. Equidem, vir maxime, pro meo in literas amore sincero, hoc genus hominum meminisse nunquam possum, quin statim ejus mihi in mentem veniat, quod in Dissertationum Arriani pulcherrimis libris, aliquando legisse te, quem meliorum literarum nihil fugit, non dubito. Scribit verò Arrianus, sapientissimum senem illum Epictetum, impietatis in Deum eos insimulasse, qui in philosophiæ studiis τὴν ἀπαγγελτικὴν δύναμιν, sive sermonis curam tanquam rem levem aspernarentur: quoniam quidem, aiebat vir divinus, ἀσεβὲς ἐστιν ἀνθρώπου τὰς παρὰ τοῦ Θεοῦ χάριτας ἀτιμάζειν: en germanum philosophum: en vocem auream: nec minus memorabile Synesii philosophi præstantissimi vaticinium tristi eventu confirmatum, quod multò antè ab ipso est editum, cum rationem studiorum similiter perverti ab æqualibus suis cerneret. Disputans enim contra τοὺς ἀξιοῦντας δόγμασιν ἀπορρήτοις ἐνάπτεσθαι ἐν λέξεσι τελοδίποσιν: hoc est, adversus eos, qui ad sanctissimæ Theologiæ studia infantiam & sophisticen pro solida eruditione afferrent, fatidicam hanc quasi sortem edidit: κίνδυνος, inquit, εἰς ἄβυσσόν τινα φλυαρίας ἐμπεσόντας τούτους διαφθαρῆναι. Utinam defuisset huic oraculo fides: sed profectò, si verum amamus, depravationi illi & hujus scientiarum reginæ, & omnium aliarum quæ postea accidit, occasionem quidem Gotthorum & Alanorum invasiones præbuerunt: at caussa illius propior ac vera est, ratio studiorum perversa, & in liberalibus disciplinis prava institutio, ac linguarum simul & universæ literaturæ melioris ignoratio. At enimverò quantum isti à recta studiorum ratione deflectunt: tantum alii diverso erroris genere peccant, qui in lectione antiquorum sapientum assidui sunt, non ut animum, sed ut ingenium excolant: non ut discant vivere, sed ut loqui: neque ut meliores ab illis discedant, sed ut doctiores tantùm; qui denique grammaticorum solùm oculis scripta eorum legunt, qui de virtute præcipiunt. Atqui non in eum certè finem viri magni & præcepta exempla virtutum memoriæ commendata ad posteros transmiserunt: ut ad inanem aurium oblectationem, vel jactationem vanam inutilis eruditionis, ea cognosceremus: verùm ut suis nos lucubrationibus excitarent ad effodienda & in actum producenda recti honestique semina, quæ quum à natura accepissemus, vitiis tamen circumfusa, & tantùm non obruta, sic in nostris animis, nisi cultura melior accedat, latent, quasi in altum quendam scrobem penitus defossa. Huc spectant, quod te minimè latet, vir sapientissime, tot illa volumina quæ de morali disciplina philosophi confecerunt. Tendit eodem & Græcorum Latinorumque poëtarum pleraque manus: sed itineribus diversis: quot sunt enim poëtarum genera, sunt autem quamplurima, tot ferè diverticula & viarum ambages eò ducentium. Brevis & directa via est quam Persius & reliqui Romanæ Satiræ poëtæ institerunt: omissis enim fabulis & omni poëtarum aliorum περιπίᾳ, rem ipsam dicunt, & cum vitiis γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, quod aiunt, ὁμόσε χωροῦσιν, eaque ridenda omnibus propinant. Qui si eo animo hodie tractarentur quo scripsisse ipsos antè ostendimus, uberrimos, ita me Deus, operæ suæ fructus & interpretes eorum & lectores reportarent: nam ut solæ θεόπνευστοι literæ animi morbos possunt curare; sic ejusmodi poëtarum assidua lectio curationem adjuvare: & quum

sanare

ſanare nequeant, poſſunt tamen ſanabiles reddere. Fit enim neſcio quomodo propter humani ingenii cum numeris cognationem naturalem, ut virtutis præcepta carmine alligata & memoriæ firmius hæreant, & in ima præcordia efficacius deſcendant. Hoc igitur animo quum ante multos annos Perſii Satiras interpretati eſſemus, ut ipſi nos primùm ad amorem virtutis, odium vitiorum capeſſendum ſtimularemus: deinde ut ſtudioſæ juventuti ad ſimilem conatum duces nos præberemus, de quo priores interpretes parùm videbantur cogitaſſe: auſi ſumus, Præſes ampliſſime, de illuſtris tui nominis ſplendore ſtricturam aliquam luminis noſtræ huic ſcriptioni ire mutuatum. Quod ut æqui boni conſulas, tenueque hoc munuſculum benigne ut accipias, per illam ipſam naturæ tuæ bonitatem te obteſtor, quæ nullo meo merito tuam mihi tantam benevolentiam conciliavit, quantam vel optare ſine audaci temeritate non poteram. Quum autem meritorum in me tuorum is ſit cumulus, ut fides mea ſine beneficio tabularum novarum liberari nequeat: æquitatis tuæ magnitudiniſque animi fuerit, non quid adferam tibi, ſed quo animo attendere. Neque enim id ago, ut nexu me exolvam opera tam levi: ſed ut ingenua bonæ copiæ ejuratione quantum tibi à me debeatur palàm omnibus faciam. Ut hoc non eſſet, merebatur tamen tua virtus ne alium præter te patronum ſibi Perſius adſciſceret: cui enim potius ſupplicet tam ſeverus morum cenſor, quàm illi cujus vita cenſura eſt? qui cenſorias illas virtutes, τὸ σεμνότητος, τὸ βάρος καὶ τὸ ἀπαρέγκλιτον ἐν τῷ δικαίῳ, indeclinabilem inquam, juſtitiam, vitæ ſanctitatem, gravitatem & conſtantiam, quas tantopere in ſuo Catone Romani ſtupebant, longo adeo temporum intervallo præſtas redivivas: neque hoc dico ut Catonem tibi comparem, nedum ut te Catoni: qui ſciam tanto majorem te omnibus Catonibus, quanto vera in Deum pietas cæteris quamvis maximis præſtat virtutibus. Itaque imago vetuſtatis, columen ſapientiæ, exemplum ſeveritatis ſic haberis ab univerſis Franciæ populis, ſed non ſolis, ut non tantùm adſpectus, verùm etiam cogitatus emendes ac cenſuram exerceas: neque quiſquam adhuc tam malevolus aut invidus eſt repertus, qui Curiam ingredientibus cujus tot jam annos princeps es, aliud optandum exiſtimet, niſi ut ad tuum ſe ductum applicent, te mirentur præſentem, de te cogitent abſente. Et tamen venerationis hujus quam omnes ordines debere ſe tibi & fatentur, & prolixè exhibent, nihil poteſt hæc canities, alioquin venerabilis, tibi imputare. Quæ enim rariſſima laus eſt, in ipſo adoleſcentiæ flore pro canis tui mores tibi fuerunt, jam tunc cùm vix ætatem ingreſſus virilem, Auguſtoriti Pictonum extraordinario cum imperio jus dicens, ſeveritate animadverſionum in potentiſſimos reos, & inexorabibili vereque Achilleo animi robore contra gratiam aut minas, omnium oculos in te convertiſti. Quare cùm poſt aliquot annos Chriſtophorus Thuanus, illuſtri laude vir conſpicuus, orbam Curiam & ſui deſiderio lugentem, diem ſupremum obiens reliquiſſet, non putavit Henricus III. eſſe quærendum ſibi ecquem in illo ſublimi dignitatis faſtigio collocaret: unus enim tu occurrebas, dignus qui viro incomparabili abſque te fuiſſet, ſuccederes: qua in ſtatione quæ & quanta ſapientiæ, prudentiæ & fortitudinis, (nam & hac per conditionem ſuperiorum temporum opus tibi fuit,) exempla edideris, unius epiſtolæ anguſtiis velle complecti, res longæ hiſtoriæ, hoc verò ſit χερσὶν περάαν μέγα λαῖτμα θαλάσσης. Maneat Annalium conditores hæc cura: quorum ut quiſque erit veritatis amantiſſimus, patriæ charitate ferventiſſimus, vel, ut aliis verbis idem dicam, Chriſtianiſſimo Regi noſtro devotiſſimus, in tuarum laudum commemoratione plurimus eſt futurus. Nos interea, quod aſſiduè facimus, Deum OPT. MAX. venerabimur, ampliſſimo ſenatui, & univerſo regno incolumem te quàm diutiſſime præſtet: nobiliſſimum Filium tuum, per medias laudes in hac juventute ſua quaſi quadrigis vehentem, ex Anglica legatione ſiſtat tibi reducem: utque tu illo, ille te longum fruamini. Vale ſeculi decus immortale. Lutetiæ Pariſiorum, pridie Eidus Februarii, cIↄIↄcv.

ISAA-

ISAACVS CASAVBONVS LECTORI S.

VETERUM criticorum notulas in A. Persium à Petro Pithœo viro magno & judicii castigatissimi excerptas olim ac publicatas, editioni huic nostræ adjiciendas tua gratia, Lector candide, curavimus. Primum quia Persii vita illis præfixa est lectu dignissima: sive sit ejus auctor Valerius Probus, ut pleraque exemplaria antiqua testantur, sive alius. Deinde autem quod in his pauculis notis invenire est nonnulla exquisita, & quæ frustra alibi quæras: absque quibus tamen foret, loci aliquot poëtæ hujus vel doctissimis futuri sunt obscuri: ut de antiquitate ejusmodi σημειώσεων nemo sit jure dubitaturus, qui ad multorum retro sæculorum barbariem & antiquitatis totius imperitiam animum adverterit. Longe istis uberiora sunt Scholia illa quæ sub Annæi Cornuti nomine ab Elia Vineto Santone aliisque sunt edita: quibus multa item alia poteramus adtexere ex antiquis Persii codicibus, quos reperire est passim in omnibus bibliothecis & interlinearibus glossematis bene fartos, & marginalibus adnotationibus prope oppletos. Sed neque illa quæ publica luce donata sunt ab aliis, neque illa quæ in membranis nostris aut clarissimi eruditissimique viri Jacobi Bongarsii aliisve invenimus, tanti sunt visa, ut ab eorum lectione juventus studiosa paratior multo posset discedere ad intelligenda si quæ sunt in satirographo nostro difficiliora: neque enim ejusmodi erant quæ hactenus videre nobis contigit, ut merito de illis dicas, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά: (multis salubribus permista sunt multa noxia:) sed illud potius, ἅπαν ῥύπος, ἔργον ἐπ' ἔργῳ, (aliud super alio, totum putidum est:) paucissimis, si forte, exceptis. Sibi igitur quisquilias ejusmodi habeant qui libros non norunt nisi mole æstimare. ἐπεὶ φθόνος οὐδεὶς, παρ' ἡμῶν γε (nulla, per nos quidem, erit invidia.)

Persii Prologus eodem genere versuum Græcè expressus pene ad verbum.

Κρηνῆς μὲν οὐκ ἔβαψα τ' Καβαλλίνης·
Οὔτ' ἐν διλόφῳ ἐνυπνίασα Παρνασσῷ,
Οὕτω παραχρῆμ' ὥστε φανῆναι μάντις.
Ἑλικωνιάδας τε δύσχροόν τε Πειρήνην,
Κείνοις ἀφίημ', ὧν εἰκόνας στέφει κισσός.
Αὐτὸς δὲ γευσάμενος ἁπλεῖ νόῳ Μουσῶν,
Πρὸς ἱερὰ μαντέων ἔπος φέρω τοῦτο.
Τίς φθεγκτὸν ἔθετο ψιττάκῳ ἑὸν Χαῖρε;
Βροτῶν τ' ἔπη μελετᾶν, ἔπεισε τίς κίσσας;
Τέχνην ἀτέχνοις, νῦν τ' ἄνοις πορεῖν δεινὸς
Ὁ λιμὸς, ἀδυνάτων διδάσκαλος φωνῶν.
Ἐλπὶς δὲ δολεροῦ εἰ φανῇ γέ τις χρυσοῦ,
Κόρακας ποιητὰς, καὶ ποιητρίας κίσσας
Φαίης κεν ᾄδειν Πηγασήϊον μέλος.

Idem Prologus à Josepho Scaligero versus.

Οὔτ' Ἱπποκρήνης λιβάδι χεῖλος ἔβρεξα,
Οὔτ' ἐν λόφοισι δικρόοισι Παρνασσοῦ
Ὄναρ ἴδον, ὥστ' ἀοιδὸς εὐθὺς ἐκβαίνειν.
Ἑλικωνίδων μετ' ὠχρελῶσα Πειρήνη
Κείνοις ἐάσθω, κισσὸς ὧν καθερπύζει
Εἰκόνας· ἐγὼ δὲ τοῖς ἀνακτόροις Μουσῶν
Ἡμιστράτιλος τοὐμὸν ᾆσμ' ἐσλώεσκα.
Τίς ψιττακ' ἐτεράνωσέ σοι τὸ σὸν Χαῖρε;
Κίττας βροτείου τίς λόγου καθηγεῖται;
Ἢ νοῦ χορηγὸς καὶ διδάσκαλος τέχνης
Ἀνέφικτα ῥήματ' εὐτυχῆς κιχεῖν γαστήρ.
Ἀλλ' εἴ τι κέρδους προσδόκημα προσσαίνει,
Κόρακας ποιητὰς καὶ ποιητρίας κίττας
Δόξεις μέλος τι Πηγασήϊον μέλπειν.

A. PERSII VITA.

AULUS Persius Flaccus natus est pridie Nonas Decembris, Fabio Persico, L. Vitellio Coss. decessit VIII. Kal. Dec. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, sanguine & affinitate primi ordinis viris conjunctus. Decessit ad octavum milliarium via Appia, in prædiis suis. Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere sex. Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio, Equiti Romano: & eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus usque ad annum XII. Volaterris: inde Romæ apud Grammaticum Remmium Palæmonem, & apud Rhetorem Verginium Flaccum. Cum esset annorum XVI. amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet: à quo introductus aliquatenus in philosophia est. Amicos habuit à prima adolescentia Cæsium Bassum, & Calpurnium Staturam, qui eo vivo juvenis decessit. Coluit ut patrem Servilium Numanum. Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore Tragicus fuit, sectæ Stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se illo recitante à clamore, quin illa esse vera poëmata diceret. Sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio. Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum, & sanctissimorum virorum, acriter tum philosophantium, Claudii Agaterni medici Lacedæmonii, & Petronii Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est & æmulatus, cum æquales essent, & Cornuto minores. Ipse etiam decem fere annis summe dilectus à Pæto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam uxorem habente. Fuit morum lenissimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulchræ, pietatis erga matrem & sororem & amitam exemplo sufficientis. Fuit frugi & pudicus. Reliquit circa H-S XX. matri & sorori: scriptis tantùm ad matrem codicellis, rogavit eam ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centies, ut alii volunt, argenti facti pondera viginti, & libros circa septingentos, sive bibliothecam suam omnem. Verùm Cornutus sublatis libris, pecuniam sororibus, quas frater hæredes fecerat, reliquit. Et raro, & tarde scripsit. Hunc ipsum librum imperfectum reliquit, versus aliqui dempti sunt in ultimo libri: & quasi finitus esset, leviter recitavit Cornuto: & Cæsio Basso petenti ut ipse ederet, tradidit edendum. Scripserat etiam in pueritia Flaccus Prætextam, & Ὁδοιπορικῶν librum unum, & paucos in sororem Thraseæ Arriæ matrem versus, quæ se ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri ejus, ut aboleret. Editum librum continuo mirari homines, & diripere cœperunt. Decessit autem vitio stomachi, anno ætatis XXX. Sed mox ut à schola & magistris deverterat, lecto libro Lucillii decimo, vehementer Satyras componere studuit: cujus libri principium imitatus est: sibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum & oratorum insectatione, ut etiam Neronem culpaverit. Cujus versus in Neronem cum ita se haberet,

Auriculas asini Mida rex habet,

in hunc modum à Cornuto ipso tantùmmodo est emendatus,

Auriculas asini quis non habet?

ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.

AVLI PERSII FLACCI SATIRÆ.

PROLOGUS.

NEC fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconiadasque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus,
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas, & poëtrias picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Vers. 9. V*Erba nostra conari*) Et *blandiri*, legitur.
14. *Pegaseium melos*) In aliis est, *nectar*.

SATIRA I.

O *Curas hominum! ô quantum est in rebus inane!*
Quis leget hæc, min' tu istud ais, nemo Hercule, nemo?
Vel duo, vel nemo, turpe & miserabile, quare?
Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint, nugæ, non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa

Casti-

1. Q*Uantum est in rebus inane*) Græcum est, ὅσον τὸ κενόν.

2. *Quis leget hæc*) Hunc versum de Lucillii primo transtulit.

4. *Labeonem*) Labeo transtulit Iliada & Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. Ejus est ille versus: *Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos.*

6. *Examenve improbum*) Examen est lingua vel lignum, quod mediam hastam ad pondera adæquanda tenet. Castigare autem est digito libram percutere, ut temperetur, & præ agitatione post æquum conquiescat. Trutina vero est foramen, intra quod est lingula, de qua examinatio est.

9. *Nostrum istud vivere triste*) Figura Græca est, pro, nostram vitam tristem.

Castiges trutina: nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ est quis non? ac, si fas dicere: sed fas
Tunc, cum ad caniciem, & nostrum istud vivere triste
Aspexi, & nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite. Nolo:
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus,
Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.
Heic, neque more probo videas, neque voce serena,
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe.
Quò didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?
En pallor, seniumque. ô mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier, hic est.

Ten'

11. *Cum sapimus patruos*) Sic Cicero: Objurgavit Cælium, ut quidam patruus Censor.

12. *Petulanti splene cachinno*) Cachinno nomen est, & declinatur per omnes casus, hic Cachinno, hujus Cachinnonis. Cachinnus est cum voce risus lascivior, quem Græci μυρὸν γέλωτα, vel πλατὺν γέλωτα, μονογερόντας dicunt. Et secundum Physicos dixit, qui tradunt homines splene ridere, felle irasci, jecore amare, corde sapere, pulmone jactari.

14. *Animæ prælargus*) Animæ prælargus dicit vento abundans.

16. *Et natalitia t. c. s. albus*) Ambiguitas in *natalitia*, utrum eam natali suo, munere acceperit, an tantum eo die gerere soleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt: & *albus*, aut festiva veste indutus, aut recitandi pavore, ac meditandi & scribendi tædio perfunctus: vel veste candida nondum purpureum adeptus vestimentum, quod laticlavium dicitur.

18. *Patranti*) Patratio est rei venereæ perfectio, vel consummatio; unde & patres dicti, eo quod patratione filios procreant.

Ibid. *Ocello*) Per ὑποκόρισμα: quia illum contrahendo minorem facit. Juvenalis

—— *Oculosque in fine trementes.*

21. *Et tremulo scalpuntur*) In libidinem excitantur. Juvenalis,

— *Quod enim non excitat inguen*
Vox blanda, & nequam? digitos habet.

26. *Usque adeone Scire tuum*) Hæc periodus apud Lucillum posita est ut me scire volo mi mi conscius sum, ne damnum faciam. Scire hoc se nescit, nisi alios id scire scierit.

28. *Ad pulchrum est d. m.*) Hic requiritur historia Demosthenis, qui, cum transiret, & à mercenario tabernæ digito monstraretur, fertur lætatus esse, quod ab ignobilibus sciretur. Et Horatius libro quarto Carminum sic posuit:

Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium.

29 *Ten'*

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid,
Eliquat; & tenero supplantat verba palato.
Assensere viri: nunc non cinis ille poëtæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivæ: nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque favilla,
Nascentur violæ? rides, ait, & nimis uncis
Naribus indulges: an erit qui velle recuset
Os populi meruisse: & cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina, nec thus?
Quisquis es, ô modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si fortè quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti, finemque, extremumque, esse recuso
EUGE tuum, & BELLE, nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet? Non heic est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis? calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
Quî pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calve
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.

O Jane,

29. *Ten' Cirratorum*) Occulte tangit Neronem, cujus carmina, quia imperabat, per scholas celebrabantur.

39. *Nunc non è tumulo*) Tumulus dicitur terræ aggestio, ubi nulla est memoria.

43. *Nec scombros met. car. nec thus*) Quæ carmina nullum periculum habeant manere apud salsamentarios & thurarios. Per scombros significat salsamentarios, per thus pigmentarios.

44. *Quisquis es, ô modo quem*) Mimica & Comica exclamatio: quoniam poëtæ nonnunquam omisso recto sermone, extra scenam soli loquuntur, sustinentes personam suam, aut aliquorum hominum verba interponunt.

50. *Non est hic Ilias Acci*) Accius Labeo Iliadem Homeri versibus fœdissime composuit.

54. *Scis comitem horridulum*) Scis birrum attritum comiti condonare. Lacerna, pallium fimbriatum, quo olim soli milites velabantur. Penula, pallium cum fimbriis longis.

56. *Quî pote?*) Tractus sensus ex Græco versu quo significatur, ex ventre crasso tenuem sensum non nasci.

 58. *Nulla*

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantæ.
Vos ô patricius sanguis, quos vivere fas est.
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere; ut per leve severos
Effundat junctura ungues: scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno:
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ.
Ecce modo heroas sensus afferre docemus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Quum trepida ante boves Dictatorem induit uxor:
Et tua aratra domum lictor tulit: euge poëta.
Est nunc Brisæi quem venosus liber Acci;
Sunt quos Pacuviusque, & verrucosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: DECENTER!
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis; doctas posuisse figuras

Lau-

58. *Nulla Ciconia.*) Tria genera sannarum: aut manu significare ciconiam, aut opposito temporibus pollice auriculas asininas, aut linguam sitientis canis. Sanna autem dicitur os distortum cum vultu, quod facimus, cum alios deridemus. Inde sanniones dicti, qui non rectum vultum habeant.

72. *Palilia*) Varro: Palilia tam privata, quam publica sunt apud rusticos: ut congestis cum fœno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.

82. *Trossulus*) Trossulum oppidum fuit Hetruriæ non longe à Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt Numio quodam duce. Unde equites Romani Trossuli dicti sunt.

86. *Librat in antithetis*) Antitheta sunt hæc:
Fortia neglecti velabant colla capilli:
Et per neglecti volitabant colla capilli.
Ah quotiens umbra porrexi brachia mota:
Ah quotiens umbra redduxi brachia mota.
Antitheta autem ista sunt, quæ contra se ponuntur: ut, hinc pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: istinc fraudatio, illinc fides.

95. *Sic*

Laudatur, bellum hoc, hoc bellum? an Romule ceves?
Men' moveat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est, & junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit, Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin,
Sic costam longo subduximus Apennino.
ARMA VIRUM, *nonne hoc spumosum & cortice pingui?*
Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris: & in udo est Mænas, & Attin.
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis ne majorum tibi fortè
Limina frigescant: sonat heic de nare canina
Littera. Per me equidem sint omnia protinus alba:
Nil moror: euge, omnes, omnes bene miræ eritis res,
Hoc juvat: heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite, discedo. Secuit Lucilius Urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:

Omne

95. *Sic costam longo*) Omnia Epicorum carmina, ita fere sunt composita, ut proximus pes ab ultimo dactylus sit, exceptis admodum paucis, quos σπονδειάζοντας appellant, ut apud Cornelium Severum:

Pinea frondosi coma murmurat Apennini.

97. *Subere coctum*) Suber cortex arboris. Virgilius:

Huic natam libro, & sylvestri subere clausam.

99. *Torva Mimalloneii*) Versus Neronis sunt.

Ibid. *Mimalloneis*) Mimallones dicuntur ministri Liberi patris, ἀπὸ τοῦ μιμήσεως. Calandrus Illyriorum rex ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones cum parvum exercitum haberent, plurimas mulieres cothurnis & thyrsis in modum Baccharum ornaverunt. Illi credentes exercitum adventare, discesserunt.

101. *Bassaris*) Bassarides, Bacchæ: quibusdam videtur à genere vestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces Bassarin. Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ succingebantur. Vulpes Thraces bassares dicunt. *Hesych.* βασσαρεὶς ἀλώπηξ.

119. Nec

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? nusquam.
Heic tamen infodiam. Vidi, vidi ipse, libelle:
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure.
Non hic, qui in crepidas Grajorum ludere gestit
Sordidus, & lusco qui possit dicere, lusce,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoën do.

119. *Nec cum scrobe*) Midæ historiam tangit.
122. *Nulla tibi vendo Iliade*) Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripsit Nero Troicon.
133 *Nonaria*) Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres à nona hora prostabant, ne mane omissa exercitatione illo irent adolescentes.

SATIRA II.

AD PLOTIUM MACRINUM.

HUnc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio, non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque, humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clarè, & ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat: o si
Ebul-

1. HUnc Macrine diem) Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sane eruditum & paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat, à quo agellum comparaverat, indulto sibi precio aliquanto.

13. Pro-

Ebullit patrui præclarum funus! & , ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumve utinam , quem proximus hæres
Impello, expungam! namque est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor.
Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, responde, minimum est quod scire laboro:
De Jove quid sentis? estne, ut præponere cures
Hunc, cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet hæres,
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: pro Juppiter ô bone, clamet.
Juppiter! at sese non clamet Juppiter ipse?
Ignovisse putas, quia cum tonat, ocyus ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque, domusque?
An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,
Triste jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Juppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.

Hunc

13. *Proximus expungam)* Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militia emittuntur. Item metaphora à bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius.

14. *Nerio jam tertia)* Nerius morte conjugum locupletatus, fœnerator est factus notissimus: de quo Horatius, *Scribe decem Nerio.* Dos enim à cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet.

19 *Vis Staio)* Staius tutor pupillarius fuit: Gutta & Albus, & cæteri præpositi, fuerunt judices: qui in Juniano judicio corrupti, Oppianicum damnaverunt.

26. *An quia non fibris)* In usu fuit, ut augures, vel aruspices adducti de Etruria, certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent, cujus in patratione rei oves immolabantur.

27. *Bidental)* Locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.

36. *Nunc Licini in campos)* Licinius Crassus inter Romanos locupletissimus, ideo Dives cognominatus. Alii volunt Licinium tonsorem ac libertum Augusti Cæsaris significari prædivitem: cujus monimentum est pretiosi operis via Salaria prope urbem, ad lapidem secundum. De hoc

non

Hunc optent generum rex & regina: puellæ
Hunc rapiant: quicquid calcaverit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota; negato
Juppiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ:
Esto, age: sed grandes patinæ, tucetaque crassa
Annuere his superos vetuêre, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum, quo, pessime, pacto,
Tot tibi in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jamjam: donec deceptus, & exspes
Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi craterras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor:
Hinc illud subiit, auro sacras quòd ovato
Perducis facies; nam fratres inter aënos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Vestalesque urnas, & Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, & cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona dies ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo:

Et

non invenustum Varronis Epigramma fertur:
Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo:
Pompejus nullo. Quis putet esse Deos?

39. *Non mando)* Verbo usus est aruspico, cum eis dicitur: Mando tibi, ut maximum Jovem audias. Ut quemadmodum procurationis assertio fit, ita fiat & in sacris, & in prece.

42. *Tucetaque crassa)* Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur, condimentis quibusdam crassis oblita, ac macerata: & ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem genere condita servari, aut ad saturarum jura. Hinc Plotius Virgilii amicus in eadem regione est nominatus (*Tucca*) Tuceta.

56. *Nam fratres inter ahenos)* Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægypti. Ex iis autem statuis quædam dicebantur postulantibus per somnum dare oracula.

59. *Saturniaque impulit æra)* Æs in æde Saturni condebatur, nondum argento auroque signato. Unde ærarium nomen accepit. Fuit autem assis libralis, & dipondius, quod hodie in usu remansit, & solebat pensari potius quam numerari; unde & Dispensatores dicti (pro *erogatores*) prorogatores.

70. *Do-*

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen utitur: at vos
Dicite pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto?
Hæc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.

70. *Donatæ à virgine puppæ*) Solebant virgines ante, quam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare. Hoc & Varro scribit.

72. *Messalæ lippa propago.*) Cottam Messalinum dicit, qui tam vitiosos oculos in senectute habuit, ut palpebræ ejus in exteriorem partem verterentur. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Aurelius Maximus dicebatur, originem trahens ab Aurelio Messala, qui septies fuit consul: qui cum à quodam Gallo ad monomachiam in prælio vocaretur, corvus super galeam in capite ejus sedit, & victo hoste Corvinus vocatus est.

SATIRA III.

Nempe hæc assidue. Jam clarum mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas:
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Jamdudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est.
Unus ait comitum: verumne? itane? ocyus adsit
Huc aliquis, nemon'? turgescit vitrea bilis:
Findor: ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber, & bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser; inque dies ultra miser, huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque columbo,
Et similis regum pueris, pappare minutum

Po-

1. *Nempe hoc adsidue*) Hanc satyram poëta ex Lucillii libro quarto transtulit, castigantis divitum luxuriam & vitia.

10. *Bicolor membrana*) Bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat.

13. *Vanescat sepia*) Sepiam pro atramento, à colore, posuit: quamvis non ex ea ut Afri, sed ex fuligine cæteri conficiant atramentum.

Poscis, & iratus mammæ lallare recusas?
An tali studeam calamo? cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnere, sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum & molle lutum es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rota: sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum & sine labe salinum.
Quid metuas? cultrixque foci secura patella est.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras; ego te intus, & in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere nattæ?
Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit quid perdat: & alto
Demersus, summa rursus non bullit in unda.
Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, Imus,
Imus præcipites, quàm si sibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis

Di-

18. *Lallare*) Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpe, Lalla, lalla, lalla. Aut dormi, aut lacte.

21. *Contemnere*) Hæc ab Horatio male translata intempestiva sunt

— *quin tu*
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnère miser.

Ibid. *Et sonat*) Ut Virgil.
Nec vox hominem sonat.

26. *Cultrixque foci*) Quia delibatæ dapes in ea positæ, ad focum feruntur.

28. *Stemmate quod Tusco*) An oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate, millesimus à magno auctore numereris, & ramum aliquem ac lineam successionis à genealogo in stemmate numeratus obtineas? vel in equitum Romanorum recognitione trabeatus censorem donis militaribus insignis salutas? Cognitio enim equitum Romanorum Censoribus erat subjecta; quæ nunc Consulum est officii.

37. *Ferventi tincta veneno*) Metaphora à lana, quæ corrupta ad pristinum colorem reverti non potest.

45. *Morituro verba Catoni*) Merito, inquit, mihi

Dicere, non ſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure: etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret
Scire, erat in voto: damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haut tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis inlita Medis
Porticus inſomnis, quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis, & grandi paſta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage ſoluta
Oſcitat heſternum diſſutis undique malis?
Eſt aliquid quò tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtaque, lutoque,
Securus quò pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Diſcite ô miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & unde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper
Utile nummus habet: patriæ, cariſque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.
Diſce: nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defenſis pinguibus Umbris,
Et piper, & pernæ, Marſi monumenta clientis:
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Heic aliquis de gente hircoſa Centurionum
Dicat, Quod ſapio, ſatis eſt mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,

Mur-

mihi lippitudinem arceſſebam, ne Catonis deliberativam orationem recitarem, utrum moriatur, an non: aut quibus verbis uti potuit, cum ſe deſtinaret interficere.

48. *Quid dexter ſenio*) Senio major miſſus: ut canis minor. Merito, inquit, flebam, iſta cum ſemper laudarem.

89. *In-*

Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.
Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat, hoc eſt.
His populus ridet, multumque toroſa juventus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.
Inſpice: neſcio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exſuperat gravis halitus, inſpice ſodes,
Qui dicit medico; juſſus requieſcere, poſtquam
Tertia compoſitas vidit nox currere venas,
De majore domo modicè ſitiente lagena
Lenia loturo ſibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. Nihil eſt. Videas tamen iſtud,
Quicquid id eſt: ſurgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne ſis mihi tutor:
Jampridem hunc ſepeli: tu reſtas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture ſulfureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina ſubit, calidumque triental
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti.
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.
Tange miſer venas, & pone in pectore dextram,
Nil calet hic, ſummoſque pedes attinge, manuſque,
Non frigent, viſa eſt forte pecunia, ſive
Candida vicini ſubriſit molle puella,
Cor tibi rite ſalit? Poſitum eſt algente catino

Durum

89. *Inſpice ſodes*) Sodes, antiquæ affectationis eſt: adeo ut ſoluto eo quidam uſi ſint, ut Plautus, qui per ſolutionem ſic ait:

Dic mihi, ſi audes, quæ eſt, quam ducere vis uxorem?

103. *Tandemque beatulus*) Ambitionem irridet, non quia μάκαρες & μακάριοι dicuntur mortui, non eſt enim Romanæ conſuetudinis, ſed quia pretioſa in funeribus veſte ſtragula, cæterique etiam pauperculi exponebantur. Beatulus autem, qui nunquam ſplendidiore habitu fuit: aut certe, quia Romanæ conſuetudinis fuit ſimpliciter ſepeſire.

106. *Heſterni capite induto*) Heſterni, ait, à defuncto pridie manumiſſi, id eſt, liberti, & cives Romani facti.

Ibid. *Capite induto*) Quia manumiſſi ante manumiſſoris corpus pileati incedebant.

112. *Po-*

Durum olus, & populi cribro decussa farina.
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haut deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris timor albus aristas:
Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

112. *Populi cribro decussa farina*) Farinam, panem non delitiosius cribro discussum, sed plebejum, de populi annona, id est, fiscalem, dicit.

S A T I R A IV.

REm populi tractas? barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda, tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus: quid deinde loquêre? Quirites,
Hoc, puto, non justum est, illud male, rectius illud.
Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper & assiduo curata cuticula sole.
Expecta: haud aliud respondeat hæc anus. I nunc.

Dino-

10. *SCis etenim justum*) Revera scis justitiam in lance pensare, & ipsius lancis dubiæ rectitudinem calles discernere, & curvam regulam momentare, ubi inter curva subit, donec in liquido stet sententia. Regulam dicit ipsum momentaneæ stilum.

13. *Nigrum præfigere Theta*) Judices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt. Merito. Θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, eo quod quasi habeat telum suum, ideoque triste intelligitur: vel mortis signum: unde quidam ait,

O multum ante alias infelix litera Theta.

18. *Curata cuticula sole*) Curata, scilicet à chromatiariis. Nam chromatiarii dicuntur colorarii, vel qui toto die in arena sunt, vel in sole. Antiqui enim ungebant se, & in sole erant, ut oleum corpus imbiberet: ut Juvenalis,

Nostra bibat vernum contracta cuticula Solem,
Effugiatque togam.

26. *Quan-*

Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocyma vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris. Nostrin' Vectidi prædia? cujus?
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret:
Hunc ais? hunc diis iratis, genioque sinistro:
Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, Hoc bene sit: tunicatum cum sale mordens
Cæpe: & farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti?
At si unctus cesses, & figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores: penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto: sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes: sed lato balteus auro
Prætegit: ut mavis, da verba, & decipe nervos,
Si potes. Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? Viso si palles improbe nummo,
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si Puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue quod non es: tollat sua munera cerdo:
Tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex.

26. *Quantum non milvus oberret*). Secundum proverbium:

Quantum milvi volant.

28. *Pertusa ad compita*) Compita sunt loca in quadriviis, quasi turres, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant. Merito pertusa, quia per omnes quatuor partes pateant, vel vetusta: vel compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes. In his juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti & elaborati operis indicium.

44. *Cæcum vulnus habes*) De gladiatoribus tractum, qui accepto vulnere, inaurato balteo tegunt.

49. *Puteal*) Fœneratores ad puteal Scribonis Licinii, quod est in portico Julia ad Fabianum arcum, consistere solebant.

SATI-

SATIRA V.

Ad Annæum Cornutum, cujus fuit auditor.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces.
Centum ora & linguas optare in carmina centum:
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi, nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico: pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas: mensasque relinque Mycenis
Cum capite & pedibus: plebejaque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc hortante Camena
Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Ostendisse juvat: pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces:

Vt

9. *Cœnanda Glyconi*) Glycon Tragœdus populo mire placuit: & ideo à Nerone manumissus est, datis Virgilio Tragœdo domino ejus, pro parte dimidia, quam possidebat, sestertiorum tercentis millibus. Hic fuit staturæ longæ, fusci corporis, labio inferiori demisso: antequam subornaretur deformis: nescius jocari, propter quod eum insulsum Persius dixit.

14. *Verba togæ sequeris*) Toga est purum pallium, forma rotunda & fusiore, atque inundante sinu: & sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur: cujus similitudinem in operimentis simulacrorum, vel picturarum aspicimus, easque statuas togatas vocamus. Toga vero Romani in pace utebantur, in bello paludamentis. Mensura togæ justæ senas ulnas habebat.

22. *Quantaque nostræ Pars tua sit Cornute animæ*) Sententia à Pythagora tracta, dimidiam animæ suæ partem dicit Cornutum, ut Horatius Virgilium:

Et serves animæ dimidium meæ.

Ut quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,
Voce traham pura: totumque hoc verba reſignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit:
Cum blandi comites, totaque impune Suburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo:
Cumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes,
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu: tunc fallere ſollers
Appoſita intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, & requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci.
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora Libra
Parca tenax veri, ſeu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum:
Saturnumque gravem noſtro Jove frangimus una.
Neſcio quod, certe eſt quod me tibi temperat, aſtrum.
Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur, irriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille

In

31. *Succinctis laribus*) Quia Gabino habitu, cinctuque Dii penates formabantur, obvoluti toga ſuper humerum ſiniſtrum, dextro nudo.

33. *Candidus umbo*) Συνεκδοχικῶς pro toga. Alioquin & in prætexta candidus umbo eſt.

47. *Noſtra vel æquali*) Hoc ſecundum Aſtrologos dicit. Et hic ſenſus tractus eſt ab Horatio:
Seu libra, ſeu me Scorpius aſpicit.

52. *Mille hominum ſpecies*) Et Horatius:
Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum Millia.
Et Terentius,
Quot capita, tot ſententiæ.

53. *Velle ſuum cuique eſt*) Et Virgilius:
— *trahit ſua quemque voluptas.*

54. *Sub ſole recenti*) Eſt hic ſenſus ab Horatio tractus:
Hic mutat merces ſurgente à ſole.

73. *Quiſ-*

In Venerem putret: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim es juvenum: purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea: petite hinc juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet, quid? quasi magnum
Nempe diem donas, sed cum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.
Libertate opus est: non hac, ut quisque Velinâ
Publius emeruit scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit: hic Dama est non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama, papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ita est, adsigna Marce tabellas.
Hæc mera libertas, hoc nobis pilea donant.
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sim
Liberior Bruto? Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc, (reliquum accipio,) LICET ILLUD, & , UT VOLO, *tolle.*
Vindicta, postquam meus à prætore recessi,

Cur

73. *Quisque Velina*) Velina tribus numero aliarum tribuum accessit: & qui circa Velinum lacum habitabant, Romam translati sunt. Romæ autem erat consuetudo, ut qui ex manumissione cives Romani efficiebantur, in numero civium Romanorum frumentum publicum acciperent.

75. *Quibus una Quiritem*) Quos manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. Unde manumissio dicta, quod manu mitteretur. Quiritem autem singulariter abusive dixit, licentia poëtica. Nam sicut pater conscriptus non dicitur, ita nec Quiritem dicere possumus.

88. *Vindicta*) Virga est, qua manumittendi à Prætore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Masurius autem hic Sabinus legis consultus fuit: & Rubricas, vocat minium. quo tituli legum annotabantur.

100. *Cers*

Cur mihi non liceat juſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit?
Diſce: ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia, atque uſum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, & ſecretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi,
Navem ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? & veri ſpeciem dinoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſam tinniat auro?
Quæque ſequenda forent, quæque evitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti?
Es modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis:
Jam nunc aſtringas, jam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum:
Nec glutto ſorbere ſalivam Mercurialem?
Hæc mea ſunt, teneo, cum vere dixeris, eſto
Liberque, ac ſapiens, Prætoribus, ac Jove dextro,
Sin tu, cum fueris noſtræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem:
Quæ dederam ſupra repeto, funemque reduco.
Nil tibi conceſſit ratio, digitum exere, peccas:
Et quid tam parvum eſt? ſed nullo thure litabis,
Hæreat in ſtultis brevis ut ſemuncia recti.

Hæc

100. *Certo compeſcere puncto*) Non ad trutinam, ſed ad ſtateram retulit, quæ punctis, & unciis ſignatur.

104. *Frontem de rebus*) Pudorem. Templum enim pudoris eſt frons.

112. *Mercurialem.*) Ideo dixit, quia ipſum Deum lucri dicunt. Unde & cum ſacello pingitur, & à negotiatoribus plurimum colitur.

119. *Digitum exere*) Digito ſublato oſtende, victum te eſſe à vitiis. Tractum à gladiatoribus, qui victi, oſtenſione digiti veniam à populo poſtulabant.

123. *Mo-*

Hæc miscere nefas: nec cum sis cætera fossor,
Treis tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
Liber ego, unde datum hoc sumis tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.
Si increpuit, Cessas nugator? servitium acre.
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet, sed si intus, & in jecore ægro
Nascantur domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit Avaritia: eja
Surge, negas, instat, Surge, inquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa:
Tolle recens primus piper è sitiente camelo.
Verte aliquid; jura. Sed Juppiter audiet: eheu.
Varo, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus, & œnophorum aptas
Ocyus ad navem: nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: Quò deinde insane ruis? quò?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna sit in transtro, Vejentanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio, carpemus dulcia: nostrum est,
Quod vivis: cinis, & manes, & fabula fies.
Vive memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.

En

123. *Moveare Bathylli*) Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus.

137. *Verte aliquid*) Negotiare, & speciem pro specie commuta.

138. *Baro, regustatum*) Lingua Gallorum barones, vel varones dicuntur servi militum: qui utique stultissimi sunt, servi videlicet stultorum.

140. *Et œnophorum aptas*) Oenophorum vas vinum ferens, οἶνος enim vinum est, de quo est illud:

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

145. *Urna cicutæ*) Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi extinguit: Unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut à concubitu abstinerent.

153. *Hoc quod loquor inde est*) Horatius:

Dum loquimur fugit invida ætas.

161. *Da-*

En quid agis; duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos: alternus oberres.
Nec tu, cum obstiteris semel instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum abripit: attamen illi
Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor: (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc) An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Euge puer, sapias, diis depellentibus agnam
Percute. Sed censen', plorabit Dave relicta?
Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque artos rodere casses.
Nunc ferus, & violens: at si vocet, Haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accersat, & ultro
Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc, hic hic, quem quærimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes: quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.

Tunc

161. *Dave cito hoc credas)* Hunc locum ex Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum Chærestratus adolescens alloquitur, tanquam amore Chrysidis meretricis derelictus: idemque tamen ab ea revocatus ad illam redit. Apud Terentium personæ immutatæ sunt.

165. *Et udas Chrysidis)* Udas fores dixit, quas amatores solent unguento perfundere, & ante januam illarum noctem vigiliis, & cantu transigere.

177. *Vigila, & cicer)* Ludis Floralibus omnia semina spargebantur in populum, ut Tellus velut muneribus suis placaretur.

180. *Herodis venere dies)* Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata: quo die lucernas accensas, & violis coronatas in fenestris ponunt.

184. *Recutitaque sabbata)* Instituta Judæorum signi-

Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

significat propter circuncisionem: quam, auctores suos secuti, faciunt.

185. *Ovoque pericula rupto)* Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni impositum, utrum in capite, an in latere desudaret. Si autem ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerit, vel rei familiari ejus.

186. *Cum sistro lusca sacerdos)* Sistrum sacerdotes Isidis portant. Lusca autem, ideo, quod nubiles deformes cum maritos non invenerint, ad ministeria Deorum se conferant.

SATIRA VI.

AD CÆSIUM BASSUM.

ADMOVIT jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere cives.
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Heic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori: securus, & angulus ille
Vicini, nostro quia pinguior: & si adeo omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,

Et

1. A*Dmovit)* Hanc satyram scribit Persius ad Cæsium Bassum poëtam Lyricum, quem fama est, in prædiis suis positum, ardente Vesuvio monte Campaniæ, & late ignibus abundante, cum villa sua ustum esse. Hic ergo dum viveret, Roma ad Sabinos necessario transibat, ubi brumali tempore in calido loco carmina scribebat.

6. *Mihi nunc Ligus ora)* Seipsum Persius significat secessisse in Liguriæ fines, videlicet propter Fulviam Sisenniam matrem suam, quæ post mortem prioris viri ibi nupta erat.

7. *Hibernat)*. Sævit, vel à navigiis vacat. Sicut enim naves hibernare dicimus: sic & mare, cum non navigatur.

10. *Cor jubet hoc Enni)* Hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit.

24. *Tur-*

Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.
Diſcrepet his alius. Geminos horoſcope varo
Producis genio. Solis natalibus, eſt qui
Tingat olus ſiccum muria vafer in calice empta;
Ipſe ſacrum inrorans patinæ piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, utar?
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem ſollers turdarum noſſe ſalivam.
Meſſe tenus propria vive: & granaria (fas eſt)
Emole, quid metuas? occa: & ſeges altera in herba eſt.
Aſt vocat officium: trabe rupta, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: remque omnem, ſurdaque vota
Condidit Ionio: jacet ipſe in littore, & una
Ingentes de puppe Dei: jamque obvia mergis
Coſta ratis laceræ: nunc & de ceſpite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. Sed cœnam funeris heres
Negliget, iratus quòd rem curtaveris: urnæ
Oſſa inodora dabit: ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caſiæ neſcire paratus.
Tune bona incolumis minuas? & Beſtius urget
Doctores Grajos. Ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere, & palmis venit noſtrum hoc maris expers,
Fœniſecæ craſſo vitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulteriore metuas! at tu, meus heres
Quiſquis eris, paulum à turba ſeductior audi.
O bone num ignoras? miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos:
Diis igitur, genioque ducis centum paria, ob res

Egre-

24. *Turdarum noſſe ſalivam*) Cognoſcit turdorum ſapores. Solent enim quidam gulæ dediti, tantæ ſubtilitatis habere palatum, ut dignoſcant turdos, an cellarius, an terrarius ſit: an maſculus, an femina. Turdarum dixit abuſive, cum turdorum debuerat, ut Horatius ponit:

Pene macros arſit, dum turdos verſat in igni.

30. *Ingentes de puppe Dei*) Navium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt.

35. *Oſſa inodora*) Sine unguentis: vel, *inhoneſta*, ſepulturæ honore carentia.

40. *Craſſo vitiarunt unguine*) Solent ruſtici cum oleum defuerit, adipem pecudum in pultem nullo pro oleo uti.

55. *Ac-*

Egregie gestas, induco: quis vetat? aude.
Væ, nisi connives, Oleum, artocreasque popello
Largior: an prohibes? dic clare: Non adeo, inquis,
Exossatus ager juxta est. Age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest: accedo Bovillas,
Clivumque ad Virbi: præsto est mihi Manius heres.
Progenies terræ? quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud promte, dicam tamen, adde etiam unum,
Unum etiam, terræ est jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur: an renuis? vin' tu gaudere relictis?
Deest aliquid summæ: minui mihi: sed tibi totum est,
Quicquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius: neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces: hinc exime sumtus:
Quid reliquum est? reliquum? nunc nunc impensius unge,
Unge puer caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, & fissa fumosum sinciput aure:
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immejat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare, atque excute sollers
Omne latus mundi: ne sit præstantior alter,

Cap-

55. *Accedo Bovillas*) Bovillæ sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillæ dictæ.

56. *Clivumque ad Virbi*) Quatuor millibus ab urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam, & ad nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, id est, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium fabula est.

Ibid. *Manius*) Manium dicit deformem & ignotum hominem, eo quod Maniæ dicuntur indecori vultus personæ, quibus pueri terrentur.

61. *Qui prior es, cur me*) Apud Athenas cum juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat: deinde sequenti se tradebat, & secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus impleretur.

67. *Fœnoris accedat merces*) Tractum est hoc à patribus, qui dicunt filiis suis; hoc, quod vobis lucri de fœnore accessit, ad fructum, id est, ad usum vitæ vobis proficiat: reliquum vero pecuniæ reservate integrum.

Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.
Rem duplica. Feci: jam triplex: jam mihi quartò,
Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

77. *Cappadocas rigida*) Gladiatores dicit. Nam apud antiquos, venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici. Vel quia Cappadoces dicerentur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda: qui nutriti in tormentis à pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, & cum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent.

Ibid. *Pavisse.*) Legitur & *plausisse:* quoniam venales antequam in catasta imponantur, cantant universi pariter more gentis suæ.

80. *Inventus Chrysippe*) Chrysippus philosophus Stoicus Syllogismum σωρίτην vocavit, quem per adjectionem & detractionem ex acervi frumentarii similitudine ostendit.

F I N I S.

ISAA-

ISAACI CASAUBONI

IN

PERSII SATIRAS

LIBER COMMENTARIUS.

EJUSDEM

Persiana Horatii imitatio.

ISAACI CASAVBONI
IN
PERSIVM
PROLEGOMENA.

SATIRAM Romanam duo iſta præcipuè conſtituunt: doctrina moralis, urbanitas & ſales, cætera communia ſunt ejus poëtis, cum aliis multis: acumen diſſerendi, eloquendi facultas, numerorum concinnitas: anima verò, ut ſic dicam, & ὅρος τῆς οὐσίας (*quod maximè eſſentiale eſt*) ejus carminis eſt, vitiorum inſectatio, & ad virtutem cohortatio: ad quæ perficienda ſalibus & jocis tanquam telo utitur: habet hoc Satira Romana cum ethico philoſopho commune, quod de moribus tractat: ſed tractationis proprius eſt modus; docet hic: illa plurimum caſtigat: naturam & cauſſas virtutum ac vitiorum ethicus inquirit: ſatiricus poëta vitioſos ferè objurgat: bonos parcius laudat & rarius: præterea cenſuræ ſuæ ſcommata, riſum, atque interdum etiam comicam & ἀγοραίαν βωμολοχίαν (*circumforaneam ſcurrilitatem*) ſatiricus admiſcet: quo nihil alienius à ſeveritate philoſophica, nam cynicos & ſimilis petulantiæ magiſtros, præter habitum nihil quicquam philoſophorum habuiſſe certum: ἰαμβίζειν verò Satiræ, metri lex. Minus rectè ſentire eos, qui Romanam Satiram cum Græcorum Satyrica poëſi comparant, ut ab illa ortam, ſatis probavimus eo libro quem de utraque illa poëſi in gratiam nobiliſſimi doctiſſimique viri, Johannis de Rieu Rutenorum præſidis, à nobis ſcriptum, Perſio comitem adjecimus: Cum autem trium Romanæ Satiræ poëtarum, Horatii, Perſii, & Juvenalis, idem ſit propoſitum, idem ſcopus, quem antè diximus: magna tamen inter ipſos eſt differentia: quod breviter heic oſtendere conſtituimus: non eo quidem animo, ut alium alii ambitioſe anteponamus: ſic enim exiſtimamus: omnes eſſe eximios, omnes lectu digniſſimos, & qui diverſis virtutibus laudem prope parem ſint conſecuti: ſed quando neque hi, neque omnino quiſquam mortalium πάντα κατορθοῦν πεφυκὼς ἐγένετο, (*omnia benè facere natus eſt*) munire viam juventuti volumus, ad æſtimandas ipſorum virtutes judicio recto: & ἀποτυχίας (*nævos, aberrationes:*) ſiquæ illæ ſunt, animadvertendas: qua in re, cùm vel ſuaviſſimus ſtudiorum poſitus ſit fructus, difficultas ſine controverſia verſatur maxima, præclare enim hoc Dionyſius Longinus, ut alia multa, ἡ τῶν λόγων, inquit, κρίσις, πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα, (*de ſcriptis vel oratione benè judicare, longæ experientiæ ſupremus eſt fructus,*) nos verò ut huic oneri ſubiremus, non humerorum fiducia, ſed publicæ utilitatis ſtudium compulit. Accedit huc, quod conſentientibus veterum ſuffragiis, qui poëtam noſtrum mirati ſunt: auctoritatem judicii ſui recentiorum non nemo opponere non dubitavit: at qui vir? tanti judicii, tantæ eruditionis, tam portentoſi acuminis, ut & Perſius magnum ſolatium habeat, quod Æneæ magni dextra cadit: & nos vel bonam cauſſam prodere, diu conſtitutum ac certum habuerimus, potius quàm cum illo Hercule in certamen deſcendere. Verùm de cenſura divini illius viri poſtea: nunc quas diximus differentias proponamus. Prima & omnium maxima eſt circa τὸ φιλοσοφικὸν μέρος, (*quod ad philoſophiam ſpectat,*) jam enim diximus non levem eſſe huic poëſi cum morali philoſophia affinitatem, quid enim philoſophiæ proximum & affine, ſi hoc non eſt, de virtutibus & vitiis diſputare? heic verò magnum inter hos diſcrimen, ut enim quiſque fuerat educatus, ut erat doctus & mora-

moratus, ita versatus est in hac parte. Horatius libertinæ prosapiæ homo, & patre coactore natus, etsi magno parentis studio eductus, nihil spirat heic altum, sed ubique circa vulgatissima morum præcepta occupatur: quodque longe gravius est, & fatetur ipse de se, parum sibi constat, nec fidelem virtutis magistrum agit: passim enim in aliena transit castra, non tanquam explorator, sed tanquam transfuga: sæpe Stoicum dicas: sæpe Epicureum, aut Aristipeum: sæpe verò de Anyti & Meliti aut Aristophanis gente prognatum: adeò frequenter & acerbè Stoicos, penes quos solos illa ætate sapientiæ magisterium fuit, suggillat, & irridet: neque dubitandum est, qualem videmus in ipsius scriptis, talem fuisse in vita quoque inconstantiam, scripsit enim sicuti vixit. Juvenalis mores ignoramus: in Satiris quidem suis τὰ φιλοσοφούμενα (*quæ spectant ad philosophiam*) sic tangit ut facile appareat, diuturniorem ipsum rhetori quàm philosopho operam dedisse: è rhetorum enim schola & declamationum exercitationibus ad satiram scribendam haud dubiè se contulit: unde illa acuta dicta, & ut vocabant sententiæ, quas in opere admirabili De poëtica tantopere Julius Scaliger est admiratus. Persius verò qui ad Satiræ scriptionem, ut testatur ipse, in quinta, ab eodem Cornuto fuerat institutus, à quo rerum Stoicarum cognitionem acceperat, (magnis enim opibus innutritus, ac felicissimè fuit educatus) & utroque φιλοσοφικώτερος est: & eo nomine Horatio longè melior; quod uni æquus virtuti, perpetuus ac constans vitiorum hostis, sui semper similis, instrumento graviorum artium poëticam locupletat: Stoïcam denique professionem nunquam obliviscitur, adeò exactè & doctè aliquando στωϊκίζει, ut ne Zeno quidem ipse aut Chrysippus, quod alibi dicebamus, porticum illam melius fuerit fulsurus: itaque cùm universæ hujus philosophiæ duæ sint partes à sapientibus proditæ, Decreta & Præcepta, sive ἡ δογματικὴ καὶ ἡ παραινετική. omnis Horatii & Juvenalis de virtute oratio ad præceptivam partem spectat: decreta seriò attingunt nunquam. Persius verò assurgit altius, & Stoïcum de ultimo fine dogma ubique urget, ubique inculcat: gnarus præcipuum caput τὸ στωικὸν τέλος doctrinæ hujus eo contineri; qui igitur non ignoraret longum iter esse ad vitæ emendationem per præcepta: breve & efficax per dogmata; prudentissimo consilio utrumque instituit; quod nos suis locis diligenter observavimus. Scias verò cùm Persium legas, sentire illum quæ dicit, & quod Græci ajunt, πάνυ ἐκ διαθέσεως γράφειν, καὶ ἀπὸ τοῦ δόγματος, οὐκ ἀπὸ τῶν χειλῶν, (*ex vero affectu & animi sui sententiâ scribere, non ab extremis labiis,*) didicerat nempe nobilissimus juvenis à Cornuto præceptore suo, viro juxta sapiente & docto, non magis de virtute loqui, quam ex virtute vivere: quod enim probitatem quam in aliis exigebat ipse præstaret, testis est qui vitam ejus scripsit, auctor dubio procul antiquissimus: testis etiam est modestia illa divina quam ubique præ se fert in hoc libro, testis & illa consuetudo arctissima cum Thrasea Pæto, viro ad exemplum virtutis nato, & Arria Pæti conjuge, ipsius cognata, prioris illius Arriæ ἧς τε κλέος οὐρανὸν ἵκει, (*cujus gloria ad sydera usque lata est*) filia, matri quam simillima, testeis denique & alii quorum amicitia usum legimus, Viri omnes gravissimi, & magna sui sæculi ornamenta, Servilius Novianus, Lucanus, Seneca. Quamobrem omnium Persii laudem hanc primam & velut fundamentum cæterarum ponimus, quod ad præcipiendum de virtute, non ut aliquis è circo aretalogus, aut indoctus è trivio cynicus prosiluit: sed scientiarum plenus, & disciplinis philosophorum diu excultus, eò accessit: propter emendatos mores suscepto operi non minus aptus, quàm eloquendi facultate abunde instructus. Est & alia non contemnenda circa hanc partem inter hos poëtas differentia: nam Horatius, quod aliis ipse sapienter præcepit illo versu,

Denique sit quod vis simplex duntaxat & unum:

nunquàm ipse, aut rarissimè in Satiris suis servavit: quamcunque enim materiam fuerit aggressus eam mox deserit: nudas sæpe præceptiones congerens, non multò aliter ac vetustissimi illi, καὶ τῆς οἰκονομικῆς λόγου πάντῃ πάντως, ἄτεχνοι, ἀμύητοι, (*rationis, seu artis disponendi penitus ignari*) Theognis, Phocylides, & his similes: itaque pars maxima Satirarum Horatianarum meram lancis illius saturæ & πολυκάρπου imaginem exhibent. Longe aliter poëta noster: qui more philosophorum à proposita initio thesi vix digreditur, abit certe nunquam: ut non aliud ferè scribere satiram ei fuerit, quam petitos è philosophia locos carminis legibus includere. Lucilium sine dubio imitatus est Horatius: Persius verò, primus omnium Rom. Satiram hujus generis, duplex enim fuit, hac observatione auxit, correxit, atque in melius mutavit: etsi enim ad priorum imitationem, maximè autem unius Horatii, totum se comparaverat: judicio tamen ubique usus est suo; ut etiam inferius

ſumus obſervaturi. Probavit Perſii conſilium Juvenalis: qui non per ſaturam, quod ajunt, varia argumenta eodem carmine complectitur: ſed Perſiano more cuique ſatiræ ἓν καὶ ἁπλοῦν ὑποκείμενον λόγον (*unum & ſimplex argumentum*) ut plurimum addicit. Huc etiam pertinet quod in Perſiana Horatii imitatione obſervabamus, de gravitate in diſputationibus nonnullis Stoïcorum explicandis, Perſio ſervata, Horatio neglecta: cujus rei illuſtre eſt exemplum in Perſii quinta, & Horatii Davo: ex quorum carminum comparatione ingenia utriuſque poëtæ diverſa, & diſcrepantes ideæ quas rhetores dicunt optimè queant dignoſci. Differunt præterea hi poëtæ in ſalibus & illa urbanitate quam Satiræ Romanæ propriam diximus: neceſſitatem hujus partis in hoc poëſeos genere docet Perſius, cùm ſcribit de Horatio:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit.

Etiam in quinta cùm facit Cornutum hæc ſibi dicere:

——— *Pallentes radere mores*
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

quare non poteſt dubitari ipſum in Satiris ſcribendis id habuiſſe propoſitum, ut triſtitiam argumenti & reprehenſionum atrocitatem jocorum feſtivitate exhilararet: ſed Perſius jam tum in illa ſua adoleſcentia gravis, totuſque ad ſeveritatem factus, Xenocrati quàm Menippo ſimilior, Gratiis, meo judicio, raro litavit: longe enim hac laude & ab Horatio ſuperatur, & à Juvenale: quorum uterque feliciſſimè eſt aſſecutus, quod voluit noſter, nec potuit: excellunt igitur in eo Horatius & Juvenalis: etſi ratione diverſa: nam illius ſales τὴν ὀχλικὴν ἀναγωγίαν, (*trivialem, vel popularem petulantiam*) & ut ita dicam, plebejum aliquid fere ſapiunt: hujus omnes joci, quibus abundat, ſic ſunt urbani & ſalſi, ut acumen ſæpe atque eruditionem præ ſe ferant, & ingenium longo declamandi uſu probe ſubactum. In noſtro verò loca non pauca ſunt quæ palàm oſtendunt non diſplicuiſſe illi jocos, ſed non contigiſſe, quod de Demoſthene Fabius ſcribit: velut in prima ubi disertè ait, ridere ſe malos poëtas, ille verò non σκώπτει (*ridet*) ſolùm, ſed etiam λοιδορεῖ, (*conviciatur*,) jocoſa & non invenuſta illa:

——— *Nunc non cinis ille poëtæ*
Felix? ———

Et quæ ſequuntur, illud convitio propius:

Rancidulum quiddam balba de nare locutus:

Item illa:

——— *Nugaris cùm tibi calve*
Pinguis aqualiculus protenſo ſeſquipede extet.

Iſta verò,

O Jane à tergo quem n. ———

indignationem illius magis arguunt, quàm aptitudinem ad movendum riſum: quin etiam, ſicut in Demoſthene obſervarunt veteres critici, nunquam adeò à ſeſe ipſum abire, quàm ubi facetus vult videri: ita nos de Perſio pronuntiare non vereamur, ſi qua ſunt in ejus libro frigidiuſcula dicta, ſi qua ex periculo petita, in ea ipſum incidiſſe, dum quærit jocos & vult ridere, quod per naturæ ſuæ temperamentum illi nequaquam licebat: fruſtra enim eſt cùm perſuadere vult nobis, fuiſſe ſe petulanti ſplene cachinnonem: ain' tu Perſi? σὺ δ᾽ ὦ ἀγαθὲ, ἵλεως εἴης, (*tu verò ô bone, propitius eſto*) & nobis ignoſce, qui hoc tibi non credimus: quin potius exiſtimamus in te expetiiſſe, quod apis Attica de Perſa neſcio quo dixit: ὅτι ῥᾷόν ἐστι πῦρ ἐκθλίψαι ἢ ἀπὸ σοῦ γέλωτα, (*ignem facilius exprimi ex te poſſe, quàm riſum.*) Enimvero cum ſint loci plures è quibus ridicula dicta ducantur, Horatius & Juvenalis eos jocos non rarò uſurparunt, quibus aliquid ineſſet obſcœni: qua impuritate cùm fere in totum Perſius abſtinuerit; non ambigent ſani judices, quin etiam in eo dicendus ſit vincere, in quo culpa ingenii vincitur: nimium enim riſus pretium eſt, ſi honeſtatis & probitatis impendio conſtat. Sed quæ ridere negavit Perſio natura, ingenti dote defectum & ὑπέρεισμα iſtud penſavit, cùm illi vim dedit & acrimoniam, & illud quod magiſtri dicendi τὸ ἐναγώνιον πνεῦμα dicere conſueverunt; quam virtutem tanti facit criticus Halicarnaſſenſis, ut Iſocratis orationem, quòd ea careret, anima carere dicat: in Perſio verò qui ſpiritus? qui ardor? qui ſtimuli? nam libertas quidem tanta, ut ne mortis quidem metu adduci potuerit, quò Neroni parceret: & tamen leniſſi-

leniſſimorum fuiſſe morum accepimus: ſed acrem faciebat impreſſum ejus animo, altiſque nixum radicibus vitiorum odium. Quod igitur deſiderant ſapientes, contra vitia dici aſperè, contra pericula animoſè, contra fortunam ſuperbè, contra ambitionem contumelioſè, ut ad Senecam ſuum ſcripſit olim Lucilius: id cùm noſter efficiat, illud ſimul ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος (*ex multâ abundantiâ*) præſtat, quod antè dicebamus, ut liqueat tibi illum ſenſiſſe quæ ſcripſit. Atque hæ ſunt differentiæ præcipuæ quas in tribus hiſce poëtis circa illa deprehendimus, quæ Satiram Romanam propriè χαρακτηρίζουσι (*notant*,) ad reliquas verò quod attinet virtutes, τοῦ τε πραγματικοῦ καὶ τοῦ λεκτικοῦ τόπου, (*quæ vel in rebus, vel in verbis poſitæ ſunt*; ut Quintil. interpretatur: vel ut idem alibi, *quæ vel ad inventionem, vel diſpoſitionem pertinent:*) ne longum faciam, ita ſentio, puritate ſermonis, gratia narrationum & ἀφελείᾳ (*ſimplicitate*) atque inexplicabili quodam, etiam extra jocos, lepore excellit Horatius: ubertate inventionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate, τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεῖ, (*fœlici quadam ſententiarum ubertate & amplitudine*, ut interpres Longini vertit:) denique τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει (*grandis & ſublimis orationis genere, ad pompam, & authoritatem conciliandam comparato*) præſtat Juvenalis. Perſius inter hos duos interjectus, neque caſtitate ſermonis Juvenali cedit: & illa quam expoſuimus pugnacitate, celeritate, & γοργότητι Horatium ſuperat: character dicendi in Horatio humilior, in Perſio grandior, in Juvenale ut plurimum ſublimis: figurarum, quæ ſunt orationis lumina, beata apud Horatium & Juvenalem copia: noſter illis potiſſimum quæ rebus addere pondus ſunt idoneæ, & ἠθοποιΐᾳ καὶ ἐναργείᾳ (*alienorum morum imitatione, & evidentia, ſeu illuſtratione*) pene regnat: vel illas mihi conſidera hominis ſordidè parci deſcriptiones, quas in quarta, in quinta; & in ſexta duobus locis poſuit, non poterant tenacium mores effingi majore cum evidentia: taceo de verborum tropis, quorum crebritatem apud Perſium ſola excuſaverit Satiræ licentia: denſitate enim ſua orationi tenebras nonnunquam offendunt: de quo mox. Numerorum verò concinnitatem cùm apud Horatium nullam inveniſſet, nullum juncturæ ſtudium: hanc ſecuritatem Perſius nequaquam probavit: ſed numeris ita conſuluit, ut iſta laude eum quem ſequebatur longo intervallo pone ſe reliquerit: quid enim hujus verſibus numeroſius? quid abſque mollitie concinnius? neque electione eſt opus: omnes apti: omnes ſonori: quidam verò ita magnifici, ut ad majeſtatem Maroniani carminis videantur aſpirare: neque aliquis mihi illum objiciat,

—— *Euge euge, omneis bene miræ eritis res.*

probavimus enim, ingenioſſimum poëtam arte & judicio uſum viribus ſuis eo loci pepercisse. Expoſuimus hactenus, ut erat noſter captus, præcipua capita inſtitutæ comparationis inter Romanæ ſatiræ clariſſimos poëtas: oſtendimus quæ ſingulorum propria eſſent κατορθώματα, (*bona*) quæ ἐλαττώματα, (*defectus*) clariſſimeque, niſi fallor, demonſtravimus, ex illis eſſe neminem, qui virtute quadam ſibi peculiari reliquis non præſtaret: neque rurſus eſſe ullum, qui cæteris ratione aliqua non eſſet inferior. Perſium verò adeo non eſſe indignum qui comparetur cum Horatio & Juvenale, ut vel de palma cum utrovis eorum jure ſuo poſſit contendere: etſi non ſine aliqua ipſius injuria poteſt cum tantis ingeniis committi Perſius: cui per brevitatem vitæ totum ſe palam facere, & ingenii ſui dotes maximas publicare non licuit, ut ex uno libello, atque eo imperfecto nec dum perpolito illum æſtimare, hoc vero ſit leonem ex ungue, & quod apud Homerum faciunt proci, ἀπὸ τῆς ἐκ ῥακίων ἐπιγουνίδος τὸν ἄνδρα (*ex toro uno muſculove qui per laceram veſtem apparet, de toto corpore judicare.*) Quid igitur de graviſſimi illius Cenſoris judicio dicemus, qui tantum virum ſuffragiis privatum in Cæritum tabulas retulit? & quidem non cenſoria nota affectum, ſed ignominiæ elogio miſere jugulatum, ineptum pronuntiat, indignum qui cum reliquis in comparationem veniat, oſtentatorem eruditionis, obſcurum denique, non ſecus atque alterum Heraclitum vel Cinnam. Pax! vir incomparabilis, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων; (*quale tibi verbum per vallum dentium elapſum eſt?*) Perſius ut ſit ineptus? ſi ineptum diceret quem Græci ἀνεπιτήδειον ἐν τῷ γελοίῳ, (*non aptiſſimum ad jocandum:* ut Cic. de Epicuro) concederem: ne nos quidem enim imus inficias facultatem hujus rei illi defuiſſe: ſed oſtentatorem eruditionis quod nominat, omnino haut perſuadet: fatemur erudítiſſimum poëtam eruditionem ubique oſtendere: uſquam oſtentare, negamus: illud doctiſſimi quique ſolent: quis autem uberius quàm σεβασμιώτατος (*venerabiliſſimus*) hic Cenſor? cujus ſcripta omnia χρυσοῦ χρυσότερα (*auro magis aurea*) ſiquis negat chyma veterum undique redolere, haut mecum ſentit: hoc ſolet vaniſſimus quiſque tantum, inſolen-

solentissimus καὶ ὀψιμαθέστατος: quorum nihil in splendidissimum hunc Romanum equitem cadit: de cujus singulari modestia, & liberali educatione sub maximis præceptoribus, non autem cathedrariis sophistis, & vitæ illius auctor meminit, & nos aliquid supra attigimus. At obscurus est, & dignus cui nomen indatur Scotino: mirari subiit non semel, de obscuritate Persii verba fecisse illum virum, cui nihil erat obscurum: certe aliud Quintilianus judicabat cum vera laude dignum pronuntiaret: aliud Hieronymus, cùm disertissimum Satiricum vocaret: mihi quoque non pauci hujus poëtæ versus ita clari & λευκοὶ videntur, ut vel in cisio à mediocriter doctis legi possint: quare non totus liber profectò est obscurus: sed loca tantum nonnulla, quid! solus hic obscurus? non etiam optimus quisque attentissimum & πολυμαθέστατον (*doctissimum*) requirit lectorem? non commemorabo Thucydidis τὰς περινοίας, τὰς ὑπερβολάς, τὰ γλωσσηματικὰ καὶ ξένα, τὰ ἀνακόλουθα (*involutas in rebus & verbis sententias; peregrinas & minus usitatas voces; altero membro mancas, & inconsequentes sententias:*) & similia multa, quibus obducta caligo ingens illius historiæ: silebo Platonis τὰς ἀκράτους καὶ ἀπηνεῖς μεταφοράς, (*parum moderatas & inclementes metaphoras:*) de quibus Longinus: hoc solum dicam, maximarum difficultatum ea potissimum scripta esse plena, quæ omnium seculorum docti homines maximè sunt admirati: quis Pindarum intelligeret aut Aristophanem absque eorum interpretibus foret? quis Græcis literis doctus choros tragicorum inoffenso pede percurrit? Theocriti τὸ σκληρὸν (*obscura*) notant veteres critici: neque indignantur: nos offendent Persianæ difficultates? & qui laboriosas illius opilionis ineptias non gravamur: tam severum hujus carmen ut intelligamus, operæ nos pœnitebit? porro obscuritatis hujus diversas afferre caussas possumus, easque certissimas: in auctore sunt aliquæ, aliæ extra illum, quædam in interpretibus. Non negabo perobscura quædam esse in quarta, prima quoque: sed poëtæ facilè ignosco, cùm cogito crudelissimi & φονικωτάτου (*sanguinis avidissimi*) tyranni, in quem illa erant, metu, de industria atramenti sepiarum aliquid esse affusum: neque dubito sapientissimum præceptorem Cornutum scribenti adfuisse, qui vetus verbum crebrò illi insusurraret, Σκότισον (*obscurus esto:*) quod etsi diserte Probus, sive quicunque est vitæ scriptor, non dicit, ea tamen narrat, ex quibus hoc debeamus colligere. Jam cum scribit idem βιογράφος, verecundiæ virginalis Partheniam nostrum fuisse: aliud agens caussam nos docet cur ille locus tenebricose fuerit tractatus, cui vix alius toto libro obscuritate par, obscœnitate similis nullus: περικοπὴν illam dico è quarta, *At si unctus cesses.* Etiam illud ultro concedimus, nonnulla Persii loca tropis parum usitatis & audacioribus esse offuscata: hujus quoque non culpam, sed caussam, ita enim dicere æquius, ingenio poëtæ assignamus: quod cùm esset magnum, magna sectabatur: dictiones autem tropicas magnitudinem natura sua habere, cùm alii docent τῶν περὶ τοὺς λόγους, (*eloquentiæ magistri*) tum affirmat hisce verbis ὁ τῶν πάλαι κριτικῶν κορυφαιότατος Longinus (*qui veterum omnium criticorum judicio maximè præstat:*) μεγάλαι, inquit, φύσει εἰσὶν αἱ τροπικαὶ λέξεις, καὶ ὑψηλοποιὸν αἱ μεταφοραί, καὶ οἱ παθητικοὶ καὶ φραστικοὶ κατὰ τὸ πλεῖστον αὐτοῖς χαίρουσι τόποι, (*grandes naturâ sunt figuratæ dictiones, & ad sublimem orationem conferunt metaphoræ: in affectibus etiam movendis, & in narrationibus ut plurimùm illis locus.*) hæ sunt illæ parum moderatæ & inclementes (id enim est ἀπηνεῖς) metaphoræ quas ait idem in Platone, quo nemo unquam facundior, notari solitas à dicendi artificibus nonnullis: etiam Demostheni quæ objiciebantur ab Æschine, tanto cum hiatu ut θαύματα (*miracula*) diceret esse non ῥήματα (*verba:*) quid aliud fuère, nisi paullò duriores translationes? adeò magnis quibusque ingeniis familiares hujusmodi excessus, & παρακεκινδυνευμέναι (*abruptæ*, Senecæ: *periclitantes*, Quint.) dictiones. Dionysio quidem Halicarnassæo si credimus τὴν ἀσάφειαν πολλαχοῦ δεινότητα εἶναι: (*obscuritati vim & acrimoniam non raro inesse*) non jam excusandus fuerit nobis Persius; verùm præconio ἀγχινοίας (*solertiæ*) clarandus. Fuit præterea Flaccus noster οὐ φιλόμυθός τις, (*natura minime fabulosus & loquax*) sed amans brevitatis: quæ res obscuriorem est ubi illum reddit: non alia caussa fuit, ut unum saltem exemplum afferam, cur hactenus non intelligeretur ille versus:

Inventus Chrysippe tui finitor acervi:

quem primi nos, absit verbo invidia, ex poëtæ mente sumus interpretati. Extra auctorem possunt multa afferri: ego pauca tantùm commemorabo. Quod igitur multa obscura hodie videntur, quæ cùm scribebantur pueris erant obvia: non penes auctorem culpa hæret, sed penes lectorem: quotus enim quisque Persium legentium saltem mediocrem morum veterum & historiæ antiquæ cognitionem sudore partam habet? Adde quod ipsa rerum natura, progressu temporum ita novam rebus huma-

humanis faciem inducit, ut ad intelligendos veteres scriptores, nihil persæpe hodiernæ vitæ comparatione nos juvante, velut in tenebris sit micandum, & fallacibus conjecturis ad veritatis indagationem insistendum: atque huic querelæ tum præsertim est locus, quando vel privati vel publici mores præstringuntur: in quo solo & comœdia & satira Romana versantur. Non prætermittam genus ipsum poëseos, natura sua difficilioris: nam ut alibi probamus, Satira hæc & genus & nomen est non plebeii poëmatis, sed carminis eruditi: & propter affinitatem quam habet cum dramaticorum fabulis, ipsa personarum mutatione perplexum. Interpretes verò diverso modo obscuritati de qua dicimus caussam præbuerunt: veteres, quia perierunt: quæ fuit seculi barbari flagitiosa negligentia: recentiores, quia alia οὐχ ἑρμηνεύσαντες, *(non explicantes)* alia παρερμηνεύσαντες, *(malè explicantes)* lectores persæpe aut incertiores & indoctiores quam dudum aut malè doctos dimiserunt. Nemo in suam contumeliam dictum putet, quod de iis dicimus qui hanc provinciam ante nos administrarunt: nam & nos qui eorum diligentiæ successimus, tam meminimus homines esse, falli faciles, literis leviter tinctos, quàm scimus, ipsos quæ nescivetunt aut malè sciverunt, ignorasse vel probasse quia homines erant: hoc ingenuè profitemur nondum quenquam incidisse in manus nostras è tot poëtæ hujus interpretibus, cujus rationem & interpretandi viam possemus probare, unicum excipio Hadrianum Turnebum virum in hoc genere literarum eminentissimum: qui si ex professo Persium suscepisset enarrandum, nullo, ut arbitror, spicilegio nobis relicto, aliud scilicet curassemus: nunc cùm obiter tantùm quædam tractaverit, exemplo illius ad hoc quicquid est operis concinnandum sumus excitati. Quoniam autem de libri hujus obscuritate multa docti indoctique passim loquuntur: ne quid omitteremus quod ad lucem illius posset desiderari, postquam semel interpretem professi eramus, Græcorum illud verbum χελώνης φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν *(de testudine edere, vel non edere)* censuimus nobis esse usurpandum: quò enim interpres, nisi ut obscura illustret, difficilia facilia reddat vel primas literas doctis? quod quidem dum pro virili nostra conamur, eò polixiores facti sumus, quò brevior Persius: nam illorum fastidia quibus satis est magnos scriptores ὁλοσχερῶς [illegible] *(generatim atque universè, sive perfunctoriè cognoscere)* sapientissimo Imperatorum Marco reprehendi memineramus. Simul juvabat ejus auctoris explicationi immorari, cujus singula prope verba aliquid βιωφελὲς *(vitæ utile)* continere animadvertebam. Multa nos in tam erudito poëta observasse de quibus ne cogitarunt quidem alii, si dixerimus, fiducia veri sit, non inanis jactatio: quid autem præstiterimus, docti & candidi lectoris facimus arbitrium: nam etsi mediocris saltem diligentiæ sumus nobis conscii: scimus tamen, οὐ πάντως τῶν προσεχόντων ἄνευ τὰ ἆθλα, *(non omnes qui diligentes & attenti sunt præmia habere in suâ potestate)* ut dicebat olim B. Chrysostomus: ἀλλὰ δηλονότι τοῦ ἄνωθεν βραβεύοντος, *(sed illum utique qui desuper pro suo arbitrio dispensat.)*

DE

DE PERSIO NONNULLA:

SIVE,

Ad Persii vitam à Probo aut alio vetusto auctore scriptam, notæ.

PERSIÆ *gentis perquàm rara in veterum monumentis mentio extat: plebejam non patritiam fuisse, Fasti suadent, in quibus nemo, quod sciam, ejus nominis celebratur: id nos eo magis miramur, quia de vetustate illius gentis dubitare non possumus. Tempore belli Punici secundi circa annum* V.C. IↃXLIV *florebat militari laude in Romanorum castris C. Persius, vir impiger, non in transcursu Livio narratus in* XXVI. *historia. Annis post hunc paulò minus centum, vixit Romæ C. Persius,* omnium fere nostrorum hominum, *verba sunt M. Tullii,* doctissimus: *cujus miniatulas ceras adeò reformidabat ille aliorum irrisor, Lucilius, ut sua à Persio legi nollet: quod præter ipsius testimonium, etiam Cicero & Plinius memoriæ prodiderunt. An ex eadem stirpe isti duo orti sint, & utrum commune Persio nostro cum ambobus aut altero eorum genus fuerit, in tanta veterum monumentorum inopia sciri hodie non potest. Primum generis auctorem Græcum fuisse, aut à Græcis oriundum, haut fortasse temerè ex ipso nomine conjiciebam: nam Persius Græcum est nomen, non minus quàm Perseus & Persæus: nobilem sanè philosophum Persæum, de quo Diogenes Laërtius aliique multa, etiam Persium reperimus nominatum: ut in antiqua vita Arati poetæ. Persii quoque poetæ Græci Phocaensis vetustissimi ex Apophthegmatis Callisthenis Julius Pollux libro nono meminit: urbanum illius in Eubulum Atarnitam dictum eo loci commemorans: non autem Eubuli in ipsum Persium, ut scriptum scimus ab eruditissimo viro Lilio Gyraldo, Pollucis verbis perperam acceptis: quæ in vulgatis editionibus corrupta, ut sit aliqua sententia, ita legimus:* ἦν δέ τι ἐν νομίσματι εἶδος ὅπως ὀνομαζόμενον ΦΩΚΑΙΤΑΙ. φησὶ γοῦν ἐν τοῖς Ἀποφθέγμασιν ὁ Καλλισθένης, ὑπὸ Εὐβούλου τοῦ Ἀταρνίτου τὸν ποιητὴν Πέρσιον ἀμελούμενον, εἰς Μιτυλήνην ἀπελθόντα γράψαι, διότι τοὺς Φωκαΐτας ὡς εἶχον, εἶχον ἥδιον ἐν Μιτυλήνῃ μᾶλλον ἢ ἐν Ἀταρνῷ. *Eubulus iste Atarnensis ille est, de quo Laërtius in vita Aristotelis: homo dives, & ut scribit Strabo, argentarius, jocus Persii est in ambigua notione vocis* Φωκαΐτης: *quæ & Phocæa prognatum, & certum genus nummi significat, cùm igitur patria relicta Atarnam venisset Persius ad Eubulum, ut illius opibus sustentaretur, falsus exspectatione sua Mitylenam se transferre fuit coactus: unde ad Eubulum scripsit, mirari se, quod homo avarus & pecuniæ amans Phocaitas Mitylenam passus esset transferri, neque Atarnæ retinuisset. Sed redeo ad nostrum: cujus vitam habemus à vetustissimo auctore scriptam, sive Probus ille fuit, sive alius: in qua sunt digna animadversione nonnulla, quæ heic breviter indicabimus: nam scripti codices ab edita lectione nihil ferè variabant. Principio scribit* natum Persium pridie nonas Decembreis, Fabio Persico, L. Vitellio Coss. decessisse VIII. Kal. Decem. Rubrio Mario, Asinio Gallo Coss. *in fine verò sic:* Decessit vitio stomachi, anno ætatis XXX. *non constat his ratio: nam falsum est vixisse Persium annos triginta: qui, si ratio ineatur temporum heic adnotatorum, novem circiter diebus prius obiit, quàm annum vitæ vigesimumoctavum impleret: incidit enim Fabii & Vitellii consulatus in annum* V.C. IↃCCCXXCVII. *Tiberii XX. à passione Domini primum, ut placet diligentioribus temporum scriptoribus. Marius verò & Asinius octavo Neronis anno Coss. fuerunt: sic igitur corrigendus error in numeris admissus: propius ad verum ac-*

cedio

cedit Hieronymus, qui in Chronico Eusebii anno vitæ XXIX *mortuum Persium adnotat. Persii patrem Flacci cognomen habuisse ex hac vita discimus: unde paret illud quam sit ridiculum, quod quidam somniarunt: poëtam nostrum id cognomen invenisse ab Horatii Flacci imitatione: quod non solùm ἀνιστόρητον, sed etiam ineptum est; nec minus illud quod addunt, Severum esse eundem nuncupatum, ob sectæ Stoicæ professionem: mirum quis hoc ipsos docuerit: nam & vitæ scriptor, & omnes veteres hoc mysterium nobis inviderunt; sed videtur huic vanissimo commento occasionem præbuisse inscriptio illa, memoria avorum Volaterris, (ea Persii patria) inventa: ubi A. Persii cujusdam octennis pueri fit mentio cui cognomen fuit Severo. Rhetor ille Virginius Flaccus apud quem studuisse Romæ dicitur Persius, pater fortasse fuerit aut patruus Verginii Rufi illius, qui temporibus Neronis studia juvenum eloquentiæ fovebat, ut refert Tacitus Annalium libro* XV. *is est de quo Plinius Secundus epistola prima libri* II. *quem etiam de arte rhetorica scripsisse auctor Quintilianus. Inter Persii amicos nominat hic auctor* Calphurnium Staturam: *nisi legendum est* Suram: *quod commune fuisse cognomen multis gentium Romanarum, nemo ignorat; illud verò alterum alibi legere non meminimus. Ait:* coluit ut patrem Servilium Numanum; *scribendum*, Novianum: *hic ille est Servilius Novianus de quo Fabius libro decimo, in censura de ætatis suæ historicis: meminêre illius & Plinius uterque. Mox cùm ita scribit:* Ipse etiam decem ferè annis summe dilectus à Pæto Thrasea est: *hoc videtur dicere, affinitatem quæ Persium Thraseæ conjungebat, ante annos ferè decem fuisse prius contractam, quàm supremum ipse diem obiret; quæ subjicit de Persii opibus ita scribi debent:* Reliquit circa H-S vicies matri & sorori: scriptis tantùm ad matrem codicillis, rogavit eam, ut daret Cornuto sestertia, ut quidam dicunt, centum: ut alii volunt, argenti facti pondo viginti. *Vicies sestertium æstimatione Budæi aureorum solatorum quinquaginta millia efficiunt; æstimatione aliorum circiter millia* XLV. *centum sestertia Budæo, aurei Francici bis mille quingenti: aliis, bis mille tantùm: absurdissimè hæc vulgò accipiuntur. Quod ait Probus reliquisse Persium hunc librum imperfectum, & versus aliquos in ultimo libri fuisse demptos: non ita accipiendum quasi deesset aliquid sat.* VI. *quæ haut dubie integra est, neque poterat concinniore fine claudi, quàm ut hodie finitur: sed si quid demptum est, dubio procul principium illud erat novæ satiræ. Etsi verò certum est, rectè Persii librum hodie in sex satiras distingui: in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem invenimus: in multis enim codicibus quinque solùm satiræ numerantur, quarta ad tertiam adjuncta, in quibusdam continuus est unus liber, nulla Satirarum facta distinctione. Sanè Priscianus atque alii grammatici antiqui quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant. Lege deinde,* Scripserat & paucos in socrum Thraseæ Arriæ matrem versus, quæ se ante virum occiderat; *notissima est historia de Arria uxore Pæti Cæcinæ, quæ mater fuit Arriæ conjugis Thraseæ Pæti, atque ipsius Thraseæ socrus. Scribe etiam:* editum librum continuo mirari homines, & diripere cœperunt; *non* deripere, *aut ut ut doctis quibusdam videbatur* diribere; *elegantissimo verbo expressit aviditatem lectorum, qui librum Persii simul ac fuit publicatus, cupidè sibi quisque parabant. Hieronymus ad Pammachium de Epiphanii literis ad Johannem Jerosolym.* Harum exemplaria certatim Palæstinæ rapiebantur, vel ob auctoris meritum, vel ob elegantiam scriptionis. *Severus Sulpicius Dial. primo, cap.* XVI. *de suo libro quo vitam Martini descripsit:* cùm totâ certatim urbe raperetur, exultantes librarios vidi, quod nihil ab his quæstuosius haberetur. *Postremò sciendum, quædam à grammaticis tanquam Persii afferri, quæ in his illius satiris non invenias: ut exempli gratia, à Servio in tertium Georgicorum illa verba,*

—— fidit
Infantes statuas. ——

ab Isidoro hunc versum, libro XVII.

Buccina jam priscos cogebat ad arma Quirites:

quæ meræ sunt hallucinationes grammaticorum, cùm hic quidem Propertii sit versus; ille verò Juvenalis:

ISAA-

ISAACI CASAVBONI
AD
PERSII SATIRAS
LIBER COMMENTARIUS.

AD PROLOGVM.

EXEMPLUM Dramaticorum poëtarum secutus est Persius, cum Satiris suis hoc prologo prælusit: cæteri poëtæ Persio vetustiores, vel in totum procemio abstinuerunt: vel ab opere legitimo non separarunt: ut in Æneide Maronis est videre: at posterior poëtarum ætas, procœmia hujusmodi frequentavit, modo versu, modo soluta oratione, ut Statius & Martialis, Ausonius quoque interdum. Claudianus, qui eo more omnium maxime usus, elegiaco semper carmine. Persii autem Satiras, magnam cum dramaticorum fabulis habere adfinitatem, clarum ex iis quæ de Satira disputavimus, quo minus ferendi fuerunt veteres literatores illi, qui scazontem hunc esse Persii, ausi negare. At caussam velle quærere, cur diverso metri genere heic usus poëta: hoc vero esset similia illis antiquis insanire, qui præpostera ostentatione ingenii vestigarunt, cur Græcus poëta Iliadem à consonante μ esset auspicatus, Odysseam ab α vocali. Philosophos potius audiamus, qui in explicandis animi facultatibus duas statuunt diversas: τὸ ἐπελευστικὸν τῆς ψυχῆς εἶδος, & τὸ προαιρετικόν: hac uti nos, cum certa ratione ducti, & quod nomen sonat, attendentes, aliquid agimus: illa quoties sine cogitatione, nedum ratione, & ut loquitur Dionysius Halicarnassæus αὐτοματίζοντες ἄνευ γνώμης, facimus aliquid aut dicimus: cujus non aliam afferre caussam possumus, quàm ἐπέλευσιν, hoc est, quod ita venit nobis in mentem: ut longè ineptissimum sit ejus rationem ire excogitatum, quod sine ratione ab auctore fuerit usurpatum. Non defuerunt qui hos versus proprie ad Satiram primam pertinere autumarent: quare etiam reperti: qui illos cum sequentibus heroicis continuarent. Sane etiam in Satirico Petronii scazontes hexametris præpositos ac cohærentes invenias: imò vero tota alterius generis Satira, nihil erat aliud, nisi mistura quædam carminum diversorum modorum cum prosa, ut suo loco diximus: cæterum istorum errare sententiam, & res ipsa, & omnes quas vidimus membranæ veteres manifesto arguunt. Proculdubio decepti isti sunt, quod Persii mentem in hoc prologo scribendo male caperent: de quo tot diversæ sententiæ sunt proditæ, quot reperti sunt hactenus (extiterunt autem prope innumeri) poëtæ hujus interpretes. Est vero hoc carmen duplicis argumenti, ut & partes illius sunt duæ, versuum ambæ septenorum, primi septem versus mixtum habent argumentum: de se enim agit poëta προηγουμένως, (*fine præcipuo*) obiter vero de æqualibus sibi poëtis, quos traducit: posteriores septem meram continent aliorum poëtarum irrisionem. Totum carmen si versus numeres à majori parte διασυρτικὸν (*irrisorium*) censeas: si id spectes, cujus potissimum caussa est scriptum, προσοδιακῷ vel ἀναθηματικῷ generi potius adscribas, προσόδιον veteres appellarunt, vel προσοδιακὸν ἔπος, carmen quo deos affabantur, cum ad illos adibant; ἀναθηματικὸν, quo offerumenta sua & donaria honori deorum consecrabant: planè ejusmodi est hoc carmen: suas enim Satiras Apollini Palatino, vel aliis literarum præsidibus diis affert: non tanquam opimam victimam: sed veluti donarium λιτὸν, à magna quidem voluntate, sed viribus modicis profectum: hoc vult cum ait: *ipse semipaganus*, *Ad sacra vatum carmen affero nostrum*, in his verbis positus est præcipuus poëtæ scopus in scribendo hoc carmine: quæcunque alia his adtexuntur, fimbriæ sunt paludamento assutæ: ἠθικὰ nempe παρεργήματα, (*morales appendiculæ*) quibus Persius partim modestiam suam ostendit, partim judicium de malis poëtis, quorum ea tempestate magnus erat Romæ proventus. Singularis modestiæ est, quod negat se poëtam: quod-

quodque se ad tantam gloriam ne aspirare quidem fatetur: & præmia poëtis debita aliis æquo animo relinquere: non minoris judicii illud, quod pro poëtis se non habere ostendit eos qui populi Rom. æstimatione, summi in eo genere censebantur.

NEC *fonte labra prolui Caballino:*) jam diximus mixti argumenti esse partem istam priorem, hujus meminisse oportet, si volumus rectam poëtæ mentem assequi: sic enim sua extenuat, ut simul ineptorum hominum factum retundat & urbanè castiget. Desiderium poëtandi jam inde ab Augusti temporibus familiaris plerisque Romanorum morbus fuit: ad otium enim à militari studio traducti astu cati principis, quid potius facerent, quàm ut ignobile suum otium pangendis carminibus traducerent? Nota Horatii non falsa querimonia,

Scribimus indocti doctique poëmata passim.

Idem alibi,

——— populus levis hoc calet uno
Scribendi studio: pueri patresque severi
Fronte comas vincti cœnant & carmina dictant.

Sed auxit hic ἐπιδήμιος Romanorum morbus Nerone principe mirum quantum: exemplum enim belluæ illius poëticam lauream palam affectanti levissimum quemque impellebat, ut poëta videri & vellet & posse speraret: tulêre hoc indignè legitimi Musarum mystæ: qui illarum sacra adeo fœdè pollui non poterant non dolere. Hinc illa Persii indignatio, cujus testem Satiram primam reliquit, eo carmine multa ἀθρόως (*confertim*) in illis ψευδωνύμοις poëtis reprehenduntur, ut ibi dicemus: in hoc vero prologo nominatim væsania illorum arguitur, qui literarum & omnis eruditionis rudes cum essent, poëtarum tamen nomen, quæ erat insignita eorum impudentia, sibi vindicabant: nihil enim arrogantius iis, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi doctrinæ persuasionem induerunt. Illi sunt quos Græci & M. Tullius appositissima voce μουσοπλήκτους (q. d. *à Musis percussos*, *vel tactos*) appellarunt: qui poëticæ facultatis, qua superbiebant, nullum argumentum proferre habebant, nisi illud commentitium & vanum, quod afflatu quodam repentino Musarum vel Apollinis facti essent poëtæ. Quod igitur ait Persius, *Nec fonte labra prolui Caballino:* non negat præcise modico se haustu fontis sacri Musarum fuisse potatum: sed eos irridet, qui videri volebant totum illum exhausisse, & fortasse privatim quendam tangit, qui tale quid de se κομπάζων, (*insolentius*) seculi vitio usus, jactaverat. Aliud est modice de fonte bibere, aliud se fonte proluere: cujus verbi vis necessario heic expendenda fuerat interpretibus: nunquam autem id verbi temere usurpatur bonis scriptoribus, sed cum maximo sententiæ incremento. Plautus Curculione de anu multibiba: *age effunde hoc citò: In barathrum: propere prolue cloacam.* Claudianus de raptu libro II.

——— astra viarum
Mutavere fidem: vetito se proluit Arctos
Æquore.

Hoc est, tanta rerum mutatio facta, ut illa sidera polaria, quæ prius æquore tingi metuebant, affatim maris aqua se laverint: idem poëta in Serenæ laudatione Hispaniam ἐγκωμιάζων:

——— primo lavat æquore Solem
India: tu fessos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.

India *lavat*: sed Hispania *proluit*, quod longe majus III. consulatu Honorii canit de Theodosio:

Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
Excipit: & notis Hispania proluit undis.

Sic hoc loco emphasin magnam ea vox habet, de Musarum fonte bibisse, aut aqua illius aspersum fuisse, sine invidia & mediocres poëtæ glorientur: at proluisse se illo fonte, nemo dixerit sine putida jactantia: sic Ausonius Mosellam suam, poëma castigatissimum, vocat *tenue libamen Musæ*: postea addit de poëtis aliis,

——— sunt tibi multi
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum totamque solent haurire Aganippen.

Pro modo potæ aquæ facultatem cujusque æstimant poëtæ: Statius in Surrentino Pollii:

Non mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes.

Sic etiam Eunapius ῥανίδα Κασταλίας appellat oppido tenuem dicendi facultatem. Non prætermittam quod apud Theonem Arati interpretem legi: huic uni fonti primitus tributam fuisse κρήνης appellationem, inde ad alios fontes vocem transiisse.

Caballino:) Etiam hæc vox suum aculeum habet, poterat enim sic: *Nec fonte equino labra mersimus nostra*: maluit autem *Caballino*: quod nomen est inhonestius, ut rectè judicat vetus interpres: sed cur hoc verbum usurparit non ea caussa est, quam ille affert: neque illud solum, quod numerosior ita fit versus: verum ista, quod contemnenti & subsannanti ea vox erat aptior: καβάλλης enim Græcis & Latinis caballus, non quivis equus dicitur, sed jumentum dossuarium

σαγμα-

κιλαιργὸν: Horatius,

—— olitoris aget mercede caballum,

aut pistrinense. Ausonius,

Cui subjugabo de molarum ambagibus
Qui machinali saxa volvunt pondere
Tripedes caballos, terga ruptos verbere.

Ideo literatores Græci καβάλλης dici putarunt, ab injiciendis oneribus, quod voce καββάλλειν Doribus usitata pro καταβάλλειν putabant significari: ab illis terga ruptis transtulerunt ad cujuscunque equi ἀπλισμὸν ac vilitatem declarandam. Lucilius, *succussator tardus caballus*: cui opponitur apud eundem, *equus gradarius, optimus vector.* Seneca epistola LXXXVII. *O quantum erat seculi decus imperatorem triumphalem, censorium, & quod super omnia est, Catonem uno caballo esse contentum*: apud Petronium παροιμιῶδες illud, *lassus tanquam caballus in clivo*: quod proverbium aliter extulit Ovidius in primo Remedii:

Principio clivi noster anhelat equus.

Paulus Aquilegiensis diaconus libro historiarum XI. Socratis verba Latinè vertens, *caballos* vocavit, quos ille asinos. Socratis verba: παρείλε δὲ καὶ τὸν δημόσιον τῶν χρειῶν δρόμον, οἷον ἡμιόνων, βοῶν καὶ ὄνων vertit: *abscidit quoque etiam publicum cursum mularum & caballorum*: in Cedreni libris, pro bobus qui à Socrate nominantur, ponuntur cameli: ut dubitari possit num apud Paulum *camelorum* scribendum sit pro *caballorum*: appellatur autem Caballinus fons Persio ἡ ἵππου κρήνη montis Heliconis: non in contemptum ipsius fontis, qui unà cum monte & universo tractu Musis erat sacer: sed in odium istorum pseudopoëtarum: similiter Juvenalis cum de perfido Græculo Bareæ delatore loqueretur, ipsum equum alitem Pegasum, poëtis decantatissimum, caballi appellatione afficit:

Stoicus occidit Baream delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Non quod Pegaso, quem in cœlis vetustas collocavit, vellet ire detractum: sed quia Græcos male oderat: nominatim Corinthios, è quibus erat ille sycophanta qui Baream afflixerat: insigne autem urbis Corinthi erat Pegasus, ut scimus ex antiquis nummis. Unde nata sit in animis veterum hæc opinio, quasi Aganippe & Hippocrene fontes poti inspirationem facerent literarum, non tacet Solinus: videtur ea persuasio incessisse hominum mentes post Homeri & Hesiodi tempora; nam Homerus nusquam illorum fontium meminit: ne tum quidem cum de Phemio cantore αὐτοδιδάκτῳ (*à seipso docto*) loquitur. Hesiodus Hippocrenen quidem nominat, initio Theogoniæ: sed de haustu aquæ illorum fontium, οὐδὲ χρῶ: quanquam posteriores Græci poëtæ, quod Hesiodus canit repente se factum poëtam, Μουσῶν ἐμπνευσάντων αὐδὴν, (*Musis inspirantibus sermonem*) etiam ad potum Hippocrenei fontis retulerunt. Alcæus in epitaphio illius:

Τοίην γὰρ καὶ γῆρας ἀπέπνεεν, ὁππία Μουσῶν
Ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων.

(*Talem spiravit vocem senex, puris novem Musarum libatis laticibus.*)

Idem leges apud alios quoque.

Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini.) Quemadmodum illi fontes, de quibus modo dicebamus, poti credebantur facere poëtas: sic vicini montes Helicon, Cithæron, & Parnassus, eos qui conscenderent, aut inibi versarentur. Hæc quoque superstitio recentior est illis antiquissimis poëtis Homero & Hesiodo: apud quos nihil simile est invenire: præbuit tamen Hesiodus huic fabulæ occasionem, cum caneret, poëticâ se facultate donatum fuisse,

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.

(*Agnos pascentem sub Helicone divino.*)

Ait factum se poëtam cum pasceret oves in Helicone: insecuta ætas accepit, quasi dixisset, ideo poëtam evasisse, quod in Helicone esset versatus. Ac quoniam solebant ægroti in Æsculapii vel Apollinis templis incubare, ut insomnia captarent, quibus morborum remedia præscribi credebant: eum morem & superstitionem ad suos illos montes transtulerunt, sibique persuaserunt, eos qui in illis montibus somniassent, repente poëtas existere. Propertius libro III.

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra
Bellerophontei qua fluit humor equi:
Reges Alba, tuos, & regum facta tuorum,
Tantum operis nervis hiscere posse meis.

Contra Persius, poëtam se negat, quia non somniarit in Parnasso. In antiquis scholiis legimus tangi heic Ennium, qui dixerit se vidisse somnium in Parnasso, Homerum sibi dicentem, quod ejus anima in ipsius esset corpore, tangit hoc ipsum Ennii somnium & Propertius ibidem, sed paullo aliter. In antiquissimis membranis è bibliotheca præstantissimi viri Claudii Puteani, per unicum S. scribitur *Parnaso*: quomodo & in aliis melioris notæ codicibus semper fermè offendimus: sic Græcos variè scribere observabamus Παρνασσὸς, Παρνασός, Παρνησσὸς, Παρνησός, &c.

Παρνη-

Παρνηθὶς quoque, si fides Hesychio, nec vicinitate duorum nominum deceptus, Parnethem Atthidis montem cum hoc Phocidis confundit. Nugantur Græci grammatici Parnassum quasi Larnassum fuisse dictum: quod in eo monte diluvii λάρναξ, hoc est, arca constitisset: nos alibi dicebamus & Bœotis & vicinæ Phocidis pleraque loca à Cadmo & aliis Phœnicibus aut Syris fuisse condita: cujus rei, etiamsi Plutarchus atque alii historici siluissent, appellationes tamen ipsorum manifestam fidem facerent: ab ea origine est huic monti nomen: פרנס *Parnes* Syris est νέμειν: & פרנסין *parnasin*, pastores: inde Parnassus αἱ νομαί; sic montem dixerunt ubi greges suos pascebant, similiter à verbo פרנק *parnak* sive *pharnak* fuit in Asia usitatum nomen Pharnaces: cui respondent Græca Hedycharis & Hedyllus, nam Syrum verbum significat ἡδυπαθεῖν. Mons quoque Helicon ab הלק *Halac* videtur appellatus quod eo loci convenirent: Cithæron à קתר *Katbar* rupes: omitto similia nomina in eodem tractu multa, quæ ad eandem originem facile fuerit revocare: sed hæc alius sunt loci.

Ut repente sic poëta prodirem.) Mira emphasis in his verbis, non satis habuit dicere *repente*, hoc est ἐκ τοῦ παραχρῆμα, sine ullo temporis impendio: cujus vel plurimi jactura solent coli Musæ, sed addit *sic*, id est, ὡς εἶχεν παιδείας ἢ ἀπαιδευσίας ὅτι εἰς τὸ ὄρος ἀνέβαινον: (*qualiscunque mea esset, major minorve, peritia, cùm montem ascendi*) quasi ex afflatu numinis Parnassum insidentis illiteratissimi quique fierent poëtæ; *prodire* verbum duplicem notionem habet: modo simpliciter προέρχεσθαι, dare se in cospectum: modo idem est cum existere, & subito emergere, ut Sol ἀνατέλλων, (*oriens*) vel aliquis è machina Deus comicus.

Heliconiadas pallidamque P.) Imperiti poëtæ nihil nisi Heliconem & Pirenen cæterasque Musarum sedes in ore habebant: his ut se quam dissimillimum probaret noster, cedere se illis ait, & Helicone & locis id genus omnibus: non adeo quod Musas & sacra Musis loca parum veneraretur: sed ut longissimè se abesse ab istorum tumido fastu & opinione sui significaret, similis locus initio Satiræ quintæ, ubi non aliter accipiendus ille versus, *Grande locuturi nebulas Helicone legunto.* Vides non simpliciter Heliconem repudiari, sed eos qui in Helicone nebulas legerent: hoc est, typhi & vanæ δοκησισοφίας ac confidentiæ pleni, in poëticæ studiis versarentur. Rectè meliores omnes libri, *Heliconiadas*, non ut in nonnullis *Heliconides*: utrunque admittit Græca analogia: sed non vulgari usus judicio poëta doctissimus *Heliconiadas* maluit: etsi alterum lex metri potius suadebat: ratio autem est, quia aucto syllabarum numero, ac præsertim inserta vocali grandisona *a* versum effici videbat amplioris soni & κομπωδέστερον· quod optime conveniebat sententiæ, qua inflatas jactationes inanium hominum suas nugas magnificantium, derideret. Peculiaris laus magnorum ingeniorum, aptare affectibus voces, quod tentarunt multi, præstiterunt autem duo illi omnis doctrinæ apices, Homerus & Virgilius.

Pallidamque Pirenen) Latini poëtæ inter sacratos Musis fontes Pirenen censuerunt, ut hoc loco Persius, & alii passim. Græci tamen scriptores, quorum hoc erat pontificium, nihil ejusmodi agnoscunt, neque poëtæ, neque geographi: nam quod refert Pausanias, de simulacro Apollinis, ad hunc fontem, nihil ad rem. Ego non dubito hanc Romanorum opinionem ex illorum errore ortam esse, qui duos fontes Hippocrenen in Helicone Phocidis, & Pirenen in Acrocorintho, incogitantia, vel etiam imperitia rerum geographicarum confuderunt: multa enim peccant poëtæ etiam primarii in locorum nominibus: hic vero error eò facilius admissus atque usu confirmatus est, quod uterque horum fontium auctorem habuit Pegasum Bellerophontis: excitatus uterque impressione ungulæ illius equi volucris. Vetus Persii interpres qui meminerat Musas in Helicone & illo Phocidis tractu habitare, non dubitavit Pirenen interpretari hoc loco de fonte Heliconio: id vero commentum proclive refellere: neque enim dubitare possumus, quin Musicus iste fons, ille ipse sit, quem in Acrocorintho describit Strabo cum omnibus geographis. Statius, Genethliaco Lucani.

> *Lucani proprium diem frequentes,*
> *Quisquis collibus Isthmiæ Diones*
> *Docto pectora concitatus æstro.*
> *Pendentis bibit ungulæ liquorem.*

Idem Thebaidos libro III.

> *It comes Inoas Ephyre solata querelas,*
> *Cenchreæque manus: vatum qua conscius amnis*
> *Gorgoneo percussus equo.*

Notat ibi Lactantius vetus: *equo Pegaso, cujus ungula percussus locus, fontem effudit, qui Hippocrene dicitur: hoc enim fonte qui labra proluerit poëta fiet.* Vides similem errorem eruditi grammatici, ei quem notabamus in Persii scholiasta: quia

enim

enim ſciebat fontem Muſis dicatum Hippocrenen dictum fuiſſe: falſo pro Pirene Hippocrenen heic hariolatur. Pirene fontis aqua διαυγὴς καὶ πότιμος (*limpida & potabilis*) Straboni dicitur, Pauſaniæ etiam πιεῖν ἡδύς (*dulcis:*) & apud Athenæum, omnium leviſſima: quod igitur pallidam Pirenen vocat ſatiricus, vel ad fabulam referendum, & luctum Pirenæ matris Cenchriæ, ex cujus lacrymis fontem hunc manaſſe fabulantur auctore Pauſania: vel ad pallorem, quem ſibi etiam ſtudio & arte interdum conciliabant iſti famæ negotiatores poëtæ: potes & ad illuviem referre ac ſquallorem horum quos perſtringit: qua de re in altera prologi parte plura.

Illis remitto q.) Meliores libri & Puteani membranæ, *remitto*: alii codices *relinquo*: ut in adfini ſententia ſatira quinta:--*menſáſque relinque Mycenas*: non aliter perantiquæ clariſſimi viri Jacobi Bongarſii membranæ: perplacet *remitto*, ſignatum verbum apud optimos ſcriptores hac notione, cum aliquid παραιτούμεθα & rejicimus vel oblatum.

Quorum imagines lambunt Hederæ ſ.) Hoc eſt ambitioſis hominibus, qui non quod literas verè ament, aut quia divinæ poëtices præſtantiam intelligant, Muſas colunt: verùm ut nomen ſibi pariant, & judicio inſani principis aliorumque imperitorum, honores mereantur legitimis poëtis debitos: non ſine ſatirico ſale poëtas δοξοκόπους (*vanos*) hac periphraſi deſcribit, ut apparet ex verbo *lambunt*; quod tranſlatum eſt à canibus, queis proprium lambendo bibere: heic valet undique cingere, περιστεφανοῦν vel πυκάζειν. apta vox indignanti, ut apud M. Tullium de cohorte Verris, *cohors horum canum, quos tribunal meum vides lambere.* Fuit illud majorum inſtitutum præclarum, dedicandi in bibliothecis quà publicis, quà privatis imagines & ſtatuas doctorum, eaſque ſempervirenti hedera coronandi: ſed hunc honorem Perſius vir cordatus, non faciebat nauci: qui ſciret ætate ſua dignis indignis, imo his potius, eum deferri. Virtutis enim præmia tum demum à ſapientibus honeſta & expetenda exiſtimantur, cum pro meritis conceduntur: eadem ſi per gratiam vel ex libidine dividantur, non jam virtutis ſunt teſtimonia, ſed fortunæ faventis: extat in eam ſententiam elegans Polliani epigramma dignum quod heic obiter exponamus; male enim vulgo accipiunt:

Εἰ μὴ χαίρω Φλῶρε, γενοίμην δάκτυλος ἢ πούς
Εἷς τῶν σῶν τούτων τῶν κατατετορνευμένων.
Χαίρω νὴ τὸν κλῆρον, ὃν διεκλήρωσας ἐν ἄθλοις
Ὡς ἀεὶ χηρείας τοῦ στεφάνου μερίδος.

ineptulus poëta Florus in agone Muſico, non ſuo merito, ſed inopia vel imperitia antagoniſtæ, vel etiam perverſo eorum judicio, quorum ea fuerat cognitio, coronam adeptus, honore illo ſuperbus, familiari ſuo Polliano ſuccenſebat, quod ſibi non gratularetur: eamque ceſſationem invidiæ adſcribebat, quaſi eſſet ſua corona ἀλγηδὼν ὀφθαλμῶν (*dolor oculorum*) Polliano: qui reſpondens illi hoc tetraſticho, *Ego verò*, ait, *ô Flore, niſi gaudeo, fiam eorum pedum unus quos tu in tuis chartis torques miſerè:* hoc eſt, male peream. *Gaudeo inquam: idque ita eſſe juro tibi per Fortunam, & ſortem, qua favente tibi, coronam poëticam ita nactus es, ut in diviſione hereditatis quæ parentum morte obtigiſſet, partem opimam.* Hoc vult Pollianus: gaudere ſe & Floro gratulari, non quidem ut præmium ingenii ac doctrinæ adepto: ſed ut Fortunæ munus conſecuto non pœnitendum. Similis ſententiæ eſt iſtud Senecæ in libello Quare bonis viris mala accidant: *Deſcendiſti ad Olympia: ſed nemo præter te: coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, ſed tanquam conſulatum præturamve adepto.* χηρεία μερὶς Polliano dicitur, pars quæ ſortitò evenit è parentum hereditate; non eſt enim, ut quidam putarunt ſubſtantivum χηρεία: ſed eſt à χηρεῖος, undè, apud poëtam vox χηρεῖος; propriè χῆρος de viduo aut vidua: ſed & de orbis dicitur, ut & Heſychius adnotat. Cum è certamine par virtutis teſtimonium referebant ambo antagoniſtæ, tunc victores ambo ſine victoria, aut potius ut Theocritus & Polybius eos vocant, ἀήττητοι, (*invicti*) præmium Deo conſecrabant, cujus id feſtum erat, ſicut teſtis eſt A. Gellius lib. XVIII. cap. II. quod alibi Seneca vocat *hieram facere*; interdum ubi χρηματίτης erat ἀγὼν, (*certamen pro pecunia*) præmium æquis partibus utrique cedebat: ubi erat corona præmium, videntur vel forte litem diremiſſe, vel arbitrio judicis. Ut non ſine cauſſa hanc quæſtionem olim tractaverit Chryſippus in libro de officio judicis, propoſita ſpecie duorum curſorum, qui metam ſimul attigiſſent; teſtis Plutarchus, qui in libro Περὶ Στωϊκῶν ἐναντιωμάτων de Chryſippo loquens, ait: ἐν τῷ Περὶ τοῦ δικάζειν ὑποθέμενος δύο δρομεῖς ὁμοῦ συνεμπίπτειν, (ita lego, non συνεκπίπτειν, quod tamen poteſt utcumque exponi)

ἀλλήλοις, διαπορεῖ τι τῷ βραβευτῇ καθήκει ποιῆσαι· ὥσπερ, φησὶν, ἔξεστι τῷ βραβευτῇ τὸν φοίνικα ὁποτέρῳ βούλεται ἀποδοῦναι, κἂν τύχωσιν αὐτῷ συνήθεις ὄντες, ὡς ἂν ἐνταῦθα τῶν αὐτοῦ τι χαριζόμενοι πρόπον τινὰ· ἢ μᾶλλον, ὡς κοινοῦ τοῦ φοίνικος γεγονότος ἀμφοτέρων οἱονεὶ τινὸς κλήρου γενομένου ἐναλλὰξ κατὰ τὴν ἐπίκλησιν, ὡς ἔτυχε δοῦναι αὐτόν. Dubitat Chrysippus, debeatne brabeuta palma uti tanquam sua, & utri libuerit deferre: an potius rem, utrique jure quæsitam, ei adjudicare, qui sorte arbitra abstulerit: ex hoc loco intelligimus quid sit κληρονομικλήρων in Polliani versu.

Hederæ sequaces.) Leonides poëta Græcus πολυπλανέα κισσὸν dixit, Virgilius quoque & Catullus *errantem*. Philippus in epigrammate tribuit ἑρπυστὴν σκολιόποδα hederæ, & ait χορίνεα, quod explicant superiora. Sic autem antiqui lyrici, inquit Servius, *flexipedes hederas* dixerunt.

Ipse semipaganus Ad sacra vatum carmen affero nostrum.) His verbis præcipua carminis hujus intentio continetur, ut jam diximus, neque repetemus: *semipaganum* se appellat quasi inchoatum poëtam dicas, ut non penitus ἀποσοκλειστον, (*exclusum*) ita assistentem adhuc in cortina, & tantum ἀκροθιγῶς ἁψάμενον τοῦ λέβητος (*summis digitis lebetem contingentem.*) modestiam appellationis hujus opponit arrogantiæ poëtarum μουσοπατάκτων (*à Musis percussorum: sive, divinum instinctum stulte jactantium*) de quibus dixit. Notissimum est, paganus & miles esse τῶν πρός τι (*relata.*) Vita in literis militia quædam est, aut quasi militia, ut placet Jurisconsultis; imo vero Latine loquentibus omne ἐπιτήδευμα, (*studium*) & functio muneris publici aut privati *militia* dicitur: paullo aliter Plinius epistola ad Rufum, libro VII. *Ut in castris, sic etiam in literis nostris sunt plures cultu pagano, quos cinctos & armatos: & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus invenies.* Simili translatione dixit Lactantius libro primo, *oratores veterani suæ professionis*: & similia multa alii auctores; *paganus* cum vero militi opponitur, est ὁ ἀστράτευτος: (*immunis à militia: non conscriptus*) cum quasi militi, ὁ ἰδιώτης. *Semipaganus* ὁ ἡμιέργου σοφίας ἢ ἡμιπαγοῦς λαχών: ut loquitur Philo Περὶ γεωργ. sic ἡμιέργου τὴν ἐπιστήμην κτήσασθαι apud Simocatum: non dissimile est apud Pindarum in III. Nemeonic: ἄρ᾽ ἐπαῖς ἀπλῶ νέῳ χρόνεται, de Poëtis vere semipaganis, & ἀχείρητα χαρδίαν. Græci hujusmodi homines ἡμιτελεῖς τελείους vocant, ut Dionysius Hal. & ἀκροθίγας, idem alibi: atqui mira vox, nam passim leges ἄκρως παιδευθείς pro perfecte docto: sed vocis ἄκρος anceps notio Græcis: verba illius eruditissimi critici ita corrige in libro De dicendi vi Demosthenis, τοὐναντίον γὰρ μᾶλλον ὑπολάβοι τις ἀνὴρ, μήτε ὀλιγόπονος, μήτε ἀψίκορος, μήτε ἀκρόσοφος. (*contrarium potius sentiat, qui modo nec ignavus, nec fastidiosus, neque semidoctus fuerit.*) nam depravatissime pro ἀψίκορος editum τερψίκορος. Est & aliter hanc vocem interpretari: ut *semipaganum* se eo dicat Persius, satirarum scriptor, quia sine fabulis, quas non admittit genus hoc carminis, nulla censebatur esse poësis legitima: poëta ergo dicetur ob numeros, quibus ceu vehiculo à veris poëtis mutuato, sublimior incedit ejus oratio: at poëta semipaganus & ἡμιτελής, eo quod carmina illius fabulis careant. Plutarchus multa in hanc sententiam in commentario. Quomodo juveni legendi sunt poëtæ: & longe prior illo graviorque auctor Aristoteles, animam poëseos, fabulam esse pronunciavit: placebit opinor, nonnullis hæc interpretatio: nos scimus menti auctoris priorem convenire: à qua errabit quicunque discesserit.

Ad sacra vatum carmen affero nostrum.) *Afferre carmen ad sacra vatum* generaliter exponi potest, de omnibus qui poëmata sua recitabant veterum more, aut aliter publicabant: quod φέρειν εἰς μέσον (*proferre in medium*) dicit Plutarchus Περὶ τοῦ ἀκούειν. Sicut athletæ priusquam legitimi agonistæ censerentur, nomen dare tenebantur, & probari, quod ἀπογράφεσθαι & ἐγκρίνεσθαι dicebant: sic qui accenseri numero poëtarum volebant, poëtis carmina sua communicabant, & judicia illorum experiebantur: hæc erat illorum ἀπογραφὴ καὶ ἔγκρισις. Commune est omnium artium ut sacra habeant sibi propria: in Euthydemo Platonis leges τὰ ἱερὰ τὰ σοφιστικά: apud poëtas passim sacra & ὄργια Musarum: ut apud Aristidem κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, qui eloquentiam corrumpebant dicuntur χραίνειν ὄργια Μουσῶν, id est, sacra oratorum: diversa sunt ab istis rhetorum τεχνολόγων sacra, quorum meminit Quintilianus libro V. sub finem: *Peregisse mihi videor sacra tradentium artes.* Manilius initio operis gemina sacra commemorat *Carminis & rerum*, hoc est, poëtarum & astrologorum. Firmicus libro II. *Nunc tu qui hos libros legere conaris, cum natura sacris imbutus, atque initiatus sacrali operi disciplinæ fueris*: & docti μύστας se, ἱερεῖς, & sacerdotes vocant, ut Ulpianus Jurisconsultos, *Justitiæ sacerdotes.* Statius Lucanum *Romani chori sacerdotem*: Synesius ep. XCIX. de Theotimo poëta, αἰδοῖ Μουσῶν τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν ἄξιον σέβειν.

(*reve-*

reverentia Musarum sacerdotes illarum fovere, & honore prosequi æquum est) ita passim. Nihil vetat hunc Persii locum ita accipere: quia tamen consuetudo fuit tum Romæ, ut in æde Apollinis Palatini docti convenirent, & sua scripta eo deferrent, præstat ex eo more poëtæ verba interpretari, quomodo illa superius accipiebamus.

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε?) Hæc jam altera pars prologi hujus, quam diximus totam esse διασυρτικόν. Nam eorum interpretatio pridem explosa, qui arbitrati sunt de se poëtam heic loqui, & caussam afferre, cur ad versus faciendos animum appulerit: egestate nempe fuisse coactum, & fame: næ ridiculi homines erant, & rerum omnium imperitissimi, quibus de tanto viro, natalibus, opibus, eruditione conspicuo, &, quod omnia superat, severissimæ disciplinæ alumno, tam absurda sententia potuit probari. Scilicet morum publicorum censuram suscepisset Persius, quod operis hujus est argumentum, si paupertate adactus mercedulæ ac stipis miseræ desiderio opus instituisset? Non igitur de se hæc Persius: verum de illis ipsis poëtis, quibus modo dicebat, se remittere, Heliconiadasque pallidamque Pirenen. Quamplurimos tum Romæ res familiaris domi angusta impellebat, audere aliquid in literis: multi ad forum se conferebant: plures cum agere caussas nescirent, aut nimis laboriosum putarent, ad poëtices studium tanquam in portum confugiebant. Petronius Arbiter Persio æqualis, *Multos, ô juvenis, carmen decepit: nam ut quisque versum pedibus instruxit, putavit se continuo in Heliconem venisse: sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum faciliorem refugerunt; credentes poëma facilius extrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam.* Ad istos falso creditos poëtas referendi sequentes Persii versus. Nam quod illi impudentes jactabant, somniasse in Parnasso, & ab ipsis Musis fuisse doctos: id Persius refellit, veram afferens caussam, quæ misellos ad templa Musarum, tanquam ad egestatis suæ asylum compulisset: ut vel ex eo appareret, horum scripta non poëtarum γνήσια esse γεννήματα, (*genuinorum fœtus*) sed infelicium ingeniorum ἀμβλώματα quædam & παρὰ φύσιν ἐκτρώματα (*immaturos quosdam & monstrosos abortus.*) Comparat istos Persius cum avibus, quæ natura sua humanæ vocis ignaræ, arte tamen eo perducuntur, ut nostra verba conentur. Natura avitio generi ψόφον & φωνὴν (*sonum & vocem*) dedit: διάλεκτον (*sermonem*) propriam hominis dotem non dedit. Strepere igitur, sonum ac vocem edere possunt: articulate loqui, non possunt: paucæ quædam inter aves reperiuntur disciplinæ capaces, quas cibo prius abstentas, magistri partim verberibus, partim blandiente cibo, humanam vocem cogunt imitari. Tres heic nominantur ejus generis, psittaci, corvi, picæ; possunt his addi, turdi, sturni, lusciniæ, erithaci (qui sunt iidem æstivi phœnicuri,) merulæ, cornices, & saru Calicutensis: è quadrupedibus unica hyæna Indica sive crocotta: de cujus voce humanam exprimente, & pernicie certa auscultantium, præter geographos, multa Porphyrius III. Περὶ ἀποχῆς. Ingeniosissime Persius cum istiusmodi avibus componit famelicos poëtas: illæ, ut discant loqui, naturæ suæ vim faciunt: hi, ut versum pedibus instruant, genio atque ingenio destituti, egestate coguntur: atque ut illæ aviditate cibi qui ostentatur, in loquellam humanam erumpunt: ita isti, in adyta penetrare Camœnarum nituntur, spe lucelli infelicis: cujus si luculentior spes aliqua affulserit, tum vero illi superbire, & caput cœlo inferre sibi videri: hæc mens sequentium septem versuum.

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε.) Duobus verbis idem dicit, *expedivit* & *docuit* sequenti versu: ignorantia & ἀδυναμία est instar vinculi, quo ingenium alligatum est, ut πέδῃ (*compede*) pes: solvitur eo vinculo atque expeditur ignarus cum docetur; unde dicitur λύσις, solutio δέσεως (*ligationis*) quæ mentis discursum, sive διάνοιαν impediebat, ne ulterius progrederetur. Aviariorum industria instituuntur ad loquellam, & psittaci & picæ, ac cæteræ loquaces & κωτίλαι aves: horum meminit Manilius libro quinto:

Quinetiam linguas hominum, sensusque docebit
Aërias volucres, novaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ sorte negata.

Firmicus ex Manilio, sed non ex mente Manilii usquequaque libro VIII. c. XIV. *In Sagittarii parte decima oritur Cygnus: hoc oriente sydere qui natus fuerit, aut aves capiet, aut mercabitur, aut ingenioso studio avibus humanæ vocis sonum insinuabit.* Quomodo autem doceantur ad speculum hujusmodi aves, explicat Gregorius Naz. pulcherrimis hisce versibus:

Ψᾶρες μὲν λαλέουσιν ὁμοίιον ἀνθρώποισι,
Φωνῆς ἀλλοτρίης ζηλήμονες· ἐν ἐδίδαξεν
Εἴδωλον ἔσοπτρον κατ' ἐσόπτρεον φωνῆεν
Ψῆρος, κρυπταδίην τε ἰεὶς ἄπο κερδαλέος φώς.

 (Sturni

(*Sturni etiam loquuntur velut homines*
Alienæ vocis imitatores; quam docuit
Imago in lucido speculo visa
Sturni, clam verò vocem edens callidus vir.)

Suum χαῖρε.) Ut plurimum docebantur hæ aves salutationis verba, vel singula, χαῖρε, *Ave*, *Salve*: vel paullo plura, ut κύριε πίε apud Simplicium: vel ὦ πρόβε, & Ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα inquit Philostratus: sic Apsephæ regis Libyæ psittaci, quos dimisit doctos canere, Ἀψεφᾶς θεός ἐστι: interdum etiam plurium vocum versus aut sententias docebantur: ut illi corvi, qui admirationi fuerunt Augusto ex Actiaca victoria reverte̅nti, quorum alter institutus fuerat dicere, *Ave Cæsar, victor, Imperator*: alter, *Ave victor Imperator Antoni*: sed majoris admirationis est, quod Plinius ait, & sæpe audivimus, discere aves non loqui solum, & paucas voces reddere, quas docti fuerint: verùm etiam sermocinari, & ad interrogata respondere, ac domesticorum peccata indicio suo prodere. Porphyrius, De abstinentia ab esu animalium, libro III. hoc argumento probare nititur, non esse omnino bruta animalia ratione destituta: εἰ φαίνεται, ait, καὶ ἡμᾶς μιμούμενα, καὶ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν ἐκμανθάνοντα, καὶ συνιέντα τῶν ἐφεστώτων, τίς οὕτως ἀναιδὴς, ὡς μὴ συγχωρεῖν εἶναι λογικὰ διότι αὐτὸς οὐ συνίησιν ἃν λέγουσι; κόρακες γοῦν καὶ κίτται, ἐρίθακοί τε καὶ ψιττακοὶ, ἀνθρώπους μιμοῦνται, καὶ μέμνηνται ὧν ἂν ἀκούσωσι, καὶ διδασκόμενοι ὑπακούουσι τῷ διδάσκοντι, καὶ πολλοί γε ἐμήνυσαν δι' ὧν ἐδιδάχθησαν καὶ τοὺς ἁμαρτάνοντας κατὰ τὸν οἶκον. Singularis apud Cedrenum historia legitur de eo psittaco, qui Leone Basilii filio, per calumniam delato, & à patre in carcerem conjecto, assiduè dictitans, Αἲ αἲ κύριε Λέων, senatoribus à Basilio invitatis, miraculo fuit, quod videretur αὐτοδίδακτος & per se casum heri defleri: lacrymas itaque senatores non tenuerunt, neque ante conquieverunt, quam liberationem Leoni à duro patre tandem impetrarent: non dissimilis corvi illius historia, qui repudiatus ab Augusto dixit, *Opera & impensa periit*, ut refert Macrobius.

Verba nostra conari.) Legitur in nonnullis *blandiri*, quod omnes membranæ repudiant: nec minus illum barbarum & ridiculum versum qui à nonnullis inter hunc & præcedentem collocatur. Apage à tam docto poëta tantam labem: aptum verbum heic *conari*: sicut dixit Quintilianus in prima institutione de infantibus, *futurus eloquentissimus, loqui primum incerta voce tentavit*: & Minutius Felix, eos *dimidiata verba tentare.*

Magister artis, ingeniique largitor venter, n.) Venter quidem, hoc est, fames & egestas ingenium non largitur: è contrario potius, multis cum illos res adversæ premunt, ingenium minuit, & virtus atque omnes animi vires: quod Poëta intellexit, cum dixit, perire dimidium virtutis ei qui servus fiat: Ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀπαμείρεται δούλιον ἦμαρ. & Plato negat, ullum animal mœstum canere, οὐδὲν ζῶον λυπούμενον ᾄδει. Juvenalis etiam satira VII. multis disputat. magnum & perfectum poëtam esse non posse, hominem egenum, & ἀχορήγητον, ut loquitur Aristoteles in sententia non dissimili, cui non adsit, *Anxietate carens animus*: ideo dicebat Joannes Chrysostomus, sollicitudinum assiduitate aciem ingenii hebetari, & graviorem plumbo effici, qui prius ales poterat videri. Sic ille in libro De sacerdotio: ἤδη δὲ καὶ φροντίδες συνεχεῖς ἤμβλυναν τὸ τῆς διανοίας ὀξὺ, καὶ μολίβδου βαρύτερον τὸ πτηνὸν ἀπειργάσαντο. & jam ibidem dixerat, vel maximas ingenii vireis ad extremam imbecillitatem assiduis curis redigi: ἡ ἀθυμία, inquit, καὶ αἱ συνεχεῖς φροντίδες δειναὶ καταβαλεῖν ψυχῆς δύναμιν, καὶ εἰς ἀσθένειαν κατάγειν τὴν ἐσχάτην. Præterea quis nescit, ingenium earum virtutum esse, quæ à natura ingenerantur, non arte vel studio parantur? Quomodo igitur *magister artis & ingenii largitor venter*, sive paupertas? nam hoc ἄνω κάτω θρυλλοῦσι, atque affirmant Græci Latinique scriptores. Theocritus non solum magistram artium inopiam vocat, sed etiam addit solam: Ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει: è scena est ille versus sententiæ ejusdem, sed moderatior: Λιμὸς δὲ πολλῶν γίγνεται διδάσκαλος. (*fames multorum magistra*) Archytæ Pythagorei est, χρεία πάντ' ἐδίδαξε· τί δ' οὐ χρεία κεν ἀνεύροι; *necessitas omnia docuit: quid non inveniat necessitas?*) omitto similes his Græcorum χρείας: quibus & Latini consentiunt. Plautus Sticho:

——*paupertas fecit ridiculus forem,*
Nam illa omnes artes perdocet, ubi quemque attigit.

Manilius libro primo:

Et labor ingenium miseris dedit; & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

his verbis Manilius non solum idem dicit quod Persius: sed etiam quæstionem omnem solvit: re vera enim, neque opes, neque paupertas, aut minuunt, aut acuunt ingenium per se: verum ideo hæc laus paupertati tribuitur, ut mater artium credatur, quia *premendo jubet advigilare sibi*, ut dicit Manilius: cujus mentem non possum interpretari melius quam verbis aurei doctoris Joannis Chrysostomi: qui è calamitatibus hanc utilitatem

tatem percipi docet, quod vagum animum, & circa multa hiantem, ſerio cogit attendere, atque ad ſeipſum convertit. Verba illius ſunt in quarta ad populum Antiochenum: *ἡ θλίψις εἰς σπουδὴν ἐπανάγει, καὶ πολλὴν κατάνυξιν ἔχει, καὶ περὶ πολλὰ τὴν διάνοιαν κεχηνυῖαν, πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφει.* Eandem cauſſam reddit philoſophus, cur plures reperiantur, qui adverſam fortunam recte ferant: quam læta qui utantur bene. Quod igitur ſæpe accidit, ut deſperatio ſalutis, victoriam & ſalutem afferat: idem in reliqua fit vita: & ut Laberius ait, *Calamitas virtutis eſt occaſio. οὐδὲν γὰρ τοῦ πάσχειν εὑρετικώτερον, (nihil dolore, vel miſeriâ ſagacius)* inquit Gregorius Naz. quod non in ſola paupertate verum eſt, ſed in omni dolore etiam ex alio quovis affectu. Hinc credita Ariſtoteli ira fortitudinis cos: etiam poëticæ facultatis cotem dixeris, quia ſæpe, quod Juvenalis ait,

Si natura negat, facit indignatio verſum.

Propterea vetuſtiſſimi ſapientes Amorem, quem inter naturæ principia ſtatuebant quaſi efficientem cauſam, matre Penia, patre Poro dixerunt ortum: quod *μυθολόγημα* pluribus explicant Platonici ad mellitiſſimi ſui doctoris Sympoſium. *Ingenii* nomine docilitatem, memoriam & cæteras intellectus virtutes appellari, docet M. Tullius, v. De finibus: & has acuit paupertas, & alterius generis morales, in voluntate poſitas Antiphanes, *Πενία γάρ ἐστι ἡ τρόπων διδάσκαλος (paupertas morum magiſtra.)* Æſchylus in Agamemnone:

> —— *αἱ νήστιδες*
> *Δύαι διδάσκειν ἐξοχώταται, φρενῶν*
> *Ἰατρευμάτων.*

quod vulgo Græci brevius, *παθήματα, μαθήματα.*

Negatas artifex ſequi voces.) Helleniſmus notiſſimus, *artifex ſequi*, ut ſatira prima, —*nec ponere lucum Artifices.* Sed Græci in ſimili ſententia *δεινὸς* dicerent, non *τεχνίτης*. Nihil figura iſta frequentius apud Perſium, & poëtas omnes Latinos. *Sequi* heic valet facere ſequi: eſt enim unum verbum loco duorum poſitum: ſignificat autem, exprimere, dicere. Græci dixeris, *δεινὸς γὰρ ὁ λιμὸς καὶ τὰς ὑπὸ τῆς φύσεως οὐ συγκεχωρημένας φωνὰς ἐκβιάζεσθαι.* negatas voces, ut Manilius ſupra,

Verbaque præcipiet naturæ ſorte negata.

Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi.) Si mendicabula hæc poëtarum Mecœnatem nanciſcantur, adeo ſibi boni videntur poëtæ, adeoque inſoleſcunt, ut cum Bavii ſint aut Mævii, pro germanis tamen Virgiliis haberi poſtulent: *doloſum nummum* appellat, vel communi uſus epitheto, ad ſententiam nullum habente momentum: vix autem ac ne vix quidem magna pecunia ſine dolis ac fraudibus cogitur. Vel doloſus nummus dicitur, non virtute partus, ſed per fœdam adulationem, & opinione falſa cujuſdam in poëſi præſtantiæ: non multo aliter *δολῶσαι κέρδεσι*, dixit Pindarus, pro ſectari quæſtum inhoneſtum, in oda ad Hieronem Pythionicam. *μὴ δολωθῇς*, inquit, *φίλε κέρδεσιν εὐτραπέλοις·* hoc eſt, ne decipiaris lucris blandientibus: neque ſiveris perſuaderi tibi pecuniæ parcimoniam in ſpecie honeſtam, re turpem. Uſus verbo *δολῶσαι*, ut eos perſtringeret qui auctores erant Hieroni ne *ὑστεροφημίαν (famam poſt mortem)* beneficiis in poëtas & hiſtoricos redimeret: non probum eſſe id conſilium, & ridiculos qui darent vocibus illis innuit *δολωθῇς* & *εὐτραπέλοις*.

Refulſerit) Liber Puteani, *refulgeat.* Joannes Saresberienſis libro VII. c. XVI. *Nullum grave periculum eſt, ſi ſpes doloſi nummi refulgeat.* Ita loquitur Perſius, velut de re, quæ repente exiſtat, & caſu quodam. Quia enim non ex merito ipſorum, ſed ex aliorum ſtultitia, malis poëtis commoda hæc eveniunt, optare quidem illa ſemper potuerunt: at ſperare non item.

Corvos poëtas & poëtrias picas.) hoc eſt, malos & indoctos poëtas: ad naturalem earum avium vocem reſpicit, non eam quam edunt cum humanam loquellam imitantur: excellunt enim & corvus & pica in eo genere: at naturalis eorum vox, non ſolum ingrata, verum & infauſta veteribus habita, præſertim corvi, & *κλάζοντος, glocitantis*: & *κρώζοντος, grocitantis*, & cum glucit vocem velut ſtrangulati: diverſos enim ſonos edit corvus, plures pica, de quibus alibi. In pleriſque libris etiam antiquiſſimis, perperam ſcriptum *poëtridas*, aut *poëtidas*: poſterius palam vitioſum; alterum miro conſenſu tuentur vetuſti codices: nec plane analogia caret: nam ut *αὐλητρὶς* ab *αὐλητής*, ita *ποιητρὶς* à *ποιητής*, poteſt formari: melius tamen, *poëtrias*, ut ſemper Græci *ποιήτρια*: cui ſimile eſt *ψάλτρια*, & *σαμβυκίστρια* apud Menandrum. & *συλλογίστρια* apud Origenem tomo v. contra Celſum, & alia multa.

Cantare credas Pegaſcium melos.) Prima fronte videtur idem dicere cum Martiali:

Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones.

atqui plane contraria mens Perſii: hoc vult enim: iſtos *ἀφυεῖς (ineptos & adulterinos)* verſificatores, ſi ſemel liberati fuerint ærumna domeſticæ paupertatis, adeo ſpiritus attollere, ut cum illos videas, aut verſus ſuos recitantes audias, incompara-

parabiles poëtas esse censeas, qui omnium priorum luminibus obstruxerint: *credas* igitur, non ex illorum opibus, aut cum illorum carmina legas: sed cum audias sua prædicantes: *melos* membranæ omnes: etsi dubitationem veterum criticorum produnt scholia vetusta, quæ *nectar* ab aliis scribi testantur. Puto mirum illis visum esse, Persium in carmen Latinum licentiam Græcanicam invexisse: nam si Græcis literis vel levissime tincti erant, quam vim habeant liquidæ consonantes apud illorum poëtas non poterant ignorare. Homerus in duobus continuis versibus hymni in Mercurium, & corripuit & produxit priorem vocis μέλος. Antipater epigrammate in Anacreontem, Ἀκμὴν οἱ λυρόεν μελίζεται ἀμφὶ Βαθύλλῳ, Christodorus in Aglaum, Ἄγλαος εἱστήκει χρησμολόγος ὅν τινα φασί. *Pegasceium* formatio Ionica metri caussa. Πήγασος, Πηγάσειος, Πηγασήϊος, sicut Τήϊος pro Τῆος.

AD
SATIRAM
PRIMAM.

ETIAM hæc satira prima duplici constat argumento, ut supra de prologo dicebamus: nam & heic de se incœptoque hoc suo satiras scribendi agit simul, & de aliorum sibi æqualium studiis ac scriptis. Tota igitur satira ad duo capita refertur: quorum alterum est hoc. Rectè Persium ad satiram scribendam animum appellere, spreto vulgi judicio, potentum gratia, ipsiusque adeo Neronis: periculo etiam quod ab illo & cæteris magnatibus ostendebatur, neglecto. Alterum caput ex priore nascitur, ejusque rationem continet: eo docetur fuse totam rationem studiorum Romæ esse corruptam: non poëtas, non oratores eo animo ad literas accedere quo par erat: aut illas sic tractare ut γνησίους Musarum alumnos deceret: ipsorum denique auditorum universi populi judicia esse perversa: cum nihil vulgo probaretur, nisi quod maximè vituperari mereretur. In fine carminis, velut corollarium adtexitur, versuum XII. quibus philosophorum more explicat Persius, qualem desideret lectorem. Hæc summa est satiræ totius: quam si lubet inscribas licet à majori parte, ut fieri amat, *Contra eos qui literis male utuntur*. Græce dixeris venustè, Κατὰ τῶν ἐξορχουμένων: hunc enim titulum præfixit Aristides vir magnus judicii, diatribæ illi suæ non dissimilis argumenti, quam adversus sui temporis sophistas, rhetoras & oratores conscripsit: mutuatus eam vocem è sacris opertaneis: quæ si quis irreverenter habuerat aut prodiderat ἐξορχήσασθαι dicebatur. Aristidis vero ἐξορχουμένους appellat in ea epigraphe, indoctos & venena solidæ eruditionis: in quos & Persius hac satira, ut diximus, acriter invehitur. Eodem verbo usus Athanasius de Arrio loquens, cujus erat oratio elumbis & viro indigna, ut postea dicemus: πιώτης, ait ille in secunda contra Arrianos disp. ῥήμασιν ἐξορχούμενοι παίζουσιν οἱ ἄτιμοι. paullo aliter Gregorius Naz. de eodem Arrio: at diversa notione de se id verbum usurpavit Synesius epist. CXXXVII. Quoniam autem vetus est etiam doctissimorum querela de Persii obscuritate: nos autem optamus vel pueris planissimum opera nostra eum reddi: age ad majoris interpretationis lucem consideremus satiræ hujus μέλη καὶ μέρη, membra inquam & membrorum partes: quo facilius, cum ex universi carminis, tum ex singularium partium consideratione appareat quod nos quidem contendimus, nullius philosophi orationem scholam gregi suo explicantis, melius cohærere potuisse, quam sint omnes hujus satiræ partes

tes ex ſeſe invicem aptæ atque connexæ. Eam nos *διδαχῆς χάριν* (*docendi gratiâ*) in membra ſive *ὁλοσχερεῖς* (*generales*) partes octo tribuimus. Prima deliberationem Perſii continet cum amico, debeat necne ſatiram ſcribere: eſt enim dramaticum hoc carmen, quod ipſe poëta monet illo verſu, *Quiſquis es, ô modo quem ex adverſo dicere feci.* Rationes igitur inter ſe conferunt Perſius & ille alter, quem ſine nomine introducit ſecum loquentem. Hic Perſio ſuperveniens Satiras meditanti, & jam ſcribere adgreſſo, illum à propoſito conatur dimovere, eo argumento unico, quod genus id poëſeos Romæ lectorem non ſit inventurum: imo contra, ejus auctorem ſint aſpernaturi & principes, & alii proceres, atque uno verbo, populus univerſus. Reſpondet Perſius: non tanti ſe judicia iſtorum perverſa facere, ut eorum rationem in hac deliberatione cenſeat ſibi eſſe habendam: porro autem, à ſatira ſcribenda temperare non magis poſſe, quàm à ridendo, ſi oblata fuerit res ridicula: *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος*; (*ipſum ferrum trahit virum*) & olera ipſa olla legit. Poſtea demonſtrare incipit Perſius, ſatira digniſſima eſſe quæ vulgo Romæ agerentur ab omnibus: ac quò procederet ordine diſputatio, non confertim omnes homines, aut temere obvium quemque arripit: ſed diſtinctè ſingula hominum genera in hoc opere ſpectantur, & examinantur. Igitur ne longe exemplum peteret, eos primum ſermone hoc primo invadit, qui liberalium diſciplinarum ſtudium profitebantur: quorum è numero & Perſius erat, & ille alter qui cum eo colloquebatur: ita ad ſecundam partem fit tranſitus, quæ ibi incipit. *Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim.* Invehitur hac in parte in ſui temporis poëtas: *κακώσεως τῆς μουσικῆς, καὶ φιλοδοξίας* (*malè tractatæ poëſeos, & ambitionis*) eos arguens, quod dicendi ſcribendique leges corrumperent, & literis ad inanem ambitionem abuterentur: ex eo manantia aliquot inſtituta commemorat, exagitatque: illum neſcio quem gravitate cenſoria increpans, qui malæ cauſæ patrocinium ſuum accommodare ſuſtinebat. Tertia pars ſequitur, ab illo verſu, *Quis populi ſermo eſt? quis enim? niſi carmina molli:* qua mollitiem & imperitiam ſcribentium, maximè autem Neronis, ac depravata auditorum judicia, nihil niſi tenerum ac delicatum probantium, feſtivè irridet. Quarta deinde pars ſubjicitur: ea perſtringuntur verborum obſoletorum ſordes, quas ex antiquis poëtis, multi illa ætate repetebant, *ὀρθῆς παιδείας τελέως ἀμύητοι*, (*veræ doctrinæ omninò expertes:*) incipit eo loco: *Eſt nunc Briſ.* Quinta ſequitur pars; tota adverſus eos qui corruptam mollitie orationem in forum introducebant: plus operæ in eo ponentes quo judicis aures titillarent, quam ut cauſſæ juſta exponerent: quæ erat amentiæ ultima linea. Sexto loco fractos orationis numeros exagitat, & Sotadicam poëſim: qua Nero & tota ejus cohors, moribus Sotadicis prædita mirifice delectabatur: Romanus verò populus ita novum inventum mirabatur, ut vulgo jactitaretur, tunc demum poëſim, quam à majoribus imperfectam accepiſſent, omnibus numeris eſſe perfectam: è contrario pronuntiat Perſius, talem poëſim deteſtatione dignam, non ſolum eorum, qui ad poëtices veram laudem aſpirarent: ſed omnium qui hoc ſaltem meminiſſent, viros ſe natos: proinde exoletis eſſe relinquendam: incipit eo loci, *Sed numeris decor eſt, & junctura addita crudis.* Hanc Perſii liberiorem indignationem, quam pro temporibus publicæ ſervitutis ſub principe Nerone excipit familiaris ejus ac monitor: præſens illi à magnatibus periculum denuntians, ſi pergeret hac libertate ea reprehendere, quæ ipſis placerent, maximè autem Imperatori: heic vero Perſius, ironia quadam prius uſus, quaſi conſilium laudaret: mox aperte multis exemplis prolatis ſuam, & omnino publicam libertatem acerrimè propugnat; atque hanc facimus ſeptimam ſatiræ partem, ab illo verſu, *Sed quid opus teneras mordaci.* Octava deinde ſequitur & ultima, ab illo loco, *Audaci quicunque afflate Cratino:* ubi declarat poëta, quibus has ſatiras ſcribat, & à quo genere hominum ſua velit legi: à quibus nolit, ut dictum iſti ſibi putent, *Odi profanum vulgus & arceo.*

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!) Pronuntiatur hic verſus à Perſio, cum defixus in contemplatione rerum mundi hujus, & eorum omnium quæ mortales agimus, illas vanitati obnoxias, hæc pluſquam vana eſſe animadvertens, ſatiram ſcribere inſtituit. Atque hoc verſu unico legem procœmiorum mirifice implevit poëta; & attento & docili auditore facto: ſumma etiam propoſita omnium quæ deinceps erat dicturus: atque adeò omnium quæ in hoc genere dici à quoquam poterant. Omnino carminis ſatirici *τὸ ὑποκείμενον γένος*, & adæquata materia, ut vocant, his verbis continetur: ſimilis apud Juvenalem locus ſatirarum initio:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira voluptas,

Gau-

Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.
Et satira decima item alius;
Ridebat curas; nec non & gaudia vulgi
Et lacrymas.
sed longè exactius ac luculentius noster: qui philosophica tributione usus, nihil quicquam omisit eorum quæ satiricum cachinnum possunt movere, per *curas hominum* intelligit τὰ πραττόμενα & actiones ac studia cuncta mortalium: *rerum* appellationem refer ad τὰ ὄντα: quod genus est diversum & ἀντιδιῃρημένον ἀπὸ τῶν πραττομένων: res dico, non ab hominibus factas, sed à natura creatas: cujusmodi sunt gemmæ, aurum, argentum, & similia his alia, in quibus stupent plerorumque animi: hæc etsi aliter quàm homines, & facta hominum, tamen & ipsa atque adeo universa κτίσις τῇ ματαιότητι ὑπετάγη (*creatura vanitati subjecta est*: Rom. 8. 20.) ut literis quoque sacris erudimur. Scilicet omne hoc & partibus suis quotidie corrumpi, & totum aliquando interiturum Stoici crediderunt: etsi κόσμου φθορὰν (*interitum mundi*) variè exponebant: quod nunc missum facimus: neque enim ad rem pertinet. Nam quod heic res dicuntur inanes, eò potissimum spectat, quia homines illas sectantur fine inani καὶ οὐ χρειῶν, ut explicat doctè Chrysostomus homilia XII. in eam ad Ephesios. Non probo ut hæc duo membra ἐκ παραλλήλου de eodem accipiantur, & rerum quoque nomine actiones intelligantur: quas scimus à philosophis etiam οὐσίας appellari, ut in Theæteto Platonis: sed recta est & vera prior interpretatio. Habemus igitur qua de re sit dicturus: res mundanas & curas hominum: & quid de illis dicturus: nempe vanitatem illarum est demonstraturus: attentionem facit exclamatio: cui non aliter locus, quam ubi res & admiratione digna agitur. Vides quam apto, quam philosophico, quam τεχνικῷ principio utatur Persius? Tali prorsus exordio & regius Hebræorum vates usus, cum illam vere divinam Satiram suam auspicans exclamat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Si librorum sacrorum ut Græcorum poëtarum notitiam Romani habuissent, quis dubitaret de Salomone Persium hoc principium esse mutuatum? nunc ξυμπτώσει (q. d. *coincidentiam*) hanc ut fortuitam agnoscimus, ita mirari satis nequimus: idem enim dixerunt, eodem loco, eodem fere modo. Non multum dissimilis sententiæ vox illa aurea Severi Imper. qui omnia quorum insano amore ardent homines adeptus ipse, & vana expertus omnia, tandem coactus est exclamare, OMNIA FUI, NIHIL EXPEDIT: quam sententiam sapientissimus ille Imp. Marcus, ὁ ἐν βασιλεῦσι φιλοσοφικώτατος, iis quæ de se scripsit, sæpe inseruit: & in quarto ait idem, ὅλον κενόν: quod paulo aliter Persius: *quantum est in rebus inane!* Ut apud philosophos τὸ κενὸν & τὸ ναστὸν opponuntur, sic in ethicis bona malaque, inania & solida. Horatius, *& inane abscindere soldo.* Solida sunt quæ rem cum nomine habent conjunctam: inania sive vana, quæ nomen tantum sine re. Ita dicimus divitias inanes, quæ non præstant quod verarum est divitiarum præstare. Marcus Tullius Tusculanâ v. de Epicureis philosophis: *omne quod honestum nos & laudabile esse ducimus, id illi cassum quiddam & inanis vocis sono decoratum esse dicunt*: quare etiam ἀνύπαρκτα (*non existentia*) vocantur sapientibus, falsa mortalium bona: quia nuda sunt nomina, ea facultate destituta apud vulgus hominum, quam appellatio promittebat, & cujus caussa erant expetenda. Gregor. Naz. in ea quam dixit Juliano censuum æquatori: Διὰ τί ἀγαπᾶτε τὰ μάταια καὶ ἀνύπαρκτα πράγματα; (*quare res vanas & quæ veram non habent existentiam diligitis?*) Nicetas in illum locum: μάταιον λέγεται τὸ κενόν· ὅταν μὲν ᾖ, πρᾶγμα δὲ μὴ οἷον, ὄνομα μὲν πλούτου, πρᾶγμα δὲ οὐδαμοῦ, ὄνομα δόξης καὶ δυναστείας: καὶ μένει τὸ ὄνομα ψιλόν· οὕτω καὶ πᾶσαι αἱ ἡδοναὶ τοῦ βίου καὶ εὐπραγίαι ψεύδονται καὶ ἀπατῶσι: & statim ἴσως τῶν βιωτικῶν πραγμάτων καὶ τὸ εἶναι καὶ τὸ μὴ εἶναι. (*vanum dicitur, quod inane est: cùm nomen quidem in medio est; res autem nominis, minimè: ut exempli caussâ, divitiæ; speciosum nomen; at res ipsa, sive quod huic nomini vulgi opinio affingit, nullibi: ita nomen honoris, potentiæ: quæ mera sunt nomina: vel, quorum nihil remanet, præter nomen: pariter & omnes hujus vitæ voluptates, & prospera, falsò nomine mentiuntur & falsunt. --- Rerum mundanarum & esse, & non esse, eodem redit:*) ideo quæ sunt hujusmodi, nomina appellantur, velut rei appellatione indigna. Synesius epistola LXXVIII. χειρῶν δεῖ τοῦ πολέμου, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν: milites imbelles vocat ὀνόματα. Chrysost. in Matth. Homil. XLIV. Καὶ καλῶς εἶπεν, ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου· πάντα γὰρ τὰ τοῦ πλούτου, ἀπάτη. ὀνόματα γὰρ μόνον ἐστὶν, οὐκ ἐπὶ πραγμάτων κείμενα· καὶ γὰρ ἡ ἡδονὴ καὶ ἡ δόξα, καὶ ὁ καλλωπισμὸς, καὶ πάντα ταῦτα, φαντασία τίς ἐστιν, οὐ πραγμάτων ἀλήθεια. *Rectè autem dixit, Fraus atque deceptio divitiarum: quippe cùm nihil aliud in divitiis sit, præter deceptionem: nomina enim sola sunt in illis de rebus posita. Nam cum voluptas & gloria, tum ornatus & pompa, horumque similia, phantasmata*

quæ-

quædam sunt, nullam rem verè continentia. Idem plura in eandem sententiam Homil. LVIII. & LIX. Hæc igitur ratio est hujus appellationis: nec multo aliter Hebræi magistri vocem הבל apud Solomonem exponunt: at B. Hieronymus in erudita interpretatione ejus libri aliam caussam affert: vanas dici res mundi hujus, non ἁπλῶς, (*simpliciter*) sed ad Deum comparatas: quod sublimius est quam ut videatur ejus in mentem Persio venisse. Curas hominum vanissimas jam olim graphice descripsit Democritus apud Hippocratem, in nobilissima ad Damagetum epistola: ubi familiaris sibi risus caussam explicat Hippocrati. Poterant huc congeri ex Græcis Latinisque scriptoribus multa similis sententiæ: sed quia hujusmodi γνωμικὰ omnibus nota, non committam neque heic, neque aliis similibus locis; ut in re non necessaria supervacuæ diligentiæ laudem videar affectasse: multa ἀθρόως complexus facundissimus vir Joannes Chrysostomus homilia x. in eam ad Hebræos.

Quis leget hæc?) Fingit Persius defixo sibi in his cogitationibus, ac priore versu jam scripto, supervenisse aliquem: qui eos secum sermones habuerit, quos deinceps refert. Tota enim satira instar dialogi cujusdam est contexta: etsi personæ appositæ non sunt: quod sæpe invenire est apud poëtas præsertim satiricos: interdum etiam apud philosophos & sophistas: ubi magnæ oriuntur aliquando tenebræ ex perturbata ratione personarum: sicut insigni exemplo nuper ad Dionem Chrysostomum docebamus: idem & heic accidit: proximos enim versus in vetustissimis quoque membranis perperam distinctos offendimus: atqui nulla erat difficultas: nam præter hæc pauca, *Quis leget hæc?* & *nemo. Hercule*: deinde *Vel duo, vel nemo: durum & miserabile*: item, *Nolo*, omnia sunt Persii ad illa usque, *At pulcrum est digito monstrari.* Non mala autem affertur ratio, cur à scribenda satira deterreri debeat Persius: omnis enim scriptionis finis est lectio: non per se quidem: verùm ideo, quia utilitas quam præcipuè spectamus nulla potest sine lectione percipi. Est autem sapientis, naturam quæ nihil frustra facit, in omni actione suscipienda imitari: sublato igitur scriptionis fine, efficitur scriptionem esse supervacuam: à qua vir sapiens debeat abstinere: hæc quidem rectè: sed alio spectat hic monitor, ut statim indicaturus est Persius.

Min' tu istud ais?) dicitur hoc à Persio, ob vocem repentinam attonito ejus quem nesciebat adesse, aut non cogitabat, in ea quam diximus meditatione totus.

Nemo, Hercule, nemo?) hæc ita distinguenda ut diximus: priora sunt monitoris, quod dixerat cum interrogatione, quæ negationi ἰσοδυναμεῖ, diserte repetentis & jurejurando confirmantis: postrema vox Persii, εἰρωνευόμενος, quasi auditione rei inopinatæ commoveretur.

Vel duo, vel nemo: turpe & miserabile; quare?) Et punctorum ratione & personarum variè accepta hæc verba etiam vetustissimis criticis. In Puteani codice initium versus cum fine præcedentis cohæret: Persio enim tribuuntur: quasi ille non concederet amico, satiras suas prorsus à nemine legendas: saltem enim vel duos vel tres repertum iri, qui legerent; sed monitor non expectans ut inchoatam sententiam Persius absolveret interpellat & subjicit, *nemo*: non est inepta hæc lectio, & quæ seduli monitoris pulcre morem exprimit. In meis membranis totus quidem versus monitori tribuitur, ultima voce excepta: sed prima verba sic σύζευγ (*interpunguntur:*) *Vel duo, vel nemo*: initio concedere poëtæ voluit, non plane ei defuturos lectores; verum illos paucissimos numero futuros; puta duo aut tres: sed statim, ceu nimium dixisset, quod dederat repetit & præcise negat vel unum iri repertum. Lectio aliorum librorum quam probavimus, exprimunt familiaria Græcis dicendi genera, ἢ ὀλίγοι, ἢ οὐδείς, & ἢ τις, ἢ οὐδείς, quoties summam raritatem volunt indicare: quod jam olim Gulielmus Canterus in suis lectionibus erudite observavit: multa & nos exempla adnotabamus: Hippocrates De morbo sacro; οὐκ ἔτι ἢ τοῦτο αὐτῷ ἐπιλαμβάνει ἀλλ' ἢ ὀλίγους ἢ οὐδένα. Ælianus De animalibus lib. VII. cap. VIII. θαυμάζει τις ἢ οὐδείς. *paucissimi sunt qui admirentur*: idem alibi, ἢ τι, ἢ οὐδέν. Dio libro XLVIII. ἐκείνων ἢ τις ἢ οὐδεὶς σῶφρων ἰδίᾳ: idem alibi; numero multitudinis: οἱ δὲ λοιποὶ, ἢ τινες αὐτῶν, ἢ οὐδένες ἧσσον. sic alibi sæpius, libro autem XLI. aliter extulit, ὀλίγοι ἐπ αὐτῆς μὲν ἢ οὐδένα, ἢ τοιοῦτοι ἐπίσταντο. Idem significat & illud Chrysostomi De sacerdotio, εἷς τις ἢ δεύτερος.

Turpe & miserabile.) non Persio adscribenda hæc sunt cum vulgo interpretum; sed ejus familiari mentem suam plenius explicanti: nam quod iidem interpretes τὸ *quare*, & mox *Nugæ* monitori tribuunt, absurdissimum est. Poterat videri Persii amicus in dando hoc ei consilio, ea ratione moveri, quam supra exposuimus, & probam diximus esse ac validam: nunc verò cum dicit, *turpe & miserabile*, palam illud facit, non quia ne-

nemini sit profuturus Persii labor, hoc illi se consilium dare: verum ideo, quia nullam auctori gratiam aut gloriam sit allaturus. Illud prius sapientem poterat movere: hoc posterius jure exploditur à Persio.

Quare?) quid est, inquit Persius, cur turpe & miserabile pronunties, si Satiras scribam quas nemo sit lecturus? nempe ita judicas, de existimatione mea actum esse & fortunis, si pessimus audiam poëtarum, & libellos meos vel poëmatis Labeonis, quem legit nemo, postponant Nero & alii proceres: deinde adversus hæc disputans Persius, *Nugæ*; ait, &c.

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem Prætul.) ingeniosissime poëta duos versus Ιλιαδ. χ. (errant qui alterum horum aliunde petunt) hoc unico expressit. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει: & statim, Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. sic M. Tullius utrumque Homeri versum usurpat epistola quinta ad Atticum, libro II. & prima libri VII. *aliter sensero?* αἰδέομαι *non Pompeium modo, sed* Τρῶας, καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. *quis? tu ipse scilicet, laudator & scriptorum & factorum meorum.* Vide & epistolam XVI. libri VIII. Polydamas & Ciceroni & Persio est alterius Catonis, aut ipsius virtutis nomen: ineptum nimis quod argutatur de ea voce antiquus Scholiastes nescio qui: is Latina voce exprimit *multinuba*, quia δάμαρ est conjux: & multitudinem uxorum putat Neroni exprobrari: quid putidius hoc commento? etsi non defuerunt qui probarent: præterea falsissimum est Polydamantem describi à poëta garrulum & ineptum: at quot locis ejus virtutem prædicat Homerus? velut Ιλιαδ. μ.

Οἳ μὲν ἅμ' Ἕκτορ' ἴσαν, καὶ ἀμύμονι Πουλυδάμαντι.

componit eum cum Hectore, & quidem honestissimo elogio adjecto, cum Hectoris nudum nomen posuisset: ut quem loco depresserat posterius nominans, virtutis testimonio attolleret: postea vocat ἀμύμονα, & consilium illius laudat: βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμύμονος πίθοντο: alibi πεπνυμένον prudentem. Ιλιαδ. σ. Τοῖσι δὲ Πουλυδάμας πεπνυμένος ἦρχ' ἀγορεύειν.

Et Troiades.) satiricè pro Trojani: Homerus simpliciter, Τρῶες καὶ Τρῳάδες, sexus uterque: sed mollitiem Romanorum obiter carpit Persius. Illa ætate qui ab antiquo erant cives Romani & αὐτόχθονες, Trojanam originem affectabant: ut à fæce novorum civium separarentur, qui à temporibus Julii Cæsaris civitatem ac tribum fuerant adepti. Juvenalis satira prima:

—jubet à præcone vocari
Ipsos Trojugenas: nam vexant limen & ipsi
Nobiscum.

satira octava:

At vos Trojugenæ vobis ignoscitis: & quæ
Turpia cerdoni, Volsos Brutumque decebunt.

in XI.

Claram Trojugenis facturæ & nobile fulcrum.

Labeonem.) de Attico Labeone & ineptissima Iliadis versione quam ediderat, præter Persii & vetusti interpretis testimonia nihil habemus compertum.

Nugæ; non si quid turbida Roma Elevet.) Rejicit Persius datum sibi consilium, & caussam subjungit. Erras, inquit, si in æstimatione bonorum aut malorum poëmatum judicio standum putas magnatum Romanorum: idonei enim talium judices non sunt: & ut loquitur Aristoteles οὐκ ἀσφαλὴς ὁ κανών, (*incerta regula.*) *Turbida Roma* dicitur, in qua fierent omnia ab occupatis, imò occupantium, ut ille ait: sic enim in urbe illa aut orbe potius vivebatur, ut qui in turba se mutuo trudunt impelluntque: quod ex Juvenalis satira tertia, ut alios taceam, notissimum est. Vitruvius in præfatione libri quinti: *cum animadvertissem distentam civitatem publicis & privatis negotiis paucis judicavi scribendum:* sic fere apud Sidonium Apollinarem libro VIII. *turbida & præceps festinatio*: vel ab aquis vox est translata; sicut Græcis homo non compositæ mentis dicitur θολερὸς: τεταραγμένος, & ταραχώδης.

Elevet, accedas; examenve improbum in illa Castiges trutina.) Quod Græci dicunt cum κριτήριον (*examen*) quo aliquis utitur, damnant, ἡ στάθμη ἀστάθμητος, (q. d. *regula irregularis, vel norma anormis*) pluribus verbis expressum à Persio. Sermo autem allegoricus: nam *elevare*, & *examen castigare in trutina*, ex arte stathmetica sunt petita: neque enim, ut in Ranis Aristophanis, ταλάντῳ μουσικὴ σταθμήσεται, (*musica, vel ars poëtica trutina ponderat*) In utraque libra & momentana duarum lancium, & Campana μονοπλάστιγγι examen appellatur ligula (& Græci γλωσσίδα vocant) erecta super scapo, quem vetus interpres hastam eleganter nominat. Græci ζυγὸν & φάλαγγα: hac nusquam inclinante, & sub ansa latente, æqualitas & ἰσοῤῥοπία rerum appensarum ostenditur: hoc Persius vocat *examen castigare in trutina*: ita loquitur elegans scriptor Cassianus Collatione XXIII. cap. V. *cum è contrario theoricæ bonum inde pensaret, ac velut in una lance tantorum laborum profectum, in altera delectationem divinæ con-*

contemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato, tandem proclamat: quid sit castigare zygostatis, declarat interpres antiquus: *Castigare est digito libram percutere, ut temperetur, & præ agitatione post æquum conquiescat*: digna interpretatio nostra animadversione: nam percutere digito libram, fraudem molienti videatur potius convenire, quàm verum quærenti: simillime prorsus ut in metiendo si quis mensuram feriat: quod qui facerent, notati sunt Græcorum voce κρουσιμετρεῖν, quam de minutis furibus usurpabant: propterea cum pretiosa appendebant, magnam curam adhibebant, quo sibi caverent ab hominibus libram sive scapum percutere gnaris: adeo ut propter eam caussam modus ipse libram tenendi Imper. Constantini lege extet descriptus in Codice Theodosiano, titulo De Ponderatoribus, & auri inlatione: *Aurum*, inquit, *quod infertur æqua lance & libramentis paribus suscipiatur: scilicet, ut duobus digitis summitas lini retineatur, tres reliqui liberi ad susceptorem emineant: nec pondera deprimant, nulla examinis libramento servato, nec æquis ac paribus suspenso statere momentis*: simile fraudis genus admittitur commota lance quod περιφανῶς δίδοσθαι dicitur. B. Chrysostomus in posteriorem ad Timotheum: ὁ ζυγὸς ἐὰν ἰσχύῃ περιφανῶς ... τὴν ἀνάγκην, ὁ χείρ δικαίως τὰ σταθμὰ περιφερόμενος. Suspicor igitur scripsisse veterem illum grammaticum, *percurrere*: quod proprie locum habet in statera, quæ scapum habet punctis distinctum: hac cum aliquid appendimus, altera manu æquipondium per scapum ducimus, eumque tamdiu percurrimus, donec steterit examen ἀκλινές: quod Latini dicunt *compescere examen certo puncto*. Persius satira v. *Diluis helleborum, certo compescere puncto Nescius examen*: quod nos *libram percurrere* ab hoc grammatico dictum putamus, id Vitruvius sic expressit, *æquilibrium in alteram partem scapi per puncta vagari*, libro x. cap. VIII. etiam sequentia verba interpretis mira sunt: *& præ agitatione post æquum conquiescat*: hoc vult: non prius scapum agitari desinere, quam in suo puncto sacoma fuerit collocatum: ita demum æquato examine, quiescit libra. *Castigo* primæva notione ἱμαντοῦν loro cædere & cesto. Siculi Dores unde ad Italos vox venit, κασὶς dicebant pro κεστὸς. quamquam Hesychius κασὶς interpretatur non lorum sed fustem, & propriam Athamanum vocem ait: quorum dialecti sæpe meminit: à casto, castigo, ut ab insto instigo, & fustigo posterior ætas à fuste: *restum* pro vinculo habes apud Varronem in libris de re rustica.

Nec te quæsiveris extra.) judicia populi Ro. rejicienti Persio, objici poterat, quis erit igitur cui te placere studeas? respondet his verbis: tu ne, inquit, me vis ex aliorum judiciis pendere? ego vero de me & meis, alios non consulo, verum ipsum me: quod & tu si me audias, facies. Proprium est eorum qui gloriam sectantur, facta sua non ad rectæ rationis obrussam exigere: sed ad gustum illorum à quibus laudari cupiunt: ideo Græci philosophi dicunt: τοὺς φιλοδόξους πρὸς ἕτερον ζῆν. (*ambitiosos alteri vivere*:) quod quam miserum sit pulcherrime exponit Dio Chrysostomus, prima dissertatione de gloria: ubi etiam ait, qui morbo hoc laborant solere curiose inquirere quid quisque de se sentiat: si in laudatores inciderint, beatos se putare, & prædicare: sin aliter, animo penitus concidere: cùm ex alieno judicio semper ipsi de se statuant: ἕκαστος, ait, τῶν τοιούτων τὴν ἑαυτοῦ κεκτημένος περὶ ἑτέρων ζῆν, καὶ τί περὶ αὐτοῦ λέγει τις φροντίζων· κἂν μὲν εὐφημῇ τις, ὡς οἴεται, μακάριος καὶ φαιδρός· εἰ δὲ μή, ταπεινός τε καὶ κατηφής, καὶ τοιοῦτον αὑτὸν εἶναι νομίζων ὁποῖον ἂν εἴπῃ τις. Hæc in genere Dio de laudationis avidis: proprie vero de misera eorum conditione, qui eloquentiæ famam apud vulgus cupiunt consequi, Synesius in Dione multa elegantissime & χαριέστατα. Sapiens contra ut suis vel laudis vel culpæ notam apponat, ad alium judicem non adit, quàm ad rectam rationem intra se habitantem. Stoicorum est præceptum illud huic loco convenientissimum: τῇ δόξῃ τῶν ἐκτὸς μὴ χρῆσθαι ... τὴν σεαυτοῦ κρίσιν, ἀλλὰ σεαυτῷ καὶ τοῖς κρείττοσι, ταύτην δ' εἶναι τῇ ἀληθείᾳ. (*ad sterotum de te judicium noli ea consulere quæ sunt extra te; sed te ipsum & quæ præstantiora sunt adhibe, idest, veritatem.*) Ausonius in Acroasi Pythagorica, de viro bono:

Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem;
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus.

in carmine aureo Pythagoreorum, πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν: (*maximè reverere teipsum.*) quam gnomen multi scriptores usurparunt. quod autem de sapiente dicitur, qui tenet artem vitæ, in cujuscunque artis perfectè perito locum habet: ut operum suorum sit ipse sibi judex: & ea bene aut secus habere pronuntiet è præscripto rationis in mente sua sitæ, non ex aliorum opinionibus. Joannes Chrysostomus De sacerdotio: ὁ γὰρ εἰς δημηγορίας ... αὐτὸν ... καὶ κριτὴς ... αὐτοῦ ... καὶ ... ὠφελεῖν ... ταῦτα ... ποιήματα, ὥσπερ οἱ τεχνῖται ... ταύτας φέρῃ τις ψῆφους. τὴν δὲ ... δόξαν τὴν ... καὶ ἀδο-

ξον, μηδὲ εἰς νῦν βλαβῆναι ποτέ. Hanc propter caussam Aristides æquales suos sophistas acriter objurgat, quod dicerent, non ex suo judicio scribere se, verum ut apud corrupta judicia frigus evitarent: quam esse stultitiam insignem multis docet initio τοῦ ὑπ. τ. ἐξορχουμένων: estque ille locus cum isto Persii conferendus. Non obstat his, quod pars magna hominum φιλαυτίᾳ laboramus, & nostra miramur sæpe etiam vitia: nempe hoc male sani homines faciunt, ut satira quarta dicetur: nos autem heic loquebamur de sapiente, vel consummato artifice, qui caussas omnium quæ ad artem pertinent habeat notas: & quod Quintilianus ait, se veretur. Eleganter & vere Boëtius libro Consolationis suæ: *Vide*, ait, *quid æterna lex sanciat: melioribus animum si conformaveris, nihil opus est judice præmium deferente: tu te ipse excellentioribus addidisti. Si studium ad pejora deflexeris, extra ne quæsieris ultorem: tu te ipse in deteriora detrusisti.*

Nec te quæsiveris extra.) hoc illud est quod Stoici dicebant, non debere studiosum virtutis extra se convertere, ut aliis placeat: satis enim illi esse, si præstaret, ut esset quod cupiebat, videri autem velle, curandum non esse: hoc ita illi: οὐ δεῖ ἔξω στραφῆναι αὐτὸς πρὸς τὸ βούλεσθαι ἀρέσκειν τινί. Vide Enchiridium Epicteti & alia illorum scripta.

Nam Romæ est quis non? ac si fas dicere; sed fas, T.) Quod verbo ostenderat cum *turbidam* vocaret Romam, id nunc pluribus exequitur: duo autem simul præstat: nam & caussam promit cur judicium Romæ non faciat tanti: & incepti sui de satira scribenda rationem affert: cum autem vellet Persius in flagitia & probrosam Neronis ac reliquorum vitam invehi, indignationem illius æquissimam metus inhibuit: ideo coactus est mutata velificatione, animi sui sensum per figuram exprimere: hoc est, loqui tacendo: nam & περὶ λέξεων καὶ ἰδεῶν (rhetores) hanc figuram ἀποσιώπησιν ad *reticentiam* sive *obticentiam* nominant: quando amplius aliquid silentio innuitur, quam oratione potuerit exprimi: nam ex mente & affectu loquentis supplere auditor debet quod deest: ut heic, *Romæ est quis non?* nempe corrupti judicii, & indignus cujus rationem habeas: quippe deliciis & luxu perditi, omnes virtutis osores, & honestarum omnium artium: de quibus tunc merentur pessime, cum illas suo contactu fœdant: denique si à principe orsus singulos istorum consideres, omnes imperiti, omnes asini: hoc enim vult Persius: quod cum heic non esset ausus dicere, ubi incaluisset, non abstinuit quin poneret: *Auriculas asini Mida rex habet*: sed mutarunt amici eodem compulsi metu: simile de Roma judicium facit Plinius Secundus in re graviore: sic enim ait in epistola ad Calvisium libro II. Ἀλλὰ τί διατείνομαι *in ea civitate, in qua jampridem non minora præmia, immo majora nequitia & improbitas, quam pudor & virtus habent?* Mollior erit sententia, si ita capias, *Nam Romæ quis non?* est poëta, videlicet: aut quis tam aversis Musis natus est versificator insulsus, qui magni poëtæ nomen facile non consequatur, si pravi judicii hominibus placere studuerit? paullo post —*non hic est Ilias Atti Ebria veratro?* ubi hanc sententiam pluribus persequitur.

Ac si fas dicere:) quam ægre se contineret hæc indicio sunt: alii libri, *ah si fas dicere*: quæ interjectio πάθος valde auget, ac summum desiderium libertatis arguit, ad declamandum contra vitia: quare addit,

Sed fas.) significans in proposito perseverare se scribendi satiras.

Tunc cum ad canitiem & nostris istud vivere triste Aspexi.) Quicquid isti judicaturi sint, inquit, ego tamen scribendas mihi satiras judico, quoties ob oculos mihi pono quibus in studiis isti se occupent, jam inde ab eo tempore cum excesserunt ex ephebis ad ultimam usque senectutem: cum tamen graves & severi velint videri. Græcum est, *nostrum istud vivere*, τὸ ζῆν ἡμῶν. vita hæc quam Romæ vivimus plerique omnes. Cicero, *beate vivere vestrum*: primam personam usurpat objurgationi molliendæ: more omnium qui invehuntur in vitia & vitiosos: *vivere triste*, ὁ σκυθρωπὸς βίος, qualis est eorum maxime, *Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt*: qui in literis sacris dicuntur ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. (Matth. VI. v. 16.) apud Hippocratem in Coacis & alibi ἡ σκυθρωπότης opponitur εὐχροίᾳ: quia tristitia vultus accedit ad pallorem: quare non uno loco in Evangeliis vocem σκυθρωπὸς Syrus interpres vertit כּכִּיר ut si atratum dicas: vel μελανείμονα. sed Syrus non ad vestis colorem retulit, ut in כמרים sacerdotum appellatione: verum ad pallorem vultus: in Threnorum Thargum verbo נכמר est expressum, quod apud LXX. verbo πελιοῦσθαι. Differunt aliquid *tetricitas* & *tristitia vultus*: quæ posterior vox sæpius in deteriorem partem accipitur, velut ab affectatione aut morositate orta. Lucanus ad Pisonem:

Talis inest habitus, qualem nec dicere mæstum,
Nec fluidum est; læta sed tetricitate decorum.

Et nucibus facimus quæcunque relictis.) Non contentus poëta simpliciter dicere, vitam male ab istis collocari: amplius addit, totam, à carceribus ad metam: quod ipse designat extrema illius ponens adolescentiam & senectutem: canities quam priore loco nominavit. ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς, extremam ætatis tegulam heic denotat: etsi non raro accidit, ut juvenes, interdum etiam ut adolescenteis fiant cani: vidimus nos & vivere scimus, qui in priore adolescentia canuerint: virilia studia & transitum à puerilibus nugis ad virorum curas, hac periphrasi expressit; *& nucibus facimus quæcunque relictis.* Inter puerorum oblectamenta sunt nuces: in commentariis Rabbinorum legere memini, patrisfamilias officium esse, die festo, hilaritatis instrumenta domesticis suis præbere, pro cujusque persona: pueris vero jubentur dari קליות ומגדנות אגוזים *amygdalæ, poma, nuces*: prima dictio multa significat: sed quoties cum אגוזים junguntur קליות amygdalæ intelliguntur, aut alius fructus duri corticis: ludebant pueri nucibus variis modis, quorum nonnulli hodieque pueris in usu: ut cum in pyramidem quatuor nuces extruuntur: quam lusionem describit Philo in Κοσμοποιΐᾳ: in carmine veteri de nuce & hanc habes & alios multos modos. Apud Lucianum in Cronosolonibus, καρύοις & πεσσοῖς ludunt viri: quod de una specie lusionis accipiendum esse, non de duabus, sequentia suadent, πεπαικέναι ἐπὶ καρύων calculis igitur ludebant: sed nuces erant præmium vincentis: ipse Augustus cum pueris minutis nucibus ac talis ludebat, referente Suetonio: quod magis miror quàm quod lego apud Nicetam Choniatem Alexium imperatorem καρυαπίζοντα: nam & pœne puer iste erat & præterea Græculus: at puerorum lusionem fuisse non virorum, & Seneca docet De tranquillitate vitæ libro II. cap. 12. & Persius clarè: qui *nuces relinquere* dixit pro vir fieri, & virilia negotia capessere: Ptolomæus in IV. Tetrabibli vocat μετάβασιν ἀπὸ τῶν παιγνιωδῶν καὶ ἀκαταστάτων, καὶ πλαστῶν (malim ἀπλάστων) ἁμαρτημάτων ἐπὶ τὸ προσεκτικὸν, καὶ αἰδήμον, καὶ φιλότιμον. Translatum à pueris catamitis. Servius, *meritorii pueri, quibus licenter utebantur antiqui recedentes à turpi servitio nuces spargebant.* Catullus:

Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus.

non dissimile illud Augustini primo Confessionum: *à nucibus & pilulis & passeribus ad præfectos & reges transire.*

Cum sapimus patruos.) viri severi existimari volumus: *patruus* & *tutor* sæpe idem sonant ac gravis censor, & objurgator. Horatius; *ne sis patruus mihi*: Persius in III. *ne sic mihi tutor*: nota locutio ex Cicerone, Suetonio, aliis. Manilius libro V. in superciliosorum pædagogorum genitura:

--veterumque exempla revolvent
Semper, & antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutorisve supercilium, patruique rigorem.

ideo Græci patruum dixerunt θεῖον: etsi aliter paullo Plutarchus sub finem libri περὶ φιλαδελφίας, & Simplicius in Epictetum.

Tunc, tunc.) tunc fas esse judico urbem Romani satirico sale defricare: orationem abrumpit, quasi præ stomacho plura non posset.

Ignoscite. Nolo.) concludens satiram omnino se scripturum, veniam facti petit, quod alter verbo negat.

Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.) audiens Persius præcidi sibi omnem veniæ spem, familiari sibi ironia simulat in dubio sibi esse animum, & qui paullo momento huc illuc possit impelli. Sed non diu in illo fluctuat salo; statim enim decernit & ad priorem mentem redit, expressit autem illud Horatii sui:

Naturam expellas furca: tamen usque recurret:

sic enim ait: factum se à natura cachinnonem & σκωπτικόν: itaque velit nolit oblata re ridicula risum sibi necessariò oboriri; *petulans splen*, qui justo majus spatium petat & occupet: quoniam, ut docent medici & Plinius ex illis, *intemperantiam risus constare lienis magnitudine quidam putant.* Serenus Sammonicus: *Splen tumidus nocet, & risum tamen addit ineptum.* Ne pueri quidem nesciunt posuisse Veteres lætitiæ affectum in splene, iracundiæ in felle, pavoris in corde, amoris in jecore, pudoris in fronte: etiam in commentariis Rabbinorum טחול vel טחל hoc est, *splen*, sedes risus esse dicitur. Sententia Persii est: cum adeò flagitiosè vivatur Romæ: mirari neminem debere, bonorum liberam indignationem: simillime Juvenalis in prima:

Difficile est satiram non scribere: nam quis iniquæ
Tam patiens urbis, tam ferreus ut teneat se?

Sic & poëta epigrammatum quidam Græcus, cum dixisset, sæpius se cum animo suo constituisse; epigramma nullum facere: ut stultorum odia vitaret, quæ sibi versibus suis excitaverat: quoties tamen inquit, in oculos meos incurrit Pantagathus Paphlago, ῥῆξαι τὴν νόσον οὐ δύναμαι. (*morbum*

bum occultare, vel reprimere non sum potis.)

Scribimus inclusi numeros ille, hic pede liber) Sequitur pars satiræ hujus secunda: cujus summam & nexum cum præcedente perstrinximus: cum deterreretur poëta à satira, neque ille eo consilio vellet uti, redit ad filum orationis incboatæ illo versu:

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane! sed quod in genere ibi propositum fuerat, in specie heic consideratur. Ex omnibus autem hominum generibus, eos primo loco aggreditur, qui Musarum sacris erant operati: primum, quia hi Persio notissimi, & ut sic dicam magis obvii: ut aliunde curationem incipere non debuerit: deinde quia horum vitia eo ferebat impatientiùs, quod videbatur infamiæ pars in ipsum redundare, ut consecraneum illorum, & studia eadem colentem, etsi non eodem modo. Quemadmodum autem satiram universam in sua membra, perspicuitatis gratia distinximus: ita etiam heic particulas singulas separatim enarrabimus: in quo auctorem ipsum, & ductum orationis ejus sequemur: neque exemplo quorundam aut negligemus τάξιν (*ordinem*) admirabilem poëtæ philosophi: aut inani περιεργίᾳ τ̃ λόγον τεμαχίζοντες, (*curiositate vel nimiâ subtilitate orationem concidentes*) ut ait Plato, nodum in sirpo quæremus. Sunt igitur periochæ istius particulæ duodecim συμφυεῖς illæ quidem, atque ex se invicem aptæ: distinctæ tamen satis ἐπισήμως, si attendimus. Porrò istas omnes tot numero particulas, ad tria capita commodè referas: nam aut narrat Persius vitia quæ ipsius ætate vigebant: aut ea castigat, ipsis præditos ad veram virtutem hortans, & solidam gloriam, spreta ejusdem falsa imagine: aut denique eadem illa vitia defenduntur excusanturve sub persona aliena.

Scribimus inclusi.) Hoc & sequenti versu particula prima continetur: proponit dicturum se de poëtis & oratoribus: ac simul notat hoc illorum primum vitium, quod cum grandia & sublimia scribere affectarent, tumida inflataque oratione veram eloquentiam corrumperent. Ait *inclusi*, quia secreto & libero ab arbitris loco scribentibus est opus: propterea quæ bonarum matrum familias laus est, τὸ οἰκουρικὸν καὶ οὐ φιλέξοδον, eadem & eruditi hominis: domi inquam se continere inclusum: Philo Judæus in lib. de Abrahamo: συγκλεισάμενος, inquit, ὁ σοφὸς οἴκοι τὰ πολλὰ καταμένει, μόλις τὰς κλισιάδας ὑπερβαίνων, ἢ διὰ τοὺς ἐπιφοιτῶντας συνεχέστερον, ἔξω πόλεως ἀπελθὼν, ἐν μοναγρίᾳ ποιεῖται τὰς διατριβάς. Secedebant igitur ad stilum Romani, ut ait Quintilianus: & scripturi intra cubicula sua in lectis se continebant, sicut ad Suetonium docebamus: vel penulis se involvebant, bis inclusi; nam ita loquitur idem Quintilianus alibi. Fortasse etiam ad illa respiciebat Persius, quæ apud eundem auctorem in libro De oratoribus Aper poëtis objicit: *quod relinquenda ipsis esset conversatio amicorum, & deserenda cætera officia, studio opinionis & famæ, cui soli serviebant.*

Numeros ille, hic pede liber.) Oratores ac poëtas promiscue exagitat Persius hac satira: etsi autem propriæ sunt quædam poëtarum, aliæ oratorum reprehensiones, ut postea videbimus: in commune tamen πάντες οἱ ἀμφὶ τοὺς λόγους sic reprehenduntur, ut quæ de alteris dicuntur, etiam ad alteros, qui similia peccarent, pertinere sit existimandum: habet enim omnis eloquentia aliquid commune, ut recte Quintilianus ait libro x. cap. de imitatione: *pede liber* est orator & quicunque prosa oratione utitur: mirum extitisse, qui de dramaticis poëtis acciperent: quod non magis cum apertissima Persii mente pugnat, quam ab eo seculo est alienum quo ista scribebantur.

Grande aliquid.) Sublime dicendi genus etiam grande dicitur: heic vero ut etiam in quinta atque alibi, in vitio ponitur hæc vox, & orationis ideam non vere grandem denotat, sed vægrandem, id est, tumidam, & falsa specie sublimitatis blandientem: quia enim apex facultatis dicendi, seu versu seu prosa, est magniloquentia, atque ut Longinus ait ἀκρότης καὶ ἐξοχή τις λόγων ἐστὶ τὰ ὕψη, ideo multi ætate Persii, non quod magnarum virium sibi essent conscii, sed aviditate gloriæ eum characterem affectabant: infra, *Dicere res grandes nostro dat Musa poëtæ*: & Petronius quoque Arbiter in studiosis eloquentiæ reprehendit, *rerum tumores, & sententiarum vanissimum strepitum*: recte autem Quintilianus judicat, cum pronuntiat; quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conari: ut statura breves in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. *Nam tumidos*, inquit, *& corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliæ genere peccantes, certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare: ut corpora non robore, sed valetudine inflantur.* Quare cum multa sint orationis vitia, nullum tamen est hoc familiarius illis, qui à sana & secundum naturam enuntiata semel discesserunt: multa de hoc Quintilianus diversis locis: sed longe plura Longinus in aureolo nec satis unquam lecto libello περὶ ὕψους.

Quod

Quod pulmo animæ prælargus anhelat.) orationem grandia professam sed turgentem describit his verbis, plane satiricè: nam vera magnitudo aliis longe rationibus paratur, quàm dictionum aut periodorum longitudine, quam solam heic istis tribuit: conferunt sane aliquid ad sublimitatem ampli soni verba, ac grandia & periodi longiores: verùm ita demum, si illa prius adsint in quibus vera magniloquentia est polita: materia grandis, verba cum judicio electa & collocata: figuræ cum verborum tum sententiarum non temere usurpatæ, sed ex arte: his si oratio careat, & sesquipedalibus tantum verbis turgeat, aut longis periodis incedat: τὸ ὀγκῶδες & σόμφον καὶ παρὰ μέλος οἰδοῦν habebit: à vera magnitudine quam alienissima erit; *animam* pro spiritu posuit, quod Hebræis familiarissimum: pulmo est ταμεῖον πνεύματος, (*spiritus promtuarium:*) spirationis & respirationis instrumentum: quod cum difficulter facimus, anhelare dicimur: id autem accidit vel propter defatigationem ex laboris nimietate: vel propter pulmonis parvitatem: orationem longis periodis contextam ita exprimit, quæ recitari non possit absque vexatione pulmonis, & anhelitu: sic Comicus in Ranis dixit Æschylum καταλεπτολογεῖν πλεύμονος πολλοῦ πόνου: irridens, non vocis nimiam contentionem, ut quidam putant, sed ampullatam ejus orationem & dithyrambica verba, quæ vocat ipse illo loco ῥήματα ἱπποβάμονα καὶ γομφοπαγῆ πινακηδὸν ἀποσπῶντα γηγενεῖ φυσήματι. Scholiastes rectè ibi notat: τὰ τοιαῦτα ῥήματα μετὰ πολλοῦ ἐξέρχονται πόνου: vere enim laborat pulmo cum pronuntiatur ex hujusmodi verbis contexta oratio: sed valde rem exaggerat Persius, cum addit, *animæ prælargus*: vitiosissimam enim oportet esse illam orationem, quam sine anhelitu pronuntiare ne illi quidem possint, qui optimo sint pulmone: est autem laus præcipua pulmonis, ut sit magnus: deinde ut mollis & validus, qui multum spiritum possit admittere, & emittere, ταμιευόμενος ὡς ἂν βούληται, inquit philosophus in libro Περὶ ἀκουστῶν. Proprie vitium est non orationis sed pronuntiationis anhelatio: de quo vitio M. Tullius III. De orat. *Nolo verba exiliter exanimata exire: nolo inflata & quasi anhelata gravius.* Prorsus aliò spectat Persii hic cachinnus: quod attendenti non est obscurum.

Scilicet hæc populo pexusque togaque rec.) Hic incipit altera particula versuum quatuor: quibus exponit Persius finem cujus gratia plerique tum Romæ scribebant: simul mollitiem eorum commemorat: finem docet fuisse non ut cuiquam prodessent; sed ut recitatione suorum scriptorum ingenii famam consequerentur: ita malo fine rem per se laudabilem corrumpebant: qua de re plura Persius postea: mollitiei duo argumenta profert, cultum nimium atque indecorum quoties ad recitandum prodibant: & in ipsa recitatione vocem fractam atque effeminatam, & aspectum arte depravatum ad blanditiem. Scitum autem illud Fabii, *ex voce atque actione pellucere mores*: duo igitur reprehendit in suorum hominum recitationibus: rem ipsam primò, deinde rei modum.

Populo.) duplex fuit recitatio, domi amicis convocatis ad emendationem: publicè in auditorio vel alibi, in quanta maxima fieri poterat corona, ad ostentationem: *populus* & δῆμος de numerosiore cœtu dicuntur: sed Persius qui hæc carpendi studio dicit, ambitionem recitantium hoc verbo perstringit: multum enim laborabant recitaturi, ut esset auditorum concursus maximus: amicos igitur & notos sibi omnes advocabant, & variis modis invitabant. Quintilianus De caussis corruptæ eloquentiæ: *Bassus*, is erat poëta, *cum toto anno unum librum excudit & elucubravit, rogare ultro & ambire cogitur, ut sint qui dignentur audire: & nec id quidem gratis; nam & domum mutuatur, & subsellia conducit, & libellos spargit.* Synesius hoc vocat περιαγγέλλειν ἀκρόαμα ἐπιδείξεων: vocat & θυρακοπεῖν, quasi ostiatim auditores essent conquirendi.

Pexusque togaque recenti.) Recitaturi elegantiæ studebant. Moris itaque fuit, ut loti prodirent, pexa coma, atque barba, & candidati: nihil denique omitterent quod aliquam ipsis gratiam & commendationem posset conciliare. Synesius in Dione in luculenta descriptione ærumnarum quas miseri recitatores exantlabant: καὶ ἥκει φέρων ἄκουσμα χάρεσιν τε καὶ ἡδὺ τοῖς ἀγεράχοις αὐτοῦ παιδικοῖς, δι' οὓς ἥκει μὲν πονήρως, σκήπτεται δὲ ὑγιαίνειν ὁ δὲ καὶ ἐλούσατο πρὸ τῆς χρείας, καὶ εἰς αὐτὴν ἀπήντησεν, ἰδὼ τε καὶ σχήματι σοβαρῷς, ἵνα καὶ θέαμα καλὸν ᾖ. Togam recentem & à fullone candentem Romani assumebant die quovis festo sive publica sive privata solennitate ut hic: Græci pallium recens: utriusque vestis & moris hujus meminit Arrianus in dissertatione XXII. libri tertii: καὶ δεῖ σε ἐν κομψῷ πολλῷ ἢ τετριμμένῳ ἀναστατικοῦ ἐπὶ πολλοῖν διαλεγόμενος ἐς Ἀχιλλεῖαν: non sunt audiendi, qui utramque hanc vestem ad Romanos referunt: nec cogitant de Græcis suis non minus quam de Romanis loqui Arrianum sive Epictetum.

Pexus.) proprie ἐκτενισθείς, ut in Gloss. heic:

τρυφερὸς delicatus: ſic apud Quintilianum lib. pr. *pexus pinguiſque doctor*, & alibi idem, *nec perfert in judiciis triſtem & impexam antiquitatem.*

Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.) Mos ejus ætatis hominum, ut anulis manus ornarent, aliquando etiam onerarent, in quibus precioſiſſimæ gemmæ incluſæ: præcipuæ autem ſardonyches. Martialis,

Cujus & hinc lucet ſardonychata manus.

& ſæpius Juvenalis, atque alii: *natalitia ſardonyx*, vel quæ die natali, cum munera millitabant amici & clientes, eſſet accepta: Plautus Curculione:

Hic eſt anulus quem ego tibi miſi natali die.

vel quæ ſolis diebus natalibus aſſumi ſolita: utro modo accipias pili non intereſt unius: ratione caret quod quidam adnotant, geſtatam gemmam die natali datam ad numeroſæ clientelæ jactationem: oro te, qui anulum videbant, unde potuerunt divinare clientis eum eſſe munus? *tandem*, eo refer, quod qui ornantur poſtremo loco annulos aſſumunt poſt alia ornamenta omnia: vel refer ad longam expectationem recitationis: multo enim ante diem edicebant, cum populum invitabant. Juvenalis, *lætam fecit tum Statius urbem, Promiſitque diem.* hæc eſt quam modo Syneſius vocabat τὴν κυρίαν: vocat & προθεσμίαν ibidem.

Albus.) vel albatus: ita erit dictum *toga recenti albus*, pro eo quod vulgo ſolet uno verbo candidatus. Ovidius de die natali,

Scilicet expectas ſolitum tibi moris honorem:
Pendeat ex humeris veſtis ut alba meis.

idem alibi,

Quæque ſemel toto veſtis mihi ſumitur anno
Sumatur fatis diſcolor alba meis.

Vel potius, pallidus, & de eventu recitationis anxius: ita dicebat Syneſius paullo antè recitaturos metu & reverentia auditorum ἔχειν πονήρως, non valere, etſi bonam ſimularent valetudinem: adde quod ſtudium & ingens cura qua parabant ſe ad recitationem pallidos efficiebat. Syneſius ibidem: καί τοι γε οὐκ ἐν δίκῃ πικρῶν τυγχάνει δεσποτῶν, ὅς τις πολλὰς μὲν νύκτας ἀΰπνους ἀνέτλη· πολλὰς δὲ ἡμέρας παρετάθη, καὶ μικροῦ δεῖν ἀπεστάλαξε τὴν ψυχὴν ὑπό τε λιμοῦ καὶ φροντίδων, ἵν' ἀγαθόν τι συλλέξηται (*atqui haud meritò aſperos dominos experitur, qui quamplurimas noctes inſomnes egit, & per multos dies attritus ac fatigatus eſt, modoque non ipſam animam fame ac ſollicitudine diſtillavit, ut egregium aliquid ſeligeret.*)

Sede legens celſa) Scribendum *leges*: etſi aliter antiquæ membranæ, in quibus eſt *legens*: ſimili errore ut cum *quotiens, totiens* & alia ſcripſerunt pro quoties, toties. *Scilicet ſede leges celſa*, id eſt, nimirum hic tuorum ſtudiorum & ſcriptorum eſt finis, ut recites, & ex recitatione gloriam reportes inanem. Veteres dicebant ſtantes, recitabant ſedentes. Plinius epiſtola ſexta libr. VI. *dicenti mihi ſolicitè aſſiſtit, aſſidet recitanti*: & lib. II. in epiſtola ad Cerealem recitantes ait ſedentes agere, non ut oratores cum geſtu, inceſſu, diſcurſu etiam: in Protagora Platonis veterum magiſtrorum conſuetudo notatur, qui diſcipulos jubebant ἐπὶ τῶν βάθρων ἀναγινώσκειν (*ex loco celſiore legere*) præſtantium poëtarum poëmata. Sedebant autem qui recitabant *ſede celſa*, Arrianus paullo ante ἀναβάντα ἐπὶ πύλβινον: pulvinum appellat, cathedram cui impoſitum pulvinum: apud Senecam Conſolatione ad Marciam, *aſcendere pulvinum*, de eo dicitur qui ſella vehitur aut lectica. ſed πύλβινον apud Græcos alibi non memini legere: legi πύλπιτον: quam vocem Arriano ſuſpicabar reſtituendam: nec male conveniat indignanti ex hiſtrionica arte tranſlata dictio: ejus enim eſt propria. Gloſſarium: *Pulpitum* θυμέλη, σκήνωμα, ἐπίπεδον. Juvenalis:

Haud tamen invideas vati quem pulpita paſcunt.

ſed nihil affirmamus. *Celſa ſedes* idem ac cathedra ſublimior. Sulpitius Severus libro II. de B. Martino obſervat, illum in ſecretario nunquam ſediſſe in cathedra: ſed in tripitiis, ſive ſellula ruſticana tripede: ibidemque pro magno flagitio refert viſum à ſe quendam, *ſublimi ſolio quaſi regio tribunali, celſa ſede ſedentem.*

Liquido cum plaſmate guttur Mobile collueris.) Etiam Syneſius nos docet, quantam curam adhiberent recitatores, ut ſua vox auditoribus placeret: quoſdam refert ſolitos tragacantham edere: quam herbam ſcribit Dioſcorides libro III. arteriæ aſperitates tollere, quæ vocem minutatim concidunt, cum melle delincta: alios commemorat Syneſius, quibus recitantibus pone aſtabat ſervus à pedibus, ampullam aut guttulum tenens: ad iſtum ſe convertebant inter recitandum, & rauceſcere incipientem voculam ſorbitiuncula reficiebant. Erant & alia medicamina ad fingendam vocem, imo ad corrumpendam teſte Fabio: qui libro primo auctor eſt, à pleriſque ſuæ ætatis vocem fuiſſe in canticum diſſolutam, & effœminatam. Huc facit & locus Hieronymi in Epiſt. ad Epheſ. cap 5. *Hoc eſt quippe quod dicitur, Cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audiant hæc adoleſcentuli: audiant hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt: Deo non voce, ſed corde cantandum: nec in*

Tra-

Tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore, in opere, in scientiâ scripturarum: πλάττειν φωνὴν dicitur phonascus, qui arte vocem corrigit, & format in melius: inde πλάσματα, remedia in eam rem: & πλάσεις φωνῆς ac voces πεπλασμένας, modo in bonam, modo in malam partem. Plutarchus in Cicerone, ἡ φωνὴ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος. deinde, ἥ τε φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν: *liquidum plasma*, ὑγρὸν & ὑγρασῖνον: vel potius λειαῖνον: est enim de genere eorum medicamentorum quæ λειαντικὰ vocant Græci medici.

Guttur Mobile collueris.) ita meliores membr. non *colluerit*, quod in aliis libris legitur: ineptè, nisi scribas *Sede leget celsa*: signata vox *colluere*, de liquido plasmate: est enim γαργαρίζειν, & ἀναγαργαρίζειν Græcorum sæpe apud Plinium: dicitur & de amphoris ac similibus vasis quæ infusa aqua & intus agitata purgantur: *mobile guttur* vel propter agitationem necessariam in gargarismis: vel pro λεῖον, per quod vox facile transmittitur, omni asperitate sanata.

Patranti fractus ocello.) oculis in lasciviam resolutis: quales sunt qui κεκλασμένοι, & κλαδαροὶ, & ὑγροὶ ὀφθαλμοὶ Græcis, *putres* Horatio: apud Polemonem ὑγρὸν βλέπειν est signum φιλομαθείας. Synesius idem notavit in suis recitatoribus, sed mollioribus verbis expressit: προσγελᾷ, inquit, τῷ θεάτρῳ: nam ille vultus renidentis heic intelligitur à Persio: nisi quod ipsius ætate & vox & oculi & totus vultus, ut cum effeminata oratione congruerent, studio ad mollitiem & lasciviam componebantur: quod sæpe Quintilianus quoque reprehendit: *frangere* Latinis est idem ac effeminare, robur virile in muliebrem mollitiem corrumpere. Quintilianus: *Non enim puerum fœminea vocis exilitate frangi volo*: sic Græci θρύψιν dicunt: nam θρύπτειν est frangere: vocant & κεκλασμένους fractos delitiis. Observabis in eruditissimo poëta nullum verbum temere positum, & quod suo pondere careat: ut hic, *fractus* & *ocello*, & *patranti*, quæ vox est satiricæ licentiæ: notum enim quid sit patrare. Hieronymo Quæstionibus in Gen. *patrans voluptas* pro συνουσιασμὸς, inde *oculi patrantes*: vetus poëta ἀνώνυμος.

Cor non laudo hominis: nam perfidum & exitiale:
Non laudo os: namque est vaniloquum & fatuum.
Non oculos: etenim sunt lusci oculi atque patrantes.

Hoc autem unico exemplo omnia damnantur quæ appellat Plutarchus recitantium σχήματα φορτικά.

Heic neque more probo videas, neque voce serena:) Hæc tertia pars est: qua narrat Persius, sed satirico more, corruptelam auditorum, qui poëtas recitantes non minus turpiter audiebant, quàm ipsi fœdè ac molliter & scribebant & pronunciabant: itaque similes habebant labra lactucas, erantque operculum patella dignissimum. Recitationum prima institutio pulcherrima fuit & formandis ingeniis utilissima: amicos enim decumati judicii paucos eligebant, quibus scripta sua communicarent, ut ex illorum censura ea emendarent: sed mox præclarum institutum in vanissimam ostentationem vertit, neque enim sua corrigere sed laudari postulabant recitatores, & grandè sophos tollere: itaque Persii ætate eo ventum erat, ut sine judicio ullo, sine modestia, inverecundè prorsus atque impudenter qui recitationi intererant, confusam vocem attollerent, & omnia laudarent: sed illa potissimum quæ pastoritia fistula & sibilis erant dignissima: tum enim maximi clamores & plausus excitabantur, cum tenerum aliquid ac molle ad aures acciderat: hinc illæ putidæ acclamationes σοφῶς, θείως, *Bene*, *Recte*, *Decenter*, & similes, de quibus alibi dicebamus. Jure igitur Persius morem hunc damnat, & improbum vocat: non prætermissa hæc pars à gravissimo scriptore Plutarcho in libro De officio audiendi, ubi multa peccata commemorantur illis familiaria, qui ad audiendum convenerant: ibi etiam ait illos ἀσχημονεῖν & ὑπερασχημονεῖν καὶ πολλὰ σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν, (*immodestos esse, & supra modum indecore se gerere, & inscitè multa facere inter audiendum:*) *heic*, id est, in recitationibus quarum præcedit mentio: ita Veteres, non *tunc*.

Neque voce serena Ingentes trepidare Titos.) videas, inquit, Romanos proceres incondita voce acclamare, ut homines levissimos: *Titi* sunt Romani, qui prænomine hoc denotabantur: quia

--Gaudebant prænomine molles Auriculæ.--

sic in quinta, *Marcus* pro civis Romanus. *Marcus dixit: ita est: adsigna Marce tabellas*: inter prænomina honestissima erant Marcus & Titus. nam quod in antiquorum scholiorum farragine legitur ab obscœna vocis *titus* notione; (unde titulus verbum χαχίμφατον apud nequitiarum scriptores.) Titos heic appellari Romanos: etsi probari scimus viris eruditissimis, esse tamen ab hoc loco alienum putamus: at *ingentes Titi* dixi, quia proceres præsertim levitatis accusat; etsi omnes Romani cives Trojugenæ atque ingentes Titi haberi volebant: τὸ *trepidare* cave referas

ad libidinem : ſed eſt illi ſimile ſatiræ ſequentis *lætari prætrepidum cor* : quibus in locis, & ſimilibus, trepidatio eſt πτόησις μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἐπαίνους : exilitio cum geſtiente & indecora lætitia ad laudandum : tot verbis expreſſum à Plutarcho obſervabamus quod ingenioſiſſimus poëta voce unica, neſcio an apertius, certe ἐμφατικώτερον dixit : ſed loquitur Plutarchus de laudato non de laudante ut Perſius : ſic ille Περὶ τοῦ ἀκούειν, quo loco monet in recitationibus multum profici poſſe etiam ex vitiis recitantis : καὶ γὰρ, inquit, διηγήματος εὐτέλεια, καὶ ῥήματος κενότης, καὶ σχῆμα φορτικὸν, καὶ πτόησις μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἐπαίνους, καὶ ὅσα τοιαῦτα, μᾶλλον ἀκροωμένοις ἐφ' ἑτέρου, ἢ λέγουσιν ἐφ' ἑαυτῶν καταφαίνεται. Græci πτόησιν vel πτοίαν recto judicio opponunt, ut in Præceptis politicis ejuſdem ſcriptoris, προαίρεσις ἀρχὴν ἔχουσα κρίσιν καὶ λόγον, ἀλλὰ μὴ πτοίαν ὑπὸ δόξης κενῆς ἢ φιλονεικίας τινὸς, ἢ πράξεων ἑτέρων ἀπορίας. vox non ſerena, eſt κροτοθόρυβος, confuſa acclamantium ſimul & plaudentium vox atque plauſus. Epicurus in epiſtola ad Leonteum Lampſacenum : Παιὰν ἄναξ, φίλε Λεοντάριον! οἵου κροτοθορύβου ἐνέπλησας ἀναγνόντας σου τὸ ἐπιστόλιον. *ſerenitas* Latinis dicitur vacuitas paſſionum, ἀπάθεια, γαλήνη, ut mox dicemus. Auſonius de patre ſuo : *Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore ſerenus* : at de iracundo magiſtro idem : *triſtis ſenio, nec voce ſerenus* : ſed melius exprimentt quid ſit *vox non ſerena*, Plutarchi verba libro adverſus Colotam Epicureum : τίνι προσήκουσιν ἀξίας ἐνῆκεν τοὺς ὑμετέρους βρόμους, καὶ ὀλολυγμοὺς, καὶ κροτοθορύβους, καὶ σεβάσεις καὶ ἐπιθειάσεις αἷς προστρέπεσθε καὶ καθυμνεῖτε τὸν ἐπὶ ἡδονὰς παρακαλοῦντα ; Romæ vero temporibus Perſii ingens amor erat teneræ atque effœminatæ vocis. Seneca pater Controverſiar. libro primo : *Cantandi ſaltandique nunc obſcœna ſtudia effœminatos tenent : & capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Igitur, & qui recitabant aut declamabant, vel etiam cauſſas dicebant, cantabant, ut ſæpe queritur Quintilianus : & qui acclamabant inflexu modulationis turpiſſimæ vocem torquebant, ipſæque acclamationes inſtar molliſſimorum canticorum erant conceptæ : qua de re multa alibi dicebamus, extat Dionis Chryſoſtomi oratio, qua populum Alexandrinum graviſſime objurgat, propter ſimiles acclamationes, quibus reſonabant eorum theatra omnis obſcœnitatis pleniſſima.

Cum carmina lumbos Intrant.) cum obſcœnus recitator in animis audientium pruritus obſcœnos excitavit : hæc enim vis eſt carminis : quare etiam medici, in his Paulus Ægineta diſertis verbis, ad excitandam languentem Venerem vel præcipuum remedium præſcribunt Priapeorum, & ſimilis poëſeos infamis aſſiduam lectionem. Lumbi nomen dupliciter à Latinis accipitur ; anguſtius pro ea parte corporis quæ ſpinæ inferiores quinque vertebras complectitur : hanc veteres libidinis ſedem agnoverunt : ipſoſque adeo lumbos à libidine eſſe denominatos, non eſt vana hariolatio : nam & Græci eam partem (ψόαι nominant) ita deſcribunt, ψόαι δι' ὧν αἱ ὀρέξεις κινεῖσθαι πεφύκασιν (*lumbi, per quos concupiſcentiæ naturaliter moventur, vel excitantur.*) ex eo lumbi apud ſcriptores, Veneris ſedes. Juvenalis,

--cum tibia lumbos
Excitat. ———

Aliquando lumborum appellatione dorſum intelligitur : quæ pars in ferendis oneribus plurimum laborat : ita apud Horatium, *dolare lumbos fuſte* : ideo roboris ſedes in lumbis, vel ab hac notione, vel ab illa priore : quia virium argumentum eſt facultas generandi : eunuchi vero infirmi ſunt, nec robore valent : hinc igitur *elumbis*, de parum virili, atque enervato, aut eo qui laboret lumbagine.

Et tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.) *ſcalpere*, obſcœna notione, ut apud Græcos ξύειν & κνήθειν : *tremulus verſus* pro laſcivo, vel compoſitione & ſenſu, vel pronuntiatione & geſtu : nam dixit, *patranti fractus ocello* : contrarium eſt vocis ſerenæ : ſic apud Galenum in libro De curatione affectuum animi, γαλήνη (*tranquillitas*) quæ dicebatur Stoicis τὸ ἀστάθημα, & καταστηματικὴ καὶ ἵλεως τῆς ψυχῆς διάθεσις, Senecæ, *compoſitæ mentis habitus* :) opponitur τοῖς γαργαλισμοῖς (*titillationibus*) & recte *tremulum* dicitur ex quo naſcitur in audientium animis voluptas quædam titillans, contraria gravitati & conſtantiæ, ut ait Cicero : *intima* ſunt αἱ ὀρέξεις, & pars animi qua concupiſcimus, & quæ, ut loquitur M. Tullius, voluptate alitur : vel corporis partes quæ concupiſcentiæ illi ſerviunt. Quomodo autem vim ſuam exerant in corpora auditorum tremuli verſus & laſciva cantica, ex iis clarum quæ de rerum ſympathiis docent philoſophi, de quo Ariſtoteles in ſeptima Problematum parte multa, & quod huc maxime facit Virbius Stagirita Julius Cæſar Scaliger exercitatione in Cardanum CCCII.

Tun' vetule auriculis alienis colligis eſcas?) Expoſitis vitiis eorum qui literas Romæ tractabant,

bant, nunc aggreditur poëta eorundem castigationem. Ante omnia dictum est, qui scriberent, non alia fine scripsisse, quam ut laudarentur: hoc studium vanum esse ostendit Persius: cum præsertim illi quibus placere cupias, indigni sint, quorum judicia facias tanti: ut plane contrarium sit ejus quod dicebat Ennius: *Laudari à laudato viro pulchrum:* quarta hæc particula est, versuum duorum, *Tun' vetule aur.*) non pertinet *vetuli* appellatio ad monitorem illum qui supra Persium compellavit; sed notantur ea voce, nisi fallor, quidam Romani, quos in senectute nugari non pudebat: ideo dicebat superius:

Tunc cum ad canitiem & nostrum istud vivere triste
Aspexi, ——

Tunc, inquit, ô stulte, & eo quidem stultior, quod in stultitia consenuisti, adeo amens es, ut versus faciendi laborem sustineas, non propter amorem literarum, aut ullam adeo voluptatem, quam ex studiis capias: sed ut tuorum scriptorum recitatione aliis voluptatem, tibi gloriolam parias? *auricularum escæ* sunt οἱ λόγοι, poëmata vel orationes: tritissimum est apud Græcos εὐωχεῖσθαι λόγοις, & εὐωχίαι καὶ ἑστιάσεις ἀκοῶν, (*epulari sermonibus, & epulæ, dapesque auditionum:*) & similia multa: *colligere escas auribus,* ut in Pœnulo Plautina, *oculis epulas dare.* Joannes Chrysostomus: τροφὴ ὀφθαλμῶν θεωρία, (*pabulum oculorum, visio.*) at animi pabulum, literæ & eruditio: ideo etiam κοιλίας (*ventris*) appellatione animus interdum denotatur. Gregorius Nazianzenus initio cujusdam homiliæ quam habuit Nazianzi: κοιλίαν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ὀνομάζει κατὰ τοὺς τῆς τροφῆς νόμους, ὡς χωρητικὴν καὶ ἀναδοτικὴν, ἵν' οὕτως εἴπω τῶν ἐκ τοῦ λόγου τροφῶν· ὃ γάρ ἐστι σώματι τροφὴ, τοῦτο ἐν ψυχῇ λόγος. (*ventrem, animam suam figuratè appellat, ut quæ vi quadam sermonis alimenta capiendi & distribuendi, ut ita dicam, prædita sit: quod enim cibi corpori, id animæ sermo, vel oratio.*) & ut ciborum, ita λόγων, id est, eorum quæ legimus vel audimus quædam est concoctio: cum non mandamus illa in memoriam, sed in succum vertimus & ad usum revocamus. Epictetus in Enchiridio: ἂν περὶ θεωρήματος ἐν ἰδιώταις ἐμπίπτῃ λόγος, σιώπα τὸ πολύ· μέγας γὰρ κίνδυνος εὐθὺς ἐξεμέσαι ὃ οὐκ ἔπεψας. (*Si de theorematibus inter idiotas sermo incidat, ut plurimum sileto. Magnum enim periculum ne ocyus evomas, quod non concoxisti.*) ad quem locum eruditè explicat Simplicius quid sit πέψις λόγων, quid ἐμετός: eum vide. Porro vis hujus reprehensionis maxima in voce *alienis* posita: quippe alienissimum est à sapiente, facere aliquid propter alienam voluptatem: verum hæc propria est miseria gloriam sectantium: quod felicitatem suam in aliena operatione ponunt: hoc est, in voluptate quam capiunt alii ex ipsorum labore: finem videlicet quo suas actiones, si saperent, referre debebant, qui sic vivunt ignorant: hæc Persii mens: quem postea dicturi sumus, ex Stoicorum disciplina omnia semper ad suum finem voluisse referri. Appositissime ad hunc locum Marcus Antoninus libro VI. Ὁ φιλόδοξος ἀλλοτρίαν ἐνέργειαν ἴδιον ἀγαθὸν ὑπολαμβάνει· ὁ δὲ φιλήδονος, ἰδίαν πεῖσιν· ὁ δὲ νοῦν ἔχων, ἰδίαν πρᾶξιν. (*Gloriæ cupidus alienam actionem pro suo bono reputat: voluptuarius, affectionem quâ ipse afficitur: mente verò præditus, suam actionem.*)

Tun' vetule auriculis al.) Joannes Saresberiensis libr. III. *Porrò qui vultum induit alienum, & varias affectuum alternat facies, incolumitati sensuum insidias parat, & Sordidus auriculis alienis colligit escas;* non puto aliter legisse in Persio, sed de industria mutasse, & in aliam sententiam torsisse: nam in voce *vetule* magna emphasis, ut ostendimus. Cicero in Epistola ad Trebatium; *mi vetule.* Juvenalis: *dic senior bulla dignissime.*

Auriculis, quibus & dicas cute perditus ohe.) tantum laboras ut placeas aliorum auribus? at quibus auribus? nempe eorum qui adeo sine judicio laudant quos laudant, ut cogaris vel invitus id agnoscere: qui sæpe sis expertus, illos tua scripta ita magnificè extollere, ut te, licet vanissimum suppuderet: adeo ut diceres illis ohe, satis est: verissimè Boëtius De consolat. *qui falsò prædicantur,* ait, *suis ipsi necesse est laudibus erubescant:* hæc Persii mens: de qua miror ne suboluisse quidem tot interpretibus: qui in expositione hujus versus mirè nugantur & variè. Quid sit apud Latinos poëtas *dicere ohe,* nemo tam hospes in literis quin sciat: nam qui *ohe* volunt esse αἶνοι bacchantium, & lectionem omnium membranarum atque editionum mutant, ne verbo quidem refelli à nobis merentur: nos hunc locum aliter nunquam accepimus: sed postea observavimus & verba & sententiam ab Horatio Persium esse mutuatum: ut jam ne mutire quidem aliter sentientibus liceat. Horatii versus attulimus in diatriba de Persiana imitatione Horatii.

Quibus & dicas cute perditus o) Vetus dictum est, βάρος τι καὶ τοῦτ' ἐστιν, αἰνεῖσθαι λίαν. (*Onus quoddam est hoc, valde laudari.*) hoc præcipue verum est in liberalibus ingeniis, quibus molestissimum acroama in os laudari: ideo dixit alius poëta

 verè;

verè: Ἀνιώμενοι γὰρ οἱ ἀγαθοὶ, τρόπον τινὰ μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. (*Boni cum laudantur, laudantes, si supra modum id agant, oderunt.*) Sed quem modestis viris etiam mediocris laudatio, sæpe etiam debita, pudorem exprimit: eum ab hominibus vanis non elicias, nisi immodicis encomiis & quæ omnem fidem longè superent: ut si cui pumilo nano ac Thersiti velis persuadere eum esse gigantem formæ absolutissimæ: ideo Persius de avidissimo gloriæ, & vanissimo loquens, ait, *quibus dicas & tu cute perditus*: propriè vitium corporis hæc verba designant, *cute perditus*; quæ vel de scabioso possumus interpretari, vel de eo qui aqua intercute laboret: sed convitium corpori dictum, ad animum referri debet: quod in omnibus linguis familiarissimum est: sic etiam *prurire* & *scalpi* similiter transferuntur: convenientissimum erit, si de hydrope accipias: revera enim vani & φιλόδοξοι hydrope laborantibus similia patiuntur. Lucilius, *Aquam te credo in animo habere inter cutem*: itaque opinio sui & οἴησις, vocatur hydrops. Sidonius Apollinaris libro IX. ad Faustum: qui Sidonio non communicaverat librum à se editum: *An supercilium tanquam difficilis ac rigidi plosoris extimescebas? & quænam est cuiquam peritiæ cervix tanta quive hydrops, ut etiam tepida vestra non ferventissimis laudibus persequatur?* sin de scabioso malis, simile erit illi Luciliano: *Tristem & corruptum scabie, & porrigine plenum.*

Quò didicisse? nisi hoc fermentum & quæ simul intus In.) Heic caussam agit ambitiosorum & φιλοδόξων hominum poëta, sub aliena persona. Quis igitur fructus erit studiorum, si is non est, ut per illa ad famam & nomen perveniamus? hæc illi; estque particula quinta. Observandus autem Persii mos proprius: quoties enim alium inducit sibi aliquid objicientem, sic personam alienam sustinet, ut suam interea non ponat: hoc multis locis necessario observandum: velut in isto: nam inde est quod ambitioni & κενοδοξίᾳ istorum patrocinans, simul tamen satirico sale eos defricat, acridet: patrocinium est ab ejus mente cujus personam assumit: irrisus est ab auctoris mente.

Quo didicisse?) quis est finis studiorum si hic non est? Jam diximus solere Persium ad contemplationem revocare finis cujus caussa hæc omnia fiunt: de quo multa inferius: heic igitur ostendit, proposito hoc exemplo, ignotum vulgò esse finem studiorum, & sicut alibi dicit, *quidnam victuri gignamur.*

Nisi hoc fermentum.) Volebat dicere is cujus vicem Persius loquitur: nisi scientia quam fuerit aliquis adeptus, proferatur in publicum. Persius σκωπτικῶς pro scientia dixit, *fermentum* & *caprificus*: quia ut fermentum in massa contineri non potest, quin det significationem sui, eamque fervefaciat, attollat ac tandem rumpat: item caprificus in saxorum commissuris enata impediri nequit quominus saxa disjiciat: ita eruditio in animo levi & inanem gloriam ambiente habitare non potest, quin ut fermentum attollat illum atque inflet, & ut caprificus, foras prodire & agnosci laudarique ab omnibus cupiat. Historiam variorum fermentorum habes apud Plinium: cujus ætate, vel circa, primum fieri cœpit fermentum ex ipsa farina quæ subigitur priusquam addatur sal. Plato inter ζέσιν & ζύμωσιν non distinguens definit sic, τὸ μαλθακὸν ὑγρὸν κίνησις καὶ αἴρωσις: sed optimi auctores ad affectus animi hanc vocem transferunt: pro ira apud Plautum, *esse in fermento*, hoc est, θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Juvenalis, --*accipe & istud*

Fermentum tibi habe-- hoc est, indignandi caussas: simillime Hebræi חמץ quod *fermentare* est pro turgere ira, & βιάζεσθαι accipiunt: dicitur & de aliis affectibus etiam in sacris libris, tum etiam aliorum auctorum: quia fere πάθήματα sunt οἰδήματα, & φυσιοῖ. Prudentius: *Cum fermentati turgescant mores*: frequens vox in Novo instrumento.

Et quæ semel intus Innata est.) Non displiceat *simul*, nam cum doctrina simul ingeneratur ac crescit in horum animis gloriæ titillatio: sed aliter omnes membranæ: nec muto.

Rupto jecore.) Non constant sibi Veteres in assignandis sedibus cuique affectui: nam pudorem, verbi gratia, modò in oculis habitare dicunt, modò in fronte: sic & amorem vanæ gloriæ, modò in pulmone collocant: Persius, *pulmonem rumpere ventis*: modò in jecore, ut heic: mox etiam, --*neque enim mihi cornea fibra*: οὐ πάνυ ἀφιλόδοξός εἰμι. Dio Chrysostomus, in Diogene, aut de virtute, loquens de Hercule: τὸν Προμηθέα, σοφιστήν τινα ἐμοὶ δοκεῖν καταλαβὼν ὑπὸ δόξης ἀπολλύμενον, καὶ τοῦ μὲν οἰδοῦντος αὐτοῦ καὶ αὔξοντος τὸ ἧπαρ, ὁπότε ἐπαινοῖτο· πάλιν δὲ φθίνοντος ὁπότε ψέγοιεν αὐτὸν ἐλεήσας καὶ φοβήσας, ἔπαυσε τοῦ τύφου. (*Prometheum autem sophistam quendam, ut mihi videtur, offendens, à gloriâ pereuntem; & nunc quidem tumente illi & crescente hepate, si quando videlicet laudaretur; rursum autem deficiente, si vituperarent illum: miseratum hominem & perterre-*

resectum liberavit à fasciis.) Est & intelligendi fons ac sapiendi, in quinta:

Quod latet arcana non enarrabile fibra. Notissimus versiculus est, *en cor Zenodoti jecur Cratetis.*

Exierit caprificus.) fico sterili saxa disjici omnes norunt, vel ex poëtarum testimoniis: sed non sola caprificus id potest. Seneca Naturalium quæst. libr. II. de spiritu & aëris intensione loquens: *Consideremus quam ingentem vim per occultum agat. Parvula semina, & quorum exilitas in commissura lapidum vix locum invenit, in tantum convalescunt, ut ingentia saxa distrahant & monumenta dissolvant: scopulos rupesque radices minutissimæ ac tenuissimæ. Hoc quid est aliud quàm intensio spiritus, sine qua nihil validum, & contra quam nihil validum est?* Proclus apud Epiphanium contra Origenem de ficus grano idem dicit, & fusè explicat, non de caprifici; quam arborem Græci ἐρινεὸν vel ὄλυνθον, Messenii τράγον vocabant: etiam hederæ vis eadem: in Bœoticis narrat Pausanias Minervæ templum Alalcomeneis sua ætate concidisse, cum innata hedera in commissuris saxorum ea disjecisset, de virgultis idem potest observari. Cassiodorus libro II. ad Aloisum architectum: *Virgulta quoque noxia importunitate nascentia, evulsis cespitibus auferantur: ne radicum quidam capilli paullatim turgentes, fabricarum visceribus inserantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriant, unde se compago casura disrumpat.*

En pallor seniumque! ô mores!) Sexta particula: increpationem & indignationem Persii continens, ob vanitatem istorum. Ergone, ait, in ea tempora devenimus, ut non in alium finem literis insudetur, quam ad ostentationem ingenii?

O pallor.) in tertia: *Hoc est quod palles:* Quintilianus septima institutione: *nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus: vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum.* Palloris hujus duas caussas affert Philo: laboris assiduitatem, & spem incertam finem optatum consequendi: ait in Allegoriis, ὠχροὶ οἱ ἐν ἀσκήσει. διά τε τὸν ἀεὶ ἐχόμενον πόνον καὶ διὰ δέος τοῦ μὴ τυχεῖν ἐπὶ τέλος τοῦ κατ' εὐχὴν πλοῦ. omittit præcipuam caussam, corporis incuriam & genii defraudationem: quæ fuit Veterum contentio in studiis admiratione digna: describit multis Aretæus capite de affectibus stomachi, libro De diuturnis morbis: legant studiosi illum locum; est enim elegantissimus & planè memorabilis: ubi igitur de abstinentia vel potius fame veterum eruditorum loquens, inter cætera hæc scribit: οἷσι ὑπάρχει ἡ μὲν δίαιτα, ἁδρῆς καὶ ποικίλης, λιμὸς δὲ ἡ τροφή, καὶ ὕδωρ ποτόν, καὶ ἐν ὕπνῳ ἀϋπνίη. *his*, inquit: *contemtus inest victus copiosi ac varii: pro cibo est fames: pro potu est aqua: pro somno insomnia.* Persius tangit in tertia: — *cur quis non prandeat hoc est.*

Seniumque.) Aretæus ibidem: τοῖσδε οὖν παιδὸς μὲν τὸ σχῆμα· ὠχροί, καὶ ἐν νεότητι γηραλέοι, καὶ νωθροὶ κωφοί, ψυχὴν δὲ ἀμειδέες, ἀμείλιχοι: *comitatur hos corporis tabes: sunt pallidi; in juventute senes; ob cogitationem muti, animo à risu alieno, insuaves, & incommodi;* ita scribendum est: nam in editis libris pro κωφοὶ ridiculo errore κοῦφοι scriptum est: id vult quod aliis verbis expressum à Persio: *Obstipo capite, & figentes lumine terram.* namque in alicujus rei cogitatione sunt toti; nec vident nec audiunt: quod exemplo suo probavit Archimedes: *senium* est non solum properata & ἄωρον senectus, cujus meminit Aretæus: sed ἀηδία, illuvies & pædor: in sexta.

— *usque recusem*

Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto.

& hominem odiosum & δυσχερῆ vocabant *senium*. Lucilius: *In numero quorum nunc primus Trebellius multum Obmarcessebat febris, senium, vomitur, pus.* Vide ad sextam.

ô mores!) imitatur M. Tullium in Catilinam: Martialis:

Dixerat ô mores, ô tempora, Tullius olim.

Usque adeone Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?) Consentiunt omnes auctores sapientiæ, eum qui vitam rectè & sapienter instituat, nihil quicquam suscipere aut facere opinioni ac famæ servientem: passim leges apud Græcos philosophos: ὁ σοφὸς οὐδὲν ἐπιτηδεύει πρὸς τὸ πράττειν τοῦ εὐδοκιμεῖν χάριν: insipiens è contrario, nullius rei, quamvis honestæ ac pulchræ, studio ducitur, nisi persuasus sit eam sibi utilitatem & gloriam allaturam: id verò aliter fieri non potest, quam si notum aliis fuerit; scire ipsum quod sciat. Dio Chrysostomus in Rhodiaca: οὐδεὶς αἱρεῖται τῶν πολλῶν, ὅ, τι ἂν οἴηται καλὸν εἶναι, μόνου αὐτοῦ περιγενέσθαι, μηδένα δὲ εἰδέναι. (*nemo ex vulgo eligit, ut quicquid honestum putat esse, id solum factum ab ipso sit, nemo autem sciat.*) multa disputat in hanc sententiam Marcus Antoninus libro IV. & refert Eustathius in Ὀδυσ. Λ. veteris cujusdam dictum, Μηδὲν ἐθέλειν καλὸν ἔχειν ἀγνοούμενον: negat velle inesse sibi aliquid pulcrum & honestum, quo se præditum esse alii ignorent: nisi tamen potius pro ἀγνοούμενον, verior lectio sit ἀγνοουμένῳ: & tum alia fortasse fuerit verborum sententia, quæ non est hujus loci: hoc suadent Theoph. Simoc. verba in Dialogo Historiæ præfixo: Μηδὲν γὰρ ἀγνοουμένῳ ἔχειν καλόν, ὡς ἐμοί γε καὶ τῷ Κυρηναίῳ δοκεῖ.

Sed ad Persium redeamus. Hi sunt quos Græci dicunt ἐπιδεικτικοὺς & φαντασιαστάς: cujus contrarium est, disciplinis incumbere propter ipsas, & ἀνεπιδείκτως: (*sine ostentatione.*) quod doctum se scribit Marcus Imper. à Sexto philosopho: & præcipitur omnibus ab Epicteto: μηδὲν δόξαι δοκεῖν ἐπίστασθαι. Gregorius Nazianzenus, τὸ δοκεῖν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς ὥσπερ οὐδ᾽ ὄναρ ἀλλότριον. (*videri, nihil ad nos, ut neque somnium alienum.*) Plutarchus inter signa profectus hunc quoque ponit, velle facere quod rectum est: neque id velle sciri, & ut ipse loquitur, foras non spectare. Origo erroris hujus quem heic carpit Persius, est, quod finem actionum suarum male statuerent: in fama nempe vulgi & lingua hominum: qui finis nugatorius est, & inanis ac ventosus: extat B. Augustini gravis epistola, qua Dioscorum hoc insaniæ genere cum vulgo insanientem, severè castigat allato etiam hoc Persii loco.

Scire tuum nihil est.) non juvat, nihil valet: formula contemnendi. Clemens Alexandrinus τῇ κενοδοξίᾳ ἐπιλέγετε, οὐδὲν ὄνειροι χαίρετε, οὐδὲν ἦν ἄρα. (*Inani gloriæ cupiditati dicite, Falsa somnia valete: nihil eratis utique.*) dicebant & οὐδεὶς λόγος, ut in veteri proverbio, Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος: ita olim concinnabamus, quod Suetonius vertit, *Occultæ musicæ nullus est respectus.*

At pulcrum est digito monstrari.) Septima particula, aliam ejusdem farinæ objectionem complectens ex persona collocutoris: *digito monstrari*, δακτυλοδεικτεῖσθαι: quo verbo Philo usus atque alii. *monstrabilis* δακτυλόδεικτος. Sidonius libro III. *ob omnia felicitatis naturæque bona monstrabilis*. vel ἐπίσημος.

Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendas?) Mos veterum ludimagistrorum erat, ut discipulis suis non eorum tantum auctorum scripta prælegerent, quos vetustas commendaret, sed etiam nobilissimi cujusque æqualium suorum. Marcus Tullius ad Q. fratrem, *Alterum est de Calventii Marii oratione quod scribis: & miror tibi placere me ad ipsum rescribere: præsertim cum illam nemo lecturus sit, si ego nihil rescripsero: meam in illum pueri omnes tanquam dictata perdiscant*; videntur hoc docti viri excogitasse, & studiosi expetisse, quo facilius in notitiam hominum pervenirent: quare narrat Eusebius libro IX. Maximinum tyrannum & acerrimum Christianismi hostem, literas sub Pilati nomine confictas, contumeliarum in Servatorem mundi plenas, ludimagistris tradidisse, in scholis prælegendas. *cirratos* dici pueros qui ludum frequentant, item *capillatos & crinitos*, etiam pueri sciunt. Hieronymus adversus Rufinum: *quasi non cirratorum turba Milesiorum in scholis figmenta decantet*: vide eundem in Apologetico ad Domnionem, ubi hoc loco utitur.

Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi.) In hac parte octava satiricum cachinnum poëta exercet, ut istis qui laudari sua poëmata à Nerone & proceribus tanti æstimabant, rei vanitatem ostenderet. Docet igitur, non inter res serias, sed inter oblectamenta literas haberi à plerisque magnatum: ac laudari quidem ab iis poëtas, & encomiis maximis ornari: sed inter pocula & in vino: ut facilè omnes intelligant quanti laudationes istæ fieri debeant, à parum sobriis & madidis profectæ. Ingeniosè autem Persius rem ob oculos sic ponit, ut horum hominum vanitas manifestissimè appareat.

Inter pocula.) Vetus hic mos & à Græcis acceptus: sed hoc oblectandi sui caussa, non ut accuratius quicquam tractarent. Hieronymus adversus Rufinum. *Quæso te, amice charissime, hujusmodi deliramenta dimittas, & prandiorum cœnarumque fabulas pro argumento non teneas veritatis.*

Romulidæ saturi.) nec viri solum, sed etiam fœminæ. Juvenalis in sexta:

Illa tamen gravior, quæ cum discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, peritura ignoscit Elisæ,
Committit vates & comparat: inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est.) Erat moris ut in missuum intervallis, aut remotis mensis, aliquis convivarum vel memoriter, vel de scripto ῥῆσιν (*selectum aliquem locum, vel sententiam memorabilem*) alicujus poëtæ recitaret: unde mox convivis ansa fabulandi nascebatur: hoc nunc facit iste inter delicatos delicatulus, *cui circum humeros hyacinthina læna est*: vestis tricliniaris mollior & coloris exquisiti argumentum est solutorum morum: satis constat ea ætate qui elegantiores videri volebant cœnatoria & universam vestem tricliniarem splendidissimam habuisse: in dibapha igitur purpura, & in coccinis aut hyacinthinis discumbebant. Petronius Arbiter: *Vestimenta mea accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam; Tyria sine dubio, sed jam semel lota*: sic iste in hyacinthina veste accubitoria accumbit: *læna* enim hoc loco συνθέσεως vestem hibernam designat; etsi non id propriè significat; color hyacinthi suave rubentis proprius magnatum in vestibus; idque jam olim: nam in Sapientia Siraci-

racidæ capite XI. opponuntur οἱ ὑακινθινοφόροι & οἱ ἀμόλινοι: quid? quod etiam hyacinthinas comas fœminarum lascivarum legere est? adeo in deliciis erat ille color: exemplum habes apud Lucianum in Rhetorum mag. *hyacinthina* autem legitur constanter in omnibus codicibus ac membranis antiquissimis meis, Puteani, atque Bongarsii: imitatus hunc versum Claudianus de bello Getico:

Hic aliquis gravior natu cui plurima dictu
Consiliisque fides; ——

& Persius in III.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum.

Rancidulum quiddam balba de nare locutus.) quod supra dicebat recitatores suorum operum vocem frangere solitos, & ad muliebrem sonum torquere: id nunc docet etiam à proceribus servatum, si quando animi caussa poëtarum carmina legerent vel recitarent. *Rancor* est certarum rerum diutius asservatarum corruptus odor: veteres magistri vertunt ταγγὴν, quod oleo vitiato proprium, sic *olei rancor*, apud Latinos: sed dicitur & de aliis; inde transfertur ad res ingratas, & deformes; planè ut σαπρὸς apud Græcos ad quamlibet ἀηδίαν καὶ δυσχέρειαν. Martialis:

Qui sic rancidulo loquatur ore.

Balba de nare): duriore translatione usus, nari tribuit, quod linguæ convenit: balbuties enim vitium est linguæ peculiare: sed poëta multa vitia congestim ponit, quod loquatur rancidè, quod balbè, quod de nare: quæ cave sic acceperis ut verba sonant: hoc enim solum voluit significare, naturalem vocis modum ab istis effœminari: *de nare* loqui dicuntur, quibus spiritus qui per nares exit, non liberè fluit, ob angustiam tramitis.

Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid.) Omnia reprehendit: quod animi tantum caussa sacra Musarum attingerent: quod vocem turpiter fingerent: & quod non Homeri nec Virgilii aut veterum tragicorum, vel omnino alicujus masculi poëtæ carminibus se oblectarent: sed tenera adamarent poëmatia non magnæ rei: puta elegias de infelicibus amoribus Phyllidis aut Hypsipylæ, & similia alia: unum enim ponit exemplum pro omnibus; *plorabilia vatum* quid aliud interpreteris quàm elegias? quòd carmen esse querulum & aptum plorantibus, sciunt & qui nondum asse lavantur: ideo sequitur;

—— non si quà elegidia crudi
Dictarunt proceres. ——

quid? Phyllis & Hypsipyle an non elegiis aptæ materiæ? an non inter Nasonis epistolas una est Phyllidis ad Demophoontem, altera Hypsipylæ ad Jasonem; hæc dubio procul ita perspicua, ut aliter interpretantibus silere liceat.

Et plorabile si quid Eliquat.) Claudianus in Eutropium, ——

Verbisque sonat plorabile quiddam.

Ultra nequitiam fractâ —— eliquat. translatum à metallis & id genus rebus, quæ natura sua compactæ sunt & duræ; cùm liquantur mollescunt & corrumpuntur: sic isti vocem quam à natura acceperant virilem, delicatam reddunt ac fœmineam: sed variè hoc verbum capitur: aliquando pro liquorem exprimere, ut apud B. Cyprianum, *de saxo durissimo oleum eliquare*, idem alibi, *eliquamus in vobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro & visceribus sapor dilectionis infusus*: interdum pro purgare & liquidum reddere. Seneca Quæst. natur. lib. III, de quodam fonte, *fœda quædam turbidus ex intimo fundit, donec liberatus eliquatusque est*; unde & pro exponere accipitur. Augustinus epist. XXII. *Sed prius opus est eliquare, quomodo sententiam tuam recipiam.*

Et tenero supplantat verba palato.) vocem naturalem ac robustam arte frangit ac corrumpit: palæstræ verba sunt, *supplantare*, *subnervare*, ὑποσκελίζειν, νευροκοπεῖν: quæ venustè ad ea significanda transferuntur, quæ non ex vera virtute fiunt: *verba supplantare palato*, est, non bene nec plenè pronuntiare, sed molliter palato illidere: in formanda voce palatum est quasi ἠχεῖον: (*quod resonat aut resonandi vim habet*:) at plectri loco est ὁ γαργαρεὼν, (*gurgulio*: sed an *lingua* potiùs, ut Cicero aliique?) ut explicat Galenus. Sidonius Apollinaris libro IX. diversum ab hoc vitium pronuntiationis notat, cum ait, *orationem salebrosas passim juncturas, per cameram palati volutatam balbutire.*

Assensere viri:) qui tum poëtæ recitabat, illud agebat, ut mollia carmina molliter pronunciaret: laudant reliqui utrumque & vocem & carmen: atque illi thiasotæ suo assentiuntur, pulcherrimum esse carmen quod recitavit, effunduntur igitur omnes paullatim in auctoris tam bonorum versuum laudationem; quod si virorum gravium id judicium esset, non temeraria vox malè sanorum, prorsus felix talibus encomiis erat poëta ille prædicandus: nunc quia ab illaudatis laus illa proficiscitur, falsè Persius eos deridet.

Nunc non cinis ille poëtæ Felix?) annon justam hic poëta caussam habet, cur certam fiduciam concipiat, de fama nominis sui etiam ultra cine-

neres ac post obitum mansura?

Non levior cippus nunc imprimit ossa?) Virgilium imitatur, apud quem ait Cornelius Gallus poëta,

——*ô mihi tum quàm molliter ossa quiescant*
Vestra meos olim si fistula dicat amores.

Ridere lubet Veterum stultitiam: qui amicorum defunctorum urnis cippos & columnas marmoreas cùm imponerent, optabant tamen iisdem terram levem: notissima formula est ad quam Persius alludit: iidem contra inimicis quorum memoriæ non favebant, nullum saxum imponebant: & gravem tamen terram, atque ut pondere urgerentur, optabant: Tibullus,

Quisquis es, infelix, urgeat ossa lapis.

Propertius,

Urgeat hunc supra, vis caprifice tua.

τῷ imprimit Græci verbi *ἐπίκειμαι* vim expressit.

Laudant convivæ.) primò assentiuntur laudanti: deinde ipsi laudant: nempe ubi plus poti calidiores & alacriores sunt facti: plane hic locus est eximius.

Nunc non è manibus illis, Nunc non è t.) Veteres Græci ac Latini, quorum felicitatem plus quàm humanam volebant videri, dicebant de vivis; ex eorum vestigiis flores nasci: vel terram sponte sua in illorum honorem flores producere: de mortuis ex ipsorum tumulis suave olentes quosque flores erumpere: quæ sententiæ ex veteri more sunt ortæ aspergendi floribus, honoris causa & favoris: quod Græcis est *φυλλοβολεῖν*, de quo multa ad Suetonium notabamus: hinc illud Virgilii de puero Salonino:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

cui geminum votum apud Persium in secunda:

——*quicquid calcaverit hic rosa fiat.*

& similia his passim, quæ putidum sit adnotare: hinc etiam est, quod ver perpetuum optabant suorum tumulis, eoque frui perpetuò manes bonorum credebant. Juvenalis:

Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Inde *vernare* pro continua felicitate uti apud multos scriptores. Vereor ne hujusmodi poëtica figmenta occasionem iis præbuerint qui vitas sanctorum, atque omni veneratione dignorum hominum conscripserunt, talia multa fingendi, & pro rebus gestis narrandi: sæpe enim legas, ex eorum tumulis, vel manna exiisse, vel lilia aut violas erupisse, aut simile aliud; illud singulare in morte Hieronymi viri maximi, quod recedente ejus anima dicitur fragrantissimus odor subsecutus, & per dies non modicè durasse: non dissimilis apud Plutarchum De oraculorum defectu narratio, de illo miraculoso homine, ex cujus ore loquentis suavissimus odor manabat.

Fortunataque favilla.) *κατάχρησις* in voce *favilla*, propriè enim est cinis calidus fovens ignem, & ut poëtæ dicunt *σπέρμα πυρός*.

Rides ait, & nimis uncis Naribus indulges.) Nona pars: in qua *ἀνθυποφέρει* (*opponenti regerit*) hic malorum caussarum patronus, sine caussa Persium cachinnari & rem non ridendam ridere: quippe communi quodam consensu omnes mortales, & vivis sibi celebritatem nominis optare, & defunctis famam perennem: cur igitur contemnit Persius eum honorem quem poëtis Romani proceres deferunt? *ait* constanter membranæ: non *ais*.

Os populi.) *τὸ διὰ στόματος εἶναι*: quod dixit Ennius, *volito vivus per ora virûm*,

Et cedro digna locutus.) Athanasius; *ἡ κέδρος ἀναιρετικὴν ποιεῖ τῶν σκωλήκων τὴν κεδρίαν.* (*Cedri ea vis est, ut cedria ex illo manans, vel confecta, vermes aboleat, vel abigat.*) apud Marcellum empiricum sæpe fit mentio cedriæ librariorum, quæ aliis dicitur cedrium: libros enim eo liquore quem cedrus exsudat, linebant: quia res unctæ cedrio, à tineis & carie non læduntur. Lucianus adversus indoctum: *τὰ βιβλία ἀνελίττεις ἀεὶ, καὶ διακολλᾷς, καὶ περικόπτεις, καὶ ἀλείφεις τῷ κρόκῳ καὶ τῇ κέδρῳ.* (*Libros evolvis semper, & glutinas, & circumcidis, & croco cedroque ungis.*) Vide Plinium libro XIII, cap. XIII. & eo priorem Vitruvium libro II, cap. IX. Nec solum cedria ungi soliti melioris notæ libri, sed etiam in arculis materiæ cedrinæ servari: ac fortasse etiam tabulis cedrinis amiciri à bibliopegis propter æternitatem, ut loquitur Vitruvius.

Nec scombros metuentia carmina nec thus.) Sidonius de cartha ubi versus suos exaraverat:

Quæ scombros merita piperque portet:
Nam quisnam deus hoc dabit, relictæ
Ut vel suscipiat bonos odores?

ubi venuste alludit ad Græcorum proverbium, si pereundum, *ἐξ ἀξίου γοῦν ξύλου.* (*saltem ex digno ligno, vel dignâ arbore.*)

Quisquis es ô modo quem ex adverso dicere feci.) Decima hic pars incipit *τοῦ πρώτου μέλους*: in qua Persius non ut salebrosus poëta, quod isti aiunt, saltuatim & leviter, sed graviter & more philosophorum accuratissimè superiori objectioni respondet. Primum distinctione utitur è philosophiæ penetralibus petita; docens aliud esse glo-

gloriam sectari tanquam finem actionum suarum: & eandem probare tanquam ἐπακολούθημα (*consectarium*) & ut Stoici vocabant ἐπιγέννημα (*naturalem accessionem*) quoddam τῶν κατορθωμάτων, (*recte factorum*) & gratam atque amabilem virtutum omnium comitem: illos igitur tota via à recta ratione aberrare, qui ad gloriam, ceu ad scopum unicum collimarent: non illos qui laudem honestis artibus partam in bonis & expetendis, aut certè sumendis censerent: quod & se facere ingenuè profitetur. Deinde aliam distinctionem subjungit veræ solidæque laudis & falsæ atque inanis: nam vanas, futiles atque cachinno satirico dignissimas esse eas laudationes de quibus egit, duplici via probat: prius quidem à persona laudantium: qui sine judicio bonos malosque poëtas acclamationibus illis suis insanis prosequerentur: tum autem à persona eorum qui laudabantur: quos arguit non virtute & recta via ad famam grassari, sed obliquis itineribus & artibus fœdissimis: adeo quidem ut illis ipsis irrisui essent, qui corrogati & munusculis deliniti solebant ipsos laudare.

Si forte quid aptius exit.) Singularem modestiam suam vir divinus ubique ostendit: heic verò quot illius argumenta ἐπισώρευσαι? ab eadem mente est etiam verbum *exit*, quod de opere dicitur studio & labore ad finem perducto: non de iis quæ ut in prologo dicebat de poëtis μυστοπαικταις, repente & Musarum sola inspiratione proveniunt: apud Senecam epist. XCI. *festinari*, & *lente exire* sunt contraria. Horat. *cur urceus exit?* Seneca, *Aliquo vel casu vel exercitatione exibunt recta*: id est, finem rectum consequentur: nam *exire*, est πληρῶσαι: sic tela exit, cum detexta à jugo deponitur, & ut dicam cum Theocrito καταβαίνει ἀφ' ἱστῶ. Idem Seneca De tranquillit. *Altius ut spirare, ita eloqui gestit, & ad dignitatem rerum exit oratio.* Lactantius, *per ipsas difficultates nobis exeundum est qui ad summum bonum tendimus*: & heic *exire* ad finem ac metam pervenire est. Hunc Persii locum eleganter imitatus est Quintilianus Instit. lib. XII. *Itaque nunc si quis ad eas Demosthenis virtutes, quas ille summus orator habuit, tamen quæ defuisse ei sive ipsius naturâ sive lege civitatis videntur, adjecerit, ut affectus concitatius moveat; audiam dicentem, Non fecit hoc Demosthenes? & si quid exierit numeris aptius, (fortasse non possit:) sed tamen si quid exierit, non erit Atticum?* contraria notione aliquando accipitur: ut in quinta,

—momento turbinis exit.

Quando hæc rara avis est.) Non habet hunc versum codex Bongarsii: at Puteani habet, & omnes alii qua editi qua inediti: *hæc* non *hoc* iidem codices rectè.

Laudari metuam.) Stoici enim bonam famam non negligebant: sed inter res indifferentes quidem, sed tamen præpositas numerabant: ἀδιαφόρων duo genera illis erant, προηγμένα & ἀποπροηγμένα. προηγμένα in triplici distinctione versari docebant: circa animum, corpus, aut res externas. Laërtius in Zenone: λέγουσι ἀδιάφορα προηγμένα ἐπὶ τῶν ἐκτὸς, πλοῦτον, δόξαν, εὐγένειαν καὶ τὰ ὅμοια: sed de fama dissenserunt Stoici: aliis, propter se præpositam & sumendam esse dicentibus, quod Carneadi placebat: aliis non propter se, verum propter aliquam utilitatem, qua detracta, dicebat Chrysippus, ne digitum quidem εὐδοξίας χάριν esse porrigendum: plura M. Tullius in libro de finibus III. & præclarè ac sapienter Galenus initio libri septimi Therapeut. Eos autem qui ὑστεροφημίαν, id est, claritatem quæ post mortem contingit, negarent bonum esse, refellit Seneca epistola CII. Marcus Imperator, libro IV. Τί δὲ καὶ ἔστιν ὅλως τὸ ἀείμνηστον; ὅλον κενόν.

Neque enim mihi cornea fibra.) etsi ἀπαθεῖς audimus nos Stoici, amorem tamen non exuimus bonæ famæ: sed tangit & nos ea cura: *fibra* heic est cor: item in quinta:

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

licet insint fibræ etiam aliis partibus naturalibus, vitalibus: at sedem intelligentiæ & cæterarum animi facultatum creditum est etiam Chrysippo & aliis Stoicis esse cor: de quo disputat multa Galenus in libris de dogmatis Platonis & Hippocratis, idem sæpe docet præsertim in libris De usu partium, corpora, aut partes corporis duras, pene esse sine sensu: in tertio scribit τὸ ἐσχάτως σκληρὸν ἐγγὺς ἥκει ἀναισθησίας ἀνάγκη. (*quod valde durum est, parum abest ab eo quod sensu caret.*) cujus rei demonstratio est apud Platonem in Theæteto, & Aristotelem in secundo De anima. Jure igitur Persius ei quem voluit intelligi ἀναίσθητον, (*sensus expertem*) honestarum rerum intelligentia & amore carentem, tribuit cor prædurum: fibram enim posuit pro corde, ut diximus: fibræ autem cordis sunt illæ quidem duræ, hoc est, omnibus aliis duriores: sapientissimus enim ille ἀριστοτέχνης providit, ne facilè possent lædi: ideo καὶ σκληρότητι καὶ τόνῳ καὶ τῇ ξυμπάσῃ ῥώμῃ τε καὶ δυσπαθείᾳ πολὺ δή τι διαφέρουσιν αἱ τῆς καρδίας ἶνες ἁπασῶν τῶν ἄλλων, (*& duritia & rigore, & omni robore, & tardâ affectione, vel quod sensu difficulter afficiantur, longè præstant fibræ cordis*

omnibus aliis.) ait Galenus in VI. De uſu part. at prædura tamen non ſunt, ne plane fierent ἀπαθεῖς, ac ſine ſenſu: *cornea* heic pro valde dura. Catullus, *corpora ſicciora cornu*: apud Dionem Chryſoſtomum κερατοποιεῖν τὰ βλέφαρα, *cornea reddere* ſive *dura*. Sidonius in tertio Ep. *cornea crura, cornea ſubſtantia*: idem Perſium imitatus Gelonis tribuit initio libri IV. *corda cornea, fibraſque glaciales*: imitatur & alibi, ut libro VIII.

Saxa & robora, corneaſque fibras,
Molle dulciloqua canorus arte.

at Perſius Homerum videtur; cujus eſt verſus de Ulyſſe uxorem poſt annum vigeſimum ſine ullo animi motu intuente,

ὀφθαλμοὶ δ' ὡσεὶ κέρα ἕστασαν, ἠὲ σίδηρος.

etiam vulgò Romæ *corneos* vocabant τοὺς ἀπαθεῖς & humanis affectibus carentes, & quibus natura concreta eſſent oſſa, ut ſcribit Plinius lib. VII. cap. XIX. vulgò Græci homines in affectibus lentos vocabant de nominibus lignorum præduroꝛum ilicis & aceris, πρινίνους καὶ σφενδαμνίνους: Syneſius, τοῦ λοιποῦ σφενδάμνινόν μοι καὶ ἀκλινῆ στέρρον συνίστασθε. id eſt, amori veſtro non ita ut anteà indulgebo.

Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo Euge tuum & belle.) Laudem, inquit, non reſpuo: ſed pro fine & ultimo ſcopo eam mihi proponere nolo. Omnino Stoicum ſapientem ex his facilè agnoſcas: utitur enim diſtinctione Stoicorum, ſine cujus notitia hunc locum bene interpretari non eſt. Heic verò obſervari à ſtudioſis Perſii volumus, ſi ex antiqua ejus vita neſciremus, aut conjici aliunde non poſſet, Stoicæ diſciplinæ hunc fuiſſe alumnum: tamen ex eo liquido potuiſſe nobis conſtare, quod ſubinde ad finis comtemplationem nos revocat. Conſentiunt ſane omnes ſapientiæ magiſtri, doctrinæ moralis eſſe principium, maximeque neceſſarium illud caput, quo totius vitæ propoſitum, hoc eſt, finis & ſummum hominis bonum conſtituitur: hoc enim qui norit unicum probè, omnia eum recte facturum, hoc eſt, ſapientem futurum, Marcus Tullius ait in V. de finibus: *cognitis rerum finibus, cum intelligitur quid ſit & bonorum extremum & malorum, inventa vitæ via eſt, conformatioque omnium officiorum*: & ſæpe alibi idem & Dio Chryſoſtomus in tertia de gloria: ὁ συνεὶς αὐτὸς τί ὁρῶντα, καὶ τί βουλόμενον πάντα τὰ ἄλλα χρὴ πράττειν, καὶ οἰκονομεῖν, ἅπαντα ἂν ἤδη καλῶς διαπράττοιτο, καὶ τὰ μείζω δοκοῦντα καὶ τὰ σμικρότερα. (*Qui intelligit quid illud ſit, quod ſpectans & ſibi præcipue proponens omnia alia agere & ordinare debeat, omnia ille ſive majora ſive minora, recte aget.*) Galenus quoque ſerio affirmat, in conſideratione finis cauſſam effectricem ſitam eſſe humanæ felicitatis: ἐν τῇ περὶ τέλους σκέψει τὸ κῦρος ἐστὶ τῆς ἀνθρωπίνης εὐδαιμονίας. ibidem vocat τὴν περὶ τέλους ὑπόληψιν ῥίζαν (*finis comprehenſionem, radicem*) unde oriuntur benefacta & ſecus. Cicero ſimiliter, *ſtirpem*: cum igitur philoſophia quæ ad mores ſpectat ſit duplex, dogmatica & parænetica, priorem illam quæ velut baſis eſt cui altera incumbit, ſapientiſſimus quiſque orſus eſt à diſputatione de fine: quod ante omnes feciſſe ſummum philoſophum initio Nicomacheorum videmus. Nos verò putamus οὐκ ἀθεεί (*ſine divinâ providentiâ*) factum illud ab Hebræo ſapiente, qui regem librorum, Pſalmos regis poëtæ & paucorum aliorum, in ordinem redegit, ut cæteris omnibus eum anteponeret quo hæc de fine quæſtio luculenter, etſi verbis non multis, explicatur. Sed omnium maximè in hac quæſtione immorati ſunt Stoici, quod ex Cicerone, Seneca & Græcorum fragmentis ſatis conſtat: hinc eſt quod toties Perſius in tam paucis verſibus finis meminit: velut hoc loco, & in ſecunda:

Quid juvat hoc, noſtros templis immittere mores?

hoc eſt, quo fine hoc facimus? in tertia:

Eſt aliquid quo tendis & in quod dirigis arcum?

iterum:

Jure etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret
Scire erat in voto. ———

In quinta:

--petite hinc juveneſque ſeneſque
Finem animo certum. ———

Heic verò Perſius non ſolum finis meminit, verùm etiam Stoicorum diſtinctionem adhibet, ut monitori ſuo os obturaret. Dicebat ille errare Perſium, qui laudem præclaris ingeniis delatam flocci faceret: reſpondet, non aſpernari ſe quidem ingenii famam: ſed non pluris quam par ſit eam æſtimare: pro fine igitur eam non habere, qui nullus ſit alius præter ſummum bonum: ſed inter ἀδιάφορα ducere, quorum adeptio nullum ad beatam vitam momentum afferret: hanc rerum differentiam quomodo Stoici explicarent, paullo ante attigimus: eſt huic adfinis & alia diſtinctio ſcholæ ejuſdem, inter οἰκεῖον πρῶτον, ſive τέλος, & ἐπιγέννημα. quædam enim, ut voluptatem, non propter ſui naturam aſſumi docebant, ſed tanquam acceſſionis vice: hæc Laërtius. Seneca De beata vita ita expreſſit capite IX. *Sicut in arvo quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamen huic herbulæ, quamvis delectet oculos, tantum operis inſumtum eſt: alind fuit ſecenti*

renti propositum, hoc supervenit: sic voluptas non est merces, nec caussa virtutis, sed accessio: quod Græcis Stoicis ἐπιγενᾶσθαι & ἐπιγέννημα, Senecæ *supervenire*, & *accessio*: aliter M. Tullius. Cæterum non Stoicorum est inventum hæc distinctio, ut multis placet: sed & rem & verba ab Aristotele sunt mutuati: nam quod illi ἐπιγέννημα, maximus philosophorum ἐπιγινόμενον τέλος: ut in Nicomacheorum ultimo, capite quarto: τελειοῖ, inquit, τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ οὐχ ὡς ἡ ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος, οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα. (*perficit autem voluptas operationem, non ut habitus insitus, sed ut extrinsecus accedens finis quidam: perinde ut ætatis florem adeptis pulcritudo accedit.*) idem & de gloria sentiendum. *Recti finem extremumque* dixit pro τ' ἀγαθὸν ὅπερ ἐστὶ τέλος καὶ ἔσχατον; *rectum* est τὸ καλὸν vel ἀγαθόν: *recti finis*, τὸ κάλλιστον vel ἄριστον: simile est cum ὅρος κάλλους ponitur pro κάλλιστος, ὅρος πενίας, pauperrimus: præclare & nos in idiomate nostro res in suo genere præstantes, tanquam finem ultimum assecutas vocamus *fines* sive *finitas*, ut pannum, telam & similia: ita Græci τελείας à τέλος.

Euge tuum & belle.) laudationem, præsertim tuam: sic accipiendum, ne videatur de inani fama solum sentire, cum negat esse finem.

Nam belle hoc excute totum.) vide & serio expende quam dignæ sint quæ expetantur laudationes ab istis profectæ: *belle totum* valet hic, cunctos illos qui laudantur, & quasi orbem illorum universum: *excutere*, ἐκτινάσσειν, heic pro singula seorsum considerare: de Iliade Attii suprà, recentem poëtam, non veterem tragicum intelligi indubitatum est.

Ebria veratro.) hoc est quam illi expressit non copia ingenii: ἀφυὴς enim & ineptus poëta erat: sed labor improbus ac gloriolæ pruritus, & si quæ alia sunt infelicium ingeniorum irritamenta: cum alia autem excitando ingenio tardo valent, tum etiam interdum pharmaca, inque his veratrum: clarum vel exemplo Carneadis Academici, qui solitus elleboro purgari, quoties cum Zenone Stoico res illi erat futura: jamque ea res in morem studiosorum transierat. Plinius lib. XXV. cap. V. *Candidum purgat, vomitione, caussasque morborum extrahit: quondam terribile, posteà tam promiscuum, ut plerique studiorum gratia ad providenda acrius quæ commentabantur sumsitaverint.* *Ilias*, igitur, *veratro ebria*, sive plena, Persio dicitur, ad quam scribendam multa potione ellebori Attio fuerit opus: quod certum est argumentum infelicis poëtæ: quia veri poëtæ naturæ munere fiunt, inquit Pindarus: hac verò destituti & solo studio freti, corvi loquaces evadunt, non poëtæ: sic ille Olympionic. oda II. σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες ὡς ἄκραντα γαρύετον: aliis verbis sententiam eandem sæpe expressit, magniloquus ille poëta, naturam ubique attollens, artem verò deprimens: lege septimam & nonam ejus libri odam: in tertia etiam Nemeonicarum ψεφηνοὺς ἄνδρας (*homines obscuros & ignobiles*) & imperfectos nec germanos poëtas, qui arte fiderent pronuntiat. Rectè observat Plutarchus & scriptis & factis hominum hoc inesse, ut careant gratia cum apparent coacta & labore multo expressa: quem parum felicem genium facile animadverti potuisse scribit in Antimachi poësi, Dionysii tabulis, & Pelopidæ factis: hæc enim ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον, ἐκβεβιασμένοις, inquit, καὶ καταπόνοις ἔοικε. (*conatum & contentionem virium præferentia, coactis & misero labore expressis sunt similia.*) Plut. in Timol.

Non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres?) illa maximè solita laudari significat, quæ à divitibus ac potentibus scriberentur: licet essent ipsi quidem *crudi*, hoc est, ventri & luxui magis quam Musarum studiis dediti: & carmina quæ componebant, *elegidia*, hoc est, non magna poëmata & opera legitima; sed minuta quædam opuscula, ut elegiæ non πολύστιχοι: & similia momenti non magni carmina. Rudes adhuc & πτερυγίζοντες candidati poëtices, solent elegiaco carmine scribendo vires ingenii periclitari: idcirco elegia appellarunt etiam alia parva atque εὐτελῆ carmina. Dio Chrysostomus in IV. De regno appellat ἐλεγεῖον heroicos versus quibus inscriptus erat nequissimi Sardanapali tumulus: τὸ τοῦ Σαρδαναπάλλου προφέρεται πολλάκις ἐλεγεῖον,

Τόσσ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ὄλβια, πάντα λέλειπται.

(*Hæc habeo quæ edi, quæque exsatura libido Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta.* Cic.) similiter Latini *elegidia* & *elegidiaria* dixerunt: istos tamen de quibus loquitur Persius veras elegias scriptitasse ille versus indicat.

Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid: τὸ *crudi* etiam ad studia potest referri: vix bene adhuc inchoata istis, nedum perfecta: sic accipit Petronius Arbiter.

Non quidquid denique lectis Scribitur in citreis.) divitum omnes nugas, qualescunque tandem essent, laudari solitas indignatur Persius: *lecti citrei* opulentorum proprii: qui ut Plinius docet usque inde è Libya materiam lignorum petebant. Virgilius in Ceiri:

Nec Libyi Assyrico sternetur lectulus ostro. Veteres autem lectulos habuisse lucubratorios, ubi studerent ac versus facerent, observabamus ad Suetonii librum II. ac multis exemplis probabamus: ad eum morem Persii hunc locum ibi referebamus: quod cur damnarent quidam, alia caussa non erat, nisi ea quam nolo dicere: etsi non nego etiam ad tricliniares lectos referri posse, & eos versus quos inter cœnam bene madidi proceres interdum fundi(ta)bant: omnino rectior est prior interpretatio.

Calidum scis ponere sumen.) postquam ostendit ἀκρασίαν & vanitatem laudantium: nunc artes exponit vanissimas eorum qui laudabantur: corrogabant enim auditores & impensis cœnarum suffragia illorum redimebant: quod & in causidicis notat Juvenalis satira XIII. Mos autem notus ex Horatio, aliisque: Petronius, *Multò me turpior es tu, Hercule, qui ut foris cœnares, poëtam laudasti*: eadem consuetudo etiam apud Græcos. Lucianus Ῥητόρων διδασκ. οἱ φίλοι δὲ πηδάτωσαν ἀεὶ καὶ μισθὸν τῶν δείπνων ἀποτινέτωσαν. Est apud Philostratum in Polemone sophista faceta historia de quodam indocto, sed divite recitatore, qui fœnus exercebat, & pacto de usuris hoc semper addebat, τὸ καὶ μελετῶντος ἀκροάσασθαι, (*quoties ipse recitaret, eos audituros:*) atque ex hac pacti conventi lege adversus eos agebat, qui recitationibus suis non interessent: *sumen calidum* ait, quia cibos quam ferventissimos mensis inferre moris erat: ut ad Athenæum monebamus.

Et verum, inquis, amo.) Mira elegantia vanitatem horum φιλοδόξων poëtarum ob oculos ponit, μιμήσεως figura vetustissimè utens: isti, ait, postquam aliquid recitarunt, auditores quid sibi visum fuerit rogant: ac quasi proficere non laudari cuperent, verum sibi dici orant: & veritatem se amare dictitant: putes cùm hæc videas quamvis graves esse viros: pari suavitate vanitatem eandem expressit, Arrianus libro tertio, eo capite quod adversus τοὺς ἀναγιγνώσκοντας καὶ διαλεγομένους ἐπιδεικτικῶς, de quibus heic Persius, est scriptum: πρώην, inquit, ἐπαινεθεὶς περιήρχου, καὶ πᾶσιν ἔλεγες, τί σοι ἔδοξα; Θαυμαστὸς Κύριε, τὴν ἐμὴν σοι σωτηρίαν. πῶς δ᾽ εἶπον ἐκεῖνο; τὸ ποῖον; ὅπου διέγραψα τὸν Πᾶνα καὶ τὰς Νύμφας· Ὑπερφυῶς. (*Laudatus nuper obambulabas, & omnibus obviis dicebas; Qualis tibi videbar? Mirabilis, Domine, per tuam juro salutem, quæ propriâ mihi charior est. Sed illud, quæso, quod recitabam? Quid illud? ubi descripsi Panem, & Nymphas. Mirificè!*) ne dici quidem potest, quam bene hæc Persii locum illustrent: sed poëta doctissimus istum versum

Et verum inquis amo: verum mihi dicite de me, ex Plauti Mostellaria pene ad verbum transcripsit: ubi Philematium Scapham ancillam sic alloquitur. *Ego verum amo, verum volo mihi dici: mendaces odi*: lege totum principium ejus scenæ, actu primo: est enim singulari lepore conditum. Marcus Tullius ad Quintum fratrem judicium Cæsaris de suis versibus scire cupiens: *Dic mihi verum: num aut res eum, aut χαρακτὴρ non delectat? nihil est quod vereare: ego enim ne pilo quidem minus me amabo. Hæc de re φιλαλήθως, & ut soles scribe fraterne.*

Qui pote?) non potest ab istis verum audiri: semper enim ut Quintilianus scribit in X. *à corrogatis laudabantur etiam quæ non placerent.* Rectè autem notat vetus interpres & hunc & sex continuos versus esse per parenthesin insertos.

Vis dicam?) ego qui blanditiis tuis non sum corruptus, possum tibi verum dicere, modò velis ipse audire.

Nugaris, cum tibi calve Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet.) hoc est Persii de istis judicium: accipe igitur de te quid sentiam: ego te stultum pronuntio, qui vitam omnem ad canitiem usque traducas in nugis & inutili poëtandi studio: cùm sint alia potiora quæ ei studio præverti debeant: imprimis autem mores emendare, & vitam corrigere quam per voluptates traducis, in curanda cute plus æquo operatus: *nugari* pro versus facere vulgatissimum est: *calve*, ut suprà *vetule*; sed calvus in stultos & improbos notissimum & usitatissimum convitium est: periphrasis est γάστρων κατασεσαρκωμένων ὑπὸ τρυφῆς, ut loquitur Basilius, & hominis qui ventri abdominique serviat in istis, *Pinguis aqualiculus*: quia ut ex aquali funditur aqua, sic ab illa parte urina: sed Latini ea voce usi variè: apud medicos interdum etiam pro ventriculo, quomodo Marcellus Empiricus accipit non semel. Seneca ad Lucilium: *cum pervenit cibus in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur, tunc demum corpori accedit*: heic stomachi ventriculus dicitur Senecæ aqualiculus. Theodorus verò Gaza imam inferioris ventris partem, quam Aristoteles sub ἦτρον locat & ὑπήτριον vocat, *aqualiculum* dixit, Persium potius secutus, quàm aliorum usum vocis hujus. *Propenso* omnes membranæ constanter: non *protento*, ut apud Hieronymum in Hieremiam, & Priscianum libro VI. alibi apud Hieronymum leges, *propensus aqualiculus*, ut libro secundo adversus Jovinianum: *extet* autem κυρίως inde extan-

stantia ventris apud Cælium Aurelianum, cui ea vox familiaris.

O Jane à tergo quem nulla ciconia pinsit.) Hoc versu & duobus sequentibus judicium suum quod modo exposuit, confirmat etiam aliorum suffragiis: ut intelligerent isti, non suam unius sententiam hanc esse: verùm publicam omnium atque adeò illorum ipsorum qui fœda assentatione soliti laudare; nam istos palam quidem & in os laudare: absentes verò non continere se, quin quod sentiant, vel voce vel gestu exprimant: ipsos verò stupidos vehementer esse, qui irrisiones illorum non intelligerent: exclamat igitur, ἀναισθησίαν istorum & stuporem admirans. hæc nuda est hujus loci sententia: verùm eam poëta ἐσχηματισμένως διὰ τοῦ ἐναντίου (*figuratè, per contrarium*) enuntiat: nam ut istorum infelicitatem ostendat, beatum prædicat Janum bifrontem illum deum: cui ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω (*à fronte & à tergo*) cernenti, facile sit à fuco eorum sibi cavere, qui incoram laudarent, à tergo subsannarent. Eodem argumento utitur Aristides adversus eos qui laudationibus imperitorum corrupti, eloquentiam ipsius ætate corrumpebant: negat vel imperitissimos homines, & fæcem ipsam vulgi vitiosam orationem ex animo laudare: sed repentina quidem voluptate titillatos, grande sophos exclamare: cæterum ubi ad se redierint, culpare atque irridere eos ipsos, quos antea visi essent admirari. σκεψώμεθα δὴ, inquit, καὶ τόδε· ὅτι οὐδὲ οἱ δῆμοι τὰ θαύματα ταῦτα, ὧν μάλιστά τις αὐτοὺς ἡττᾶσθαι φήσειεν, παντὶ τῷ θυμῷ φιλοῦσιν, οὐδὲ ἀσπάζονται· ἀλλ' ἐν μὲν τῷ παραχρῆμα γαργαλίζονται· ἀπελθόντες δὲ εὐθὺς καταγελῶσι: de Jano bicipiti & quadricipiti omnia & pueris nota.

O Jane.) supple quod reticuit poëta: beatum te! μακαρίζω σε τῆς τύχης: laudo fortunas tuas: cum in Rudente Plauti Labrax è mari ejectus ait;

O scirpe scirpe laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis.

qui locus, non propter sententiam, sed propter τὸ ἦθος, huic geminissimus.

A tergo quem nulla ciconia pinsit.) hoc est, quem nullus laudator pictus pone subsannat: sed poëta pro generali verbo subsannare, tres species sive modos sannarum posuit, quibus veteres utebantur. Sanna irrisio est, non simplicibus verbis, sed cum gestu, quod propriè dicunt Hebræi לִיעֵג. hic gestus pro lascivia hominum & fuit & hodieque est multiplex: olim tres illius modi erant usitatissimi, quos heic poëta describit. Primus est cum indice digito in eum directò quem ridebant, crebra ejusdem curvati motitatione, ciconiam rostro pinsentem imitabantur: hanc sannam vocabant ciconiam: vel propter prælongum hujus avis rostrum: vel quia symbolum erat ciconia non solum grati animi, verum etiam prudentiæ. Græci pro ciconia cornicem videntur in ea re nominasse: Hesiodus,

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν·
Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

cave, inquit, domum relinquas imperfectam: ne caput tibi tundat garrula cornix. Scholiastæ: ἵνα μὴ ψέγοντές τινες τρόπον κορώνης πολλὰ κρώζωσι πολλὰ φθέγγωνται ἐπὶ τοῦ ἐλλιποῦς. (*ne sint qui vituperandi studio more garrulæ cornicis super imperfecto opere varia loquantur.*) Joannes Tzetzes: μή τις μωμοσκόπος λίαν κρωκτικὸς καὶ λάλος, ἐπιστὰς αὐτοῦ μώμους καταχέῃ σου. (*ne curiosus aliquis reprehensor idemque valdè clamosus & loquax eum animadverterit, jocis ac salibus perfundat te.*) Sannam verò istam aliter Hieronymus exprimit, quam descripta est à nobis: nam in epistola ad Rusticum monachum ita scribit: *Ne credas laudatoribus tuis: imò irrisoribus aurem ne libenter accommodes: qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint: si subito respexeris; aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari: aut manu auriculas agitari asini: aut æstuantem canis protendi linguam*: vult ciconiam colli motu exprimi, non ut dicebamus digiti motitatione: potest fieri ut utrumque sannæ genus ciconia diceretur: à nostra mente stat vetustissimus interpres, cujus extat in hos versus breve, sed eruditum scholium: quod enim nos pluribus diximus, ille sic, *manu ciconiam significare*: stat & Hieronymus ipse, cujus sunt verba ex præfatione in Sophoniam, *Qui si scirent Holdam viris tacentibus prophetasse, nunquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam.*

Pensit.) Antiquissimi quidam critici legerunt *pisat*, *vel pisit*. Diomedes grammaticus libro I. *Pinso, pinsas, pinsare: pinso, pinsis, pinsere: vel piso, pisas, pisare: pisis, pisere: est apud Persium ambiguum.*

O Jane à tergo quem nulla ciconia pinsit:

pinsit an pinsat, vel pisat aut pisit legendum sit: sed apud veteres reperimus n literam additam, & pinsit secundum tertium ordinem: ut Ennius decima Annalium; pinsunt terram genibus: sic legimus corruptissimum hunc Diomedis locum in vulgatis libris, duplex fuit dubitatio grammaticorum super hoc loco: utrum prior syllaba cum *n* scribi deberet an sine eo: & posterior syllaba per *a* scribenda esset, an per *i*; non enim deerant qui de-

derivatas voces à pilo, cum pro pistillo capitur; sine *n* scriberent, sicut *pisitare* dicitur pro pinsitare: legas & *pisere* pro pinsere: nam in XVIII. Plinii meliores libri habent, *pisente pilo præferrato*: at in septima Vitruvii institutione leges, *rudus pinsatione solidare*: item, *rudus pinsum*.

Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.) Alter hic sannæ modus: quos enim esse asinos significare volebant, opposito temporibus pollice, & manu commota sannam eis faciebant. ratio autem est, quia solus fere ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles: asinus contra maximè mobiles: huic sannæ affine est, quod ad contemtum rei alicujus declarandum, caput movebant, quia aliter aures non poterant. ideo etiam σείειν τὰ ὦτα id dicebant. Galenus De differentia pulsuum libro secundo: ἐπὶ τούτοις ὁ γέρων ὥσπερ ὄνος σείειν ἤδη τὰ ὦτα. (*his auditis senex instar asini aures suas movere cœpit.*)

Nec manus.) supplendum sic: & ad quem irridendum nullius manus imitata est auriculas asini.

Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, tantæ.) Tertius sannæ modus, linguam exertare ad contumeliam alicujus: mos vetustissimus, ut apparet ex historia illius Galli qui cum Manilio Torquato pugnavit, apud Livium libro VII. & A. Gellium lib. IX. cap. XIII. Locutio autem similiter supplenda, ut proximo versu: & cujus irridendi caussa nemo linguam exeruit: nemo est qui ignoret canes fessos, cùm per æstum diei currunt, solitos linguam ex ore patulo projicere: *sitiat* prægnans ut vocant verbum, pro sitiens promat, ut *oscitat*, satira tertia, pro oscitando eructat, *esurire* apud B. Cyprianum pro edere more esurientium: in libr. De spectaculis: *prima victoria est, ultra modum humani ventris esurire potuisse super titulo coronæ*: loquitur enim περὶ τῆς ἀναγκοφαγίας veterum athletarum.

Canis Appula.) Apulia fervida est regio, & ut vocat Horatius siticulosa: non soli autem canes linguam projiciunt sitientes. Nonnus libro XI. de tauro:

——— καὶ γλώσσαν ἔης ἐπιμάρτυρα δίψης
Χείλεσιν ἀγρομένοισι περίσχεθεν ἀνθερεῶνος.

Tantæ.) non aliter membranæ: puto tamen scripsisse Persium, *tantum*: quæ lectio & elegantior longe est, & planior: sic autem & quidam editi præferunt.

Vos ô patricius sanguis, q.) In hac particula postrema secundæ partis, id agit poëta, ut si nequeat vulgus populi Rom. abducere à vanitate illa ac vitiis quæ hactenus descripsit: at patritios saltem, & nobilissima quæque ingenia ab iis institutis deterreat, quæ adeo fœda sint, & liberaliter natis educatisque tam indigna. Captare enim famam ex scriptione versiculorum aut similium nugarum, feras utcunque in eo qui aliam rationem nullam inire potest, qua se tollat humo & rei familiari prospiciat: in eo jure rideas, quem natales & avitæ opes ad rempublicam capessendam vocant.

Quos vivere fas est Occipiti cæco) quos natalium humilitas non cogit spe alicujus commodi scribere ac recitare: sed licet famam iis artibus quæsitam contemnere, & eximere vos eorum cachinnis qui miseros recitatores palàm laudant, clam subsannant: *vivere occipiti cæco illis fas*, qui nihil coguntur admittere cujus gratia optare debeant Jani oculos, de quo modo dictum.

Posticæ occurrite sannæ.) quid sit sanna jam diximus: errant qui Græcam vocem putant: olim observavit Aristophanes grammaticus Cratinum comicum ex omnibus Græcis scriptoribus σάννας vocem posuisse pro stulto: conjicit autem Eustathius à Sannis populis, quos ipsius ætas vocabat Tzanos, hoc nomen translatum esse ad significationem stultitiæ; ut Latini rupiconem & agrestem, dixerunt Opicum, pinguem Umbrum, stultum Marrucinum: nos suspicamur originem vocis esse ab Hebræorum verbo שנן *acuere*: unde שן dens, & שנינה *aculeata oratio*, cujusmodi est sanna. Græci eadem notione etiam vocem μῶκος posuerunt, nam μῶκον ita definit Simplicius in Epictetum: μῶκός ἐστιν ὁ μυκτηρισμὸς καὶ διά τινος σχήματος ἐντελισμός. (*μῶκος est derisio cum certo gestu, contemptus indice.*) plane sannam melius non est definire.

Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli N.) Hæc tertia satiræ pars: cujus sententiam antè exposuimus: quamquam non displiceat si prioribus hæc connectantur: ut sit hoc duodecimum μέρος τῆς σατύρας μίλης: nam ut veteres critici censent rectè, jungi hæc debent cum illo versu:

Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
ibi putidam κενοδοξίαν arguebat hominum laudari in os cupientium: heic fœdam adulationem describit Gnathonum istorum de quibus antè est dictum.

Quis enim?) ἐμφατικώτατα dictum; quasi urbs universa admiratione percita adeo boni poëtæ, aliud nihil loqueretur nisi laudes ejus & encomia, similem emphasim observabamus apud Theophrastum in verbo κατεσχολάζω isto loco ex descrip-

ſcriptione adulatoris: ηὐδοκίμεις χθὲς ἐν τῇ στοᾷ· πλειόνων γὰρ ἢ τριάκοντα ἀνθρώπων καθημένων, καὶ ἐμπεσόντος λόγου τίς εἴη βέλτιστος, ἀπ' αὐτοῦ ἀρξαμένους πάντας ἐπὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ κατενεχθῆναι. (*Heri in porticu magnum bonæ exiſtimationis tuæ fructum capiebas. Nam cum homines ibi plus quàm triginta ſederent, ſermoque incidiſſet, Ecquis civium eſſet optimus? & orſos ab ipſo, & in ejuſdem nomen ſimul omnes recidiſſe.*)

Niſi carmina molli Nunc demum numero fluere.) Judicia auditorum carpit, qui eam ſolam orationem probabant, ſive ἔμμετρον ſive ἄμετρον, quæ tenera quædam elocutionis cute eſſet operta, ut ſcribit & Quintilianus libro v. capite xii. ubi oſtendit, quod & alibi repetit, è declamatorum ſcholis hanc depravationem maſculæ orationis manaſſe.

Ut per leve ſeveros Effundat junctura ungues.) Quintilianus ibidem: *dum levia ſint ac nitida, quantum valeant nihil intereſſe arbitramur.* ſic apud Græcos rhetoras λειότης ὀνομάτων & λεαίνειν τὴν κατασκευήν: locutio ab arte fabrili tranſlata: nam qui marmora poliunt aut ligna, operis levitatem ungue explorant: quod propriè ἐξονυχίζειν dicunt. Sidonius Apollinaris libro ix. epiſtola vii. ad teſſellarios & pſephothetas retulit: ſic enim Perſii verba ἀπείφερεν. *Tota denique,* (loquitur de ſtructura orationis) *liquida prorſus & ductilis; veluti cum cryſtillinas cruſtas, aut onychitinas non impacto digitus ungue perlabitur: quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum tenax fractura remoretur*: ſed & marmorariorum ac ſtatuariorum verbum eſt ἐξονυχίζειν: unde ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίγνεται dicitur, cum ultima reſtat manus operi admovenda: ut in celebri dicto Polycleti plaſtæ ſignificis, χαλεπώτατόν ἐστι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνηται. (*tunc opus eſt difficillimum, cum unguis examen argillæ ſubeundum eſt.*)

Scit tendere verſum Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.) quaſi dicat, optimus eſt verſuum faber: ſimile illud Cratini in Eumenidibus: τέκτονος διπλάζομεν ὄμμα: quod ridet Ariſtophanes in Ranis: ſed caret culpa Perſius, qui non ex perſona ſua hoc dicit; verum ineptis & imperitis hominibus convenientem attribuit ſermonem: quod cum etiam in ſequentibus ingenioſè ab eo ſit factum, vulgo non eſt animadverſum. Cur uno oculo ἀκριβέστερον res videamus ac melius, cauſſa hæc eſt: quod vis optica quæ ab uno principio dividitur in geminos oculos, cum alterius operatio impeditur, ad alterum tota ſe confert, fitque hoc modo ſe ipſa validior: non enim ceſſat otioſa facultas videndi: ſed quo poteſt ad actum pergit: adeo ut ſi diuturnius fuerit illud impedimentum, conſuetudine in alteram naturam vertente, ſpreto inutili organo, vis illa hæreat tota penes alterum oculum: ſic Geta quidam, ut narrat Appianus, cum metu triumviralis proſcriptionis pelle alteri oculo impoſita luſcum ſe finxiſſet, longo poſt tempore, ubi periculum evaſiſſet, detecto oculo, luſcum reapſe factum ſe eſt expertus. Non prætermittam luculentos Gregorii Nazianzeni ſuper hoc verſus, in encomio virginitatis. Sic ille:

Ἤδη καὶ τοὶ ὅσσοι λιθοξόοι, ἠὲ τοὶ ἔργον
Ἴδριν δουρατέων, πινυτοὺς καὶ φερέδμονας ἄνδρας,
Ἰθεῖαν στάθμησιν ἐπὴν διατεκμήρωνται,
Ἐκ φαέων ἕτερον μὲν ὑπὸ βλεφάροισιν ἔδησαν,
Τῷ δ' ἑτέρῳ πέμψαντες ὅλον φάος εἰς ἓν ἀγερθὲν
Ἀτρεκέως ἐτύχησαν. ——

(*Quinetiam latomi ſolertes, quique fabrilem*
In lignis artem exercent, cum linea recta
Quæritur, exactaque opera captatur amuſſis,
Ex oculis unum claudunt; & lumine toto
In ſocium fuſo, viſu acieque coactâ,
Recta ſequente tenent duro veſtigia ferro. Mor.)

Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum.) imitatur vanitatem ſtulte & per adulationem laudantium: quibus parum eſt ſimplici laudatione eum quo de agitur afficere: niſi mirè amplificent, & ſingularem hominis facultatem cujuſvis argumenti quoquo modo tractandi deprædicent: ſed cum ait, *Sive opus in mores*: τὸ *opus* bifariam poteſt exponi: ſive opus ſit in mores invehi: vel, ſive opus fuerit inſtitutum ab illo adverſus mores: *opus* autem *in mores & luxum*, interpretor de ſatirico ſcripto: quod videntur ea ætate multi tentaſſe, partim carmine heroico ut Perſius, partim per ſaturam mixtis oratione & verſu, ut Petronius: non aſſentior veteri interpreti & aliis qui *mores* de comœdia accipiunt: *luxum* de ſatira: pridem enim comœdiæ ſcriptio Romæ frigere cœperat. Satiræ autem objectum eſſe non unum aut alterum vitium, ſed in univerſum, corruptam publicorum morum diſciplinam, ſæpe diximus: *prandia regum* de tragœdia accipio cum veteri interprete, maximè propter iſta ſatiræ V.

Si quibus aut Procnes, aut ſi quibus olla Thyeſtæ
Fervebit, ſæpe inſulſo cœnanda Glyconi.

ex quibus conſtat nobis ſæpius tractatum à diverſis poëtis Neroni æqualibus illud argumentum; notemus tamen loquendi genus, *dicere in prandia regum*, pro tragœdias ſcribere, quarum hy-

hypotheses prandia regum contineant: putem locutionis hujus insolentiam veteres nonnullos grammaticos impulisse, ut τὸ *in* aliter in hoc versu acciperent, pro de, & ὑπὲρ; quomodo etiam apud Græcos κατὰ usurpari, modò in laudem modò in vituperationem, notum: atque ita hunc locum etiam Priscianus capit libro XVIII. sed hæc interpretatio coacta est, ne dicam inepta: nam illa *in luxum* quomodo huic interpretationi aptabuntur?

Dicere res grandes.) eam laudem scriptores ejus ætatis affectabant: Suprà,

Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.

Nostro dat Musa poëtæ.) huic de quo loquimur: sunt enim populi verba recentis adhuc è poëtæ cujusdam recitatione: sed Neronem præcipuè intelligi existimantibus assentimur.

Ecce modo heroas sensus afferre docemus.) Expolita inani grandiloquentia, quam tunc omnes perverso judicio sectabantur: hunc caussam unam è præcipuis commemorat, illius vitii: ea autem est, prava institutio: nam cum stilus sublimis consummata quædam sit perfectio artis rhetoricæ, ut ante dicebamus ex Longino; nihil poterat aut ineptius aut absurdius fieri, quàm cum in scholis rudes discipuli instituebantur loqui grandia: sed culpa hujus rei penes parentes erat potius quam penes rhetoras; voluntatem enim patrum non judicium suum secuti in his exercitationibus doctores peccabant. Persius igitur, & præceptores objurgat ob præposteram hanc docendi rationem: & mox etiam in parentes omnem ferme culpam rejicit. Omnino autem conferenda hæc Persiana sunt, cum iis quæ eadem de re gravissime disseruntur initio Satirici Petroniani: videbis mirum consensum duorum eruditissimorum scriptorum in damnanda juvenum institutione quæ ipsorum ætate obtinebat: non ignoramus omnes interpretes aliter ista accipere: sed ii quam fallantur Persius ipse optimè docuerit. Non malè autem heic statuas tertiam partem satiræ hujus: cujus quidem nexus cum præcedenti aptissimus: & transitio clara cum ait, *Ecce modo h.* sic paullo post, *Et nunc Brisæi quem.*

Heroas sensus.) pro heroos: & fortasse sic scribendum. Statius: *heroor gressu truncare tenoris*: omnes tamen membranæ aliter, estque hæc enallage poëtis familiaris & Latinis & Græcis; ut ad Theocritum olim observabamus: sic infrà,

Italo quod honore supinus. ——

hoc est Italico: *heroes* sive *heroi sensus* sunt materiæ sublimis generis, & ille cujus meminit Petronius, *tumor rerum.*

Afferre, docemus.) nos patres docemus; vel jubemus ut rhetores doceant. Legitur in aliis *videmus*: quam scripturam etiam vetustissimi quidam libri servant: firmat quod sequitur, *cum videas*: & ita superius: *Heic neque more probo videas*: placet tamen *docemus*, cum Bongarsii codice, & aliis nonnullis: refero enim ad doctores juventutis, qui inanes eorum animos rerum cognitione, ad magna prius aspirare præcipiebant, quàm in planis & humilibus stilum exercuissent.

Nugari solitos Græcè.) hoc est puerculos vix adhuc primas literas doctos: ea ætate Romani puerorum studia à literis Græcis auspicabantur. Fabius libro primo: *A sermone Græco puerum incipere malo: quia Latinus qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perbibet: simul quia disciplinis quoque Græcis prius instituendus est, unde & nostræ fluxerunt: non tamen hoc adeò superstitiosè velim fieri, ut diu tantum loquatur Græcè aut discat, sicut plerisque moris est*: ex his Fabii liquido constat. Persium his verbis *nugari solitos Græcè* [illegible] expressisse pueros primis adhuc literis operatos: quod & sequentia testatius adhuc faciunt.

Nec ponere lucum Artifices.) pueri cum primum rhetorum scholam salutaverant egressi è grammatico ludo, exercebant stilum in descriptionibus ac narrationibus historicis. Quintilianus lib. II. cap. IV. *Hinc jam quas primas in docendo partes rhetorum putem, tradere incipiam*: mox: *apud rhetorem initium sit historica narratio, tantò robustior quantò verior*: rhetores, ut vides, discipulis tenerrimis argumenta narrationum proponebant, ex historiis petita: similia sunt argumenta quæ heic proponuntur: descriptio luci, vel ruris lucurlenti, aut vitæ rusticæ: est autem *rus saturum*, rus sive prædium bonis refertissimum, & quod describere vel laudare cupientibus; futurum sit benigna materia: ita dixit Seneca Naturalium libro V. cap. IX. *locos ob humidam cœli naturam saturos & redundantes*: familiare verbum poëtis *ponere* de scriptione: in quinta Persius,

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo.

& ita Horatius.

Ubi corbes Et focus, & porci, & f.) explicat pluribus quod voce unica significaverat, cum rus *saturum* vocavit: copias ruris breviter recensens, & loca aliquot indicans, unde ruris enco-

comia duci & latè diffundi poterant; ad copiam spectant hæc, corbes, focus, porci, fœnum: loca ἐγκωμιαστικὰ ruris: sunt historiæ rerum memorabilium quæ ruri sunt factæ: nam qui rus aut rusticam vitam laudare aggrediuntur, in rem suam illas historias scitè convertèrint: porrò ejusmodi historiæ sunt, quæ heic tanguntur, Parilia sive Romæ urbis origo, & Romuli ac Remi natales, & L. Quintio Cincinnato delata dictatura cum rus coleret. Sed observandum est poëtam sigillatim hæc ita recensere, non tanquam rhetorem, qui suos discipulos instituat, & ad fontes digitum intendat: sed ut satiricum cachinnonem; solent autem & satirici poëtæ & comici & omnes qui in carpendis vitiis versantur, ad singulorum facta sæpe respicere: ut quasi sub exemplo doceant, & acriùs pungant: haut dubiè Persius sæpe in hoc libello id fecit: ut paullò post, ipsis etiam Neronis versibus prolatis & satiræ suæ insertis: verùm nos hodie amissis auctoribus illi æqualibus & memoria rerum illarum extincta, multa necesse est ignorare: hæc ideo dicimus, quia persuasum habemus, Persium isto loco ubi rus saturum describit, certum aliquem suorum æqualium ridere, qui in eo argumento ineptè atque infeliciter fuerat versatus: omnino hoc ita esse evincunt vel illa verba quibus hic locus clauditur, *Euge poëta*: quibus significat, tam ineptum carmen recitatum nihilominus fuisse; & plausus magnos tulisse. Quid potissimum in eo poëmate reprehenderet Persius, eo amisso nescimus: sed docent rhetores, hujusmodi rudium ingeniorum exercitamenta, vel eo nomine solita reprehendi, quod arida essent atque jejuna: vel contrà, quod sinuosa & accersitis descriptionibus, in quas, ait Quintilianus, plerique imitatione poëticæ licentiæ ducuntur, lasciva: an igitur utrunque Persius carpit? quid aridius aut jejunius fingi potest, quàm si cùm institueris rus saturum laudare, circa corbes, focum, porcos, & fœnum immoreris? levia enim ista sunt ac nihili, præ Bacchi Cererisque muneribus, fructuum copia, gregibus atque armentis aliisque multis, in quibus sitæ sunt agrorum divitiæ ac suavitates: rursus sinuosa ac lasciva sit oratio necesse est, si historias quæ heic tanguntur, fusè prosequaris, nec modum serves: quod longè difficillimum est.

Ubi corbes.) & corbes & corbulæ apud rei rusticæ scriptores passim.

Et focum.) Scripti quidam, *Et fucum*, perperam. caminus luculentus non minima pars est commodorum vitæ rusticæ. Virgilius,

Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.

& fortasse qui hic ridetur poëta, alium locum erat imitatus parum feliciter, ubi focum laudat Maro:

Hic focus & tedæ pingues: hic plurimus ignis,
Semper, & assidua postes fuligine nigri.
Hic tantùm Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Et porci.) Videtur quem hic tangit, nimius fuisse in hoc immundo pecore.

Et fumosa Palilia fœno.) Varro apud veterem interpretem: *Palilia tam privata quam publica sunt apud rusticos: ut congestis cum fœno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes.* purgationum quæ die Palilium fiebant etiam Ovidius meminit: sed mos iste transiliendi ignem è fœno & stipulis excitatum, cujus Propertius quoque meminit libro quarto, valde notandus est: quia ex eo cognoscimus unde mos ille esset ortus, quo & veteres quidam Christiani leguntur usi, ignem transiliendi certa anni die, expiationis caussa & divinationis. Theodoritus in Quæstionibus nondum editis ejus meminit: sed aliam originem illius facit: nam explicans morem transmittendi filios per ignem, cujus sæpe fit mentio in veteri Fœdere: adhuc sua ætate servatam à nonnullis fuisse eam consuetudinem scribit, idque se in quibusdam civitatibus fieri vidisse testatur: ἐγὼ εἶμαι, inquit, τὸ μέχρις ἡμῶν φυλάττεσθαι τῆς πλάνης εἶδος τὸ λόγῳ αἰνίττεσθαι. εἶδον γὰρ ἔν τισι πόλεσιν ἅπαξ τοῦ ἔτους ἐν ταῖς πλατείαις ἁπτομένας πυρὰς, καὶ ταύτας τινὰς ὑπεραλλομένους καὶ πηδῶντας, οὐ μόνον παῖδας ἀλλὰ καὶ ἄνδρας· τὰ δέ γε βρέφη παρὰ τῶν μητέρων φερόμενα διὰ τῆς φλογός· ἐδόκει δὲ ἀποτροπιασμός τις εἶναι καὶ κάθαρσις: diem non indicat Theodoritus hujus superstitionis: ne Glycas quidem secunda Annalium parte hunc illius locum laudans: & fortasse de paganis loquitur Theodoritus, non de Christianis: sed & hos morem illum πατροπαράδοτον usurpasse constat, atque ut Palilium catharmi exeunte vere, aut ineunte æstate agitabantur à rusticis Romanis: sic illi Junii die XXIII. aut XXIV. in quam Joannis Baptistæ natalis incidit, ignem è fœno excitatum transiliebant. Refert Balsamo Cyri Michaëlis Constantinopolitani patriarchæ verba, quibus ritus multos adnotat, quos ea die nonnulli usurpabant: ibi igitur inter cætera hæc scribit: καὶ τὴν ἑσπέραν τῆς κγ'. τοῦ Ἰουνίου μηνὸς ἐθροίζοντο ἐν ταῖς ῥύμαις καὶ ἔν τισιν οἰκίαις ἄνδρες καὶ γυναῖκες, καὶ ἐν ὅλης νυκτὸς πυρκαϊὰς ἀνάπτοντες ἐπήδων ὑπεράνω αὐτῶν, καὶ ἐκλη-

κληδονίζοντο, ἤτοι ἐμαντεύοντο περὶ εὐτυχίας καὶ δυστυχίας καὶ ἄλλων τινῶν δαιμονιωδῶς. (*Sub veſperam 23. diei Junii menſis viri mulieresque magno numero in vicis & domibus conveniebant, & per totam noctem ignes accendentes tranſiliebant eos, & de futuris bonis malisve, & aliis præterea nonnullis ope, vel inſtinctu dæmonis ominabantur & divinabant.*) referuntur autem hæc Cyri Michaëlis verba à Balſamone, ad concilium Trullenſe: cujus LXV. canone diſertè vetantur hujuſmodi πυρκαϊαὶ pro domibus atque officinis excitari ſolitæ, ἃς καὶ ὑπεράλλεσθαι, inquiunt patres, κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπλήρουν: propterea diem illum Joanni Baptiſtæ ſacrum Lampadem vocarunt: ut ex Joanne Chryſoſtomo Joſephus Scaliger obſervavit, in ſeptimo operis magni.

Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor.) rectè *cùm*; non ut alii *quem*: hoc enim vult tunc ipſum araſſe cùm advenerunt legati: Livius: *ibi ab legatis ſeu foſſam fodiens bipalio innixus, ſeu cùm araret, operi certè, id quod conſtat, intentus.* nota hiſtoria.

Trepida.) feſtina, more Virgilii, inquit Servius. Livius: *togam propere è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet*: vel metu perculſa: utique cùm ex ponentes legatos audiſſet, qui terror eſſet in exercitu: omnia enim trepidationis plena.

Et tua aratra domum lictor tulit.) δείνωσις eſt in his verbis: nam quantum hoc, quod aratori lictor publicus miniſtraverit, ejuſque aratra domum retulerit? ſed videtur ille de quo ſentit Perſius malè eum locum tractaſſe.

Eſt nunc Briſæi quem venoſus liber Acci.) Quarta hæc pars ſatiræ iſtius, poëtis & oratoribus ex æquo conveniens; qua eos irridet, qui in jactationem eruditionis voces poëticas uſurpabant: in quo vitium duplex obſervant dicendi magiſtri: prius cùm obſoleta verba putidè in uſum revocantur: quæ multorum hodie eſt fatuiſſima inſania: alterum eſt, cùm duriores poëtarum tranſlationes, & ea quæ vix ipſis poëtis ſunt permiſſa, putant ſibi licere uſurpare, aut imitari; utrunque errorem multis locis magnus ille magiſter eloquentiæ Fabius reprehendit: velut in octavæ Inſtitutionis procemio: *Quid quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur diſertum; quod & alius dixiſſet? A corruptiſſimo quoque poëtarum figuras ſeu tranſlationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio*: & capite ſecundo ejuſdem: *Obſcuritas fit etiam verbis ab uſu remotis; ut ſi commentarios quis pontificum, & vetuſtiſſima fœdera, & exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his: ut quæ inde contraxerit non intelligantur*: HINC ENIM ALIQUI FAMAM ERUDITIONIS AFFECTANT, UT QUÆDAM SOLI SCIRE VIDEANTUR: hæc ille. Dionyſius quoque Halicar. graviſſimam adverſus id genus moriones ſententiam profert: ait enim hoc illos facere, ὑπὸ ὀψιμαθείας καὶ ἀπειροκαλίας, τοῖς ἐσχάτοις τῶν παθῶν περιπεπτωκότας. (*ex indecoris, qualis quæ ex ſerâ eruditione vulgò oritur, affectatione, & inſolentiâ, vitiis omnium turpiſſimis.*)

Briſei quem venoſus liber Acci.) Ita vetus lectio: non *Briſæi*, neque *Acti* vel *Atti*. L. Accium veterem poëtam tragicum, Pacuvii ὁμόχρονον intelligit, non autem Labeonem, de quo facta bis mentio in præcedentibus. Accium & Pacuvium ita paſſim conjungunt ſcriptores. Martialis,

Attonituſque legis terrai frugiferai,
Accius & quicquid Pacuviuſque vomunt.

pro *Briſei* lego *Briſëis*: notiſſimum fœminæ nomen ex Homero & aliis poëtis: ejus caſus tragœdiæ convenire nemo poteſt negare. *Briſëis* igitur liber venoſus & *Antiopa verrucoſa* duarum tragœdiarum nomina ſunt, quarum hanc Pacuvius compoſuerat, illam Accius: figuratè vero omnia illorum ſcripta deſignabantur duabus illis vocibus. Non ignoramus quæ ſcripta ſunt tam à vetuſtis, quàm à noſtri ſeculi viris doctis ad interpretationem alterius lectionis: ſed videtur nobis plane durum, & ſine exemplo ut Accium Perſius *Briſæum* ſive *Briſeum* dixerit, Bacchi cognomine, quia tragœdia Baccho ſacra: quam coactum hoc? quam longè petitum?

Venoſus liber.) deformis, ut ſunt homines macri & ſenes vieti, quibus dedit longa ætas *deformem pro cute pellem*: iſtis enim venæ extant, carne ſenio abſumta: *venoſus* autem omnes membranæ non *nævoſus*, ut ſuſpicabatur Hadrianus Turnebus lux & decus ſuæ ætatis.

Ærumnis cor luctificabile fulta) verba Pacuvii in quibus duo notari voluit ac rideri Perſius: metaphoram primùm impropriam, duram & ineptam: nam *fulcire* κυρίως quidem eſt ὑπερείδειν, ut vertunt antiqui magiſtri, & στηρίζειν, ἐρείδειν: cùm autem transfertur, auxilii ſemper ſignificationem habet: ſic apud Lucretium, *fulcire cibis atque omnia ſuſtentare*: ſicut dicitur Gregorio Nyſſeno, ἡ τροφὴ ὑποστηρίζειν τὸ τῆς φύσεως ἡμῶν ἔνδειές. & *fulcire rempublicam* ſæpe M. Tullius: *animo fulcire corpus* Seneca de beata vita. Pacuvius verò *ærumnis fulcire* pro cingi undique & opprimi poſuit,

it, sanè quam ἀκύρως: deinde autem vox *lucificabile* sententiæ non quadrabat: estque in eo manifesta affectatio vocabuli soni grandioris: cujusmodi sunt ejus formæ omnia: quibus solet Maro majestatem suo carmini conciliare: ut, *lacbrymabile bellum: ineluctabile fatum: illætabile murmur*: alioquin religiosiores fuisse veteres Latinos in ejusmodi vocibus, docet M. Tullius, qui καταληπτὸν cum vertisset *comprehensibile*, quasi magnum aliquod ausus, *feretis hæc?* inquit: & Seneca notat apud Mæcenatem *irremediabile* pro ἀνήκεστον, epistola CIV. simile apud Lucilium, *monstrificabile*: apud disertissimum scriptorem Lactantium *insustentabilis dominatio* libro VII. capite XVI. pro eo quod Græcis ἀνυπόστατος ἀρχὴ, de quo ad Athenæum libro III. cap XX. & *incogitabilis* ὁ ἀνόητος, eidem Lactantio libro I.

Hos pueris monitus patres infundere lippos Cùm videas.) à doctoribus eloquentiæ in patres culpam transfert. Petronius: *Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primùm enim sicut omnia spes quoque suas ambitione donant: deinde cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, & eloquentiam qua nihil majus confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus:* hæc Petronii verba cum iis conferri debent quæ superius dicta sunt in tertia satiræ hujus parte: rectè *infundere*, nam puerorum ingenia instar vasorum sunt: præcepta instar liquoris: qua similitudine multi veterum usi.

Quærisne unde hæc sartago loquendi?) misturam probatarum & damnatarum dictionum in oratione vocat *sartaginem loquendi*: allusum videtur ad panes ταγηνίας, (nam τήγανον sive τάγηνον sartago est:) Athenæo atque aliis descriptos: qui conficiebant è variarum rerum miscella, farinæ, adipis, mellis, sesami, casei & similium. An respicit ad stridorem ingratum rerum quæ in sartagine friguntur? ut autem Persius *sartaginem* de oratione dixit: sic Eubulus Græcus comicus ferventium patinarum sonum, appellavit λάλημα, id est, loquelam:

(Λοπὰς παφλάζει, inquit, βαρβάρῳ λαλήματι,
Πηδῶσι δ' ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις.

(*Olla fervet barbaro loquelæ genere, Et pisces subsultant in mediâ sartagine.*)

sartago, vox origine Syriaca שרת unde est משרת *sartago.*

Unde istud decus.) corruptæ eloquentiæ, cujus facinoris cum pudere auctores deberet, illi contrà de teneris sensiculis & sententiolis vibrantibus sic triumphant, quasi de re bene gesta.

Trossulus.) notum qui propriè dicti sint trossuli: sed vulgò ita vocabant τοὺς κομψοὺς καὶ φιλοκάλους, qui cultu & toto vitæ genere cæteris præstare vellent. Varro Sesquiulysse: *Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgò Attico talento equum.* Seneca epistola LXXXVII. *O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus.*

Exultat tibi per subsellia l.) jactitat sese inter eruditos, ut cum in subselliis sedet, aut cùm transit per subsellia habita recitatione. Quid si hoc accipias de auditoribus, quorum culpa non minor quàm eorum qui perperam scriberent, ut sæpiùs dictum ante? optimè verò quadrabit huic interpretationi quod ait, *exultare per subsellia*: nam ea fuit audientium immodestia, ut non solùm inverecunde acclamarent: sed etiam subsilirent atque exilirent: ideo Plutarchus Περὶ τοῦ ἀκούειν, inter ea quæ vocat τὰ κενὰ τῆς ἀκροάσεως, (*inania auditionis, vel recitationum,*) ponit τὰς κραυγὰς, τοὺς θορύβους, καὶ τὰ πηδήματα τῶν παρόντων. (*clamores, tumultus, & exilitiones audientium.*) qua de re plura dicta sunt ad illum versum, *Ingentes trepidare Titos.*——

Levis.) λεῖος: mollis ac τρυφερός propriè: ὁ παρατετιλμένος, vulsus & resinatus.

Nil ne pudet capiti non posse pericula cano P.) Quinta hæc pars satiræ, ad oratores propriè pertinet: adversus eos scripta qui tenerum dicendi genus ne in scholis quidem & auditoriorum umbra ferendum, transferebant in forum, & veras caussas sic agebant tanquam fictas declamationes: ut si in arenam de vita pugnaturi, non veris armis ornati descenderent, sed ludicris & ad ostentationem comparatis ornamentis. Laborasse hoc vitio eam ætatem, neque sine caussa hanc querelam Persium instituisse: en testem exceptione majorem. Fabius libro IV. cap. II. *Ne sententia quidem velut fatigatum intentione stomachum judicis reficere dissuaserim:* mox: *quod cùm sit factum iis quoque temporibus, quibus omnis ad utilitatem potius, quàm ad ostentationem componebatur oratio, & adbuc erant severiora judicia: quantò nunc faciendum magis, cùm in ipsa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas?* capite III. *Plerisque moris est, probato rerum ordine protinus utique in aliquem lætum ac plausibilem locum, quam maximè possint favorabiliter excurrere, quod quidem natum ab ostentatione declamatoria, jam in forum venit postquam agere caussas, non ad utilitatem litigatorum, sed ad patronorum jactationem repertum est.*

Cano.) vel verè cano: quod auget πῖνος: vel atrato & squallido, reorum more: quæ etiam res canitiem solet accelerare.

Quin tepidum hoc optes audire Decenter!) quin gloriæ tuæ servias, & id præcipua cura agas, ut plausum feras: quod institoris eloquentiæ proprium, non viri sapientis: nam ut Quintilianus ait in VIII. ubi res agitur & vera dimicatio est, ultimus esse debet famæ locus: sed quid vocat *tepidum decenter?* placebat legi *trepidum*: quod verbum est Horatii ac Persii: prorsus ita dictum superius, *Ingentes trepidare Titos*: qui locus validè confirmat nostram emendationem: atque hanc lectionem invenimus adnotatam in uno eorum veterum codicum quos à clarissimo Bongarsio accepi: verumtamen & liber ille & cæteræ omnes membranæ quibus usi sumus, consentiunt cum vulgatis: videtur etiam Sidonius Apollinaris hunc locum imitatus, ut sæpe alios, cùm scribit in epistola ad Faustum libro IX. *quænam est cuiquam peritiæ cervix tanta, quive hydrops, ut etiam tepida vestra non ferventissimis laudibus persequatur?* vocantur autem *tepida* Sidonio, dicta mediocria, nec primæ notæ: ita heic capi ea vox potest: ut sit *audire tepidum decenter*, velle laudari, vel modica laudatione, sensus hic erit: cùm defendens reum capitis criminibus suis infamem, sperare non possis eas acclamationes, quas mereri solet bonæ caussæ disertus patronus: tu tamen adeo væcors es, ut ne sic quidem gloriolæ studium ponas: sed omni studio id conaris efficere, ut vel tepidè lauderis, si pleno ore non potes; *tepere, fervere, frigere*, & *frigefacere*: sic sæpe usurpantur: alienissimum est quod caussæ Pedii Blæsi hoc verbum quidam accommodant: in universum enim loquitur.

Fur es, ait Pedio.) ut Mævius ac Titius, & apud Græcos Dio ac Plato, apud Arabes Zeidon & Amron, nomina sunt θετικῶς atque exempli caussa usurpari solita: sic Pedius heic pro mali oratoris exemplo sumi potest: nam ita Horatius posuit, cujus verbis sæpe loquitur Persius: hoc si sequimur, *Fur es*, interpretabimur, fur est ille à quo dicis inepte caussidice Pedi: solent patroni alienam caussam sic tueri ut suam: ideo Persius & heic & in sequentibus oratorem non aliter alloquitur, quàm si suam ipse caussam ageret. Atq; hoc nomen insulsi caussidici eo libentius videtur Persius usurpasse, quod poterat eadem opera ad Pedium Blæsum facere allusionem: qui, ut narrat Tacitus, Nerone imperante repetundarum postulatus damnatusque est à Cyrenensibus: nam quod illum ipsum Pedium Blæsum putat vetus interpres intelligi, stare non potest aliter, nisi ut concedamus hunc reum suam per se caussam egisse: magis putem oratorem illum perstringi, qui pro Pedio in senatu oravit.

Crimina rasis Librat in antithetis.) non uno modo corrupta erat illorum temporum eloquentia: sed plurimi eò peccabant, quod præcipuam oratoris virtutem ponerent in sententiarum argutiis, quibus naturale orationis robur enervabatur, vera pulcritudine in fucum & nugas degenerante. Quintilianus libro primo: *plerique novorum*, inquit, *omnium operum solam virtutem sententias putaverunt*: & libro VIII. *consuetudo jam tenuit ut mente concepta sensus vocaremus: lumina autem, præcipueque in clausulis posita sententias: quæ minus crebræ apud antiquos, nostris temporibus modo carent:* posteà: *nunc illud volunt, ut omnis locus, omnis sensus, in fine sermonis feriat aurem:* prætermitto similes locos, quibus cum aliorum eloquentia damnatur à præstantissimo illo doctore: tum imprimis Senecæ, qui id genus sententias plurimum adamavit & sectatus est: hujusmodi sententias Persius heic intelligit, appellatione antithetorum; non quod propriè antitheta & sententiæ illæ sint idem: sed ita exponi id verbum ejus ætatis consuetudo postulat: nam sententiæ illæ de quibus diximus, acuta quædam erant dicta & τῇ διανοίᾳ figurata & τῇ λέξει: itaque enuntiabantur per antitheta, isoptota, homœoteleuta, & similes Gorgiæ inventiunculas: neque aliud Persius intelligit, quàm quod in XI. dixit Quintilianus, *sententiolis flere*: & quod in XII. *periodis postulare*. Sed & ipsa per se antitheta, & totus similium figurarum apparatus, ab oratione ubi res agitur & vera dimicatio est, sunt aliena: ideo pronuntiat Dionysius Halicarnasseus, Isocratis orationem in suo genere alioquin præstantissimam ad pugnam tamen & veras caussas futuram fuisse ineptam: quia servit apud illum ἡ διάνοια τῷ ῥυθμῷ τῆς λέξεως, (*sententia rhythmo, vel numero dictionis:*) & ut eleganter ait, τῷ κομψῷ λείπεται τὸ ἀληθινόν. (*major elegantiæ quàm veri cura.*) appellat autem antitheta, & totum Gorgiæ artificium, τὰ κομψὰ καὶ θεατρικὰ καὶ μειρακιώδη: rectè sane: nam ut ait Demetrius ἡ ὁμοιότης ἡ περὶ τὰ κῶλα καὶ ἡ ἀντίθεσις ἀνελοῦσι τὴν δεινότητα διὰ τὴν κακοτεχνίαν. (*membrorum affectata similitudo & oppositio frangit & enervat vim orationis; ob perversum artis studium.*) Nec aliter in Oratore suo Cicero: *Dulce orationis genus & solutum, & affluens*,

ens, sententiis argutum, verbis sonans est in illo epidictico genere, quod diximus proprium sophistarum, pompæ quàm pugnæ aptius, gymnasiis & palæstræ dicatum, spretum & pulsum foro: idem semper judicium fuit sapientissimi cujusque viri: qui in suis æqualibus hoc vitium acriter reprehenderunt. Extat Philostrati sophistæ epistola ad Juliam Augustam, ex qua potest intelligi quantopere gravissimus censor Plutarchus has adfectatas elegantias habuerit exosas: postquam enim probare conatus est veteres sapientes non abhorruisse ἀπὸ τοῦ γοργιάζειν, subjicit πείθε δὴ καὶ σὺ ὦ βασίλεια, τὸν θαρσαλεώτερον τῶν Ἑλλήνων Πλούταρχον μὴ ἄχθεσθαι τοῖς σοφισταῖς· μηδ᾽ εἰς διαβολὰς καθίστασθαι τοῦ Γοργίου· εἰ δ᾽ οὐ πείθεις, σὺ μὲν οἵα πω σοφία καὶ μῆτις, οἶσθα τί χρὴ ὄνομα θέσθαι τῷ τοιῷδε· ἐγὼ δὲ εἰπεῖν ἔχων οὐκ ἔχω. (*Crede & tu, Regina, audentiorem illum Græcæ nationis, vel eruditionis Plutarchum non offensum fuisse sophistis, neque Gorgiam calumniari voluisse: quod si tu non credis, at certe qua es sapientiâ & prudentiâ, quid de tali debeas existimare, non ignoras; ego quidem, quanquam non ignarus, dicere non sustineo.*)

Rasis.) politis nimia arte: translatum ab eborariis, & statuariis. Statius de Phidia,

—— *quod ebur Pisæo pollice rasum.*

Librat.) eleganter & aptè; nam Gorgiæ imitatores, non solùm periodos accuratè polibant: sed singulas etiam dictiones ac syllabas in fine periodorum maximè expendebant atque appendebant, ut exirent tandem illæ figuræ quas adeo affectabant parisa, isocola, homœoteleuta & similes; *librario* ῥυθμικῆς dictionis propria: sic Hebræi rhythmos suos definiunt: שיהיה הדבר בו במשקל *cujus oratio est librata:* Imitatur Persii hunc locum Hieronymus in epist. ad Pammachium, cùm scribit: *Non pudet Christianos & sacerdotes Dei, quasi de rebus ludicris agatur, verbis dubiis hærere, & ambiguas librare sententias, quibus loquens magis quàm audiens decipitur,* & sæpius eodem libro.

Doctas posuisse figuras Laudatur.) Malim, *doctus.* Juvenalis,

——*Doctus spectasse lacunar.*

An Romule c) an adhuc vir es? minimè verò, sed mollis & effœminatus. *Romulus* est quivis Romanorum: mollia facta dictaque nec Romano nec masculi spiritus viro conveniunt. Marcus Antoninus lib. II. πᾶσαν ὥραν φρόντιζε στιβαρῶς ὡς Ῥωμαῖος καὶ ἄῤῥην τὸ ἐν χερσὶ μετὰ τῆς ἀκριβοῦς καὶ ἀπλάστου σεμνότητος: quia credebant Romulum urbi à se conditæ præsidere, ideo bona & mala illi ferebant accepta: inde ista Persii expostulatio: similiter Juvenalis cum Marte expostulat satira II.

—— *ô pater Urbis*

Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit Gradive tuos urtica nepotes?

Apud Salustium in Oratione Lepidi, *Romulus,* est Sulla tyrannus: *quæ cuncta sævus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet:* ait ille.

Men' moveat quippe, & cant.) Quintilianus Institutione undecima: *Commoveaturve quisquam ejus fortuna, quem tumidum ac sui jactantem, & ambitiosum institorem eloquentiæ in ancipiti sorte videat? Non: imò oderit reum verba aucupantem, & anxium de fama ingenii, & cui esse diserto vacet:* caussam pete ex eodem auctore libro sexto, & Dionysio Halic. in Isocrate: ubi sic lege hunc locum: χαριεντισμὸς πᾶς ἐν σπουδῇ καὶ κακοῖς γινόμενος ἄωρον πρᾶγμα καὶ πολεμιώτατον ἐλέῳ: (*omnis affectatio elegantiæ in re seriâ, & in adversis, intempestiva res est, & misericordiæ alienissima.*) non ut editum est, ἐν σπουδῇ καὶ καλῶς: atque hic est, cui ut ait Demetrius Phalereus, sive alius est ejus libri auctor, vetus proverbium convenit, ἐν πενθοῦσι γελᾶν (*inter lugentes ridere.*) eum vide.

Cantas cum fr.) describit hic vitium quod illa ætate obtinebat, teste Quitiliano, Instit. lib. XI. *Sed quodcunque ex iis vitium magis tulerim, quàm quo nunc maximè laboratur, in caussis omnibus scholisque cantandi: quod inutilius sit an fœdius nescio. Quid enim minus oratori convenit quam modulatio scenica, & nonnunquam ebriorum aut commessantium licentiæ similis? Quid verò movendis affectibus contrarium magis!* legantur apud illum cætera; quia pluscula sunt.

Cum fracta te in trabe pictum Ex humero portes) Quia magis afficiunt quæ oculis quàm quæ auribus percipiuntur: ideo picturam adhibebant ad movendam misericordiam, non naufragi solùm, quod multi testantur; sed etiam patroni quidam in foro: auctor Quintilianus libro VI. *Sed non ideo,* inquit, *probaverim quod factum & lego & ipse aliquando vidi, depictam tabulam supra Jovem* (is locus in foro) *in imaginem rei cujus atrocitate judex erat commovendus.* Argumentum tabularum hujusmodi habes apud Lucianum initio libri de mercenariis convictoribus: similes erant tabulæ quas diis dedicabant & qui naufragio evaserant, & quicunque alio insigni periculo fuerant liberati: quocirca dicit Juvenalis in XII.

—— *pictores quis nescit ab Iside pasci?*

hinc est ortus ille mos, ut alios taceam, veterum Christianorum, ut qui è morbo convaluerant illi

illi sancto cujus ope credebant se sanatos donaria suspenderent ex auro vel argento, vel viliore materia, imaginem habentia partis quæ fuerat affecta, narrat Theodoretus octava Therapeutica.

Verum nec nocte paratum Plorabit.) *verum plorare* quod philosophus dixit πεφυκότως, voce significantissima: quasi naturam ipsam flentis assumeret qui flentem inducit: sic apud Dionysium & alios rhetoras ἡ ἀληθινὴ λέξις, opponitur nimia arte paratæ, & panegyricæ: *nocte paratum flere* Aristoteli πεπλασμένως: sic ille libro II. Rhetoric. διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως ἀλλὰ πεφυκότως: vide locum. Dionysius Halicarnasseus αὐτοφυῶς καὶ αὐτοπραγματεύτως λέγειν significantissimè illud prius de Lysia loquens: eidem *nocte paratum* dicitur ἐκ κατασκευῆς λέγειν καὶ μεμηχανημένα πρὸς ἀπάτην: qualem ait fuisse Isæi orationem. Quintilianus in X. *Ut illa quæ dicimus non domo attulisse, sed ibi protinus sumsisse videamur, & oratori & ipsi caussæ plurimum confert; nam & magis miratur, & minus timet judex quæ non putat adversus se præparata.*

Qui me volet incurvare querela.) Seneca consolatione ad Polybium: *intelliges non magis tibi incurvari licere, quàm illi, si quis modo est, cujus humeris mundus innititur:* idem lib. III. De ira: *non est magnus animus quem incurvat injuria.* Græcum est, κάμπτειν. Sidonius imitans hunc locum *inflecti* pro eo posuit, epistola VII. libri primi: *quis super statu ejus nimis inflecteretur, quem videret accuratum delibutumque latumiis aut ergastulo inferri.*

Sed numeris decor est & junctura addita crudis.) Commodus atque è vicino transitus est à Gorgianis figuris in prosa ad versuum rhythmos: de quibus in sexta hac parte agit: γοργιάζειν in carmine, res vetus: neque enim defuerunt ne inter Græcos quidem vel meliore seculo, qui eam vanitatem in poëmata sua inveherent. Plutarchus professus hostis hujusmodi ineptiarum Aristophani inter cætera objicit τὸ φορτικὸν ἐν λόγοις καὶ θυμελικὸν καὶ βάναυσον: λέγω δὲ, inquit, τὰ ἀντίθετα καὶ ὁμοιόπτωτα καὶ παρωνυμίας: sed in comœdia quæ pullatæ maximè turbæ judiciis stat, utcunque hoc feras: in alio carminis genere odiosa res atque ridicula: utique in iis prorsus intolerabilis, qui grandia scribere aggressi, majestatem heroici carminis puerilibus his figuris infringerent: notant sane critici veteres, Maronem, cujus judicium pro lege aliis poëtis esse debet, ne hujus generis ὁμοιοτέλευτον faceret, cecinisse,

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ:

non autem *timidæ*. Ab hoc autem principio, & ridiculo studio τοῦ γοργιάζειν in poëmatis originem habuerunt versus rhythmici, quos ætate Persii primus vel inter primos usurpavit Nero: hoc solum differunt Gorgiæ imitatores in versu, ab ejusdem æmulis in soluta oratione: quod hi πάντως similitudinem ponebant in fine coli, vel clausula periodi: illi modò in conjunctorum versuum ultimis syllabis: modò in quinto semipede ejusdem versus & fine: sicut ex allatis à Persio exemplis constabit. Sotadicam verò hanc poësim superius vocabamus, non propter metri aliquam similitudinem: sed propter similiter corruptum fractumque libidine animum, ex quo manabat hoc dedecus, sicut mox verissimè dicturus est Persius.

Sed numeris d.) Hunc versum profert is qui tota hac satira vulgarium poëtarum caussam agit.

Decor.) non τὸ πρέπον, sed τὸ κάλλος.

Et junctura addita.) quidam codices *abdita.* inepte: hoc vult iste: priorum temporum oratores ac poëtas artem non tenuisse componendæ orationis: quo novo invento recentiorum hominum, quos damnabat Persius, ad perfectionem perducta sit dicendi scribendique facultas: *numeri crudi* sunt oratio nondum satis expolita, & ut loquitur Plautus, eodem genere translationis usus, nondum probè cocta: *junctura* spectatur in cujuscunque orationis compositione: estque ea in verbis, incisis, membris, periodis, ut in nona scribit Quintilianus: ita leges apud Græcos magistros dicendi ἁρμογὴν ὀνομάτων, κομμάτων, κώλων.

Claudere sic versum didicit Berecynthius Attin.) bene mones, inquit respondens Persius: sane enim præclarè isti de Musis Romanis sunt meriti, qui non contenti solutam orationem corrupisse, etiam poëtices sacra polluerunt, invento hoc genere novo versuum rhythmicorum, cujusmodi sunt isti Neronis:

——Berecynthius Attin,

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Item,

Sic costam longo subduximus Apennino.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Et raptum vitulo caput ablatura superbo.

in primo exemplo spectari debent duorum versuum ultimæ dictiones eodem modo desinentes: in tribus sequentibus singuli versus suam modulationem intra se absolvunt: estque ἀντί mutua partium inter se, sicut in aliis, prioris versus cum

cum posteriore, hanc χίον,) hoc est, desinentiæ ταυτότητα, & ut rhetores appellant, τὸ ὁμοιόπτωτον καὶ ὁμοιοτέλευτον hodiernorum idiotismorum poëtæ vocant rhythmum, & rhythmicos versus, quibus in plerisque linguis hodie est usus: at Græcis & eorum discipulis Latinis, ὁ ῥυθμὸς τῆς λέξεως longè est alius; εὔρυθμον enim illi, hi *numerosam* aut *concinnam* orationem appellarunt, non quæ referta esset periodis aut colis similiter desinentibus, cadentibusve: sed quæ characteri suo convenientes pedes haberet, nec lege omni soluta ferretur præceps: philosophus in tertio Rhetoricorum τὸ εὔρυθμον & τὸ ἀπέραντον opponit ut contraria: idemque τὸ εὔρυθμον & τὸ ἔμμετρον distinguit ut diversa: volunt enim & Aristoteles & omnes doctores eloquentiæ, oratoris dictionem numeris quidem constare, & pedibus certis, id est, rhythmo: at dimensionem certam, sive τὸ ὅμοιον τοῦ ῥυθμοῦ nequaquam habere: id enim poëmatis esse proprium. At is qui hodie dicitur rhythmus, in syllabarum paritate & similitudine desinentiæ totus est positus: non dubito verum esse quod suprà dicebamus super origine hujusmodi rhythmorum: etsi fuit Romæ aliquis horum usus antiquissimus, in acclamationibus militaribus: quas Saturnio metro legimus componi solitas: hoc est, ad rhythmum solum, ut ait Servius ad II. Georgicorum. Cùm igitur vitio & affectatione paucorum sciolorum, ab his principiis corrupta fuisset vera ac legitima poësis, paullatim crescente imperitorum numero, solidâ verò eruditione languente, ac tandem deficiente, in locum legitimæ poëseos, corruptela illius & fucus succedere cœpit. Mirus verò gentium consensus in poëseos rhythmicæ, ita enim vocant, amore: nam omnes ferè populi Europæ, Asiæ, Africæ, ab aliquot retro seculis non alios præter istos versus norunt. Hebræi duplici poësi utuntur: alterum vocant ἁπλῶς חרוזה, quasi perforatam dicas, & lineam ductam, quomodo dicimus lineam margaritarum: quia propter χίον invicem versus connectuntur, atque alter pendet de altero: hæc poësis unicam habet observationem, ut prioribus concinant posteriora, atque ita fiat rhythmus: cui similes ferè erant adclamationes militares primò & theatricæ; deinde etiam senatoriæ & synodales, ut alibi dicebamus: est & alterum operosioris aliquanto poëseos apud eosdem Rabbinos genus, cùm præter rhythmum temporum quoque ac pedum ratio habetur. שיר ipsi vocant, vel חרוזה שקול. de Arabum rhythmica poësi, qua ferè contextum est Muhammedis Alcoranum, si clementissimo Deo fuerit visum, aliàs differemus. Ex iis quæ dicta sunt intelligitur quæ fuerit poëseos illius origo, quam hodiernarum linguarum poëtæ colunt. Sed non desunt qui putent, nihil vetare quo minus antiquæ poëticæ leges etiam in recentibus hisce linguis retineantur. quod cum in nostra Gallica antè à nonnullis frustra & ridiculè tentatum esset: audet tamen N. Rapinus ingenio fretus quo excellit, idem propositum urgere: suntque adeo nobis ab illo ἔμμετροι quædam ᾠδαὶ ostensæ, exquisitissimæ elegantiæ atque ἐμμελέστεται.

Berecynthius Attin.) Sic legendum est: quod pridem monuit Josephus Scaliger: qui primus huc pertinere vidit Dionis in Nerone verba hæc, ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα ἢ Βάκχας: quæ verba cùm aliter legerentur, princeps ille ita constituit doctissima conjectura; veteres & *Attys* dixerunt & *Attin*, ut idem vir divinus probat. Fabulam Attyos fusè persequitur Arnobius in v.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.) hic versus ei subjectus fuerat à Nerone cujus extrema tantum verba posuit Persius: ex quibus inepta patet affectatio ejusdem desinentiæ. Sed non puto adeo væcordem fuisse, ut integra carmina hoc modo contexuerit, quod fecere postea minores: nimis tamen frequentasse has figuras Neronem certo certius: nam alioquin quem mihi dabis ex primæ notæ poëtis, in cujus libris tales versus non possint adnotari? Sed multùm interest fluant ista sponte sua, an ex affectatione putidula manent. Quare sine caussa Persii de Neronis versibus judicium doctissimi quidam viri improbarunt, quia meminerant apud Virgilium & alios eximios poëtas, rhythmicos hoc genus versus extare.

Sic costam longo subduximus Apennino.) in penthemimeri & ultima versus est rhythmus. Atque hoc genus carminis ita probatum est, cum latè regnum occuparet barbaries, ut tota cœnobia τῶν μοναζόντων poëmatis fuerint impleta ejusdem farinæ: exempla adferrem, nisi versarentur in omnium manibus quamplurima, partim sacri, partim historici argumenti. Invenies & apud optimum quemque veterum similes versus, uti jam diximus, sed raros. Homeri est ille omnium elegantiarum patris:

Ἐκ τοῦ Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων.

cui versui numerosissimo par est hic Virgilii,

Cornua velatarum obvertimus antemnarum.

Alibi Homerus, Ἐκ τοῦ Ὀρέστου τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο.
Hesiodus,

Χαί-

Χαίρεις πῦρ κλέψας, καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας.

idem,

Ἄλλοτε δ' αὖτε λέοντος ἀναιδέα θυμὸν ἔχοντος.

& alibi quoque similiter. Sic apud Latinum poëtam interdum: ut in III. divini operis,

Lumina: vidi atro cùm membra fluentia tabo:

& mox,

Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus.

deinde,

Ætnæos fratres cœlo capita alta ferentes.

alibi.

Vinaque fundebat pateris animamque vocabat.

etiam in duobus junctis versibus interdum; ut,

Hesperidum templi custos, epulasque draconi

Quæ dabat, & sacros servabat in arbore ramos.

utrobique ὁμοιοσχημονοῦσι quintus semipes & syllaba ultima: reperias etiam in tribus conjunctis versibus ejusdem desinentiæ ξυζυγίαν potius quam observationem, apud Statium in carmine quod inscripsit Abascantii pietas:

Nuntiat è celsis ales Tegeaticus astris:

Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,

Et picturato pluvium ligat aëra gyro.

similia multa possunt observari apud Ovidium & alios omnes antiquos poëtas: quæ operibus illorum rarò interspersa, venustatis laudem merentur: cùm contrà propter crebram ac continuam id genus figurarum usurpationem, jure merito censor noster Neronem ac Neronianos poëtas non solum φορτικότητος notet, verùm etiam effœminatæ ac flagitiosissimæ vitæ, ut mox videbimus. Quod enim plerique Neronis versuum essent hujusmodi, etiam iste arguit,

Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.

quem tamen versum Seneca vocat disertissimum: eapte credo ratione, qua ejusdem principis clementiam alibi dilaudavit.

Subduximus Apennino.) Invenimus scriptum *à Pœnino*: contra fidem antiquarum membranarum, & auctoritatem Quintiliani. Sic ille libro nono, *Est in eo quoque nonnihil quod singulis verbis bini pedes continentur quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his fortissima Tyndaridarum: sed etiam ubi quaternæ, cum versus cluditur Apennino, & armamentis, & Oriona.*

Arma virum, nonne hoc spumosum & cortice pingui?) Et Nero & similes poëtæ in quos Persius invehitur, tanta stultitia fuerunt, ut qui omnia faciebant quò tenerum carmen scriberent, egregios tamen divini Maronis imitatores se putarent jactarentque, adeo nimirum istis obbrutuerat palatum, ut grandiloquentiam & majestatem Maroniani carminis se assecuturos sperarent, si nihil eorum negligerent, per quæ lascivis Romuli nepotibus, Troadibus non Troibus scripta sua placere posse intelligerent. Hunc furorem castigat heic veræ poëseos vindex Persius. Inducit patronum illum malorum poëtarum caussam suam Virgilii auctoritate defendentem: quippe nihil grandius quam *Arma virum.*

ARMA VIRUM.) Familiarissimum est Hebræis, Græcis & Latinis loquendi genus, cùm à primis libri vocibus totum librum designamus: non malè sic ista accipias: tota enim Æneis magnum spirat, tota est ὑψηλή· sed non malè etiam ad prima illa verba restringas quæ posita sunt: nam Virgilius grande opus aggrediens, verè grandi usus est exordio, & ut monebat Pindarus, ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον θῆκε τηλαυγές· magnitudo hæc in duobus posita, rebus & verbis, utrumque heic magnificum: ait canere, se, quid? *Arma*: nihil nobilius armis: adeo quidem ut multorum judicio sola arma nobilitent: addit *Virum*: quid secundum superos homine præstantius in hac rerum universitate? imo alter mundus ipse homo est: atque inter homines pauci viri. Jam si verba spectes, illud insigne quod tantum opus auspicatus est à voce quæ & incipit & definit in vocalissima omnium vocalium, ARMA: literam verò R quam multi refugiunt ut caninam, quis non videt virilem facere pronuntiationem, sublata omni mollitie?

Nonne hoc spumosum.) Meminerit lector ejus quod antè monebamus: eum qui Persio contradicit, sic animi sui sensa eloqui, ut verbis tamen utatur ex mente Persii: inde est quod sublime dicendi genus ita heic exprimit, *spumosum & cortice pingui*: quæ verba vitiosum characterem denotant, non verè grandem, quem iste tamen voluit intelligi: sed ita illum facit Persius loqui de industria: quoniam tumor erat non vera magnitudo pro qua iste pugnabat: ἀφρώδη & spumosa dicuntur aptissimè, quæ magni præter inanem speciem nihil omnino habent.

Et cortice pingui.) hoc est φλοιοῦ μεστὸν aut φλοιῶδες: sic enim Græci appellant nugatoria & quæ vitiosa tument magnitudine. Longinus Περὶ ὕψους de Clitarcho: φλοιώδης γὰρ ἀνήρ, καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα, Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβειᾶς δ' ἄτερ. Idem alio loco Archilochum & Demosthenem eo nomine commendat, quod οὐδὲν φλοιῶδες, ἢ ἄσεμνον, ἢ σχολικὸν orationi sui inseruerint. *cortex pinguis* hoc loco non est ὁ πίων, qualis est quarundam arborum liber: sed ὁ παχὺς & crassus.

Ut

Ut ramale vetus prægrande subere coctum.) Responsio Persii allegorica: metaphoram enim continuat qua usus fuerat qui dixerat Virgilii poëmata esse cortice pingui: assentitur Persius, crassum corticem, hoc est τὸ ὑψηλὸν habere Maronis scripta: sed tumorem vanum illis negat inesse, sublimitatem ostendit operum Virgilii, comparans illa cum arbore grandis corticis: at sublimitatem illam castigatam esse, & veram, non speciem solùm inanem, indicat, comparans ejus scripta non cum quavis arboris μεγαλοφλοίῳ: verùm cum illa arbore sive ramo, qui natura quidem magni sit corticis, sed quem longa dies & Solis radii siccaverint, multumque imminuerint.

Ramale vetus.) Ovidius:

Multifidasque faces ramaliaque arida tecto.

hinc *veternosa ramalia* apud Cassiodorum.

Prægrandi subere.) non φελλὸν significat heic vox *subere*: sed ἁπλῶς quemvis grandiorem corticem, quia suberis longè crassissimus est liber. inde etiam κατ' ἐξοχὴν cortex dicitur. Horatius, *Tu levior cortice*: quod Græci dicunt, κουφότερος φελλοῦ: sic *natare sine cortice*, hoc est ἄνευ φελλοῦ.

Coctum.) quicquid laudare vellent coctum vocabant: ut contrà quæ vituperabant, cruda: modo Persius, *--numeris junctura addita crudis.* ramorum autem excisorum cortices soli expositi, humore omni exhauriuntur quo antea tumebant.

Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum?) Colloquentis cum Persio verba: ita autem se ab illo interrogari facit, ut amplius posset ipse malos poëtas irridere, pro quibus dicebat ille alter.

Laxa cervice legendum.) alludit ad recitationes quæ fiebant de scripto: quare Græcis recitatores vocantur οἱ ἀναγιγνώσκοντες. Qui molliter recitabant, etiam cervicem suo quodam & peculiari modo inflectebant: is quippe mos ac gestus delicatorum & τρυφώντων. Lucianus de molli sed virum fortem simulante: μυρία ἐστὶ τὰ ἀντιμαρτυροῦντα τῷ σχήματι, βάδισμα καὶ βλέμμα καὶ φωνὴ καὶ τράχηλος ἐπικεκλασμένος. Firmicus Maternus Contra gentes: *Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus, vix caput lassa cervice sustentant.* Seneca epist. CXIV. de Mœcenate qui etiam in oratione diffluebat. *Incipitque respirans ut cervice laxa feratur.* Dio Chrysostomus inter mollitiei probrosæ certas notas duobus tribusve locis τὸ τὸν τράχηλον ἐπικλίνειν posuit: scriptor quoque gravissimus Gregorius Nazianzenus in altera Στηλιτευτικῇ, quo loco signa enumerat in Juliano sibi notata, ex quibus jam olim erupturam quandoque illius nequitiam prædixerat, omnium primum recenset laxam cervicem, οὐδενὸς, inquit, ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηστοῦ αὐχὴν ἀπαγής, ὦμοι παλλόμενοι καὶ ἀνασηκούμενοι, & quæ deinceps enumerat.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.) Ironica Persii responsio: quæris quinam versus pulcri sunt judicandi? qui autem nisi isti, & similes his, *Torva M.* Sunt autem Neronis versus, ex ejus Bacchis: cujus carminis etiam Dio nominatim fecit mentionem, ut anteà ostendimus. Laborant verò hi versus eadem illa affectatione rhythmi, de qua superiùs est dictum. Nihil agunt eruditissimi viri qui Neronem ineptiarum absolvunt, Persium ἀκρισίας damnant, quia Catulli versum è Pelei nuptiis

Multi raucisonis efflabant cornua bombis,

suo isto sit imitatus: nam Catulli quidem carmen propter hunc versum illius non magis est reprehendere, quam formam bonam propter aliquem nævulum: at Neroniana poësis, quæ tota ex maculis & verrucis erat conflata, qui poterat videri pulchra? quid quod homo furiosus Bacchas non scripsit solùm, sed & saltavit? quod virum gravissimum Persium non paullò magis offendebat, quàm versus ejusdem mali. Adde quod multum interest μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, inter eum qui certo consilio vitia affectat, & pro virtutibus sectatur, & eum cui fortè aliquid exciderit negligentius ac molliusculum.

Torva.) pro torta: etiam veteres magistri exponunt *torvum* λοξόν.

Mimalloneis.) Nonnus,

Βακχὰς ἀκρήδεμνος ἐπικρεμάλιζε Μιμαλλών.

lege Strabonem lib. x.

Bombis.) Tubarum & instrumentorum sonos Latini bombos vocant aliter quàm Græci: inde apud Servium, *bombi organariorum.*

Et raptum vitulo caput ablatura superbo.) *vitulus*, est Pentheus, propter adjectam vocem *superbo*, vel est ταῦρος ὑβριστής: nam etiam apud Euripidem Bacchæ vitulos occidunt, vaccas & tauros:

——— αἱ δὲ νεμομέναις χλόην
Μόσχοις ἐπῆλθον χειρὸς ἀσιδήρου μέτα.
Ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασι.

(——— *ipsæ verò pascentes herbam*
Vitulos invaserunt cum manu non armatâ ferro.
Aliæ verò vaccas distrahebant lacerationibus.)

posteà:

Ταῦροι δ' ὑβρισταὶ κ' εἰς κέρας θυμούμενοι
Τὸ πρόσθεν, ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας,

Μυρίασι χειρῶν ἀργύρμοι νεανίδων.
Θᾶσσον δὲ διεφορῶντο σαρκὸς ἐνδυτὰ
Ἢ σὺ ξυνάψαις βλέφαρα βασιλείοις κόραις.
(Tauri verò feroces, & ob iram cornu minaces
Ante sternebantur corporibus ad terram,
Impulsi innumeris manibus puellarum.
Citiùs verò distrahebantur carnis tegumenta.
Quàm tu committeres palpebras regiis pupillis.) ex his versibus possumus interpretari Neronis verba *vitulo superbo.* Atque hinc intelligimus Bacchas Neronis ejusdem argumenti fuisse cum Bacchis Euripidis.

Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis.) Fingunt poëtæ currum Bacchi à lyncibus trahi. Nero autem fecerat lyncibus vehi Bacchas, tantaque facilitate animal ferum ab illis regi, ut pro frænis essent ipsis hederæ: nam *flexura* heic est ἡνιοχήσουσα, ut rectè quidam sunt interpretati: corymbi συνεκδοχικῶς pro tota hedera, non enim κυρίως accipiendum. Hoc autem spectat eò, ut divino afflatu furere Bacchæ probarentur, non impulsu humano ferri: in quam sententiam multa apud Euripidem. Porro hic & sequens versus rhythmo non peccant ita ut præcedentes: molles tamen & vitiosi sunt, nec planè rhythmo destituti: verùm heic τὸ ὁμοιοτέλευτον in disjunctorum versuum fine spectatur, non ut antè in continuorum clausula. Duplex χέσις sive καταλήξεως ταυτότης in his quatuor Neronis versibus: duorum priorum uterque in penthemimeri & fine propriam modulationem habet: sed hoc amplius primus & tertius similiter desinunt, *bombis* & *corymbis*: item secundus & quartus, *superbo*, & *Echo*, hoc malo sequi nunc, quàm quod aliquando sum suspicatus, secundi & tertii versuum Neronis permutatas sedes fuisse, cùm auctor fecisset hoc modo:

Torva Mimalloneis implevit cornua bombis
Bassaris: & lyncem Mænas flexura corymbis:
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.

Mænas.) Philo, Περὶ φυτουργίας: τὴν δὲ τέχνην τῆς περὶ τὸν οἶνον ἐργασίας μανομένην ἐκάλεσαν οἱ πρῶτοι, καὶ τὰς ἐξ αὐτοῦ κατεχομένας γυναῖκας Βάκχας, Μαινάδας. (*Prisci Græci artem vini parandi* μανομένην, q. d. *insanientem vocarunt, & quarum mentes vi illius occuparentur mulieres, Bacchas aliàs dictas, vocarunt Mænadas.*)

Evion ingeminat.) Euripides:

——— αἱ δὲ τεταγμένην
Ὥραν ἐκίνουν θύρσον εἰς βακχεύματα,
Ἴακχον ἀθρόῳ στόματι τὸν Διὸς γόνον
Βρόμιον καλοῦσαι, πᾶν δὲ συνεβάκχευ' ὄρος
Καὶ θῆρες.———
(——*illæ verò constitutâ*
Horâ jactabant thyrsum ad Bacchanalia,
Jacchum pleno ore Jovis filium
Bromium invocantes: totusque mons simul bacchabatur,
Et feræ.———)
clamabant autem εὐοῖ, εὐοῖ, *Euohe Bacche pater.*

Reparabilis adsonat Echo.) Ausonius, *resonabilis Echo*, ac Calphurnius ecloga v.

———*reparabilis incboat umbras.*

Hæc fierent si testiculi vena ulla paterni Viveret in nobis?) hoc est, si quid in nobis virilis roboris maneret, ut loquitur Quintilianus libro 1. Petronius: *Si quid ingenui sanguinis habes, non pluris illam facies, quàm sportam; si vir fueris, non ibis ad sportam.* Philo Judæus de mollibus loquens: οἱ νόσον θήλειαν νοσεῖν ἐθιζόμενοι, τάς τε ψυχὰς καὶ τὰ σώματα διαῤῥέουσι μηδὲν ἐμπύρευμα τοῦ ἄῤῥενος γένους ἐῶντες ὑποτύφεσθαι. (*qui fœmineo morbo laborare consueverunt, & animis & corporibus diffluentes, studiosè cavent ne vel igniculi aliqui virilis naturæ quasi sub cineribus latentes inextincti remaneant.*) Persii verba Severus Imp. eleganter retulit ad corruptam majorum disciplinam, in epistola quam refert Spartianus. Non est autem minus verùm quàm grave & severum sophi hujus de caussa corruptæ poëtices judicium: nam plane ita est à natura comparatum, ut sit oratio veluti speculum morum, & intimorum animi affectuum; atque ut Græcorum est proverbium, οἷος ὁ βίος, τοῖος ὁ λόγος. (*qualis vita, talis oratio.*) neque existimare debemus discinctum, solutum, ac Sotadicum genus dicendi ab animo sobrio, composito aut casto posse proficisci. Quare inter cætera argumenta, quibus pii Patres impietatis nefariæ reum peregerunt infelicem illum Arium, etiam hoc fuit magni à magno præsertim Athanasio æstimatum: quod de re omnium maxima soluta atque in modum canticorum fracta oratione tractasset. ejusmodi namque fuit ejus Thalia: sicut alibi, cum bono Deo, ad lucem multorum locorum Athanasii, & aliorum Patrum quos parum cepere magni nominis viri, multis probabimus.

Summa delumbe saliva Hoc natat in labris.) adeo, inquit, vir non est Nero, ut mollitie certet cum fœminis: itaque nihil mirum si ejus poëmata, ut Mænas, id est, Bacchæ, & Attin elumbia sint atque enervata: nam vox ipsa illius loquentis non virum notat, sed fœminam: solent enim & fœminæ delicatiores, & earum æmuli viri loquelam non ex imo pectore, ut Homerus ait,

ait, petitam edere: sed in extremis labris formatam. hoc cum Neroni exprobrat Persius, simul scriptorum & vitæ totius mollitiem illi objicit: *delumbe hoc*, id est, delicatuli hujus poësis: *natat summa saliva in labris*: id est, nullum habet solidæ eruditionis fundamentum: sed in extremis labris ex superficiaria doctrina quadam nascitur temerè, & sine arte. Quintilianus lib. x. cap. III. *sine conscientia profectus non à summo petiti, ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modò loquacitatem dabit, & verba in labris nascentia: illis radices, illis fundamenta sunt: illis opes velut sanctiore quodam ærario reconditæ*: sic λαλεῖν ἀπὸ τῶν χειλῶν & λαλεῖν ἀπὸ τῶν δογμάτων opponit Epictetus apud Arrianum, libro secundo, capite XVI. qui locus huic illustrando est appositissimus.

Et in udo est Mænas & Attin.) & coria, & multa alia aquæ immersa & madefacta robur suum ac τόνον priorem amittunt, fiuntque languida & mollia: ex eo dixit poëta, *in udo esse* pro ὑγρὸν εἶναι, molle fœmineum atque enervatum, neque ullo partum labore.

Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.) idem dicit, sed aliter: negat enim Neronis ac similium scripta oleum redolere & lucubrationem solicitudinemque verè doctorum: sed levium esse hominum, qui animi solum caussa & ut viderentur docti, literas tractarent. Quintilianus libro x. capite tertio: *Tum illa quæ apertiorem animi motum sequuntur quæ ipsa animum quodammodo concitant, quorum est, jactare manum, torquere vultum simul, & interim objurgare, quæque Persius notat cùm leviter dicendi genus significat. Nec pluteum, inquit, cædit, nec demorsos sapit ungues: etiam ridicula sunt, nisi cùm soli sumus.*

Sed quid opus teneras mord.) Hactenus rationibus conatus est Persii monitor, à proposito eum dimovere: quibus cum nihil se intelligeret proficere, palàm minas intentat in septima hac parte.

Mordaci radere vero.) Græcorum est proverbium, τὸ ἀληθὲς πικρόν. (*amara veritas.*) apud Socratem historicum, & alios Græcorum. Dio Chrysost. initio Troici; τὸ μὲν ἀληθὲς πικρόν ἐστι καὶ ἀηδὲς τοῖς ἀνοήτοις· τὸ δὲ ψεῦδος γλυκὺ καὶ προσηνές. (*amara stultis & ingrata solet esse veritas: & contrà, mendacium dulce & blandum.*) hanc persuasionem ut ex animis hominum delerent Ægyptii, sacra Mercurio instituerunt facere XIX. die primi mensis, in quibus mel & ficus edentes dictitabant DULCIS VERITAS. Plutarch. de Iside & Osiride: Τῇ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ πρώτου μηνὸς ἑορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ μέλι καὶ σῦκον ἐσθίουσιν ἐπιλέγοντες, ΓΛΥΚΥ Η ΑΛΗΘΕΙΑ: huic Ægyptiorum consuetudini adfinis est ritus Judæorum vescendi intybis & aliis herbis amaris cùm Pascha celebrarent: quod Hebræi πικρίζοντες dicunt, τὸ ἐπὶ πικρίδων τὰ ἄζυμα ἐσθίειν. Lege Philonem, Περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου: & Josephum Scaligerum in sexta emendatione temporum. Præclarè Augustinus in epistola ad Romulum: *Veritas & dulcis est & amara, quando dulcis est, parcit: quando amara, curat: si non recusas bibere quod in hac epistola offero, probabis quod dixi.* Adi B. Hieronymum in illa verba, sub finem Ecclesiastæ: *Verba sapientum ut stimuli*: sic & reliquæ virtutes corruptis hominum judiciis amaræ censentur, vitia dulcia: caussam affert Joannes Chrysostomus homilia v. in posteriorem ad Titum: tangit & Persius heic: *teneræ* enim *auriculæ* sunt quæ appellat Chrysostomus corrupta αἰσθητήρια, & τὴν τῶν κακουμένων διαστροφήν. (*sensoria, & ægrotantium depravata judicia.*) at contra in v.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

de eo qui & audire & dicere verum libenter solet: sic δάκνειν (*mordere*) apud Græcos, & apud Sidonium *piperata dicta* & *piperata facundia.* Erat autem è Stoicorum scitis hoc unum, omnes sapientes esse austeros, & illis similes vinis, quæ medicaminis vim habent ad compotationes inepta. Diogenes Laërtius in Zenone: φασὶν αὐστηροὺς εἶναι πάντας τοὺς σπουδαίους, τῷ μήτε αὐτοὺς πρὸς ἡδονὴν ὁμιλεῖν, μήτε παρ' ἄλλων τὰ πρὸς ἡδονὴν προσδέχεσθαι. καὶ ἄλλως δὲ εἶναι αὐστηρὸν (τὸν σοφὸν) παραπλησίως λεγόμενον τῷ αὐστηρῷ οἴνῳ, ᾧ πρὸς μὲν φαρμακοποιΐαν χρῶνται, πρὸς δὲ πρόποσιν οὐ πάνυ: ita scribendus hic locus: atque ad hoc Stoicum dogma allusum videtur à Persio illo versu satiræ v.

Vide sis, ne majorum tibi forte Limina frigescant.) ne incipias potentibus ac Neroni imprimis odiosus esse: refer ad quotidianarum salutationum morem: nam qui parum grati erant durius tractabantur ab ostiariis & admissionum magistris: hoc vocat Persius eleganter, *limina frigescere*: translatum à cibis pridianis & frigidis, qui minus placent: unde & Græcorum proverbium: qui cùm aliquid elevarent soliti dicere, ad forum frigidorum ciborum id pertinere. Plutarchus De communibus notionibus contra Stoicos: πρῴην μὲν εἰς τὴν τῶν ἑώλων καὶ ψυχρῶν ἀγορὰν εἰ βούλει παρῶμεν· ἐν δὲ τοῖς ὡς ἔνι μάλιστα πραγματικοῖς καὶ μετὰ σπουδῆς λεγομένοις ποιησώμεθα τοῦ λόγου τὸν ἐξετασμόν: *Majores* vulgò Latinis οἱ προγενέστεροι: heic aliter: *majores* enim dixit pro eo quod Horatius, *majores amici.*

Sonat heic de nare canina Litera.) *heic*, id eſt, in liminibus Neronis ac procerum, *ſonare litera canina* dicitur, cùm irritatus aliquis minas funditat: propriè in canibus hirrientibus locum habet: non incommodè Perſio poſſent hæc verba tribui: tum autem *heic* fuerit, in tuis verbis mi monitor: ſenſus erit, intelligo quid velis: periculum enim præſens denuntias, ſi in propoſito permanſero: priorem interpretationem jure aliquis præferat.

Per me equidem ſint omnia protinus alba.) Non diſcedit Perſius à familiari ſibi ironia, de qua ſuperiùs diximus: *alba*, id eſt, approbatione & laudatione digna. Saresberienſis libro VIII. *Omnia majorum alba ſunt & decora: nihil in eis eſt, quod canino morſui pateat, aut ſannam, ut Satiricus ait, poſticam mereatur*: omnia iſta ex Perſio.

Nil moror.) omnem jam pono curam publicos mores carpendi, ac proinde ſatiræ ſcribendæ.

Euge omnes, omnes bene miræ eritis res.) adeo cenſoris triſtem perſonam exui, ut contra laudare ex æquo omnes, bene aut ſecus vitam inſtituentes, ſim paratus: obiter oſtendit poëta quibus artibus tenuioris ſortis homines procerum amicitiam ſibi conciliarent ac ſervarent: aſſentatione videlicet, cùm omnia illorum dicta factaque laudarent, ac mirari ſe dicerent. Porro hic verſus inſuavis, durus ac planè ridiculus eſt. nam quis ita loquitur, ut de iis quos vult laudare dicat, *vos eſtis bene miræ res*: deinde monoſyllaba quæ verſum claudit omnem illi concinnitatem adimit. Quid igitur? an ridiculus Perſius talis verſus auctor? minimè verò: quin eo majore dignus laude, quo duriora hæc ſunt atque inconcinniora: de induſtria enim perſæpe Satirarum ſcriptores in vitiis objurgandis elegantiam refugiunt, & de re ridicula pene ridiculos verſus ſcribunt: non quia non poſſint meliores: ſed ut hoc quaſi contemtu ſuæ exiſtimationis, ex animo ſe ſcribere probent, & qui reprehenduntur, agnoſcant, nihil ea ſcriptione quæri præter ipſorum emendationem. Horatio fuit hæc mens, cùm ſatirarum poëtæ ſic præciperet in decima libri primi.

Et ſermone opus eſt modò triſti, ſæpe jocoſo,
Defendente vicem, modo rhetoris atque poëtæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſultò.

quod aliis præcepit, ipſe in eo argumento tractando ſervavit: ſuis inquam viribus pepercit, eaſque conſultò extenuavit; ut nemo facilè lyricum Horatium in Satiris agnoſcat: cum igitur Horatio ſuo heic obtemperavit Perſius: tum etiam Chryſippo item ſuo, qui in primo de rhetorica diſertè ſcripſit, ſapientem de virtute ſcribentem non illas ſolùm minutas rhetorum præceptiunculas inſuper habiturum, quibus cavendum præcipiunt vocalium concurſum, & ſi quæ ſunt ſimilia, ſed & majora quædam alia in oratione peccaturum, ſolœciſmos etiam interdum admiſſurum, quorum alios puderet. Chryſippi verba ſunt hæc apud Plutarch. Οὐ μόνον ταῦτα (loquebatur περὶ τῆς τῶν φωνηέντων συγκρούσεως) παριτέον τοῦ βελτίονος ἐχομένους, ἀλλὰ καὶ ποιὰς ἀσαφείας, καὶ ἐλλείψεις, καὶ νὴ Δία σολοικισμοὺς ἐφ' οἷς ἄλλοι ἂν αἰσχυνθείησαν οὐκ ὀλίγοι.

Hoc juvat?) Legendum cum interrogatione, ut apud Horatium unde ſumſit: poſtquàm dixit ſe omnia & omnes paratum laudare, An, inquit, placet hoc vobis? ut ſi dicat: nimirum hoc vultis, & hoc exigitis à clientibus amiciſque minoribus veſtris, ut veſtra omnia aſſiduè mirentur. *Juvare* Latinis ſæpe eſt non βοηθεῖν, ſed delectare: ſic Græcis ὀνῆσαι: verum aliter conſtruunt: in Apologia Socratis apud Platonem, ὡς ὤνησας. *quam me juvit hæc tua reſponſio*, non ut eſt editum ὤκνησας.

Hîc, inquit, veto quiſquam faxit oletum.) ἐπιμονή. hanc procerum Romanorum mentem pluribus verbis explicat: nempe hoc ais, pro ſacroſanctis haberi velle Neronem & illi ſimiles proceres: atque ut grande nefas exiſtimatur, ſi quis in loco ſacro alvum exoneraverit, aut minxerit: ſic poſtulare iſtos, ut pari religione caveant omnes vel joco vel ſerio ipſos carpere. *facere oletum*, unica voce dicitur *oletare* in antiqua lege apud Frontinum.

Pinge duos angues:) Appone indicium loci conſecrati deûm vel heroum alicui: ejus rei ſymbolum apud veteres fuit anguis, ut notum eſt. Ariſtophanes Pluto: Ἐξηξάτην οὖν δύο δράκοντ' ἐκ τοῦ νεώ. ubi vides eundem numerum atque heic: Scholiaſtes: κοινῶς πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο: alibi de his plura.

Pueri, ſacer eſt locus: extra M.) Iſocrates Encomio Helenæ. τὴν αὐτῶν ὥραν διεφύλαξαν ἄβατον τοῖς πονηροῖς ὥσπερ ἱερὸν ποιήσαντες. Saluſtius ad C. Cæſarem de Rep. ordin. *Sed ob eaſdem cauſas immane dictu eſt quanti & quam multi mortales poſtea ad Pompeium diſceſſerint: eoque per omne tempus belli quaſi ſacro atque inſpoliato fano debitores uſi.* Calphurnius ecloga ſecunda;

—ite

—— *ite procul, sacer est locus, ite profani.*

Extra Meiite.) Summæ impietati tribuebant veteres, in loco sacro urinam facere: quod tamen per lasciviam à multis fieri solitum legimus apud Aristophanem, Juvenalem, alios. Plutarchus de Chrysippo loquens: ἐν δὲ τῷ πέμπτῳ πάλιν Περὶ φύσεως λέγει. καλῶς μὲν ἀπαγορεύειν τὸν Ἡσίοδον εἰς ποταμοὺς ἢ κρήνας οὐρεῖν· ἔτι δὲ μᾶλλον ἀνεκτέον εἶναι τοῦτο τοῦ πρὸς βωμὸν οὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα θεῶν· μὴ γὰρ εἶναι πρὸς λόγον εἰ κύνες καὶ ὄνοι τοῦτο ποιοῦσι, καὶ παιδάρια νήπια μηδεμίαν ἐπιστροφὴν μηδ' ἐπιλογισμὸν ἔχοντα περὶ τῶν τοιούτων. (*in quinto rursus De Naturâ, ita dicit: rectè Hesiodum prohibere ne quis in fluvios aut fontes mingat: id tamen esse tolerabilius, quàm si quis contra altare mingat, aut locum Deo sacratum: nam quod canes, & asini, & innocentes pueri id faciant, quibus nulla per naturam harum rerum consideratio aut intellectus est, nihil id ad rem pertinere.*) ita scribendus hic locus. Porro eadem reverentia posteà etiam simulacris statuisque principum est exhibita: unde sub malis principibus calumniandi occasio delatoribus: ut probat exemplum quod in Caracallo narrat Spartianus.

Secuit Lucilius urbem.) posita ironia consilium prius suum exemplo Lucilii atque Horatii confirmat.

Urbem Te Lupe, te Muti.) irrisit & Romani populi publicos mores, & nominatim primores populi.

Et genuinum fregit in illis.) enallage personæ poëtica, pro in vobis, *fregit* pro tanta vehementia infixit ut frangeret: δύο δ' ἰνὸς, ut sæpe: sic in symbolo Pythagoræ, ὀδόντας μὴ καταγνύειν: ita ferè Juvenalis, *frangere subsellia* de magno plausu. Terentius Adelphis, *colaphos infregit.*

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico T.) *vafer*, *callidus* & *solers* cum infinitivis apud Persium, nihil aliud nisi Græcorum δεινός: τὸ *ridenti* accipe pro συμπαίζοντι: leviter enim mutat illud Horatii, *ridentem dicere verum.*

Et admissus circum præcordia ludit.) ὑπαλλαγή. ludendo admittitur circum præcordia: admittere circum præcordia, Homero, ἐνὶ φρεσὶ καταθέσθαι.

Callidus excusso populum suspendere naso) notissimum & hodiéque usitatissimum sannæ genus, cùm aliquid elevantes caput quatimus sursum versus: quem gestum mirè expressit post Horatium Persius, verbo *suspendere.*

Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?) Plena modestiæ oratio: sic enim loquitur, quasi futurum sit ipsi satis, inter amicos familiares de corrupta à Nerone & Neronianis poësi intra privatos parietes conqueri: quod minus est eo quod Lucilius & Horatius voluerunt sibi licere. *men'* vetus lectio non *me*: idque multò melius: *cum scrobe* ἀκύρως pro in scrobe. Ausonius Paulino:

Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit: idque diu texit fidissima tellus.

Hic tamen infodiam.) ἐναποθήσω τῇδε τῇ δέλτῳ: quamvis te dissuadente, ego tamen judicii mei testem satiram scribam: non ut eam temerè in lucem edam: sed quia vocem rumpere amor rectæ eruditionis, præ indignatione æquissima, me cogit: *hic*, id est, in hoc carmine, sive hoc libro, non autem in scrobe: ideo sequitur, *vidi vidi ipse libelle*: *infodiam*, id est, consignabo & huic chartæ credam, deinde eam occulam ac quasi aggesta humo obruam: duas enim actiones vox ista hic denotat: quarum utramque exponit Ovidius in XI. Metam. de tonsore Midæ loquens: alioquin *infodere*, sive καταχωννύειν pro arcanum diligenter celare ponitur. Joannes Chrysostomus in III. ad populum Antiochenum homilia: ἂν ἄρα ποτὲ καὶ δόξῃ ἀνέχεσθαι τῶν ἑτέρων λεγόντων κακῶς, κατάχωσον, ἀπόκτεινον τὸ λεχθὲν, λήθῃ παράδος. (*quod si ita contingat ut malè de aliis loquentibus aures aliquando præbeas, infodito tamen, & exitio da quod audivisti, oblivioni tradens.*)

Vidi, vidi ipse libelle, Auriculas asini Mida rex habet.) Apud Joannem Saresberiensem lib. III. scribitur, *Auriculas asini Midas habet*, sed aliter in antiquissima Persii vita, idque melius: nam priorem ejus vocis Græci, Latinique corripiunt. Homerus:

Χαλκῆ παρθένος εἰμὶ Μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.

Ovidius: *Unius sermone Midæ*: reddidimus autem Persio suam scripturam: quàm à Cornuto interpellatam Neronis metu, perpetuo exulare à sua sede iniquum erat. Et mirum profectò posteriorum criticorum extitisse neminem, qui ad hujus rei absurditatem animum adverteret: nihil enim Cornutum impulit ut audaculus heic esset & manum Persii sollicitaret, nisi quod memoriæ illius, & domui universæ, atque adeo sibi ipsi qui fuerat ejus præceptor, timebat: tolleres timendi caussam: nihil mutasset: nihil igitur jam mutemus: qui ejus faciendi caussam nullam habemus. Porrò his paucis verbis summa ac præcipuus scopus primæ hujus satiræ continetur: brevissimo enim hoc elogio suum ostendit judicium de Neronis poësi, & omnium qui ejus exem-

exemplum sequebantur: sed animi sui mentem allegoria pulcherrima extulit: τὸ ῥητὸν & verba tonsori Midæ conveniunt: de quo Naso:

——— *secedit humumque*
Effodit: & domini quales aspexerit aures
Voce refert parva: terraque immurmurat hausta.

sed tum dicendum fuerat *ô scrobs*: pro quo dixit *ô libelle*, cæterum ἡ διάνοια & poëtæ mens sic postulant verba accipi, quasi esset scriptum: etsi palàm quod sentio dicere non licet: ego tamen profiteor, atque hujus mei judicii te, mi libelle, testem apud posteros esse cupio: profiteor inquam de Nerone & Neronianis, qui sacra Musarum turpiter inquinant, ita judicare me, ut meros esse asinos pronuntiem.

Hoc ego opertum, Hoc ridere meum tam nil) Conclusio hæc est ultima totius deliberationis, quæ hactenus est agitata: referri autem hæc verba debent ad illa præcedentia:

Ne mihi Polydamas & Trojades Labeonem
Prætulerint. ———

ibi dicebat ideo damnari consilium suum de satira scribenda ab illo suo monitore, quia proceres Rom. vel Labeonis Iliadem ipsius satiris essent antepposituri: nunc postquam caussas sui consilii fusè explicavit, negat se velle cum quoquam eorum poëtarum qui vulgò accepti essent has suas satiras commutare: nimirum pluris faciebat Persius generosam, qua utitur in hoc libro in carpendis vitiis, libertatem; quàm cujusquam gratiam, aut spem ullorum commodorum, viri magnanimi hæc certa nota. Dio Chrysostomus in ea de invidia, ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἀνδρεῖος καὶ μεγαλόφρων οὐκ ἂν πρόοιτο τὴν ἐλευθερίαν καὶ τὴν αὐτοῦ καὶ τὴν παρρησίαν, τιμῆς τινὸς ἀτίμου χάριν, ἢ δυνάμεως, ἢ χρημάτων. Labeo heic in exemplum nominatur, eorum poëtarum qui tunc florebant & gloria & gratia: sed ejus nominatim fit mentio propter superiorem versum: strenuè enim errant, qui ad Neronis Iliadem hunc locum referunt. Satiras eleganter περιγράφει duabus adhibitis notis: quod sit carmen opertum, & ad movendum risum appositum: quàm belle hæc naturam ejus generis carminum aperiunt? qua de re dictum est suo loco: *opertum* translata vox à sacris opertaneis, quæ μυστήρια Græcis: ubi obscurè & δι' αἰνιγμῶν res divinæ significantur: *ridere meum* τὴν ἐμὴν παρρησίαν καὶ ἐμπαιγμόν: *tam nil*, quod initio hujus deliberationis tantopere elevabas vulgi judicium secutus.

Nullâ tibi vendo Iliade.) πρὸς οὐδεμίαν σοι ἀλλάξαιμι Ἰλιάδα. Montes auri non meream ut mutato ingenio fierem Labeo, vel quilibet alius ex istis ineptis poëtis, qui assentando & miserè versificando Neronis amicitiam nacti, vulgò ceu beati prædicantur. Digna vox generoso animo: qualis illa Promethei ad Mercurium apud Æschylum:

Τῆς σῆς λατρείας τὴν ἐμὴν δυσπραξίαν
Σαφῶς ἐπίστασ', οὐκ ἂν ἀλλάξαιμ' ἐγώ.

(*tuo obsequio, meam hanc, pro certo habe, miseriam non ego permutarim.*)

Audaci quicunque afflate Cratino.) In hac ultima satiræ istius parte philosophos imitatur Persius: quos persæpe est videre qualem lectorem desiderent, quibus scripserint, & ut philosophus loquitur, quis futurus sit οἰκεῖος ἀκροατής (*idoneus auditor*) diligenter explicare. Facit hoc Aristoteles in primo Nicomacheorum libro. Strabo etiam accuratè in primo τῶν γεωγραφουμένων: sic & Galenus non uno loco, Simplicius in Epictetum, cùm initio tum alibi, atque alii magni scriptores: simul verò Persius ad illa monitoris sui superiora verba, *Quis leget hæc?* seriò respondet: Mea, inquit, leget is qui scriptis Eupolidis, Cratini & Aristophanis, ac reliquorum priscæ comœdiæ poëtarum fuerit innutritus, hos enim suggillandis vitiosis hominibus imitamur: hinc toti pendemus.

Audaci Cratino.) verè audaci, omnium enim veteris comœdiæ poëtarum Cratinus liberrimus fuit, vel potius maledicentissimus: & qui convitia, quibus refertæ erant illius comœdiæ, nullo sale condire curaret: quod Eupolis & Aristophanes studiosissimè fecerunt: sed aperto capite, quod ajunt, cum vitiis manum consereret. Aristophanis scholiastæ: Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητὴς ἀπὸ δὲ κατὰ τοὺς Ἀρχιλόχου ζηλωτὰς (fortè κατὰ τὸν Ἀρχ. ζήλους ἦν) αὐστηρὸς τοῖς λοιδορίαις ἐστίν. οὐ γὰρ ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιλημμένης διὰ ταύτης ἀναιρῶν. ἀλλ' ἁπλῶς κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τοὺς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.

Adflate Cratino.) Familiaris Persio enallage: *ô quicunque afflate Cratino*, pro ô tu quicunque es afflatus Cratino: in tertia:

Censoremve tuum vel quod trabeate salutas.

dicitur autem *afflatus Cratino* is qui Cratini fabularum lectione assidua fuerit affectus, & amorem virtutis inde conceperit: translatum ab animalibus quæ τῇ σφῆς αὔρῃ ἐμπνέουσιν, (*spiritu suo afflant*:) ut loquitur Hippocrates in epistola ad Cratevam: vel à pratis, quemadmodum de Platonis dictione dixit Dionys. Halic. ὥσπερ ἀπὸ τῶν εὐωδεστάτων λειμώνων αὔρα τις ἡδεῖα ἐξ αὐτῆς φέρεται. (*tanquam ex fragrantissimis pratis suavissimum odo-*

odórem ab ipsâ emanare.) sed Græci auram appellant & afflatum vim omnem quæ ab alio in alium transit: ut cum, exempli caussa, consuetudine sapientium sapientes simus, doctorum docti: sic ait Philo, De insomniis, sapientem spiritum quendam longè lateque fundere, quem attrahentes ejus vicini meliores mores assumant: ὅσοι γείτονες, ait, καὶ ὅμοροι σοφοῦ τὴν ἀπ' αὐτοῦ σπῶντες αὔρας ἐπὶ μήκιστον χεομένης βελτιοῦνται τὰ ἤθη. (*qui sapienti vicini & finitimi sunt, quæ ab illo emanat auram longissimè diffusam inspirantes, in moribus proficiunt.*) inde passim apud illum leges, τῆς ἀρετῆς αὔρᾳ ἐπιπνεῖσθαι, & αὔρᾳ τῆς ἐπιστήμης καταπνεῖσθαι, ac similia multa: sic αὔραν συνέσεως apud Epiphanium: *veritatis auram colligere*, apud Lactantium, in tertia Institutione: & *veritatis odore afflari*, eo sensu idem in VII. Ut autem *afflari à Cratino*, hoc est, scriptis Cratini dixit Persius: sic πνεῖν τὰ βιβλία dicuntur Græcis. Origenes in extremo operis contra Celsum, τοῦ ἐντυγχάνοντός ἐστι τῷ ἐκείνου συγγράμματι καὶ οἷς ἡμεῖς κατ' αὐτοῦ ὑπηγορεύσαμεν, κρῖναι ὁπότερα μᾶλλον πνεῖ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ. (*Lectoris erit, ad quem tum scripta ab illo, tum quæ nos contrà subjecimus pervenerint, quæ verum Deum magis spirent, expendere.*) quod aliter accipiendum, quam apud Dionysium Halic. cùm Xenophontem ait πνεῖν, sive ἐμπνεῖν, hoc est, ad sublimiorem stilum paululum accedere: κἄν ποτε, inquit, διεγεῖραι βουληθείη τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας, ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα ταχέως σβέννυται. sed quod heic verbo afflari significatur, id Græci solent exprimere voce προσαναχρώννυσθαι, quasi colorem aliquem induceret assidua & attenta lectio: ut in IX. Sympossiacorum Plutarchi, καὶ πρὸς τοῦτο παίζειν Πλάτωνα τῇ Ὁμηρικῇ νεκυίᾳ προσαναχρωννύμενον.

Iratum Eupolidem.) Cogitandum cur Eupolidem vocet *iratum*, quem testantur veteres critici remissiorem & Cratino fuisse & Aristophane: jocis enim ac salibus abundasse, qui non conveniunt iratis: sed scribunt alii aliter: primum Aristophanem modestiæ aliquid & gravitatis veteri comœdiæ attulisse, quam ante ipsum, & Cratinus & Eupolis contumeliis in omnes implessent, πικρότεροι καὶ αἰσχρότεροι ἢ ἔδει. An *iratum* dixit pro tristi ac severo? quod epithetum commune est omnium qui vitia reprehendunt: an ad peculiarem aliquam illius fabulam respicit, cujus scriptionem susceperit iratus?

Prægrandi cum sene.) Aristophane: quem senem vocat ob monendi increpandique partes, quas sustinet in fabulis, sic senem Horatius vocat Lucilium, non propter ætatem: sed propter gravitatem argumenti in quo se exercuit: nam Lucilium annum ætatis XLVI. non excessisse testis Eusebius in Chronico.

Palles.) Eleganter: *iratum Eupolidem palles*, pro studiosè adeo versas, ut pallorem inde contrahas: vel sic accipe: invehentem acerrimè contra improbos cives & vitiosos legis ἐμπαθῶς, & afficeris, quasi præsentem teque ipsum increpantem audires: hæc efficacia est sublimis eloquentia, sive oratorem legas, sive poëtam, ut docet etiam Longinus.

Si forte aliquid decoctius audis.) electum à se auditorem invitat ad lectionem suarum satirarum: sed ita ut ab insita modestia non discedat: lege hæc, inquit, si tamen est aliquid in his tua lectione non indignum: suprà idem:

——— *si forte quid aptius exit.*

est autem *decoctius* idem ac elaboratum diligentius: ut unguenta quæ eo sunt acrioris odoris quò diutius coxerint, vel accipe pro castigatius, limatius: *decoquere* est minuere, detrahere: ut minuit aqua dum coquitur: ita & docti scripta sua ubi semel illa effuderunt, diligenter castigant plurima detrahendo: cujus decoctionis nobilissimum exemplum in divino Marone: nam hic mane componere solitus quinquagenos aut plures eo versus; quos opera vespertina redigebat ad denos aut duodenos. Quintilianus libro II. cap. IV. *Materiam esse primùm volo vel abundantiorem atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel usu ipso deteretur.* Sidonius ad Probum libri II. initio: *cùm ille adhuc ætatulam nostram, mobilem, teneram, crudam modò castigatiora severitate decoqueret, modò mandatorum salubritate condiret*: translatio est elegans: at Cicero longè aliter voce eadem usus: cum in tertio de oratore vult oratorem habere *suavitatem austeram & solidam: non dulcem atque decoctam*: sumsit autem à vino non solum colari, verùm etiam decoqui solito ad delicias, ut omnem austeritatem poneret: quod inter luxuriæ corruptelas veteres scriptores sæpe ponunt.

Inde vaporata lector mihi ferveat aure.) opto contingat mihi studiosus & frequens lector ex eorum numero, qui aureis purgatas habent lectione diligenti veteris Græcorum comœdiæ. τὸ *ferveat* vel assiduitatem lectoris alioquin rari potest denotare: vel numerum & frequentiam: *fervere* enim & negotium dicitur, quod urgetur diligenter: & forum, cùm eò concurritur à multis: *vaporatam*

ratam aurem, dixit ad medicorum καταιονήσεις ac fotus alludens: in quinta: *purgatas inseris aures.*

Non hic, qui in crepidas Gr.) dixit à quibus sua velit legi: nunc dicit à quibus nolit: illorum duo genera facit: priore loco eos ponit, qui odio Græcorum omnem transmarinam sapientiam oderant ac ludibrio habebant: deinde illos, qui omne in universum philosophiæ studium damnabant, & illius magistros ac sectatores irrisui habebant: istos à libelli hujus lectione summovet Persius, & sua jubet curare: cujusmodi autem studia essent quibus erant dediti philosophiæ vituperatores ex postremo versu cognoscemus.

Qui in crepidas Grajorum ludere gestit Sordidus.) duas adfert notas quatuor versibus, primi illius hominum generis, de quo diximus. Isti sunt, ait, qui Græcis suam in cultu elegantiam criminis loco objiciunt: cùm sint ipsi multo magis vel reprehendendi propter sordes & avaritiam: vel irridendi, propter affectationem ineptam illuviei & neglecti cultus: quasi id esset certissimum militaris animi argumentum. Crepidæ Græcorum propriæ, ut calcei Romanorum: sed Persius crepidas nominans totum intelligit Græcorum studium φιλοκαλίας circa cultum: quo usos esse illos elegantiore vel ex eo constat, quod proceres Romani cùm vellent animum remittere, atque hilarius vivere, Neapoli præsertim, vel Athenis, vel alibi inter Græcos, τὸ τετράγωνον ἱμάτιον, id est, pallium & crepidas assumebant: quod olim Scipioni, Sullæ, Antonio atque aliis ab eorum inimicis pro crimine est objectum: *sordidus*, vel ad avaritiam potest referri, vel ad nimiam cultus negligentiam. Erant Romæ quàm plurimi, qui togam Romanæ gravitati propriam vestem, gravarentur: eaque neglecta, vel palliati si tenuioris fortunæ essent: vel penulati aut lacernati in publicum prodibant. Lege Suetonium libro II. capite XL. sed & multi erant qui ut militare robur præ se ferrent ab omni elegantiore & humaniore cultu videri volebant abhorrere: quos Persius in tertia, *hircosam gentem centurionum*: in quinta, *varicosos centuriones* propterea nominat: nam isti erant illa ætate philosophiæ ac literarum præcipui hostes.

Et lusco qui possit dicere lusce.) Scripsimus *poscit*, non *possit*: utrunque invenire est in veteribus: sed illud melius, nam id est *poscit* hoc in versu, quod *gestit* in superiore: & mox, *scit*: utraque vox ἔξιν denotat vitii, & inolitam consuetudinem: est autem superioris notæ illustratio quædam à simili: absurdè enim facere eos ostendit, qui in Græcis habitum Græcanicum damnarent, atque adeo instituta aut mores suæ gentis: non minus quàm illos qui debilitatem suam debilibus exprobarent, & corporis vitia iis quibus fingendis natura peccasset. Perversissimi moris est, ἀναπήρους & debiles, vel aliqua corporis labe insignes irridere: quæ improbitas, etiam anathemate vindicatur in clerico, canone LVII. eorum qui Apostolici nominantur: *lusco dicere lusce*, est ridere hominem luscum, & in debilitatem illius dicta dicere: *lusce* habent membranæ, non ut alii codices *luscus*: quod si cui placeat, sensus erit optimus: qui Græcos homines Græcanicis vitiis laborantes ridere amat, *luscus* ipse, & iisdem vitiis obnoxius: *dicere lusco*, pro dicere in luscum, ut apud poëtam, *It clamor cælo.*

Sese aliquem credens.) νομίζων ἑαυτὸν εἶναί τινα. Hæc altera est nota, & prioris vitii fons; nam isti Græcos, vel ut loquebantur, Græculos, ideo aspernabantur, quia erant ipsi arrogantes ac superbi, primùm quidem ut Romani cives, vel Itali: deinde ut dignitate aliqua ornati, aut Romæ aut in municipiis Italiæ.

Italo quod honore supinus.) in universum eos reprehendit, qui ob honores, & publica munera, qualiacunque tandem ea essent, superbibant. sed ad elevationem rei ponit exemplum illius qui non Romæ dignitatem aliquam obtinuisset, verùm in aliquo municipiorum Italiæ: qui honos nihili fiebat à Romanis. Seneca pater III. libro Controvers. *Censorinus ajebat, de his qui honores in municipiis ambitiosè peterent, Videor mihi in somnis laborare.*

Supinus.) arrogans, & animi vitium ipso gestu corporis palam faciens: est genus hominum superbia inflatorum qui ingrediuntur adeo erecto corpore, atque ὑψαύχενες, ut in cœlos oculi eorum ferantur non multo secus ac resupinatorum: isti sunt quos Epictetus apud Arrianum ait, quo admirationi sint omnibus, ita incedere, quasi veru deglutissent: sic ille libri primi cap. XXI. Τί ὑμῖν ὀβελισκὸν καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι. Græci σοβεῖν & ὑψαυχενεῖν de his usurpant: item ἐξυπτιάζειν. Clemens Alexandrinus Pædagogi libro III. inter exempla incessus culpabilis ponit τὸ ἐν ταῖς ὁδοῖς σαλεύειν καὶ ἐξυπτιάζοντα περιβλέπειν εἰς τοὺς ἀπαντῶντας, εἰ ἀποβλέπουσιν εἰς αὐτόν· καθάπερ ἐπὶ σκηνῆς ἐμπομπεύοντα ἐν δακτυλοδεικτούμενον, (*in viâ fluctuare, & supinato vultu transversis oculis obvios, an se respiciant, observare, tanquam in solemni pompâ per scenam traductum, & digito monstrandum.*)

dum.) ita *supinus* heic & *supinare* apud Senecam in II. De beneficiis : *ô superbia magnæ fortunæ ! ô stultissimum malum ! Libet interrogare, quid tantopere te supinet, quid vultum habitumque oris pervertat, ut malis habere personam quàm faciem.*

Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.) ponit exemplum dignitatis quæ per se non magnæ rei, levibus tamen hominibus inflandis sufficiat : ea est, ædilitatis functio non in urbe, sed in Italico municipio quodam, puta Areti: municipia multa ac colonias suos ædiles habuisse jam pueris notum esse debet, ex M. Tullio, Spartiano in Hadriano, lapidibus antiquis & aliis testimoniis. Etiam illud ex libris Juris notissimum, ad curam tam ædilium urbicorum quàm municipalium totius Munitiæ frumentariæ disciplinam & coërcitionem spectasse : de mensuris igitur iniquis cognoscebant, & ut ait Juvenalis in x. vasa minora frangebant. Iidem ne quis malas merces venderet impediebant. Plautus Rudente :

> ——*quamvis fastidiosus*
> *Ædilis est : si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes.*

Nec qui abaco numeros, & secto in pulvere metas Scit risisse vafer.) Hic alterum genus hominum declaratur, quod spernit à se Persius, & satiris suis: ii sunt, qui studia philosophiæ rident : quod fecerunt ferè semper Romanorum plerique: universam verò philosophiam debes intelligere συνεκδοχικῶς, etsi Persius duas solùm illius partes attingit : arithmeticam, cujus numeri in abacis discebantur, & geometricam, cujus figuræ in pulvere soliti describi : hic est qui propriè *scholasticus pulvis* dicitur, M Tullio *eruditus pulvis*, & hæ γραμμικαὶ εἰκόνες, quarum multa ubique mentio.

Multum gaudere paratus, Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.) qui abhorrebant à Græcorum disciplinis, ii philosophos qui è Græcia Romam immigrabant, ludibrio habebant : quod his versibus Persius ostendit : illa autem ætate plerique philosophi vel Stoici erant vel Cynici : eæ duæ sectæ tum vigebant cæteris jacentibus, quibusdam etiam prope extinctis: ubique verò, non solùm Romæ, Cynicorum magna vilitas : his vulgò omnes illudebant, eos percutiebant, & variis contumeliis vexabant, quod ne ipsis quidem nolentibus faciebant : cùm nati ad gloriam homines, argumento opus haberent in quo suam illam mirabilem patientiam atque ἀπάθειαν ostentarent. Sed erat imprimis odiosum illud patientiæ Cynicorum experimentum, cujus heic meminit Persius. Apparet enim solitas à petulantibus hominibus meretrices cum illis committi : unde necesse erat sequi πλατὺν γέλωτα & irrisum eorum omnium qui certaminis illius erant spectatores. Simillimum est quod in schola Alexandrina factum aliquando legimus, nequissimorum quorundam nebulonum conspiratione in Theodorum juvenem, omni jam tum laude virtutis conspicuum atque illustrem : summissum est enim scortum impurum quod in foro ipsum aggrederetur : hic est qui posteà Gregorius Thaumaturgus est dictus, cujus vitam Gregorius Nyssenus libro singulari est complexus.

Gaudere paratus.) *paratus*, id est, εἰωθὼς, qui in more habeat id facere, & quod in describendis moribus hominum solet Theophrastus dicere, τοιοῦτός ἐστιν οἷος. ut in sexta,

> ——*nescire paratus*,

Horatius,

> ——*& depugnare parati.*

sic apud Juvenalem, *laudare paratus: nescire paratus?* & multa similia : amat enim Juvenalis eam vocem.

Cynico.) vivebat tum Demetrius Cynicus, cujus singularem ac stupendam virtutem dilaudat Seneca, & apud Arrianum Epictetus : in hujus honorem & similium, qui fuerunt omnibus seculis oppido pauci, *Cynicus* heic ἁπλῶς pro philosopho ponitur : in genere verò de Cynicis quorum ea tempestate uberrimus erat proventus, malè senserunt, non solùm isti osores Græcarum disciplinarum, sed etiam è Græcis sapientissimi quique : non enim vera virtute admirationem vulgi colligebant : sed vultus torvitatem & tristitiam ac dissentientem à cæteris habitum pessimis moribus, atque impuræ obscœnitati prætendebant. Lege Dionis Chrysostomi sermonem Alexandriæ habitum. Porro quantopere Cynici etiam in Græcorum urbibus, nedum Romæ ab omnibus spernerentur, potest intelligi, vel ex ejusdem Dionis XXIV. in principio.

Barbam vellat.) quia indolentiam & vacuitatem affectuum profitebantur Stoici atque Cynici, propterea cùm in publico conspiciebantur quo specimen darent suæ virtutis ab obviis variè irritabantur : alius eos sanna excipiebat, alius convitium dicebat ; alius vestem trahebat, aut barbam vellebat, aut alio quovis modo molestus erat ; auctor Dio Chrysostomus in eadem schema philosophi : sic olim Socrates per Athenas ingrediens solitus παρατίλλεσθαι, ut ait Laërtius : inde proverbium de omni contemtu, τὸ πώγωνα

ἀποσπῶν τινὶ, vel ut Julianus loquitur, ὑβρίζειν τις τοὺς ἐπὶ τοῦ γενείου τρίχας· & Latinis, *barbam alicui vellere*: cui ſimile in ſecunda ſatira, de fatuo & ad ludibrium expoſito,

——ſtolidam præbet tibi vellere barbam.

Petulans nonaria.) meretrix de via prætereuntes petere ac laceſſere ſolita; nonariæ à nona hora dictæ. quod ea hora pateret aditus ad lupanaria: cum antè clauſæ eſſent fores, vel ex more, vel ex lege, aut edicto aliquo; cui ſimile eſt edictum illud Ampelii præfecti Urbi ſub Valentiniano, quo cavit ne uſque ad præſtitutum diei ſpatium lixæ coctam proponerent carnem, ut auctor eſt Ammianus Marcellinus: at contra Colophonii quondam, luxu perditus populus, legem tulerunt, ut à mane ad veſperam quæſtum meretrices facerent: poſt ſolem occaſum & λύχνων ἀφὰς, ſe continerent: auctor Athenæus libro XII. Hora nona apud veteres procurando corpori accommoda: quare etiam viri ſobrii ea hora ad cœnam ſe comparabant, ut de Marco Antonino teſtatur Galenus, de Monachis Palladius, Auguſtinus de ſe. Ariſteas vetuſtiſſimus ſcriptor de LXX. interpretibus: μέχρι μὲν ὥρας ἐνάτης τὰ τῆς συνεδρίας ἐγίνετο· μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν τοῦ σώματος θεραπείαν ἀπελύοντο γίνεσθαι.

His mane edictum, poſt prandia Callirhoen do.) Studia eorum exponit, quibus ſatirarum ſuarum lectione interdicebat: ait iſtos duo ſolùm curaſſe: forum, propter avaritiam; & lupanaria, amore voluptatis: hæc igitur ſtudia ſe illis relinquere ſine invidia ſatiricè oſtendit: *do* valet mando: quod apparet ex Horatio:

——forum Putealque Libonis
Mandabo ſiccis.——

edictum intellige prætoris; & ab una ſpecie juriſdictionis cæteras omnes cape: mane autem judicia exercebant, & ſicci, ut modò Horatius, idem poëta:

——ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.

Martialis,

Exercet raucos tertia cauſſidicos.

Callirhoes voce heic, (nomen id ſcorti quondam celeberrimi) univerſa voluptuariorum ſtudia, atque occupationes συνεκδοχικῶς intelliguntur.

AD SATIRAM SECUNDAM.

HÆc ſatira graviſſimum continet argumentum, de precibus ac votis: è penetralibus ejus philoſophiæ depromptum, quæ fuit veteribus ſapientibus pro theologia: nam Deus eſſet an non, & curaret mortalia necne, in phyſicis ſuis plerique philoſophorum quæſiverunt; eorum verò quæ ad ὁσιότητα (*ſanctitatem vitæ*) ſpectabant, & hominum adverſus Deos officia, partem magnam in ethica diſciplina ſunt complexi. Ejus generis eſt ſatira hæc: cui ſi metrum detrahas, nihil illi ad philoſophicam gravitatem defuerit: non magis quàm alicui è Platonis libris, Plutarchive aut cujuſvis aliorum vel primæ notæ philoſophorum. Inter varias autem quæſtiones quæ cadunt in tractationem περὶ ὁσιότητος, & de vero ſuperûm cultu, non minima eſt illa quæ de rectè orando numine, deque votis faciendis agit: multiplex enim mortalium error in hac parte ſolet verſari: ut non ſine cauſſâ Stoici pronunciarint ſolum ſapientem ſcire orare rectè, ſolum eſſe ſacerdotem. Hierocles: ὅθεν καὶ μόνος ἱερεὺς ὁ σοφὸς λέγεται, (Stoicis nempe, Diogene teſte ac Stobæo:) μόνος θεοφιλὴς, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι. neque hæc tantùm Stoicorum fuit ſententia, ſed & philoſophorum aliorum; qui in hoc conſentiunt

tiunt propriam philoſophi laudem eſſe, bene Deum orare. Maximus Tyrius xxx. diſſertatione: ἂν ἐξέλῃς τοῦ βίου φιλοσοφίαν, ἐξεῖλες αὐτοῦ τὸ ζώπυρον, τὸ ἔμπνουν, τὸ ζωτικόν, τὸ μόνον εὔξασθαι ἐπιστάμενον, (*ſi tollis è vitâ philoſophiam, tollis illum fomitem, per quem vita verè vitalis: tollis id quod ſolum precari novit*) Sed non defuerunt olim, qui Deos negarent eſſe orandos: quæ fuit ſententia Cyrenaicorum philoſophorum, ut ſcribit Clemens, atque omnium illorum qui divinam providentiam negabant, quorum præcipui fuerunt Epicurei: hoc enim ſemel poſito, ſuperos humana non curare, ſequitur neceſſariò fruſtra eſſe, qui opem illos poſcant. Atque hujus ſententiæ etiam Ariſtotelem fuiſſe, apud Sextum Empiricum ſcimus legi: ſed nos ſummo viro injuriam fieri non dubitamus. Maximus verò Tyrius cognomine Platonicus, quid ſuper eo cenſuerit ex ejus diatriba illa cujus modò meminimus ſciri poteſt. Enimvero qui negarent eſſe orandum, pauciſſimi tantùm furioſi philoſophi, poſteà deteriores his & pauciores hæretici, ab omni ævo extiterunt: at malè orare, non paucorum ſed omnium mortalium, communis error ſemper fuit, iis ſolis exceptis, qui à vero ſapientiæ doctore fuiſſent eruditi: bene enim orare Deum, ut alicubi ait Auguſtinus, gratia ſpiritalis eſt. Hunc igitur tantùm & adeo latè fuſum hominum errorem, cùm viderent agnoſcerentque ex parte ſapientes, medicinam illi facere pro ſua virili, & quantum ferebat publica ſæculi imperitia, (nam & ipſi heic cæcutiebant,) ſunt conati. Eo ſpectarunt quæcunque à Græcis philoſophis περὶ εὐχῆς ſive προσευχῆς ſcripta fuerunt: quo in argumento etiam Ariſtotelem fuiſſe verſatum Laërtius teſtis, qui librum illius περὶ εὐχῆς laudat, ex Proclo ſcimus, ſcripſiſſe & alios ea de re philoſophos: ſed horum omnium nihil fermè ad nos pervenit præter eximium illum quidem, ſed tamen unicum Platonis dialogum, qui Alcibiades ſecundus inſcribitur & περὶ προσευχῆς. E Latinis, ſi qui fuerunt philoſophi qui hanc materiam ſeparatim tractaſſent, eorum ſcripta non meliore quàm Græcorum functa ſunt fato: ſed vetuſtati magna tamen gratia, quod duas ſaltem ejus argumenti ſatiras ſummorum ſcriptorum, Perſii iſtam, & Juvenalis decimam, ad nos tranſmiſit integras. Omnes iſti, Plato, inquam, Perſius ac Juvenalis, commune hoc habent, quod peccata à vulgo hominum in orando ſolita committi arguunt: ſed Perſio propria hæc laus, quod pauciſſimis verſibus plura capita doctrinæ hujus, quam vel Plato vel Juvenalis eſt complexus. Tres ſunt omnino hujus carminis partes ὁλοσχερεῖς. Prima extra rem eſt, ſoli decoro ſerviens: ideoque breviſſima, & quatuor tantum verſuum, quibus paratur aditus ad tractationem propoſitæ theſeos. Macrinum enim familiarem ſuum laudat, quod ſcientiam bene orandi ac vota faciendi teneret: neque vulgi erroribus hac in re implicaretur: Ii cujuſmodi ſint deinceps explicatur. Secunda igitur parte de iis præcipuè tractat, qui in votorum materia peccarent: oſtenditque alios res impias à diis petere ſolitos, quos quidem graviſſimè increpat: alios non impia quidem deos poſcere, ſed frivola, ipſis ſæpe poſcentibus non profutura: atque iſtorum præterea ineptias tangit, & ritus in precibus concipiendis ſuperſtitioſos, & irriſione ſatirica digniſſimos. Poſtremò pugnantia ſibi invicem contraria hominum vota exagitat: hactenus de votorum materia: quod ſolum argumentum attigit Juvenalis divinisque verſibus luculentiſſimè executus eſt. Platonis quoque dialogus totus ferè in eo verſatur, ut doceat rem arduam eſſe & in qua magiſtro Deo ſit opus, ut ſciamus ecquas res à Deo poſſimus petere aut debeamus. Porrò votorum genera duo ſunt: nam interdum ſolas preces noſtras Deo offerimus: quos proprie nos precari, Græci εὔχεσθαι & ſæpius προσεύχεσθαι dicunt: interdum precibus adjicimus promiſſionem, & ea concipimus, quæ propriè Latine dicuntur vota. Græci hoc κατεύχεσθαι, vel εὔχεσθαι κατά τινος, ut paſſim apud hiſtoricos, εὔξασθαι κατὰ τῶν νικητηρίων: ſic etiam εὔξασθαι κατὰ ταύρων, κατὰ βοὸς, κατὰ τῶν πρωτοτόκων ſed & εὔχεσθαι & εὐχὴ de voto uſurpantur: quod rectè Hieronymus in ea ad Suniam & Fretelam obſervavit: idemque multis perſequitur Gregorius Nyſſenus epiſcopus, in ſecundo commentariolo ſuper oratione Dominica. Hæc vota jam inde ab ipſo mundi conditu inſtituta ea fine ſunt, ut grati animi ſignificationem darent, qui opem à numine eſſent conſecuti. Sed mox depravatis hominum moribus, & pravis perſuaſionibus eorum animis corruptis, eò tandem impietatis ventum eſt, ut deos more hominum capi donis, eamque eſſe mercedem beneficiorum quæ à diis acciperentur, cæcum vulgus ſibi perſuaderet: auxit errorem poëtarum natio, quorum vox eſt,

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας:

(*Dona deos perſuadent, dona reges venerandos.*) & ſimiles multæ. Ita paullatim nundinatio quædam, & ut vocat Plato in Eutyphrone, ἐμπορική τέχνη inter

inter deos atque homines fuit instituta. De hoc tanto humani generis errore agit Persius in III. satiræ parte: originem hujus stultitiæ ostendit, & vanitatem vanissimam falsè graviterque irridet: de quo Plato etiam tractavit cùm in Eutyphrone, tum in Alcibiade secundo. Persius verò non solùm falsam opinionem hominum castigat: sed etiam postremis quinque versibus, planè aureis, doctrinam de votis Deo gratis veram & vel Christiano præceptore dignissimam, est complexus.

AD PLOTIUM MACRINUM.) Duplex satiræ hujus inscriptio in membranis: prior nomen continet illius ad quem est missa, qui non fuit Minutius Macrinus Brixianus, de quo Plinius epistola XIV. libri primi: quod quidam interpretes conjiciebant: sed alius Plotius Macrinus, homo veteribus qui quidem ad nos pervenerunt indictus: videtur autem hic Macrinus condiscipulus fuisse Persii, apud Servilium Numanum: quem Persius, ut ait auctor vitæ illius, coluit ut patrem: sed erat Macrinus aliquanto quàm Persius natu grandior: puto sic accipienda veteris Scholiastæ verba: *Alloquitur Plotium Macrinum, hominem sanè eruditum, & paterno se affectu diligentem, qui in domo Servilii didicerat: à quo agellum comparaverat, indulto sibi pretio aliquanto*: altero titulo argumentum satiræ indicare critici voluerunt: nec tamen consecuti sunt quod voluerunt. Pithœi libri præferebant, *De bona mente*: Puteani, *De vitæ honestate*: quorum utrumque est ἀπροσδιόνυσον. Melius inscribas περὶ ὁσιότητος· eo sensu quo definitur à Platone in Eutyphrone, ἐπιστήμη αἰτήσεως & δόσεως θεοῖς, (*scientia eorum quæ à Diis petenda, & diis offerenda sunt*:) M. Tullius paullò aliter ex eodem Platone: *Sanctitas est scientia colendorum deorum.*

HUNC *Macrine diem numera meliore lapillo.*) Cùm esset moris dies amicorum natales muneris missitatione cohonestare: soliti sunt viri docti, opuscula sua ad amicos eruditos natalitii titulo mittere, sicut loquitur Censorinus, in præfatione libelli ea occasione scripti. Ac quoniam magna religione natali die vota concipiebantur in annum proximum, aut plures sequentes: inde occasionem sumit Persius de votis cum Macrino differendi. Quàm inepti autem & ridiculi sunt illi diobolares analytæ, qui θέσιν hujus satiræ isto versu contineri scripserunt? hæc illorum ars est egregia, quæ nihil eos nisi nugari docet, & felicioribus ingeniis malevolè obtrectare.

Numera meliore lapillo.) Numerare vel signare albo lapillo aut calculo, locutio παροιμιώδης, ad cujuscunque gaudii significationem: notissima historia ex Græcis & Plinii septimo. Symmachus duriusculè usurpavit libro primo epistola XC. *Ego etsi intelligo quod nostri amore fallaris titulum tamen præclari testimonii, albo calculo veterum more signabo.*

Qui tibi labentes apponit candidus annos.) Ita melius quàm *apponet*: & ita meliores libri: *ponere* & *apponere* verba sunt calculorum, ut apud Græcos τιθέναι & προστιθέναι· quod ad Theophrasti Characteres notabamus: ita heic accipiendum: *labentes annos* dixit pro lapsis: nisi eò respicit, quod sæpe inchoatus annus pro absoluto numeratur: cùm XX. annos natum dicimus eum qui agat vigesimum: at cùm ἀκριβολογοῦμεν, summæ annorum non apponimus nisi eum qui sit elapsus.

Funde merum genio.) Abunde explicat Censorinus, quem lege. Præter rem quidam eruditi Censorini verbis quibus negat Genio hostiam faciundum, exceptionem adjecerunt de porco: nam loquitur Censorinus de munere natali, quod annali die solvebatur: qua quidem die nusquam leges mactatam ullam in honorem Genii victimam. Horatii locum malè interpretantur, qui huic observationi putant repugnare: in epistola ad Ælium Lamiam libro III.

> —— *cras Genium mero*
> *Curabis, & porco bimestri*
> *Cum famulis operum solutis.*

errant qui ex eo quod Genii fiat heic mentio, de natali die sensisse Horatium existimant: quid? an igitur nunquam nisi die natali Genio faciebant sacra? imò verò quoties hilarius ac lautius se excipiebant, toties Genium se placare veteres autumabant: unde illa genera loquendi manarunt, *curare Genium*, & *Genium defraudare*, ac similia: hoc igitur vult Horatius: debere Lamiam maturè focum componere, & cætera parare ad diem genialiter agendum: cur autem? non sanè quod Lamiæ natalis esset: verùm quia cessatura sit universa familia ab opere, impedita tempestatis obscœnitate, quam imminere in diem crastinam, tanquam vates illi denuntiat cùm canit:

> ——— *cras foliis nemus*
> *Multis, & alga littus inutili*
> *Demissa tempestas ab Euro*
> *Sternet: aquæ nisi fallit augur*
> *Annosa cornix.* ———

Non tu prece poscis emaci Quæ nisi subd.) Ingeniosissimè Persius duo capita illa proponit, de quibus hac satira tractare instituit, materiam, & formam votorum: Macrino suo debitæ laudis testi-

testimonium perhibens, quod in neutro horum peccaret: non in materia: quia nihil petebat à diis parum honestum, aut cujus ipsum pudere deberet: non in modo: qui nullam cum diis nundinationem exerceret: ac ne precibus quidem nimis cupidis aut anxiis deos sollicitaret: quod illi solent qui superstitiosi propriè dicti sunt veteribus Latinis. Hæc Persius de Macrino, ut esset occasio cæteros objurgandi qui in utroque horum peccarent.

Prece poscis emaci.) εὐχῇ ἐμπορικῇ· cujus contrarium est τὸ ἁπλῶς ἐ ἐλευθερίως εὔχεσθαι, oratio simplex & liberalis: apud sapientissimum Marcum Imp. lib. v. *precem emacem* est interpretari, vel quæ habet conjunctum sacrificium majoris alicujus victimæ, aut votum rei consecrandæ: quod est velut pretium diis repensum, ut fit in emtione contrahenda: vel, quæ toties fuit repetenda, & tam assiduè ac λιπαρῶς ἐ ἐκτενῶς facienda, ut hoc ipsum pretii loco censeri possit: quia, ut ait Seneca, *nulla res carius constat quàm quæ precibus emta est.*

Quæ nisi seductis nequeas committere divis.) hoc est turpia vota nulla facis, & ejusmodi quæ palàm non possis nuncupare, & voce alta. Antecedens pro consequenti posuit, *seductis diis committere*, pro tacita & submissa voce enuntiare: qui secreto cum aliquo volunt loqui à turba eum seducunt, ne aliquis Corycæus exaudiat. Cave putes damnare Persium his verbis preces immurmuratas, qua de re mox.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.) Hic incipit ἔλεγχος vulgaris erroris in precibus faciendis. Etsi autem videtur poëta cum isto, tum præcedenti sequentique versu tacitas preces & susurros templorum reprehendere: non tamen illud est quò præcipuè spectat, sed ad gravissimum peccatum, quod consuetudine immurmurandi tectum latebat: nam alioquin cur reprehenderet Persius: quod publicis Romanorum ritibus erat receptum? Seneca De beneficiis libro II. *Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent: adeo etiam deos quibus honestissimè supplicamus, tacitè malumus & intra nosmetipsos precari.* Precationes vel publico fiunt vel privato nomine: omnes concipi solitæ vel voce palàm: vel susurro tacito, vel scripto. Vox autem adhibita, vel sacerdotis, vel præconis, hoc est, κήρυκος sive ἱεροκήρυκος, vel propria ejus qui orabat: nam etiam privati in templis voce usi interdum cùm precarentur: quod Persius etiam ad ostentationem fieri solitum à nonnullis ostendit, cum ait,

Mens bona, fama, fides, hæc clarè & ut audiat hospes. at Julianus in Misopogone hoc quoque nomine Antiochenses Christianos reprehendit, quòd non orarent silentio: sed ἀναβοήσεις loca sacra replerent: quare etiam Tertullianus in Dei oratione docet, *sonos vocis subjectos esse oportere*, hoc est, submissos, & murmur potius quàm vocem: & Clemens Alexandrinus sola spiritus contentione sine vocis ministerio preces optimè peragi disputat in VII. Stromat: ἔξεστι, inquit, μηδὲ φωνῇ τὴν εὐχὴν προσαπτόμενον, συντείνοντα μόνον ἔνδοθεν τὸ πνευματικὸν πᾶν εἰς φωνὴν τὴν νοητὴν, κ̀ τὴν ἀπερίσπαστον πρὸς θεὸν ἐπιστροφήν.

Libabit.) hoc est, libare solet: perperam alii libri, *libavit*: non enim sic Latini loquuntur, verùm Græci. Menander apud Athenæum: τὰ κεκρυμμένα μᾶλλον προσδέξατ· id est, προσδέχεσθαι φιλεῖ· loquitur enim de communi more. Plutarchus in præceptis nuptialibus: οἱ τῇ γαμηλίᾳ θύοντες Ἥρᾳ, τὴν χολὴν οὐ συγκαθαγίζουσι τοῖς ἄλλοις ἱεροῖς ἀλλ' ἐξελόντες ἔρριψαν παρὰ τὸν βωμόν· hoc est, ῥίπτειν εἰώθασι: sic Homerus & alii poëtæ, quod alibi notabamus: at Hebræi & Latini futuro plurimùm utuntur. Horatius:

—— non hic cuiquam parcet amico.

Et *Gestiet a furno redeuntes scire.* ——

Juvenalis,

Nil vetitum fecisse volet quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi. ——

Haud cuivis promtum est, &c.) Non est facile cuivis ita affectus suos ratione recta gubernare, ut nihil optet, nihil à superis petat, nisi quod illa præscripserit: hoc illud est quod suprà dicebamus, solum sapientem scientiam tenere bene orandi.

Murmurque humilesque susurros Tollere de templis.) Etiam illi quos dixit *tacita libare acerra*, non penitus tacebant: sed obscuram de more vocem intra dentes edebant: quam vocat heic Persius, *murmur*, & *humiles susurros*. Clemens quoque Alexandrinus ψιθυρισμὸν similiter appellat, ad hunc morem alludens, cùm scribit in VII. Strom. etiam eos qui Deum precantes susurrant, clausis labris, tacitè loqui atque intus clamare: ἔστι, ait, ὡς εἰπεῖν τολμηρότερον, ὁμιλία πρὸς τὸν θεὸν ἡ εὐχή· κἂν ψιθυρίζοντες ἄρα, μηδὲ τὰ χείλη ἀνοίγοντες μετὰ σιγῆς προσλαλῶμεν, ἔνδοθεν κεκράγαμεν. Irrepsit posteà etiam in Ecclesiam mos susurrandi, tum quoque cùm audiebatur Dei verbum: quem morem defendebat ineptè ac perperam vulgus imperitum, Davidis auctoritate: qui dixit in libro Psalmorum; *in templo Dei unusquisque laudem dicit.* Basilius in XXVIII. psalmum: τόποι μακρολογίας τ οἰ-

καὶ ποιοῦνται τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, παρακούοντες τοῦ ψαλμοῦ τοῦ διαμαρτυρομένου καὶ λέγοντος, ὅτι ἐν τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ πᾶς τις λέγει δόξαν· σὺ δὲ οὐ μόνον οὐ λέγεις, ἀλλὰ καὶ ἑτέροις ἐμπόδιον γίνῃ ἐπιστρέψαι πρὸς ἑαυτὸν καὶ τῷ ἰδίῳ θορύβῳ ὑπερηχῶν τὴν διδασκαλίαν τοῦ πνεύματος.

Et aperto vivere voto.) nullum votum facere quod nolis esse apertum. Eò spectabat illud veterum Pythagoreorum symbolum μετὰ φωτὸς εὔχου, quod profert atque explicat Clemens. Simile est, *in publico vivere* & *aperto ostio*, apud Senecam epistola XLIII. *Rem dicam ex qua mores æstimes nostros: vix quenquam invenies, qui possit aperto ostio vivere: janitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi sit, subito aspici.* Marcus Imperator libro tertio: ἐθιστέον ἑαυτὸν μόνα φαντάζεσθαι περὶ ὧν εἴ τις ἄφνω ἐπανέροιτο, τί νῦν διανοῇ; μετὰ παρρησίας παραχρῆμα ἂν ἀποκρίναιο ὅτι τὸ καὶ τό· ὡς ἐξ αὐτῶν εὐθὺς δῆλα εἶναι ὅτι πάντα ἁπλᾶ καὶ εὐμενῆ, καὶ ζώου κοινωνικοῦ, καὶ ἀμελοῦντος ἡδονικῶν. *Assuefacere te debes ea solum cogitare, de quibus si quis repente te interroget, Quid nunc cogitas? libere statim possis respondere, Hoc & illud: ut ex iis continuò fiat manifestum, omnia in te simplicia esse & mitia, & animanti ad communionem nato convenientia: qui omnia spernat ad voluptatem spectantia.* Marcus Tullius in III. De officiis: *Ea deliberanda omnino non sunt in quibus est turpis ipsa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione celandi atque occultandi, spes opinioque removenda est.* Seneca: *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Mens bona, fama, fides.) Mimesis venusta; ipsas enim ponit voces optantium: deest autem, utinam contingat mihi; vel aliquid simile. Mentem bonam sibi optare, formula fuit & consuetudo orantium: quo respicit Seneca epistola XLI. initio. *Facis rem optimam & tibi salutarem, si ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem: quam stultum est optare, cùm possis à te impetrare? Non sunt ad cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditaus ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.* Propertius.

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

Hæc clarè & ut audiat hospes.) nempe optantur.

Sub lingua immurmurat.) Græci ὑπὸ ὀδόντας dicere amant, non ὑπὸ γλῶσσαν· sic ὑπ' ὀδόντας τρύζειν apud Athanasium: ὑπ' ὀδόντας λαλεῖν apud Basilium: ὑπ' ὀδόντας τονθορύζειν passim alii: ὑπὸ τῶν χειλῶν ὑποστένειν de voto improbo Aristænetus: cui affine apud Tertullianum, *labia vibrare.*

O si Ebullit patrui præclarum funus.) Ita membranæ Puteani & aliæ: non *ebullet*, pro ebullierit: ἀρχαϊκῶς: ut *axim* pro egerim: *comedim* & *edim* pro edam, vel ederim: apud M. Tullium & Horatium, *dedim* pro dederim. Tertullianus de resurrectione carnis: *Dedim adversario dicere.* Porrò *ebullire*, quod propriè in aqua fervente locum habet, ad omnia repentina transferri eleganter solet variè constructum: frequens verbum apud M. Tullium, Senecam, veterem librorum sacrorum interpretem, Tertullianum, Victorem Lirinensem, & alios etiam inculpatæ Latinitatis auctores.

Patrui præclarum funus.) Hujusmodi impia vota Romæ tum frequentia: neque ulla de re sæpius consulebantur astrologi. Juvenalis in VI.

Consulit ictericæ lento de funere matris:
Ante tamen de te Tanaquil tua: quando sororem
Efferat & patruos.

idem in III.

———motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum———

Præclarum funus.) frustra torquent se quidam interpretes de epitheto illo *præclarum*: quod autem hoc referunt ad morem reponendi thesauros in conditoriis, tam alienum est ab auctoris mente, quàm quod maximè: quid igitur? nimirum ἐν ἤθει hoc dictum: estque ut Servius dicere solet oratio morata. Qui illa impia vota faciebant soliti semper aliqua ratione pudori suo consulere, & nefandam cupiditatem velare: eò pertinet quod paullò pòst sequitur,

——namque est scabiosus & acri
Bile tumet.——

quasi cupiditas alienæ mortis ex commiseratione oriatur, non ex malo animo: sic qui astrologos consulebant super obitu suorum, aliquid caussabantur cur vitalis non esset is de cujus capite agebatur. Juvenalis,

Consulit ictericæ lento de funere matris.

Alia via idem hic facit, qui de morte patrui vota faciens, benevolum tamen animum ostendit, cum defuncto pollicetur præclarum funus, hoc est, magnum funeris atque exequiarum apparatum.

Et ô si Sub rastro crepet argenti mihi seria.) mortes suorum, & inventio thesauri, inter exempla votorum hominis avari solent jungi. Dio Chrysostomus, in quarto de regno: τὰς δὲ θυσίας τελέσειν οὐκ εἶναι λογίζεται, ὅτι μὴ πολλοὺς αὐτῷ μηδὲ μεγάλους θησαυροὺς παραδεδώκασιν, ἢ θανάτους τῶν οἰκείων τε-

λέσαι

τῶν καὶ συλλῃφθῶν, ὅπως ἴχοι κληρονομιῶν. Petronius: *statim antequam limen Capitolii tangant, alius donum promittit si propinquum divitem extulerit: alius si thesaurum effoderit.*

Dextro Hercule.) atqui ἕρμαιον Græci vocant lucrum præter spem oblatum atque inventum: videtur servata hæc distinctio, ut eorum tantùm quæ in foro aut viis urbicis invenirentur gratia Mercurio haberetur: quia is deus ἀγοραῖος erat ac dicebatur. Herculem autem etiam à studiosis rei faciendæ fuisse cultum, & πλουτοδότην existimatum Græci Latinique auctores testantur: satisque notum est, non minus Herculi quàm Mercurio solitum polluceri à repente ditatis: ad κερδῷον Herculem alludit ille apud Plautum in Mostellaria, qui ait de Tranione damnosissimo Theuropidis servo:

—— is vel Herculi conterere quæstum possiet.

Non debuit doctissimus vir Lilius Giraldus, ex hoc loco ceu proprium Herculis cognomen afferre, τὸ *dexter*: nam *dextro* heic κοινῶς positum pro βοηθοῦντος ἢ συνεργοῦντος, & pro eo quod Horatius quem imitatur dixerat, *amico Hercule*: sic *Apolline dextro* dixit Propertius libro III. *Jove dextro* Persius in V.

Pupillumve utinam quem proximus heres Impello expungam.) cupiditatem perdendi pupilli cui successurus esset avarus, significantissimis verbis exprimit: *quem*, inquit, *impello*: translatum verbum ab iis qui in turba properantes alios impellunt, invicem sese trudentes acri contentione. Juvenalis in III.

—— si curet nocte togatus
Currere, cùm Prætor lictorem impellat, & ire
Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis.

prorsus ἐμφατικῶς eo verbo heic usus Persius: illud verò ἐμφατικώτατον, ad exprimendam festinationem hujus voti, quod *expungam* uno verbo dixit, pro, eo expuncto ac de medio sublato, in vacuum ipse veniam, ut loquitur Horatius, petita vox è numeris militum, ut rectè vetus interpres censet: vel è libris rationum: in illis militum nomina post missionem aut mortem delebantur: unde *manipulos expunctos* dixit Plautus: in his ut quodque nomen erat solutum, statim inducebatur, aut ἐχιάζετο: passim apud Tertullianum: neque dubium est jurisconsultos indidem, hoc est, ex usu communis vitæ, has voces esse mutuatos.

Namque est scabiosus & acri Bile tumet.) jam diximus quo hæc pertineant: morbidum corpus ac κακοχυμίας & cachexiæ plenum describit his notis, omnia quæ vituperabant *scabiosa* dicebant: ut in quarta, *scabiosum far*, & apud Juvenalem, *scabiosum pomum*. Vox *tumet* suspicionem injicit de hydrope, cujus tumoris varias species describunt medici: etsi non oritur hydrops ex acri bile, ut ait Persius, sed ridiculè faciunt qui isto loco λεπτολογοῦσι, ut poëtam, cujus verba simpliciter accipi debent, cum medicorum scriptis conciliet. Apage verò illam emendationem quam iidem afferunt, ut *atra* legatur non *acri*: obsecro an nunquam legerunt δριμεῖαν χολὴν in medicorum libris? aut quare sine ulla caussa certissimam omnium librorum scripturam audent sollicitare? Unicum, sed insignem & luculentum beati Chrysostomi de δριμείᾳ χολῇ locum apponemus, ex Homil. in Matth. LXIII. Καθάπερ οἱ πυρέττοντες ὑπὸ δριμεῖαν χολὴν ἔνδον ἔχοντες πλεονάζουσαν ὅτ' ἂν ἐπεμβάλλωσι [ποτε] ποτὸν ὑπὸ ποτῷ, οὐ μόνον οὐ κατασβεννύουσι τὸ δίψος, ἀλλὰ ὑπανάπτουσι τὴν φλόγα· οὕτω ὑπὸ οἱ φιλοχρήματοι ὅτ' ἂν τῇ πικρᾷ ταύτῃ ἐπιθυμίᾳ ὑπὸ τῆς χολῆς ἐκείνης δριμυτέρᾳ τὰ χρήματα ἐπεμβάλλωσι, μᾶλλον αὐτὴν ἐκκαίουσι· οὐδὲν γὰρ αὐτὴν οὕτως ἵστησι, ὡς τὸ ἀπέχεσθαι πῶς τῆς τοῦ κερδαίνειν ἐπιθυμίας, ὥσπερ οὖν τὴν δριμεῖαν χολὴν ὀλιγοσιτία ὑπὸ κένωσις. *Nam quemadmodum qui acuta bilis fervore febricitant non solum non extingunt ardorem potu, verum etiam incendunt atque inflammant: sic qui avaritia laborant cùm huic cupiditati omni bili acerbiori pecuniam afferunt, majori seipsos flammâ incendunt. Nihil quippe hanc sitim adeo extinguit, quàm si ab hujusmodi desiderio teipsum liberum constituas: sicut etiam acuta bilis non potu sed è contrario potiùs abstinentiâ & vacuatione extinguitur.*

Nerio jam tertia ducitur uxor.) jam olim διττογραφίαν cepit hic locus: nam membranæ quibus usi sumus vetustissimis, *conditur* exhibebant, sed antiquior illis Servius in illum versum,

Exportant tectis & tristia funera ducunt,

legit *ducitur*, quem secuti sumus: accipit autem Servius τὸ *ducitur*, pro effertur: quam interpretationem etiam ille grammaticus erat secutus, qui glossæ loco apposuerat vocem *conditur*: unde hæc diversa lectio. Observa autem, quàm honestè votum improbissimum hic avarus exprimat: neque enim uxori mortem optat: quæ tamen erat hujus voti summa: sed alium prædicans beatum, cui hæc fortuna sæpius contigisset, figuratè quid cupiat ipse ostendit: ubique singularis poëtæ hujus apparet industria in imitatione eorum quæ geruntur: quod proprium est poëtarum.

Hæc sanctè ut poscas Tiber.) adeo stultus es ut non

non verearis improba & impia vota numini offerre, modò tantùm lotionibus corporis purificaveris. Castimonia est duplex, animi & corporis: utraque opus est ad divos adeuntibus, ut disputat Cicero II. De legibus. Sed vulgò homines faciunt, quòd Persius ait. Philo Judæus, Quod numen non flectatur, hunc hominum errorem, vel ut ipse appelat εὐήθειαν, (*stultitiam*) notat his verbis: εὔηθες εἰς μὲν τὰ ἱερὰ μὴ ἐξεῖναι βαδίζειν, ὃς ἂν μὴ πρότερον λουσάμενος φαιδρύνηται τὸ σῶμα, εὔχεσθαι δὲ καὶ θύειν ἐπιχειρεῖν ἔτι κεκηλιδωμένῃ καὶ πεφυρμένῃ διανοίᾳ. (*quàm stultum est, in templa quidem ingredi, nisi priùs lotis ut niteat corpus, non licere; precari autem & sacrificare, maculato quamvis & inquinato animo, nihil cunctari?*)

Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis terque.) Mos omnium veterum ut priusquam ad deos adirent, aut facerent sacra, sese purificarent: de quo multa olim notabamus ad Theophrasti Characteres, in notatione superstitiosi. Heic verò pro locorum aut sacrorum diversitate, multiplex fuit observatio: nam alii maris aqua se lavabant: quò respiciebat Euripides cùm faceret,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

(*Mare omnia hominum mala abluit.*) alius Poëta verbum βαπτίζειν in eam rem usurpavit: περιμάκτριαν κάλει γραῦν, καὶ βάπτισον σεαυτὸν εἰς θάλασσαν: *lustratricem anum advoca, & in mare immerge te.*) alii flumine lavabantur, alii aqua fontana. Philo de sacrificantibus: οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ ὕδατι περιρραίνονται· θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοί· τινὲς δὲ ποταμοῖς, οἱ δὲ κάλπισιν ἐκ πηγῶν ἀρυόμενοι. (*alii ferè omnes aquâ purâ putâ asperguntur, marinâ plerique: quidam tamen fluviali; nonnulli etiam hydris è fontibus haurientes.*) Præterea alii totum lavabant corpus, alii tantùm caput, ut heic & apud eundem Theoprastum: atque alii caput bis mergebant, alii ter, ut declarat heic Persius: sic aquam è fonte haustam in caput invergebant alii bis, alii ter.

Et noctem flumine purgas.) è lecto surgentibus varia purificatione opus: primùm ipsa nox polluere credebatur, ut notat Servius. Propertius,

Ac primum pura somnum tibi discute lympha.

deinde appellatione noctis Venus intelligitur: de quo genere purgationis plura nuper ad Spartianum: ita contracta pollutio, vel aspersione aquæ, vel numero dierum tollebatur, ut est apud M. Tullium, & probant poëtæ: huc pertinet & genus illud purificationis, de quo Athanasius disputat in epistola ad Ammum monachum. Non solùm autem cùm ad deos adituri erant his purificationibus utebantur: sed etiam cùm alia negotia procurare vellent. Lege Columellam lib. XII. cap. IV.

Heus age responde, min.) Venustissimo dialogismo stultam impietatem eorum arguit, qui scelerata vota cujusmodi sunt superiora, diis offerebant. Arguit autem ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, (*ex minori ad majus.*) nemo homo quantumvis consceleratus pro tribunali judex sedens vocem illius ferat, qui talia à se petat: Jupiter feret? Ex istis autem sequitur, horum votorum auctores, Jovem & deos alios sibi fingere longè iniquiores & scelestiores quàm ullus possit hominum reperiri.

Minimum est quod scire laboro.) ἐν ἤθει (*in forma moratæ quam vocant orationis*) dictum, ita enim solemus dicere: ut ille apud Theocritum, μικρὸν ἄκουσον· (*audito paullulum.*)

De Jove quid sentis) In mutuis disputationibus, qui causæ confidunt, & certam ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος victoriam sibi spondent, ii non gravantur ad probationem eorum descendere quæ sine flagitio & ex arte sumere poterant: quæ æquitas ingenti pondere rem graviorem facit, ubi est expressa, confessio conclusione argumenti: hoc Persius divinitus imitatur hoc loco: disputat, ut diximus, ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον· quis dubitat deos meliores atque justiores esse quovis mortalium? quod potest esse magis ἀδιαχώρητον λῆμμα, (*irrefragabiliter sumptum:*) ut vocant philosophi? hoc tamen non sumit, sed petit: imò tacitam ejus confessionem exprimit ab adversario.

Estne ut præponere cures Hunc?) *præponere cures* ἀντὶ τοῦ præponas: sic *facere incipere*, pro facere: & Græci ἄρχεται λέγειν, pro λέγει, & similia multa etiam apud πεζογράφους scriptores.

Cuinam? cuinam? vis Stajo?) Legimus diu sic hunc locum:

—— *Estne ut præponere cures*
Hunc cuiquam? cuinam? vis Stajo. ——

quæ lectio perspicua est: sed omnes veteres utroque loco agnoscunt *cuinam*: quare ea scriptura admissa, distinguendum post vocem *Hunc*: nondum Persius sensum absolverat cùm volentem sciscitari ab isto, annon Jovem quovis judice humano putaret justiorem: antevertit petitione sua iste, & ait *cuinam?* quasi stupefactus novitate hujus interrogationis: excipit verò Persius *cuinam? vis Stajo?* quasi dicat, quæris cui hominum Jovem censeam anteponendum justitiæ, & æquitatis ergo? possem dicere ex universo gene-

genere humano nullum esse hominem cum Jove comparandum: sed hoc non dico: neque enim summo jure tecum agere volo; illud dico, quod negare non potes, Jovem Staio saltem præstare.

Vis Staio? an scilicet hæres, Quis potior judex puerisve quis aptior orbis?) Ex historia famosissimi illius judicii Juniani, quam narrant M. Tullius in Verrem ac pro Cluentio & Asconius Pædianus, mutuatus est Persius Staji nomen: nullus enim unquam illo turpior aut inquinatior judicum fuit confessus: ex eo numero fuerunt illi tres Staienus, Gutta, Bulbus, quos toties exagitat Cicero: in antiquis Persii scholiis perperam scriptum *Albus* pro *Bulbus*: nam in universa illa historia eo nomine nullus celebratur: Albius autem ipse est Oppianicus: de Staio sive Staieno qui in ea caussa judex sedit, & cum cæteris fœdam nundinationem exercuit, multa M. Tullius.

An scilicet hæres, Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?) Hæc ita uno spiritu continuanda, sublata interrogationis nota: quæ vulgò ponitur post *heres*: scilicet, inquit, dubitare aliquis potest, hoc est, omnino dubitare nemo potest, quin melior sit futurus judex Jupiter quam Staius.

Puerisve quis aptior orbis.) respicit illa antè posita: *--pupillumve utinam quem proximus hæres*
Impello expungam.——

Hoc igitur quo tu Jovis aurem impellere tentas. Dic agedum Staio.) Seneca epistola x. *Nunc quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant: si quis admoverit aurem conticescent; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.*

Prô Jupiter ô bone clamet.) vox detestantis. *prô Jupiter.* passim apud comicos: item *ô bone Jupiter* Lucilius emendante Josepho Scaligero apud Nonium:

——qui te bone Juppiter, inquit,
Mutivit, cùm cœnabit dominum fore Crasso?

Juppiter at sese non clamet Juppiter! ipse) hæc placita distinctio ut priore loco *Jupiter* sit ὀρθὴ πτῶσις; posteriore κλητική: nec displiceat scribi cum Pithœi libris *ad* pro *at.* in antiquis tamen membranis paullò aliter conceptus est locus, hoc modo,

——prô Jupiter ô bone clamet
Juppiter: at sese non clamet Juppiter ipse?

Ignovisse putas.) Si nostra vota Jovi displicent cur injuriam non ulciscitur? præclarè ad hanc objectionem poëta: lentam numinis iram non esse veniæ ab eo indultæ certum argumentum: & longè falli eos qui propterea adversus Deum insolescant: cujus vindictam suo tempore exferendam, nulla ratione sint evitaturi. Sine interrogatione autem melius scribi hos duos versus: ut pronuntientur à Persio ἁπλῶς narrante hanc vulgi stultitiam: quæ postea ab eodem acriter exagitatur.

Quia cùm tonat.) Idem D. Chrysostomus homilia quadam, de temerè jurantibus: ὅτι σκηπτὸς ἄνωθεν οὐκ ἔρχεται, ὅτι οὐ πάντα ἀνατέτραπται ἕστηκας κα-τέχων τὸν θεὸν ἵνα λάχανα λάβῃς, ἵνα ὑποδήματα; (*an quia fulmen de cœlo non vibratur, nec omnia ruunt, ideo securus Deum deveres, ut olera, aut calceos tuo pretio accipias?*)

Ocyus ilex.) hoc est, aliqua arborum altissimarum, cujusmodi est πρῖνος sive ilex.

Sulfure discutitur sacro.) Ut fulgur pro fulmine usurpant Latini, propter cognatam utriusque naturam: sic propter eandem caussam sulfur posuit Persius cùm fulmen intelligeret: nam & odorem habent sulfuris fulmina, & lux eorum est sulfurea. Et fulmen autem & sulfur inter res sacras habitum olim, ut disertè docet Aristoteles. neque verum est quod quibusdam placet, sacrum dici heic sulfur ad distinctionem veri sulfuris: nam & hoc inter maximè sacra, θεῖον ideo Græcis dictum, & ad omnes expiationes ac καθάρσεις semper adhibitum: philosophi verba sunt Problematum, sectione XXIV. Διὰ τί τὰ θερμὰ λουτρὰ ἱερά; ἢ ὅτι ἀπὸ τῶν ἱερωτάτων γίνονται, θείου καὶ κεραυνοῦ? (*Quare balneæ calidæ, sunt sacræ? an quia ex sacratissimis, sulfure & fulmine, oriuntur?*) fulmen verò etiam ignem sacrum vocabant, ut Ammianus Marcell. libro XXIII. Jovem autem fulminantem, pro variis fulminis effectis Latini dicunt, vel *excutere*, vel *percutere*, vel *discutere*, quam sermonis proprietatem cùm alibi observabis, tum in Naturalibus Senecæ.

Quàm tuque domusque.) Videtur alludere Homeri locum de iis quos serior quidem, sed eò gravior Dei vindicta persequitur: illos enim ait poëta perire & ipsos & universam domum

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ· σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
Σὺν σφῇσι κεφαλῇσι γυναιξί τε, καὶ τεκέεσσιν.

An quia non fibris ovium Ergennaque jub.) Nisi sublata interrogationis nota superiores duos versus ita accipias, sicut ostendimus, ut narrationem contineant non ἔλεγχον, (*reprehensionem*) bis idem dixerit Persius: quod omnino haut probo. Ibi igitur retulit quæ vulgò esset hominum persuasio de longa numinis patientia: heic opinionem illam confutat solita acrimonia: quid ais,

ais, inquit? quia fulmine non iceris; ideo habes ludibrio Dei patientiam? ſed poëta unius verbi loco κεραυνόπληξ fulguritus, aut κεραυνοβολεῖσθαι, deſcriptionem poſuit hominis fulguriti, ex ritibus ſui ſeculi. Moris erat ut icti fulmine quo loco fuerant extincti, ibi relinquerentur, neque inſtar aliorum cremarentur: locus ipſe ſacer habebatur ac certis cæremoniis, prout libris fulguralibus Tagetis, & aliorum Etruſcorum continebatur, ſacra eò loci fiebant: neque id ſemel ſolùm, ſed in poſterum etiam religiosè locus colebatur, aris etiam ibi poſitis & reliquo ſacrificiorum apparatu. Nota jam eruditis hæc ſuperſtitio ex Feſti variis locis, Artemidoro, Servio, aliis, maximeque ex recentiorum diligentia: ut opus non ſit πολυλογεῖν. Ex hoc igitur ritu fulguritum deſcribit Perſius iſtis verſibus: *An quia non jaces*, inquit, *in lucis triſte evitandumque bidental*: appellat bidental ipſum fulguritum, poëtica licentia: nam vulgò ita vocabant locum cui religio propter talem caſum acceſſerat, qui in medio extincti cadaver habebat: *quod in eo bidentibus ſacrificarent*, inquit Feſtus: ergo ut Lucilius *carcerem* appellavit hominem dignum carcere, vel qui ſæpius carcerem inhabitaverat: ſic Perſius *bidental* hominem cui mortuo bidental eſt factum, loco conſecrato, & circumſepto, atque altari adjecto: *triſte bidental*, dixit Horatii imitatione ut ſuo loco notamus: addit *evitandum*, quia ut Marcellinus ait libro XXIII. *hoc modo contacta loca* (Græci ἐνηλύσια vocant,) *nec calcari debere fulgurales pronuntiant libri*: rectè autem *jaces*, quia, ut diximus, ac lege Numæ apud Feſtum diſertè cavetur, quem Jovis fulmen occiderat, eum ſupra genua tollere fas non erat, neque illi juſta facere: addit *lucis* quia ſæpe fulminantur lucorum arbores ſacræ, & ſi qui ſunt in lucis homines, unde illa orta quæſtio, quæ multos olim philoſophos torſit: Quare Jupiter ferienda tranſit aut innoxia ferit? de qua Seneca nonnihil II. Naturalium capite XLVI. ſed hæc quæſtio ad illam referenda, Cur Deus malos affligit rarò, bonos ſæpe, ne dicam ſemper? quam theſim mirificè tractat idem Seneca in libro De divina providentia: vel dixit Perſius *jacere in lucis* fulguritum, quia ille locus ubi occiſus eſt fit bidental, id eſt, locus ſacer: & luco etiam ſimilis, cùm intactum maneat quicquid in eo naſcitur. Quoniam autem in procuratione rei fulguritæ nihil tentabatur, niſi præeuntibus harum rerum interpretibus, ut loquitur Ammianus, ideo dixit Perſius,

——— *fibris ovium Ergennaque jubente.*

figura eſt ἓν διὰ δυοῖν. (*cùm unum quid per duo exponitur.*) neque enim duo ſunt conſultores Ergenna & fibræ ovium, ſed conſultis mactatarum ovium fibris, quid opus ſit docet Ergenna. nemo ignorat diſciplinam illam totam Etruſcorum fuiſſe, quod tot locis Servius, Feſtus, Seneca, aliique teſtantur. *Ergenna* igitur fulguratoris & interpretis oſtentorum Etruſci, nomen eſt Etruſcum, ut Porſenna, Siſenna, Perpenna, & ſimilia.

Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Jupiter?) qui fulmine ictus non es, idcirco ludibrio Jovem habes? Fatui hominis eſt ac Babæ alicujus, vel abjectiſſimi certè, barbam ſuam præbere vellendam, quaſi hominibus petulantibus ludibrium debeas, aut eorum petulantem laſciviam non poſſis effugere. Familiare erat Græcis ac Latinis, ut quibus illudere volebant, barbam illis vellerent, ut dicebamus ad ſatiram ſuperiorem. hoc planè eſt quod dicunt Romani, *præbere os ad contumeliam*. Livius: *ſumma vi expugnatum eſſe ut tribuni militum conſulari poteſtate & ex plebe crearentur: petiſſe viros domi militiæque ſpectatos: primis annis ſugillatos, repulſos, riſui patribus fuiſſe: deſiſſe poſtremò præbere ad contumeliam os.* Simile eſt apud Plutarchum τὰ σκέλη τοῖς ὑποσπῶσι παρέχειν: *crura præbere clam trahentibus*: quod ſoliti quidam facere: ut hac ſua patientia miſericordiam prætereuntium commoverent: cum ſubinde homines petulantes crure tracto eos dejicerent ac ſolo illiderent: ita enim fuit moris. Locus Plutarchi eſt in libro De vitioſo pudore. Sed Perſius qui hanc παροιμιώδη locutionem de Jove uſurpat, videtur alludere ad veram hiſtoriam, & rem geſtam. Legitur enim Dionyſius tyrannus diis barbam vulſiſſe, ac detraxiſſe cùm ſua ſacrilegia jocularibus etiam dictis factiſque proſequeretur: lege Lactantium libro ſecundo cap. IV. & Græcos. τὸ *præbet* in ſimili ſententia verbo ἐμπαρέχειν expreſſit Gregorius Naz. cum emphaſi magna.

Aut quidnam eſt qua tu mercede deorum Emeris auriculas:) aut ſi negas ludibrio Jovem à te haberi, annon metuis ne te ille malum malè perdat? niſi fortaſſe dicturus es, te iram ejus placaturum ſacrificiis tuis ac donis: ſed quod tantum munus à te offerri poteſt, ut hac mercede illudere ejus auribus poſſis, ac nefaria hoc genus vota ab eo petere? τὸ *aut* initio ſententiæ in ſermone objurgantis, Atticæ eſt venuſtatis: ſic apud Demoſthenem ἢ εἰπάτω, ἢ δειξάτω, & ſimilia: ubi ſemper illud reticetur, ſi quod dico verum non

eſt.

est. *mercede emere* ἀρχαϊκῶς dictum, ut *emtivus miles* apud Festum, & *auxilia coemere* apud historicos, & similia: *emere* autem *deorum aures mercede* illos dicit Persius qui pretiosa donaria voventes, impia à diis peterent: quæ est Platonis ἐμπορικὴ τέχνη.

Pulmone & lactibus unctis?) separanda hæc sunt à superioribus, & cum acrimonia pronuntianda: quæsiverat qua mercede placari à se posse sperarent iratos deos scelerati isti homines: nunc eorum vicem responsionem ipse subjicit: sed satiricam & irrisionis plenam: an dicetis sacrificiis vestris aut donis posse vos deos demereri? scilicet auro & argento dii flectuntur, qui illa non pluris faciunt quàm pulmonem & lactes. Aristotelis præceptum est in tertio Rhetoricorum, quoties vituperabis aliquid, ut ex iis quæ ad genus idem pertinent id ponas quod vilissimum est: quoties laudare instituas, id quod nobilissimum τῶν ἐν ταυτῷ γένει. *(eorum quæ ad genus idem pertinent.)* eo præcepto hic usus noster philosophus: nam ex omnibus quæ diis offeruntur, quid vilius pulmone & lactibus? atqui Persius appellationibus istis complectitur quæcunque diis offerri solent, libationes, hostias, victimas, hecatombas, myriombas, & quantumvis pretiosa donaria.

Ecce avia, aut metuens divum matertera.) Transit Persius ad speciem aliam votorum ejusdem generis: hoc est, in quibus peccatur in materia, sicut in superioribus: sed non tam graviter: ut mereantur hæc vota humana dici, ab infirmitate & imperitia hominum profecta, potius quàm malitia: cùm illa priora essent ferina vota, hominum τῇ κακίᾳ τεθηριωμένων. *(malitia, vel improbitate efferatorum.)* Hujus generis sunt illa vota quæ persequitur ordine Juvenalis, pro opibus, pro potentia, pro eloquentia, pro militari gloria, pro fama, pro longævitate, pro forma, & similia his: quæ omnia probat Juvenalis aut supervacua esse, aut perniciosa. Etsi autem nullum est tempus, quo non res hujusmodi nobis ac nostris optemus: sunt tamen tempora quædam peculiaria, ad vota nostra concipienda destinata: puta, cùm uxorem ducimus, cum nascantur nobis liberi, cùm honorem aliquem adimus, aut similes privatas solennitates celebramus. Propterea Persius de istis votis acturus, ut melius rem exprimeret, ad diei lustrici considerationem nos vocat: qua potissimum die effundebat se in vota charitas parentum erga liberos. Ea igitur vota, & varios ritus queis uti mos erat in illis concipiendis, ob oculos ponit Persius, & mox damnat.

Ecce avia & metuens divum matertera, c.) τὸ *ecce* transitioni servit. Olim non statim ut erat natus infans aliquis & tolli jussus, pro vitali & γνησίμῳ partu habebatur: sed aliquammulti expectabantur dies qui fidem facerent vitalis fœtus: plena fides: apud Græcos septima vel decima die parta credebatur, ut scimus ex Aristotele & Aristophane, ac Græcis grammaticis: tum securi festum illi diem celebrabant: sed prius lustrabatur infans: quod quinto die Græcos factitasse, eumque diem ἀμφιδρόμια dixisse, ex Platone, Suida, atque Hesychio notum est. Plautus quoque in Truculento fabula palliata, & Atheniensium moribus accommodata (ἡ γὰρ σκηνὴ τοῦ δράματος Ἀθήνησι· *nam scena fabulæ, Athenis.*) quinto die pro puero solitum sacrificari ostendit. Romani de partu, vitalis esset necne Pilumni lectum consulebant. Servius: *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an utilis* (fortasse *vitalis*: etsi ferri potest:) *sit qui natus est:* neque dubium spectasse eodem Junonis mensam, quæ per totam hebdomadam proponebatur. Tertullianus De anima cap. XXXIX. *Cui hominum non adhærebit spiritus nequam, ab ipsa etiam janua nativitatis animas aucupabundus, vel quà invitatus, tota illa puerperii superstitione? Ita omnes idololatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti, genimina sua dæmoniorum candidata profitentur: dum in partu Lucinæ & Dianæ ejulatur: dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur: dum ultima die fata scribunda advocantur:* postea lustricum infantium diem celebrabant; qui fuit octavus puellarum, nonus puerorum, auctoribus Festo, Plutarcho, ac Macrobio: ille dies & lustricus nominatur, quia lustrabatur infans: (ideo *lustralis solennitas* dicitur Symmacho in epistola ad Flavianum fratrem:) item nominalis, quia nomen illi tum indebatur, quod præter jam dictos testatur Suetonius in Nerone capite VI. Tertullianus eam diem hebdomadæ ultimam vocat: quod non repugnat ei quod diximus: nam videtur illa cujus meminit Tertullianus hebdomas religiosa non statim à nativitate cepta fuisse: ut nihil vetet diem eandem ultimam esse hebdomadæ & nativitatis octavam vel nonam: idem eruditissimus scriptor in libro de idololatria eam diem Nominalia appellat, Gregorius Nazianzenus Ὀνομαστήρια: alii Græci ἑορτὴν ὀνομάτων. Illa

die puerum lustrabant, nomen illi imponebant, ac vota pro eo faciebant. Sed præcipua religio in electione nominis in quo semper omen futuræ felicitatis captabant. Auctor est beatus Chrysostomus in IV. caput prioris ad Corinthios: moris fuisse adhuc ætate sua nonnullorum qui pro Christianis haberi volebant, ut infanti nomen imposituri, lumina multa accenderent, suum cuique nomen assignantes: puta uni lumini Zosimi appellationem indebant, alteri Stephani, tertio Procopii, & ita in cæteris: atque ejus demum quod cæteris extinctis supervixerat, nomen arripiebant ac puero imponebant: *ἐπειδὰν* inquit, *καλέσαι τὸ παιδίον δέῃ, ἀφέντες ἀπὸ τῶν ἁγίων αὐτὸ καλεῖν ὡς οἱ παλαιοὶ τὸ πρῶτον ἐποίουν, λύχνους ἅψαντες, καὶ ὀνόματα αὐτοῖς ἐπιθέντες, τὸν διαρκέσαντα μέχρι πολλοῦ, τῷ παιδίῳ ποιοῦσιν ὁμώνυμον· ἐντεῦθεν πολὺν αὐτὸ στοχαζόμενοι βιώσεσθαι χρόνον.* Captabant eadem omina & ex aliis rebus: cujusmodi sunt loci temporisque *περιστάσεις*: (*circumstantiæ*;) cujus rei exempla sunt in historiis veterum. Atque hoc est quod Tertullianus vocat *fata scribunda advocare*: cujus moris & Ausonius meminit, ut observavit magnus Scaliger: in Parentalibus scribens de Æmilio Magno Arborio, avunculo:

Me tibi, me patribus, charum decus esse professus,
Dictasti fatis verba notanda meis.

videntur hæc quæ vocabant fata, in quadam tabula solita perscribi: nam & Joannes Chrysostomus similis tabellæ meminit, quæ nascente infante scribebatur. Verba illius sunt in eam ad Galatas, ubi graviter conqueritur vir pius de ausu nefario eorum qui tabellas impietatis plenas cùm infantes nascdrentur scribere soliti: *Ἑλλήνων ἔθη*, inquit, *παρά τισι τῶν ἡμετέρων φυλάττεται· κληδονισμοὶ καὶ οἰωνισμοὶ, καὶ σύμβολα καὶ ἡμερῶν παρατηρήσεις, καὶ ἡ περὶ τὴν γένεσιν σπουδὴ, καὶ τὰ πάσης ἀσεβείας γέμοντα γραμματεῖα, ἃ τικτομένων τῶν παιδίων εὐθέως ἐπὶ κακῷ τῆς ἑαυτῶν συντιθέασι κεφαλῆς*: possunt sancti hujus patris verba & ad hunc ritum trahi & aliter accipi: nam fortasse hæc pittacia, quorum meminit, ad genethliacorum ineptias pertinuerunt. Hæc igitur & similia his die lustrico fiebant, quem describit heic Persius.

Avia & metuens divûm matertera.) conveniebant ad Nominalia omnis cognatio: lustrandi partes propriæ piatricum muliercularum fuêre: quæ erant anus recoctæ, circunferendi, & omnium rituum illorum superstitiosorum peritæ: Plutarchus in libro de superstitione *γραίας περιμακτρίας* sæpius nominat: in lustricis autem infantium diebus id ministerium obibant vetulæ cognatæ: quare non temerè heic aviæ ac matertera nominantur à Persio: nec sine caussa dixit. *metuens divûm*: sed ut superstitionem aniculæ ostenderet: ea enim superstitiosi periphrasis ex mente veterum, de qua dicebamus ad Theophrasti characterem *δεισιδαιμονίας*· interdum etiam pii: ut in illo Ovidii in v. Metam.

Emathion æqui cultor timidusque deorum.

Cunis exemit puerum.) ut præsens sisteretur ad sacra quæ pro ipsius salute tum aliis diis deabusque fiebant, tum etiam deæ Cuninæ.

Frontemque atque uda labella Infami digito, & lustralibus antè salivis Expiat.) Lustrationes veterum peragebantur circumlatione in orbem, & affricatione, quod *περιμάττειν* Græci dicunt: eamque vocem pluribus ad Theophrastum exposuimus. Egregius verò hic locus de ritibus quibus recens nati lustrabantur: hinc igitur cognoscimus, infantibus die lustrico suo salivam ad labra & frontem solitam admoveri, (qui mos posteà in Christianorum nominalibus, die sacratissimo videtur mansisse:) idque digito infami: idem & in aliis quibusdam lustrationibus fiebat: salivæ enim inesse vim quandam mirificam existimabant, ut fusè docet Plinius lib XXVIII. cap. IV. alludit eo Athanasius cùm Priscillæ & Montani deliria appellat *γραῶν πτύσματα*, *anuum sputa*) in tractatu contra omnes hæreses, verùm ad expiationes, ferè non meram adhibebant salivam, sed pulverem sputo turbatum, hoc est, lutum. Petronius: *Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque signavit*: neque heic aliter lustralem salivam interpretor: nam sine luto expiationes non peragebantur: ideo *πηλώσεις* & *καταβορβορώσεις* inter genera catharmorum quos superstitiosi homines stultè excogitaverant, ponit Plutarchus: modò autem luto sese inquinabant expiandi peccati gratia: quod apud Aristidem in Sacris dicitur *τοῦ πηλοῦ λαμβάνειν*: modò in luto se volutabant, quod *πηλῶσαι τῷ θεῷ* dicebant, & *καταβορβόρωσιν* ritum illum vocabant. Lutum verò quo aniculæ piatrices utebantur, vel sputo proprio conficiebant, diximus, vel è balineorum cellis petebant, auctore Chrysostomo, qui ejus vanitatis meminit in priorem ad Corinthios: ejus verba apponam, ut cum Persianis conferantur: *βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι, τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες καὶ τῷ δακτύλῳ χρίουσαι, κατὰ μετώπ[illegible] τὸ παιδίον*· solent, ait, nutriculæ aut ancillulæ vel aliæ mulieres luto è bal-

è balneis sumpto, digito infantem linere: & frontem illius signare.

Infami digito.) medio: Petronius: is verò infamis: neque aliæ res nisi probrosæ porrectione hujus digiti indicabantur. Dio Chrysostomus orat. XXXIII. εἴτις παραγένοιτο εἰς πόλιν ἐν ᾗ πάντες ὅ, τι ἂν δεικνύωσι, τῷ μέσῳ δακτύλῳ δεικνύουσι, ποίαν τινὰ ἡγήσαιτο τὴν πόλιν πάντων; (*si quis in urbem veniret, in qua qui indicarent, vel ostenderent aliquid, id omnes medio digito ostenderent, quam, quæso, putaret illam?*)

Urentes oculos inhibere perita.) fascinum pueris præsertim suis timebant: salivam autem sive lutum eò valere credebant: subjicit Joannes Chrysostomus verbis modò allatis: τί δὲ ὁ πηλός; ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησὶ, καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον: eam ob caussam & Cuninæ vota faciebant. Lactantius libro primo: *Cunina infantes in cunis tuetur, ac fascinum submovet*; amuleta etiam & res turpiculas ideo pueris appendebant.

Tunc manibus quatit.) Expiatio præcedit preces: hæ jam sequuntur: cùm autem pro infantibus vota faciebant manibus quatere eos solebant, quasi præsentibus diis illos ostenderent. Homerus de Hectore, Ἰλιάδ. ζ.

Αὐτὰρ ὅγ' ὃν φίλον υἱὸν ἐπεὶ κύσε πῆλέ τε χερσὶν,
Εἶπεν ἐπευξάμενος Διΐ τ' ἄλλοισίν τε θεοῖσι.

quod poëta dixit πάλλειν χερσὶν, (*quatere manibus*) alii ἀναγκάζειν, quod exponitur Hesychio, τὰ παιδία ταῖς χερσὶν ἀναπάλλειν: (*infantes manibus quatere.*) Lycophron βρέτας de votis pro infante similiter loquens:

Σφῷ πατρὶ λάσκει τὰς ἐπηρόγους λιτάς.
Σκύμνον παρ' ἀγκάλησιν αὐτοῦ βρέτας.

Spem macram.) Infantem tenellum ac ferme adhuc à partu rubentem: *spes* Latinis familiare est pro pueritia aut juventute: item pro puero ac juvene. Virgilius, --*nec spes jam restat Juli.* Seneca apud Tacitum: *Quartus decimus annus est, Cæsar, ex quo spei tuæ sum admotus*: ita accipe Ausonii versum in Parentalibus, qui virum eruditum Eliam Vinetum ad incitas redegit:

Pastor chare nepos: spes cujus certa fuit res.

hoc est, qui in juventute talem te præbuisti qualem solet pater optare ut fiat, & sperare futurum filium ubi maturuerit: Idem in Professoribus:

Herculane qui profectus gremio de nostro & schola
Spem magis quàm rem fruendam præbuisti avunculo.

sic etiam in Protreptico ad Ausonium nepotem.

Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.) Votum pro divitiis: quod quia frequentissimum est, & omnibus commune, ideo & Persius & Juvenalis illud cæteris omnibus præposuerunt. Latini scriptores ad exemplum ditissimorum Licinium & Crassum nominant, ut heic Persius, & Seneca epistola CXX. Vetus interpres fluctuat heic: modò pro ejusdem hominis nominibus hæc accipiens: quod refellit Seneca apertè distinguens in gemino huic loco inter Crassum & Licinum sive Licinium: etsi de gente Licinia & Crassus ille dives fuit. Etiam illud falsum: quod ex aliorum sententia idem interpres subjicit de Licino Augusti tonsore ac liberto. Noli dubitare per campos Licinii vetustum illum intelligi Licinium Stolonem, qui ob possessa cum filio agri jugera CIↃ. damnatus est: sicut per ædes Crassi opes denotantur illius Crassi, quem testatur in vita Plutarchus, crebris domorum emtionibus ac venditionibus, ingentes quæsivisse sibi opes.

Hunc optent generum rex & regina.) Votum pro forma & potentia: est enim mixtum, ut ferè sunt hominum cupidates. Juvenalis separatim utrumque hoc caput est persecutus: simile quid olim accidit Maximino Juniori, ut refert Capitolinus.

Hunc rapiant.) sic apud Græcos ἁρπάζειν & συναρπάζειν de re admodum expetita: in vetere Persii vita, *deripere* eo sensu.

Quicquid calcaverat hic rosa fiat.) Votum pro absoluta omnibus numeris felicitate: quam poëtica circumlocutione exprimit: in prima,

——*è manibus illis Nascentur violæ.*

Claudianus in laude Serenæ:

——*quocunque per herbam*
Reptares fluxere rosæ.——

vide si lubet Animad. in Athenæum libro IV. capite XIII. non malè scripseris *heic*, τὸ *fiat* pro *nascatur*, ut apud Græcos γινέσθω pro γεννηθήτω.

Ast ego nutrici non mando vota.) Nutricum præcipuus in alumnos affectus: sed prudentia quanta solet mulierculis inesse quibus ne liberalis quidem educatio contigit: frustra erat Chrysippus cùm nutrices si fieri posset sapientes optabat; nam omnino fieri haud potest. Optabant illæ igitur suis alumnis non quæ sunt verè bona, sed quæ videntur ipsis esse: hoc vult Persius: horum parentum vota similia esse stultarum nutricularum votis malè sanis. Seneca epistola XXXII. *Optaverunt tibi alia parentes tui; sed ego contra, omnium tibi eorum contemtum opto, quorum illi copiam.* Idem in LX. *Etiamnum optas quod tibi optavit nutrix, aut pædagogus, aut mater. Nondum intelligis quantum mali optaverint*: mox vo-

cat *execrationes parentum* non vota. Atque his verbis tangit poëta insignem illum hominum errorem qui putant rem esse facilem & cuivis notam scire quid sit à deo petendum. Persius verò cùm negat nutrici se vota mandare, hoc significat: non nisi sapientissimos viros orandi scientiam tenere: quæ erat Stoicorum sententia, ut antè diximus, & Platonis etiam: cujus liber περὶ προσευχῆς eò potissimum spectat, ut difficultatem hujus rei nos doceat.

Negato Juppiter hacilli, quamvis te albata rogarit) Id significat: hæc vota indigna esse quæ dii exaudiant: quippe ab iis facta, qui intus sordeant, extrinsecus speciem pietatis præ se ferant: *albati*, hoc est, in candida & pura veste ad deos adibant, ut sciunt omnes. Plautus Rudente:

—— *æquius vos erat*
Candidatas venire hostiatasque ad hoc
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.

Philo Judæus De Caino, λευχειμονοῦντες μὲν εἰς τὰ ἱερὰ βαδίζειν σπουδάζουσιν ἀκηλιδώτους ἐσθῆτας ἀμπεχόμενοι, διάνοιαν δὲ κεκηλιδωμένην ἄχρι τῶν ἀδύτων εἰσάγοντες, οὐκ αἰδοῦνται· (*albis induti vestibus & quæ sint ab omnibus maculis puræ ut templa adeant studiosè observant: at mentem inquinatam vel in ipsa penetralia inferre non verentur.*)

Quamvis te albata rogarit.) videtur alludere ad formulam precum, quæ tantopere laudatur apud Platonem:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξοις.
Juppiter ô nobis, taceamus sive precemur,
Da bona: quæ mala sunt errore petentibus arce.

Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ.) Jam agit Persius de genere hominum qui errorem alium in votis errant: cùm ipsi sua sibi vota contraria vitæ ratione destruunt: quod quid est aliud nisi numen irridere? Scitum enim est Græcorum præceptum: sic deos opem esse poscendos, ut interea ab opere manum non amoveas: τὸν χεῖρα προσφέροντα δεῖ τὴν τύχην καλεῖν. Timotheus ad ecclesiam catholicam libro primo: *Inconsultissimum ac stultissimum est, id quosdam agere, ut quod affectu ac voto volunt, idipsum re atque actu nolle videantur:* profert sapiens hic duo ejusmodi hominum exempla: prius est illorum, qui valetudinem prosperam petunt à superis, & Bacchanalia interim vivunt: alterum genus est eorum qui opes deos poscunt, cùm ipsi quæsitis non parcant, sed sua in cassum dilapident. Stultitiam hanc hominum fusè persequitur Maximus Tyrius sermone xx.

Poscis opem nervis.) Clemens Alexandrinus Stromatum libro VII. εἶτα νήφοντες μὲν ὑγείαν αἰτοῦνται, ὑπερεμπιπλάμενοι δὲ καὶ μέθαις ἐγκυλιόμενοι καὶ τὰς ἑορτὰς νόσους ἐπισπῶνται. (*porrò, sobrii quidem, sanitatem à Diis poscunt: postea, fistis dubus ingurgitantes se, & in comessationibus volutantes, morbos attrahunt.*)

Nervis.) robori corporis quod maximè positum in nervorum integritate: inde νευροῦσθαι pro firmari: quod etiam ad animum transferunt. Philo Judæus, νευροῦσθαι τὰς διανοίας dixit in Mosis vita: hujus contrarium apud poëtam est ἀπηγοιεῖν.

Corpusque fidele senectæ.) corpus cui suæ vires permaneant ad senectam usque: dictum eleganter.

Sed grandes patinæ, tuc.) Maximus Tyrius: ἀλλαττόμενοι νόσους τῶν νοσερῶν οὐκ ἀπέχονται. (*morbos timentes, à morborum causis non abstinent.*) Laertius de Diogene care: ἐχίνει αὐτὸν τὸ θύειν τοῖς θεοῖς ὑπὲρ ὑγιείας, ἐν αὐτῇ δὲ τῇ θυσίᾳ καὶ τῆς ὑγιείας δειπνεῖν· *patinæ* Græcis πατάνια sive βατάνια· (*indignabatur ille homines Diis sacrificare pro sanitate: in ipso autem sacrificio contra sanitatem epulari.*) *grandes patinæ*, quæ Græcus comicus πατάνιον ζωμεύματα· Plautus *patinarum struicem.*

Tuccetaque crassa.) vox Gallica *tucetum* ut adnotant veteres critici: ζωμὸς παχὺς exponitur Græcis magistris: quod firmat vox *crassa*. Arnobius videtur minutalis genus facere, & à verbo tundo vocis originem repetere.

Rem struere exoptas cæso bove.) Alterum exemplum: contraria sunt vota, rem optare struere, hoc est, ἐπαυξάνειν· & armenta sua ire minutum: quod sine divitiarum notabili jactura fieri non potest. Cùm autem sint minuendæ rei sexcenti modi: Persius ejus potissimum impensæ meminit, quæ in sacrificiis versatur, ut duo simul in illis reprehenderet: profusionem partarum jam opum studio novas parandi: & stultam illam opinionem, quasi largitione ista sua deos obstringerent sibi, ut paria secum facerent, ex illa jurisconsultorum formula, do ut des: ita commodissimè & sensim delabitur in sermonem de votis propriè sic dictis, & fœda cum diis nundinatione.

Mercuriumque Arcessis fibra.) jugibus sacrificiis litare tentas Mercurio, ut multus tibi quæstus obveniat vel ex mercimoniis tuis, vel ex studiis & opera forensi, vel ex ruris proventu, aut nescio unde ex inopinato, ejusmodi sunt lucra quæ conciliat Mercurius.

Tot

Tot tibi cùm in flammis junicum omenta liquescant.) cùm tot majores victimas cædas: ut sunt boves, tauri, juvenci, & junices sive δαμάλεις. Etsi autem in honorem deorum mactari victimæ dicebantur: ut plurimum tamen minuta quædam diis adolebant, cætera convivantes absumebant: qua de re plura ad Athenæum libro IV. cap. XI. inter illa minuta fuit omentum. Catullus epigrammate in Gellium,

Omentum in flamma pingue liquefaciens.

loquitur de Persis qui in suis sacrificiis victimam secare in partes, & dividere inter se soliti, animam deo relinquentes: nisi quod τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν ἐπὶ τὸ πῦρ, inquit Strabo.

Et tamen hic extis & opimo vincere ferto Intendit.) Superstitiosorum errorem his quatuor versibus depingit: hi enim persuasi maxima quæque sacrificia plurimùm apud deos posse: nullis parcebant sumtibus, quo possent eos demereri: quare eveniebat sæpe, ut qui ditescendi studio deos colebant, fœda hac illorum κολακείᾳ ac nundinatione, avitas opes consumerent: ita malè cum iis agitur, qui existimant πειστὸν εἶναι τὸ τῶν θεῶν ὥς τι ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιστὴν, *talem esse Deum, ut non aliter ac malus, vel stultus fænerator, donis ducatur*) ut ait Plato. Hanc vanam & ridiculam persuasionem graphicè ob oculos ponit Persius.

Opimo vincere ferto.) Rectè *ferto*: non *farto*: quod in depravatis codicibus inventum malè tuentur. Catonis de re rustica caput CXXXIV. lege. sed Persius ἁπλῶς pro re diis oblata heic accipit. non pro libo etiam illud falsissimum, χῆνας σιτευτοὺς & altiles alios esse à fartis: non observarant, *farcire* Catoni atque aliis id esse, quod Græcis σιτίζειν aut σιτεύειν.

Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.) donec perventum sit ad ultimum ferme arcæ vel loculorum nummum: tunc sera pœnitentia animos istis incessit: frustra: δειλὴ γὰρ ἐν πυθμένι φειδώ (*sera enim in fundo parsimonia.*) ait Hesiodus; quem noster hoc versu imitatur.

Si tibi craterras argenti.) Aperit jam Persius totius hujus erroris fontem: quod nimirum de diis non aliter isti sentirent quàm ut de hominibus, humanosque illis affectus, ac vitia tribuerent. Qui igitur cupiditate opum arderent, de diis idem existimarunt.

Craterras arg.) Ita scribunt Latini, & formant, *craterra*, *craterræ*: dicunt & crater cum Græcis, quod huic loco non convenit.

Incusaque pingui Auro dona feram.) incudere verbum τοῦ τορεύειν, pro imprimere cudendo. Virgilius, *cratera impressum signis.* Græci ἐμπαίειν hoc dicunt & ἐμπαίειν, quod planè est incudere, unde ἐμπαιστικὴ τέχνη quæ operibus argenteis signa aurea imprimebat, sicut dicebamus ad Suetonii librum secundum: huc refer Senecæ verba ex epistola quinta: *Non habemus argentum in quod solidi auri cælatura descenderit*: pro malleo ducere simpliciter aliquando usurpatur. Valerius Flaccus libro secundo: *Incusæ sonitum mirabere massæ.*

Sudes.) παντοῖος ἂν ὑπὸ χαρᾶς γένοιο· ingens autem gaudium quod ex lucro homo avarus capit, variè auctores exprimunt. M. Tullius in simili loco III. De officiis: *Si dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, in foro mihi crede saltaret*: Persius sudorem illi tribuit, hoc est, gravem commotionem: quales sunt illæ quas sequitur sudor. Aspasiæ versum in V. Athenæi cùm hoc loco componebamus Animadvers. cap. XX.

Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα, χαρᾶς ὑπὸ σῶμα λιπαίνω
Ἱδρῶτι. ——

(*Et ego ubi audivi, præ gaudio corpus unxi sudore.*): quam observationem sine caussa quidam conati sunt incrustare. Philo Judæus de Aarone, ἡ ἐλπὶς τὸ αὐχμηρὸν ἀναχαλᾷ καὶ λιπαίνει τῶν φροντίδων. (*Spes squallorem ex curis contractum relaxat, & abstergit.*

Et pectore lævo Excutias guttas.) lacrimas præ gaudio: tanta est stultitia tua: malè in aliis libris, *pectore læto.* Virg.

——— *si mens non læva fuisset.*

hoc est, nisi fuissemus stulti: ita heic *pectus lævum*: lacrimæ omnis fere gravioris commotionis comites: nam etiam somnianti fluunt Turno apud poëtam,

—— *ossaque & artum*
Perfudit toto proruptus corpore sudor:

sed ex repentino maximè gaudio lacrimæ manare solitæ, ut passim observant auctores: sequitur in versu Aspasiæ: βλεφάρων δὲ γόος πίεν οὐκ ἀθέλητος. (*ex oculis autem luctus fluxit ultro vel, non ingratus.*) & alii plurimi, ut apud Suetonium lib. II. cap. LVIII. notabamus: caussam harum lacrimarum explicant philosophi: ut Alexander Trallianus in Problematis: vide Senecam epistola XCIX. & magnum Basilium in commentario Περὶ εὐχαριστίας: docet verò Simplicius in Epictetum, ex contrariis caussis dolore & gaudio, quorum affectuum illo constringimur, hoc relaxamur, eosdem affectus in nobis edi: ἐκ τῶν λυπηρῶν καὶ τῶν ἡδέων

τῷ ἡδέως τὰ αὐτά πως ἔπεται. τὰ λυπηρὰ πολεῖ· τὰ δ' ἡδέα διαρχεῖ. quo loco prætermitti lacrimas à Simplicio non oportuit.

Lætari prætrepidum cor.) ita rectè membranæ, melius quàm *lætetur*, quid usitatius hoc genere locutionis historicæ per infinitivum? quam poëta elegantissimè heic usurpavit: vocem *prætrepidum*, vel ut in aliis, *pertrepidum* exposuimus satira I.

Hinc illud subiit, auro s.) *hinc*, id est, quia deos æstimamus vitiis nostris, ut loquitur Seneca: idem philosophus epistola CXV. *Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt; & teneris infusa cupiditas altius sedit crevitque nobiscum. Deinde totus populus in alio discors, in hoc convenit: hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc diis velut rerum humanarum maximum, cùm grati videri volunt, consecrant*: similia his Lactantius libri VI. initio.

Auro sacras quod ovato Perducis facies.) quod argento, auro, ac gemmis deos colimus: quod quia in majus voluit poëta extollere, ponit exemplum maximæ impensæ, quæ in hoc genere soleret fieri apud Romanos; quibus fuit moris, ut ex manubiali pecunia viri triumphales dona diis pretiosissima consecrarent; exempla ubique obvia in historia Rom. *aurum ovatum*, quod Ovidius aurum tropæorum appellat illo versu in epistola ad Germanicum lib. II. de Ponto.

Deque tropæorum quod sol incenderat auro.

Perducis facies.) totas facies, totasque adeo statuas deorum ducis ex auro: *ducere* heic ἐλαύνειν. unde opera χρυσήλατα, ut σφυρήλατα.

Nam fratres inter ahenos Somnia p.) Sub exemplo quod dixit explicat planiùs. Nam exempli gratia, inquit: sunt in Apollinis Palatini porticu quinquaginta Ægypti filiorum effigies consecratæ omnes ex ære, & honore pari: verùm si persuasum alicui fuerit, se veriorem *δι' ἐγκοιμήσεως μαντικὴν* (*per incubationem divinationem*:) esse adeptum, cum his vota faceret, potius quàm illis; is hos quos sibi propitios credit, instituet κολακεύειν & singulari honore præ cæteris afficere, atque auro colere: barbam igitur auream illis curabit apponi, & donaria pretiosa appendi. Quare verum apparet quod diximus: ita nos cum diis agere, ut cum hominibus: salutem medici diligentia partam, cùm grati esse volumus, auro pensamus: idem erga deos quoque fit: hæc sententia hujus loci.

Fratres inter ahenos.) Non possunt de Castore & Polluce hæc accipi; apparet enim de pluribus loqui poëtam, quàm de duobus: qui de simulacris deorum in Pantheo accipiunt, & ad tertium caput nos rejiciunt libri XXXIV. Plinii, ludunt suos lectores. Acronem igitur sequamur, & ejus interpretationem, quæ apud veterem scholiasten.

Somnia pituita qui purgatissima mittunt.) In somnis curationes indicare varios deos aut heroas, credidit vetustas: etsi præcipuè Apollinis, atque Æsculapii illæ partes credebantur esse à Græcis & Romanis: posteà verò gliscente superstitione Ægyptiaca, Isis & Osiris ac Serapis eandem vim habere existimati sunt: nec solùm isti, sed etiam Ægypti filii hi quinquaginta, si Acroni credimus, *somnia mittere* dixit, pro *θεραπείας δι' ὀνειράτων* (*curationes per somnia*) & ut loquitur in Sacris Aristides, *ὄψεις τῶν ὀνειράτων*, (*visiones somniorum*:) quæ cujusmodi fuerint, nusquam discas melius, quàm ex illis nugacissimis libris, magni alioquin scriptoris: *somnia* autem *pituita purgatissima* appellat figuratè illa quorum fides certior in sanando & efficacia major: per *somnia* enim sive insomnia, intelligit præmonstratas curationes ac θεραπείας.

Præcipui sunto:) præcipuo honore coluntor illi: sic tu tecum statuis si gratus es.

Sitque illis aurea barba.) nec solùm honore verborum eos ducis esse colendos: sed etiam ornandos pecunia tua. Videntur aureas barbas diis de se bene meritis apposuisse: quod & hic locus, & illa de Dionysio tyranno historia quam suprà tetigimus confirmat. Quare iis potissimum diis à quibus plurima sperabant, aut quorum potestatem maximam putabant, auream barbam tribuebant, ut Jovi, quod testatur Sueton. in Caligula cap. LII.

Aurum vasa Numæ, Saturniaque impulit æra.) Ex hac perversa hominum opinione illud secutum est, ut frugalitas veterum in cultu deorum, locum jam nullum habeat: sed contrà in templis auro & argento omnia niteant.

Vasa Numæ.) vasa fictilia, cujusmodi erant quibus olim Numa ceremoniarum primus auctor Rom. uti instituit: etsi dici potest, seculi eam λιτότητα fuisse non hominum: de capedunculis & urnulis fictilibus Numæ, Cicero & alii.

Saturniaque impulit æra.) æra in quibus veteris pop. Ro. opes etiam publicæ erant positæ: alludit ad ærarium quod in æde Saturni: nam è re dictum fuit ærarium: alioquin omnia antiqua dicuntur κρόνια, & Saturnia; *impulit* loco dejecit & contemni fecit, ut rectè expositum in Bongarsianis membranis.

Vesta-

Vestalesque urnas.) urnis aquam necessariam ad sacra Vestales gestabant: ut de Tarpeii filia notum, quæ arcem Sabinis prodidit.

Tuscum fictile.) An quia ex Etruriæ figulinis Romam afferretur? puta Areto: Antidamus in moralibus, *quis averruncassit tam Aretinas hominum mentes?* Fulgentius exponit, testeas, vel argillaceas. An eo respicit, quod pleraque ad religionem spectantia habuerunt Romani ab Etruscis?

O curvæ in terris animæ, cœlestium inanes!) Potest hic versus & cum sequentibus jungi: sed præstat esse epiphonema, præcedentibus verbis subjectum: appositissimè illud quidem, & meritissimè: quid enim stultius aut improbius, quàm propria vitia in deum transferre? jure igitur exclamat Persius, ignorantiam Dei suis hominibus exprobrans, & rerum divinarum. Est autem exacta vituperatio per ἄρσιν & θέσιν, (*ablationem & positionem:*) ut præcipiunt rhetores. ἄρσις est, *cœlestium inanes*, θέσις, *ô curvæ in terris animæ*, πρωτυστέρως (*ordine præpostero*) enim posuit. Simillimum huic est illud in Evangelio à Domino pronuntiatum. σκάνδαλόν μου εἶ. ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. (*scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.*) ut quidem illum locum Theophylactus interpretatur: sententiam verò hujus versus aliter extulit Lactantius libro VI. cap. primo. *Homines*, inquit, *nihil sapiunt nisi terram: bonaque & mala solius corporis sensu & voluptate perpendunt. Hujus arbitrio ut religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt:* idem politissimus scriptor lib. II. capite II. hunc Persii locum affert, & cùm eo loco, tum etiam alibi multa in hanc sententiam disputat.

Curvæ in terris animæ.) Beatus pater Chrysostomus concione XXI. in eam ad Ephesios: μέχρι τίνος ἐσμὲν σάρκες; μέχρι τίνος ἐπὶ τῆς γῆς κύπτομεν; (*quamdiu sumus carnes: quamdiu terræ affixi propendemus.*) & sæpius κατωφερεῖς ac χαμαιζήλους, & τοὺς ἐκ τῆς γῆς κτιολογοῦντας homines eandem ob caussam vocant Græci patres: *in terris* autem membranæ omnes, non *in terras*, idque est ἐμφατικώτερον· qui non solum terram spectant, sed in illa toti hærent: ne minimum quidem attollentes se supra humum: apud Lactantium tamen est *in terras.*

Cœlestium inanes.) inanes ejus cognitionis ac scientiæ, quæ docet quid sit Deus, & quomodo adoretur, atque oretur rite: verum enimverò hujus scientiæ non multo majorem quàm reliqui habuit notitiam Persius, aut omnino quisquam mortalium, quem non recreasset qui creaverat, refecisset qui fecerat, ut ait Augustinus.

Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores.) Epiphonemati subjicit increpationem: semper autem sibi similis noster philosophus: quem ante docuimus omnia dicta factaque hominum ad finem suum exigere: ita heic objurgationem suam ab eo capite derivat: stultos esse probans qui frustra diis pretiosa dona offerant, qui divitiis nec capiantur neque utantur: *quid juvat?* id est, in quem finem hoc facimus, quod corruptelam morum nostrorum inferimus in res religionis? nam quia luxuria & avaritia animos nostros occupant, ideo sic erga deos nos gerimus, quasi & illi essent luxuriosi & avari: præclare Arbiter. *Ipse senatus recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque pecunia exorat.*

Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpa.) καὶ ἐκ τῆς ἰδίας ἡδυπαθείας δοκιμάζειν τὰ τοῖς θεοῖς ἀγαθὰ καὶ καθήδυσμα: *bona diis ducere*: valet ducere atque existimare illa diis esse grata, quæ sceleratæ huic pulpæ sint grata. Bona sunt alia aliis: nam verbi gratia, hominibus multa non sunt bona, quæ alii animantium generi sint bona ac grata: nec quod uni bonum, statim & alteri: errant igitur qui bona & grata numini censent, quæ vident judicio hominum esse bona: quid illi, qui non sani hominis, sed vitiis corrupti judicio comprobata bona, putant Deo placere? *pulpa* est caro sine ossibus: à palpitando dicta: mollis enim est ac tremula: heic pro carne accipitur & toto corpore, quod mollitie ac luxu diffluit: planè sicut in sacris libris *caro* solet poni: & Chrysostomus paullò antè μέχρι τίνος ἐσμὲν σάρκες; ex sic capitur heic, ut cùm dicimus, *ex tuis moribus de meis judicas*: est igitur, *ex hac scelerata pulpa*, judicium sequentes carnis: sive quod dictant luxuria & avaritia quibus servimus: *sceleratam* vocat autem *pulpam*, id est, carnem, quia per flagitia ac scelera voluptuarii solent ei gratificari.

Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo.) Quod modò dixit, frustra ad deos luxuriæ instrumenta transferri: id septem sequentibus versibus tractat uberius: comparans inter se luxuriam quæ ab hominibus in habitu ac cultu usurpatur: cùm illa quæ in cultu deorum: utramque pronuntiat vitiosam: sed hanc eò magis quod dii quorum caussa aurum, argentum, gemmæ & similia parantur, illis nullo modo utuntur:

cum homines contra in usum suum illa vertant, & voluptatem magnam ex iisdem rebus capiant. Quia autem mulieribus non viris cultus pretiosus convenit: ideo de illis loquitur, non de viris. Omnia autem quorum meminit communia erant utrique luxuriæ generi: nam & ad deorum cultum ornatumque illa usurpabantur, unguenta, purpura, gemmæ, aurum.

Corrupto olivo,) unguentum curat conficiendum è casia præsertim nigra, pretiosissimum. omnia autem unguenta fiunt mixto olivo: nam oleum est materia apta suscipiendis odoribus servandisque: itaque in oleum transferuntur ab unguentariis: rectè autem *corrupto*: quicquid enim desinit illud esse quod fuit, corrumpi dicitur: olim Lacedæmonii cùm unguentarios urbe pellerent, criminis loco objecerunt, *quod oleum disperderent*: ergo etiam mixtiones quales fiunt à myrepsis & pictoribus sunt φθοραί. neque aliter pictores loquebantur ut usurpat Plutarchus in VIII. Sympos. sic μιαίνειν dixerunt pro μιγνύειν, & μίανσις, pro mistione, ut disputant Plutarchus idem ac Porphyrius: & ita doctissimus Persius, sequente versu, *vitiato murice.*

Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.) lanam Tarentinam coquendo infecit liquore è conchylio muricis.

Hæc baccam conchæ rasisse.) Est alia quæ jubeat sibi margaritas quæri. *baccam conchæ radere* est τὸ μαργαρίτην χωρίζειν ἀπὸ τοῦ κόγχου, (*baccam separare à conchâ:*) ut loquitur Græcus scriptor apud Athenæum libro III. margaritam vocat *baccam*, Virgilium imitatus. Plinius *nucleum* dixit, ut observabamus alibi: infimæ Latinitatis auctores *perulos*, quod nomen idioma nostrum servavit; extat apud veterem interpretem Horatii.

Et stringere venas Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.) jussit conflari in unam massam crudum pulverem è venis terræ, sive fodinis auri vel argenti, non potest dubitari quin de auro & argento sentiat Persius: quare voce *stringere* est abusus: nam illi propriè in solo ferro locus est, ut disertè Plinius observat libro XXXIV. cap. XIV. ferri autem quis usus in muliercularum mundo? *Stringere* est malleo tundere ita ut eliciantur stricta, hoc est, σπινθῆρες: sed in arte metallica est συλλιπαίνειν, ut dicebamus ad librum V. Strabonis: hoc est, terram unde fit ferrum conflare in naturam ferri: quod fit coquendo in fornace: inde stricturæ ferri apud Virgilium: & illæ quæ sic propriè dicuntur, de quibus Plinius: aurum quoque, sive in ramentis collectum, sive in globis aut ballucis inventum, in massam conflatur in fornace: *stringi* tamen non dicitur, quod sciam Latinis scriptoribus, *crudum pulverem* vocat ramenta, aut terram in fornace nondum coctam.

Peccat & hæc peccat.) etiam illa luxuria qua homines in cultu suo utuntur vitium est, & peccatum.

Vitio tamen utitur.) sed id peccatum eo minus est, quia est aliquis saltem usus hominibus earum rerum: hæc quidem sententia defendi potest: certum tamen, τῆς τρυφῆς non necessitatem aut utilitatem, sed voluptatem & delicias spectare, cùm auro & gemmis & cæteris id genus sese exornant: itaque non utuntur illis, sed fruuntur: quare *utitur* heic accipio pro fruitur. Sic & Seneca in III. De ira, pejorem esse iram quàm luxuriam eo probat, quod luxuria sua voluptate fruatur.

At vos Dicite pontif.) atqui in rebus sacris neque ullus usus est auri & gemmarum: nec existimare debemus de diis tam malè, ut putemus illos oblectari more hominum cultu sumtuoso ac delicato. Rectè autem pontifices compellat, penes quos omnium sacrorum cura, & à quibus sacerdotum omnium collegia pendebant.

In sancto quid facit aurum?) ita membranæ omnes: apud Lampridium in Alexandro, *in sanctis*: alii codices, *in sacro*: quod postremum sequor potius: nam *sacrum* est res deo sacra; unde est apud Plautum, *sacro manus admoliri*: & ita apud M. Tullium. Porrò etiam qui solo naturæ ductu Deum notant, ἀπροσδεῆ ac rei nullius indigentem illum esse sciverunt, omnis ætas & natio: non solùm Judæi, qui propterea שדי Deum OPT. MAX. dixerunt. Sacrificia igitur & dona diis offerenda, verè docent etiam philosophi, non quasi illis egeant: sed quia suum erga numen affectum qui sacrificat, aut dona appendit, palàm facit. Dio Chrysostomus in Rhodiaca: κἂν σπείσῃ τις τοῖς θεοῖς, κἂν θυμιάσῃ μόνον, κἂν στεφανώσηται, μεθ' ἧς μέν τοι προσήκει διανοίας, οὐδὲν ἔλαττον πεποίηκε· οὐδὲ γὰρ δεῖται τῶν τοιούτων ἴσως οὐδενὸς ὁ Θεός. οἷον ἀγαλμάτων ἢ θυσιῶν· ἄλλως δὲ οὐ μάτην γίνεται ταῦτα, τὴν προθυμίαν ἡμῶν καὶ τὴν διάθεσιν ἐμφανιζόντων πρὸς αὐτούς. Aurum verò adeo sanctimoniam nullam adjicit rebus Deo consecratis, ut contrà, templa quædam vetustas habuerit, in quæ aurum inferre erat nefas: itaque ædem ingressuri, aurum ponebant, inquit Plutarchus in Politicis præceptis.

Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.) hoc

hoc eſt, nihil: veruntamen non omnino nihil: nam affectus & venerationis magnitudinem pretium rei conſecratæ indicat. Pupæ à virginibus pubertatem conſecutis aut nupturis Veneri ſolitæ dicari, ut ab ephebis bullæ: quia in omni mutatione, inſignia vel inſtrumenta vitæ anteactæ diis conſecrare moris erat. Horatius:

——— Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

idem alibi:

——— donaſſet jamne catenam
Ex voto Laribus quærebat. ———

ſic zonam virginalem nupturæ ſuſpendebant: & multa teſtimonia. *Pupa* eſt πλαγγὼν, unde *plangunculа* apud Ciceronem ad Atticum. Has icunculas coroplathi è gypſo conficiebant in gratiam puerorum. ἀνδρειαντάρια vocabant Græci. ſed uſitatius κόρας. Dio Chryſoſtomus in Rhodiaca: ὁμοίως δίδωσι τοὺς ἀνδριάντας, ὥσπερ οἱ τὰς κόρας πωλοῦντες ἀνήρθμοι τοῖς παισίν. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι διδόασιν οὕτως ὥστε λυπεῖσθαι μετ' ὀλίγον συντριβέντων· vetus ſcholium: κόρας τὰ παρὰ τῶν κοροπλάθων λέγεται γύψινα πλαττόμενα ἀνδρειαντάρια. ſic Lactantius hunc Perſii locum tractans lib. II. cap. IV. imagines & ſtatuas deorum nihil aliud eſſe ait, quàm *grandes pupas*. illum locum vide.

Quin damus id ſuperis.) Præcipiendi duplex via: nam aut oſtenditur vitium & vetatur: aut indicatur quod rectum eſt, & jubetur. Hac ratione totam Dei legem, hoc eſt, Moſem & prophetas tribuerunt magiſtri Judæorum in claſſeis duas, præcepta negantia vel vetantia: & affirmantia ſive præcipientia: ipſi appellant מצוות לא תעשה & מצוות תעשה. Utrumque genus præceptorum complexus eſt Perſius hac ſatira ſua: cujus priora omnia ſunt ἐλεγκτικά: nam vitium ut πολλαχῶς eſt ac πολυειδὲς, (*multiplex & multiforme:*) ita multis refutari opus habet: verum & rectum ſimplex eſt, & quod paucis verbis expediri queat: quinque igitur extremis his verſibus quid ſuper propoſita quæſtione ſentiendum ſit, breviter ſimul ac graviter explicat. Summa eſt: Deum in accipiendis ſacrificiis ac donis, non rem oblatam attendere: ſed offerentis animum: qui ſi juſtus ſanctuſque ſit, gratum eſſe quod offeratur, quicquid illud tandem ſit, licet minimum, aut minimo minus, eadem Socratis apud Platonem doctrina, ſub finem libri De votis: δεινὸν ἂν εἴη, inquit, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος τυγχάνῃ. (*mirum ſit & grave, ſi Dii dona & ſacrificia noſtra, ac non potius animum, utrum ſanctus ſit & juſtus, reſpicerent.*)

De magna quod dare lance Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago.) quod nullis opibus parabile eſt, animum rectum & θεοσεβῆ, (*pium.*) Virtus & pietas doceri poſſunt, auro redimi nequeunt: alludit ad morem libationum in patellam, quæ fiebant in menſa, de iis quæ erant appoſita: de quo more alibi diximus, & plura alii. Simul innuit poëta his verbis, rarò & vix ac ne vix quidem fieri, ut mens recta ac pia, in magnis opibus ſervetur: quod in Evangelio ſuo aliis verbis pronuntiat Dominus, Matthæi x. & Lucæ XVIII.

Magni Meſſalæ lippa propago.) quivis ex iſtis qui ſola majorum nobilitate tument, cùm ſint ipſi vitiis operti: de M. Valerio Corvino Meſſala, qui olim inter cæteros proſcriptus, poſtea ſingulari fato amicitia Auguſti floruit, plena ſunt veterum monimenta: ejus filius videtur heic tangi, qui proverbio fidem fecerit, ἡρώων παῖδες λῶβαι. Vetus interpres paullò aliter, quem lege. Meſſala pro nobili & divite quovis poni ſolet à poëtis. Martialis:

Marmora Meſſalæ findit caprificus.

Compoſitum jus faſque animi.) Virtutem omnibus ſuis numeris abſolutam hac periphraſi expreſſit: notiſſimum eſt, jus ad officia inter homines referri: fas verò ad pietatem erga deum. *animi* præferunt membranæ noſtræ, non *animo*, ut in aliis libris *compoſitum jus faſque animi* appellat, animum bene comparatum ad omnia divina humanaque jura. τὸ σύνταγμα τῆς ψυχῆς πρὸς τὰ θεῖα τε καὶ ἀνθρώπινα δίκαια. *compoſitum* verò intellige ex Stoicorum diſciplina & mente Perſii ad naturæ legem: id enim Stoicis eſt examen omnium virtutum, ut quibus finis ille ultimus quo omnia referantur, ſit, convenienter naturæ vitam inſtituere.

Sanctoſque receſſus Mentis.) ſic μυχοὺς διανοίας, & ἄδυτα Græci. D. Paulus τὰ κρυπτὰ τῶν ἀνθρώπων. (*occulta hominum.* Rom II. v. 16.) Philo Judæus in libro, Deum mutari non poſſe: de vera purificatione eorum locutus, qui ad deos adeunt: ἄνευ τούτων, inquit, δυσκάθαρτος ὢν ἀφιστάσθω· λήσεται γὰρ οὐδέποτε τὸν τὰ ἐν μυχοῖς τῆς διανοίας ὁρῶντα καὶ τοῖς ἀδύτοις αὐτῆς ἐμπεριπατοῦντα. (*cui hæc deſunt, ut qui facilè purgari nequeat, procul eſto: fieri enim non poteſt ut illum lateat, cui patent imi receſſus cordis, & qui abditiſſima ejus penetralia oculis ſuis tanquam pedibus perambulat.*) ſic etiam ταμιεῖα διανοίας dixit Chryſoſtomus, ſed diverſo ſenſu in quarta ad populum Antiochenum, &

ταμιεῖα ψυχῆς, quinta in Matthæum: κόλποι ψυχῆς Athanasius, ut Persius in v. *sinuosum pectus.* τὸ ἀνθρωπίνου τὴν ἐνθήκην Gregorius Nyssenus.

Et incoctum generoso pectus honesto.) & animum imbutum honestate generosa: *honestum*, ἰδιωτικῶς pro ipsa virtute: sic illi τὸ καλόν. *pectus* nusquam non poëtis est animus: *incoctum pectus* dixit: animum non leviter tinctum colore virtutis, sed perfectè, & ut Græci dicunt εἰς βάθος ac δευσοποιῷ βαφῇ· quod miro loquendi genere philosophi Græci, ac patres exprimere solent, cùm dicunt oportere συνεψεῖσθαι τοῖς καλοῖς· *incoquere* verbum est tinctorum, de dibaphis & saturioribus coloribus. Virgilius:

Vellera mutantur Tyrios incocta rubores.

idem ac recoquere, ut in istis Senecæ: *quemadmodum lana quosdam colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & recocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia cùm accepere, protinus præstant: hæc nisi altè descendit, & diu sedit, animum non coloravit, sed infecit; nihil ex his quæ promiserat præstat:* intelligit igitur Persius constantem sibi atque immutabilem virtutem: eodem loquendi genere utitur Antoninus in tertio eorum quos de se scripsit: ubi sapientem & eum qui aperto vivat voto, appellat, πάσης ἀναίσθητον πονηρίας, ἀθλητὴν ἄθλου τοῦ μεγίστου, τοῦ ὑπὸ μηδενὸς πάθους καταβληθῆναι, δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος· (*inscium omnis malitiæ; certatorem maximi certaminis, ne scilicet ullus eum prosternat affectus: altè tinctum vel incoctum justitiâ*:) vides idem planè loquendi genus: nam βεβαμμένον εἰς βάθος est *incoctum:* sic apud Plutarchum διὰ βάθους ἐγκεχρῶσθαι τοῖς φυσικοῖς λόγοις, in libro de contrarietatibus Stoicorum: vim hujus verbi *incoctum* ut exprimeret Lactantius, libro sexto, cap. 11. Persii verbis vocem *naturalis* adjecit, quam perperam acceperunt nonnulli: sic ille: *Sentiebat videlicet non carne opus esse, ad placandam cœlestem majestatem, sed mente sancta & justa, & pectore, ut ipse ait, quod naturali sit honestate generosum*: ideo autem illa vox inserta, quia naturalia firmissimè hærent: ut nativi colores & similia: nisi tamen *honestatem naturalem* appellavit Lactantius ad dogma Stoicum respiciens, de quo paullò antè dicebamus; huic βαφῇ quæ nunquam remittit, contraria est ὑπογραφή, ex eadem tinctorum officina vox petita, quam alibi explicamus: ἀρετῆς ὑπογραφὴν sive σχῆμα Quintilianus ita expressit in decima institutione: *non sufficit imaginem virtutis effingere, & solam ut sic dixerim cutem, vel potius illas Epicuri figuras quas è summis corporibus dicit effluere*, hæ sunt quas Epictetus apud Arrianum libro III. capite xv. vocat κηρίνας ὑπολήψεις: cùm virtutem leviter sectamur faciles mutari & refingi instar ceræ: cui contrarium est apud eundem τὸ πηγνῦναι τὸ δόγμα: quod dixit Seneca *in medullas immittere*, in aureo libello De tranquillitate animæ: *generosum* dixit *honestum*, quia vera pietas generosa est, bonæ spei plena, & ut ante dicebamus ex Marco Antonino, ἐλεύθερος· contra superstitio meticulosa, & in humum dejecta: quare Plato superstitionem esse disputat, non θεραπείαν numinis, sed κολακείαν: cui vitio proprium τὸ ταπεινόν, quod generoso animo repugnat.

Hæc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.) Hoc, inquit, est quod Deus spectat in sacrificiis, non magnitudinem impensæ: jam diximus, & Platonis ejusdem cum hac satira disputationem, ita concludi. Porphyrius, Περὶ ἀποχῆς, libro II. Τὸ δαιμόνιον, inquit, μᾶλλον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει· *animum sacrificantium, non numerum eorum quæ sacrificantur spectat Deus.* Laberius: *Puras Deus non plenas aspicit manus*: apud Hieroclem extat ille versus sub Dei persona, sane egregius:

> Εὐσεβέεσσι βροτῶν γάνυμαι πόσον ὅσσον Ὀλύμπῳ.
>
> (*Piis mortalium non oblector minus quàm olympo; vel, cælo.*)

Et farre litabo.) ὀλαῖς καλλιερήσω· eadem mens veteris oraculi apud eundem Hieroclem,

> Ἀλλά μοι εὔαδε χόνδρος ἀγακλυτοῦ Ἑρμιονῆος.
>
> (*Mihi verò grumus ab inclyto Hermione oblatus perplacuit.*)

Dio Crysostomus in XIII. ὅσῳ ἂν εὐσεβέστεροι καὶ ὁσιώτεροι γένησθε, τοσούτῳ ἐλάττων ἔσται παρ᾽ ὑμῖν ὁ λιβανωτὸς καὶ τὰ θυμιάματα, καὶ τὰ στεφανώματα, καὶ θύσετε ἐλάττους θυσίας, καὶ ἀπ᾽ ἐλάττονος δαπάνης· (*quantò pietatis erga Deos studiosiores, sanctioresque facti fueritis, tantò minus apud vos thuris erit, & thymiamatum ac sertorum, & sacrificabitis pauciores victimas, minoribusque impendiis.*)

AD

AD SATIRAM TERTIAM.

Duas satiras de studiis fecit Persius, primam & tertiam: sed non tamen argumento eodem: nam illa in viros τελείυς (*ætatis integræ*) invehebatur, qui poëtica aut oratoria facultate vel malè uterentur, vel in malum finem: hæc juventutem alloquitur, quæ studia literarum atque imprimis philosophiæ negligenter tractabat, aut etiam contemtui habebat: in illa acrem censorem agebat Persius: heic paullò vehementiorem præceptorem. Stoici inquam philosophi personam sustinet poëta in hoc præstantissimo carmine: qui juvenes Romanos nobilitate atque opibus florentes quà objurgat, quà hortatur, confirmatque in suscepto philosophiæ studio: ad hæc enim duo capita referri universa debet satira. Principio mollitiem eorum arguit & desidiam, quod non nisi ægrè & alto jam sole è stratis surgerent, ac de libris cogitare inciperent: deinde quod illibenter ac segniter in studiis versarentur, eorum ἀπαρεγθυμίαν (*lentitudinem*) castigat & inanes prætextus irridet, quibus uti moris erat plerisque studiosorum in scholis, ne pensum implerent suum. Ac quoniam quo quisque juvenum erat nobilior aut majoribus innutritus opibus, eò difficilius ad Græcanicas disciplinas animum appellebat, ideo cum istis præcipuè agit: poëta frustra illos aut divitiis aut gloriæ majorum suorum incumbere, si interea more discincti nattæ viverent, hoc est, vilissimi cujusque ex ima plebe: quin horum conditionem longe meliorem esse, quod liberali institutione destituti, sic in sordibus vitiorum volutarentur, ut infelicitatis suæ nullum haberent sensum: illos verò ad magna natos, & institutos honestè cura parentum ac diligentia philosophorum quibus essent traditi, nisi hac ætate proficerent, feram pœnitentiam cum magno animi cruciatu olim acturos. Quia autem multi Romanorum procerum fuêre, qui liberos suos non curárent philosophiæ præceptis imbuendos: ne horum exemplum discipulis suis noceret, it obviam Stoicus hic, & illos quidem juvenes excusationem mereri ait, si philosophiam, cujus nullum gustum accepissent unquam, floccifacerent: ipsos verò omni vituperatione dignissimos fore, si post agnitam sapientiæ præstantiam, segnes in ejus studio atque amore se præberent. Heic igitur ad capessenda philosophiæ studia magna contentione eos hortatur: divinis planè versibus totius moralis doctrinæ summam complectens: ut vel ex paucis illis verbis, disciplinæ illius excellentia atque utilitas, vel potius necessitas ad vitam bene instituendam, ac beatè tranquilleque agendam, posset intelligi. Postremò quia plurimi semper Romæ fuerunt qui philosophiam aspernarentur, & Græculos vocarent illius studiosos, stultitiam istorum exagitat hic doctor: ostenditque non magis eorum rationem esse habendam, quàm alicujus ægroti, qui animi vitio medicum curare tentantem extruderet, ac minis convitiisque exciperet: quippe, medicinam corporis sanitatem polliceri: quam interdum ægroti respuant: philosophiam animi morbis mederi: quo nihil magis abominentur vitiosi. Hæc est pulcerrimæ hujus diatribæ (sic enim jure appellaverim) summa: quam non bene animo conceperant, qui titulum illi hunc præscripserant: quem multi etiam veteres codices servant: INCREPATIO DESIDIÆ: nec melius vetustæ Bongarsii membranæ, quæ titulum hunc exhibent; IN LUXURIAM ET VITIA DIVITUM: quæ verba è scholiis antiquis petita sunt: ubi legimus, *hanc satiram è Lucilii libro quarto esse translatam, castigantis luxuriam divitum & vitia:* verum est Lucilium libro Satirarum suarum quarto in luxuriam divitum & vitia esse invectum: apparet enim manifestò hodieque è pau-

pauculis fragmentis quæ supersunt: sed viros & convivatores intempestivos ac temulentos, aut alio luxuriæ genere peccantes secuit eo libro Lucilius: non juventutem Musarum & Sophiæ sacris operatam, ad quam propriè satira hæc spectat: illud è libro tertio ejusdem poëtæ non alienum à principio satiræ hujus. *E somno pueros cum mane expergitus clamo.*

Nempe *hæc assiduè.*) Familiare est satiricis poëtis, ut ex abrupto ordiantur. & molles aditus ad susceptum argumentum spernant, quos alii plerunque scriptores studiosè sectantur: multa igitur diligentia lectoris veniunt supplenda: imprimis autem, quis loquatur: ferè enim dramatica sunt eorum scripta: heic ergo inducitur philosophus juvenes sibi in disciplinam datos excitans, & post longam patientiam irascens illis, quòd serius pro suo more surgerent: errarunt veteres interpretes illi qui pædagogi verba hæc esse putabant: non enim de iis in hac satira agitur, qui in pueritia primas literas sub pædagogo discerent: sed de illis, qui opera philosophi studiis philosophiæ imbuebantur. Ac Romæ quidem magnates soliti philosophos domi alere, quorum privata cura liberi ipsorum instituebantur: Athenis verò aut Rhodi, aut quocunque aliò studiorum caussa mittebantur juvenes, apud philosophos ferè divertebant.

Jam clarum mane fenestras Intrant.) jam fugit optima diei pars: quam rectè prisci ὀνοματοθέται (*nominum impositores*) mane vocarunt. Lege Senecam epistola CIX. & in De brevitate vitæ. Quare apud Romanos ludi literarum aperiebantur prima luce. Juvenalis in septima:

Dummodo non pereat mediæ quod noctis ab hora
Sedisti. ———

Est verò *clarum mane*, sol altus, clarior factus & ἀλαμπέστερος discussis nubibus, quæ ferè orientem obumbrant.

Et angustas extendit lumine rimas.) hypallage: non enim rimæ extenduntur, aut dilatantur, quod ineptè quidam scribunt: sed lumen extenditur transmittente Sole radios suos per rimas.

Stertimus.) hoc est, vos juvenes stertitis: sed apta objurgationibus prima persona: sic mox, *Tunc querimur*: multis autem etiam viris familiare hoc vitium Romæ. Seneca epistola CXXII. *Turpis qui alto Sole semisomnis jacet: cujus vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum est.*

Indomitum quod despumare falernum Sufficiat.) facitis sobrii quod ebrios deceat, quibus edormienda est crapula pridiana convivii tempestivi. *quod* hoc est adeo longum tempus, quod sufficiat coquendo quamvis duro vino: quod propterea *indomitum* poëtis solet vocari, ut Virgilio. Lucano, Persio: *despumare* heic valet transmittere è ventriculo vinum, ubi despumarit spatio temporis tandem concoctum.

Quintâ dum linea tangitur umbrâ.) hoc est, quinta in solario linea tangitur umbra gnomonis, & instare jam indicat meridiem. Ad quintam lineam negotia curabant: Martialis,

In quintam varios extendit Roma labores.

quinta prandere multis consuetum. Ausonius in Ephemeride:

Sosia prandendum est: quartam jam totus in horam
Sol calet: ad quintam flectitur umbra notam.

alii cùm à prima ad quintam tempus omne in studiis impendissent, ea hora corpus curare in xystis aut cryptoporticibus incipiebant: ut de se testatur Plinius libro nono, epistola ad Fuscum.

En quid agis.) id est, agitis: plures enim alloquitur: numeri enallage, Pindaro & aliis poëtis translatitia: in Persio verò mira: τὸ *En* servit indignationi, ut docet ad Terentium Donatus.

Siccas insana canicula messes Jamdudum coquit.) non ipsum quidem canis sydus, sed Sol potius coquit messes & æstu omnia adurens, rabiem canibus immittit: verùm sequuntur poëtæ vulgi errorem hunc, ex eo natum, quod Sole Cancri signum peragente, canicula oritur: non igitur caussa intensioris caloris est Sirius, verùm signum solummodo: quare melius Homerus de eo sidere κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται· quàm ejus posteri qui magno consensu τὸ δ' κυνὸς ἄστρον παραίτιον τῆς τῶν καυμάτων ἐπιτάσεως pronuntiarunt: quem errorem prolixè confutat Geminus in sua Isagoge εἰς τὰ φαινόμενα.

Et patula pecus omne sub ulmo est.) rustica meridiei descriptio. Virgilius:

Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.

Unus ait comitum.) restituimus heic veram interpunctionem, quæ in omnibus libris, credo, depravata, interpretibus fuit fraudi: quia enim τελεία στιγμὴ in fine superioris versus posita non erat, ad præcedentia hæc retulerunt: & unum comitum putarunt dici Persio, philosophum qui superioribus verbis discipulos suos stertentes increpuit: qui magnus est error: nam *comites* heic sunt condiscipuli: falluntur nimis qui ad philosophos referunt quos proceres Ro. in suo comitatu soliti erant habere.

Ver-

Verumne? itane?) mire ἦθος exprimit: nam ſtupet iſte quod audit de alto jam ſole: quaſi tum primum, nec unquam antè ipſi contigiſſet. atqui dicit magiſter, *Nempe hac aſſidue*: ergo addit *ocyus adſit* &c. quaſi paratus jacturam temporis diligentia ſarcire.

Ocyus adſit Huc aliquis: nemon'?) Et heic mores delicatæ juventutis pulcerrimè exprimit. cùm jubet advenire aliquem, neque nomine deſignat, plures ſibi famulos innuit: cujus vanitatis habes exempla apud Athenæum: quod autem ſtatim iraſcitur, facit quod delicatuli ſolent.

Turgeſcit vitrea bilis.) iraſcitur. M. Tullius ex Homero,

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris.

Græci uno verbo ὀργᾷν. Stoici iracundiam definiunt, iram turgeſcentem. χόλος ἐστὶ ὀργὴ οἰδοῦσα. *vitrea bilis*, apud medicos, ὑαλώδης χολὴ & ὑαλῶδες φλέγμα· revera ſplendet bilis ac σίλβει: nec ſine cauſſa Horatius dixit,

——*juſſit quod ſplendida bilis.*

Findor: ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.) Alii codices,

Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas.

ut poëtæ hæc omnia ſint verba obiter increpantis hunc delicatulum juvenem, ſine cauſſa vehementius iraſcentem: ſed omnes membranæ noſtræ habent *Findor*: quare ita hæc diſtingue:

——*turgeſcit vitrea bilis*;

Findor.——

hactenus juvenis: quem irridens ſubdit Perſius, vel qui antè eſt locutus doctor: *ut Arcadiæ pec. r. c.* quaſi dicat: verum eſt quod ais findi te, & ira ſupra modum eſſe concitum: ſic enim clamas, ut aſino rudenti & ὀγκωμένῳ ſis ſimilis: poſtquam dixit turgeſcere ſibi bilem, merito ſubjicit, *findor*: hoc eſt, ῥήγνυμαι τῷ χόλῳ καὶ λακῶ.

Arcadiæ pecuaria.) Luithprandus Hiſtoriarum libro primo cap. XI. *Uxor tua quia regem noluit, aut ut magis credendum eſt, non potuit, aſinum te ne mentiretur effecit, dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad præſepe declinare coëgit.* de Aſinis Arcadiæ Varro, Plinius & Græci.

Rudere credas.) Membranæ *dicas*. Auſonius: *aſinos quoque rudere dicas.*

Jam liber & bicolor poſitis membrana capillis, Inque m.) Deſidiam in ſurgendo & mollitiem notavit: nunc lentitudinem in ſtudendo, & λιποπονθυμίαν carpit. Per iſta autem quæ fieri vulgò ſolent à pueris apud magiſtrum, intelligi debent omnia quæ prætexere moris eſt juventuti diſſolutæ & ſtudia literarum faſtidienti. Sanè juvenes quos alloquitur, non erant id ætatis, ut iſta dicerent puerilia: ſed Perſius hoc ſignificare voluit, quæcunque tandem eſſent quæ ad velandam ignaviam aſſerri ſolent, tanti facienda eſſe quanti iſta puerorum nugatoria. Membrana utebantur pueri in ludis non ceris & ſtylo: quæ tamen expeditior ſcribendi ratio erat, ut obſervat Quintilianus in x. cap. III. erat autem membrana in qua ſcribebant bicolor: alba ab interiore parte: ab altera in qua fuerant pili crocea, Juvenalis, ſatira ſeptima,

——*atque ideo crocea membrana tabella*
Impletur.——

cave confundas hanc membranam cum ea pelle qua libros operiebant: *capillos* poëta καταχρηστικῶς poſuit de pilis: pumice poliebant non ſolùm opercula librorum, ut apud Catullum, & alios. ſed etiam membranas uti videtur, in quibus ſcribebant; itaque cum atramento, calamo & cultello, pumicem ad manum habebant ſemper, qui membrana aut charta utebantur: ſed is pumex præcipuè ad exacuendos calamos erat illis uſui. Vetus poëta in ſuppellectile notarii enumeranda, Florilegii Græcorum libro VI. capite εἰς ταχυγράφον:

Καὶ λίθον ὀκριόεντα, δόναξ ὅθι δισσὸν ὀδόντα
Θήγεται, ἀμβλυωθεὶς ἐκ δολιχογραφίης.

(*Et lapidem aſperum, ſive pumicem, quo calamus bidens, vel biſidus, cùm ex multâ ſcriptione obtuſior factus eſt, acuitur.*)

item alii poëtæ illo loco.

Craſſus calamo quod pendeat humor.) quod atramentum nihil notet calamo per membranam ducto: quod accidit vel atramenti vel calami vitio: hic ſi parum fiſſus: illud ſi fuerit craſſius.

Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha.) quia ſepiæ ſuccus Græcis μέλαν Latinis atramentum dicitur, μεταληπτικῶς ſepiam poſuit pro atramento librario: quod tamen è ſepiis non fiebat, ſed è fornacium balinearumque fuligine. Plinius lib. XXXV. cap. V. & fusè Dioſcorides extremo libro quinto. Afros verò è ſepia ſibi atramentum ſolitos parare auctor vetus interpres. Atramenti vitium duplex, ſi vel pinguius ſit juſto, vel nimis dilutum: utrumque vitium tangit Perſius.

Dilutas querimur geminet quod fiſtula guttas.) non eſt aliud atramenti vitium ab eo quod jam dixit, ſed eſt vitii ejus effectus: guttam appellat heic Perſius illud atramentum quo charta notatur in membrana. *geminat* autem *guttas* calamus, cùm liquidius fluit atque uberius quam par ſit: *fiſtula* ὁ δόναξ, ὁ κάλαμος: omnia anguſta cum

in

in longum producta sunt Græci αὐλοὺς Latini *fistulas* vocitant: sic *fistula cibalis* & *spiritalis* apud Lactantium De opificio Dei.

Huccine rerum Venimus?) eone deliciarum pervenisti, & eo recidit spes quam de te parentes & præceptores conceperant?

At cur non potius, teneroque columbo, Et similis regum pueris, p.) Si ita animo es averso à studiis, ut nugarum prætextu ea deseras, cur animi sensum dissimulas? cur amorem virtutis professus es, cum philosophiæ operam dare cœpisti? cur non potius voluptatibus, quando illas tanti facis, te immergis & virtuti palàm renuntias? tum tu non in schola apud philosophum durè & asperè educaberis: sed domi in summis deliciis, more columborum, quos puellæ magna cura alunt: & more etiam puerorum regum, qui ad omnem τρυφὴν à tenera ætate instituuntur: adeo quidem ut ipsis persæpe nutricibus suis morositate sua negotium facessant: modo aliquid petentes quod non oporteat, modo aliquid rejicientes secus quàm oporteat.

Tenero columbo similis.) Columbos olim impenso studio viri fœminæque alebant: quod ex Theophrasti Characteribus, Athenæo, aliis constat: notum verò hanc avem Veneri sacram esse habitam: quare inter blanditias amantium fuit & columbi appellatio, ut apud Catullum, vel palumbuli, ut in x. Apulei. Persius verò illo loco mollem institutionem & voluptuariam denotat; qualis ea est, quam πλουσιακὴν ἀγωγὴν Marcus Antoninus appellat initio librorum suorum. ita enim scribendum non διαγωγῆς.

Et similis regum pueris.) Puta alicujus Sardanapali, ut ait Theano in epistola ad Eubulam: de qua mox dicemus: quia pessima horum est institutio, propterea veteres παρθιμιωδῶς de corrupto deliciis, aut de intemperante dicebant, *est similis filiis regum.* Dio Chrysostomus in una earum quas pro se habuit: πολλοὶ καταγέλων τῆς πόλεως διαφθείρουσι οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην τῶν παίδων τῶν βασιλέων.

Pappare minutum poscis.) cur non poscis ut cibus probe mansus à nutrice in os inferatur tibi? hoc solet fieri in anniculis infantibus, aut non multò majoribus: sed regum pueri, hoc est, delicatuli pueri etiam grandiores obtinere volunt omnia, quæ recens natis fierent: quid mirum de istis? nam eò deliciarum & viros quosdam venisse legimus, ut dicerent labori sibi esse, cibum dentibus comminuere ad edendum. Beatus Chrysostomus multorum querelas hujusmodi sibi ipsi esse auditas scribit, homilia XIII. in eam ad Romanos: ἂν μὴ βουλώμεθα, inquit, καὶ τὰ ῥᾷστα φορτικὰ ἡμῖν φανεῖται· τί γὰρ φαγεῖν ῥᾷον; ἀλλ' ὑπὸ πολλῆς βλακείας πολλοὶ καὶ αὐτὸ τοῦτο δυσχεραίνουσι. πολλῶν γοῦν ἀκούω λεγόντων, ὅτι καὶ τὸ φαγεῖν κάματος. convenit istis non malè versus Lucilii, *Quàm fastidiosum ac vescum cum fastidio edendi vivere:* non dissimile est quod in descriptione pigri positum est à Salomone, Proverbiorum cap. XXVI. adeò illum ab opere abhorrere, ut pro magno labore ducat, manum ad os admovere. Sed huic loco longè simillimum est quod apud vatem divinum & verè sublimem Isaiam observabamus, capite tertio: nam sicut heic Persius ut delicias exprimeret molliculorum juvenum, ait illos *pappare minutum poscere*, id est, infantium tenellorum mores imitari: sic Hebræus scriptor, ut mulierum τρυφὴν ob oculos poneret, ait inter cætera: הלוך וטפוף תלכנה ad quorum verborum singularem cum pari emphasi venustatem non aspirat linguæ Latinæ egestas. Græcè dixeris ad verbum ἐν τῷ βαδίζειν καὶ νηπιάζειν βαδίζουσιν: hoc est, sic incedunt quoties per vicos ingrediuntur, ut infantium parvulorum imitentur incessum: id enim significat טפף quod pulcerrimum est verbum; πάππα Græcorum infantibus idem quod nostris hodie: & παππάζειν etiam apud Homerum vox infantilis, pro *patrem vocare*: apud Romanos aliter. Varro Catone, vel de liberis educandis: *cùm cibum ac potionem buas ac papas dicunt, & matrem mammam, patrem tatam*: inde *pappare* pro cibum poscere: vel etiam pro edere: Plautus in Epidico:

Novo liberto opus est qued pappet. ——

ita heic Persius accipit: *minutum* si cum *pappare* jungas, erit λεανθὲν, μασηθὲν, mansum, & alienis dentibus comminutum: ut solus supersit labor deglutiendi: sin conjungas cum verbo, non inelegans fuerit τοῦ κλαυθμυρισμοῦ periphrasis, *poscere minutum*: nam *poscere* omnino heic significat, querula voce ac lamentabili postulare, qui est infantium κλαυθμυρισμός. Plutarchus in v. Symposiacorum: τὰ βρέφη ψωμίζουσιν αἱ τροφοὶ ἕως ἂν ἐκεῖνα κορεσθῶσι καὶ κοιμίσωσι παυσάμενα κλαυθμυρισμόν. (*nutrices ingestis in os offulis infantes cibant, donec illi satiati, & à quiritatu cessantes, planè sopiti fuerint.*) Extat fragmentum epistolæ Theanus Pythagoreæ quam scripserat de recta liberorum educatione, ubi pleraque exponuntur argumenta corrupti indulgentia pueri: omnium autem primum est hoc: σὺ δ' οἷον Σαρδανάπαλλον γεννᾷν θέλεις τὰ τέκνα, τὴν τῶν ἀρρένων φύσιν θρύπτουσα ταῖς ἡδο-

ἢ δειμῶς. τί γὰρ ἂν ποιήσειέ τις παιδίον ὃ ἂν μὴ τάχιον φάγῃ κλαίει; deinde, κἂν μὴ μασσᾶται δυσκολαίνει. (*tu verò liberos tuos ac si Sardanapali proles essent educas, masculam naturam voluptatibus & deliciis frangens: quid enim illo fiet infante, vel puerulo, qui nisi illicò quod edat, habeat, plorat? qui nisi mansum sit quod offertur, morosulus indignatur?*)

Et iratus mammæ lallare recusas?) Inter alia argumenta delicatæ morositatis infantium, quos nimia indulgentia corrupit, est illud, quod facilè irascuntur: quod vitium ab eo principio contractum, in reliquam durat ætatem. Seneca De ira libro secundo cap. XXI. *Nihil magis facit iracundos, quàm educatio mollis & blanda: ideo unicis quo plus indulgentur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est:* ideo ait Persius, *iratus mammæ*, hoc est, matri: ut in superiore loco Varronis: vel aviæ, aut nutrici: nam variè hanc vocem usurpabant, ut & Græci suam μάμμη. Irati autem infantes *lallare recusant*, hoc est, dormire nolunt, cum eos sive mater, sive nutrix in cunis collocatos, provocat ad somnum cantillando: propriè *lallare* nutrix dicitur quæ neniam canens puerum demulcet, ut somnum ei conciliet. Exponunt hunc locum quæ scripsimus ad Theophrasti characterem λαλιᾶς: quæ petat inde si quis volet.

An tali studeam calamo?) Notat pertinaciam desidiosæ juventutis, quæ objurgata responsat, & culpam excusare mavult, quam mores mutare: quod non prætermisit Theano: κἂν ἐπιλημμᾶ τις αἰτιᾶται. Horatium autem imitatur ut antè diximus.

Cui verba?) Putas te mihi verba dare posse? ipse tibi facis injuriam non mihi.

Quid istas Succinis ambages.) *Canere* ut Græcis ᾄδειν, est idem sæpe repetere: *succinere* heic ad vocem monentis eadem sæpe respondere: de tibia succentiva & incentiva, amabo, omittamus: alienissima enim sunt huic loco. *Ambages* sunt quæ Aristoteles vocat τὰ κύκλῳ: cùm non dicitur res ipsa, sed aliud quid ejus loco.

Tibi luditur.) Ad te non ad me aleæ hujus damnum spectat: rectè vetus interpres, te ipse illudis.

Effluis amens.) Sic legendum non & *fluis*: allegorica locutio est, quam sequentibus versibus persequitur: comparat juvenem mollitie depravatum, cum vase fictili, multis modis corrupto, primum hoc est quod effluit: quod non accipiendum ut apud Terentium, *plenus rimarum sum*, de eo qui linguam nesciat tenere; sed ἁπλῶς, de eo qui fit moribus depravatis, & voluptatibus diffluat: nam ita Græci Latinique loquuntur: passim legas in Cicerone *liquescere fluereque mollitie:* & *liquefacere voluptatibus:* quod Græcis est τήκειν, inde *fluidi* οἱ ἡδονικοὶ apud Senecam, & id genus plurima. In septimo Joannis Saresberiensis alia textura est horum versuum: sed ab illo profecta, non à Persio: Convenientissima autem comparatio hominis cum vase testaceo. Lege Chrysostomi sextam homiliam in posteriorem ad Timotheum.

Contemnere.) Et hoc ab Horatio sumit: ejusdem sententiæ est apud Epictetum in Enchiridio: λήσεις σεαυτὸν οὐ φρονήσας, ἀλλ' ἰδιώτης διαπλέσεις. *Contemnere* autem intellige ex mente Stoici qui loquitur: nempe ob vitia tua: nam alioquin vulgi & malorum judicia aspernantium sæpe virtutem, & eos qui ex virtute vivunt, contemnenda esse docent Stoici & omnes sapientes. Multa in eam rem præclarè M. Antoninus lib XI. tangit & Seneca epist. XIV.

Sonat vitium percussa, maligne Respondet viridi non cocta fidelia limo.) Pergit vasis fictilis vitia describere: quæ omnia ἀλληγορικῶς dicuntur de juvene corrupto. Notabilis verò in his verbis ταυτολογία: nisi eam commendaret, nedum excusaret, quod dicuntur hæc ab irato: amant verò irati sæpius idem repetere, βαττολογοῦντες ἅμα καὶ ταυτολογοῦντες: igitur, *sonare vitium*, & *maligne respondere* annon idem sunt? utique: nisi ita legas & interpreteris, ut mox dicemus: item *fidelia viridi limo* & *fidelia non cocta* quid admodum differant nullus video: nam ideo viridis limus dicitur, quia non est probe coctus, nec quantum postulabant rationes figulinæ artis. *Limum* pro argilla posuit.

Sonat vitium.) σαθρὸν φθέγγεσθαι Platoni in Theæteto: cui opponit ὑγιὲς φθέγγεσθαι. In Luciani Parasito legitur σαθρὸν ἀποφθέγγεσθαι, pro σαθρόν. Plutarchus de adulatoribus, σαθρὸν ὑπηχεῖν καὶ ἀγεννές.

percussa fidelia.) Περικρούειν ὄστρακον in Philebo Platonis: Lucianus διακρούειν. κωδωνίζειν Aristophanes in Ranis. Vitruvius libro VI. *tangere*, & *ad crepitum sumere:* ut *crepare* satira V.

——— pulsa dignoscere cantus
Quid solidum crepet.———

Maligne respondet.) Eleganter testa percussa dicitur *respondere*, cum ἀντηχεῖ. Sic Græcis ὑπακούειν. Plutarchus in octavo Symposiacorum, problemate III. τὰ ἀγγεῖα τὰ κενὰ πληγέντα μᾶλλον ὑπακούει ταῖς πληγαῖς, καὶ τὸν ἦχον ἀποτείνει μακρόν.) *Vasa vacua percussa magis ictibus respondent, & sonum longius*

longius producunt.) quod in genere dictum est, *vitium sonat*, ἰδικῶς explicatur cùm ait, *maligne respondet*: & fortasse scribendum *respondens*: sonus integræ & vitio carentis testæ est ὀξὺς καὶ τορός ut dicitur in Græcorum commentariis de re rustica, libro VI. cap. III. at rupta testa sonat *maligne*, hoc est, parvum sonum: sic *lux maligna* apud Virgilium.

Udum & molle lutum es.) Usitatum est Romanis convitium in hominem nequam: *lutum es.* Lucilius, *Nil parvi ac pensi utiliter edoceas lutum.* Βιωφελὲς οὐδὲν πηλὸς ὅτῳ ἂν μάθοι: sed non ita heic accipit Persius: pergit enim in eadem allegoria ab arte figulina: *lutum* igitur est terra fictilibus apta, sed adhuc rudis. Tibullus:

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.

Cicero in Pisonem: *quid cessat homulus ex argilla & luto factus Epicureo?* ἀπηργελκῶς vero denotatur ea voce indoles juvenis melioris cultus capax, sed nondum exculta: id enim vult: quemadmodum argilla nisi accedat figuli manus lutum manet: sic adolescentes quantumvis εὐφυεῖς: nisi magistris dent operam, manere horridis & incultis moribus: quare subjungit, *nunc nunc properandus*: pulcerrima εἰκών, quod fateantur vel osores hujus viri divini: sed quæ non per omnia respondeat: nam argilla cùm infecta manet, caret culpa: homo non plane, qui à natura igniculos omnium virtutum accipit, quos nisi excitet, & illuc eat quo melior natura eum ducit, vituperatione dignissimus est.

Nunc nunc properandus & acri Fingendus sine fine rota.) cur *nunc nunc*? quia etsi nulla ætas ad discendum sera: juventus tamen tenera adhuc & uda ut sic dicam, capiendis habilior disciplinis. Seneca epistola XXV. *Quadragenarium pupillum cogitas sub tutela tua continere? respice ætatem ejus jam duram & intractabilem: tenera finguntur*: similia his Plato in secundo de Rep. Gregorius Naz. de educatione sua parentum cura:

Τοῖς μὲν ἐγὼ ἁπαλὴν πλάσθην φρένα καὶ νεόπηκτος
Οἷα τυρὸς ταλάροις λάμβανον αἶψα τύπον.

(*Ab his tener animus meus effictus est, & ut recens caseus quasilli formam citò sumsi.*)

idem alio carmine:

Οὕστινας ἤθεα κεδνὰ διαπλάσσουσιν ἄριστοι
Ὡς τυρὸν πλεκτοῖσιν ἐεδόμενον ταλάροισι.

(*Quibus mores verecundos optimi formant, non aliter ac caseus textilibus quasillis efformatur.*)

Plutarchus de liberorum institutione; ἐξ ἀρχῆς τοίνυν τὰ τῶν τέκνων ἤθη ῥυθμίζειν προσήκει· εὔπλαστον γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης, καὶ ταῖς τούτων ψυχαῖς ἁπαλαῖς ἔτι τὰ μαθήματα ἐντήκεται· πᾶν δὲ τὸ σκληρὸν χαλεπῶς μαλάττεται. (*Statim ab initio liberorum mores concinnandi sive componendi sunt: mollis enim juventus, & formari facilis: & disciplinæ teneris adhuc animis infusæ hærent: at quod semel induruit, non facilè impressionem capit.*) Planè idipsum dicit quod significare voluit heic Persius; etsi aliunde petitum est Plutarchi simile. Atque hanc ob causam eruditio Græcis παιδεία est appellata, ut vel ipso nomine monerentur patres ne liberos suos, id est, παῖδας sinerent ἀπαιδεύτους, & expertes disciplinarum. Jamblichus in Pythagoræ vita: ὁ πατὴρ τοὺς παῖδας περὶ τὴν παιδείαν τὴν ἐπώνυμον τῆς ἐκείνων ἡλικίας κελεύοι σπουδάζειν. *Properandus* autem & *fingendus* idem ac si diceret properè fingendus: ut in Aulularia Plauti, *vascula intus propera atque elue*: id est, propera eluere.

Properandus.) Juvenalis:

Argillam atque rotam properare.——

sed paullo accipit aliter.

Fingendus sine fine rota.) perstat in allegoria. sic autem & πλάττειν Græci de institutione usurpant: & Latini *fingere*. Silius Italicus lib. IV.

Atque his præformat dictis fingitque monendo.

τὸ *sine fine* valet sine intermissione, & continua opera.

Sed rure paterno Est tibi far modicum.) desidiosos, & in studiis segnes hactenus carpsit: nunc aliud pus attingit: fastum & fiduciam quam concipiunt liberi ex opibus & nobilitate parentum ac majorum suorum; *far modicum* πλοῦτος ἀνήροτος.

Purum & sine labe salinum.) partæ sunt mihi opes virtute meorum majorum: quas non metuo ne quis mihi casus auferat: sunt enim bonis artibus quæsitæ; sali vis inest contra putredinem: inde purum vocant poëtæ, unde illud Catulli *purior salillo*: ita autem de opibus suis loquebantur præfiscini: vetus poëta,

Est mihi rus parvum, fœnus sine crimine parvum.

Quid metuas?) & hic versus sub adolescentis persona pronuntiatur: quid aliquis metuere debeat, cui hæc sint ad manum præsidia? planior lectio sit, *Quid metuam?* sed aliter scripti libri. possunt & Stoico ascribi, διὰ μέσου orationem juvenis interfanti.

Cultrixque foci secura patella.) hæc superioribus connectenda: ostendit eo majorem sibi esse fidem, quod & justè opes suæ fuerint partæ & superi diligenter ex iis culti: quod ab uno ge-

nere

nere pietatis indicat: id autem est, libationes illæ rerum mensæ appositarum, quæ in patellam fieri solitæ, & ita in focum deferri, atque ibi adoleri: notissimus mos poëtis aliisque scriptoribus: hæc patella videtur servari solita in foco: ut propterea dicatur heic *cultrix foci*: vel accipe simpliciter pro θεραπαινίς, cum vetere interprete: ait autem *secura*, quia non sit metus ne vel propter inopiam, vel propter irreligiositatem deficiat quod in patelam conjiciatur.

Hoc satis?) Quid ais? inquit Stoicus doctor: an nescis bonorum tria esse genera, animi, corporis, fortunæ: è quibus animi bona ita excellunt, ut sola dici verè bona mereantur? tune igitur adeò amens, ut fortunæ munera, quæ an in bonis censenda sint non convenit inter sapientes, ad beatè vivendum putes tibi esse satis? ita exponi debet τὸ *satis*: Stoici enim ad finem omnia referunt, ut sæpe monuimus: quare *satis esse* heic valet, pro summo bono censeri.

An deceat pulmonem rumpere ventis St.) an sapienter facis quod propter nobilitatem generis tui attollis spiritus? *ventos* appellat quod usitatius dicunt spiritus: Græci φύσημα & ὄγκον· sic spiritum quoque illum quem anhelando ducimus vocant ventum optimi scriptores Latini: *rumpere* heic, est, implere supra modum: sic in v. *rumpere buccas*: id est, implere ac φυσᾶν· ita *rumpere horrea.* Sidonius Apollinaris, libri primi epist. VIII. *innumeros cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt.*

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis) quod genere ortus es adeò vetustæ nobilitatis, ut millesimus sis à primo parente qui in stemmate tuo collocatur, ait *Tusco*, quia antiquissimarum Romæ familiarum pars maxima ex Etruria venerant: *ramus* est familiæ soboles ex stirpe deducta: vel successor in recta linea: Gregorius Nyssenus Περὶ θεότητος υἱοῦ καὶ πνεύματος, loquens de Isaaco à patre sacrificando: ὁ τῆς διαδοχῆς ὁ κλάδος· *millesime* & sequente versu *trabeate* vocandi casus pro nominativo: quod poëtis familiare Græcis ac Latinis, ut pridem observatum eruditis.

Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?) Scribendum. *Censoremne tuum*: quò enim duplex disjunctiva? ὀνῶς· vel eone tibi places, quod ortus es genere equestri? equites in transvectione trabeati censorem præteribant ac salutabant: de eo more omnibus & pueris noto, cur plura heic dicamus caussæ non est: neque enim Romanarum rerum commentarios scribimus: sed Persium interpretamur; poëtam haut quaquam adeò facilem, ut interpretem suum occupare nequeat.

Ad populum phaleras: ego te intus & in cute novi.) A fortunæ aut corporis bonis revocat juvenem φρονηματίαν ad vera bona: animi nempe, quæ intus latent. Si nihil aliud, inquit, habes quo glorieris, præter *phaleras*, hoc est, bona, aut corporis, aut externa, quæ fortunæ vocant, abi & populo tua illa bona jactato: ille plaudet tibi, & te mirabitur: ego miserabor potius, & infelicem putabo: cur autem? quia vera felicitas in animi bonis est posita: quo genere bonorum parum te esse instructum liquidò constat mihi: novi enim quam sis *Introrsum turpis, nequicquam pelle decorus.* Inter ornamenta virorum fortium fuerunt phaleræ, ut omnes sciunt: hæc qui erant consecuti cùm insolentius jactarent, proverbiali locutioni locum fecerunt: qua res inanes & fastuosæ appellantur phaleræ: sic & Græci loquuntur. Plutarchus de amore divitiarum: τίνι τῶν καλῶν τῆς ἀρετῆς τὰ τοῦ πλούτου φάλαρα ταῦτα καὶ ἐπιδέρραια καὶ θεάματα κορασιώδη παραβαλεῖν ἄξιον; (*cui bonorum illorum quæ virtutis sunt propria; phaleræ istæ divitiarum, & monilia, & id genus alia, quibus puellarum oculi maximè tenentur, comparentur?*) Ubi vides in gemina sententia idem verbum positum: unde etiam intelligimus quantum illi observationi tribui debeat quæ phalerarum heic docet ideò fieri mentionem, quia sermo sit de equite: nam profectò apud Plutarchum cessat illa ratio.

Non pudet ad morem discincti vivere nattæ.) Novi te inquam, & quæ sit tua vita, qui mores: nempe vitiis obnoxius vivis, non secus ac natta aliquis & bambalio: nihilne te pudet generis nobilitatem parum honesta vita inquinare? *nattæ* semper in membranis: & ita in Pinariorum nummis, qui hoc cognomen tulerunt: propriè sic vocabant qui sordidas artes exercebant, ut fullones, & βυρσοδέψας: origo vocis Græca, ut sciunt eruditi: posteà ad animum transtulêre & vitæ dissolutæ homines atque inhonestæ ita dixerunt, qualis fere est vita pullatæ turbæ, & eorum quos discinctos Latini, Græci ἐκλύτους vocant: heic verò is intelligitur, quem philosophus ἀκόλαστον vocat. Zonæ usus apud veteres indicium faciebat emendatæ vitæ & sobriæ: ideo Chrysostomus in Matthæum, de seculi sui mollitie queritur, quo servata paucis antiqua disciplina.

Sed stupet hic vitio, & fibris increvit opimum Pingue:) Juvenem ferocientem ob splendorem generis & divitias, nattæ alicui similem dixit propter

pter animi vitia, superiore versu: nunc probat, in paritate vitiorum, non parem esse utriusque conditionem: sed longè hunc quam illum esse infeliciorem: rationem affert, quia ille quidem sensum nullum habet suæ miseriæ: hic vero sentit malo loco se esse, & ubi tandem vitiis penitus succubuerit, feræ pœnitentiæ cruciatum intolerabilem non effugiet. Ex his clarum, *nattam* quem vocat Persius, eum esse, quem ἀκόλαστον sive intemperantem philosophi dicunt: *juvenem* esse quem illi ἀκρατῆ & incontinentem: uterque horum malus est: sed magna inter utrumque differentia, ut philosophus in Ethicis docet, & heic Persius explicat: ambo voluptatis mancipia sunt: verùm ita, ut sine ullo sufflamine ruat ad fruitionem voluptatum intemperans: cùm neque cogitet de virtute quicquam, neque sciat malè agere se, quasi penitus esset in eo extincta ratio: quare Aristoteles hunc natura peccare dicit, in II. Nicomacheorum: Philo Judæus ζῆν κατὰ γένεσιν, quod pluribus explicat in libro de herede rerum divinarum: alter ille contrà, repugnante intus ratione peccat, & sciens prudensque flagitium admittit: prava consuetudine, ut ait philosophus, ad peccandum illectus, non ignoratione virtutis. Philo Judæus incontinentem velut in medio collocat, ejus quem ait ζῆν πρὸς θεὸν, qui est Stoicorum sapiens: & eum qui ζῇ πρὸς γένεσιν, ut modò dicebamus: tria enim hæc vitæ genera ibi ab illo proponuntur. Uter igitur horum deterior? videtur Persius intemperantem præ incontinenti pene μακαρίζειν: cùm tamen variis locis pronunciet philosophus, pejorem longè esse intemperantem: ut qui naturæ vitio peccans sanari & revocari ad frugem nequeat: φαυλότερος, inquit, in II. Nicomacheorum, ὁ ἀκόλαστος τοῦ ἀκρατοῦς: δυσκινητότερον γὰρ τὰ φυσικὰ τῶν ἐξ ἔθους γινομένων: de hoc & Philo aliis verbis dicit idem: τὸ πρὸς γένεσιν ζωῆς γένος οὐδ' ὅλως ἀνέβη, οὐδ' ἐζήτησεν ἀναβλέψαι, φωλεῦον δὲ μυχοῖς ἀδύτοις τῷ ἀβιώτῳ βίῳ χαίρει. (*Vitæ genus vitiosum quod est à naturâ, neque emendatur; neque de emendatione laborat; sed intimis latebris conditum, vitâ quanquam non vitali verè, gaudet.*) Sed hoc Persii sententiæ nihil obstat: qui & ipse suum nattam, id est, intemperantem, facit insanabilem luculentis versibus: qui est infelicitatis summus apex: verùm eò solum nomine, quod infelicitatis suæ sensum iste nullum habet, jure Persius mitius cum ipso agi pronuntiat, quàm cum incontinente: quem assidua primum cum vitiis pugna habet exercitum: deinde post admissum flagitium dolor ex pœnitentia urit incomparabilis. Amplius observandum est, eum incontinentem, de quo Persius loquitur, non planè eundem esse cum eo de quo Aristoteles: nam is de quo philosophus, inter virtutem ac vitium ita nutat, ut spes supersit posse eum transire ad meliora: τὸ γὰρ ἔθος, inquit, ἄλλῳ ἔθει ἐκκρούεται. (*Consuetudo aliâ, sive contrariâ, consuetudine expellitur.*) At Persius, de eo sentit, qui in illa fluctuatione consenuerit, & in vitiis perduraverit: quod genus hominum altero pejus esse etiam literæ sacræ pronuntiant: de his Galenus in XI. de usu partium, τούτους, ait, ἐλεεῖν ἄξιον. (*horum misereri æquum est.*)

Sed stupet hic vitio.) *Stupere* Latinis est ἀναισθητεῖν. Intemperans *vitio stupet*, id est, ita à vitiis possidetur, ut de virtute ne cogitet quidem: est enim ἀκολασία iis morbis similis qui sensum morbi adimunt, propterea & insanabilis est. Lege Plutarchi libellum, quo morbos animi & corporis inter se comparat: contrarium fit in eo quem incontinentem vocabamus, & in eo quem Stoici proficientem, sive procedentem & προκόπτοντα.

Fibris increvit opimum Pingue.) Ἐπαχύνθη ἡ καρδία αὐτοῦ, καὶ ἀναίσθητος ἐγένετο. Pinguedo sensum adimit: idem igitur dicit ac præcedentibus verbis: *stupet vitio*. Philo Judæus hoc dixit?, αἱ ἡδοναὶ ἀπεψίαν ἐμποιοῦσι ταῖς αἰσθήσεσι. Ausonius: *Ignorat alto mens obesa viscere: pingue* ἡ παχύτης. In Catalectis *Scholasticorum natio madens pingui*: ubi *opimum pingue* valet pinguedo pinguis: quomodo sæpe apud Hippocratem, & Galenum, οἶνος ὁ οἰνώδης.

Caret culpa:) Cur? quia οὐδεὶς ἑκὼν πονηρός, οὐδ' ἄκων μάκαρ, (*nomo volens malus, aut miser: neque nolens beatus*) ut est apud philosophum. Itaque fatis imputabant intemperantiam qualis heic intelligitur. Juvenalis in secunda:

> —— *verius ergo*
> *Et magis ingenuè Peribomius: hunc ego fatis*
> *Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur:*
> *Horum simplicitas miserabilis: his furor ipse*
> *Dat veniam: sed pejores qui talia verbis*
> *Herculis invadunt, & de virtute locuti.*

Geminum huic est illud Domini Jesu in IX. Joannis, εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν: & Menandri illud, ὁ μηδὲν εἰδὼς μηδὲν ἐξαμαρτάνει. (*Qui nihil novit, nihil peccat*:) & quod modo ex Galeno afferebamus, commiseratione hominum esse istos dignos.

Nescit quid perdat.) Omnino pauci hominum sciunt, quid perdant, cum virtute relicta vitium sequuntur. Jamblicus in Protreptico de simili

hominum

hominum genere loquens: ὅτι, inquit, πεσόντι μᾶλλον εἰσὶν οἷοις ὐκ οἴονται, ὅτι ὐχὶ οἴονται ἀγνοῦσι γὰρ ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν. Lege Philonem περὶ μέθης.

Et altò Demersus, summa rursus non bullit in unda.) hoc illud est quod ait Aristoteles, intemperantem nulla unquam tangi pœnitentia: & propterea sanari non posse. ἀνάγκη, inquit, τὸν ἀκόλαστον μὴ εἶναι μεταμελητικόν· ὥστ' ἀνίατος. Persius igitur eum comparat cum homine submerso, qui nunquam emergit, sed funditus perit: hanc sententiam adfini similitudine illustrat & pluribus verbis persequitur Philo Judæus, in libro Ὅτι τὸ χεῖρον, &c. χαλεπὸν διοιχθῆναί τε καὶ ἀνευρυνθῆναι τὰ τῶν αἰσθήσεων σόμια, ὡς ἀχανέσιν αὐτοῖς τὴν τῶν αἰσθητῶν φορὰν ποταμοῦ πλημμύροντος δίκην ἐπιχεῖσθαι, μηδενὸς τὴν βίαιον ὁρμὴν ἀνωθοῦντος· τότε γὰρ ἰσχαρπασθεὶς ὁ νοῦς πεσόντι κλύδωνι, βύθιος ἀφανίζεται· μηδ' ὅσον ἀνανήξασθαι καὶ ὑπερκύψαι δυνάμενος. (*Grave est aperiri dilatarique ora sensuum, ut immensum patentibus ipsis sensibilia more fluminis exundantis infundantur, obice nullo repellente violentum impetum: tunc enim mens tantis undis obruta in profundum mergitur, ut ne enatare quidem possit, aut saltem caput exerere.*) nec semel alibi apud elegantissimum illum scriptorem legas τὸν τῶν αἰσθητῶν ποταμόν. (*sensibilium fluvium.*)

Demersus.) βεβαπτισμένος. sic loquitur Gregorius Thaumaturgus in gratiarum actione ad Origenem: cùm præceptorem qui ab errore suos reducit, ait τοὺς βαπτιζομένους ἀνιμᾶσθαι. (*immersos extrahere.*) Simile est apud Joannem Chrysostomum, εἰς αὐτὸν τὸν πυθμένα τῆς κακίας καταπέπτωκεν, in posteriorem ad Timotheum.

Summa rursus non bullit in unda.) non emergit. Philo modò ἀνανήξασθαι & ὑπερκύψαι dicebat. Dio Chrysostomus ἀνακύψαι eodem sensu, in IV. de regno: εἴπως δύναιτο κινηθεὶς ἀπὸ τοῦ τύφου καὶ τῆς δόξης μικρόν τι ἀνακύψαι. ubi scribi malim κινηθείς: *si fortè levatus typho & gloria, possit pauxillum emergere*: est enim Dioni ἀνακύψαι quod Persio, *summa bullire in unda*, hoc est, extare & respirare ex aquis: hoc simile à Stoicis suis mutuatus est Persius: nam illi plurimum eo usi. M. Tullius in III. de finibus, ex Græcis Stoicis: *ut qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si longè non absunt à summo, ut jam jamque possint emergere, quam si etiam tunc essent in profundo*: &c. *bullire* Persius posuit pro ebullire.

Magne pater divûm, sævos punire tyr.) stupori & ἀναισθησίᾳ nattæ opponit acerrimos cruciatus quos tolerant ii, qui virtutem cognitam habuerunt, nec usi sunt tamen: hos verò tantos esse ait, ut immanissimorum scelerum reis nullum possit optari majus tormentum pro pœna, quàm sit ille cruciatus. Augustinus libro De magistro, capite nono, *Persius omnibus pœnis quas tyrannorum vel crudelitas excogitavit, vel cupiditas pendit, hanc unam anteponit, qua cruciantur homines qui vitia quæ vitare non possunt coguntur agnoscere.* Videtur Persius ad locum Platonis respexisse in Gorgia, ubi ait, in animis defunctorum tyrannorum vibices extare testes eorum scelerum: itaque Radamanthum in Orco cùm illorum videt τὰς διαμεμαστιγωμένας ψυχὰς & οὐλῶν μεστὰς, inde conjecturam facere de ipsorum sceleribus: alludit eodem Epictetus apud Arrianum lib. II. cap. XVIII.

Magne pater divûm.) Lucilius *pater optimus divûm.* vide Lactantium libro quarto, capite tertio.

Haud alia ratione.) quam flagello conscientiæ, & metu qui eam necessario sequitur. Plautus:

Nihil est miserius quam animus hominis conscius.

Petronius: *Dii deæque quàm male est extra legem viventibus! quicquid meruerunt semper expectant.* videtur Boëtius Persii hunc locum imitatus carmine VIII. libri III. Consolationis suæ.

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant:
Et cum falsa gravi mole paraverint,
Tum vera cognoscant bona.

lege autem Juvenalis satiram XIII.

Moverit ingenium.) impulerit ad insigne aliquod flagitium aut scelus.

Ferventi tincta veneno.) tinctura vocatur venenum Latinis, Virgilio, Horatio, Boëtio, aliis: ita dixit Philo, κεχρωσμένην μιάσμασι διάνοιαν, in libro de cherubim.

Virtutem videant, intabescantque relicta.) Virtutis amor à Deo inditus est mortalium omnium animis: qui etsi fraude hostis humani generis pene fuit extinctus, nunquam tamen vitio tantùm fuit, aut erit virium, ut probare se hominibus queat: inde est, quod inveniri paucissimi soleant, qui velint gratis esse mali: aut qui inter scelera & injurias bonitatis opinionem non affectent: quod si qui eo deprehendantur esse ingenio, nemo illos pro hominibus habet, sed omnes quasi feras abominantur. Istæ sunt bonæ mentis reliquiæ, quæ illum in animis nostris cruciatum generant, quo nullum majorem sentiri posse affirmat heic Persius: eadem poëtæ illius mens, qui apud Plutarchum exclamat, in libro De recta poëtarum interpretatione:

Αἲ αἲ τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν,

Οταν τις εἰδῇ τἀγαθὸν, χρῆται δ' μή. (*Heu, malum à numine inflictum hominibus, cùm quis quod rectum est videt, non facit tamen.*) testimonia hujus rei cùm alia in literas relata, tum duo insignia Tiberii, cujus assidua tormenta testatur epistola Tacito & Suetonio ex parte descripta: & Maximi tyranni; ejus vocem refert Sidonius Apollinaris libro II. epist. XIII. *Felicem te Damocles, qui non uno longius prandio regni necessitatem toleravisti!*

Virtutem videant.) ut Medea apud Euripidem, & alios poëtas. Ovidius:

——video meliora proboque,
Deteriora sequor.——

Intabescantque.) imitatur Ovidii versum de vera invidia in II. Metam.

Sed videt ingratos intabescitque videndo
Successus hominum.

Relicta.) integrum non est ad virtutem relictam semel remigrare, ut de Dionysio tyranno loquitur Cicero: quoties amori virtutis obsistit vis major cupiditatum, & ille quem vocat Philo τὸ αἰσθητῶν ποταμόν.

Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci.) maxima quæque tormenta præ flagello conscientiæ sunt levia: hinc æstimari potest ejus magnitudo. Perilli & Phalaridis itemque Damoclis historiæ notissimæ sunt.

Purpureas subter cervices terruit.) Damoclis: qui tricliniari veste amictus pretiosissima accumbebat: principum autem cœnatoria præstantissimi coloris erant, putà purpurea aut hyacinthina, aut alius similis è nobilioribus: sed disertè testantur veteres, Damoclem hunc muricis Tyrii conchyliato indutu fuisse ditatum: cave aliter interpreteris heic τὸ *purpureas*.

Intus palleat.) mira locutio: nam pallor intus esse non potest: sed unum verbum duorum loco posuit: intus timeat, & foris palleat.

Quod proxima nesciat uxor.) Juvenalis.

——conscius & cui fervens
Æstuat occultis animus, semperque tacendis.

sed quod ait Persius de uxore propriè locum habet in adultero, cujus tormenta depingit Chrysostomus homilia XXII. in priorem ad Corinthios.

Sæpe oculos memini tingebam parvus olivo) Nihil familiarius juventuti, quàm ut peccata sua defendat exemplis: nam illa potissimum ætas licere sibi putat, quicquid alii sibi permiserint. quare id cavet studiosè Persius in hac satira, ut exempla aliorum juventuti ne noceant, quæ dabat operam philosophiæ. Porrò hi juvenes exemplis corrumpi poterant vel vulgi, vel aliorum sui ordinis ac conditionis: illi, absque ulla institutione liberali soluti agebant: propterea *discincti natta* appellatione eos denotavit Persius: horum pars maxima institutione quidem non carebant, sed philosophiæ tamen studiis non imbuebantur, more plerorumque Romanorum: de his nunc agit Persius: negans eorum exemplo moveri debere juvenes quos alloquitur: quia ne isti quidem sciant quid perdant, sicut de prioribus dictum est: ipsos verò virtutis pulcritudinem admirabilem non ignorare: neque excusari ullo modo posse, si illam non deperierint. Quod autem hic doctor, qui ore Persii loquitur, unum eorum ait se fuisse in juventute, qui temporis jacturam non magni æstimarent: eò videtur spectare, ut hac ratione majorem consilio suo auctoritatem conciliet. Potest etiam simplicius exponi hic locus: ut discipulis suis jam, ut par est, grandioribus & prætextatis dicat hic Stoicus, non debere eos moribus iisdem uti, quibus quondam in grammaticorum & rhetorum scholis essent usi: tunc enim ipsorum socordiæ & negligentiæ in studiis, paratum ab ætate fuisse patrocinium, quando non caperet tenera ætas quantum esset damnum jactura temporis & literarum ac virtutis contemtus: nunc verò postquam philosophiam degustarint, cujus primum & præcipuum caput est, doctrina de fine, aliam ætatem alios mores postulare.

Oculos tangebam parvus olivo.) Ita scribendum est: *tangebam*, inquam, non *tingebam*, quod & membranæ damnant, & vetus interpres, cujus sunt verba: *oculi oleo tacti perturbantur ad tempus*: accedit quod caput est, ratio ipsa, nam tingere oleo, hoc est, linere superficiem ciliorum, adeò oculis non nocet, ut juvet plurimum, firmetque aciem, quare scribit Dioscorides in secundo, olei ὑπάλειμμα valere ad ὀξυδορκίαν: non igitur *tingebam* legendum heic: sed *tangebam*, & de interioris oculi tactu accipiendum.

Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere.) Genus exercitationis fuit veterum rhetorum, ut juberent discipulos stilo complecti verba quæ probabile est dixisse aliquem ex historia notum virum, vel cùm moreretur, vel aliqua alia occasione, quæ sit item ex historia nota. Extant Græcorum μελέται, item versus multi cum hac inscriptione, τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ δεῖνα. de hujusmodi exercitationibus loquitur heic Persius. *Dicere verba Catonis morituri*, est chriam componere

hoc

hoc titulo, πῶς ἂν τὶς ἐπὶ λόγοις ὁ Κάτων πεπηξόμενος.

Non sano multum laudanda magistro.) & grammatici & rhetores cogebantur, vel si natura modesti essent, discipulorum compositiones laudare apud parentes: ut præposteræ illorum cupiditati satisfacerent: quam servitutem illorum miseram in alia re notat eleganter Petronius initio Satyrici: *laudanda* igitur, non simpliciter ἃ ἐπαινετά aut μέμψις ἐπαινεῖν: sed ἃ χρὴ αὐτὸν ἐξ ἀνάγκης ἐπαινεῖν: quæ habet necesse laudare, ne videlicet, ut ait Arbiter, *sine spe prædæ moriatur in scopulo*: sed hanc excusationem non admittit Stoicorum rigor: quibus nulla potest necessitas imponi tanta, quæ à recti tramite deflectere eos cogat: propterea Persius ait, *non sano magistro*: illis enim præter sapientem unum, omnes insani.

Quæ pater adductis sudans audiret amicis.) Tangit satirographus ambitionem patrum, qui filios suos sæpe declamare cogebant, & ad eos audiendos cum amicis corrogatis in ludum veniebant: meminit & Quintilianus libro II. cap. VII. & lib. X. cap. V.

Sudans.) ἀγωνιῶν. explicat Statius in epicedio patris sui:

Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses
Muneris? heu quali confusus gaudia fletu,
Vota piosque metus inter lætumque pudorem.

Jure: etenim id summum, quid dexter senio ferret Scire, erat in voto.) *Jure*, non significat recte hoc factum à Persio: sed valet, convenienter vitæ quam agebat, & fini quem ob oculos propositum habebat. In vita laus præcipua, finem rectum sibi proposuisse, quò referantur facta omnia dictaque: proxima huic laus, constantia, & vita ὁμολογουμένως τῷ προκειμένῳ τέλει (*congruenter fini proposito*:) acta: nam qui summum bonum in voluptate ponebant, & postea quævis pati pro virtute paratos se dicebant, non minus inconstantiæ notati sunt, quàm illi qui virtutem pro scopo sibi proponentes ad voluptatem interdum deflectebant. Persius igitur qui puer summum bonum non aliud agnoscebat præter ludum & jocum: jure serias curas nugis suis postponebat. Vides quàm aptè dogma Stoicum servet philosophus noster: nam qualem quisque finem sibi proposuisset, tales futuras cujusque actiones docebant Stoici. Seneca epistola XCV. *Omnia honestè fient, si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum judicaverimus, quæque ex eo sunt. Ergo infigi debet persuasio ad totam pertinens vitam. Hoc est quod decretum voco: qualis hæc persuasio fuerit talia erunt quæ agentur, quæ cogitabuntur.* Propterea singulas actiones semper ad ultimum finem referri debere scitum est ejus scholæ. Seneca epistola LXXI. *Consilium quemadmodum inveniatur ostendam. Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum voles scire, ad summum bonum & propositum totius vitæ respice: illi enim consentire debet quicquid agimus. Non disponet singula, nisi cui jam vitæ suæ summa proposita est.* & Marcus Imperator disertè negat aliam ad constantiam in actionibus præter hanc patere viam: ᾧ μὴ εἷς καὶ ὁ αὐτός ἐστιν ἀεὶ τοῦ βίου σκοπός, οὗτος εἷς καὶ ὁ αὐτὸς δι' ὅλου τοῦ βίου εἶναι οὐ δύναται· omitto similes locos M. Tulli, Senecæ ipsius, & Græcorum. *id summum erat in votis*, hoc est, τέλος ἔσχατον προὔκειτό μοι τοῦτο.

Quid dexter senio ferret.) puerilem lasciviam describit ab aliquot lusionibus, quæ illi ætati erant familiares: prima est κυβεία. quem fuisse puerilem lusum celeberrimum Spartani Lysandri dictum, & Dio Chrysostomus in quarta de Regno & veteres alii testantur, eò spectat senionis & caniculæ mentio: nam ut quisque talis jactatis senionem miserat, vincebat: sin canem, vincebatur: ideò senionem *ferre* dicit Persius, hoc est, lucrum conciliare: at canem *radere*, id est, damno illato rem minuere: plura de lusu talorum olim ad Suetonii librum secundum notabamus: nimis vero perspicuus eorum error, qui post ista *damnosa canicula quantum*, πλεῖαν στιγμὴν ponendam censuerunt: & verbum *raderet* cum sequentibus junxerunt: quo nihil ἀπρεπέστερον.

Angustæ collo non fallier orcæ.) Hæc secunda lusio puerilis: quæ & ipsa κυβείας erat species: nam talis aut taxillis peragebatur. Pomponius apud Priscianum libro III. capite nono, ut quidem manu exarati distinguunt: *Interim dum contemplor orcam taxillos perdidi*: est igitur *orca* idem ac phimus & pyrgus: quæ sunt talaris lusus voces, apud Græcos & Latinos. Fieri potest ut non alia heic lusionis species intelligatur, quàm ea de qua in præcedentibus versibus: dubito tamen, nec sine caussa: nam potest accipi heic locus de alia lusione quæ Græcis τρόπα dicebatur: cum vel talos vel nuces, vel id genus alia in foramen conjiciebant. Pollux ita describit libro nono cap. VII. ἡ τρόπα καλουμένη παιδιά, γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι' ἀστραγάλων, οὓς ἀφιέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου· πολλάκις δὲ καὶ κάρυοις καὶ βαλάνοις ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ

ἐμβάλλοντες

ῥιπτοῦντες ἰχρῶντο. (*Ludus autem τρόπα dictus; plerumque astragalis fit : quos in foveam de industria ad illos excipiendos factam projiciunt : sæpenumero tamen glandibus & nucibus astragalorum loco ludentes utuntur.*) *angustæ orcæ* dicit, ad differentiam veræ orcæ. ὕρχην Græci, Latini *orcam* vocabant vasa modicæ capacitatis, in quibus salsamenta servabant : mox,

Mænaque quod prima nondum defecerit orca.

similia erant & illa στρόγγυλα κεράμια, in quibus nuces, amygdalas, & id genus alia habebant recondita. Arrianus Dissertat. libro tertio capite IX.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.) Turbo, sive bembix Græcorum, lusio alia puerilis.

Haut tibi inexpertum est curvos deprendere mores:) Ego puer in malo proposito vitæ convenienter vivebam proposito meo : tu cur non idem facis ? nam ignorationem certè prætexere non potes : *haut tibi inexpertum*, hoc est, peritus es, scis: quid autem? non dico bellè declamare, aut versus facere, sed philosophiam quæ docet quid virtus sit; quid vitium : *curvi mores* qui ad rectæ rationis obrussam non sunt exacti : contrà κατορθώματα Stoicis, rectè facta : sic apud Senecam & Plinium *curva corrigere*, pro censorem agere : & apud Græcos σκολιὰ καὶ στρεβλὰ opponuntur κατορθώμασι. iterum in V.

Apposita intortos ostendit regula mores.

Quæque docet sapiens braccatis illita Medis Porticus.) Ita distinguunt membranæ, ut ad sequentia vox *insomnis* pertineat : idque melius : duo enim epitheta eidem subjecto non solent Latini sine copula jungere ; ut docet Servius : porticus Stoica alio nomine Ποικίλη, cujus appellationis caussam ostendit Persius : sed uberius Pausanias & Laërtius. Adhuc temporibus Arcadii & Honorii visebatur Athenis hæc porticus cum suis tabulis : sed Stoicos venerationem ei loco majorem prope quàm superûm templis tribuentes non tulit Proconsul quidam Achaiæ : is locum deturbavit & tabulas abstulit : eoque facto Stoicorum supercilium non mediocriter retudit, ut ait Synesius : *braccatos Medos* qui putant dictos propter usum togæ ποδήρους, velim discant quid inter στολὴν & ἀναξυρίδας aut θυλάκους, (braccas ita vocant comici, & in Cyclope quoque Euripides:) intersit, puerilis est error.

Insomnis quibus & detonsa juventus Invigilat.) juvenes qui in disciplinam Stoicis se dabant, habitum quoque assumebant sectæ convenientem: ideo Marcus Antoninus scribit, se juvenem pro stratis grabatulum & pellem habuisse, & cætera quoque servasse Græcanica instituta: eorum nempe qui à philosophis Stoicis instituebantur, παρὰ Διογνήτου, inquit, τὸ σκίμποδος καὶ δορᾶς ἐπιθυμῆσαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐχόμενα. hanc Ἑλληνικὴν ἀγωγὴν scholæ Stoicæ duabus notis heic describit Persius : à diligentia in studiis, & à tenuitate cultus: scis, inquit, illa quæ docentur in porticu, & quibus *juventus insomnis invigilat* : id est, operam jam multam in studio philosophiæ posuisti sub Stoico magistro, imbutusque es ejus disciplina. λιτότητα cultus verbo declaravit, & *detonsa* : nam Stoici non alebant comam sed strictim tondebant : quod soliti facere frugi homines, & elegantiarum incuriosi, ut dicebamus ad Theophrastum : ita autem sine controversia scribendus hic locus, ut rectè olim judicavit ἄκρος ille παιδείας ἄωτος, Hadrianus Turnebus : neque aliter in antiquissimis membranis Puteani, Bongarsii, & nostris invenimus.

Siliquis & grandi pasta polenta.) tertia nota λιτότητος Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς, victus tenuis : putà, polenta aut secundus panis, & siliquæ leguminum, quod pecoris immundi potius quàm hominum. Lucas Evangelista, capite XV. de filio prodigo, καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν ἀπὸ τῶν κερατίων ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. & Plinius quoque ait, siliquas pabulum esse pecudum gratissimum. Horatius extremam frugalitatem ea voce expressit :

——*vivunt siliquis & pane secundo.*

quem sunt imitati & Persius heic, & Juvenalis in XI.

——*sed laudem siliquas occultus ganeo.*——

Prudentius quoque Cathemerinon hymno III.

Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo,
Paverit innocuis epulis.

omnes hi dubio procul siliquarum nomine legumina intellexerunt, aut leguminum opercula, quæ propriè ab incurvatione levi κεράτια Græcis, Latinis siliquæ dicuntur : in D. Lucæ tamen loco κεράτια aliter accipit Theophylactus : qui de fructu arboris siliquæ interpretatur : quem fructum ξυλογλυκα auctor Glossarii nominat: quia dulcis est, ut etiam Plinius scribit lib. XV. cap. XXIV. Arabs quoque *charnub* interpretatus est : qua voce an siliquas leguminum Arabica lingua, appellat, non facilè dixerim: illud scio, arborem κερατίαν sive siliquam, descriptam à Galeno & Dioscoridi libro primo capite CLIX. in libris medicorum Arabum dici *charnub*. Itali & Galli Arabicam vocem retinent leviter detortam : & litera *n* ademta, quam contra Arabas

&

& Syri multis dictionibus solent adjicere ad legitimas radicales.

Et grandi pasta polenta.) quam Latini *polentam* vocant, Græci scriptores ἄλφιτα appellatione designare solent, quia ex hordeo eam faciebant, ut etiam ex descriptione Pliniana apparet libri XVIII. capite septimo: vulgò farinam hordei vertunt: sed inter polentam sive ἄλφιτα & farinam hordei discrimen erat, quod ἄλφιτα torrebantur, ut docet idem scriptor libro XXII. capite XXV. ex illo cognosces quàm apposité in descriptione Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς polentæ meminerit: non quia panis Græcanicus fuerit polenta: ut quidam scribunt: Romana enim & res est & dictio: sed quia polentam esitabant qui tenuiter vivebant: ut hi philosophi & plerique Græcorum: ait autem *grandi*, quia multo pane vescuntur, quibus solus panis cibus est: sic Juvenalis,

——*grandes fumabant pultibus ollæ.*

hac voce commendat δίαιταν modicè viventium. signum enim est valetudinis bonæ, grandem panis quadram posse comedere: quod non faciant delicatuli isti cum omnibus suis condimentis & gulæ scitamentis.

Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos, Surgentem dextro monstravit limite callem.) aliis verbis id ipsum dicit, quod illo versu dixerat?

Haut tibi inexpertum curvos deprendere mores.

nam bivium virtutis & vitiorum quod literæ Y figura Pythagoras exprimere solitus, non alio spectabat, quàm ut juventus bona malaque nosset: illa ut sectaretur, hæc ut fugeret: ea Pythagoræ acroasis decantatissima est Græcis Latinisque scriptoribus, etiam poëti: & illa ipsa litera Pythagoræ dicta. Virgil. *Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni*: ideò *ramos Samios* dixit Persius: nam Samius est dictus ille sapiens: de quo lege Laertium. *diduxit* scribendum, non *deduxit*: neque enim Latina oratio est *deducere ramos*, pro dividere, & in duos findere. in V. verò, ubi iterum ad hanc acroasim Pythagoricam alludens ait,

Cumque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

etsi rectius omnino scribetur *diducit*: tamen vulgata lectio utcumque ferri potest; quam heic non patitur Latinitas.

Surgentem dextro monstravit limite callem.) imitatur Virgilium:

Nam via virtutis dextram petit ardua callem.

uterque Pythagoricæ imagini de ramis literæ Y miscet doctrinam eodem spectantem de duplici via, cujus auctor primus Hesiodus, deinde Prodicus eam fusius erat persecutus: eò alludit vox *callis*.

Stertis adhuc?) tu qui philosophiæ pridem operam das, cur philosophicè non vivis? non vivis autem qui somno indulges, & toto genere vitæ dissolutus es: hoc anteà pluribus probatum, heic breviter repetitur.

Laxumque caput compage soluta Oscitat hesternum.) quem Græci ἔκλυτον, Latini dissolutum una voce appellant, Persius describit pluribus verbis: solent scriptores virtuti τόνον tribuere ac robur; quia ut valentis hominis corpus est robustum, non valentis languidum, & παραλελυμένον. Sic cujus animo inest virtus, is omnia vitæ officia implet facilè: contrà qui depravatis sunt moribus, nec corpore nec animo valent ad præstanda quæ usui sunt officia, ἔκλυτοι jure vocantur & dissoluti: quæ voces de intemperantibus præsertim & incontinentibus usurpari solent: quia ex omnibus vitiis nullum est quod corpus æquè corrumpat, ut voluptatum usus immodicus: putà Veneris & cibi potusque nimietas. quare Persius dissolutum iis notis describit, quæ propriè homini temulento conveniant: *laxum caput: compago soluta: oscitare hesternum*: *malæ undique diffusæ*: sic paullo post *laxa labra*. Nervis quibus maximè continetur humanum corpus, & ut loquitur divinus Paulus, πᾶν σῶμα συναρμολογεῖται, (*totum corpus congruenter coagmentatur*; Ephes. IV. v. 16. inimicissimum est vinum: itaque temulentorum & οἰνοφλύγων, fatales sunt morbi nervorum, paralyses, arthritides, alii. Etiam facundissimus Chrysostomus in eam ad Ephesios homilia XII. inter mala luxuriæ recenset μαλακίαν σώματος & ἔκλυσιν. Lege Basilii pulcerrimam homiliam κατὰ μεθυόντων.

Compage soluta.) Epicrates, de Laide vetula loquens, τὰς ἁρμονίας τι διαχαλᾷ τοῦ σώματος.

Oscitat hesternum.) exhalat crapulam veterem, ut loquitur Seneca. Plato, κραιπαλῶν ἐκ τῆς προτεραίας, observant Græcorum critici crapulam propriè dici temulentiam matutinam cum vespere coquitur: pridianam verò sive hesternam, οἰνοποσίαν. sed hanc legem scriptores optimi negligunt.

Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum?) Boni doctoris munus præstat hic Stoicus: discipulum ignaviæ primum accusavit & objurgavit; nunc fontem culpæ aperit & aptam morbo

(Q) facit

facit medicinam. Decretum autem fuit cùm aliorum philosophorum, tum imprimis Stoicorum, radicem omnium officiorum vitæ totius, esse finis cognitionem, ut jam sæpius diximus: contrariorum verò eadem est ratio: itaque ut κατορθώματα à notitia finis proveniunt: sic peccata ab ejusdem ignoratione, aut parum firma constitutione. Seneca epistola LXXI. *Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo*: caussam cur peccemus assignat, ignorationem ultimi finis: idem nunc & Persius docet: nam ita accipienda ejus interrogatio: quid mirum si dissolutè vivis? quod ante omnia faciendum tibi fuerat, ut de summo bono decerneres, & finem certum tibi proponeres, de eo necdum cogitasti. Græci philosophi finem illum ultimum, non solùm τἀγαθὸν & τέλος vocant, sed σκοπὸν, à sagittariis vocem mutuati, ut docet Aristoteles primo Nicomacheorum: Ἆρ' οὖν, inquit, καὶ πρὸς τὸν βίον ἡ γνῶσις τοῦ τέλους μεγάλην ἔχει ῥοπήν· καὶ καθάπερ τοξόται σκοπὸν ἔχοντες, μᾶλλον ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος. (*Utique cognitio finis magnum ad vitam habet momentum; & quemadmodum sagittarii, ita & nos, scopo proposito, faciliùs assequamur quod rectum est.*) Græcam dictionem exprimit noster cùm ait, *Est aliquid quò tendis?* ἔχεις τινὰ πρόθεσιν τοῦ βίου σκοπόν. Ac finis quidem ille ultimus est scopus ad quem tota vita collineandum: singulæ verò actiones instar sagittarum sunt, quas eodem jacimus: subjicit Seneca modo allatis verbis: *Scire debet quid petat ille qui sagittam vult mittere: & tunc dirigere, & moderari manu telum*: scopus est qui petitur; sagittæ & tela sunt actiones vitæ. Philo Judæus, De confusione linguarum: πλοῦτον ἢ δόξαν ἕκαστος αὐτῶν σκοπὸν προθέμενος, ἐπὶ τοῦτον ὥσπερ βέλη τὰς τοῦ βίου πράξεις ἁπάσας ἀφίησι. (*Divitias aut honores quisque eorum sibi proponens ut scopum, omnes vitæ actiones, tanquam sagittas, in illum emittit.*) Idem in libro de sacrificiis Cain & Abel; σκοπῷ μὲν τὸ κεφάλαιον, βέλεσι δὲ ἔοικεν ἡ κατασκευή. (*Scopo quidem summa rei: sagittis autem, apparatus respondet.*) ita intellige sequentia Persii verba,

—— *& in quod dirigis arcum?*

aptius tamen & singula facta & dicta sagittis assimilaveris, quàm arcui. Virgilius in Culice non dissimili loquendi genere dixit:

—— *huc mittit & omnes*
Dirigit huc sensus. ——

sic enim habent antiquæ membranæ, ut testis est Josephus Scaliger; & est ea lectio elegantissima.

An passim sequeris corvos testaque lutoque.) *Vita sine proposito vaga est*: inquit Seneca epist. XCV. hanc vitam describit heic Persius: & eum qui ita vivit similem illi esse dicit, qui corvos & id genus aves sectetur, capereque intendat, non arcus sed testæ lutive jaculatione: quod quia per rerum naturam nec solet nec potest fieri, qui id tentant Græco proverbio notati sunt, τὰ πετόμενα διώκει, (*volantia persequitur*:) quod in stultos & frustra laborantes dictitabant. Senecæ locus mirè hunc illustrabit, è lib. De vita beata. *Proponendum est primum quid sit quod petamus.* Mox: *Quandiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum, & clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita inter errores*: Et statim: *Nihil ergo magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum est, sed quà itur.*

An passim sequeris corvos.) sic, *passim sectari profutura*, apud Senecam in epistolis: aves autem quæ passim pascuntur veteres Latini *passales* & *pascales*, Græci νομαδικὰς & ἀγελαίας dixerunt.

Testaque lutoque.) his utimur quoties non certo consilio ad capiendas aves prodiimus: sed temerè ac per lasciviam aves obvias eo arrepto quod primùm in manus venerit, petimus.

Securus quò pes ferat.) more eorum *qui sine proposito vagantur, quærentes negotia: qui non quæ destinaverunt agunt, sed in quæ incurrerunt*, ait Seneca de tranquillitate animæ.

Atque ex tempore vivis?) quod Græci dicunt αὐτοσχεδιάζειν τὸν βίον, *vivere ex tempore*, heic est vivere sine proposito, & ultimo fine, & ut loquitur Seneca, *aliud agendo vivere*: qui ita vitam instituunt, modò hoc probant, modò illud. Marcus Tullius in quinto Tusculanorum: *Nos in diem vivimus, & quodcunque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus*: etsi diversa res agitur apud Tullium & nostrum, tamen quid sit hoc loco *vivere ex tempore* optimè declarat ille locus: aliàs dicitur *vivere ex tempore*, de iis qui in quærendis vitæ præsidiis, ultra præsentem diem cogitationes suas non extendunt: quod Barbarorum esse idem Cicero ait, in II. De oratore: *Si Barbarorum est*, inquit, *in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Gregorius Nazianzenus non Barbarorum sed verò brutorum eam vitam vocat in priore contra Julianum: ζώων, ait, βίον ἀλόγων τὸ πρὸς ἡμέραν καὶ τὸ παρὸν ἀεὶ βιοτεύοντες· idem in quodam carmine: κακοῖσι τὸ ἐν ποσὶ μοῦνον ἄριστον (*malis, quod ante pedes tantum, optimum.*) inde est apud Græcos convitium inter gravissi-

gravissima, *homo in diem vivens*: Homerus, Ὀδυσσ. φ.

Νήπιοι ἀγροιῶται ἐφημέρια φρονέοντες.

(Stulti agrestes qui præsentia, vel diem durantia cogitant.) Plutarchus in Galba: ἀπηλλάχεισαν οἱ πλεῖστοι τῶν λαβόντων τὰς δωρεὰς ἐφήμεροι καὶ συνεγγυοὶ τοῖς βίοις ἄνθρωποι. *Perdiderunt ex eo plerique numero, qui dona accipiebant, homines in diem viventes; & moribus agrestibus: vel ferinis:)* & Ptolemæus: τοὺς ἐφημερεύοντας conjungit pessimis quibusque, ut sunt præstigiatores ac deceptores. Tetrabibli libro tertio, capite περὶ ποιότητος ψυχῆς. Diogenes tamen cynicus ἡμερόβιος vulgo appellatus est, non propter hanc caussam: sed ut in præsentem horam poscens à quolibet & accipiens cibum, quod ex Satyro narrat Hieronymus. Aliquando apud Ciceronem ut in XIV. ad Atticum, *ex tempore* facere aliquid aut dicere non est αὐτοσχεδιάζειν· sed convenienter tempori: quia, ut ait idem eodem libro, *consilia temporum sunt, quæ in horas commutantur.*

Helleborum frustra cum jam cutis ægra tumebit, Poscentes videas;) Bono ordine procedit oratio: primò vitium ostendit, postea illius scaturiginem, nunc accedit ad curationem: sed prius hortatiunculam præmittit, ut sine mora faciant morbo medicinam: ne fiat morbus temporis tractu irremediabilis, ut Mecœnatis verbum usurpem. Allegoricè autem tractata hæc exhortatio: nam loquitur ut de corporis medicina: sentit autem de animorum: occasio huic allegoriæ ex eo quod Philosophi Græci ac Latini vitia dixerunt πάθη ac morbos: virtutem ὑγίειαν.

Cum jam cutis ægra tumebit:) morbo jam contracto, qui paullatim generatur: sed heic intellige confirmatam longo usu ἕξιν κακίας· commune est omnibus morbis qui foras prodeunt, ut φλεγμονῇ cutem intendant, ac tumorem excitent: paullò inferiùs,

——surgit tacitè tibi lutea pellis.

Hippocrates, οἰδεῖ τὸ σῶμα· ludibrium debebant medicorum filiis, qui tympaniten heic somniabant.

Et quid opus Cratero magnos promittere montes?) auri nempe: obiter Satiricus stultitiam eorum ridet, qui neglecta cura valetudinis per omnem vitam, ægri posteà, ubi mortis periculum admotum esset propius, nihil non medicis promittebant, & ut ait Seneca De brevitate vitæ, medicorum genua tangebant: quasi esset in eorum potestate morari fata: etiam Epictetus apud Arrianum horum stultitiam carpit lib. III. cap. πῶς δεῖ φέρειν τὰς νόσους· ait inter cætera: τί κολακεύεις τὸν ἰατρόν; τί λέγεις, ἐὰν θέλῃς Κύριε, καλῶς ἕξω; τί παρέχεις αὐτῷ ἀφορμὴν τοῦ ἐπᾶραι ὀφρῦν; *(cur adularis medico? cur ais, si volueris, domine, benè habebo? cur illi ansam præbes tollendi supercilii?)*

Discite ô miseri, & caussas cognoscite rerum.) Jam declarat Stoicus hic, unde petenda sint adversus animi morbos de quibus dixit certa remedia: ad philosophiam nempe juvenes suos rejicit, quæ magistra vitæ, morum formatrix, & ad vitam beatam tuta via ac certa. Neque verò contentus est noster doctor discipulis verbo indicasse philosophiæ nomen, & digitum solùm ad fontem intendisse; quin potius excellentes medicos imitatur, qui ut eò libentius salubribus suis consiliis obtemperantes ægrotos habeant, simul & medicamenta præscribunt, & cujusque illorum naturam indicant: ut sciant illi quid inde habeant sperare. Simillimè & noster doctor, sic juventutem suam ad philosophiam rejicit, ut simul utilitatem ostendat quam ex ejus cognitione sit perceptura. Hoc igitur ut paucis præstaret præcipuis quibusdam moralis doctrinæ capitibus in medium allatis, ad illius amorem cordatos juvenes accendit. Habent igitur heic lectores, brevem quandam σύνοψιν universæ philosophiæ ethicæ: estque hic locus luculentus planè & illustris.

O miseri.) ignorantia, præsertim eorum quæ ad vitam beatè agendam spectant malum vel maximum. Stoicum autem est scitum, præter unum sapientem reliquos esse omnes miseros atque infelices.

Et caussas cognoscite rerum:) Seneca Naturalium libro sexto capite III. *Quanto satius est caussas inquirere & quidem toto in hoc intentum animo: neque enim quicquam illo inveniri dignius potest, cui se non tantum commodet, sed impendat.* Sed Seneca de caussis loquitur rerum naturalium in universum: Persius de caussis eorum quæ homini eveniunt: quæ Stoici referebant ad legem fatorum. M. Antoninus libro X. δ', πᾶν σοι συμβαίνῃ, τοῦτό σοι ἀπ' αἰῶνος προκατεσκευάζετο, καὶ ἡ ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων συνέκλωθε, τήν τε σὴν ὑπόστασιν ἐξ ἀιδίου καὶ τὴν τούτου σύμβασιν. Item de caussis τῶν φευκτῶν καὶ αἱρετῶν, sive rerum expetendarum & vitandarum. Horatius:

——vitatu quidque petitu
Sit melius, caussas reddet tibi.

Juvenalis doctè *vivendi caussas* dixit,

Et propter vitam vivendi perdere caussas.

has rerum caussas pluribus expressit Lucilius iis

iis verſibus quos profert Lactantius libro VI. capite V.

Quid ſumus.) Stoici philoſophi cùm univerſam de moribus philoſophiam ad duos referrent locos, Decreta & Præcepta, multis libris ac voluminibus utramque docendi viam, & δογματικὴν & παραινετικὴν ſunt perſecuti: ſed quoniam omnis hæc diſciplina ad uſum ſpectat, in quo ſolo poſita ejus utilitas, ſolebant Stoici ſuos monere, ut eorum quæ in ſcholis didiciſſent ſumma capita ſic memoriæ infigerent, ut illa ſemper ad manum haberent, & ad omnem occaſionem iis uterentur: hæc ſunt πρόχειρα βοηθήματα, de quibus loquitur Epictetus apud Arrianum libro primo capite XXVII. & libro III. capite X. neque alia ſine Enchiridium ab illo eſt ſcriptum, quod & nomen teſtatur. Marcus Antoninus libro quarto: Βραχέα ἔστω καὶ στοιχειώδη ἃ εὐθὺς ἀπαντήσαντα ἀρκέσει πᾶσαν τὴν ψυχὴν ἀποκλύσαι καὶ ἀποπέμψαι σε μὴ δυσχεραίνοντα ἐκείνοις ἐφ' ἃ ἐπανέρχῃ. Sunto, inquit, tibi ad manum præcepta brevia quidem, (idcirco κομματικοὺς λόγους philoſophi appellant:) ſed quæ elementa contineant univerſæ doctrinæ, quæ ſimul ac occurrerint, totum perfundant animum, & æquum te dimittant ad omnia quæ evenerint: idem paullò priùs, medicos & chirurgos imitandos dixerat: & ut illi parata ſemper artis ſuæ inſtrumenta habent, ita in promptu eſſe habenda dogmata. Ὥσπερ οἱ ἰατροὶ, inquit, ἀεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ αἰφνίδια τῶν θεραπευμάτων· οὕτω τὰ δόγματα σὺ ἕτοιμα ἔχε. Idemque alibi ἑτοιμότητας vocat hujuſmodi præcepta ad uſum ſemper parata: de his Seneca libro VII. De beneficiis, capite primo: *Egregiè hoc dicere Demetrius Cynicus ſolet, plus prodeſſe ſi pauca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi & in uſu ſint, quàm ſi multa quidem didiceris, ſed illa non habeas ad manum.* Poſtea: *Hæc Demetrius noſter utraque manu tenere proficientem jubet, nec uſque dimittere, immò affigere & partem ſui facere, eoque quotidiana meditatione produci, ut ſua ſponte occurrant ſalutaria, & utique ac ſtatim deſiderata præſto ſint:* & epiſtola XCIV. *Subinde reducendus es ad memoriam: non enim repoſita præcepta eſſe debent, ſed in promptu.* Hæc ſunt illa ſumma ac præcipua moralis philoſophiæ capita, quæ paucis verſibus indicata ſunt heic ab hoc poëta Stoico: quid ſit homo: in quam finem à Deo ſit creatus: quis ordo ſit rerum: vita hæc quàm brevis, quàm caduca: à quo accepta: quis modus divitiis ſit ſtatuendus: quid fas optare: quis legitimus opum uſus: quantum patriæ ac tuis debeas: in qua mundi hujus ſtatione ſis collocatus: his paucis capitibus contineri elementa univerſæ doctrinæ moralis palàm eſt. Sed propius jam illa ſaltem ut in tranſcurſu conſideremus.

Quid ſumus) Jure prima omnium ponitur hæc σκέψις, quæ idem jubet atque illa Pythicis oraculis adſcripta vox, NOSCE TEIPSUM: quam vocem principium & conſummationem ſapientiæ continere jure dixeris. Simplicius: τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ τοῦ θεοῦ παράγγελμα καὶ ἀρχὴ καὶ τέλος πάσης ἐστὶ φιλοσοφίας καὶ εὐζωΐας. Inter Stoicos autem & cæteros philoſophos conveniebat, ex cognitione noſtri eliciendum eſſe finem illum cujus notitiam tantopere omnes quidem, ſed tamen Stoici maximè commendabant. Cicero in V. de finibus: *Si ſimul atque ortus eſſet ſe quiſque cognoſceret, judicareque poſſet quæ vis & totius eſſet naturæ & partium ſingularum, continuò videret quid eſſet hoc quod quærimus, omnium rerum quas expetimus ſummum & ultimum, nec ulla in re peccare poſſet.* Libro autem IV. inter ea de quibus conveniebat Stoicis & Academicis hæc ponit Cicero: *Sequitur illud ut animadvertamus qui ſimus ipſi, ut nos quales oportet eſſe ſervemus: ſumus igitur* HOMINES, *ex animo conſtamus & corpore, quæ ſunt cujuſdammodi: noſque oportet, ut prima appetitio naturalis poſtulat hæc diligere, conſtituereque ex his finem illum ſummi boni atque ultimi.* Ex eodem fonte etiam, officiorum notitiam derivandam Stoici docebant. Seneca epiſtola XCV. *Quando omnia quæ præſtanda ſunt ac vitanda dicam, cùm poſſim breviter hanc formam humani officii tradere? Omne hoc quod vides, quo divina atque humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cùm ex iiſdem & in eadem gigneret. Ex illius conſtitutione miſerius eſt nocere quàm lædi, ex illius imperio paratæ ſunt juvantis manus. Iſte verſus & in pectore & in ore ſit: Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Habes in ſecunda Diſſertationum Arriani caput eximium, quo docetur quomodo invenienda ſint officia ex ipſis nominibus: Σκέψαι τίς εἶ, inquit, τὸ πρῶτον ΑΝΘΡΩΠΟΣ. τοῦτο δ' ἐστὶν οὐδὲν ἔχων κυριώτερον προαιρέσεως. ἀλλὰ ταύτῃ τὰ ἄλλα ὑποτεταγμένα. *(Reputa quis ſis. Homo utique: hoc primum: hominem autem cùm dicis, illud dicis, cui nihil magis proprium, vel eximium, quàm jus arbitrii proprii: cui reliqua ſubjecta ſunt.)* ſtudioſi cætera legant: pulcherrima enim ſunt. Jam verò cum in dubio ſit, præſtantia-

ſtantiane major ſit hominis an vanitas, prorſus neceſſaria ad benè inſtituendam vitam, utriuſque accurata cognitio & aſſidua meditatio. Eo igitur Stoici ſæpe nos vocant: unum alterumve locum ſubjiciam, ut ſtudioſis præeam ad ſimilium obſervationem diligentem. Quid ergo eſt homo? Platoni φυτὸν eſt οὐράνιον οὐκ ἔγγειον. ἐν τῶν κτημάτων τοῦ Θεοῦ. (*Planta cœleſtis, non terrena: Dei peculium.*) Sic enim ait in Phædro: ſed nos porticum Stoicorum ne emigremus. Stoicorum eſt illud ſcitum: τὸν ἄνθρωπον οὐσιῶσθαι κατὰ τὴν λογικὴν ψυχήν, σώματι δὲ χρῆσθαι ὡς ὀργάνῳ: quod multis locis illuſtrat Simplicius in Enchiridium ſapientiſſimi ſenis. Summa hæc: eſſe hominis, idque adeò omne per quod homo cenſeatur, in animo & recta ratione ſitum eſſe: hanc eſſe illius eſſentiam, & illius τὸ πᾶν: corpus verò & cætera omnia, pro inſtrumentis vitæ iſtius habenda: apud Arrianum libro II. in hunc modum diſſerit Epictetus. Omnia quidem animantium genera Dei eſſe opera: ſed unum hominem opus illius eſſe præcipuum, & cujus gratia cætera ſint creata: illa Deum intra ſe non habere; hominem divinæ naturæ particulam eſſe: & intra ſe illum circumferre: non debere igitur ſuæ nobilitatis oblíviſci: ſed quicquid dicat, faciatve, meminiſſe, Deum præſentem eſſe: non illum ex auro vel argento quem fortè geſtabit: ſed quem intus atque in animo ſuo quiſque hominum circumfert: peſſimè vero illos ſibi conſulere, qui impuris cogitationibus, & actionibus ſordidis illum polluant: hæc ita ille: οὐκ ἔστι θεῶν ἔργα καὶ τὰ ἄλογα; ἔστιν: ἀλλ' οὐ προηγούμενα, οὐδὲ μέρη θεῶν. σὺ δὲ προηγούμενον εἶ. σὺ ἀπόσπασμα εἶ τοῦ θεοῦ: ἔχεις τι ἐν σεαυτῷ μέρος ἐκείνου: τί οὖν ἀγνοεῖς σοῦ τὴν συγγένειαν; τί οὐκ οἶδας πόθεν ἐλήλυθας; οὐ θέλεις μεμνῆσθαι ὅταν ἐσθίῃς, τίς ὢν ἐσθίεις; καὶ τίνα τρέφεις: ὅταν συνουσίᾳ χρῇ τίς ὢν χρῇ: ὅταν ὁμιλίᾳ: ὅταν γυμνάζῃ: ὅταν διαλέγῃ: οὐκ οἶδας ὅτι θεὸν τρέφεις: θεὸν γυμνάζεις: θεὸν περιφέρεις, τάλας, ἀγνοεῖς; δοκεῖς με λέγειν ἀργυροῦν τινα ἢ χρυσοῦν ἔξωθεν; ἐν σαυτῷ φέρεις αὐτὸν, καὶ μολύνων οὐκ αἰσθάνῃ, ἀκαθάρτοις μὲν διανοήμασι, ῥυπαραῖς δὲ πράξεσι: dextrè accipe, quod naturæ divinæ partem in homine vult eſſe: quem errorem Stoici errarunt cum pleriſque veterum ſapientum: cætera quàm divina? Sed rurſus, *Quid eſt homo?* Senecæ verba ſunt ad Marciam: *imbecillum corpus & fragile, nudum, ſuapte natura inerme: aliena opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum:* ſed apud ipſum cætera legantur: eſt enim locus prolixior: cui & alii multorum ſcriptorum pulcherrimi poſſent adjungi, niſi brevitati eſſet conſulendum. Spectat eodem ſapientiſſimi Marci præceptum hoc: Cogita, inquit, continuo univerſum ævum, & univerſam rerum naturam: ac memento partes ſingulas (in his homo eſt,) ad iſtam eſſe ut unum è ficus granis: ad illud, ut terebræ converſionem. Τοῦ ὅλου αἰῶνος καὶ τῆς ὅλης οὐσίας συνεχῶς φαντασία: καὶ ὅτι πάντα τὰ κατὰ μέρος, ὡς μὲν πρὸς οὐσίαν κεγχραμίς: ὡς δὲ πρὸς χρόνον τρυπάνου περιστροφή. De corporis ac naturæ humanæ fragilitate verè iſta: quid dicemus, ſi depravationem animi ſpectemus? hoc nempe quod Chryſoſtomus: μάθωμεν, ait, τίνες ἐσμὲν, καὶ ἀρκεῖ τοῦτο εἰς ταπεινοφροσύνης ὑπόθεσιν. (*diſcamus qui ſumus; & ſufficiet id ad humilitatis rudimentum.*) Et eſt ita omnino: neque fieri poteſt, ut ſuperbia vel arrogantia tumeat, cui fuerit aliquando curæ, hoc ſeriò cogitare, QUID SUMUS. Cum fructu hæc & ſimilia his quæ ſolius naturæ ductum ſecuti ſcriptores οἱ ἔξωθεν ἀποφθεγξάμενοι, (*profani pronuntiarunt:*) contulerint ſtudioſi cum iis quæ meliori luce illuſtrati patres facundiſſimè diſputant: Joannes præſertim Chryſoſtomus, & Magnus Baſilius cùm alibi, tum integris aliquot in Sex dierum opus homiliis.

Aut quidnam victuri gignimur.) Cohæret cum præcedenti quæſtio hæc: nam ut ait Marcus Imperator qui neſcit quidnam victurus ſit genitus, quid ſit ipſe ignorat. ὁ μὴ εἰδὼς, ait, πρὸς ὅ, τι πέφυκεν, οὐκ οἶδ' ὅς τις ἐστίν. De hoc extant multorum veterum ſapientum ſententiæ præclaræ: nam voluptuariorum gregem omittimus, & ſi quis alius hominis appellatione vixit indignus: reliqui à vero non procul aberrarunt: etſi alius alio propius feriit. Platonis ſententiam habes in Gorgia & alibi: tergeminus Ariſtoteles ad duas res, intelligendum & agendum docuit homines eſſe natos: alii ad mundum contemplandum & imitandum: ut in II. De natura deorum M. Tullius: & de Pythagora atque Anaxagora multi narrant: quidam generaliter, ad cognitionem rerum, ut Plutarchus in libello Περὶ τοῦ λάθε βιώσας. Stoici verò optimè: ad contemplanda atque enarranda Dei opera hominem productum eſſe in hunc mundum. Arrianus libro primo, capite ſexto: Τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν ὁ Θεὸς αὐτοῦ τε καὶ τῶν ἔργων τῶν αὐτοῦ· καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. repetit idem & libro III. ca. XIV. Seneca Naturalium libro III. in præfatione: *Quid præcipuum in rebus humanis eſt? animo omne vidiſſe,* (hoc eſt quod Arrianus libro tertio dicit τὸ πανήγυριν ἱστορῆσαι καὶ ἀπελθεῖν) *& qua nulla eſt major victoria, vitia domuiſſe:* paullò aliter idem Stoici dicere ſoliti.

liti: *homine in adjutorium mutuum esse generatum:* quod scribit Seneca libro primo De ira, capite v. Marcus Tullius primo libro Officiorum: *Placet Stoicis quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari: homines autem hominum caussâ esse generatos, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre: mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.* Marcus Imperaror libro VI. cætera animalia rationalium caussa esse parata: ut semper in omnibus rebus, deteriora propter præstantiora: ratione verò prædita animalia, ad mutuam opem. κατεσκεύασται τὰ μὲν λοιπὰ τῶν λογικῶν ἕνεκεν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ παντὸς ἄλλου, τὰ χείρω τῶν κρειττόνων ἕνεκεν, τὰ δὲ λογικὰ ἀλλήλων ἕνεκεν. & initio IX. atque in XI. idem repetit, ὅτι ἕνεκεν ἀλλήλων γεγόναμεν. principio autem libri quinti, locus est elegantissimus, ex quo usus præcepti intelligitur ad vitæ emendationem: verbi gratia, eorum qui, ut initio satiræ est hujus dictum, altum mane dormiunt & serò evigilant: ὄρθρου, inquit, ὅταν δυσόκνως ἐξεγείρῃ, πρόχειρον ἔστω, ὅτι ἐπὶ ἀνθρώπου ἔργον ἐγείρομαι. τί οὖν δυσκολαίνω εἰ πορεύομαι ἐπὶ τὸ ποιεῖν ὧν ἕνεκα γέγονα, καὶ ὧν χάριν προῆγμαι εἰς τὸν κόσμον; (*mane cùm gravatim à somno surgis, in promptu tibi sit cogitare, te ad humanum opus faciendum surgere. Itane ergo, dices, gravatè accedo ad agenda ea, quorum caussa natus sum, ac propter quæ in hunc veni mundum?* eleganter Persius *quid victurus*, hoc est, in vita acturus: quia vivere agere est, ait Plinius: in Consolatione Boëtii *asinum vivit*, pro facit quæ asini sunt.

Ordo Quis datus.) Non malè interpreteris de ordine illo admirabili quo majoris minorisque mundi opifex suam illam πολυποίκιλον sapientiam, potentiam, providentiam, & quid non? in rerum conditu spectandam nobis exhibuit: pleni sunt omnium sapientum libri encomiis ejus ordinis, καὶ τῆς ἐν τῷ κόσμῳ διακοσμήσεως: quam tamen nemo mortalium percipiet unquam ad plenum: sed aptius puto, ut capiamus de fato: nam ita passim *ordo*, aut *rerum ordo* est fatum: Seneca in libro Quare bonis viris mala accidant: *Caussa pendet ex caussa, privata publica longus ordo rerum trahit.* Naturalium libro II. *Sic ordinem rerum fati æterna series rotat, cujus hæc prima lex est, stare decreto:* mox: *in illo fati ordine quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus fatum est ut naviget:* ubi fati ordo est illa ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων, quam Græci Stoici appellant ut Marcus libro X, eo loco quem paullò antè attulimus: ipse Chrysippus σύνταξιν nominavit, hoc est, *ordinatam compositionem* in ejus definitione quam habet A. Gellius libro VI. cap. II. hoc igitur modo auctoris nostri verba interpretabimur. *Disce ordo quis datus*: hoc est, disce fatorum certa lege omnia fieri, cui volens lubensque acquiescit sapiens. Seneca epist. CVII. *Sic vivamus, sic loquamur; paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus qui se Deo tradidit. At contrà ille pusillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mavult deos quam se*: hoc est quod Græci dicunt συμπαρακολουθεῖν τῇ διοικήσει τοῦ θεοῦ, *spectare & approbare Dei ordinem in administratione omnium rerum.* Lege diatribam Epicteti apud Arrianum quintam libri III. Possumus & alias interpretationes hujus loci afferre: præbent enim multas ansas βιωφελῶν meditationum verba auctoris eruditissimi: quid enim si referamus ad vitam futuram? resurrectionem Stoici non plenè quidem, aut certa fide, neque firmis satis rationibus persuasi, sed tamen utcunque crediderunt, aut verius somniarunt. Chrysippus in libris de providentia, cùm de innovatione mundi loqueretur hæc intulit teste Firmiano: τούτου δὲ οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου, εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστῆναι σχῆμα. (*quod cùm ita sit, apparet non esse impossibile & nos post mortem post certas temporum revolutiones, in hunc statum quo nunc sumus, restitui.*)

Aut metæ quàm mollis flexus, & unde.) aut quam brevis sit hæc vita, quamque in propinquo mors illi immineat, & quidem ex caussis sexcentis; *meta* est finis: *flectere metam*, ut Græci κάμπτειν τὴν νύσσαν: unde καμπτὴρ ipsa meta dicitur: de spatiis vitæ solet hoc loquendi genus usurpari: unde *flexus ætatis* apud M. Tullium: *maturitas indeflexa*, in panegyrico Plinii: *flexus* autem *mollis* dicitur heic qui citò & rapidè peragitur: unde in quinta *rapida vita* dicitur: hoc igitur ait: discendum esse & semper cogitandum, quàm fluxa sit hæc vita: nihil est quod sæpius occurrat in sapientum scriptis & poëtarum, hoc præcepto: sed hi, ut passim Horatius, ad voluptates ferè hoc argumento nos hortantur: illi ad facta præclara, & vitam ex virtute agendam, aut ad diligentiam in studiis honestarum disciplinarum, ut divinus senex: ὁ μὲν βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. Marcus Imp. in IV. τὸ ὅλον βραχὺς ὁ βίος, κερδαντέον, τὸ παρὸν σὺν εὐλογιστίᾳ καὶ δίκῃ. Plinius Secundus in epistola qua Silii Italici mortem deflet: post gra-

gravem querimoniam de brevitate vitæ : *ſed tantò magis*, inquit, *hoc quicquid eſt temporis futilis & caduci, ſi non datur factis: (nam horum materia in aliena manu :) nos certe ſtudiis proferamus : & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixiſſe teſtemur.* Seneca epiſtola XCIX. *Reſpice celeritatem rapidiſſimi temporis, cogita brevitatem hujus ſpatii, per quod citatiſſimi currimus*; idem libro III. De ira. *Poterimus autem purgare mentem, adnitamur modo. Nec ulla res magis proderit quàm cogitatio mortalitatis. Quid tumultuamur & vitam ſtudioſi conturbamus? Stat ſuper caput fatum & pereuntes dies imputat, propiuſque ac propius accedit. Quin potius vitam brevem colligis, placidamque & tibi & cæteris præſtas? Quin potius amabilem te dum vivis omnibus : deſiderabilem cùm exceſſeris, reddis?* Verè Hieronymus Cypriano : *Nihil ita decipit humanum genus quam quod dum ignorant ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſeculi hujus poſſeſſionem repromittunt. Ad hunc ſenſum pertinet & illud quod dicitur, Memento mortis tuæ & non peccabis*: idcirco dicebat regius pſaltes : τὴν ὀλιγότητα τῶν ἡμερῶν μου ἀνάγγειλόν μοι; verùm ſcriptores ſacros omittimus : apud quos obviæ paſſim ſunt hujuſmodi admonitiones : nec minus frequentes in Marci Antonini libris. Sed ſunt Perſii codices in quibus *quâ mollis flexus* ſcribitur: non *quàm*: hæc lectio ſi vera eſſet, *flexus metæ* valeret idem ac finis ultimi adeptio, & *quâ*, eſſet qua via, quo genere vitæ ad illum finem poſſet perveniri : probo verò editam lectionem, quam & in membranis invenimus.

Et unde.) obſcuriuſculè dictum : neque uno modo eſt interpretari : unde mors? nempe à natura : quia lex naturæ eſt, ut quicquid naſcitur & denaſcatur. Marcus eleganter libro quarto : ὦ φύσις, ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα. rurſus, unde mors? perſæpe vel tenuiſſima ex cauſſa : quo argumento utitur Seneca, ut adverſus majora nos pericula confirmet, Naturalium lib. VI. cap. II. *Unguiculi nos*, ait, *& ne totius quidem dolor, ſed aliqua à latere ejus ſciſſura conficit : & ego timeam terras trementes, quem craſſior ſaliva ſuffocat? Ego extimeſcam emotum ſedibus ſuis mare, cum quoſdam ſtrangulaverit potio malè lapſa per fauces?* affinia his ſunt in tertio libro, capite XXVII. *Urbes conſtituit ætas, hora diſſolvit. Memento fit cinis : diu ſylva. Magna tutela ſtant ac vigent omnia : citò ac repente diſſiliunt. Quicquid ex hoc ſtatu rerum natura flexerit, in exitium mortalium ſatis eſt.*

Quis modus argento.) nempe quærendo; modus autem ex Stoicorum doctrina is eſt optimus ac legitimus, qui naturæ conveniat. Natura autem facilis eſt & pauco contenta : hominum verò cupiditas fine caret : vide ad extremum ſatiræ ſextæ.

Quid fas optare.) Adi ad ſuperiorem ſatiram.

Quid aſper utile nummus habet.) quæ utilitas ſit opum : divitiarum autem omnis utilitas eſt in uſu : quare is finis legitimus eſt eas parandi, non ut in arcam obruantur, ſed ut partis utaris : *aſper* epithetum eſt perpetuum omnis rei ſignatæ, nam percuſſio & ſigni impreſſio aurum exaſperant ſive argentum. Virgilius,

Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.

Juvenalis,

Hic lavet argentum vaſa aſpera. ——

Claudianus,

Brontes innumeris exaſperat ægida ſignis.

hæc aſperitas maximè in recens ſignatis percipitur : nam poſteà quæ exſtant deteruntur : unde factum ut Græci qui aſperos nummos albere præ cæteris videbant, ἄσπρον pro albo poſuerint, cùm illam vocem fecerunt uſu ſuam: quod præter Gloſſas veteres confirmant libri vulgari Græcorum idiotiſmo ſcripti : ubi etiam ἀσπρότης pro candore, & ἀσπρίζειν pro dealbare legas: & Nathan quoque Juſtus in Aruch אספרון exponit לבן albus vel album: ſed videtur ſub Græcorum imperio ſpecies certa monetæ ita propriè fuiſſe dicta : nam inde apud Turcas illorum ἄσπρους, aſprorum appellatio remanſit. Gloſſæ, Δηνάριον λευκὸν, *aſprum* : ſic alios nummos à colore nigro vocarunt μελάσματα. In Aruch, מלזמא מטבע *melaſma pecunia.*

Patriæ chariſque propinquis Quantum elargiri deceat.) Reſpicit vulgatiſſimam Platonis gnomen, ex epiſtola nona, quæ etiam apud M. Tullium, & alios multos legitur : non nobis natos eſſe nos, ſed primò patriæ, deinde parentibus, poſtremò & nobis. Lucilius,

Commoda præterea patriæ ſibi prima putare
Deinde parentum, tertia jam poſtremaque noſtra.

Quem te Deus eſſe juſſit.)

Supra :

Diſcite quid ſumus : ——

ſed aliud eſt : nam ibi natura hominis proponebatur inquirenda : heic perſonæ qualitas : ibi inquam φύσεως πέρι agebatur : heic περὶ σχέσεως. Variè ſumitur apud philoſophos vox σχέσις. Ariſtotelis interpretes ſolent dicere illa τῇ σχέσει differre, quæ aliter philoſopho dicuntur diverſa eſſe τῷ λόγῳ, vel τῷ εἶναι, hoc eſt, proprietate quadam, & ut Barbari locuti ſunt, eſſendi modo : ſæpe verò σχέσις eſt

est relatio unius ad alterum, cujusmodi σχέσει circumscribuntur singulæ personæ. Ita accipiunt Stoici, cùm docent, plerunque officia ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖσθαι: hoc est, dirigi hujusmodi conditionibus ac qualitatibus quæ sunt in quoque hominum: propter has dicimur ποιοί, ut loquitur Aristoteles: puta, cives, patres, filii: sic intelligendum in primo Marci Augusti, τὰ κατὰ τὰς πρὸς τοὺς συμβιώτας σχέσεις καθήκοντα: hæc sunt officia quæ ex duobus extare scribit Seneca in secundo De beneficiis: quæ Epicteto apud Arrianum dicuntur libro II. partim φυσικαὶ partim ἐπίθετοι σχέσεις: ita accipe heic poëtæ verba: *quem te Deus esse jussit*: hoc est, ποίαις σχέσεσι σε περιέβαλε καὶ ἐνέδησε, φυσικαῖς τε καὶ ἐπιθέτοις. Nam idem vult omnino cum sapientissimo Epicteto: cujus sunt verba in Enchiridio capite XXVIII. τὰ καθήκοντα ὡς ἐπίπαν ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖται: πατήρ ἐστι; ὑπαγορεύεται, ἐπιμελεῖσθαι, παραχωρεῖν ἁπάντων, ἀνέχεσθαι λοιδοροῦντος, παίοντος. *Officia ut plurimum pro relationibus & qualitatibus personarum definiuntur: pater est? tacitè monetur filius ut curam ejus habeat, cedat ei in omnibus, toleret convitiantem, ferientem.* Lege totum caput, & eruditissimum interpretem Simplicium; qui prolixè & accuratè totam hanc περὶ σχέσεων materiam tractat. Ita autem describit, & vocis rationem explicat: σχέσις ἐστι σύνταξίς τινων πρὸς ἄλληλα φυσικὴ ἢ προαιρετική, ὁμοίων ἢ ἀνομοίων, ἢ μὲν συναγωγὸς ἡ δὲ διαστατική, μενούσης τῆς περιγραφῆς τῶν ἐν σχέσει ὄντων. μέση γὰρ ἡ σχέσις ἐστι τῶν ἐχόντων τὴν σχέσιν: καὶ ἔχεται ἀλλήλων κατὰ τὴν σχέσιν. Vix hæc satis commodè Latinè dici possunt: postrema verò omnino haut possunt: sed hoc vult: σχέσιν (Stoici etiam συνάφειαν vocabant, ut in III. Marci:) quam nos relationem dicimus, esse mutuam quorundam coordinationem à natura aut à voluntate: similium; aut dissimilium: illorum ut conjungantur: horum ut separentur: manente persona eorum inter quos est relatio: quippe relatio media est inter relatione junctos: unde & σχέσις dicta, per quam relati ἔχονται ἀλλήλων, id est, inter se conjunguntur. Atque huc maximè pertinet illa diatriba Epicteti in secundo Arriani, qua viam ostendit officia investigandi ex ipsis nominibus: puta, ex eo quod PATER dicaris, ex eo quod MARITUS, quod FILIUS, quod CIVIS: & ita de cæteris nominibus. Etsi autem relatio hæc non solùm jungit, sed etiam disparat relatos: nam & hostis communem habet cum hoste relationem: actor cum reo: quæ dicitur σχέσις ἀνομοίων Simplicio: tamen ab eo quod potius est ac melius, σχέσις ponitur & ἀντὶ συμπαθείας, & pro benevolentiæ affectu, ac mutuo rerum vinculo. Gregorius Naz. in II. de theologia: τίς ἡ τῆς φύσεως ὁλκὴ καὶ πρὸς ἄλληλα σχέσις τοῖς γεννῶσι καὶ τοῖς γεννωμένοις, ἵνα τῷ φίλτρῳ συνέχηται. Chrysostomus in eam ad Thessalonicenses homilia X. caussam reddens cur Deus hunc ordinem in natura instituerit, ut patres liberos gignerent, nec per se quisque nasceretur, εἰ γὰρ, inquit, ἁπλῶς ἔμελλον οἱ ἄνθρωποι γίνεσθαι, οὐδεὶς ἂν πρὸς οὐδένα σχέσιν ἔσχεν: εἰ γὰρ νῦν πατέρων ὄντων καὶ παίδων καὶ ἐκγόνων, πολλοὶ πολλῶν (malim παίδων vel πατέρων: ut ab uno ἀπορρίας exemplo omnia intelligantur:) οὐ φροντίζουσι, πολλῷ μᾶλλον τότε; (*Si enim ita res haberet, ut homines simpliciter, vel per se nascerentur, nemo alteri necessitate aliqua devinctus esset. Si enim nunc quoque cùm sint parentes, & liberi, & nepotes, multi tamen repeciuntur, quibus horum nulla cura, nullus sensus: quanto magis, si nullum tale vinculum esset?*) manifestò σχέσιν ponit pro affectu σχέσεως, amore & benevolentia: pro arctissima conjunctione & affinitate solet ea vox usurpari, ut de vinculis animi ac corporis. Olympiodorus in Platonis Phædonem: ὁ θάνατος τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεων σώματός τε καὶ ψυχῆς ἐστι διακριτικός: sic ait Chrysostomus in eam ad Hebræos homilia XVI. dici Deum habitare in cœlis, non quasi loco aliquo includeretur, aut quasi terras sua præsentia destituisset: ἀλλὰ τῇ σχέσει καὶ τῇ οἰκειώσει πρὸς τοὺς ἀγγέλους: ubi σχέσιν & οἰκείωσιν junxit penè ἐκ παραλλήλου: nam σχετικῶς interpretatur Hesychius οἰκειωτικῶς: ita Olympiodorus in Phædonem ait τὰς φιλοσωμάτους ψυχὰς ὅτι σχετικῶς συνῆφθαι τῷ σώματι κατὰ τὴν ἡμίσχετον σχέσιν: qua de re vide ad sat. V. non multò aliter hanc vocem acceperunt illi Græci, qui exorta in Ecclesia Dei gravi super imaginum cultu controversia, pronuntiarunt ὅτι σχετικῶς δεῖ αὐτὰς προσκυνεῖν: quod genus loquendi prioribus patribus incognitum penitus atque inauditum, (quod quidem ex illorum scriptis constat nobis:) si vitam Deus produxerit, alibi adfatim exponemus. Observa divinam vocem, *Deus jussit*, non Dii: nam ita passim Seneca, Marcus Antoninus & Arrianus, atque alii è Porticu doctores: qui etsi loquebantur cum vulgo, & sæpe deos deorumque nomina in ore habebant? in explicandis tamen suæ scholæ decretis, Deum unum prodebant caussam efficientem hujus universi: sicut notum est è M. Tullio, Seneca, Laertio in Zenone, atque aliis. Lege Lactantium lib. I. cap. V. iidem etiam Λόγον vocabant: de quo Athenagoras in Apologia.

Et hu-

Et humana qua parte locatus es in re.) *humana res* est universi humani generis societas: adhuc igitur περὶ χέσεων loquitur: nam homo quatenus homo est habet χέσιν & naturalem conjunctionem cum omnibus hominibus: sed illud generale officium astringitur, posteà aliis, ut dicam cum Stoicis, orbibus minoribus: qui eò expressius intelliguntur quo patent angustius: inde est quod privatas charitates plures curant quàm publicam civitatis aut regni utilitatem: nam ad universum mundum cogitationes suas referre, quam pauci sunt quibus vel solùm in mentem unquam venerit? Stoici verò corrigendi erroris hujus gratia, unde multa in vitam peccata manarent, soliti suos non tantùm ad universæ humanæ rei, ut heic Persius, contemplationem hortari: sed etiam ad totius rerum universitatis: quippe omne hoc unum esse, cujus pars imò membrum homines sunt: singulas autem civitates esse quasi totidem universi domos: quicquid instituerent homines, aut quicquid illis usu veniret, in ejus æstimatione oculos semper debere ad universitatis considerationem erigi: ex qua cogitatione illum fructum perciperent, ut nihil agerent quod cuiquam mortalium noceret: nihil iniquo ferrent animo, quod magnus ille mundi rector decrevisset: certi, omnia sic ab eo administrari, quomodo ad universitatis salutem expediat: nihil porrò universo mundo expedire, quod privatim singulis non sit conducibile. Jure igitur Marcus Antoninus, libro tertio scribit: nihil adeo ad magnanimitatem valere, quàm si norimus casus vitæ hujus rectè æstimare: quod ita explicat ex superiore doctrina: οὐδὲν οὕτως μεγαλοφροσύνης ποιητικὸν, ὡς τὸ ἐλέγχειν ὁδῷ καὶ ἀληθείᾳ ἕκαστον τῶν τῷ βίῳ ὑποπιπτόντων δύνασθαι· καὶ τὸ ἀεὶ οὕτως εἰς αὐτὰ ὁρᾷν ὡς συνεπιβάλλειν, ὁποίῳ τινὶ τῷ κόσμῳ ὁποίαν τινὰ τοῦτο χρείαν παρεχόμενον, τίνα μὲν ἔχει ἀξίαν ὡς πρὸς τὸ ὅλον, τίνα δὲ ὡς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, πολίτην ὄντα πόλεως τῆς ἀνωτάτης, ἧς αἱ λοιπαὶ πόλεις ὥσπερ οἰκίαι εἰσί. Idem libro III. μέμνησαι ὅτι συγγενὲς πᾶν τὸ λογικόν. καὶ ὅτι κήδεσθαι μὲν πάντων ἀνθρώπων κατὰ τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν ἐστί. heic tantum meminit conjunctionis quæ ratione prædita invicem astringit omnia: λογικῶν autem appellatione Deum atque dæmonas simul cum hominibus intelligunt: sæpius alibi idem nexum & conjunctionem cum universo mundo inculcat: ut initio secundi, δεῖ δὲ ἤδη ποτὲ αἰσθέσθαι τίνος κόσμου μέρος εἶ, καὶ τίνος διοικοῦντος τοῦ κόσμου ἀπόῤῥοια ὑπέστης: libro decimo εἴτε ἄτομοι εἴτε φύσις, πρῶτον κείσθω ὅτι μέρος εἰμὶ τοῦ ὅλου ὑπὸ φύσεως διοικουμένου: ἔπειτα ὅτι ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη: deinde subjicit fructum persuasionis hujus, quod simus pars universi duplicem: prior est, animus æquus adversus omnes casus: τούτου γὰρ μεμνημένος, ait, καθότι μὲν μέρος εἰμὶ οὐδὲν δυσαρεστήσω τῶν ἐκ τοῦ ὅλου ἀπονεμομένων· οὐδὲν γὰρ βλαβερὸν τῷ μέρει ὃ τῷ ὅλῳ συμφέρει· οὐ γὰρ ἔχει τι τὸ ὅλον ὃ μὴ συμφέρει ἑαυτῷ· πασῶν μὲν φύσεων κοινὸν ἐχουσῶν τοῦτο, τῆς δὲ τοῦ κόσμου προσειληφυίας, τὸ μηδὲ ὑπό τινος ἔξωθεν αἰτίας ἀναγκάζεσθαι βλαβερόν τι ἑαυτῇ γεννᾷν. posterior fructus sequitur, amor proximi, & omnes juvandi studium: καθόσον δὲ ἔχω πως οἰκείως πρὸς τὰ ὁμογενῆ μέρη, οὐδὲν πράξω ἀκοινώνητον, μᾶλλον δὲ στοχάσομαι τῶν ὁμογενῶν, καὶ πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον πᾶσαν ὁρμὴν ἐμαυτοῦ ἄξω, καὶ ἀπὸ τοῦ ἐναντίου ἀπάξω. Atque heic quidem partem, id est, μέρος universitatis rerum esse hominem dicit Marcus: sed alibi corrigit eam locutionem: & μέλος potius, id est, membrum dicendum esse ostendit: neque in eo parum esse momenti: locus est in libro VII. quem vide. Simillimè Seneca epistola xcv. *Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni*: & cætera quæ superius attulimus. Similia sunt huic Stoicorum doctrinæ, quæ docet excellentissimus philosophus Moses Maimonis filius, libro tertio Doctoris dubiorum cap. IV. neque verò ex ea solùm disputatione, sed & ex aliis locis, Stoicæ philosophiæ non fuisse illum imperitum cognoscimus.

Locatus.) velut in statione positus, quam curare debemus nec deserere nisi jussu imperatoris Dei. variè Græci Stoici hoc expresserunt: ut plurimum verbo τάττεσθαι: quod verbi in eam rem positum est apud Platonem in Apologia. Antoninus lib. XI. οὐ δέχῃ τὸ νῦν τῇ τῶν ὅλων φύσει εὔκαιρον, ἄνθρωπος τεταγμένος πρὸς τὸ γίνεσθαι δι' ὅτου δὴ τὸ κοινῇ συμφέρον. Arrianus lib. I. cap. IX. ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην χώραν εἰς ἣν ἐκεῖνος ὑμᾶς ἔταξεν: interdum verbis aliis usi: nam ab eadem mente sunt illa apud Marcum Antoninum συγκληροῦσθαι τοῖς πράγμασι: & συγκλώθεσθαι εἰς ἓν νῆμα: quibus & lex fatorum simul exprimitur.

Disce: nec invideas quod multa fidelia putet In loc. p.) Disce inquam istiusmodi & decreta & præcepta philosophiæ: neque eos imiteris qui summum bonum in divitiis ponunt.

Nec invideas.) invidia est dolor quod alius bono fruatur quo invidens caret: hoc vult poëta: noli putare ea bona quæ vulgò tanta contentione quæruntur, esse vera bona: illa igitur ne optes, neque doleas si uberior copia horum bonorum alii sit potius quàm tibi.

Quod multa fidelia putet In locuplete penu defensis pinguibus Umbris.) Ex omnibus civibus Romanis qui literas didicerant, soli ferè erant oratores qui rem facerent: medici enim, Græci ferè erant: quare Stoicus hic discipulos suos alloquens, meritò à caussidicorum potissimum exemplo eos conatur divertere: non quod professionem illam Stoici damnarent: sed quia illa congerendarum opum aviditas, aliena erat philosophiæ. *fidelia* vas vinarium est: caussidicis autem solitæ donari lagenæ vini, & salsamenta, atque ejusmodi tenuia munuscula. Juvenalis:

Quod vocis pretium? siccum petasunculus & vas
Pelamydum: aut veteres Maurorum epimenia bulbi:
Aut vinum Tiberi devectum quinque lagenæ.

ejusmodi sunt munuscula quorum meminit heic Persius, fidelia vini, piper, pernæ, & orca mænæ. cujus cibi summa erat vilitas, ut ex Athenæo & Lucilii versibus apud Nonium, & secundo De finibus Ciceronis constat: itaque duo simul heic agit satiricus noster: nam & patronorum avaritiam in captandis donis contra legem Cinciam, notat; & eorum illiberalitatem perstringit qui talibus muneribus illos donarent: de quo plura Juvenalis illo loco satiræ VII.

Mænaque quod prima nondum defecerit orca.) Orca est ὔρχη, qua similiter Græci ad salsamenta utebantur. Suidas: ὔρχας, κεράμια ἀγγεῖα ὑποδεκτικὰ ταρίχων δύο ὦτα ἔχοντα. ferè tamen salsamentorum vasa & Græci & veteres Latini, *ceramia* dixerunt: *prima orca*, vel verè prima, cùm plures datæ fuerint à clientibus: vel, pro parte prima ac superiore orcæ; idem utriusque interpretationis est sensus: tantam ejusmodi munerum copiam solitos patronos accipere, ut orcas integras illatas perdiu servent.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum Dicat.) Hactenus hic doctor ita suos discipulos ad philosophiæ studia incitavit, tanquam apud omnes constaret de illius præstantia & ad beatam vitam necessitate: nunc memor Romæ se hæc dicere & juvenibus Romanis, quorum aures eorum vocibus quotidie personabant, qui philosophiæ studium irridebant, & à moribus Romanis alienum dictitabant: ad istos orationem convertit, & vitam ipsorum, ob illud ipsum quod philosophiam aspernentur vitiis omnibus esse obnoxiam probat: atque ita efficit, ne quid ponderis apud discipulos suos horum voces habeant. Primùm igitur unum aliquem istorum inducit agrestium & opicorum, qui ad studia rei militaris, non philosophiæ, Romanos se applicare debere jactitabant: his totis novem continuis versibus eos reprehendit ac ridet qui doctoribus sapientiæ operam navabant: deinde sequentibus duobus versibus ostenditur, hoc vulgi Romanorum & plerorumque omnium esse judicium, hanc de philosophia sententiam.

De gente hircosa centurionum.) de numero eorum qui cultus neglectu gloriam virorum fortium & militarium affectant: *centuriones* appellat, viros militares: *hircosam gentem* nominat, illuviem eorum & δυσχέρειαν notans: quoniam qui centurionatus, tribunatus & alios militares locos ambiebant, ita Romæ vivebant. Juvenalis satira XIV.

——*vitem posce libello:*
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Adnotet, & grandes miretur Lælius alas.

idem poëta alibi,

Hispida membra quidem, & duræ per brachia setæ
Promittant atrocem animum.——

ex his apparet cur *hircosam gentem* istos appellet Persius: nam grandes alas hircus solet comitari: ut & omnis imbalnitiei & ἀλουσίας comes semper erat δυσωδία. neque restringi debet vox *hircosa* ad hirci fœtorem, verùm pro quovis alio odore tetro ex ea quam diximus caussa φυσικῶς accipiendum: sic τράγωντα Græci dicunt, non eum solùm qui τραγῶν, id est, hircum oleat: sed quemvis δυσχερῆ, ut appellat Theophrastus in Characteribus: ubi plura de his scripsimus. Simillimè in quinta osores philosophiæ vocat *varicosos centuriones*.

Quod sapio satis est mihi: non ego curo Esse quod Arcesilas ærumnosique Solones.) Hæ sunt voces vulgi Romæ: Sperne mores exoticos, & transmarinam sapientiam: cive Romano nemo vivit in orbe melius: *ærumnosi* autem *Solones*, propter indefessa philosophantium studia & continuas vigilias: non propter exilium & alia mala quæ olim passus Solo.

Obstipo capite.) accuratè hic irrisor gestum exprimit hominis meditantis: *stipare* est στείβειν: propriè verbum est fullonum, qui pedum motitatione pannos condensant, & firmiores efficiunt, inde caput obstipum, cujus cervix rigida est & obstipa, ut loquitur Suetonius in Tiberio: ita autem incedunt rigido atque immoto collo, partim superbi homines, ut eo loco Tiberius; partim attoniti, vel qui toti sunt in alicujus rei contemplatione, ut heic notatur.

Et figentes lumine terram.) oculos demittere modestæ ac studiosæ juventutis signum: ita enim à pæ-

à pædagogis inſtituebantur. Plutarchus, τὰς παῖδας διδάσκουσι οἱ παιδαγωγοὶ κεκυφότας ἐν ταῖς ὁδοῖς περιπατεῖν· adeò quidem, ut ne ad ſalutandos quidem obvios caput illis ſurrigere liceret. Lucianus Amoribus, de ephebo cum cura educato loquens: ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται, κάτω κεκυφὼς, καὶ μηδένα τῶν ἀπαντώντων ἐξ ἐναντίας προσβλέπων: qui autem attentius aliquid cogitant, oculorum pupillas ſolent tenere immotas. Philo Judæus, ἐν τῷ λογίζεσθαι τὸ σκοπεῖν τι πεπήγασιν αἱ κόραι τρόπον τινὰ συννοοῦσαι. fiunt enim ſimiles ἐκστατικοῖς. proprium autem ecſtaſi, ſopire ſenſus, & uſum eorum adimere: quia igitur oculos dejiciunt, & tenent immotos, ideò qui meditantur terram cernere dicuntur. Plato in Alcibiade poſter. φαίνῃ γέ τοι ἐσκυθρωπακέναι τι καὶ εἰς γῆν βλέπειν, ὥς τι συννοούμενος. ergo etiam iſte ait philoſophos terram acriter intueri: nam hoc eſt *figere lumine terram*, Horatio, Perſio, Statio, aliis. ἀντὶ τοῦ defixa humi lumina tenere: vel figere in terram lumina: ita enim loquuntur. Auguſtinus epiſtola CIX. *Oculi veſtri etſi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem.*

Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt.) Solent multi inter meditandum cogitationem murmure agitare, ut ait Quintilianus lib. x. cap. tertio. Ariſtænetus libro ſecundo de cauſidico meditante, καὶ ἅπαντα δέ που πρὸς ἑαυτὸν ψιθυρίζει ſilentium autem familiare iis qui in ſtudiis ſeriò verſantur: ideò Aretæus De tardis morbis, cap VI. depingens hominis ſtudioſi vitam, non prætermiſit hanc notam: τοῖς δὲ, ait, πελιδνοὶ μὲν τὸ σκῆνος, ἄχροοι καὶ ἐν ποσότητι γηραλέοι, καὶ ὑπὸ σιγῆς κωφοί. ita ſcribendum, non ut editum eſt κοῦφοι: ideo autem *rabioſa*, quia de plebe aliquis meditantem cernens, & ejus geſtus qui heic notantur, furioſum putabit: ut inter rabidi canis notas ponitur medicis, quod nullos latratus edat.

Atque exporrecto trutinantur verba labello.) ita fit murmur, labiorum motitatione. Ariſtænetus ibidem ἠρέμα τὼ χεῖλε κινεῖ.

Ægroti veteris meditantes ſomnia.) Sani homines ſunt ὀνειρωγοὶ: turbato corporis ſtatu, turbantur & ſomnia: quod & medicis inter ſigna morbi imminentis numeratur.

Gigni De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.) phyſicorum axioma vulgatiſſimum. Marcus quoque Imperator libro quarto: οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχεται, ὥσπερ, μηδ' εἰς τὸ οὐκ ὂν ἀπέρχεται.

Hoc eſt quod palles?) Seneca epiſtola XLVIII. de puerilibus logicorum ineptiis, *hoc eſt quod triſtes docemur & pallidi?* adeo quidem pallere ſoliti philoſophi, ut ἐνιρόχρωτες, quaſi non multum à mortuis differrent, vulgò dicerentur. Alciphron epiſtola tertia, ἤκουσα ἐνὸς τῶν ἐν τῇ Ποικίλῃ διατριβόντων πανάνυπόδητον, καὶ ἐνιρόχρωτος σχέδιον ἀποφθεγγομένου. apud Saresberienſem legitur *Hoc eſt cur palles*: minus eleganter & perperam.

Cur quis non prandeat hoc eſt.) quod quia contra communem Romanorum conſuetudinem, ideò notati qui facerent.

His populus ridet.) Ita rectè veteres: *ridet* pro arridet, aſſentitur, & plaudit: unus eſt qui convitium philoſopho faciat: ſed hujus petulantiam omnes qui adſtant voce geſtuque comprobant.

Multumque toroſa juventus.) juventus militiæ dedita, & hircoſa gens centurionum: nam de iiſdem accipiendum.

Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinno.) ita vehementer irridet ac cachinnatur, ut totum corpus concutiat, & naſum in rugas contrahat, unde *rugoſa ſanna* ſatira v.

Inſpice neſcio quid trepidat mihi pectus.) Nunc reſpondet doctor Stoicus iſti philoſophiæ vituperatori. Summa reſponſionis eſt: qui alieno ſunt animo à ſapientiæ ſtudio ſimiles eſſe iis qui morbo laborant, & medicum reſpuunt: quare ut illi neglecta medici curatione intereunt: ſic iſti dum philoſophiam, quæ animorum medicina eſt, aſpernantur, in vitia præcipites ruunt, quæ ipſos malè tandem perdant. Hoc volunt novemdecim qui ſequuntur verſus. Sed auctoris mentem obſcurat comparationis quam diximus omiſſa penitus pars altera: ſolam enim protaſim poſuit, apodoſim reliquit auditori ſupplendam: quod quidem eo eſt facilius, quia morbi appellatio communis eſt corporis, animique vitiis, ut antè dicebamus.

Et ægris Faucibus exſuperat gravis halitus.) ἐρυγαί: vide mox: pro *exſuperat*, alii libri *exſudat*: plerique veteres *exuberat*: rectiſſimum eſt *exſuperat*: nam ructus è ventriculo ſurſum aſcendunt: quod Græci dicunt ἀναδίδοσθαι & ἀνάδοσιν.

Juſſus.) διατεταχθείς, malè alii libri *viſus*, medicorum voces διατάττειν & συντάττειν. quod verbum è medicis acceptum eleganter alio transfert Marcus Antoninus lib. III.

Requieſcere.) Seneca De ira lib. III. *Initia morborum quies curat.*

Compoſitas venas.) κατὰ φύσιν ἐχούσας· ita ſæpe *compoſitum* dicitur quod convenienter naturæ ſe habet: *currere* autem venas dixit, uſum loquendi ſecutus vulgi etiam medicorum: arterias enim intelligit, quæ non currunt, ſed σφύζουσι & pulſu ἐπισημαίνουσι, ac dant ſignificationem bo-

næ malæve valetudinis.

De majore domo modicè sit.) Duo peccat contra valetudinem, quod balneis utitur: quod vinum bibit: in utroque genere ægrorum intemperantiam passim medici veteres accusant: & Plutarchus periisse multos scribit, tantùm propter lavationem intempestivam, cùm leviter ægrotantes capere cibum non sustinerent illoti. Locus est in Salubribus præceptis.

Modicè sitiente lagena.) ἐπιεικῶς μεγάλη, μετρία. Parcè enim exquisita vina largiebantur. Juvenalis in v.

Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.

Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.) *Surrentina lenia* sunt quæ potui fecit apta longa dies: nam post annum demum XXV. incipiebat bibi vinum Surrentinum: tunc autem inter præcipua censebatur, & convalescentibus accommodum. Plinius & Græci medici.

Heus bone tu palles.) Medici verba ad ægrum, qui ejus consilium & oblatam medicinam respuit.

Surgit tacitè tibi lutea pellis.) Pallida cutis: luteus color, pallidus, & albus passim confunduntur: apud Horatium, *luteus pallor* & *albus pallor*: & mox Persius *timor albus*. Homines autem è morbo pallidos per jocum appellabant Græci πυξίνους, & τοὺ χρυσοῦ ἄξίους, ut refert Eustathius: facta videlicet allusione ad proverbium, quod de insignis bonitatis viris usurpabant: λεύκωμα enim τοὺ χρυσοῦ ἄξίους vocabant.

Jampridem hunc sepeli: tu restas.) Tangit insolentiam juventutis depravatæ, quæ bene monentibus adeò gratiam non refert meritam, ut sæpe malum minitetur. Pistoclerus in Bacchidibus apud Plautum:

Omitte Lyde atque cave malo.
Jam cessit mihi ætas ex magisterio tuo.
Fiam, ut ego opinor Hercules, tu autem Linus.

Turgidus hic epulis.) Pœna luxuriæ & ganeæ, morbi, ac mors sæpe præsens: eadem sententia apud Juvenalem in prima: ubi videtur hunc locum imitatus.

Pœna tamen præsens cùm tu deponis amictus
Turgidus & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.

Martialis libro XII.

Mullorum leporumque & suminis exitus hic est,
Sulfureusque color, carnificesque pedes.

Atque albo ventre.) Albus aut albidus color proprius otio marcentis & voluptatibus diffluentis. Dio Chrysostomus in IV. de regno. λευκὸς ἰδεῖν, ὑπέρυθρος, αἰδείας τε πίων ἀπίρθ. In LXII. ὑπὸ ὀργίας καὶ σκιᾶς λευκός. Horatius:

——— *pinguem vitiis albumque.* ———

Sulpicia in satira,

Non trabe sed tergo prolapsus, & ingluvie albus: sic accipe illud Senecæ in principio De brevitate vitæ: *Quàm multi continuis voluptatibus pallent?*

Gutture sulphureas lentè exhalante mephites.) Ut modò, ——— *ægris*

Faucibus exsuperat gravis halitus. ———

& sæpe apud Joannem Chrysostomum in πλεονεξίας descriptione, ἰξῶδες δυσωδίας: quam graveolentiam *sulphureas mephites* poëta vocat. Hieronymus adversus Jovinianum: *pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum.* Planè id expressit, quod vult heic Persius. Seneca epistola XCV. *quàm fœdi atque pestilentes ructus sunt, quantum fastidium sui, exhalantibus crapulam veterem? Scias putrescere sumta, non concoqui.* Idem Naturalium lib. V. *In nostris corporibus ex cibo fit inflatio, quæ non sine narium injuria emittitur, & ventrem interdum cum sono exonerat, interdum secretius.*

Sed tremor inter vina subit.) Læsis nervis, ut antè dicebamus. Seneca ibidem: *Quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis: inde pallor & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & semper quasi in ebrietate titubatio*: lege totum locum, qui eximius & facundia Senecæ dignus.

Calidumque triental Excutit è manibus.) Secuti sumus lectionem codicis Puteani: quam etiam vetera scholia agnoscunt: alii libri *trientem* scribunt: quam scripturam cur huic prætulerint, caussam non video: nam triens est vini mensura: quomodo sæpe occurrit apud Martialem: & apud Suetonium bibere sextantem: & similia passim: at hoc loco poculum ipsum necessariò intelligendum: quare igitur triental non dicetur poculum trientis capax? Simili forma quadrantal vas aliud appellarunt, etsi non ab eadem ratione: erat enim vas amplitudinis maximæ.

Dentes crepuere retecti.) Exesis gingivis: *crepuere* autem ob tremorem capitis, & laxa labra, ut subjicit, hoc est, ob corporis totius compagem solutam: perperam hæc referunt quidam ad signa mortis: nam adhuc sermo est de morbis & afflicta valetudine temulentorum: iidem cùm ex medicorum libris Persium subtili περιεργίᾳ tentant illustrare, non aliud consequuntur, quàm ut mentem auctoris non vidisse se palàm faciant, quod voluimus semel dictum: nam in singulis

immorari

immorari & aliorum errores ostendere, per mores nostros & vitæ propositum nobis non licet. Sed in lineam redeamus.

Uncta pulmentaria) Cibos illos lautos & delicatos: sic in Pseudolo Plauti,

—— *pulmento utor magis unctiusculo.*

apud Catonem, *uncta brassica*, *uncta patella*, satira sequente, & alibi, *cænare sine uncto*. Itemque

Ungue puer caules. ——

Hinc tuba, candelæ.) Morbum ex intemperantia natum sequitur mors: quam indicat descriptione funeris: describit autem ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς: nam tuba ad ἐκφορὰν spectat: prius autem quàm efferrentur humi deponebantur, lecto ubi animam egerant extracti, deinde lavabantur, ungebantur, componebantur, lecto ferali aptabantur: tum autem collocati in vestibulo per aliquot dies complorabantur, næniam dicentibus amicis & præficis cum iis ad quos funus pertinebat: postremò efferebantur: qui omnes funerum ritus itemque alii, toties jam observati, adeoque illustrati eruditissimorum hominum diligentia, ut in iis velle heic immorari, supervacuum sit ac plane φορτικῆς λογοδιαρροίας. Qui ante nos hunc poëtam tractarunt, si πολυαναγνωσίαν suam judicii maturioris sale condiissent, honori suo melius consuluissent: quàm multa enim peccant? ut cùm tubam propriam funeri publico faciunt? cùm ex candelarum mentione funus acerbum heic describi conjectant: quo quid absurdius? nam poëta de viro loquitur, qui in vino & aliis voluptatibus diu se volutaverit, perpetuus philosophiæ osor & contemtor: non de infante aut puero vel adolescente: cujus peccata ætas meritò excusaverit. Ipse Persius de quo hominum genere hæc sint accipienda, declarat manifestò versu illo, quem sermonis hujus initio posuit:

Heic aliquis de gente hircosa centurionum.

an igitur virorum militarium acerba sunt funera? deinde illa distinctio cerei & funalis, etsi magnos viros auctores habet, falsò tamen adhibetur ad discrimen statuendum inter acerba funera & alia: loci Senecæ quos in eam rem afferunt, aliter accipi debent, neque in eam sententiam torquendi sunt: mortuis autem & dum in vestibulo positi erant, & cùm efferrentur ignis aderat: iidem in conditoriis etiam suas lucernas habuerunt, ac luminibus variè soliti honorari: quos omnes ritus candelæ appellatione innuit heic Persius. Jam quod illa verba,

—— *tandemque beatulus alto*

Compositus lecto. ——

ad morem collocandi mortuos referunt, ne rudioribus imponant cautio est: quid? περιστολὴ νεκροῦ & πρόθεσις illis videtur idem esse? hoc nemo eis concesserit, qui vel ἀκροθιγῶς Græcam & Romanam antiquitatem degustarit. περιστέλλειν Græci, Latini *componere* mortuum dicebant, cùm ejus cadaver, probe lotum, atque unctum linteis involvebant, quod ἐντυλίσσειν tres Euangelistæ dixerunt, Artemidorus ἐσχισμένοις ῥάκεσιν ἐνειλεῖν, & corollas cæteraque ornamenta illi adjiciebant, quibus vetus superstitio mortuos suos variè adornavit, ita compositi atque ornati lecto ferali aptabantur: quod heic poëta *componi in lecto* dixit. Ovidius in IX. Metamorphoseon:

—— *peream precor ipsa toroque*

Mortua componar. ——

sæpè autem apud Græcos & Latinos verbis περιστέλλειν & *componere* totus apparatus funebris & funus universum intelliguntur. Horatius, *omnes composui*: sed propriè περιστέλλειν & *componere* id significant quod diximus: quare Olympiodorus in Phædonem Platonis, ubi explicat quid omnes hi mores συμβολικῶς denotarint, compositionem, cum fasciis mortui involvebantur: ait designare expeditam ad superos profectionem: τὸ ἐζώνυς ἀναθεῖν, inquit, σύμβολον τὸ περιστέλλεσθαι. Sequebatur ἡ πρόθεσις, collocatio mortui, quæ etiam hodie, etsi alio fine, plerisque est in usu: adeò diversus à superiore mos, ut nullum sit dubium multos fuisse compositos, qui non collocarentur ad planctum in atrio domus: ut de Acilio Scævola videtur posse affirmari ex Valerii Maximi libro primo, capite nono: itemque de infantibus, & aliis quorum erant acerba funera: quæ festinatione exequiarum subtrahere oculis, à majoribus institutum ait in edicto suo Nero apud Tacitum libro XIII. non igitur ferendus error cùm in loco Lysiæ προθεῖναι vertunt *componere*. Latini poëtæ *ponere* & *deponere* ea notione frequenter usurpant: *componere* nemo unquam: apud veterem interpretem *exponi* valet προθεῖναι isto loco.

Alto lecto.) Ad librum II. Suetonii observabamus humiles lectos fuisse tenuiorum: cùm ditiorum lecti sublimes essent, & in altum exaggerati. Idem servatum in funere.

Crassisque lutatus amomis.) Ita Græci μύρον παχὺ solent commendare: *pingue amomum* Statius.

In portam rigidos calces extendit.) Tangit morem προθέσεως, sive collocationis. Notabunt studiosi ἀκυρολογίαν, cujus aliud exemplum non memini:

mini: nam *porta* Latinis eſt urbis: heic verò eſt janua domus: ad oſtium enim domus admovebatur cadaver verſis in portam pedibus. Mos eſt antiquiſſimus: quem è tenebris princeps eruit Joſephus Scaliger in omni doctrinæ genere vir eminentiſſimus, Notis ſuis ad Feſtum: multa etiam ſuper hoc more Juſtus Lipſius in Electis ſuis eruditè obſervavit. Homeri locus de Patroclo,

Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος,

eſt Ἰλιάδ. τ. ſive libro XIX. non in VII. ut quidam ſcribunt non ſemel. Explicat hunc morem etiam Heſychius, afferens ex poëta neſcio quo verba iſta, διὰ ἐκ θυρῶν: ſic autem ille, τοὺς νεκροὺς οὕτω φασὶν ἰδεράζεσθαι ἔξω τοὺς πόδας ἔχοντας πρὸς τὰς αὐλίους θύρας: apud Platonem in XII. Legum προθέσεων iſtarum multa mentio: ubi interpretes eam vocèm non intellexerunt: locum unicum adſcribam, de legitimo ſpatio exponendi mortuos, qui locus peſſimè ab eruditis hominibus eſt acceptus: quod & doctiſſimus vir Henricus Stephanus ex parte vidit: ſic ille: τὰς δὲ προθέσεις πρῶτον μὲν μὴ μακρότερον χρόνον ἔνδον γίγνεσθαι τοῦ δηλοῦντος τόν τε ἐκτεθνεῶτα (ſcrib. οὐ τεθνεῶτα) καὶ τὸν ὄντως τεθνηκότα· εἴη δ' ἂν σχεδὸν ὡς τ' ἀνθρώπινα, μέτρον ἔχουσα, τριταία πρὸς τὸ μνῆμα ἐκφορά: id eſt: *Quod ad mortuorum collocationes primum illud ſtatuendum eſt, ne longiore temporis ſpatio intus fiant, quam quo declaretur verene ſit aliquis mortuus, annon. legitimum igitur ſpatium, ut ferè ſunt res humanæ, fuerit, ſi tertio die ad monumentum mortuus efferatur.* Hanc legem ſancit Plato in Rep. à ſe inſtituta. Athenis verò numerum hunc variè fuiſſe obſervatum ad Theophraſtum notare meminimus: cauſſam προθέσεως etiam Pollux eandem ſtatuit cum Platone: ſed fuit etiam alia: nam poſito corpori domeſtici & familiares lamentando leſſum faciebant. Aſconius in eam pro Milone: *perlatum eſt corpus Clodii ante primam noctis horam: infimaque plebis & ſervorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus poſitum circumſtetit.* Alludit huc Gregorius Nazianzenus in illa divina oratione De amore pauperum, cùm ſcribit καὶ μήτηρ μέμνηται τῶν ὠδίνων, καὶ τὰ σπλάγχνα σπαράσσεται, καὶ ἀνακαλεῖται λίαν ἐλεεινῶς, καὶ προθεῖσα θρηνεῖ καθάπερ τεθνηκότα, τὸν ζῶντα. Cave confundas προθέσεως morem cum alio, cujus antè mentionem fecimus: cùm cadavera humi ponebant. Artemidorus libro primo, οἱ ἀποθνήσκοντες χαμαὶ τίθενται. Valerius Maximus, *Acilius Aviola à medicis & à domeſticis mortuus creditus, cùm aliquandiu humi jacuiſſet, elatus, poſtquam ignis corpus ejus corripuit, vivere ſe proclamavit.* Olympiodorus in Platonis Phædonem eo more συμβολικῶς fuiſſe ſignificatum ſcribit, animum defuncti cum univerſitate rerum coaleſcere: τὸ ἐπὶ γῆς τεθῆναι σύμβολον τοῦ ἀναμιμνήσκειν ὅπως ἂν τοῖς ὅλοις ἡ ψυχὴ συναφθείη.

At illum ſubiêre.) Hoc eſt, patroni ſui pheretro novi liberti ſubiêre, ut loquitur Virgilius: non debuit exponi aliter hic locus: cùm erant plures teſtamento manumiſſi, partim lectum geſtabant, partim ad latus procedebant, vel ambiebant: omnes *capite induto*, hoc eſt, pileati. Interdum viri nobiliſſimi etiam alieno lecto funebri humeros ſubjiciebant, ut in ea hiſtoria quam refert Valerius Maximus lib. IV. ca I. de Scipionis Africani funere.

Heſterni quirites.) Ut heri atque hodie accidiſſe dicimus rem quæ non multò antè acciderit: ſic *heſternos quirites* ἁπλῶς vocat ſervos libertate recens donatos. cedit autem libertatis teſtamento relictæ dies non mortis tempore, ſed poſt aditam hereditatem.

Tange miſer venas, & pone in pectore dextram.) Scopum ſuperioris comparationis cùm non eſſet ſatis aſſecutus contemtor hic philoſophiæ, aut diſſimularet ſe aſſecutum: gnarus tamen eo ſermone ſe peti: in philoſophum ultro his verbis invehitur, falsò dici ſe ægrotum affirmans, qui optimè valeat.

Venas.) Arteriam manus ad pericardium, ut fieri amat à medicis σφυγμὸν explorantibus.

Pone in pectore dextram.) πρόσαγε τῷ στέρνῳ τὴν χεῖρα, Julianus in Miſop. impone cordi manum, ut exploret qualis ſit ejus palpitatio.

Nil calet heic.) Dextrè accipe, de calore adventitio contra naturam: quanquam medico arteriam tangenti, non tam calor morbi indicium facit, quàm pulſus qualitas: item cùm cordi manum imponit, modus palpitationis: quia tamen ferè conjunguntur motus παρὰ φύσιν, & calor immodicus aut frigus, ideò alterum pro altero poſuit.

Summoſque pedes attinge manuſque.) Hoc quoque ex arte medicorum, è ſummarum manuum vel extremorum pedum calore aut frigore judicium de valetudine facere.

Viſa eſt ſi fortè pecunia, ſ.) reſpondet philoſophus, & quod ſuprà ἐν παραβολῇ dixit, planius nunc oſtendit. Ait igitur, non poſſe illum pro ſano haberi, qui avaritiæ, libidini, luxuriæ, metui, atque iræ, teterrimis animi morbis, ſit obnoxius. Quoniam autem ſæpè affectus latent, cùm vel metus adeſt, vel illis occaſio deeſt ſe exerendi:

propte-

propterea hic philosophus, gnarus verè dictum objecto moveri potentiam, velut in certamen hunc misophilosophum adducit, ut vires suas periclitetur, Age, inquit, si præsens lucrum se offerat, potes illud ita spernere ut ejus cupiditate non movearis? & quod ait in quinta,

In luto fixum potis es transcendere nummum? quid si occasio se obtulerit libidinis exercendæ, potes ita virum te præbere, ut ne commovearis quidem?

Cor tibi ritè salit?) Hippocrates diceret, πῶς τῆς καρδίας διασημαίνει τὸ ἅλμα: Cordis duplex motus, ἀπροαίρετος & ἐκπροαιρέτως: (*involuntarius, vel naturalis: & à voluntate pendens.*) Ille valetudinis dat indicium: hic voluntatis & affectus: eum enim habent consensum phantasia atque intellectus cum corde, ut ad oblatam speciem boni vel mali motus cordis statim aptetur: atque ut ille ait, *motus cordis salum mentis indicat*: hic est animi morbus παλμώδης, quem vocat Philo Judæus, in lib. De Abele & Caino: ὅταν, ait, ἤδη παρηβήσῃ καὶ ὁ τῶν παθῶν παλμώδης νόσος χαλάσῃ, καθάπερ νηνεμίας ἐπιγινομένης ἄρχεταί τις γαλήνην ἄγειν. (*cùm jam exactâ juventâ morbus ille micatorius, affectionum proprius, remiserit; quasi jam sedatâ tempestate incipit aliquis tranquillitate frui.*) Et luculentius idem alibi, de cultu animi loquens: ὅταν δὲ παλμῶδες ἐν ψυχῇ πάθος ἀθρόον γένηται κνησμοὺς ἢ γαργαλισμοὺς ἐξ ἡδονῆς ἢ ἐπιθυμίας, ἢ πάλιν δηγμούς τε καὶ πτοίας ἐκ φόβου καὶ λύπης ἐμποιοῦν, προδιατεθέντι σωτηρίῳ πραΰνεται φαρμάκῳ. (*Quando autem effectus ille micatorius ferus ingruerit, pruritus & titillationes ex voluptate vel concupiscentiâ: vel contrà, morsus & consternationes ex timore & oblivione inducens, salutari hoc pharmaco, cujus parandi rationem indicavimus, mitigari poterit.*) Itaque solent præstantes medici ex cordis motu, non solùm corporis morbos, sed etiam animi perturbationes, & quas Philoni appellari ostendimus τῆς ψυχῆς παλμώδεις νόσους, divinare: quod à se factum sagaciter in Boëthi uxore testis Galenus: nota etiam Erasistrati medici similis solertia in conjiciendo cujus morbi æger esset Antiochus Seleuci regis filius: conjecturam autem fecit maximè ex motu salientis cordis. Julianus, Misopogone in narratione ejus historiæ: ταῦτα ὁρῶν ὁ ἰατρὸς προσάγει τοῦ στέρνου τὴν χεῖρα: καὶ ἐπήδα δεινῶς ἡ καρδία, καὶ ἔξω ἵετο: τοιαῦτα ἄττα ἔπασχεν ἐκείνης παρούσης: ἐπεὶ δὲ ἀπῆλθεν, ἐπιόντων τῶν ἄλλων ἀτρέμας εἶχε, καὶ ἦν ὅμοιος τοῖς οὐδὲν πάσχουσι. Valerius Maximus libro v. cap. vii. in eadem narratione: *Intrante Stratonice & rursus abeunte, brachium adolescentis dissimulanter apprehendendo, modò vegetiore, modò languidiore pulsu venarum comperit* Erasistratus, *cujus morbi æger esset*: idem & Plutarchus in Demetrio. Atque ad hanc nobilissimam historiam videtur allusum à Persio hisce verbis,

Cor tibi rite salit? ——

ex eadem cognoscimus cur dixerit poëta, *visa est si fortè pecunia*: & *subrisit molle puella*: nam ut antè dicebamus, longè acrius præsente quàm absente objecto affectus moventur: ut heic verissimum sit illud Euripideum,

Οὐ ταὐτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
Πόρρωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων.

Adeò autem non est vanus Persii ἔλεγχος virtutis aut vitii à micatione cordis, ut etiam veræ aut simulatæ pietatis conjecturam facere nos jubeat ἀπὸ τῶν σκιρτημάτων τῆς καρδίας (*ex micationibus cordis*) gravis scriptor Athanasius in Quæstionibus ad Antiochum: si tamen venerandi ejus patris aliquid ei libro inest, quem inter νοθεύοντας referendum esse nemo sanus judicii dubitat.

Positum est algente catino.) Ad frugalitatis periculum faciendum provocat. Veteres, ut sæpe dicebamus ad Athenæum, ferventibus cibis mirificè delectabantur: ideò *algentem catinum* dixit eo ipso vilitatem apparatus designans.

Durum olus.) Puta, urtica: ut in vi.

—— *mihi festa luce coquatur*
Urtica ——

& alia id genus olera cujusmodi sunt in ea cœna quam describit Ammianus poëta isto venustissimo epigrammate:

Ὡς κήπῳ τεθυκὼς, δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα.
Ἦν ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλυς, θρίδακες, πράσα, βολβοί,
Ὤκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον, ἀσπάραγος.
Δείσας δ' ἐκ τούτων μὴ καὶ χόρτον παραθῇ μοι,
Δειπνήσας ἥκω θέρμους ἡμιβρεχεῖς ἀποφυγών.

Ut mactato horto sic nos accepit Apelles:
Pascere, credo, putans non homines sed oves.
Intybus heic, raphanus, siliquæ, porrum, blita, bulbi
Ocimon & menta est, rutaque & asparagus.
Hinc igitur veritus fœnum ne apponeret: edi
Agrestem, & fugio, vix madidamque fabam.

& populi cribro decussa farina.) ἄρτος ὁ λεπτῷ κοσκίνῳ σηστὸς, ut sæpe loquitur Galenus, *populi cribrum* quod Plinio dicitur farinarium: eo succreta farina panem facit secundarium, ut quæ cribro pollinario decussa fuerit, primarium ac candidum.

Tentemus

Tentemus fauces.) Age, videamus quomodo placebit tibi hic victus.

Tenero latet ulcus in ore Putre.) elegantissimè. nam qui plebeio pani & furfuraceo non assueverunt, teneriore palato sunt, quàm ut sine ejus exulceratione tali pane possint vesci: quod igitur eventurum sciunt si ederint, id jam evenisse ne edant caussantur.

Quod haud deceat plebeia radere beta.) Arbiter:

Et pictis anas enovata pennis
Plebeium sapit———

idem,

———*non usu plebeio trita voluptas.*

Martialis,

Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas.

Alges cum excussit membris timor albus aristas.) Alius morbus, timor. Alges, inquit, hoc est, algere te fingis, ut timorem dissimules: vel sis revera algenti similis: dum paventi tibi calor omnis ad cor intimum se recipit; ideò φόβος ὀκρυόεις dicitur poëtis: sequentibus versibus describit φρίκην, commune πάθος frigori & metui. *excussit* pro erexit, ἄρθωσε. nihil enim aliud horror quàm pilorum ex contractione cutis erectio, & ἐξανάστασις, ut loquitur philosophus: fortasse respexit ad hystrichem, cujus aculei missiles sunt. *aristas* posuit pro pilis, alludens ad Homerum qui dixit λήϊα φρίσσειν ἀσταχύεσσιν (*fata horrere aristis.*)

Nunc face supposita fervescit sanguis.) pro, ut face supposita, ira autem verè est fervor sanguinis. Jamblichus in Protreptico: τὸ ὀξὺ τῆς ψυχῆς ὅπερ θυμὸν καλοῦμεν λογισμοῦ καὶ φρονήσεως ἐστέρηται. ζεῖ γὰρ ὁ θυμὸς ὥσπερ λέβης πυρὶ θαλπόμενος. (*acre illud animæ, quod iram nuncupamus, rationis & prudentiæ expers est: fervet enim ira ut lebes igne calefactus.*)

Et ira Scintillant oculi.) Homerus,

Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην,

& passim poëtæ.

Dicisque facisque quod ipse Non sani esse hominis; non sanus juret Orestes) Expende, inquit, cætera dicta factaque tua, & quidem non ad stateram philosophorum: quos soles irridere, tanquam nimis severos & miseram vitam agentes: sed ad judicium vel cujusvis è plebe, quæ nihil habet cum philosophis commune, invenies ne istorum quidem calculis tolerabiles esse tuos mores: nedum ut sit verum quod paullò antè dicebas,

Quod satis est sapio mihi.

porrò Stoicis omnes insani, qui non sunt sapientes: non dissimile in Bacchidibus Plauti;

———*hoc etiam ipsi culpabunt mali.*

AD SATIRAM QUARTAM.

NERONE principe, quanta fuerit bonorum civium indignatio, quantus mœror, cùm viderent perditissimum juvenem imperio Ro. illudere, facile cuivis æstimare est. Neque dubitandum præclara ingenia quæ illa tempestate non pauca effloruerunt, ægrè se continuisse, quominus ingenui doloris testimonia monumentis suis impressa ad posteros transmitterent; cujus rei vel unius Annæi Lucani Pharsalia abundè fidem nobis fecerit. Vixit inter cæteros nobilioris ingenii viros eorum temporum & poëta noster, duorum summorum hominum Pæti Thraseæ & ipsius Lucani amicus ac familiaris. Hic cùm impatientissimè ferret, ut erat naturæ acris, & in amore virtutis ac vitiorum odio juxta vehemens, susque deque omnia misceri Romæ; regentibus impe-

imperium juvenibus depravatissimis, & imprimis Nerone ipso: qui neque usum Reip. ullum habebat, neque rationem ejus administrandi ullo modo aut didicerat aut sciebat: non abstinuit quin stili sui mucronem tam in Neronem ipsum stringeret, quàm in reliquos similis dementiæ juvenes: qui totius πολιτικῆς imperiti gubernacula publicæ rei pro se quisque capessebant. Isti sunt adversus quos satira hæc est scripta: cujus etsi præcipuus erat scopus, in Neronem invehi, atque ipsum satirico sale defricare, quod Remp. suscepisset gubernandam, tanto oneri prorsus impar, quodque esset illius vita libidine, aliisque vitiis infamis: sic tamen poëta in hoc argumento indignationi suæ habenas laxavit, ut neque palàm, neque plenis velis in flagitiosissimum principem inveheretur, verùm tectè & longè mollius quàm vel natura ipsius ferebat, vel Neronis flagitia ac scelera merebantur, nos autem putamus tum scriptam esse hanc satiram, cùm nondum totus innotuerat Nero: cujus principium laude digna habuit multa: sed simulata, non vera fuit illa virtus: cum suis flagitiis ac sceleribus initio velamenta quæreret, ut narrant historici. Viris gravibus, quibus interior Neronis vita non erat incognita, verba dari non poterant: neque ulla simulatione effici, quin suspectam ejus indolem haberent: posteà cœpit paullatim manifesta fieri illius monstri immanitas: quo tempore videtur hoc carmen fuisse compositum: ita enim meminit libidinum ejus principis, quasi tum primò vitæ ejus obscenæ opinio sinistra in vulgus emanasset: quemadmodum suo loco est à nobis indicatum. Porrò hypothesis & οἰκονομία satiræ totius ita habet. Statim in principio accusationis quam instituit summam proponens, Neronem objurgat, quod Remp. gubernare aggrederetur, ejus negotii atque adeò πολιτικῆς totius, penitus ignarus. Ignorantiam eo probat, quia quid justum esset, quid injustum, quid Reipub. utile, quid inutile cognitum non habeat: circa quæ τὴν πολιτικὴν versari, nemo potest ignorare. Aliud deinde argumentum adjicit, quòd nimirum, non τῆς πολιτικῆς solùm, sed in totum universæ philosophiæ esset ἀμύητος: unde fieret, ut de vita rectè instituenda ne cogitasset quidem: sed sola generis prærogativa, & potentia fretus, voluptatibus sese dederet. Quoniam autem mimum egit Nero imperii sui initio, ut modò dicebamus, domesticis & intercutibus vitiis turpis, publicè καλὸς κἀγαθὸς: quò securitatem hanc ei adimat Persius pluribus disputat, non posse fieri ut cujusquam vitia lateant; cùm ita sit naturæ comparatum, ut in aliena peccata omnes lubenter inquirant, suorum securi: quam sententiam ubi in genere multis versibus est persecutus: ad Neronem deinde iterum redit: & probrosam ejus vitam hac ratione innotuisse significat: ne fucum igitur sibi aliisque amplius faceret: sed de vita emendanda serio cogitaret. Sciebat verò Persius non defuturos in aula Neronis fœdos assentatores, qui illi persuaderent, quod satis esset ipsum sapere sibi; neque aut philosophiæ aut virtutis studium vehementius illi necessarium: propterea à perniciosis istorum assentationibus Neronem conatur avertere, & ut ne aliis plus de se quam sibi ipsi credat hortatur: intellecturum enim facile si sui periculum fecerit, quam nudus sit ab omnibus virtutibus, & ab illis artibus imparatus, quarum notitiâ Reipublicæ bene ac feliciter administrantur. Hic est totius carminis hujus conspectus, ac series. Probè verò notat Persius, cùm ad hanc satiram scribendam se accingeret, quantam rem & quam periculosam moliretur: quamobrem consilio prudentissimo hoc argumentum Platonis imitatione sibi tractandum censuit: non solùm nominibus inde petitis, sed etiam sententia propemodum universa; ut si quis fortè Corycæus aut Cercops nomen ipsius deferret, probabili excusatione posset factum suum defendere: quasi exercendi tantum stili caussa petitum è libris summi philosophi argumentum, Latinis versibus tentasset complecti. Quare etiam ab omnibus illum videmus abstinuisse, quæ Neronis personam propriè erant denotatura. Nihil enim heic invenias de rapto nefaria fraude imperio, nihil de crudelissima Britannici cæde, nihil denique quod non & aliis multis juvenibus probè quadrare posset, qui tempestate illa obsoletis legibus annariis, ad summas dignitates, ipsum etiam Consulatum, ex libidine principis provehebantur. Hinc est, quod citimæ vetustatis interpretes, quorum notulæ ad nos pervenerunt, in exponenda hac satira Neronis mentionem omnino nullam fecerunt: adeò non animadverterant contra illum principem hæc fuisse scripta. Extant vero inter Platonis dialogos duo de nomine Alcibiadis insigniti: alterum horum, posteriorem nempe Alcibiadem, imitabatur Persius satira secunda: alter qui Alcibiades prior dicitur, is est unde satira hæc magnam partem est expressa.

REM *populi tractas.*) Tribus primis versibus, & per-

personas indicat quas loquentes introducit in hoc carmine: & totius argumenti summam: est autem hæc, quod Alcibiades juvenis, hoc est, imperitus, rem populi tractet: quanquam apud Platonem non dicitur Alcibiades tractare Remp. sed jamjam tractaturus, & μάλα ἡμερῶν ὀλίγων, ut ait Socrates, quare non dicit Socrates Alcibiadi *Rem populi tractas*: ut heic, sed ἐὰν ἔλθῃς εἰς τὸν Ἀθηναίων δῆμον παρέλθῃς; *ubi primum ceperis rem populi Atheniensium tractare*: accusatio autem ita concipitur ab eodem, ὅτι ἄπειρος ὢν τὰ πολιτικὰ πράττειν παρεσκεύασαι. quæ & Persii mens: *res populi* Jurisconsultis aliud longè quàm Resp heic pro eodem: ut sæpe in aliis scriptoribus: quare & Marcus Tullius in libris de Rep. breviter Remp. definierat esse rem populi, ut testatur Augustinus De civitate Dei, libro XIX. cap. XXI. sic Græci dicunt τὰ τοῦ δήμου πράγματα· ut βουλεύεσθαι περὶ τῶν τοῦ δήμου πραγμάτων: quod quid significet explicat Socrates in hoc dialogo. etiam τὰ πράγματα pro Rep. dixerunt: ut cùm ait Gregorius in epitaphio Cæsarii fratris post mortuum Julianum. τοῖς χριστιανοῖς ἐπανελθεῖν τὰ πράγματα. *Christianis remp. esse redditam.*

Barbatum hæc crede magistrum Dicere:) non solùm quia barbam alebat Socrates, quod Græca comœdia testatur, ita vocat: sed quia Romani cùm majores laudabant soliti dicere, *casci barbati*, ut in IV. De finibus testis Cicero.

Sorbitio tollit quem dira cicuta.) Quidam codd. *dura*: minus rectè: cicutam probè tusam ac dilutam propinabant in calyce more medicamentorum: idque πιεῖν φάρμακον in Phædone Platonis dicitur. Socrates verò jussus à scelestissimis Atheniensibus non ἔπιε, sed ἐξέπιεν, ut ait Plato. qui parem animi constantiam non afferebant, ii non bibebant, sed sorbebant: ut aliquam temporis morulam lucrifacerent: inde est *sorbitio* ἁπλῶς pro cicutæ haustu. Cæcilius Hymnide:

Sine suam senectutem ducat: utique ad senium sorbitio: assentior enim Josepho Scaligero, qui putat allusum ad Ceorum legem, quæ sexagenarios senes jubebat cicutam bibere. Sanè illa fabula Cæcilii tota Græca, ex Menandri Hymnide versa: cujus meminerunt Athenæus lib. VI. & Hesychius bis in βάκυλος, & παρυφίς.

Quo fretus?) ὅτῳ πιστεύων; ait Socrates ad Alcibiadem: hoc est, qua maximè arte confidens, ut Cicero in Tusculanis.

Dic hoc magni pupille Pericli.) dic Alcibiades qui nulla re adeò gloriari soles quàm tutela Periclis: respexit ad ista Socratis, qui postquam varia recitasset, quibus fretus Alcibiades magnificè adeò de se sentiebat: puta, genus, formam, opes addit, ξυμπάντων δὲ ὧν εἶπον μεῖζον οἴει σοι δύναμιν ὑπάρχειν Περικλέα τὸν Ξανθίππου, ὃν ὁ πατὴρ ἐπίτροπον κατέλιπε σοί τε καὶ τῷ ἀδελφῷ.

Scilicet ingenium & rerum prudentia velox, Ante pilos venit.) Socrates Alcibiadi: Οἶον ἄρα ἐπίστασαι καὶ παῖς ὢν τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα. nempe ex opinione Alcibiadis hoc Socrates: qui è contrario alibi apud Platonem pronuntiat: *Beatum cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit*: ut refert Cicero in V. De finibus. Gregorius quoque Naz. in Apologetico pro seipso, ἀγαπητὸν ὅτῳ κἂν εἰς βαθὺ γῆρας λόγος ἀφίκοιτο πολιός. Persius verò hoc versu aliquot paginas complexus est, quibus disputat Socrates apud Platonem, Alcibiadem, qui tum erat annorum XX. neque per se invenisse, neque ab alio didicisse scientiam politicam; quæ heic appellatur *rerum prudentia*. Platoni & Aristoteli πολιτικὴ dicitur ἁπλῶς: & sæpè πολιτικὴ τέχνη, vel δύναμις vel ἐπιστήμη: hæc virtus quia propriè convenit magistratibus quos Græci & τοὺς ἐν τέλει, & interdum τοὺς ἐντελεῖς nominant, ideò ἐντελείας vocabulo est designata: ita accipit Gregorius Naz. in epitaphio in patrem, ubi ait ἐντελείαν esse τὴν περὶ τὸ πρακτικὸν ἀρετήν: positam ἐν προστασίαις, ἐν παρρησίαις, ἐν εἴδει παντὶ κυβερνήσεως *Ingenium* hoc loco liberalium artium notitiam interpretor: nam propriè sumtum, sanè ante pilos venit: est enim à natura: etiam eruditio sæpe in juvenibus pilos antevertit: at prudentia non potest: colligitur enim ex longa singulorum casuum observatione, quibus vita est obnoxia hominum, vel singulorum, quæ simpliciter appellatur prudentia: & est hæc unicuique satis ad se regendum: vel multorum in unam societatem adunatorum: quæ prudentia civilis, estque capessentibus Remp. necessaria. Aristoteles: νέος ἔμπειρος οὐκ ἔστι· πλῆθος γὰρ χρόνου ποιεῖ τὴν ἐμπειρίαν. (*juvenis non est prudens: prudentiam enim longitudo temporis gignit.*)

Ante pilos venit.) Æschylus in Septem-thebana de Lasthene,

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.

(*Mentem senilem in corpore juvenili gerit.*) Gregorius Nazianzenus in Apologetico in sententia simillima: πρὶν ἀποθέσθαι σχεδὸν τὴν πρώτην τρίχα, καὶ τὸ τὰ παιδικὰ ψελλίζεσθαι· (*vix dum abjecto primo crine, necdum ipso balbutire incipiente.* de *primo crine*, infrà in ista V. sat. *pelliculam veterem, &c.*) idem eruditissimus scriptor Basilium adhuc juvenem vocat πολιὸν τὴν σύνεσιν πρὸ τῆς πολιᾶς· in carmine autem de virginitate ita canit:

Καὶ

Καὶ πολιὴν ἀτίταλε νέον, καὶ γῆρας ἐλαφρὸν
Ἔδρακον, ἀρτιχνόοιο πολὺ στιβαρώτερον ἀνδρός.) *Etiam canitiem juvenis interdum præfert: vidique levem senectutem, firmiorem viro cujus malas recens lanugo vestiebat.*)

Dicenda tacendaque calles.) ab uno prudentiæ membro totam denotat: est enim prudentia habitus per quem utilia eligimus, damnosa rejicimus μετὰ λόγου ἀληθοῦς inquit Aristoteles. Socrates sic: διάθεσις καθ' ἣν κρίνομεν τί πρακτέον, καὶ τί οὐ πρακτέον. nomine autem τῶν πρακτῶν καὶ πρακτέων, id est, eorum quæ facienda sunt in ethica disciplina etiam τὰ λεκτὰ & οἱ λόγοι sive sermones intelliguntur: & merito: sermone enim pleraque transigunt qui præsunt publicæ rei, & demagogi: quam ob caussam multi veterum, ut ex Platone & Aristotele scimus, rhetoricam cum politica confuderunt, & partem illius fecerunt: aptissimè verò heic posuit verbum *calles*: nam ut callus in corpore, sic prudentia in animo longo usu paratur.

Ergo ubi commota fuerit plebecula bile.) totus locus ex illis Platonis expressus εἰ μέλλοντός σου ἰέναι ἐπὶ τὸ βῆμα λαβόμενος ἐρέσθαι, & quæ sequuntur. verum ibi paullò aliter Socrates: provocat enim Alcibiadem non ad sedandam tumultuantem plebem: sed ad comitia populi de publica re deliberantis: hoc est de bello aut pace, vel similibus: *plebecula* dixit de tumultuantibus & seditionem moventibus loquens, verbo exprimens quod pluribus Demosthenes: ὁ δῆμος, ait, ἐστὶ ὄχλος ἀσταθμητότατον πρᾶγμα τῶν ἁπάντων καὶ ἀσυνετώτατον. (*populus res est una omnium instabilissima, & insipientissima:*) eandem populi levitatem ostendit Aristophanes similibus hypocorismis: δημίδιον, & γερόντιον sæpe nominans.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ Majestate manus?) *fert animus* non ita heic accipiendum, ut initio Metamorphos.

In nova fert animus.——

nam ibi significat διανοοῦμαι, ἰσχυρῶ: heic est fiduciam habes eam tui, ut hoc te posse præstare speres? Ammianus libro XXVI. de Valentiniano seditionem compescente: *elata prospere dextra ut princeps fiducia plenus ausus increpare quosdam ut seditiosos & pertinaces: calidæ turbæ* δήμου θερμῶς πάνυ σφόδρα ταραττομένου: de omni vehementiore actione *calere* & *fervere* Græci Latinique auctores usurpant.

Fecisse silentia Majestate manus.) Lucanus libro primo de Julio Cæsare:

——*tumultum*
Composuit vultu; dextraque silentia jussit.

Oratorum hic mos erat, & aliorum qui populum alloquebantur, ut manu porrecta audientiam facerent: quod Græci dicunt ἡσυχάζειν & κατασιγάζειν τὸν λαὸν τῇ χειρὶ vel κατασείειν: sic in Actibus Apostolorum D. Paulus verba facturus dicitur ἐκτείνας τὴν χεῖρα & κατασείειν τῇ χειρί: sic enim loquitur Lucas Evangelista: in prima Herodiani prodit philosophus in theatrum: cùm agon Capitolinus celebraretur, τῷ τε τῆς χειρὸς νεύματι τὸν δῆμον κατασιγάζει. In Hadriano Xiphilini legas præcones populo silentium manu semper, nunquam voce, solitos imperare. Erat autem consuetudo oratorum cùm dextram porrigebant, ut duobus infimis conclusis digitis, cæteros eminentes porrigerent: quod testatum reliquit Apuleius libro 11. Alius fuit mos silentium indicendi concrepatione digitorum. Hieronymus ad Rusticum monachum: *cum mensa posita librorum exposuisset struem, adducto supercilio contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendum discipulos provocans*: sic qui aliquid in aurem dicebant, ut rem silentio dignam esse indicarent, digitis concrepabant: teste eodem Hieronymo.

Hoc putà, non justum est, illud malè, rectius istud.) Ita membranæ Bongarsii, non *puto.* Priscianus libro XV. de terminatione adverbiorum: [*ita*] *solum a correptum habet: quamvis quidam* [*puta*] *quoque adverbium esse accipiant: ideoque Persium id corripuisse: ut, Hoc, puta, non j. &c.*

Scis etenim justum gemina suspendere lance Ancipitis libræ.) Hæc & quæ sequuntur usque ad illa, *Quin tu igitur*, εἰρωνικῶς accipienda: ita melius, quam cum interrogatione legere, quam nulli veteres agnoscunt: his autem versibus verum politicum describit, ut arroganti juveni ostenderet quantum ab eo abesset: fuse Socrates hæc tractat apud Platonem.

Rectum discernis ubi inter Curva subit:) hoc ideò, quia virtus in medio consistit duorum vitiorum: ut sæpe obscura & difficilis sit ejus agnitio: ἐπιδικάζονται γὰρ οἱ ἄκροι τῆς μέσης χώρας, ut est apud summum philosophorum in secundo Nicomach. ideò soliti dicere Græci, ut ait Basilius in Asceticis, vitia & virtutes in eadem vicinia habitare. ἀγχιθύρους, ait, φασὶ καὶ Ἕλληνες τὰς κακίας εἶναι ταῖς ἀρεταῖς. alludit fortasse Basilius ad Galeni locum in libello De propriis cujusque animi affectibus: ubi ait multa occurrere in vitæ actionibus δυσδιάκριτα, quia ἡ ἀρετὴ γειτνιᾷ τῇ κακίᾳ: atque hoc cum in cæteris quoque virtutibus locum habeat, tamen

men in justitia maximè spectari potest : cujus venatio atque investigatio magnis sæpe obsepta difficultatibus ; ut apparet ex quinto Nicomacheorum , & prope infinitis legum voluminibus : hoc indicat pulcherrimè Persius , cùm ait , *rectum inter curva subire.* Propterea pronuntiat Aristoteles politicam scientiam , cujus notitiam hic juvenis sibi vindicat , difficilem admodum esse : ut cujus subjectum multam habeat διαφορὰν καὶ πλάνην : ita enim ait.

Vel cùm fallit pede regula varo) cùm regula ob necessarias exceptiones fit vara : verbi gratia : Depositum redde, juris regula est : sanus apud me ensem deposuit ? insanus repetit : heic fallit regula : sexcenta sunt hoc genus , *pes varus* appellatur incurvus : heic *regula pede varo* , est regula quæ obliquari patitur , & incurvatur : quod cùm per se vitiosum sit , tamen aliquando, ut diximus merum jus est: quare bene dictum , *summum jus , summa injuria* : mirum quantopere hallucinentur, qui decempedas heic comminiscuntur , imò vero regula heic est norma , hoc est γνώμων : ut solent sæpe hæc tria confundi , regula , norma , perpendiculum : quæ ratione tantum quadam inter se differunt : re sunt idem : non dissimile est apud Ausonium in acroasi Pythagorica de viro bono :

> ——— *angulus æquis*
> *Partibus ut coeat , nihil ut deliret amussis.*

Tum autem maximè ,

> ——— *fallit pede regula varo* ,

vel ut ait Juvenalis , *fallit vitium specie virtutis*, cum agitur de comparandis inter se officiis : nam ut eruditè docebant Stoici , inveniendorum officiorum duplex est via : estque interdum quæstio simplex , cùm rem per se expendimus honesta sit an non : interdum implicita est quæstio propter unam pluresve circumstantias. Laertius in Zenone : φασὶ τὰ μὲν καθήκοντα εἶναι ἄνευ περιστάσεως· τὰ δὲ περιστατικά. atque hanc partem doctrinæ moralis fusè ex Theophrasto , Panætio & aliis Græcis exequitur Cicero in III. De officiis: eidem in XVI. epistolarum ad Atticum , dicitur τὸ κατὰ περίστασιν καθῆκον quod Laertio περιστατικόν.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.) hoc est discernere & damnare : cum recensebant laterculos militum , nominibus eorum qui perierant , præfigebant Θ : hoc erat expungere. Rufinus in Hieronymum : *Si quis accepto breviculo , in quo militum nomina continentur , nitatur inspicere quanti ex militibus supersint , quanti in bello ceciderint , & requirens qui inspicere missus est , propriam notam , verbi caussa ut dici solet , Θ ad uniuscujusque defuncti nomen adscribat , & propria rursus nota superstitem signet : nunquid videtur is qui notam ad defuncti nomen apponit , & propria rursus nota superstitem signat , quod egerit aliquid , ut vel hic defuncti , vel ille viventis caussam acciperet ?* Etiam in antiquis lapidibus hujus signi crebra extant vestigia. Sidonius Apollinaris usus est pro nota critica qualis erat Græcorum τὸ X. quam literam deculpatis locis prænotabant , ut videre est in poëtarum scholiis antiquis. Locus Sidonii est in hendecasyllabo ad Magnum Felicem ,

> *Isti qui valet exarationi*
> *Districtum bonus applicare theta.*

non puto tamen Latinos criticos eâ literâ usos : verùm imitantem hunc locum Persii , ita locutum esse Sidonium.

Quin tu igitur.) quando hæc quæ dixi nescis , cur gubernacula tractas Reipub. & laudem affectas principis boni ?

Summa nequicquam pelle decorus.) Bene hoc Neroni convenit , qui principio imperii sui ita se gessit in administratione publicarum rerum , ut vulgò omnes laudarent : nota vox optimi principis de quinquennio Neronis : quasi regimine suo omnium bonorum principum laudes obruisset. quod referendum ad publicam illius vitam : nam vita privata intra minus spatium omni probro ac dedecore fuit inquinata : matre etiam occisa , & incesto prius cognita , ut multi existimarunt. Sed nondum cùm hæc scribebantur in tam immania facinora ejus natura proruperat : jam tamen signa palàm edebantur insignitæ nequitiæ , ut posteà dicemus. Utrique igitur hæc conveniunt , Alcibiadi κατὰ τὸ ῥητὸν , qui forma excellebat , necessaria eruditione destitutus : & Neroni κατὰ τὴν διάνοιαν , qui speciosa Reip. administratione , bonitatem simulabat cùm esset interiore vita fœdissimus.

Ante diem blando caudam jactare popello Desinis.) De Alcibiade ita cape : cur non mutas propositum , & prius quàm populi gratiam vanis artibus & populari jactatione colligere studeas , discis illa quæ nescire convictus es , cum sint politico omnino necessaria ? *caudam jactare* id quod diximus significat : ductum à canibus , demagogum qualis fuit Alcibiades ita describit Sextus Empiricus : ὁ δημαγωγῶν λόγῳ μὲν καὶ τῷ δοκεῖν ὑπὲρ τοῦ κοινῇ συμφέροντος ὑπισχνεῖται πάντα ποιήσειν· ταῖς δὲ ἀληθείαις ἀπ᾽ οὐδενὸς ὑγιοῦς τροφὴν πορίζεται , ἐοικὼς ταῖς τίτθαις , αἳ μικρὸν τοῦ ψωμίσματος τοῖς παιδίοις διδοῦσι .

δῆμος, τὸ ὅλον καταπίνουσι. (*Demagogus, sive orator forensis verbis quidem & quam de se præbet opinione, pollicetur se omnia facturum pro bono publico: revera autem ex nullâ re bonâ & sanâ parat alimentum: similis nutricibus, quæ buccellam dantes infantibus, totum devorant.*) *Blando popello*, ait, hoc est, qui tibi nunc blanditur, mox paratus mordere ac perdere si quid offenderis: ii erant mores Atheniensium: populi natura sua mitis: sed adeò levis, ut facilè ad quodvis scelus impelleretur: quod testantur tot illustrium virorum indignissimæ neces. Omnino hoc est quod tandem ait Alcibiadi Socrates: Γύμνασαι πρῶτον ὦ μακάριε, καὶ μάθε ἃ δεῖ μαθόντα ἰέναι ἐπὶ τὰ τῆς πόλεως, πρότερον δὲ μή. (Hoc est, *quin ante diem desinis?*) ἵνα ἀλεξιφάρμακα ἔχων ἴῃς, μηδὲν πάθῃς δεινόν. (*Exercere primùm, ô beate, & disce quæ doctum ad rem publicam capessendam accedere fas sit: indoctum, nefas. ut idoneo amuleto munitus venias, ne quid grave & acerbum tibi accidat.*) At de Nerone sic accipe: cùm sis tibi conscius ignorantiæ tuæ, cur non desinis venditare te apud senatum ac populum, quasi optimus princeps esses: cùm non ex virtute & scientia procedant si quæ facis bene: sed ex simulatione & popularis auræ affectatione: quin tu igitur desinis & differs administrationem rerum, donec sapientum præceptis seriò institutus, rerum caussas habeas notas, quidque differat vera virtus à simulata cognoscas: ut si quid bene nunc agis publicè, in eo confirmeris, & melius illud ipsum agas; si quid domi peccas, multa autem peccas, ea corrigas, & voluptatum amorem ponas: *caudam jactare popello*, publicè laudanda facere, & speciosis actionibus venditare se apud populum: hujusmodi facta Neronis fuerunt multa: ut cùm iniens consulatum cum L. Antistio, jurantibus in acta principum magistratibus, in sua acta collegam Antistium jurare prohibuit: cùm agenti senatui gratias respondit CUM MERUERO: cùm ex Augusti præscripto imperaturum se promisit: quid cùm illam vocem nunquam satis laudatam ἀπεφθέγξατο? quando admonitus de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, dixit, QUAM VELLEM NESCIRE LITERAS: similia his apud Tacitum & Suetonium alia: hoc autem venustè dictum à Persio, *jactare se populo*, ut apud Juvenalem,

Ipse lacernatæ cùm se jactaret amicæ,

translatum à pavonibus, quando,

—— *picta pandunt spectacula cauda.*

tunc enim creduntur jactare se fœminis, Gregorius Nazianzenus:

Φασὶ ταὼ μεγάλαυχον ἑὴν περὶ κύκλον ἐγείρῃ
Αὐχένα κυρτώσας χρύσεον ἀστερόεις,
Κλάζειν θηλυτέραις φιλοτήσιον. ——

Pavonem memorant superbum, cùm stellatam caudam in orbem quaquaversùs surrigit, collum incurvans aureum, voce suâ fœminam ad venerem tum illicere.) Estque *jactare se* heic, quod Græci dicunt ἀγλαΐζεσθαι, & καλλωπίζεσθαι: cùm si quid laude dignum facimus, in oculis hominum id facimus, gloriolæ avidi, qua etiam cupidè nimis fruimur: paullum diverso sensu ait Synesius Dionem sophistam in quibusdam juvenilibus scriptis suis, ὑπτιάζειν καὶ ἀγλαΐζεσθαι καθάπερ τὸν ταὼν περιαθροῦντα ἑαυτὸν, καὶ οἷον γαννύμενον ἐπὶ ταῖς ἀγλαΐαις τοῦ λόγου. (*Resupinum quodammodo, ac cum magnifica decoris ostentatione ferri, pavonis instar sese circumspicientem, & ipso quasi orationis nitore gestientem.*)

Anticyras melior sorbere meracas.) Aptior regi, quàm dignus regere: & qui debeas in disciplinam tradi magistro, qui severa institutione animum tuum purget ab illis vitiis quibus nunc servis turpiter: vide in imitatione Horatii.

Quæ tibi summa boni est?) Adeò alienus es ab idonea cognitione τῶν πολιτικῶν: ut ne prima quidem virtutis elementa, & doctrinæ moralis prima præcepta nota habeas: quænam autem illa sunt? finis nempe notitia: inde auspicatur universa ethica disciplina: inde omnis recta institutio: hæc Persius: ubique similis sibi, ubique μικρίζων ἀκριβῶς, ut ad primam satiram, & alibi jam toties antè observavimus.

Uncta vixisse patella Semper, & assiduo curata cuticula sole.) Si quæram ex te, quod sit tibi propositum vitæ? & tu velis ingenuè respondere. πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν: nempe hoc fatebere: non aliud te spectare, neque alio dicta factaque tua referre: quàm ut per omne genus voluptates vitam traducas: hæc tibi summa boni, hic finis ultimus: cæterùm etsi dicuntur hæc sub Neronis persona, verbis tamen Neroni convenientibus non dicuntur: sed satiricis ac Persio aptis: nam in persona Neronis respondentis si voluisset decorum servare, rei ignominiam honestate verborum velasset: neque enim honesta deerant verba voluptatum patronis: hic autem est perpetuus mos Persii, quoties in satiris suis alium ex adverso dicere facit: ut ad primam admonebamus.

Uncta vixisse patella Semper.) Tangit gulæ intemperantiam & γαστριμαργίαν.

Et assiduo curata cuticula sole.) Tangit libidines & probrosam corporis curam, de qua mox plura dicturus.

Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus.) Dictum ἐν ἤθει venustate non vulgari: quam non capiunt illi qui tanta confidentia locum audent corrumpere. Atqui palàm est attendenti hic locum accipiendum esse, quasi responsione audita juvenis κέομιχ, Socrates hic ita illum exciperet, Ego te falli aio dum ita vitam instituis, & fœdam ἱππευεζόντων sectam sequeris: nam, oro te, hæccine principe tanto digna vita? an abjectissimi cujusvis ex ima plebe? certè hujus potius quàm illius: sed nolo mihi credas, ipse consule quemcunque volueris, quamvis abjectum ac vilem: atque adeò expecta, ecce venit pannucia quædam mulier: ex hac si lubet sciscitare: non aliud respondebit, quàm quod tu mihi. Poteratne magis fastum retundere insolentis juvenis, quàm cùm illum assimilat aniculæ pannuciæ olitrici? Tale illud apud poëtarum regem: χὴνὶ κιμινοῖ ἴζω, quod variè interpretantur grammatici. *exspecta* est Græcorum ἔχ' ἀτρέμας: hanc & similes dicendi formulas venustissimè scriptores magni usurpant, ex communi usu sermonis: nam ita multa dicimus in mutuis colloquiis: partim parandæ attentioni, partim ἐν ἤθει, unde dicitur apud rhetores morata oratio: plurima sunt hujus generis in dialogis præsertim Platonis: quæ nota sunt peritis harum elegantiarum: illud ἔχε ἀτρέμας, quod est, *exspecta*, planè ita positum notabamus in dissertatione prima Maximi Tyrii. nec multò aliter apud Dionem Chrysostomum in XXXVIII. μὴ δυσχεράνητε ἀλλ' ὑπομείνατε: sic Juvenalis in X. postquam alium loquentem induxit, ut heic Persius, subjicit: *vro parumper*

Attendas ——

Syri simillime, כתר לי זעיר *expecta me paullulum*: quomodo accipitur in libro Jobi. Seneca verò in simili loco, ipsum quo heic usus noster verbum *exspecta*, posuit De beneficiis libro, ca. XII. *Dicis me abesse ab eo qui operæ pretium facit: immò totam operam bona fide perdere. Exspecta: etiam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero.*

I nunc: Dinomaches ego sum.) I nunc: & fortunæ bona, quibus abundas ostenta: nam quantumvis nobilis, quantumvis dives habearis, tamen pannuciæ Baucidi similior es, quàm verè nobili, verè diviti.

Dinomaches ego sum.) ὁ Δεινομάχης υἱός, & ὁ Κλεινίου καὶ Δεινομάχης, Alcibiades apud Platonem: de genere Dinomachæ plura Plutarchus: at justius Nero, ego sum Agrippinæ filius: cui adoptionem debebat in domum imperatricem: cui etiam imperium.

Suffla.) Ironica συγχώρησις, (*concessio.*) Habes nempe quo glorieris: ergo λαμπρῶς φύσα, καὶ πνεῖ μεγάλα, καθαλαζονευόμενος τῷ ἀφανεστέρων καὶ ὑποδεεστέρων. (*Strenuè inflare, & alta spira, obscuriores & inferiores alios quoscunque superbè despiciens.*) (Ita sæpe Græci: unde est apud Plutarchum ἐμφυσωμένων τὸ οἴημα (*inspirare vanitatem*) in libello Περὶ τοῦ ἀκούειν: elegantissimè verò pater ille Christianæ facundiæ Johannes Chrysostomus in Matthæum, tumentem opibus vel dignitate hominem ait esse similem φυσῶντι τὰς γνάθους παιδίῳ καθαγελάστῳ (*ridiculo puerulo buccas inflanti*:) quod Persii mentem exprimit: alio sensu apud Plautum, *sufflare se alicui*, ut Casina:

Nescio quid se sufflavit uxori sua.

& in Bacchidibus, *sufflatus*, pro πεφυσιωμένος.

Sum candidus.) Erat Alcibiades præstanti forma, & ut ait Socrates κάλλιστός τε καὶ μέγιστος: mansitque ei sua pulchritudo per omnem ætatem auctore Plutarcho: quare etiam judicio Apollinis Græcorum omnium formosissimus est habitus. Plinius lib. XXXIV. cap. VI. itaque ad ejus formam sua opera exigebant statuarii, qui summam pulchritudinem exprimere volebant: auctores, Clemens Alexandrinus, Arnobius, Aristænetus, alii: non ita Nero: quod apparet ex nummis & Suetonio.

Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis.) Ego facilè tibi concedam ut de fortunæ bonis glorieris, si ita sedet animo: dum ipse mihi concedas vicissim, bonis animi, quæ vera sunt & sola bona, non magis te esse instructum, quàm qui vel omnium minime. *Baucis* apud Callimachum in Αἰτίοις, & alios poëtas Græcos, unde sumserunt Latini, est nomen paupérculæ vetulæ, cujusmodi sunt ἀρτοπώλιδες, λαχανοπώλιδες, & similes, quæ res exigui pretii in foro divendunt: ita hoc loco accipiendum, *dum ne deterius* formula exceptionis in contractibus, ut apud Siculum Flaccum, & alibi.

Cum bene discincto cantaverit ocima vernæ.) Mulierculæ quas diximus solent inter se & cum obviis quibusque certare maledictis & conviciis: non enim sine re dicit Liber pater apud Aristophanem:

Ἔλεγχ' ἐλέγχου: λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Objecta diluo: convitiari autem viros poëtas, tanquam mulieres quæ panem vendunt in foro, non decet: in Ranis.

ais. Quid turpius, quid persona alicujus honestatis indignius, quam ita in foro conviciis & malis dictis cum quoquam certare? quare Latinus hic Socrates ut infra abjectissimos dejiceret suum illum ferocem juvenem, non solùm aniculæ eum comparat, sed aniculæ pannuciæ, cujusmodi sunt quæ panem aut olera vendunt in foro: & hoc amplius, aniculæ pannuciæ conviciatrici. mira *δείνωσις* ingeniosissimi poëtæ: *cantare ocima vernæ.* poëticè dictum pro, dicere atque ingerere servulo opprobria, & ea quæ solent cantari cum ocima feruntur: hoc est, maledicta: Plinius lib. XIX. ca. VII. *Nihil ocimo fœcundius: cum maledictis & probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat:* superstitio veterum: cui similes apud Plinium & auctores rei rusticæ multæ: neque magis mirabile quod vel cyminum vel ocimum maledicentes sererent: quàm quod sacra quædam maledictis & execratione celebrarent, ut ait Lactantius, libro primo, cap. XXI. Ocimum verò herbam, quam & *βασίλειον* Græci dixerunt, eaque appellatio in idiotismo nostro mansit, multi veterum sunt abominati: præcipuè Chrysippus de quo Plinius libro XIX. cap. XII. eadem tangit & Dioscorides & fusius Sotion apud Geoponicorum auctorem: herba est odoris acris, de qua etiam hodie mulierculæ similia blaterant iis quæ nugati veteres, de generatione scorpionum, & nescio quibus fabulis. Extitere memoria patrum quidam eruditi medici, qui hanc herbam non ocimum sed ozimum vocandam contenderent παρὰ τὸ ὄζειν, propter odoris acrimoniam: quæ præceptio, etsi locum habere non potest, confutata auctoritate tot Græcorum & Latinorum scriptorum quot sunt qui ejus plantæ meminerunt: præterea Græcorum Lexicis, quæ erroris suspicionem omnem amovent: videtur tamen non recens nata: nam in vetustissimis membranis Puteani pro *ocima* planè scriptum *ozima* offendimus: quomodo in libris medicorum qui ante renatas literas proximis seculis scripserunt, aut Arabum libros verterunt, scimus legi passim. *Ocimum* autem per *i* non per *y* hanc plantam nominant Græcorum & Latinorum codices: ut est à nobis studiosè observatum: quàm longè distent ocymum Catonis & aliorum ab hoc ocimo, non est hujus loci explicare: tantùm dicam ocimum esse Dioscoridis & Plinii, quod in secundo libro Aboali principis describitur, nominaturque *bazarug* vel *badarog*, ut alii pronunciant: at quod vocant garyophillatum ocimum, in eodem Avisenæ libro *phelengeschmiki* dicitur: non ut habet Bellunensis *falamamilki:* neque item ut Serapionis interpres, *berengemisch:* duobus modis Arabes hujus plantæ nomen efferebant, *phelengemischki*, & *pherengemischki:* quarum appellationum prior apud Avisenam restituenda: posterior apud Serapionem. *l* & *r* in omnibus linguis facilè invicem commutantur: fuisse autem utramque scriptionem Arabibus in usu disertè observat Arabs auctor qui medicum Lexicon scripsit, quod in illustrissimi Electoris Palatini Heidelbergensi bibliotheca servatur. Is liber utilissimus fuerit ad corrigendas mendas illas quibus Arabica editio Avisenæ, & omnes Arabum interpretes passim scatent: nec pauca in eo genere nobis observata, cum superioribus mensibus beneficio Georgii Michaëlis Lingelshemii, viri nobilissimi, & virtute ac eruditione præstantissimi, illius libri usum ab optimo principe impetrassemus. Sed de his volente Deo aliàs.

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo.) Ab hoc versu quæ deinceps sequuntur omnia usque ad illa verba non longe à fine,

—— *ilia subter*
Cæcum vulnus habes, ——

neque commune quicquam habent cum dissertatione Socratis apud Platonem: neque propriè ad Alcibiadem aut ad Neronem spectant: etsi videntur illis hic & sequens versus optimè convenire: sed diligentius intuenti in auctoris mentem, facile erit intelligere, debere hæc aliter accipi, quam vulgò accipiantur ab interpretibus. Est igitur hoc loco digressio quædam ab instituta insolentis juvenis increpatione: cujus digressionis scopus peti debet ab ultimis verbis illis, *sic novimus:* nam ante ea verba desinit hæc ἀπὸ τοῦ προτέρου λόγου ἐκβολὴ, *(excursus à priore sermone)* & iterùm sermo convertitur ad Alcibiadem, sive potius Neronem. Caussam præbuit huic excursui, quod modò dixerat: Neronem per voluptates & fœdas libidines vitam exigere, neque aliud curare. Atqui nondum Nero omnem penitus pudorem abjecerat: nondum ad ἀπονενοημένου hominis nequitiam pervenerat: sed famæ publicæ erat adhuc illi aliquis respectus: itaque palàm Curios simulans clàm Bacchanalia vivens, hominibus se impositurum sperabat. Sed jam ad pejora ejus ingenium vergebat: jamque cœperat in publicum spargi fama de ejus petulantia ac libidinibus: quod quomodo acciderit, quibus gradibus ad consummatissimam improbitatem pervenerit, ordine describit

ret, pro circumvolet: proverbialis locutio, Juvenalis:

—— *tot milvos intra tua prædia lassos.*

Sic in municipali Gallorum jure volatus capi.

Hunc diis iratis, genioque sinistro.) Natum nempe: κεῖνον τὸν θεοστυγῆ καὶ βαρυδαίμονα. Ita dictum, ut,

—— *Ipse Quirinali lituo.* ——

Ait autem *diis iratis*: quia avari homines sunt omnibus exosi: quod vel maximum est θήλαστον κακόν: *genio* autem *sinistro*, quia avarus ne sibi quidem est amicus: sed genium suum miserè defraudans vitam pro pœna habet: bene Laberius:

Avaro quid mali optes, nisi ut vivat diu?

Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit.) Ingeniosè avarum μικρολόγον & minutissimarum sordium hominem χαρακτηρίζει. Ait adeò esse tenacem, ut vix die festo opus intermittens, cum familia paullò liberalius epuletur: tunc quoque epulas illius esse pultem & cepas, cum pauxillo aceto: quid igitur censes aliis diebus? obscura est diei festi notatio hoc versu comprehensa: quid enim est, *figere jugum ad compita?* clarum est cessationem ab opere intelligi: tum verò jugum suspenditur, & ut Græci dicunt πασσάλῳ ἀνακρεμάννυται: non figitur, quod est ἀναθεῖναι donarium: deinde cùm die festo τὰ ἐργαλεῖα suspenduntur, non ad compita ea reponere moris est, sed suo quæque loco, ubi servari solent & haberi quando non occupantur. Neque satisfacit mihi, quod hac locutione innuere voluit Compitaliorum solemnem cultoribus agrorum diem: quod etsi concedimus spectatum esse à poëta: nondum tamen intelligimus quid sit *figere jugum ad compita.* Sed tangit fortasse Persius ritum aliquem Compitaliorum, cujus ignoratione obscura nobis sunt ipsius verba. Quod enim quidam aiunt, morem fuisse ut juga & similia agricolationis instrumenta in honorem deorum ruris ad compita suspenderentur: speciosum quidem est, sed ἀπίθανον: non enim instrumenta vetera & inutilia diis consecrare erat moris; sed ipsi potius artifices cùm senuerant, & ad exercendam artem suam jam facti erant inutiles, aut cùm professionem mutabant, artis suæ instrumenta deo ejus præsidi dedicabant: de quo argumento liber est integer in Græcorum epigrammatum volumine. *Pertusa compita*, ut in quinta, *ramosa compita* πολύσχιστοι τρίοδοι.

Seriolæ veterem metuens deradere limum.) Ita liber Puteani: alii, *veteris*: ut & Bongarsii: *limum* vocat picem. hac enim linebant dolia & serias: picationis modum describunt Columella libro XII. & alii: inde *serias relinere*, quod noster, *deradere limum.*

Ingemis, hoc bene sit.) ἀναστενάζων ἐπὶ τούτοις, φησίν, ἵλεως ὁ θεὸς εἴη. (*Ingemens bis, dicit, Deus esto propitius.*) Alibi dicebamus veteres ad cujuscunque rei inchoationem numinis mentionem adhibuisse: ita ex illo more possunt ista exponi: vel hoc modo, τούτοις ὦ παῖδες ἡμᾶς εὐφραινώμεθα: (*bis nos, ô pueri, oblectemus: vel, lautè excipiamus.*) τὸ *hoc* est sextus casus. Ovidius in IV. Fast.

Post modo glans nata est: bene erat jam glande reperta.

ηὐφραίνοντο δὲ ἤδη ταῖς δοθείσαις βαλάνοις. (*Jam lautè glandibus indultis epulabantur.*) Vide in imitatione Horatiana.

Tunicatum cæpe.) Πολύλοπον κρόμμυον. Sic *replictas bulborum tunicas* dixit Statius in v. Silvarum. Joannes Saresberiensis libro VIII. *Hic cæpa tunicatior, densatis pellibus & epitogiis, chlamydi penulam superducit, & quasi conglobatus in orbem, rotulari quam incedere magis idoneus est.*

Et farrata pueris plaudentibus olla.) Emphasis est in illis, *pueris plaudentibus*: hoc est, lætantibus, & pro magnis lautitiis habentibus, quod pultis offa satiarentur, die saltem festo: atqui paupertatis extrema erat meta, pultis offa loco panis vesci: quid igitur isti diebus profestis?

Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.) Non bibit vinum, sed acetum, hoc est οἶνον τρυγίαν, vappam aut poscam: vel etiam verum acetum: sanè & Romani milites & alii pauperes aceto potabantur, ut observabamus ad Spartiani Pescennium: sed hic deparcus acetum bibit *moriens*, hoc est, jam deficiens & ipsa etiam vetustate corruptum: immo ne acetum quidem, sed *aceti fæcem*: istam quoque *pannosam*, id est, σαπρὸν ὑπὸ παλαιότητος: & ista sunt verè Persiana, hoc est, ἐμφατικώτατα.

At si unctus cesses, & figas in cute solem.) Alterum exemplum λογοποιίας: prius erat de homine avaro: hoc de luxurioso: illud ad Neronem nullo modo pertinebat: isto mollities ejus, ac luxus perstringitur, sed dissimulanter, & tanquam de alio loquendo, non de Nerone ad quem est sermo. Hoc igitur ait: si quis mollius cutem curare instituerit, ut qui pumice, volsellis ac psilothris corpus sibi totum leve reddunt: statim de his spargi famam, quod sint impudici ac molles & qui flore ætatis nefariè abutantur: hoc vult istis novem versibus: sed poëta alioquin gravissimus, & verecundiæ virginalis, ut testantur de

plus quàm toto cœlo & via tota errant: nam Juvenalis ibi loquitur de eo qui militaris viri famam affectans, barbam alebat, & totam exteriorem speciem horridam & verè masculam præ se ferebat: quid hoc ad delicatulum juvenem de quo heic agitur? qui non minoris mollitiei in alenda, comenda, unguentis linenda coma argumentum præbeat, quàm in cæterarum partium levigatione?

Balanatum gausape.) Eleganter capitis comam appellat *gausape*: quod fuit genus vestis crassæ & villis hirtæ: quare etiam ad usus balinearum translata sunt gausapa: *balanatum*, μυρεψικόν. Horatius in lautioris apparatus descriptione,

Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est.

Quinque palæstritæ.) Quamvis multam operam sumas, ut naturæ quæ te virum nasci voluit, illudas, omni te ratione nequissimè effœminans: semper tamen impressa tibi à natura viri signa manebunt: neque unquam perfecta eris fœmina, sed horrendus & similis portenti androgynus.

Palæstritæ.) δρωπακισταὶ ἐρρωμενέστατοι, καὶ τῆς ταυτῶν τέχνης τὰ ἄκρα. (*Vulsores robustissimi, & suæ professionis apices.*)

Plantaria.) Τὰς τρίχας, (*pilos.*) Hanc vocem & sequentis versus primam mutuatus est à Persio Ausonius epigrammate CXXIII.

Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.) Ὅμως οὐκ ἐνικήσεις, ἀλλὰ τὰ ἀνδρὸς σημεῖα ἀεὶ ἀναφύσει. (*Non vinces tamen, quin virilitatis signa repullulent.*) Ait, *ista filix*, nempe ea de qua sentit ἀλληγορικῶς: nam filix vera aratro mansuescit, id est penitus extirpata finit se vinci, Columella libro II. *pernicies filicis, frequens extirpatio est, quæ vel aratro fieri potest: quoniam intra biennium sæpius convulsæ moriuntur, celerius etiam.*

Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.) hujusmodi λοιδορίαις alii aliorum probra publicamus.

Vivitur hoc pacto.) Quid faceres? nam si speres te hoc vitium hominum posse emendare, vel auctoritate tua impedire ne de te loquantur liberè, frustra sis: quæ sunt enim hominibus adeò cognata vitia corrigi nequeunt.

Sic novimus: ilia subter Cæcum vulnus habes:) Hac igitur ratione interiorem tuam vitam cognovimus: & flagitia tua, quæ jam in publicum erumpere incipiunt, quamvis diu à te dissimulata, habemus nota: *vulnus cæcum subter ilia* appellat libidinem & flagitia clam solita à Nerone committi.

Sed lato balteus auro Prætegit.) Sed flagitia quæ patrantur à te quotidie propter potentiam tuam abscondere te posse confidis: nemine audente aut in illa inquirere, aut de iis loqui. Alludit Persius ad ictus quos acceperat noctu per urbem petulantissimè vagans, ut scribunt Suetonius ac Tacitus: hic verò etiam addit, vulneris cicatrices ore prætulisse, baltei veterum lati erant. Virgil. quem noster imitatur,

——— *lato quam circumplectitur auro*
Balteus. ———

ideò πλαμῶνες Græcis scriptoribus dicuntur: at *balteus lato auro*, duarum rerum symbolum heic est: potentiæ & divitiarum: quæ duo sunt vitiorum magna tegumenta. Antiphanes:

Ὁ πλοῦτός ἐστι παρακάλυμμα τῶν κακῶν.

Ut mavis, da verba, & decipe nervos Si potes.) Esto si ita vis: tu qui animo periculosissimè ægrotas, pro sano te jacta, & vendita: corruptissimis tamen moribus es: vivis turpissimè, & flagitiosissimè: i nunc & temperantiæ ac modestiæ laudem affecta: *decipe nervos:* translatum ab iis, qui nervorum infirmitate laborantes, & morbis articularibus & cæteris ab eadem caussa provenientibus, obnoxii: sanos tamen & Κρότωνος ὑγιεστέρους se fingunt, quo liberius & Baccho & Veneri serviant.

Si potes.) Quasi diceret, atqui non poteris: & dum aliis te verba dare putabis, dabis tibi: tandemque hujus stultitiæ tuæ pœnas meritas dignas lues: quod etiam evenit.

Egregium cum me vicinia dicat, Non credam?) Dum adhuc latebant flagitia Neronis, omnes illum laudabant. Ipsos Senecam & Burrhum mitius cum eo egisse non dubium, quò perditissimum juvenem à publica infamia vindicarent, si possent. Jam assentationes ministrorum, & muliercularum quibuscum semper erat, corrumpendo principi vel optimè nato satis erant. Quare non sine caussa hæc pars addita Persio: ut ab alienis assentationibus ad suam ipsius conscientiam eum revocaret.

Viso si palles improbe nummo.) Quid aliorum allegas testimonia? quin te ipse potius exploras, & tuam ipsius conscientiam interrogas? scias nullo negotio, quantum te assentatores tui & parasiti fallant: nam verbi gratia, prædicabunt illi te, ut liberalem: at si te ipse consulas innatam tibi avaritiam deprehendes. Hoc Neroni non convenit, quod sciam: fuit enim profusissimus & damnosissimus omnium nepotum: nam quæ de illius calumniis rapinisque narrat Suetonius

nius capite XXXII. huic illius ætati non conveniunt: neque satis certa sunt φιλοχρηματίας argumenta: rapinas enim agebat, non amore pecuniæ, sed ut haberet quæ profunderet, & unde suas sibi voluptates procuraret. Non igitur avarus Nero: neque hæc verba in eum competunt. Sed de industria factum à Persio: ut ab hypothesi referret se ad thesim: ne facilè omnes intelligerent, Neronem esse adversus quem hæc satira scripta.

Si facis in p. quicquid tibi venit amarum:) Si nullum est tam fœdum, tam obscœnum genus libidinis, quo te quotidie non inquines: *amarum* dixit propter amantium amara, quia verè πικρὸς Ἔρως aiunt poëtæ: vel propter tristes casus, qui luxuriosis sæpè contingunt, eosque miserè perdunt: nam ut Menander ait,

Μεγάλου κακοῦ καιρὸς ἡδονὴ τίκτει βλάβην·
Ἐξ ἡδονῆς γὰρ φύεται τὸ δυστυχεῖν.
(*Magnum intempestiva voluptas parit malum.*
Ex voluptate siquidem nascitur miseria.)

Si Puteal multa cautus vibice flagellas.) Omnes vulgò de hujus versus obscuritate queruntur: qui tamen videtur nobis non tam difficilis sententiæ quàm ancipitis: neque verò imprudentem Persium in hanc ἀμφιβολίαν putamus incidisse: verùm de industria ambiguum sensum posuisse: ut & de Nerone aptissimè posset intelligi, & de alio item quàm Nerone convenienter exponi: duas igitur expositiones afferemus. Prior cum superioribus verbis concinit:

—— *viso si palles improbe nummo.*

quibus avaritiam notat illius quem alloquitur, Est genus hominum improbissimorum, qui ut avaritiæ suæ faciant satis, & prædia prædiis adjungant, aurum auro accumulent, ministerio abutuntur vel innocentium judicum: miseris enim atque incautis hominibus lites concient, quarum ipsi sunt callentissimi: ita facilè per calumniam superiores è judiciis discedunt, & simplices homines bonis suis exuunt: hujus etiam generis sunt sycophantæ, quadruplatores, litium redemtores, & uno verbo, quicunque ad explendam avaritiam, scientiam juris referunt: atque usum quem habent rerum forensium: qui versati sunt in lectione comicorum præsertim Græcorum, non ignorant quanta apud veteres hoc ingenio qui erant invidia flagrarent; quod vel unicus Theophrasti libellus aureolus quo morum notas exposuit, ubertim declaraverit: eum vide ca. Περὶ ἀπονοίας. De his accipere possumus hunc versum. *Puteal* est forum, & τὸ δικαστήριον: *flagellare Puteal* ἐμφαντικῶς dictum, pro frequenter adire forum, & in turba forensi assiduè versari: *flagellare* est arctare, premere: ut apud Martialem lib. II. *arca* dicitur *flagellare opes*, quas ægrè infertas continet. similes emphases optimis scriptoribus familiares sunt. Tertullianus de Pallio Christianos eo nomine laudat, quod non ut cæteri, *subsellia contundant*: id est, non flagellent Puteal, non ardeant studio litium: atque ut elegans verbum Marci Augusti usurpem, οὐκ ἔχουσιν ὀκνηρῶς περὶ τὰς δίκας. Parem vim habent illa elegantissima loquendi genera, *forum aleatorium calfacere*, in epistola Augusti: *carcerem æstuare* in Apologetico Tertulliani, & id genus alia. Sed addit Persius *multa vibice*: ad majorem declarationem improbitatis quam hic alienarum opum insidiator adhibebat. Adde quod ubi est turba hominum aliorum in alios incidentium, ibi rixa est, ibi verbera & vibices: τὸ *cautus* artis verbum est: proprium enim fori peritis & pragmaticis, cavere. Lucilius:

Jactare indu foro se omnes, decedere nusquam:
Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti:
Verba dare ut cautè possint, pugnare dolosè.

quis erit tantus Marrucinus qui hanc interpretationem improbare ausit? Veruntamen Neroni, ut diximus hæc sententia nullo modo convenit. Igitur qui Neroni volent aptare, quod videtur necessariò faciendum, ita exponant. *Si Puteal flagellas*, id est, si tanta est tua petulantia & lascivia, ut nocturnus præmiator grasseris, cum obviis rixam contrahens, & pudori matronarum illudens, nullum denique insolentiæ genus prætermittens. Hoc genere insignem primum se fecit Nero, cùm foras erumperent illius probra, quemadmodum disertè scribit Dio. Tacitus quoque: *Q. Volusio, P. Scipione Coss. otium foris, fœda domi lascivia: qua Nero itinera urbis, & lupanaria & diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, & obviis vulnera inferrent adversus ignaros, adeò, ut ipse quoque acciperet ictus & ore præferret*: eadem Suetonius capite XXVI. Existimo circa illa tempora, aut non longe pòst scripsisse Persium istud carmen: ut valde mirer è tot interpretibus hujus poëtæ nemini istius interpretationis hactenus, quod sciam, venisse in mentem. *Puteal flagellare multa vibice* est, pererrare forum & obvios cædere petulanter ac lascivè. Tacitus *urbis itinera*

ra nominat. Suetonius *vicos*, in quibus furere ita solitus Nero: sed ad majorem invidiam Puteal, sive forum satiricus nominavit. Seneca De beneficiis libro sexto: *Divus Augustus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegavit, & flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, forum ipsum ac Rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat: filiæ in stupra placuisse:* & Dio, ἡ Ἰουλία ἀσελγαίνουσα ἦν ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ γε τοῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν· τὸ *cautus* ad hanc sententiam appositissimum est: verbo enim significavit quod pluribus historici. Tacitus: *Nero metuentior in posterum, milites sibi, & plerosque gladiatorum circumdedit, qui rixarum initia modica & quasi privata sinerent: si à læsis validius ageretur, arma inferebant.*

Ne quicquam populo bibulas donaveris aures.) si tibi ipse vitiorum & flagitiorum conscius es, frustra assentatorum vocibus aures accommodaveris, ut illis potius quàm tibi de te credas: bene *bibulas aures*, hoc est, avidas laudationis; quia ἥδιστον ἀκρόαμα ἔπαινος, (*dulcissimum acroama, laus*) inquit ille: itaque laudati per adulationem & falsissimis onerati encomiis, sic illa excipimus, quantumvis ἀντιμαρτυροῦντος τοῦ συνειδότος, (*renitente ac refragante conscientia propriâ:*) quasi verissima. Seneca De tranquillitate animi: *Non est quod nos magis aliena judices adulatione perire quàm nostra. Quis sibi dicere verum ausus est? Quis non inter laudantium blandientiumque positus greges plurimum tamen sibi ipse assentatus est?* Itaque magnum oportet esse virum, quem admirantium & laudantium voces assiduè personent, neque corrumpant, judiciumve pervertant. Verissimè Dio Chrysostomus in xxxv. μεγάλης διανοίας καὶ δυνάμεως ἔοικε δεῖν ὅταν θαυμάζωσιν ἕνα πολλοί, καὶ διαφέρειν ἡγῶνται τῶν ἄλλων· εἰ μέλλοι σωφρονεῖν οὗτος ὁ ἀνὴρ, καὶ μηδὲν ἀνόητον πάσχειν, μήδ' ἐπαίρεσθαι τοῖς τῶν πολλῶν λόγοις ὥσπερ πτεροῖς. (*magnæ mentis ac virtutis esse rationi consentaneum est, cùm unum multi admirantur, & multis præstare censent, vel prædicant: sobrium tamen perstare, nec aliquid insolens admittere, nec bis hominum sermonibus velut alis in sublime tolli.*) Propterea dicebat Plutarchus in libro de discrimine adulatoris ab amico, adulatores tenere auribus prehensos homines laudari cupidos, itaque inhærere, ut excuti non possint: τὸ φιλότιμον, ait, ὁ κόλαξ τὰ ὦτα κατέχων τοῖς ἐπαίνοις, καὶ δυσαποσπάστως ἐνεφύετο... ἐστι.

Respue quod non es:) rejice laudationes à fortunæ bonis, aut etiam corporis, non enim id es tu: neque tuæ sunt illæ laudes: homo, vel melior certè hominis pars, est animus: hujus laus vera ea est, quæ propriè homini convenit. Seneca epistola LXXX. *Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipse consule. Nunc qualis sis aliis credis*: vel simpliciter: rejice laudes quas præter rei veritatem in te assentatores conferunt: ut cum semidoctum vocant doctissimum, tantum non deformem formosissimum.

Tollat sua munera cerdo.) hortanti ad cognitionem sui opportunum hoc præceptum: nam ex diametro cum illo, Nosce te ipsum, pugnant sermones assentatorum: laudes immeritas vocat munera assentatoris: ipsum nominat *cerdonem*: quia parasitum agere & per assentationem laudare, proprium est abjecti hominis, & nullius rei, ut etiam Aristoteles ac Theophrastus pronuntiant. Hoc verò est quod Socrates Alcibiadem etiam & etiam admonet: videat ne sinat se à populo corrumpi.

Tecum habita.) οἰκεῖν παρ' ἑαυτῷ, & οἰκεῖν ἑαυτῷ, Philo περὶ γεωργίας. Juvenalis,

——*te consule, dic tibi quis sis.*

sic, *habitare apud mentem suam*, Augustinus in epistolis: paullò aliter εἰς ἑαυτὸν συνελθεῖν φεύγοντα ἀπὸ τῶν φυσικῶν φυσικῶν παθῶν, dixit Simplicius.

Noris quàm sit tibi curta supellex.) nosce quàm sis præsidiis necessariis ad vitam bene agendam, & administrandam Remp. destitutus: sic *philosophiæ supellectilem* dixit Cicero in v. de finibus.; vel ita accipe: si tecum habitaveris, nosces quàm curta sit tibi supellex: nihil enim est aliud nosse seipsum, nisi nosse vitia sua, & πρὸς τὰ καλὰ ἀδυναμίαν. Quædam membr. *ut noris*: non sine damno elegantiæ.

AD SATIRAM QUINTAM.

ARISTOPHANES grammaticus, quid de Archilochi jambis sentiret interrogatus: Mihi, inquit, longissimus quisque optimus videtur: possumus & nos de hac Persii satira idem pronuntiare: quæ cæteras non magis numero versuum vincit, quàm nitore & elegantia; caussa ejus rei est: quod in aliis satiris suscepto argumento magis se astrinxit poëta: ut qui prodesse tantùm iis studeret, quorum vitia & mores depravatos susceperat philosophica gravitate castigandos: sapientis autem medici non est, dum vel secando vel urendo curationem facit, studium elegantiæ præ se ferre: hæc verò satira & pulcherrimo procemio reliquis præstat: quo luculentissimis versibus facundissimus poëta, Annæi Cornuti præceptoris sui laudes persequitur: & hoc amplius, asperitate illa censoria atque irati magistri supercilio tristi magnam partem caret: neque enim vitia hominum carpere [illegible] in hoc carmine instituit. quod est munus objurgantis: sed vulgi mentem ignorantis quæ vera libertas sit, errore liberare: quæ sunt benevoli doctoris partes: quanquam multa & in hac satira adversus vitia acriter disseruntur: sed aliud tamen est, ipsa vitia describere, naturamque eorum aperire, ac vitiosos objurgare & increpationum acrimonia pudorem illis suffundere. Sunt igitur satiræ hujus distinctæ partes duæ: priore amoris sui vel potius pietatis vehementiam erga præceptorem bene meritum Cornutum prolixè aperit: summam illius in se educando curam, fidem, ac benevolentiam, suumque vicissim erga illum amorem commemorat: laudes denique ipsius & totius vitæ illius institutum ac tenorem subtexit: postremo juventutem hortatur ut tanto viro in disciplinam se dedat. Ita fit transitus ad secundam partem: cujus initio desidiam juvenum molliter increpat: deinde ad libertatem illos hortatur: heic Stoicum paradoxum tractare instituit Persius: OMNES PRAETER SAPIENTEM SERVOS ESSE, NEMINEM LIBERUM: in cujus sciti explicatione ac demonstratione tota deinceps satira occupatur: de quo plura inferius sumus dicturi.

AD ANNAEUM CORNUTUM, CUJUS FUIT AUDITOR.) Præferunt hunc titulum antiquæ membranæ & Bongarsii & Puteani: paullo aliter in aliis item vetustis codicibus: AD MAGISTRUM SUUM CORNUTUM: sed ridiculo errore, qui tamen etiam in optimi clarissimique Pithœi editione remansit, pro MAGISTRUM SUUM scripserunt librarii MAGISTRUM EQUITUM. Hic est Annæus Cornutus Stoicus philosophus, quem à Nerone propter liberiorem de ejus carminibus vocem multatum exilio referunt Dio, & Eusebius in Chronico: multa de hoc falsa & inepta Suidas, cui fidem habere caveant tirones: ex Persio discimus professum esse Romæ philosophiam Stoicam: & juventuti ad sapientiæ studium magisterio suo præivisse. Multa eum in philosophicis scripsisse, conjicimus ex Hieronymi ad Magnum oratorem epistola: putamus enim hunc esse Cornutum illum, ex quo multa Origenes in Stromateas suos transtulisse dicitur. Fuisse verò non solùm philosophiæ cognitione clarum, sed & aliis studiis, historia arguit quam Dio narrat, de adhibito illo à Nerone in consilium super instituto carmine de rebus gestis Rom. nam Neronem ab omni philosophia fuisse alienum constat: neque verò caussæ quicquam erat, cur de pangendis versibus Stoicus consuleretur: nisi etiam eruditionis laude & disciplinis humanioribus excultus fuisset Cornutus: quare Dio illum ait ἐπὶ παιδείᾳ εὐδοκιμοῦντα τότε: (*eruditionis opinione claruisse*) non autem ἐπὶ φιλοσοφίᾳ. cum igitur in utroque genere excel-

celluerit Cornutus: quæstionis est, idemne hic an alius ab hoc diversus fuerit Annæus ille Cornutus grammaticus, quem in Virgilium & alios poëtas commentarios edidisse constat, & paullò ante Gellii memoriam Romæ grammaticam esse professum: de hoc igitur studiosi quærant amplius: nobis quidem non videtur. Multa quoque Porphyrius in Εἰσαγωγῇ in Categorias de Cornuto quodam: ubi inter alia Cornutum scripsisse τὰς ῥητορικὰς τέχνας & γεγραφέναι πρὸς Ἀθηνόδωρον Stoicum, auctor est. De hoc quoque quis ille fuerit cogitemus.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces.) Efficacissima ratio est declarandæ magnitudinis alicujus rei, cùm non posse eam declarari à nobis ingenuè fatemur: qua figura etiam mortalium facundissimus M. Tullius, ne de aliis dicam, interdum usus est, ut in elegantissima ad Quintum Valerium epistola, quæ libri XIII. sexta est: & facundissimus Livius cum describendâ urbis facie post cladis ad Thrasimenum exceptæ nuntium divini sui ingenii opes ostendisset: ubi ad Cannensis cladis nuntium venit; *succumbam*, inquit, *oneri, neque aggrediar narrare, quæ differendo minora vero faciam.* Johannes Papa Carolo Imperatori, de malis quæ Sarraceni intulerant Italiæ, eleganter: *quæ scribere quilibet stylus non sufficit: cùm omnia ligna sylvarum si vertantur in linguas, narrare non valeant*: apud Ennodium Epiphanius Episc. Ticini agit hoc modo gratias Theodorico Regi: *Proinde intellige ad referendas optimo regi tam pro nobis quàm pro seipso gratias, plus me sentire posse quàm eloqui.* Omnium verò primus, fons ille ingeniorum Homerus hujus rei exemplum aliis dedit, non uno loco. Homeri vestigia & Virgilius, & alii passim sunt secuti, adeò familiariter, ut tanquam communem poëtarum morem hunc notet heic Persius. Nam quia cùm aliquid ex more facimus, non certo consilio id agimus, sed ἀλόγως solùm consuetudine, & ut ita loquar, dicis tantùm caussa: ideò Persius eodem poëtarum more usurus, ad declarandam ingentem vim sui in Cornutum amoris: his verbis prius cavendum putavit, ne existimaretur eodem cum cæteris poëtis animo, hoc est, summis tantum labris, hoc dicere. Quare ita verba illius accipienda, quasi diceret: scio solere poëtas etiam in rebus nihili, (ut cùm veterum aniles fabulas tractant) aut certe non adeò magnis, (ut cum Parthica scribunt adulantes Neroni aut Corbuloni) de infantia sua queri, quasi magnitudine subjecti obruantur, & centum linguas, centum voces sibi optare: ego verò de te scripturus Cornute, opto quidem mihi centum linguas totidemque voces, recepto hoc poëtarum more: sed non quomodo illi, verum ἀληθῶς & plané ex meo sensu: ut qui imparem me sentiam exprimendis tuis in me summis meritis, & mutuo amori nostro, qui παντὸς λόγου πέρα ingens est, eloquendo: ita expleri debet sententia, quam quatuor primis versibus inchoatam solùm posuit poëta: impeditus ne eam perficeret Cornuti interpellatione: cujus sermonem posteà excipiens, sententiam quam heic inchoaverat, absolvit.

Centum sibi poscere voces.) tria ponit, voces, ora, linguas: quæ omnia significant rem eandem: imitatur Homerum, qui similiter posuit, γλώσσας, στόματα, φωνήν. Virgilius, linguas solum & ora, sed numerus est à Virgilio: nam Homerus dixerat δέκα.

Fabula seu mæsto ponatur hianda tragœdo.) sive tragœdiam aliquam scribant, quam posteà histrionibus traditur sunt, acturis illam in scena μάλα ἐμπαθῶς. ideò ait *mæsto* & *hianda*. Et poëtæ qui ex historia fabulari tragœdias componebant, & histriones qui agebant, non veros affectus exhibebant, sed simulatos: *hiare* est cum vehementia tragico argumento conveniente pronuntiare: quod diligentissimè præstabatur ab histrionibus tragœdiarum: qui propterea in primo Athenæi dicuntur κεχηνότες, Tatiano ἀνοιγόμενοι: apud rhetoras, hiatus orationis vitium est, peccantis in dictionum συνθέσει, cum liberæ respirationis incommodo: inde factum, ut dithyrambicis poëtis & tragicis qui ampullatis sæpe & sesquipedalibus verbis usi, hiatus tribuatur, quomodo & Græci χαίνειν de illis usurpant.

Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.) Obiter perstringit Persius eos poëtas qui ut Neronem laudarent & proceres alios Rom. Parthica scribebant, & res Romanas assentatoriè in majus extollebant: non est enim dubium multos eam viam adulandi Neroni institisse, & prosa & versu: nam & qui sub Trajano & Hadriano vixerunt, fecerunt idem: & admodum quidem ridiculè: ut apparet ex Luciano, qui illorum nonnullos carpit, nominatim in libro De scribenda historia: de rebus Parthicis sub Nerone accuratè Tacitus. *Vulnera Parthi*, & activè & passivè potest accipi: sed illud heic potius.

Ducentis ab inguine telum.) Jaculandi modus apud varias gentes varius. Eustathius triplicem commemorat, παρὰ μαζὸν, à mamma: παρὰ τὸ δεξιὸν

δεξιὸν ὠτίον, ab auricula dextra, hoc est, à capite, & ut ait Euripides Hippolyto, παρὰ χαίταν ξανθὰν παρ' ὦμον, ab humero: adde alium modum ab inguine: quem morem Parthis tribuit hic Persius. Propertius lib IV. Gallis,

Illi virgatis jaculantis ab inguine braccis.

Quorsum hæc?) Fingit Persius adfuisse sibi Cornutum satiram hanc scribere incipienti: ille igitur magistri jure utitur, & discipulum qui videbatur moderati stili modum velle excedere, & μεγάλα φυσᾶν, in ordinem cogit hac modesta reprehensione:

Aut quantas robusti carminis offas Ingeris.) Bonorum poëtarum carmina commendantur à subtilitate, facta translatione ab operibus Minervæ: ideò *deducta* solent dici. Horatius,

Cùm lamentamur non apparere labores
Nostros & tenui deducta poëmata filo.

Juvenalis,

Sed vatem egregium cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere. ——

contrà cum aliena vituperabant, aut sua extenuabant, *crasso filo composita* dicebant, ut M. Tullius suam pro Deiotaro: sic *laborata soloci filo cantilena* apud Symmachum: ab eadem mente, etsi diversa translatione, Persius malum poëtam & tumidum *offas carminis* ait *ingerere*, quod contrarium est τῷ *deducere*: translatum verbum è pistorum, vel cocorum operibus: *offa carminis robusti*, carmen non deductum, sed ampullatum, turgidum, atque inelaboratum. Juvenalis in alia re eandem vocem satirico cachinno aptavit:

——& patruo similes effunderet offas.

satira secunda. *offa* est ἔνθεσις, propriè pultis, ut indicat Plinii locus libro XVIII. cap. VIII. ita etiam vocantur illi globuli quibus aves altiles farciuntur.

Ingeris.) profers in publicum, & lectoribus tuis objicis: at veræ offæ inseruntur non ingeruntur

Centeno gutturi niti.) Quidam *gurgite*: omnes veteres *gutture*: *niti* pro habere, fultum esse: sic Græci suum ἐρείδειν variè usurpant.

Grande locuturi.) κατάχρησις in voce *grande*: vide ad primam.

Nebulas Helicone legunto.) Vide ad illud,

——Heliconiadasque pallidamque Pirenen.

levia & quæ sola specie sunt magna, νεφέλας Græci, Latini *nebulas* dicunt: quod propriè referendum ad ὁμίχλας, & quas νεφέλας ἀνύδρους vocat D. Juda in epistola sua. Aristoteles 1. Meteorolog. νεφέλας ἀγόνους, alibi μάκρας γονίμας: quibus opponuntur οἱ γόνιμοι & πλειάδες.

Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ Fervebit.) Ut sæpè apud philosophum γενεσιν τοῦ οὐρανοῦ ii dicuntur, qui scribebant cœlum fuisse genitum, sive creatum: apud Theophrastum & Plautum αἱρεῖν τὰς πόλεις, *urbes capere*, illi qui urbium ἁλώσεις narrabant: ita heic, fervere illis dicitur olla Procnes aut Thyestæ, qui tragœdias componunt vel de Tereo qui filium Ityn sibi appositum imprudens edit: vel de Atreo qui similibus epulis Thyestam fratrem pavit; notæ sunt fabulæ. Plautus Rudente,

Scelestiorem cœnam cœnavi tuam,
Quam quæ Thyestæ quondam apposita est & Tereo.

Sæpe insulso cœnanda Glyconi.) quam tragœdiam Glyco tragœdus sit sæpius acturus: *cœnare* heic est agere fabulam cupiditate cœnæ, sive mercedis, unde se ipse alat. *Glyco* tragœdi alicujus nomen vocis abionæ, quem obiter satiricus irridet, Ex hoc loco discimus, fabulas quæ semel populo placuerant, sæpius reponi & ἀναδιδάσκεσθαι solitas: quod & scriptores alii Græci ac Latini testantur.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, Folle premis ventos.) Solent præceptores discipulos ἀφυεῖς laudando magis quàm objurgando in officio continere: propterea Persius nihil veritus Cornutum heic inducere, ipsius laudes commemorantem. Laudat autem Persium Cornutus κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν: prius separans à malis poëtis & vitia commemorans, quibus careat: deinde virtutes recensens quibus sit ornatus. Quid tibi vis, inquit, cùm malos poëtas imitaris? nam tu non is es qui malis & ineptis poëtis debeas annumerari: tribus autem notis malum poëtam χαρακτηρίζει: prima est, quod *folle anhelanti premat ventos*, *coquitur dum massa camino*: id est quod ambitione tumidus, sicut folles concepto vento tument, ab illa impellatur ad scribendum: expressus locus ex Horatio; de quo plura diximus in diatriba de imitatione Horatii.

Nec clauso murmure raucus Nescio quid tecum grave cornicaris ineptè.) Altera nota poëtæ insulsi: quod famam captare solet singularis cujusdam contentionis atque assiduitatis in studiis: quæ vanitas ab eodem fomite ambitionis perversæ manat; isto animo qui erant, solebant soli in publico conspici, vultu tristi, & secum aliquid murmurantes: hæc enim omnia meditabundum hominem exprimunt, & qui in seria cogitatione aliqua sit defixus: non dissimilis infelicium oratorum insulsitas ridetur ab Aristophane in Equitibus:

'Αλλ'

Ἀλλ' οἶσθ' ὅ μοι πεπονθέναι δοκεῖς; ὅπερ τὸ πλῆθος.
Εἶπε δικίδιον εἶπας σὺ, κατὰ ξένου μετοίκου,
Τὴν νύκτα θρυλλῶν, καὶ λαλῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ
Ὕδωρ τε πίνων, κἀπιδεικνὺς, τοὺς φίλους τ' ἀνιῶν,
Ὤου δυνατὸς εἶναι λέγειν ὦ μωρὲ τῆς ἀνοίας!
(*Sed scin' quid accidisse tibi putem? quod imperitis.*
Si controversi olam benè dixeras contra inquilinum.
Noctem susurrando, & tecum in viis demurmurando:
Aquam bibendo; & deferendo & affligendo amicos:
Ibi te disertum credebas: ô stulte, quæ hæc fatuitas!)

Cornicaris tecum clauso murmure,) est quod dixit comicus, λαλεῖς ἐν ταῖς ὁδοῖς σεαυτῷ: *cornicari* est solùm ambulare more cornicis: de qua Virgilius,

Et sola in sicca secum spatiatur arena.

de murmure meditantium dictum ad satiram III. *grave* est μετὰ σκυθρωπότητος, *cum tetrico vultu.*) sed melius jungas, *nescio quid grave*, ut in satira prima: *grande aliquid.*

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.)Tertia nota: quod soleant imperiti poëtæ τὰς γνάθους φυσᾶν, hoc est, inflati esse: potest hoc vel ad mores referri: quia imperitissimus quisque & ἀφυέστατος, plurimum sibi in literis tribuit: vel ad scripta, & illum quem paullò antè dicebamus hiatum carminis. & κομποφακελορρημονόλῃ, ut diceret comicus. *stloppo* scriptum invenimus non *scloppo* in omnibus antiquis membranis, non solùm Persii, sed etiam Prisciani: vox est eleganter ficta ad exprimendum illum sonum, quem buccæ inflatæ, & ictu collisæ edunt. Glossæ veteres *stloppus* ποιφυγμὸς apud Marcellum Empiricum capite XXVIII. in carmine ad rosus, *Stolpus à cælo cecidit*: scribe, *stlopus.*

Verba togæ sequeris.) sequitur laudatio κατὰ λέξιν prima laus, ἡ τῶν ὀνομάτων ἐκλογή (*delectus verborum.*) & est revera prima vel primæ proxima oratoris aut poëtæ laus, electio recta verborum. Tu, inquit, uteris verbis in communi usu positis, non ex ultima antiquitate repetitis, ut quidam inepti faciebant, sicut ad primam dicebamus: non etiam ampullatis & sesquipedalibus: *verba togæ* quibus utuntur oratores in foro: ubi καλλιεπείας ἀγὼν ἐξετάζεται.

Junctura callidus acri.) altera laus: quod sit ἔμπειρος τῆς καλῆς τοῦ λόγου συνθέσεως, (*artificiosæ verborum collocationis peritus.*) electionem verborum proximè sequitur eorundem compositio recta: de quo tam multa præcipiunt rhetores, Seneca etiam epistola CXIV. eos reprehendit, qui studio exasperandæ orationis in hac parte peccarent de industria: *nolunt*, inquit, *sine salebra esse juncturam, virilem putant & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat*: contrarium huic vitium illorum, quorum compositio erat modulatio, ut ibidem scribit Seneca: inter utramque est illa *junctura acris*, quæ heic commendatur à Cornuto.

Ore teres modico.) Tertia laus ab elocutione concinna neque humili, neque inflata: *teres* scripsimus cum membranis Jacobi Bongarsii: quid sit *teres oratio* declarat M. Tullius in III. De oratore hoc modo. *Sed si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiris, est plena quædam & tamen teres ac tenuis: & non sine nervis ac virib.* sed Persius suo more ad verba Horatii respexit, *ore rotundo loqui*: sic apud comicum στρογγύλον στόμα & στρογγύλα ῥήματα, & passim apud rhetores στρογγύλη λέξις, sive τὸ στρογγύλον τῆς λέξεως: quod tamen non ita generaliter apud illos accipitur. Alii libri vulgò edunt *teris*: quod si cui placeat, repetendum erit è versu præcedenti, *verba togæ*: erit autem *ore terere verba* idem ac loqui, verba usurpare sive scribendo, sive loquendo. Horatius:

Quid nunc esset vetus, aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus usus?

Pallentes radere mores Doctus.) Quarta laus, à genere scriptionis: sanctè enim vivere eum oportet, qui sit paratus in alium dicere: ac multò magis, qui satirica scriptione publicos mores hominum objurgare instituat, ut fecit Persius. *doctus* & nomen esse potest pro σοφὸς, δεινός: & participium pro διδαχθείς: quod bene Cornuto quadrat; qui Persium τὰ ἠθικὰ docuerat. Satiræ proprium est, ridendo dicere verum: duo igitur ἰδιώματα scriptionis satiricæ: reprehendere, & ridere: quare Cornutus ab utraque hac proprietata satirographum Persium denotavit: prior continetur his verbis: *radere*, reprehendere, ut in prima: *mores pallentes*, οὐχ ὑγιεῖς, (*non sanos.*) Sequitur altera proprietas, *& ingenuo culpam defigere ludo*, quod quasi ridens ludensque vitia carpat: *defigere* est validè figere. Cicero I. De natura Deorum: *Zeno cæteros figebat maledictis.* heic est, non levi nota aspergere, sed quæ hæreat, ut quæ probè sunt in terram defixa: videtur allusum ad obelos criticorum, & propria ejus artis vocabula, κεντεῖν, νύττειν *compungere, confodere*, & similia: non malè etiam exponas, *defigere ingenuo ludo*, salibus & acrioribus jocis

re composuit. *Pulsa*, κρῶι vel ϖείκρεν, ut fit in fictilibus: suprà ad tertiam: item διακωδωνίζω: quam vocem hoc sensu amat ponere beatus Chrysostomus.

Quid solidum crepet.) Ausonius in Pythagorica acroasi:

Sit solidum quodcunque subest: nec inania subtus
Indicet, admotus digitis pellentibus ictus.

Et picta tectoria linguæ.) Non videtur dubitandum quin hæc vera sit lectio: non possum tamen prætermittere, quod inveni in tribus antiquissimis codicibus: ubi summo consensu *plectoria* scriptum pro *tectoria*: an sub mendo manifestario lateat aliquid cogitent docti.

His ego centenas ausim deposcere voces.) *His*, ad ista, ad declarandum meum in te animum, & judicium de te: variat lectio in optimis libris: nam *hic* præferunt alii: nulla sententiæ mutatione. *centenas*, si legas *his*, erit ad singula horum optare non dubitarim centum voces: si scribatur *hic* pro centum simpliciter positum, ut sæpe apud poëtas.

Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi.) Observa dictionum vim: *fixi*, non *reposui*: ut, *manet alta mente repostum*; & sæpe poëta ἐνὶ φρεσὶ κατθέμενος: facilè moveri possunt: quæ posita sunt aut recondita: at fixa, & quæ vi adacta, hærent: deinde, *sinuoso pectore*, hoc est, in omnibus etiam intimis animi recessibus: sinus animo tribuit, ut Græci κόλπους.

Voce traham pura.) in publicum proferam, & palàm faciam: *trahere* pro dicere, ut *dare* sæpe. *da Tityre nobis.*

Totumque hoc verba resignent.) Lucilius:

——*salutem fictis versibus Lucilius,*
Quibus potest impertit, totumque hoc studiosè
& sedulò.

apud Nonium in *sedulo*: sed non videtur perfecta esse sententia.

Quod latet arcana non enarrabile fibra.) *fibra arcana*, intimi cordis recessus: junge *latet non enarrabile*, mea nempe lingua: ideò ad hoc enarrandum,

——*centenas ausim deposcere voces,*

Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit.) Tanti sui in Cornutum affectus caussam exponit: usum se illo præceptore, diligentissimo, fidelissimoque: & eo quidem tempore, quo maximè illi opus erat rectore: quando ex ephebis egressus, sumta virili toga, ceperat vitæ suæ modum habere: hæc est illa ætas periculosa juventuti: qua quidem aut virtutis aut vitii iter ingreditur, quod ferè deinceps insistit: propterea Persius ut magnitudinem beneficii in se à Cornuto collati amplificet, periculum suum exaggerat, multisque versibus lubricum ejus ætatis describit.

Cùm primum pavido custos mihi purpura cessit.) quando primum posui purpuram, id est, togam prætextam quæ puero mihi & in tenera illa ætate versanti, pro custode fuit. Antiquissimum Ro. institutum fuit, ut pueri ad pubertatem usque toga amicirentur purpurâ prætexta: cujus moris originem simul & caussam variè explicat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. VI. Sed de caussa Persium sequamur: qui purpuram pueris attributam ait, *custodem pavidis*: est enim illa ætas obnoxia alienæ vi: maximè autem τῶν παιδοφθόρων, quarum flagitia præcipuè timebantur, ut Græci Latinique passim testantur: ideò apponi solitus custos lateri puerorum pædagogus: cujus hoc primum officium, ut docet Quintilianus libri primi cap. II. Horatius de suo patre:

——*mi satis est, si*
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possim.——

idemque alibi jure gloriatur, patrem suum sibi adfuisse custodem omnes circum doctores: hoc est, pro pædegogo sibi fuisse: eandem ob caussam dabatur & custos alter, purpura nempe. Ea vestis sacra habebatur dicebaturque, ut apud Appianum, ἡ ἱερὰ ἐσθὴς tribunorum plebis: quare qui purpura utebantur, eo ipso nomine venerabiles & sancti habebantur: ut si quis contumeliæ vel injuriæ caussa purpura insignitos attrectasset, non hominum tantùm, sed & deorum jura violasse intelligeretur: hanc enim vim res habuit. Fabius declamatione CCCXL. *Ego vobis allego etiam illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus, ac venerabilem*: & alibi: *expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti*: quoniam ut domus sua cuique sacra, sic virgini sua prætexta: hæc est quæ dicitur *majestas matronarum* & *majestas pueritiæ*, ut dicebamus ad Trebellii Pollionis Gallienos: quam eandem majestatem alia ratione tribunis suis pop. Ro. conciliavit: novo & insolitato honoris genere diis consecrando: cujus rei argumentum affert Plutarchus, quod si fortè tribunus in publico ambulans caderet & humum tangeret, expiari illum oportuit: quod in rebus tantùm sacris fieri solebat: locus Plutarchi ita scribendus Quæstionum Rom. capite LXXXI. τὸ δήμαρχον τῇ τιμῇ ποιοῦσιν ἱερὸν καὶ ἅγιον, καὶ ἄσυλον ὅπω

κατ' βαδίζειν ἐν δημοσίῳ πίοῃ, νόμῳ ἐπὶ καθαίρεσθαι καὶ ἁγνίζεσθαι τὸ σῶμα, καθάπερ μεμιασμένον καπνοῖς· illud, *purpura cessit mihi*, hoc est, me reliquit, sive relicta est à me: *cessit* videlicet, ut jam annis majori: vel etiam ut hosti: nam grandiusculis pueris invisa purpura propter expectationem libertatis post sumtam virilem togam.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.) De bulla puerorum fusè ibidem Macrobius, & hanc & togam prætextam cùm ponebant, diis appendebant, ut dicebamus ad satiram secundam. Laribus nempe, in quorum conspectu pueritiæ insignia moris erat ponere: *succinctis* autem, id est, ἐζωσμένοις, quia habitu peregrinantium erant Lares, pellibus amicti, cum cane comite.

Cùm blandi comites.) cùm assentatores, parasiti & similes juvenum latera cingere solent, nudata à pædagogis, & magistris, qui erant comites ingrati & invisi.

Totaque impune Suburra Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.) cum toga libera & virilis assumta, dat potestatem, amori si ita lubeat, indulgendi: & toto illo infami Suburræ vico quærendi Lesbiam aliquam vel Laidem. Propertius libro III.

Ut mihi prætexta pudor exvelatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter

Plutarchus De audiendo: καθάπερ Ἡρόδοτός φησιν ἅμα τῷ χιτῶνι συνεκδύεσθαι τὴν αἰδῶ τὰς γυναῖκας, οὕτως ἔνιοι τῶν νέων ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι συναποθέμενοι τὸ αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι, καὶ λύσαντες τὴν καταχρηματίζουσαν αὐτοὺς περιβολήν, εὐθὺς ἐμπίπλανται τῆς ἀναγωγίας. Toga virilis alba erat sine purpura: *umbo togæ*, est centrum plicarum in toga; sic enim lautiorum toga componebatur, ut corrugata in multa πτύγματα clypei speciem præberet: cujus centrum propriè appellatur umbo: sed de togæ umbonibus ac tabulatis accuratè disputamus in libris De re vestiaria. *Suburra* infamis Romæ vicus ob inhabitantes lupas: notum ex poëtis.

Cumque iter ambiguum est.) alludit ad Herculem Prodicium.

Et vitæ nescius error.) philosophiam vitæ magistram vocant Cicero, & Seneca: hujus contrarium est *error vitæ nescius*: hoc est ignoratio eorum quæ sunt necessaria ad vitam bene instituendam. Vitæ autem via quædam est, quò respexit Pythagoras. Basilius Magnus in primum psalmum rem fusè explicat: item in ea περὶ τῶν μὴ παρογλῶσθαι τοῖς βιωτικοῖς.

Diducit trepidas ramosa in compita mentes.) apud Servium malè scriptum *Traducit.* Pars librorum *Deducit*: alii *Diducit*: quod rectius, ut dictum ad tertiam: *ramosa compita*, litera Pythagoræ, de qua satis ibidem.

Me tibi supposui.) in disciplinam dedi ὑπέταξα, φέρων ὑπέβαλον, ut loquitur Plutarchus in eadem re: etsi de grandioribus παραβάλλειν dicunt Græci potius quàm ὑποβάλλειν: ridiculi sunt qui ad suppositionem partus putant allusum: præcipua discipuli laus, ut magistro obedientem se præbeat: hanc ὑποταγὴν Cornuto se præstitisse hoc verbo significat: propius sit vero, allusum ad ova quæ supponuntur gallinis fovenda: ut *suscipere sinu* sit ἐγκολπίζειν. In veteri Bongarsii legitur,

Me tibi seposui: ———

& apposita est interpretatio, *ad te segregavi.*

Socratico Cornute sinu.) suscipis me fovendum in sinu tuo, qui es Socraticus philosophus: etiam Stoici è Socratis schola, tanquam ex equo Trojano prodierunt: nam inter Socratis γνωρίμους & discipulos Antisthenes: hujus Diogenes, præceptor Cratetis Thebani: quo usus doctore Zeno. Adde quod, tota moralis doctrina, quam propriè Seneca aliique philosophiæ nomine intelligunt, à Socrate est: itaque omnes illæ τῆς ἠθικῆς αἱρέσεις quas in præfatione Laertius nominat, & item aliæ quarum Cicero ac cæteri meminerunt, à Socrate & originem & commune nomen sunt nactæ: quare *Socraticus sinus* est institutio in morali philosophia.

Tunc fallere sollers Apposita intortos extendit regula mores.) tunc disciplina tua, qua me imbuisti, direxit pravos mores meos, sensim atque ita ut asperitatem novæ disciplinæ vix ullam sentirem; duo dicit Persius; correctam priorem vitam suam à Cornuto, postquam se illi in disciplinam dedit: & ita leviter correptum se atque ab obliquis tramitibus in rectam viam fuisse traductum, ut repentina vitæ mutatione & nimio rigore disciplinæ non offenderetur: egregia laus Cornuti: est enim cum primis difficile atque arduum, præceptorem invenire qui bene & commodè juventutem ab voluptatum studio ad amorem virtutis flectat, & sine tædio quò vult ducat: hæc docendi ratio est, quæ Persio heic dicitur, *regula fallere sollers*: quæ non ἀθρόως, (*semel & simul*) sed ἐκ περιαγωγῆς (*paulatim, & gradatim*) discentis animum inflectit: ut prius sentiat se emendatum quàm emendari: prius perductum se ad sanitatem gaudeat, quàm medicamenti amaritudine offendatur: *regula apposita*, & *intorti mores* ab arte fabrili sunt eleganter transla-

translata: sic passim Græci, τῷ κανόνι τὰ σκολιὰ ἀπευθύνειν: vel τῇ προσαγωγῇ τοῦ κανόνος τὰ διεστραμμένα εἰς εὐθύτητα μεθιστάναι.) *Regulâ quæ prava sunt corrigere: vel, admotâ regulâ, quæ curva sunt, recta facere.*) *Extendit* dixerit pro, correxit: translatum à perpendiculari funiculo: qui tum demum est rectus quando est intensus: contrà pro extendere *corrigere* dixerunt. Plinius de Milone lib. VII. *malum tenenti nemo digitum corrigebat.* Ita autem scripta lectio, non *ostendit*: τὸ *fallere solers*, etiam hoc modo est interpretari: tunc vitæ meæ prioris errorem correxit, institutio tua, & ea quam abs te accepi recti notitia: quæ eo difficilior est, quia sæpe,

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

mihi prior interpretatio, quam & vetus sequitur, acutior videtur ac melior.

Et premitur ratione animus vincique laborat.) *Animus* heic, non est totus animus, sed pars tantùm illius. Est in animo nostro pars ratione prædita, pars rationis expers: hæc duplex est: nam aliud est ἄλογον quod prorsus ratione caret: ut ἡ θρεπτικὴ δύναμις, & facultas vegetativa, quæ maximè in somnis ἐνεργεῖ, (*operatur*:) aliud τὸ ἄλογον μὲν, λόγου δὲ πῃ μετέχον, (*irrationale, sed rationis aliquatenus particeps*) ait philosophus: hinc illa pugna in animo continentis: inest ratio, quæ deterret à vitiis: inest & ἄλλο τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκός, inquit Aristoteles, ὃ μάχεται καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ. (*Aliud quid præter rationem innatum, quod cum ratione pugnat, & in contrariam partem trahit.*) Idem igitur heic *animus*, ac perturbatio & vitium: ut cùm aiunt vulgò Græci, τὰ πάθη τῷ λογισμῷ πιέζειν χρή. (*Vi rationis perturbationes reprimere & in ordinem cogere:*) cùm addit,

——— *vincique laborat*,

hoc vult quod ex Aristotele modò dicebamus: partem illam animi rationis expertem parere tamen rationi esse aptam; diversa autem notione vox *animus* heic repetenda: neque enim verè dixeris partem illam sequiorem laborare, aut omnino velle vinci: sed nec rationali parti hoc convenit: quæ vincere laborat, non vinci: verùm animus in universum consideratus is est, qui vinci illam sui partem cupit nactus meliorem institutionem, atque in eo laborat altera sui parte.

Vincique laborat.) Rectè *laborat*: est enim labor ingens, & certamen arduum quando vitia domare nitimur, & ut ait Æschylus, σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνειν βίᾳ. (*Tumentem iram vi coercere.*) Videtur Persius imitatus Plautinum illud in Trinummo:

Certum'st ad frugem applicare animum: quanquam ibi animo
Labos grandis capitur. ———

Gregorius Nazianzenus:

Πράγματα δ' οἷα δοκεῖς πάσχει ψυχὴν πολεμοῦσαν
Σώματι, καὶ κόσμῳ ἀντιπαλαιζομένην;

(*Quantum putas oneris ac molestiæ animam sustinere: quæ pugnat cum corpore, & cum mundo belligerat?*)

Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.) Et ita animus meus tua disciplina totus immutatur, atque ex depravato emendatus, è malo evadit probus. Juvenalis In VII. imitatur hunc locum, & quasi ex professo illustrat:

Exigite ut mores teneros ceu pollice ducat
Ut si quis cera vultum facit. ———

Statius quoque in prima Achilleidos eandem similitudinem uberius tractavit. Ait enim de Thetide filium suum non ad virtutem, verùm ad mollitiem instituente,

Incessum motumque docet, fandique pudorem,
Qualiter artificis victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur:
Talis erat divæ natum mutantis imago.

ex verbis Juvenalis non sine ratione aliquis putet legendum in nostro, *ducit ceu pollice*: sed nihil mutandum: nam Juvenalis ita mollivit, quod duriusculè dictum fuerat à Persio: translatio est à statuariis, qua & satira prima utitur: *pollice ducere* familiaris Claudiano phrasis: *animus ducere vultum* dicitur, quando bonis moribus informatur: quorum persæpe dat significationem vultus: ut modestiæ aut immodestiæ, iræ aut ἀοργησίας, spei bonæ, aut meticulosi ingenii. Sed cur ait Persius *artificem vultum?* videtur enim ἄνω ποταμῶν, (*præposterum*: Eurip. de mutato rerum ordine, Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, &c.) ut vultum qui fingitur appellet artificem: immò artifex est pollex qui fingit, non opus quod fingitur. Uni, opinor, è tot interpretibus Britannico venit in mentem hujus absurditatis: ait verò ille esse antiptosin accusativi pro ablativo: parum rectè; nam antiptosis locum habere non potest, ubi ea admissa sensum pervertit: tolerabilius dixisset esse hypallagen. Nos existimamus vel *artificem vultum* παθητικῶς dictum, pro magna cura atque arte laboratum: sic *artifex nodus* apud Macrobium libro III. capite XIII. vel scripsisse Persium,

Artificisque tuo ducit s. ———

ignoratio hujus Latinitatis, *ducit vultum sub tuo artificis pollice*, corrupit hunc locum: sic autem sæpissimè Cicero, & omnes veteres: in epistola ad L. Paulum Cos. *me consulem tuum studium adolescentis perspexisse.* M. Cato Ciceroni, *tuam virtutem cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris.* Livius, *ut noster duorum eventus ostendit*: alibi, *nostro duorum eventu.* Ita Græci: Homerus,

Δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος.

Sophocles πῆμα δυςήνου κακά. Ita ergo, *tuo artificis vultu.* Idem erit sensus si legas,

Artificique tuo d. s. p. v. ——

sanè in superiore Statii loco non *artificis*, sed *artificis* legit Priscianus lib. VII.

Tecum etenim longos memini consumere soles.) Hoc versu & tribus sequentibus summam familiaritatem describit, quæ illi fuerat cum præceptore suo Cornuto: apud quem videtur vixisse dum philosophiæ studiis imbueretur. Vetus scriptor vitæ Persii, *Cùm esset annorum sedecim amicitia cœpit uti Annæi Cornuti, ita ut ab eo nusquam discederet: à quo introductus aliquatenus in philosophia est.* Paullò post: *Usus est apud Cornutum duorum convictu doctissimorum & sanctissimorum virorum*: *longos consumere soles* est, dies totos transigere: sic ἥλιον vel ἡμέραν ἀναλίσκειν Græci: & μακροὺς παρακατάγειν ἡλίους apud Nicephorum Gregoram. Callimachus in epigrammate καταδύειν τὸν ἥλιον: quod παροιμιακῶς Dio Chrysostomus usurpat de eo qui frustra tempus terat.

Et tecum primas epulis decerpere noctes.) Convivia paullò ante noctem, hoc est, post horam decimam à sobriis adibantur, & in primam noctem protrahebantur: *primas* itaque *noctes* sive unam aut alteram horam noctis cibo sumendo impendebant: longè erant alia quæ vocabant intempestiva convivia: quæ adpetere disertè vetantur studiorum liberalium sectatores, lege trium Augustorum in Codice Theodosiano.

Unum opus & requiem pariter disponimus ambo.) Id est, sine ulla intermissione unà eramus: unà studebamus: unà cessabamus: vitæ universæ duæ sunt partes, otium & negotium: σπουδὴ καὶ σχολή. Pro *unum*, malim,

Unà opus & requiem pariter disponimus, --

aliter tamen veteres: ita igitur accipe, unum opus, & requietem eandem pariter disp. imitatus est istum Virg. versum:

Omnibus una quies operum, labor omnibus idem.

Atque verecunda laxamus seria mensa.) Jam dixit,

Et tecum primas epulis decerpere noctes.

cur repetit? quia vel præcipuum testimonium est arctæ amicitiæ salis & mensæ communio. ἡ γὰρ συντροφία, ait verè Plutarchus, ὥσπερ ἐπιτείνει ἐπὶ τῆς εὐνοίας.

Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo Consentire dies.) Ut summam animi sui conjunctionem cum animo Cornuti magis exprimat hæc dicit Persius: non enim αὐτὸς τὸ ῥητὸν & simpliciter hæc sunt accipienda, ut perineptè fecerunt quidam. Atqui non aliter capi locus debet, quàm si dicat Persius: ex omnibus caussis magnæ cujusdam ac perfectæ amicitiæ, ἡ συναστρία (*constellatio*) censetur quorundam judicio maxima: quod si ita est, ab effectis colligere tuto possumus, occulta sideris alicujus potestate coaluisse hanc inter nos amicitiam tantam, adeoque firmam. Quod amicitiæ singularis caussam è siderum consensu vulgò peterent, etiam Hebræorum παροιμιακὴ locutio testatur: nam cùm aliquem alii esse amicissimum significare volunt, dicunt בן גלו *est filius stellæ ejus.* Horatium autem imitatur Persius, ut alibi ostendimus.

Non equidem hoc dubites.) Hoc est, credas, φαίης ἄν: quæ loquendi genera non usurpamus; cùm vera res est de qua loquimur: sed cùm simillima vero: at quidam interpretes ita interpretati sunt quasi *credas* dixisset Persius: & ex sententia Cornuti hæc Persium dicere adnotarunt: quo nihil falsius fingi potest: omnino absurdissimum est ita hæc accipere quasi potuerint Cornutus & Persius, qui ætatis diversæ fuerunt, eundem horoscopum habere: nam quot seculis opus fuerit, ut fieret omnium siderum in idem punctum ἀποκαταστάσεως; (*restitutio?*)

Consentire dies.) Ita omnes codices, non *deos*, quod afferunt nonnulli: atqui confutat Persius statim:

Nostra vel æquali suspendit tempora libra.

quod heic *dies* ibi dixit *tempora*. Intelligit universam vitam, cujus præcipuas partes sideribus alligant mathematici, genituram, ortum, conjugium ἐπιτήδευμα, (*propositum vitæ*) adversa aut læta, mortem; in his omnibus similibusque aliis consentire oportet eos quorum consentiunt dies vel tempora, ut heic loquitur Persius.

Nostra vel æquali suspendit tempora Libra Parca tenax veri.) Plures sunt constellationes quæ inter se homines jungunt: sed duæ illæ præcipuæ quarum heic fit mentio: cùm sub eodem Libræ signo nascuntur, aut sub Geminis: id est, cùm pariter sunt vel ζυγικοί, vel διδυμικοί: sic enim vocant Græci: ita dicuntur alii κριακοί, ταυρικοί,

σκορπιακοί,

κριομιγενεῖς, (*qui sub ariete, tauro, scorpio nati sunt:*) & similiter in cæteris.

Seu nata fidelibus hora Dividit in Geminos concordia fata duorum.) *Hora* est horoscopus: etsi in genituris observandis, non hora solùm spectari solita, sed dies quoque: imò & tertius dies æquè ac primus, ut ait alicubi Firmicus: aliter alii, quos ridet Basilius sexta in Sex dies homilia: *hora nata fidelibus*, hypallage, pro qua nascuntur fideles amici: vel quæ οἰκεῖοι, sive ποιεῖ συμπαθείας ἀπταίστους καὶ ἀδιαλύτους, καὶ ἀνεπηρεάστους, (*facit animorum conjunctiones inoffensas, indissolubiles, inviolabiles*) ut loquitur Ptolemæus. De Geminis Manilius:

Magnus erit Geminis amor & concordia duplex:
Magnus & in multos veniet successus amicos.

Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.) *Nostro*, nobis propitio: est enim signum ἀγαθοποιὸν, (*beneficum*) ut Saturnus maleficus. Apud Firmicum sæpe legas, *Saturnum radiationibus Jovis mitigari.* Ptolemæus Tetrabib. IV. Κρόνος καὶ Ἥλιος ἐπελθόντες τοῖς ἀλλήλων τόποις ποιοῦσι φιλίας διὰ συντάξεως, ἢ γεωργίας, ἢ κληρονομίας. (*Saturnus & Sol, alter in alterius loca venientes efficiunt amicitias ex commilitio, vel communi agricultura, vel hæreditate*) *Frangere* & *temperare* astrologorum voces, in eam rem usitatæ, cùm sinister affectus unius sideris impeditur contraria vi alterius. Seneca De beneficiis libro IV. cap. XXIII de sole & luna *Non dubium est quin hoc humani generis domicilium circuitus solis ac lunæ vicibus suis temperet: quin alterius calore alantur corpora, alii rigentis omnia hyemis tristitia frangatur:* alludit Statius in Tiburtino Manlii:

—— *frangunt sic improba solem*
Frigora: Pisæumque domus non æstuat annum.

Nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.) Quia, ut diximus: plura sunt signa amicantia, Persius aliquot positis, vel hæc, inquit, signa hanc tantam inter nos amicitiam conciliarunt: vel certè aliquòd aliud: nam omnino aliquod sidus est unde nostræ amborum voluntates, studiaque pendent, & inter se adeò amicè mutuò conspirant.

Quod me tibi temperat.) συγκιρνᾷ, συγκεραννᾷ, miscet. aliter hanc vocem accipit quam vulgò mathematici, & Horatius ipse quem imitatur.

Mille hominum species & rerum discolor usus.) Hactenus de suo in Cornutum affectu & Cornuti in se meritis egit: nunc de singulari ejusdem virtute dicturus, & genere vitæ quo universam juventutem Rom. partim demerebatur, partim demereri paratus erat, à dissimilium vel contrariorum comparatione laudationem ejus instituit: est enim hic μέγιστος τόπος αὐξήσεως, (*præcipuus amplificationis vel exaggerationis locus*) ut ait philosophus. Commemorat igitur varia hominum studia: quæ omnia vel ad χρηματιστικὴν avarorum vitam, vel ad ἀπολαυστικὴν voluptuariorum referuntur: ut ex horum vilitate, crescat laus Cornuti, cui unicum erat vitæ propositum philosophari cùm sibi tum aliis: juventuti nempe Romanæ, quæ ad studia sapientiæ & Stoicæ disciplinæ cognitionem se vellet accingere: *species* sunt, proposita vitæ, artes vel scientiæ quas homines profitentur. Ptolemæus in quarto Tetrabibli πράξεων ποιότητας vocat, vulgò Græci βίου διαφορὰς & ἐπιτηδεύματα, vel etiam ἰδέας βίων, ut Gregorius Naz. in ea ad Julianum ἐξισωτὴν. Idem alibi αἱρέσεις nominat, cùm ait, αἱρέσεις βίων διάφοροι: *rerum usus discolor*, artes diversæ, ac scientiæ quæ circa res versantur: putà medicina, circa sanitatem; myrepsica, circa confectionem unguentorum, naupegica circa navium fabricas: sic apud Ciceronem, *usus reip.* vel *in rep.* est notitia politicæ scientiæ: *discolor* igitur *usus rerum*, διάφορος τῶν πραγμάτων χρῆσις: hoc est, διάφοροι τέχναι περὶ τὰ πράγματα καταγινόμεναι, ἡ μὲν ὧδε, ἡ δὲ ὧδε.

Velle suum cuique.) Hominum voluntas una omnium est naturalis, eademque universalis: velle esse, & ea omnia optare quæ ad conservationem sui aliquis judicat esse necessaria: hæc voluntas omnibus mortalibus est communis: at sunt aliæ voluntates minus latè fusæ, & huic generali subordinatæ, propriæ unicuique mortalium: nam alius hoc, alius illo modo vitam instituit: & præsidia vitæ varii variè sibi parant: hæc sunt quæ γνωμικὰ θελήματα appellarunt: quæ non à natura hominis immediate, sed à deliberatione & consilio proficiscerentur. Auctor Definitionum quæ Athanasio tribuuntur: ἔστι ἕτερον θέλημα φυσικὸν, ὅπερ λέγεται κοινὸν πάσι ἀνθρώποις· τοῦτο δὲ ἐστι τὸ φιλόζωον: πάντες γὰρ οἱ ἄνθρωποι φιλοῦσι τὴν ζωὴν καὶ τὸ ὁρᾶν τὸ φῶς: ἰδοὺ καὶ τὸ κοινὸν θέλημα· εἰσὶ δὲ καὶ ἕτερα θελήματα ἐν ἡμῖν, ἅπερ καλοῦνται γνωμικά· καὶ ἄλλος μὲν γὰρ ἄνθρωπος θέλει ἰδιάζειν, ἄλλος γεωργεῖν· καὶ ἄλλος μὲν πλέειν, ἄλλος δὲ ἀναπαύεσθαι, καὶ ἄλλος ἐσθίειν, ἄλλος χρυσοχοεῖν, καὶ ἄλλος ὑφαίνειν, καὶ οἱ λοιποὶ ὁμοίως, (*Alia est voluntas vel cupiditas naturalis, quæ communis est omnibus hominibus: qualis est, amor vitæ: vitam enim omnes amant, & lumine frui desiderant: hæc igitur est communis voluntas, sive cupiditas. Sunt autem nobis & aliæ cupiditates, quæ propriè*

propriè voluntariæ vel deliberativæ vacantur. Est enim qui privatum vitæ genus eligit: alius agriculturam, est qui navigare cupiat: alius qui domi quiescere: alius qui peregrinari; alius qui vigilare: alius denique qui dormire: & alii similiter alia.) de his etiam Gregoras Nicephorus libro nono: ἐφιέ) πάντως ἄλλος ἄλλου κ͵ τὴν τοῦ ἐν αὐτῷ κειμένου, τῆς ψυχῆς ἕκαστος δύναμιν καθάπερ αἰτίας τινὸς ἢ ῥίζης ὑποκειμένης τῆς ἐκεῖθεν κινουμένης ὁρμῆς καὶ ἀναλόγως χειραγωγούσης ἐς τὰς προθέσεις τάς δε ἢ τάς δε, ὁποίας πολλὰς γῆ τε αὕτη καὶ οὐρανὸς ἐκεῖνος παρέχει): *Omninò unusquisque hominum, pro vi illa quâ pollet ipsius anima, electivâ vel arbitrativâ, alius aliud cupit. Hinc enim prout illa se vis habet, movetur appetitio, quæ velut caussa quædam sive radix latens & supposita, quasi manu prehensâ inducit ad hæc vel illa proposita, quorum varietatem copiamque terra tota cælumque ipsum suppeditat.*)

Nec voto vivitur uno.) Lucilius: *Quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet*: refertur & hic ejusdem versus apud Nonium: *Summis niti naturæ operibus, at ego contra ut dissimilis siem*: fortean scripserat: *Similis ei esse summis niteris operibus: ac ego contrà, ut dissimilis siem.*

Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper.) Duobus versibus eorum vitam describit, quibus finis ultimus sunt divitiæ: alius, inquit, studio mercaturæ faciendæ ducitur: variis autem modis fit mercatura: heic eorum meminit, qui exportandis indigenis mercibus, & exoticis importandis quæstum faciunt.

Sub sole recenti.) Alexandriæ: nam etsi scribit Plinius piper in Indos peti solitum, tamen Romani mercatores ex emporio Alexandrino id petebant, & reliqua aromata, ac quæcunque ex oriente in Europam tempestate illa deferebantur. Lege Arriani Periplum Erythræum, de toto illo genere mercium.

Et pallentis grana cumini.) Cuminum sativum Æthiopicum intellige, & Ægyptium: de quibus Dioscorides & Plinius.

Pallentis.) Plinius: *Omne cuminum pallorem bibentibus gignit: ita certè ferunt Portii Latronis clari inter magistros dicendi adsectatores, similitudinem coloris studiis contracti imitatos.*

Hic satur irriguo mavult turgescere somno.) Hæc voluptuariorum vita & ἡδονικῶν. *Satur* ait, quia maximè à cibo somnus solet obrepere: tunc enim calor ad intima confugit, ut cibi coquantur: is calor sursum vapores mittit, & ἀναθυμιάσεις σωματώδεις in cerebrum; quibus primo aggravatur, deinde obruitur τὸ πρῶτον αἰσθητήριον: ita fit somnus, qui species est ἐπιλήψιως, inquit philosophus: *irriguus somnus* ὑγρασμῷ [illegible]: qui irrigat sive humectat. consentiunt in hoc medici omnes & philosophi: poëtæ etiam. Homerus,

Ἔνθα μνηστῆρσιν ἐπὶ γλυκὺν ὕπνον ἔχευεν.

Lucretius libro IV.

Nunc quib. ille modis somnus per membra quietem
Irriget. ——

Sic Virgilius aliique: translatum est à plantis: quæ irrigatæ crescunt: ita homines somno dediti solent *turgescere* & obesi ac præpingues fieri: saginat enim quies: somnus autem ἀκινησία τις.

Hic campo indulget.) Martio, ubi campestres exercitationes. Horatius, Suetonius libro II. cap. LXXXIII. libro VI. cap. X. alii, *indulgere* propriè est contrarium τοῦ *urgere*: ea enim origo vocis: *indulgere* pro inurgere dixerunt inserto *d*, ut *indolescere* pro *inolescere*: unde est indoles: deinde *l* pro *r*, posito: sunt enim in omnibus linguis eæ literæ facilè invicem permutabiles, *urgere*, est severi ἐργοδιώκτου, qui pensum morosè exigit, *indulgere* est, ejus qui de summo jure aliquid remittit, ut ferè parentes liberis: sic dicitur princeps debitorum reliqua indulgere: quorum exigendi jus habuit: dicitur & de aliis, ut ferè Græcorum ἐπιτρέπειν. Glossarum magister exponit δαψιλεύεται: quod est, genio indulgere, aut epulis: non simpliciter indulgere, hinc etiam obtinuit ut dicerent indulgere, pro multum studere alicui rei: ut *indulget campo*, hoc est, multus est in campo, & eo oblectatur: ineptè faciunt qui cum venia indulgentiam confundunt: è contrario enim, ubi est indulgentia, ibi veniæ nullus locus: quippe nullum peccatum ejus cui indulgetur.

Hunc alea decoquit:) ἐκτήκει, rem familiarem illius absumit. Symmachus libro IX. *senectus nihil decoquit firmitatis*, & libro IV. *Flandæ monetæ nequitiam decoquat larga purgatio*: vel, cogit decoquere fidem creditoribus, unde dicti decoctores: non malè etiam retuleris ad corporis incommoda ex longo otio & cessatione exercitationis: sedentaria enim res est alea: *decoquit* igitur erit τήκει: quomodo capitur in istis antiqui scriptoris, apud Stobæum: σῶμα ἀργίη τήκει, ψυχὴν δὲ ἀμελετησίη. (*Laboris insolentia, corpus: meditationis autem, animam decoquit: vel, liquescere facit.*)

Ille in Venerem putret.) Corpus continuo Veneris & aliarum voluptatum usu effœminatum atque exhaustum ait putrere: hoc est, penitus corruptum esse: nam putredo est φθορά. Sic Græci σήπε-

ci σήπεσθ' & τήκεσθ' usurpant, Menander: ἰδίοιον ... Vetus auctor apud Stobæum: ὁ Διογένης τοὺς πολλοὺς ἔφασκε ζῶντας μὲν ἑαυτοὺς σήπειν λουτροῖς τέγγοντας, καὶ ἀφροδισίοις τήκοντας. (Dicebat Diogenes plerosque, ut putrescerent, sibi ipsis caussam esse, partim balneis madentes, partim rebus venereis liquefactos.) Hic est qui appellatur ὑγρὸς βίος: sicut ὑγροὺς ὀφθαλμοὺς quos Horatius quam in hac voce Persius imitatur, *putres oculos* vertendo dixit.

Sed cùm lapidosa chiragra Fregerit articulos.) Quis sit voluptatum fructus ostendit: luere nempe senes eorum pœnas quæ peccaverint juvenes: obiter autem hæc inferuntur, sed non præter rem: etsi præter institutum sermonem: id enim tantùm instituerat, diversa hominum studia commemorare, ex quorum comparatione cresceret Cornuti laus: verùm facit hoc quoque ad Cornuti laudem, quod recta institutione sua homines liberet à tantis malis, quæ vitam non ex virtute actam comitantur: quare mox juvenesque senesque hortatur, ut petant à Cornuto *miseris viatica canis*, hoc est, certam rationem ita vitam instituendi, ut senes facti nulla propter prioris vitæ peccata perpetiantur incommoda.

Lapidosa chiragra.) Melius *cheragra*, ob metrum: lapides qui in articulis concrescunt, Græci vocant & philosophi & medici πώρους. Horum tanta copia in affectis partib. aliquando generatur, ut prodigii similis res sit. Vivebat non procul Urbe cùm hæc scriberem, vetus quidam arthriticus, è cujus corpore (exibant autem ex omnib. partibus) plus vel exciderat, vel extractum fuerat lapidum, quam quantum ipse penderet.

Veteris ramalia fagi.) Deest similitudinis particula, ut sæpe: comparat hominem pedibus manibusque captum morbo articulari, cum arbore cui præ vetustate omnes rami exaruerint: concinna similitudo: nam homo similis arboris, sed inversæ, ut docent philosophi: caput radici proportione respondet: τὰ κῶλα, brachia & pedes ramos referunt: sed hæc alibi exactius: habent enim jocundissimam θεωρίαν.

Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem.) periphrasis continetur hoc versu vitæ per voluptates actæ: quibus qui erant dediti balneorum excaldationibus plurimum utebantur, & reliquis τρυφητῶν institutis, quæ corpus fluidum & languidum reddunt: *crassi dies* & *lux palustris* umbram denotant balneorum, & similium nequitiæ ac mollitiei sedium: *crassus dies*, tempus in aere crasso actum: qualis est aer vaporariorum, & omnium locorum quos sol radiis suis non illustrat. *Lux palustris* propriè est impurus ille aer qui in locis palustribus videtur: δυσαερία enim ejusmodi locis proprium à natura malum est: heic verò *lux palustris* opponitur soli puro quo fruuntur qui in illis voluptuosis locis non morantur. Plato in Phædro de Cupidine loquens, ὀφθήσεται δέ τινα μαλθακὸν καὶ οὐ στερεὸν διώκων, οὐδ' ἐν ἡλίῳ καθαρῷ τεθραμμένον, ἀλλὰ ὑπὸ συμμιγεῖ σκιᾷ. Ita passim Græci vitam in umbra actam mollibus & effœminatis exprobrant. Dio Chrysostomus in LXIX. ἐσκιατραφημένος καὶ ἁπαλὸς, καὶ μάλιστα ἐοικὼς ταῖς γυναιξίν.

Et sibi jam seri vitam ingemuêre relictam.) Gravi pœnitentia afficiuntur ob vitam anteactam: sed sero, τὸ *seri* nomen pro adverbio Ἑλληνικῶς. ὄψιμος pro ὀψὲ, παννύχιος pro παννυχεί. Non placet scriptura quam invenimus in septimo Saresberiensis,

Et sibi jam miseri v. ——

quomodo etiam vetustissimum Bongarsii exemplar. nempe jam olim sciolus quidam correxerat: cùm esset initio aliter scriptum.

Cultor enim es juvenum.) γεωργεῖς γὰρ τὰς τῶν νέων ψυχάς. Ita exponendum docent sequentia.

Purgatas inseris aures Fruge Cleanthea.) Colis, inquit, juvenum animos: atque ut peritus colonus primùm à vitiorum sentibus eos purgas: deinde fruge inseris moralis philosophiæ Stoicorum, translatio elegantissima & plurimis scriptoribus, quod & Quintilianus admonet, usurpata, à cultu agrorum ad cultum animi. M. Tullius, secunda Tusculana simillimè ut Persius: *cultura animi philosophia est: quæ extrahit vitia radicitus & præparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat his, & ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant*: pro animo *aures* nominat: quia auditu doctrinæ percipiuntur: is enim ad scientias plurimum confert. sic inferius,

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

B. Chrysostomus in loco simili super Evangelio Matthæi aures animo tribuit: ubi pluribus eam sententiam persequitur. Totius autem philosophiæ ethicæ fructus in duobus est positus, fuga vitii, amore virtutis, aut potius ex virtute vita: utriusque similiter mentionem faciunt Cicero & Persius. Observa etiam apud utrumque eandem τάξιν disciplinæ: ut priusquam virtus tradatur, vitia ejiciantur. Ideo negat Aristoteles eum qui vel ætate vel depravatione morum esset τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς (*perturbationibus obnoxius*) idoneum

idoneum esse doctrinæ ethicæ discipulum, sed ματαίως ἀκούσεται καὶ ἀνωφελῶς. (*frustra auditurum & sine fructu.*) Alludit ad hanc docendi viam Johannes Chrysostomus in quarta ad populum Antiochenum homilia, διαῤῥήξωμεν, inquit, τὰς καρδίας, ἵνα εἴ τις πονηρὰ βοτάνη καὶ λογισμὸς δολερός ἐστιν ἐν ἡμῖν προῤῥίζον αὐτὸν ἀνασπάσωμεν, καὶ καθαρὰς τοῖς τῆς εὐσεβείας σπέρμασι παράσχωμεν τὰς ἀρούρας. (*Proscindamus corda, ut si quæ noxia herba, vel fallax ratio latet in nobis, radicitus extirpemus: & pura arva pietatis seminibus præbeamus.*) Idem ordo in tradendis mysteriis servabatur: solis enim κεκαθαρμένοις τὰ ὦτα illa pandebant, ut ait Philo, & nos alibi pluribus exposuimus. Ita ergo purgatos animos sive aures *inseris fruge Cleanthea*: variata per hypallagen locutio: non enim arva serimus in fruge, sed frugem in arvis: sic & auribus fruges, id est, disciplinæ inseruntur, non frugibus aures: sic loquitur Persium palàm imitans, Augustinus in epistola ad Dioscorum: *tot legisti dialogos, tot philosophorum altercationibus cor inseruisti.* Ita Græci ἐμφυτεύειν ponunt, pro moribus imbuere, ut apud Plutarchum De amore divitiarum: quod alibi παραπηγνύειν dixit, ut in libro de educatione puerorum: οἱ νόμιμοι τῶν διδασκάλων ἐπιμελεῖς τὰς ὑποθήκας καὶ παραινέσεις παραπηγνύουσι τοῖς νέοις, ἵν' ὀρθὰ τούτων βλαστήσῃ ἤθη. (*Legitimi præceptores accuratas commonefactiones & exhortationes velut surculos aptant juvenibus, ut mores eorum recti pullulent.*) Traductum à surculis qui panguntur & in terram defiguntur: inde scientiæ dicuntur παραπήγματα, quæ constant multis observationibus simul congestis & adunatis: neque enim astronomorum tantum sunt parapegmata, ut videntur viri doctissimi existimare: sed & reliquas scientias ita vocarunt. Sextus Empiricus de grammatica disputans: οὐκ ᾔδεσαν δὲ οἱ θαυμάσιοι, πρῶτον μὲν ὅτι ὁ εὐμαρῶς ἀξιῶν λέγειν οὐ δώσει αὐτοῖς καθολικὸν εἶναι τὸ παράπηγμα. (*At non intelligunt præclari, quod qui censet dicendum esse Εὐμαρῶς, non concedet illis id tale esse quod pro generali regulâ haberi debeat.*) Ibidem: ἀλλ' εἰσί τινες οἱ πρὸς τοῦτο γελοίως ἀπαντῶντες καὶ λέγοντες, ὅτι ἐκ πλειόνων ἐστὶ τὸ καθολικὸν παράπηγμα. (*Sed sunt quidam qui huic objectioni occurrunt ridiculè, dicentes ad universale παράπηγμα sufficere, si constet ex pluribus.*) Et sæpius capite eodem: sequente etiam, ubi agit de historia: ὥστε εἰ καὶ αὐτοὶ ἐξομολογοῦνται ἀμέθοδόν τι εἶναι παράπηγμα τὴν ἱστορίαν, καὶ ἡμεῖς ἐπιλογιζόμεθα, καὶ ἄλλως οὐδὲν τεχνικὸν θεώρημα πρὸς τὴν γνῶσιν αὐτῆς ἢ σύστασιν παραδεδώκασι, ῥητέον καὶ κατὰ τὸ ἱστορικὸν μέρος ἀσύστατον εἶναι τὴν γραμματικήν. (*Quare si ipsi etiam fatentur historiam esse rem quæ caret methodo ac certâ ratione, & nos rationibus id evicimus: & præterea nullum tradiderunt artis præceptum ad ejus cognitionem aut constitutionem pertinens; dicendum certè est etiam in parte historicâ Grammaticam non posse consistere.*) Frugem Cleantheam appellat poëta doctrinam ethicam sive virtutem. Philo Judæus in allegoriis non frugibus sed areæ in quam fruges congeruntur virtutem assimilat: profectum in virtute, spicis: indolem arvo: vitia tribulis: ipsius verba adscribam: ἀρετὴν παραβέβληκε τῇ ἅλῳ· συγκεκόμισται γὰρ εἰς ἐνταῦθα ὁ καρπός, οὕτω καὶ ἐν τῇ τοῦ σοφοῦ ψυχῇ τὰ καλὰ συγκεχύσθαι δὲ τὴν προκοπήν, ἐπεὶ καὶ ἑκάτερον ἀτελές, ἐφιέμενον τοῦ τέλους· πεδίῳ δὲ τὴν εὐφυΐαν, ὅτι ἐπιτηδείως παραδέχεται σπερμάτων ἐστίν, ἕκαστον δὲ τῶν παθῶν τριβόλια εἴρηκε: sed hoc simile quo humanum ingenium agro comparatur, nemo veterum uberius explicavit quàm doctor ipse doctorum in notissima parabola, & Hippocrates in Lege. *Cleantheam* dixit pro Stoica: quoniam Cleanthes Zenonis fuit discipulus inter τοὺς κορυφαιοτάτους, (*eminentissimos*) immò & successor Zenonis.

Petite hinc juvenesque senesque Finem animo certum.) Philosophiam de virtute & moribus: cujus princeps quæstio est de stabiliendo recto fine: antè dictum satis.

Miserisque viatica canis.) Præsidia hinc petite adversus ea mala quibus obnoxia dissolutorum misera senectus: hæc illis prioribus respondent,

Sed cum lapidosa cheragra, &c.

ut ibi monebamus. Est autem vox Aristotelis, vel ut Basilio placet Biantis, Ἡ παιδεία κάλλιστον τοῦ γήρως ἐφόδιον: (*institutio, sive morata juventus optimum Senectuti viaticum.*) Quò videtur & Lucilius eo versu allusisse, *Prospiciendum in senectam nunc in adolescentia est*: alio sensu patres monebat olim Aristippus, pararent liberis ejusmodi viatica, quæ etiam è naufragio unà possent enatare: philosophiam significans: lege Laertium, & Vitruvium in præfatione libri sexti. Menander:

Ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.

(*Sapiens, in se ipso, vel intrà seipsum suas opes circumfert.*)

Cras hoc fiet; idem cras fiet.) Procrastinatio malum fatale juventutis: quæ ne cogitat quidem in jactura temporis quantum damnum fiat: hujus erroris sui illam Persius heic admonet: apparet autem ex Epicteti enchiridio, cap. LIX. & Dissert. Arriani lib. IV. ca. XII. itemque Senecæ libris, familiare in ore Stoicorum fuisse præceptum

ptum *Parce tempori*: de quo multa præclarè summus ille vir variis locis. Platonicus quoque Nigrinus ut refert Lucianus solitus suis discipulis inculcare, Δεῖν ἀμελλήτως εἶναι τὴν πρὸς τὰ καλὰ ὁρμήν, *ad capessendas res honestas nulla procrastinatione esse utendum.* Hesiodi pulcherrimus est ille versus,

Αἰεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄτῃσι παλαίει.

(*Semper procrastinator luctatur cum damnis.*) Hic autem est dialogismus. *Cras hoc fiet*, ait piger adolescens. Ovidius:

Dicimus assiduè: Cras quoque fiet idem.

Petronius: *quod hodie non est, cras erit*: excipit Persius, *idem cras fiet.* Ovidius:

Qui non est hodie cras minus aptus erit.

caussa est: quia mala illa dispositio quotidianis procrastinationibus alitur: donec tandem mutet in habitum: quod ubi accidit, animus occalluit, ægerrimeque medicinam admittit. Epictetus apud Arrianum: ἐκεῖνο πρόχειρον ἔστω σοι, ὅτι παρὰ τὸ σήμερον ἁμαρτηθῆναι, εἰς τἆλλα χεῖρον ἀνάγκη σοι τὰ πράγματα ἔχειν: πρῶτον μὲν τὸ χαλεπώτατον, ἔθος τοῦ μὴ προσέχειν ἐγγίνεται: εἶτα ἔθος τοῦ ἀναβάλλεσθαι τὴν προσοχὴν, αἰεὶ δ' εἰς ἄλλον καὶ ἄλλον χρόνον εἰώθει (scribe, ἀπωθεῖν) ὑπερτιθέμενον τὸ εὐροεῖν, τὸ εὐσχημονεῖν. Brevius atque expressius in Enchiridio: παρὰ μίαν ἧτταν καὶ ἔνδοσιν ἢ οὔ, ἀπόλλυται προκοπὴ ἢ σώζεται Ita lego, non ut est editum: sensus est: *Semel victum esse & cessisse aut non, destruit quod profectum est vel servat.*

Quid? quasi magnum Nempe diem donas.) Vox hæc ignavi. Inter multos ac graves errores qui latè per hominum mentes grassantur, non minimus ille est, cùm sæpe parva ducimus peccata & momenti nullius, quæ vel eo nomine maxima sunt, quia maximam perniciem secum trahunt: sed erramus ferè in hoc, decepti illo σοφιστικῷ λόγῳ (*sophisticâ seu fallaci ratiocinatione*) quem ait philosophus, εἰ ἕκαστον μικρὸν καὶ πάντα: (*si singula parva, ergo & totum.*) Quod in plerisque rebus aliter longe evenire, exitu tandem, qui stultorum est magister, comperimur: idcirco dicebat pacificus Rex & verè divinus in Proverbiorum libro: pigrum hominem dum paululum dormit, paululum dormitat, paululum conserit manus ut dormiat, interea pauperem & rerum omnium fieri egenum. Hunc errorem, sicut heic Persius ostendit, juvenes errant, cùm admoniti ut vitia corrigant, studiaque virtutis & literarum suscipiant, diem ex die ducunt. Nam quia dies unus vitæ vel modicæ pars multesima est: ideò jacturam unius diei pro nihilo pendunt: idem error etiam alia vitia in nobis fovet, dum singula peccata nostra contemnimus, ut rem parvam, nec curamus emendare, & dicimus Οὐδὲν παρὰ τοῦτο: *quid tum postea?* quæ vox juventuti familiaris, quàm sit perniciosa velim discant ex Johanne Chrysostomo, homilia XII. in eam ad Rom. Παρακαλῶ, inquit, τὴν ἀρχὴν φυλαττώμεθα, καὶ τὰ μικρὰ φύγωμεν κακά· τὰ γὰρ μεγάλα ἀπὸ τούτων τίκτεται· ὁ γὰρ καθ' ἕκαστον ἁμάρτημα μαθὼν λέγειν ΟΥΔΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ, κατὰ μικρὸν πάντα ἀπώλεσε· τοῦτο γοῦν κακίαν εἰσήγαγε· τοῦτο τὰς θύρας ἀνέῳξε τῷ λῃστῇ· τοῦτο τῆς πόλεως τὰ τείχη κατέβαλε, τὸ καθ' ἕκαστον λέγειν ΟΥΔΕΝ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ· οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν σωμάτων τὰ μέγιστα αἴρεται νοσήματα, ὅταν τὰ μικρὰ καταφρονῆται. Idem præceptum apud eundem facundissimum doctorem & alibi reperitur· ut in VIII. super priore ad Corinthios: & in Matthæum sermone L. ubi de iis loquens qui elegantioris formæ calceis delectabantur: τὸ πάντων, inquit, αἴτιον τῶν κακῶν τοῦτο, τὸ καὶ μικρὰ ταῦτα δοκεῖν εἶναι τὰ ἁμαρτήματα καὶ διὰ τοῦτο ἀμελεῖσθαι. Sermone verò in eundem Euangelistam LXXXVII. divinitus planè idem argumentum tractatur; pauca subjiciam: Εἰ γὰρ χρή τι καὶ θαυμαστὸν εἰπεῖν, οὐ τοσαύτης δεῖ σπουδῆς τὰ μεγάλα πλημμελήματα, ὡς τὰ μικρὰ καὶ εὐτελῆ· ἐκεῖνα μὲν γὰρ αὐτὴ ἡ φύσις τῆς ἁμαρτίας ἀποστρέφεσθαι παρασκευάζει· τὰ δὲ μικρὰ αὐτῷ τούτῳ εἰς ῥαθυμίαν ἐμβάλλει, καὶ οὐκ ἀφίησι γενναίως διαναστῆναι πρὸς τὴν αὐτῶν ἀναίρεσιν· δι' ὃ καὶ ταχέως γίνεται μεγάλα καθευδόντων ἡμῶν. Quæ Trapezuntius non ineleganter ita vertit. *Mirabile quiddam*, ait, *atque inauditum dicere audeo: Solet mihi nonnunquam, non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur ipsa peccati natura efficit: hæc autem, hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere: unde cito ex parvis maxima fiunt negligentia nostra.* Gregorius Nazianzenus, exponens locum ex Euangelio Matthæi: capite XIX. τὸ κατὰ μέρος ὑφιλανόμενον καὶ κλεπτόμενον, ἀνεπαίσθητον μὲν τὴν πρὸς τὸ παρὸν ἔχει βλάβην, εἰς τὸ κεφάλαιον δὲ τῆς κακίας ἀπαντᾷ. Quamobrem Plutarchus inter alias certi profectus in studio virtutis notas, hanc ponit meritissimè: si quis voces illas repudiaverit, *Quid tum posteà?* & *Nunc quidem ita: alias verò melius*: sed singulas actiones suas diligenter attendat: & sua omnia delicta quantumvis minuta iniquo animo ferat, sibique succenseat: sed adscribam ipsa magni illius scriptoris verba: ἐν τοῖς πρὸς ἀρετὴν πράγμασιν ὁ μὴ πολλὰ συγχωρῶν τῷ, ΤΙ ΓΑΡ ΤΟ ΠΑΡΑ ΤΟΥΤΟ; καὶ ΝΥΝ ΜΕΝ

ΟΥΤΩΣ , ΑΥΘΙΣ ΔΕ ΒΕΛΤΙΟΝ , ἀλλὰ ἀπέχεσθαι ἑκάστῳ, κἂν εἰς τὸ μικρότατον ἡ κακία ποτὲ τῶν ἁμαρτημάτων ἐνδοῦσα συγγνώμην πειράζηται, δυσαναχαιτίστου καὶ δυσκολαίνει, δῆλός ἐστιν ἤδη τι καθαρὸν κτώμενος ἑαυτοῦ καὶ οὐδ' ὁπωσοῦν ἀξιῶν ῥυπαίνεσθαι. Poteramus similia his ex Seneca , Dione Chrysostomo & aliis sapientibus afferre quàm plurima : sed malumus petat ex ipsis auctoribus juventus studiosa.

Sed cum lux altera venit , Jam cras hesternum consumsimus.) πάθος adjicit lectio quam invenimus apud unum Servium in v. Æneidem :

Jam cras hesternum heu consumsimus.——

his & sequentibus verbis castigat Persius errorem illius ignavi qui diei unius jacturam faciebat non nauci. Atqui,ait noster , cras istud quod petis tibi donari , totius vitæ perniciem trahit: nullus enim finis : atque ut hodie dicis, cras faciam : ita sequenti die, cras faciam,dices, & item tertia , ac deinceps per omne tuum ævum ; hæc sententia Persii : eadem olim Epicuri mens cùm præclarè diceret : ὁ πάντων βίος μελλησμῷ διαπόλλυται, & scriptor Satirici , *quod hodie non est , cras non erit : sic vita truditur.* Seneca de brevitate vitæ : *Maximum vivendi impedimentum est , expectatio quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum: quod in manu fortunæ positum est disponis : quod in tua dimittis.*

Ecce aliud cras Egerit hoc annos.) Pulcherrimè Johannes Chrysostomus in xix. ad populum Antiochenum, CRASTINA DIES , inquit , FINEM NULLUM HABET. Μή μοι λέγε ὅτι κατὰ μικρόν, μηδὲ εἰς τὴν αὔριον ἀναβάλλου· ἡ γὰρ αὔριον οὐδέ ποτε λαμβάνει τέλος· pulcherrimum est proverbium , quod in eam rem usurpant Jûdæorum magistri : dicunt enim de eo qui dicere amat , Cras faciam : כל הדוחק השעה שעה דוחקתו , hoc est, qui protrudit horam hora protrudit eum : *egerere* heic est de totius vitæ summa paulatim absumere: ut qui condita in penu per partes promunt.

Et semper paulum erit ultra.) paullatim semper erit tibi ætas grandior , & propius ad metam accedes.

Nam quamvis prope te , quamvis temone sub uno Vert.) Ostendit procrastinatores istos qui persuadent sibi se aliquando virtuti operam daturos, interea tamen dilatione in diem crastinum semper utuntur , nunquam ad illum diem esse perventuros in quem suas spes ipsimet rejiciunt : ostendit autem allato simili , quod relinquit lectori aptandum ei de quo agitur. Sensus hic est : quemadmodum cum currit quatuor rotarum currus , posteriores rotæ etsi minimo intervallo sejunctæ à prioribus , nunquam tamen illas consequuntur : sic tu ὦ ἀμβολιεργέ, qui studia tua in crastinum semper differs diem , illum qui te studiis admovebit , assequeris nunquam diem , licet illi semper proximus. Hæc Persius : atque omnino ita est : procrastinatores, finem desidiæ suæ semper facturi sunt jamjam , nec faciunt unquam. De rotis idem ferè Symphosius in Ænigmatis ,

Quatuor æquales currunt ex arte sorores ,
Sic quasi certantes , cùm sit labor omnibus unus.
Et prope sunt pariter,nec se contingere possunt.

Nam quamvis prope te.) In hoc simili desidiosus procrastinator , diem agens hodiernum , respondet posteriori rotæ : dies crastinus rotæ priori: temoni uni, tenor totius vitæ.

Vertentem sese frustra sectabere canthum.) priorem rotam nunquam attinges : *canthus* συνεκδοχικῶς pro rota : ea voce ante Persium usus nemo ; ideò notatus hic locus antiquis criticis : Quintilianus lib. 1. *Barbarismum pluribus modis accipimus : unum gente : quale si quis Afrum vel Hispanum Latinæ orationi nomen inserat : ut ferrum quo rotæ vinciuntur , dici solet canthus : quanquam eo tanquam recepto utitur Persius.* Non agnoscit Quintilianus pro Græca hanc vocem : neque nos sanè apud ullum è veteribus Græcis id verbi meminimus legere : etsi grammatici Græci utuntur , sed tanquam petito è vulgi sermone : Auctor Etymologici magni : ἐπίσωτρα, οἱ ἐκτὸς τῶν τροχῶν σιδήρεοι κύκλοι, οἱ ἐπὶ τὴν γῆν κυλιόμενοι· τὰ κύκλα τοῦ τοῦ ἅρματος τροχῶν σιδηρᾶ· τὰ ἐπίσωτρα τῶν τροχῶν σιδηρᾶ ἢ χαλκᾶ, ἃ κανθοὶ καλοῦνται. (*ἐπίσωτρα , circuli ferrei vel ænei qui rotas ambiunt currus & super terram volvuntur : qui etiam κάνθοι vocantur.*) eadem verba legas apud Suidam, Eustathium, & alios grammaticos : est tamen pura puta vox veteris Græciæ κανθὸς, ἐπὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ, aiunt idem grammatici, οἱονεὶ κνηθός τις ὤν, ἀπὸ τοῦ κνήθεσθαι συνεχῶς. (*κανθὸς, de oculo quasi κνηθὸς , à continuo pruritu*) oculi angulos medici vocant κανθοὺς *canthos* : sed orbem totum ea voce designari placet nonnullis. Hesychius , κανθὸς ὁ τοῦ ὀφθαλμοῦ κύκλος. ergo etiam cùm ferrum illud significatur , quo rotæ curvatura præmunitur ad compagem totam constringendam , vox Græca erit: nam & ille canthus orbis quidam est sive circulus. Hieronymus libro tertio in Ezechielem, *circulos rotarum canthos ferreos appella-*

pellavit, quibus lignorum rotunditas artatur & stringitur: in textu prophetæ est אופנים quæ vox Hebræis totam rotam designat: alibi vetus interpres pro חשק ἐπίσωτρον, posuit *canthus*. Martialis canthum assimulat puerili trocho, quem constat habuisse instar rotæ, illo versu:

Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Diomedes libro III. *rotæ satis latus ac breviatur canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur*: videtur diversa paululum notione hanc vocem usurpare, ac scriptores superiores: canthis utebantur etiam in illis vehiculis sive plostris, quorum rotæ pro radiis tympana habebant. Probus in illud Virgilii,

Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra: *imperiti*, inquit, *ea plostra vocant: sunt enim vehicula, quorum rotæ non sunt radiatæ, sed tympana cohærentia axi, & juncta cantho ferreo.* Meminit canthi etiam B. Augustinus in lib. De vera religione: ejusdem verba sunt in libro De principiis dialecticæ: *via dicitur a flexu, quia flexum velut incurvum victum veteres dixerunt: unde victos quod cantho ambiantur rotarum ligna vocant*; legendum est, *unde vitos*: nam Latini canthos etiam vitos dixerunt: quæ vox apud Marium Victorinum extat & alios. Glossæ: κανθὸς τροχοῦ, *urus*: scribe cum magno Scaligero, *vitus*: à via, vitus ut ostendit Augustinus: qui tamen inter vitum & canthum discrimen facit. Isidorus verò quamlibet facetus est, qui *centum* vocem derivat à cantho, sive canto: nam utroque modo scriptum invenias.

Libertate opus est.) Heic jam incipit Stoici paradoxi tractatio: estque aditus ad hanc disputationem satis præceps & abruptus. Possumus tamen hanc partem cum superiore connectere isto modo: cùm hortaretur Persius juvenes ad studia philosophiæ, lentos & procrastinatores expertus, ante omnia vitium illud tollere conatur admonitionibusque suis efficere, ut sublata omni mora, accingere sese tam honesto incepto vellent. Est verò illa optima morbos curandi ratio, cùm causæ ipsæ morbi adimuntur: quod noster hic facit. Quænam igitur caussa hujus cessationis? quod assueti otio, & luxuriæ, ut vitæ genus mutarent, & deliciis bona fide renuntiarent, impetrare à se non poterant. Quamobrem peropportunè Persius ex superiore sermone in hunc delabitur: quo adolescentes minimè malos viam docet qua facilè & tutò perveniri eò possit quò volebat illos ducere, neque ipsi nolebant duci. Ea via est: ut vindicent sese prius in libertatem, & miseram vitiorum servitutem, quæ caussa erat harum morarum, statim abrumpant. Hæc est illa purgatio quam superius innuebat necessariam, prius quam fruge Cleanthea juvenum aures insererentur; eamque optimam esse docendi rationem ibi notabamus. Jam ergo habemus nexum hujus disputationis, & illum quidem meo judicio aptissimum. Porrò Stoicum paradoxum quo de heic agitur, ea elegantia, ea arte explicatur à poëta: ut pronuntiare non verear, neque Horatii sermonem, (πῶς γε καὶ δεῖ) sed nec Ciceronis diatribam ejusdem argumenti comparari cum dissertatione hac Persii ullo modo posse: neque ullius è tot veteribus qui eundem locum in suis scriptis attigerunt, quicquam extare quod mereatur cum ista parte hujus satiræ componi, nedum anteponi. Paradoxum hoc est: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος· οἱ δὲ φαῦλοι δοῦλοι: Solum sapientem esse liberum: malos servos: ita concipitur apud Laertium: paullò aliter apud alios: καὶ ὅτι πᾶς ἄφρων δοῦλος: nam *insipiens* minus est quam *malus*: alibi sic πάντες δὲ μωροὶ δοῦλοι, *omnes stulti servi*: ex illo altero Stoico paradoxo: quo præter unum sapientem cæteros omnes stultos atque insanos pronuntiabant. eandem ob caussam priùs membrum etiam sic extulerunt: ὅτι πᾶς ὁ ἀστεῖος ἐλεύθερος, ut apud Philonem: pro σοφὸς dixit ἀστεῖος: quoniam qui sapiens non est, ne commodus quidem est, aut mediocriter bonus, sed malus: nemo enim sapiens est ex parte, aut malus, ut Stoicorum fuit sententia. Duæ sunt hujus enuntiati partes: prior de libertate sapientis: posterior de servitute insipientis; utramque ordine quo heic ponuntur separatim tractat Persius. Principio thesim ponit, & instituto suo accommodat: LIBERTATE OPUS ESSE: ac quoniam homonymia latet in voce libertas, quæ libertas illa sit quam dicat necessariam ad vitam bene instituendam, accuratè ostendit: errorem vulgi confutans, qui aliam libertatem nisi civilem & corpoream non agnoscebat: probat firmis rationibus, non hanc sed animi libertatem esse, quæ hoc nomine sit verè digna: tum autem unde & quibus rationibus hæc sit parabilis, & quis demum censendus sit illam verè consecutus, luculentè demonstrat: ita pars prior absolvitur: postea subjicitur altera, quæ ab illo versu,

Liber ego: unde datum hoc sumis tot subdite rebus? initium habet: heic quæ & quam dura vitiorum servitus sit, ubertim docetur. Profert exempla pigrorum, avarorum, luxuriosorum, ambitiosorum,

rum, ac postremo superstitiosorum: omnes isti quàm difficilibus serviant dominis, & quidem pluribus simul, aperit noster hic doctor, atque id tanta ἐναργείᾳ & evidentia, ut non tam dicere videatur quàm ostendere. Ita Persius distinctè partem utramque paradoxi istius tractavit: non mixtim & confusè, quod Cicero fecit & omnes alii quorum scripta habemus hodie: unum excipio Philonem Judæum: qui duobus libris separatim hoc scitum Stoicæ scholæ explicaverat: sed ordine diverso: nam prior ejus liber de servitute fuit malorum: posterior de libertate sapientis: qui solus ad nos pervenit: cùm prior ille, quod sciam, non extet. Porro non primi Stoici cum de virtute ac vitio disputarent, libertatis & servitutis voces à corporibus ad animos transtulerunt: ipsa enim rerum natura & prioribus Zenone idem genus dicendi suggessit: & post Zenonem etiam aliis qui de Stoicis nihil cogitabant. Crates Thebanus Zenonis præceptor, de iis qui secundum virtutem vivunt:

Ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι καὶ ἄκαμπτοι
Ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶσι.

(*Servilis voluptatis jugum qui nunquam subiere, & indomiti, æternum regnum libertatemque diligunt.*) ex hortis Gargettii doctoris vox illa profertur à Seneca: *philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas*: jam verò in Novi fœderis libris quàm sint crebræ hujusmodi locutiones nemo ignorat: non igitur primi aut soli Stoici hoc paradoxum protulerunt: sed acceptum ab aliis studiosius confirmarunt.

Non hac ut quisque Velinâ Publius emeruit.) non dico libertatem civilem, quam ubi aliquis nactus est, de servo fit libertus. Seneca Naturalium lib. III. de vera libertate. *Hæc res efficit non è jure Quiritium liberum, sed è jure naturæ*: pro liberti nomine, descriptionem illius posuit Persius ab effectis ejus libertatis: manumissi in tribum adscribebantur, ut cives Rom. fierent: hoc eò valebat, ut commoda possent percipere, quæ civium Romanorum erant communia: maximum istorum erat frumentatio: ingens enim quotannis frumenti vis publica erogabatur, ad sublevandam pauperum civium tenuitatem. Ad hujus commodi participationem non temerè & promiscuè omnes soliti admitti: sed illi tantùm qui Curatori annonæ cives se probassent: & tesseram ab eo accepissent. Jam verba Persii videamus:

Libertate, ait, *opus est*: *non hac*, *ut quisque Velinâ*
Publius emeruit; ——

non hac, per quam ut quisque servus *emeruit*, id est, manumissus fuit, & quasi donatus rude, factusque civis Rom. nomine etiam donatus Romano, putà Publii: itemque uni tribuum adscriptus, puta Velinæ:

——*scabiosum tesserula far*
Possidet.——

id est, accipiendi à Curatore annonæ tesseram jus habet & publica annona vescendi. Deest relativum *qua* ante illa, *ut quisque V.* nusquam enim in manu exaratis eam voculam invenimus: quam etiam paucissimæ editiones veteres exhibent. Familiaris est Hebræorum linguæ & omnibus affinibus, pro vocabuli illius ellipsis: Græcæ aut Latinæ minus. Virgilius:

Est locus, Italiam Graii cognomine dicunt.

τὸ emeruit, propriè locum habet in militibus aut gladiatoribus: inde *emeriti* qui missionem consecuti sunt è militia aut ex harena: heic de manumissione servi dicitur: epexegesis est in his: *ut quisque meruit*, *Publius Velinâ*. Liberos & servos Romæ, non vestis distinguebat, sed appellatio: alia namque horum, alia illorum erant nomina: ideò cum libertate novum nomen assumebant. Non semper autem qui manumittebantur cives fiebant: erat enim imperfecta quædam libertas, ut Latinorum, & quondam etiam deditiorum: at cives illi demum erant, qui plena libertate donati, & in aliquam tribum erant relati: ideò Persius ait, *Publius Velinâ*: hac locutione tribum indicabant, ut, *Oppius Veientina*, *Tomentina Anxius*. sic ferè Athenienses *Κράτης τῶν δήμων Θριάσιος*. Eadem mens erit & sententia aliquanto planior, si scribas,

——*non hac*, *ut quisque Velinam*
Publius emeruit.

pro simplici meruit, nactus est: sed nihil mutandum.

Scabiosum far.) gurgulionibus exesum, corruptum: sic malis scabiem tribuit Juvenalis,

Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
Qui tegitur parma.——

alii libri, *scabrosum*, sicut apud Columellam & Palladium de plantis & satis *scabrum* & *retorridum* sæpè usurpantur. Statius, *non asperum far*: in primo Fastorum,

——*seges scabræ rubiginis expers.*

Tesserula possidet.) tesseram vel à Curatore annonæ accipiebant: vel emebant ab aliis qui indidem habuerant. Sæpe autem heri suis liberis hoc jus emebant, vel emendum legabant ut apparet ex libris Juris civilis Ro.

Heu steriles veri, quibus una Quiritem Vertigo facit.) *Quiritem* pro liberum posuit; neque enim eos reprehendit qui manumissos pro civibus & jure Quiritium liberis haberent: sed qui pro liberis ἁπλῶς, id est, ea libertate quæ propriè mereatur id nomen. Libertas duplex est, animi & corporis: sed quantò animus præstantior corpore, tantùm præstat ejus libertas libertate corporis. verùm usus loquendi is est, ut ἐλευθερίαν aut libertatem cùm dicimus, ad corpus referamus: de hoc enim cura omnis & ferè sermo: ergo etiam bona ἁπλῶς appellavimus τὰ σωματικά. pari, quod & Cicero ait, errore: quem heic jure satiricus exagitat: eos qui sic loquantur, sic sentiant, *steriles veri* appellans: id est, à vero ac recto alienissimos: inter alios manumissionum ritus, fuit, quæ heic *vertigo* dicitur, Græcis περιδίνησις & περιστροφή: cùm manumittendus dextra prehensus, à domino in orbem rotabatur: inde *circumagi* pro liberari, Seneca epistola VIII. *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas: non differtur in diem qui se illi subjecit & tradidit: statim circumagitur: hoc enim ipsum philosophiæ servire libertas est.* Præclarè Chrysostomus sermone de Josepho: ὃν ὁ ἴδιος τρόπος οὐκ ἐλευθεροῖ, τοῦτον κύριοι χάρται, καὶ μέλανα, καὶ γράμματα ἐλευθερῶσαι οὐ δύνανται. (*quem proprii mores in libertatem non asserunt, nullæ illum chartæ, nulla atramenta, nulla scripta vel instrumenta, vel si millies adhibeantur liberum facient.*)

Hic Dama est, non tressis agaso.) quam absurde faciant qui libertate corporis veram libertatem parari putant, brevi hypotyposi ob oculos ponit: viden'tu, ait, hunc servulum Damam? hic nunc quidem non est ullius æris homo: primum agaso, id est, inter servos abjectissimæ conditionis: nam etsi rectè Juris auctoribus dicantur servi unius omnes conditionis: erant tamen inter ipsos aliis alii lautiores, ut ait Cicero: neque eodem loco habebantur atriensis aut dispensator cum mulione aut agasone: hic igitur agaso est *tressis*, id est, τριωβόλου vix ἄξιος: deinde *vappa* & *lippus*, hoc est, moribus corruptissimus, & quem nulla commendet virtus: etiam,

——*in tenui farragine mendax.*

dolorum plenus, quos exercet in rebus minutis: quia non nisi minuta ejus fidei creduntur: hic tamen Dama ubi semel manu fuerit missus, repente pro libero se jactabit impotentissimè, & liber ab omnibus credetur. Dama servi nomen: contractum ex Δημήτριος Δημᾶς, Dama, ut à Μηνόδωρος Μηνᾶς, Mena, à Θεόδωρος Θευδᾶς, Theuda. *agaso* Græcum est ἄγω, ἀγάζω, ἀγάζων. Latini *minare* dicunt, ut Festus, Juris auctores, & Apuleius: qui asinos minat, *asinarius*: ut qui equos, equarius, qui & equiso: *tressis* membranæ nostræ, non *trissis*, ut illæ quibus olim Josephus Scaliger est usus.

In tenui farragine mendax.) in administratione peculii, vel si quid aliud ejus fidei committitur. videtur alludere ad cibaria & diarii rationem. propriè farrago est non hominum sed quadrupedum pabulum, è genere tritici, ut in leguminibus vitia: in Glossis exponitur χάρις: sanè χάρις, sive ut alii scribebant χόρτις, non solùm gramen significat, verùm alia quoque pabula jumentorum, maximè farraginem, quæ inter species tritici numeratur. Græca vox Syriaca est putissima גרס sive גרש contundere גרש triticum contusum: χίδρα Græcis ut dicebamus, ad XIV. Athenæi: inde χάρις etsi paullum diversa notione: inde etiam est χίδρα, prorsus ratione eadem ac τίφος fit à τίφειν sed hæc alibi, si Deus volet, accuratè.

Verterit hunc dominus.) hunc ipsum Damam si liberum esse jusserit dominus, & de more circumegerit. *Vertere* pro manumittere acrimoniæ Stoicæ verbum. Epictetus apud Arrianum libri II. initio: ὅταν στρέψῃ τις ἐπὶ στρατηγοῦ τὸν αὐτοῦ δοῦλον, οὐδὲν ἐποίησε; ἐποίησέ τι; ἔστρεψε τὸν αὐτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. (*cum apud prætorem verterit aliquis servum suum, nihil ut egerit? imò, egit. quid? apud prætorem vertit servum suum.*)

Momento turbinis exit Marcus Dama.) pars membranarum *momento temporis* haut dubiè ex glossemate: de re subita Græci παραχρῆμα dicunt τρυπάνου περιστροφή. (*terebræ conversio.*) non dissimile apud Augustinum, *in verticem libertatis exilire*: inter nomina servilia quædam erant à quibus non abhorrebant liberi: alia quæ in hominem liberum non caderent. Dama ille servus etiam liber factus nomen servat: sic Mena ille Pompeii libertus de quo Horatius & Dio: honestissima enim illa nomina, ut antè ostendimus. Erat autem, quod sciunt omnes, magna in nominibus ambitio: & ut poëta ait, *gaudebant prænomine molles auriculæ*: quam vanitatem irridet heic satiricus frequenti illa prænominis *Marcus* repetitione. Mirè autem exprimit mores eorum qui post longam servitutem, libertatem & divitias tandem simul nacti erant: semper enim isti jactatores, vani, & ob vitium illud otiosi, quod è re Latini insolentiam dixerunt: apud Aristotelem observabamus vocem νεόπλουτος pro insolente, quia ut verè ait Seneca, *nibil est insolentius novitio*

vitio divite. Pulchrè libertinorum mores iſtos expreſſit Plautus Perſa, ſcena, *Qui ſunt qui erunt*: ſic ὀψιμαθῆ eundem vocarunt, eandem ob cauſſam, ut oſtenſum eſt ad Theophraſtum. Baſilius ὀψίπλουτον καὶ ἀπειρόκαλον prudenter junxit. Apud Græcos quoque ſervile nomen manumiſſi mutabant, vel certè ſyllabis augebant: ut Stephanus ille qui Philoſtephanus appellari voluit, in quem eſt epigramma non inficetum, lib. 11. Græcorum epigr.

Papæ! Marco ſpond) Sunt verba recens manumiſſi: vel potius vilis paraſiti qui illorum uni turpiter adulabatur: hoc melius.

Marco ſub judice p.) ἐπὶ δικαστοῦ Μάρκου: id eſt, δικάζοντος. Ovidius:

Judice ſub Tmolo certamen venit ad impar.

Sic alibi idem:

Sæpe ego correxi ſub te cenſore libellos.

Obiter verò Perſius indignationem ſuam prodit, quod pateret illa ætate judicum ordo etiam libertis, ſolerentque ex iis in judices legi.

Marcus dixit, ita eſt.) Inſignis adulatio, cujus ſimilia exempla legere eſt apud Theophraſtum, cap. περὶ κολακείας.

Hæc mera libertas.) Concluſio præcedentium: qua colligit iſte ex effectis quæ commemoravit, veram eſſe libertatem quam manumiſſi conſequantur, & quam pilea donent: quod fuiſſe inſigne manumiſſionis notum eſt.

Hoc nobis pilea donant.) Ita omnes ſcripti non *hanc.*

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam Cui licet ut voluit?) Pergit iſte id quod diximus probare: duplex probandi via, à poſteriore, vel à priore: hæc ut certior & demonſtrationi veræ aptior, ita obſcurior & operoſior. Illa planior, ſed minus efficax: eſt autem præceptum rhetorum validiora argumenta infirmioribus ſubjicere: omnia hæc mirificè ſervata heic: præceſſit probatio ab effectis: nam ſervus legitimam perſonam non habuit ſiſtendi judicio: qui ſponſores, teſtes, judices etiam ſunt, profectò illi ſunt liberi: ſequitur probatio à priori, ſanè Achillea: eſt enim à definitione libertatis: hanc definit, *libertas eſt facultas vivendi ut velis*: ita Stoici, ἔστιν ἡ ἐλευθερία ἐξουσία αὐτοπραγίας, ut apud Laertium: propius ad verba iſtius accedit Epictetus apud Arrianum: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται. Paullò aliter Dio Chryſoſtomus in XIV. Obſervabunt heic tirones ſyllogiſmum cum omnibus ſuis partibus, & quidem ex arte poſitis: quod vel apud Ariſtotelem aut Senecam ipſum aut alios philoſophos veteres non ſæpe occurrit: res enim eſt putidiſſimæ oſtentationis, & prorſus nugatoria, ſi careat modo.

Mendosè colligis.) παραλογίζῃ· ὁ σὸς συλλογισμὸς ἀσυλλόγιστός ἐστι: vel ut Stoici potius loquuntur, ὁ λόγος σοῦ ἐστιν ἀσύνακτος. Paralogiſmum ſtatim aperiet.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.) Stoicus hic, ὁ δεῖνα: vel, ego Stoicus, ut ἀνὴρ ὅδε, & *hic* pro ego apud dramaticos ſæpe: etiam de Cornuto ad quem ſcribit poteſt accipi. *Acetum* pro acrimonia judicii apud Horatium. Auſonius,

Scillite decies ſi cor purgeris aceto.

ait, *aurem lotus*, ut ſupra, *purgatas aures*: ſimul ad fabulam puto alludi, & veterum opinionem: eum cui draco aurem lambiſſet, adeò ſubtilem aurium ſenſum habiturum, ut etiam conſilia deorum ſit intellecturus, & voces avium percepturus. Logicæ peritiam commendat: de qua multum ſe Stoici jactabant: ego pueros puto fuiſſe, præ divino Ariſtotele: & eorum in hoc genere ſcripta ὕθλον καὶ φλήναφον, præ Ariſtotelis Organo: quo opere omnia mortalium ingenia (divina aut de rebus divinis ſemper excipio:) longe ſuperavit.

Hoc, reliquum accipio, licet illud & ut volo, tolle.) Reſpondet ſuperiori ſyllogiſmo: & aſſumtionem illius ſe non admittere ait: minor propoſitio erat: *licet ut volo vivere*: hoc, inquit Perſius, falſum eſt: idemque mox demonſtrabit, non poſſe eum qui non vivit ex virtute, vivere ut velit: cùm dicit, *hoc reliquum accipio*, ſignificat ſe majorem propoſitionem admittere: de illa enim ſola loquitur, non etiam de concluſione. Dio Chryſoſtomus in XIV. diſſertationum ſuarum contra ſimilem huic ſyllogiſmum diſputans, majorem propoſitionem oppugnat: probatque non eam eſſe libertatem vivere ut velis: ſed vivere ut jubeat ratio recta. Eſt autem error in hac argumentatione, quem vocat philoſophus παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν: qui paralogiſmi refelluntur negata conſequentia. Dicendum enim eſt, inquit Ariſtoteles, ὅτι ἔστι μὲν ὡς οὐ, ἔστι δὲ ὡς ναί. In ſcholis dici ſolet, ineſſe quatuor terminos: rectè; nam vox ambigua inſtar habet duorum terminorum. Vera igitur ſolutio ſuperioris paralogiſmi pendet à diſtinctione libertatis. Libertas enim, ut antè diximus, alia eſt animi, alia corporis, illa naturalis dicitur philoſophis, Ciceroni, Senecæ, Philoni, aliis: cùm naturæ convenienter vivimus, animoque ſumus compoſito οἰκείως τῇ φύσει: hanc nulla περίστασις, caſus nullus poteſt adimere;

mere: atque hæc vera libertas, quam qui habent liberi ſemper ſunt: libertas corporis multiplex eſt: quemadmodum multæ ſunt ejus ſervitutes, quæ ἐξουσίαν αὐτοπραγίας illi adimunt: ut morbi, carcer, dominus: libertates ab iſtis vocat Philo ἐλευθερίας προφασιστικὰς, quaſi per occaſionem natas: verùm has Stoici negant eſſe tanti, ut earum ſit habenda ratio in æſtimanda vera libertate aut felicitate. Sed cùm inter ſpecies libertatis corporeæ ponant etiam Stoici libertatem ex jure Quiritium: fatendum illis erit, notione iſta valere ſuperiorem ſyllogiſmum: rectè igitur illud Ariſtotelis uſurpaveris: ἔστι μὲν ὡς οὔ, ἔστι δ᾽ ὡς ναί.

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſi, Cur mihi n.) Libertus hic negatam ſibi aſſumtionem probat argumentatione, cujus propoſitio major eſt: Quiſquis à prætore manumiſſus eſt, ille habet libertatem faciendi quod vult. Sed & ſuperiorem ſyllogiſmum corrigit idem. Poſuerat, Liber eſt cui licet ut vult ducere vitam: nunc ita emendat propoſitionem illam: Liber eſt cui licet vivere ut vult, niſi quid leges impediant. Juſtinianus Imperator: *Libertas ex qua etiam liberi vocantur, eſt naturalis facultas, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibetur.*

Vindicta.) Græci Juriſconſulti, Βινδίκτα, ἡ ῥάβδος μεθ᾽ ἧς ὁ ἄρχων ἢ ὁ πραίτωρ τὴν τῶν ἐλευθερουμένων κεφαλὴν ἔπαιον φάσκοντες. ΦΑΜΕΝ ΤΟΝ ΠΑΡΟΝΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΝ ΕΙΝΑΙ ΕΛΕΥΘΕΡΟΝ ΚΑΙ ΠΟΛΙΤΗΝ ΡΩΜΑΙΟΝ.

(*Vindicta, virga quâ princeps, vel prætor manumittendi caput feriebant, dicentes, Pronuntiamus hunc hominem eſſe liberum & civem Romanum.*)

Meus à prætore receſſi.) *Meus*, id eſt, liber. Priſcianus tribus quatuorve locis ex Euripide affert, ἐγὼ δ᾽ ἐμός εἰμι: ſed videtur de alio genere libertatis intelligendum: ita autem Plautus in Menæchmis,

Id ſi adtulerit, dicam ut à me abeat liber quo volet;
Ne tum quando ſuus factus ſit, à me argentum petat.

ita legimus locum illum, cum Joſepho Scaligero: non ut editum eſt, *ſanus factus ſit.*

Maſuri rubrica.) Non legum tantùm principia & titulos rubrica notabant: ſed omnium quæ ſcribebant εἰς κάλαμον: Sidonius ad Ferreolum de ſuis epiſtolis: *jure vobis in hoc opere primæ titulorum rubricæ, prima ſermonum officia dedicarentur.* Gloſſarum magiſter *rubricam* exponit διὰ μίλτου ἐπιγραφήν: ſed non purum minium, opinor, adhibebant: verùm ceram miniatam, quæ Ciceroni *miniatula*, Vitruvio *cera ex milto*: in notarii βιβλιογράφου ſupellectile erat cera alba & cera miniata: utriuſque meminit Achilles Statius in Aratum, & κηρὸν μεμιλτωμένον vocat: hac cera utebantur critici cùm libros recenſebant: & notas ſibi familiares illis appingerent, quas παραπλάσματα dixerunt. Heſychius παραπλάσματα τὰ κήρια τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς ζητήμασιν ἐν τοῖς βιβλίοις: & παραπλάσσειν librum ita recenſere, quod uſitatius σίζειν dicebant. Heſychius: περιῤῥ[illegible]τωμένα βιβλία, οἷς κηροὺς προσπλάσσομεν, πρὸς τὸ ζητοῦσί τινα, fortaſſe ſcripſerat, παραπλάσσομεν: ſed & alterum feram lubens.

Diſce: ſed ira cadat naſo rugoſaque ſanna.) Reſponſurus ad ſuperiorem argumentationem utitur προθεραπείᾳ, & libertatem reſponſionis deprecatur.

Ira cadat naſo.) Quia, ut ait Theocritus, βαρεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται. Lucilius:

—— Calpurni ſævam legem Piſoni reprendi,
Eduxique animam in primoribus naribus.

Dum veteres avias tibi de pulmone revello.) *Veteres avias* poſſumus ſimpliciter accipere, falſas opiniones, quas à majoribus accepiſti, nutriculis puta & aliis aniculis. Plato in Theæteto, μὴ ἀγρίαινε ἐπειδάν τινα λῆρόν σου ἀφαιρῶμαι: ſed quia ait,

—— de pulmone revello,

malim intelligere per *veteres avias* opinionem nobilitatis, & arrogantiam ventoſam, cujus ſedes in pulmone: hac petitione opus habet ſequens diſputatio, qua probabitur ſervos eſſe omnes præter ſapientem: nam hujuſmodi ſermones duriſſimè accipiebant Romani juvenes, qui Codro nobiliores ſibi videbantur, quod majorum ſuorum imaginibus atria domorum ſuarum viderent completa: quare Epictetus apud Arrianum initio IV. ſcribit, hoc Stoicum paradoxum plagis ſolitum à proceribus Ro. excipi. Obſtat huic interpretationi, quod is qui heic loquitur, libertus & ipſe fuit:

Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi.

ſed hoc nihil eſt: neque enim in ejuſmodi fictis perſonis rigidè ſervant auctores τὸν χαρακτῆρα quem ſemel illi impoſuerunt.

Non prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum Officia.) Refellit ſuperiorem argumentationem. Senſus autem eſt. Quod confugis ad auctoritatem Prætoris, erras. Prætor quod ſuum erat, fecit: nexu illo juris civilis te liberavit, quo in ſervitute corporis tenebaris. Illud nego potuiſſe Prætorem: efficere ut tu qui ſapiens non es ſed

 ſtultus,

ſtultus, veram ſapientiam conſequereris: ea namque animi libertas eſt: quam ſola philoſophia poteſt conferre: hæc quippe eſt quæ virtutis atque omnium officiorum rationem docet: & ut omnia verbo complectamur, hæc eſt vitæ ars & magiſtra: hanc qui non tenet, liber nunquam erit. Poteſt hic locus etiam aliter exponi hoc modo. Cùm dixiſſet adverſarius ex manumiſſione libertatem ſibi partam fuiſſe faciendi quicquid vellet, exceptis iis quæ contra leges eſſent: illi reſpondens Perſius ait: eum qui verè liber ſit futurus non ab illis ſolum abſtinere, quæ leges vetent: ſed omnino ab omnibus iis quæ rectæ rationi repugnant: quamvis de illis nihil editum ſit à Prætore. Simillimè Dio Chryſoſtomus in XIV. diſputat: non ſtatim liberum eſſe dicendum eum, qui faciat quod vult, excepto ſi quid leges vetent: nam præter legibus vetita, multa eſſe alia quæ non putabit ſibi licere verè liber: ut leno eſſe, aut vectigaliorum exactor, & ſimilia his turpia ϗ ἄτιμα judicio omnium hominum: hoc eſt quod ait Seneca in II. De ira, *anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe.* M. Tullius Officiorum lib. III. *Aliter leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias: leges quatenus tenere manu res poſſunt: philoſophi quatenus ratione & intelligentia.* Scelera & graviora peccata leges vindicant: parva quæ appellatione morum Latini ſcriptores ſæpe intelligunt, cenſores notant, philoſophi carpunt: hi verò etiam minutiſſima objurgant, nec ferunt: utique Stoici: quorum dogma eſt, peccata omnia eſſe æqualia, & ſibi invicem cohærentia. Cùm igitur ab omni peccato abſtinere debeat is, qui verè futurus eſt liber, jure Perſius normam juſti aut injuſti, honeſti aut inhoneſti negat à prætore petendam: cujus eſt munus, leges exercere, mores corrigere.

Non prætoris erat. ——

ſupple, ſed philoſophi.

Stultis.) iis quos manumittit: vel quibus leges ponit: vox Stoica: nam in hac ſecta ſtulti omnes præter ſapientem: nec ſolùm μωροὶ, (*ſtulti*) ſed etiam μαινόμενοι, (*inſani.*)

Tenuia rerum Officia.) Scelera & majora flagitia vetant leges: *officia rerum*, id eſt, ſervanda in rebus agendis, non docent leges niſi παχυμερῶς (*pingui minerva*) & στοιχειωδῶς (*elementariter.*) philoſophi verò accuratè explicant quæ boni viri ſint officia, in omnia re etiam minima: puta, victu, veſtitu, inceſſu, aliiſque etiam minutioribus: nulla enim eſt pars philoſophiæ quæ latius pateat, aut λεπτολογίαν majorem admittat, quàm locus de officiis: de his Seneca epiſtola XCIV. *Tenues differentias habent*, præcepta moralia, *quæ exigunt tempora, loca, perſonæ.*

Atque uſum rapidæ permittere vitæ.) Non erat prætoris liberum te pronuntiare, & tibi permittere facere quæ velles: hoc enim tam inſigne beneficium, non prætoris vindicta confert: ſed inſtitutio recta apud philoſophum. Ille poſtquam affectibus te liberavit, eumque effecerit, qui nihil velis, nihil optes, nihil metuas, niſi quod ratio ſuaſerit: ille, inquam, meritò liberum te pronuntiabit, & vitæ tuæ arbitrium tibi permittet.

Sambucam citius caloni aptaveris alto.) Non poſſe fieri, ut Prætor artem vitæ tradat, & vera libertate quenquam donet, multis exemplis docet, probatque: quorum hoc primum eſt. Sicut ſtultum fuerit à calone ſive cacula militis alicujus, homine omnium rerum rudi atque imperito velle exigere, ut inſtrumenta muſica ſcienter tractet, tanquam aliquis citharœdus vel aulœdus: ſic ineptum eſt à Prætore artem vitæ aut veram libertatem expectare: quam nos harpam quaſi ἅρπην, propter aliquam veteris formæ ſimilitudinem dicimus, Græci & Latini ſambucam, voce Syriaca. eſt & genus machinæ poliorceticæ: nec malè de ea acceperis: nam illa machina majoris erat ponderis, quam ut eam homo unus quantumvis validus poſſet bajulare: ſed malo priorem interpretationem: *calonem* dixerunt militis famulum Græca voce: quia κάλα, id eſt, ligna hero procurabat & cætera neceſſaria: *alto*, id eſt, ut ille πάραρος ἑκκαιδεκάπηχυς (*fatuus ſexdecim cubitorum*:) apud Theocritum: pro ſambuca etiam ζαμβύκη dixerunt: & ita apud Heſychium & B. Chryſoſtomum.

Stat contra ratio.) Contra rationem eſt, ut medicus fabrilia tractet, aut faber τὰ ἰατρικά: idem in omnibus artibus: ſtultum eſt exigere à quoquam id quod non didicerit, non profiteatur: cur igitur ſperes rationem vitæ beatè degendæ à Prætore te accepturum?

Et ſecretam garrit in aurem.) Pars librorum *gannit*: plerique *garrit*: cur autem ſecretam? quia hæc Stoica dogmata non ſolùm ingrata vulgo, ſed etiam periculoſa apud proceres, ut modò ex Arriano oſtendebamus: ſic in VI.

—— *paullum à turba ſeductior audi.*

Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.) Ne liceat illi arti te immiſcere quam neſcias. Alludit ad proverbium, Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. (*Quam quiſque novit artem, in ea ſe exerceat.*)

Pu-

Publica lex hominum naturaque continet hoc fas.) Sancitum & receptum est & naturæ lege & omnium gentium, ut ne ea quisquam aggrediatur quæ nescit: hoc & sequenti versu paullò aliter repetit quod duobus præcedentibus dixerat.

Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.) Ita συμπεπλ.: & naturæ gentium jure constitutum est, ut *debilis inscitia* cujuscunque artis imperitus, & propterea impotens ad illam exercendam: nam imperitia ἀδυναμία quædam est: *teneat vetitos*, id est, habeat pro vetitis ac sibi interdictis: *actus* nempe quos nescit: quod supplendum ex vi vocis *inscitia*: intelligit ignoratæ scientiæ τὴν πρᾶξιν.

Diluis helleborum c.) Redit ad exempla: nemo ferat quæ sunt medici agere eum qui non sit medicus.

Certo puncto.) Pro genere veratri quo utaris, pro genere morbi, pro anni tempore, pro viribus denique ægroti.

Vetat hoc natura medendi.) Naturam dixit pro arte: quia naturam ars imitatur, & adjuvat, neque facit quicquam nisi quod ipsa si posset faceret: alioquin, non medendi natura, sed ipsa universi natura & ratio vetat εὐταξίας fines migrare: ilicet enim perturbata omnia, si mederi morbis aggrediatur arator, aut arare medicus.

Navem si poscat s.) Dio Chrysostomus in x. ὃς ἂν ἐπιχειρῇ πηδαλίῳ χρῆσθαι, οὐκ ἐπιστάμενος κυβερνᾶν, ἐὰν ὅπως οὐκ ἂν τάχιστα ἀνατρέψας τὴν ναῦν αὐτόν τε ἀπολέσαι καὶ τοὺς ἐμπλέοντας; (*si quis clavum tenere gubernandæ navis ignarus aggrediatur, an potest aliter, quin brevi tempore navi subversâ & se perdat ipsum, & reliquos unà vectores?*)

Luciferi rudis.) Totius cœlestium θεωρίας imperitus: quæ ex aliqua parte navis gubernatori est necessaria: ne aratorem quidem penitus Luciferi rudem esse oportet, docent Hesiodus, Virgilius & alii rei rusticæ scriptores.

Exclamet Melicerta.) ὁ τυχὼν, quivis: sed ideò Melicertam posuit, qui unus est è diis marinis: quia navigantibus non occurrunt alii ferè quàm dii maris aut Tritones.

Periisse frontem de rebus.) Impudentissimè totam rerum naturam esse perversam: *frons* ἡ αἰδώς. Theognis:

> Αἰδὼς μὲν γὰρ ὄλωλεν, ἀναιδείη δὲ καὶ ὕβρις
> Νικήσασα δίκην γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει.

(*Periit quidem pudor: impudentia autem & contumelia prævalescentes totam terram occupant.*)

De rebus.) Valet heic ex hominum societate & commerciis. Synesius, οἴχεται τὸ δίκαιον ἐξ ἀνθρώπων.

Tibi recto vivere talo Ars dedit.) More suo Persius, postquam docuit, unde libertas vera non deberet neque expectari neque peti, subjicit ejus parandæ veram rationem: ea autem non est alia, nisi philosophia, quam vocat artem κατ' ἐξοχήν. Ea enim est illa ars supra omnes artes quæ doceat vitam rectè beateque degere: quare passim Ciceroni, Senecæ, aliis *ars vitæ* dicitur, & *lex vitæ*: unum apponam Senecæ locum: *Philosophia nihil aliud est, quàm recta vivendi ratio, vel honestè vivendi scientia, vel ars rectè vitæ agendæ. Non errabimus si dixerimus, philosophiam esse legem bene honesteque vivendi: & qui dixit illam regulam vitæ suum nomen illi reddidit.* Epicteto ἐπιστήμη τοῦ βίου: ut in his è libro III. quæ operæ sit apponere: faciunt enim apprimè ad disputationem Persii. τί ἐστι τὸ ποιοῦν ἀκώλυτον τὸν ἄνθρωπον καὶ αὐτεξούσιον; πλοῦτος γὰρ οὐ ποιεῖ, οὐδ' ὑπατεία, οὐδ' ἐπαρχία, οὐδὲ βασιλεία· ἀλλὰ δεῖ τι ἄλλο εὑρεθῆναι. τί οὖν ἐστι τὸ ἐν τῷ γράφειν ἀκώλυτον ποιοῦν καὶ ἀπαραπόδιστον; ἡ ἐπιστήμη τοῦ γράφειν. τί δ' ἐν τῷ κιθαρίζειν; ἡ ἐπιστήμη τοῦ κιθαρίζειν. οὐκοῦν καὶ ἐν τῷ βιοῦν, ἡ ἐπιστήμη τοῦ βιοῦν. (*Quid illud est, quod facit hominem liberum & sui juris? Divitiæ enim non faciunt, neque consulatus, neque provinciæ, neque regnum: sed oportet aliud quid inveniri: quid igitur illud est, quod scribentem reddit expeditum, & nulli moræ vel impedimento obnoxium? ars utique, vel peritia scribendi: quid citharædum? ars utendi cithara: & vitam igitur quod facit liberam, est ars vitæ.*) Summa est: Liberum esse illum, qui dicat, faciat quicquid libuerit sine ullo impedimento; hanc facultatem non opibus, non dignitate aut potentia parari posse, nisi sola arte vitæ: quemadmodum facultas scribendi quicquid libuerit, non paratur aliter quàm si artem scribendi addiscas: facultas lyram pulsandi, non aliter quàm si citharisticam artem discas. Ab eadem mente est illud M. Tullii in II. Tusculanarum: *philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita*: hinc etiam ἄπειροι καὶ περὶ τὸν βίον ἀνόητοι (*artis ignari, & stulti in iis quæ pertinent ad vitam*) Plutarcho dicuntur in libello de tranquillitate animi, qui rationes bene vivendi ignorant. Cæterùm totus hic locus usque ad illa verba,

Hæc mea sunt teneo, ——

vel ἐρωτηματικῶς legendus, ut nihil affirmet: vel accipiendum ἐξ ὑποθέσεως, ut sub conditione affirmet.

affirmet. Continent autem hi novem versus boni viri & sapientis χαρακτηρισμὸν *recto vivere talo*, Græcis ὀρθοποδεῖν ἐν τῷ βίῳ. Callimachus idem proverbium aliter usurpat, hymno in Dianam: τῇ δ' οὐδὲν ἐπὶ σφυρὸν ὀρθὸν ἀνίσχει, communem omnium perniciem denotans.

Et veri speciem dignoscere calles.) rem quæ similitudinem veri habeat non sit vera. Et Bongarsii & Puteani vetera exemplaria omnia *specimen*, non *speciem*: utrumque feras: sed melius *speciem*: Johannes Saresberiensis libro VIII. *Deus species discernit à rebus*:

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro:

Unde & hypocrisis nomen accepit: videtur legisse in suis libris:

——à vero speciem dignoscere calles.

& *verum* interpretatur res: *speciem*, falsam imaginem, qua videntur res esse quæ non sunt.

Ne qua sub ærato mendosum tinniat auro.) Apud Priscianum variis locis ita semper distinctè: non ut in aliis libris, *subærato*: quod Græcorum est ὑπόχαλκον, sæpe apud Plutarchum. Themistius Euphrades oratione prima: εἴ τις χρυσίον ὑπόχαλκον, ἢ πορφύραν ἐψιδοσμένην τὸ ἄνθος, ἢ λίθον ἐπιβεβλωσέσας (scribe, κιβδηλεύσας) εἰς τὴν ἀγορὰν ὑμῖν εἰσαγάγῃ, ἐγκαλεῖσθέ τε καὶ οὐκ ἀνέξεσθε. (*(si quis subæratum aurum, aut purpuram falso succo imbutam, aut gemmam adulterinam ad mercaturam vobis exponat, irasceremini scilicet, & intolerandum crederetis.*) in libris Juris Græcorum, adulterinæ pecuniæ genera adnotabamus, τὰ χρυσοειδῆ, τὰ ἀργυροειδῆ, τὰ ὑπόχαλκα, τὰ κασσιτέρινα: in *tinniat* est κυριολογία: in metallis enim propriè locum habet id verbi: etsi etiam de aliis dicitur.

Es modicus voti.) servas illud sophi, Μηδὲν ἄγαν: *modicus voti*, ut apud Tacitum, *modicus originis, modicus pecuniæ*.

Pressus Lare.) vivis frugaliter, & in omnibus vitæ partibus ἀσκεῖς σωφροσύνην: vel refer ad modicas & angustas ædes. Sallustius: *illos binas aut amplius domos continuare: nobis larem familiarem nusquam ullum esse.*

Dulcis amicis.) intelligit eam virtutem quam philosophus in medio collocat αὐθαδείας & ἀρεσκείας, & vocat φιλίαν.

Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes.) Inceptum eorum demiror, qui lectionem hanc sollicitant tanta confidentia: quos refellunt omnes membranæ: jam diximus characterem sapientis heic proponi à Persio: supplendum igitur sic, is es tu qui jam nunc adstringas, &c. Ita semper in pulcherrimo Theophrasti libello similis argumenti, τοιοῦτός ἐστιν οἷος. legitimus opum usus est in λήψει καὶ δόσει, utrumque tangit noster philosophus.

Inque luto fixum possis transcendere nummum.) & is es tu qui possis contemnere lucrum turpe & quod lutulet, ut ille ait: hinc *lutéum lucrum* apud Augustinum in v. Confessionum. Græci quæ summo contemtu digna esse volunt ostendere, comparant τοῖς ἐν τέλμασι, (*iis quæ in lacunis*:) ut alicubi Julianus: αἰσχροκέρδειαν sic eleganter Horatius expressit. Lucilius paullò aliter: *Mordicus petere aurum è flamma expediat, è cœno cibum.*

Nec glutto sorbere salivam Mercurialem.) non solum αἰσχροκερδὴς non es, sed ne φιλοκερδὴς quidem: hæc diversa sunt: sed quæ se mutuò ferè consequantur: nam qui lucrum amant, non multum soliciti sunt, unde illud adveniat, modò veniat: *glutto sorbere*, qui avidè gluttit: gluttus est pars colli qua cibi transmittuntur: ficta vox per onomatopœiam: nam *glut* est imitatio soni, quem edit liquor per angustum tramitem means: vetus poëta de rustico ebrio:

Percutit & frangit vas: vinum defluit: ansa
Stricta fuit: glut glut murmurat unda sonans.

Glossæ, *Gluttus* βρόγχος: Theocrito βρόγχος: ὡς μέλι δή τοι τοῦτο κατὰ βρόγχοιο γένοιτο: inde *gluttire*, quod de saliva solet dici. Augustinus De civitate Dei l. VII. *propter solas salivas colatur Janus deus, quibus partim gluttiendis, partim expuendis sub cœlo palati utraque panditur janua.* Glossæ *Gluttit* ἐκκάπτει. *glutto* ὁ λαίμαργος. *saliva Mercurialis*, cupiditas devorandi lucri: vide ad VI.

Hæc mea sunt teneo c.) Concludit eum demum esse liberum cui superior sapientis descriptio conveniat: concludit autem sub conditione, cujus utramque partem tractat.

Prætoribus ac Jove dextro.) non solùm volente prætore: cui tuam libertatem paullò antè acceptam ferebas: sed ipso etiam Jove, qui veræ libertatis est auctor certissimus; ideò Græcis Ἐλευθέριος, Latinis Liberator dictus.

Cùm fueris nostræ paullò antè farinæ.) cùm esses paullò antè vitiosissimus: respicit illa,

——Dama hic non tressis agaso,

& quæ sequuntur. Proverbium Latinum ad notandam similitudinem, *est ejusdem farinæ*, propriè locum habet in panibus: *nostræ* dixit, modestiæ caussa.

Pelliculam veterem retines.) Membranæ, *retinens*, leviter mutavit Græcum proverbium, τὴν ἀρχαίαν πηδῶν

ἀνδραποδώδη τρίχα φυλάττεις: quo usus Plato simillimè ut heic Persius, in Alcibiade priore: *οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττειν ἐπιχειροῦντες, ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη, φαῖεν ἂν αἱ γυναῖκες, τρίχα ἔχοντες ἐπὶ τῇ ψυχῇ ὑπὸ ἀμουσίας, καὶ οὔπω ἀποβεβληκότες.* (*qui rem populi tractare aggrediuntur, servilem pilum, ut mulieres amant dicere, habentes adhuc in animâ, ex imperitia scilicet, nec illo dum abjecto.*) Olympiodorus in commentariis sic notat: *παροιμία ἐστὶ γυναικῶν ἐπὶ τῶν ἐλευθερωθέντων δούλων καὶ ἐπιμενόντων ἐν τῇ δουλείᾳ· Ὅτι ἔχεις τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα ἐν τῇ κεφαλῇ. τουτέστιν ἔτι τὴν δουλικὴν τρίχα ἔχεις· πάλαι γὰρ καὶ τοῖς ὀνόμασι διεκέκριντο οἱ ἐλεύθεροι τῶν δούλων καὶ ταῖς θριξί. Γέται γὰρ καὶ Δᾶοι καὶ Φρύγες ὠνομάζοντο· νῦν δὲ καὶ ταῦτα συνεχύθησαν.* (*adagium est à mulieribus usurpari solitum de servis manumissis qui tamen in servitute remanent, vel serviles mores retinent: Utique τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα, q. d. mancipialem crinem, servilem intelligentes, habes adhuc in capite: olim enim & nominibus liberi distinguebantur à servis, & crinibus. Getæ enim, & Davi, & Phryges appellabantur. Sed hæc omnia nunc confusa.*) allusit Gregorius Naz. in Apologia: *περὶ ἀποθέσεως χθὲς τὴν πρώτην τρίχα.* Sed Persius fortasse ad vernationem anguium respexit, qui vere novo (interdum & autumno teste philosopho) ponunt veterem pellem: quæ Græcis *λεβηρὶς* ac *σύφαρ*.

Fronte politus.) minus rectè quidam veterum, *polita*: in III.

——nequicquam pelle decorus.

Astutam vapido servas sub pectore vulpem.) dolosus es ac fraudulentus: *sub pectore* omnes vet. non *in pectore*: paullò pòst.

——calido sub pectore bilis
Intumuit.——

apud Saresberiensem legitur,

astutam gerit sub pectore vulpem.

sed est *μνημονικὸν ἁμάρτημα*, (*lapsus memoriæ*) in verbo, aut *ἑκούσιον ἀντάλλαγμα*, (*spontanea mutatio.*) Pro *vapido* alii libri *vafro*; verùm amat Persius vocem *vapidus*, quam *ἁπλῶς* usurpat pro malo: propriè de vino dicitur.

Quæ dederam suprà repeto.) dederat illud, *esto liberque ac sapiens*; hoc nunc repetit: asserit istum neque liberum esse, neque sapientem: ergo servus & stultus: quod ex vi argumentationis reliquit colligendum: *repeto* omnia exemplaria, non *relego*; quod minus convenit huic loco. Plautus diceret,

——infecta dona facio;

ut in Mostellaria.

Funemque reduco.) puerilis apud Græcos lusionis genus per attractionem funiculorum, & intentionem. Aristoteles vocat *ἀνάτασιν σπαρτίων*; proprio nomine *ἑλκυστίνδα* apud Pollucem: eò alludit Persius; & non semel in alia sententia Tertullianus: apud quem *contentionis funem ducere, & contentioso fune deducere* sæpius legas. Apud M. Tullium in Hortensio, *calculum reducere* ab alio genere lusus, idem prorsus significat. *Itaque tibi concedo*, ait, *quod in duodecim scriptis solemus ut calculum reducas, si te alicujus dati pœnitet.*

Nil tibi concessit ratio: digitum exere: peccas.) Prolepsis est: poterat iste dicere: non sum perfectè sapiens: sapiens tamen: opponit decretum Stoicæ scholæ: quæ pronuntiat, omnes qui non sunt sapientes esse stultos, nihil esse medium: peccata enim non distingui, sed esse æqualia: horum probationem apud Stoicos Senecam & Epictetum legere est, & apud M. Tullium ac Stobæum: *digitum exerere*, in exemplum ponitur minimæ actionis, & in quam non videatur boni aut mali ratio cadere: cadit tamen ex doctrina Stoicorum. Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. II. cap. X. *οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος ἐπιτρέπει ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωικοί.* ex Chrysippo aut alio quodam Stoico describit Clemens, indidem & Persius: qui non solùm doctrinam Stoicorum, sed & verba ipsa illius scholæ sæpissimè expressit. Epictetus Enchiridio, *ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ προσήκει*: apud Arrianum lib. II. cap. XI. *διὰ τί οὖν ζητοῦμεν τὸ κοινὸν καὶ ἀδιάφορον καὶ ἀναιροῦντες λοιπὸν ἀδιαφόρως χρώμεθα, δίχα αὐτοῦ μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες*; Zeno quidem apud Laertium, & Stoicus item alius apud Stobæum in Physicis excerptis, ponit inter indifferentia, *τὸ ἐκτεῖναι τὸν δάκτυλον ἢ συστεῖλαι*. & Chrysippus locutione proverbiali de re nihili solitus dicere, *οὐδὲ τὸν δάκτυλον καθήκει προτείναι χάριν τούτου*, ut non semel legimus apud Plutarchum: Cicero vertit III. De finibus, *Chrysippus ne digitum quidem ejus caussa porrigendum dicebat*: sed tamen in hoc, in re inquam adeò parva sapientiæ suæ specimen editurum sapientem affirmabant: quod *ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι* dicebat Chrysippus, ut ex Plutarcho cognoscimus De contrarietatibus Stoicorum. Eadem sententia est illius effati Stoici, *ὁ μωρὸς οὐδὲ φαυλῶς κακῶς ποιεῖ*.

Nil tibi concessit ratio:) Sic omnes membranæ; non *Ni tibi concessit r.——*
quod ex verbis Clementis modò allatis reponebat Justus Lipsius, meo judicio, appo-

sitissimè: etsi vulgata ferri potest.

Sed nullo thure litabis.) Nulla argumentorum ratione obtinebis, οὐκ ἐκνικήσεις: translatum à rebus sacris: nam qui accipiunt ut sonant verba, falluntur.

Hæreat in stultis brevis ut semuncia veri.) Ut sapiens ulla ex parte sit, qui non totus sapit. Ratio Stoicorum: quia virtutes se mutuò consequantur: ut qui unam habeat omnes habere sit necesse, & contrà: qui una careat, omnibus nudatum esse necessariò. Laertius: τὰς δ' ἀρετάς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, quæ verba habet Laertius à Chrysippo, cujus locum plenius refert Plutarchus De Contrar. St. & passim qui de ea philosophia scripserunt: hinc sequitur, nihil medium esse inter virtutem & vitium. Diogenes: ἀρέσκει δ' αὐτοῖς μηδὲν μεταξὺ εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας: atque hæc sententia Stoicorum etiam Peripat. nonnullis placuit: non omnibus: vide Alexandri Aphrodisei Quæstiones lib. IV. quæst. III. & IX. ac XXII. Gregorius Nazianzenus in laudatione Basilii: ἄλλοι, inquit, ἄλλο τι κατωρθώκασιν οἱ δὲ πολλὰ τῶν τῆς ἀρετῆς εἰδῶν, ὄντων πλειόνων, ἄπαντα δὲ οὐδεὶς εἰς πλῆθος αὐτὰς τὸ ἀκρότατον. (*Alii aliud quid benè. Sunt etiam qui certas virtutes, sunt enim plures species, sic excoluerunt, ut ad supremum culmen pervenirent: sed nemo unus omnes sic excoluit.*) Quod Stoicæ doctrinæ contrarium est, sed nimis verum: *brevis semuncia*, curta & cui aliquid deest.

Hæc miscere nefas.) Quia sapiens quicquid facit, ex omni virtute id facit: sic ut una quidem præcellat in singulis actionibus, sed accedant velut succenturiatæ & reliquæ omnes. Plutarchus De fortuna Alexandri, libro I. Στωϊκός ἐστι λόγος· ὅτι πᾶν ὃ ἂν δρᾷ ὁ σοφὸς κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ· καὶ μία μὲν ὡς ἔοικεν, ἡ ἀρετὴ προαγωνιστεῖ πράξεως ἑκάστης, παρακαλεῖ δὲ καὶ τὰς ἄλλας, καὶ συντείνει αὐτὰς τὸ τέλος. malim π. δὲ καὶ τὰς ἄλλας οἱ συντείνουσι π. τ. τ. eadem ex Chrysippo fusius, in Contrar. Stoic. ergo etiam omnia vitia ad singula eorum facta concurrunt, qui sapientes non sunt: quomodo igitur hæc misceantur?

Nec cùm sis cætera fossor, Tres tantùm ad numeros satyri moveare Bathylli.) Neque obtinebis ut qui reliqua tota vita pro insipiente ac stulto te geras: in quibusdam tamen actionibus sapiens dicaris, *fossor*, imperitus, idiota: apud Strabonem lib. II. & alibi σκαπανεύς καὶ δηλαδὴ ἰδιώτης. Nicephorus Gregoras, lib. III. de homine imperitissimo: καὶ αὐτῶν, ὡς εἰπεῖν, τῶν ἀπὸ σκαπάνης ὀψὲ τῆς ἀγορᾶς ἀπηλλαγμένων ἀπολειπόμενος: sanè venustè: sic in septima historia, ἐστι ἀγροῦ καὶ δικέλλης ἐξήρτηται. id est, fossores & imperiti: heic *fossor*, dicitur is qui non est sapiens: *moveri ad numeros Bathylli*, Italicam saltationem saltare æquè bene ac Bathyllus: qui cum Pylade primus Romam intulit gesticulationem pantomimorum: qui Græcis scriptoribus dicuntur μιμικῶς ὀρχεῖσθαι, ut in I. Athenæi. Boethus in Epigrammate ait Pyladem saltasse, ὀρθὰ καὶ σάτυρον τὸν παῖδα μυστήλατ. *Satyrus Bathyllius*, non qui saltat Satyrum, ut cùm dicimus saltare Medeam, aut Canacen: quod Græcus epigrammatum poëta dixit καθ' ἱστορίαν ὀρχεῖσθαι Μηδείαν ἢ Κανάκην: sed qui non minus bene quàm satyrus aliquis saltat: nam ὀρχεῖσθαι proprium Satyrorum: *satyri* igitur, valet σατυρικῶς, ἤγουν ὀρχηστικῶς: ita exponebamus hunc locum prius quàm venisset in mentem, quod verissimum esse non dubitamus, pro *satyri* scribendum esse *satyrum*: de qua emendatione vide in imitatione Horatiana. Observemus verò locutionem, *saltare ad tres numeros Bathylli*, pro δὶς ἢ τρὶς καλῶς ὀρχεῖσθαι κατὰ Βάθυλλον: duos aut tres staticulos ex arte facere, & perfectè. Latini solent pro ὀρχεῖσθαι dicere *ad numerum moveri*. Idem simile apud Ciceronem, tertio paradoxo: *histrio si paullò se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur, & exploditur: in vita quæ omni gestu moderatior, (vel modulatior) omni versu aptior esse debet, ut in syllaba te peccare dices?* inde orta illa locutio quæ numeros virtuti attribuit: ut apud Marcum Antoninum initio libri III. τὰς τῶν καθηκόντων ἀριθμοὺς ἀκριβῶν. Stobæus in Physicis excerptis: κατόρθωμα δὲ εἶναι λέγουσι καθῆκον πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμούς, ἢ τέλειον καθῆκον. Cic. vertit in III. De officiis: *Illud autem officium quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est, & ut iidem dicunt, omnes numeros habet*: ait disertè Tullius ita loqui solitos esse Stoicos: ut Persium eò respexisse vero sit simillimum. Seneca epistola LXXI. *Idem esse dicebat Socrates veritatem & virtutem: quomodo illa non crescit, sic nec virtus quidem: habet numeros suos, plena est.* Idem epistola XCV. *non potest quisquam nisi ab initio formatus, & tota ratione compositus omnes exequi numeros, ut sciat quando oporteat, & in quantum, & cum quo, & quemadmodum.*

Liber ego: unde datum hoc sumis, tot subdite rebus.) Transit ad alteram paradoxi partem: & omnes stultos probat esse servos: *sumis* verbum philosophicum: λαμβάνειν οὐκ διδόντων παρὰ χώραν λήμματα eos dicebant Stoici qui propositionibus ut concessis utebantur, quas non probassent: quod Aristoteles

stoteles λαμβάνει τὸ ἐν ἀρχῇ, id est, τὸ ζητούμενον,

An dominum ignoras nisi quem vindicta relaxat?) an distinctionem hanc ignoras? Servitus alia est corporis, alia animi, corporis domini sunt homines: animi, vitium & affectus: illam solvit manumissio ritè peracta: hanc sola philosophia sive virtus. Philo: δουλεία ἡ μὲν ψυχῆς, ἡ δὲ σωμάτων λέγεται· δεσπόται δὲ τῶν μὲν σωμάτων ἄνθρωποι, ψυχῶν δὲ κακία καὶ πάθη. Quare apud theologos opus servile est peccatum. Persius rem eandem aliter dicit. quam nos corporis servitutem diximus, ille appellat exteriorem:

——— *nec quicquam extrinsecus intrat*
Quod nervos agitet. ———

quam nos animi servitutem, ille interiorem.

——— *Sed si intus & in jecore ægro*
Nascuntur domini. ———

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.) Utriusque servitutis exempla proponit: & prius quidem corporis.

Si increpuit, Cessas nugator.) Ut apud Juvenalem:

Vox domini sonat instantis virgamque tenentis,
Ergo miser trepidas. ———

Servitium acre.) Fateris te esse servum, & quidem δουλείαν δουλεύειν πάνυ ἰσχυράν, ut ille apud Dionem Chrysostomum: hoc verò id ipsum est, quod Epictetus apud Arrianum ait lib. III. cap. XXV. multa facere qui serviunt cupiditatibus, quæ si faceret servus jussu domini, de dura servitute sua multum quiritaret; ἐξελήλυθεν, ait, νυκτός. ὅτι ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν, ἀλλ' εἰ προσηνάγκαζεν ὑπ' αὐτοῦ πολλὰ ἂν ἐπικραυγάσας, καὶ τὴν πικρὰν δουλείαν ἀπολοφυρόμενος, ἐξῆλθεν.

Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat Quod nervos agitet.) Jam de servitute altera loquitur: cujus exemplum non aliunde petit quàm ab illo ipso qui cum disputabat: εἰρωνικῶς hæc dicuntur, sine interrogatione omnino legenda. Dices tu, illum cui herus imperat esse servum: neque habere ἐξουσίαν αὐτοπραγίας: quia aliena voluntate & jussis impellatur ad ea facienda, quæ facit; te facere quæ velis ipse. Eleganter servum comparat cum sigillaribus sive neurospastis, quæ per se ἀκίνητα, verticillis quibusdam ac nervis moventur: imitatur verò Horatium, aut uterque potius Platonem primo legum, cujus verba: τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι σπῶσί τε ἡμᾶς, καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν, ἐναντίαι οὖσαι, ἐπ' ἐναντίας πράξεις: sed Persius potuit aliunde sumsisse hoc simile: nam Stoici plurimùm illo utebantur. Leges apud Marcum Antoninum in VII. σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα. Latini simpliciter modo *sigillaria*, modo *neurospasta* nominant: undè verbum νευροσπαστεῖν: ut in XII. ejusdem, τὰ νευροσπαστοῦντά σε πάθη: quo verbo totam Platonis sententiam expressit: νευροσπαστεῖσθαι enim est in diversa moveri alieno motu: ut in fine primi idem Marcus, μηκέτι τὸ ἡγεμονικὸν ἐάσης δουλεῦσαι· μηκέτι καθ' ὁρμὴν ἀκοινώνητον νευροσπασθῆναι. Ubi appellat *vim non communem*, vim quæ ut heis ait Persius intrat extrinsecus, & nervos agitat. sic in fine III. ait ferarum & vitiosissimorum hominum esse proprium τὸ νευροσπαστεῖσθαι ὁρμητικῶς: hoc est, *neurospastorum more impelli ad res agendas:* quasi dicat, non motu proprio sed alieno: dominorum nempe animi, crudelissimorum, cupiditatis, libidinis, metus: observent tirones hypallagen venustam in ea locutione; nam potius videtur fuisse dicendum, ὁρμᾶν νευροσπαστικῶς, vel certè νευροσπαστεῖσθαι καθ' ὁρμήν, ut loquitur l. VI. Interpres vir profundæ eruditionis locum illum non intellexit: sic autem dixit Marcus in VI. ὁρμητικὴν νευροσπαστίαν. Θάνατος, ait, ἀνάπαυλα αἰσθητικῆς ἀντιτυπίας καὶ ὁρμητικῆς νευροσπαστίας καὶ διανοητικῆς διεξόδου: hoc est, *mors quies est pugnantium inter se sensuum, & in contraria agitationis ad res suscipiendas & discrepantium mentis discursuum:* hoc enim vult sapiens Imperator, non quod dixit interpres: sic in VII. στῆσον τὴν νευροσπαστίαν: *siste agitationem quæ te in varia trahit:* ita etiam Philo, Clemens Alexandrinus aliique scriptores locuti sunt; ut alibi prolixè ostendimus.

Sed si intus & in jecore ægro Nascuntur domini.) Si exteriorem dominum non habes, interiorem verò circunfers, non unum sed plures, qua fronte liberum te dices? hi sunt domini qui nascuntur, & nervos intus agitant. Marcus Antoninus extremo lib. X. Μέμνησο ὅτι τὸ νευροσπαστοῦν ἐστιν ἐκεῖνο, τὸ ἔνδον ἐγκεκρυμμένον· ἐκεῖνο ῥητορεία, ἐκεῖνο ζωή, ἐκεῖνο, εἰ δεῖ εἰπεῖν, ἄνθρωπος: ait Marcus sanè quàm ἐμφατικώτατα, illud occultum quod intus nos movet, id esse ῥητορείαν, ζωήν, ἄνθρωπον, hoc est, quod faciat nos hoc aut illud studiosè persequi: exempli caussa, eloquentiam: id esse per quod vivimus: quia ita vivimus ut illud est, quod nos impellit. libidinosè, si libido urget: meticulosè, si metus: iracundè, si ira: denique hic velut alius homo quidam est, dominus illius intra quem habitat. hæc mens optimi imperatoris: qui sic alium hominem intra hominem collocat, ut Persius heic ait intus nasci dominos: idem est enim. Sapientes cùm vitia *dominos* vocant, figura illa utuntur, quam Donatus appellat σωματοποιίαν: quando res inanimis ut animata inducitur.

ſic in Euangelio Mammonas, id eſt, avaritia appellatur dominus: οὐ διὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, (*non ex propriâ naturâ:*) ut adnotat Chryſoſtomus: ἀλλὰ διὰ τὴν τῶν ὑποκλινομένων αὐτῷ ταλαιπωρίαν, (*ſed ob eorum, qui jugum ejus ſubiere, miſeram ſervitutem.*) Et obſervat doctè idem pater alibi, ſolere Chriſtum ad majorem evidentiam atque doctrinæ efficaciam, figura hac uti, quam ψύχωσιν (*animationem*) ipſe appellat: ſic, ἐψύχωσε τὸν καιρὸν, inquit, Matthæi capite VI ſic alia. Hæc cùm veriſſima ſint: ſubiit ſæpe mirari acumen philoſophorum, & quidem non plebeiorum, ſed qui ſine controverſia φέρουσι τὰ πρωτεῖα: quibus tritas in omnibus linguis locutiones hoc genus κατὰ τὸ ῥητὸν placuit accipere. Pythagoreorum hæc fuit ſententia: naſcenti homini adnaſci aliud animal, quod vocabant modò feram multorum capitum, modò mortalem quandam vitæ ſpeciem: aliquando ἔριν σύμφυτον, litem homini innatam, alii naturam genitricem, ſive primam: ſicut ſapientes Hebræorum appellarunt illud ipſum יצר ſive יצר רע. noſtri theologi peccatum originis. Auctor carminis aurei,

Λυγρὴ γὰρ συνοπαδὸς ἔρις βλάπτουσα λέληθε
Σύμφυτος· ἣν οὐ δεῖ προάγειν, εἴκοντα δὲ φεύγειν.

(*Dira enim comes pugna innata, lædens fallit: quam non oportet admittere, ſed venientem fugere.*) Jamblichus ſic interpretatur: ἐνταῦθα τὸ διττὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐπέδειξε, καὶ τὸ συμπεφυκὸς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ΑΛΛΟΤΡΙΟΝ ΖΩΟΝ ὅπερ οἱ μὲν πολυκέφαλον θηρίον, οἱ δὲ θνητόν τι ζωῆς εἶδος, ἄλλοι δὲ φύσιν γενεσιουργὸν καλοῦσιν. (*Hic humanæ naturæ geminum ſeu anceps oſtendit, adnatum ſcilicet ab ortu nobis aliud animal, quod quidam feram multorum capitum, quidam mortalem quandam vitæ ſpeciem, alii naturam genitricem, ſive primam vocant.*) Idem aliquanto poſt: τὸν ἐν ἡμῖν θεῖον ἄνθρωπον τοῦ πολυκεφάλου θρέμματος ἐγκρατῆ ποιητέον. (*laborare oportet, ut divinus in nobis homo multiplex illud germen in ordinem cogat.*) Ubi vides duo intra hominem animantia conſtitui: unum ferum, de quo jam diximus: alterum mite, quod ipſe appellat divinum hominem: proculdubio virtutem intelligens: nam ut vitia ita & virtutes animalia eſſe quidam crediderunt. Seneca epiſtola CXIII. *Deſideras tibi ſcribi à me, quid ſentiam de hac quæſtione jactata apud noſtros: An juſtitia, an fortitudo, prudentia, cæteraque virtutes animalia ſint.* Stobæus in Excerptis phyſicis, de Stoicis loquens. Βούλονται δὲ τὴν ἐν ἡμῖν ψυχὴν ζῶον εἶναι, ζῆν τε γὰρ καὶ αἰσθάνεσθαι· καὶ μάλιστα τὸ ἡγεμονικὸν μέρος αὐτῆς ὃ δὴ καλεῖται διάνοιαν· διὸ καὶ πᾶσαν ἀρετὴν ζῶον εἶναι, ἐπειδὴ αὐτὴ διάνοιά ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν. Alluſit horſum Philo Judæus in eo libro qui inſcribitur, De conventu ad primas diſciplinas ὁρᾷς ὅτι καὶ ἀπὸ τῶν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ζώων ἀλόγων, (ταῦτα δέ εἰσιν αἰσθήσεις) πάλιν ἀπάρχεσθαι διείρηται (*viden' ut etiam de brutis quæ nobis inſunt animalibus, hoc eſt, ſenſibus, iterum primitias offerre præcipit?*) & mox: οὐ μόνον ἐπὶ τοῖς ξυλίνοις καὶ γηΐνοις σωματικοῖς, οὐδ' ἐπ' ἀλόγοις ζώοις, ταῖς αἰσθήσεσι, τὸν εὐεργέτην ἐπαινεῖν διδασκόμεθα· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ νῷ ὃς κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι, ἀθάνατος ἐν θνητῷ. (*verum non ob hæc ſolum corporea ſive lignea ſive terrena, nec ob brutas animantes, ſenſus videlicet, benefactorem laudare docemur; ſed & ob mentem, quæ propriè homo eſt in homine, potior in deteriore, immortalis in morti obnoxio.*) Non parum hæc illuſtraverint quæ ſcribit ὁ θεσπέσιος Paulus Apoſtolus variis locis de interiore atque exteriore homine. At longe alio ſenſu philoſophus dixit in XXVII. ſectione Probl. calorem in homine ceu aliud animal eſſe, τὸ θερμὸν ἐν ἡμῖν ὥσπερ ζῶον, quem videntur imitati medici cum de mulierum matrice idem pronuntiarunt: eſſe illam, ut ait Aretæus, ὁκοῖόν τι ζῶον ἐν ζώῳ. quaſi *animal in animali*, vel potius, ut loquitur idem, ζωῶδές τι: ſed ad Perſium redeamus: cujus locum imitatus Claudianus in IV. Honorii Conſulatu, ubi poëta facundiſſimus multis verſibus mentem Perſii expreſſit. Juvat quædam conferre: Perſius ait, *intus naſci dominos*: Claudianus ſic:

Si metuis, ſi parva cupis, ſi duceris ira,
Servitii patiere jugum: tolerabis iniquas
Interius leges. ———

Boëtius metro II. l. IV. De conſolatione item ex Perſio:

Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.

Ait Perſius, *in jecore ægro*: Claudianus:

At ſibi cuncta petens, nil collatura cupido
In jecur & tractus imos compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dum bellua rictus
Expleri paſcique nequit: nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, ſtimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœſta dolet, ſatiataque rurſus
Exoritur, cæſaque redit pollentius hydra.

Qui tu impunitior exis?) Quid cauſſæ dices eſſe, cur tua melior ſit conditio, quàm ejus qui ſervitutem corporalem alii ſervit? Egregie Seneca Naturalium lib. III. *Liber eſt qui ſervitutem effugit ſui. Hæc eſt aſſidua ſervitus, & ineluctabilis,*

& per

& per diem ac noctem æqualiter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire gravissima servitus est: Boëtius: *Extrema est servitus, cum animæ vitiis deditæ, rationis propriæ possessione ceciderint.*

Mane piger stertis:) Deinceps quàm durum sit vitiorum servitium, cùm plura simul eundem miserè in diversa trahunt, variis exemplis luculentissimè demonstrat: primum exemplum est illius qui duobus dominis, Pigritiæ & Avaritiæ servit.

Surge inquit Avaritia) Salomon Proverbiorum capite XIII. ut quidem vetus vertit: *vult & non vult piger: anima autem operantium impugnabitur.* Pigritiæ proprium est, optare non laborare: ideò Salomon idem capite XXI. *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum: noluerunt quicquam manus ejus operari.*

Et quid agam? rogitas? saperdas advehe Ponto.) Rem strue & ea fine naviga atque mercaturam exerce: illa munitissima est ad opes via. Seneca epistola CXIX. *Jam ergo paraveram fiscos: circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces*: propterea τοὺς ἐμπορικωτάτους (*maximos negotiatores*) esse eosdem πλοϊκωτάτους (*maximos navigatores*) ostendit B. Gregorius Nazianzenus in Apologetico.

Lubrica Cos.) Vina Græca μαλακά (*mollia*) simul & μαλακτικά vel λειαντικά (*mollientia & delinitiva.*) Sic λειαντικὸν οἶνον leges apud Aristotelem & medicos.

Tolle recens primus piper è sitiente camelo.) Propera Alexandriam vel ad alia orientis emporia, quò piper defertur camelis: nam Romam mari deferebant. Morem tangit mercatorum, qui in eo vel præcipuam lucri quod inhiant spem ponunt: si primi genus aliquod mercis possint importare. Lucilius:

Sicuti cùm ficus primus propola recentes
Attulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

sitiens camelus, non simpliciter πολυδίψιος: sed qui sitim diu tolerat: etiam ad quatriduum.

Verte aliquid.) Exprimit satagentiam mercatorum, omnia spe & aviditate lucri molientium: *vertere* vox agriculturæ: terra enim vertitur fodiendo, arando, occando, pastinando, aliis modis: vel dixit *verte* pro averte, id est, decipe, circumscribe: ideò sequitur, *jura*, id est, pejera: simplex pro composito, ut apud Ciceronem in Verrem, *pecuniæ partem ad se vertere.*

Jura.) Pro pejera, ut diximus: nam minimo minus interest inter sæpe jurantem & pejerantem: verissimum enim est, quod Philo Judæus ait, in libro De decem Legis præceptis: φύεται ἐκ πολυορκίας ψευδορκία καὶ ἀσέβεια: *qui sæpè jurat, pejerat & impius est.*

Sed Jupiter audiet: eheu.) En miseram conditionem hominis quem in diversa rapiunt pigritia, avaritia, & metus superûm: τὸ *heu* præcedentibus jungi debet non sequentibus.

Varo, regustatum digito terebrare salinum Contentus perages. Omnia exemplaria simplici *r Varo*: cùm apud M. Tullium & alios hoc nomen scribatur *varro*. Lucilius,

Varronum ac rupicum scarrosa incondita rostra.

Nec pauci libri sunt, ubi scribitur *Baro*, quæ vox Barbara in antiquis legibus Francorum & Alemannorum, marem significat: hodie in Campania & aliis Galliæ locis mulieres suos viros nominant *barones*: sed legant studiosi quæ de his vocibus *varro* & *baro* viri præstantissimi adnotarunt. Sensus est: O stulte si pietatem curas, permanebis adeò pauper, ut bene tecum agi existimaturus sis, si pulmentarii loco salem habeas: qui fuit victus pauperrimorum tantùm ejus ætatis: quondam verò plebis Romanæ, ut ex Varrone observat Plinius lib. XXXI. cap. VI. & omnis comœdia testis est. Sed mira sententiæ energia, ut ubique apud hunc poëtam, ad paupertatem summam exprimendum: *perages*, Græcum est διάξεις, pro διάξεις τὸν βίον: quandiu vives semper eris pauper, atque adeò spe etiam omni carebis fortunæ paullò saltem lautioris: id enim *contentus*: *digito salinum terebrare*, est duobus digitis primoribus pauxillum salis delibare, sic ut vestigia impressa pareant digitorum: expressit ad verbum Græcorum proverbium ἅλας τρυπᾶν. Apollonius in epistola ad Euphratem: πάντα φασὶ, δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν· ἐμοὶ δ' εἴη τὴν ἅλα τρυπᾶν ἐν Θέμιδος οἴκῳ. (*Vulgo aiunt, qui rem facere vult, omnem rudentem movere oportere: mihi vero contingat in domo Themidis, vel Justitiæ salinum terebrare.*) Plautus dicere solet *delingere salem.*

Si vivere cum Jove tendis.) εἰ σπεύδεις ζῆν ὁ καὶ Θεὸς βίον. Plautus Rudente.

Isto tu pauper es, cum nimis sanctè pius.

Jam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas.) Jam tibi avaritia persuasit ut sibi servires: itaque succinctus ipse, res ad iter necessarias segestri involutas, puerorum tuorum humeris imponis, & simul œnophorum manibus illorum aptas, ocyus ad navem profecturus, ut illam

conscendas Orientis emporia petiturus *: pellem* vocat proculdubio segestria, de quibus satis ad Suetonii librum II. *pueris* autem legimus cum veteribus Bongarsii & nostris. Primum quia nemo se itineri accingere solitus, quamvis tenax & deparcus, quin pueros aut saltem unum puerum ἀκόλουθον haberet, ad bajulanda στρωματόδεσμα & cætera necessaria: deinde ita est in Horatii versu quem imitatur Persius:

Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur
Te pueri lasanum portantes œnophorumque.

quare alteram lectionem *Jam puer u*, etsi inventam nobis in libro Puteani & aliis quibusdam editis, non probamus.

Quin trabe vasta Ægæum rapias.) rapide feces: Horatius;

——ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

sic *campum rapere*, apud Statium: sic Græci suum ἁρπάζειν.

Sollers Luxuria.) ingeniosa in corrumpendis hominum mentibus.

Quò deinde insane ruis.) Propertius:

Quo ruis imprudens?——

Claudianus,

Quo vesane ruis?)

τὸ *deinde* Græcum est ποῖ δὲ φρένας ἤλσε σὺ ποῖ ἔῤῥεις;

Calido sub pectore mascula bilis Intumuit.) Bene Luxuria masculum animum criminis loco objicit militanti in suis castris juveni: cui potius conveniat molli atque effœminato esse animo. itaque insanire illum pronuntiat, & μελαγχολᾷν: is enim est bilis tumor quem illi objicit.

Quam non extinxerit urna cicutæ:) bilis atræ fervorem, quo nunc ardet, vix extinxerit cicutæ, quamvis largiter potæ, frigus.

Tibi torta cannabe fulto Cœna sit in transtro.?) tune cùm sis Veneris nepotulus, ut super rudente sedens cœnes in navium transtris? qui divitias construere optabant navigationi operam plurimùm dabant: quod vitæ genus quàm asperum, quàm miserum luxuria heic ostendit. Antiphanes:

Δύστηνος ὅς τις ζῇ θαλάττιον βίον·
Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

(*Miser, marinam vitam qui vivit. Egere præstat in terrâ, quàm divitem navigare.*)

Fulcire est ἐρείδειν ἀσκῶν Græcis scriptoribus, ut in quarto Athenæi: *tibi fulto torta canabe*, ut apud Lucilium *pulvino fultus*. Propertius,

Et fulto pluma versicolore caput.

Juvenalis,

Fultusque toro meliore recumbet:

Toros autem constituebant in transtris. Valerius Flaccus: *Insternunt tabulata toris*: magnæ mollitiei argumentum erat cubare in interiore navi, non super transtra & tabulata, aut in stega: vide Regulas Pachomii cap. LXVI. Theophrastus cap. περὶ ἀνελευθερίας in Characteribus: καὶ περιερχῶν τὰ τοῦ κυβερνήτου στρώματα ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ὑποστρώννυσθαι. rectè olim sic emendavimus, cùm scriptum invenissemus ὑπό. falsò prorsus atque ineptissimè: non enim sub constrato navis dormiebant, sed super. Auctor satirici: *Hoc erat, quod placuerat tibi, ut super constratum navis occuparemus secretissimum locum, ne nos patereris requiescere*, de navarcho utique & cæteris quibus navis cura incumbebat, ridiculum fuerit dubitare. Leo Imperator in Naumachicis: ὁ τοῦ ναυάρχου ἤτοι τοῦ κεντάρχου κράβατος ἐπὶ τῆς πρύμνης ἵδρυται. Plutarchus in Alcibiade inter alia argumenta luxus illius commemorat, quod non more aliorum super nudis tabulatis triremium cubaret, sed iis incisis fascias tenderet in usum lectorum: cerneres, inquit, ἐκτομὰς καταστρωμάτων ἐν ταῖς τριήρεσιν ὅπως μαλακώτερον ἐγκαθεύδοι, κειρίαις ἀλλὰ μὴ σανίσι τῶν στρωμάτων ἐπιβαλλομένων. Qui de superiore loco Theophrasti aliter sentiunt, ut nos carpant, ii non sententiam nostram, sed αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν rejiciunt: quibus nihil aliud nisi hoc volumus responsum, aut proferant si habent meliora, aut aliorum inventis sine invidia fruantur.

Veientanumque rubellum Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?) poteris ne delicias quibus es innutritus mutare duro illo nautarum victu? *exhalare* heic pro fundere vel emittere vinum quod exhalat: quid autem exhalet obliquè indicat, cùm ait, *vinum vapida læsum pice*: ex quo intelligitur, vinum exhalare tetrum picis odorem. Veientanum Rubellum, & vitis Rubella ex Horatio, Plinio & Martiali sunt nota. *Obba* Nonio poculi genus: ἀκύρως: nam propriè dolium vel utrem significat ut heic, אוב ἀσκὸς *sessilis obba*, vas est vinarium ei simile quod vocamus *barril*. sic lactucæ sessiles, brassicæ sessiles, & verruca sessilis in XXXVII. Plinii: cui opponit verrucas quæ non extant solùm, sed eminent.

Quid petis? ut nummi quos hic quincunce modesto Nutrieras.) En ut fallit vitium, specie virtutis? Luxuria enim mancipium istud suum à turpi fœnore dehortatur, non secus ac si virtus ipsa loqueretur: quid petis inquit? vis nempe majore cum quæstu pecuniam tuam exercere: potes in Urbe, in otio, quinos pro centenis lucri face-

re quotannis: non sufficit hoc avaritiæ tuæ: & undenos nummos pro centenis ad sortem cupis adjicere: *quincunx modestus*, usura est mediocris quæ etiam jurisconsultis dicitur levis, ut in leg. *Tutor.* §. 10. Dig. De administratione & periculo tutorum: meminerunt & alibi, ut leg. 17. Dig. De usuris & fructibus. *Nummos nutrire* ut apud Horatium *nummos pascere*, hoc est, augere. Boëtius Consolationis libro II. *Ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit heredi*: sic *nutrire frontis audaciam*, apud Hieronymum, pro augere, ἐκτρέφειν: *alere amnem* pro augere imbres Horatio: est verò imitatio Græcorum, qui τρέφειν pro αὐξάνειν sæpissimè usurpant: quod verbum de fœneratore paullò aliter posuit Plutarc. in l. De vitando fœnore. Sanè & τόκος est a verbo τίκτειν. cujus dictionis vim pulcherrimè & luculentissimè explicat B. Basilius κατὰ τοκιζόντων.

Pergant avidos sudare deunces.) Duplex lectio hujus loci in antiquissimis libris:

——*pergant avidos sudare deunces*,

quo modo Puteani codex habet: vel

——*peragant avido sudare deunces.*

potest ferri utraque harum lectionum: sed quæ ex utraque sunt mixtæ, omnes repudiandæ: *pergere sudare*, pro sudare, ut *facere incipere* pro facere, & similia multa. *Sudare* autem *deunces* usuras dixit ut opponeret quincuncibus usuris quæ nullo labore proveniebant.

Nostrum est Quod vivis.) ea demum pars vitæ tuæ quam mihi, id est, voluptatibus impendis, vera vita est: ita Luxuria: cui vivere bibere est, & edere atque ἡδυπαθεῖν: quare eidem verba Seneca etiam tribuit epistola CXXIII. *Una felicitas est bona vita: facere omnia liberè, frui patrimonio: hoc est vivere, hoc est se mortalem esse meminisse. Fluunt dies & irreparabilis vita decurrit*: etiam Plutarchus: apud quem verba eorum qui juvenes depravant sunt hæc: Στιγμὴ χρόνου πᾶς ὁ βίος ἐστι: ζῆν καὶ οὐ παρέργως ζῆν προσήκει. (*Punctum temporis omnis vita: vivere, non victitare decet.* Plut. *De Educat.*) non dissimilis sententiæ proverbium illud Græcorum fuit, quod vulgò sua ætate jactari solitum gravissime indignatur Chrysostomus in Matthæum & alibi: δίδου μοι τὴν σήμερον, καὶ λάμβανε τὴν αὔριον. *Da mihi hodiernum diem: sume tibi crastinum*: similibus vocibus perstrepit poëtarum natio. His Sirenum venenatis cantibus opponenda sunt decreta sapientum: Aliud esse, vivere, aliud vitæ interesse: vivere, inquiunt, agere est, & ἐνεργεῖν κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν: quod firmè demonstratur in Nicomacheis; qui igitur vitam non agunt in actionibus virtutis occupatam: hos Seneca non vivere ait, sed esse; in lib. De brevitate vitæ. Actu enim non tempore metiri vitam debemus: ut idem scribit epist. XCIII. Non igitur vivunt isti, sed sunt: si tamen verè queunt dici esse: nam ne hoc quidem illis concesserint sapientes. Boëtius Consolationis l. IV. eos qui ex virtute non vivunt ne esse quidem ἁπλῶς gravi argumento probat. *Qui mali sunt*, inquit, *eos malos esse non abnuo: sed eosdem esse purè atque simpliciter nego. Nam uti cadaver hominem mortuum dixeris, simpliciter verè hominem appellare non possis: ita vitiosos malos quidem esse concesserim: sed esse absolutè, nequeam confiteri:* ESSE *enim quod ordinem retinet servatque naturam: quod vero ab hac deficit*, ESSE *etiam, quod in sui natura situm est, derelinquit.* Laudat Porphyrius De abstinentia Democratis cujusdam vocem verissimam: homines qui in vitiis consenescant, non diu vivere, sed longo tempore mori: Τὸ κακῶς ζῆν, ait, καὶ μὴ φρονίμως, καὶ ὁσίως Δημοκράτης ἔλεγεν οὐ κακῶς ζῆν εἶναι, ἀλλὰ πολὺν χρόνον ἀποθνήσκειν.

Cinis & manes & fabula fies.) Impia vox Epicureorum & similium, qui post mortem superesse aliquid negabant, de quo sapientes dubitarunt nunquam: Aristoteles verò etiam demonstratione certissima animi immortalitatem in tertio probavit: sumsit ab Horatio, germano Epicureo: nam Persius sub Luxuriæ persona hæc loquitur. Sane de corpore non malè hæc dici possunt: & ita Chrysostomi verba accipienda scribentis in LXXVII. super Matthæo cùm de mortuo loqueretur: οὐδὲν ὁρῶ πλὴν ὀστέα καὶ σκώληκας καὶ ἀράχνας· πάντα ἐκεῖνα γῆ· πάντα ἐκεῖνα μῦθος· πάντα ὄναρ καὶ σκιὰ, καὶ διήγημα ψιλὸν καὶ γραφή. (*nihil video præter ossa, vermes, & araneas: omnia, terra: omnia, fabula; omnia, somnium, & umbra, & narratio simplex, & sculptura.*) Aliquando apud Græcos δρᾶμα γίνεσθαι, id est, fabula fieri, de eo dicitur qui in summam calamitatem inciderit: ut alicubi Gregorius Naz. loquitur.

Hoc quod loquor inde est.) hoc ipsum temporis momentum quo hæc tibi dico, pars est decerpta inde, & quæ ubi perierit nunquam sit reditura. Plautus,

——*loquens lacerat diem.*

Est verò grave dictum, & nimis verum; quod non ut à Luxuria pronunciatum accipere debemus: sed ut à Persio, hoc est, doctissimo philosopho ac sapientissimo. Sic est omnino: per singula momenta vita nobis perit; semperque ex

quo vivere cepimus morimur, non repente & ἀθρόως ut vulgus putat malè sanum. Tangit Persius uno verbo gravem è philosophia locum, quem tractavere multi sapientes. Seneca epist. XXIV. *Memini te illum locum aliquando tractasse, Non repente nos in mortem incidere, sed minutatim procedere: quotidie demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cum crescimus vita decrescit:* mox, *hunc ipsum quem agimus diem cum morte dividimus: quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit: sed quicquid ante defluxit: sic ultima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat: tunc ad illam pervenimus: sed diu venimus:* deinde: *mors non ultima venit: sed quæ rapit ultima mors est.* Idem epistola CXX. *Quotidie propius ab ultimo stamus: & illò unde nobis cadendum, hora nos omnis impellit.* Ibidem. *Erramus qui ultimum timemus diem: cùm tantumdem in mortem singuli conferant: non ille gradus lassitudinem facit, in quo deficimus: sed ille profitetur. Ad mortem dici extremus pervenit, accedit omnis: carpit nos ille non corripit.* Acutè multa in hanc sententiam vir non solum pietate, sed etiam doctrina suscipiendus Augustinus toto capite X. lib. XIII. De civitate Dei: pauca adscribam è multis. *Quid aliud diebus, horis, momentisque singulis agitur, donec ea consummata mors quæ agebatur, impleatur: & incipiat jam tempus esse post mortem, quod cùm vita detraheretur, erat in morte?* sed totum caput, quod pulcherrimum est, legant studiosi: ex quo caussam intelligent cur quidam olim hominem appellaverint νεκρὸν αἰώνιον, (*mortuum æternum*) ut refert Eustathius: ideò Manilius initio IV.

Nascentes morimur: finisque ab origine pendet. quem versum à Manilio mutuatus fuit quisquis est, qui Camilli Aquileii tumulo hos versus inscripserat:

Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.
Illa eadem vitam quæ inchoat hora rapit.

Duplici in diversum scinderis hamo.) διλόγχῳ. Gregorius Naz. διλογχουμένων ὑπὸ πάθει καὶ πνεύματος. Lege Dionem Chrysostomum in IV. De regno: nam hoc argumentum nemo veterum tractavit uberius: quædam etiam in LXV. ejusdem invenias quæ sunt hujus loci.

Subeas alternus oportet.) nomen pro adverbio: ἀμοιβαῖος pro ἀμοιβαίως: sic sæpe Latini poëtæ hoc nomine utuntur. Seneca epist. XXXVII: *Humilis res est stultitia, abjecta sordida: servilis, multis affectibus & sævissimis subjecta. Hos tam graves dominos interdum alternis vicibus imperantes, interdum pariter, dimittit à te sapientia, quæ sola libertas est.*

Nec tu cùm obstiteris semel, instantique negaris Parere imperio, Rupi, i.) Solent vitia etiam vitiosissimis interdum displicere: neque quisquam est ita perditus amore voluptatum, quin aliquando satias eum capiat: sæpeque vel in malis igniculi illi excitantur, quos à natura accepimus ad verum inquirendum, & quod rectum est amandum: ex his nascuntur ὁρμαὶ & impetus quidam ad præclaras actiones: quæ tum demum laudem merentur, quando à certo consilio manant, & decreto in animo fixo sic semper vivendi, neque unquam exorbitandi: ita ex pluribus actionibus oritur διάθεσις, quam usu firmatam sequitur ἕξις: habitus autem firma jam res est, & quæ non facilè mutari metuat: dispositio mutabilis est: ac multò magis ille primus impetus, qui etiam in vitiosis ebullit & ad honesta eos impellit. Hoc ipsum est quod Persius heic docet: ubi prudenter vitiosos admonet, ne si quos forte ad virtutem impetus sumserint, statim sibi persuadeant debellatum esse vitium illud, cui prius serviebant: μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, (*una enim hirundo ver non facit:*) quod ait philosophus: vide Arrianum, Dissertationum libro secundo, capite XVIII. *instantique negaris*, ut in illo Juvenalis,

——vox domini sonat instantis.——

Attamen illi Cùm fugit à collo trahitur pars longa catenæ.) expressit proverbium quod in idiotismo nostro frequens est: solemus enim dicere, Non esse liberatum qui catenam suam trahat. Seneca De vita beata: *Ei qui ad virtutem tendit etiam si multum processit, opus est tamen aliqua fortunæ indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exolvit, & omne vinculum mortale. Quid ergo interest? quod alii alligati sunt, alii abstricti, alii districti quoque. Hic qui ad superiora progressus est, & se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.*

Dave, cito, hoc credas jubeo, f.) affert exemplum vitiosi pœnitentis: sed non bona fide: ideò statim relabitur in cœnum. Locum ex Menandro traductum admonet vetus interpres. In Terentii Eunucho quam constat è Menandro translatam, & personarum nomina sunt mutata, & multa aliter disposita. Chærestratus Menandri, Terentio Phædria: Davus, Parmeno. Locus est statim initio.

An siccis dedecus obstem Cognatis) ἢ τοῖς ἐμοῖς ξυγγενέσι σώφροσιν ὤν, ὄνειδος εἰμι; sic de comessante ὄνειδος τῆς οἰκίας Lucianus alicubi: puto ex Me-

Menandro. *Sicci* Latini temperantes, quorum vita M. Tullio pro Quinto dicitur, *horrida atque arida:* contrarius est qui dicitur ὑγρὸς βίος.

Rem patriam frangam.) Lysiteles ille sapiens adolescens in Trinummo Plauti:

—— nam qui ab eo quod amat
Quam exemplo suaviis sagittatis percussus est, illico res foras.
Labitur, liquitur. ——

Dum Chrysidis udas Ebrius ante fores extincta cum face canto.) Dum comessatum veniam ad limen januæ Chrysidis, & ibi de dura sorte mea conquerar cùm fuero exclusus. Græci hoc vocant, ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον. Plutarchus Ἐρωτικῷ: ἱερὰ γὰρ αὐτῷ νὴ Δία καὶ καλά· τίς οὖν ὁ κωλύων ἐστὶ κωμάζειν ἐπὶ θύρας; ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον: qui ibant comessatum funalia ac faces gestabant: sed quas extinguebant cùm ad fores erat ventum: passim poëtæ & alii Græci ac Latini scriptores. Exemplum canticorum istiusmodi, quæ ante fores cantabant, habes venustissimum apud Plautum in Curculione extrema scena, cujus initium

Flos veteris vini.

Item apud Horatium in oda x. libri III. Carm. in Persa Plauti *occentare ostium* hoc dicitur. Cur autem Persius *udas* appellet fores, docent Græci poëtæ ac Latini, qui multiplicem juvenum insaniam in suffundendis illis modò vino, modò aqua in cardinibus, modò lachrymis passim commemorant: nec malè referas ad lenarum anuum potationes, de quibus fusè Plautus ea quam diximus scena.

Euge puer sapias, diis depellentibus agnam, Percute.) Davi sunt verba, Chærestratum in hac adversum voluptatem pugna confirmantis: adhuc enim putat seriò pœnitere illum: itaque orat eum, ut qui ex ingenti periculo evasisset, agnam diis averruncis mactaret: ut facit Horatius ex alio genere periculi servatus, Oda XVII. libri II. malè autem in duas sententias hæc distrahuntur: nam *sapias* ut apud Horatium, pro si sapias. Ovidius,

Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse jubeto.

Sed censen' plorabit Dave relicta?) Hæc Chærestratus non manens ἐν πίστει, sed priori affectui iterum concedens: turpi autem rei honesta caussa prætexitur: quod nolit Chrysidi doloris caussam præbere: in quo falsa quædam species latet humanitatis.

Nugaris.) Nugas agis cùm dicis te velle priores dolores finire: nam ecce ad ingenium redis: vel sic: lepidus nugator es, cùm vis videri misericordia duci propter Chrysidis lachrymas, quin tu potius te miserare; ipse enim es qui ab amica vapulabis: tanta mollities animi tui.

Solea puer objurgabere rubra.) Terentianus Parmeno:

—— te ultro accusabis, & ei dabis
Ultro supplicium. ——

Olim verò meretrices solitæ sic abuti stultorum juvenum patientia, ut propter leves offensas non solùm colaphis eos cæderent & despuerent, quod ait Chrysostomus LXIV. in Matthæum homilia: sed etiam sandalio illis caput commitigarent, ut ille ait in Terentiana Eunucho: exemplum est ab Omphala: quam aliæ deinde sunt imitatæ, ut ex hoc loco atque aliis scriptoribus paret: vetus epigramma:

Cur tua fœmineo caduntur pectora socco,
Infamique manu barbula vulsa cadit.

id verò quàm grave esset ei qui se liberum & virum meminisset, ostendit historia ejus mulieris quam refert Plutarchus Quæstionum Græcarum capite XII. propter similem injuriam à rege sibi factam, laqueo sibi gulam fregisse: simile apud Latinos, *sculponeis os batuere*, quod malè Fulgentius interpretatur: nam sculponeæ rustici calceamenti genus: sed apud Græcos etiam puerilis castigationis genus fuit aureo sandalio εἰς πυγὴν πλήσσειν, ut scribit Lucianus in Philopseude atque alibi. *Solea objurgare*; ut Suetonius *ferula objurgare.* Menander ut puto βλαυτοῦν. Hesychius, βλαυτοῦν ὑποδήματι, ἢ πλήσσειν σανδαλίῳ· οἱ γὰρ ὑποδήματα. Calceabantur delicatulæ modò aureis, sive χρυσοπέδοις calceamentis, modò rubris ac purpureis, modò κεντητοῖς, id est, compunctis, modò etiam incisis, aut etiam gemmatis socculis; de quibus alibi: neque enim heic locus.

Ne trepidare velis.) Familiare Horatio & Persio verbum, varia notione: heic verò pro ζυγομαχεῖν accipitur & ἀνδυστυχεῖν: insultat enim Chærestrato Davus, quasi dicat: stulte, tu liberum te putas? atqui servus ac miser es, & futurus etiam es post hac semper, sine spe libertatis: quare assuesce jugo maturè, & ad omnem patientiam te para. Propertius libro II.

Ac veluti primo taurus detractat aratra,
Mox venit assueto mollis ad arva jugo:
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua & iniqua ferunt.

Plane eadem notione Propertius ac Persius id verbum posuerunt, ut sequentia evincunt: sic Seneca lib. III De ira: *sic laqueos fera dum jactat astringit;*

astringit: sic aves dum viscum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.

Atque artos rodere casses.) παγιμιαῖος à feris intra retia captis. Affine est apud Græcos τὸ χαλινὸν ὀδάκειν, & Latinos: *frænum mordere*, quod ductum ab equis refractariis & nondum jugo assuetis. Æschylus:

——— δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς
Πῶλος, βιάζῃ καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ.

Quidnam igitur faciam? ne nunc cùm accersat & ultro Supplicet, accedam?) Ad verbum ex Menandro. Terentius:

Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem,
Cùm accersor ultro? ———

Si totus & integer illinc Exieras, nec nunc.) Sunt Davi verba consilium dantis Chærestrato, ut in proposito animum obduret: *totus & integer*, & corpore & animo: nam solemus dicere, animum nostrum ibi esse, ubi id est quod amamus: vel non fracto animo ex amoris affectu, sed ὑγιὴς ac verè integer. Hippocrates in non dissimili sententia in extremo epistolæ ad Dionysium, φρονιμώτερος ἐν παντὶ τὸ ἀπαθέστερον, ὅτι μὴ ἐπικλώμενον ὑπ' εὐνοίης. (*quò quis affectibus indulget minus, eo semper & prudentior: ut qui non sit infractus ex benevolentia.*) *nec nunc*, ibis videlicet: sed Puteani liber aliique *nunc nunc*, ut in tertia: nunc nunc liber sis necne palàm facturus es: altera lectio melior.

Hic hic quem quærimus, hic est.) Supple qui totus & integer exierit: hic igitur est ille liber quem quærimus: ita concluditur digressiuncula de Chærestrato.

Festuca.) Vindicta prætoris, κάρφος: unde *exfestucare* in legibus Alemannorum & Saxonum, & historiis eorum temporum: ut in epistola Henrici III. ad regem Celtarum, & in erudita ejus vita.

Jus habet ille sui palpo quem ducit hiantem Cretata ambitio?) Jam transit ad aliud exemplum hominis qui ambitioni servit: cujus pulchram periphrasim posuit pro nudo nomine. Plato eos qui ad rempublicam accedebant (hi sunt Græcorum demagogi) appellat κόλακας τοῦ δήμου: idem & Persius qui palponem vocat, id est, adulatorem, hominem ambitiosum: non ut cæcorum ducem: quod ineptissimum est: sed ut vulgò omnibus assentantem, ut solebant candidati prensantes: Johannes Saresberiensis libro III. ex hoc loco. *Palpo qui adsentatoris vel adulatoris censetur nomine, quoniam eadem res multis notatur indiciis: hominum mentes explorat, prætentat voluntatem, ut cui rei volueris sensus accommodet, ut gratiam illius cum quo agitur, fraudulenter surripiat.* Pro *ducit* in editione Pithœana est *tollit*: quod nimis placeat: nam proprium ambitioni ἐπαίρειν, & tumore inflare. Seneca Hercule furente:

Illum populi favor attonitum,
Fluctuque magis mobile vulgus
Aura tumidum tollit inani.

sed aliter omnes libri quos vidimus: nec malè *ducere* eum dicitur ambitio, qui ejus caussa facit omnia: ac fortasse ad concursationes prensantium candidatorum respexit hac voce: vel ad amicos deductores candidatorum: qua de re lege libellum Quinti Ciceronis.

Vigila.) Maximè propter officia salutationum, quas ante diluculum inchoabant: ideò placebat, *evigila*: sed nihil muto: de labore & vigiliis candidatorum multa Cicero variis locis, & plura Quintus ejus frater in lib. ei rei dicato. Marcus verò ad Atticum *militiam urbanam* propterea vocat vitam candidatorum.

Cicer ingere largè.) Missilia intelligit, inter quæ & cicer frictum erat: de quo pridem Josephus Scaliger ad Festum suum. Horatiana est imitatio.

Rixanti populo.) Ita solitum fieri in collectione missilium: quod Suetonius variis locis & scriptores testantur: potest referri & ad factiones & coitiones veterum candidatorum.

Nostra ut floralia possint Aprici meminisse senes.) Floralia edebant ædiles: de impudicitia illorum ludorum & origine, Ovidius in Maio, & Lactantius: sed heic intelliguntur omnes ludorum species quos edebant magistratus popularem gratiam captantes. Apricatio senili ætati convenientissima & gratissima, ut tangit Cicero De senectute. Ausonius Mosella:

Tempus erit cum me studiis ignobilis otii.
Mulcentem curas, seniique aprica foventem,
Materiæ commendet honos.

Solent senes in sole hiberno apricantes καὶ εἰληθερῶντες circa meridiem calidiore, de nugis hoc genus garrire: unde Græcorum proverbium μεσημβρινὸς λῆρος, apud Nicephorum Gregoram. liquet ex eo cur dixerit *aprici senes*.

At cùm Herodis venêre dies.) Teterrimum in extremo servitutis genus tangit sub domina potentissima Superstitione: quàm misera, quàm dura horum ea servitus sit, supra omnes alias servitutes, docet Plutarchus, in libro quem de eo argumento scripsit: οἱ δοῦλοι, inquit, τῶν δεσποτῶν ἐπιλανθάνονται καθεύδοντες. (*servi dominorum cum dormiunt obliviscuntur.*) & post pauca: τοῦτ' οὐ δίδωσιν

εἰπεῖν

εἰπεῖν ἡ δεισιδαιμονία· μόνη γὰρ οὐ σπένδεται ὕπνῳ, οὐδὲ τῇ ψυχῇ, τότε γοῦν, δίδωσιν ἀναπνεῦσαι καὶ ἀναθαρρῆσαι. (*hoc de superstitione dicere non possumus; sola enim cum somno non paciscitur: ut ne tunc quidem per illam animæ respirare & confidere liceat.*) Si rei veritatem spectamus, quæcunque humanis ingeniis antiquorum gentilium ad numinis cultum excogitata sunt, superstitionis nomine censeri debent. Unus enim DEUS OPT. MAX. una religio quæ sacris voluminibus continetur: sed ignari veteres hujus veritatis, aliter distinxerunt inter religionem & superstitionem. illam putarunt esse deorum patriorum more patrio cultum: hanc peregrinorum deorum, vel etiam suorum cultum, peregrinis nec consuetis ritibus. Quare inter præcepta veterum quibus de religione aliquid sanciebatur, primum semper illud erat, Θεοὺς πατρίους καὶ νομιζομένους σέβειν κατὰ τὰ πάτρια. (*Deos patrios & legibus stabilitos cole secundum mores patrios.*) propterea Persius de superstitione heic agens, exempla ponit eorum hominum, qui Judaicis aut Asiaticis, & Ægyptiacis ritibus Romæ uterentur. Judaica religio Romæ peregrina censebatur, solis Judæis urbem incolentibus permissa: Asiaticus Bellonæ, & Ægyptiacus Isidis atque Osiridis cultus, decreto quidem senatus in urbem admissi pridem fuerant: sed nondum tamen viris gravibus ea sacra probabantur. Hinc igitur superstitionum exempla petit Persius, non ex religionis antiquitus Romæ receptæ ritibus: qui tamen vanitate, stultitia & τῷ γελοίῳ, ne Ægyptiacis quidem concedebant. *Herodis dies*, sunt dies quos colit populus qui Herodi paret, sive paruit: Judæi nempe: ita possumus generaliter accipere: sed præstat angustius interpretari, de propria Judæorum secta illorum qui ab Herode Magno, pridem vita defuncto, Herodiani sunt dicti. E variis Judaicis sectis una fuit istorum, ut scimus ex Evangeliis. Epiphanio, Tertulliano, Hieronymo. Hi nihil admodum differebant à Judæis, maximè quidem à Pharisæis quibus semper conjunguntur in sacra Evangelistarum historia: nisi quod Herodem pro Christo colebant: decepti interpretatione prava prophetiæ Jacobi Geneseos capite XLIX. tmemate decimo: isti ergo & Hierosolymis, & alibi Herodis festum magna solemnitate colebant. *Dies Herodis* appellat natalem diem Herodis, non quidem veræ γενέσεως, sed suscepti regni apud Judæos: nam & illi dies vocabantur natales, ut dicebamus ad Spartianum: pleraque item alia festa sic nominabant: ut Γενέσια σεισμοῦ, Natalem terræ motus Alexandrini: de quo vide Sozomenum libri VI. caput secundum. Si quis malit ad Herodem Agrippam qui vivente Persio regnum in Judæa obtinebat, hæc referre, & de natali illius accipere, non de primi Herodis, haut valde contendam: puto tamen rationem falsam esse quæ viros eruditissimos ita coëgit sentire: quasi jam tum Herodianorum secta defecisset ac nomen: quod mihi non videtur: neque Epiphanium cùm legas, ita opinor, sentias: adde quod ut ita esset, accuratiorem ejus rei cognitionem Persium non habuisse, nihil mirum: quare ab antiqui scholiastæ interpretatione non discedimus.

Unctaque fenestra Dispositæ pinguem nebulam vomuère lucernæ.) Modum ostendit quo dies Herodis ab Herodianis colebatur: festorum enim dierum, alii hilaritate atque epulis transfiguntur: alii planctu, jejuniis & varia imitatione tristitiæ. Utriusque generis exemplum heic ponitur è Judaicis ritibus. Herodiani igitur diebus Herodis omnia lætitiæ signa edebant, ut fieri solebat in solennitatibus ad testimonium hilaritatis institutis: eò pertinent lucernæ accensæ, & epulæ lautæ, quarum Persius heic meminit. Omnium pene gentium communis fuit ritus ad gaudii significationem ignem accendere: neque occurrit quicquam frequentius apud veteres auctores, quam λυχνοκαΐας & accensarum facum mentio ob res sive publicè sive privatim lætas. Lactantius libro VI. capite secundo, *Mactant opimas & pingues hostias Deo quasi esurienti, profundunt vina tanquam sitienti, accendunt lumina velut in tenebris agenti:* & plura toto illo capite: nec solùm in templis lumina accendebant, sed etiam domi quisque suæ, eaque januis & fenestris appendebant. Juvenalis in XII. apparatum diei festi describens, non quidem ex Judaica disciplina, sed ex ritu Romano.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

plura de hoc ritu viri docti pridem observarunt: quæ petant ab illis tirones. Meminit & Tertullianus libro De idololatria: ubi Christianos reprehendit, qui ritum gentilem in ecclesiam Dei inveherent, *At nunc*, ait, *lucent tabernæ & januæ nostræ. Plures jam ethnicorum fine lucernis & laureis quàm Christianorum*: non prætermisit hunc ritum Gregorius Naz. quo loco omnes pene mores recenset, quibus diem lætum celebrabant veteres pagani: adscribam ejus verba, quia insignis est locus: sic ille in altera contra Julianum.

Ἀδελφοί, ait, πανηγυρίζομεν, μὴ φαιδρότητι σώματος, μηδὲ ἐσθῆτος ἐξαλλαγαῖς, καὶ ποικιλίαις, μηδὲ κώμοις καὶ μέθαις, μηδὲ ἄνθεσι στέφομεν ἀγυιάς, μηδὲ μύρων αἰσχύναις τραπέζας, μηδὲ πρόθυρα καλλωπίζομεν, μὴ τῷ αἰσθητῷ φωτὶ καταλαμπέσθωσαν αἱ οἰκίαι, μηδὲ συναυλίαις καὶ κρότοις περιηχείσθωσαν· οὗτος γὰρ ἑλληνικῆς ἱερομηνίας ὁ νόμος: totum diei festi apparatum heic habes: corporis lavacra & unctiones, vestis cultum: comessationem atque ebrietatem, flores ad coronamenta compitorum, unguenta ad mensas, januarum ornamenta: lucernas domi accensas, postremò tripudia, & βαλλισμοὺς sive balationes ut B. Augustini vocem usurpem: fuliginem è lucernis appellat *nebulam*. Statius quarto Sylvarum:

Pande fores superûm, vittataque templa Sabais
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Portantes violas.) Græci scriptores celebrationem diei festi duabus vocibus designare solent, φωτὶ, καὶ στεφανώμασι, luminibus & coronamentis: ita sæpe apud Dionem & alios historicos: στεφανώματα innuit Persius his verbis: coronabant autem & aras & simulachra deorum, & fores templorum, & januas domorum suas: quæ ideò Tertulliano dicuntur *laureatæ ac lucernatæ*: libro altero ad uxorem capite VI. sed præter laurum, flores etiam alios adhibebant, ac præcipuè violas. Juvenalis:

——Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Rubrumque amplexa catinum Cauda natat thynni) Jam dicit de conviviis quæ die Herodis Herodiani exercebant: *cauda thynni* est ὡραῖον, quod nomen & genus salsamenti ex Athenæo & Plinio & aliis auctoribus satis notum: cùm ait *natat*, ostendit ex jure solitum comedi: quod etiam catinum innuit: nam in catino pultem aut jurulenti aliquid Romani ponebant: Siculi assa, ut scribit Varro: amplitudo appositi thunni declaratur cum emphasi, verbo *amplexa*: hoc est, ab utraque parte catini prominens multum: *rubrum catinum* ut apud poëtas similia vasa passim, quia fictilia miniabantur: præsertim quæ mensis inferebantur.

Tumet alba fidelia vino.) hæc pars altera τῆς εὐφρασίας, vinum: improprie de fidelia, *tumet* pro γέμει plena est: nam & inania tument fictilia, & è stamno œnophori, ac similia vasa: utribus proprium, ut tunc solùm cùm pleni sunt tumeant.

Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.) Hæc separanda à prioribus: nam de aliis ritibus agit Judaicæ superstitionis, ut Romani loquebantur, qui non solis Herodianis, sed omnibus Judæis erant communes. *Labra movere*, eorum est qui murmure & humili susurro vota concipiebant, de quibus satira II. Horat. de eo qui Lavernæ preces faciebat:

Labra moves cupiens audiri:

ita possumus accipere, ut sit sensus: frequentas Judæorum proseuchas & unà cum ipsis murmure vota tua ibi concipis. Plutarchus scribit solitos homines superstitiosos, εὔχεσθαι φωνῇ παλλομένῃ, καὶ χερσὶν ἐπιθυμιᾶν τρεμούσαις. (*Tremulâ voce orare, & trepidantibus manibus adolere.*) quod adprimè huc facit. Sed fortasse respicit aliò: nam Judæi religiosiores qui erant σύννοι & tristi vultu procedebant in publicum cum suis fimbriis & phylacteriis, rerum divinarum aliquid semper meditantes. Aptissimè etiam retuleris ad confessionem peccatorum: nam superstitiosis tribuit Plutarchus, τὸ ἐξαγορεύειν τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ καὶ πλημμελείας: *pallere sabbata*, est σαββατισμὸς ἀσκεῖν ut apud Plutarchum: qui scribit Judæos sabbatis solutos ἐν ἀγνάμπτοις καθίζεσθαι: hoc est, in balnitie & neglectu cultus atque operis cessatione diei tristitiam insignire: quare etiam jejunia sabbatis exercebant, ut Augustus apud Suetonium, & alii multi veterum testantur: quod non ita intelligendum, quasi omnia sabbata Judæorum essent tristia: id enim falsissimum esse clarum ex literis sacris: & quædam sabbata hilariter transigi soliti, docent Senecæ verba epistola XCV. *Accendere aliquem lucernam sabbatis prohibeamus: quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine:* nam λυχνοκαΐα symbolum est læti diei: sed sabbatismi superstitiosorum longè diversi: quare Plutarchus ponit inter exempla cruciatuum quos à se ipsis soliti homines superstitiosi exigere: ut cum luto se illinebant, cum proni humi procumbebant, cum simulacro dei alicujus tempore immenso assidebant, & simila his faciebant. Verba Plutarchi:

Ω βάρβαρ' ἐξευρόντες Ἕλληνες κακά

(ita legendum: versus est Euripidis) πηλώσεις, καταβορβορώσεις, σαββατισμούς, ῥίψεις ἐπὶ πρόσωπον αἰσχράς, προσκαθίσεις, ἀλλοκότους προσκυνήσεις: quod ait de luto tangit etiam inferius, aitque sæpè superstitiosos ἐν πηλῷ γυμνοὺς κυλινδεῖσθαι, in luto nudos volutari. Propter tales sabbatismos ait Persius superstitiosos *sabbata pallere*, & Juvenalis metuentem *sabbata patrem*. Qui huc proferunt ex Luciano illa verba, τὰς ὠχρὰς καὶ λεπτὰς ἑβδομαίας τραγῳδούς quibus argumentorum machinis tironibus Græ-

Græcarum literarum persuadebant ἑβδομαῖος idem esse ac sabbatarius? Sed nos eruditissimo viro & Græcæ linguæ peritissimo à quo acceperunt, facilè ignoscimus: ipsi hanc viri docti ἀβλεψίαν si animadvertissent, quomodo illi insultassent? nunc quo judicio alienis scriptis utantur pro suis palàm fecerunt.

Tunc nigri lemures.) Alia commemorat deliræ superstitionis exempla. *Tunc*, id est, postquam persuasit & occupavit anile hoc vitium: *nigri lemures*, supple timentur: nec Plutarchus hunc omisit superstitiosorum hominum metum. Ait miseros illos neque interdiu neque noctu quiete frui: per noctem enim offerre se illis horrendas & portentuosas imagines per quas quiescere illis non magis liceat, quàm si inter infelices ἐν ἀσεβῶν χώρῳ versarentur: εἴδωλα illa φρικώδη τέρατα Plutarchi, sunt Persii *nigri lemures*. Platonicis σκιώδη φαντάσματα: ita vocabant defunctorum umbras, quas viventibus apparere & molestas esse credebant: differentiam inter Manes, Lemures, Larem & Larvam, habes apud Apul. De deo Socratis. Platonici multa de his lemuribus philosophati sunt: docentes animas quasdam esse ita corporum amantes, & originis suæ primæ oblitas, ut ne tum quidem cum morte sejunctæ essent à corpore, separari tamen ab illo possint. hæc esse illa phasmata & monstra quæ in sepulchretis parerent, & alibi etiam. Olympiodorus in Phædonem Platonis: ἐπὶ τῶν φιλοσωμάτων ψυχῶν χωρίζεται μὲν τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, οὐ μὴν ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἀλλὰ σχετικῶς ἔτι σύνεστι αὐτῷ κατὰ τὴν ἡμίχυτον χύσιν· ἐξ ὧν καὶ τὰ σκιώδη φαντάσματα περὶ τοὺς τάφους ἰνδάλλεται· ὡς καὶ ὁ ποιητὴς λέγει περὶ τῆς Πατρόκλου ψυχῆς· Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην. Apuleius in Apologia: *At tibi duat Deus iste semper obvias species mortuorum, quicquid umbrarum est usquam, quicquid Lemurum, quicquid Manium, quicquid Larvarum oculis tuis oggerat: omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Lege Plinium epistola XXVII. lib. VII. Falsa autem esse ista Platonicorum τερατίσματα, ecclesiæ patres nos docent: multa in hanc rem disputat Chrysostomus, ut alios taceam, sermone XXIX. in Matthæum: ubi affirmat sæpius verbis disertis aniles esse fabulas, & puerorum terriculamenta, quæ de istis lemuribus vulgò jactantur: cùm animæ à corpore semel separatæ certis contineantur locis, unde exeundi facultatem non habeant.

Ovoque pericula rupto.) Superstitiosi homines solebant de futuro solliciti astrologos de circo consulere, vates, sacerdotes & quotquot erant qui divinationem futurorum pollicerentur. Inter alias species stultæ μαντικῆς erat illa quam heic tangit quæ ad ignem admoto ovo fiebat, de qua legendus vetus interpres. Sed nos putamus etiam de alio genere religionis posse hæc accipi: nam cùm constet superstitiosos pro tristi augurio habuisse, si quid de mensa cecidisset, aut si eversum esset salinum: videtur similis religio fuisse ab iisdem posita etiam in ovis quæ comedebant, si casu aliquo irrumperentur, aut pertunderentur.

Hinc grandes galli.) *Hinc*, ut modò *Tunc*, posteaquam animus superstitione depravatus est, tunc igitur adeuntur Matris Deûm sacerdotes, & Isiaci: utrumque genus hominum propter maleficas superstitiones & obscœnitatem impurissimam apud bonos malè audiebat, ut videre est passim apud veteres: nec rarò observes istos jungi, ut heic, & apud Senecam De beata vita cap. XXVII. *cùm sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cùm aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat.* *grandes galli*, ob stultitiam & insulsos mores: ut statim:

——*Pulfenius ingens.*

& suprà,

——*caloni aptaveris alto.*

& similia multa.

Et cum sistro lusca sacerdos.) Ut cymbalum insigne erat sacerdotum matris Deûm: sic Isiacorum sistrum: *lusca* accipio ut quod præcedit *grandes*, & refero ad mores, ut non semel lippus in superioribus. Juvenalis:

Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ:

vetus interpres ad corporis vitium retulit: ne id quidem malè. Juvenalis de sacerdote Cybeles,

——*crine senex phanaticus albo*
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum.——

Incussere deos inflantes corpora.) *incutere* propriè σείειν, quatere arma ad terrorem: ita isti terrore suorum deorum infirmos animos implebant. Syri homines atque Ægyptii obnoxii erant ulceribus tetris, quæ vocata sunt Ægyptiaca ac Syriaca, inquit Aretæus libro De acutis morbis capite IX. ubi multa de illis, & de caussis cur illæ potissimum gentes eo genere morbi laborarent: sed homines superstitiosi, naturalibus caussis neglectis ab ira deæ Syriæ Syri, Isidis Ægyptii sibi illa ulcera venisse persuadebant: eorum

rum verò fatuitati egregiè illudebant utriusque deæ sacerdotes, qui negligentibus sui imperii deas suas incutiebant. Plutarchus: *τὴν Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν ἂν μανίδα· τὶς ἢ ἀφύας φάγῃ τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ.* (*Superstitiosi si quis manida, vel apuam comederit, anteriores ejus tibias à Deâ Syrią corrodi putant, ulceribus impleri corpus, & jecur colliquefieri.*) Plura de his viri eruditi ante nos observarunt, quæ ne actum agamus, missa facimus.

Si non Prædictum ter mane caput gustaveris alli.) Apud Plutarchum incutitur dea Syria iis qui vetitum aliquid comederint, ut mænides aut apuas, aut quemvis piscem: nam Syri piscib. abstinebant. heic, si jussum allium non edissent. unde constat, eos qui peccata sua fassi erant, ut antè dicebamus, pro expiatione illorum in dies certos aut abstentos aliquo genere ciborum: aut jussos certo dierum numero mane aliquid esitare, puta caput allii. Nos alibi de allio nihil legere meminimus, quod heic faciat. Cæpas verò Isiacis fuisse exosas, & iis abstinuisse auctor Plutarchus, De Iside atque Osiride: cui accedit Origenes contra Celsum.

Dixeris hæc inter varicosos centuriones.) Epilogus partis illius satiræ hujus, qua Stoicorum paradoxum tractatum est: ostendit Persius non nescire se quæ disputavit de servitute vitiorum, & libertate unius sapientis, parum imperito vulgo probari: sed judicium illorum qui hæc non probarent, quanti faciat, aut juventus facere debeat, eo significat, quod ab omni eruditionis cultu sint alienissimi: ut hoc tantùm indicasse, qui & quales sint hujus sententiæ auctores, hoc verò satis refellisse sit: *centuriones* vocat homines agrestes, & totius virtutis atque honestatis imperitos: cujusmodi sunt militares ut plurimum, de quibus specie proverbii dicere solent Græci *στρατιωτικὴ ἐστιν ἀλογία*, *rationem non intelligit ut miles*: ita igitur accipe *τὸ varicosos*, ut in III.

Heic aliquis de gente hircosa centurionum.

quæ epitheta ad animum à corpore sunt translata, & de turpitudine vitiorum exponi debent.

Continuò crassum ridet Pulfennius ingens.) Variant scripti. *Pulfennius* & *Vulpennius*: heic nomen est θετικὸν: sed ita videtur fuisse appellatus aliquis miles astutus & *κερδαλεόφρων*: *crassum ridet*, *πλατὺν γέλωτα καταχέει τῶν τὰ τοιαῦτα φιλοσοφούντων*, (*effuso risu talia philosophantes excipit*) aut ut ipse diceret *ληρούντων* (*nugantes*:) sic etiam dixerunt *πλατὺν λῆρον ποιεῖν τι*, de re quam contemnebant: ut apud Gregorium Naz. in Apologetico.

Et centum Græcos curto centusse licetur.) Et ridens simul pronuntiat, se philosophum quem differentem audierit, non assis facere unius, ne curti quidem. Sed contemtum auget cùm ait centum philosophos totidem assibus non emturum: nam quæ paullò sunt majoris pretii, singula emimus: quæ viliora acervatim, ut pecudum pelles, & olerum fasciculos: *centusse curto*, ut apud Græcos de summa vilitate, *οὐκ ἂν πριαίμην τοῦ τετρημένου χαλκοῦ.* (*Perforato obolo non emerim.*) Plutarchus adversus Colotem in sententia non adeò dissimili: *τούτων οὐδὲν ἀπολείπουσιν οἱ περὶ Γαστέρα τ' ἀγαθὸν εἶναι βοῶντες, οὐκ ἂν ἢ τὰς ἀρετὰς ὁμοῦ πάσας τετρημένου χαλκοῦ πριάμενοι.* (*His non credunt illi qui felicitatem ventre metiri se clara voce prædicant, omnes simul virtutes ne perforato quidem obolo redempturi.*) Synesius simillimè, *πολλοῦ μέντ' ἂν εἴη τρεῖς τοῦ ὀβολοῦ.* (*Unus obolus pro tribus illorum magnum sit pretium.*)

A D

AD SATIRAM SEXTAM.

INSIGNEM ex philosophia locum hæc Persii satira complectitur: de legitimo divitiarum usu. Magnum instrumentum vitæ bene ac commodè agendæ OPT. MAX. DEUS dedit hominibus, opes. Est enim proculdubio verissima philosophi sententia, qui pronuntiare non est veritus, ad numeros omnes virtutis explendos, non rarò etiam illarum requiri præsidium. Nimis morosi fuerunt illi sophi, qui nullum penitus ad agendam ex virtute vitam momentum in divitiis esse censuerunt. Sed ut istorum præcisus rigor, à recta ratione paullulum deerrabat: sic illorum insana prorsus sententia est, qui divitias non tanquam utiles ad virtutis actiones, sed tanquam rerum expetendarum extremum stupent. Nunquam hic adeò pestilens, adeoque ἐπιδήμιος error hominum mentes invasisset, si Stoicorum præcepto esset obtemperatum: & semper mortales de recte constituendo fine ac scopo ultimo suarum actionum fuissent quantum par erat, solliciti. Nunc quotus quisque est, qui de fine cujus gratia in hanc lucem sit editus, cogitet? qui discrimen teneat illius veri boni per se expetendi, & rerum earum quæ in tantum utiles & optabiles sunt, in quantum extremo fini serviunt? Hunc tantum errorem necessariò comitatur aliud æquè perniciosum malum, ignoratio illius virtutis, quam vocat Aristoteles τὴν περὶ τὰ χρήματα ἀρετήν: (*quæ docet usum pecuniæ*:) quam B. Chrysostomus in Matthæum pronuntiat τέχνην εἶναι πασῶν τῶν τεχνῶν ἀνωτέραν, artem artium. Sapientissimè veteres Græci, ea quæ vulgò bona dicuntur, χρήματα nuncuparunt: ὁ γὰρ πλοῦτος τῶν χρησίμων, inquit philosophus: id est, ut modò dicebamus, instrumentum vitæ hujus sunt divitiæ. Quamobrem ut hoc instrumento utatur aliquis rectè, ne sit imparatus oportet ab ea virtute, quæ illius usum docet: præclarè hoc philosophus, ut omnia: ἑκάστῳ ἄριστα χρῆται, ὁ ἔχων τὴν περὶ ἕκαστον ἀρετήν· καὶ πλούτῳ δὴ χρήσεται ἄριστα ὁ ἔχων τὴν περὶ αὐτὸν ἀρετήν. (*Unaquaque re optimè utitur, qui virtutis quæ circa rem illam versatur, usum habet: quare & divitiis optimè utetur, qui virtutis quæ circa divitias versatur, usum habet.*) Porrò divitiarum usus est, ut idem ait, δόσις καὶ λῆψις, rectè dare, rectè accipere: quam virtutem Græci ἐλευθεριότητα dixerunt, & ἐλευθέριον qui illa esset præditus: Latini hos secuti *liberalitatem* virtutem, & liberalem nominarunt, cui ea inesset. De hac virtute scripta est Persio satira hæc ultima: quâ quidem poëta philosophus & legitimum divitiarum usum ostendit: & in illos satirica libertate invehitur, qui præclara hac virtute destituti, vitiis contrariis servirent. Cùm autem uni huic virtuti multa diversa vitia opponantur, quæ ipsam in medio positam utrinque cingunt; Persius de eo potissimum loquitur in hoc carmine, quod in dandi expendendive defectu est positum, & ἀνελευθερία Græcis, Latinis illiberalitas dicitur. Est autem hæc satira earum una, quas poëta ad amicos viros graves ac doctos instar epistolarum misit. Itaque totum ejus principium familiarium literarum argumento constat. Scribit ad Cæsium Bassum poëtam lyricum sibi amicum: rogat an in Sabinos suos adhuc secesserit, quid rerum agat, & quo genere scribendi se exerceat: deinde ipse vicissim, ubi sit, quid agat ut fieri solet in epistolis ad familiares exponit: in ora Ligustica esse, & in virtutis studio quotidie proficientem, vitia paullatim exuere: duo nominatim vitia tanguntur: ambitio & cupiditas divitiarum: sed prius quidem verbo solùm perstringitur: ab altero quam sit alienus, &

quam virtutis ejus sit amicus de qua superius dictum est, multis versibus ostendit. Quoniam autem ex omnibus hominibus paucissimi sunt, ut verissimè ait poëta, ita morati: ideo reliqua satira, quæ maxima illius pars est, in redarguenda eorum stultitia versatur, qui vel usum opum rectum ignorarent, vel parandarum certum modum. Hoc argumentum est & οἰκονομία hæc totius satiræ hujus.

ADMOVIT *jam bruma foco te Basse Sabino.*) Romani viri docti qui tempora sua inter negotia & studia dividebant, à Vulcanalibus cùm jam incipiunt noctes fieri productiores, circa Augusti finem lucubrare incipiebant, ut disertè scribit Plinius secundus, epistola v. libri III. Iidem multum secessu utebantur, non animi & valetudinis tantùm caussa, per æstatem: sed etiam quovis tempore ad lucubrandum: poëtæ præsertim, & alii scriptores, qui memorabile aliquid vellent pangere: quod de se M. Tullius in epistolis ad Atticum & alibi sæpe testatur. Hac fine videntur soliti Roma exire Persius, & Cæsius Bassus & in agros secedere: quos habuerunt, hic quidem in Sabinis; Persius verò in ora Hetruriæ, agro Lunensi.

Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?) Hæc vetus lectio, non *Tetrico*; quæ tamen eodem redit: nam Tetricus mons Sabinorum, cujus gentis mores severiores etiam tum fuerunt, quando reliquæ Italiæ solutior jam disciplina: ideò *rigidos Sabinos* poëtæ vocant, & de illorum virtute etiam Strabo loquitur. Livius l. I. de Numa Pompilio: *Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis: instructumque non tam peregrinis artibus, quàm disciplinâ tetricâ ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum unquam incorruptius fuit:* inde à Tetrico monte Sabinorum tetricos dicimus homines tristes & σκυθρωποὺς, inquit Servius: *pecten* igitur *Tetricus* sive *tetricus*, non sectam Stoicam, ut facetè quidam hariolantur, sed poëmatum Bassi τὸ σεμνὸν, & severitatem notat. ut mox, *pollice honesto*: videtur enim deorum laudes & hymnos eo genere versuum composuisse, ut jam dicemus: *vivunt* pro in opere occupantur: quia vivere est agere, atque ἐνεργεῖν, ut ad quintam dicebamus: sic apud Aristophanem ζῶ, & in veteri Græcorum proverbio ζῇ χύτρα, ζῇ φιλία. (*Fervet olla, vivit amicitia.*)

Mire opifex numeris veterum primordia rerum.) Potest hic versus cum sequente continuari, ut idem opus intelligatur; quo deorum laudes severo potius carmine quàm dulci canens, simul veterum rerum primordia pandebat. neque aliter poterat in eo argumento versari, quin totius mythici temporis historiam persequeretur: adeò res erant affines θεογονία, & κοσμογονία. Ex Terentiano Mauro & Prisciano paret Casium Bassum scripsisse de metris ad Neronem: quem nostrum hunc esse non dubitamus. At Bassus ille cujus libros De origine vocabulorum laudat sæpius A. Gellius, quid ad nostrum hunc poëtam? cui nomen fuit Cælio: non Gabio aut Gavio, ut illum alterum constanter vocant libri Gelliani.

Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ.) Bifariam hæc possunt accipi: nam si jungas cum superiore versu, referendum ad genus poëseos severæ potius quàm mollis, ut modò dicebamus, quo usus hic Bassus: sed etiam separatim possumus accipere, ut ad aliud argumentum Basso tractatum referamus: heroum nempe & virorum fortium facta præclara. Lyricæ poëseos consuetæ hypotheses sunt, deorum laudes, heroum, & hieronicarum ac cæterorum virorum fortium encomia, item juvenum lascivia, id est, ἐρωτικὰ, & convivantium honesti joci. Horatius:

Musa docet fidibus divos puerosque deorum
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Cæsius Bassus, ut ex Persio cognoscimus, de his omnibus aliquid scripserat: de laudatione deorum jam diximus: heic verò tanguntur illius odæ in laudes virorum fortium. Ἐρωτικὰ attingit Persius, cùm ait,

Mox juvenes agitare jocos. ——

at quæ vocantur Horatio *libera vina*, hoc est, συμποτικὰ ἀσμάτια: & laudes vitæ senilis otio & quieti redditæ pulcherrimè exprimit illis verbis:

—— *& pollice honesto*
Egregios lusisse senes.

Non multò aliter, si bene memini, Hadrianus Turnebus in suis Adversariis alicubi hæc interpretatur.

Mihi nunc Ligus ora Intepet.) ὑπαλλαγή: ego nunc fruor tepore maris Ligustici commoti vehementius, ut per hiemem solet. erat autem apud matrem Fulviam Sisenniam; quæ Liguri cuidam aut Lunensi nupserat. Lunæ portus non erat in Liguria ex descriptione Italiæ quam sequuntur Strabo, Plinius & geographi alii: sed quia id primum Etruriæ oppidum, Persius illud finibus Liguriæ nunc ascribit. *Ligus ora* pro Ligustica,

stica,

ftica, ut mox *juvenes jocos*, id eft, juveniles: de quo fuperius.

Hibernatque meum mare.) Mare Ligufticum, in cujus ora nunc fum, agitatur, ut folet fieri tempeftate hiberna: tractum hoc à ratione phyfica: nam tepor maris quo fe dicebat frui fuperiore verfu, tunc præcipuus cùm maria agitantur. Cicero de natura deorum libro II. *Maria agitata ventis ita tepefcunt ut intelligi facilè poffit in tantis illis humoribus inclufum effe calorem; nec enim ille externus & adventitius habendus eft tepor, fed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod noftris quoque corporibus contingit, cum motu atque agitatione calefcunt:* hujus ἀλέας, fic enim teporem illum vocant Græci, fæpe philofophus meminit in Naturalibus: quod autem hieme fit mare calidius, apud eundem & philofophos alios fæpe eft legere: *hibernat mare* ut Græci χειμάζεται ἡ θάλασσα. Horatius:

—— atrum
Defendens pifces hiemat mare.

Aufonius:

Infanum quamvis hiemet mare.

paullò aliter apud Plinium, libro XVIII. *continuo dies hiemant:* & apud Salluftium, *aquis hiemantibus*, de quo multa Seneca epiftola CXIV. fic *vernare* dicuntur quæ inftar veris renident.

Dant fcopuli.) Lunæ promontorium de quo Ptolemæus.

Et multa littus fe valle receptat.) Videtur *vallem* appellare curvaturam lunati littoris, quod maria perrumpunt.

Lunai portum eft operæ cognofcere cives.) Quafi dicat, fi cupis amplius cognofcere fitum horum locorum, memineris Ennianæ defcriptionis in Annalibus, quæ ita incipit. Mendofiffimæ funt illæ editiones, ubi fcriptum,

Lunai pretium eft operæ cognofcere cives.

quam fcripturam excogitarunt imperiti, qui ignorabant ufitatiffimam etiam Livio locutionem, *eft operæ* pro eo quod vulgò dici folet, eft operæ pretium: & fortaffe veniebat illis in mentem gemini verfus apud Juvenalem,

Eft operæ pretium penitus cognofcere toto
Quid faciant agitentque die. ——

Poftquam deftertuit effe Mæonides.) Hellenifmus pro deftertuit fe effe Mæoniden. ut apud poëtam, *fenfit delapfus*, & fimilia paffim: *deftertuit*, pro ftertere five fomniare defiit. Ennii fomnium jam omnibus notum, ex iis quæ Hadrianus Turnebus & Jofephus Scaliger obfervarunt: qui etiam huic loco facem claram primi alluxerunt: ad eos ftudiofi adeant.

Quintus Pavone ex Pythagoreo.) Poftquam è pavone Pythagoreo factus effet Q. Ennius. Aniles Pythagoræ nugæ: quas tamen Julianus credidit qui fe nominarat Alexandrum, fi fides Sozomeno.

Hic ego fecurus vulgi.) Jam quibus ftudiis in hoc fecefſu incumbat oftendit: ita enim verba ejus accipienda. Heic, inquit, agimus nos, fecuri vulgi, id eft, parum folliciti quid de nobis vulgus judicet: neque enim è judicio vulgi pendemus, quod proprium eft ambitiofi & gloriæ cupidi, ut dicebamus initio primæ. Securitas hæc de qua Perfius fentit, illa eft quam conciliat fui ftudiofis fola virtus: cujus ifta eft laus propria, quod animos omni perturbatione affectuum liberatos in fecuro tranquillitatis portu ἀκυμάντῳ collocat. multa Seneca & alii philofophi: fed appofitiffimè ad hunc locum Chryfoftomus in Matthæum homilia XXV. τίς ἐστιν, ait, ἡ ἰσχὺς τῆς ἀρετῆς; τὸ μετ' ἀσφαλείας ζῆν τὸ μηδενὶ τῶν δεινῶν εὐχείρωτον εἶναι. (*Quæ eft præftantia, vel quis præftantiffimus effectus virtutis? fecurum vivere, & à nullo terribili facilè domari.*) Et plura in hanc fententiam.

Et quid præparet Aufter Infelix pecori.) Narrat tantùm fe in ftudio virtutis profeciffe, ut paratus fit ad congrediendum cum fortuna: ad opes quidem quod attinet. Atque ita oftendit quàm fit alienus à divitiarum cupiditate, & avaritia. Aufter pecori infelix dicitur, quia propter æftus graviffimè folent laborare pecudes: unde morbi fæpe & pernicies magnæ & gregum & armentorum.

Securus & angulus ille Vicini noftro quia pinguior.) Jam aliud vitium à fe amolitur, invidiam: quæ ferè comes folet effe avaritiæ & πλεονεξίας. Lucilius: *Nulli me invidere, neque ftrabonem fieri fæpius deliciis me iftorum.*

Etfi adeò omnes Ditefcant orti pejoribus.) Non invidia folùm caremus, inquit: fed ne juftæ quidem indignationis ac νεμέσεως fenfum habemus: etfi videmus mandari honores & donari altas opes ignobilibus atque indignis. Menander homini κακοήθει contrariam fententiam adtribuerat:

Ὄνον γενέσθαι κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
Ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας ἐπιφανέστερον.

(*Afinum natum effe praftet, quàm pejores fe videre in loco fplendidiore.*)

Ufque recufem.) Nunquam tamen adducar, ut dolorem ex ea re ullum capiam.

Minui fenio.) Hefiodus:

Αἶψα

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι·

Plautus,

Præ mœrore adeò miser æque ægritudine
Consenui. ——

hinc est quod *senium* Latini poëtæ ponunt ἀντὶ κακότητος ἢ κακουχίας, sive squallore & illuvie. Plautus:

Hæ res mihi dividiæ & senio sunt.

Manilius:

Æternisque senes curis. ——

Ait *minui* quia homines seniò incurvati, minores parent: vel pro macrum fieri: nam Horatius pro valde mœsto dixit macrum: pro gaudente opimum.

——— *si me*
Palma negata macrum, donata reduxit opimum.

Et signum in vapida naso tetigisse lagena.) non propterea minus liberaliter utar opibus meis: neque mutatis moribus fiam avarus & μικρολόγος. duplex nota minutissimarum sordium est, quam heic recenset; prior, obsignare lagenas in quibus non vinum sit, sed vappa: id enim est *vapida lagena*: deinde: cùm resignandæ sunt, tanto studio observare an salva & integra sint signa, ut naso contingat lagenas. Adjicienda hæc notis Theophrasteis, quo loco, μικρολόγων mores describuntur: simile illud ibi: τὰ ἡμίση τῶν ῥαφανίδων ἀποκεκρυμμένα: & apud M. Tullium, de matre: *lagenas etiam inanes obsignare.*

Discrepet his alius.) in v.

Mille hominum species. ——

& est transitus commodissimus ad reprehensionem aliorum.

Geminos horoscope varo Producis genio.) adeò verum est, non omnibus probari vitæ genus quod ipsi sequimur: ut ne geminis quidem fratribus, quorum idem horoscopus, eadem constitutio cœli ac siderum, quando concepti sive nati sunt, inter se conveniat in ratione vitæ ac morum, Fusè de hac quæstione B. Augustinus in v. De civitate Dei: illustre exemplum in Commodo & Antonino geminis fratribus Marci imperatoris filiis, in quorum vita nihil quicquam simile: etsi pares fore ex astrorum cursu promittebant mathematici, ut scribit Lampridius. Caussam verò hujus discrepantiæ fato adscribunt iidem mathematici: de cujus vi & necessitate uberrimè disputat Manilius initio quarti: *horoscopus* Dioni Cassio, τὸ μόριον τὸ τὴν ὥραν ἐπισκοποῦν ὅτε τις εἰς φῶς ἐξῄει: *varo genio*, diversa indole atque ingenio: quia ingenii dator & fictor, ac formator morum censebatur Genius, quem nascendo quisque esset consecutus: ideò Horatius,

Scit genius, natale comes qui temperat astrum.

Solis natalibus.) Proponit exemplum præparci, à quo vitio dicebat modò se alienum. Ait autem, *solis natalibus*, ut ex eo conjiciatur de sordibus vitæ quotidianæ. Similis δείνωσις sub fine hujus satiræ,

——— *mihi festa luce coquatur*
Urtica. ———

Et in iv.

Qui quandoque jugum. ———

Tingat olus siccum muria vafer.) Signatum verbum *tingat*: sic sæpè *tingere in aceto lactucam*, vel oleas apud Catonem, Celsum, alios: & Græci χρωματίζειν ὄξει & χρωννύειν ut apud Athenæum, & Theophrastum περὶ μικρολογίας. *Muria* duo significat: aquam salsam in qua aliquid fuit maceratum aut servatum, ut *muria cappari* apud Cornelium Celsum libro iv. capite viii. interdum est genus liquaminis quod ex thunniorum sanie conficiebant, ut garum scombrorum, halec è vitio gari & quasi fæce: olera autem edebant pauperes è muria: quod & interdum medici præcipiebant: ut apud Celsum libro iv. capite xv. imperatur portulaca ex dura muria & quàm asperrima: & sæpè apud alios: & de hujusmodi muria prædura & aspera loquitur Persius, quod declaravit voce *siccum*: nam quæ tali muria tinguntur, pene sicca remanent. Alioquin siccus cibus opponitur uncto: unde xerophagiæ sunt appellatæ: inde proverbialis locutio orta κατὰ ξηροῦ accipere aliquod dictum: id est, durè, & sine commodæ interpretationis, ut sic dicam, condimento: ita loquitur B. Athanasius: ἐὰν κατὰ ξηροῦ τὰς λέξεις ἐκλαμβάνωμεν εἰς ἀθεμίτους ἐννοίας περιπεσούμεθα: *vafer*, heic pro valde perito talium sordium: amat Persius eam vocem.

Muria in calice empta.) Etiam hoc proprium tenacis, & sordidi: ut apud M. Tullium, *vinum emere de cupa*; de quo ad librum v. Suetonii: muria autem & similia in calice emere moris fuit, ut cognoscimus ex Plinio: sic apud Varronem, *mulsi calicem emere*, in satira quadam.

Ipse sacrum irrorans patinæ piper.) Omnia emphatica: *ipse irrorat*, non coquus, non aliquis servus mediastinus, aut proma conda, vel alia quævis diobolaris ancilla: & *irrorat*, infundit parcè & guttatim: unde & *guttus* est appellatus: sic Græci ἠρέμα ἐπιψεκάζειν: *sacrum* autem piper, cui parcitur ut rei sacræ; vide in imitatione Horatiana.

Hic

Hic bona dente Grandia magnanimus peragit puer.) Exemplum prodigi: quod contrarium est vitium superioris, *magnanimus puer*, id est, qui magnificentiam putat esse veram magnanimitatem: alibi observabamus solitas hasce voces confundi, μεγαλόψυχος & μεγαλοπρεπής, & contra μικρόψυχος & μικροπρεπής: idem fuit apud Latinos: *puer* heic pro stulto non ætate sed moribus: quia ut ait philosophus, διαφέρει οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεαρός. (*juvenis ætate & juvenilis moribus non differunt.*) *peragit*, absumit. Horatius *stringit.*

Præclaram ingrata stringit malus ingluvie rem: alibi *oblimat.*

Rem patris oblimat.

allusit Persius ad appellationem prodigi. Apud Plinium non semel observabamus *conficere cibum & peragere*, non simpliciter pro edere, absumere: sed pro penitus coquere, ut libro IX. cap. LX. de stella maris pisce: *omnem cibum statim peragit*: quod Aristoteles ὅ, τι ἂν λάβῃ περίχευμα ἐξαιρούμενον διεφθός ἐστι.

Utar ego utar.) quasi dicat: atqui sapientis est, uti opibus non abuti, quod prodigi faciunt.

Nec rhombos ideò libertis ponere lautus.) utendum, inquam, opibus, non abutendum: sicuti faciunt nepotes & stulti, qui dum lauti volunt haberi etiam libertis suis rhombos apponunt. per *rhombos* intellige exquisitiores epulas. Horatius,

——fastidis omnia præter
Pavonem & rhombos.——

per *libertos* homines humiles & tenuis conditionis. Romanorum multi libertos suos honore mensæ non dignabantur: aut certè diversa omnia illis apponebant: de quo extat elegans epistola Plinii Secundi libro primo. Qui vocem *lautus* sollicitabant, oro te quid cogitabant? *ponere lautus & sollers nosse*; ἐπαλωισμὸς Persio familiarissimus.

Nec tenuem sollers turdorum nosse salivam) nec ideò ita cupediarius ero, ut turdos assiduè esitem. quanti turdos altiles & cellarios facerent Romani, docet vox Pompei ad Lucullum, quam refert Plutarchus: propterea Persius liguritorem & λίχνον ita describit: qui probè norit quo sapore sint turdi: id est, qui illis sæpè vescatur & omnes saporum differentias, si quæ observari solitæ in turdis, eruditè calleat. Auctor est Aristophanes in Nebulis, olim Athenis cùm disciplina erat astrictior, nefas fuisse junioribus ὀψοφαγεῖν οὐδὲ κιχλίζειν: ubi piscium & turdorum appellatione omnis delicatior victus intelligitur: *turdarum* omnes membranæ & vetus interpres, non *turdorum*, ut præcipit sanctio Varronis, in VIII. de lingua Latina: *saliva* pro gustu & sapore frequens Latinis ex ratione physica: nam quando anima movetur appetitu aliquid edendi, propter partium sympathiam statim saliva in ore nascitur: tanquam supplente pro sua virili natura defectum rei optatæ: quod etiam in aliis affectibus simili ratione potest observari.

Messe tenus propria vive.) Esto liberalis κατὰ τὴν οὐσίαν, id est, pro modo tuarum opum. Est enim ἐλευθέριος, inquit philosophus, ὁ κατὰ τὴν οὐσίαν δαπανῶν, καὶ εἰς ἃ δεῖ: *messis* est ἄφενος, sive annuus reditus: *vivere messe tenus*, nihil quicquam de reditu reliquum facere: id enim est *tenus*: totum enim semper includit illud de quo dicitur: ita autem exponendum esse, sequentia verba clamant: vult enim totum penitus consumi proventum annuum: quod tamen œconomiæ rectæ præceptis repugnat: & illi Pauli Jurisconsulti: *Omnis pecunia sive peculio fragilis est.* Sed Persius abducere homines vult ab ea diffidentia, quæ illos impellit parere divitias potius quàm partis uti.

Et granaria fas est, Emole.) quid cogitas, inquit, ô stulte, dum assiduè bona congeris in horrea & granaria? quin potius promis quæ servas condita, & amicis pauperibus illa elargiris? δαί-νυσις poëtica: *emole granaria*, pro exhauri molendo ac quotidie liberaliter insumendo.

Quid metuas? occa: & seges altera in herba est.) Quæ est, ait, hæc diffidentia? quis metus egestatis? vin' tu ponere stultum hunc metum, & hoc solùm curare, ut ociosus ne vivas: sed labores, & Spartam ornes quam es nactus: atque interea certa fruaris spe non defore laboranti quod futurum sit satis? O præceptum divinum! quid enim potuit convenientius mandatis DOMINI JESU? *occa* heic non secundum nominis proprietatem accipiendum: sed ἁπλῶς pro labora. *herba* est quam Cicero herbescentem viriditatem ait emergere de semine occato: melius autem Persius *seges in herba est*, quàm *messis in herba est*, ut apud Virgilium.

Ast vocat officium.) Virtus ἐλευθεριότης in duobus posita est: ut opibus nostris & fruamur ipsi & aliis largiamur. Ad prius membrum pertinet quod præcedit,

Messe tenus propria vive,——

nam *vivere* accipiendum pro liberalius (sed intra honestatis fines) genio indulgere: eum usum opum definiebat Persius κατὰ τὴν οὐσίαν: quemadmodum & Juvenalis:

Noscenda est mensura sui, spectandaque rebus
In summis minimisque: etiam cùm piscis emetur:
Ne mullum cupias, cùm sit tibi gobio tantum
In loculis. ———

hæc Juvenalis castigans gulæ vitium: cum contra Persius increpet sordidam parcimoniam: sed utrique huic generi hominum opus isto præcepto. Nunc verò Persius de altero opum usu loquitur: quem non definit proventu annuo, ut priorem: sed necessitate amici egentis: cujus gratia etiam prædia vult vendi, & rem patriam imminui: *officium* τὸ καθῆκον: heic pro occasione oblata bene faciendi καὶ τοῦ εὐεργετεῖν.

Trabe rupta.) Naufragum describit in freto Siculo jactatum, & qui ad Scyllam tandem fuerit ejectus, in exemplum egeni, cui necessariò dare aliquid liberalis homo debeat: & hoc quoque præceptum, quàm divinum, quàm religioni nostræ consentaneum?

Brutia saxa Prendit amicus inops.) Videtur allusum ad Ulyssem Homericum: sed Persius tanquam factum ponit, quod vix posse fieri, & ratio probat, & exemplum Ulyssis apud Homerum: nam ille saxa prendere cupiens malè multatur,

Τῶ γὰρ πρὸς πέτρῃσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν
Ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν· τὸν δὲ μέγα κῦμα κάλυψεν.

Et Virgilius Palinurum periisse canit:

Prensantem uncis manibus capita aspera montis.

Ingentes de puppe dei.) Notissimus mos jam omnibus: nam cui eruditorum non dictus hic Hylas ab annis aliquot? meminit etiam Hippocrates, in epistola ad Damagetum: alludit & Gregorius Nazianzenus:

Νῆα δὲ ποντοπόρειαν ἐπῄνεσα, οὐ παρασήμοις
Κάλλεσιν, οὐ πρύμνης ἄνθεσι λαμπομένην.

(*Navem autem mare trajicientem non ego laudarim, neque ab insignium pulchritudine, neque à prorâ exquisitis coloribus resplendente.*)

Nunc & de cespite vivo Frange aliquid.) *Vivum cespitem* opponit messi, id est, annuo proventui, ut diximus.

Sed cœnam funeris hæres Negliget iratus.) Tangit quorundam avarorum dementiam, qui, ut ille ait apud Senecam, hæredi suo procurant & sibi negant omnia. Est sanè insitus bonis omnibus amor suæ posteritatis: sed plerique hominum hæredibus suis opes congerunt, non ipsorum amore: verùm quia aggesta copia bonorum gaudent: quidam etiam ob eam caussam quæ heic notatur: quod ambitionem suam ultra mortem extendant: multi enim qui sordidè vixerant efferri splendidè cupiebant. Ita notat Juvenalis multos fuisse in oppidis Italiæ qui vivi togam nunquam induerent: in funere demum ea ornarentur. Ejusmodi est ambitio cujus heic Persius meminit: eorum qui verebantur ne parum magnificum sibi funus duceretur: nominatim verò cœnæ funeris mentionem facit: quia potissimum in circumpotationibus feralibus & epulis novendialibus laudes defuncti recitari erat moris: quod Græcorum proverbium testatur, de eo qui sit prorsus illaudabilis: Nihil inesse illi quo laudari queat, ne in cœna quidem funeris. Græci dicunt οὐκ ἂν ἐπαινεθείης, οὐδ᾽ ἐν περιδείπνοις: quod interpretantur veteres ἐπὶ τοῦ μηδενὸς ἀξίου: εἰώθασι γὰρ ἐν περιδείπνοις τοὺς τελευτήσαντας ἐπαινεῖν, εἰ καὶ φαῦλος ἦν. (*De hominibus nihili: solent enim in cœnis funebribus eos etiam mortuos laudare, qui improbi, vel ignavi fuerunt.*) Porrò cœnæ funebres erant variæ, ut jam & pueris notissimum est: neque vetat quicquam generaliter de omnibus accipere hunc locum: præcipuè tamen interpreter de cœna novendiali: licet eam Marcus Tullius epulas dignitatis non funeris munus, vult dici. Locum vide in ea contra Vatinium.

Urna Ossa inodora dabit.) Omnes veteres *inodora*: sed nec altera lectio improba quam vetus interpres agnoscit *inhonora*: & argutantur fine ratione qui illam refelli aiunt à sequentibus; nam ad honorem defuncti pertinebat quod aromata & odores in urnam cum reliquiis conjiciebantur. Herodianus de mortuo Severo, τὴν κόνιν σὺν ἀρώμασιν εἰς κάλπιν ἀλαβάστρου ἐνέβαλον.

Seu spirent cinnama surdum.) Sic Græci χεῖρον ponunt pro ἀσθενὲς & βεβλαμμένον.

Seu ceraso peccent casiæ.) Adulteratæ fuerint gummi è ceraso.

Tune bona incolumis minuas?) Verba futuri hæredis, sumptus reprehendentis non penitus necessarios: ut qui si ejus arbitrii res sit, nullas alias impensas probaturus sit, nisi ubi de incolumitate illius agatur, cui sit successurus. Aut ita cape: non debes nunc vivus bona impendere, sed ea servare in apparatum funeris tui.

Et Bestius urget Doctores Graios.) Ita vetustissimæ membranæ magno consensu: aliæ minus antiquæ *sed Bestius*: haut dubiè alterutrum scripsit Persius: sed non fine caussa Turnebo placitæ conjunctiva potius: apage quorundam emendationem: qui sua omnia pro oraculis Delphicis stupenda quadam confidentia jactitant. Proposuit Persius modò verba cujusdam heredipetæ, ægrè

tæ, ægrè ferentis hereditatem imminui, quam pridem totam spe devoraverat: nunc alterius similiter designati heredis querelam profert: quasi diceret poëta, sunt etiam qui eo nomine cum philosophia expostulent: quod qui illius præceptis sunt imbuti, liberalius vitam instituant, quam ut heredes multum juvent. *Bestius* cognomen Romanum apud Horatium & alios: heic nomen θηλικὸν turpilucripidi hominis, hereditati alienæ inhiantis.

Ita fit postquam sapere urbi Cum pipere & palmis venit nostrum hoc maris expers F.) ait Bestius: posteaquam unà cum cæteris mercibus transmarinis, Græcorum philosophia quæ nunc vulgo probatur, *maris expers*, id est, mollis & effeminata, venit admissaque est in urbem, cives Romani qui antea erant agrestes, & omnium deliciarum rudes, pulte mera victitantes, illi verò cœperunt more Græcorum vivere & pultes suas unctis cibis mutare. Sic hunc locum exponimus, variè jactatum ab interpretibus: qui omnes præter unicum Turnebum, nihil dignum attulerint cur eorum ratio haberetur: adeò absurda & sæpe ridicula in hæc verba scripserunt. Turnebi vero interpretatio etsi acuta, ingeniosa & tanto viro digna: quia tamen palàm coacta est: viderit æquus lector nostram an illius potius sit probaturus: omnis difficultas in illis verbis: *nostrum hoc maris expers*: quæ Turnebus separat à præcedentibus exponitque: nostra disciplina cœpit contemni ut cismarina, non ut Græcorum transmarina: non malo quidem, sed coacto, ut diximus, sensu: adde quod sequens versus difficilem habebit cum istis cohæsionem. Nostra interpretatio satirico est convenientissima: quis verò neget elegantissime dictum à Persio *sapere maris expers* pro ἄῤῥενος οὐδὲν ἔχουσα, & effeminata sapientia, ac parum mascula? talem volebant Romani videri disciplinam Græcorum: umbratilem inquam, & viris Romanis parum dignam, atque adeo iis potius conveniens, in quibus ejus partis per quam mares sumus nihil viveret, ut satira prima loquebatur: ideo Persius & satira III. & quinta osores Græcarum literarum vocabat centuriones hircosos & varicosos: quia isti solos se viros, solos mares putabant: deditos philosophiæ Græculos & ne viros quidem dictitabant. Si cui minus placeat hæc interpretatio, nihil vetat quominus *sapere nostrum maris expers* exponamus, sapientia quam vulgo docemur, transmarina, id est, Græca: atque hæc simplicissima interpretatio est: ac mirari soleo neque hujus expositionis neque superioris cuiquam è tot interpretibus in mentem quod sciam venisse. Vocabulum *expers* de numero illorum est, quæ contrarias significationes admittunt: quare ut apud Horatium *maris expers*, non male interpretes accipiunt pro ὁ πειραθαλάσσιος ἀπείρατος θαλάσσης, (*mare non expertum*:) sic hoc loco exponi potest θαλάττης πεπειραμένον, (*mare expertum*;) probat hoc vetus Glossarum auctor, qui utramque notionem agnoscit: sic enim ille: *Expers*, ἄπειρος καὶ ἔμπειρος: & fortasse non aliter Persius Horatii locum interpretabatur, ut alio loco diximus: sic multa composita varie acceperunt, ut observabamus ad librum secundum Suetonii. Ovidii notus versus apud Senecam: *Egelidum borean, egelidumque notum*: quo lusit poëta familiari sibi lascivia ingenii in ancipiti notione ejusdem vocis: sic *enode* dicimus & quod nodosum, & quod nodis careat: *edurum* valde durum & contra: *exarmare* tam pro arma adimere, quam pro panoplia instruere historici ac poëtæ usurpant: *exossare* quod Plauto est ossa adimere, paullo post notione contraria usurpat noster, ut mox dicemus: *insertum* & τὸ ἄκαιρον & τὸ κεκλεισμένον: *infractum*, aliàs quod comminutum est denotat, aliàs quod integrum: *impotens* dicitur & qui multum & qui nihil potest, ut & Servius observat. omitto hujus generis alia quamplurima.

Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes. (Opicos qui literas nesciunt Græci solent appellare θεριστὰς, aut σκαπανέας, ut in quinta Persii *fossor* accipitur: ita etiam heic *fœnisecæ* veteres Romani dicuntur, tanquam ἀγροῖκοί τινες, & omnis eruditionis expertes. Fuisse veteres Romanos pultiphagos non minus quàm Pœnos, nemo est quin sciat: crassum unguen pro exquisitis deliciis, ut supra *crassa amoma*, id est, eximia: aliter autem locus hic accipiendus, quàm ut verba sonant: nam Romani cum luxuriæ assueverunt, non unxere impensius pultes suas: verùm iis neglectis lautiores cibos expetiverunt.

Hæc cinere ulterior metuas?) Has tu minas tui heredis metues cum eris mortuus? aut nunc vivus metuas, quod tibi defuncto minatur? Sed magis probem legi hæc sine interrogatione: ut concessio sit ironica ad irridendam eorum fatuitatem, qui vivunt miserè, suum assidue genium defraudantes, eo impulsi metu, ne cœnam funeris iratus heres negligat. hoc sane, ait Persius, jure metuas: sed tunc cum eris cinere ulterior: nunc vitali aura fruens, quid metuas? Notandum verò loquendi genus, *cinere ulterior*, pro cum

cum fueris fato functus: sic *περαιτέρω κόνεως ultra cineres* Græci pro à morte. Theophylactus epistola ultima: Εἰ λύπης ἐθέλεις κρατεῖν περιπόλει τοὺς τάφους, καὶ τοῦ πάθους ἕξεις τὸ φάρμακον· καὶ τὰς μεγίστας τῶν ἀνθρώπων εὐδαιμονίας ἐπόψει περαιτέρω κόνεως κεκτημένας τὸ φύσημα. (*Si vis tristitiam vincere, perambula sepulcra, & habebis remedium, cum certè intelliges ne felicissimorum quidem superbiam & ostentationem ultra cineres extendi.*) ubi deest negatio: quod sensus arguit manifestissime: nam & si verum est, quod ait alicubi B. Chrysostomus, ultra mortem produci ambitionem hominum: tamen non est ille sensus Theophylacti, qui dubio procul scripserat, οὐ κεκτημένας: sic apud Minutium Felicem *post cinerem & favillas*: & in declamatione quadam vetere, *trans hominem pœnam exigere*: simile apud Florum libro secundo, *vulnera ultra mortem patebant*, quod Græci dicerent venustè, αἱ τῶν ξιφῶν καταφοραὶ ἐκ πολλῆς περιουσίας ἔκειντο: sive ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος τοὺς βεβλημένους ἀνῃροῦντο: nihil enim mutandum apud Florum, secus quam viris doctis sit visum.

Ac tu meus heres.) ubi alios reprehendit, quid ipse sentiat ostendit: quasi dicat: Alius hoc timeat: ego nullus timeo: atque adeo, ut tu, heres mi, scias vacuum me ab hoc metu, narro tibi si nescis, me editionem muneris in animo habere, ob lætum è Germania nuntium. Scis quanti sumtus rem moliar: sed me nihil deterret impensæ magnitudo: quid tu igitur ad hæc?

Quisquis eris) rectè: nam suos heredes non habebat Persius.

Paullum à turba seductior audi.) hoc ideo, quia vulgo philosophia laborabat invidia atque odio. Sic in v.

——*secretam garrit in aurem.*

O bone num ignoras.) ὦ τὰν οἶσθ' ὅ τι λέξω: mire poëta delectatur morata hujusmodi oratione.

Missa est à Cæsare laurus.) Liberalem hominem eum demum esse ait philosophus, qui paratus sit hilari animo sumptus facere, tam magnis quam parvis in rebus: ὁ ἐλευθέριος, inquit, καὶ δώσει καὶ δαπανήσει εἰς ἃ δεῖ, καὶ ὅσα δεῖ ὁμοίως ἐν μικροῖς καὶ μεγάλοις καὶ ταῦτα ἡδέως. Quare Persius ad utrumque liberalitatis genus lectorem suum pulcherrima hac diatriba instituit: de impensis minoribus hactenus egit: nunc de liberalitate illa subjicit, quæ *magnificentia* propriè dicitur, quod circa magna versatur. Romanos proceres ab hac virtute non esse imparatos, quo tempore hæc scribebat Persius, eo magis necessarium erat, quod sæpè ad maximas impensas inviti adigebantur ab illis tyrannis quorum erant in potestate: ut fuerit illis vel eam solam ob caussam utilissimum, præceptis instrui quæ animum adversus tales casus firmarent: nam aliter affici ejusmodi jactura opum suarum oportet, illum qui divitiarum usum probe teneat, neque ipsas pluris faciat quàm par sit: aliter eum qui de hac virtute nihil unquam cogitaverit, nihil didicerit: & qui

——*Nulla exempla beati*
Pauperis esse putat.——

Eò pertinet: quod tot interpretibus non fuit animadversum, disputatio hæc Persii: nam agens de munificentia, exemplum ejusmodi de industria profert, ex quo colligi poterat, hanc virtutem Romanis admodum utilem futuram: ut si quid fortè simile imperaretur, præparatum animum adversus hujus generis casus haberent. Exemplum est hoc. Cajus Caligula cùm triumphare cuperet, de simulato hoste falsam, sed quam pro vera voluit haberi, victoriam reportavit. Igitur quasi Germanos longè lateque vicisset, laureatas literas Romam ad senatum misit, ut sibi triumphus decerneretur: simul autem procuratoribus suis in hanc sententiam scripsit auctore Suetonio: Triumphum appararent, quam minima summa: sed quantus alius nunquam fuisset: quando in omnium hominum bona jus haberent: etsi non addit Suetonius quomodo Caji procuratores data sibi licentia sint usi: non tamen dubitandum, impune eos in quorumcumque vellent fortunas eo prætextu impetum fecisse. Enimverò quod tacuerunt & Suetonius & Dio præclarè heic expressum est à Persio: nam illæ impensæ quarum heic mentionem fecit, exempla sunt sumptuum qui fuere imperati occasione illa, ad cohonestandum Caligulæ triumphum.

Missa est à Cæsare laurus.) Suetonius laureatarum Caji literarum meminit capite XLIV. sed non illæ sunt literæ de quibus heic Persius: verùm aliæ posteà missæ.

Et aris frigidus excutitur cinis.) & cum annuntiata erat victoria, & cùm ducebatur triumphus publicè privatimque tota urbe sacra fiebant: ut passim apud Dionem, Herodianum, aliosque historicos.

Ac jam postibus arma.) locat Cæsonia: id est, procuratores, ut modò vidimus: arma autem locabantur & spolia omne genus postibus affigenda, ut ne quid deesset ad fidem mimo qui agebatur conciliandam.

Jam lutea gausapa captis Essedaque.) Et gausapa teste Varrone vestes Gallorum, & esseda eorun-

rundem erant vehicula: apta igitur erant ornandis iis qui falsò crederentur Germani captivi: nam & illi ipsi ex Gallia erant coemti, ut ait Suetonius, non veri Germani: adeò illis temporibus similes erant Galli & Germani, & specie corporis, & cultu: quod hæc historia evincit, præter tot alia veterum testimonia.

Ingentesque locat Cæsonia Rhenos.) Cæsonia uxor Caii locabat, nimirum per procuratores. *Rhenos* pro Rhenanis hominibus ut suprà *Ligur* pro Ligusticus: Πέρσης στρατὸς, & similia: ubi pro derivativo positum est primitivum. Nisi tamen verius Persium Græcos imitari. Stephanus: Ῥῆνοι: ἔθνος παροικοῦν τῷ ῥήνῳ τῷ ποταμῷ, καὶ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενοι. Rhenanos autem vocat, quos Suetonius Gallos fuisse ait: *Conversus ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quenque & ut ipse dicebat ἀξιοθριαμβεύτων, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam.*

Diis igitur, genioque ducis, centum paria, ob res Egregie gestas induco.) Rectè doctissimus Turnebus, *centum paria* de paribus gladiatorum est interpretatus: quam ejus sententiam eruditi viri postea jure firmarunt: sed quorsum privatus centum paria hæc gladiatorum? In honorem principis victoris decerni solitæ primùm supplicationes, deinde triumphus, & ludi victoriæ: atque hæc omnia publicè de fisco principis, aut populi ærario: privatos in eam rem ullum ἔρανον solitos conferre non legimus: nisi quod faciebant & ipsi rem divinam & pro sua quisque copia convivabantur ac genium suum placabant. Quamobrem hæc largitio quæ heic memoratur, non erat collatio quædam usitata: sed per vim ac metum expressa à procuratoribus Caii: qui id egerant jussu illius, ut quam minima impensa quàm magnificentissimè triumphum ipsius celebrandum curarent. Igitur sicut ædiles & alii magistratus cùm ludos edebant, amicorum persæpe opibus sublevabantur, aut ipsius principis, ut non rarò legimus in historia Augusta: ita Caius necessaria ad sui triumphi apparatum, à privatis extorsit: *induco* libri omnes non *indico*: verba sunt arenæ ac muneris *induco*, ac *produco* quod est usitatius.

Væ nisi convives:) Nam quo magis vetare conatus fueris, eo majoribus sumtibus hereditatem cui inhias exhauriam: sic paullò pòst,

—— *nunc nunc impensius unge*:

qui locus hunc explicat.

Oleum artocreasque popello Largior.) Ne hæc quidem privati hominis impensa est, eo quidem titulo quo heic proponitur: nimirum ob victoriam imperatoris: nam eruditorum sententiæ non accedo, qui referunt ad divisiones & epulas quæ testamento relinqui solitæ interdum: nos putamus cum præcedentibus esse ista conjungenda, & esse aliud exemplum collationum quæ civibus fuerunt imperatæ à procuratoribus Caii ad celebrationem victoriæ illius. Cùm igitur moris esset, ut epulum ac visceratio daretur populo à triumphantibus, frumentum etiam viritim divideretur, cum oleo interdum ac nummis: ut de Julio Cæsare scribit Suetonius libro primo, capite XXXVIII. alii item de aliis: videntur Caii procuratores ditioribus imperasse, ut suis tribulibus ista largirentur. Glossæ Stephanicæ; *Visceratio* δημοκρεῖας.

Non adeò, inquis.) Quàm vetustæ sint mendæ auctorum, & scriptis libris quàm non sit temerè credendum, hic locus arguit, ut alii sexcenti, quos apud diversos scriptores ante multa secula corruptos observavimus. Heic igitur omnia exemplaria quæ aut vidimus, aut de quibus aliquid comperimus scribunt, *non audeo, inquit*: quæ inepta, & modis omnibus absurda scriptura ex eo orta est, quia præcedit: *quis vetat? aude.* Legendum autem esse *non adeo inquis*, rectè jam olim monuit Turnebus.

Exossatus ager juxta est.) Persii verba, quibus probat non esse cuiquam verendum, ne sine herede moriatur: quod apud Romanos infamiæ genus esse censebatur. Atqui, ait Persius, si suspicatus fuero repudiaturos hereditatem meam heredes ad quos illa jure pertineat, aut quibus ultro eam delaturus fui: habeo alios fortasse agnatos: aut cognatos vel certè affines, qui me quamvis leviter, aliquo tamen contingant modo: si omnino superest nullus, tamen ne sic quidem heres defuturus mihi: nam ut vetus ait proverbium, *Multi Manii Ariciæ*: ibo igitur Ariciam, & aliquem inde Manium petam, qui meam defuncti hereditatem cernat. Hanc sententiam poëta μιμητικῶς tractat ex hypothesi: quasi dicat: Age, fingamus ex omnibus meis bonis solum superesse prædium suburbanum: nam hujusmodi agros etiam qui reliquas fortunas suas coguntur vænum proscribere, solent servare: & tum diligentius colere, cùm cætera sunt amissa: ideò ait *exossatus ager juxta est*: id est, cultus probe & purgatus ab lapidibus & saxis: quæ sunt ossa terræ, ut ait Ovidius in Metamorphoseôn: & γῆ ὀστώδης apud Menandrum rhetorem, *terra lapidosa*: vel accipe

exossatus contraria significatione, ad ossa redactus: exhaustus jugi proventu, sine intermissione ac novatione. Juvenalis in octava, de exhaustis provinciis.

Ossa vides rerum vacuis exucta medullis.

si igitur eo redactæ sint fortunæ meæ, & meorum sit superstes nemo, quid facto opus? nimirum Ariciam ibo, ubi præsto est Manius.

Proneptis Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit.) Variam in membranis distinctionem invenimus; nam multa vetusta exemplaria sic exhibent: *pr. N. manet, patrui sterilis m. v.* non malè: ut per patrui materteram quàm remotissima cognatio intelligatur.

Accedo Bovillas Clivumque ad Virbi.) *Bovillæ* manuscripti, non *Bobillæ*: quo tamen modo nonnullos scripsisse ex Nonio constat: falluntur qui eam scripturam tuentur, quia Græci scribant Βοΐλλαι; nam est ut βοῦς, *boves*, οἶς *ovis*, & ita semper. Bovillæ autem & Aricia vicina admodum loca erant in via Appia: sed aliquanto remotior ab Urbe Aricia ubi *clivus Virbi*, id est, Nemus Aricinum, & Nemorensis Diana: vide Strabonem libro v.

Præsto est mihi Manius heres Progenies terræ?) Ita distinguendum: posterius membrum pronuntiatur à legitimo herede, quicum disputat Persius. Ex hoc loco discimus, quomodo accipienda vox Manii in veteri proverbio, *Multi Manii Ariciæ*; non defuerunt enim ex antiquis criticis qui in contrariam sententiam interpretarentur: nunquam deesse viros fortes ac nobiles Ariciæ: quæ expositio non poterit ei displicere qui meminerit sacerdotium Aricinæ Dianæ sola virtute potuisse parari & conservari: cùm fas semper esset, si quis viribus confideret occiso illo qui possideret, id sibi vindicare: sed aliter exponendum esse docuit Atteius Capito, ut ait Festus: à quo facit hic locus Persii; item Juvenalis versus,

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.

Quare ex me quis m.) Duo objici poterant Persio Manium heredem designanti: quod nulla cognatione cum ipso jungeretur: quod obscurus esset atque ignobilis: hæc duo ita refellit: docet præter illa cognationis jura quæ vulgus hominum colit: aliam esse cognationem qua universi homines sibi invicem conjungantur: quippe omne humanum genus ab eadem origine & matre Terra esse ortos: unde sequitur necessariò, omnes homines, & cognatione inter se jungi, & ex æquo nobiles esse.

Quis mihi quartus Sit pater.) quis fuerit abavus mihi.

Adde etiam unum.) quære ex me, quis atavus fuerit.

Unum etiam.) tritavum.

Terræ est jam filius.) probat cognatum sibi Manium. Cognati dicuntur qui in uno tertio conveniunt, ut docent Masuri rubricæ: tritavus meus & Manius in uno conveniunt, Terræ nempe filii ambo: ergo inter se cognati: neque à me alienus est Manius. Terra heic primi parentis loco ponitur: quia ut scribit Servius in III. Æneidem, quotiescunque deerant parentes redibatur in generalitatem: sic peregrinos quorum ignota origo, dicebant Neptuni filios: ex Thaletis nimirum sententia: qui & homines & omnia alia ex aqua procreata censebat. Sed vulgò receptior illa sententia, quam & philosophi quidam sunt amplexi ut Empedocles, natos homines primos è Terra: quare hominem ab humo dixerunt veteres Latini, convenienter Hebræis, penes quos erat veritatis notitia: hinc igitur *Terræ filii* nuncupati, quorum genus ignorabatur: gemina ratione illos qui ex imis sordibus ad summas dignitates fuerant evecti *lumbricos* dictitarunt: quoniam in terra vermes generantur, ideoque ἔντερα γῆς Græcis appellantur. Lege Hieronymum in x. Ecclesiastæ caput.

Et mihi ritu Manius hic generis prope major avunculus exit.) ista ratione Manius mihi cognatus probatur esse: non ille quidem proximus; sed tamen cognatus. Ita accipiendum heic *major avunculus*. Festo & Juris auctoribus est avi aut aviæ avunculus: at Suetonio est matris avunculus, libro II. cap. VII. nam Julia mater Atiæ, cui filius Octavius, soror Julii Cæsaris: quem vocat Augusti majorem avunculum: heic verò ἀπλῶς sicut dixi: *ritu generis*, pro ratione generis, si stemma spectemus. Non memini observare alibi similis Latinitatis exemplum.

Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?) à Manio ad legitimum heredem redit, cui afferebat cognatio spem hereditatis Persianæ. Omitto Manium, inquit, sed tu mi heres, quem natura propiorem mihi fecit, quàm sit Manius, & ad quem lege naturali mea hereditas prius perventura est quàm ad illum, cur de hereditate mea viventis adhuc es sollicitus? nam id contra bonos mores esse jurisconsulti pronuntiant. Scimus vulgò aliter accipi illa, *qui prior es*: ut dicatur iste ætate major eo cujus hæreditatem petit; sed nihil præcedit unde hoc eliciatur: neque sem-

semper verum est. Porro in agonibus λαμπαδηδρομίας, cum accensas tedas manibus tenentes currebant, posterior cursor facem poscebat priorem, non contra: quare ineptè exposueris, qui prior es in cursu. Lampadas autem tradebant non currentes, sed decurso spatio: sicut hereditatem non tradit qui vivit, sed qui vixit; à defuncto enim suscipitur: quod μεταλαμπαδεύεσθαι, Græci dicunt eleganter. Clemens Stromate secundo ex Platone: ἐκποιεῖναι τὴν ἀθανασίαν τοῦ γένους ἡμῶν, καὶ οἱονεὶ διαμονήν τινα παισὶ παίδων μεταλαμπαδευομένην. (*immortalitatem generis nostri, quandamque quasi perennitatem, seu durationis stabilitatem continuatâ filiorum ac nepotum, aliorum post alios, quasi cursorum in stadio, successione ordinavit.*) sic etiam Philo λαμπαδεύεσθαι pro tradi successive: ut cum ait elegantissimè de virtute, τὸ τῆς ἀρετῆς φέγγος λαμπαδευόμενον ἐπαλλήλοις διαδοχαῖς ἰσόχρονον γίνεται κόσμῳ. (*virtutis lumen continuatis successionibus de manu in manum quasi traditum cum mundo perpetuatur.*) Pro *in decursu* scriptum erat una voce, *indecursum* in Puteani exemplari.

Sum tibi Mercurius:) quo animo obveniens hereditas suscipi à sapiente debeat, ostendit: nempe eodem animo, quo lucra insperata: quæ forte in viis inveniuntur. Sum inquit, *tibi Mercurius*, id est, mea hereditas à te quanta quanta sit, existimari ἑρμαῖον debet.

Ut ille pingitur.) cum marsupio. Suidam lege in Ἑρμῆς Mercurium variè pinxit antiquitas: sed poëta solum spectavit ad κερδῷον, sive præsidis lucri picturam. Gregorius Nazianzenus in fine prioris in Julianum: πῶς ὁ Κερδῷος αὐτοῖς γυμνὸς ἦν; καὶ τὸ συκίδιον περιεβλήθη; idem in altera: ἀνίδω σου τὸν Κερδῷον καὶ τὸν λόγιον καὶ τὸν Εναγώνιον, συγκαλύπτω τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ παρατρέχω σου τὸν θεὸν, αἰδοῖ τοῦ θεάματος· σὺ δὲ μοι προσκύνει τὸ σύντονον τοῦ λόγου καὶ τὸ συκίδιον.

Vin' tu gaudere relictis?) acriter dictum, & apte increpanti: ut sæpe apud Senecam. Sulpitius ad Ciceronem. *Vis ne tu te Servi cohibere & meminisse te hominem esse natum?*

Deest aliquid summæ.) quam animo conceperam, aut quam ipse acceperas à parentibus: sunt verba heredis avari & μεμψιμοίρου: cui similis illa vox apud Theophrastum in charactere hominis ita morati: qui gratulanti sibi quod crumenam invenerit; *Ego vero*, ait, *thesaurum nullum unquam inveni.*

Minui mihi, sed tibi totum est Quicquid id est.) Docta & ex jure prompta distinctio. Regula juris est: rem illi perire cujus est, si dolus absit aut lata culpa: bona hereditatis ante mortem defuncti, sunt ipsius: quicquid igitur illo vivo de bonis perit, ipsi perit non futuro heredi: quomodo enim aliquid amittat quisquam: quod non habet? hæc Persii argumentatio: quæ tamen in extraneis heredibus locum habet potius quàm in suis, aut iis quibus ex fidei commisso debetur hereditas.

Ubi sit fuge quærere quod mihi quondam Legarat Tadius.) noli exigere à me rationem bonorum meorum: sicuti solet herus à dispensatore servo.

Neu dicta repone paterna:) Ita melius, quam *oppone*: etsi non rejicerem si exhiberent veteres: vide in imitatione Horatii; noli, inquit, tantum tibi tribuere, ut pro tua libidine mores meos fingas: sicut parentes faciunt: quorum hæ fere sunt ad filios voces: *Fœnoris*, &c. Cave accipias aliter heic *dicta paterna*, neque enim de patre suo loquitur Persius: quod neque debuit, filius memoriæ patris studiosus: neque potuit: qui puer sexennis patrem Flaccum amisit. Ejusmodi autem paterna præcepta sunt quæ commemorat Juvenalis in XIV. illo loco:

——juvenes hortatur ut illam
Ire viam pergant.——

ibidem etiam sunt illi versus gemmei quibus prudenter disserit patres qui liberis suis magni census amorem præcipiunt, simul illis ad omne scelus totas effundere habenas.

Fœnoris accedat merces:) Olim cùm relictam à me hereditatem administrabis, rem amplifica, & fœnoribus auge tuam sortem: fœnoris merces. ἀντὶ τοῦ fœnus, quod est merces mutuo datæ pecuniæ.

Hinc exime sumtus:) *hinc* ex fœnore, non ex sorte; *sumtus* τὰ ἐπιτήδεια καθ' ἡμέραν. (*qua quotidianus usus postulat*) etiam apud Plautum: & Græcis ita αἱ δαπάναι (*sumptus*) pro τροφαὶ (*alimenta.*)

Quid reliquum?) ostendit heic quam sit aviditas pecuniæ vitium δυσαπόθετον & insanabile: nam tot rationibus nihil movetur iste avarus.

Reliquum?) cum indignatione magna hoc legendum.

Nunc nunc.) quando video divitias meas pluris à te fieri quam vel amorem meum, vel etiam virtutis.

Unge puer caudes.) *ungere* heic, Græcorum λιπαίνειν ut ἐλαίῳ λιπαίνειν μᾶζαν, apud Synesium.

Mihi

Mihi festa luce coquatur Urt.) Egone ut olere duro & salsamentis misere victitem, quo filius tuus partas servatasque opes sudore meo & κακεξίᾳ abdomini ac veneri serviens, dilapidet? hoc placet mi heres? *festa luce*, ut supra, *solis natalibus.*

Et fissa fumosum sinciput aure.) Porcinum videlicet: recte autem *fumosum* scripta lectio: non autem *spumosum*. In Satirico Arbitri: *simul pannum de carnario detulit furca in quo faba erat ad usum reposita, & sincipitis vetustissima particula mille plagis dolata*; mox: *Dum illa carnis etiam paullulum delibat, & coæquale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella*: ex his satis constat, cur *fumosum* sinciput dicatur Persio.

Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis.) Filius aut nepos nepotino more vivens Non sine caussa Romani prodigum & quem Græci asotum vocant, nepotem dixerunt: nam ut docet philosophus in IV. Nicomacheorum, rarò sunt obnoxii ei vitio qui suo sibi labore opes pararunt: sunt enim experti paupertatis incommoda: & præterea ut scribit idem, natura ita est comparatum, ut opera sua ament omnes artifices, sicut patres liberos videmus ac poëtas carmina sua. Eandem ob caussam sæpe & filii qui prioris paupertatis parentum fuere conscii, & sudoris participes, sunt frugi, at horum nepotes qui neque sudarunt ipsi in quærendis opibus quibus abundant, neque inopiam sunt experti, proni sunt ad luxuriam, & alia asotorum vitia, quæ propterea Romani *nepotatum* nuncuparunt & *nepotes* qui sic viverent.

Cum morosa vago singultiet ing. vena Patritiæ immeiat v.) Ut cum cœperit fastidire plebeiam & vulgivagam Venerem, pecuniæ vi irrumpat in thalamos nobilium virginum ac matronarum: non dicit hoc Persius ex doctrina Stoicorum, quibus peccata omnia paria: sed ex vulgi opinione quæ latum discrimen inter ista ponebat: cujus rei caussa potest afferri è Nicom. Arist. libro III. c. XI. B. Chrysostomus homilia in Matthæum LXXVI. ἐπορνεύθη τις πλουτοῦσα, ἑτέρα δὲ πενομένη· πάλιν καὶ ἐνταῦθα διαφορά.) *Ditior aliqua corpus suum prostituit; alia, egena: hîc iterum discrimen.*) Ideo confutat Cicerò ut Stoicus in III. paradoxo. *Lapsa est*, ait, *alicujus libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quàm si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccatum vero nihilominus.* Et multis versibus Horatius in altera libri primi satira de ea re tractat: idem in VII. secundi.

Te conjux aliena capit, meretricula Davum.

Peccat uter nostrum cruce dignius?

vena morosa τὸ τοῦ ἀνδρὸς μόριον, muto: *vagum ing.* τὸ τῆς γυναικὸς, & quam vocat Horatius *concessam Venerem* in quarta libri primi Satira: *singultire* heic est fastidire copiam alicujus rei: nam inter caussas varias singultus est hæc, si imprudens aliquis, aut avidior quam par erat, majorem bucceam deglutierit.

Mihi trama figuræ sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter:) Egone ut me macerem ac fiam ossa ac pellis: iste nepos ventrem ingluvie promittat? *trama* heic quæ Prudentio *nervorum textura* Contra Manichæos:

—— *ossa liquescant*

Mollia, nervorum pereat textura:

Tipula levius est quod heic quidam disputant, ad picturam hæc esse referenda: illud verò quale sit nolo dicere, quod carpere malunt quæ ad X. Athenæi de hoc loco scripsimus, quàm intelligere. Negare sustinent vestes habendo κρόκας amittere? quod ibi dicebamus. Sed sublevanda nobis eorum est imperitia qui Græcas literas non didicerunt. Tria ad pannorum texturam desiderantur diversa: stamen, substamen, (vel ut passim scriptum invenimus subtemen aut subtegmen,) & trama: sed staminis & tramæ illud commune, quod filo constant magis retorto, ac proinde duriore: subtegmen filo molliore & parum torto. Seneca epistola XC. *Posidonius dum vult describere primum quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutoque ducantur: deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat: quemadmodum subtemen insertum quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, spata coire cogantur, & jungi, textricum quoque artem à sapientibus dixit inventam.* En tria illa quæ diximus: en diversam nendi rationem: propterea apud Platonem artes nendi ponuntur ut heic diversæ duæ: ἡ στημονητικὴ & ἡ κροκρουστικὴ: illa quæ filum torquet ad firmitatem & duritiem majorem: hæc quæ laxum filum trahit, & molle. Hieronymus ad Demetriadem: *habeto lanam semper in manibus: vel staminis pollice fila ducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertantur*: legi malim ex Seneca: *vel subteminis pollice fila ded. vel ad torq. stamina in al.* ideo autem laxo hoc filo opus, ut spina fullonia in tractione villos excitet, quibus

quibus panni mollescunt: docet eleganter Plato, cujus verba necessario adscribam. Locus est in Politico: ubi postquam nendi utramque artem ad unum genus στρεπτικὴν retulisset, species deinde quas diximus ita explicat. Τοῦ κατάγματος δὴ τὸ μὲν ἀτρακτῷ τε στραφὲν, καὶ στερεὸν νῆμα γενόμενον, στήμονα μὲν φασὶ τὸ νῆμα· τὴν δ' ἀπευθύνουσαν αὐτὸ τέχνην εἶναι στημονικήν. (lego στημονονητικήν, ut mox κροκονητικήν) ὅσα δ' αὖ τὴν μὲν συστροφὴν χαύνην λαμβάνει, τῇ δὲ τοῦ στήμονος ἐμπλέξει πρὸς τὴν τῆς γνάψεως ὁλκὴν ἐμμετρίως τὴν μαλακότητα ἴσχει, ταῦτα ἄρα κρόκην μὲν τὰ νηθέντα, τὴν δ' ἐπιτεταγμένην αὐτοῖς εἶναι τέχνην κροκονητικήν. (*Hujus autem κατάγματος, sive deductionis, quod fuso retortum est, solidumque effectum filum, stamen appellant: artem autem ipsam, quæ hoc dirigit & protrahit, staminariam: quæcunque verò contortionem mollem accipiunt & staminis implicatione ad reflexionis attractum moderatam mollitiem nanciscuntur, ea utique filo deducta, subtegmina; artem autem ipsam, subtegminariam.*) Multa alibi ad lucem loci hujus Platonis & aliorum scriptorum accuratè disputantur à nobis: nunc id solum volumus κρόκην esse, quod Senecæ *subtemen* & villos pannorum è subtemine excitari fullonis opera. Quare in Euripidis versu, Τελαμῶνος ἐκβαλόντες οἴχονται κρόκας, non aliud est κρόκας ἐκβαλεῖν, quàm subteminis villos usu, & ut M. Tullius loquitur, habendo amisisse: quod & locus Eupolidis significat, quem ibi attulimus. Latini vetusti defloccatas vestes ejusmodi *decotes* dicebant. Villis porrò & subtemine absumto stamen restat & trama: quare Persius hoc loco etsi diverso locutionis genere utitur atque Euripides, idem tamen dicit Euripidi. Annon diversa & pene contraria sunt ἐκβάλλειν in versu Euripidis, & *reliquum esse*, sive superesse in Persii dicto? re tamen idem sunt, ut jam probavimus, subtemen ejecisse vel amisisse, & solam tramam superesse.

Ast illi tremat omento popa venter.) Popa Latinis est θύτης victimarius: qua notione legitur apud Suetonium & alios: alii pro placentis & libis usurparunt, quæ πόπανα Græcis. Auctor Glossarum: *popa* πλακοῦς, πόπανον: *popa*, θύτης: neutro modo heic accipit Persius: sed pro popinone, & guloso lurcone: poëtica enim licentia tribuit ventri, quod toti homini conveniebat.

Vende animam lucro. m.) Sequitur jam coronis pulcherrima satiræ hujus, & disputationis contra avaros institutæ. Docet heic Persius hominis avari cupiditatem nulla auri copia, nulla opum vi posse expleri; quare frustra illos esse, qui ut avaris suis heredibus faciant satis, opes assiduè congerunt, congestis parcunt: nulli bono: quando satiare illorum πλεονεξίαν non magis valeant, quam aliquid eorum efficere quæ maximè sunt impossibilia: cùm id quoque sit, ut Græci dicunt, τῶν ἀδυνάτων ἕν. Hæc mens Persii. Est autem sententia è philosophiæ sacrario promta ut dicemus mox. Inducit verò cupidum heredem paterna dicta reponentem, quod paullò antè vetabat. Ejusdem sententiæ præceptum est istud apud Menandrum:

> Τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο.
> Τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος ἴσθι κερδανεῖς.

(*Justi modò famam fac adipiscaris, & opera quidvis audentis inde lucrifacies.*)

Vende animam lucro.) Redime omnes lucri faciendi occasiones, vel jactura animæ, id est, vitæ. Græcorum est vulgatum dictum: θανάτου ὤνιον τὸ κέρδος. Longinus: τὸ ἐκ τοῦ παντὸς κερδαίνειν ὠνούμεθα τῆς ψυχῆς. De alia re dixit Heraclitus, ψυχῆς ὠνεῖται: vide Aristotelem Politicorum lib. v. cap. xi. adeò verum est, quod ait Seneca, minima esse quæ homines emunt vita: respicit Persius ad navigantium pericula: nam ut naviget sequentibus verbis imperat,

> ——— *atque excute sollers*
> *Omne latus mundi.* ———

de mercatorum navigationibus in remotissimas plagas dixit in quinta.

Ne sit præstantior alter Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.) Nullus esto tam turpis quæstus, qui tibi sordeat: mangonium igitur exerce: & effice ne sit paratior alter ad coemenda mancipia, quæ à te probe curata & concinnata quam plurimi vænire possint in catasta, te plaudente, & adhortante ut motu corporis ac saltatione bonæ suæ habitudinis dent specimen mercatorib. emturientibus. *Catasta* vox Romana, sed Græcæ vel potius Siculæ originis, ut aliæ non paucæ, quæ ab istis ad Romanos corruptæ & semibarbaræ transierunt, reliquis Græcis omnino incognitæ. Siculorum linguam Græcam multis modis vitiatam fuisse, etiam illi norunt, qui solum Plautum attigêre: à verbo καθίστασθαι aut voce κατάστασις facta est vox *catasta*: ita dixerunt pegma ligneum, in quo suos vænales collocabant cùm illos vendebant, aut ad venditionem parabant: publicè mancipia fuisse in catasta vendi solita indicat locus Plinii libro xxxv. de Chrysogono Syllæ liberto. *Talem in catasta videre Chrysogo-*

num Syllæ. Sed erant etiam in ædibus catastæ, ut quas arcanas vocat Martialis epigrammate in Mammurram:

Inspexit molles pueros oculisque comedit:
Non hos quos primæ prostituêre casæ:
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

quo ex loco discimus eximiæ formæ pueros quibus hedera non erat opus, non fuisse in publicum productos: sed domi apud mangones ipsos facile emtores invenisse: ibi igitur catastam conscendebant, non in foro: etiam illud discimus ligneam fuisse catastam è tabulatis constructam: quare etiam *machinas* vocabant catastas. Q. Cicero de petitione consulatus, loquens de Catilina: *quo in magistratu amicam, quam palàm domi haberet de machinis emit.* Cur imponerentur catastæ mancipia docet vetus scholiastes Persii: *apud antiquos venales gladiatores in catasta ponebantur, ut in eis possent omnia membra inspici*: solebant enim qui servos emebant nudare illos, & diligenter essent ne omnia membra integra & valida perspicere. Suetonius libro II. *qui matresfamilias & adultas ætate virgines denudarent atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente*: & libro IV. *illustriores feminas præter pedes suos transeuntes diligenter ac lente mercatorum more considerabat.* Seneca pater Controversiarum libro primo: *Nuda in littore stetit ad fastidium emtoris: omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt:* tangit & filius Seneca epistola LXXX. neque hoc solùm, sed etiam saltare jubebant, ut ostendunt Menandri locus & Propertii, & aliis modis suæ agilitatis specimen dare: quare Martiali *eques de catasta* dicitur qui ibi fuerat venditus:

Nec de Cappadocis eques catastis.

ut mirari nemo debeat quod machinam ad torquendum paratam, quæ vulgò equuleus dicebatur, catastam etiam appellarint: in Martyrologiis sæpè legas in catastam martyres fuisse impositos. Prudentius de Romano martyre: *Emitto vocem de catasta celsior:* & sæpius alibi: nec solùm pro equuleo usurpat: sed pro quovis pegmate ligneo cui imponi solent qui variis suppliciis afficiuntur: ita accipe *catastas igneas* in Peristephanon hymno primo, & similes locos in historiis martyrum. Scimus longe alia de hac voce hactenus prodita esse à magni nominis viris: verùm quæ ita ferè absurda sint, ut refutationis non egeant. Sed enim horum error longe tolerabilior illorum obstinata pervicacia, qui *catastos* nescio quos contra liquidissimam veritatem apud Vitruvium comminiscuntur: *ἂν ἰατρεύσωσι τὴν ἄγνοιαν, οὐδ' Ἀσκληπιάδαις τοῦτό γε νομίζω δεδόσθαι.* Quo igitur sensu dicatur Persio avarus mango, *servos plaudere in catasta* jam ostendimus: nisi quis malit *plaudere* heic interpretari, palpo percutere, aut plana manu ferire: quod videntur fecisse mangones ad ostentandam *εὐεξίαν* & bene curatam cutem suorum mancipiorum: & confirmat hanc interpretationem vox *pingues*: sic autem legimus, antiqua servata scriptura, quam critici imperiti jam olim loco ejecerunt, ut constat ex scholiastæ reliquiis, substituta voce *pavisse:* quam fere scripti hodierni retinent: etsi in nonnullis *clausisse* invenimus: quidam *pausasse* præferunt: quod etiam ab Hadriano Turnebo est adnotatum: has verò omnes lectiones commentitias esse non magis verear affirmare, quam de eo non dubito scripsisse Persium *plausisse*: mutarunt eam dictionem scioli, quibus mirum videbatur verbum *plaudere* cum quarto casu jungi: atqui etiam Statius Papinius sic locutus est non semel: in epithalamio Violantillæ:

Claraque gaudentes plauserunt limina cygni.

in epicedio patris,

—— non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem cestu, virides plausere Therapnæ.

atque ita usurpari à poëtis multa verba contra usum communem, ne tirones quidem ignorant: ne ad Græcorum exempla opus sit confugere.

Rem duplica. Feci: jam triplex: jam mihi quartò, Jam decies redit in rugam.) Naturam morbi de quo loquitur ingeniosè ob oculos ponit: nam ut temulenti sitim vinum, hydropici aqua irritat, non sedat: sic avari animum non explet quod partum est, sed ad majora concupiscenda allicit pene iisdem verbis sententiam eandem expressit Basilius in homilia ad divites: *πολλῶν*, ait, *ὑμᾶς ἐνδεεῖς ποιεῖ τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἀκόρεστον· τοῖς δέκα ταλάντοις, δέκα ἕτερα προσθεῖναι σπουδάζεις· ἐπειδὰν δὲ εἴκοσι γένηται, ἄλλα τοσαῦτα ἐπιζητεῖς· καὶ ἀεί σοι τὸ προστιθέμενον οὐχὶ τὴν ὁρμὴν ἵστησιν, ἀλλ' ἀναφλέγει τὴν ὄρεξιν.* (*Multorum nos indigos facit insatiabilis concupiscentia: decem talentis partis altera decem studes addere; ubi viginti facta sunt, ista quoque duplicare contendis: & semper id quod additur, vel accedit, non sistit appetitum, sed incendit:*) & multa in eandem sententiam ibi facundissimus ille pater. Simile item illud Galeni De curatione morborum animi,

animi, *ἀεὶ ποθοῦσι τῶν ἱματίων οἱ ἄπληστοι· ὥστε κἂν διπλάσιον ἔχωσι, τριπλάσιον περιποιήσασθαι σπεύδουσι· κἂν τριπλάσιον ἔχωσι τετραπλασίου ἐφίενται.* (*Ita ſunt inſatiabiles, ut ea ſemper cupiant, quæ ſunt à fronte: ut ſi duplum habeant, triplum adipiſci mox laborent: ſi triplum obtenuerint, quadruplum concupiſcant.*) Simplicius in Epicteti Enchiridium eleganter: *ἂν δέκα κτησώμεθα, εἴκοσι βουλόμεθα· κἂν εἴκοσι, τετταράκοντα, καὶ ἐφεξῆς· καὶ πέρας οὐδὲν τῆς εἰς τὸ ἀχανὲς τῆς ἀπληστίας αὐξήσεως, καὶ ἡ ὅρον ἐκβᾶσα φύσις εἰς ἀοριστίαν ἐκπίπτει.* (*Si decem poſſidemus, viginti cupimus; ſi viginti, tum quadraginta: & ita deinceps: neque ullus omnino finis in immenſum tendentis avaræ cupiditatis: atque ita quæ terminum ſemel natura; vel, quæ terminum ſemel à naturâ præſcriptum tranſgreſſa eſt, nullo poſtea termino contineri poteſt.*) *Rem duplica*, ut apud Juvenalem, *patrimonia conduplicare*: at *redire in rugam*, pro multiplicari & *πολλαπλασιάζεσθαι* elegantiſſimè tractum à veſtibus, quarum eſt proprium rugare: contrà apud Juvenalem in ſimillima ſententia ſumma dicitur *rugam trahere* quæ nondum tendit neque explet marſupium: ſed adhuc hians & laxum eſt os illius: ita melius, quàm ut alii interpretantur.

Depinge ubi ſiſtam.) Hæc ſcripta lectio omnium quos vidimus librorum; in editione P. Pithœi eſt *depunge*: quod perplacet: tranſlatum à libræ ſcapo ubi punctis notatæ ſunt ponderum menſuræ: ut *certo compeſcere puncto Neſcius examen*. *Depungere* eſt *κέντρῳ περιγράφειν*, quomodo loquitur Plutarchus in gemina ſententia, De amore divitiarum: *τοῖς γε νοῦν ἔχουσιν ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος ὥρισται, καὶ τὸ τέρμα πάρεστι τῆς χρείας καθάπερ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγραφόμενον*: vel *ὅρῳ περιγράφειν*. Conſtantinus Imperator in libro ad F. Romanum de gentibus ſeptentrionalibus: *ταῦτα τὰ ἔθνη οὐκ ἔχει τὰς ἐπιθυμίας ὅρῳ περιγεγραμμένας.* Heic igitur Perſius avarum heredem urget, doceat ſe ubi ſiſtat, id eſt, quem pecuniæ modum conſecutus, cupiditatem ipſius ſit expleturus: quod cum ſequenti verſu fieri nunquam poſſe ſignificet: nimirum id voluit paucis oſtendere, quod multis philoſophi diſputant: avaros finem conſequi nunquam: *οὐδαμοῦ γὰρ τῆς εἰς τὸ πρόσω φορᾶς ἵσταται*, inquit verè Baſilius. Præclare Seneca epiſtola XVI. *Naturalia deſideria finita ſunt: ex falſa opinione naſcentia ubi deſinant non habent. Nullus enim terminus falſo eſt. Via eunti aliquid extremum eſt: error immenſus*: & in XXXIX. *Neceſſe eſt in immenſum exeat cupiditas quæ naturalem modum tranſiliit, illa enim habet ſuum finem: inania & ex libidine orta, ſine termino ſunt: neceſſaria metitur utilitas: ſupervacua quò redigis?* Tale illud apud Auguſtinum contra Adimant. lib. VI. *Ubi enim terminum conſtituant, non inveniunt*: hoc eſt, quod Græci ſapientes dicunt: *τὸ πάθος ὅρον οὐκ οἶδεν*: quam ſententiam lactea illa ſua dicendi ubertate tot locis beatus Chryſoſtomus fuſe tractavit: in eam verò ad Corinthios, homilia XXIV. luce clarius paradoxum illud in ſpecie demonſtrat, Nihil eſſe quod nos adeo ad mendicitatem redigat, ut ſtudium divitiarum. Græcè melius: *Οὐδὲν οὕτω πτωχοποιὸν ὡς φιλαργυρία, κἂν ἐν πλούτῳ κἂν πενίᾳ φανῇ.* At philoſophus in primo Politicorum totam hanc quæſtionem ſubtiliſſime ut omnia, & ſapientiſſime definit. Solonem reprehendit, cujus extat notiſſimus verſus:

Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

(*Divitiarum nullus certus terminus hominibus conſtitutus eſt.*) Non enim fine carere divitias: ſed ita diſtinguendum eſſe: *τῆς κτητικῆς*, hoc eſt, artis illius quæ rem familiarem amplificare docet, duas eſſe ſpecies; alteram ſecundum naturam, quam vocat *οἰκονομικήν*: & ait eſſe artem comparandi neceſſaria ad vitam inſtrumenta: atque hanc certum finem habere, eo argumento evincit: quia nulla eſt ars cujus infinita ſint inſtrumenta: ergo etiam legitimæ *κτητικῆς* finem eſſe *αὐτάρκειαν πρὸς ἀγαθὴν ζωήν*. (*Quantum moderato homini ſufficiat ad beatam vitam*:) quod ita *συντόμως* Seneca epiſtola II. *Quis ſit divitiarum modus quæris? Primus habere quod neceſſe eſt: proximus quod ſat eſt.* Altera *τῆς κτητικῆς* ſpecies dicitur Ariſtoteli *ἡ χρηματιστική*, (*ars quæſtuaria*:) non à natura ducens originem: ſed ab hominum cupiditate: hanc ait ille *τέλος* quidem habere ſive finem: at terminum ſive *πέρας* non habere: *ἄπειρος γὰρ*, inquit, *οὗτος ὁ πλοῦτος ἀπὸ ταύτης τῆς χρηματιστικῆς.*

Inventus Chryſippe tui finitor acervi.) Jam docuimus quomodo hæc ſint accipienda: nam falli etiam eruditiſſimos viros qui hunc locum ante nos attigerunt nemo poterit dubitare qui noſtram cum illorum expoſitionibus contulerit. Omnes in eo peccarunt, quod ſpecie proverbii hoc dici non animadverterunt: atqui ita omnino exponendum, ſi Perſii mentem curamus aſſequi. Rogaverat avarum indicaret ſibi certum ſuæ cupiditatis finem: ſed nullam poterat finem avarus oſtendere: nullus enim avaritiæ terminus, ut antea probavimus: quare etiam Juvenalis poſtquam dixit non poſſe avari gremium expleri,

pleri, ne siquidem bis terve aut etiam sæpius equestri censu illum donavaris; pulcherrimam illam suam satiram ita concludit.

Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna,
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.

non lac lacti similius, quam sunt fines duarum istarum satirarum: hujus inquam Persii, & illius XIV. apud Juvenalem. Sed τὸ ἀδύνατον quod pluribus versibus Juvenalis est persecutus, isto unico Persius expressit: verùm brevitas elegantissima illius sublevanda est interpretatione: atque ita capienda ejus verba, ut si diceret: Doce me finem tuæ avaritiæ: atqui modum imponere tuæ πλεονεξίᾳ non magis potes tu quàm olim potuit Chrysippus finem soritis invenire, & ubi resistendum esset definire. Simillimæ βραχυλογίας exempla apud optimos scriptores plurima. Tale illud est apud Horatium in epistola ad Augustum: ubi cum vellet significare summam rei absurditatem,

——*non est*, ait, *quod multa loquamur:*
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

nam similiter suppleri debet is locus: si hoc (de quo dixit) verum atque æquum est: etiam illud verum est, neque nucleum oleæ neque nucis ligneum putamen esse durum: quod quia palam absurdum est: sequitur etiam illud esse absurdum de quo ibi est sermo: ita heic: impossibilitatem (utamur hac voce) finiendæ avaritiæ probat, tacitè comparans cum alia re quam constabat eruditis finiri non posse: nihil enim tempestate illa doctrina Stoicorum vulgatius. Quod autem finis non possit inveniri soritis, quem vocat Persius *acervum*, Cicero & Jurisconsulti, *cavillationem acervalem*, declarat M. Tullius in Academicis quæstionibus: ubi sic loquitur qui ἀκαταληψίαν tuetur: *Venit ad soritas, lubricum sane & periculosum locum: quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut illa in re statuere possimus Quatenus: nec hoc in acervo tritici solum unde nomen est: sed ulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parva: longa, brevia: lata, angusta: quanto aut addito aut demto, certum quod respondeamus non habemus.* Vides diserte affirmari *naturam non dedisse cognitionem finium* quibus sisti possit progressus τῆς σωρειτικῆς ἀπορίας: planè hoc ipsum ait Eustathius in II. Nicomacheorum, in ipso fine; si negat ipsa natura, ut ait Cicero, quis amplius dubitet, rem omnino inveniri non posse? optimo igitur jure Persius, inter ἀδύνατα id retulit: propterea & Stoici soritem inter ἄπορα quæ non possunt solvi referebant: sic apud Sextum Empiricum Contra mathematicos libro primo profertur σωρειτικὴ ἀπορία, quæ solutionem nullam admittit: cui similes aliæ apud eundem item apud Galenum, & Aristotelis interpretes: in quæ autem absurda inciderent qui interrogantem sistere non scirent, ostendit Sextus idem contra Physicos cap. De motu. Ait vero Persius *tui Chrysippe acervi*: quia multum in eo Chrysippus sudaverat, ut finitorem acervi inveniret: sed frustra: quare spe inveniendi quod quærebat dejectus, κατὰ δὲ λιπαρόν τινα τρόπον, quod ajunt excogitaverat, quem vocabat τὸν ἡσυχάζοντα λόγον; cum interrogatus sustinebat se; priusquam ad finem interrogans perveniret. Sextus Empiricus Hypotyposeon libro II. capite quo adversus dialecticos disputat: οἱ περὶ τὸν Χρύσιππον δογματικοὶ ἐν τῇ συνερωτήσει τοῦ σωρείτου, προϊόντος τοῦ λόγου φασὶ δεῖν ἵστασθαι καὶ ἐπέχειν, ἵνα μὴ ἐκπίπτωσιν εἰς ἀτοπίαν: hoc vero erat, non acervum finire, sed ignorantiam suam profiteri: quare multum & Carneades & alii philosophi Chrysippi illud inventum riserunt. Cicero ibidem: *placet Chrysippo, cùm gradatim interrogetur, verbi caussa, tria pauca sint anne multa: aliquanto priusquam ad multa perveniat, quiescere: id est quod ab iis dicitur* ἡσυχάζειν. *Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modò quiescas: sed quid proficis? Sequitur enim qui te ex somno excitet, & eodem modo interroget:* locum integrum vide: ubi etiam testatur Cicero διαρρήδην, istiusmodi sophismata ne à Chrysippo quidem fuisse dissoluta: tanta imperitia acutuli illi Stoici veræ Logicæ laborabant: quos tamen ea etiam laude volunt quidam censeri: sanè quam absurdè: cùm universa Stoicorum Logica nihil sit inertius, nihil ineptius, nihil παιδαριωδέστερον. Chrysippum verò multa de sorite scripsisse, arguunt librorum indices apud Laërtium, multi & varii: sed qui præcipuè ad sophisma acervi pertinerent, sunt hi: Περὶ τῶν πρὸς τὰς φωνὰς σωρειτῶν (melius, σωρειτικῶν) λόγων γ. & Περὶ τοῦ παρὰ μικρὸν λόγου, πρὸς Στησαγόραν, β. etsi longo intervallo separantur hi tituli in Laërtiano indice: sunt tamen de eodem argumento: nam ἡ σωρειτικὴ ἐρώτησις dicebatur Stoicis etiam ἡ παρὰ μικρὸν ἐρώτησις: quod alibi clarè docebimus: ubi etiam eorum supinum errorem castigabimus, qui Stoicorum soritem inter argumentationum legitimas

mas ſpecies referunt: quæ abſurda ſententia multos hodie ſectatores habet: etiam illorum qui in ea arte præ cæteris ſapere volunt videri. Sed hæc, ut diximus, alibi fusè ac clarè demonſtrabimus: faveat modò conatibus noſtris DOMINUS JESUS, vera lux, vera σοφία: aut potius αὐτόφως, καὶ αὐτοσοφία.

PERSIANA HORATII IMITATIO.

NEMO qui vel ſummatim humanitatis ſtudia attigit, Perſii Satiras legit, quin ſtatim imitationis Horatianæ aliqua ſaltem veſtigia deprehendat: tam multa enim illius tam paucis numero verſibus expreſſit, ut fungum eſſe oporteat, cujus animum, ſimul ac in hunc librum oculos conjecit, ejus rei aliqua non percutiat ſuſpicio. Et tamen ea arte, eo judicio in hac parte uſus eſt poëta ingenioſiſſimus, ut qui adeò multa non ſua uſurpat, ſuus tamen ubique ſit, nec alieni beneficii ferè quicquam, verum propria omnia habere videatur. κἂν γὰρ παρ᾽ ἄλλου λάβῃ τι ἰδίως αὐτῷ χρώμενος ἴδιον τὸ ληφθὲν ποιεῖ: quod olim eruditiſſimi critici de Thucydîde Homerum imitante pronuntiarunt. Quare equidem facilè ignoſco tot commentatoribus. quos palàm eſt ita negligenter in hoc negotio eſſe verſatos, ut loca non pauca perperam acceperint, quædam, ſed illuſtria, non animadverterint eſſe corrupta unicam ob cauſſam hanc: quod Perſium cum Horatio diligenter contendere, ſuarum partium eſſe animum nunquam induxerint. Nos verò quam illis tribuimus veniam, ne ab aliis petere ipſi opus haberemus: quæcunque in eo genere obſervatione digna deprehenderamus, omnia ſtudioſè collegimus, atque in unum veluti communem locum huc conjecimus. Speramus non ingratum fore tironibus, quorum ſtudiis prodeſſe optamus, noſtrum iſtud conſilium: cùm præſertim imitationis artem, ſine qua pene infructuoſa veterum lectio fuerit, nullius magiſtri præcepta æquè bene ipſos doctura ſint, atque hoc pulcherrimum tanti viri exemplum. Si extarent Lucilii Satiræ, non dubito etiam in illis reperiri quædam poſſe, quibus noſter ſua fecerit auctiora & luculentiora: ſed illa, opinor, forent non multa: quantam quidem ex reliquiis ejus poëtæ licet conjicere: horridior enim & incultior Lucilius fuit, quàm ut aliquid facile ex ipſius lutulentis carminibus tolleret Perſius, atque in rem ſuam verteret. Venuſinum verò Flaccum ſic in deliciis habuit, miratuſque eſt hic Flaccus, ut totum memoria tenuiſſe exiſtimem: quod quidem ita eſſe, neminem puto dubitaturum, qui obſervaverit quàm ſæpè, quàm feliciter, & ſententias & dictiones ejus uſurpet: apparet commentanti Perſio verba verſuſque Horatianarum Satirarum non anxiè, ſed ultro ſub acumen ſtili veniſſe: ut videatur magis non repudiaſſe, quæ ſibi comiter ſua memoria ſuggerebat: quàm de induſtria quæſiviſſe. Neque enim debemus ejus infelicitatis tantum virum damnare, ut putemus aliquem ipſum ex affectata Horatii imitatione, aucupatum eſſe gloriam: iniquum, ridiculum & ſtultum ſit tam ineptæ ambitionis nobiliſſimum juvenem ac ſapientiſſimum, velle inſimulare: qui contra ſummo judicio virtutes Horatii ſic imitatus eſt, ut nævos & ἀτυχίας ejuſdem cautus vitarit ſedulò: quod cùm alibi pluribus demonſtratum ſit à nobis, miſſo hoc ſermone quod inſtituimus jam aggrediemur.

IN PROLOGO.

IMitatio pluribus modis fit: nam ut orationis virtutes aliæ dicuntur rhetoribus πραγματικαί, aliæ λεκτικαί: ita enim imitatio est alia rerum, alia elocutionis, cùm aut verba alicujus usurpamus, aut figuras exprimimus, aut sententias æmulamur. Rursus imitatio quædam manifestior, quædam occultior: omnium apertissima illa est, cùm & sententia manet eadem, & verba quoque nonnulla: nam si nihil in verbis fuerit mutatum, non simplex imitatio ea dicenda, sed γυμνὴ μίμησις, aut potius μετάθεσις, quomodo loquitur Demetrius Phalereus, sive usurpatio: ut cùm Ennii versum sermoni suo Persius accommodavit in sexta. Minus manifesta est, cum servata sententia non servantur verba, sed mutantur omnia: interdum verba retinentur, sed in aliam sententiam traducta: quod ipsum variis fieri solet modis. Omnium horum exempla, in Horatii imitatione Persius nobis exhibet: ut suis locis dicturi sumus. Nos verò ne illa quidem prætermittenda censuimus, in queis videtur Persius, non tam consilio & studio imitandi, quàm casu & ξυντυχικῶς aut idem verbum similiter usurpasse, aut versum quodam modo similem fecisse alicui Horatiano: nam etsi nihil fortasse cogitans in illa incidit: nihilo tamen minus caussa cur in illa potissimum incideret, erat quod Horatii & verba & numeri etiam aliud agenti in mentem veniebant & sub stili acumen. In hoc verò carmine cùm negat Persius se poëtam esse, & *semipaganum* nominat, ingenioso verbo expressit adfatim, quod dixerat Horatius non solùm pluribus verbis, sed etiam versibus: ut cùm poëtam se negat in tertia libri primi:

> *Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,*
> *Excerpam numero: neque enim concludere versum*
> *Dixeris esse satis: neque si quis scribat uti nos*
> *Sermoni propiora putes hunc esse poëtam.*

& cùm ait in VI. libri II.

> *Quid prius illustrem Satiris Musaque pedestri?*

eadem prorsus ratio est cur Persius *semipaganum* se appellet, & cur Satiras suas Horatius modò *pedestrem Musam*, modò *Sermones*: ut in quarta primi Epistolarum,

> *Albi nostrorum Sermonem candide judex.*

IN PRIMA.

2 QUis leget hæc?) Prima parte satiræ hujus ostendit Persius pluribus versibus, id consilium sibi probari in scribendo, quod paucioribus verbis datur ab Horatio satira ultima libri I.

> *——neque te ut miretur turba labores,*
> *Contentus paucis lectoribus.*

3 *Turpe & miserabile.*) videtur alludere ad ista Horatii I. Sat IV.

> *——Beatus Fannius, ultro*
> *Delatis capsis: & imagine, cùm mea nemo*
> *Scripta legat.——*

hæc est ἡ ἐκ τῶν ἐναντίων μίμησις.

12 *Quid faciam?*) Horatius in simili deliberatione initio II. Satir.

> *Quid faciam, præscribe: quiescas.*

ex hac collatione intelligitur acre & vehemens Persii ingenium: nam sic petiit consilium, ut ejus dandi potestatem non faciat: sed statim ut datum repudiet, quod non dubitabat datum iri, quod igitur lectori supplendum reliquit, apud Horatium habemus expressum, *quiescas.*

13 *Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber.*) affinis versus illi Horatiano,

> *Scribimus indocti doctique poëmata passim.*

etsi nec sententia eadem prorsus nec verba.

20 *Ingentes trepidare Titos.*) *ingentes Titi* ita dictum à Persio, ut Horatii, *celsi Rhamnes*; in Arte:

> *Celsi prætereunt austera poëmata Rhamnes.*

doctè ut omnia notavit hoc jam olim Hadrianus Turnebus in suis Adversariis.

21 *Tremulo scalpuntur ubi intima versu.*) Horatius Carminum libro IV. oda XIII.

> *Et cantu tremulo pota Cupidinem*
> *Lentum sollicitas.——*

falluntur eruditi viri qui *tremulum cantum* interpretantur anilem: lasciviæ enim vox illa significationem habet: cujus interpretationis & fundum habemus heic Persium, & testem quoque veterem interpretem. Terentianus Maurus de Galliambo versu:

> *Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,*
> *Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos:*

sic χλαδαρὸν Græci pro lascivo ac molli: unde χλαδαρὰ ὄψεις, & χλαδαρὸν ἐμβλέπειν apud Clementem Alexandrinum de Veneris pusionibus: χλαδαρὸς autem idem ac tremulus. Hesychius: χλαδαρόμματοι, σέσειστι τὰ ὄμματα.

23 *Qui-*

23 *Quibus & dicas cute perditus, obe.*) Horatius Satirarum libri II. quinta:

Importunus amat laudari? donec obe jam
Ad cœlum manibus sublatis dixerit, urge, &
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.

usu tritum apud Latinum *obe dicere* pro satis est: sed Persius cum ei qui immodica laudatione offendatur id loquendi genus tribuit. Horatii locum sine dubio ante oculos habuit: quare alias interpretationes comminisci interpretes non debuerant.

26 *En pallor seniumque.*) in epistola ad Lollium libro primo:

——inhumanæ senium depone Camenæ.

28 *At pulchrum est digito m.*) Horatius:

——at suave est magno tollere acervo.

29 *Ten' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?*) in fine libri I. Satirarum:

—— an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

30 *Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi quid dia poëmata narrent.*) in epistola ad Augustum:

——pueri patresque severi
Fronte comas vincti cœnant & carmina dictant.

vel ut habent alii libri, *dicunt*: qood propius accedit ad Persii sententiam.

35 *Tenero supplantat verba palato.*) Horatius de affectata balbutie,

——balba feris annoso verba palato.

satira III. libri II. *supplantare* luctantium est verbum: *ferire*, cestibus pugnantium.

40 *Rides, ait, & nimis unc.*) Horat. ep. XIX. lib. I.

—— rides, ait, & Jovis aur.

42 *Et cedro digna locutus.*) ad Pisones:

——speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & levi servanda cupresso.

53 *Calidum scis ponere sumen.*) ibidem, de malorum poëtarum artibus:

——Unctum qui rectè ponere possit.

54 *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.*) adhuc de iisdem primi epistolarum, XIX.

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

56 *Nugaris cùm tibi c.*) Errant qui huc afferunt illa Horatii ex epistola ad Lollium lib. I.

——interdum nugaris rure paterno.

nam Horatius de eo loquitur, qui belli simulacra rure exercebat: quod quid habet commune cum sententia hujus loci? quanquam iidem etiam illo Flacci loco *nugaris* exponunt poëtaris: sed quàm absurdè pueri omnes intelligent, quos antecedentia & sequentia legere non piguerit.

61 *Vos ô patricius sanguis*) in Arte:

—— Vos ô
Pompilius sanguis carmen reprehendite.

64 *Ut per leve severos Effundat junctura ungues.*) Horat. satira VI. lib. II. in alia re, & sententia contraria: *ne quid valeat per leve morari.*

65 *Scit tendere versum:*) alia notione idem verbum positum est initio secundi libri Satirarum,

Sunt quibus in satira videar nimis acer, & ultra
Legem tendere opus.

67 *In prandia regum.*) Horat. dixit, *epulas regum.* II. Sat. secund.

70 *Nec ponere lucum Artifices.*) in Arte, *quia ponere totum Nesciet*: sed potius illum versum spectavit, ex Oda VIII. lib. IV. Carm. *Sollers nunc hominem ponere nunc deum*: nec displicet quod eruditi quidam observant: *lucum ponere* cum dixit Persius respexisse ad illa in Arte: *cum lucus & ara Dianæ describitur*: locum integrum considera.

85 *Fur es ait Pedio. Pedius quid?*) ostendimus oratoris non rei nomen heic esse τὸ *Pedius.* Horat. in ultima lib. pr. Satir. *Cum Pedius caussas exsudet Poplicola.*

86 *Doctus posuisse figuras.*) ita legendum esse admonuimus. Horat. ibidem: *doctus cantare Catullum.*

88 *Cum fracta te in trabe pictum ex humero portes.*) in Arte.

—— Si fractis enatat exspes
Navibus ære dato qui pingitur.

89 *Men' moveat quip.*) Hor. ibidem: *Men' moveat cimex Pantilius.*

91 *Plorabit qui me volet incurvasse querela*) in Arte: --*si vis me flere dolendum est Primùm ipsi tibi*: at *curvàre* pro flectere & κινεῖν ἔλεον posuit Horatius ode ad Lycen, lib. III. Carminum.

94 *Berecynthius Attin. Et qui c.*) Satirici poëtæ aliena carmina propriis scriptis inserunt, duplici ex caussa: vel quasi ad ornatum per speciem παρῳδίας: de quo ad satiram sextam: vel ἐλεγκτικῶς: modò cum laude auctoris versuum qui afferuntur: modò ad suggillationem illius. Sic Persius isto loco Neronis κακοζηλίαν τὸ μιμητικῶς & ineptias ac stultitiam omnibus ridendam propinat allatis illius versibus: sic etiam Horatius ut Bibaculum obiter irrideret versum ejus suo Ulyssi

lyssi inseruit Satirarum libro II. *Furius hibernas cana nive conspuet Alpes:* eadem licentia usum auctorem primum hujus carminis Lucilium ex reliquiis possumus conjicere. Atque in hoc ut in aliis non paucis veterem Græcorum comœdiam secuta est Latina satira: quam multa enim Euripidis, ut aliis taceam, habes apud Aristophanem? Simpliciter docendi caussa ex Ennio in quarta primi Satirarum afferuntur hæc Horatio:

——— postquam discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit.

103 *Si t. vena ulla paterni Viveret in nobis.)* Honestius in sententia parum honesta idem dixit Horatius in XV. Epodon: *si quid in Flacco viri est.*

106 *Nec pluteum cædit nec demorsos sapit ungues.)* In X. pr. Sat.

——— in versu faciendo
Sæpe caput scaberet vivos & roderet ungues.

108 *Vide sis ne majorum tibi forte Limina frigescant.)* In prima lib. II. Satirarum:

—— metuo majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

ambo de re eadem loquuntur.

111. *Omnes bene miræ eritis res.)* Acrostichum non dissimilis securitatis atque illud Horatii, Satira tertia libri primi: *cum dicas esse pares res.* Sed Persianæ negligentiæ rationem certam in Commentario attulimus: neque enim is fuit Persius quem sine caussa male tornati versus juvarent: eam nos caussam aperuimus.

112 *Hoc juvat?)* Legendum cum interrogatione admonuimus: ut in prima Satira Horatii:

—— hoc juvat? horum Semper ego opta.

ib. *heic, inquis, veto quisquam faxit oletum: extra Meiite.)* in VIII. primi Satir.

——— in me veniat mictum atque cacatum
Julius.

in Arte:

—— utrum minxerit in patrios cineres.

de omni contumelia παροιμιακῶς usurpari solitum apparet.

114 *Secuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Muti.)* Tractavit eundem locum fusius Horat. in prima libri II. Sat., studiosi loca inter se comparent; nam sententia & ὁ τρόπος τοῦ λόγου σκοπὸς idem.

116 *Ridenti Flaccus amico.)* Respexit illud, *ridentem dicere verum Quid vetat?*

118 *Excusso populum suspendere naso.)* In VI. primi Sat. *naso suspendis adunco Ignotos*: in VIII. secundi: *suspendens omnia naso.*

123 *Audaci quicunque afflate Cratino.)* Observabamus translationem esse à pratis: quibus Græci docta & florida veterum scripta sæpe assimilant. Hæc ἐπίπνοια ab Horatio est, qui *thyma* appellat opera antiquorum auctorum: in epistola ad Julium Florum: *Quæ circumvolitas agilis thyma?* Si quis malit ad Pythiam referre, & alios qui numinis afflatu oracula fundebant, non repugnem: utriusque ἐπιπνοίας modum, & illius quæ à numine in Pythiam manans vatem ipsam reddebat: & ejus qua adflantur qui priorum libros diurna nocturnaque manu versant, describit eleganter Dionysius Longinus de imitatione differens: πολλοὶ ἀλλοτρίῳ θεοφοροῦνται πνεύματι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει τρίποδι πλησιάζουσαν, ἔνθα ῥῆγμά ἐστι γῆς, ἀναπνέον ὥς φασιν ἀτμὸν ἔνθεον, αὐτόθεν ἐγκύμονα τῆς δαιμονίου καθισταμένην δυνάμεως παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ᾽ ἐπίπνοιαν· οὕτως ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς, ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων ἀπόρροιαί τινες φέρονται, ὑφ᾽ ὧν ἐπιπνεόμενοι καὶ οἱ μὴ λίαν φοιβαστικοὶ τῷ ἑτέρων συνενθουσιῶσι μεγέθει. [*Multi alieno seu divino spiritu afflati rapiuntur, eodem prorsus modo quo fama est Pythiam Apollinis sacerdotem Delphis (ubi, ut perhibent, hiatus quidam est terræ, vaporem inde auramque exhalans divinam) tripodi admotam corripi, factamque Deo plenam numinis instinctu consulentibus responsa dare, & oracula reddere: sic ab illis priscorum magnis ingeniis in animos imitantium ipsos tanquam ex sacris ostiis rivi quidam feruntur, à quibus afflati etiam qui suapte naturâ non isto Phœbæo aguntur furore, aliorum magnitudine impulsi concitantur, rapiunturque simul.*] De Eupolide Cratino & Aristophane Horatius initio Satiræ IV. libri primi: confer cum istis illum locum.

125 *Inde vaporata lector mihi ferveat aure.)* Attentionem & cupiditatem lectoris verbo *ferveat* significavit, non multo aliter atque Horatius verbo *insudet*, in quarta primi Satir. *Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli:* atque ibi Horatius de suis scriptis loquitur, ut heic Persius.

133 *Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.)* In III. primi Satir. de Stoico sapiente:

—— vellunt tibi barbam Lascivi pueri.

134 *His mane edictum post prandia Callirhoen do.)* Simplex pro composito: *do* pro mando: & mando accipe ut in illo Horatii, quem non dubito fuisse Persio in mentem cum hunc faciebat:

—— forum Putealque Libonis
Mandabo siccis.

epistola

epiſtola xix. libri primi : videtur etiam illum verſum reſpexiſſe vi. libri ejuſdem :

Gnavus mane forum & veſpertinus pete tectum.

item iſtum, ſimiliter in fine poſitum ſatiræ x. libri primi:

—— Demetri teque Tigelli.
Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.

IN SECUNDA.

1 H*Unc Macrine diem numera meliore lapillo.*) Horatius oda xxxvi. primi Carm.

Creſſa ne careat pulchra dies nota.

3 *Non tu prece poſcis emaci.*) Horatius de ſe in xxix. tertii Carminum :

Non eſt meum, ſi mugiat Africis
Malus procellis, ad miſeras preces
Decurrere, & votis paciſci.

votis paciſci, & *prece poſcere emaci* idem ſunt.

5 *At bona pars procerum t.*) in prima Satira libri primi.

At bona pars hominum decepta cupidine falſo.

8 *Hæc clare, & ut audiat hoſpes : Illa ſibi introrſum & ſub lingua immurmurat.*) in xvi. primi epiſtolarum :

Jane pater clare, clare cum dixit, Apollo:
Labra movet metuens audiri ; pulchra Laverna
Da mihi fallere.

Græcum eſt *hoſpes* pro quovis cujus nomen tacetur, ut illis ξένος. Horatius ode quinta lib. ii.

Mirè ſagaces falleret hoſpites.

10 *ô ſi Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria d.*) in ſexta ſecundi Satir.

O ſi urnam argenti Fors quâ mihi monſtret.

10 *Dextro Hercule.*) ibidem :

——dives amico Hercule.

14 *Nerio jam tertia ducitur uxor.*) *Nerius ὁ δεῖνα.* ut apud Horatium, *Scribe decem Nerio.*

17 *Minimum eſt quod ſcire laboro.*) dictum ἐν ἤθει, ut apud Horatium in prima Satira, *non longa eſt fabula* : ſimile in ſecunda epiſtola primi, *niſi quid te detinet audi.*

22 *Proh Juppiter ô bone, clamet*) in ſecunda primi Satir.

——Maxime, quis non
Juppiter exclamet ſimulatque audivit.

27 *Triſte jaces lucis evitandumque bidental.*) in Arte.

——an triſte bidental,
Moverit inceſtus.

39 *Aſt ego nutrici non mando vota.*) in quarta epiſtola primi :

Quid voveat dulci nutricula majus alumno.

41 *Poſcis opem nervis, c.*) Tangit & Horatius eorum ſtultitiam, qui ſua ſibi vota deſtruebant contrariis vitiis in tertia Satira libri ii. ſed aliis utitur exemplis.

46 *Quo, peſſime, pacto?*) in vii. Satira lib. ii. *quo pacto peſſime?*

54 *Lætari prætrepidum cor.*) qui aliter hæc ſcribebant, non meminerant ſimilium venuſtatum apud Horatium: cujus lepores ubique ſectatur noſter in nona ſatira libri primi ; *meum jecur urere bilis*, in ſeptima epiſtola primi ; *non ſane credere Mena.*

61 *O curvæ in terras animæ, cœleſtium inanes !*) Satira ii. libri ſexti.

——Quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

71 *Lippa propago*) Satira prima : *Criſpini ſcrinia lippi.*

73 *Compoſitum jus faſque animi.*) *animi* ſcribendum non *animo* : ſic apud Flaccum, in ſecundi tertia Satira. *Rectum animi ſervas ?*

75 *Hæc cedo ut admoveam templis, & farre litabo.*) oda xxiii. Carm. iii.

Immunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumptuoſa blandior hoſtia,
Mollibit averſos Penateis
Farre pio & ſaliente mica.

ſine cauſſa tantum laborant Flacci interpretes in hujus loci ſententia explicanda: *immunis manus* ſine dubio eſt, vacua munere : at qui accipiunt pro immunis à ſcelere velim doceant me, ubi legerint *immunis* ἁπλῶς poſitum pro ἀθῷος. ſequens verſus ſententiam Platonicam continet, ſumptuoſas victimas non eſſe θεραπείαν (*cultum*) deorum, ſed κολακείαν (*adulationem*:) ita igitur accipe; manus vacua, non autem illius qui ut diis blandiatur ſumtuoſas eorum aris hoſtias admovet, ſacra Penatibus faciens, litabit farre, aut alio quamlibet tenui munuſculo, quod ab animo pio proficiſcitur.

IN TERTIA.

5 *Siccas inſana canicula meſſes?*) Satira vi. primi :

——fugio rabioſi tempora ſigni.

epiſtola x. primi.

Leniat & rabiem canis.

alibi:

Jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis.

oda XXIX. III. Carm.

6 *Et patula pecus omne sub ulmo est.)* Horat. ibidem:

Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quærit.

7 *Ocyus adsit Huc aliquis: nemon'?)* in septima libri II. Satir.

——— *nemon' oleum feret ocyus?*

8 *Turgescit vitrea bilis:)* Horat.

Jussit quod splendida bilis.

12 *Tunc queritur crassus calamo quod pendeat humor.)* Satira III. libri sex.

Culpantur frustra calami.

16 *At cur non potius teneroque c.* & mox: *effluis amens. Contemnere.)* Non est negligendum veteris critici judicium qui pronuntiat Persium isto loco parum tempestive laborasse, ut exprimeret illa Horatii ex eadem satira:

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miser.

Quid videretur nobis de imitatione Persii Horatiana superius indicavimus: quoniam tamen *ἄνθρωπον φύντα ἀναμάρτητον εἶναι τελέως ἐστὶν ἀδύνατον:* (*natum hominem peccato omni carere omnino impossibile est:*) inficias ire nolim Persium locis aliquot sic Venusinum satiricum sequi ut non assequatur: atque adeo videri posse interdum verba illius ad propositum alienum accommodatiora quàm ad institutum ab ipso sermonem: quam *κακοζηλίαν* (dicamus enim verum nomen) vix est ut penitus vitent *οἱ ἀλλοτρίῳ θεοφορούμενοι πνεύματι*, (*qui alieno spiritu afflantur*) ut ait Longinus: præsertim illi qui ad unius imitationem totos se comparaverint, quod propemodum videtur fecisse Persius: verùm in tam bona forma nævus unus aut alter facile veniam merentur.

17 *Et similis regum pueris.)* Oda XVIII. lib. II. Carminum:

——— *Aequa tellus*
Pauperi recluditur,
Regumque pueris.

23 *Udum & molle lutum es.)* Horatius ad Julium Florum:

——— *argilla quidvis imitaberis uda.*

24 *Sed rure paterno Est tibi far modicum.)* In epistola ad Lollium:

——— *interdum nugaris rure paterno.*

25 *Purum & sine labe salinum.)* Satira III. l. I.

——— *modò sit mihi mensa tripes, &*
Concha salis puri. ———

sed quia ait Persius, *rure paterno Est tibi*, pertinent huc ista è carmine ad Grosphum libro II.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

26 *Secura patella.)* Epithetum est Horatianum, in VII. satira libri II. *laudas securum olus.*

36 *Cum dira libido Moverit ingenium.)* Satira sec. I.

——— *simul ac venas inflarit tetra libido.*

48 *Jure.)* Absurdum jure videatur: nos caussam attulimus veram: sed discipuli mentem quis melius quàm magister nobis aperiat? sic ille satira eâdem:

——— *Quanto constantior idem*
In vitiis, tanto levius miser. ———

lege totam Davi disputationem.

55 *Siliquis & grandi pasta polenta.)* epistola I. libri II.

——— *Vivit siliquis & pane secundo.*

60 *Est aliquid quò tendis & in quod dirigis arcum.)* Horat. oda XVI. libri II.

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? ———

eadem est translatio: sed Horatius de singulis actionibus sive *περὶ ὑποπλίδων* loquitur: noster de fine omnium ultimo.

70 *Patriæ carisque propinquis Quantum elargiri doceat.)* Satira prima:

——— *Reddat natis carisque propinquis*

73 *Quod multa fidelia putet in locuplete sinu.)* cave accipias τὸ *putet* in priopria notione: heic nullam vim habet aliam, nisi ut rei copiam denotet, ut apud Horatium τὸ *putrescere*, satira tertia lib. II.

——— *Cui stragula vestis*
Blattarum & tinearum epulæ, putrescat in arca.

78 *Quod sapio satis est mihi.)* Satira VI. lib. sec.

Mancipium frugi quod sit satis.

80 *Obstipo capite, & figentes lumine terram.)* in quinta secundi Sat.

Stes capite obstipo, multum s.

83 *Ægroti veteris meditantes somnia.)* In Arte:

——— *Velut ægri somnia vanæ*
Fingentur species. ———

85 *Cur quis non prandeat, hoc est.)* Horatius:

Impransi correptus voce magistri.

96 *Ne sis mihi tutor. Jampridem hunc sepelire tu restas.)* diversos locos imitatione una conjunxit: in tertia secundi Satirarum: *ne sis patruus mihi*; in nona primi:

Omnes

Omnes composui felices: nunc ego resto.
Confice.——
postrema verba eorum errorem confutant, qui apud Persium mollius volunt accipi illas voces, *tu restas*.

97 *Turgidus hic epulis atque albo ventre l.*) satira II. libri II.
——*pinguem vitiis albumque.*
oda secunda libri II. Carminum:
——*& aquosus albo*
Corpore languor.
quibus in locis an sit allusum à doctissimis poëtis ad hydropem λευκοφλεγματίαν sive ἀνασαρκίδιον medicis pertractandum accuratius relinquimus.

104 *Crassisque lutatus amomis.*) in Arte:
Et crassum unguentum.——

108 *Nil calet heic.*) aspexit ista, sed concinnavit aliter:
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet.——
satira tertia libri II. Satir.

114 *Os radere.*) sat. II. lib. II. *tergêre palatum.*

IN QUARTA.

8 HOC *puto, non justum est, illud malè, rectius istud.*) Satira IV. libri primi:
——*rectius hoc est:*
Hoc faciens vivam melius: sic dulcis amicis
Occurram.——

10 *Rectum discernis ubi inter Curva subit.*) epist. II. libri II.
Adjecere bonæ paullo plus artis Athenæ:
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum.

13 *Summa nequicquam pelle decorus.*) epist. XVI. libri primi:
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
& satira I. libri II. de Lucilio:
Detrahere & pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis.——

19 *Suffla.*) videtur alludere ad apologum inflantis sese ranæ, quem narrat Horat. sat. III. lib. I.

22 *Ut nemo in sese tentat descendere, n.*) in prima satyra:
——*nemon' ut avarus Se probet?*

25 *Sed præcedenti spectatur mantica tergo.*) in tertia libri secundi Satir.
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

29 *Hoc bene sit.*) τὸ *hoc* est sextus casus. Horat. satira secunda libri secundi.
——*bene erat non piscibus urbe petitis,*
Sed pullo atque hædo.

30 *Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.*) mire auxit notam deparci quam apud magistrum legerat satira III. libri II.
Qui Veiantanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.
avarus ille Horatii genio quoties vellet indulgere villo plebeio, cujusmodi erat Veientanum, se oblectabat: quotidie vino fugiente erat contentus. Hoc parum Persio visum: qui cum festis diebus non semicorrupto, sed plane corrupto avarum potat, hoc significat, diebus profestis canina illius prandia fuisse, ex pane & aqua.

33 *Est prope te ignotus cubito qui tangit, & a.*) Satira V. libri II.
——*aliquis cubito stantem prope tangens*
Inquiet, ut p.

40 *Non tamen: ista filix ullo mansuescit aratro.*) traxit aliorsum vocem *filix*: quam meminerat venusta metaphora positam in hoc versu è satira III. libri primi:
Neglectis urenda filix innascitur agris.

41 *Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.*) Notissimus Horatii versus:
Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem.

42 *Vivitur hoc pacto.*) Sat. ultima libri sec.
Hæc est conditio vivendi.
confer integrum locum.

44 *Ut mavis, da verba.*) ex illis Horatii,
Ut mavis, imitare.——
vide locum in IV. satira lib. I.
ib. *decipe nervos.*) epist. XVI. libri primi:
——*occultam febrem sub tempus edendi*
Dissimules.——
ubi eadem tractatur sententia.

45 *Egregium cum me vicinia dicat.*) ibidem:
——*si te populus sanum recteque valentem*
Dictitet.——
idem in V. secundi Sat.
Egregie factum laudet vicinia.——
& in primo Epistolarum:
Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota.

49 *Nequicquam populo bibulas donaveris aures.*) ibidem:
Sed vereor ne cui de te plus quàm tibi credas.
sed τὸ *bibulas* aliò spectat: nam in II. Carminum oda XII. dixit Flaccus:
Densum humeris bibit aure vulgus.

51 *Tecum habita.*) Diverso sensu Horatius in septima II. libri Sat.
Non horam tecum esse potes,

IN QUINTA.

Videtur Persius Horatium in cæteris quidem satiris studiosè imitatus: in hac verò etiam æmulatus, & in certamen eruditi carminis cum illo descendere ausus. Stoicum enim paradoxum, quod singulari venustate tractaverat Horatius sermone VII. libri secundi Satirarum, alia via ac ratione diversa explicare est aggressus. Etsi autem eximium est utriusque carmen: non tamen puto eruditorum quenquam negaturum, tantum inter hanc Persii satiram & illam Horatii esse discriminis, quantum differre solent aretalogi alicujus declamationes de virtute & vitiis, à philosophorum diatribis de thesi proposita accuratè differentium. Omnino de utriusque horum ingenio non possumus aliunde melius judicare, quam ex comparatione istarum duarum satirarum: ambo cùm virtutis amorem profiterentur, & philosophis præsertim Stoicis operam navassent, simili genere carminis mores hominum carpere atque emendare instituerunt: sed ille quidem natura irrisor atque dicax, convenientem ingenio personam in hac satira induxit, cujus sales & urbanitatem potius laudes, quàm eruditionem magni facias. Davus nimirum est, qui libertate Decembri utitur, eaque occasione herum de suis vitiis, & animi servitute qua erat astrictus, admonet. Persius verò magis docere aptus quàm ridere, totus severus, totus gravis de re philosophica disputaturus, personam assumit philosophicam: cujus partes sic tuetur, & perfecti Stoici omnes numeros ita implet, ut ne Zeno quidem illam Spartam melius fuisse ornaturus videatur. Sed ad institutum nostrum redeamus: nam etiam hæc satira, maximè autem posterior illius pars, auri Horatiani ramentis non paucis est aspersa.

1 *Vatibus hic mos est.*) Horatius,

Regibus hic mos est. ———

4 *Vulnera seu Parthi duc.*) Satira prima libri II.

Aut labentis equo describit vulnera Parthi.

10 *Tu neque anhelanti coquitur dum massa camino, Folle premis ventos.*) Non dubium expressam sententiam ex istis Horatii sat. IV. libri I.

At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laboranteis, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis imitare. ———

& Horatius & Persius malum poëtam, sed opinione sui inflatum, hac allegoria irrident: elationem animi ponebant, ut antè diximus, in pulmone: quem uterque poëta follis appellatione intelligit: eodem simili sed alio fine utitur Hippocrates in libro De corde, respirationis instrumenta describens. Non simpliciter autem dicit Horatius poëtam arrogantem folles fabrorum ferrariorum imitari: sed *folles laboranter dum ferrum mollit ignis*: optime: nam cùm cessat faber non turgent folles, neque vento inflati sunt: ut appareat non solùm imitandi studio, sed etiam necessariò esse illa à Persio adjecta:

——— *anhelanti coquitur dum massa camino.*

Juvenalis totam sententiam verbo sic expressit, de caussidicis canens in VII.

Tunc immensa cavi spirant mendacia folles.

nam *cavos folles* intellige inflatos, quando sunt *αἱ φῦσαι αὐταὶ αὐτῶν πολυχωρότεραι*: quod accidit illis quando opus urget faber.

14 *Junctura callidus acri.*) In Arte:

——— *notum si callida verbum*
Reddiderit junctura novum. ———

quam sententiam quominus Persii verbis aptemus nihil vetat.

20 *Dare pondus idonea fumo.*) Sic, *nugis addere pondus*, in epistola XIX. libri primi: & in XVI.

——— *fons rivo dare nomen idoneus.*

45 *Amborum fœdere certo Consentire dies.*) Quod Persius ad præceptorem Cornutum, Horatius antè scripserat ad Mæcenatem suum, libri sec. Carm. oda XVII.

Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. ———

50 *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.*)

Subjungit Horatius:

——— *te Jovis impio*
Tutela Saturno, refulgens
Eripuit. ———

51 *Nescio quod certe est, quod me tibi temperat astrum.*)

in epistola ad Julium Florum:

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum.

52 *Mille hominum species, & rerum discolor usus. Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.*) Horum versuum alter superfluus & sine caussa additus: non enim bis idem dicit, quod in Æschylo comicus reprehendit: sed ter quaterve: non ita Horatius: qui posteaquam universalem thesim posuit, *Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia:* statim ad particularia exempla transit.

54 *Mercibus hic Italis mutat sub Sole recenti.*) Satira quarta libri primi.

Hic

Hic mutat merces surgente à Sole, ad eum quò
Vespertina tepet regio.

58 *Ille in Venerem putret.*) Flaccus ode XXXVI. primi Carminum:

Omneis in Damalin putreis
Deponent oculos.

63 *Cultor enim es juvenum: purgatas inseris aureis F.*) epistola prima:

Est mihi purgatam crebro qui personet aurem.

paullo post:

Cultura patientem commodet aurem.

66 *Quasi magnum Nempe diem donas.*) Satira IV. libri primi:

——sæpe ducentos
Ut magnum versus dictabat.

71 *Vappa & lippus.*) Amat Horatius his vocibus animi vitia significare, ut Satira prima & alibi. *Dama* servile nomen Horatio & Persio: nam apud alios aliter, si bene nomen memini. Jam quod *Marcus* prænomen toties heic repetitur, caussam docet idem Flaccus in quinta lib. II.

——gaudent prænomine molles
Auriculæ.

82 *Hæc mera libertas.*) epist. XVIII. libri primi:

Dum vult libertas mera dici

86 *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.*) hoc est, Stoicus hic mordax: sic *Mordacem Cynicum* Horat. epist. XVII. libri primi: sæpe enim quod Horatius verbo indicavit, uberius expressum à nostro: vel contra.

100 *Diluis Helleborum certo compescere puncto Nescius examen,*) in epistola ad Augustum lib. II.

——Abrotonum ægro
Non audet nisi qui didicit dare.

102 *Navem si poscat sibi peronatus ar.*) ibidem:

Navem agere ignarus navis timet.

103 *Exclamet Melicerta periisse frontem de rebus.*) ibidem.

——clament periisse pudorem
Cuncti pene patres.

104 *Tibi recto vivere talo.*) ibidem:

Securus cadat, an recto stet fabula talo.

108 *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.*) Satira tertia libri secundi:

——creta, an carbone notandi?

110 *Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes.*) similis versus in ejusdem argumenti satira:

Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

111 *Inque luto fixum possis transcendere nummum.*) in epistola ad Quinctium libro primo:

In triviis fixum cum se demittit ob assem.

113 *Hæc mea sunt cum vere dixeris.*) Simillimè Horatius, postquam virum bonum pluribus versibus ut heic, descripsisset: subjicit:

——potesne
Ex his ut proprium quid noscere.

117 *Astutam vapido servas sub pectore vulpem.*) in Arte:

Nunquam te fallunt animi sub vulpe latentes.

121 *Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.*) Satira tertia libri primi:

——excidi
Cætera item nequeunt stultis hærentia.

123 *Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathilli.*) Legendum est *Satyrum:* ut *saltare Bacchum, saltare Clytemnæstram,* & similia passim alii, sic dixit Horatius *moveri Satyrum & Cyclopem:* in epistola ad Julium Florum libro secundo:

——ut qui
Nunc Satyrum nunc agrestem Cyclopa movetur.

Sic Græci *σάτυρον ὀρχεῖσθαι*. Boëthus in Epigrammate de Pylade Satyrum saltante:

Οἷον ὁ τεχνήεις Πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον.

Pantomimorum *ὀρχήσεις* & *λυγισμοὺς* Latini dixerunt *motus*: & *moveri* pro *ὀρχεῖσθαι*: nullum verò dubium esse debet quin Horatianam elegantiam retinuerit Persius imitans illius locum: ut valde mirer nemini ante nos, quod sciamus, hujus venisse in mentem.

126 *I puer, & strig*) in fine primi Sat. dissimile imperium non dissimili mandatur versu:

I puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

128 *Nec quicquam extrinsecus intrat Quod nervos agitet.*) Satira septima libri secundi:

Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

vocem *alienis* expressit duabus, *extrinsecus intrat.*

130 *Quî tu impunitior exis?*) ibidem:

Tergo plector enim: quî tu impunitior?

145 *Lubrica Coa.*) exposuimus mollia & *λειαντικά*, quæ attributa scimus legi sæpe apud medicos de quibusdam vinis: fortasse tamen non male referas ad vasa ipsa quibus Coa vina continerentur. Fictilibus enim vasis vina Græca in Italiam deferebantur: testæ Græcæ vinariæ meminit Horatius oda XX. libri primi: eo autem libentius ita vocem *lubrica* interpreter, quia Horatius conjunctim vini Coi & lubricorum conchyliorum meminit, satira quarta libri II. non quo illum locum imitatus sit Persius: sed quia videtur ex assidua Flacci lectione Coi vini simul & epitheti illius in memoriam ipsi venisse.

136 *Tolle recens primus piper.*) Eadem ſententia illius,

—— cave ne portus occupet alter.

epiſtola ſexta primi:

140 *Jam pueris pellem ſuccinctus & œnophorum aptas.*) Satira ſeptima libri primi.

—— quinque ſequuntur
Te pueri laſanum portantes œnophorumque.

145 *Quam non extinxerit urna cicutæ.*) In epiſtola ad Florum libro ſecundo.

Quæ poterunt unquam ſatis expurgare cicutæ?

149 *Nummi quos heic quincunce modeſto Nutrieras.*) in epiſtola ad Lollium libro primo:

——nummos alienos paſcet.

152 *Cinis, & manes & fabula fies.*) oda IV. libri primi Carminum:

Jam te premet nox fabulæque manes.

153 *Vive memor leti.*) Satira ſexta libri ſecundi.

Vive memor quam ſis ævi brevis.

ib. *Hoc quod loquor, id eſt.*) in choriambico carmine ad Leuconoën libro primo:

——dum loquimur, fugerit invida
Ætas.

156 *Alternus aberres.*) qui inter vitia fluctuat, modo hoc probans, modo illud, *fugitivus & erro* nuncupatur Flacco ſatira libri primi ſeptima.

161 *Dave, cito hoc credas jubeo, f.*) Quia Menandri hunc locum à Terentio expreſſum ſuis Satiris & Horatius & Perſius inſeruerunt, non ſine voluptate ſtudioſi horum trium eximiorum poëtarum verba inter ſe contenderint: apud Horatium perſonarum nomina non ponuntur: Perſius quæ apud Menandrum invenit retinuit: Terentius ut fieri ſolet à comicis nomina mutavit, cum Menandri fabulas pene ad verbum verteret: omnes hoc ſervarunt ut amator juvenis non monitu cujuſquam, ſed ex indignatione, quod eſſet excluſus, cum bona mente redire in gratiam meditetur: itaque non Davus Chæreſtratum, aut Parmeno Phædriam compellat, ſed vice verſa. Horatius ſatira tertia libri 18.

——amator
Excluſus qui diſtat, agit ubi ſecum, eat annon.

ib. *Finire dolores Præteritos meditor.*) ſententia eſt Menandri, verba Horatii:

——an potius mediter finire dolores?

Terentius:

——an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?

164 *An rem patriam rumore ſiniſtro Limen ad obſcœnum frangam.*) in ſimili ſententia verbum *infringere* poſuit Horatius, etſi diverſa notione: ode XI. Epodon.

Ad non amicos heu mihi poſteis, & heu,
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.

165 *Dum Chryſidir udas Ebrius ante fores extincta cum face canto.*) & hanc & quæ præcedit vocem *dedecus* mutuatus eſt è ſermone quarto libri primi:

Ebrius & magnum quod dedecus ambulet ante
Noctem cum facibus.

167 *Euge puer, ſapias, d.*) τὸ *ſapias* inſertum διὰ μέσου ſine conjunctione Horatianæ eſt venuſtatis: ut in choriambico ad Leuconoën: *ſapias vina liques*: hoc eſt, ſi ſapias, ut recte Priſcianus.

ib. *Diis depellentibus agnam Percute.*) *dii depellentes* ſunt θεοὶ ἀποτρόπαιοι. qui ab aliquo periculo ſervati fuerant ſoliti diis averruncis agnam mactare: cujus rei exempla apud Latinos poëtas extant, Plautum, Horatium: Græcorum quoque fuiſſe eandem conſuetudinem ex hoc loco intelligimus: quia non dubitandum eſt, è Menandro tractum eſſe quod heic legitur apud Perſium. quare fruſtra quæſitum à nonnullis, cur agnam heic nominarit Perſius, potius quàm ut Horatius porcum: ſic ille ſatira tertia libri ſecundi:

Non eſt perjurus neque ſordidus immolet agnis
Hic porcum Laribus.

atqui præter cauſſam ſacrificii; quæ eadem eſt: ob ſuperatum animi morbum: cætera omnia diverſa: neque enim iidem ſunt dii depellentes & Lares: & ritus Romanos ac Græcos diſcrepaſſe in multis nemo ignorat.

172 *Ne nunc cum accerſat & ultro Supplicet accedam?*) Horatius:

——nec nunc cum me vocet ultro
Accedam?

174 *Hic hic quem quærimus hic eſt.*) Omnino alium Horatii locum reſpexit ex epiſtola ad Scævam libro primo: ubi diſputatio non diſſimilis ita clauditur;

—— atqui
Heic eſt aut nuſquam quod quærimus.

ſed apud Perſium non neceſſe eſt ſcribere *heic*: imò alterum eſt rectum: in omnibus Perſii imitationibus paret ſemper aliqua mutatio: eſt & locus alter in Horatii Davo conferendus cum iſto; quem propterea aſcribemus:

Poſcit te mulier, vexat, foribuſque repulſum
Perfundit gelida: rurſus vocat: eripe turpi
Colla jugo: liber, liber ſum, dic age.

175 *Lictor quam jactat ineptus.*) Eodem loco epiſtola ad Scævam ſimile huic ἀκρόστιχον legitur;

—— refer & ſine vivat ineptus.

177 *Cicer ingere large Rixanti populo.*) Satira tertia libri secundi:

In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis.

184 *Labra moves tacitus.*) Horatius,

Labra moves cupiens audiri.

ib. *recutitaque sabbata palles.*) Formidas, & colis cessatione ab omni opere. Jam Horatii tempore non deerant qui sabbata cum Judæis observarent, ut in sat. IX. primi:

—— *meliori tempore dicam: hodie tricesima sabbata.*

185 *Tunc nigri lemures, ov.*) In epistola ad Florum libro II.

—— *sagas*

Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?

191 *Et centum Græcos curto centusse licetur.*) Horatius dixerat de Lævino quodam: *unius assis, Non unquam pretiò pluris licuisse.* Persius ita imitatus est, ut pondus grande sententiæ adjiceret ad significationem contemptus: quod in Commentario expositum est à nobis.

IN SEXTA.

7 Hibernatque meum mare.) Horatius in Ofello libri II. Satir.

—— *atrum*

Defendens pisces hiemat mare.

9 *Lunai portum est operæ cognoscere cives.*) Vide ad primam, versu XCIII. gemina huic apud Plautum usurpatio alieni carminis initio Pœnuli: ubi versum ex Achille Aristarchi aptat sermoni suo.

10 *Postquam destertuit esse Mæonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.*) In voce *destertuit* satiricus cachinnus latet: verbo enim id significare voluit, quod pluribus dixit Horatius de eodem Ennio,

—— *leviter curare videtur*

Quo promissa cadant & somnia Pythagorea.

13 *Angulus ille Vicini, nostro quia pinguior.*) Alludit ad malè sanorum vota: cujusmodi illud apud Horatium satira sexta libri secundi:

—— *ô si angulus ille*

Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.

ab eadem enim avaritiæ radice illa quoque invidia proficiscitur, de qua heic Persius.

15 *Ditescant orti pejorib.*) In epistola ad Numicium lib. I.

—— *indignum quod sit pejoribus ortus.*

Ib. *Usque recusem.*) in Davo:

—— *usque recuses.*

16 *Cœnare sine uncto.* In Arte:

—— *unctum qui recte ponere possit.*

18 *Discrepet his alius.*) Satira sexta libri primi;

—— *longe mea discrepat istis*

Et vox & ratio.

& ita sæpius alibi.

ib. *Gemines horoscope varo Producis genio*:) eadem sententia in prima satira libri secundi, sed aliter tractata & sub exemplo:

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem

Pugnis.

20 *Muria vafer in calice emta.*) τὸ *vafer*, pura puta Horatii vox: ut illo loco quartæ satiræ libro II.

Surrentina vafer qui miscet fæce falerna

Vina.

21 *Ipse sacrum irrorans patinæ piper.*) Avaro opes suæ sacræ sunt; hoc est, sic ab illis abstinet tanquam à sacro. Horatiana ἔννοια: satira prima libri primi:

Congestis undique saccis

Indormis inhians, & tanquam parcere sacris

Cogeris.

in tertia libri secundi:

Qui nummos aurumque recondit, nescius uti

Compositis, metuensque velut contingere sacrum.

in verbis Persii, τὸ *ipse* non esse otiosum ostendimus: nunc dicimus illud quoque ab Horatio tractum in secunda satira libri secundi:

—— *cornu ipse bilibri*

Caulibus instillat.

22 *Utar ego utar.*) in ultima epistola:

Utar, & ex modico quantum res poscet acervo

Tollam.

23 *Nec rhombos ideo libertis ponere lautus.*) ita expressit quod ibidem Flaccus aliquanto planius:

—— *& tamen idem*

Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti

Discrepet, & quantum discordet parcus avaro.

hæc Persii mentem aperiunt.

26 *Occa.*) universum arvorum cultum hac voce significavit; ut in eadem Horatius:

—— *villicus Orbi*

Cum segetes occat.

33 *Sed cœnam funeris heres Negliget iratus.*) ibidem Horatius:

—— *nec metuam quid de me judicet heres,*

Quod non plura datis invenerit:

sequitur, apud Persium, paullo post:

Hæc cinere ulterior metuas?

34 *Quod rem curtaveris.*) ibidem; *Quantulum enim*

enim summæ curtabit quisque dierum: item oda XXIV. libri tertii Carminum:

Curtæ nescio quid semper abest rei.

35 *Seu spirent cinnama surdum.*) duriuscula translatio, ab auditus sensu, ad sensum olfactus: sed Persium auctoritas magistri tuetur, qui etiam durius, ut mihi videtur, *exsurdare* verbum de gustu posuit, in octava secundi Satir.

Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.

hoc est, offendunt, sive parum grata accidunt: ut aspera vox clamantis aures audientium lædit atque exsurdat: etiam Græcis *ἐκκωφεῖν* pro *βλάπτειν*.

39 *Postquam sapere urbi Cum cicere & palmis venit nostrum hoc maris expers.*) Etiam atque etiam acutum lectorem & emunctæ naris monemus, cogitet de eo quod in Commentario dicebamus: num Persius apud Horat. verba illa in Fundanio, *Alcon Chium maris expers*, aliter acceperit quàm vulgò exponantur: hoc est, pro mari condito, vel mari advecto: constat veteres criticos variè accepisse illum locum, & videtur Glossarum magister cùm diversas notiones vocis *expers* afferret, cum potissimum locum spectasse, neque alienum ab Horatii ingenio ut figuram *καινοπρεπείας* (*affectata novitatis*) in illa voce usurpasset. Sin vulgari notione Flaccus id verbi capi voluit, referemus locum Persii ad genus illud imitationis, cùm verba retinentur, sed diversa notione: cujusmodi non pauca possunt observari: vel quod proximè notabamus de nomine *surdum*.

44 *O bone, num si ignoras?*) in Damasippo lib. II. Satir.

——*ô bone ne te*
Frustrère.

62 *Sum tibi Mercurius.*) Horatius ibidem:

Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert.

66 *Neu dicta repone paterna.*) quæ Flaccus Venusinus *dictata*, noster *dicta* nominat: *hæc recinunt juvenes dictata*: in prima epist.

68 *Impensius unge, Unge puer caules.*) Horatius in simili disputatione, satira III. libri sec.

Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis.——

73 *Patritiæ im. v.*) idem verbum eadem notione extat apud Horatium, & satira sec. libri I. & in septima libri sec.

78 *Rem duplica: feci: jam triplex: jam mihi quarto Jam decies redit in rugam.*) eandem sententiam aliis verbis tractat Musa Venusina epist. VII. libri prioris:

Mille talenta rotundentur: totidem altera: porro
Tertia succedant, & quæ pars quadret acervum.

Hæc ferè loca sunt in hac præstantissimorum poëtarum biga, quæ inter se comparanda memoriæ entheca nobis suggerebat: plura istis fortasse digna observatu animadvertent alii: nobis ille potius animum incessit metus, ne in hoc negotio diligentiores quam par erat, fastidiosis & *ἀψικόροις* lectoribus videamur fuisse: solidè doctos & candidos æstimatores non negaturos confidimus, hujusmodi sive *μιμημάτων* sive *ξυνεμπτωμάτων* observationem, & ad intelligentiam ipsorum poëtarum plurimum conferre: & hoc amplius, ad rectè instituendam veterum imitationem, non mediocriter conducere.

Τῷ ἐπὶ πᾶσι δόξα καὶ χάρις.

AUCTO-

AUCTORUM
Qui in hoc
COMMENTARIO
LIBRO LAUDANTUR,
illustrantur, aut emendantur,
INDEX.

RERUM & VERBORUM
MEMORABILIUM
INDEX.

A.

An-

Expers,

Infractus,

Mer-

FINIS.

LIBRI QUI APUD PETRUM VANDER AA VENALES PROSTANT.

AMmianus Marcellinus, cum notis & Var. Lect. Lindenbrogii, Valesiorum & Gronovii, nec non vetustiss. nummis & figuris adornata, fol 1693.
—— Idem, fol. Charta Majori 1693.
—— Idem, in magno quarto 1693.
Authores de Cruce, 12. 4 voll. cum fig 1695.
Leon. Augustini Gemmæ & Sculpturæ antiquæ, cum earum enarratione, in Latinum versa ab Jacobo Gronovio, 4. 2 voll. 1694.
Briggs Opthalmographia & nova Visionis Theoria, 12. cum fig. 1686.
Burnet Histoire de la Reformation d'Angleterre, avec la defense de Sanderus & les portraits des Hommes Illustr. en Angleterre, 12. 4 voll.
Beschryving van Arabien en Mesopotamien, fol. met kopere platen.
Boekelen de div. familiis veterum Jurisconsultorum, orationibus Principum in Senatu Rom. exceptionibus tacitis in pactis publicis. Æmulatione Imperiorum, 12. 1678.
Bebenburg de Juribus Regni & Imperii Romanorum, Item Balbus de Coronatione, cum notis Freheri, 4. 1664.
Ciceronis Opera quæ extant Omnia, ex MSS. codicibus emendata studio atque industria Jani Gulielmi & Jani Gruteri, additis eorum notis integris: nunc denuo recognita ab Jacobo Gronovio, cujus ubique adjectæ sunt emendationes, petitæ partim ex libris MSS. partim ex animadversionibus Virorum Doctorum: etiam Orationibus illustratis accessione Asconii Pediani & doctissimi Veteris Scholiastæ, nunquam antea editi; Appositis in margine ad utentis commodum numeris, non tantum Gruterianis, sed etiam Apparatui Latinæ locutionis Nizoliano respondentibus: cum indicibus aliis correctis, aliis novis & accuratissimis. In magn. quarto, 4 voll. 1692. cum fig.
—— Idem in 12. ut supra cum ejusd. notis sub singul. pagin. positis, xi. voll. 1692. cum fig.
—— Epistolæ ad familiares, cum notis Gronovii, 12 1692.
—— de Officiis ex recens. Gronovii, 12. 1692.
Crusii ex variis observationibus quæ ad jus civile pertinent Diatribe ex Juliano libro xxx. Dig. de script. & sentent. cap. xl. si pater familias §. de heredib. instit. quarto, 1669.
Coccei Eer en Leer verdedigt tegen Hulsius, 4. 1676.
—— ad Titum, 4. Ch. Maj. 1670.
—— in Johannem, 4. Ch. Maj. 1670.
—— in Catechesin Heidelb. 8 1671.
Caroli Drelincurtii Homericus Achilles, editio altera auctior, 4.
Hugo Grotius Droit de la Guerre, 12. 3 voll. 1692.
Abrahami Gorlæi Antverpiani Dactyliothecæ, seu annulorum sigillarium quorum apud Priscos tam Græcos quam Romanos usus, ex Ferro, Aëre, Argento & Auro promptuarii Pars Prima, collectis aliunde & ineditis & editis Annulorum figuris auctior: cum explicationibus Jacobi Gronovii, 4. 1695.
—— Dactyliothecæ Pars Secunda, seu Variarum Gemmarum, quibus antiquitas in signando uti solita, Scalpturæ, triplo quam fuerunt, partim antehac ineditarum, partim ex scriptis eruditorum virorum collectarum numero locupletiores, cum succincta singularum explicatione Jacobi Gronovii. Accedit Marbodæi, Galli, Cænomanensis, Carmen de Gemmis & Lapidibus, 4 1695.
—— Idem 4. Charta Majori 2 voll. 1695.
Lilii Gregorii Gyraldi Opera Omnia, continens Historias Deorum in XVII. syntagmat. divis. (cum eorum Iconibus) quorum ultimum est de sacrificiis, Libellum de Musis. De Herculis Vita. De re nautica. De sepulchris & sepeliendi ritibus, cum notis J. Faez. Historiam Poëtarum Græcorum & Latinorum dialogi, (cum eorum Iconibus & notis Colomesii) quibus accedunt duo de Poetis sui temporis. Progymnasmata adversus literas & literatos. Expositio Ænigmatum antiquorum & Symbolorum Pythagoricorum. Pythagorica præcepta mystica ab Plutarcho interpretata. Parænesis in ingratos. Liber de annis, mensibus, cœterisq. temporum partibus. Carmina & Epistol. fol. 2 voll. cum Numismatib. & fig æneis. *sub prælo.*
Gotfried Historische Chronijk vervattende de gedenckwaerdigste geschiedenissen voorgevallen van 't begin der Wereld tot 1576. van nieuws na het laeste hoog-duytsche vermeerdert exemplaer in 't nederlands overgeset, en sedert vervolght tot op dese tyd, doorgaens met korte inneheuden der Historien op de kant, en deftige Registers verrijckt, mitsgaders wel 600 heerlyke kopere platen, in folio, 3 *deelen* werd gedrukt.
Holstenii notę in Stephanum de Urbibus, Gr. Lat. ejusdem Nymphęum, cum fig. Differt. de Ænec adventu, de Gigantibus, &c. fol. 1694.
Hippocratis Opera Omnia, Gr. Lat. cum notis Joh. Ant. vander Linden, 2 voll. 1665.
Houtuyn Monarchia Hebręorum, 24. 1685.
Historię rei nummarię veteris scriptores aliquot insigniores, nempe M. Hosti historica antiquitas Rei

Nummariç, Mensurarum, Ponderum, &c. Seldenus de Nummis. Labbé Bibliotheca Nummaria & Budęus de asse & partibus ejus, 4. 4 voll. 1695.

Hofmanni Lexicon Universale, Historico-Geographico-Chronologico-Poetico-Philologicum, ab ipso auctore revisum & quidem demiduo auctum, in magno folio. 4 voll. *sub prælo.*

Hankius de Byzantinarum rerum Scriptoribus, Gręcis, 4. 1677.

Herbinii Kijovia subterranea, cum figuris, in quibus labyrinthus sub terra & in eo mortua, à sexcentis annis Divorum atque H. roum Gręco-Ruthenorum, & necdum corrupta corpora. 8. 1675.

D. Junii Juvenalis Aquitatis Satyrę, cum Scholiis veterum, & Commentariis integris, selectis & Conquisitis fere omnium Eruditorum, ut Is. Grangęi, Jo. Britannici, Nic. Rigaltii, Pet. Pithoei, Th. Pulmanni, Dom. Calderini, Georg. Vallę, Eilh. Lubini, B. Autumni, Joh. Ger. Vossii, Oct. Ferrarii, Cl. Salmasii, Jos. Scaligeri, Nic. Heinsii, Joh. Fr. Gronovii, J. G. Grevii, Is. Vossii, Lud. d'Orleans, J. A. Gonsalii de Salas, Th. J. Almelovenii, H. C. Henninii, & aliorum. Cum Indice Locupletissimo omnium Vocabulorum, accedit A. Persii Flacci Satirarum Liber, cum ejus vita, vetere Scholiaste, & Is. Casauboni notis, qui cum recensuit & commentario libro illustravit, una cum ejusdem Persiana Horatii Imitatione. Editio novissima, auctior & emendatior ex ipsius Auctoris codice: Cura & opera Merici Casauboni Is. F. Accessit & Grecorum, ubi opus erat, interpretatio, 4. 1695. 2 voll.

Jacobus Nicolaus de Vulneribus J. Christi, 8. 1686.

Const. Landi Compl. Comitis Numismatum prçcipuç Romanorum expositiones, elegantibus nummorum ectypis, & indicibus necessariis instructç, 4. 1695.

Justi Lipsii Opera Omnia, 8. 4 voll. cum fig. 1675.

Jac. Lauri Emblemata Politica curiosa, 4. 1696.

Laurenbergii Gręcia antiqua, cum Chartis Geographicis, *in longo* 4. *sub prælo.*

Matthęus de Nobilitate, de Advocatis Ecclesię, de Comitatu Hollandię & Diœcesi Ultraj. 4. 1686.

Muntings beschrijving der Aardgewassen, mitsgaders desselfs oeffening, in folio, vol heerlijke plaaten, van Boomen, Planten, Bloemen, &c. 2 deelen, werd gedrukt.

Ovidii Metamorphosis, figuris Æneis elegantiss. representata à Bavern, folio longo 1687.

Quatuor Evangelia Gothica, Anglo-Saxonica, cum Glossaria & notis Fr. Junii, 4. 1665.

Q. Curtius Rufus de rebus gestis Alexandri Magni, cum Supplementis & Commentariis Freinshemii, Raderi, Salmasii, Gronovii, Bongarsii, Loccenii, Popmæ, Blancardi, aliorumque, nec non locorum difficiliorum interpretatione, indicibus locupletissimis Philologicis, rerum & verborum. Figuris æneis ad Historiam Alexandri Magni illustratæ & adornatæ. 8. 1696.

Recueil sur les differens des Quartiers à Rome, 8. 1683.

Religio Exculpata. 4. 1684.

Ruysch de Valvulis, & observationes Anatomicæ, 12. cum fig. 1687.

Stephanus de Urbibus, Gr. Lat. cum notis Gronovii, Berkelii & aliorum, fol. 1694.

Someren Poëzy of uytspanning van Vernuften, 4. 1685.

Solleysel Mareschal parfait qui enseigne a connoistre la beauté, bonté & defauts des Chevaux, 4. 2 *vol.* 1691.

L. & M. Ann. Senecæ Opera, c. not. Lipsii, fol. 1672.

Sauberti Dissertationes Philologicæ Selectæ, 4. 1678.

—— in Matthæum, 4. 1672.

Steno Anatome cerebri, 12. 1671.

Thevet Vies des Hommes Illustres, avec leurs Pourtraits, 12. 8 *voll.* 1695.

Titus Livius, cum notis Variorum. 8. 3 voll. 1679.

Thesaurus Antiquitatum Romanarum, in quo continentur lectissimi quique Scriptores, qui superiori aut nostro seculo Romanæ reipublicæ rationem, disciplinam, leges, instituta, sacra, artesque togatas ac sagatas explicarunt & illustrarunt, congestus à Joh. Georgio Grævio: accesserunt variæ & accuratæ tabulæ Æneæ. In magno foll. 8. voll. *sub prelo*, de quo jam duo volumina in lucem edita sunt, & duo sequentes Ult. Julii. 1695 in publicum prodibunt.

Utilité des Voyages, qui concerne la connoissance des Medailles, Inscriptions, Statues, Dieux Lares, Peintures anciennes, & les Bas Reliefs, Pierres precieuses & gravées, Cachets, Talismans, Anneaux, Manuscrits, Langues, & autres choses remarquables. Et l'avantage que la recherche de toutes ces Antiquitez procure aux Sçavans. Avec un Memoire de quelques Observations generales qu'on peut faire pour ne pas voyager inutilement. Par M. Baudelot de Dairval, Avocat en Parlement, enrichis de plusieurs figures en taille douce, en Octavo, 2. *voll.* 1693.

Valerius Maximus, sine notis 24. 1650.

Les Voyages de Monsr. de Monconys, en grand 12. 5. *voll. augmentée, avec figures*, 1695.

Wesenbecii Paratitla, cum notis Bacchovii, Brederodii, & aliorum. 4. 1665.

De Werken van Mars of de konst des Oorlogs, verdeeld in drie Deelen, waar van 't I. Onderwyst den Stijl om allerhande geregelde Plaatsen te versterken. II. Verklaart derselver Bouwingen, volgens de Stellingen der alder-vermaardste Autheuren, die tot nu toe daar van gehandelt hebben; benevens de Bouwings-Stijl deses Schrijvers. III. Leert de Bedieningen der Ruytery en Voetvolck; handelt van 't Geschut; en geeft den Stijl om de Plaatsen aan te tasten en te verdedigen: Beneffens een omstandige verklaaring der Turksche Krijgs-Magt, so tot aantasting als verdediging, verciert met meer dan 400. *konstige Koopere Plaaten, door Allain Manesson Mallet, Mathematicus van sijn aller-christelijkste Majesteits Pagies der kleyne Bereyt, Ertijts Ingenieur, en Sergeant Majoor van d'Artillerie in Portugaal, uyt het Frans vertaalt, op nieuws gedrukt en met meer dan* 100. *Plaaten vermeerdert, en doorgaans verbetert.* 8. 3 *deelen* 1695.

I N.

Et plures alii.

INDEX AUCTORUM

Qui in

THESAURO ANTIQUITATUM ROMANARUM
JOH. GEORGII GRÆVII

Reperientur.

Ciaco-

INDEX AUCTORUM THES. ANTIQ. ROM.

Ciacconius ad Kalendarium Rusticum Farnesianum.
Aleander ad Kalendarium Romanum mensium antiqua descriptio, cum fig. æneis ex Lamb. Biblioth: Cæsar.
Kalendarium antiquum, ex Bibliotheca Cæsarea Lambecii.
Kalendarium Romanum vetus sub Constantio Impetatore, Constantini Magni filio, editum ab Ægidio Bucherio
Viola de veteri novaque Romanorum temporum ratione. Libellus rarissimus.
Morestellus de triplici anno Romanorum & priscorum Romanorum feriis.
Siccamæ fastorum Kalendarium.
Puteanus de veteri anno Romano Romuli & Numæ.
Taffinus de veteri Romanorum anno seculari & ludis secularibus.
Ryckius de anno seculari jubileo.
Puteanus de anno Bissextili.
Fr. Robortellus de Mensium appellatione ex nominibus Romanorum.
Bellus de mense & die victoriæ Pharsalic.
Puteanus de nundinis Romanorum.
Panvinius de ludis Circensibus.
Bulengerus de Circo Romano.
—— de ludis Circensibus.
—— de Venatione Circi.
—— de Theatro.
Panvinius de ludis secularibus.
Marescotus de personis.
Lipsius de gladiatoribus.
—— de Amphitheatro.
If. Vossius de theatris Romanorum.
Panvinius de Triumpho, cum notis omnium.
Veteres Arcus Augustorum Triumphis insignes ex reliquiis quæ Romæ adhuc supersunt cum Imaginibus triumphalibus restituti antiquis nummis notisque Joh. Petri Bellorii illustrati.
Val. Chimentellius de honore bisellii.
Ferratius de veterum acclamationibus.
Meursius de tibiis veterum.
Petri Cassiani Epistol. de calido potu apud veteres.
Josephi Castalionis de frigido & calido apologeticus.
Butius de Antiquorum potu. Liber rarus.
Bulengerus de Convivis.
Puteani reliquiæ Convivii.
H. Mercurialis de accubitu in cœna antiquorum.
Meursius de luxu Romanorum.
Kobierzykius de luxu Romanorum.
Baccius de Thermis.
Fr. Robortelli Laconici seu sudationis Pisanæ explicatio.
Bulengerus de ludis privatis ac domesticis veterum.

Jos Castalio in inscript. Ursi Togati de lusu pilæ vitreæ.
Senftlebius de alea veterum.
Bossius de Strenis.
Lipenius de Strenis.
Hubmeierus de Strenarum origine.
Patricius de Romanorum militia, Latinè versus.
Savilius de militia Romana.
Lipsius de Militia Romana & ejus Poliorceticon
Salmasius de re militari Romanorum.
—— de la milice des anciens Romains.
Rhabodus Schelius de militia Romana.
Robortellus de Legionibus Romanorum.
Boecleri dissertatio de legione romana.
P. Ramus de Jul. Cæsaris militia.
L. Portius de stipendiis militaribus antiquis ac Provinciarum, regem populi rom Cæsarumque reditibus Libri duo.
Robortellus de Commodis Præmiis & donis militaribus.
—— de pœnis milit. & Ignominiis.
Er. Puteani syntagma de stipendio militari apud Romanos.
M. A. de la Chausse de signis militaribus.
Scheffer. de militia navali longe auctior.
—— de varietate navium.
Senftlebius de variis navibus.
Meibomius de Fabricatione Triremium.
Oppelius de Triremibus.
Vossius de triremibus.
Scheff. de re vehiculari & Ligor. de vehic.
Ferrarius de re Vestiaria.
Rubenius de re Vestiaria.
Ferrarii Analecta de re Vestiaria.
Donius de Pœnula.
Bartholinus de Pœnula.
Bossius de Toga.
Raynaudus de Pileo ceterisque capitis regminibus tam sacris quam profanis.
Contarenus de re frumentaria Romanor.
Tomasinus de Donariis & tabul. Votivis.
—— manus æreaCecropii votum refer.
—— de tesseris hospitalitiis.
Vinc. Alsar de invidia & fascino veter.
Reicheltus de amuletis. cum fig.
Schefferus de novis tabulis.
Fr Ptol. vetustal. seu vetustatis admiranda Romæ.
Liceus de Annulis.
Kirschius de Annulis.
Schefferus de antiquorum torquibus.
Er. Puteani de S. Flavia Domitilla.
Ruben. de Gemma Tiberiana Augustæa.
—— de Nummo Augusti qui inscribitur Asia recepta.
—— de die natali Cæsaris Augusti.
Patini de numismate antiquo Horatii Coclytis per Imp. Trajanum restitut.
—— & Eggelingii de Numismat. quibusd. abstrus. Imp. Neronis & alia.

Briss. Hottom. & alior. de ritu Nuptiar.
Hansenius de funere Romanor.
Meursius de funere & puerperio.
Morestelli pompa funebris.
Chiffletii vetus exequiarum ritus.
Ov. Nas. Sepulchrum c. not. & fig: Bellorii.
Licetus de Lucernis.
Angel. de la Chausse de Lucernis antiq.
Ferrar. de veter. Lucernis sepulchralibus.
Lucerne Antiche con le note di Bellorii.
M. Ang. de la Chausse de Vasis, Bullis, Armillis, Fibolis, Annulis, Clavibus, Tesseris, Stylis. Strigilibus, Guttis, Phialis Lacrymatoriis, & manus æneæ vota referentis, cum fig.
—— Diss. de Mutini Simulacris, c. fig.
Volusius Mæcianus, Priscianus & Rhemnus Fannius cum not. El. Vineti.
Leon. Portius de sestertio, pecuniis, talentis, ponderibus & mensuris antiq.
Sardus de Nummis Roman.
Hottomannus de re Nummaria populi Romani, ejusdem de auro Justinian.
Ciacconius de Nummis.
Scaliger & Snellius de re Nummaria.
Freherus de re Nummaria.
Savotus de Nummis & Ponderibus.
Freherus de Nummo censûs.
Capell. de Nummis, Ponderib. & Mens.
Agricola & Alciatus de mensuris & ponderibus Romanorum.
Poetus de mensuris & ponderibus.
Cœnalis de vera mensurarum ponderumque ratione.
Breerewood de ponderibus & pretiis veterum nummorum.
E. Bernardus de ponderibus & mensur.
Sertorius Ursatus de notis Romanorum.
Fasti Roman. Consul. & Impp. ex antiq. marmoribus quæ Romæ sunt inventa.
Cassiodori Chronicon.
Prosperi Aquitanici Chronicon.
Marcellini Comitis Chronicon.
Idatii Fasti, seu Chr. Fasti. consul. antiqui, auctior ex Labbæi Bibliotheca.
Incerti Authoris ex Cuspiniano.
Victorii Canon Paschalis annorum 532. ab Ægidio Bucherio editus.
Paschalis Laterculus cent. annor. ab ann. Christi 312. usq. ad annum 411.
—— Laterculus a Bucherio emendatus.
Fragmentum Fastorum ab anno Christ. 205. usq. ad annum 325.
Fasti consulares duplices Græci ex MSS. editi à Dodwello.
Fasti Consulum Roman. a Norisio publ.
Norisii epistola consularis.
Sigonii commentarius in Fastos.
On. Panvini Fastorum Libri V.
Pagus de Consulib. Cæsareis, auctior.
Fasti Siculi.

Hi omnes Auctores edentur in his Tomis. Accedent forte nonnulli alii rariores, qui nobis sunt promissi.

Rogantur omnes Studiosi Antiquitatum Romanarum ut si quos habeant nobis invisos & ignotos Scriptores hujus argumenti, nobiscum velint eos communicare, gratos & memores hujus beneficii nos cognoscent.

Nequis ignoret quod pretium pendendum sit pro ceteris tomis, pro singulis foliis charta minoris solvent emtores obolum sive stuferum Hollandicum; pro majoris charta folio obolum & tres chalcos, sive deutas Hollandicas; pro figura ænea folii integri minoris forma quatuor obolos, pro majoris quinque obolos, pro figura dimidii folii duos obolos, & quatuor chalcos, si vero fuerit charta majoris tres obolos; reliqua pro majoris aut minoris forma ratione, seu pro magnitudinis ut loquuntur proportione æstimabuntur.

Singulis annis, Deo dante, duo minimum tomi prodibunt.